57697

QVI MORES HOMINV VIDIT ET VRBES

LEXICON IVRIS CIVILIS ET CANONICI:

SIVE POTIVS,

COMMENTARIVS DE VERBORVM quæ ad vtrumq; ius pertinent ſignificatione, Antiquitatum Romanarum elementis, & legum Pop. Rom. copioſiſſimo indice, adauctus.

Olim quidem Pardulphi Prateij diligentia informatus: nunc verò denuo doctiſſ. aliquot virorum induſtria ita conſtructus, & ſuprà omnes omnium editiones tam multis & præclaris & hactenus non explicatis dictionibus illuſtratus, vt ad eius eximium ſplendorem nihil deſiderari poſſit.

Quid præterea in hac tertia editione præſtitum ſit, epiſtola ad Lectorem docebit.

LVGDVNI,
APVD GVLIELMVM ROVILLIVM.
1580.
Cum Priuilegio Regis.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy eſt permis à Guillaume Rouille Libraire de Lyon, d'imprimer, ou faire imprimer vne fois ou pluſieurs, ce preſent liure intitulé *Lexicon Iuris Ciuilis & Canonici, ſiue potius Commentarius de uerborum quæ ad ius utrumque pertinent, ſignificatione.* Lequel liure il a faict de nouueau reuoir, corriger & augmenter par pluſieurs doctes perſonnages, verſes au droict Ciuil & Canon auec grands fraiz, miſes & deſpenſes: & parce eſt faict defenſe de par ledict Seigneur, à tous autres Libraires, Imprimeurs & perſonnes quelconques, de non imprimer, vendre, ni diſtribuer en ſes païs, terres & ſeigneuries, ledict liure nouuellement imprimé par ledict Rouille, & ainſi reueu corrigé & augmenté, ſi ce n'eſt par ſon conſentement, & ce iuſques au temps & terme de neuf ans, à compter du iour & datte que ſera paracheuée la premiere impreſſion: ſur peine d'amende arbitraire & de confiſcation des liures qu'ils auroyent imprimez. Et à fin qu'aucun ne puiſſe pretendre ignorance du preſent priuilege, ledict Seigneut veut & entend, que l'extraict d'iceluy eſtant mis au commencement dudict liure, ſerue pour toute notification, ſauf en demander copie audict Rouille, (ſi bon leur ſemble) & ce à leurs deſpens. Car tel eſt ſon plaiſir, nonobſtant oppoſitions & appellations quelconques: comme plus à plein eſt contenu & declaré par leſdictes lettres de priuilege, ſur ce donneés à Paris, le quatrieſme de Feurier, mil cinq cens ſoixante & dixhuict, & de ſon regne le quatrieſme.

Par le Roy en ſon conſeil.

Signé, MORE.

Et ſeelé du grand ſeau en cire iaune à ſimple queuë.

ILLVSTRISSIMO VIRO DOCTISSIMOQVE I. C. PETRO D'AVSERRE, HENRICI III. CHRISTIANISS.

Galliarum & Polloniæ Regis in curia Lugdunenſi Conſiliario, eiúſq; cauſarum aduocato, ſereniſſimæq; Reginæ matris libellorum ſupplicum magiſtro, Guilielmus Rouillius, S. D.

VERE quidem & ſapienter, vir doctiſſime, principem illam naturæ legem viri prudentes aliud nihil eſſe voluerunt, niſi rectam, & à numine deorum tractam rationem, quæ in natura inſita, imperaret honeſta, eáque quæ facienda ſunt, prohiberet contraria, mentem denique omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei: nec hominum ingeniis excogitatam, aut ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed ſeculis omnibus ante natam, quàm ſcripta lex vlla, aut quam omnino ciuitas conſtituta. Huius enim rationis ex tot animantium generibus & naturis, præclara quadam conditione ſoli homines participes, amicitiam cum Deo ſocietatémque coierunt: quæ recta & perfecta cum eſt, lege quadam cum diuinis ſpiritibus cõſociantur, inter eos communio iuris eſt, eiuſdemque ciuitatis habentur: nam vniuerſus hic mundus vna ciuitas communis deorum atque hominum exiſtimanda eſt, ait ille: & quod in ciuitatibus ratione quadam agnationibus familiarum diſtinguuntur ſtatus, tanto iam rerum natura magnificentius, tantóque præclarius, vt homines deorum agnatione gentéque teneantur. ex quo efficitur illud, vt nullum animal ſit præter hominem, quod habeat aliquam Dei notitiam: íſque verè deum agnoſcere dicatur, qui vnde ortus ſit, quaſi recordetur & agnoſcat. Ad iuſtitiam igitur nati omnes ſumus, neque opinione, ſed à Deo conſtitutum eſt ius. Dicam etiam planius. An eſt vſpiam vnum vni tam ſimile, tam par, quam omnes inter noſmetipſos ſumus? imo etiam, vir præclariſſime, ſi deprauatio conſuetudinum, ſi opinionum vanitas imbecillitatem animorum non torqueret, & flecteret quocunque cœpiſſet, ſui nemo ipſe tam ſimilis eſſet, quam omnes omnium. tum verò quæcunque hominis eſt definitio cum vna in omnes valeat, nulla diſſimilitudo inter eos eſt, omnéque hominum genus ſociatum inter ſe intelligi debet, & ad participandum alium ab alio, communicandúmque inter omnes iuſti natura facti ſumus. Neque verò dubium eſt, quin ſi, quomodo eſt natura, ſic iudicio homines, humani (vt ait Comicus) nihil à ſe alienum putarent, coleretur ius æquè ab omnibus. nam ſi, quibus à Deo ratio data eſt, iiſdem etiã recta data eſt: ergo & lex, quæ eſt recta ratio in iubendo & vetando: ſi lex, ius quoque. Omnibus autem ratio, ius igitur omnibus datum eſt. indéque præclare fons ille philoſophorum omnium

Socrates, eum ſolebat exſecrari, qui primus vtilitatem ab honeſtate ſeiunxiſſet. id enim querebatur caput eſſe exitiorum omnium: itemque ſententioſus ille Euripides, φίλων γὰρ οὐδὲν ἴδιον, οἵτινες φίλοι ὀρθῶς πεφύκασ᾽, ἀλλὰ κοινὰ χρήματα. Addamus etiam, primi noſtri parentis Adæ procreatione, Euæque matris omnium ab ipſius coſtis productione (mitto enim ethnicorum illud, perpetuis curſibus, conuerſionibuſque cæleſtibus, extitiſſe quandam materiam ſerendi generis humani, quod ſparſum in terras atque ſatum, diuino auctum ſit animorum munere) illius, inquã, Adæ Euæque creatione, nihil aliud vniuerſo hominum generi præſignificatum, quam vnam eſſe debere hominum inter ipſos viuendi parem communémque rationem, tum omnes inter ſe naturali quadam indulgentia & beneuolentia, tum etiam ſocietate iuris contineri. Iuſtitia denique nulla ſit omnino neceſſe eſt, ſi neque Deus eſt, ipſumque iuris fundamentum, quo ſcilicet, inſtigante Deo, propenſi ſumus ad homines diligendos, prorſus corruet, tum verò in Deum pietas, ipſáque religio, quæ non metu, ſed ea coniunctione quæ homini cum Deo eſt, conſeruari debet. Iuris igitur principia non à ratione in hominis mente confirmata & confecta, quam legem dicunt, proficiſci exiſtimare oportet, vt philoſophis quibuſdam veteribus placere video, ſed à natura, id eſt ipſo Deo huius vniuerſi ſolo conditore & reformatore. Quæ cum ita ſint, miſerrimi ſane homines, qui illius cum Deo naturalis coniunctionis obliti, huicque ab eodem datæ rationi non acquieſcentes, ſocietatis communis vinculum perfregerunt, ſibíque, vt varium eſt hominum genus & multiplex, alios legiſlatores habuerunt: quibus beatiſſimis ſummus ille nomotheta ſatisfeciſſet: illis enim feliciſſimæ vitæ metis tranſgreſſis, quidlibet perpetrandi poteſtate occupata, nihil non ſibi licere exiſtimarunt, hinc cædes, furta, adulteria, & huiuſmodi flagitia, poſt quæ erupit iniuria, & quod quiſque potuit, id quiſque velle, neglecta ratione, cœpit: hinc multi vim paſſi, & deiecti poſſeſſionibus, hinc lites, & id genus malorum in orbem inuectum: hinc denique regulæ illæ ad iubendum & ad deterrendum idoneæ, quibus qui rectè facere nollent perſuaderentur, qui verò eſſent ad delinquendum proni, pœna miniſque auocarentur: ex quibus etiam ius ipſum & iuſtitia, cuius olim conſtituendæ eadem videtur fuiſſe cauſſa quæ regum. Nam cum initio multitudo premeretur ab iis qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant virtute præſtantem, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari iure retinebat. ius enim ſemper quæſitum eſt æquabile: neque enim aliter eſſet ius, id ſi ab vno iuſto, & bono viro conſequebantur, eo erant contenti: ſi id minus contingeret, leges inuentæ, quæ cum omnibus ſemper vna atque eadem voce loquerentur. Atque harum quidem inuentionem alij ad Cererem referunt, alij ad Rhadamanthum: quos deinde longo poſt interuallo ſecuti ſunt nobiles illi legiſlatores, apud Lacedæmonios, Lycurgus, Athenienſes, Dracho & Solon, Locrenſes, Zaleucus, Thurios, Charondas, Cetas, Zamolxis, qui tamen omnes quo proprius ad legis naturæ ſimilitudinem acceſſerunt, eo certior ac laudabilior ea vitæ ratio exiſtimata eſt, quam hominum generi præſcripſeruut. Sed apud Romanos, quorum leges cæteris omnibus præferuntur, certi legiſlatores non fuerunt: ſed, exceptis cenſoribus, ædil. curul. quæſtoribus, ædil. pleb. triumuiris capitalibus, triumuiris monetæ cudendæ, trib. mil. omnibus aliis magiſtratibus leges ferre conceſſum eſt. apud Græcos tamẽ quam rigidè ſancitæ fuerint, ex pœna Draconis legibus in violatores conſtituta colligi poteſt, Zaleuci in ſe filiúmque ſupplicio, Charondæ denique præfracta & abſciſſa iuſtitia, qui cum capitis pœna edixiſſet, nequis in concionem cum ferro intraret, & interiecto deinde tempore ex longinquo rure gladio accinctus domum repetens, ſubito indicta concione, ſicut erat, in eam proceſſiſſet: ab eo qui proxime conſtiterat ſolutæ à ſe legis ſuæ monitus: Idem illam, inquit, ſanciam: ac protinus ferro quod habebat diſtricto incubuit. Nec mirum profecto: ipſarum enim legum obſeruatio quam valde neceſſaria, atque vtiliſſima fuerit, potentiſſimorum

morum quorundam regnorum caſus ſubitus, ariſtocratiarum aliquot & democratiarum, in quibus, nequitiis omnibus laxatis habenis, noxiiſque data palam venia, vis ipſa legum robúrque obſtupuerat, manifeſto ſunt indicio. Sed quid, quæſo, antiquißimorum Aſſyriæ regum maieſtatem, eximium ſplendorem, amplitudinémque tandiu cõſeruauit? aliqua ſane, etſi non legum, at æqui boníque obſeruatio, quæ vicem legis obtinebat: quid Perſarum, Medorum, Græcorum denique? ſola certe æquitatis regula, quæ vbi infringi inter arma cœpit, quam breui momento citißiméque perierint, notius eſt quam vt dici debeat. Ipſi ſane Spartani, vt alios omittam, quandiu Lycurgi legum auſpiciis Reſpublica eorum adminiſtrata fuit, inter omnes Græcos facile principatum obtinuere, qui tamen ipſius præceptis obliti, in medio ſtatus eorum robore, funditus euerſi ſunt. Id vero apertius videre licet in Romanorum Repub. qui legum ſuarum religioſißimi obſeruatores, violatorumq́ acerrimi vindices, imperij ſui fines non terræ tantum, ſed etiam cæli regionibus terminarunt. vt mihi prudenter iudicaſſe videatur Polybius, quod duabus potentißimis ciuitatibus, Carthagine & Roma, multorum annorum bello de imperio decertantibus, ad extremum ſuccubuiſſe Carthaginem, & victam conditiones accepiſſe, ob eam maxime cauſſam putet, quod quo tempore inter eas incidit contẽtio, tum & Carthagine multo quam antea negligentius, & Romæ multo, quam vnquam, diligẽtius leges colebantur. Harum enim obſeruatio fundamentum libertatis eſt, fons æquitatis. mens namque & animus & conſilium & ſententia ciuitatis, poſita eſt in legibus: atque adeo vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus, vt neruis & ſanguine & membris, vti non poteſt: & idcirco legum ſerui efficimur, vt liberi eſſe poßimus. Recte igitur Heraclitus ait, μάχεσθαι χρὴ τὸν δῆμον ὑπὲρ τοῦ νόμου, ὅκως ὑπὲρ τείχεος. nam (vt iam attigimus) ad eorum ſalutem, ciuitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam & beatam, conditæ ſunt leges: quíque eas primum ſanxerunt, populis conſtat oſtendiße, ea ſe ſcripturos atque laturos, quibus illi aſcriptis, ſuſceptiſque, honeſte beatéque viuerent. Sed tecum fortaßis plus iam ſatis de ſumma ipſius naturæ lege, iuris principiis, & legum conditoribus, ipſarumque obſeruatione: vereorque ne videar τὸ φῶς ἡλίῳ velle δανείζειν, aut ipſum ſane iuris aſylum Papinianum commonefacere. quod ne quis exiſtimet, paucis rem aperiã, conſiliúmque meum explicabo. Harum enim rerum cognitionem incognitam tibi non eſſe, & ſcio ipſe, omnibuſque notißimum: imo vero ita penitißime cognitam, vt mihi in te veterum illorum Iuriſconſultorum, Scæuolæ, Papiniani, Iuliani, Vlpiani, Pauli, Africani, & cæterorum, mens ipſa ſententiáque prorſus repræſentata videatur. Et cui non audita Petri d'Auſſerre, iuriſconſulti celeberrimi doctrina & prudentia? ecquis eſt vel cui ea non magnopere profuerit, vel certe ita non celata, vt eam valde non ſuſpiciat. Ipſi ſane Galliarum Regi Chriſtianißimo Henrico tertio, quam probata, magnificum illud munus Aduocati cauſſarum regium, quo te inter cæteros ſua decorandum cenſuit, ſatis indicat: ipſius denique ſereniſſimæ, prudentißimæque reginæ matris Katharinæ de Medicis, munificentißima liberalitas, qua te ſibi libellorum ſupplicum magiſtrum inſtituit, apertißime teſtatur: mihi vero quam vtilis, & pridem ſenſi, & prædicare nunquã deſinam. Sed in re manifeſtißima quid immoror: idque quod omnibus eſt in confeſſo, anteſtari volo. Quid ergo? vt quod verißimum per ſe ſatis eſt, à nonnullis tamen de induſtria obſcurißimis tenebris conſopitum, denuo etiam promulgarem, tum vero ad patentißimum huius libri campum viam aliquam iuris ciuilis ſtudioſis præmunirem, qua deinde ad ipſum iuſtitiæ antiquíque iuris fontem facilius alacriuſque peruenire poſſent. hoc enim prælibato, minus ſalebroſa fortaßis via erit, ingreſſuriſque longißimum iter, compendium non moleſtum. Nec ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα ἅλλεσθαι, mea quidem ſententia, videbor, aut ταὐτὰ πράττων, οὐδὲν ποιῶν. etſi enim hæc aliquoties ab aliis dicta ſunt: huic tamen de verbis iuris Commentario præponenda potißime fuere, cum & ipſa legum verba ni propriè explicentur, earumque vis & ſignificatio demonſtre-

tur,parum ipſæ profecturæ ſint. Tanquam igitur iuris parti ipſique vel maxime annexæ,hæc præpoſita,nemo,vt facile credo,tyroni legum inuiderit.

Tuo vero nomini I.C.præclariſsime,hoc dictionũ ſyntagma,ſeu Lexicõ,in quo ſcilicet ſeu theſauro recõditæ ſunt omnium pene dicã verborũ quæ ad ius Ciuile & Canonicũ pertinent, expoſitiones,cur maximè inſcribendũ cenſuerim, me plurimæ eæque grauiſsimæ cauſæ,impulere nam(vt omittam beneficiorum tuorum erga me magnitudinem, ſingularémque in me meoſque omnes ſemper tuum amorẽ,cuius merito plurimum tibi ſum deuinctus,eoque nexus genere obligatus,vt niſi aliquo ingenti magnificoque præmio diſſolui hoc nomen non poßit) cui hæc doctiſsimorum virorum lautiſsima bellaria,ἀλ δὲ νομικῆς ἄωτον, potius apponenda fuere, quam ei cui in deliciis ſunt vel maxime? cuius autem auctoritate,ingeniíque viribus ab impuriſsimis linguis obtrectatorum, quos multo plures quam laudatores noſtrum ſeculum tulit,hæ variorum auctorum ſelectæ gemmæ integriores puriores ſque conſeruabuntur,meliuſque defendentur & vindicabuntur,quam illius qui earum eſt ſtudioſiſsimus & amantiſsimus? in cuius denique beneuolentiam fidiſsimamque clientelam hi noſtri qualeſcunque labores tutius conferendi,quam eius qui mihi intimus eſt, & optime cupit? Et ſane quod de iuriſprudentia ſis bene meritus,vt nemo fere huius noſtræ ætatis melius,id operæ ſtudiique quod Iuriſconſultorum euoluendis placitis,& trutinandis,dies nocteſque inſumis,eos tibi familiariores reddit,& propterea dilectiſsimos,ἐκ τῆς γὰρ οἰκειότητος,inquit ille γίγνεται ἀνθρώποις ἔρως. Vt ſi quid eius generis occurrat,à te laute beneueloque excipiatur,necnon eius te acerrimum vindicem præſtes: tum verò maxime ſi quid eſt eiuſmodi,quod tui vim fauoris obſecretur & imploret. Quæ cum ita ſint,accipe grati mei animi hoc exiguum monimẽtum: quod,ſi non ex ſua magnitudine,ſed ex meo tibi gratificandi animo ponderes,memineriſque tuis auſpiciis in lucem prodiiſſe, atque in eorum aliquam partem te vocari,non illepidum, mea quidem ſententia,fuerit: in quo etiam quid præſtiterimus, quamque accurate & diligenter, cautiuſque quam in ſuperiori editione,aut quibuſcunque aliis alibi impreßis,verſati ſimus,tuum erit iudicium: tum,ſi qua erunt reprehenſione digna,pro tua in me literarumque cultores beneuolentia,non vſque eo peccata vitiáque aduertere,quin ſimul tum laborum ac lucubrationum, quos in hoc opere conſtruendo ſuſcepimus,tum vtilitatis,quam ex eo quilibet capere poteſt,rationem ſubducas. Hæc ſi feceris,haſque noſtras vigilias,ea fronte qua meipſum ſoles,acceperis, & illarum patrocinium non grauate ſuſceperis,tum mihi ſumptibuſque meis pleniſsime ſatiſfactum eſſe,cæteris verò omnibus has probatum iri,& iucundas gratiſsimaſque fore putabo. Vale,mi D'Auſſerre,qui quidem vnus pulcherrimo illo Apuleij dignus es elogio, Inter doctos nobiliſsimus,inter nobiles doctiſsimus, inter vtroſque optimus: adde etiam inter omnes modeſtiſsimus. Vale etiã atque etiam. Deus Opt. Max. annos tibi longiſsime producat,euentus omnes ſecundet,amplioribuſque donis in dies impleat.

AD LECTOREM.

QVANTVM vtilitatis adferat bonorum auctorum, doctiſſimorúmque interpretum diligens & accurata lectio, & pridem omnes qui humanioribus literis operam dant, & nos etiam nunc quotidie experimur. Paucos enim videas, eorum præſertim qui ſibi laudem aliquam eximiæ doctrinæ comparare cupiunt, alios ſibi legendos ſeligere: nihílque aliud à pleríſque eorum attentius obſeruari, quibus optime inſtituendorum puerorum cura incumbit. hæc námque recta diſcendi via eſt, nullíſque ambagibus impedita, quam qui inſtat, nuſquam profectò aberrabit. Sed (bone Deus) quam exigua illorum turba eſt, quamque anguſtiſſime continetur, ſi quis immenſam recentiorum doctorum multitudinem conſideret: imo verò (quod peius eſt, & maxime deplorandum) quaſi parum vtiles noxiíque Reipub. ita à pleríſque relegantur, vt id temporis quod iis euoluendis inſumunt, periiſſe ſibi prorſus exiſtiment. Peſſimum verò genus hominum, ſuppliciòque digniſſimum, quibus horrēda turpiſſimáque barbaries gratior venuſtiórque fuit, quam ij quibus caſtè integréque amata eſt puritas & elegantia. lucri ſcilicet cupidiores, quibuſque nihil fuit σὺν κέρδει κακόν. ſed quanto cum literarum detrimento, & ſentiunt iam, quibus id vehementer diſplicet: & agnoſcent tandem quibus id non dolet. Nec hæc peſtis Iuriſconſultos tantum, etſi periculoſius: ſed etiam ſanctiſſimæ Theologiæ, puriſſimæq; Philoſophiæ fines inuaſit. Quotuſquiſque eſt enim qui in his rectè diſertéque explicandis verſetur, quíque ſibi priſcos illos imitandos proponat? pauciſſimis exceptis, omnibus hoc innatum eſt, vt pulchri ſibi ac beati videantur, ſi eam cōſequantur facultatem, vt de rebus propoſitis verba fundere, animíque ſui ſenſus qualicunque orationis genere ad alios perferre poſſint. Sed (dicet aliquis) vaniſſimum iſtorum ſtudium cur tantoperee vituperandum, acerbiſſiméque repræhendendum cenſes, cum non id tibi ſolum imitari contigerit, ſed etiam expeditiſſimum iter aperias quibus alioqui aut animus nō fuerat eiuſmodi auctoribus legendis ſe dedere, aut certe non is quem his tuis explicationibus illis confirmas? Id verò eſt quod iamdudum quæror, mecúmque expoſtulo. iam enim hoc malum ſenſim ita ſerpſit, vt non modò hi accuratè euoluendi nobis, ſed diligentiſſime explicandi ſint. Etenim Bartoli, Panormitani, Baldi, Iaſonis, & cæterorum ita paſſim obtinuere libri, vt his ſine ſolidæ doctrinæ parum nos conſequi, veterúmque Iuriſcōſultorum mens & ſententia, huius noſtri ſeculi negotiis aptari non poſſe credatur. Quilibet itaque mirari deſinat,

ſi quando in his libris harum inciderit mentio,videritque nos non minori diligentia in iſtis elucidandis vti,quam aliis grauioribus auctoribus:hæc ſcilicet eiuſmodi eſſe tempora reputans, in quibus ſcenæ ſeruiendum ſit, nec ad vnguem quæq; ſuperflua reſcindenda. Multa itaque cum in prima huius Lexici editione eiuſmodi fuerint intermixta,diligētia Pardulphi Prateij Iuriſconſulti,ne ſperes in hac tertia pauciora,ne dicam plura. addidimus enim pleniſſimam feudalium verborum expoſitionem, ex Iacobo Cuiacio, & Franciſco Hotomano Iuriſconſultis huius ſeculi facile principibus, itémque alia quam plurima eiuſdem generis prius omiſſa, & hactenus non obſeruata nec explicata, quorum tamen explicatio multis negotiis & legibus alioqui difficillimis,& quarum hactenus ſenſus paucis erat notus,lucem afferet: in quibus tamen omnibus hoc obſeruari velim,cum Cuiacij alia ſit Feudalium librorum diuiſio,alia Hotomani,qui ferè vulgatam ſequitur; in iis quæ ab illis ſumpta ſunt,diſtinguendum eſſe, atque in inueſtigandis locis vtriuſque ordinem ſequendum. Præterea etiam adiunximus ex iure Canonico multa, eáque quæ prætermiſſa prius,deeſſe videbantur,aut obſcurius alioqui eſſe explicata. Diligentiæ tamen noſtræ neruos in iis potiſſimum intendimus enodandis, quæ à veteribus illis Iuriſconſultis deſumpta ſunt: vt enim vnicuique illorum veſtigiis quam maxime inſiſtendum eſt,híſque recentioribus ſunt potiores, maioríque in pretio habendi:ſic id ſtudij quod illis impendimus, non ingratum (vt ſpero)antiqui iuris ſtudioſiſſimis iniucundúmque fuerit. Horum autem maximam partem ſuppeditauere nobis, idem Iac:Cuiacius, Fr.Hotomanus, & Barn.Briſſonius, multáque etiam Petrus Pithœus, in quibus tamen iudicio vtentes noſtro, nonnulla ſecus ab illis collocata, noſtra conſuetudine ſuo loco repoſuimus;quædam immutauimus;in omnibus fere Iac.Cuiacium auctorem ſecuti,vt qui puriſſimè,ita doctiſſimè,doctorum omnium iudicio,in Iuriſconſultorum libris caſtigandis verſatus ſit. Multa enim ex illius Obſeruationum libris,tum olim editis,ſed & ex iis quos nuper in lucem emiſit, itemq; aliis eius commentariis huc inſeruimus,nuſquam ab aliis annotata: ita tamen neceſſaria,vt his demptis prorſus mutilus, ornatúque ſuo priuatus hic liber dici debeat. Quid verò Adrianus Turnebus? nihílne illius aduerſariorum libri profuere? imo quamplurimum: nam licet iuris peritus non fuerit, multa tamen inibi diſſeminauit docte,prout omnia, ingenioſeq; in Iuriſconſultorū libris obſeruata. Adiuuit etiam nos in hac editione P.Victorius, in variis Lectionibus,Muretus item,Sigonius in libris de antiquo iure ciuium Romanorum,Ioſephus Scaliger doctiſſimi illius Iulij Scaligeri doctiſſima ſoboles, in ſuis in Varronem Coniectaneis,& in Feſtū Pompeium caſtigationibus, tum & Antonius Goueanus in Variarum Lectionum libris, itémque Antonius Contius, nec non Gloſſæ illæ veteres non ita pridem ab Henrico Stephano editæ,infinitíque alij, quos infra recenſebimus. nec enim quemquam laborum ſuorum præmio defraudare conſilij eſt noſtri, aut cuiquam quod ſuum eſt ſuffurari.ita namque ingenuè hæc præſtitimus, vt iniuriam ſibi factam nullus queri poſsit.In Magiſtratibus autem Romanis deſcribendis, I.C.vitis & veterum & recentiorum explicandis, Fr.Hotomanum ſecuti ſumus: niſi quod in magiſtratuum deſcriptione multa ex noſtro quoque addidimus, ab illo non animaduerſa, quædam corrupta emendauimus, nonnulla etiam vt

ſuperuaca

ſuperuacanea reſcidimus, illámque non ad calcem libri reiecimus, vt nec Iuriſconſultorum vitas, quod fere reliqui omnes, ſed ſingula ſuis quæque locis repoſuimus: eos in his ſecuti, qui ſummam laudem in hoc ſcribendi genere conſecuti ſunt. quod in legum autem indice conficiendo multum vſi ſumus Pauli Manutij opera, Iac. Cuiacij, & Ioannis Vlrici Zaſij, præcipuè tamen Fr. Hotomani, qui in illarum deſcriptione accuratiſsime verſatus eſt. Nos autem quam ſedulo, quamq́; diligenter, tuum erit, Lector candide, iudicium. Nec verò in dictionibus horum librorum componendis eum ordinem obſeruauimus, quem hactenus fere omnes, quos quidem videre contigit, ſed eum quem olim Robertus Stephanus, nũquam ſatis laudatus typographus, in ſuo illo Linguæ Latinæ Theſauro, aliiſque ab eo editis Lexicis, qui & mihi peroptimus videtur, minimeq́; confuſus: nam dum illi ordinem literarum poſteriorum religioſe ſequi adnixi ſunt, tam multa confuse perturbateq́; ediderunt, vt κυκεὼν quidam potius, nihilq́; minus quam ſeries alphabetica prodierit: in quibus tamen obſeruandis ſi quid à nobis prætermiſſum videris, & id operarũ ignorantiæ & peruicacitati, ipſiusq́; operis difficultati tribuas velim. In quo ita pleraq́; erant deprauata, ita indigeſtè conſtructa, vt dum illorum reſtitutioni ſtuderemus, ex his etiam nonnulla inuitis nobis effugerint. Nec ſane mirum, ſiquis priores editiones, aut aliorum quorumlibet, qui hactenus Iuris Lexica ediderunt, cum iſta conferat, quantúmque cæteris in rebus à nobis elaboratum ſit, accuratè conſideret. Quod ſi qui ſunt tamen, quibus non omnino ſatisfeciſſe videbimur, meminerint huius quod admonet Varro, QVI DE VERBIS MVLTA DIXERIT COMMODE, POTIVS BONI CONSVLENDVM, QVAM SI QVID NEQVIVERIT REPRÆHENDENDVM. Exegiſſe itáque opus videmur, laborioſum illud quidem, & magnis vigiliis, ſudoribus, frigoribúſque & animi curis paratum: vtinam tamen tam tibi acceptum gratúmque, quam non graue moleſtúmque nobis fuit, id tui cauſſa ſuſcepiſſe. Id ſi feceris, & ad grauiora quædam, nec minus vtilia, quæ ſunt in manibus, perficienda animum addideris:

Bene Vale.

CATALOGVS AVCTORVM, PRÆTER EOS QVOS IN EPISTOLA AD LECTOREM RECENSVIMVS, EX QVORVM *libris hoc Lexicon Iuris Ciuilis & Canonici conſtructum eſt.*

LEXICOGRAPHI.

GRAECI.

Iulius Pollux.
Suidas.
Lexic.Bud.R.Conſtantini,

LATINI.

Albericus Roſatius.
B.Briſſonius.
F.Hotomanus.
I.Spiegelius.
I.Oldendorpius.

IVRIS AVCTORES.

GRAECI.

Solon.
Modeſtinus,de excuſat.
Iuſtiniani Nouel.& Edicta.
Leonis & Iuſtini Conſtitut.
Τὰ Βασιλικά.

LATINI.

X I I.Tabul.
Vlpiani tituli.
I.Pauli ſententiæ.
Gaij Inſtitutiones.
Voluſius Mætianus.
Q.Septimius Tertullianus.
Pandectæ I.C.
Codices Grego.Hermog. Theod. & Iuſtiniani.
Inſtitut.Iuſtiniani,

INTERPRETES.

GRAECI.

Baſilici.
Theophilus.
C.Harmenopulus.
Euſtathius C.P.anteceſſor.

LATINI.

Iulianus Patritius.
I.Frontinus.
Agg.Vrbicus.
Hygenus.
Anianus.
F.Martinus.
Azo.
Accurſius.
I.Beluiſius.
Speculator.
Cinus.
Dinus.
Bartolus.
Baldus.
P.Caſtrenſis.
Ang.Aretinus.
P.Decius. Iaſon.
F.Ripa.
A.Alciatus.
F.Duarenus.
Io.Coraſius.
I.Cuiacius.
G.Budæus.
L.Baiſius.
A.Auguſtinus.

Simon

Simon Schardius ad leges Rhod. nauales & militares.
Petrus Faber.
Berengarius Fernandus.

EX IVRE PONTIFICIO.

Decretales.
Sext. Decret.
Gratiani Decreta.

INTERPRETES.

Bernardus.
Abb. Panormit.
I. Andræas.
Felinus Sandeus.
Ang. Clauaſius.
G. Benedictus.

ALII LEXICOGRAPHI.

T. Varro.
Feſtus Pompeius.
N. Marcellus.

EX MEDICIS.

Hippocrates.
Galenus.

EX ALIIS CLASSICIS SCRIPTORIBVS.

Homerus.
Plato.
Xenophon.
Demoſthenes.
Ariſtoteles.
D. Halycarnaſſæus.
Diodorus Siculus.
Dio.
Iulius Firmicus.
Symmachus.
Heſychius.
Moſchopulus.
M. Cicero.
C. Tacitus. T. Liuius.
Suet. Tranquil.
Aſc. Pedianus.
M. Fab. Quintil.
Sid. Apollin.
Caſſiodorus.
Vegetius.
Iſidori Etymol.
A. Gellius.
Lib. qui Cæſarum vitæ inſcribitur. Et alios præterea citauimus, quos recenſere infiniti eſſet operis.

LIBRI AD LECTOREM,

ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚÓΝ.

Ardua Iuſtitiæ qui ſcandere limina promptè,
Et ſibi quam celeres parat ad illa vias;
Qui ſibi perfaciles ſacrorum reddere ritus,
Illius atque adytis iura referre cupit;
Doctáque prudentum penetrare oracula, mentes;
Omnia verba, notas: me legat, aptus erit.

Σπεῦδε οὖν φιλομαθὲς, κ' ἀρύσαι τῶνδ' ἀενάοιο
Πηγῆς, μηδεμιῆς φειδόμενος δαπάνης.

G. N. H. L. C.

LEXICON IVRIS CIVILIS, ET CANONICI,

ID EST,

De Verborum, quæ ad ius Ciuile & Canonicum pertinent, ſignificatione, déque eius formulis: Commentarius.

A LITERA, de qua M. Cicero lib. j. de Diuinat. Sus (inquit) roſtro humi A, literam impreſſit, eadem in Græciam è Phœnice à Gadmo adlata fuit, vt Plinius lib.7.cap.56. hiſtor. natural. ſcribit, de rerum inuentoribus loquens. Hæc autē litera ſalutaris à Cicerone pro Milo. rectè dicitur. Nā apud veteres Romanos abſolutionis notam fuiſſe docent Alex. ab Alexand. Genial. dierum libr.3. cap.14. Bud. in lege 2. D. de origi. iur. & eruditiſſimi quique ex Aſconio in Oratio. pro Milone. Fuit etiam nota in ſuffragiis & comitiis legum, qua ſe ciues repudiare rogationem ſignificabant. Nam duæ tabulæ dari ſolebant: quarum in altera V.R. id eſt, vti rogas, ſcriptum erat: in altera A. id eſt, antiquo, antiqua ſequor, noua non placent. Erat &, vt aliæ permultæ, prænominis nota, vt ex Valerio Probo Epigrammatiſque Vrb. Veteris liquidò conſtat. Sed & A. Auguſtum ſignificat in inſcriptionibus, & ſubſcriptionibus conſtitutionum C. Theodoſ. & Iuſtiniani, & Nouel. A quoque præpoſitio eſt, quæ pro donec, Alciato lib.7. Parerg. cap. 21. accipi debet apud Terentium Clementem l. ſed ſi hoc 62. §.2. D. de cond. & demonſtr. ibi, ſi à liberis non nupſerit, id eſt, donec vel quandiu filios habuerit, eos non deſeruerit. Sonat etiam idem quod, pro: quo ſignificatu vſus eſt M. Cice. in Cluentiana, Non modò dicendi à reo, ſed ne ſurgendi poteſtas, &c. id eſt, pro reo. Sumitur quandoque pro, poſt, apud Pomponium l.2. §.8. & 13. D. de orig. iur. à regibus, à cæde, id eſt, poſt reges, poſt cædem. & apud Paulum l. pater. 30. §.1. D. de adult. Interdum loci propinquitatem denotat, vt à theatro venire, id eſt, à loco, qui eſt iuxta theatrum. Aliquando ponitur pro, per, vt in diui Antonini conſtitutione l. j. C. ad leg. Fab. de plag. ibi, à quo, id eſt per quem. Interdum ſumitur pro, de, vt à Caſtro Nouo. Sic aliquando non indoctos loquutos fuiſſe ſcridit Thom. Linacer, indicans etiam pro, verſus, præpoſitione vſurpari. Sed & ſeparationem ſignificat apud Pomponium lege 3. §. fi. ibi à Brundeſio. D. de act. empt. idque Bart. in l. ſi ex duobus. D. de duob. re. & Baldus in l. à caligato. C. de nupti. adnotant. Priuandi quoque vim habet, & ſignificationem verbi, cui iuncta eſt, immutat, vt in dictione ἀπόλιδες, qua vſus eſt Vlpianus in l. j. §. hi quibus. D. de leg.3. quáve extorres ſignificantur. A, quoque præpoſitio cauſatiuè accipitur apud d. Auguſtinum, & Iſidor. cap. coniuges. & can. coniunx. 27. q.3. Sumitur etiā pro ex, apud Gaium, l. adeò. 7. §. quod ſi vno. D. de acq. re. do. Significatiua eſt etiā primi termini à quo, ſicut dictio, vſque, termini ad quem. Hic terminus à quo, ſignificat excluſiuè, vt ſi caueatur ſtatuto, A pulſu campanæ veſperi nemo per vicos incedat. Incluſiuè autē, veluti, ſi cautum ita fuerit ſtatuto, A pulſu campanæ cuique domum manè exire liceat: quia ſic ſtatuens intellexiſſe videtur. Officiorum quoque & dignitatum nominibus præpoſita hæc præpoſitio ſignificat eos qui iis officiis, & dignitatibus funguntur, vt à ſtudiis, à manu ſeruus. Suetonius in Claudio Cæſare. A libellis, à ſecretis, quos magiſtros libellorum ſupplicum, & ſecretarios appellamus. Sic dicimus à rationibus, id eſt, computorum magiſtros. A PVNCTIS VERBO, aquariorum reditui præfectos ſignificamus, Frontino lib.2. de aquæduct. Idem de Ab, cenſendum eſt, vt ab actis, ab epiſtolis. Sueto. in Claud.

A capite ducere, vide infrà, Caput.

A certo hærede legare, certo hæredi, vt legatum aliquod præſtet, mandare, ſic vt ab illo debeatur ſolo. Cic. in Top. Si paterfamiliâs vxori ancillarū vſumfructū legauit à filio, neque à ſecundo hærede legauit, mortuo filio mulier vſumfructum non amittet. Marcellus l.6. de auro arg. leg. Seia ab hærede P. Mæuio ita legauit. Iulian. l. quæſitum. 91. de legat. 2.

A Duumuiro dimitti intelligendus eſt, qui iuſſu, imperio, permiſſu, mandatúve Duumuiri dimittitur, apud Vlpianum l. ſi quis vxori. 52. §.6. D. de furt. Si fugitiuum meum quis quaſi ſuum à Duumuiro, vel ab aliis qui poteſtatem habent de carcere vel cuſtodia dimitteret, an is furti teneretur?

A LIBERIS, pro, quandiu liberos habebit. Terentius, l. ſed ſi, 62. §.2. D. de cond. & demonſt. Quum vir vxori, ſi à liberis non nupſerit, in annos ſingulos aliquid legauit, quid iuris ſit? Iulianus reſpondit, poſſe mulierem nubere, & legatum capere. Quòd ſi ita ſcriptum eſſet, Si à liberis impuberibus non nupſerit, legem locum non habere: quia magis cura liberorum, quàm viduitas iniungeretur. id eſt, Quamdiu liberi erunt impuberes. Papinianus l. cum tale, 72. D. eod. Cum tale legatum eſſet relictum Titiæ, ſi à liberis non diſceſſerit, &c. Similiter Paulus libro Sentent. 11. cap. xxix. Potior quis eſſe debet, inquit, non ſolùm à gradu gene-

ris,ſed & à ſubſtãtia rei familiaris. Similiter in Cluẽtiana Cicero dixit:Non modò dicendi à reo, ſed ne ſurgendi quidem poteſtas erat:id eſt,pro reo.

A ſe prædia nulla venundari,vetuſtè Impp.dixerunt in l.j.C.debitor.vend.pig.pro, A ſua familia nulla ſua prædia.Scriptura,inquiunt,teſtamenti complexus eſt debitor nulla à ſe prædia venundari.Id eſt,Cauit ne vlla ſua prædia vendantur.Accurſius autem à ſe,id eſt ab ipſo creditore.quod abſurdum eſt.

A. T. M. D. O. Aio te mihi dare oportere,vt Valerius Probus teſtatur:quæ perſonalis actionis fuit formula, quia perſona rei nominatim in agendo notabatur:& ſtricti iudicij, quia ſimpliciter, ait Cicero, aſperè & directò Oportere de certa definitáque ſumma dicebatur.Aio verò antiqui pro affirmo & contendo dicebant,auctore Nonio:vnde Aientia Cicero appellat,quæ Græci forenſi & litigioſo verbo κατηγορικά.

A Titio perſoluere,de Titij numis perſoluere. Cic. ad Attic.lib.v.Homines non modò non recuſare, ſed etiam hoc dicere,ſe à me ſoluere.quod enim Prætori dare conſueſſent,quòd ego non acceperam, ſe à me quodammodo dare:id eſt, de mea pecunia. Idem in Planciana,in fi.Sinite me quod vobis fretus huic ſæpe promiſi,id à vobis ei perſoluere.Plautus Menhæm. Da ſodes à te:pòſt reddidero tibi. Me. Imò cedo abs te.Interdum tamen ab Aliquo ſolui dicitur, cùm exacta à debitore pecunia numeratur.vt Epiſtola ad Attic. vij.Quintus laborat,vt tibi quod debet ab Egnatio ſoluat.id eſt,exactam ab Egnatio debitore ſuo.

AB

Ab pro ob,ſumitur in conſtitut.Theodo. Arc. & Honorij,l.vnica.C.ſi quis Impe.maledix.Equidem, pro, ex, illic accipi debere putem,vt indicio eſt verbum, proceſſerit, ibidem poſitum.Quandoque verò ſumitur pro,per,vt in c.ab eo.in princ.de appella.lib.6. Interdum ſeparationem ſonat Accurſio l.ſi ex duobus.in princ.D.de duob.reis.Solet in hanc rem citari l.neminem ex iis.ibi ab initio.de Decuri.lib.10. C. Accurſius tamen ibi pro, poſt, accipi exiſtimat. Tu textum expende.Sæpe etiam ponitur pro,ſine,in conſti.Iuſtiniani l.ſi quis ſeruo.in fi.ibi,ab re.C.de furt.Ab etiam præpoſitio cognationũ gradus promouet.Nã proaui paterni,vel materni patrem,matrem, abauum, abauiamque adpellamus in linea adſcendẽtium: in linea verò deſcendentiũ pronepotis filium,filiam,abnepotem,abneptẽ,apud Gaium l.j. §.j. D.de grad. adfin.

Ab actis, de quibus Nouell.38. actorum ſcriptores. Hinc ab actis fori l.per hanc. C.de Aduoc. diuerſ.iud. In veteri lapide,Ab actis fori pr.pr. ſignif. option. In Notitia dignitatum Orient.& Occident.officium viri illuſtris Præfecti prætorio Oriẽtis enumeratur. Princeps,Cornicularius,Adiutor,Commentarienſis, Ab actis,Numerarij,&c.

Ab aliquo poſſidere,pro, poſſeſſionem ab aliquo certo nactum eſſe,alicuius certi hominis poſſeſſionem obtinere.Prætor in l.j.Vti poſſid.Vti eas ædes nec vi nec clàm alter ab altero poſſidetis. Vi ergo ab aliquo poſſidere,eſt vi poſſeſſionem illi ſoli eripuiſſe, eámque vi obtinere. Hinc

Ab aliquo vti re quapiam dicitur,qui illi præciſè rei ſuæ vſum ademit,eúmque quoquo modo retinet. Prætor in l. j.D. De itin. actúque priu. Quo itinere actúque nec vi,nec clàm, nec precariò ab illo vſus es. Nã hoc eò pertinet, vt nominatim notetur is, à quo vſum actorem non oportuit: neque ſatis eſt, ſi infinitè à quouis alio vſus eſſet. Sic

Ab aliquo aquam ducere, eſt non vndecunque aquam ducere,ſed ex illius qui præciſè nominatur fundo deductam habere.Prætor in l.j.D.de aqua quotid. Vti hoc anno aquam non vi,non clàm ab illo duxiſti. Sic

Ab aliquo abſolui:quod in voce Abſolui explicabitur.

Ab hinc centum annis:Vetus locutio, quæ(pace quorundam dixerim)nõ hoc ſignificat quod vulgari lingua dicere ſolemus,De poſt centum annos:hoc eſt,vt Latini dicunt,poſt centum annos, vt, poſt homines natos:ſed centeſimo ab hinc anno, vel, Annus nunc agitur centeſimus.Alfenus l. proponebatur, 76.D.de iudic.Populum eundem hoc tempore putari,qui ab hinc centum annis fuiſſet.Item, Nos ipſi non iidem eſſemus qui ab hinc anno fuiſſemus. Cicero Verrina III.planiſſimè hoc demonſtrat: Quæſtor Cn.Papirio COS.fuiſti ab hinc annos quatuordecim.Nam à Pompeio & Craſſo COSS. ad Papirij conſulatum totidem anni numerantur.Idem in ea pro Q.Roſcio: Quo tempore? ab hinc annis quatuor.Repromittis tu ab hinc triennium Roſcio.Idem Verrina IIII. Horum pater ab hinc duos & viginti annos eſt mortuus.Et paulo pòſt:Ipſos viginti annos hæreditas ab his petita non eſt.Et rurſus: Offendit illum menſem comitialem fuiſſe comitiis ab hinc triginta diebus habitis,id eſt,trigeſimo antè die.Huc etiã illud Chariſij pertinet,qui libro primo ſic ſcribit: Ante annos ab hinc decem natus Veteres dixerunt,quod eſt,ante annos decem natus.

Ab reo,pro defenſor,& patronus rei.Ad Heren. lib. 2.Conſiderandum eſt, ne aliud accuſatoris criminatio contineat,aliud defenſoris ratio purget:quod ſæpe cõſultò multi ab reo faciũt,anguſtiis cauſæ coacti.

Abactores, vide Abigei.

Abacus Alciato lib.4.c.2.Parergon,& Budæ.l.quod ſi ſeruus.§.ſed ſi.D.de in rem verſ.tabula calculatorum, ſiue logiſtarum eſt & coquorum: quod & Iulius Pollux indicat lib.10.c.24.& lib.6. c. 13. Eſt etiam ſcrinij genus, ſuper quo vaſa argentea reponi ſolebant, DRESSORIUM lingua vulgari dictum:de hoc ſenſiſſe mihi videtur Varro li.8.de ling.Lat. Porrò non abaces,vt falsò autumant Acc.Nebriſſenſ.& Spiegelus in Lexic.Iuris ciuil.(quamuis vulgati codices ita habeãt)ſed ἄβακας,vt in P.Flor.legendũ,res ipſa docet apud Iabolenũ,lege hæres meus,100.§.fin.D.de leg.3.

Abalienare vetus verbũ eſt, ciuilis Iuris, hoc eſt ciuium Rom.proprium, peregrinis hominibus non commune:quo perfecta rei alicuius alienatio ſignificabatur.Itaque Vlpianus l.abalienatum,67.D.de verborum ſignifi.Abalienatum,inquit,non propriè dicitur,quod adhuc in dominio venditoris manet:venditum tamen rectè dicitur. Abalienatio verò eſt, eius rei quæ mancipi eſt aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio,inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt:vti ſcribit Cicero in Topic.quo ex loco tria notanda & obſeruanda ſunt:primum, cum ſex ſint acquirendarum rerum modi, quos Vlpianus in Inſtitutiunculis enumerat,emancipatio,traditio,vſucapio,in iure ceſſio, adiudicatio,lex:duos tantùm ſolos eſſe, quibus res à dominio noſtro in alienum traducãtur, mancipationem ſcilicet,& in iure ceſſionem. Quod tamen Paulus,homo Græcus,litigioſus,naturà controuerſus, & hoſtis antiquis Iuriſconſultis additus,ſuo more cauillatur in l.Abalienationis,28.D.de verb.ſignifi.Abalienationis verbum,inquit, etiam vſucapionem continet:vix eſt enim,vt nõ videatur alienare, qui patitur vſucapi.Quaſi verò quis ſciens prudens rẽ ſuam vſucapi patiatur:aut ſi forte quis eo animo ſit, res ex maiore parte iudicandæ non ſint: aut ſi iudicandæ non ſint,qui patitur vſucapi,non pro derelicto rem ſuam habeat,ac proinde alienare nõ dicatur, quia verbum hoc certam & alienantis, & eius in quem alienatio fit,perſonam cõplectatur.l.in omnibus,55.D.de oblig.& actionib.tametſi vſucapionem tertium eſſe modũ quo res perfectè abalienantur, conſtet ex eodem Vlpiano

piano cap.j.& xix. Secundò ex hac definitione intelligitur, abalienationem earum tantùm rerum dici, quæ mancipi ſunt: non etiam earum quæ ſunt nec mancipi. Sed cùm Vlpianus in Inſtitutinculis traditionem dicat propriam eſſe eſſe rerum nec mancipi, quid eſt quod Cicero ait, abalienationem traditione fieri? Subdifficilis nodus hic videtur, quem tamen explicare conabimur. Nam Cicero non ſimpliciter traditionem dixit, ſed traditionẽ nexu: quo verbo mancipationem ſignificari Boetius, non apertè ille quidẽ ac nominatim, ſed tamen ita ſignificat, vt ſatis intelligatur. Cum enim nexus formulam ritúmque ex Caio Iuriſconſulto deſcribit, indicat nexum ad mancipationem pertinere. Ex quo intelligitur, Abalienationẽ mancipatione & in iure ceſſione fieri: traditione autem nuda, hoc eſt ſine nexu & libra, fieri non potuiſſe. Poſtremò ex eo loco cõſtat, Abalienationem propriam ciuium Rom. fuiſſe, non etiam peregrinorum.

Abalienatio (inquit M. Cicero in Topic.) eſt eius rei, quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt. Sed mouet quod Vlpianus ſcribit in Epito. titul. 19. in hæc verba, Nec mancipi rerum dominia ipſa traditione adprehendimus. Hæc pugnantia videntur, quæ quidã ex Boetio ita conciliant. Traditionis verbo mancipationem contineri putant apud Ciceronem. Sed & illud dubitationem mouet, abalienationis verbum latiùs, quàm M. Cicero crediderit. Nam eo mancipationem, traditionem, vſucapionem (quod & Paulus probat l. alienationis. D. de verb. ſignifi.) in iure ceſſione, adiudicatione, lege. Quod ad vſucapionem adtinet, eam fictam traditionem interpretabimur: qui enim capere vſu patitur, tradere intelligendus eſt, ex Iaboleni ſententia l. fi. D. de ſeruit. Adiudicationem traditionis verbo comprehendi peritorum vſu receptum eſt. Abalienationẽ lege ad traditionẽ etiam pertinere putem. Lex enim caduca & ereptitia tradere cenſetur.

Abamita, eſt abaui ſoror apud Gaium, lege 3. D. de gradib.

Abannatio, *ἀπενιαυτισμὸς* Græcis annuum exilium ſignificat propter voluntariam cædem admiſſam, G. Budæo in adn. l. aut facta. 16. §. euentus. D. de pœnis. Legis autem verba hæc ſunt apud Demoſth. *ἐν τῷ κατὰ ἀριστοκράτους, ἀπέχεσθαι ἐλαγορᾶς, φορίας, καὶ ἄθλων, καὶ ἱερῶν ἀμφικτυονικῶν.*

Abauunculus, abmatertera, id eſt, abauiæ frater & ſoror: ait Caius l. 3. D. de grad. affin.

Abauus, inquit Feſtus, dicitur, qui abeſt ab auo, & eſt auus aui. Hinc quartus pater à Virgilio nominatur Æneid. x. Ille tamen noſtra deducit origine nomen: Pilumnúſque illi quartus pater.

Abauus eſt proaui paterni, aut materni pater: Abauia, proauiæ paternæ, aut maternæ mater: ait Paulus l. 10. §. 8. D. de gradib.

Abba Syra vox, patrem ſignificat Alciato l. j. C. de in ius voc. idem etiam *ἀρχιμανδρίτης* dicitur in Nouell. Iuſtiniani ſæpe, & l. reddentes. C. de ſum. Trinit. Monachis, & cœnobiis præeſt: vnde & Cœnobiarcha meritò adpellatur Alciato in d. l. j. Porrò Abbatis officium explicatur in can nullam. 18. q. 2. & in Nouell. Iuſtiniani Conſt. 5. à Budæo Hetæriarchus dictus eſt in forenſib.

Abbas, qui feudum conferre poſſe dicitur, lib. feud. j. tit. j. & tit. 14. §. 3. is eſt, qui in Monachorum ſodalitate, ac cœnobio principatum obtinet. qui à Iuſtiniano Archimandrita, à nõnullis Cœnobiarcha, vel Archimonachus dicitur. Iuſt. nou. cxv. §. *ὑπόλοιπον*. Sancimus, vt abbas, ſiue Archimandrita ſingulis monaſteriis præponatur, quem monachi ex vitæ probitate maximè idoneum delegerint, & qui ab Epiſcopo cõfirmetur. Legibus autem Longobardorum ſancitum eſt, ne Abbas minus quinquaginta monachos ſibi ſubiectos habeat, qui cum eo regulariter viuant. In Lombarda. lib. 2. tit. 54. l. 18. Sed poſterioribus ſeculis, Abbates etiam dicti ſunt proceres, ſiue ex vocabuli notione, ſiue quòd abbatiarũ prouentu fruerentur. Hinc Hugo ille Capetus, Galliæ regnum arte adeptus, Abbas Hugo dicebatur. Symphorianus Champerius in Genealogia Regum Francorum: Cúmque Lotharij frater Carolus aſpiraret ad Regnũ, cuius antea contemptũ præ ſe tulerat, ab Hugone Abbate (eo qui Capetus vulgo vocabatur) editus, vt aiunt, ex familia Comitum Pariſienſium, captus eſt: & in cuſtodiam Aureliis poſitus. Alb. Krantzius in Saxonia, lib. 4. c. 22. De regno Francorum per ea tempora magna contentio fuit, cùm Carolus Lotharij defuncti frater illud peteret, & Hugo Pariſiorum Comes cognomento Magnus, & item Abbas, illud ſibi vendicaret. Suidegerus in Chron. Dionyſiacis: Qui in Chronicis Abbates dicuntur, non ſunt monachi, ſed Barones & Proceres ſeculares, quibus Rex abbatias fruendas ad tempus concedit. Guill. Paradinus ſcriptor Annal. Burgund. libr. 2. ſub anno 1103. ſcribit, ſe monimenta vidiſſe cõplura perantiqua, in quibus Proceres Galliæ his nominibus vtebantur: Dux & Abbas: Comes & Abbas. Vnum etiam profert, quod ſubſcribemus. Ego H. de bello-ioco volo vt præſentes & futuri ſciant, quòd Guido Comes Forẽſis, nepos meus L. Dei gratia Regi Francorum, quando rediit de Podio ſanctæ Mariæ, cùm ſecum duxit captos Vicecomitem de Pollignac & filium eius Heraclium, donum quod ei dederat, ſcilicet Abbatiam Sauigniaci, quæ anteceſſorum & mea ſemper fuerat, & eſſe debet, ſui gratia mihi eandem per virgam reddidit Monte briſonis, in Eccleſia ſanctæ Mariæ Magdalenæ extra villam: vbi Rex miſſam audiuit: his teſtib. de familia Regis, Guidone de Garſanda, G. Pincerna, & G. Cheuruſa conſanguineis meis. Item in Append. Aymonij lib. 5. c. 34. Quinetiam, inquit, vſque ad tempora Roberti Regis, ea quæ Abbates accipiebant, ſibi addixerunt: & ſtatuentes Decanos monachis, ſibi nomen Abbatis vſurpauerunt. Quem locum Paulus Æmilius, Hiſtoricus Pontificalis verius, quàm Gallicus, in Carolo Simplice ſic imitatus eſt, vt multa pro ſuo more ad Patroni ſui Potentiam amplificandam infarciret. Aymonius lib. 5. cap. j. Ordinauit autem per totam Aquitaniam Comites, Abbatéſque, necnon alios plurimos, quos Vaſſos vulgò vocant, ex gente Francorum: eíſque commiſit curam Regni. Aymon. eod. lib. c. 36. Ludouicus quos potuit conciliauit ſibi, dans eis Abbatias & Comitatus. Item: Audiuit regni Primores tam Abbates, quàm Comites indignatos, quia quibuſdam honores dederat, ſine ipſorum conſenſu. Item: Conſecratus eſt, & coronatus in Regem Ludouicus ab Hircmaro Rhemorum Epiſcopo: & Epiſcopi ſe ſuáſque Eccleſias ad debitam defenſionem, & debita priuilegia ſibi ſeruanda, commendarunt. Abbates etiam, ac Regni Primores, ac Vaſſi Regij ſe illi commendauerunt, & ſacramento, ſecundum morem, fidelitatem promiſerunt. Quo ex loco probabilis coniectura duci poteſt, nomen hoc in Pontificali Romano, in formula Regis inaugurandi, hac ipſa in re poſitum fuiſſe. Pontificibus quoque (inquit) Eccleſiarum Dei condignum & canonicum honorem exhibere, atque ea quæ ab Imperatorib. & Regibus Eccleſiis collata & reddita ſunt, inuiolabiliter obſeruare: Abbatibus Comitibus & vaſſallis meis congruum honorem ſecundum conſilium fidelium meorum præſtare. Nauclerus Generat. 33. Hugonis Capeti pater, inquit, primum Abbas

dictus eſt, quòd ipſe & Robertus Comes Pariſienſis primi fuerunt, qui relicta monaſteriis prædia prouentúſque occupauerint, ea ſibi ſuiſque militibus attribuentes, ſeque Abbates appellãtes: atque impartientes monachis prout volebant, adhibito moderamine victus & veſtimentorum.

Abbatissa, cui ſimiliter feudorum conferendorum ius eſſe dicitur, lib. feud. j. tit. j. §. j. monialium, ſiue momonacharum antiſtita: quam Iuſtinianus Nou. 115. iubet ab ipſis monialibus electam, ab Epiſcopo confirmari: & monialibus eunuchum vnum attribui, qui res illarum adminiſtret. Nou. 123. & 133.

Abbatissa dicitur aſcetriarum, ſiue monialium antiſtes, quæ à Iuſtiniano in Nouel. 133. ἡγουμένη adpellatur. Præfici autem non debet niſi ſit ſexagenaria, & virgo. c. iuuenculas. 22. q. j.

Abdicare, inquit Nonius, eſt familia abiicere. ſumptum autem à Græcis videtur, qui patrem ἀπειπεῖν, filium autem ἀποῤῥηθῆναι dicebant. Itaque Quintilianus libro III. cap. VI. Abdicatum interpretatur, qui à familia patris abalienatus eſt. nam Græca quidem locutio per præconem id pronunciari ſolitum indicat. Et Plato libro de legibus XI. perſpicuè id oſtendit: ἐὰν οἱ πατέρες βούλονται τὸν υἱὸν ὑπὸ κήρυκος ἐναντίον ἁπάντων ἀπειπεῖν, υἱὸν κατὰ νόμον μηκέτ' εἶναι. Si patres velint filium per præconem coram omnibus abdicare, ne amplius ſecundum legem ſit filius. Sæpe autem poſtea ἐκκηρύττειν, & ἀποκηρύττειν dicit. Hinc abdicatio, de qua Imp. l. 6. C. de pat. poteſt. ſic ſcribit: Abdicatio, quæ Græco more ad alienandos liberos vſurpabatur, & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur. Fabius lib. 7. c. 4. Abdicationũ formæ ſunt duæ: altera criminis perfecti, vt ſi abdicetur raptor, adulter: altera imperfecti, velut pẽdentis, & adhuc in cõditione poſiti: quales ſunt in quibus abdicatur filius qui non pareat patri. Videtur autẽ hæc abdicatio in iure apud Magiſtratum fieri ſolita, qua parentes teſtificabantur ſe iis de cauſſis quas proferebant, ſuos liberos à ſua familia remouere, neque deinceps in liberorum loco numerare velle. totáque hæc ratio Græcorum fuit. nam Romani emancipatione vtebantur. Quintilianus autem exempla puerilium exercitationũ ex Græcorum fontibus proferre conſueuit. quod cum ex aliis locis innumeris conſtat, tum etiam ex lib. 3. c. 6. lib. 7. c. 4. quod idem de Senecæ & Quintiliani maioris declamationibus dictum volo. Sed ecce, qui mecum diſputare geſtiunt: & eorum opinionem, qui Abdicationem à populi Ro. moribus alienã eſſe putant, ex ignoratione hiſtoriæ manaſſe affirmant. Suetonius enim de Octauio ſic ſcribit: Nepotem Agrippam, ſimúlque priuignum Tiberium adoptauit in foro lege curiata ex quibus Agrippam breui ob ingenium ſordidum abdicauit, ſepoſuítque Surrentum. Valerius autem lib. 5. c. 7. Ceſetus, inquit, cum abdicare filium ſuum iuberetur à Cæſare, reſpondit: Celerius tu mihi Cæſar omnes filios meos eripies, quã ex his ego vnũ nota pellam mea. Sed facilis reſpõſio eſt: Suetonium, nempe, Valerium & ſimiles ſcriptores à iuris profeſſione alienos, frequentiſſimè verbis iuris abuti. quod de Valerio quidem vel ex c. de teſtamentis ita notum eſt, vt putidum ſit teſtimonia proferre. Suetonius igitur Abdicandi verbo, pro Emancipare & ablegare eſt vſus: quod Plinius lib. 7. c. 45. oſtẽdit. Pudenda, inquit, Agrippæ, ablegatio. & paulo pòſt: Abdicatio Agrippæ poſt adoptionem, deſiderium poſt relegationem. Valerius autem pro Exheredatione poſuit. quemadmodum Cicero Exheredationem pro Emancipatione, in Orat. pro domo ſuo: Exheredabit igitur pater filium. cum poſterius ita ſcribat: Nam adoptatũ emancipari ſtatim, ne ſit eius filius qui adoptarit. Hoc Valerius quoque oſtendit: cum de nota loquitur. velut eod. lib. c. 9. Non ſolum filium non notauit, ſed etiam decedẽs dominum omnium eſſe voluit. Minus mouet quod Cicero & Valerius de Torquato ſcribũt, qui filium domi damnatum è cõſpectu ſuo abire iuſſit. quaſi verò parentum in liberos animaduerſio, Græcorum abdicatio ſit. Vide infrà Ἀποκήρυξις.

Abdicare ſe magiſtratu, eſt ante tempus magiſtratũ deponere. Põp. l. 2. §. 13. D. de orig. iur. Et quum placuiſſet leges quoque ferri, latũ eſt ad populum, vti omnes magiſtratu ſe abdicarẽt. Papinianus in l. pen. D. de offic. præſ. Legatus Cæſaris abdicando ſe, nõ amittit imperiũ. Moris etiã erat, vt quibus imperiũ certa de cauſſa abrogandum erat, ij dignitati & exiſtimationi ſuæ cõſulentes, per ſe & quaſi ſua ſpõte magiſtratũ deponerẽt, ſeſéque priuatos redderent. quod in P. Lentulo Prætore factum videmus in tertia Catilinaria, de quo Senatus cenſuit, vt cum ſe Prætura abdicaſſet, tum in cuſtodiã traderetur. P. Lẽtulus, inquit, quanquã patefactus indiciis & confeſſionibus ſuis, iudicio Senatus non modò Prætoris ius, verùm etiam ciuis amiſerat, tamen magiſtratu ſe abdicauit, Hoc autẽ Græci ἀφίστασθαι τῆς ἀρχῆς dicunt. Plato lib. 11. De legibus: ἐὰν δὲ ἀδικία δόξῃ κακῶσαι τὸν ὀρφανὸν, πρὸς τῷ τιμήματι, τῆς ἀρχῆς τῶν νομοφυλάκων ἀφιστάσθω· τὸ δὲ κοινὸν τῆς πόλεως ἕτερον νομοφύλακα ἀντὶ τούτου καθιστάτω Id eſt, Quòd ſi iniuria videatur affeciſſe pupillum, præter litis æſtimationem, magiſtratu nomophylacis ſe abdicato: Reſpublica verò in comitiis alium nomophylacem in eius locum ſufficito. Sic Cicero ad Atticum: Itaque tutela me abdicare cogito. quod Vlpianus c. Inſtit. 11. ſic interpretatur, Eſt dicere nolle ſe tutorem eſſe. Sed deponere magiſtratum propriè dicebantur, qui eum confecto tempore populo Romano reddebant. Abrogare autem ſuo loco explicabitur. Interdum tamen.

Abdicare Conſulatu & deponere Conſulatũ promiſcue: vt apud Cic. De nat. Deor. II. Augures ad Senatũ: ſenatus vt abdicarent: Cõſules abdicauerunt. Et paulo pòſt: Cõſules ſummũ imperiũ ſtatim deponere, quàm id tenere pũctum temporis contra religionem.

Abdicere, decreto recuſare, ac denegare. Pomponius l. 2. §. 13. De orig. iur. Qui cum animaduerteret, Appium Clodium contra ius vindicias filiæ ſuæ à ſe abdixiſſe, & ſecundum eum qui in ſeruitutem ab eo ſuppoſitus petierat, dixiſſe: id eſt, decreto recuſaſſe, ac denegaſſe. Nam cùm tribus verbis in decretis vterentur, Do, dico, abdico: cùm ſecundum aliquem vindiciæ dicerentur, ab altero abdici dicebãtur. Hinc aues in auguriis abdicere regionem dicuntur, quam improbant, ac ſequi teneríque vetant. Cicero lib. De diuin. j. Cúmque in quatuor partes vineam diuiſiſſet: treíſque partes aues abdixiſſent, quartam partẽ, quæ erat reliqua, in regiones diſtribuit. Quemadmodũ ergo Dicere, Dare, Decernere vindicias ſecundum aliquem à Pomponio & Liuio dicitur Magiſtratus, qui cuipiam litis vindiciarum victoriam decernit: ſic Abdicere vindicias ab aliquo Pomponius dixit, pro abnegare & recuſare: quod ipſum Abdicare quoque ſignificat. Nonius enim de vocabulis impropriis: Abdicare, inquit, nõ ſolùm de patris facto poteſt dici, quod eſt familia abiicere, ſed rem quamlibet negare. Pacuuius Atalanta, Mortem oſtentant, regno expellunt, conſanguineam eſſe abdicant.

Abducere comitẽ mulieri Labeo ſic interpretatur, nõ modò manu à mulieris comitatu detrahere ac remouere: verùm quoquo modo efficere, vt eã deſerat. Vlpianus l. itẽ apud, 15. §. abducere, D. de iniur. Abduxiſſe videtur, vt Labeo ait, nõ qui abducere comitem cœpit, ſed qui perfecit, vt comes cũ eo nõ eſſet. Abduxiſſe autem non tantùm is videtur, qui per vim abduxit,

xit,verum is quoque qui perſuaſit comiti,vt eam deſereret.Iniuria autem in comite abducendo duplex eſt,primùm quia pudicitia attentatur:deinde quia abduci tantùm res dicuntur à ſtultis & ſtupidis,vt in Eunuchũ Donatus annotauit:Multæ ſunt cauſſæ quamobrem cupio abducere.Etiam,inquit,hoc verbo gratificatur Phædriæ quum dicit,Abducere à Thraſone, tanquam à ſtulto,& mentis experte.

ABDVCI mulier dicitur à marito cùm diuortiũ fit.Donatus in illud Terent.Hecyr.Et filiam abduxit ſuam: Abduxit,inquit,propriè.Accerſi enim dicitur ad maritum:Abduci à marito ad diuortium. Sic Virgilius: Et gremiis abducere pactas.

ABESSE, Abſens,Abſentia,variè pro re ſubiecta accipiuntur.Abeſt,qui non eſt eo loco, in quo loco petitur,dummodo extra continentia vrbis ſit. Vſque ad continentia enim Abeſſe non videtur,niſi latitet.l.73. in fi.l.199.D.de verb.ſign.Ideo præſens habetur qui in continentibus ædificiis hortiſque vrbi iunctis eſt.l.5.l. 6.D.de procuratorib. In illis planè edicti de damno infect.verbis, DVM EI QVI ABERIT, PRIVS DOMVM DENVNTIARI IVBEAM, Vlpianus videri eum Abeſſe interpretatur,qui in iure non eſt.l. 4.§.prætor ait.D.de damno infecto.Similiter in S.C. Damaſiano, Abeſſe is intelligitur, qui à tribunali abeſt.l.51.§.ſenatuſconſulto.D.de fideicomm. libert. At cùm de ſtipulatione contrahenda agitur, præſentes accipiũtur,qui exaudire ſe poſſunt.l.j.§.j.de verb. oblig.Cùm verò de vſucapione in qua alia inter præſentes,alia inter abſentes tempora ſeruantur,Abſens eſt,qui in eadem prouincia non eſt: Præſens contrà, qui in eadem prouincia habitat.l.vlt.C. de præſcript. long.temp.Inſtit.de vſucap.in princ. Abſens etiã habetur qui & ſi corpore præſens ſit,animo tamẽ abeſt. Poteſt enim quis corpore adeſſe,vt tamen mente abſit.l.25.D.de captiuis.Itaque furioſus abſentis loco eſt. l.2.§.penul.D.de iure codicil.l.124.D.de diuerſ.regul.l. 17.§.filiofamiliàs.D.de iniur.Nec tamen ab eo conſtitutus procurator quaſi ab abſente datus intelligetur, cùm intellectu careat.l.2.D.de procuratorib. Pupillus etiam qui tutorem non habet, quod ad poſſeſſionem bonorum attinet,pro abſente habetur.l.10.D.ex quib. cauſ.in poſſeſſ.eat.Sed nec tutor præſens fuiſſe videtur pupillo contrahente, ſi ſomno aut morbo occupatus tacuerit.l.j.in fi.D.de auctorit.tutor.

ABESSE non videtur,qui ab hoſtibus captus eſt,ſed qui à latronibus detinetur.l.199.in fi.de verb.ſignificat.Et ideo in edicto Ex quib.cauſ. maior.ab abſente ſeparatur,licet eodẽ loco habeatur in ſpecie l.6.D.quibus ex cauſis in poſſeſſ.eat.l.vlt.D.de rebus auctorit.iudic.

ABESSE Reipub.cauſa in l.Iulia & Papia, & in edicto Ex quibus cauſis maiores in integrum reſtituantur, accipimus eos,qui non ſui commodi cauſa,ſed coacti abſunt.l.36.D.ex quib.cauſ.maior.quíque publici alicuius muneris,vel officij, cui præſunt, cauſa ab vrbe profecti,vt puta proconſules,præſides, procuratores Cæſaris,præfecti,legati,& eorũ comites, in ærarium vel commentarium principis relati.l.32.l.35.l.38.§.j.ex quib.cauſ.maior.l.41.§.j.D.de excuſatio.tutorum.Miſſi item vt milites ducant vel reducant, vel malos homines compeſcãt:milites quoque dum in caſtra eunt vel redeunt,& qui extra patriam ſuam publicæ vtilitatis cauſa proficiſcuntur, vel militum medici: & hi quoque, qui in vrbe militant, Reip. cauſa abeſſe intelliguntur.l.7.l.35.D.eo.Aliter atque de magiſtratibus qui Rom.Reip.operam dant,ſtatuendum, & d.l.7.& Cõſtantin.lib.j.Epit.tit.3.docent. Enimuerò in capite ſeptimo legis Iuliæ de adulteriis,quo eorũ demũ abſentia excuſatur,qui in alia prouincia Reip.cauſa abſunt,quàm in ea,in qua deferuntur, vrbani milites licet aliàs vice abſentiũ habeantur, Abeſſe tamẽ Reip. cauſa non intelliguntur,& deferri, vt præſentes poſſunt.l.15.§.j.D.de adult.Aliàs etiam, tum demum milites Reipu.cauſa abeſſe intelliguntur, cùm in expeditione verſantur.Non item ſi in commeatu agunt.l.j. D.de re milit.Sed nec qui pro ciuitate legatione funguntur,Reipub.cauſa abeſſe dicuntur.l.26.§. vlt.D. ex quib. cauſ. maior. Publici enim appellatio ad Pop. Rom.propriè pertinet.Nauicularij verò, item negotiatores dum annonæ vrbis ſeruiũt,Reip.cauſa abeſſe non malè dicuntur.l.5.§. negotiatores. D.de iure immunit.At qui libera legatione abeſt,nõ videtur Reip. cauſa abeſſe,cùm non publici,ſed ſui commodi cauſa abſit.l.14.D.de legatio.Serui item Reipu.cauſa abeſſe non poſſunt.l.vlt.D.de reg.iur. Sed nec qui appellationis perſequendæ cauſa peregrinantur, Reip.cauſa abſunt.l.j.& 2.D.eum qui appellauerit.Omnino enim Reip.cauſa abeſſe hi demum intelliguntur,qui ob publicam cauſam abſunt,non qui in priuatum compendium peregrinantur,vt apparet ex l.pen. D. de excuſat.tutor.Plenius in Senatuſconſultis circa fideicommiſſarias libertates factis,ex iuſta cauſa abeſſe definimus eos,qui non habent iniuſtam cauſam abſentiæ, cùm ſufficiat,quod non in fraudem libertatis abſint, quo magis videantur ex iuſta cauſa abeſſe.Cæterùm non eſt neceſſe vt Reip.cauſa abſint.l.j.l.19.l.20.l.28.§. vlt.l.29.l.30.l.36.D.de fideicom. libert. Quinetiã aliàs qui probabili quacũque ex cauſa, ſtudiorum puta,abſunt,iuſta ex cauſa abeſſe intelliguntur.l.7.§.vlt.D.de minorib.l.28.D.ex quib.cauſ.maio. Sunt aliæ abſentiarum differentiæ,ſeu mauis,adiuncta, vt abeſſe bona fide.l.30.D.de noxalib.l.19.D.de damn.infect.id eſt ſine dolo malo & fraude.l.j.& l.4.D.ex quib.cauſ.maior.l.4.C.de reſtit.milit.cui opponitur,Dolo malo,vel fraudis cauſa: vel data opera abeſſe. l.34. D. de reb. auct.iud.l.5.D.ex quib.cauſ.maior. HÆC de perſonis, nunc de rebus videamus, Abeſſe res videntur etiam hæ,quarum corpus manet, forma mutata eſt. Et ideo ſi corruptæ redditæ ſunt vel transfiguratæ, videntur abeſſe, quoniam plerumque pluris eſt manupretiũ & ars,quàm materia. l. 13.§.j.l.14. D.de verb. ſign. Abeſt & ea res,quæ in rebus humanis non eſt. d.l.13.in fi. Abeſt proculdubio ſeruus qui in fuga eſt: quanquam in l. Fabia de plagiariis, aliud ſit abeſſe, aliud in fuga eſſe.l.2.D. ad leg. Fab. Abeſſe furto res dicuntur,quæ nobis ſubreptæ & ſubtractæ ſunt.l. 14. D.de verb.ſign.l.47.D.de furt.Martialis:Sed lis eſt mihi de tribus capellis, Vicini queror has abeſſe furto. Quintilia.declamatio.13.Age ſi mihi aluei furto abeſſent, vtrũ nulla daretur actio?Sæpe legitur in id quod abeſt,actionem dari.quod qualẽ intellectum habeat, explicandum eſt.Abeſſe certè nobis videtur,non tantùm quod expendimus,ſed & id quo obligati ſumus.l. 29.D.de neg.geſt. Abeſſe intelligitur pecunia fideiuſſori,etiam ſi debitor ab eo creditori delegatus ſit, licet is ſoluendo non fuerit.l.26. §.abeſſe. D.manda.Itẽ ſi fideiuſſori ab vxore creditrice doti data ſit pecunia, quam ex cauſa fideiuſſionis debebat, Abeſſe ei ea intelligitur, eò quòd onera matrimonij ſuſtineat. l. 47. D.mand.Non abeſt ex diuerſo ei qui nihil de ſuo impendit,diminuitve.l.25.D.de admin. tutor.l.14. quod met.cau.l.4.§.ſiue autem.D.de manumiſſ.

ABIGEATVS, crimen ipſum.l.non omnes. 5.§. qui deſertioni,D.de re milit.l.2. D. de abig. Placet autem, quod l.3.lenius coerceri qui ex ſtabulo abigunt,quàm qui ex ſylua, vel grege. Durius enim ſtatuitur in eos quibus patet maior furãdi copia.Iuſtinus de Scythis: Nullũ ſcelus apud eos furto grauius,quippe ſine tecto munimentóque pecora & armenta habentibus,quid ſaluum eſſet ſi furari liceret?

Abigei qui & Abactores à Paulo lib.5.Sen.tit.10.& ab Impp.in l.8.C.de repud.& à Firmico lib.6.Mathe.cap. 31.à Græcis verò Ἀπελάται appellantur,propriè hi habentur,qui pecora ex paſcuis,vel ex armentis,vel ſtabulis ſubtrahunt,& quodãmodo deprædantur,abigẽdíque ſtudium,quaſi artem exercent,equos de gregibus vel boues de armentis abducẽtes.l.j.§.j. D. de abigeis.Iuſtinia.Nouel.22.ἢ ἕνα τῶν καλουμένων ἀπελατῶν, οἷς ἐστι φροντὶς τοῖς ἀλλοτρίοις ἐφεδρεύειν ὑποζυγίοις ἢ βοσκήμασι, καὶ ταῦτα μεθιστᾶν ἑτέρωθι. Moſcopulus in libello, qui inſcribitu τῶν ὀνομάτων Ἀττικῶν συλλογή Ἀγέλη (inquit) λέγεται ὅταν πολλὰ πρόβατα ὁμοῦ βόσκηται. ἢ πολλοὶ χοῖροι ἢ βόες ἢ τοιοῦτοι, ἐφ᾽ ὧν λέγεται ἀπελάτης. Ἀπελάτης γὰρ ὁ μετὰ ξίφους ἀπελαύνων ἀγέλην ζώων. Abigeos autẽ à furibus quantitate diſcerni traditum eſt.Nam qui ouem vnã,ſuem vnum, ſubripuerit,vt fur coërcetur qui gregem, vt abigeus.l.16. §.quantitas.D.de pœnis:Idcirco Calliſtratus,oues ait pro numero abactorum aut furem aut abigeum facere.Nam qui decẽ oues vel capras vel porcos quinque aut quatuor, equum vnum, duas equas, totidémque boues abegerit,Abigeus eſt.d.l.vlt.D.de abigeis.Hinc Abigeatus crimen deſcendit,de quo in l.2. D. de abigeis.l.5.§.qui deſertionis.D.de re milit.quo olim nobilitatos Iberos fuiſſe Seruius in 3.Georgic.ſcribit.

Abigere etiam partum venenis & medicamentis,expellere & enecare ſignificat.Sic accipitur in l. 4.D.de extraord.criminib.l.8.D.ad l.Cor.de ſicar.& l.39.D.de pœnis,& apud Cicer.in Cluentiana, & Tranquillũ in Domitiano c.pen.Cùm ait,Mox patre ac viro orbatã ardentiſſimè palámque dilexit,vt etiam cauſa mortis extiterit coactæ conceptum à ſe abigere.Sulpitius Seuerus lib.11.Sacra.hiſt.fuit in ſermone hominum Priſcilliani ſtupro grauidã partum ſibi graminibus abegiſſe.Vnde abactum ventrem dixit Paulus lib. 4. Sentent.tit.9.Nec longè ab hac ſignificatione eſt, quòd Imper.venenis viſcera hominis extinguere appellat in l.3.C.de quæſt.Cuiuſmodi criminis à Iuuenale Sat. 6.& Minutio Felice(cuius liber pro octauo Arnobij hodie circunfertur) fit mentio.

Abactus venter dicitur fœtus venenis, & medicamentis eiectus,Paulo lib.4.Sentent.tit.9.

Abacti magiſtratus dicebantur, qui coacti depoſuerant imperium,Feſto lib.j.

Abiicere rem videtur, qui exiguo pretio eam vendere cogitur,Iaboleno l.ita vt omnes.36.§.j.D.mandati. Abiiciens partum necare videtur l.4. D. de agnoſc.lib.

Abire in creditum,non omnino idem eſt quod credere,ſed tantùm eas res credere, quæ accipientis fiunt, hoc eſt,quæ functionem non in ſpecie, ſed in genere recipiunt,Vlpianus.l.Procuratoris.5.§. 8. D. de tribut. actione.Itaque Abire in creditum,interdum generaliter ſumitur,pro mutuum contrahere, interdum ſpecialiter,vt l.3.§.is autem.D.de ſenat.Mac.

Abire magiſtratu eodem ſenſu dicitur quo abdicare ſe magiſtratu,deponere adminiſtrationem.

Abire rem longè,pro eo quod eſt, infinitatem reſpicere, pulchro loquendi modo ab Vlpiano vſurpatum,in l.à diuo.§.ſed ſi emptor.de re iud.

Abiudicare, & adiudicare contraria ſunt.Nam abiudicare eſt iudicio aliquid auferre,M. Ciceroni Verrina.2.Liuio lib.4.Hoc verbo ſæpe in orationibus ſuis vſus eſt M.Cicero.Eſt autem ea forma dictũ qua abiurare. Adiudicare autem,contrà.

Abiurare eſt rem creditam periurio negare, Salluſt.in Cati.Cice.lib.1.ad Attic.eſtque iudicarium verbum Seruio in lib. 8. Æneí. Abiurare etiam eſt iuramento renunciare.ca.audita.de reſtit.ſpol.in antiq.

Abiuratum pretium, in Conſtitutione.4. C. de veſtibus holoberis & aurat.li.11.id eſt(inquit Accurſius ad eandem) pretium, quod pro ea re dederat,amittit:licet iuret ſe dediſſe: Accurſij ſententiam probat ibidem Odofredus.

Ablativi abſoluti variè ex re,próque materia ſubiecta accipiuntur,Alciat.l.cùm quærebatur.240.D.de verb.ſig.

Ablatiui abſoluti reſoluuntur in conditionem,vt in l.j.C. de iur.emphyt.l.ab emptione.D.de pact.l.à teſtatore. D.de cond.& demõſt.l.euictis.D.de vſur. & ibi.Bart.

Ablatiuis, SOLVTO MATRIMONIO, & mortis,& diuortij caſum comprehendi Paulus ſcribit l.cũ quærebatur.240.D.de verb.ſignific.

Ablocare, eſt denuò locare fundum tertiò locatum, Zaſ.in §.item Seruiana.Inſtitut.de Action.

Abmatertera eſt abaui ſoror, l. ſexto gradu.D. de gradib.

Abnepos, abneptis, pronepotis, proneptíſque filius vel filia.l.vltima.D.de gradib.

Abnoctare eſt foris pernoctare, noctúque abeſſe, apud Marcianum.l.illud.15.D.de offic.præſid.

Abnutare, Feſtus ait lib.j.eſt ſæpe abnuere. Abnuit autem,qui ſigno capitis aliquid negat, quíve recuſat, aut prohibet,apud claſſicos auctores.

Abnutivum apud Paulum.l.inter ſtipulantem.83. in prin.D.de verb.obli.pro diſſentione,inficatione, aut negatiuo accipitur Vet. Gloſſ.Abnutiuum, ἀπωμοτικόν. Cui opponitur Adnutiuum, κατωμοτικόν.

Abolere eſt in deſuetudinem abire: Iſidoro c.fuerunt.7.diſt. Abolere eſt etiam tollere, & infirmare, & delere.in conſtit. Iuſtiniani. l.j.in princ.C. comm. de legat. Aboletur nomen rei, accuſatione inepta perempta,apud Paulum.l.3.§.j.D.de accuſat.apud quẽ reus ſolùm inſtantia,quam vocant, abſoluitur, & ab obſeruatione iudicicij, non quod crimen in ſpecie Pauli perimatur,vt quidam autumant: alioquin non ſubieciſſet,& ex integro repetendi, &c. Aboletur accuſatio,id eſt perimitur,& extinguitur, apud Marcianum.l.j.§.accuſationem.D.ad S.C.Turp.

Abolitio criminis,ſiue accuſationis inſtitutæ extinctio.l.generali.34.§.j.D.de ritu nupt.l.14.§.j.D.de bo. lib.l.12.§.j. D. de accuſ.& paſſim alibi. Abolitionum quædam eſt generalis,vt in rub.de generali abolit.C. quæ & publica dicitur ab Impp.l.2.C.eod.Paul. libr.5. ſent.tit.17.Huius exempla habes apud Papinianum,& Macrum.l.8.& 9.D.ad Turpill. Quædam verò eſt priuata,quæ fit actore poſtulante.l.10.D.eo. Addit ibidẽ Papinianus tertium genus,nempe eam quæ lege fit.

Abominari eſt omen auerſari, apud Scæuolam.l. Lucius.85.D.de hæred.inſtit.apud Papinianum.l.41.§. fin.D.de vulg.& Plinium libr.6.Epiſt.ad Tyronem.& in Alexandri conſtitutione.l.4. C. de impub. & aliis ſubſtit.

Abominatus,dicitur qui ſacris interdictus, excommunicatúſve eſt,Alciato.l.pecuniam.36.D.ſi cert.pet.Is Budæo in forenſib.dicitur abdicatus à magna matre.in l. reddentes.C.de ſum.Trin.ab eccleſia extorris.

Abortus vel abortum,vel abortio, Græcis ἐκτρωσμός (his enim omnibus generibus hoc nomen ſubſtantiuum variatur.l.30.§.quod dicitur.2.D. de acq.hæred. & l.38.§.qui abortionis.D.de pœnis.)fieri dicitur cùm mulier ante tempus partum edit, vi ventri illata, apud Vlpianum.l.j.§.ſed & ſi incertum. D. de vent. in poſſeſſ.mit.

Abpatruus, abaui abauiæ frater,& idẽ qui patruus maximus.Gaius.l.Sexto.D.de grad.adfin.

Abrogare eſt deſtruere,vel delere in toto, & infirmare Feſt.li.j.Vnde dicitur lex abrogata, quãdo prorſus eſt ſublata,vel deſtructa.Cic.libr.j.ad Att.vſus eſt verbo Inducere,pro abrogare.Sed derogatur ei,quãdo pars tollitur,vel ei detrahitur. D.de verborum ſig. l.dero

l.derogatur.Abrogari etiam dicitur prior lex cũ tollitur, Vlpiano in Epito.tit.1. Abrogare eſt prioris legis infirmandæ cauſſa aliam ferre, Feſto lib.13. Abrogare etiam publicare, & auferre ſonat in Conſtantini Conſtitut.l.ſi quis ad ſe.C.ad leg.Iul. de vi public. Et etiam Abrogare interdum eſt addere aliquid.

Abrogationis variæ ſunt cauſſæ. Prima conſuetudo contraria l.de quibus.D.de legib.can.in iſtis.§.leges.4.diſtinct.Secunda,conſtitutio contraria, exempla repeties in multis Iuſtiniani Nouellis. Tertia, cauſſæ ceſſatio c.Neophytus,& ibi gloſ.in verb.cauſſa.61.diſt.l. adigere.§.quamuis.D.de iu.pat. Quarta,loci varietas ca.fi.31.diſtinct. Quinta tempus.c.non debet, de conſang.& adfi.Sexta,rigor.gloſ.in c.fraternitatis.34.diſtinct.Septima,in ſpecie.ca.legi.16.q.1.Octaua, maius malum inde ſequens.c.verum hoc.14.diſtinct.

ABRVPTVM lucrum,cuius commeminit Vlpianus l.1. §.3.D. quar.rer.act. non det. interpretatur Accurſius ibid.ſubreptum.cuius ſententiam probaſſe videntur Albericus & Oldendorpius in Lexic. explicans abruptum,id eſt, turpiter acquiſitum. Sunt qui interpretentur præceps, & præter ſpem obiectum. Tu vide Græcos interpretes in eum Vlpiani locum. Budæus tamen abſciſſum,& præciſum καὶ ἀπότομον videtur interpretari l.4.§.8.D.de re milit.

Abrupta,dura,præciſa,abſciſſa,c.de viro.12.q.2.

ABS

ABS præpoſitio à Græco ducitur ἀψ: ſignificat autẽ retractionem in partem poſteriorem. Eadem M.Cicer. temporibus in accepti tantum tabulis manebat, ſicut in ea re ipſemet teſtis eſt in eo, qui ORATOR, inſcribitur libello. Põponius tamẽ in facti ſtipulatione vſus ea eſt, in lege ſi ita ſtipulatus.14. D.de verb.obli. & in nominis emptione Saluius Iulianus lege multũ. 19.D.de hæred.vel act.vend.

ABSCEDERE eſt recedere in leg.vnic.de colon. Palæſt.lib.11.C.

Abſcedentem vſumfructum, κεχωρισμένον, id eſt, ſeiunctum, & detractum interpretatur Theoph. §.ne autem.Inſtit.de vſufru.

ABSCISE idem valet quod Græcis ἀποτόμως, id eſt, non exactè, præciſè, non ad vnguem: quo ſenſu vſus eſt Calliſtratus l.ſemper.5.§.2. D.de iur.immunit.

ABSECTA, & coniuncta contraria ſunt l.his quidem. qui milit.non poſ.lib.12.C.

ABSENS, vide ABESSE.

ABSISTERE Budæo in forenſib.eſt ſuperſedere: quo ſignificatu videtur etiam T.Liuius lib.8.ab vrb.cond. accepiſſe.

ABSOLVERE forenſe verbum ſignificat iudicio liberare, apud Iulianum l.ſi ex duobus.14.§.1. D.iudic.ſol. & Paul.l.ſi in re.in fi.princ.D.de nox.act.

Abſoluere creditorem eleganter dixit Iulius Paulus l. & in contraria.37.D.de vſuris.pro eo quod vulgò dicũt expedire,& reddito pretio, dimittere, eiq; ſatisfacere: quo ſenſu vſus eſt etiam Terentius in Adelph. act. 2.ſcen.4.Æſch.Ego ibo ad forum, vt hunc abſoluam. Sumptum è Græcorum conſuetudine videtur, qui dicunt, διαλύειν ἀπαλλάττειν.

Abſoluere pignus apud Paulum lib.2.ſent.recept.tit.5. id eſt luere.Sunt tamen qui ibidem,luat,legant.

Abſoluere plerunque eſt abſolutum oſtendere, & declarare. glo.in c.ex diligenti.extra de ſimon.

Abſoluta,completa,ad finem perducta dicimus in Iuſtiniani conſtitut.l.contractus.16. C.de fide inſtrum. & ab eod.Inſtitu.de empt.& vendit.poſt princ.

Abſolutè,id eſt in totum,vel in vniuerſum.c.beneficium. de regul. lib.6.

Abſolutoria eſſe omnia iudicia Iuſtinianus ſcribit. §.fin. in fi.Inſtit.de perpet.& temporalib.act. quod ita ibidem explicuit Theophilus, τελέσιν ἔξεστι τῷ δικαστῇ πρὸς καταδικάσαι μονοῦντα τὸν ῥεῦν ἀφῆναι ἀγωγῆς.

ABSQVE, negationis notam eſſe liquet ex cõſtit.Impp. l.omni nouatione.C.de ſacroſanc.eccleſ. Abſque,pro præter accipiunt quidam in c.clericis.de immu.eccle. lib.6.

ABSTINERE dicũtur ſui vel neceſſarij hęredes, Vlpia. l.3.§.ſcio.D.de mi.l.38.D.de acq.hær. Abſtinere etiam dicitur emancipatus, eidem l.2.§.6.D.ad Tertu. Sed & extraneus, puta vxor, l.Lucius.14.D.de fideic.li. Porrò abſtinere ſe hæreditate, & retinere hæreditatem ſunt contraria. Dicuntur tutores abſtinere pupillum, hoc eſt, ſi eis autoribus pupillus ſe abſtineat hæreditate. Papin.l.cùm tutor.18. D. de tut.& rat.diſtra. Scæuol.l. penul.D.de auct.tut.& l.44.D.de re iudic.Hinc.

Abſtentus, qui tutoris auctoritate ab adeunda hæreditate reuocatus eſt, apud eundem Scæuolam d.l.penul.& Vlpianum l.penult.§.fi.D.vt in poſſeſſ.leg. & Africanum l.tutor.19.D.ad S.C.Velleian. Hac etiam voce alio ſignificatu vſus eſt Cyprianus: apud quem pro excommunicato accipitur.

Abſtinere etiã ad alia pertinet, exẽpla habes apud Vlpianum l.vnic.§.1.D.nihil innou.appel.interpo.& Imp. Antoninum l.1.de iis, qui non implet.ſtipen.lib.10.C.

Abſtuliſſe dicitur, qui aliquid auctore iudice recepit, apud Paulum l.vẽditor.21.D.de hæred. vel actio.vend.

ABSVMPTIONEM pro conſumptione accepit Vlpianus l.5.§.1.D.de vſufr.ear.rer.quæ vſu conſum. Græcis ἀνάλωσις, vt & Plauto abſumedo.

ABSVRDVM idem quod Græcis ἄτοπον,& ἄλογον, apud Gaium l.7.D.de bon.libert.

ABVNDARE ad ea pertinet, quæ fruſtra adiecta ſunt, aut ſuperfluò, l.95.D.de diuerſ.reg.iur.

ex Abundanti, formula Papiniano familiaris, pro fruſtrà, & ſuperuacuò, l.9.D.de ſupel.leg.& alibi ſæpe.

ABVTI, & vti contraria eſſe conſtat ex M.Cicerone in Topicis, vbi de vſu vxori legato loquitur. & Vlpiano l.plenum.12.§.1.D.de vſu & habit.

Abuti etiam perdere, & dilapidare ſonat, Vlpiano l.ſed & ſi.15.§.conſuluit.D.de pet.hær. Abuti veteres dicebant pro eo quod eſt vtendo conſumere, cõficere, extinguere. Cicer.3.Verr.& Cato de re ruſt. Linito vſq; adeò, donec omnem caſeum cum melle abuſus erit. Eodẽ modo καταχρῆσθαι Græci dicunt, Paul.1.ad Corin.ca.7.καὶ οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ ὡς μὴ καταχρώμενοι.

Abuſa N.Marcello dicuntur, vtendo, vel in vſum conſumpta, apud Plautum in Aſinar.

Abuſus, per vſum conſumptio, Vlpiano l.ſed ſi poſſeſſori.11.§.1.verſ.ſed ſi.D.de iureiur.

Abuſiuè eo ſenſu accipitur apud Marcellum, l.non aliter. 69.§.1.D.de legat.3.& Vlpianum l.item apud.15.§.29. verſ.verberaſſe.D.de iniur.quo & καταχρηστικῶς, id eſt. impropriè, apud Gaium l.licet.58.D.de verb.ſignific, Eodem ſenſu etiam, per Abuſionem apud Iulianum l. fideiuſſor.16.§.2.D.de fideiu.& l.item Prætor.8.D.de ſuis, & Legit.

AC

AC copulatiuè accipitur pro atque, καὶ Vlpiano l.ſi quis. 4.D.de cuſto.reo. Quandoque pro, id eſt, ſumitur in conſtitut.Impp.Leonis, & Anthemij, l.decernimus.in princip.C.de ſacro.ſanct.eccleſ. Aliquando pro, ita, poſt perinde.§.itaque.Inſtit.quib.non eſt permiſſ. facere teſta.l.qua ratione.§.literæ.D.de acq.rer.domin. & apud Paulum l.quæro.54.in fin.princ.D.loca. Albericus tamen ibi pro deinde ſumi autumat.

ACADEMIA Sudæ, locus eſt nemoroſus (vbi Plato natus, docebat magna laude) mille ab Athenis paſſibus diſtans. Aliud quoque gymnaſium erat non ita procul ab illo, in quo Ariſtotelici diſputabant, Lyceum dictum. Inde etiã nunc appellamus Academias, Gym-

naſia,ſeu Scholas inſigniores,in quibus maiorum diſciplinarum ſtudia exercentur.Academiam etiam pro Philoſophorum ſchola poni ſcribit Budæus in prioribus:Academiarum auctoritatem ab Imperatoribus conceſſam, vt profeſſores hodie ſolennitate declarantur,quos vocabulo recentiore Doctores appellāt, à docendo:hinc emanaſſe colligunt,quòd olim Iuriſconſulti publicè reſpondendi veniam à principibus peterent,& ex auctoritate illorum reſponderent,l.2.§.primus diuus Auguſtus. D.de orig.iur. Academias auctoritate Imperatoria vel inſtitutas, vel confirmatas,rectè nuncupauimus legum nutrices. Academiæ autem inſtitutionem docent Impp.l.vnic. C.de ſtud. lib.vrb.Ro.lib.11.& l.1.C.Theo.eod.tit. quales, & qui deligendi ſint profeſſores Iulianus Imp. l.magiſtros. 7.C.de profeſ.& medic.lib.11.

Accensi dicebantur,qui in locum mortuorum militum ſurrogabantur,& ad cenſum legionum eſſent adſcripti,Feſto lib.1.At Varro, miniſtratores magiſtratuum,ait,ab acciendo dictos,id eſt, vocādo.Nam accenſus inſtar præconis acciebat iuſſu Conſulis Quirites ad concionē:quod munus nemini niſi libertis deferebatur,teſtis Cicero ad Quint.Fr.vide Bud.l.fin.D. de iur.immu.Accenſus autem & præco in hoc conueniunt,quòd ambo Cōſulis, alteriúſve magiſtratus dicto,ad imperium,nutúmque præſto eſſent: at ille, vt ad concionem,hic vt ad comitia Quirites aduocaret. Alexan.ab Alex.Gen.dier.lib.2.cap.27.

Acceptilatio eſt (vt Modeſtinus definit l.1.D.de acceptila.)liberatio per mutuam interrogationem & reſponſionem,qua vtriſque cōtingit ab eodem nexu abſolutio. vt,Habéſne acceptum quod tibi promiſi? & tu reſpondes,habeo, acceptúmque fero. iam acceptilatio facta eſt,Vlpianus l.pluribus.D.de accept.Vel ſic Græcè,ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα ἔχω λαβών,§.item per. Inſtit.quib.mod.toll.oblig.Acceptilatio autē & Apocha hoc differunt, quòd acceptilatione omni modo liberatio contingit,licet pecunia ſoluta non ſit: Apocha nō aliàs, quàm ſi pecunia ſoluta ſit.Vlpianus lege ſi accepto.19.D.de acceptilatio.

Acceptilatio iure ciuili introducta eſt, quia nihil aliud eſt,quàm ficta ſolutio.Vide Alciat.in l.1.C.de tranſac. eam Vlpian.iuris gentium affirmare videtur, in l.an inutilis.de accept.non quia iure gentiū fuerit approbata,ſed propter pactum, quod in ſe habet.Id enim eſt iure gentium introductum,l.1.D.de pact.

Acceptare apud Papinianū l.tale.40.§.1.D.de pact. eſt per acceptilationem liberare: eóque propendere eiuſdē reſponſum putem.Acceptare apud eundē dicitur qui accipere ſolet,l.Seio.10.§.3.in fi.D.de ann.leg.

Acceptum facere,hoc eſt,confiteri quod à me acceperis vel habes, acceptum habere, Vlpian.l.7.D.de acceptilat. Accepto facere, liberare l.9.§.7. D.quod met.cau.

Acceptū ferre, (metaphora à rationibus tracta,) eſt ſcribere ſe ab aliquo accepiſſe, hoc eſt, in acceptorū tabulas referre, l.89.D.de ſol.& l.35.D.de pign.act.l.11. de ſuſcept.& arc.lib.10. C.duæ enim partes rationum ſunt:prior accepti,poſterior expenſi eſt.& vide Plautum in Ciſtelar.qui ait,Nunc quod reliquū reſtat volo perſoluere,Vt expungatur nomen, ne quid debeā. Vnde accepti tabulas Cic.Verr.2. vocat rationes in quas acceptæ pecuniæ referebātur.Superiores formulæ ad creditorē pertinēt, quæ ſequuntur ad debitorē.

Accepto liberari, hoc eſt,ſic liberari, vt creditor confiteatur à debitore accepiſſe, Vlpianus in l.metum autem præſentem.§.fin.D.quod met.cauſa.

Accepto rogare etiam ad debitorem pertinet, apud Vlpianum l.6.D.de acceptilat.l.8.§.1.D.eo.

Accessio dicitur quod rei ſiue perſonæ adiungitur,l.1.§.4.D.depoſ.Acceſſio etiā adpellatur fideiuſſor, Paulo l.ſi ſeruum.91.§.nunc videamus.D.de verb.oblig.

Acceſſio fit aut perſonæ aut rei: perſonæ, cùm mihi, aut Titio ſtipulor:rei,cum mihi decem, aut Titio hominem:idque idem Paulus refert l.obligationum ferè.§. acceſſio.D.de oblig.& act.

Acceſſionis cauſam apud Vlpianum l.generaliter.5. in princi.D.de fideiuſſo.accipere debemus fideiuſſoriā.

Acceſſionis locum obtinere eas res ex Paulo diſcimus, quæ non principaliter per ſe conſiſtunt, ſed aliis adplicantur,l.nam quod.4.D.de penu leg.l.19.§.perueniamus.D.de aur.argentóque leg.

Acceſſionis loco promittere eum dicimus,qui fideiubet, apud Paulum l.hi qui acceſſionis.D.de fideiuſſoribus.

Acceſſionum nomine intelliguntur nō ſolùm quæ ex re qua de agitur,orta ſunt(vt fructus, partus, vſuræ, & omnis cauſſa,Vlpian.l.2.D.de in diem addict.l.Imperator.5.D.ad S.C.Trebel.l.ſi ſeruus.61. §.his etiam illud.D.de furt.ibi acceſſiones & fructus,vbi,&, pro,id eſt (vt ſæpè alibi) ponitur. Eò etiam pertinet titulus de vſuris,fructibus,cauſſis,& acceſſionibus, & mora) ſed etiam quæ extrinſecus acceſſerunt, veluti, quod per adluuionem accedit,aut vſusfructus, qui per conſolidationem proprietati adiungitur.

Acceſſorium & Acceſſio idē ſunt, vox illa interpretibus pontificiis,hæc veteribus Iuriſcoſ.recepta. Acceſſionem cedere principali Vlpianus ſcribit.d.§.perueniamus.Acceſſorium ſequitur naturā ſui principalis.l.cū principalis.de diuerſ.reg.iuris, & ca.acceſſoriū eod. tit.lib.6.Sed hæc regula variis modis reſtringitur.

Accidere veteribus Iuriſcoſs.ſignificabat mori, & fato concedere:id autem ominis cauſa dicebant,cum mortē nominare nollēt.Pōponius l.in vulgari.in fin. 162. D.de verb.ſignific.Iulianus l.quidam ita.25. D.ad Trebel.& M.Cic.lib.2.de Inuētione. Græci, εἴ τι πάθοι.

Accidit & quid viuis d.l.162.quādo quid eis cōtingit.

Accipere aliud eſt quā capere, Vlpiano l.aliud.71. D.de verb.ſignific.Capere,tùm cum effectu quid accipitur:accipere,& ſi quis nō accepit vt habeat. Hinc rectè cōcludit P.Decius l.non videtur.51.D.de diuerſ. regu.iu.antiq. Accipere verbum non ſignificare dominij tranſlationem.Accipere etiam dicitur non ſolùm manu alterius,ſed & à ſeipſo, Decius in d.l.non videtur.Vnde rectè concludit Bartolus in l.Centurio. verſ.primò quærò quis ſit effectus.verbum,Accipere, directum eſſe.

Accipere & recipere diſtant in ſpecie apud Vlpianum relata l.2.§.2.mulier. D.de dot.præleg.nam Recipere eo loci pro excipere ſumitur.Vide Recipere.

Accipere iudicium,eſt pati à Prætore dari in eam rem iudices,de qua mouetur controuerſia, Paulo l.2.§.1.D. ſi ex nox.cauſ.ag.Prætori apud Vlpianū.l.filius famil. 8.§.procuratorem.3.D.de procurat.& alibi ſæpiſſimè. Porrò iudicium accipere actiuè, & paſſiuè ſumi, hoc eſt,ad eum qui agit, & eum qui conuenitur, referri, Vlpiano placuit, l.redhibere.21.§.idem Pomponius. D.de ædil.edict.

Accipiens apud Marcianum l.vnic.D.de lib.dimiſſo.ſumitur pro accipere,& recipere volens.

Accola non eſt,vt exiſtimauit Accurſius, qui aliquo in loco domicilium cōſtituit, ſed qui prope aliquem locum ſimpliciter habitat. Et propriè iuxta flumina ſunt accolæ.Vergil.in 7.

-amniſque uadoſi
Accola Vulturni.

Hi & accolentes Vlpiano,in l.1.§.ſunt qui putent.D. ne quid in flum. pub.vbi Accurſius legit accolarum, in P.Flor.legitur,accolentium.Alciatus in l.239.D.de verb.ſign.Accola eſt qui prope aliquem locum ſimpliciter habitat.

Accom

ACCOMMODANDI verbo vtũtur Iuriſcoſs. cũ quid benignè, ex æquo & bono, cõtra ſummi iuris regulas conceſſum ſignificant, Vlpian.l.eleganter.24. D. de pign.act.Papiniano.l.fin.D.de trãſact.Terent.Clem.l. filio.48.D.de rit.nupt.eodem in eundem ſenſum vſi ſunt Impp. Seuerus, & Antoninus. Accommodare etiam in Gordiani Impe. conſtitutione pro interponere & adhibere accipitur, l.ſiqua.7.C.famil.erciſ.ex Nonio Marcello.

Accommodare nomen, eſt nomen alterius ſui loco apponere, & velut nomen commodato acceptum contractui inſerere, in conſtitutione Impp.l.cùm propria.5.C.ſi quis alt.vel ſibi.

ACCVMBERE dicitur, qui iacet, Proculo l.hæc verba. 124.D.de verb.ſignif.

ACCVMVLATIO eſt plurium actionum iudicialis adiunctio, Alciato l.edita.nu.22.C.de edend. recenſenti caſus quibus ei locus ſit.

ACCVSARE non à cuſo, aut cudo, vt quidam putant, ſed à cauſſa duci coniugata verba oſtendunt, recuſo, excuſo, &c.& Græcũ verbũ, αἰτιᾶσθαι, vt indicat Iulius Pollux lib.3.cap.29.Onomaſt.& ad publica iudicia tãtummodo accommodatum eſt. Accuſare iure mariti, eſt in accuſando habere certa ſpecialia, de quibus tractatur in l.iure mariti.& l.quãuis. C.ad l.Iul.de adult.

Accuſaſſe autem eum dicimus, qui crimina obiecit, & cauſſam perorari vſque ad ſententiam effecit: cæterũ ſi antè quieuit, non accuſauit, Vlpia.l.qui cum.§.accuſaſſe. D.de bonis libert. Accuſare igitur Vlpiano eſt crimen obiicere legitimè. Hinc, Accuſatio, eſt legitima criminis obiectio, ex eod. Vlpiano.

Accuſare etiam intelligendus eſt qui nomen detulit, l. eum patronum.10.§.1.D.de iure patr.

Accuſatio aliud eſt, & aliud actio. Accuſatio propriè eſt ex qua imponitur pœna mortis, vel corporis coercitio, vel pecuniaria fiſco adplicanda. Actio eſt ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur, Angelo in rubric.Inſtit.de public.iudic.Bartolo in l.Prætor ait.3. D.de ſepul.viola. Quid autem accuſatio à maledicentia differat, Cicero oſtendit in Oratione pro Cælio his verbis: Accuſatio crimen deſiderat, rem vt definiat, nomine vt notet, argumento probet, teſte confirmet: maledictio autem nihil habet propoſiti præter contumeliã, quæ ſi petulantius iaciatur. (Sic enim legi vult Muret.) conuicium: ſi facetius, vrbanitas nominatur. Et quamuis non planè idem à Demoſth. dicatur dubium tamen non habeo quin Cicer. illius ſit veſtigia perſecutus. Sic enim ἐν τῷ περὶ στεφάνου. Καὶ τοι γ' ἐγὼ τοῦτο ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ἐγὼ λοιδορίαν κατηγορίας τοῦτο διαφέρειν ἡγοῦμαι, τῷ τὴν μὲν κατηγορίαν ἀδικήματ' ἔχειν, ὧν ἐν τοῖς νόμοις εἰσὶν αἱ τιμωρίαι. τὴν δὲ λοιδορίαν βλασφημίας, ἃς κατὰ τὴν αὑτῶν φύσιν τοῖς ἐχθροῖς περὶ ἀλλήλων συμβαίνει λέγειν.

ACEPHALITÆ hæretici dicti ſunt, hoc eſt ſine capite: nullus enim erroris eorũ reperitur auctor, ex quo orti ſint. Hi capita aliquot concilij Chalcedonenſis impugnabant, duarum in Chriſto ſubſtantiarum proprietatem negantes, Iſidoro Etymolog.8.cap.5.quem refert Gratianus c.quidam autem.24.q.3.

ACETABVLVM Alciato in tit.de pond.& mẽſur.menſuræ genus, éſtque pars quarta heminæ. Alias idẽ eſt quod Parapſis, vide Parapſis. Pro acetabula autem in l.10.§.3.D.de aur. & arg. leg. vulgò malè, inquit Cuiac.tabulas: quæ ſcriptura confirmatur etiam falſo Horatij quodã loco, epiſt.lib.1. epiſt.15. in quo omnes cõſtãter legerãt hactenus, Patinas omaſi, nõ tabulas.

ACETI appellatione non contineri acetum, quod paterfamilias vini numero habuit, Vlpianus ſcribit l.ſi quis vinum.§.ſi acetum.D.de vino, tri.oleóque leg.

ACINATICVM, vini genus ex acinis vinaceis aqua maceratis confectũ, apud Vlpianũ l.9.D.de vin.tritic. Ex acino id quî fiat, docet Caſſiod.lib.12.Epiſtol.

ACQVIRI ei accipiemus, ad quem rei commodum reſpicit. Vlpiano l.ſi extraneus.in fin. D.de iure dot.

Acquirere eum dicit Accurſius qui acquirere nititur, in gloſ.fin. l.ſi per impreſſionem. C.de iis quæ vi met. geſt.ſunt.cuius ſententiam probat Albericus. Acquirere etiam eum cenſuit Accurſius, qui acquirere vide. l.1.D.de auct.tut. Quid autem ſit acquirere rerum dominium, & quot ſint modi dominij adquirendi, vide apud Hot.in Comm.verb.iuris.

Acquirendi ſpeciẽ eſſe liberare quem obligatione Paulo l.ſpecies.11.D.de acceptil.

Ἀκριβοδίκαιοι dicebantur Ariſtoteli lib.5.Ethic.qui ius ad literarum anguſtias reuocabant, ſummo iure nitentes, Bud.l.1.De iuſt.& iur.vnde ἀκριβοδίκαιον ius ſummũ, exactius, durius, & ſtrictum, Ariſtotel.ibidem His opponuntur ἐπιεικεῖς iudices, id eſt æqui & boni.

Ἀκρόδρυα Gaius in l.qui venenum, 236.D.de verb.ſignif. ſcribit apud Græcos omnes arborum ſpecies continere. quo tamen loco vult Hotomanus, BACCARVM, aut FRVCTVVM legi, cum conſtet (vel teſte Suida) ἀκρόδρυα dici πάντας τοὺς τῶν δένδρων καρπούς. Et ita D.Ioannem victitaſſe ἄκρεις δρυῶν Nicephorus, vt Diogenem Ælicurus ἄκρεις φύλλων.

ACTA, res quæ in commentariis principalibus relata eſſent Ciceroni Philippica.2.& Plinio lib.5.Epiſtol. ad Valerianum. Liber (inquit) hic principis ſeuerus. Leges ipſum: eſt in actis publicis, id eſt, commentariis. Hæc δημόσια γράμματα Æſchines vocat. Acta igitur libri, ſeu tabulæ erant in quibus ſcribebantur res geſtæ, principis, aut populi, aut etiam leges, ídque ex Cicerone 1.& 2.Philipp.& Plinio lib.5.Epiſtol.diſces, & l.2 de delat.lib.10.C.

Acta Iuriſcoſs.& Imperatoribus libri erant forenſium, ſiue iudicialium ſcribarum, in quibus iudicum pronuntiata ſcribebantur, apud Paulum l.acta.45. D.de re iudic.Hermogenianum l.actorum.46.D.eo.Seuerum & Antoninũ l.is apud.C.de eden. & alibi ſæpiſſimè. Hæc ὑπομνήματα H.Modeſtinus l.13.§.οἱ δὲ πεντήκοντα. D.de excuſat. Galli regeſtra vocant, quaſi regeſta, malè & ineptè efflant *regiſtres*, etiam ipſi pragmatici, & fori rabulæ.

Actorum genera duo cõſtituiſſe videtur M.Cicero Philip.2.publica & priuata. Publicis leges & ſimilia, quæ à principe gererentur, continebantur: priuatis teſtamenta, aliáve priuatorum geſta.

Acta etiam plerunque locum, vbi ius dici ſolet, ſignificant, l.2.C.de cuſtod.reo.& l.1.C.de ſatiſd.

Acta à geſtis vt diſtent, Iaſon diſſerit in l.2. C.de eden. Quanquàm geſta elegantius dicuntur res geſtæ. Interdũ tamẽ, Roterod.teſte, Actus pro geſtis legimus.

Acta & actitata, formularij adpellant ſua ſcriptorum volumina: de his textus eſt in Clem. ſæpe. §.ſententiam. de verb.ſignif.

ACTIO cum ab agẽdo dicta ſit, generali ſignificatione quicquid omnino agi ſolet, cõplectitur. Itaque & hiſtrionũ & oratorũ & fabrorũ actionem dicere ſolemus. Verũ in Iuriſconſultorũ ſcriptis facile eſt intelligi, ad eas actiones contractã hanc eſſe ſignificationẽ quæ ad ius pertinerẽt: hoc eſt, ad eos ritus qui à Iuriſcõſultis excogitati ſunt: veluti nexũ, emancipationẽ, manumiſſionẽ per vindictã, ceſſionẽ in iure, teſtamẽtum per æs & librã: & ſi qui ſunt generis eiuſdẽ. Porrò cũ illa omnia certa verborum cõceptione fierent, tandẽ cõſuetudine loquendi res eò perducta eſt, vt actio vulgò pro formula & cõceptione verborũ diceretur. Et cũ ea præcipua videretur, qua lis aduerſus ciuẽ intẽditur, inde factũ eſt, vt actio plerũq; pro querela in iudicio aduerſus aliquem propoſita vſurpetur. Tũ enim ab Agere quod Queri ſignificat deducitur.

niſi fortè Queri aliquanto plus ſit, quàm Agere. vt in Orat.pro Cælio:A quo quæram ſi prodierit, primùm cur ſtatim nihil egerit:deinde,ſi id queri quàm agere maluerit,cur productus à vobis potius,quàm ipſe per ſe? Agere autem pro queri,aut poſtulare,Cicero multis locis vſurpat,vt pro Cæcinna: Si te hodie domum tuam redeuntem armati homines aditu prohibuerint,quæro quid acturus ſis? Item, Quid ergo eſt? impunè feci:nam quid agas mecũ ex iure ciuili ac prætorio,non habes.Item:Quid negligentius maioribus noſtris,qui tantæ rei prætermiſerint actionem?

Actio eſt formula vel conceptio verborum, quibus iudiciũ à prætore certa de cauſſa poſtulatur. Vel ſic:

Actio eſt formula iuris ſui recuperatorio iudicio perſequendi,ab eo qui legis actionem habet,data.

Actio apud veteres nihil aliud quàm formulã ſignificat:quaſi quis dicat,rerum priuatim agẽdarum modus, & forma Iuriſconſultorum & pragmaticorum ingeniis excogitata. itaque vulgo Legis actiones vocabantur, quoniam earum rerum de quibus Lex XII.ſcripta erat,agendarum formam,ritúmque præſcribebant,Pompon.l.2.De orig. Ex his, inquit, legibus eodem tempore ferè actiones compoſitæ ſunt, quibus homines inter ſe diſceptarent: quas actiones ne populus prout vellet inſtitueret, certas ſolennéſque eſſe voluerunt.& appellatur hæc pars iuris, Legis actiones. Quibus ex verbis apparet, Legis actiones olim id fuiſſe, quod nunc vulgus Formularium practicæ appellat.in eam enim ſententiam à Varrone, Cicerone,& aliis,Manilianæ, & Hoſtilianæ actiones nominantur.patétq; ex Varrone rerum acquirendarum,ſtipulationúmque formulas etiam in ruſticanorum hominum manibus verſatas fuiſſe, à Manilio & Hoſtilio Iuriſc.compoſitas: citantúrque in Pandectis Valentis,& Venule libri De actionibus:illius ſeptem, huius decem,quos conſtat eodem argumẽto ſcriptos eſſe, quo Pauli librum ſingularem De conceptione formularum.Varro lib.De re ruſt.II.Paulo verboſius hæc,qui Manilij actiones ſequuntur Lanij,qui ad cultrum bouem emunt.Loquitur de ſtipulationibus.Cicero pro Muræna; Gloria militaris veſtris formulis atque actionibus anteponenda eſt.Idem ad Attic.lib. VI.Nec verò pauci ſunt auctores, Cn.Flauium Scribam faſtos protuliſſe,actionéſque compoſuiſſe. Et libro de Orat.I.Expoſitis à Cn.Flauio primùm actionibus,nulli fuerunt, qui illa artificiosè digeſta generatim componerent.Item in eod.Et credo,in illa militis cauſſa,ſi tu aut hæredem aut militem defendiſſes, ad Hoſtilianas te actiones, non ad tuam vim & oratoriam facultatem contuliſſes.Varro lib.De ling.v.Itaque quibus res erat in controuerſia,ea vocabatur lis. Ideo in actionibus videmus dici, Quã rem ſiue litem dicere oportet.Cicero Philip.IX. Neque conſtituere litium actiones malebat,quàm controuerſias tollere.

Actionum autem non tantum quæ ex contractibus, ſed etiam,quæ ex delictis naſcerentur,formulas conſtitutas fuiſſe, cum aliis ex locis patet, tum etiam ex his Arnobij verbis, in lib.aduerſ. Gent.IIII. Ac ne veſtras aures conuitio aliquis petulantiore pulſaret, de atrocibus formulas conſtituiſtis iniuriis.

Actiones,orationes apud populum iudicéſve habitæ.Cic.lib.De art.Rhetor.II. Quòd ſi nunc id agant, velle ſe ſcire,qui lator ſit,qui ſint accepturi, ſe actiones videre & diſſuadere velle.Aſconius in Cornelianæ argumen. Cicero ipſe ſignificat, quatriduo Cornelium defendiſſe, quas actiones contuliſſe eum in duas orationes apparet.Sic verrinæ actiones fortaſſe non incommodè numerari ſeptem poſſent,pro,Orationes ad Verris cauſſam pertinentes.Sed ne actionũ ſignificatio conturbetur, quæ duæ tantùm fuerunt, nunquã,quod ſciam, ab antiquis ita nominatæ ſunt.

Actio, inquit Celſus, nihil aliud eſt, quàm ius perſequẽdi in iudicio,quod ſibi debetur.l. nihil aliud.51.D. de oblig.& act.quibus verbis apparet Celſum Actionem intellexiſſe poteſtatem à Prætore datam, cauſſam ſuam apud iudices recuperatoréſve agendi, vt ex vtriuſque oratione quid æquitas ratióq; iuris poſtulet,ſtatuant.veluti cùm dicimus, Actionẽ vel iudicium poſtulare,pro Iudicem poſtulare, & facultatem apud eum cauſſam noſtrã agendi.Ex quo facile intellectu eſt, eam definitionem ad eorum temporum rationem accommodatam eſſe, quibus ab antiquorum iudiciorum ordine receſſum erat.

Actio pro Actus.Vlpianus in l.3.§.vlti.D.de donat.inter vir. Nam celeritate coniungendarum inter ſe actionum vnã actionẽ occultari. Sic videtur legendũ in l.verũ eſt,31.D.de reg.iur. Quod enim impoſſibile eſt,neque pacto, neq; ſtipulatione poteſt cõprehendi, vt vtilem actionem, (aut factum) efficere poſſit. nam illa duo verba AVT FACTVM: puto eſſe ex gloſſa,cùm aliquis ſub verbo ACTIONEM ſubſcripſiſſet,aut actum.

Actionis verbũ,inquit Vlpianus, & ſpeciale eſt, & generale:nam omnis actio dicitur, ſiue in perſonam, ſiue in rem ſit petitio.ſed plerunque actiones perſonales ſolemus dicere.Petitionis autem verbo in rem actiones ſignificari videntur.Perſecutionis verbo extraordinarias perſecutiones puto cõtineri: vtputa fideicommiſſorum,& ſi quæ aliæ ſunt, quæ non habent iuris ordinarij executionẽ.l.pecuniæ,178.D.de verb. ſignif.itaque diſtinguuntur in l.18.D.de acceptilat.

Actiones ædilitiæ dicuntur, quæ edicto ædilium curulium cõſtitutæ ſunt.C.de ædil.act.& §.j.Inſt. Si quadrup.paup. Earum autẽ tres in iure ciuili ſpecies maximè reperio:Redhibitoriam,Quanto minoris, & In factum.Redhibitoria,eſt quæ emptori aduerſus venditorem datur vt mancipium redhibeat, id eſt, recipiat, preciúmque acceptum reſtituat. l.redhibere,D. de ædil.edict.quod quatuor de cauſſis accidit:propter morbum, propter vitium, cùm pronunciatum eſt quid adeſſe quod abeſt,vel abeſſe quod adeſt: poſtremò,cùm ex ædilium edicto vẽditor non cauit. Quanto minoris actio præcisè dicitur,pro quanto minoris res fuit, quæ vendita eſt: datúrque emptori ſimiliter contra venditorem iiſdem de cauſſis quibus Redhibitoria:& eo amplius, propter eos qui vitio animi ex conſuetudine laborant.l.1.l.2.l.3.& l.4. D.eo. In factũ autem emptori ſimiliter datur ad preciũ recuperandum,cũ aut rem emptã ſine iudice redhibuit,aut venditor mãcipij nationem non pronunciat: aut cùm ita emit, vt niſi intra certã diem placuerit, redhibeatur: aut indefinita die intra dies LX.l.quòd ſi nolit,31.eod. aut cùm ornamẽta mancipij deſunt.l.ædiles,eod.Differũt præterea tempore.nam Redhibitoria,ſex menſium: Quãto minoris,anno:In factum,ſexaginta dierum ſpacio circumſcripta eſt.d.l.ædiles,eod.

Actionum,inquit Vlpianus,genera ſunt duo:in rem, quæ dicitur Vendicatio:& in perſonã,quæ condictio appellatur.In rem actio eſt, per quã rem noſtrã, quæ ab alio poſſidetur, petimus: & ſemper aduerſus eum eſt,,qui rem poſſidet. In perſonam actio eſt,qua cum eo agimus,qui obligatus eſt nobis ad faciendum aliquid vel dandum. & ſemper aduerſus eundem locum habet.l.25.D.de oblig.& actionibus.

Actio, pro accuſatio. Papin.l.1. D.de crim.ſtellion. Actio ſtellionatus neque publicis iudiciis, neque priuatis actionibus continetur. hoc eſt. Hæc accuſatio non è legibus publicorum iudiciorum eſt, ſed extraordinaria.Similiter Rubrica eſt lib.Cod. Quando actio ciuilis criminali præiudicet.

Actio æſtimatoria quanto minoris, vide ſuprà, actiones ædilitiæ. & infrà, Quanto minoris.

Actio æſtimatoria ſiue de æſtimato, eſt actio in perſonam, per quam qui rem aliquam vendendam recepit, vel rem ipſam incorruptã reddere cogitur, vel ipſius æſtimationem. l. j. D. de æſtimat.

Actiones arbitrariæ dicebantur, in quibus non ſtrictè certum quid poſtulatur, ſed id tantùm quod æquius meliuſ iudici videbitur, qui propterea verius Arbiter diceretur: quippe qui totius rei arbitrium ac poteſtatem habeat. Earum autem duæ ſunt ſpecies, vna in qua duplex quodammodo ſententia pronunciatur, & prior quidẽ his ferè verbis, Arbitror debere te aduerſario hac ratione ſatisfacere; ante ſecundam porrò in litẽ iuratur. Altera in qua & vna ſentẽtia profertur, nec in litẽ iuratur. §. præterea. 27. De actionib.

Actiones bonæ fidei conciſa locutione dicuntur, in quarum formulis Prætor adiiciebat EX BONA FIDE. Cic. in Topic. In omnibus igitur iudiciis, in quibus EX FIDE BONA eſt additũ, primus earum vſus eſt. Item lib. de Offic. III. Q. Scæuola ſummam vim eſſe dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur EX FIDE BONA. Ibidem, Quid ſibi dare facere oporteat ex fide bona, Nam in quibus hoc additum non erat, iudici dato formulam & ſummam ſibi à Prætore præſcriptam ac definitam egredi non licebat. At in bonæ fidei iudiciis (ait Imper. §. 29. De actionib.) libera poteſtas permitti videtur iudici ex bono & æquo æſtimandi, quantum actori reſtitui oporteat.

Actiones ſtricti iudicij dicuntur, in quibus præfractè iudicium à Prætore definitur, & quaſi ad viuum reſecatur, vt iudici à verbis formulæ ne tantillum quidem recedere liceat. Cicero de iis loquens in Orat. pro Q. Roſcio: Quid eſt in iudicio? directum, aſperum, ſimplex. SI PATERET TANTAM PECVNIAM DARI OPORTERE. Hic niſi planũ facit tantam pecuniam ad libellam ſibi deberi, cauſſam perdit. Iudices enim (quippe priuati homines) poteſtatem iudicandi nullam, niſi quam à magiſtratu, & qua de re acceperant, habebãt. Veluti, L. Caſſius iudex eſto. Si paret aureos viginti Næuio dare oportere Sempronium, eum tantæ pecuniæ condemnato. Poterat L. Caſſius de aureis 20. iudicium ſtatuere: de vno minus aut amplius, non poterat: non accepta ſcilicet à Prætore poteſtate. Nam poteſtates & imperia ſunt penes magiſtratus: Iudices autem priuati (vt diximus) homines erant. itaque ſi maximè vndeuiginti deberentur, quia tamen viginti petita ſunt, petitorem iudex damnabit. Vnde illud vulgatum, vt qui plus peteret, cauſſa caderet. Officiũ ergo iudicis eſt, conſtituere ſimpliciter debeantúrne viginti aurei, an non debeãtur: non autem de aureorum numero arbitrari. Tranquillus Claudio: Nam & iis qui apud priuatos iudices plus petendo formula excidiſſent, reſtituit actiones. De ſtrictis iudiciis loquitur, in quibus ſi petitor aſſe vno plus poſtulaſſet, condemnabatur.

Actio ad exhibendum, eſt actio in perſonam, per quã qui in rem qualicunque actione acturus eſt, eius rei ſibi in publico poteſtatem, vt experiatur, fieri poſtulat. l. 2. & l. 3. D. ad exhib.

Actio Caluiſiana eſt actio in perſonam, qua patroni vtuntur ad ea reuocanda, quæ liberi in ipſorum fraudem alienarunt. l. j. §. ſi plurib. l. 2. & l. 3. §. ſi inteſtatus, & l. vlt. D. ſi quid in fraud. patro. l. 2. D. ſi à par. quis manumit.

Actio calumniæ, vetus erat actio, per quam is, qui litem alicui calumnioſè intenderat, damnatúſque fuerat, decimã eius quod petierat partem aduerſario ſoluere cogebatur, vti docet Imper. §. 6. De pœna tem. lit.

Actio damni iniuria, aduerſus eum competit, qui damnum iniuria dederit: vt quanti plurimi res vel anno proximo, vel triginta diebus proximis fuerit, tanti damnetur, pro caſibus qui ex lege Aquilia cognoſcũtur. tit. De lege Aquil. in Inſt. & Pand. Dicitur autem Actio damni iniuria, præciſè: pro Damni iniuria dati. itaque apud Ciceronem legitur in Orat. pro Q. Roſcio. quum in libris noſtris frequenter INIVRIÆ in ſecundo caſu legatur.

Actio commodati, eſt perſonalis actio, per quam id quod gratis alicui vtendum dedimus, reddi nobis poſtulamus. vti docet Imp. §. 2. Quib. mod. re cont.

Actio communi diuidundo dicitur: quæ datur iis qui res quas vel voluntate, vel fortuna inter ſe communes habent, per arbitrum diuidi, & ſi quid alter alteri debeat, præſtari poſtulant. Paulus. l. j. D. comm. diuid. Hoc iudicium ideo neceſſarium fuit, quòd pro Socio actio magis ad perſonales inuicem præſtationes pertinet, quàm ad communium rerum diuiſionem.

Actio condictitia, eſt actio perſonalis, in qua condicimus. Imper. §. Quib. mod. re cont. Datúrque agenti contra eum propter repetitionem Condictitia actio. nam perinde ei condici poteſt, SI APPARET eum dare oportere, ac ſi mutuũ accepiſſet. Vlpian. l. ſi quis. 24. D. Si cert. pet. Sed illa condictitia actione id perſequi debet, per quam certum petitur. item in l. ſi duo. 15. §. 2. D. de iureiuran. & l. vxor. 55. de donat. inter vir.

Actio conducti, ſiue ex conducto, eſt actio in perſonam, per quam is qui vel rem vtendam, vel opus faciendũ conduxit, ſiue recepit, vt vel re ſarta tecta vtatur, vel operis perfecti mercedem conſequatur, poſtulat.

Actio confeſſoria, eſt per quam rem noſtram ab altetius poſſeſſione in dominium noſtrum vendicamus. vti docet Imp. §. 2. De action.

Actio conſtitutoria, eſt qua cum eo agitur, qui vel pro ſe, vel pro alio ſoluturũ ſe ſine vlla ſtipulatione conſtituerit. vti docet Imp. §. 8. & §. 9. De actio. itémque toto tit. De conſt. pecun. D.

Actio de albo corrupto, eſt, qua quiuis de populo agere aduerſus eum qui Prætoris edictum corrupit, poteſt: vt quinquaginta aureorũ pœna multetur. vti docet Vlp. l. 7. D. de iuriſd. omn. iud.

Actio de arboribus ſucciſis, ex duodecim Tabul. eſt actio in perſonam, per quam qui alienas arbores cæciderit, æris XXV. damnatur. hanc enim conſtitutam pœnam fuiſſe Plin. lib. 17. c. j. teſtatur. Paulus. l. 28. §. 6. D. de iureiur. Colonus cum quo propter ſucciſas fortè arbores agebatur ex locato, ſi iurauerit ſe ſucidiſſe, ſiue è lege XII. Ta. de arboribus ſucciſis, ſiue, &c. Hinc Rubr. Arborum furtim cæſarum, lib. Pand. 46.

Actio de dote, eſt actio in perſonam, quæ diuortio facto mulieri de dote exigenda aduerſus maritum datur, & maritum in id tãtum quod facere poteſt, damnat. l. maritum. 12. l. 13. l. 14. D. ſolut. mat.

Actio de effuſo, deiecto, ſuſpenſo, eſt actio in perſonam, quæ aduerſus eos intenditur, qui eum in locum quà vulgò iter fit, aliquid effuderint, deiecerint, ſuſpẽderint, cuius caſus alicui nocuerit, nocerévè ſuſpẽſum potuerit. l. j. & l. 5. D. de his qui deiec. vel effud.

Actio de in ius vocato vi exempto, eſt qua cum eo agitur, qui in ius vocatum exemit, dolóve eximendum curauit, vt quanti ea res ab actore æſtimabitur, damnetur. l. j. & l. 5. D. ne quis eum qui in ius voc.

Actio de in rem verſo, eſt actio in perſonam, per quam pater dominúſve, cuius filius ſeruúſve cum aliquo ſine ipſius voluntate contraxit, ſiue quid in rem ipſius verſum erit, totum præſtare cogitur: aut ſi quid non ſit verſum, quatenus peculium patietur. vti docet Imper. §. 4. Quod cum eo qui in al.

Actio de iureiurando, eſt per quam is qui aduerſarij poſtulatu deberi ſibi pecuniam iurauit, ita eum damna

damnari poſtulat, ſi planum faciat ſe illius poſtulatu iuraſſe. vti docet Imp. §. 12. de action.

Actio de moribus, vide Iudicium de moribus.

Actio de paſtu pecoris ex lege XII. Tabular. inſtituta eſt, cùm in meo fundo pecus tuum depaſtum eſt. nec enim de pauperie noxalis actio ſufficiebat: quia paſtus pecoris, nec pauperies, nec damnum eſt. l. qui ſeruandarum, 14. §. vlt. D. de præſcript. verb. l. 2. §. in beſtiis, D. Si quadr. pauper.

Actio de patre patronóve in ius vocato, eſt per quam filius emancipatus aut libertus qui patrem patronúmve ſine Prætoris venia in ius vocauit, pœna quinquaginta aureorũ dãnatur. l. pen. D. de in ius voc.

Actio de peculio, eſt per quam is qui cum filiofam. ſeruóve contraxit, contra patrem dominúmve ita agit, vt quoad profectitium peculium ferre poſſit, ſoluere dãnetur. vti docet Imp. §. 10. De action. & D. toto tit. de pecul. Sciendum eſt autẽ, non certã quandã actionis ſpeciem hanc eſſe, quæ per ſe cõſtet: ſed adiectionem qua principalis actio deſignatur. nam ſi depoſiti, cõmodati, mandati filiusfa. obligatus ſit, datur aduerſus patrem actio depoſiti ex peculio, cõmodati ex peculio, mandati ex peculio. l. 5. §. cui congruit, D. de pecul. l. depoſiti, eod. l. 1. C. quod cum eo, &c.

Actio depoſiti directa, eſt perſonalis actio, per quam id quod apud aliquẽ depoſuimus, reddi nobis poſtulamus: vti docet Imp. §. 3. Quib. mod. re cont.

Actio depoſiti contraria, eſt actio in perſonam, per quam qui depoſitum recepit, quod in eo tuendo aſſeruandóque impendit, poſtulat. Hinc Rub. in Pand. Depoſiti vel contraria. ſic enim legendum eſt.

Actio de tigno iuncto dicitur, qua vtitur dominus tigni aduerſus eum qui ipſius tignum ædibus vineíſve ſuis adiunxit: per quam non ipſum tignum, ſed duplũ conſequitur. vti docet Vlp. l. 1. D. de tig. iuncto.

Actio directa (quum actioni contrariæ opponitur) ea formula eſt, quæ quum certam ob cauſſam inuẽta atque inſtituta ſit, ad eãdem ipſam cauſſam accommodatur. veluti Lex XII. Tab. Pro ſocio actionem inſtituit, aut ea ex lege ſcilicet inſtituta eſt. Quoniã vtriuſque ſocij cauſſa inſtituta hæc actio eſt, Directa vtrinque nominatur. At in tutela, mandato, & depoſito inuenta primùm eſt actio tantùm pupillo in tutorem, mandatori in mandatarium, & deponenti in depoſitarium. quare quæ hîs in cauſſis dantur actiones, quia illæ ipſæ ſunt maximè, quæ primùm inſtitutæ ſunt, Directæ nominantur. Et quoniam vſu rerum poſtulante intellectum eſt, viciſſim quoque dandas eſſe tutori in pupillum, mandatario in mandatorem, depoſitario in deponentem, certis de cauſſis, actiones: cõceſſæ quoque ſunt eædem ipſæ antiquitùs inſtitutæ conceptæq; formulæ, quas Directas, cùm ad ſua negocia referuntur, nominamus: ſed quia non ad ſuam cauſſam propriè accommodantur, Contrariæ nominantur. quaſi dicas, Eædem ipſæ actiones, ſed ad contrariam partem accommodatæ.

Actio directa dicitur, quum eius ipſius aduerſus quem agitur, non autem alterius nomine intenditur. veluti Actio noxalis, quia contra dominum nõ ſuo, ſed ſerui nomine intenditur, directa non eſt. ſed ſi qui in ſeruitute noxã nocuit, poſtea manumittatur, quia ſuo nomine lege Aquilia cõuenitur, Directa pulſari dicitur. Iuſtinianus §. 3. de nox. act. At ſi manumiſſus fuerit, directò ipſe tenetur, & extinguitur noxæ deditio. ex diuerſo quoque directa actio noxalis eſſe incipit. nam ſi liber homo noxiam commiſerit, & is ſeruus tuus eſſe cœperit, incipit tecũ eſſe noxalis actio, quæ antè directa fuiſſet. Idem, §. vlt. Quòd cum eo, &c. Id quod iuſſu patris dominíve contractum fuerit, quódque in rem eius verſum erit, directò quoque poſſe à patre dominóve condici, tanquam ſi principaliter cum ipſo negocium geſtum eſſet. Ex quo apparet, actionẽ Quod iuſſu, & ſimiles, directas dici non poſſe: quippe quæ aduerſus patrem dominúmve non ipſorum, ſed filij ſeruíve nomine intendantur.

Actio empti, ſiue Ex empto, eſt, actio in perſonam, per quam qui rem quampiam emit, venditorẽ & quæ lingua nũcupata ſunt, præſtare, & ſi nominatim nihil conuenit, rem tradere, eámque vel emptoris facere, vel euictionis nomine obligari cogit. vti docet Vlpia. l. 11. D. de act. emp.

Actio exempta dicitur, quum agi poſſe deſiit. Vlpian. l. 26. §. 4. D. Ex quib. cau. maior. Siue cui per magiſtratus actio exempta eſſe dicetur. Item, Actio exempta ſic erit accipienda, ſi deſiit agere poſſe. Locutio deducta eſt ab exemptione reorum, de qua ſuo loco diximus.

Actio exercitoria, eſt actio quæ in exercitorem, qui ſeruum naui præpoſuit, de eo quod cum eo ſeruo illius rei cauſſa geſtum fuit, in ſolidum conceditur. Is enim ad quẽ quotidianus nauis quæſtus redit, Exercitor dicitur: & moris erat, vt ſeruum ei rei præficerẽt, quem Magiſtrum appellabant. l. 1. & paſſ. D. de exercit. act.

Actio ex ſponſu, vide Spondere, & Sponſus.

Actio ex ſtipulatu, eſt actio quæ ei competit qui ſibi aliquid incerti dari fierive ſtipulatus eſt. veluti quicquid vini hoc anno ex vineis tuis colligetur. vti patet ex ca. Inſt. de verb. oblig. in princ.

Actio ex ſtipulatu doti exigendæ, eſt actio in perſonam, per quam vxor dotem ſuam ſoluto matrimonio à marito condicit. l. penult. C. de iure dot. & l. vnica, C. de rei vxor. act.

Actio familiæ erciſcundæ dicitur, quæ datur cohæredibus poſtulantibus vt & hæreditas diuidatur, & ſi quid alter alteri debeat, præſtetur. nam Erciſcere familiam, hæreditatem diuidere ſignificat. eius autem formula in rem eſt: vis & natura, qualis eſt actionis in perſonam. Vlpian. l. 22. §. 3. D. famil. erciſc. Hoc iudiciũ ex duobus conſtat: id eſt, rebus atque præſtationibus: quæ ſunt perſonales actiones.

Actio Fauiana, eſt actio in perſonam, quæ patronis eorúmve liberis conceditur, ad ea reuocanda quæ in ipſorum fraudem liberti alienarunt. l. videamus, 38. §. in Fauiana, D. de vſur. l. 1. & paſſ. D. ſi quid in fraud. patron. Ei gemina eſt Caluiſiana, de qua ſuo loco diximus.

Actio finibus regundis, eſt quæ confinibus conceditur, poſtulantibus vt quod cuiuſque proprium ſit, ab arbitro definiatur: & ſi quid ab alterutro cõmiſſum ſit, reſarciatur. Eius autem formula eadem eſt quæ vindicationis: vis autem & natura eadem quæ condictionis. vti docet Paulus in l. 1. D. finium regund. FINIBVS autem REGVNDIS hæc ab antiquis appellata eſt actio: item vt Familiæ erciſcundæ, Communi diuidundo, Rationibus diſtrahẽdis: quod cuiuis ex Cicerone licet intelligere: ſed, vt opinor, poſteaquã à Græcis hominibus ius ciuile tractari cœptũ eſt, hæc mutatio, cuiuſmodi aliæ alibi permultæ ſunt, hoc in loco cõtigit.

Actio funeraria, eſt actio in perſonam, per quam is qui pro officio ſuo, veluti delectus à teſtatore, vel hæres ſcriptus, vel ſuo ordine cognatus funerandi defuncti cauſſa ſumptus fecit: eos ab eo ad quẽ ea res pertinet, recuperat. l. 12. §. 2. & perpetuo trac. De relig. & ſump. Dicitur & Funeratitia à Põponio, l. 30. D. eo. tit. vel ſic.

Actio funeraria eſt, qua qui defunctum ſuis ſumptib. funeratus eſt, eam pecuniã ab hæredib. condicit. Vlp. l. 17. D. de reb. auct. iud. Vtrum ita demũ priuilegiũ habet funeraria, ſi is cuius bona veneunt, funeratus ſit.

Actione furti concepti tenetur is, apud quem furtum quæſitum & inuentum eſt: ait Paulus lib. 11. Sent. tit. 31.

Actio furti concepti dicitur,quæ in eum intenditur,apud quem teſtibus præſentibus furtiua res quæſita & inuenta eſt:quamuis ipſe fur non ſit. apud Imp. §.4.de oblig.quæ ex del.

Actio furti manifeſti eſt,qua quadrupli pœna ab eo qui manifeſtus fur eſt,exigitur: nec manifeſti, qua à nec manifeſto,dupli.ait Imp.§.17.de oblig.quæ ex del.

Actio furti non exhibiti,aduerſus eum datur, qui furtiuã rem apud ſe quæſitam & inuentam non exhibuit. ait Imp.§.4.de oblig.quæ ex delict.

Actio furti oblati,competit in eum cui res furtiua oblata eſt, vt apud eum potius,quàm eum qui obtulit,conciperetur:ait Imp. §.4.De oblig.quæ ex delict.

Actio furti prohibiti aduerſus eum eſt, qui furtum quærere teſtibus præſentibus volentem prohibuerit. §. 4. De oblig.quæ ex delict.

Actio ſiue petitio hæreditatis eſt , actio in rem , quæ aduerſus illos qui ius pro hærede vel pro poſſeſſore habent,vel rem hæreditariam licet minimam poſſidet, intenditur.l.9.D.de pet.hæred. habet tamen præſtationes quaſdam perſonales, vtputa eorum quæ à debitoribus ſunt exacta,& pretiorum.l.25.§.13.eod.tit.

Actio furti ope conſilióque facti,aduerſus eum datur,cuius ope conſilióque furtum factum eſt.ait Imper. §. 9. de oblig.quæ ex del. Eius formulam Cic.libr.De nat. III. hanc fuiſſe ſcribit, OPE conſilióque tuo furtum aio factum eſſe.

Actio hypothecaria,quæ & quaſi Seruiana,& vtilis Seruiana,interdum Seruiana,& Pigneratitia vocatur,eſt actio in rem,per quam creditores quib. res aliqua ſiue mobilis,ſiue immobilis oppignerata eſt, rem illã, ſi fortè in alterius poſſeſſionem inciderit, ſibi vendicant.vti docet Imp.§.7.de action.

Actio in rem,eſt quæ conceditur ei, qui rem quam alter poſſidet,ſuam eſſe intendit:vt ea res ipſius eſſe pronuncietur.ſicut Imp.docet in §.j.de action.

Actio in perſonam,eſt quæ aduerſus eum intenditur qui ex cõtractu vel delicto obligatus eſt, vt aliquid dare, facere damnetur.ait Imp.§.j.de action.

Actio inofficioſi teſtamenti,quæ interdum etiam Accuſatio,interdum Querela nominatur, dicitur ea quæ tum liberis,tum parentibus,tum etiam fratribus iniquè vel præteritis vel exhæredatis datur, vt ſi iudices violatum officium cognoſcant, reſciſſo teſtamento hæreditatem iis quibus naturæ iure debetur, adiudicent.l.j.& paſſ.D.de inoff.teſtam.

ACTIONES in rem ſcriptæ dicuntur,quæ vi ipſa in perſonam quidem ſunt,ſimpliciter tamen & abſolutè ſine vllius perſonæ notatione ſcriptæ & cõceptæ ſunt. cuiuſmodi ſunt Ad exhibendum,Quod metus cauſſa, Ex cauſſa interdictorum.nam IN REM vetus locutio eſt,quæ vt ſuo loco docebimus, nihil aliud ſignificat,quàm generaliter, infinitè, & ſine certæ alicuius perſonæ deſignatione. Itaque Perſonales actiones ſemper aduerſus eũdem, hoc eſt,eum qui in iis nominatus eſt,dantur:at hæ aduerſus quẽuis.vide IN REM.

ACTIO malæ tractationis,aduerſus maritum facto diuortio dabatur vxori,diuortij culpam in illum transferenti.Fabius libr.7.c.4.Non diſſimiles autem abdicationũ actionibus ſunt malæ tractationis actiones. nam & ipſæ habent eandem in accuſationibus moderationem.Idem libr.4.c.2.Sed in ſcholaſticis quoque nonnunquam euenit, vt pro narratione ſit propoſitio.nam quid exponet,quæ Zelotypum malæ tractationis accuſat?cùm totum crimen vno verbo in qualibet actionis parte poſito ſatis iudicetur. Eiúſque iudicij exemplum extat apud eundem Declamat. VIII. & XVIII.

Actio malè geſtæ procurationis in foro, nominatur à Fabio lib.7.c.4.

Actio inſtitoria,eſt actio in perſonam, quæ in eum qui ſeruum inſtitorem tabernæ præfecit,ex eo quod cum eo ſeruo eius rei cauſſa geſtum erit, in ſolidum cõceditur.Eſt autem inſtitor, qui quæſtuariæ alicui negociationi præficitur:quòd (vt ait Vlpianus) negocio gerendo inſtet.l.j.& paſſ.D.de inſtitor.act.

Actio ingrati,excepta Macedonum gente nuſquam data eſt:ait Seneca lib.3.de benef.Nam cùm difficilis eſſet, inquit,incertæ rei æſtimatio, tantùm odio damnauimus,& inter ea reliquimus quæ ad vindices deos remittimus.nam optima beneficij pars perit, ſic vt certæ pecuniæ ex cõducto aut ex locato detur.Hoc enim eſt in illo,quod dedimus vel perdituri, quod permiſimus accipientium arbitrio.ſi appello, ſi ad iudicẽ voco,incipit non beneficium eſſe,ſed creditum: nec erit glorioſa res,gratum eſſe, niſi tutum eſt gratum non eſſe.Fabius de ſcholaſtica exercitatione loquens libr. 7.c.4.In actione ingrati,inquit,quæritur an is cũ quo agitur,acceperit beneficium:quod raro negãdum eſt: ingratus eſt enim' qui negat.an quantum acceperit, reddiderit:an protinus qui non reddiderit, ingratus ſit:an potuerit reddere:an id quod exigebatur,debuerit.Vide Turneb.Aduerſ.lib.10.c.6.

Actio locati,ſiue ex locato,eſt actio in perſonã, per quã qui quempiam vel in prædio colendo, vel in opere faciendo locauit, ea quæ in contrahendo conuenerunt,illum ex æquo & bono præſtare cogit.l.2.& l.17. C.locat.l.ſi merces,25.D.eod.

Actio legis,vide Legis actio.item ſuprà, Actio.

Actio mandati directa,eſt actio in perſonam, per quam qui alicui mandatum dedit, quanti ſua intereſt ob id quod alter vel non confecit, vel non tempeſtiuè renunciauit,ab ipſo poſtulat.l.22.§.11.& l.27.§.2.D.mandati.

Actio mandati contraria,eſt actio in perſonam, per quã qui alterius mandatum ſuſcepit, quod in eo cõficiendo de ſuo impendit, ab altero poſtulat. Hinc tit.in Pand.Mandati,vel contraria.ſic enim legendum eſt.

Actio negatoria,eſt per quam actor negat aduerſario id licere,quod niſi ſibi ſeruitus deberetur, ei liceret: vti docet Imp.§.2.de action.

Actio negociorum geſtorum,eſt actio in perſonam, qua qui alterius negocium ſine mandato ac ſua ſponte geſſit,quicquid eo nomine illi vel abeſt, vel abſuturum eſt, à domino repetit: viciſsímque illi actus ſui rationem probare, & ſi quid vel non vt oportuerit geſſerit,vel ex his negociis retinet, præſtare cogitur. vti docet Caius.l.2.D.de neg.geſt.

Actio negociorum geſtorum, Directa quidem aduerſus eum inſtituitur,qui abſentis negocia, ſine mandato geſſit:Contraria verò, aduerſus eum cuius negocia geſta ſunt,de eo quod alterum alteri ex æquo & bono dare,facere oportet.

Actio noxalis,eſt actio in perſonam, per quam is, cuius ſeruus noxam aliquam commiſit, aut litis æſtimationem ſufferre,aut ipſum hominem noxæ dedere cogitur.vti docet Imp.tit.de nox.act.in principio.

Actio noxalis de pauperie, eſt actio in perſonam, per quam is,cuius quadrupes, quæ cicurum numero ſit, alicui damnum dederit, aut litis æſtimationem præſtare,aut ipſam quadrupedem noxæ dedere cogitur.l. j. D.Si quadrup. vbi obſcurius Vlpianus eſt locutus, quum ait hanc actionẽ locum habere,quum feritate commota nocuit quadrupes: & paulo pòſt, Quum contra naturam fera mota,pauperiem dedit. Significat autem eas,vt dixi,quæ cicures ſunt:vt equum, bouem,mulum, quæ nonnunquam feritate commota, id eſt,laſciuia quadam ferociunt, vt ſi mulam equus olfecerit:& tamen contra naturam,id eſt,præter naturalẽ manſuetudinẽ.Cicures enim natura ſunt man-

ſuetæ. Verùm aliud eſt in iis quæ Cicures nõ ſunt, ſed Beſtiæ appellantur eodem loco ab Vlpiano, veluti vrſi, leones, pantheræ. In his enim ceſſat hæc actio.

Actio oneris auerſi, erat actio in perſonam, quæ aduerſus nautam intendebatur, cuius in naue onus (id eſt sarcina aliqua) interuerſum ac ſurreptum eſſet. nã Auertere pro furari apud antiquos ita frequens eſt, vt putidum ſit exempla conquirere. Alfenus. l. 31. D. locat. In naue Saufeij quum complures frumentum confuderant, Saufeius vni ex his frumentũ reddiderat de cõmuni, & nauis perierat, quæſitũ eſt, an cæteri pro ſua parte frumenti cum nauta agere poſſint oneris auerſi actione? Itẽ, Siue eius generis eſſent merces quæ nautis traderentur, vt continuò eius fierent, & mercator in creditum iret, non videretur onus eſſe auerſum: quippe quod nautæ fuiſſet. Alciatus autẽ ADVERSI oneris actionem appellat, quum vector rem alienam non aduertit & curauit vt debuit. lib. Parerg. 6. c. 28. quod ſanè homine docto indignum eſt, vt nihil acerbius in eius παρέργων libros nunc dicatur.

Actio Pauliana à Prætore Paulo inſtituta eſt, qua creditores quorum in fraudem bona ſua debitor alienauit, bonorum poſſeſſione à Prætore impetrata, ea bona perinde ac ſi nũquam à debitore tradita fuiſſent, vendicare poſſunt. nam vt ait Paulus. l. 38. §. 3. D. de vſur. per actionem Paulianam quæ in fraudem creditorũ alienata ſunt, reuocantur. nam Prætor id agit, vt perinde ſint omnia, atque ſi nihil alienatum eſſet.

Actiones perpetuæ dicuntur, quæ olim nullo temporis ſpacio terminabantur: cuiuſmodi erant omnes ciuiles actiones, id eſt, quæ ex legibus, ſenatuſcõſultis, aut conſtitutionibus naſcũtur. nunc autem in rem actiones decem aut viginti terminantur annis, perſonales verò triginta. §. j. de perpe. & temp. act. l. 3. C. de præſc. 30. ann.

Actio pigneratitia, vt ex verbi notatione intelligitur, actio eſt ad pignus perſequendum inſtituta. Eſt autem triplex: ſed vſurpatur propriè de ea quæ debitori aduerſus creditorem, cui ſua pecunia ſoluta eſt, repetendi pignoris cauſſa conceditur. l. ſi rem. 9. §. 3. D. de pig. act. eaque Directa eſt. nam Contraria etiam prodita eſt, quæ creditori aduerſus debitorem datur ob ſumptus neceſſarios in rem oppigneratam factos. l. ſi neceſſarias. 8. & l. tutor. 16. §. j. D. eod. Itaque titulus intelligendus eſt, De pigneratitia actione, & contraria. ſic enim legendum eſſe, iampridem docuimus. Præterea eſt Seruiana pigneratitia duplex: nimirum prior à Prætore, & poſterior ad exemplum Prætoriæ à Iuriſconſultis inſtituta: quæ pigneratitiæ nonnunquã nominãtur, vt l. 3. §. j. D. ad exhib. l. Titius. 9. D. quib. mod. pig. l. rem alienam. 41. D. de pign. act.

Actiones pœnariæ dicuntur à Fabio, quæ à noſtris vulgò Pœnales, quibus pœnam commiſſam perſequimur. vt furti, rapinæ, legis Aquiliæ. Fab. lib. 7. c. 4. Sed etiam in formulis, cùm pœnariæ ſunt actiones, nos ita cauſſam partimur, an commiſſa ſit pœna, an exigi debeat.

Actiones populares dicimus, quæ ſuum ius populo tuentur: inquit Paulus in l. j. D. de pop. act. inter Priuatas autem, Publicas & Populares hoc intereſt, quòd priuatæ actiones ſunt, quæ rei priuatæ ſunt, & ei ſoli cuius intereſt, conceduntur. Populares verò non quod priuatim alicuius, ſed quod publicè intereſt perſequuntur: ac proinde cuiuis de populo cõceduntur. veluti de albo prætoris corrupto, de ſepulcro violato. Publicæ verò accuſationes ſunt, quæ lege aliqua certa publicorum iudiciorum cõſtitutæ ſunt: vt eius criminis de quo lex lata eſt, à certo Prætore quæſtio exerceantur. Illæ à Prætore vrbano, hæ à Quæſtore certo exercebantur. l. non diſtinguemus. 32. §. de liberali. D. de recept. arb. vbi Paulus ait populares actiones, maiores iudices habere debere. illæ pecuniariam, hæ capitis pœnam imponebant: illæ infamiam non pariũt, hæ pariunt omnino. Popularium autem aliæ rem publicam directò, propriè, ac per ſe: aliæ coiunctim ſpectant. propriè, vt actio de albo corrupto. l. ſi quis id quod. 7. D. de iuriſd. itaque ſi plures petãt, prætor magis idoneum deliget. l. ſi plures. 2. de popul. ac proinde nemo eam in bonis ſuis habere dicitur. l. pen. eod. l. ſi quis pro eo. 56. §. vlt. de fideiuſſ. Coniunctim, vt ſepulcri violati. in quibus, is cuius maximè intereſt, præfertur, ac propterea conſtituere procuratorem poteſt. l. 3. eo. l. 3. de ſepul. viol. De iiſdem popularibus actionib. Zonaræ locus lib. 2. intelligendus eſt, vbi ſcribit Romulum eos omnes qui ætate militari eſſent, in Legiones diſtribuiſſe: τοῖς δὲ ἄλλοις, inquit, τῷ δήμῳ ἐκέχρητο, καὶ τὸν δῆμον ποπούλους ὠνόμασεν. ὅθεν καὶ παρὰ ταῖς βίβλοις ταῖς νομικαῖς ποπουλάρια κέκληται, ἡ δημοτικὴ ἀγωγή. quem locum ſic interpretor: Aliis verò, pro populo (id eſt, pro vrbana multitudine) eſt vſus: eóſque populi nomine appellauit. qua de cauſſa etiam in libris ad leges pertinẽtibus, popularis actio vocatur, quæ à Græcis δημοτικὰ nominatur. Sed eius loci fructus nõ ita magnus eſt.

Actio quãto minoris, vide Quanto minoris, & Actiones ædilitiæ.

Actiones præiudiciales, vide Præiudicium.

Actio præſcriptis verbis, PRÆSCRIPTIS verbis actiones.

Actio pro ſocio, eſt actio in perſonam, per quam qui non fortuna, ſed voluntate res communes habẽt, dirempta communione quod ex dolo culpáve inter ſe debent, poſtulare poſſunt. l. 31. & ſeq. D. pro ſocio.

Actio Publiciana duplex eſt: & altera alteri ex aduerſo reſpondet. Prior ei conceditur, qui cum rem alienam iuſta ex cauſſa, bonáque fide aliquandiu poſſediſſet, poſtea illam caſu amiſit. nam ſi is qui nunc poſſidet, dominus non eſt, Prætor æquius eſſe cenſet eum qui iuſta ex cauſſa illam acquiſiuit, quàm eum qui caſu eã nactus eſt, obtinere. Itaque permittit ei rem illam ita petere, quaſi iam vſucepiſſet. Poſterior autem aduerſo caſu datur, cùm quis aut Reipub. cauſſa abſens, aut apud hoſtes per ſubiectas ſibi perſonas rem alienam vſucepit: & is cuius res vſucapta eſt, neminem in ciuitate nanciſci potuit abſentis defenſorem, aduerſus quem agẽdo vſucapionem interrumperet. nam Prætor ei permittit, ita rẽ ſuam petere, quaſi vſucapta nõ fuiſſet. §. namque, & §. ſeq. De actionib. l. j. & paſ. D. de publicia. in rem act. l. j. & paſſ. D, ex quib. cauſ. maior.

Actio quaſi Seruiana (quæ hypothecaria propriè vocatur, quemadmodum ſuperius demonſtratum eſt) eò dicitur, quia Seruiana de rebus coloni propriè inſtituta eſt: quas is pro mercedibus fundi oppigneraſſet. Æquitatis autem ratio poſtulauit, vt omnibus etiam aliis creditoribus daretur. Ergo inter Seruianam & Quaſi Seruianam triplex differentia eſt. nam illa de coloni, hæc de cuiuſuis alterius debitoris rebus inſtituta eſt. illa directa eſt, hæc vtilis. illa de rebus mobilibus, hæc de immobilibus conceditur. §. item Seruiana, de actionib.

Actio quod iuſſu, dicitur, quæ aduerſus eum datur, cuius ſeruus ipſius iuſſu cum aliquo contraxit, vt ipſe in ſolidum quanti ea res eſt damnetur. nam qui cum ſeruo iuſſu domini contrahit, non ſerui, ſed ipſius domini fidem ſequi videtur. l. j. & paſſim. D. quod iuſſu.

Actio quod metus cauſſa, eſt actio in perſonã, per quam is à quo per vim vel metum res extorta eſt, quadruplũ ab eo qui rem extortam poſſidet, conſequitur. Eius autem natura tacitè continetur, vt qui Iudicis iuſſu rẽ ipſam actori reſtituit, abſoluatur. vti docet Imp. §. 26. De actionib.

Actio Redhibitoria, vide Actiones ædilitiæ.

Actio

Actio rei vxoriæ, erat olim actio in rem, per quam vxor dotem ſuam ſoluto matrimonio repetebat. Dos enim (vt ſcribit Boetius) licet matrimonio cõſtãte in bonis viri ſit, eſt tamen in vxoris iure, & poſt diuortium velut res vxoria peti poteſt. Et Imper. l. pen. C. de iur. dot. Dos & ab initio vxoris fuit, & naturaliter in eius permanet dominio. non enim quòd legum ſubtilitate trãſitus earũ in patrimoniũ mariti videatur fieri, ideo rei veritas deleta vel confuſa eſt. hæc ille. Quòd ſi in danda dote interueniſſet ſtipulatio, eã dirẽpto matrimonio redditũ iri, Ex ſtipulatu actio naſcebatur. quã ſolam Iuſtinianus illa ſublata ſupereſſe doti repetẽdæ voluit: ſiue ſtipulatio interueniſſet, ſiue nulla aut inutilis interueniſſet, vti patet ex l. vn. C. de rei vxor. act.

Actio reſciſſoria, eſt in rẽ actio, quã Prætor ei, cuius rem aduerſarius dum ex iuſta cauſſa abeſſet, vſucepit, reſciſſa pro imperio & pro nihilo habita vſucapione cõcedit: vt eam rem nihilominus quàm ſi vſucapta nõ eſſet, vẽdicet. vti docet Imp. §. 5. De actionib. vnde intelligitur, finẽ huic actioni non hunc eſſe propoſitum, vt vſucapionẽ reſcindat; ipſum enim prætorẽ id pro imperio cauſſa cognita facere: ſed vt res à poſſeſſore vẽdicetur. vti patet ex l. 21. & l. 22. D. ex quib. cau. maio.

Actio reſtitutoria dicitur, quæ in veterẽ debitorem, pro quo mulier interceſſerat, ea muliere liberata reſtituitur. l. quamuis. 8. §. 6. & 7. D. ad Velleian. l. 8. C. eod.

Actio reuocandæ donationi dicitur, qua vtitur is qui rem quãpiã donauit, aduerſus eũ cui donauit, ſi eũ ingratũ probauerit. Rẽ enim donatam per hanc actionem recuperat. l. vlt. C. de reuoc. donat. & §. 2. De donat.

Actio Seruiana eſt, per quã dominus prædij, eius rei quã ei colonus pro mercedibus oppignerauit, poſſeſſionẽ ab eo qui eam tenet, vindicat. nam, vt ait Papinianus in l. 66. D. de euict. etſi Seruiana in rem actio eſt, nudã tamen poſſeſſionem auocat.

Actio ſerui corrupti, cõpetit in eum cuius hortatu conſilióve ſeruus alienus fugerit, aut contumax aduerſus dominum factus eſt, aut luxurioſe viuere cœperit, aut denique quolibet modo deterior factus ſit. in qua actione earũ etiã rerũ, quas fugiendo ſeruus abſtulerit, æſtimatio deducitur. l. j. & paſſ. D. de ſer. corrupt.

Actio Sequeſtraria, eſt actio in perſonã, per quam is qui rem aliquam litigioſam apud ſequeſtrum depoſuit, eam impleta depoſitionis conditione ab ipſo repetit. vti patet ex l. 9. §. 2. D. de dolo malo. Pomp. l. ſi in Aſia. 12. D. depoſ. Cum ſequeſtre rectè agetur depoſiti ſequeſtraria actione. Vlpia. l. ſi quis. 9. §. 2. de dol. mal. Quoniam neque mandati, neque ſequeſtraria Seium conuenire potes, &c.

Actio ſubſidiaria dicitur ea, quæ contra magiſtratus inſtituta eſt, qui aut omnino à tutoribus vel curatoribus ſatiſdari nõ curauerunt, aut non idoneè paſſi ſunt caueri. §. ſciendum, De ſatiſdat. tut. l. j. & l. 4. D. de magiſt. cõuen. l. j. §. 7. D. de tut. & rat. diſt. nomen autẽ ex eo reperit. nam quemadmodũ Subſidiarij propriè dicebãtur Triarij, qui dum primus & ſecundus ordo pugnabant, vt ait Feſtus, ſubſidebãt: eodẽ modo primo loco tutores, tum eorũ fideiuſſores, poſtremò quaſi res ad Triarios pupillo redierit, magiſtratus conueniuntur.

Actio tributoria, eſt actio in perſonã, quæ in dominũ datur, quo ſciente vnà cũ ſeruo in mercede peculiari cõtractũ eſt, niſi res æquabiliter inter creditores partitus ſit: nimirum vt alia tributio fiat. l. j. & paſſ. D. de tribut. act.

Actio tutelæ & rationibus diſtrahendis eſt, quæ aduerſus tutorem in duplum datur, qui pupilli pecuniã intercepit, abſtulit, furatus eſt. l. tres tutores. 55. D. de adminiſt. tut. l. j. §. Rationibus. D. de tut. & ration. Diſtrahendis autẽ rationibus eodem modo dictum puto, vt Communi diuidundo, Finibus regundis, Familiæ erciſcundæ: pro ad diſtrahendas rationes, hoc eſt, ad ineundã ſubducẽdãmque acceptorũ expenſorúmque rationẽ: & quia quod alteri ab altero debetur, id quaſi cõiunctum & contractum eſt, ad cõiunctionem illã diſtrahendam, & dirimendam. Fabius lib. 7. c. 4. In tutelæ iudicio, inquit, ſolet quæri, an alia de re quàm de calculis cognoſci oporteat: an fides præſtari debeat tãtùm, non etiam conſilium & euentus.

Actio vectigalis, eſt actio in rẽ, qua vtitur is qui vectigalem fundum conduxit, aduerſus poſſeſſorem & eos à quibus eum fundum conduxit. l. j. D. ſi ager vectig. Vlpianus. l. 15. §. 13. D. de damn. infect. Si de vectigalibus ædibus non caueatur, decernendum eſt, vt eodem iure eſſet, quo foret is qui nõ cauerat, poſt quod decretum vectigali actione vti poterit.

Actio venditi, ſiue ex vendito, eſt actio in perſonam, per quam qui rẽ vendidit, precium, eiúſque poſt rei traditionẽ, quãuis precariã, vſuras, itémque ſumptus in rẽ factos, & quod inter contrahendum pactum ſit, poſtulat. vti docet Vlpian. l. 13. §. 17. D. de actio. empt.

Actio vi bonorum raptorum eſt, per quam ab eo qui rem eripuit, quadruplum intra annũ exigitur, in quo ſimplum ineſt, poſt annum, ſimplum duntaxat. ait Imperator, ſub tit. Vi bon. rapt. in principio.

Actio vtilis, vide Vtiles actiones.

Actor variè accipitur: quandoque pro eo qui cauſas in iudicio agit, & pro aduocato, Ciceroni Bruto. Et actori ſummo cauſſarũ magiſtro. & Horatio in arte:

—conſultus iuris, & actor
Cauſſarum mediocris.

l. j. C. ne liceat pot. Porrò loquẽdi vſu peritis recepto, Actorem eum dicimus qui quid iudicio petit. Vlpia. l. quæ omnia. 25. D. de procurat. Actorem vocat Paulus. l. purè. §. actoris. D. de do. ma. & me. excep. qui pecuniis exigendis præeſt: & pro ſeruo diſpenſatore ſumitur apud Scæuolã. l. Sticho. 40. §. 3. D. de ſtatuli. Actor quoque pro optimo ſeruo, qui negotiis domeſticis præeſt, accipitur, Vlpiano. l. legato. 37. D. de leg. j. Actor municipij, corporis, aut collegij is eſt, qui agit facítve quod communiter agi fierive oportet, quique municipium defendit, is actor, ſyndicus, & defenſor adpellatur Gaio. l. j. D. quod cuiuſque. Arcadio Chareſio. l. fi. §. deſenſores. D. de mun. & hono.

Actor publicus, ſeruum publicum ſignificat. C. Tacito. Mancipari ſingulos actori publico iubet. Actor in tribus iudiciis dicitur, qui primus ad iudicium prouocauit, Gaio. l. in tribus. 13. D. de iud. Actorem etiam adpellari conſtat, qui decreto prætoris conſtitutus pupilli negotia gerit, abſente vel valetudinario tutore, aliis ve ex cauſſis, Paulo. l. decreto. 24. D. de adminiſtr. tut. l. vnic. C. de acto. à tut. vel ad eorum cauſam agendam In iudicio. l. ſi actor. 10. C. de adpella. Qui ex cauſſa eſt cõſtitutus pro pupillo, rectè ab Alberico, & Pragmaticis Adiutor adpellatur. Sunt qui dicant actorem ad litium pupillarium adminiſtrationem tãtum inſtitui: cum tamen vbi diffuſa ſunt negotia, aut vbi tutoris ætas aut dignitas poſtulat, actor cõſtitui poſſit, atque ideo ad extra iudicialia extenditur, quod Paulus docet. d. l. decreto. & Impp. d. l. vnic. Eſt & actor qui à procuratore, ſiue in rem ſuam ſiue non, conſtitutus eſt. l. ſi actor. & l. ſeq. D. de procurat.

Actvm eſt, de ea re dici Ælius in Adelphis Terentij ſcribit, de qua iam lata ſit ſententia. Actus, verbi varia ſignificatio eſt. Actus enim dicitur id quod agitur. l. 21. in fi. D. de teſtamen. l. duos. D. de duob. reis. quo ſenſu etiã accipitur in l. actus. 77. D. de diuerſ. reg. quo loco Põponius & P. Decius explicãt q ſint actus legitimi.

Actus etiam eſt ius agendi vel iumentum, vel vehiculum, Inſtit. de ſeruit. præd. Vide Varronem. 4. de ling. Lati.

Actus, generale verbũ eſſe Vlpianus ſcribit. l. Labeo.

19.D.de verb.ſig. Actus etiam adminiſtrationem ſonat Scæuolæ.l.40.§.3.D.de ſtatu.li. Quæ autem ſit differentia itineris, actus, viæ, vide apud Duar.diſp.lib.j. cap.31.

Actus omnes in genera duo diſtribuere Impp.l.actus.C. de feriis, in publicos, & priuatos.

Actum adminiſtrare dixit Vlpianus.l.j.§.ſi ſeruus.D.ſi is qui teſt.lib.& Scæuola.l.vxorẽ.§.codicillis.D. de leg.3. & in Alexandri ad Vrbicum conſtitutione.l.j.C.ne quis lib.inuitus.lib.2.

Actũ agere, id eſt, rem adminiſtrare.l. Thais.41.§.ab hæredibus.D.de fideicom.lib.quod & actum gerere, dixit Vlpianus.l.notionem.99.in fi.D.de verb.ſign.l.vlt. in prin.D.de public.& vectig.

Actus, in agris ſpatium eſt, Senecæ lib.5. Epiſt.38. Horum quidã ſunt minimi, alij duplicati, alij quadrati, auctore Boëtio libr.2.Geomet. Actus minimus quatuor pedibus latitudine, & 120.longitudine protẽditur, Boët. Epiſt.38. Varroni li.4.lin.Lat. Sic accipiẽdus eſt Feſtus li.j. Duplicatus ducentos quadraginta pedes explicat, Boëtio. Quadratus ex omni latere.120.pedibus concluditur, eodem auctore, & Antonio Aug.lib.2. Emẽdat.c.vlt. Ab eo actu dicuntur.

Actvarii limites, de quibus Hygen.li.j.de limit.conſtit. Actuarius (inquit) limis, qui primus actus eſt, ab eo quintus quiſque, quẽ ſi numeres, à primo erit ſextus: quoniam quinque centurias ſex limites cludunt. Et paulò pòſt, Actuarij extra maximos latitudinem habent pedum.12.

Actvarivs de quo meminere Impp.l.actuarij.& l. pen.C.de erog.mil.anno.& l.actuarios.C.de num.& actua.& Nou.108. & alibi Græcis ὑπομνηματοφύλαξ, ὑπομνηματογράφος, eſt & alibi actorum ſcriptor, ſiue cuſtos, quíque ratiocinia pertractat. Horum quidã ærarij comitum.l.3.C.de diuerſi.offic. Alij palatinorum numerorum rationes tractant.d.l.actuarij. Alij præfecti Prætorio: Alij ſcholæ, de quibus d.Nou.108.

Actvariæ naues apud Marcellum.l.2.D.de capti.& poſtli.re. & Gellium libr.10.c.25. dicuntur, quæ remis aguntur non modò velis, Budæo.l.j.D.de exercit.& Baif.lib.de re naua.

Acvisse vinum dicitur & coacuiſſe, quod in acetum verſum eſt, Vlpiano.l.in venditionibus.9.D.de contrah.empt.l.j.D.de peric.& comm.rei vend.& Pomponio.l.nuper.85.D.de leg.j. Hinc ducitur Acor, vitiũ illud, Vlpiano.l.ſiquis.4.§.pen.D.de periculis & commodis rei vend.& ſæpe apud Columellam.

Acvs varia Feſto lib.j.ſignificat.apud Vlpianum eſt inſtrumentum quo crines diſtinguuntur ornatus gratia, atque ideo inter ornamẽta recẽſetur.l.argumẽto.25.§. ornamẽta muliebria.D.de aur.arg.leg.& vide Iſidorũ lib.29.c.30.Etym. Hinc Acicula capitis leg.j.C.Th.de repud.eodem ſenſu accipitur. Hinc illud Martial.

Figat acus tortas, ſuſtineátque comas.

A D

A.D. apud priſcos notæ erant, ante diem ſignificantes. Quod imperiti ſcriptores cum ignorarent, pro a.d. ſcripſerunt ad. Rectè igitur illud eſſe animaduertendum monuit Paul.Manut.quod vbi apud Cic. in impreſſis libris, legitur, Ad 4.Kalend.Ad 6.Id.Ad 3.Non. & ſimilia, in vetuſtioribus libris legi A. D.

AD, præpoſitio, locum, & perſonam ſonat, Feſto libro primo. Eandem intentionis notam eſſe ex Cæcilio docet Gellius Noct. Attic. libro 7.c.7. Proximitatem quandoque ſonat. Proculo.l.quidam.13.D.de ſeruit. Ad parietem, id eſt, iuxta parietem. Aliquando pro aduerſus, vel contra accipitur, vt apud Vlpianum.l. commiſſa.ibi ad hæredem.D.de publicanis, & vectig. Interdum ſignificat poſt, apud Iulianum.l.qui duos. 18.De manu.teſt. Sic apud Paulum in l.militis.36.D.de teſt.mil. vbi Accurſius id adnotat, licet Bartolus ibidẽ ſumi pro iuxta, cenſuerit: niſi dicatur ibi fortè pro ante ſumi, vt ſæpe apud Marcum Ciceronem. Conditionis quoque nota eſt.l.quibus.40.§.fi.D.de condition. & demõſtr. Tu rem expende: quia fuſiſſimum tractatum deſiderat. Nam Bart.& Bald.ibidem modum ſignificare aiunt, & ex recentioribus quidam.

Ad etiam ſonat Pro, Iauoleno.l.cui.12.D.de mun.& hono.& Scæuolæ.l.3.D.de vaca.& excuſ.mu.& Ciceroni Ver.5. Qui, inquit, ad ſtatuam pecuniam contulerũt. Aliquando etiam ſumitur pro vſque, apud Vlpianum. l.mariti.20.§.quinquennium.6.D.de adul. ad eum diẽ, id eſt, vſque ad eum. Ad, item impletionis, & abſolutionis nota eſt, apud Marcellum.l.non putabam.& ibi Bart.D.de condit.& demonſtr.

Ad agnatos & gentiles, prouerbium è iure ſumptum, cum aliquem mente captum eſſe ſignificamus. Vide Hotom.in Com.verb.iuris.& Bud.in l.diuus Marcus. D.de offic.præſid.

Ad, ſæpe pro apud ſumi liquet in libris Digeſto. in l.ſed ſi hoc.62.§.j.ibi ad eum ſubſideret.D.de cond.& demonſt.l.vxorem.§.ſorori.ibi, ad hæredes.D.de legat. 3.l.vnica in fi.D.apud eum à quo. Cicero ad Atti. Cùm, inquit, ad me bene mane Dionyſius fuit. Liuius lib.10. Cæterum non plus armorum ad hoſtes erat. Hanc quoque ſignificationem adnotauit Seruius in Donati grammaticen.

Ad beſtias dari bifariam accipitur, primò de iis qui iudicum pronuntiatione beſtiis obiiciebantur.l.quòd ad ſtatum.12.D.de pœnis.l.j.D.de veter. Secundò de iis qui operas ſuas locabant, vt cum beſtiis pugnarent.l.3. §.lege Iulia.D.de teſti.l.j.§.qui operas.D.ad S.C.Tertul. Hos beſtiarios in Sextiana adpellat M.Cicero.

Ad ferrum damnari dicebantur qui gladio plecti, quíque capite truncari debebant.l.eius.8.D.de teſta. Ferrum pro gladio ſæpe dixere M.Cicero & Virgilius, ídque tranſlatitiè, vt ait M.Fabius lib.8.c.6. Sic ad gladium dixit Paulus lib.5.Sent.tit.17.

Ad manum, pro in promptu, Africanus.l.tutor.19.§.cum haberes.D.ad Velleia. Vlpianus dixit, præ manu. Hinc apud Cicer.lib.3.de Orat. quem ſeruum ſibi habuit ille ad manum, nec idem eſt ſeruus ad manum, qui Amanuenſis. Amanuenſes enim ſerui ſunt à manu, qui excipiunt, & ſcribunt: Serui autẽ ad manum, qui præſto ſunt, & in promptu, aut parati. Hinc Liuius: Inde ad manum cantari hiſtrionibus cœptum. Heſychius Ad manum exponit, καὶ χεῖρα, ἕτοιμα αυχερῆ.

Ad Minicium, ad Plautium, ad Neratium, ad Q.Mutium, ad Sabinum, ad Vrſeium Ferocem. Et ferè notæ ſunt poſteriorum iuriſc.qui veterum ſcripta vel corrigunt, vel interpretantur. Varias huiuſmodi inſcriptiones reperies in libris Digeſtorũ, Viglio Inſtitu.de hæred. inſt.in princ.teſte.

Ad ſummam rem publicam dixit Vlpianus.l.j.§.ſi is qui nauem.D.de exercit.pro rei pub.vtilitate.

Ad Vrbem magiſtratus dicebantur qui cum poteſtate prouinciali, aut nuper è prouincia reuertiſſent, aut nondum in prouinciam profecti eſſent, ſed extra vrbem manerent. F.Hotoman.in 3.Verrinam.

Adactvm iuſiurandum dicebatur, id quod non vernaculum eſſet, ſed peregrinum, & aliunde aſcitum: vt ſi quis Chriſtianus Iudaico more iuret: vel quod non ſpontaneum, ſed adactum ſit: vel quod ſpontè ſuſceptum, nemine cogente, ſi Suidæ credimus, & Etymologico.

Adæqvatio, eſt æquabilis diuiſio hæreditatis inter fratres, ante quam diuiſionem leges vetabãt quicquã alienari, niſi poſt annos quadraginta: & ei qui ſe læſum contendebat, ſuccurrebatur. Lombard.libr.2.tit. 29. Sic tamen vt omni tempore ſortes ſtare debeant, & ad

& adæquatio percurrat. Item leg. Longobardorum tit.48.de quadraginta annis poſſ.frat.& Aleman.titul. 89.vlt.frat.poſt mort.pat. hinc libro feud.2.tit.58.§.3. Scilicet vt adæquatio percurrat vſque ad quadraginta annos.

Adæratio, æſtimatio in pecunia, quo verbo vtitur Iulianus Anteceſſor Nou.123.c.4. Græcis ἀπαργυρισμὸς, ἐξαργυρισμὸς, σύνοψις, ἀδαίρησις. Theod.& Valent. Nouel.de trib.fiſcal.vnius annonæ adæratio quatuor per annum ſolidis æſtimetur.

Adcreſcere dicitur alicui res, cùm ei qui etiam partem habet, accedit atque adiungitur, veluti cum inſula fundo adcreſcere dicitur, in l.inſula.56.& l.ergo.30. D.de adq.rerum dom. Vel cum portio alteri perſonæ vel rei accedit.l.ſi Titio.§.fi.D.de vſufruct.l.ſeruus.67. D.de acq.hæred.l.& Proculo.20.D.de leg.2.cum ſimilib.innumeris lib.Dig.& apud Imp.l.vnic.§.in his itaque.C.de cad.tol.Hinc Adcreſcendi ius apud Iuriſc. celebratur, cum hæreditatis reíve legatæ pars, quæ in quopiã de hæredibus legatariíſve deficit, alteri attribuitur.l.ſiue ex pluribus.9.D.de ſuis & legit. Vel quo portio deficientis alteri ipſo iure adcreſcit.d. l.vnic.§. in his itaque.l.j.in fi.l.3.l.8.l.xj.D.de vſufr.adcreſ. Huic quando locus ſit, diſces ex l.re coniuncti.D.de leg.3.& l.triplici.D.de verb.ſig.& vtrobique Alberic.Bart.Iaſ. Alciat.d.l.re coniuncti.Azo in Sum.C. de teſta. milit. & vide F.Ripam in d.l.re coniuncti. Ipſum autem ius adcreſcendi in emptorem non cadere, contra cõſentientem fere vocem omnium, ait Cuiac.obſ.lib.12.c.13.

Addicere propriè eſt dicere, & dicendo adprobare. Addicere etiam damnare eſt, Feſto lib. j. Significat & quid alicui adiudicare, & adtribuere.l.2.§.tutor.l.7.D. pro empto. Erat & ſolenne Prætoris verbum, è tribus ſummum, do, dico, addico, quæ faſtis diebus proferebat, id eſt, pronuntiando adiudicabat, dominiúmque transferebat, quod vel ſecundo decreto fit hodie. Verbum igitur proprium prætoris erat, rei dominium in aliquem transferentis: vt ex Verrinis Ciceronis, & Comœd. Plautiana in Pœnulo liquidò conſtat: *-ubi in ius uenerit,*

Addicet Prætor familiam totam tibi.

quod & Vlpianus in Epitome ſignificauit.§.in iure cedit. Varro lib.5.de ling.Lati. Tranſlatum deinde fuit ad eos qui auctionibus & pignorum diſtractionibus præſunt, vt ex l.à diuo Pio.§.3.& 6.D.de re iud. Vide Auguſt.lib.2.Emend.c.3. A quibus in eos qui rem, niſi precium inter diem certum augeatur, emptori attribuunt, poſteà deriuatum eſt. Hinc tit.libr.Pand.18. De in diem addictione. Itaque addicere hoc eſt quod Galli efferunt, *Deliurer au plus offrant.*

Addicere in diem Vlpiano.l.j.2.& 4.Pompon.l.15. Iuliano.l.17.Africano.l.18.Iauoleno.l.19.D. de in diem addictione eſt, niſi pretio conuento quid adiiciatur, meliórve conditio adferatur, intra præſtitutum diem emptori rem venditam adtribuere, Paulo.l.j.D.eo.

Addicere bona libertatis cauſa quando & quomodo dicebatur iudex, docet Impe.Inſtit.de eo cui libert.cauſ. bo.addic.quod tunc faciebat cùm nemine inteſtato ſucceſſore alicui adiudicabat, ne bona venirent, qui cauebat de ſolido iis quibus debebatur ſoluendo.l.4. §.addici.D.de fideicommi.li. Addici iudex dicebatur, qui à prætore datus erat, Papiniano.l.39.Paulo.l.46. Pomponio.l.80.D.de iudic.

Addicere dementem dicitur iudex, cùm agnatis eum, eiúſque bona adiudicat: qua formula loquendi Ciceco in Paradoxis tranſlatitiè vſus eſt. Ego verò (inquit, de Clodio amico ſuo ſentiens) te non ſtultum, vt ſæpe: non improbum vt ſemper, ſed dementem rationibus addicam neceſſariis.

Addicere litem in 12.Tabulis, eſt ſententiam ſecundum præſentem dicere, ex Gellio lib.17.c.2.

Addicti dicebantur, qui cùm iudicatum facere non poſſent, creditoribus adiudicabantur, Ciceroni in orat. pro Flac. idque ex lege 12.Tab.apud Gellium lib.20.c. j.quam explicui libr.4.veteris iuriſpru.l.60. iidem nexi, & Græcis ἀγώγιμοι dicebantur, id eſt, κατὰ δεδικασμένοι, Budæus Rub. de in diem ad. ideóque Addicti etiam dicuntur damnati ſupplicio vltimo.l.addictos.C. de epiſc.audien.

Addictus iudex, vide Additus.

Addictionis nomine apud M. Ciceronem in 2. Verrina poſſeſſionem ſignificari puta.

Addictio in diem, lex venditionis, qua ex pacto res inempta erat, ſi intra diem dictum melior conditio adferretur, tot.tit.D.de in diem addict. Eſt etiam. Addictio προςκαύρωσις, quæ penes eos eſt qui pluris licitati ſunt rerum ſubiectarum voci præconis collocationes. Exulare igitur hæc dictio debet è tit.de fide & iure haſtæ fiſc.& pro eo reſtituendum adiectionibus, vt alibi annotaui.

Additus iudex, id eſt datus actioni & appropriatus: ſicque legendum eſt ex Pand.Flor.in l.cum furioſus.l. iudex.l.ſi in iudiciis.D.de iudic.l.quod ſi Epheſi. D.de eo quod cert.loc.l.ſiqua.l. filij. C. famil. erciſc.l. debitor.§.vlt.D.ad Trebel.§.j.Inſt.de offic.iud.non aditus, vel addictus. Addebatur autem actioni iudex in hunc modum: L.Titius iudex eſto, Si paret Primum Secundo 100.ex teſtamento dare oportere, tum Primus dãnetur. idque ex Cicerone intelligi poteſt in 4.Act.in Verrem.

Adduci eſt moueri, & eſſe in aliqua ſententia, Marcello.l.quidam.10.§.is cui.D.de fideic.li.in quo ſignificatu apud M.Cic.notari poteſt ſæpiſſimè.

Adærare dicitur æſtimare, quaſi ad æris pretium redigere.l.15.C.de erog.mil.anno. lib.12.(ſic enim ibi, non adhærere legendum.)l.7.c.eo.

Adærata prædia, ære æſtimata, & ad æris pretium redacta.l.vnic.C.de colla.donat.

Adæratio, æſtimatio rerum in ære.l.vlt.C. de milit. veſti.

Ademptio legatorum quid ſit, vide apud Hotom.in Comm.verbor.iuris.

Adeo Feſto libr.j.duas habet ſignificationes: nam cùm prima acuta effertur, idem ſignificat quod accedo: & in hoc ſignificatu varius eius verbi vſus eſt: vide inferiùs paulò Adire. Cùm autem ſecunda acuitur, idẽ eſt, quod vſque eò, Feſto libr.j. quo ſignificatu accipitur apud Vlpianum.l. iuriſgentium.§. adeò. D. de pact.l. adeò.D.de iuriſdict. Accipitur pro nõ ſolum, vt l.nedum.§.ſi Titius.Inſtit.de rer.diuiſ.

Adeſſe, eſt aduocationem præbere, & poſtulare apud iudices.l.puto.6.D.de poſtul.l.j.§.aduocatos. D.de extraord.cognit.l.5.§.7.de iis quæ vt indig.& l.2.in fin.C. de aduoc.diuerſ.iudic. Dicitur & adeſſe litigator cauſæ ſuæ, quando iudicio ſiſtit.l.Paulus.69. D. de procura.l.ſi ſuſpecta.29.D.de inoffici teſta.

Adeſſe ea non videri, quæ caſu adſunt, rectè ex Pauli ſententia colligit Bart.l.quæſitum.78.§.fi.D.de leg.3.

Adeſſe, pro, præeſſe, quidam accipi exiſtimant in l.2.C.de ſtat.& imag.

Adeſſe nolle, S.C.verba, non vtique exiguunt vt latitet, ſed & ſi contemnat venire: hoc eſt non ſolùm latitãs, ſed & venire contemnens adeſſe nolle dicitur. l.ſi cũ. 28.§.j.D.de fideicom.lib.

Adfectare eſt pronum animum ad faciendum habere, Feſto lib.j. Adfectatas autem tutelas eas dici putat Ant.Aug.lib.ſing.ad Modeſti.quæ in numerum earum, propter quas quis excuſatur, non veniunt.

Adfines, in agris vicini dicuntur, Feſto libr.j.quo ſignificatu vſus eſt Paulus.l.pen. D.fin.regun. Adfines etiam ſunt, viri & vxoris cognati, dicti ab eo, quòd

duæ cognationes, quæ inter ſe diuerſæ ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Nomina eorum hæc ſunt, ſocer, ſocrus: gener, nurus: nouerca, vitricus: priuignus, priuigna. Hæc ex Modeſtino. l. 4. D. de gradib. adfinit. cuius ſentētiam probant Græci interpretes lib. 45. βασιλικῶν tit. 3. & Impp. l. nemini. C. de nupt.

Adfinitas eſt ciuile vinculum, ex nuptiis ſponſalibúſve deſcendens. Ciuile rectè adiectum eſt: legitimè enim contrahi non poteſt inter legibus vetitos. §. adfinitatis. Inſti. de nupt. Vinculum aptè dicimus: adfines enim iungi ſcribit Paulus. l. aut adfinitate. D. de procuratorib. Ex ſponſalibus optima ratione additur: nam & inter ſponſos adfinitatem eſſe Neratio placuit. l. quod Seruius. D. de condict. cauſ. da. Quod ciuile vinculum adpellamus, Azo in Sum. C. de nupt. regularitatem, Angel. Clauaſius in Summ. in verb. Matrimonium. 15. impedi. proximitatem vocarunt. Iulius Pol. li. 3. Onomaſtic. c. j. ita definit. συγγένεια, ἡ τὸ φύσει, νόμῳ δὲ προσγινόμενον. Quod συγγένειαν adpellat, id ἀγχιστείαν Theophilus in d. §. adfinitatis. & C. Harmenopulus lib. 4. tit. 6. Epitom. dixere. Adfinitas κατὰ χρηστικῶς in l. quod Seruius. D. de cond. cauſ. da. ſumitur pro quadam neceſſitudine, & l. non ideo. D. de hæred. inſtit.

Adfirmatores ita definire mihi viſus eſt Vlpianus. l. cum oſtendimus. §. fin. D. de fideiuſ. tuto. eos qui cum idoneos eſſe tutores adfirmauerint, fideiuſſorum vicem ſuſtinent. Hos pragmatici Galli Certificatores vocant.

Adgnati, verbo vſa eſt lex XII. Tabularum, vt ex l. j. D. de leg. tut. Vlpiano in Epitome tit. 26. & alibi ſæpè conſtat. Eam explicui lib. 4. Vet. Iuriſpr. l. 27. & 34. Adgnatos autem definit Gaius. l. ſunt autem. 7. D. de legit. hæred. his verbis; Sūt autem agnati, qui per virilis ſexus perſonas cognatione iuncti ſunt, quaſi à patre cognati, veluti frater eodem patre natus, fratris filius, nepósve ex eo, & patrui filius, nepósve ex eo. Cuius verba in libr. 2. Inſtitutionum, quæ circunferuntur, titu. 8. immutata ſunt, quod ab Ammiano ex præceptione Alarici Gothorum Regis factū putem. Agnatorum contractior definitio ab Vlpiano traditur eodem pertinens, in hæc verba. l. 2. D. de ſuis & legit. hæred. Adgnati ſunt cognati virilis ſexus, ab eodem orti. Quod ait Vlpianus, ab eodem, per mares accipiendum idem ſcribit, titu. 26. in princ. in Epitome: quod & Gaius ſentit vbi ſuprà. Porro adgnati, & cognati hoc diſſidere Paulus ſcribit. l. 10. §. j. D. de gradib. & lib. 4. ſentent. tit. 8. quòd cognati, generale nomen eſt, adgnati ſpeciale. Nam qui adgnatus eſt, & cognatus eſt: non vtique autem qui cognatus eſt, & adgnatus eſt. Alterum enim ciuile, alterum naturale nomen eſt. Verbi gratia, patris frater, id eſt patruus, adgnatus eſt, & cognatus: matris autem frater, id eſt auunculus, cognatus eſt, adgnatus non eſt. l. 5. D. vnde legit. Vide cognati & cognationis nomen.

Adgnatum pro furioſi curatore accipi apud Vlpianum. l. nam & ſi. 10. D. de alien. iud. mu. & Gordianum Imp. l. 2. C. de curat. fur. quidam putant. ſed vtrobique per eclipſim ſupprimi vocem Curator, verius eſt, quæ ab aliis Iuriſcoſſ. addi ſolet, vt videri poteſt in l. 3. §. quia autem. D. de tutel. l. ſeruus. 13. de manumiſſ. l. ſi filia. 65. D. de ſolut.

Adgnatio eſt ipſa per mares conſanguinitas & coniunctio, vt ex ſuperioribus liquidò conſtat. Accipitur & pro ipſa natiuitate, vt cùm dicit Antoninus poſthumi agnatione teſtamentum rumpi. l. j. de poſthu. hæredi. inſti. C. l. 13. D. de iniuſt. rupt.

Adgnaſci eſt adgnatum fieri. l. qui in adoptionem. D. de adopt. Propriè de filiis & ſuis hæredibus dicitur. Adgnaſci dicuntur filij qui poſt teſtamentum & in poteſtate naſcuntur. l. 3. l. 6. §. j. D. de iniuſt. rupt. teſt. l. ſi filiusfa. D. de teſta. milit. Adgnaſci, & ſuccedere diſſimilia eſſe conſtat. ex l. ſi quis. §. j. D. de iniuſt. rupt. teſt. Adgnaſcitur qui ſuus naſcitur, & quem nemo præcedit: ſuccedit inteſtatò, cui ante eum alij eſt delata hæreditas. Adgnatio igitur eſt ſuorum. l. j. l. 8. l. poſthumorum. D. de iniuſt. rupt. teſta. l. ex facto. D. de vulg. & pupilla. l. pen. D. de iur. codicil. Adgnata etiam dicuntur ea, quæ ex mancipiis, vel pecoribus naſcuntur, vel gregi, vel ſeruitio accedunt. l. Paulus. §. j. D. de pigno. l. vxorem. §. ſorori. D. de leg. 3. l. eum qui. §. non ſolùm. D. de furt. Hinc agnum, pecori ouillo adgnatū dictum putat Varro. lib. 4. de ling. Lat.

Adgnoſcere, præter vulgarem ſignificatum, eſt admittere, recipere, teneri, præſtare. Hinc

Adgnoſcere onera apud Vlpianum. §. j. D. de vſufr. eſt de oneribus teneri: eáque præſtare. Agnoſcere vſurarum onus Paulus dixit. l. quæro. D. loca. pro, vſuras in ſe recipere, & earum nomine teneri, & periculū agnoſcere. apud Papinianum. l. quid ergo. 13. D. ad municip. eſt de periculo teneri. Sic vectigal agnoſcere Vlpianus dixit. l. 2. §. ſequitur. D. de hæredi. vel actio. vendi. hoc eſt in ſe recipere, & præſtare, & alibi, Agnoſcere hæreditatem, bonorúmve poſſeſſionem paſſim in lib. Digeſtorum legitur, pro admittere, & acceptare. Sic & adgnoſcere bona eodem ſenſu. l. recuſare. 6. §. 2. D. ad Trebel.

Adgnoſcere bonam fidem Vlpianus. l. quoties. 9. §. denique. D. de admi. tut. pro bona fide iuſtam litem inſtituere, & in bona fide verſari, dixit.

Adgnoſcere iudicium defuncti, pro comprobare voluntatem, eíque parere dictum eſt. l. Papinianus. §. ſi conditioni. D. de inoff. teſt.

Adgnoſcere legatū Modeſtino. l. nihil. 12. D. eod. eſt illud accipere, probando defuncti iudicium.

Adgnoſcere tutelam dicitur, qui adminiſtrationem ſuſcipit, pupillíque negotia gerit, ſiue etiam conſenſit, ſiue adtigit. l. ſi filiusfamilias. D. de tutel. Agnoſcere videtur, & qui conuentus excipit, vel aliàs voluntatem ſuā oſtendit. l. 45. D. de fid. lib.

Adgnoſcimus liberos, quos vt filios noſtros admittimus. l. j. & tot. tit. de agnoſcen. lib.

Adgniti natales in Senatuſconſulto intelliguntur de ingenuis. l. 3. D. ſi ingen. eſſe dic.

Adgreſſura eſt prædonum, latronumve impetus, id eſt, graſſura, Alexādro Imp. qui eam caſibus fortuitis connumerat. l. quæ fortuitis. C. de pigno. & Philippo A. l. damnum. C. loca. & Vlpiano. l. 3. §. 3. D. de S.C. Silan. eodem verbo vſus eſt & Apuleius li. 7. Aſini aur.

Adgreſſores dicuntur prædones Vlpiano. l. quo naufragium. §. non tantùm. D. de incend. ruin. & nauf. & l. ſi ſcienti. D. de leg. Pomp. de parricid.

Adgreſſus, prædonum impetus, inſultus, rapina, & prædatio, adgreſſura, eidem Vlpiano. l. ex facto. 17. §. ſi quis autem. D. ad S.C. Treb.

Adhibere ad actum aliquem, ſiue in ius vocare, Vlpiano. l. nam ita diuus. D. de adopt. quo ſenſu vtitur ſæpe M. Cicero.

Adhibere ad ſatiſdandum, eſt fideiuſſorem dare, Paulo. l. de die. §. j. D. qui ſatiſd. cog.

Adhibere moram, Pomp. D. l. 18. tit. 6. l. 17. pro morari, moras trahere ac differre.

Adhibere, reiterare interpretatus eſt Damaſus pontifex. c. per illicitam. j. q. 7. atque ita accipi debet in c. ventum. j. q. j.

Adhibere etiam teſtes dicitur qui adſumit, admittitve, apud Arcadium. l. j. §. j. D. de teſtibus. quod Græci dicunt, παραλαμβάνειν vt in Euang. Matth. 18. παράλαβε μετὰ σοῦ ἔτι ἕνα, ἢ δύο, ἵνα ἐπὶ ςόματος δύο μαρτύρων, &c.

Adhibe

Adhibere poſtulantem, eſt aduocatum cauſſæ ſuæ præficere, Vlpiano, l. obſeruare. 9. §. 4. D. de offic. proconſ.

ADIACENTIA, quæ alicui rei immobili, putà fundo domuíve cohærent, quales ſunt horti, & ſimilia. Horũ exemplum eſt in conſtitutione Conſtantini, l. 2. C. de bon. vac. lib. 10.

ADIGERE Feſto lib. j. eſt dare, cogere.

Adigere arbitrium Ciceroni in Topic. offic. 3. & pro Roſcio, eiuſdem acceptionis, qua & illa formula, agere ad arbitrium, id eſt, cogi ad arbitrum venire: id eſt agere in iudicium, vel ad iudicium.

Adigere iureiurando, ſiue ad iuſiurandum, vt Vlpian. dixit, in §. fi. l. adoptiuum. de in ius voc. dicitur is, qui cõceptis verbis alium iurare coegit: hoc eſt, qui verbis arbitrio ſuo dictatis, iureiurando eum aſtringit, quod nonnulli, Budæo teſte, Adiurare dicunt. Qui autem ſic aſtrictus eſt, dicitur iureiurando adactus in verba eius qui adegit. Verba Vlpiani ſic habent: Sed ſi ad iuſiurandum adegi, ne vxorem ducat, ne nubat, impunè in ius vocabor.

Adigi in verba dicuntur qui in fidem principis adſumuntur, Plinio in Panegyric. Budæo in l. iuſiurandum. D. de iureiur.

ADIICERE iudicium quid ſit, vide apud Hoto. in Com. verb. iuris. Adiicere autem alibi eſt augmentum facere, & meliorem conditionem adferre, veluti auctariũ adiicere, vel etiam paciſci de adminiculis & acceſſionibus, & (vt Iuſtinianus ait) pediſequis emptionis. Venuleio, l. fi. D. de adimen. leg. quo ſenſu accipitur apud Paulum, l. neceſſe. 7. D. de in diem addict.

Adiici etiam dicitur hæres, qui cohæres datur, Gaio, l. ei qui. 88. D. de hære. inſtit. l. 32. de vulg. Hinc.

Adiectus cohæres dicitur apud Venuleium, l. ſi hæres. D. famil. erciſ. Papinianum, l. 7. D. de vulg.

Adiectus etiam is eſt, qui ſolutionis gratia adiici plerumque ſolet, l. ſi ita. 59. D. de ſolut. Hic à vero procuratore diſſidet, Vlpiano, l. vero. 11. D. eo. De hoc l. cũ quis. & l. ſi ſeruus. §. ſi ita. & vtrobiq; Alcia. D. de verb. obli.

Adiectio, pretij additamentum, id eſt, quum quis rei venditæ intra præſtitutam diem precium vel pecunia, vel qua alia ratione adauget, l. 10. l. 11. §. fi. D. de in diem addict. l. ſi quis. 41. D. de rei vendicatione. quæ vſurpatur non ſolum in priuatis venditionibus, ſed & publicis, quæ fiunt ſub haſta, aliiſque ſolennibus adhibitis. Hanc Galli adpellãt *Enchere*, id eſt, pretij rei ſub haſta vendendæ & addicẽdæ augmentũ. Huius exempla habes apud Paulum, l. fi. D. de iu. fiſci. eundem l. Lucius. 21. D. ad municip. & in Antonini conſtit. l. 1. de vend. reb. ciuit. lib. 11. C. Hinc tit. Cod. lib. 10. De fide & iure haſtæ fiſcalis, & de adiectionibus. ſic enim eo in in loco legendum vet. lib. rem firmant Græci Adiectiones ὑπὲρ θεματισμοὺς vocant.

Adiectio acquiſitionem pleríſque ſignificat, citántque l. 3. D. de vſurp. & vſuca. quo loco, non adiectio, vt in vulg. codicibus, & P. Florenti. ſed adeptio, legendum docet Vlpianus in Epitome tit. 19.

Adiectiones ſunt modi, ſiue excogitata, quibus ad ciuitatem Romanam perueniebatur, §. fi. Inſtit. de ſucceſſ. libert. Alciat. lib. 1. Parerg. παρέργ. cap. 16.

ADIMENDI verba, & modos vide in tract. de adim. leg. & Hotom. in Comm. verb. iuris, vbi explicat quid ſit ademptio legator. Quando lex adimit libertatem, pro non ſcripta habenda eſt, Terentio Clementi, l. vnic. D. de adempt. libert.

ADIPISCI iudicium, ſiue ius, quod & ius obtinere dicitur.

ADIRE hæreditatem & pro hærede, id eſt, pro domino, eſt ipſam hereditatẽ ſubire, §. fi. Inſtit. de hæred. qualit. & differ. l. ſi nemo. D. de diuerſis reg. iur. antiq. Adire bona, idem ferè, l. j. C. de teſta. milit. Adeunt autem extranei, immiſcent ſe ſui, & neceſſarij. d. §. fin. & §. extraneis. Inſti. illo tit. de hæred. qual. & differ. Porrò & qui adit, & qui ſe miſcet, obligatur, l. 3. in fin. & l. 4. D. quib. ex cauſ. in poſ. eat.

Adire hæreditatem, & bonorum poſſeſſionem petere Paul. æquiparat, l. is qui. de leg. præſtan. tametſi Aditio hæreditatis, quia illi è ciuili iure origo, perpetua eſt, l. licet. C. de iure delib. Bonorum verò poſſeſſio, quia à prætore cauſam habet, temporaria eſt: nam prætoris officium anguſtiore clauditur tempore. Hinc filius ſine patris iuſſu poteſt agnoſcere bonorum poſſeſſionem: adire autem hæreditatem non poteſt, niſi ſcrutata patris voluntate, quum facilè peti poſſit, non excluſa ſpacio temporis. Hæc eſt germana ratio diuerſitatis inter aditionem hæreditatis, & bonorum poſſeſſionem, quam Pyrrho Anglebermæo debemus, qui veritus non eſt ab Accurſio & Bartolo diſcedere.

ADIVDICARE, & Abiudicare contraria ſunt, Ciceroni contra Rullum. Volet eſſe popularis, pop. Rom. adiudicabit, non ſumet ſibi tantum, non appetet: iudicabit Alexandriam regis eſſe, à pop. Rom. abiudicabit.

Adiudicare, eſt rei dominium alicui iudicio ſuo adtribuere, l. liberto. §. Lucius. D. de annuis leg. id quod in actionibus mixtam cauſam habẽtibus iudicibus permittitur, §. ſi familiæ. Inſtit. de offic. iud. l. ſi idem. D. de iuriſdict.

Adiudicare cauſſam alicui dicitur qui ſecundum aliquem iudicat, Cicero lib. 2. de Orato. Vt is, inquit, qui nobis cauſſam adiudicaturus ſit, &c.

ADIVTOR tutelæ dicitur, qui prætorem permittit tutoribus conſtituere, qui adminiſtrationi tutelæ non ſufficiunt, l. ſolet. D. de tutel.

Adiutor Cornulariorum vacationem munerum grauiũ habet, l. vlt. D. de iure immunit. Cornularij qui ſint, vide infrà ſuo loco. Erant & Quæſtoris, quam addidit Pet. Lithæus, ad fin. Nouel. Iuliani.

Adiutores Notitia Romani imperij numerat inter officia præfecti vrbi: de quibus l. per hãc. C. de adu. diu. iu.

ADIVTORES Quæſtoris, βοηθοὶ, ἤτοι σκρινιάριοι, de quibus Nou. 26. miniſtri quæſtoris, quos ſibi ex ſcriniis memoriæ, libellorũ & epiſtolarũ eligit propoſitis ſacroſanctis Euangeliis. Officium Quæſtoris dicuntur Nou. 120. Nouel. 24. ca. 6. τάξις κοιαίστορος in inſcriptione Græca Nou. 80. περὶ κοιαίστωρος. Vide Nou. integram de adiutoribus.

Adiutrix legio prima Impp, l. fi. C. de adparit. p̃fe. præto.

Adiuuæ qui erant, diſces ex Notitia Imperij Roma.

Adlecti dicebãtur apud Romanos, qui propter inopiam ex equeſtri ordine in ſenatorum ſunt numerum adſumpti, Feſto lib. 1. nam patres dicũtur qui ſunt patritij generis: Conſcripti, qui in ſenatu ſunt ſcriptis adnotati. Adlectos etiam dici putat Varro, lib. 5. de Ling. Lat. qui in collegarum locum ſuppoſiti ſunt.

Adminiculũ, ſine quo res non ſubſiſtit, l. j. §. j. ſi vſusfr. pet. l. inſtrumenta. C. de probat.

Adminiſtrare dicitur, qui quid alij reſtituit, l. ſi pars. 10. in fi. D. de inoffic. teſta. l. 3. C. ad leg. Falc. Hinc,

Adminiſtratores ciuitatis, curatores dicuntur, l. præſes. C. de tranſact. per l. 3. D. de admi. rer. ad ciuit. pertin. Hi ſunt qui ciuitatis negotia gerunt, & adminiſtrant: quorum officium explicatur, D. de admi. rer. ad ciuit. & C. eo. tit. lib. 11.

ADMITTERE, eſt miſſum in poſſeſſionem recipere, Vlpiano, l. 3. in princ. D. ne vis fi. ei. eidem in l. is cui. 5 §. miſſus, D. vt in poſ. leg.

Admittere bonorũ poſſeſſionem, eſt ipſam agnoſcere, & recipere, in Impp. conſtitut. l. quoniã. C. de iure delib.

Admittere ſcelus dicitur, qui id perpetrat, & committit, in diuorum Marci, & Commodi reſcripto. l. diuus. D. de offic. præſid. M. Cicero pro Rabirio: Rabirius,

inquit,fraudem capitalem admiſit. Vlpianus in l.j.in prin.D.de offic.præf.vrbi.Vnde Admiſſum pro ſcelere paſſim in Pandectis legitur,vt apud Vlpian.l.j. §.fi. D.de ſuſp.tut.

Admittere præter notas acceptiones, eſt marem fœminæ,aut mari fœminam admouere ad initum,apud Vlpian.in l.ſi quis vxori.§.ſi quis.D.de furt.

ADMISSIONVM officium ſub diſpoſitione Magiſtri Officiorum ponitur in Notitia Imperij Romani: de quo eſt tex.in l.2.de priuil.eo.qui in ſac.palat. mil.lib. 12.C.Inde Admiſſionum magiſtri, l.j. c. 75. qui à præb. tyr.& admiſſionum proximi, apud Marcellinum, lib. 2.Vide Proximi ſacrorum ſcri.Hinc,

Admiſſionales dici cœpti ſunt,qui admittẽdis,ſiue introducendis ad Imp.hominibus præerant,Græcis, προεστῶτες τοῖς δεομένοις τιμὴν ἔχοντες.l.2.de diuerſ.offi.lib.12. C. Lamprid.in Alex.Salutabatur verò quaſi vnus de Senatoribus,patente velo,admiſſionalibus remotis: aut iis ſolis,qui miniſtri ad fores fuerant.Vnde Admiſſionum magiſter qui admiſſionibus præerat: huius meminit Vopiſcus in Aureliano.

Admiſſarius dicitur,ad initum electus, Columellæ lib.6. cap.17.&

Admiſſura,cuius commeminit itidem Columella eodem cap.Nec (inquit) admiſſuræ tempora ſeruantur.

ADMONERE, verbum notæ ſignificationis eſt: plerũque caſtigare & corripere, & percutere ſonat. Corripere quidem ſignificat in Imp. Commodi cõſtitutione apud Modeſtinum,l.alimenta. §.j.D.de agnoſ.lib. iuncta l.j. D.de iur.patro. Telo admonere Vergilius lib.10.& flagello Columella lib.2. cap.2. dixere: quod & Nonius adnotauit.Hoc ita Græci exprimũt νουθετεῖν, vt apud Platonem in lib. νόμων, νουθετεῖν πληγαῖς.Hinc,

Admonitio fuſtium Calliſtrato, l.veluti.D.de pœn.Græcis νουθέτημα. Tu vide quæ de hoc ſcripta reliquerit, I. Pollux,lib.9.Onomaſtic.

ADMOVERE probationi,apud Vlpianum,l.j.in princ. D.de quæſti.eſt reum argumentis compellere, vt pene conuictus videatur.

ADNEPOS,adneptis,abnepotis abneptiſve filius, filia: pronepotis, vel proneptis,nepos,neptis, l.j. §.quinto gradu.D.de grad.& ſæpe alibi.

AD NOMEN reſpondere,eſt comparere ac præſto eſſe, cùm nomen recitatur, Liuius lib.ſeptimo ab vrbe condit.Acerbitas in delectu non damno modò ciuiũ, ſed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæſis, qui ad nomina non reſpondiſſent, partim in vincula ductis,inuiſa erat.

ADNOTARE aliquando accipitur pro reprehendere, vt apud Paulum,l.debitor.82.§.ſeruo.D.de leg.2.

Adnotare præſes dicitur,cum aliquem deportandum putat,& principi nomen eius ſcribit vt deportetur, Vlpiano,l.inter.6.§.j.D.de interdic.& rele.& alibi ſæpe.

Adnotare inſulas,pro adſignare dicit l.j.§.2.D.de leg.3.

Adnotare dicitur abſentem,quem in reos recipit requirendum, vt docent Marcianus,& Macer, l.j.& 2.D.de req.reis. Hinc,

Adnotatio,illa in reos relatio,l.4.D.eo.tit.Eſt &

Adnotatio,principis ad preces reſcriptum, idque ex Valentiniani Imp.Nouella edocemur,tit.de homicid.caſu fact.verſ.merito ergo.Adnotationis,hoc ſenſu,frequens mẽtio eſt in Codice Iuſtiniano, in l.non aliter. 9.C.de pala.ſacr. larg.lib.12. Sic autem eam definit Theodorus: παρασημείωσις ἐστὶν ἡ τὰ κυριώτερα τῶν λαλουμένων περιλαμβάνουσα καὶ γράφουσα ταῦτα ὡς ἐν συνόψει, καὶ δι' ὀλίγων ὁποῖα εἰδομεν ὄντα παλαιὰ βασιλικὰ σημειώματα.

Adnotatus cenſibus,adſcriptitius, in cenſum ſcriptus, l. quiſquis.C.de epiſc.& cleric.

ADNVTIVVM,vet.gloſ.καταμοτικόν,pro affirmatione ſumitur.Cui opponitur, Abnutiuum,de quo ſuo loco.

ADOLESCO, à verbo Græco ἀδολέσχω veniens Feſto, li 1.eſt ętate progredi,& creſcere Nonio,quo ſenſu vſus eſt Vlpianus, l.3.§.ſi duo impuberes. de Carbonia. edic.D.

ADOLESCENS dicitur,qui pubertatem egreſſus eſt, l. Aurelio.§.j. D.de lib.leg. Adoleſcens ſæpe legitur in Pand.Floren.

Adoleſcentes, qui moribus & ſolertia præditi ſunt, tametſi legitimam ætatem nondum expleuerint, anno tamen vigeſimo poſſunt impetrare veniam adminiſtrandarum rerum,l.2.in princ.C.de his qui ven.ætat. impet.Alioqui prætor opem pollicetur eis,ceu minoribus annis 25. Et ideo in hanc vſque ætatem adoleſcentes curatorum auxilio reguntur: nec antè rei ſuæ adminiſtratio eis committi debebit, quanquam bene rem ſuam gubernantibus, teſte Vlp.l.j.de minoribus.

Adoleſcentiam,quæ pubertas eſt, Iuriſconſultis placuit à quartodecimo anno ſumere initium,vigeſimoquinto perfici.l.non aliter.§.j.D.de leg.3.cum ſimil. nam ante decimumquartum pupillus appellatur.

ADOPTARE eſt in filium alienum ſibi adſciſcere.hoc Ariſtoteles lib.2. πολιτικῶν dixit, θέσθαι παῖδα, vbi loquitur de legibus quibuſdam, quas Thebanis Philolaus Corinthius ſcripſerat de liberis adoptandis, qui etiã propterea νόμους θετικοὺς vocat,& ipſius inſtitutum περὶ παίδων ποιΐας: hinc etiam ποιεῖσθαι παῖδα pro eodem ſcribitur.Sed & ad alios pertinet,qui adſciſcuntur: vnde adoptare adminiſtros dixit Varro lib.4.de ling.Lat.

Adoptãtur filij familiarum:adrogantur qui ſui iuris ſunt, Modeſtin.l.j.de adopt.D.Gellio lib.5.cap.19. Adſerere prolem autem Papinius dixit pro adoptare.

Adoptio ita à Theophilo definitur, Inſtit.de adoptio.in princ. νομίμη πρᾶξις μιμουμένη τὴν φύσιν, πρὸς παίδων παραμυθίαν ἐπινενοημένη. quæ verba ita vertimus: Eſt actus legitimus naturam imitans, ad liberorum ſolatiuum inductus. Rectè adiecit, μιμουμένη τὴν φύσιν. Nam, vt ait Iauolenus, l.adoptio.16.D.de adoptio. in his perſonis locum habet in quibus natura locum poteſt habere. Definitio autem hæc ſumpta videri poteſt ex §.minorem.Inſtit.& l.actus.D.de regul.iur.

Adoptionis origo antiquiſſima eſt. Non ſolùm enim apud veteres Romanos in vſu erat, vt ex A.Gellio lib. 1.cap.19.liquidò cõſtat,ſed & apud Græcos,vt ex Plutarcho in Theſeo liquet,quo loco Theſeum ab Ægeo in filium acceptum refert. Quam rem, inquit, Athenienſes θέσιν adpellabant. Apud Iudæos etiam in vſu eam fuiſſe proditum eſt. Adoptionis cauſſam eſſe tradunt Impp.in 3.l.C.de adoptionib.liberorum orbitatem,id eſt,(inquiunt) quòd liberos non haberes.

Adoptio (inquit Gaius li.j.Inſti.tit.5.) naturæ ſimillima eſt. Adoptionis nomen eſt quidem generale, in duas autẽ ſpecies diuiditur, quarũ altera adoptio ſimpliciter dicitur, altera adrogatio. Adoptio autem generalis duobus modis fit, aut Principis auctoritate, aut magiſtratus imperio. Principis auctoritate adoptamus eos, qui ſui iuris ſunt, quæ ſpecies adoptionis dicitur Adrogatio: quia & is qui adoptat, rogatur, id eſt, interrogatur, an velit eum, quem adoptaturus ſit, iuſtum ſibi filium eſſe: & is qui adoptatur, rogatur an id fieri patietur, Imperio magiſtratus adoptamus eos, qui in poteſtate parẽtis ſunt, ſiue primũ gradũ liberorum obtineãt, qualis eſt filius, filia: ſiue inferiorẽ, qualis eſt nepos, neptis, pronepos, proneptis, Gaius, l.2. de adopt.l. 2. Sũt tamẽ qui velint has duas adoptionũ ſpecies, aut per prætorẽ fieri, aut per populũ: adrogationẽ quidẽ per populũ, cũ populus rogabatur, adoptionẽ per prętorẽ. Vide Hot.in Cõ.verb.iuris: tũ & rogationis, quæ in adrogatione fiebat formulã, vide apud Gel.li.5.c.19.

Adoptionis ſolennitas hodie apud nos abolita eſt. Nec quenquam mouere debet, quòd imaginem quandam adoptionis

adoptionis obſeruamus in iis, quos loco filiorum alimus, atque etiam affectu quodam proſequimur, & filios appellamus. Nam Romani quoq; idem faciebant, non tamen ea reputabatur ſolennis adoptio, vt apparet ex l. quidam cùm filium. D. de verb. oblig.

Adoptator, is, vtitur Vlp. D. lib. 37. tit. 9. l. j.

ADORARE antiquis ſignificabat agere, vnde & legati adoratores dicuntur: quia mandata populi agebant, Feſtus lib. j. &

Adorare principem, eiúſve purpuram, eſt venerari, ſalutare, ad principis genua accidere, & genua flectere, id eſt manu labris adiũcta, & tacta deinde purpura principis, vel genu complexo, l. vnica de Comit. & Trib. ſchol. lib. 12. C. l. fi. qui milit. poſ. eo. lib. l. ſancimus. 4. de conſulib. eo. lib. Ammian. lib. 21. Sic adorare principis æternitatem, l. 2. de fabric. lib. 11. C. quo ſenſu accipitur προσκυνεῖν Græcis: vt Geneſ. ca. 33. καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὴν γῆν ἑπτάκις. Quod autem adorare, pro venerari accipitur, liquet ex l. j. C. de apparit. præfect. vrbis. Adorare verbum vetus in XII. Tab. SI FVRTO ADORAT, nec manifeſtum erit, Feſtus lib. 12.

ADPLVMBATVM adpellatur quod plumbo iunctum, connexúmque eſt, l. fundi, 17. §. caſtella. D. de act. emp. l. 2. C. de ſepul. viol. Huic contrarium eſt replumbatũ, vt diſces ex Paulo, l. pediculis. 32. §. j. D. de aur. argentóque leg. l. cum aurum. in fin. princ. D. eo. Adplumbatura autem à ferruminatione hóc differt, quia ferruminatio per eandem materiam facit confuſionem: illa non idem efficit, ſed coniungit & connectit tantũ, Paul. 23. §. 4. D. de rei vend.

ADPROMISSOR dicitur, idem qui & fideiuſſor, qui ſcilicet pro alio promittit, Pomponio, l. ſtipulationũ. 5. §. ſatis acceptio. D. de verb. oblig. Vlpiano, l. ſi verò. 64. §. ad princ. D. ſol. mat. l. in omnibus. D. de ſol. Feſto lib. j. Quem ideo dictum putat Alciatus lib. j. Parerg. c. 2. quòd alienæ promiſſioni accedat: ídque ex legibus ſuperiùs adductis liquet. Notandum autem adpromiſſorem, ſeu fideiuſſorem verbis tantum & ſtipulatione obligari, l. blanditus, C. de fideiuſ. nam inter abſentes per epiſtolam aut nuntium ea obligatio non rectè contrahitur, l. j. D. de verb. oblig.

Adpromittẽdi verbo vſus eſt M. Cicero pro Roſc. Amerino, & alibi ſæpe.

AD RESPONSVM, Græcè ἀποκρισιάριοι dicebantur, qui vice magiſtri militum præſentalium reſponſa militibus dabant, & quaſi ab eo præſcripta edebant: vt in Nouell. de præt. Lycan. ἐχέτω γε μὴν καὶ ad reſponſum, ἤτοι ἀποκρισιαρίους πρὸς τὴν στρατιωτικὴν διοικησίαν. Item Nouell. ſeq. de præt. Thrac. 26. & de moder. helenop. 28. Item l. vl. C. de re milit. Et Scrinium auri Ad reſponſum, l. ſcriniis, 7. C. de palat. ſacr. ſcrin.

ADROGATIO, vide Adoptio. & Cuiac. obſer. l. 9. c. 37.

ADSCRIBERE ſibi in teſtamento, eſt ſua manu, eiúſve in cuius eſt poteſtate aliquid, in rem ſuam teſtamento, vel codicillis ſcribere, l. Diuus. 15. D. de falſ. l. 2. C. de iis qui ſibi in teſta. & in rubric.

Adſcripti (Feſto auctore) dicebantur qui in colonias nomina dediſſent, vt eſſent coloni.

Adſcribi in ciuitatem, fieri ciuis, apud M. Ciceronem pro Archia Poëta: Adſcribi in eam ciuitatem voluit.

Adſcriptus ſeruus, adſignatus dicitur, l. quæro. 54. §. Paulus. D. loca. ídque per l. debitor. D. de pigno.

ADSCRIPTITII veluti quidam ſcripti dicebantur, qui ſupplendis legionibus adſcribebantur: hos & ad cenſos dicebãt, quòd ad legionum cenſum eſſent adſcripti, auctore eodem Feſto, lib. j. varia adſcriptitiorum genera recenſenti.

Adſcriptitij apud Impp. ſunt cenſibus adſcripti, addicti, & adſignati, ita vt inde ſe mouere non poſſint, l. colonos. de agri. & cenſit. lib. 11. C. l. 2. C. in quib. cauſ. colo. eo. lib. l. quicunque. 10. de re milit. lib. 12. C. l. ſi quis. 20. C. de epiſcop. & cleric. Hos ἐναπογράφους Iuſtinianus Nouell. 22. Horum conditio dicitur adſcriptitia, l. fin. C. de tranſact. l. poſſeſſionum. C. commu. vtriuſ. iud. & alibi ſæpe.

ADSECTARI dicitur, qui tacitus frequenter ſequitur: adſidua enim frequentia quaſi præbet nonnullam infamiam, Vlpiano, l. item apud. 15. §. aliud. 17. D. de iniur. & ad iniuriam referri poteſt: quod accipiendum eſt, ſi contra bonos mores hoc fiat, d. l. item apud. §. meminiſſe, Vnde non ineptè dicit Feſtus.

Adſectata fœmina, vel in bonam partem dicitur, velut honorata: vel in malam, quaſi ad extremum periculum adducta.

ADSERERE manu, eſt admouere, quòd ea quoque quæ in terram demittuntur, ſeri dicuntur Feſto lib. j. quo ſenſu, arbores adſerere dixit Vlpianus, l. vſufructu. 7. §. Caſſius. D. de vſufruct. nempe eo quo Græcis eſt κεντρίζειν, id eſt, forare medullam arboris ſterilis, & in eam fœcundæ calamum immittere: inſitionis ſpecies pro genere. Qua forma Adſerere prolem Papinius dixit pro adoptare, ſicut ſcilicet inforatione ſurculus truncum adoptat.

Adſerere in libertatem, eſt liberum ſe proclamare, & libertatem velut prehendere manu & vindicare, Vlpiano, l. nõ ſolũ. §. fi. D. de iniur. Adſerere ingenuitati dicit Saturninus, l. 2. D. ſi quis ingen. eſſe dicatur. His contrarium eſt in ſeruitutem adſerere, id eſt, pro ſeruo, & ex libertate in ſeruitutem vindicare Liuio, lib. 3. ab vrb. condi. M. Clodio, inquit, clienti negotium dedit, vt virginem in ſeruitutem adſereret.

Adſertor libertatis vindex Paulo, lib. 5. Sent. ti. j. & 33. in fi. & Donato in Terent. Et eodem ſenſu.

Adſertio, id eſt, liberalis cauſæ iudicium, & Adſertoriæ lites, l. j. C. de adſert. toll. & apud M. Fabium, lib. 5. cap. 2. de ſecunda adſertione verba facientem.

ADSESSORES ſunt qui à magiſtratibus præſidibúſve vrbanis vel prouincialibus, in conſilium adhibebantur, ab eo dicti, quòd iure dicundo adſiderent: vel quibus hi mandauerunt ſuam iuriſdictionem, delati ad ærarium, vel in commentarium principis inter eos qui ſalaria ferunt de publico. l. j. & pen. D. de offic. adſeſſ. l. j. C. de adſeſſo. & dom. l. in conſiliariis. 10. C. eod. & alibi ſæpe. iidem comites dici cœpti ſunt, l. diem functo. D. eo. & conſiliarij, l. pen. D. eo. & l. 3. & d. l. in conſiliariis. Omne adſeſſorum officium his ferè cauſſis conſiſtere Paulus ſcribit, l. j. D. eod. in cognitionibus, poſtulationibus, libellis, edictis, decretis, epiſtolis. Adſeſſorem συνέδρον appellat Modeſtinus, l. οὐ μόνον. D. de excuſ.

Adſeſſura, adſeſſoris munus, & functio, l. fin. D. de proxenet.

Adſeſſoria, libri erant de iis rebus ſcripti quas agi viderant Iuriſconſulti, cum adſeſſores eſſent: hi à Puteolano ſcripti, l. nam & nocere, 12. D. de pact. eodem ſenſu accipitur Adſeſſoriũ, in l. lex. 5. §. hac lege. D. de iniur. Quidam tamen malunt eo loco ſignificare παρέδριον, id eſt, locum auditoriúmque adſeſſoris.

ADSIGNARE inſtrumento, eſt ſigna in tabulis, inſtrumentíſve adponere, id eſt, ſubſignare, Paulo, l. ſi ita. 126. §. Chryſogonus. D. de verb. oblig. l. inter. 20. D. de auct. tut. Hinc adſignatæ res dicuntur, quibus ſigna ſigilláve adpoſita ſunt, Vlpiano, l. j. §. fi. D. nau. caup. ſtabula. Adſignata autem pecunia, adtributa, Varroni, lib. 4. de Ling. Lat.

Adſignare libertum dicitur patronus, cum teſtificatur ſignificátque cuius ex liberis libertum eum eſſe velit, l. adſignare. D. de verb. ſign. l. vlt. D. de oper. lib. j. D. de adſig. lib. Hinc ducitur.

Adſignatio libertorum, cuius meminit Imper. ſub tit. de adſign.

adſign.lib.quæ quibuſcunque verbis,nutu, teſtamento inter viuos,ex die certa fieri poterat,l.j.& fi.D.eo. cum ſcilicet alicui ex liberis quaſi peculiaris ac proprius attribuebatur à patrono libertus, vt poſt mortem patris is ſolus filius patronus ei ſit.

Adſignator,D.lib.38.lib,4.l.3.

Adſignatus ager dicebatur,qui coloniæ, militibúſve datus, adſcriptúſve erat, l.item ſi verberatum. D.de rei vendic.l.Lucius.D.de euictio.Hygen. de limit.conſti. & vide Aggen.Vrbicum de limit.agrorum.

Adsistere eſt patrocinari, & communicari tanquã aduocatus inter patronos cauſſarum, & in eorum ordine cenſeri, l.vltima. C.de aduoc. diuerſ.iud. Idem quod Ciceroni adeſſe.

Adstipvlator,qui ſtipulatori accedit,& idem ſtipulatur,vt pacta & conuenta eſſent firmiora, magiſque cauta & rata.Ac in foro Romano homines erant circum argentarios,qui adſtipulandi quæſtum exercebant,præſtóque erant ſtipulantibus & paciſcentibus.Adſtipulator (inquit Turn.lib.16.Adu.c.8.) in antiquo Lexico προστεπερωτητὴς exponitur, id eſt qui præter ſtipulatorem interrogat atque ſtipulatur: eodem modo,quo adpromiſſor.

Adsvmptio eſt profeſſio,& adſeueratio & conteſtatio quædam,l.adſumptio.6.D.ad municip.vt ſit ſenſus,is qui conteſtatur,& profitetur ſe eſſe ciuem originę,cum re vera non ſit,&c.

Adſumpta ad vitam,id eſt, vtilia victus cauſſa, Varroni lib.7.de Ling.Latin.

Adtestationes,Pontificiis ſunt teſtium depoſitiones,& dicta.ca.ex tenore.de teſtib.in antiq.Porrò qui concipiantur,diſces ex c.cum cauſſam.extra,eo.

Adtentare Imperium,adgredi,& quid aduerſus id moliri,Varroni lib.4.de Ling.Latin.

Adtentare pudicitiam,eſt id facere,vt quæ pudica eſt,impudica fiat,Paulo l.adtentari.10.D.de iniur.

Adtentare annonam,eſt vexare, & quid in eam moliri, vt ſolent dardanarij,Vlpianus l.annonam.6.D.de extraord.criminib.

Adtentari ſententia dicitur,à qua adpellatur,Vlpiano.

Adtingere hæreditatem eſt adire,Vlpiano,l.ſed & fi.§.ſi quis.D.de petit.hære.& eidem adtingere bona, l.j,§.fi.D.de ſepar.

Advena eſt quem Græci ἄποικον vocant, Pomponio,l. pupillus.239.§.aduena.D.de verb.ſignific.dictus quaſi aliundè adueniens,Iſidoro lib.10.Etymol. qui ſedem, & domicilium non conſtituit: & qui in aliena ciuitate moratur,l.hæres abſens.D.de iudic. Gallis dicitur, *Aduolé.*

Adventitia dos dicitur,quæ à quouis alio quam à patre data eſt,Vlpiano tit.6.l.profectitia.§.ſi pater.D. de iur.dot.l.vnic.§.& vt plenius.D.de iur.doti.l.4.C. de collat.

Aduentitium lucrum,cuius meminit, l.non debet.41. §.in re.D.de diuerſi.reg.iur.

Aduentitius caſus,τὸ συμβὰν, Scæuola D.lib.40.tit.9.l.6.

Aduentitium peculium,vide infrà Peculium.

Aduentitium,alibi natum,Varroni lib.9.

Adversaria,ſunt tumultuariæ quædam tabulæ,aut libelli ſiue commentarioli & chartæ, quæ homines aduertebant,& (vt ita dicam) memorialia erant, quæ ante iuſtarum tabularum confectionem perſcribebantur olim,ne rerum geſtarum memoria excideret. Nam inde iuſtas & æternas tabulas perficiebant, vt nunc Protocollis fieri videmus. Cicero pro Q.Roſcio:Non habere,inquit,ſe hoc nomen in codice accepti & expenſi relatum confitetur,ſed in aduerſariis petere contendit.& hæc menſtrua erant, vt ex Cicerone docet Bud. in Forenſib.& l.tali.§.ſocer.D.de iur. dot.Alcia.lib.2.diſpunc.ca.29.Demoſth. in orat.cótra Aphobum,ὑπομνήματα videtur appellare.

Adversvs, Feſto, aut contrarium ſignificat, id eſt, contrà,vt apud Iulianum,l.fin.D.ne quid in loco public.& aduerſus legem facit, qui vetante lege facit, Vlpiano,l.qui vetante.102.D.de reg.iur.& alibi Vlp. Qui non facit quod facere debet, videtur facere aduerſus ea quæ non facit, l.qui non.121.D.de reg.iur. Aduerſus,id eſt,contra,l.non ſolum.§.fi.D.de iniur.& alibî ſæpe.

Aduerſus etiam Feſto ſonat erga,Gallis *pour le regard*,pró reſpectu, *ou enuers*.Cicer.lib.1.de natu.Deo.Pietas aduerſus Deos.Terent.in And.Act.1.Scena 1.

Id gratum fuiſſe aduerſum te habeo gratiam.

& apud Vlpianum,l.ſcio.3.D.de appel.aduerſus ipſos, id eſt,erga ipſos,*pour le regard d'eux*. Aduerſus etiam ſignificat ſecundum,Vlpiano in Epitome tit.28.in prin. Bonorum inquit, poſſeſſio datur aut contra tabulas, aut aduerſus tabulas.& tit.20.§.Latinus.& l.j.in fin. prin.de iure fiſci.& aliquando ſonat pro, vel ſecundum,l.naturaliter.D.de vſucap.

Advlter,& adultera dicuntur, quia & ille ad alterá, & hæc ad alterum ſe conferunt, Feſtus lib.1.Adulterũ definit Tryphoninus,l.fugitiuus,224.D.de verb.ſigni. eum qui alienam matremfamiliàs corrumpit, atque id non ſola animi propoſitione, ſed cum aliquo actu. eodem ſenſu vſa eſt Penelope Ouidiana,lib.1.Epiſt.

Obrutus inſanis eſſet adulter aquis.

Advlterivm eſt alieni thori violatio.Vnde adulterium dicitur quaſi ad alterius thorum acceſſio, ca.lex illa.36.q.1.Inter Adulterium autem & ſtuprũ hoc differt,quod adulterium propriè in nuptam cõmittitur, propter partum ex altero conceptum compoſito nomine:quod & ex Feſto docui ſuprà. Stuprum verò in virginem viduámve committitur, quod Græci φθορὰν adpellant.Sed lex Iulia ſtuprum & adulterium promiſcuè & καταχρηστικώτερον adpellat, Papinianus, l.inter.6.§.lex.D.de adult.cuius ſententiam probat Modeſtinus,l.inter.101.D.de verb.ſign.

Advlterare, quod ſyncerum eſt corrumpere,non ſolum mulierem, ſed & rationes, monetam, iudicia, res quaſuis alias,Iuriſconſultis,& aliis claſſicis au[illegible]ribus.Adulterare nouercam,Marciano,l.diuus.5.L leg.Pomp.de parricid.Vnde Adulterare moneta[illegible] adulteratores monetæ,l.aut facta.16.§.fi.D.de pœn[illegible] eſt ipſam falſare. Et adulterare rationes, id eſt corrumpere,in l.j.D.de ſer.corrupt.Sic Adulterina moneta in Conſtatini cõſtitutione,l.j.C.de falſ.moneta. Et Adulterinæ ſtateræ, pro falſatis & corruptis dixit Vlpianus, l.annonam.6. D.de extraord. criminibus. Sic Adulterinum teſtamentum apud Marcianum,l.ſi quis.6.D.de falſ.Adulterinum ſignum,l.30.D.eod.Vnde & Adulterina doctrina in proœmio Digeſt.incip. omnem.§.hæc autem tria.7.

Advocare generaliter ſignificat cõuocare: verbum ad ius pertinens propriè,eſtque homines patrocinij, conſiliíve cauſa cõuocare,vel etiam teſtimonij.Hinc Aduocare concionem non ſemel dixit Varro libro 5. de Ling.Lati. Aduocat autem apud Pomponium,l.ſi procurator.18.D.rem rat.hab. accipi putat Accurſius pro,aduocatis miniſtrat.Alij pro teſte de vi moribus facienda deducendo intelligi exiſtimant. Accurſius ibi aduocat,ſcilicet,à ſuis negociis,legi poſſe cenſet. Vtraq; lectio,& ſenſus ferri poteſt: Pandectæ tamen Florẽtinæ,vulgatique codices habent,aduocat: quod de conuentione aduocatorum, teſtium, & ſimilium victoriæ cauſſa intelligendum putem.

Advocatvs Vlpiano,l.j.§.aduocatos.D.de extraord. cognit. dicitur omnis omnino, qui cauſſis agendis quoquo ſtudio operatur:non tamen qui pro tractatu non adfuturus cauſſis accipere ſolet, aduocatorum numero

numero erit. Aſconius in Verrin.1. Aduocatus eſt, inquit, qui ius in iudicio ſuggerit, & præſentiá ſuá amico cōmodat. Hunc Demoſthenes παράκλητον adpellat. Aduocati iurgantibus patrocinium præſtare dicũtur, l.quiſquis.& l.2.C.de poſtula. Vlpiani definitionẽ iuuat Antonini conſtitutio, l.j. iuncta.l.3. C.eo. Aſconij, & Vlpiani definitiones eodem tendunt. Hinc.

Advocatio, ipſa aduocati actio, poſtulatio, & patrocinium: à Demoſthene παράκλησις vocatur. Aduocatio paſſim in iure pro ipſis aduocatis accipitur, l.de quæſtione tali.30.C.de tranſact.& alibi. Plerunq; pro ordine ipſo aduocatorum, l.cum aduocatio. & l.iubemus.C.de aduoc.diuerſ.iud.& alibi paſſim.

Aduocationes poſtulare, eſt aduocatos à prætore petere, l.ait Prætor.23.D.ex quib.cauſ.maio. Prætor enim aduocatos dare ſolebat, l.j.D.de poſtul.

Aduocationem præſtare, idem eſt, quod poſtulare, Vlpianus in l.puto autem.§.1.D.de poſtulando. Allegare, Vlpianus in l.j.§.his igitur perſonis.ibidẽ. Agere cauſam, Paulus in l.pen. Tryphoninus in l.vlti.eod.tit.D. quæ omnia idem ſonant.

Aduocatione, & foro interdicere, prohibere eſt ab officio aduocandi: quod genus pœnæ eſt. Foro tamẽ plus eſt, quàm aduocationibus interdicere. Siquidem huic omnino forenſibus negociis accommodare ſe non permittitur, Vlp.in l.moris.de pœ. Papinianus auctor eſt, imperatorem Titum Antoninũ reſcripſiſſe, Eum cui aduocationibus in quinquennium interdictũ eſſet, poſt quinquennium pro omnibus poſtulare non prohiberi, l.Imperator.D.de poſtuland.

Aduocationem præbere, eſt cauſſam agere, l.fin.D.de inoffic.teſtam. Alibi, Aduocationem ſuſcipere, id eſt aduocati officio fungi, l.9.D.de off.proconſ.

Aduocatione litem inſtruere, apud Hermogenianum. l.falſi.20.D.de falſ.& l.j.eo.D. eſt falſam litem intendere: ad hoc inſtructos aduocatos inſtituere.

Aduocationes inſidæ, quæ litis clientiſve ſecreta pandunt, l.aut facta.16.D.de pœn.

Advocatia negocij alicuius publici procuratio, à ſuperiore mandata, vt libro Feudorum 2.titul.27.§.15. Quicunque aduocatiam ſuam, vel aliquod aliud beneficium inordinatè tractauerit. Videtur Aduocatus idem fuiſſe, qui à pragmaticis noſtris Commiſſarius vocatur: cui præfectura & munus aliquod, ac præſertim cauſſarum diſceptandarum publicè mandatũ eſt. Hinc libro legis Franc.3.capite 11. De aduocatis & vicedominis. Et libro quarto, capite 100. Vt tales eligantur, qui ſciant & velint iuſtitiæ cauſſam diſcernere & determinare. Aduocatia etiam dicitur tutela & defenſio ſacerdotalis alicuius Collegij: veluti Abbatiæ & Monachorum, quibus prædia & vectigalia quædam attributa ſunt: quorum potentem aliquem, vel Comitem, vel alium nobilem ſibi defenſorem & patronum cooptabant: vt in diplomate donationis quam Carolus Magnus Monachis Vlmenſibus fecit: apud Nauclerum: Adelbertũ cognatum noſtrum aduocatum ac defenſorem conſtituimus, &c. Item, Vt Abbas & monachi ex his quos inter potentes noueriny, & inuenerint meliores ſeculi & æquitatis amatores, eligant huic loco aduocatos & defenſores. Itẽ Statuimus vt ſi aduocatus placitare voluerit, quando vel qualiter aut quoties hoc fiat, in Abbatis arbitrio pẽdeat, & ab eo diſponatur: vt non cōpluribus quàm triginta equis ad placitandum veniat: & quicquid placitando ibidem acquirat, tertia parte ſibi retenta duas Abbati reddat. Ioannes Tritemius. Conſtituit autem Archiepiſcopus aduocatum Hirſaugienſis monaſterij ipſum comitem Erlafridum, ſub ea conditione, vt mortuo patre filius in aduocatiam non ſuccedat: niſi fuerit ad eam per Abbatem & monachos aſſumptus. Verebatur enim, ne poſt mortem ſuam per filium, ſiue nepotes iniuriam aut violentiam aliquam peteretur, ſi aduocatia hæreditario iure deuolueretur ad poſteros. Abbas Vrſperg. in Philippi vita Aduocatiæ beneficium his exponit verbis: Imperatores nihil iuris ſibi vendicarunt, præterquam illud, quod pertinet ad dominium totius terræ, vt ſub protectione ſua eas ſuſciperent, & priuilegiis ſuis munirent, & fideliter defenderent. Et paulò poſt: Et de voluntate fratrum in prædiis eorum ſtatueret extra Abbatiam annuum, quod ſibi pro aduocatia & defenſione ſolueretur. Vide Infra MAMBVRGVS.

AE

Æ ſyllabam antiqui Græca conſuetudine per AI ſcribebant, vt muſai, aulai, Feſto lib.1. quale ſæpe viſitur in decretis antiq.veter.vrb.

Ædes in vſu vrbana ædificia Florentinus adpellat, l.fundi.211.de verb.ſignif. ab aditu dictas putat Varro lib.4.Ling.Lat. quòd plano pede adibant. Feſtus verò dici exiſtimat, quia ſunt vnius aditus, ſiue quia in eis æuum degatur: definítque domicilium eſſe in aditu poſitum. Conſtat autem area, ſiue ſolo, & ſuperficie, l.ſolum.49.D.de rei vendic. l.eum qui.23.D.de vſurpat. & vſuca. Ædium adpellatione omnes ædificij ſpecies contineri Gaius ſcribit, l.qui ædes.9.D.de incend. Ædium appellatione etiam ruſticas contineri Vlpiano, l.certa.§.ſed ſi quis.D.de lega.j. Nec pugnat cum Florentino d.l.fundi.hic de vſu, ille de appellatione intelligit.

Ædium ſunt, quæ perpetui vſus cauſſa ſunt, paratáve ſunt: quæ paſſim in iure reperies, d.l.cętera in fi. Prothyrum quoque ædium eſt, l.penult.D.de verb.ſignificat. Ædium pars ſunt in iis connexa, iuncta, vincta, fixáque. d.l.cætera.§.fi.l.liberorum.§.ſed ſi.D.de leg.3.& alibi.

Ædium genera duo conſtituit Varro lib.4.de Ling.Lati. ſacras, & publicas.

Ædicvla, non eſt parua domus, vt vulgo accipiunt, ſed modò cellulam in ædibus ſignificat, modò ſacellum, id eſt, ædis ſacræ appendicem, particulámve, vt apud Paulum, l.ſacrilegi.9.D.ad leg.Iul.pecul.

Ædificii appellatio, aut ſuperficiẽ ſignificat, aut ſolum quoque, cui ædificium ſuperpoſitum eſt, Iuliano, l.ſi fundum.§.qui fundum.de leg.j.

Ædificare autem non ſolùm, qui nouum opus molitur, intelligendus eſt, verùm is quoque qui vetera vult reficere, Vlpian.l.j.D.de mor.infe.& ſepulc.ædif.

Ædilis à Varrone is dicitur, qui ædes ſacras, & priuatas procurat: quod & Feſtus probat lib.1. adiiciens hoc nomen ad magiſtratus tranſlatum. A Papiniano ἀστυνομικὸς, l.j.de via publica. à Theophilo, §.prætorum.Inſti.de iure natur.& Dione, ἀγορανόμος dicitur. Theophilus & Varro conuenire videntur. Initio duo ex plebe creari cœpti ſunt, qui ædibus præeſſent, in quibus omnia ſcita ſua plebs deferebat, qui etiam ædiles adpellati ſunt, l.2.§.iiſdem temporibus.11.D.de orig.iur. Interueniebant & arcendis incendiis, l.j.D.de offi.præfecti vigil. Vide Liu.lib.3.ab vrb.cond. Cōſtitui deinde ex patrum numero & creari cœperunt duo, vt aliquo pluris patres haberentur: ita facti ſunt ædiles Curules. Horum edictum de rerũ venditionibus extat, l.j.D.de ædilitio edicto, & per totũ: de quo & Gellius libro quarto, capite ſecundo. Ad eandem cauſſam pertinent & ædilitiæ ſtipulationes, l.ſtipulationum.5.verſ. prætoriæ.D.de verb.oblig. Duo itaque erant ædilium ordines: alter in quo ipſi ædiles in iure dicendo ſellis incuruos pedes habentibus vtebantur, & hic nomen magiſtratus retinebat: alterũ plebeium magiſtratum adpellabant.

Ædiles

Ædiles Curules eò dicti ſunt, quòd ſellis curulibus ſederent, vt ex Liuio lib.7.diſces. Non parentibus, ait, Tribunis, quòd pro conſule vno plebeio tres patritios magiſtratus curulibus ſellis prætextatos tanquã conſules ſedentes nobilitas ſumpſiſſet. Idem & Feneſtella docet cap.11. Cæſar tandem alios duos Ædiles conſtituit, qui frumento præeſſent, & à Cerere Cereales dicti ſunt Pomponio.l.2.§.deinde. Gaius D.de orig.iur.Feneſtel.d.c.13.Dio.lib.43.in fi.& ita ſex Ædiles ſunt conſtituti Dioni, & Pomponio: duo ſcilicet patricij, qui Cereris Ædiles dicerentur, quatuor plebeij. Erant & Ædiles in municipiis.l.qui inſulam.§.1. D.loca. Hi merum imperium habebant, ita vt flagris cæderent, l.12. D.de decur. Atque hi interdum quinquennales fuiſſe videntur, quibus nempe luſtralis is honos eſſet. Nam vt colonis agros ſuos in luſtrum locabant, ſic & interdum in luſtrum continuabant magiſtratũ. Id indicant antiquæ municipiorũ inſcriptiones: in vna enim ita habetur ædil. Q.IIII.*uir*.I.D. Sed & alimentarij fuiſſe videntur ædiles in mũcipiis, qui alimenta prouidebant (vt ſuſpicatur Tur.Ad.lib.11.ca.10.) alimentariis pueris: vt in hoc tit. *Aedil. Q. alim.*

Æ D I L I T A S dicebatur eadem dignitas, ſicut pontificatus magiſtratus, Feſto lib.1.

Ædilitas, curię dignitas dici, & definiri videtur à Cõſtantino Imp.l.2.ſi ſer.aut lib.ad decur.adſpira.lib.10.C.

Æ D I L I T I Æ actiones, vide ſuprà, Actiones ædilitiæ.

Ædilitiæ ſtipulationes, vide infra, ſtipulatio.

Æ D V L I T A S in l.17.D.de compenſat.ſumitur pro æditate: promiſcuè enim ſic veteres ſcripſiſſe inueniuntur. Tertul.in Apolog. Philoſophi tyrannidem affectant: Chriſtianis verò nec ædulitatem: ſic enim habent libri veteres. Cuiac.in obſer.lib.14.

Æ D I T I M V S, ædis intimus, Feſt.lib.1. Vide Gellium lib.12.cap.10.

Æ D I T V V S eodem auctore, dicitur ædis ſacræ tuitor, id eſt, curam agens. Huius definitionem probat Theophilus.§.tutores.Inſtitut.de tutel.his verbis: ὥσπερ æditui λέγονται οἱ ἱερεῖς qui ædes tuentur, τουτέςι οἵτινες τοὺς ναοὺς ἀσφαλίζονται. Sic æditus apud Vlpianum.l.3.§.ſi tabulæ. D.de tab.exhib.ibi tabularum cuſtodiam æditus ſuſcepit: nam res controuerſæ in æde ſacra deponi ſolebant, l.1.§.ſi pecunia.& §.ſeq. D.depoſ. Hodie obſignatio, & depoſitio fit apud acta, & cauſarum tabularios, quos Galli Grefarios vocant, ídque per d.§.ſi tabulæ. Sic vt ſuperiùs intelligi debet apud Paulum. l.1. D.de tutel.& §.tutores, Inſtitu.eo. apud Iuſtinianum, quamuis generaliter loquantur.

Æ G R A M mulierem apud Papinianũ.l.3. D.ſi quis aliq. teſt.pro triſti, & difficili atq; irata accipere debemus.

Αἴνιγμα apud Imp.Iuſtinia.conſti.nouel.95.§.τοῦτο ad fi.interpretatur Accurſius Speculum, Alciatus ex Gellio pro quæſtione obſcura, & inuoluta accipi putat, lib.4. Parerg.c.19.quod & verum eſt.

Æ L I A N V M ius. Sextus Ælius alias actiones compoſuit, & librum populo dedit, qui appellatur Ius Ælianum. Pompon.l. Neceſſarium. §. augeſcente. D. de orig.iur.

Æ L I A Sentia lex, vide infrà Lex Ælia.

Ἀειναῦται, quaſi dicat, ſemper nautæ, magiſtratus quidam apud Mileſios, inquit Heſychius. Plutarch. in quæſt. Græcanicis, ait apud Mileſios ita vocatos fuiſſe quoſdam ex potentioribus, qui conſcenſis nauibus conſilia de maximis rebus agitabant procul à terra: deinde cum ratam habuiſſent aliquã ſententiã, reuertebãtur,

Æ N V M, Paulo l.cùm de lanionis.18.§.aſinam. D.de inſt. inſtr.que leg. vas quod ſupra focum pendet, in quo aqua ad potandum calefit: idem miliarium ab Vlpiano dicitur, l.cùm aurum. 19.§.ſi cui. D.de aur.arg.leg. de quo & Athenæus lib.3.cap.10. De vaſculis calefactoriis Iulius Pollux lib.10.cap.19.ediſſerit.

Æ Q V A B I L E ius apud M.Ciceronem lib.2.Offic.non quod omnes æquet, ſed quòd iuſtitiam inter homines, & æquitatem proportionabilem cõſeruet, id eſt, quod pariter tueatur potentes & tenues: vocatur ab Ariſtotele, ἀναλογικὸν, καὶ κατ' ἀναλογίαν δίκαιον.

Æ Q V A L A N C E prouerbiali dicẽdi genere dixere Modeſtinus.l.non tantùm 20.D.de re iudic.& Iuſtinianus Imp.l.cùm quis.10.C.de nat.lib.& l.maximum vitium. C.de liber.præter.pro pariter, æquabiliterve, vt apud Græcos ἰσοςαθμῷ.

Æ Q V I L I B R I T A S, id eſt, ἰσονομία, Cic.in lib.de Natur. Deor.cùm de atomis illis Democriti agit, Confugis (inquit) ad æquilibritatem: tametſi in quibuſdam vulgatis codicibus, æqualitatem, perperam ſcriptum ſit. Vnde & Sext.Cæcilius pœnam talionis ad æquilibriũ factam expoſuit, id eſt πρὸς τὴν ἰσονομίαν, habita iniuriarum ratione, vt ipſam videlicet talionem quaſi ad amuſſim & libellam æquiparent atque expendant. Crinit.lib.4.de hon.diſc.c.9.

Æ Q V I T A S variis in iure modis ſignificatur. Adpellatur enim ſæpiſſimè æquum & bonum, legibus ſuperius adductis, aliquãdo δίκαιον φύσει, l.εἰδέναι.§.καὶ λέγει. quod vetus interpres naturalẽ iuſtitiã vertit. A.Auguſtinus vero naturale ius, Liuiũ ſequutus. hic enim li.5.ius naturale humanũ vocat. A M.Cicerone adpellatur verũ ius, & germana iuſtitia lib.3.Offi. Plerúmque ſimplicitas legũ.§.& hæc.Inſtit.de leg.agn.ſucceſ.quandoque æqua lanx.d.l.maximũ.& aliis legibus citatis in verb. Æqua lance. Dicitur & humanitatis ratio l.ſi cui.38.in fi.D.ex quib.cau.maio. Aliquando dicitur benignitas, vt colligitur ex l.1.in prin.D.vt in poſ.leg. Hinc benignius leges interpretari oportere Celſus ſcribit.l.18. C.de legib. A Iuſtiniano in Nouel.98.in princ. κυβερνητικὴ σοφία. Interdum adpellatur, Viri boni arbitratus, interdum religio, ſæpè anguſti iuris remiſſio. Vnde à Salonio in l.1.D.de iuſti.& iure. rectè definita eſt: Æquitas, inquit, eſt perfecta ratio, quæ leges & omne ſcriptum, dictúmq; interpretatur, & emendat: ex qua ius manat, quod bonũ & æquum dicitur, nullo ſcripto comprehenſum, ſed ſola vera ratione cõſiſtens. Hæc definitio collecta videtur ex l.1.C.de legib.& l.placuit.C.de iudic.vbi ſuperfluit vox, ſcriptæ, vt vetera fideliſſimáque exemplaria docẽt. Porrò eam ita ante oculos habere debet iudex, teſte Vlpiano.l.quod ſi.4. D.de eo.quod certo loc.vt ipſa exigente, à ſolennibus verbíſque recedere poſſit.l.pen.D.de in integr.reſtit.

Æquitatis genera duo ſunt, quædam eſt naturalis, de qua Vlpianus.l.1.D.de pact.Paul.l.poſtliminiũ.19.in princ. D.de capt.& poſtli.idem Vlpianus l.1.D.de mino. Et eam adpellant quæ ex naturali ratione mentibus hominum infixa eſt: vt, Deum colere, neminem lædere, ſuum cuique tribuere, fidem alteri datam ſeruare. Ciuilis altera, cuius commeminit idem Vlpianus, l.j.in princip.D.ſi is qui teſta.lib.de vtroq; genere loquens: éſtque probabilis quædam ratio non omnibus hominibus naturaliter cognita, ſed paucis tantùm, qui prudentia, vſu, doctrina prædíti didicerunt quæ ad ſocietatis humanæ conſeruationem ſunt neceſſaria. De priore genere loquitur M.Cicero lib.1.de legib.de legis origine loquens.

Æquitas, quam aliàs æquum & bonum, aliàs æquum & iuſtum, aliàs æquum bonum, ſine copula dicimus, l.j. & pen.D.de iuſti.& iur.l.ſi & me.D.ſi cert.pet. Ariſtoteles τὸ ἐπιεικὲς adpellat: ſunt & qui τὴν ἐπιείκειαν vocẽt: eſt autem mitigatio legis ſcriptæ in aliqua circunſtantia, vtpote rerum, perſonarum, ac temporum. Ius eſt, inquit Donatus, quod omnia recta & inflexibilia erigit: Æquitas eſt, quæ ex iure multũ remittit. Exempla ſunt prætorum edicta. Quid enim aliud eſt reſtituere in

tuere in integrum(vt ex multis vnũ videamus) quàm laxare ſcripti iuris rigorem? Dicitur & humanior, & benignior iuris interpretatio.

Æquitas nihil aliud eſt, quàm voluntas ſyncera, ſeu arbitratus boni viri, miniméque verſipellis, ſic tribuens vnicuique ſuum, vt interim nemo lædatur: ſicut eſt locus omnium elegantiſſimus in l.bona fides.§.incurrit. D.de poſ.c.7. Solomonis Eccleſiaſtæ, Μὴ γίνου δίκαιος πολὺ, καὶ μὴ σοφίζου περιττά.

Æquitas duplex eſt, ſcripta & non ſcripta. Poteſt enim æquitas, tum in ſcholis, tũ in foro duplici modo exerceri. Altero, vt diligenter conſideremus, quo ordine Iureconſulti & Imperatores Romani obſeruarint æquitatem in deſcribendis, ponendíſque legibus, & præiudiciis humanorum negotiorum: & ſi quando caſus eueniat, qui per omnia ſit ſimilis, nec habeat vllas differentes circunſtantias, quæ mutationem iuris deſiderent: vt tunc ſecundum illas iudicemus, certi quòd æquitatis cenſura dudum ſit adhibita. Altero modo exercetur æquitas in his facti ſpeciebus, quæ nũc eueniunt, nec habent præiudicium in legibus ſcriptis, ex omni parte reſpondens, vt nos ſecundum circunſtantias earũ applicatis axiomatibus ſummi iuris, iudicemus quid diffiniri oporteat. Enimuerò hic propriè eſt vſus æquitatis, omnium maximè neceſſarius Reipub. Quamobrem meritò non ſcriptam æquitatem vocare poſſumus, non quaſi liceat ſine ſcripti iuris obſeruatione illam æſtimare: ſed quòd aliquantò longius à ſcriptis theſibus recedit: ſicut ius Ciuile à iure naturali diſtinguitur, in l.ius Ciuile eſt. de iuſti. & iur. Vnde Ariſtoteles ſic æquitatẽ definit, τοῦ γεγραμμένου νόμου ἔλλειμμα, τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον. Atque ita à conſuetudine differt, quòd æquitas ſit ius natum & naturale: conſuetudo, ius conſtitutum & receptum.

Æquitatis cauſa efficiens eſt Deus, qui naturam humani generis ſic condidit, vt quamuis omnia de futuris negotiis certò præſcribere non valeat, tamen notitiam quandam habeat inſculptam qua poſſit certas aliquas honeſtatis formulas præſcribere generaliter, ad quas omnes factorum ſpecies quandocunque incidentes exigantur arte quadam boni & æqui, hoc eſt, perpenſis atque collatis certa ratione circumſtantiis.

Æquitatis cauſſa materialis eſt ius naturæ, ius Ciuile, boni mores. Nam ex his fit pulchra quædam ac Reip. ſalutaris mixtura, per iudicium animi incorruptum. Materia verò circa quam exercenda eſt æquitas, ſunt infinita hominum negotia, ſcilicet cùm incidunt. Tũc enim pro re nata ius rectè applicabitur, ſecundũ circumſtantias, quæ ad cauſam pertinebunt. Æquitatis verò cauſa formalis eſt, vt conferantur diligenter facta iam incidentia cum circumſtantiis ſuis, pertinentibus, inquam, ad formulas iuris: non aliter quàm ædificia probari ſolent adhibita principalioribus eorum partibus norma. Non poteſt autem elegantius tradi forma cum exemplis ſuis, quàm apud Tryphonium. in l.bona fides. D.depoſ.vel contra. Æquitatis cauſa finalis, ſeu effectus eſt, vt ſeruetur æqualitas humanarum rerum, quæ maximè inter ſe ſunt diſſimiles, vtque conſeruetur Reipublicæ ſalus, quæ in rectis iudiciis vt plurimùm conſiſtit: & ſic tranſigatur iſtud ærumnoſum huius vitæ momentum ad gloriam Chriſti & æternæ vitæ.

Æquitati opponitur ſummum ius, de quo ſuo loco.

Æquitas iuris & morum norma. Sicut enim per normam iudicantur ſtructuræ vitia: ſic æquitas de iure ſcripto, & omnibus humanis functionibus ac moribus rectè diiudicat. Itaque Magiſtratus adtemperabit cognitiones ſuas bono & æquo, hoc eſt, diuinis, & naturalibus legibus: contra quas quicquid iudicatur, non poteſt non iniquum eſſe.

Æquum bonum impetrare dixit Cic. Philipp.2. pro eo quod lingua vernacula dicimus, habere rationem ab aliquo, id eſt, ius ſuum obtinere, rem ſuam recipere: Is igitur à quo viuo nec præſens nec abſens quicquam æqui boni impetrauit, apud mortuum factus eſt gratioſus.

ÆRAMEN, ſpecies quædam ex ære confecta. l.nemo. 12, C.de oper.pub. ſic enim legendum & codex Theodoſianus, & res ipſa docet, non ornamenta, quæ lex extat lib.15.tit.j.l.37.C.Th.

ÆRARIVM populus Romanus in æde Saturni habebat, Feſto lib.j. vide Plut. Publicolam. Ærarium, locus erat vbi poplicæ, id eſt publicæ, pecuniæ reponebantur. Marciano Iuriſc. pro principis fiſco accipitur, vt ex ipſius verbis coniicere licet. l.j.§. ex illa. D. de leg. Cornel.de falſ.& l.edicto.D.de iur.fiſci. Apud Athenienſes autem cella erat poſt ædem Mineruæ, ob id ὀπισθόδομος dictũ, vt apud Demoſthenẽ περὶ συντάξεως.

Ærarium duplex principes habuiſſe liquet ex l.vnic. de quæſt.& mag.off.lib.12.C.& Nouel. Valent. de 30.an. præſcr.l.vnic.§.eandem. Ærarium quidem priuatum, ſcilicet rerum priuatarum principis: quod curæ erat comiti rerum priuatarũ, vt ex 6.Baſilic.& Theodorito.lib.3.c.12.liquet. de quibus.l.fi.C.de palat.ſac.larg. lib.12. Eſt & ærarium ſacrum, ſiue ſacrarum largitionum, id eſt, theſaurorum.d.l.vnic.C.de quæſt.

Ærarium ſanctius antiquis dicebatur prorſus intactum, vnde pecuniam promi non liceret, Cic.lib.7. ad Atti. Epiſt.19. Adtulit mandata ad Conſules, vt Romam venirent, pecuniam de ſanctiore ærario proferrẽt. & Liuio lib.7.belli Punici.

Ærarij Tribuni, à tribuendo ære adpellati ſunt, Feſt.lib. j. Vide Bud.in prioribus.

Ærarij milites ab ære dicti ſunt, quòd ſtipendia facerent, Varroni lib.4.ling.Lati. Vnde & æs militare pecuniã quæ Tribunis ærariis attribuebatur, vt militi redderent.

Ærarij, vt ex M.Fabio lib.2.c.vlt.liquet, ſunt monetæ excuſores. At ærarij nomine Græcis ὄφλοντες & ἐζημιωμένοι, qui & in ærarios relati dicebantur, vt Athenis, ἐγγεγραμμένοι ἐν ἀκροπόλει.

Ærarij Quæſtores mulctarum receptores dici ex Tacito lib.13. conſtat. Cenſuit, inquit, Piſo deſignatus conſul, ne mulctam à Tribunis dictam Quæſtores ærarij in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent.

Æs, vt notiſſimum ſignificatum omittam, pro aſſibus accipi antiquis ait Var.lib.8.ling.Lat. Vnde & mille æris legaſſe, ait, dicebant. quo ſenſu accipiendum verbum, æs, putem in lege Aquil.j.& 3.c.apud Gaium.l. 2.D.ad leg.Aquil.& Vlp.l.ſi ſeruus.§.huius legis.D.eo. aut pro pecunia, aut nummis. Aſſes qui ſint, vide infrà As.

Æs etiam nummos aureos Vlpianus cenſet.l.etiam. 159, D.de verb.ſignif.

Æris tandem appellatione omne nummorum, pecuniæque genus ſignificari liquidò conſtat. Quod hinc manaſſe ex Plinio lib.18.c.3.& lib.36. c.3. didicimus, quòd veteres æreis nummis, ouium, boúmque effigie à Seruio Tullio ſignatis vterentur.

Æs alienũ eſt quod nos aliis debemus: æs ſuum eſt, quod alij nobis debẽt, Vlpianus.l.cedere. 213. §.æs alienum. D.de verb.ſig.l.ſubſignatum.§.bona, D.eod.

Æs circumforaneum, eſt pecunia, ad vſuram accepta, id eſt æs fœneratitium. Cic.ad Attic. Tuſculanũ & Pompeianum valde me delectant, niſi quòd me illũ ipſum vindicem æris alieni ære non Corinthio, ſed hoc circumforaneo obruerunt.

Ære dirutum, inquit Feſtus, militem dicebant, cui ſtipendium ignominiæ cauſa non eſt datum, quòd æs diruebatur in fiſcum, non in militis ſacculum. Hoc verbo facetiſſimè vſus eſt Cic.in Verr.act.6. Alcatoris Pla-

centini caſtra commemorabuntur, in quibus cum frequens fuiſſet, tamen ære dirutus eſt.

Ærata porta Varroni eo dicta, quòd ære tecta fuiſſet, lib. 4. ling. Lati.

Æraria ratio quid ſit in Quintiana, vide apud Turneb. Aduerſ. lib. 8. c. 14.

Æratum etiam, dic, obæratum, ære alieno obrutum, vt eſt apud M. Ciceronem lib. j. Epiſt. j. ad Attic. Epiſt. incip. Quæris. Tribuni, inquit, non tam ærarij, vt appellantur, quàm ærati.

Æroſa pecunia, dicitur ſubærata quæ aurea & argentea videtur, & habet in ſe æris plurimum. l. creditor. 102. de ſolut. Græcis χαλκόκρας. ſic æroſum lapidem Plinius lib. 34. c. j. & aurũ æroſum, lib. 33. c. 5. dixit cui ineſſet æris vena. malè igitur Alciatus ad d. l. creditor. pro æroſa, ἔρανος repoſuit, lib. 2. Diſpunc. c. 25. Vnde Cyprũ inſulam æroſam adpellaſſe Veteres Feſtus lib. j. ſcribit, quòd in ea plurimum æris naſcatur.

ÆRVSCARE, eſt æra vndique, id eſt, pecunias colligere, Feſto lib. j.

ÆSTATEM, inquit Vlpianus, ſic incipere peritiores tradiderũt ab æquinoctio verno, & finiri æquinoctio autumnali, & ita ſenis menſibus æſtas atque hiems diuiduntur. l. j. §. 23. D. de aq. cot. & æſt.

Æſtas prior in Prætoris edicto, auctore eodem, ex comparatione duarum æſtatum accipitur.

ÆSTIMARE eſt ære taxare, & adpretiare: vnde & vẽdere quandoque ſonat, vt liquet ex l. plerunque. D. de iure dot. & ex Varro. li. 5. Vnde Æſtimare litem eſt tãti reum damnare, quanti intereſt. l. ſi inter. §. ſi res. D. de pign. & apud Cice. in Cluentiana.

Æſtimata pœna antiquis dicta fuit ab ære, qui eam æſtimauerunt ære, ouem decuſſis, bouem cẽtuſſis, hoc eſt decem vel centum aſſibus, Feſto lib. j.

Æſtimas, æſtimationes dixere antiqui.

Æſtimatoria actio duplicem habet intellectum. Interdũ enim hoc nomine ea actio ſignificatur, quæ de æſtimato proponitur, idque dubitationis tollẽdæ cauſſa, veluti cùm res æſtimata vendenda alicui datur, quam ſi non poſſit vendere, vt eandem ipſam rem reſtituat. ſed poſſit nec vendere, nec reſtituere, nempe ſibi retinere, vt æſtimationem ſoluat. Vlpiano l. j. D. de æſtimat. & §. actionum. & ibi Theoph. & Angel. Inſtit. de actio. Interdum æſtimatoria accipitur, quanto minoris, vt explicant Gaius l. ſi quid. 18. & Paulus. l. bouem. §. aliquando. D. de ædil. edicto.

ÆTAS generale nomen eſt, non ſolùm ad perſonas, ſed ad res temporáque pertinens, vt ex ſubiectis adparebit. Ætas enim in perſonis ea eſt, quæ infantiam, pueritiam, pubertatem, iuuentutem, ſenectutem cõtinet. Ætas etiam ſignificat amplitudinem. l. domus. 58. D. de leg. j. vbi falſò in vulgatis codicibus legitur quantitatib. Sic ætas pro longo tempore accipitur, in l. ſi quando. C. de operib. pub.

Ætas quoque ſyluarum, & arborum apud Aggenum Vrbicum in comment. ad I. Frontin. c. de controuerſ. Sic & ætas virorũ apud Plinium, & alios reperitur. Ætatem etiam temporis dixit Vlpianus. l. ſi non ſortem. 26. §. libertus. D. de condict. indeb. pro opportunitate, quæ Gallis dicitur, *ſaiſon du temps*.

Ætatum gradus, quod ad perſonas adtinet, varij varios conſtituerunt. Seruius Tullius pop. Rom. Rex, vt refert Gellius lib. 10. c. 28, ætatem in tres gradus diuiſit, pueritiam, iuuentutem, & ſenectutem. Pueros minores annis. 17. exiſtimauit, atque inde anno. 17. quos idoneos iam eſſe reipub. arbitraretur, militiæ adſcripſit, eóſque ad annum. 46. iuniores, ſupra eum annum ſeniores appellauit. Seruij Tullij diuiſionem ſequitur Vlpi. noſter. l. cum ij. 8. §. modus. D. de tranſact. Xenophon autem in quatuor diſtribuit: alios enim adpellat παῖδας, alios ἐφήβους, alios τελείους, alios τοὺς ὑπὲρ τὰ στρατευματικὰ ἔτη γεγονότας.

Ætatem verò in plures gradus diſtributam fuiſſe, ex Iuriſc. reſponſis, & Impp. conſtitutionibus diſcemus. Infantis igitur ætas, cuius commeminit Pompo. l. ſi infantis. 55. D. de vſufruct. in ſeptimum vſque annũ porrigitur. l. ſi infanti. C. de iure delib. l. j. §. ſufficit. D. de admit. tut. Inde pupillaris ætas in 12. annum in fœminis, in 14. in maribus producitur. l. Æmilius. D. de min. l. ait diuus. D. de iur. fiſc. l. j. C. qui legit. perſ. & alibi ſæpe. Finita ætate pupillari, incipit pubes. l. j. C. quand. tutor, vel cur. eſſe deſi. l. cohæredi. §. cum filiæ. D. de vulg. In puberem ætatem incurrit prætextati ætas, cuius commeminit Vlpianus. l. deinde. §. fin. D. de lib. exhib. & Gellius lib. j. c. 23. in fin. Nam vſque ad. 17. annũ pueri ingenui prætexta induebantur, poſt quod in virilem mutabant. Puberem ætatem excipit iuſta ætas, quæ 25. anno inchoatur. l. 2. in prin. D. de vac. muner. & hæc modò appellatur iuſta. d. l. 2. (tametſi ſciam iuſtam ætatem plerunque pro pubere accipi, in ſpecie apud Neratium ex Seruio relata. l. quod Seruius. D. de códi. cauſ. da.) modò legitima. l. fin. C. de iis qui ven. ætat. l. quæro. in fi. D. de teſta. tutel. & alibi ſæpe. modò perfecta. l. ſi reliquero. D. de legi. tutel. l. minor. 32. D. de mino. & paſſim. E diuerſo ætas mino. dicitur imperfecta. l. fi. C. in quib. cauſ. in integ. reſt. modò robuſta. l. ſi maritus. 15. §. lex. D. de adult. ex contrario infirma quæ puerorum ſenúmque eſt. l. ciuitatibus. 122. D. de leg. j. Anno. 25. virilem vigorem impleri Vlpi. tradit. l. j. D. de minorib. & Iuliũ Pollucem lib. 2. Onomaſtic. ſeptem ætates ex Hippocrate connumeraſſe.

Ætatum verò mutationes κατ᾽ ἑβδομάδα fieri Solonis elegiæ apud Clem. Alexand. Στρωματ. λόγῳ. 6. declarant:

Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος, ἕρκος ὀδόντων
    Φύσας ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἑπτ᾽ ἔτεσιν.
Τοὺς δ᾽ ἑτέρους ὅτε δὴ τελέσει θεὸς ἑπτ᾽ ἐνιαυτοὺς,
    Ἥβης ἐκφαίνει σήματα γινομένης.
Τῇ τριτάτῃ δὲ γένειον ἀεξομένων ἐπὶ γυίων,
    Λαχνοῦται, χροιῆς ἄνθος ἀμειβομένης.
Τῇ δὲ τετάρτῃ πᾶς τις ἐν ἑβδομάδι μέγ᾽ ἄριστος
    Ἰσχὺν, ἥν τε ἄνδρες σήματ᾽ ἔχουσ᾽ ἀρετῆς.
Πέμπτῃ δ᾽ ὥριον ἄνδρα γάμου μεμνημένον εἶναι,
    Καὶ παίδων ζητεῖν εἰς ὀπίσω γενεήν.
Τῇ δ᾽ ἕκτῃ περὶ πάντα καταρτύεται νόος ἀνδρὸς,
    Οὐδ᾽ ἔρδειν ἔθ᾽ ὁμῶς ἔργ᾽ ἀπάλαμνα θέλει.
Ἑπτὰ δὲ νοῦν καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδομάσι μέγ᾽ ἄριστος,
    Ὀκτὼ δ᾽ ἀμφοτέρων τέσσαρα καὶ δέκ᾽ ἔτη.
Τῇ δ᾽ ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακώτερα δ᾽ αὐτοῦ
    Πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσα τε καὶ σοφίαν.
Τῇ δεκάτῃ δ᾽ εἴ τις τελέσας κατὰ μέτρον ἵκοιτο,
    Οὐκ ἂν ἄωρος ἐὼν μοῖραν ἔχοι θανάτου.

Ætatibus iuuentus connumeratur, ea incipit ab adoleſcentia finita, durátque ad ſenium. l. non aliter. 69. D. de leg. 3. porrò adoleſcentia durat ad 25. an. l. de ætate. D. de mi. Ætatẽ autẽ ſenectutis ab ann. 48. inchoare docet Cicero in Catone, cuius verba huc nõ tranſcribo.

Ætatis venia impetrata dicitur, cũ à principe ætatis gratia fit adoleſcenti ad conſequendam rerum ſuarũ adminiſtratioẽn. l. 10. C. de appel. & toto tit. C. de iis qui ven. æt. imp. Ætatis venię poſtulationem ſic deſcribit. C. Harmenopolus lib. j. tit. 12. αἰτούμενοι βασιλέα ἀπώσασθαι τοὺς κηδεμόνας αὐτῶν, ὡς αὐτοὶ μόνοι τῶν ἰδίων πραγμάτων ποιεῖσθαι φροντίδα δυνάμενοι. Ætatis igitur veniam impetrare, eſt ius curatores depellendi, & res ſuas adminiſtrandi poteſtatem obtinere.

ÆTERNA auctoritas, vide infrà Auctoritas.

Æternus paries, vide infrà Paries.

Æterna lex, vide infrà Lex.

ÆVITAS in XII. Tab. ſenium ſonat, Gell. interprete li. 20. c. j. cum ſcilicet iam prouectiores homines ſunt,

& quaſi capulares, vt inquit Plautus. Verba legis XII. hæc ſunt, Si in ius vocat, ſi morbus, æuitáſve vitium extitit, qui in ius vocaſſit, iumentum dato: ſi nolet, arcerá ne ſternito. Vnde æuiternus αἰώνιος, ſempiternus. Apuleius de Deo Socratis: Quos deos Plato exiſtimat veros, incorporales, animales, neque ſine vllo fine, neque exordio, ſed prorſus ac retro æuiternos.

AF

AFFATVS, principum decreta adloquendo, cognoſcẽdóque conceſſa. l. nos reddentes. C. de ſumm. trin. & l. ſacri. 6. C. de epiſc. aud. Non poſſunt autẽ ita adpellari aut definiri tardè conceſſa reſcripta, vt quidam autumant, nec hoc probat. d. l. 3. ibi tardiores. Nam eius conſtitutionis is eſt ſenſus, vt non expectata principis iuſſione, aut reſcripto, non cunctetur iudex in inſtantius perſequẽdis raptoribus virginum, ſacrilegis, homicidis, non expectatis affatibus, quæ fortaſſis tardius adferrentur, & interea illi effugerent, non ſine magno reip. incommodo. Alioquin definitum eſſet generalius definitione. Nam & in d. l. nos reddentes. plenos affatus legimus.

AFFECTVM beneficiũ appellant pontificij id, ad quod ex præſentatione ius habemus, gl. in verb. affectum. in ca. ſi capitulo. de conceſſ. præbend. lib. 6.

Affectus, præter notas ſignificationes, accipitur pro liberis. l. cunctos. 26. de decurio. lib. 12. C. Th. Capitolinus in Gordianis: Affectus ſuos, inquit, vnicè dilexit, filiũ & nepotem vltra morem. Quandoque pro vxore & aliis dilectis. Vulc. Gallica. Nec tamen, ait, Antonius grauiter eſt iratus, nec in eius liberos, aut affectus ſæuit.

AFFIDATI non propriè Vaſſalli ſunt, ſed quaſi vaſſalli. ſic enim dicuntur, qui in alicuius fidem & tutelam recepti ſunt. Neapol. conſt. lib. 3. tit. 7. Vt in terris, inquit, demanij noſtri nulli omnino liceat affidatos vel recommendatos habere. Item: Quòd ſi affidatos ſuſceperit, vel etiam commendatos, bona ſua omnia publicentur. Et conſt. ſeq. Duo ſunt neceſſaria, vt homines affidatorum vel recommendatorum iure teneantur. videlicet, quod prædeceſſorum noſtrorum temporibus homines illos ipſi, vel anteceſſores ſui tenuerint: & quod in eiſdem temporibus vel ab ipſis, vel à prædeceſſoribus ſuis de feudo vel hæreditario ſuo tenuerint aliquid, propter quod homines ipſorum meritò cenſeantur.

AFFIRMATOR, Vlpianus. D. li. 27. tit. 7. l. 4. Eadem cauſa videtur affirmatorum: quia ſcilicet cum idoneos eſſe tutores affirmauerint, fideiuſſorum vicẽ ſuſtinẽt.

AFFIXA, dicũtur Paul. l. 18. §. fi. & Põponio. l. 21. de fundo inſtruct. vel inſtr. leg. quæcũque infixa ædibus inædificatáque ſunt quæ l. 26. illigata ædibus dixit Iauolenus. De his meminit & Vlpia. l. fundi. de actio empt.

AFFLVERE exercitium in Impp. conſtitutione. l. j. C. de metal. & meta. lib. 12. eſt inſeri corpori metallariorum, quod res ipſa docet, & verb. Confluxerint.

Ἀφῆλιξ, cuius commeminit Modeſtinus. l. ἀφίενται. D. de excu. eſt, Theophilo definitore, ὁ τὴν ἥβην μὲν ὑπερβαβὰς, ἧττων δὲ τῶν εἴκοσι πέντε ἐνιαυτῶν, ᾧ προΐστανται οἱ κουράτωρες. Eſt pubes, minor tamen. 25. annorum.

Ἀφέσιν, ſiue ἄφεσιν, vacationem vertit Antonius Auguſt. ad l. ἀφίενται. D. de excuſ.

Ἀφοπλισμὸς in Græca conſt. l. μηδεὶς. de metat. & epide. lib. 12. C. exarmatio, ſiue armorum detractio. Vetatur ea conſtitutione præſes prouinciæ occaſione prætextúque ἀφοπλισμοῦ aurum exigere.

Ἀφοπλισταὶ in nouella Iuſtiniani conſti. 8. ſunt, interprete Iuliano Patritio, qui priuatis hominibus arma habere non concedunt.

Ἀφοσιώσεως χάριν apud Modeſtinum. l. ἐδόθη. 13. §. ἐὰν ἀφοσιώσεως. D. de excuſat. eſt dicis cauſſa, id eſt defunctoriè, aut perfunctoriè, vt rectè admonuit ad eum locum Antonius Auguſt. libr. 2. Emendat. c. 2. De hac formula vide amplius aliquid in, Dicis cauſſa.

AFRICVM frumentum apud Celſum. l. ſi is. qui 50. §. j. D. manda. pro optimo accipi quidam putãt. Equidem pro cariore, quàm deberetur, ſumi exiſtimem, idque vecturæ ratione, cuius rei cauſſa mandati illic agit fideiuſſor.

AG

AGAPES, pauperum conuiuia, Gratiano in c. ſi quis deſpicit. 42. diſt. qua voce etiam Chriſtianorum conuiuia ſignificari apud Tertullianum, & Cyprianum refert Alciatus lib. j. Prætermiſſ. ἀπὸ τοῦ ἀγαπᾶν, quod libentiſſimè recipere ſignificat, apud Plutarchum in Numa, & Æſchinem, & neutrire apud Ariſtotelẽ li. 2. Oecon. hic ἀγάπη, caritas, conuiuia quæ pauperibus dari ſolebant: quo ſignificatu vſus eſt in eum ſenſum Iudas Apoſtolus, in Epiſt. ſua, οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν. & in libris ſacrorum concil. τὰς ἀγάπας ποιεῖσθαι, id eſt, conuiuia facere. Vnde illum canonẽ decerpſit Gratianus, vbi forte ἀγαπὰς neutro genere legit. malim tamen illic legi ἀγάπας, vt & Apoſtolus Iudas indicat.

AGASONES, dicuntur equos agentes, id eſt minantes, Feſto lib. j. vel etiã qui iumenta curant, inquit Acron. quo ſignificatu vſus eſt Alfenus, l. fin. D. ſi quad. paup. fec. & l. cùm quæreretur. 60. §. j. D. de lega. 3. vbi Accurſius eodem modo interpretatur. ſ. qui equos ducit.

AGER eſt locus, qui ſine villa eſt, Vlpiano. l. Ager. D. de verbo. ſig. Locus verò ſine ædificio, in vrbe area, ruri autem Ager appellatur, idémque ager cum ædificio fundus dicitur, Florentino. l. fundi. D. eod. tit: Ager, inquit Varro lib. 4. ling. Lat. dictus eſt in quam terram quid agebant, & vnde quid agebant fructus cauſſa: id Græci dicũt ἀγρὸν. vt ager quod agi poterat. M. Fabius lib. j. Inſtit. orat. c. 6. hãc ἐτυμολογίαν reprehẽdit, aitque, ager, vocem ex Græco duci.

Ager purus opponitur monumento. l. 9. C. de relig. & ſumpt. fun. vt in veteri iudicis ſententia, Neceſſariam fuiſſe inſpectionem ædificiorum & loci, de quibus apud me actum eſt, re ipſa manifeſtatur. Quum igitur ædificia ſolo puro poſita deprehenderim, neque vllo ſepulchro ſuperpoſita vel coniuncta, apparet venditionem eorum iure factam, &c. Cuiac. Obſ. li. 10. c. 37.

AGRORVM NOMINA

Ager adſignatus, vide ſuprà Adſignatus, & apud Aggenum Vrbicum in comment. ad I. Frontinum de agrorum qualitate: idem & Antianus dicebatur.

Ager Adrianus, qui limitibus maritimis Gallicis finitur.

Ager Arcifinius Frontino in li. de agror. qualit. & Aggeno Vrbico in Comment. ab arcendis hoſtibus adpellatus. Alij dictum putant, quòd certis linearum menſuris non continetur, ſed arcentur fines eius obiectu fluminum, montium, arborum.

Ager Aſculanus, variis limitibus intercifiuis adſignatus.

Ager Auximalis limitibus Gracchanis per centurias adſignatus, Anconitanus eadem lege continetur. Albenſis idem vt Aſculanus. Reliqua agrorum nomina & ſignificatus petenda cenſeo ex lib. de agrorũ conditionibus variorum auctorum: quibus cõnumeratur ſubſequens. Quædã etiam recenſet Varro li. 4. de lin. La.

Ager limitatus Feſto lib. 10. in centurias dimẽſus. Is enim decumanis, & cardinibus dabatur, vt ait Front. lib. de agrorum qualitate, & ita accipiendus eſt apud Florẽtinum. l. in agris. 16. D. de acq. rer. domi. & Vlpianum. l. j. §. ſimili. 4. D. de fluminibus.

Ager occupatorius Siculo Flacco dicitur, qui & arcifinalis, ſeu arcifinius ſic dictus quod in tempore occupatus ſit à victore populo, territis exinde fugatiſque hoſtibus, quia non ſolùm tantum occupabat vnuſquiſque

quantum colere præſenti tempore poterat,ſed quantum in ſpe colendi habuerat ambiebat.

Ager reſtibilis,qui reſtituitur ac reſeritur quotquot annis,Varroni lib.4.de ling.Lat.

AGRICVLTVRA ab initio ſemper fuit,& iam nunc eſt functio longè honeſtiſſima,quã ſancti patres apud Hebræos,& qui nobiles apud Romanos habiti ſunt, excoluerunt.Vnde nos hodie magnã nobilitatis exiſtimationem quoque ducimus,quod plerique nullam omnino negotiationem,ſed diuinam agricolationis inſtitutionem ſequuntur,& lucra velut ex manu Dei ſuſcipiunt.Qua ratione veteres,cum bonum virũ ſignificare vellẽt certo aliquo vitæ genere, bonũ agricolam appellabãt,teſte Catone in li.de re ruſt.& breuiter,quanto interuallo agriculturã Cicero præferat negotiationibus,ipſe tu lege in Officiis. Et Valerius libr.4.teſtatur.Qu.Cincinnatum arãtem, olim fuiſſe, & quidem ſcilicet,ſalutatum Dictatorem.Vnde apud Liuium Agricultor:ſic & l.25.tit.de probat.& præſ.D.

AGRIMENSORES qui fines regunt,limites dirigunt, vt liquet ex Conſtitutione Theod.& Valen.Impp.l. præcipimus.de ſepul.& Imp.Conſtan.l.3.C.fi.reg.himenſores Vlpiano dicuntur.l.ſi irruptione.D.eod.Hi etiam agrorum modum præſtituunt.

AGERE, verbum latiſſimè patet.Tritiſſima ſignificatione,facere,& gerere:inter hæc tamen ſubtilis quædam eſt differentia. Actum enim generaliter dicitur ſiue verbis,vt ſtipulatione,ſiue re vt numeratione: geſtũ, rem ſine verbis factam ſignificat,Vlpiano ex Labeone.l.Labeo.19.D.de verb.ſignif.Interdum hæc tria in eadem oratione ponuntur,vt apud eundẽ Vlpianum. l.2.D.de curat.bo.dand.l.j.D. de offic. procura. Cæſ. Agere etiam eſt iudicio experiri,& iudicio perſequi: exempla ſæpius fiunt obuia:ideò non referenda.

Agere eſt ducere,Vlpiano.l.j.§.j.D.de riuis,Vnde,ait primùm aqua ex flumine agi poſſit:& eodẽ ſenſu, Agere ratem dixit Prætor in l.vnic.D.vt in flu.pub.na.lic.& agere iumenta.l.7.D.de ſerui.ruſt.l.235.de verb.ſig.

Agere etiam tractare ſonat,apud Calliſtratum.l.non intelligitur.§.j.verſ.quando autem.l.j.§.j.ibi agunt.D.de pact.id eſt tractant.

Agere etiam dicitur qui excipit,auctore Vlpiano.l.j.D.de except.

Agere apud Celſum.l.ſi plures.D.de cur.bo. dan.adminiſtrare ſonat,& apud Theodoſium Imp.l.pro biennio. de proxi.ſac.ſcrin.lib.12.C.

Agere dicitur,qui & alicubi degit,aut moratur. l. cùm filius.D.fami.erciſ.l.ſolent.D.de cuſt.reo.

Agere accipitur pro præeſſe, apud Vlpianum.l.2.D.de offic.Iuridic.Alex.

Agere actionem,apud Vlpianum.l.non ſolum. 39.§.j.eſt in iudicio proponere:ſic apud eundem.l. vti frui.§.in his.D.ſi vſusfru.pet.& l.idem Pomponius.5.§.j.D.de rei vendi.& alibi ſæpe.

Agere cauſſam dicuntur oratores apud Varronem lib.5. de Ling.Lati.id eſt,iudicio contendere. Sed & litigatores ipſi,quorum res eſt.l.j.C.de iuris,& facti igno.

Agere rempublicam,eſt adminiſtrare.l.qui mittuntur.35. D.ex quib.cauſ.maio.

Agere ex ſponſu apud Ciceronem pro Quintio,in interdicto de vi,ex illa ſponſione,quæ apud iudices fiebat, liticulam intendere. Agere etiam ex ſponſu dicitur is qui vicit,de re aliqua pignore certans:quo in genere actionem præſcriptis verbis dari Vlpianus ſcribit. l.ſi gratuitam.§.ſi quis.D.de præſcr.verb. ludi tamen cauſſa ſponſionem facere licere Marciano placuit.l. pen.D.de aleato.ergo eo nomine ex ſponſo agi poſſe conſtat.Planè ſi quid iocandi cauſſa dictũ ſit,ex ſponſu agi non poſſe Varro lib.5.ſcripſit.

Agere lege,apud Vlp.l.Barbarius.D.de off.Præto. eſt ius, quod lege aliqua proditũ,cõſtitutúmve eſt, perſequi.

Agere autem eſt ipſam perſequi, Venuleio.l. vltima. D. quod vi,aut clàm.

Agere animã,agere diem extremum vitæ, hoc eſt,morti iam operã dare,ad exitum huius vitæ agonem inire, ſeu certamen.Oppoſitum, Agere in humanis rebus, agere vitam,agere ætatem.

Agere pœnitentiam dicitur,quem facti pœnitet, Paulus in l.ſi in lege.§.colonus.D.locat.

Agere ſummo iure,eſt præfracto,ſtrictóque iure in iudicio contendere,Cicero pro Cecinna,Non minus, ait laborat Cecinna,ne ſummo iure,&c.

Agere menſuram,apud I.Frontinum, & Vlpianum, ad menſuram reducere.

Agere cum populo, eſt rogare aliquid populum, quod ſuffragio ſuo vel iubeat,vel vetet,ex M.Cicerone lib. 3.de legib.vnde rogatio,pro lege dicitur. Comitia habere,idem eſt.Agere ad populum,hoc eſt,concionem habere.Agere cum patribus,eſt ad Senatum referre, Budæ.l.j.D.de ambit.

Agere forum,eſt iura reddere & cauſas audire.

Agere reum,accuſare;peragere reum,condemnare.

Agere etiã is videtur,qui exceptione vtitur.Nam reus in exceptione actor eſt,Vlp.l.j.D.de exce.præſ.& præiu.

Agi de capite,in capitis diſcrimen venire. Agi de bonis, vel bona alicuius aguntur.

Agere denique verbum generaliſſimum eſſe adnotant Accur.& Viglius in §.ſed neque.Inſt. de teſtam. cuius verbi diuerſas ſignificationes hoc tetraſticho expreſſit Martialis:

Semper agis cauſas,& res agis,Attale,ſemper.
Eſt,non eſt quod agas,Attale,ſemper agis.
Si res,& cauſæ deſint,agis,Attale,mulas.
Attale,ne quod agas deſit,agas animam.

Agens libellos,non pro magiſtro libellorum ſupplicum, ſed pro præfecto prætorio accipiendum putem,apud Tryphoninum.l.reſcriptum.in princ.12.D.de diſtract. pign.Nam temporibus Alexandri Seueri, de quo.d.l. reſcriptum.loquitur,Papinianus erat Præfectus prætorio.Auctor eſt Spartianus in Alexand.

AGENTES IN REBVS,de quibus extat tit.libr.12.C. (vt explicat Turnebus Adu.lib.13.c.10.) erant in militia palatina, & velut armata, id eſt in rebus & actu reip.quòd per prouincias ſpeciebus annonariis, quæ fiſco aut vrbibus præſtabãtur ex canone aut indictione,conuehendis importandíſque præeſſent, vt canoni Romano,canoni Alexandrino,frumento militari, atque eorum etiam officiorum annonis, quæ in palatino erant comitatur. Itaque diuus Hieronymus eos interpretatur πυϱοφόϱυς, frumentarios & veredarios. Hoc enim,(inquit,)quod LXX.tranſtulerunt πυϱοφόϱον, nos frumentarium vertimus,iuxta antiqui ſermonis eloquium.Eos enim quos nunc agentes in rebus, vel veredarios appellant,veteres frumentarios appellabant.Et ſi autem erant in Palatinis officiis, (vt indicat diuus Ambroſius in epiſt.ad Marcel.his verbis:Palatina omnia officia,hoc eſt memoriales,agẽtes in rebus, apparitores diuerſorũ comitum,)tamen munus eorũ etiam in prouinciis erat,cùm & in Imperatoris aula frumentationibus & annonis præeſſent, & in prouincia eandẽ rem curarent.Quin & à Palatinis in Th.C. diſtinguuntur his verbis:Quicũque igitur inter agẽtes in rebus, vel inter palatinos militiæ ſacramenta ſortiti ſunt.Qui de his plura cognoſcere cupit, legat Cuiac.commentariũ in C.tit,de agent.in reb.In peruteteri lexico agẽtes in rebus legitur exponi μαγιϛϱιανὺς,rectè:quia ſcilicet magiſtro officiorũ attribuebãtur executores ex ſchola agentiũ in rebus, vt teſtatur Marianus Scotus:hoc vocabulũ Suidas explicat καϛϱιϲίυς,id eſt caſtrẽſes.Agentiũ in rebus genera hæc ſiue

gradus

gradus ſub illa rub. memorantur, vt alij ſint tribuni ſcholarum, alij primicerij, ſenatores, ducenarij, biarchi, circitores, equites, & tyrones: &c. Atque hi poſt continuæ militiæ tempus veluti pro præmio laboris exacti, fiunt principes agentium in rebus: de quibus extat tit. lib. 12. C. Caſſiodorus lib. 12. Cur agẽtium, inquit, in rebus miles officij poſt tot laboris incerta aliquid patiatur ambiguum, qui crebris actionibus excubando, ideo principis nomen habere promeruit, quia militiæ ſacramentis cæteros antecellit.

AGITARE, agere, litigare. l. fi. D. de fideiuſſo. Agitare etiam, quærere ſignificat. l. j. §. veteres. D. de acq. poſſ. l. quod pariter. D. de reb. dub.

Agitare, tractare. l. idque. 45. D. de actio. empt.

Agitare eſt incitare ad currendum. l. j. C. de curſu public. lib. 12. ſic & accipiẽdum putem in l. eos qui. de ſpectac. lib. 11. C. ſiue currum equis adhibitis ducere.

Agitatores, aurigæ ſunt, qui in ludis Circenſibus curuli certamine ſe exercebant, Alc. in l. j. C. de ſpect. lib. 11. adde Budæum elucidantem. l. athletas. de infami. in prin. annot. & vide l. fi. C. de mal. & math.

AGGERES ſunt lapidũ, terræque coaceruatio fixis palis, vndis cohibendis oppoſita, apud Vlp. l. pen. D. de extraor. crim. l. j. in fi. D. de aq. & aq. plu. l. impẽſæ. 14. D. de impenſ. in reb. dot. Hi valla adpellantur ab Honor. & Theodoſ. Impp. l. vnic. C. de Nili agge. nõ rump. Significare etiã aggerẽ viã lapidibus ſtratã Iſidorus ſcribit li. 15. Etym. c. vlt. Seruius autẽ in lib. 12. Æneid. putat pro muris accipi. Equidẽ in eo Virgil. loco pro munimẽtis murorum ſumi putem. Virgilij verba hæc ſunt,

Quin intra portas, atque ipſis prœlia miſcent
Aggeribus murorum.

Nec mouet quod ait Varro, quòd muris continerentur. Nam quæ cohærent, eodem iure cenſenda ſunt. l. quæ religioſis. D. de rei vindic.

AGMEN vt notos ſignificatus prætermittam, ſignificat numerum præfinitum, in Iuſtini (niſi nos fallat inſcriptio) conſtitutione. l. pen. C. de aduo. diuerſ. iudicum.

Agmen aquæ in Claudij Imp. conſtitutione pro multitudine aquæ. l. præſes. 6. C. de ſer. & aqua.

AGNATI, Agnatio, Agnaſci, vide ſuprà Adgnati.

AGNOMEN Grammaticis, quod extrinſecus aliqua ratione, vel caſu quæſitum eſt: hoc tamen in veterũ Iuriſcoſſ. aliorúmve ſcriptorum libris nõ legiſſe ſe Ant. Auguſtinus refert lib. 3. Emend. c. 8.

AGNI ſunt minores anniculis, Alfeno. l. cum quæreretur. 60. D. de leg. 3. Agnorum autem quandiu loco ſint, ex vſu cuiuſque loci accipiendum putat Marcian. l. legatis. 65. D. eo. Nam in quibuſdam locis ouium numero videntur, cum ad tonſuram venerint: & hoc ſignificatu Græcis agnus dicitur, ἀγνὸς. ſed &

Ἀγνὸς Græcis purũ caſtumque ſonat, Feſto: ſed & agnus, ouis fœtus eſt, eò quod ſit hoſtia pura, immolationi apta: vnde & IESVS CHRISTVS Saluator noſter rectè agnus dictus eſt in variis Noui teſtamenti locis.

Ἀγνὸς, fruticis genus apibus gratiſſimum, à Gaza redditur, vitex, apud Ariſtotelem lib. 2. animal. Hinc ἀγνοφόρον apud Modeſtinũ. l. Titia. 34. §. j. D. de leg. 2. ferẽs agnos: ſic enim legendum dudum admonui ad. d. §. in Pand. Rouillianis, & lib. 3. c. 4. Iuriſprud. Med. non ἀμνοφόρος, vt in vul. codic. nec ἀγωνοφόρον, vt in P. Flo.

Agna, Ruſticis Beticæ prouinciæ menſuræ genus, aliis actum, auctores ſunt Theodoſius & Neuterius: & hũc duplicatum putem ex Columella lib. 5. c. 16.

Ἀγωνοθέται Iulio Polluci lib. 3. c. 30. ſunt ἀγώνων διαθέται, id eſt, certaminũ præfecti, certaminũ præſides, & conſtitutores: quo ſignificatu accipiuntur apud A. Chareſiũ. l. vlt. §. maſtigophori. D. de mu. & hono. & apud Hono. & Theod. l. fi. C. Th. de expen. lud. Suidas, ἀγωνοθέτης ὁ ἐν τοῖς σκηνικοῖς· ἀθλοθέτης δὲ, ἐν τοῖς γυμνικοῖς. Hinc ἀγωνοθετεῖν certaminibus, ludíſque præeſſe, ea cõſtituere, & deſignare, apud Modeſtinũ. l. Septicia. 10. D. de pollici.

Ἀγωνοθεσία munus deſignandi, conſtituendíque certaminis, apud Vlpianum ex Neratio. l. ſi filia. 20. §. Neratius. D. famil. erciſc.

Agonothetici fundi in l. fi. C. de fund. patrim. libr. 11. qui ſumptibus certaminum ſacrorum deputati erant, vt C. de diuer. præd. l. pen. Agonophori vocantur. l. Titia. j. §. j. D. de legat. 2. vt vult. Cuiac. in l. vlt. C. de fund. patrim.

Ἀγωγικὰ, in Græca conſt. l. 4. de diſcuſſor. lib. 10. C. ſiue ἀγωγαὶ in Nou. 128. dicebantur quæ agebantur, ducebantur ad principem: cui ſignificationi indicio eſt verbũ παραπομπικὰ vtrobique poſitum, quo tranſmiſſilia ſignificantur.

A I

AIO verbum veteris iuris erat, quo actiones perſonales intendebãtur. ſignificat dedico, adfirmo, Nonio. Hinc nata illa forenſis formula. A. T. M. D. O. id eſt, Aio te modò mihi dare oportere, vt Valerius Probus ſcribit.

Αἰτία, accuſatio, criminatio, apud Claſſicos rerum Græcarum ſcriptores: ἐν αἰτίᾳ γίνομαι dixit Plutarch. in Camillo, quod & I. Pollux lib. 8. oſtendit ex Platone, aítque eſſe verbum iudiciale, ſiue forenſe.

Αἰτήματα Geometris ſunt petitiones, in lib. de generib. lineamentorum. Bud. in l. j. D. de iuſtit. & iur.

A L

ALÆ, præter notiſſimos ſignificatus ſunt militum aut equitum ordines, Gellio lib. 16. c. 4. ſic accipiẽndæ ſunt apud Vlp. l. 2. D. de iis qui not. inf. & Suet. Tranq. in Claud. ex quo. d. l. 2. explicatur ibi, cohortis. dictæ ſunt Vegetio ad ſimilitudinẽ alarũ, Vegetius lib. 2. c. j.

Ἀλαβαρχία, eſt munus cuius meminit conſtitutio Imppp. l. vſurpationem. 9. C. de vectig. & cõmiſſ. ſic enim ibi legẽdum quidã admonuit, cum ibi Arabarchia vulgò legatur. vide infrà Arabarches.

ALABASTER, vas vnguentarium Baiſio. l. argumento. 25. §. mundus. D. de aur. arg. mund. vbi ſic legendũm putat: pro quo in Pand. Flor. eſt Lauatio, riſcus, vt ex ipſomet refert. Vide Lauatio.

ALBINI, quos Græci κονιάτας vocãt, in Cõſtantini Imp. ad Maximum conſtitutione. l. j. C. de excuſ. artifi. lib. 10. ſunt albarij, qui albario muros illinunt.

ALBARIVM, calx liquefacta, qua muri exalbantur, Alciato ex Plinio ad. d. l. j. Vnde albarium opus apud Vitruuium, id eſt tectorium, quod ex calce pura fit.

ALBVM, tabula dealbata, vel, vt ait Theophilus. §. pœnales. Inſt. de acti. ἄλβον λέγεται ἐν ᾧ τὸ ἔδικτον λευκοῖς γεγράφθαι γράμμασι: in quo Prætores edicta, actiones, interdictáque proponebant, quò omnibus innoteſcerent. l. j. C. de interdi. §. pœnales. Inſt. de actio. Nec tamen exiſtimãdum eſt literas albas fuiſſe, vt vult Theophilus loco præcitato, ſed tabulas ipſas, vt quiuis facilè intelliget ex his Cice. verbis li. 2. de Orat. Res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, efferebátque (malim referebat) in albũ, & proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi, Item & ex Plauto, Si id fiat, ne iſti faxim nuſquã appareant, Qui hic albo pariete aliena occupant bona. Hic autem ſignificatus ad tabellas, quæ iudicum pronuntiata continent producitur, quod conſtat ex l. ſi quis. 7. & l. ſi familia. 9. D. de iuriſdict. & ex Paulo lib. j. Sentẽt. tit. 13. & lib. 5. tit. 25. & l. j. D. de edẽd. & vide Anianũ qui præcepto curiæ intellexiſſe viſus. §. is qui. d. tit. 13. Albas autem ſententias Aſinius Pollio apud Senecã Græco more, dixit, apertas, faciles, non obſcuras, nõ tenebricoſas. Euſebius enim λευκότατον pro clariſſimo & facillimo vſurpat. Illius verba hæc ſunt, Sententiæ, quas optimè Pollio Aſinius albas vocabat.

Albi etiam adpellatio ad alia transfertur: ſignificat enim matriculam.l.Herennius.10.D.de decurio.& l.fi.§.Camelaſia.D.de mun.& ho.l.j.& 2.de albo ſcri.l.in albo. 9.l.nominationum.de Decurio.li.10.C.& iſtud λεύκωμα τῶν βουλευόντων adpellat Dio lib,55.Erat & Album iudicũ Trãquillo in Claud.c.16.quod ſumitur pro tabellis,in quibus eorum nomina deſcripta erant,qui earũ erant decuriarum,quæ vnoquoque tempore iudicabant,quæ & λη̃ξιαρχικὸν γραμματει̃ον dicitur. Hinc illud Plinianum in Præfatione per metaphoram dictum: Cum hanc operam condicerem,nõ eras in hoc albo. Erat & λεύκωμα τῶν πολιτῶν, I.Polluci lib.8.

Alea, taxillus quo fortunæ periculo ludimus. ſic enim accipitur in edicto prætoris.l.j.in princ.D.de aleato.

Aleam ludere pro ludere taxillis, vel alio fortunæ ludo, dixit Paulus.l.26.D.de iniuriis.

Aleæ luſus legibus vetitus fuit, quod & Horatius docet lib.3.Carminum,his verbis:

-neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet ludere doctior
Seu Græco iubeas trocho,
Siue malis,uetita legibus alea.

Alea cùm pro ludo accipiatur.l.fi.§.j.D.quar.rer.actio nõ det.fit vt ad fortunam,& periculi cuiuſuis dubitationem ſignificandam porrigatur,vt iacere aleam dicatur is,qui ſe periculo exponit:emere item aleam,qui incertæ rei futuræ ſpem emit,veluti captum piſcium, vel auium,Paulus in l.cùm hæreditatem. D. de hæred. actio.vend.l.8.D.de contrah.empt.& alibi.

Aleatores ſunt,qui ſeſe quocunque ludendi genere varietati fortunæ committũt,& pecunias, & tẽpus, aliquando etiam vitam amittentes.Hos rectè coërceri vult lex in republica: quia nulla eſt maior occaſio deprauandi animi,quàm ludus paſſim immodicus,ad perniciem omnium rerum.l.fi. C. de religioſ.Horum ſuſceptor in Baſilic.lib.60.ταβλολόχος dicitur.Eſt enim ταβλίζειν,alea ludere.Sudas, Περὶ οἱ,τὰ βόλια ἐν οἷς ταβλίζουσι.

Alias, aduerbium variè pro re accipi apud Iuriſcoſſ. ſolet.Plerunque enim ſignificat,id eſt,aliò, vel potiùs in aliũ locũ.l.adeò.§.quod ſi.D.de acq.rer.dom.Sumitur etiã pro aliquando.l.qualem.19.§.vnde videndum. D.de recept.arbit.Significat etiã,alioquin, apud Scæuolam.l.diuortio.in princ.D.de neg.geſt.nam conditionis ibi nota non eſt,quod quidã crediderunt. Aliàs exceptionis notam eſſe liquet. l.qui teſtamento. 20.§. mulier.D.de teſt.nam ibi alias,id eſt in aliis actibus. Sumitur & pro aliter,& extra eos caſus. l. aliàs. D. de iureiur.Sonat etiam modò,ſi geminatè aut tripliciter, aut quadrupliciter efferatur, aut ſcribatur: vt videre eſt apud Calliſtratum.l.3.§.eiuſdem.D.de teſtib.Cic.in Verrem,Alias reuocabat,aliàs decernebat.Eſt vbi geminetur tripletúrve,accipitur tamẽ pro aliter.l.cũ hi. §.modus.D.de trãſac.Aliàs temporis,putà præteriti,ſignificatiua eſt,vel ſignificat aliquãdo,vel anteà.l.pen. §.fin.D.de inoff.teſt.& l.diuus.6.D. de cuſto.reo. Scio Bart.in l.j.verſ.5.quæro de dictione.D.de cond.& demon.quinque ſignificationum huius aduerbij genera collegiſſe,quæ apud eũ videas velim,atque expendas.

Alivs, vide infrà ſuo loco.

Alicvlas, veſtimenta eſſe puerilia Vlp.ſcribit. l.veſtis.23.D.aur.arg.mund.leg.quidam tamen ibi legendum putant caligulæ. Hotomanus putat legendum, Allicvlæ, vt manicatæ tunicæ intelligantur,quæ pueris decoræ,grãdioribus autẽ minus honeſtæ apud Romanos erant vt patet ex Gell.li.7.c.12.nam, vt ait Heſychius, ἀλλιξ,χιτὼν χειρίδωτος. Allix,inquit, tunica chirodota,id eſt manicata.Cuiacius verò Aliculas, togas breues interpretatur,& has pueriles, ex Martiali: *Brumæ diebus mittebat imber aliculam.* Quod ita alibi, *-breuis gelidæ miſſa eſt toga tempore brumæ.*

Alienare mediæ nouæque Iuriſprudentiæ verbum eſt,quo iuris dominiíque à nobis trãſlationem ſignificamus qui ſignificatus ita notiſſimus eſt,vt exemplis minimè egeat. Alienare etiam minuere,amittere, pro eod.l.j.§.quid ſi in lite.D.ſi quid in fraud.patro.& puto(ait Vlpia.) hunc deminuiſſe de patrimonio ſic minuere pro alienare Vlp.l.fi. D. de legibus,oppoſitum adquirere.d.l.fi.Hinc alienatio generali ſignificatione complectitur omnem prorſus tranſlationem rerũ, videlicet manumiſſionem, vſusfructus dationem, hypothecam,pignoris nexum, ſeruitutis impoſitionem, emphyteuſis contractum,ex Iuſti.conſtitutione.l.fin. C.de reb.alien.non alien.His addit idem Imp.Nouel. 7.§.τὸ δὲ τὴν πρᾶσιν,δωρεὰν καὶ ἀμειψιν, id eſt, venditionem, donationem, & permutationem. Illis quoque adiici poteſt & tranſactio, ex ſententia Impp.l.non ſolùm.C.de præd.mino.

Alienandi verbo propriè vẽditionem ſignificari, ait Cuiac.in lib.3.Inſtit.de locat.& cond.vbi pro venditione,Zenonem ſcribit alienationem dixiſſe.

Alienare licet res ſacras propter redemptionem captiuorum.Nam animæ hominum præferendæ ſunt inanimatis.Nouel.de non alienan.aut permutand.§.iiſdẽ pœnis.conſtit.6.ex Holoandri verſione.

Alienare eum intelligi Paulus ſcribit.l.ex hoc autem.8.§. alienare.D.de alien.iudic.mut.cauſ.fact.qui rem alienam vendidit.Qui autem occaſione acquirendi non vtitur,non item,eidem Paulo.l. alienationis.28. D.de verb.ſign.Porrò iam quæſitum repudians, alienat.l.5. §.4.D.de reb.cor.qui ſub.

Alienatvm non propriè dicitur,quod adhuc in dominio venditoris manet,venditum tamen rectè dicitur.Vlpianus.l.alienatum.de verb.ſignifi.D.

Alienatus Feſto lib.j.dicitur qui alienus factus eſt.

Alienationem, rei ſuæ,iuríſque ſui in alium trãſlationem definit An.Senec.lib.5.de Benefic.c.10.

Alienatio ſæpe manet in pendenti, pòſt futuris committenda fortunæ caſibus. Nouel. de his qui nupt.iter.§. quoniam verò alienationes.conſtit.22. eo.interprete.

Alienatio voluntaria,quæ conuẽtione fit:neceſſaria, quã ius infert.Paul.l.j.D.de fund.dotal.l.3.§.3.D.de reb.cor. qui ſub.

Alienationis verbum etiam vſucapionem continet.Vix eſt enim,vt non videatur alienare, qui patitur vſucapi.Eum quoque alienare dicimus qui non vtendo amiſit ſeruitutes.Qui occaſione adquirendi non vtitur,non intelligitur alienare:veluti qui hæreditatem omittit, aut optionem intra certum tempus datam, non amplectitur, Paulo. l. alienationis. D. de verbo. ſignific.

Alienvm non eſt,ſcilicet ab vſu forenſi, & vtilitate humanæ ſocietatis.Opponitur ei clauſulæ in legibus frequentiſſimæ, hoc ivre vtimvr.

Alienus poſthumus,qui non eſt teſtatori futurus ſuus hæres,Inſtit.de leg.§.Poſthumo quoque.

Alimentorvm nomine cibaria, veſtitus, & habitatio continentur.l.legatis.6.D.de alim.& cib.leg. Sanè ſi quis de alimentis tranſigat, neque de veſtimentis,neque de habitatione tranſegiſſe videtur.l.cum hi. 8.§.qui tranſigit.D. de tranſ. Vnde colligi poteſt alimẽta à cibariis differre:nam illorũ nomine ea omnia continentur:ſine quibus ali corpus non poteſt: horũ verò tantùm quæ ad cibum pertinent.

Alimentarii dicuntur quibus alimẽta legata ſunt, l.pen.§.j.D.ad leg.Falc.l.8.§.3.D.de tranſact.eadem ratione qua donatarij aut legatarij.

Alimodi, pro alius modi Feſto lib.j.

Aliorsvm aduerbio vſus eſt Cato apud Feſtum: ſigniſi

gnificat autem verſus alium locum.Apud Terentium in Eunucho act.1.c.2.Aliorſum ſumitur, pro in aliam partem.

ALIQVO SEQVIVS, vel Aliquo ſetius, apud Vlp.in lib.de offic.proconſulis,gloſſæ veteres exponunt, ποσῶς νωχελέστερον, quod eſt aliquantum tardiuſcule.

ALIVS, excluſionis nota,l.ſi fundum.81. §.ſi libertus. D. de leg.j. Alciatus reſponſo.566. Aliquando pro quidam accipitur,& hoc ſi geminetur, quale eſt in Iuſtiniani conſtitut.l.aliis,in princip. C.de curator.furio. aliis, id eſt quibuſdam. Quandoque ſumitur pro diuerſo à ſuperioribus,vt in l.vni. C.vt actio & ab hæredi.& cont.hæ.& ſic excludit:cuius vocis ea vis eſt l. illud.C.de ſac.ſanct.eccl.l.defenſores.2. C.de defen. ciuit.l.reſcripto.D.de muneri.& hono.Eſt caſus vbi includere videtur:nempe in decreto pontificũ, quod eſt in c.j.in fin.de præbend.& dignit.lib.6.

ALIVTA (inquit Feſtus lib.j.) antiqui dicebant pro aliter,ex Græco ἄλλῃ,vel ἄλλως transferentes.Hinc eſt illud in legibus Numæ Pompilij, SI QVIS ALIVTA FAXIT, IPSVS IOVI SACER ESTO.

ALLAVDIVM, vide ALODE.

ALLEGARE eſt adſerere & proclamare, vt apud Vlpianum l.diui fratres.27.§.quod ſi.D.de lib.cauſ.allegare ſe in ingenuitatem, id eſt adſerere & adfirmare ſe ingenuum.

Allegare eſt poſtulare, & ius ſuum apud iudicem exponere,l.j.§.remouet.D.de poſtul.Vnde Allegatio eſt iurium productio, id eſt δικαιολογία, Paulo l.minor.36. D.de min. Sumitur & apud Marcianum, l.60. D.de ritu nupti.pro excuſatione quæſita quidpiam citando, aut allegando. Falſis, inquit, allegationibus ſe à tutela excuſare.

ALLEGERE eſt in ordinem adſumere,& cooptare, Vlpian.l.3.§.ſpurios.D.de decurio. Suetonio in Tiberio ca.51.Allectos autem antiquus gloſſematorũ ſcriptor interpretatur λογογράφους, quod congruit cum l.12. & 13.C.Th.de ſuſcep.præp.& arc.eos nempe ſignificans qui ſuſcipiendis tributis fiſcalibus allegerentur. Inde l.11.eod.Allegationis officium. Vide ſupra Adlecti.

Ἀλληγορία, quæ tropis connumerata,à M.Fabio lib.8. ca.6. inuerſio adpellatur:aliud verbis,aliud ſenſu oſtendit, eadem vſus eſt Vlp.l.imperium.D.de iuriſ.d.ibi,gladij. quod verbum illic pro puniendi iure accipitur.

Ἀλληλέγγυοι duo ſunt rei qui vice mutua fideiuſſerint.Hinc Baſilius Porphyrogenneta, cum pro his qui lapſi eſſent facultatibus tributorum nomine locuplex conueniri iuſſiſſet, nouam illam exactionem ἀλληλέγγυον vocauit,auctore Zonara & Cedreno.

ALLIGARE pecuniam dicitur qui ſtipulatur & reſtipulatur, Varroni lib.4.Ling.Lat.vel potius qui obligat. Alligatus ſponſu.apud eundem lib.5. dicitur qui ſponſione obſtrictus eſt,idque tranſlatitiè.nam alligare propriè eſt ad aliquid ligare, vt apud Vlpian.l.j.§.j. verſi. & ſi machinam.D.de mort.inferend.

ALLVSIO ſolam verbi vocem,non etiam rei veritatem reſpicit,Alcia.l.tabernæ.D.de verb.ſignif. Igitur probabilem potius, quã neceſſariã probationẽ parturire poteſt,veluti poſſeſſio,à ſedibus,quaſi poſitio.l.j.D.de acquir. poſ.bona ex eo quòd beant,hoc eſt, proſunt l. bonorum appellatio. D.de verb.ſig.ſtipẽdium à ſtipe, l.ager.D.eo.tit.Dimiſſoriæ literæ à dimittendo.Ibidẽ, Tugurium, à tegendo, quaſi tegularium. l.Tugurij.D. de verb.ſignif.pignus à pugno, l.plebs.ibidem. Teſtamentum,quaſi teſtatio mentis,Inſt.de teſtam.in prin. quædam item nomina habent variam alluſionem, vt de furto in l.j.D.de furt.

ALLVVIO eſt latens incrementum,id eſt ita lentè progrediens,vt non appareat, vt definit Iuſtinian.Imp.§. præterea.Inſtit.de rer.diuiſ. Porrò per alluuionem id adiici videtur,quod ita paulatim adiicitur, vt intelligere non poſſimus,quantum quoquo momento temporis adiicitur,l.adeo.7.§.j.D.de acq.rer.dom.& vide quæ in hanc rem ſcripſit C.Harmenop.lib.2.titul.1. περὶ ποταμοῦ. Vide Hoto.in Commen.verborum iuris. Illam enim ſuprapoſitam Iuſtin.definitionem, vt parum aptam, & à verborum proprietate alienam, ab exemplis reprehendit.

Alluuione fit incerta poſſeſſio.Nam quod adiectum eſt quandoq; ad priorem dominũ redit,vt ſcribit I.Frontinus lib.de Limitib.agrorum,ex Impp.conſtitutione.

ALLVVIVS ager,quem paulatim fluuius in agrũ reddit, vt eſt in li.de limitib.qui ſubiicitur Aggenno Vrbico.

ALMA, Feſto li.j.ſancta,ſiue pulchra,vel alens, ab alendo ſcilicet:pro pulchra aut clara,& inclyta accipi putem in l.vnic.negociat.ne milit.lib.12.C.

ALODE, vel Alodum, Alodium, vel allodium, dicitur proprium cuiuſque liberi hominis patrimoniũ: quod Romano more dicebant, Prædium cenſui cenſendo: vel Prædium mancipi: vel quod iure Quiritium, aut quod mancipio & nexu tenebatur. Cicero de aruſp. reſpo. Multæ ſunt domus in hac vrbe, atque haud ſcio an pene cunctæ, iure optimo, ſed tamen iure priuato, iure hæreditario, iure auctoritatis, iure mancipij, iure nexi. Feudiſta lib.2. titulo 26. §.2. Agnatis feudum, filia verò allodium eſſe aſſerentibus. Item libro 2.titul.17.§.2.Per filiam debere recognoſcere, cùm de paterno allodio, eſſet hoc feudum. In leg.Baioar.vbi titulus eſt:Vt nullus Baioarius allodem,aut vitem ſine capitali crimine perdat: mox hæc ſubſequuntur: In Ducis poteſtate ſit vita ipſius, & omnes res eius & patrimonium.Sic legit Salice.titul. 62.de allodis.Item, Ripuariæ 68.& Baioar.cap.24.de his qui propriã allodẽ vendiderint. Et apud Radeuicum libro 2.cap.30.vbi Imperator Fridericus loquens de Adriano Papa:Nuncios noſtros non eſſe recipiendos in Palatiis Epiſcoporum aſſerit.Concedo: ſi fortè aliquis Epiſcoporum habet in ſuo proprio ſolo, & non in noſtro palatium.Si autem in noſtro ſolo & allodio ſunt palatia Epiſcoporum,cùm profectò omne quod inædificatur, ſolo cedat, noſtra ſunt & palatia. Item cap.Baioariæ legis 24. Venditam allodem euincenti dicitur:Cur inuadere conaris territorium, quod ego iuſtè iure hæreditatis donaui?Tum alter: Non ita, ſed mei anteceſſores illud tenuerunt, & mihi alodem reliquerunt,& veſtita eſt illius manu cui tradidi. Item legis Anglorum tit.17.de alodibus.Hæreditatẽ defuncti filius,non filia ſuſcipiat.poſt quintam tamen generationem filia in hæreditatem ſuccedat.& tunc demũ hæreditas ad fuſum à lanſea tranſeat. Item leg.Franc. lib.ca.51.Audiuimus,quòd aliqui reddant beneficium noſtrum ad alios homines in proprietatem: & in ipſo placito dato pretio comparant ipſas res iterum ſibi in alodem.Sic apud Adonem in Chron.ætat.vi.Baptiſatis Saxonibus, & ingenuitate & alodo firmitas fidei roborata,ſi amplius amiſſa Chriſtianitate in perfidiã relaberentur:id eſt, ſub pœna libertatis & patrimonij amittendi, Rerum igitur duo genera Barbarici Scriptores conſtituerunt: Allodia, quæ pleno patrimonij iure ſic tenebantur, vt eo nomine nulla neque gratia,neque merces,neque opera, deberetur: & Feuda,quæ beneficio alterius ſic tenebantur, vt eorũ nomine gratia & opera quædam deberetur. Helmodus in hiſt.Slau.lib.2.ca.6.Nobile illud caſtrum cum omni attinentia ſua obtinuit.Allodij inſigne exemplũ extat apud Hectorem Boetium hiſtor.Scot.lib.16. Inter reliquam prædam,inquit, diploma donati à Rege agri inuentum eſt,his verbis exaratũ:Ego Rex Adelſtanus dono tibi Pauline Oddan & Roddan prædia tam bona,tàmque immunia,atque ipſe ea poſſedi. Verbi autẽ

illius notionem demonſtrare in tanta caligine perdifficile eſſe arbitror: Veriſimile tamen videtur, primam verbi originem ex eo manaſſe, quòd nationis bello ſubactæ prædia bipartitò diuiderētur: & melior pars militibus frueda in beneficij loco attribueretur: altera pars plebeiis ac reliquæ multitudini: quod etiā nunc Germani dicunt ALS LEVD, quaſi quis dicat vniuerſæ plebi. Nam Leudes & Leudi paſſim apud Germanicos & Francogallicos hiſtoricos dicūtur, qui vulgò Subiecti appellantur. vt apud Grego. Tur. lib. 9. in pactione Childeberti & Gruntchranni: Cōuenit, vt Leudes illi qui Domino Gruntchranno ſacramenta præbuerunt, ſi poſtea conuincuntur ſe in parte alia tradidiſſe, vt debeāt remoueri. Et paulo pòſt: Similiter conuenit, vt nullus alterius leudes nec ſollicitet, nec venientes excipiat. Item alio loco: Conuenit vt Leudes, qui Domino Gruntchranno ſacramenta primitus præbuerunt, &c. Atque in hanc ſententiā primum me Gallorum noſtrorum ſermo & conſuetudo induxit, qui prædia huiuſmodi nominant Alleud: eàque longiſſimo interuallo ab iis, quæ in his libris Allodia vel Allodes appellantur, ſeparant. Nam illo nomine eos demum fundos appellant, pro quibus cenſus, ſiue penſiuncula ſoluitur. vnde Fundi liberi allodij, fiefz de franc alleud: quorum nemo donator agnoſcitur: pro quibus nemini gratia debetur, & qui eo nomine immunes ſunt: quos more Romano dicebant, Optimo iure poſſideri. Verum hæc quidem hactenus. Nam omnis hæc poſita in diuinatione diſputatio eſt: aliquanto tamen concinniore fortaſſe, quàm quod Guil. Budæus in Annot. in Pandect. ſcribit, Alaudia à laudandi, hoc eſt, nominandi auctoris verbo profecta: quod qui prædia eo iure habeant, laudare auctorem ſuum neminem teneantur: vt qui nullum ſoli dominum agnoſcant, nec patronum: id eſt, qui in nullius fide ſit. quaſi Budæus Alaud a coniunctum verbum putaret ex, à, particula priuatiua, & laudare: quippe, quorum nomine Laudatio non debeatur. Neque fortaſſe probabilius videatur, ſi Alodem ex A eadem particula priuatiua, & Lodes fictum vocabulum dicamus. quaſi ſine lode, id eſt vaſſallo: vt cùm Amens dicitur, quaſi ſine mente. nam neque A particula illam apud Germanos priuandi vim habet, & Lodes præciſè Vaſſallum non ſignificat: ſed quemuis (vt ante dixi) principis ditioni ſubiectum: ſiue is miles ſit, ſiue non ſit: & ſiue feudum alterius beneficio teneat, ſiue non teneat. Doctores autem vulgo Alaudium definiunt proprietatem, quæ à nullo recognoſcitur: quod non abſurdè dicitur. ſed quod feuda quædam allodij liberi finxerūt, quæ Galli FRANC ALLEVD appellarūt, totum eſt (vt iam ante diximus) ab inſtitutis Germanicis alieniſſimum. Sed ecce rurſus alteram huius vocabuli notionem Beatus Rhenan. Rerum Germanicarum libro ſecundo: Alodia (inquit) proprij iuris erant, fortaſſe Germanico vocabulo ſic dicta, quòd familiæ velut coagmentata ſint, & coniuncta, hoc eſt, inſeparabilia à familia: EIN ANLOD. vnde plerunque negligebantur beneficia regia: Alodia curabantur.

ALTERCATIO, iurgatio Feſt. lib. 1. quæ non ſolùm inter veteres prudentes erat cum de re aliqua controuerterent, vt eſt in l. cùm quidā. C. de neceſ. ſerui. ſed etiam inter cauſidicos, & aduocatos, de quibus Quintilianus lib. 6. ca. 5. Altercatio igitur verbum iuris eſt, & ſignificat M. Fabio diſputationem quæ in foro fit à cauſidicis.

ALTERNATIO propriè eſt per vices ſucceſſio, Feſto lib. 1. ſic accipi putem in l. 2. §. Scæuola. D. de eo quod cert. loc. Accipitur aliquando pro disiunctione, l. Prætor. 7. §. quod autem. D. de iniuriis. Vſurpatur etiam impropriè pro cōplexione, & ambarum rerum coniunctione, Vlpianus l. ſi quis. 9. D. de ſeruo corrupt.

ALTERO TANTO pro tantumdem dixerunt Paulus l. locatio. 9. §. quod illicitè. D. de public. & Calliſtratus l. 3. §. fi. D. de iu. fiſci. Eodem ſenſu, non autem alternatim ea formula vſus eſt Hermogenianus l. aufertur, 47. §. j. D. de iur. fiſ. & Vlpia. l. ſi poſtulauerit. in princip. D. de adult. Altero tanto eodem ſenſu dixit M. Cicero in Oratore: Pes (inquit) qui adhibetur ad numeros partitur in tria, vt neceſſe ſit partem pedis aut æqualem eſſe parti, aut altero tanto, aut ſeſquimaiorem eſſe. Et tantum aliud eodem ſenſu dixit Conſtantinus Imp. in l. defenſionis. 7. de iure fiſc. lib. 10. C. Plautus etiā tribus tantis dixit in Trinummo, Frumenti quando albi meſſis maxima eſt, Tribus tātis illi minus reddit quàm obſeueris.

de ALTERVTRO edictum, vide Edictum de Alterutro.

ALTIVS tollere, ſeruitus eſt prædiis inhærens. §. prædiorum. Inſtit. de ſeruit. quæ tam vrbanorum, quàm ruſticorum prædiorum eſt, l. j. & l. ſi domus. 21. D. de ſeruit. vrb. præd. & l. 2. D. de ſeruit. præd. ruſtic. & alibi ſæpiſſimè.

ALVEVS fluminis vallis, ſiue locus per quem aqua fluit, l. adeò. 7. §. quid ſi. D. de acq. re. domin. & l. vnica. de naut. Tiberi. lib. 11. C. Alueus etiam pro receptaculo apum, in quo mellificant, apud Gaium l. naturalem. §. examen. 4. D. de acq. rer. domi. Eſt & Alueus tabula in qua teſſeris, ſiue taxillis luditur, vt apud Plinium: M, Meſſalla, inquit prid. Kalen. Octobris diem natalis ſui egit, tranſtulit alueum cum teſſeris luſorium. quo ſenſu Alueolum pro tabula luſoria dixit Feſtus lib. j.

ALVMNVS, & alumna, dicuntur, qui, quæve ab aliquo alitur, l. codicillis. §. qui Semproniam. D. de vſu & vſufr. leg. §. eadem leg. Inſtit. quib. ex cauſ. man. non licet. & l. j. C. quæ res pign. obl. vbi Accurſio non conſtat ſatis, quo ſenſu accipi illic debeat, an de eo qui alitus eſt, aut de eo qui alit (quo etiam ſignificatu accipi putat Nonius à L. Valla reprehenſus) aut de filio concubinæ. Equidem putem alumnos eo ſenſu ſumi in d. l. j. quo in d. §. qui Semproniam. Neminem tamen adhuc legi qui ſignificatum proptium alumni in ſpecie, d. l. j. & d. §. qui Semproniā, aperiat. Nam cum alumni ſpecialiter pignori dari poſſint, arg. à contrario ſenſu in iure fortiſſimo, d. l. j. C. quæ res pig. oblig. ius igitur in eos habebatur. Seruorum igitur genus quoddam erat: ſed adfirmare non auſim: attamen penè liberorum loco erant, ideóque in generalem obligationem non cadebant. Sanè per tranſlationem eos accipimus, quos victu, diſciplina, aut moribus alimus. Exempla lectoribus ſæpius fiunt obuia, quàm vt referri debeant.

Ἀλυτάρχης, Alytarcha, vt ait Etymolog. ὁ τῶν ἐν τῷ ὀλυμπικῷ ἀγῶνι εὐκοσμίας ἄρχων. ſiue, Phauorino auctore, ſacerdos Antiochiæ in Syria: ſic dictus quòd ludis τοῖς ἀλυταῖς, id eſt maſtigophoris, præeſſet. Huius mentio fit in l. 2. in fin. C. Theo. de expenſ. ludor. l. fi. C. de cupreſ. lib. 11. Hinc Alytarchia ſacerdotium illud, & munus ad ludorum editionem pertinens, de qua in l. vnic. C. de officio Comit. Orient. Quod autem ſacerdotium adpelletur, argumento erit Conſtantini conſtitutio l. j. in princ. C. de nat. lib. Fuit autem olim Alytarchæ permiſſum ex luco Daphnenſi, qui eſt in ſuburbiis Antiochenæ vrbis cupreſſis denſiſſimus, vnam cupreſſum excindere, plures plantare, l. & more. C. Th. de iu. fiſci: quod nominatim abrogatur in l. j. C. de cupreſſis. Siquidem in ea ſic legendum eſt, Sed nec Alytarcha vnam cupreſſum aliis plantatis excindere ſibi licere contendat. Cuiac. Obſ. lib. 2. cap. 13. Hinc,

ALVTAR

ALYTARCHIA ſacerdotium ipſum, ea forma dictum, quaſi Aſiarchia, Bithyniarchia, Cappadocarchia, &c. quæ dictio reſtituẽda eſt, in l. vnic. C. de offic. com. or.

AM

AM, Feſto lib. j. loquelaris propoſitio, ſignificat circum.

AMANVENSIS, vide Ad manum.

AMATA, dicitur omnis virgo, quæ à Pontifice Maximo capitur, vt Veſtalis fiat, quoniam quæ primum capta eſt, hoc nomine fuiſſe refert A. Gellius lib. j. c. 12.

AMATORIVM poculum apud Paulum, l. ſi quis. 38. §. qui abortionis. D. de pœn. (quæ ex eius ſententiis decerpta fuit lib. 5. tit. 23.) eſt venenum pharmacúmve ad adliciendum amorem accommodatum, Græcis φίλτρον adpellatum. vt docet C. Harmenop. lib. vlt. plerunq;, poculum, ſupprimitur, & nullo adiuncto profertur, vt apud Marcianum, l. eiuſdem. §. j. C. de ſicar. & M. Fabium lib. 7. ca. 4. & 9.

AMATOR qui meretricibus ſeſe deuouit, venereóſque amplexus amat, qui adulteriis, ſtupríſque gaudet. ſic accipitur in l. j. §. is quoque. D. de ſer. corru. Hinc Cicero lib. 3. Tuſc. Aliud eſt, inquit, amatorem eſſe, aliud amotorem.

AMBACTVS ſeruus, id eſt circumactus. Feſto lib. j. hic & mercenarius vocatur. Ambacti autem, de quibus Cæſar. Comm. ſexto, erant apud Gallos qui ſe nobilibus in ſeruitutem dicarant, quod circum illos acti eſſent. Turneb. teſtatur inueniri in Lexico quodam, Ambactus, δοῦλος μισθωτὸς ὡς ἔννιος. Ita ab Ennio hoc vocabulum Cæſar mutuo ſumpſit.

AMBAGE ablatiuum à verbo ambio profectũ, Varroni lib. 6. de Ling. Latin. Plin. abſque tamen veterũ exemplo, pro multiplici errore & ambiguitate vſurpat. Nam apud veteres has duas voces tantum legi, Ambages, & ambagibus, ſunt qui annotauerũt. Ambages voce vſus eſt Iuſtinianus in l. fin. §. tales itaque. C. de furt. & Imppp. alij l. ita nobis. C. de adult.

AMBIGVITAS, quæ M. Fabio lib. 13. Inſtit. Oratoriarũ ἀμφιβολία dicitur, eſt res dubia & incerta, quando dubitamus vtrũ eo, vel illo ſenſu accipi debeat, vt colligitur ex l. vbi eſt. 21. D. de reb. dub. Et hæc verborũ eſt, d. l. vbi, Varro, lib. 8. Ling. Lat. verbis ita fit, Centũ Carthagini dare ſpõdes? Nam cum ſint duæ Carthagines, incertum dubiúmve eſt in qua dari ſtipulatur. Scio M. Fab. lib. 7. ca. 10. ambiguitatum ſpecies innumeras recenſere, quas huc tranſcribere vaniſſimi eſſet operis.

AMBIGVVM dicitur Feſto lib. j. quod in ambas agi partes poteſt.

AMBIGVO in ſermone non vtrumque dicimus, ſed id duntaxat quod volumus, l. 3. D. de rebus dub.

Ambigua oratio quoties in actionibus, aut in exceptionibus occurrit, commodiſſimum eſt id accipi quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat, l. quoties. 12. D. de reb. dub.

AMBITIO eſt ipſa ambientis actio Feſto li. 1. Eſt autem ambire, vt notã ſignificationem præteruolitẽ, honores, & magiſtratũ quærere: qui enim eos Romæ quærebant, populũ ambire, id eſt, circumire ſolebãt candidati, vt Varro li. 4. Ling. Lat. ſcribit. Porrò in l. ordo. C. de execut. rei iudic. accipitur pro fauore & gratia.

AMBITIOSA decreta, Iuriſconſultis, per gratiã fauorémq; expreſſa, & elicita & conceſſa, Vlp. l. ambitioſa. 4. de decr. ab ord. facien. & l. 3. D. de minor. 4. l. ſeruo. §. cum Prætor. D. ad Trebel.

Ambitioſa diligentia, pro nimis anxia, & inuſitata, & in nullo remiſſa, Vlpian. l. ſi bene collocatæ. D. de vſuris.

Ambitioſe iubere apud Marcianum, id eſt, gratioſè & fauorabiliter, l. ſeruos. §. cum Prætor. D. ad S. C. Treb. & eodem ſenſu ambitioſè factum tranſactionem dixere Imppp.

AMBITVS, propriè eſt inter vicinorum ædificia locus duorum pedum & ſemipedis, ad circumeundi facultatem relictus: quò proximè accedit quod ait Cic. in Topicis: Scæuola id ſolum eſſe ambitus ædium dixit, quoad parietis communis tegendi cauſſa tectum proiiceretur: ex quo in eius ædes qui protexiſſet, aqua deflueret. Sic enim hunc locum legi vult Hotomanus Obſ. lib. j. ca. 26. Eſt igitur (inquit Feſtus) circuitus ædificiorum patens in latitudinem pedes duos & ſemiſſem, in longitudinem idem quod ædificium. Quod & Varro lib. 4. probat his verbis: Ambitus circuitus: ab eo duodecim tabularum interpretes, ambitum parietis circuitum eſſe deſcribunt: & hinc Ambitus honoris dici cœptus eſt, à circumeundo, ſupplicandóq;. Sed & eodem vocabulo crimen auaritiæ, vel adfectati honoris adpellatur. Cuius rei cohibendæ cauſſa lata eſt lex Iulia ambitus à C. Cæſare Octauiano, vt Suetonius refert: quam in vrbe ceſſare ſcribit Modeſtinus, l. j. de ambit.

AMBRICES, regulæ, ſiue (vt quidam legunt) tegulæ ſunt quæ tranſuerſæ, aſſeribus, & tegulis interponuntur. Feſto.

AMBVLACRA, Feſto ſunt ambulationes.

AMBVLARE aliud eſt quàm ire. Ambulat enim qui ſpacia facit, & in ſua veſtigia reflectit. It qui porrò & vlteriùs pergit. Quo fit vt in definitione itineris hæc ſeparentur, l. j. D. de ſeruit. ruſt. prædio. Transfertur & ad ea, quæ in iure conſiſtunt. Nam ambulat bonorum poſſeſſio apud Vlpianum, l. 2. §. fin. D. de bono. poſſeſſ. ſecun. tab. id eſt, comes eſt: & ambulare dicuntur actiones apud Paulum l. tutelas. D. de capit. minu. & poſſeſſio ambulare dicitur apud Vlpianum, l. ſed ſi 28. §. perinde. D. de hæred. pet. id eſt tranſire in aliquos. Ambulare quoque dicitur ſtipulatio eidem. l. ſed & ſi. §. ſi operas. D. de vſufr. & ambulat emptio, id eſt tranſit, l. ſed vbi. 15. D. de mino. Ambulare igitur à corporis progreſſu ad animum porrigitur, accipitúrque à Iuriſconſultis, pro non vno in ſtatu permanere, & mutari. Vnde dici ſolet ambulatoria teſtatoris voluntas vſque ad mortem, quæ ſubinde in varias progreditur ſententias, & mutatur, l. 4. D. de adim. lega.

AMBVLATORIA actio, hoc eſt, variabilis à perſona in perſonam. Iuſtiniano l. fin. in princip.

Ambulatoria poteſtas. Erit ergo poteſtas legis ambulatoria, hoc eſt, mutabilis ad permittendam alienationem, Paul. l. erit ergo. D. de fund. dotal. alij ſub alternatione concepta explicant. Sic obligationes cum capite ambulare, l. tutelas. 7. §. j. D. de cap. minu.

Ambulatoriam conditionem Papinianus appellat, in l. ſeruus 34. D. de ſtatulib. cùm eam ſignificaret, quæ non in vnius tantùm, ſed etiam in plurium hæredum perſona rectè impleri poſſit.

AMBVSTVS, Feſto lib. j. id eſt circumuſtus.

AMETHYSTVS apud Vlpian. l. cùm aurum. 19. §. perueniamus. D. de auro, argen. leg. gemma eſt quæ ex eo nomen inuenit, quòd vſque ad vini colorem accedens, priuſquam eum deguſtet, in violam deſinat; fulgórque quidam in illa purpuræ non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens, vt ſcribit Plin. lib. 37. ca. 9.

AMFITAPA apud Vlpianum l. veſtis. 23. §. veſtimenta. D. de aur. arg. leg. veſtes ſunt villoſæ, vtrinque habentes villos: nam, vt ait Heſychius, ἀμφιτάπης χιτὼν ἑκατέρωθεν ἔχων τὰ μαλλὸς. Idem tradit Nonius tit. de genere veſtiment. quod & Baifius probat in lib. de re. veſt. ca. 14. aitque id genus veſtis eſſe vtrinque villoſum. Iſidorus tapeta ex vtraque parte villoſa interpretatur, lib. 19. c. 26. idque etiam ſentit I. Pollux lib. 10. ca. 9. Onomaſtic. qui ea ἀμφιτάπητες, & ἀμφιτάπητα vocat.

AMFRACTVM, auctore Varrone lib. 6. Ling. Latin. ab origine flexum duplici: dictũ ab ambitu, & frangẽdo.

ab eo

ab eo iubent leges in directo pedum octo eſſe,in amfracto ſedecim, id eſt, in flexu. Quod ait leges XII. Tab.intelligit legẽ eam,quã refert & explicat Gaius. l.viæ.8.D.de ſeruit.ruſti.præd.eandem declaraui lib.4. Iuriſpr.ad XII.Tab.c.12.Celſus Gaij ſententiam probat.l.nam ſatis.in fin.D.quemadmo.ſer.amitt.

AMICA,concubina, pellex idem ſignificant, Maſſurio apud Paulum l.144. D.de verbo. ſignific. ſignificant autem eam,quæ cum vxor non ſit, cum aliquo viuit. Hanc Græci ἑταίραν adpellant.

AMICOS, inquit Paulus l.latæ.§.amicos.D.de verb.ſignif.accipere debemus, non leui amicitia cõiunctos, ſed quibus fuerint iura cum patrefamiliàs honeſtis familiaritatis quæſita rationibus.quo ſenſu accipi putem in l.3.in princ.D.de teſtib.& l.ſciendum. D.de legatio. Generaliùs accipi videtur in Diocletiani, & Maximiani conſtitutione,l.tutori.C.de neg. geſt.

AMINEVM vinum Macrobio lib.3.ca.vlti. eſt Falernũ. huius meminit Proculus l.fi.§.j.D.de vino,trit. oleóq; lega.Porrò Falernum eſt, vbi Amineum erat Macrobio.Accipitur verò pro vino optimo.Seruius autem in illud Georg.2. *Sunt etiam Amineæ uites firmiſſima uina.* Amineum,inquit,vinum dictum eſt quaſi ſine minio. nam album eſt.

AMITA, patris mei ſoror, quia ſimiliter tertia à me ſit, atque auia. Videri poteſt dicta ex eo quòd ab antiquioribus Auita ſit vocitata. Siue Amita dicta eſt, quia à patre meo amata eſt:nam plus ſorores à fratribus,quàm fratres diligi ſolent:videlicet propter diſſimilitudinem perſonarum, quæ ideo minus habẽt diſſenſionis, quo minus æmulationis. Ex Sexto Pompeio.Ergo Amita eſt patris ſoror, ait Paulus l.10.§.7. D.de grad. adfin.

Amita magna, eſt aui ſoror, ait Paulus, d.l.10.§.8.D.de gradib.

Amita maior,ait Paulus,eſt proaui ſoror, patris vel matris amita magna,d.l.10.§.8.D.de gradib. adf.

Amita maxima eſt,ait Paulus,abaui ſoror,patris vel matris amita maior,l.10.§.10.D.de gradib.

AMITINI, amitinæ,qui quæve ex fratre ſororéve propagantur, Gaio l.j.§.j.D.de gra.quod & Nonius probat his verbis,Amitini,inquit, fratrũ maris & fœminæ filij:horum etiam meminit Paulus lib.4.Sent.tit.11. Poſſit tamẽ & hi cõſulis appellationibus inter ſe cõſobrini appellari. Igitur non malè Don.in Terent. Cum,inquis,de fratre natus eſt alter,& alter ex ſorore,conſobrini:cum ex fratribus,patrueles dicuntur.

AMISISSE dicimur quod conſequi non potuimus,aut quod erogare cogimur, l.ſi ſeruum.33.in fi.D.ad leg. Aquil. Amiſiſſe etiam rem videtur,qui aduerſus nullũ eius rei perſequendæ actionem habet, l.Labeo.14. D. de verb.ſign.Amittere rem non videntur quibus propria non fuit,l.non videntur.83.D.de diuerſ.reg.iur.

AMISSA dicuntur quæ corrupta alicui relinquuntur, ſciſſa fortè vel fracta, Vlp.l.Prætor.4. §.amiſſa. D.vi bon.rapt.

Amiſſum non poteſt dici, quod ablatum non eſt, Papiniano,l.nec vtilem.D.ex quibus cau.maiores.

AMISSIONE ciuitatis, fit capitis diminutio,vt in aquæ & ignis interdictione. Paulus l.amiſſione. de capite minutis.D.

AMOMVM in l.fi.D.de public.genus eſt fruticis odorati in Syria & Arabia naſcentis flore albo, Dioſcoridi, lib.j.c.14.Vide Plinium.lib.12.cap.12.

AMOVERE,inquit Donatus,propriè eſt ſaxum de loco mouere:denique eſt non auferre, ſed remouere. Itaque Iuriſconſulti quibus in perſonis notare furti infamiam noluerunt,in iis hoc verbum vſurparunt, triſtitiam rei lenitate verbi mitigante: velut ſuis hæredibus,quaſi non ex familia rem auferant, l.ſi ſeruum. §.prætor.D.de acq.hæred. Amouere etiam eſt contrectare,furto ſubtrahere,Marcello l.reſcriptum.6. D.de iis quæ vt indignis. & Gaio l.& ancillarum 27.§.conſtat.D.de pec.l.ſi in obſcuro. D.de lib.cau. Eſt tamen verbum lenius mitiúſque,quàm furari,vt colligitur ex l.& ideo.§.ſi filiafam.D.rer.amot. Hinc nata eſt Amotarum rerum actio,quæ ὑπεξαιρέσεως rerum furtiuarũ condictio eſt, explicatur, D.& C.de rer.amo. actio. Porro amouere non videtur, qui non callido animo nec maligno rem repoſuit,ne is quidem qui in re errauit,dum putat rem non eſſe hæreditariam,l.ſi ſeruũ. 71.§.5.D.de acq.hæred. Amouere aliud eſt, quàm rapere.Nam amoueri aliquid etiam ſine vi poteſt: rapi autem ſine vi non poteſt.Iuſti.l.quo naufragium. 3.§. non ſolum.D.de incendio,ruina,naufragio.

AMOTAS res dicimus non ſolùm eas quas mulier amouit,cum diuortij conſilium iniſſet,ſed etiam eas, quas mulier nupta amouerit,ſi cùm diſcederet, eas celauerit,Vlpian.l.ſi concubina.§.j.D.rerum amotarum.

Amotarum rerum actio,Vide Actio rerum amotarum.

AMPHORA Græcis dicitur id quod Latini Quadrantal appellant,Feſto lib.15. Eſt autem vas cuiuſuis materiæ,duarum vrnarum capax, figura cubi, rei cuiuis continendæ.Itaque Iulian.l.206.de verb.ſig.Eandem, inquit,cauſſam amphorarum eſſe, vt cum vinum habeant,tum in vaſis vinariis:cum inanes ſint,tum extra numerum vinariorum ſint,quia aliud in his abdi poſſit.Huius ſit mentio apud Vlp.l.15.§.4.D.de vſuf.apud Pompon.Iulian.Proculum pro vaſe vinario,l.2.l.5.& l.6.de trit.vin.& l.vlt.in fi.D.de leg.Rhod. Quantum autẽ capiat vini,docet his verbis Voluſius Mætianus, iuris auctor: Quadrantal, quod nunc plerique amphoram vocant,habet vrnas duas,modios tres,ſemodios ſex,cõgios octo,ſextarios quadragintaocto, heminas 96.quartarios 192.cyathos 570. in eo, quod ait vrnas duas,conuenit cum Columella lib.20.c.12.In eo quod ſcribit ſextarios 48.conſentit cum Feſto.

AMPHORARIVM vinum dicitur quod è dolio in amphoras diffuſum eſt, Procul.l.fin.§.j. D.de trit. vino oleóque leg.

AMPLIARE verbum forenſe,ſignificat interlóqui, cũ de re aliqua non liquet, cuius quidẽ ſẽtẽtiæ nota hæc erat N.L.id eſt,non liquet.Verbum ampliare in Pandectis non extat:at formulæ nõ liquet,reliquiæ extant apud Vlpian.l.Pomponius.13.§.arbiter. in fin. D.de recep.arbit.& apud A.Gellium lib.14. cap.3.Noct.Attic.

Ampliare ætatẽ,apud Scæuolã l.16. D.de don.inter vir.& vxo.Ita vt ex vſuris aleretur,prout ætatẽ ampliauerit.

Ampliare hominem, & primus cœtus, pro Ampliare cauſſam,& prima actio, Auctor Rhet.ad Herenn.li.4. Aut iſtum nefarium hominem ampliaueritis? Et paulo pòſt,Hinc vos veriti eſtis, ſi primo cætu condemnaſſetis,ne crudeles exiſtimaremini.

Ampliati rei dicebantur Budæo quorum damnatio differtur,aut quia coram ſiſtendi ſunt teſtes, & cum illis committendi:aut quia nondum planè liquet de crimine,aut pœnæ modo.

AMPLIATIO ſententia illa interlocutoria: differt autem à comperendinatione, quia illa libera & in iudicum poteſtate poſita eſt,hæc neceſſaria & legis vi atque imperio inſtituta:illa ſæpiùs fieri poterat, hæc ſemel:illa in id tempus quod iudicibus placebat :alterã actionem differebat, hæc in perendinũ diẽ duntaxat. Prima differentia patet ex tertia Verrina,exẽpla illic obuia ſunt:ſecunda ex Ciceronis lib.de claris Oratorib.tertia ex Cicerone in Bruto.Vide de his tribus differentiis fuſiſſimè Fran.Hoto.in Com.verb.iuris. Sũt tamen quibus hac in re Aſconij expoſitio non ſatisfaciat,& huc labuntur vt putent,ampliationem fuiſſe in iudiciis, cum parum iudicibus liquebat : comperendi

nationem lege Seruilia in iudicium repetundarũ introductam, vt etiam ſi prima actione iudici liqueret reum damnandum eſſe, tamen ei condemnare non liceret. Vide Turn. Aduerſ. lib.j.cap.3.

AMPLISSIMVS ordo, Senatorius intelligitur, vtpote omnium ſummus atque digniſſimus, l.2.§.j.l.ſi decipiendi.D.ad S.C.Velleian.& alibi ſæpe in Pand.& C.

Ampliſſimi ordinis decreta, & conſulta legimus l.aufertur. D.de iis qui vt indi. l.decreto.15. C.ex quib.cauſ. infa.irroget.l.ampliſſimi.C.de excuſ.tut.Paul.lib.4.recept.Sent.tit.13.

Ampliſſimorum titulo Conſules cohoneſtabãtur, l.ſi cui. 50.D.de cond.& demonſt.& l.j.§.pen.D.de appel.

Ampliſſimam poteſtatem in conſtitutionibus legimus, l. addictos. C.de appell. & ampliſſimos iudices, l.3.C. quando prouo.non eſt neceſ.quo elogio ornabantur Præfecti prætorio, vt quidam putant ex l.fi.§.pen.C. de temp.appel.Tu expende illum textum.

AMPLIVS, vocis vis tractatur in l.ſi ſeruus.108.§.ſi ita. 5.D.de leg.j. Ampliùs repetitionis nota eſt, l.ſi purè. 54.D.de leg.3.

Ampliùs non peti, cautio eſt vetuſtè ſic appellata, pro Non petitum iri:ſic dari, fieri, pro datum & factũ iri, &c.Plenè autem ita cautio illa concipitur, Non petiturum eum cuius de ea re actio, petitio, perſecutio eſſet:& ratum habituros omnes ad quos ea res pertineret, l.procurator.23.D.rem ratam hab.Cic.eleganter in Bruto ea eſt vſus:At verò tibi ego Brute, non ſoluã, niſi prius cauero amplius eo nomine, neminem cuius petitio ſit, petiturum. Huius etiam meminit Labeo apud Paulum, l.ampliùs.15.D.rem rat.hab.

Ampliùs etiã ſumitur pro expreſſius in S.C. Macedoniano, l.j.D.de S.C.Mace.Eſt etiam temporis nota, & ſignificat longiori tempore, in l.ſi quando. C.de teſtib.

Ampliùs verbum ad eum quoque pertinet, cui nihil debetur:ſicuti ex contrario minus ſolutum videtur, etiã ſi nihil eſſet exactum, Paul.l.verbũ.82.de verb.ſign.D.

Ampliùs verbum inſinuare ſolet digreſſionem ad ſimiles negotiorum circunſtantias, l.qui balneum.§.j.D.qui potio.in pig.hab.

AMVRCA, ſanies, ſiue ſuccus eſt ille aqueus, atque niger, qui ex oliua ſimul cum oleo exprimitur, atque ſubſidit. Quod verò poſt oleum, in dolia conditum, quaſi ſecundum eſt purgamentum, fæces adpellantur. Huius meminit Vlp.in l.qui penum. D.de penu.leg. In quibuſdam codicibus amurea legitur:in Pand.Flo. eſt muria. genus eſt liquaminis ex thymio piſce confecti.

AN

ANSI apud Paulum, l.58.D.de ædilitio edicto. Quæro an ſi ſeruus apud emptorem fugit, &c.Ouid.in Epiſt.

An ſi quis rapiat ſtabulis armenta recluſis, &c.

Ἀνάκαμψις, propriè eſt renouatio, id eſt redemptio & reſtauratio feudi, pro qua eo anno quo ſe hæres vaſalli in fidem & clientelam domini commendauit, reditum integrum dominus fert, vel certa ei pecunia numeratur. Cuiac.in Præf.lib.j.Feud.Gallis, *relief, ou rachapt.* Ea autem quæ præſtantur, vt dictum eſt, εἰς ἀνακτικὰ à Leone in Nouellis dicũtur, quòd quaſi præſtentur noui poſſeſſoris admittendi & ſuſcipiendi cauſa.

ANACEPHALÆOSIS rerũ repetitio, vulgo recapitulatio, vel, vt vertit M.Fabius lib.6.cap.1. enumeratio. Hac vtuntur cauſſarum actores, & aduocati in perorationibus. Hac videtur vſus M.Antoninus, lib.12.

Ἀναχωρηταὶ qui ſint, docet Iuſtinianus Nouell.conſtit.5.§. σκεπτέον, εἰ μή τινες αὐτῶν τὸν ἐν θεωρίᾳ τε καὶ τελειότητι διαζῶντες βίον, διάζοιν ἔχοιεν οἰκημάτιον, οὓς δὴ καλεῖν ἀναχωρητάς τε καὶ ἡσυχαστὰς εἰώθασιν. id eſt, iuxta veterem interpretem, Niſi tamen quidam eorum in contemplatione & perfectione degentes vitam, remotum habeant hoſpitiũ, quos, &c. Hi ſunt qui in ſolitudinem ſecedunt, quos hodie Eremitas vocamus. De his concilio Chalcedonenſi ita decretum fuiſſe refert Gratianus c.qui verè.16.q.1.Qui verè, puréque ſolitariam vitam eligunt, digni ſunt conuenienti honore.

Ἀνάκρισις apud Marcianum, l.diuus.6.D.de cuſto.reo.& in actis Apoſt.ca.25.in fi.eſt veritatis indagatio, teſtium interrogatio, & quæſtio de aliquo facto habita, id eſt, facta informatio, præſertim ſi tormentis quæratur. Lucæ & Marcia.loci ſe inuicem declarant. Apud Iuſtinia.Nouel.142.περὶ τῶν εὐνουχιζόντων.verſi.ἀλλὰ μηδὲ ἀνάκρισις inquirendi ſtatus cognitio eſt, interprete Haloã, cuius verſionem videntur probare Agylæus, & Alcia. lib.j.παρερ.c.9. Vide Bud. in d.l.diuus. Ἀνακρίνειν verò id prorſus eſt quod Latini quærere, & quæſtionem habere, quod etiã inquirere dicunt. Corruptè Alc.li. 2.Præter.in d.l.diuus.pro ἀνάκρισιν, repoſuit διὰ γραφὴν.

ANADEMATA recenſentur inter capitum ornamenta muliebria à Paulo, l.quamuis.26.D.de aur.argen. mund.Alciatus lib.2.Prætermiſſ.legit ἀναδέσματα. Pandectarum Flor.textum confirmant Heſychius, & Iulius Pollux lib.5.ca.6.ille enim ſcribit ἀναδήματα eſſe εἶδος κόσμου ἐπὶ κεφαλῆς.Hic ſic, ἀναδήματα καὶ κάλαμος, ἢ καλαμὶς, καὶ ἐντρόπιον χρυσᾶ, καὶ ἐπὶ χρυσᾶ πάντα. Vnde putem ἀναδήματα, aurea capitis ornamenta fuiſſe.

Ἀνάδεσμη, auctore eodem Polluce eodem loco, corona ſiue redimiculum eſt, ἀπὸ τοῦ ἀναδεσμεῖν, quod religare ſonat: ἀναδήματα verò ἀπὸ ἀναδεῖν, quod Alciatus non animaduertit, qui veram lectionem mutauit.

Ἀναδέσμας autem titulos antiquitus vocabant, de quibus Varro lib.6.de Ling.Lat.& Sext.Pompeius.

Ἀναγραφὴ apud Vlpianum, l.cum plures.15. D.de rebus auct.iud.poſſiden.ſignificat inuentarium, ſiue repertorium, Anto.Auguſtino lib.4.Emend.ca.3.

ANAPHORA dicendi figura vſi ſunt Iuriſcoſſ. Gaius l. qui venenum.§.fi.D.de verbo.ſignif.ibi Græci ſermonis, quos, &c.& Modeſtinus, l.2.D.qui pet.tut.verſic. εἰς δέ τινες. vt rectè Anto.Aug. lib.4.cap.4.Emend.admonuit.Sed & in aliis locis iuris Ciuilis eam eſſe Alciatus lib.4.de verb.ſignif.docet, putà in l.2.in princi. C.de offic.præf.Præto.& in l.item Prætor 8.D.de ſuis & legit.Porrò quid ſit anaphora, quíſve eius vſus, docent Grammatici.

Ἀνάθεμα verbum Iudæis proprium docuit D. Hieronymus, quo extremam deteſtationem ſignificabant. Nihil aliud eſt anathema, quàm ſeparatio à Deo ca.certum.24.q.2.Vnde Ἀναθεματίζω deteſtor, deuoueo, à Deo ſeparo, vt in Nouel.131.§.θεσπίζομεν. & conſtit.132. Ἀναθήματα verò ſunt donaria, hoc eſt quæ dicata diis ſuſpenduntur in parietibus & columnis templi. De his vide Pollucem lib.j.

ANATOCISMVS ſingulorum annorum fœnoris renouatio, vt vſuræ vſurarum debeantur, quod Iuſtinus vetuit l.fi.C.de vſu.& l.fi.C.de vſur.rei iudic. Ant.Au. lib.2.Emend. cap.11. Budæum ſequutus in l.nihil. de naut.fœno.Galli, *Renouuellement d'vſures, quand on conuertit les arrerages en ſort principal.*

ANCEPS periurium, Vlpianus eleganter dixit, pro incerto & periculoſo, in l.4.D.de in lit.iur.

ANCHORA, Græcis ἄγκυρα, ἀπὸ τοῦ ἀγκύλας καὶ ῥέω, dicta potiſſimum nauis præſidium eſt. Vnde nautæ maximã, & validiſſimam anchoram, ſacram vocãt, quam non mittunt, niſi cùm extremo periculo laborant. Vnde natum eſt Prouerbium: Sacram ſoluere anchoram, pro eo quod eſt, ad vltimum confugere præſidium. Falsò autem in vulg. codici.in l.j. §.j. de exerci.act. legitur anchora, cum in Pand.Flo.legatur cura, rectè.

ANCILLA. Serui aut naſcuntur, aut fiunt. Naſcuntur ex ancillis noſtris, hoc eſt, mulieribus ſeruis. Iuſtin. Inſti. de iure perſon.§.ſerui.

ANCONES apud Paulum, l.tabernæ.13. D.de inſtr.leg. ſunt calices nõ rotundi,ſed in cubitum flexi, & angulum habentes,vnde & illis nomen tributum. Alij vaſa cubitalia explicant. Quidã Ambones,id eſt ἄμβωνας eo in loco legi debere cõtẽdit,vt illud ſint calicis genus.

Ἀνδροληψία in lege Draconis recitata à Demoſthene cõtra Ariſtocrat. eſt hominis homicidæ prehenſio. & ἀνδρολήψιον ius prehendendi, apud I.Pollucem, lib.8. ca. περὶ δικαστικῶν ὀνομάτων. quod ius etiam creditori conceſſum quidam putant. Draconis legem explicui lib.Vete.Iuriſ.

Ἀνεκλόγιστος apud Iulianum,l.ita autem.5.aliàs incipit,quidam decedens.D.de admi.tut. dicitur qui rationibus reddendis liber ac ſolutus eſt. Sic ibi legendum cenſet Alciatus,lib.2.Parerg.cap.25.vt eſt & in Pand.Flo. tametſi,l.j. C.de frum. Alex.Alogiſtes, & Alogos legendum crediderit.Pro eodem.

Ἀνεξέταστος apud Scæuolam, l.dominus.23. §.ſeruis. D.de pecul.lega.dicitur, qui reddendis rationibus ſiue ſub ducendis ſolutus eſt.Alibi ἀνυπεύθυνος vocatur.

ANERACTVS,vide ſupra Amfractus.

ANGARIA ἀγγαρεία, ſunt equorum pręſtationes ad curſum publicum, Ant.Auguſtino lib. ſing.ad Modeſt. Pyrrhum ſequuto.Eſt autem nomen Perſicum. Vnde Herodotus in octauo, Apud Perſas erat ἀγγαρήιον δρόμημα curſus perniciſſimus equitum. Sic & Heſychius, ἄγγαρος σημαίνει τοὺς ἐκ διαδοχῆς βασιλικοὺς γραμματοφόρους. Hoc ſenſu accipitur in l.2.de quib.mu.vel.præſtat.lib. 10.C.Græci interpretes ita definiunt lib.56. βασιλικῶν: καὶ ἔστιν ἀγγαρεία ἡ πάροδος ἡ διὰ τῆς δημοσίας ὁδοῦ τῆς καὶ δρόμον ἐχούσης, ὡς τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ τύρον. Apud Gallos, Poſtæ adpellantur, quaſi poſitæ curſorum ſtationes, Budæo in l.eos. D.de falſi. quod optime cum Baſilicis conuenit.Sudas autem definit hoc modo, ἀγγαρεύειν ἀνάγκην ἀκούσιον καὶ ἐκβίας γινομένην ὑπηρεσίαν.Vera quidẽ eſt Sudæ definitio,ſed generalior.Vnde Angaria, operæ publicæ ob negotium aliquod obortum, cui celeriter prouidendum eſt,impoſitæ,Imp.l.2.C.de ſacroſanct. Eccleſ.Angariam autem explicant quidam, qua curſus publicus eſt;Parangariam,in obliquũ, id eſt, alio-uerſum,ſic enim li.56.Baſil. παραγγαρεία δὲ ἡ διὰ τῆς ἐκπλαγίας ὁδοῦ, ὡς τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ ἡλιούπολιν. Vide Hotoman. in Commen.verb.iuris.

Angariarum præſtatio, ſcilicet equorum ſiue iumentorum,l.ab iis.10.& l.ſunt.11. D.de vacat.mun.iunctis, l. comperimus.19.& l.nemo.20.de curſ.publ.& angar. lib.12.C.

Angariarum & parangariarum præſtatio inter vectigalia,quæ Regalia dicuntur,recenſentur. lib.Feud. 2.tit. 56.quòd ea Regis aut Imperatoris iura propria ſint: cùm olim eo nomine ſignificarẽtur munera onerum vehendorum prouincialibus impoſita. Vnde Angariari naues dici ſolebãt,quibus onerum tranſmittendorum neceſſitas iniungebatur.l.penul.D.de veteran. Itaq; Suidas,ἀγγαρείαν interpretatur ἀνάγκην ἀκούσιον, καὶ ἐκ βίας γινομένην ὑπηρεσίαν.Plura autem diximus in Cõmentario verborum iuris.

ANGARIARI naues apud Vlpianum,l.penul.D.de veter.dicuntur quæ onerum vehendorum neceſſitate adſtrĩnguntur.Sed & de hominibus dici poteſt, vt in Euangelio Matth.cap.27.vbi dicitur, ἐξερχόμενοι δὲ εὗρον ἄνθρωπον κυρηναῖον, ὀνόματι Σίμωνα. τοῦτον ἠγγάρευσαν, ἵνα ἄρῃ σταυρὸν αὐτοῦ.

ANGIPORTVS, cuius meminit Vlpianus, l.portus.59 D.de verb.ſignif.eſt iter compendiarium in oppido, eo quòd ſit anguſtus portus, id eſt, aditus in portum, Feſto lib.j.quam etymologiam videtur probare Varro lib.4.Ling.Lat.

ANGVLARIVS, pro Angularis legitur in l.Rutilia. 69.D.de contra.empt. Accurſius interpretatur, qui multos habet angulos.Sunt qui quadratum, vel triangulum ſignificari eo putent. eiicienda eſt alia lectio Anguillarum habens,vel auctore Accurſio. Equidem angularium lacum dici eum,qui ex lapidibus quadratis circundatur, putem. Lapides autem quadrati ſunt quos Galli adpellant, *Pierres de taille*.cæſos vulgo vocamus,& ad normam reſpondentes.

ANGVSTVS locus, auctore Pomponio in l.ſi tam anguſti.de ſeruitutib.item magis, quàm viam aut actum recipit.Apud eundem in l.penul.D.de vſu & habit. legimus anguſtum legatarium,pro eo cui nõ totius rei, ſed arctus vſus relictus eſt.

ANGVSTICLAVIVS, vide CLAVVS.

ANIMA, præter notiſſimam ſignificationem, pro vita accipitur apud Iuſtinianum. §.ſunt prætereà.Inſtitut. de actio.ibi animæ amiſſionem.

ANIMADVERTERE, pro cogitare,conſiderare,colligere,apud Vlpia.in l.j.de his qui ſui vel alien.iur. D. Quamuis propriè intelligimus aliquid argumentis, animaduertimus ſenſibus præſenti animo vtentibus. Id Aſc.monuit.Significat punire,l.imperium. D.de iuriſd.& l.ſi quis.10.C.de epiſ.& in l.item apud.15.§.20. D.de iniu.Animaduerſio, pro pœna.Vlpianus, D.de furt.l.meminiſſe.Extraordinaria, inquit, animaduerſione coërcendum.Sunt qui dicant obſeruandam differentiã inter punire, & animaduertere. Punire, eſt quorumcunque,ſiue iure,ſiue iniuria :animaduertere eius eſt,qui in alterum habet poteſtatem ordine ac ritè puniendi, l.3.D.de iuriſdict.om.iud. C.de epiſc.& cler.l.ſi quis in hoc genus.

ANIMADVERSIO grauior,item maior, pro punitione & caſtigatione infamiæ,vt ex Vlp.verbis patet, in §.ſolent.l.j.de offi.præf.vrb. & Venuleij, l.ſi quod.de offi.Proconſ.& Animaduerſio ſeueriſſimam, l.nemo. C.de ſum.Trinit.mortem ſignificat, & vltimum ſupplicium, vt ibidem explicant Accurſius, & Alciatus. Animaduerſio etiam ſumitur pro cenſura eccleſiaſtica,Archidiaco.in c.ſi.de except.lib.6.& alibi.

ANIMADVERSVS, apud Paul.l.fi. D.de cad.puni.pro eo qui ſupplicio affectus eſt.Corpora animaduerſorũ quibuſlibet petentibus, ad ſepulturam danda ſunt. Sunt tamen qui annotarunt id videri dictum licenter,l.corpora. D.de cadaue. punit.quæ lex ſumpta videtur ex Deuter.c.21. οὐκ ἐπικοιμηθήσεται τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ ξύλου, ἀλλὰ ταφῇ θάψετε, &c.

ANIMAL eſt quod ſe mouet,Celſo.l.mouentium.93.D. de verb.ſignific.Vnde optima ratione quærebat Galenus εἰ ζῷον τὸ κατὰ γαστρός, id eſt, an animal ſit quod in vtero eſt: quod legibus Solonis, & Lycurgi legibus comprobat, edito in eam rem libello hac inſcriptione εἰ ζῷον τὸ κατὰ γαστρός. qua etiam de re diſſerit in alio libro, cui titulus eſt περὶ φιλοσόφου ἱστορίας. Legis autem Solonis verba hæc ſunt:Ἐξ ἀμβλώματος αἰτίαν ἔχοντα θανάτῳ ζημιοῦσθαι. Τὸ ἔμβρυον κληρονομεῖσθαι δύναται. quam legem ita verti, Qui abortus cauſa fuerit, pœna mors eſto. Qui in vtero eſt hæres inſtitui poteſt. Hanc legem explicui lib.2. Veteris Iuriſprud.l.103. Huius autem legis ea eſt ratio, Galeno auctore: nam illi nihil deeſt,quo minus homo ſit. Hanc autem legem accepit Solon ex libris Moſis, vt & alias permultas, vt liquidò conſtat Exodi cap.21.quam diuinam legem exponit B.Auguſtin.in lib.quæſtionum No.& Vete.teſt. & tranſlatitiè in c.Moſes.& c.quod verò.22.quæſtio.2.

ANIMVS adfectonem,voluntatem & mentem ſignificat,l.j.§.j.l.3.§.Neratius.& §.in amittenda D.de acqui. poſſ.quibus probatur poſſeſſionem etiam animi eſſe, licet & facti ſit.

Animus,id eſt,quod in animo eſt, nec adparet, declaratur variis modis:conſuetudine teſtatoris & regionis, ex præmiſſis & ſequentibus: tum exquirẽda eſt dignitas lega

tas legatarij, charitas,ſiue dilectio, neceſſitudo. Hæc collegi ex l.ſi ſeruus pluriũ.§.fi.D.de leg.j.quibus addit ibidem Accurſius ſcripturæ vicinitatem:& vide Albericum in l.qui iure familiaritatis.D.de adq.poſſeſſ.

ANIMOSE liceri apud Paulum.l.ſi pignori.D. famil.erciſc.opponitur adiudicationi,quæ ipſa neceſſaria eſt: de eo igitur accipi debet qui volens citra adiudicationis neceſſitatem emit.

ANIMOSIOR emptor apud Iauolenum in l.ita vt.36.§.j.D.mand.qui cupiditate rei habendæ plus pretij offert,quàm res ſit.

ANNARIA lex,vide infrà,Lex annaria.

ANNIVERSARIA conditio percipiendi reditus, id eſt,ſingulis annis reuertens,apud Scæuolam.l.liberto.21.§.pater.j.D.de ann.leg.

ANNICVLVS amittitur,qui extremo anni die moritur, Paulus.l.anniculus.132.D.de verb.ſig.

Anniculus nõ ſtatim vt natus eſt, ſed trecenteſimo ſexageſimoquinto die dicitur:incipiente planè nõ exacto die,quia annum ciuiliter,non ad momenta temporũ, ſed ad dies numeramus.l.anniculus.134.D.de verb.ſig.

ANNONA propriè rei frumentariæ:ſed promiſcuè pro quouis alimentorum genere vſurpatur, vt diſces ex l.3.D.de leg.Iulia.de anno.Minimè,ait eo loco Papirius Iuſtus,æquum eſt,decuriones ciuibus ſuis frumentum vilius,quàm annona exigit,vendere.Vſurpatur etiam annona,pro eo quod in annum prouiſum eſt ad alimoniam.Inde Annona ciuilis in l. iubemus.14.C.de ſacr.ſanct.eccl.& alibi panis ciuilis eſt in l. vlt.§.præterea.C.de iure dot.

Annonæ præterea dicebantur,quas prædiorum prouincialium domini, conductoréſque, tuendi exercitus cauſſa,quotannis præbebant:vti patet ex tit. C.de anno.& trib.Vnde intelligitur annonas in ſpeciebus cõſtitiſſe,hoc eſt pane,carne,frumento,vino,fœno, palea,&c.Tributa verò in corporibus, hoc eſt equis, iumentis,veſtibus,pecunia.

Annona arctior.in l.ideo.17.D.de compenſ. victus ſtrictus,qualis eſt tempore caritatis: cum ſcilicet eſt incendium annonæ,vt vtar verbis Quintiliani,id eſt cũ ingraueſcit caritas.

Annonam incendere dixit M.Varro, & Annonã macelli excandefacere, vſitato Romanis more loquẽdi, cum magnam caritatem annonæ eloqui ſtuderent. Vnde Manilius lib.4. *Et grauia annonæ ſpeculantem incendia,uentis Credere opes.*

ANNONARIA collatio,id eſt annonæ præſtatio.l.j.C.de præſcr.30.ann.

ANNONARIVS titulus quid ſit, diſces ex l.pe.C.de fid.inſtr.& iure haſt.fiſcal.lib.10.

ANNOTARE, Annotatio,vide ſuprà Adnotare.

ANNVLVS, Vide ANVLVS.

ANNVS dicitur tempus à bruma ad brumam, dum ſol redit.Feſtus putat à Græco annum venire, quem illi ἔννον dicunt.Vnde & τρίεννον Triennium dicunt. Varro. libr.5.de ling.Lat. ab anulo dici vult,& melius. veteribus enim vnico.n. ſcribebatur, deinde circuitum ſignificat,vnde anulus diminutiuum, & anus podex: eodem modo quo Græcis δακτύλιος vtrunque ſignificat,& podicem & anulum. Quin & lingua Syriaca quod anulum ſignificat,idipſum & pro parte pudenda ſumitur.

Annus conſtat trecentis ſexagintaquinque diebus.l. cum hæres.§.Stichus.5.D.de ſtatu lib.& l.ita vulneratus.D. ad leg.Aqui.

Annus in iure duplex eſt,continuus & vtilis.Annus vtilis adpellatur qui 365.diebus conſtat,quibus experiendi, quidve aliud agendi poteſtas fuit.l.j.D.quando de pecul.act.l.interdum.19.D.de minorib.& l.fi.C.de temp. in integ.reſtit. pet. continuus verò qui perpetuò excurrit.d.l.fi.& d.§.Stichus.

Annus etiam alius naturaliter numeratur, alius ciuiliter: Naturaliter cùm à momento ad momẽtum ratio ducitur.l.anniculus.132.D.de verb.ſign.& hic in nuptiis exigitur,Nouel.74.& 109.in pupillis & minoribus.l. vlt.C.quando tut. deſin.l.3.§.minorem.D.de minor.in præſcriptiõnibus temporalium actionum.l.6.de obli.& act.in Carboniana poſſeſſione.l.j.C. de Car.edic. Ciuiliter verò,cum à die ad diem:ſic vt qui ad extremum anni diem peruenerit,annum abſoluiſſe videatur.l.134.D.de verb.ſig.atque hic exigitur in teſtamenti factione.l.5.D.de teſtam.in manumiſſione,ex l.Ælia Sentia.l.j.D.de manu.in vſucapione.l.5.& l.7.D.de vſurpat.in lege Papia.l.anniculus.134.D.de verb.ſign. Annus verò litium quid ſit, vide Seruium in illud II. Æneid.*Si omnes uno ordine habetis Achiuos.* Annorũ.14.erit, pro impleuerit,accipit Vlpianus.l.ſi cui.49.in prin.D.de leg.j.At hæc verba, POST ANNOS, biẽnium ſignificant Iuliano.l.libertas.17.§.fi.D.de manum.teſt.

Anno duodecimo liber eſto,formula hæc anni duodecimi principium ſignificat,Pomponio.l.ſi ita.41. de manu.teſt.

Annus biſſextilis dicitur,cui dies intercalatur, vt colligitur ex l.cum biſſextum,& ibi Alciat.D.de verb.ſig.

Annus cœptus non habetur regulariter pro completo.l.3.§.minorem.D.de minor.& l.non putabam.48.D.de cond.& demon.l.ex his.6.C.quand.di.le. ced. Sanè ex cauſſis pro completo haberi in multis articulis cõſtat. l.ad rempublicam.D.de munerib.& hono.l. qui filiũ.74.§.Fabius.D.ad S.C.Treb.& alibi ſæpe.

ANNVVM adpellatur quod alimentorum cauſa in ſingulos annos præſtatur.l.quidã.22.D.de pact. dotalib.l. ex annuo.15.l.ſi id.29.§.pen.& l.fin.D.de don. int. vir.& vxor.l.j.C.quando dies leg.ced.& tot.tit.de annuis legat.Suetonius in Tiberio,Peculio,inquit,conceſſo à patre,præbitíſque annuis fraudauit.

Annua,bima,trima die,vetere locutione quid deberi ſignificamus,anno,biennio,& triennio exoluendum: id quod ſignificantiùs explicat Vlpianus in l.3.D. de ann.leg.his verbis,Si legatum ſit relictum annua, bima,trima die,triginta fortè,dena per ſingulos debentur annos.Sic etiam accipi debet in l.legata. 19.& l.ſi cui.49.D.de leg.j.& alibi ſæpe.Sic cum dos dicebatur olim præſtanda annua,bima, trima die, id eſt tribus penſionibus. nam & tertiæ penſionis dotis Cicero meminit lib.11.ad Atticum.

Annua,bina præſtare,eſt annuatim duplex quid præſtare & pendere.l.cùm quis.37.D.de leg.3.

Annua die,id eſt in annum,vel ab illinc anno.l.talis.30.D. de leg.j.& l.j.D.de dot.præleg.

Ἀνοβατεύτως in Iuſtiniani conſtitutione.l.fi.C.de nouat.id eſt ſine nouatione.Sic enim ibi legendum, non ἀνοδ κοινότητος,ex veter.lib.

ANQVIRERE Feſto eſt circum quærere. Amquirere ſcribendum eo ſignificatu putem.

Anquirere veteris iuris verbum,quærere & informationem facere ſignificat,Liuio.4.belli Punici: Seu legibus,ſeu moribus mallet,anquireret.

Anquirere pecunia,capite,ſiue capitis, vetus formula ſignificabat mulctam irrogare, vel ad populum ferre de mulcta vel capite alicuius, vt eam populus aut iubeat,aut antiquet.Liuius lib.9.Capite,inquit, anquiſitum ob rem malè geſtam,&c.

Ἀντάλλαγμα,accipitur pro permutatione.Significat etiam rem,quæ more veterum in permutationem datur.Alciatus in l.Labeo.19.D.de verb.ſig.

Ἀντανάκλασις apud Vlpianum.l.ſi arborem.17.de ſeru. vrb. præd.D.refractio luminis.A.Auguſtino libr. 4. Emen. c.16.ſignificat reuerberationem.

ANTAPOCHA eſt ſcriptum,quo teſtatur debitor ſe re-

ditum illius anni domino perſoluiſſe.l. plures.C. de fid.inſtr.Vide Apocha.

ANTE, particulam ad initium referri ſcribit Alciatus.l. anniculus.132.§.ante.D.de verb.ſignifi.Ante etiam excluſiuè ſignificat.l.qui ante.13.D.de verb.oblig.

Ante, incluſionis nota eſt Vlpiano.d.l.qui ante.l.cùm ſtipulatus.113.D.de verb.oblig.

Ante diem decimum Kalẽdarum, formula, decimus dies ſignificatur Antonio Auguſtino lib.4.Emend.c.6.Iac. Cuiacio acutiſſimi ingenij viro, in l. qui ante.13.D. de verb.oblig.Ante diem enim apud veteres idem ſignificabat quod ipſo die: quaſi dicerent ante diei exitum: nam in die præſtituenda, tota dies continetur. Cæſar lib.j.de bel.ciuil.Polliceri ſe in prouinciam iturũ, neque ante quem diem iturus ſit, definire.Id eſt, quo die, vel ante cuius diei exitum.

Ante iudicium acceptum, eſt, ante litem conteſtatam, ex verbis & ſententia Pauli.l.ampliùs.15. D.rem rat.hab. eodem ſenſu accipitur apud Labeonem, in l.qui concubinam.29.§.3.D. de legat.3.idque per Conſtantini conſtitutionem.l.2.ibi ſtatim.C.vbi in rem actio.Nõ igitur ante iudicium acceptum, in d.§.3.incip.ſi hæres. ſumitur pro ſententia, vt autumat Accurſius ibidem: & ante ſentẽtiam, vt credidit Albericus.Nec moueor Pomponij reſponſo.l.ſi rem quam.§.fin. D. de euicti. Nam hic quocunque tempore, vt cauſſæ adſit, denuntiari poteſt: illic vt iudicium in ſe ſuſciperet.Vel apud Labeonem res euicta erat, apud Pomponium nondum.Scio Bartolum in d.§.ſi hæres.hanc ἀντινομίαν diluiſſe, vt apud Pomponium ſit titulus oneroſus, putà emptionis, apud Labeonem titulus lucratiuus.Tu rem expende.

Ante Kalendas ſtipulatus, ſimilis ei eſt qui Kalẽdis ſtipulatur.l.qui.13.D.de verb.oblig.Bart, & Alciat.in l.2.§. creditum.D.ſi cert.pet.multa varia de hac voce, antè, dixere, quorum verba huc non tranſcribo: ab iis pete.

Ante omnia, id eſt, antè quàm ad alia procedebatur. l.ante.23.D de probat.& l.pen. D.de alim.& cibar.legat. Azo in Summa.C.quand.ciuil.act.crim.præiud.

ANTECESSORES, ſunt iuris doctores, magiſtri, & profeſſores & ἐξηγηταί: quod & Heſychius his verbis docet, ἀντικήνσωρ, ὁ τοὺς νόμους μεμαθηκώς: vbi tamen corrupte Anticẽſores vocat: nam vox hæc Latinis hominibus inſolens atque inaudita eſt. Horum fit mentio in conſtitu.omnem.in proœm.Pãdect. vbi & profeſſores legitimæ ſcientiæ dicuntur.& l.2.§.quæ omnia. de vete.iur.enuc.Hoc titulo cohoneſtati fuere Theophilus Inſtitutionum Iuſtiniani paraphraſtes, & Iulianus patritius Nouellarum Græcarum eiuſdem principis fidus interpres.Poteſt & hoc nomen extẽdi ad peritos legum & iuris, etiam ſi profeſſores non ſint, ab honore, quòd aliis qui ius non didicere antecedant. Sic Apoſt.principes Tertullianus anteceſſores vocat lib.j.Tunc primum cum anteceſſoribus Apoſtolis cõferebat.Anteceſſor etiam accipitur pro iudice præcedenti & priore, apud Paulũ.l.edictum.55.D.de iudiciis.

Anteceſſores etiam Tranquilio in Vitellio dicũtur præcurſores: vt & apud Mauricium, quorum eſſe dicit ante agmen ire, loca caſtris metãdis idonea deligere, & vias, qua duci commodè exercitus poſſit, videre. Vſurpatur & hoc verbum aliquoties ab A.Hirtio in lib.de bello Africo Gallis *Auant coureurs*.

ANTEFERRI, clauſulæ, cuius mentio fit in c.quodam de præbend.in 6.& c.auctoritate de conceſ. præb. eo. lib.vim explicat Felin.in c.cauſam quæ.& c.capitu.de reſcript.in antiq.cuius verba huc trãsferre nimis longum eſſet.

ANTESTARI, eſt dicere tu mihi in ea cauſſa teſtis eris, vel teſte vti, id eſt, vnum aliquem ex his qui adſunt, prehenſa auricula, teſtem citare.Quòd ſi reſpõdiſſet, Licet: tum iniecta manu aduerſarium in ius trahebat: aliàs niſi ſic anteſtatus, iniuriarum poterat accuſari. Acroni, & Porphyrioni in Sermo.Hor.j.Saty.9.

-&, quò tu turpiſsime? magna
Exclamat voce &, licet ant ſtari?

Verbum vetus leg. XII.Tab.quanquam deprauata ſit: ſic enim eam legit Lambinus, SI VIS VOCATIONI FVAT, AVT SI TE IN IVS VOCANTEM NON SEQVATVR, AMTESTATVS EM CAPITO, ſeu, IN IVS EMRAPITO. Turneb.ſic reſtituendam putat, SI IN IVS VOCAT, NI IT ANTESTATVS MANVM INIICITO, AVREM ANTESTATI CAPITO. Lambinus vult verbum componi ab am, id eſt circum, & teſtari: Priſcianus tamen ſcribit Græco illi προσδιαμαρτυρηθῆναι reſpondere: Bud.Græco κλητεύειν, id eſt denunciare teſtimonium.Sunt qui ita explicent, anteſtari, id eſt, teſtato conuenire.

ANTESTATVS is qui teſtatò id eſt teſtibus adhibitis conueniebatur: ſicut Denunciatus dicitur, cui fit denuntiatio.l.venditor.D.de re iudic.Eadẽ ratione apud Gaium lib.j.Inſt.tit.6.pater fiduciarius Anteſtatus dictus eſt olim.Nec verò Anteſtati dicuntur ſuperſtites ſiue teſtes, & Anteſtatorum non attrectatur auris, ſed teſtium.Lex Baiuuaria, Teſtis, inquit, per aurem trahi debet.Et apud Plautũ in Perſa, Satur.Age, ambula in ius leno. Quid me in ius vocas. S.Illic dicam apud Prætorem, ſed ego in ius voco. D.Nonne anteſtaris? S.tuán' ego cauſſa carnifex. Cuiquam mortali libero aures atteram, Qui hic commercaris ciues homines liberos? Itaque lege XII. Tab. ſic fortè reſtituenda: SI IN IVS VOCAT NI EAT, MANVM INCITO. EN CAPITO ANTESTARI. Encapito autem pro incipito. Vt ſit hic ſenſus, Qui reum in ius vocat, non eũtem ducat manu iniecta, & anteſtetur.nec enim iure ducitur quis, niſi anteſtatus. Alij aliter eam legunt, vt oſtendimus in verbo ANTESTARI.Huic opponitur, Inteſtatus, id eſt teſtato non conuentus, apud Plautum in Curcul.15.Hoccine pacto indemnatum atque inteſtatum me arripi?

Ἀντιάδες ſunt tonſillæ, id eſt faucium inflammationes cũ tumore.ſic accipitur in l. quæritur.14.§. ſi quis. D.de ædil.edict.Antias autem nomen eſt tam morbo quàm particulæ accommodatum: vnde Plin.Tonſillæ in homine, in ſue glandulæ.Ab Ariſtotele.in j.de hiſt.anim. παρίσθμια vocantur.

Ἀντικατηγορία recriminatio, mutua accuſatio, Apollodoro.Eius duo genera eſſe ſcribit: Alterum, quo idẽ crimen litigatores intendant: alterum quo aliud, atque aliud.Vide M.Fabium lib.3.c.12.& lib.7.c.3. vbi Apollodorum citat.

Ἀντίδωρον, remunerationem ſignificat.Vlpia.in l.ſed & ſi. 25.§.conſulit.D.de pet.hæred.

ANTIDOTVM, medicamentum, quo nos aduerſus venenum præmunimus: contrauenenum adpellamus.l.5. D.de pen.leg.adpellatur à Gaio medicamentum ſalubre.l.quod ſæpe.35.D.de contrahen.empt.

Ἀντίχρησις eſt ſpecies pignoris ita dati, vt donec pecunia ſoluatur, pignore creditor vtatur, fruatur in vicem vſurarum.l.ſi is.11.§.j.D.de pigno.l.ſi pecuniam.33. D.de pigno.act.Exempla huius ſunt in l.ſi ea.14.& l. ſi ea lege.17.C.de vſur.& de ea vide Conſtant.tit. περὶ ἀντιχρήσεως, & Cuiac.obſer.lib.3.cap.35.

ANTICIPATVR res lite cuius cauſſa intruditur actio antè quàm præſcriptioni locus ſit.exemplum eſt in l. 2.C.de vect.& commiſſ.

Ἀντινομία Fabio lib.3.c.6.legum contrarietas, quam vllam in libris Digeſtorum relictam pernegat Iuſtinianus.l. j.§.nulla.de vete.iur.enucl. ſiue de confirmat.Digeſt. Contrà putat Budæus ad l.fi.§.ſeruus.D.de ædil.edict.

Leges

Leges ſequentes contrarias cenſet.Lex,per ſeruum.§.denique.D.de vſu & hab.cũ l.5.§.j.D.vſufruct.quemad.cau.l.ſi pœnæ.D.de cond.indeb.& l.repetitio.D.eo.l.quid tamen.& l.cum ab eo.D.de contrah.empt.l.cum quidam.& l.in fraudem.D.de iure fiſci.l.hoc iure.& l.inſulam,& l.ſtipulationes.D,de verb.oblig.l.ſi filiusfa.D.de iudic.& l.fi.D.de extraord.cog. Has ἀντινομίας conciliant eruditiſſimus Zaſius edito in eam rẽ libello parte j.& nouiſſimè I. Cuiacius in libris Obſeruationum.

Antipelargia, ἀντιπελαργία gratiarũ relatio,à ciconia, quæ πελαργὸς dicitur.Tradũt enim ciconiam naturali quadam inclinatione parentes ſenio confectos alere,humeríſque geſtare in volatu.Vnde iuſtitiæ ſymbolum dicunt.Et pelargicas,ſeu ciconiarias leges ex Ariſtophane rectè adpellauerimus æquas, ſiue naturales, quibus iubentur liberi parẽtes inopes alere.Hæc Budæus in l.11.D.de iuſtit.& iur.

Antipherna,ſunt donationes quas maritus facit vxori propter nuptias,quibus proxima ſunt θεώρετρα, & ὑπόβολα,de quibus Conſtan.Harmenopulus ſcribit lib.4.tit.10.Antiphernorum fit mentio.l.fi.C.de donat.ant.nupt.verbum iunctum ex ἀντὶ & φερνή.Hæc in dotem rediguntur.l.generaliter.§.hoc obſeruari.C.de ſecun.nupt.Vide infrà Ὑπόβολον.

ANTIQVARE Feſto eſt morẽ priſtinum reducere. Antiquare legem eſt ipſam abrogare,improbare,tollere, Ciceroni 3.de legibus.Vos item, vt audio legem antiquaſtis ſiue tabellas.& l.15.C.de ſacroſ.eccleſ.& l.fi.C.de ed.diu.Had.tol.Moris enim erat Romæ cum rogatam legem improbarent,& repudiarent, in tabula ſcribere,A.qua notula ſignificabatur,Antiquo.

ANTIQVARIVS qui verbis ab vſu remotis vtitur,qui ve vetuſtiſſimos auctores ſcrutatur,Suetonio in Aug.c.68.Iuuenalis Satyra.6.

Ignotóſque mihi tenet antiquaria uerſus.

Antiquarij etiam erant qui bibliothecæ codices componebant,vel pro vetuſtate reparabãt,vt docet Imppp. Cõſtitutio.l.2.in princ.C.Th.de ſtud.li.vrb.Rom.libr.14.C.T.quo etiam ſenſu accipiuntur in l.hac parte.10.C.de proximis ſac.ſcrin. Vnde etiam ἀρχαιογράφοι,& καλλιγράφοι vocabantur, ad differentiam aliorum qui εἰς τάχος ſcribebant.

Antiquior dicitur carior,& potior,Paulo.l.poſtliminium.19.§.transfugæ.in fi.D.de cap.& poſtli.quo etiam ſenſu ſæpiſſimè innenitur apud claſſicos rerum ſcriptores.Cicero,Antiquiorem(inquit)Deiotaro fuiſſe laudem & gloriam,quàm regnum & poſſeſſiones ſuas.

ANTIQVVM ius apud iuris auctores variè accipi, ſpectaríque liquet ex ſubiectis. Nam interdum pro iure gentium,quod cum humano genere natura prodidit, Gaio.l.j.D.de adq.rer. do.§.ſingulorum. Inſti.de rer.diuiſ.Antiquum ius etiam dicitur,quod ex legibus XII.Tab.deſcendit.l.in rem.24.§.tignum. D. de rei vindi. quæ antiquæ leges adpellantur, ſiue antiqua lex Vlpiano.l.2.§.j.D.de noxal.& diuo Antonino Imp.l.j.C.de except.Dicitur & antiqua prudentia.l.pen. in fi.C.de conſtit.pecu.At in l.Gallus.29.§.ſi eius.D.de lib.& poſt.antiquum ius accipitur pro eo,quod legem Velleiam præceſſit:id quod de iure à Gallo inducto accipit Accurſius ad Gallum.quod & Bart.& Bald.& Iaſ. probant.Idem videtur ſenſiſſe Alciatus ibidem, & res ipſa docet.Apud Vlpianum verò in l.j.§.ſi nemo.& l.2.§.ſi mater.D.ad S.C.Tertyl. accipitur pro eo iure, quod Senatuſcõſulta Tertyllianum & Orphicianum præceſſit.Sed an hoc de XII.Tab.intelligendum eſt? an de poſteriore?& de XII.Tabulis accipiendum putem,cum Accurſio ad d.§.ſi nemo. Apud Celſum in l.pater.29.in fi.D.de leg.2.ius antiquum ſumitur pro legibus XII.Tab.Accurſio interprete. Sunt qui putent accipiendum pro eo iure quod eſt ante legem Iuliam & Papiam:quo etiam modo ſumendũ aiunt in Epitome Vlpiani.tit.17.& 18.In Papiniani reſpõſo.l.Seia.§.fin.D.de don.cauſ.mort.ſignificat id ius quod Seueri conſtitutionẽ præceſſit.In l.j.in fi.D.ſi quis à par.man.ſit.iuris antiqui nomine querelã inofficioſi ſignificari aiunt.Accurſ.ius alimentorum interpretatur.Sic etiã, Antiquum ius in l.liberos.C.de collat.quod anteceſſit cõſtitutionẽ Anaſtaſij.Antiquum ius in l.vnic.C.vnd.vir.& vxor.intelligitur Accurſio interprete de l.vnic.D.eo.Equidem de lege Romuli accipiendum putem. Hic enim ita lege cauit: FILIA VTI PATRI ITA DEFVNCTO VIRO, HÆRES ESTO.Halicar.li.2.

ANTIQVITATIS nihil ignorandũ eſt,Inſt.de teſtam.§.j.cum hoc pugnat quod ait Imperator, veteris iuris prolixitatem ſcire,non eſt neceſſariũm.l.vnica.§.& hoc locum.C.de caduc.tollen.Cõciliatio: vt quod vel tollitur,vel reformatur,non ſit incognitum, oportet ea in parte antiquitatem noſſe.d.l.vnic.§.& cùm triplici.Ad declarationem vel cõfirmationem iuris antiquitas vtiliter inueſtigatur.l.ideò quia.& l.ſeq.D.de legib.alioquin ad definitionem cauſſarum, antiquitas iuris abrogati nullo modo eſt alleganda.l.vnica.in prin.C.de lat.lib.tol.

ex Antiquitate temporis,cuius initium non apparet,introducitur conſuetudo,quæ habet vim legis,& iuris conſtituti.l.j.§.fin.& l.2.in princ.D.de aqu.& aq.plu.arcen.l.hoc iure.§.ductus.D.de aqua quotid.& æſti. Talis antiquitas non minorem habet vim in ſuo genere,quàm iuſſus Imperatoris, vt ait And.de Iſernia.tit.quæ ſint regal.in vſib.feud.

Antiquitas vltra hominum memoriam comparatur ſeruituti conſtitutæ.l.j.C.de ſeruitut.poſt tempus quod memoriam excedit,non eſt opus allegare titulum.c.j.de præſcri.lib.6.vbi gl.in verb.nihil.Ex vſu & poſſeſſione triginta annorum præſumitur bona fides,ſi allegata fuerit.l.poſſideri autem.§.ſi ſeruus.D.de adqui.poſſeſſ.ibi.Sed hoc ita verũ eſt,ſi diu in libertate moratus ſit.Bart.in l.vlt.in fin.verſ.illud enim.C.vnde vi.quo caſu ſtatutum,priuilegium,vel pactio impedit præſcriptionem.30.vel 40.annorum: eo tamen præſcriptio tanti temporis,cuius initium nõ extet in memoria hominũ,non excluditur.Nouel.vt de cæter.cõmuta.Eccleſ.§.de cętero.iuncta gloſſa verb.præſcript.

ANVLI, ſiue,vt κατ' ἐτυμολογίαν ſcribit Varro, annuli,circuli ſunt parui,quorum quidam ſignandi cauſſa habebantur.l.ſignatorius.74.D.de verb.ſig.l.argumento.§.ornamenta.D.de aur.& ar.leg.De his intelligitur.l.ad teſtium.§.ſi ab ipſo,& §.ſignum.D.de teſtam.l.ſi vnus.12.C.eod.& alibi.Hinc & Trogus Pompeius libr.43.apud Iuſtin.patrem ſuum ſcribit ſub.C.Cæſare anuli curam habuiſſe & Horatius lib.2.Serm.ſaty.2.Mœcenatem ſub Auguſto nam principes habebant annulum quo epiſtolæ reſcriptáque eorum obſignabantur. Alij ornatus gratia.d.§.ornamenta.& alibi ſæpe.

Anuli leues Vlpiano dicti ſunt, qui non excedunt rem quinque aureorum.l.diuus.6.D.de bon.damn.

Anulos aureos ferre ſolis ingenuis licuiſſe ſcribit Iſidorus lib.20.Proinde liberti ius anulorum aureorum impetrabant à principe,vt ingenuitatis munia cõſequerentur.l.ſed ſi.10.§.patronum.D.de in ius voc.l. cum ex oratione.44.D.de excuſat.l.j.& tot.tit.D.de iu.au.an.& l.j.& 2.C.eo.Hoc ius Modeſtinus.l.14.D.de excuſ.Δίκαιον χρυσῶν δακτυλίων appellauit.Vide Bud.l.fin.D.de ſenat.Porrò veteres Græcos anulum habuiſſe in digito manus ſiniſtræ,qui minimo proximus eſt, Gellius lib.10.c.10.ſcriptum reliquit.

AP

APE, apud antiquos dicebatur, prohibe, compeſce, Feſto lib.j.

Aperire tabulas ille videtur apud Vlpianũ.l.ſi quis.3.§.aperire.D.de S.C.Silan.qui naturaliter aperit, ſiue ligatæ ſint,ſiue nõ.Aperire accipere debemus prohibitos,vel palàm, vel publicè, vel ſecretò. Aperire viam,eſt ad veterem altitudinem, latitudinémque reſtituere,Vlpian.l.j.in princ.D.de via public.& itin. publ. Aperire parietem dicitur,qui feneſtram, vel ianuam in eo facit,Paulo & Sceuolæ.l.pen.& vlt.§.fi. D.de ſeruit.vrb.præd. Sic aperire partem cœnaculi, eodẽ ſenſu dixit Alfenus.l habitatores.D.loc. Aperire refugia in l.ſi cuius.13.§.ſed ſi ædiũ.D.de vſufruct. Aperire puteum.l.fluminum.24.§.fi.D.de dam.infect. eſt fodere puteum. Aperire ſulcum.l.qui duo.29.D. de ſeruit.ruſti.præd.

Aperiri feudum alicui dicitur,cùm ei lege defertur: veluti Domino,cùm ei ob Vaſſalli mortem, aut culpam committitur:id eſt,ad eum reuertitur. lib.j.tit.18. §.2.lib.2.tit.15.& tit.26.§.4.Cõmitti enim, & In commiſſum cadere,veteres dixerunt,quæ propter delictũ aliquod amittuntur:vt in Comment.verb. Iur.docuimus.Aperiri etiam agnato feudum dicitur, cùm ob Vaſſalli crimen in non Dominum commiſſum agnato lege defertur.lib.2.tit.31.

Apertura eſt apertio,ſiue ipſe aperiendi actus.l.3.§. aperire.D.de S.C.Sila.l.3.§.filia.D.de hæredib.inſtitu. & alibi ſæpe.

Apices iuris, hoc eſt ſubtilitates,ſummum ius,ſtricta iuris ratio,in qua æqui & boni ratio non habetur,ſed res ad viuum reſecatur:quæ bona fide agenti non cõueniunt, vt eximius æquitatis cultor Vlp.dixit, in §. quædam.l.ſi fideiuſſor.D.mand. Hinc dubio procul emanauit vulgatum illud, diſputantem in re liquida non eſſe audiendum: de quo latius diſſerit Bart.in l. confeſſus.D.de cuſtod.reor.

Apisci Nonio,eſt inuenire & adipiſci: eodem verbo vſi ſunt ſæpiſſimè Iuriſcoſſ. Vlpian. l. quod apiſcendæ.D.de donat.inter vir.& vxo.Quod adipiſcẽdæ dignitatis gratia ab vxore in maritum collatum eſt,&c. & l.ſed & ſi.§.de eo.D.de hær.pet. Quod ſi ab initio quidem iuſtam cauſſam habuit apiſcendæ poſſeſſionis.Paulus.l.j.§.j.D.de acquir.poſſeſſ.& alij in Pandectis.Eodem verbo vtitur etiam ſæpe Cor.Tacitus.

Ἀποκήρυξις, abdicatio.l.abdicatio.C.de pat.pote. vide ſuprà Abdicatio.Vnde ἀποκήρυκτος, ὁ ἐπὶ ἁμαρτήμασιν ἐκπεσὼν πατρῴας τῆς οἰκίας:id eſt,qui ob peccata è patris domo eiectus eſt.Ἐκποίητος verò, ὁ ὑπὸ τοῦ φύσει πατρὸς εἰς ἕτερον οἶκον δίδοσθαι προσθέσει,ait Sudas.

Apocha, cautio ſolutæ, datæve pecuniæ, qua ſcilicet creditor ſe à debitore pecuniam accepiſſe teſtatur. tot.tit.de apoch.pu.& l.plures.C.de fid.inſt.& l.fin.§. Titius.D.de cond.indeb.Apocha autem differt ab acceptilatione,quòd acceptilatione omnino contingit liberatio,licet pecunia ſoluta non ſit: Apocha, non aliàs,quàm pecunia ſoluta,Vlpiano.l.ſi accept.19.§.fi. D.de accept.Huic opponitur,Antapocha,cautio,qua debitor apochã, recipiẽs teſtatur creditori ſe perſoluiſſe.Vide Antapocha.

Ἀποκρισιάριοι, Ad reſponſum interpretatur Iuſtinianus Nouell.25.Vide Ad reſponſum.Interdum hoc nomine appellantur qui in aula Imperatoris eccleſiarum cuiuſque diœceſis negotia gerebant,quaſi eorum legati,vt Nouell.6.§ χαλεπὸν γε μὴν.Apocriſiarius etiam dici videtur,qui monialium negotia procurat, vt Nouell. 123.§. κατ' ἐδόνα.item qui monachorum. Hoc verbo etiam vtitur ſummus Pontifex.c.ſignificaſti.de elect. vbi interpretes pro nuncio accipiunt.

Ἀπόκρυφος, occultus, arcanus. Porrò qui libri ſint Apochrypi,vide 15.& 16.diſt.per totum.

Ἀπόδειξις in Nou.& Baſil.eſt apocha, cuius commeminit Euſtathius περὶ χρονικῶν διαστημάτων.titu. περὶ λ. ἡμερῶν. M.Fabius ἀπόδειξιν definit lib.5.cap.10.euidentem probationem.

Ἀποδυτήριον pars eſt balnei,vbi conſtituebantur capſarij. Cuiac.lib.5.c.8.

Ἀπόλιδες, vide ſuprà A, præpoſitionem: ἀπολῖται Theopompo dicuntur,libr.3.O nom.I.Polluc.c.4.

Apographa, ἀπογραφὴ, eſt adnotatio bonorum, indéxque eorum quæ reperta ſunt.Iuriſc.inuentarium vocant,& Repertorium,vt in Commen.linguæ Græcæ Budæus teſtatur.

Ἀπόφασις,in diui Pij conſtitut.l.j.§.j.D.de appellat. reſcriptum, ſententia: quo ſenſu ſæpe reperitur apud Demoſthenem,& Plutarchum in Publicola. Apud Dialecticos plerunque pro negatione ſumitur.

Ἄπορον,id eſt perplexum,Gellius libr.9.c.15.vertit inexplicabile:& alibi,ἀντιστρέφοντα,huiuſmodi argumenta vocauit.Fabius libri 3.c.8.dubium,& de quo non liquet. Eſt igitur controuerſia parum conſiſtẽs. Huius exemplum extat apud Marcianum.l.ſi ita.19.D.de condit. inſtit.l.qui quadringenta.D.ad leg.Falcid. apud Africanum,vbi hoc verbo vtitur:Dixi τὸ ἄπορον hanc quæſtionem eſſe,qui tractatus apud dialecticos τοῦ ψευδομένου dicatur.vide A.Aug.lib.4.Emend.c.16.

Ἀποστασία, à fide religionéque defectio, fidei ſanctæ proditio,vt ex Imppp.conſtitutione elicitur,lege hi qui.3. de apoſtat.Apoſtatarum autem nomen eſt ſacrilegũ. l.4.C.eod.

Ἀποστάσιον, repudium interpretatur Euſtathius in eo qui περὶ χρονικῶν διαστημάτων inſcribitur lib.tit. περὶ πενταετίας. cuius rei exemplum extare ſcribit in Nouell. 22.c.2.

Apostoli vulgò ſunt dimiſſoriæ literæ, ἀπὸ τοῦ ἀποστέλλειν, quod mittere ſignificat. l. Dimiſſoriæ.D.de verbor. ſignific.l.vnic.D.de libell. dimiſſ. l. Lucius. 9.D.de iure fiſc.Paul.lib.5.Sentent.tit.34.l.eos.6.§.fi. C.de app. Apoſtolorum formam tradit Marcianus. d.l.vnica.

Ἀποθήκη, repoſitorium,reconditorium,id eſt, locus rebus quibuſuis ad tempus cõdendis idoneus: quæ & librorum erat.l.quæſitum.12.§.inſtructo.17.D.de fund.inſtructo.& χρημάτων,καὶ σκευῶν,Iulio Polluci, lib.10.c.j. Onomaſtic.eſt et cella vinaria.l.videamus.§.qui vinum.D.loc.l.vulgaris.21.§.certè.D.loc.l.j.C.de verb. ſign.Pli.lib.14.c.14.Olei quoque erat.Columell.lib.j.c. 6.Rei ruſtic.l.j.C.de verb.ſignifi.

Appanagium, Franciſcum vocabulum. Sumi ſolet pro ea bonorum parte quæ Regis Franciæ liberis natu minoribus ſolet concedi,poſtquam natu maximus mortuo patre regnum adeptus eſt.Eius autem ius et conditio hæc eſt, vt directum dominium Rex ea in parte retineat:et ſi poſteri virilis ſexus deficiãt, ad regem redeant.Dictum autem eſt quaſi Abbannagium, B.in P mutato, quaſi quis partem excluſoriam dicat: non à pane quotidiano,vt volunt pragmatici.

Apparere Budæo in Forenſib.exhibendi officij, et obſequij exhibendi gratia præſto eſſe: quod et antè docuit ad Virgilij verſ.lib.12.Æneidos Seruius:

Hæ Iouis ad ſolium,ſæuíque in limine regis
Apparent,acuúntque metum mortalibus ægris.

Cicero pro Cluent.Quid ſibi autem illi ſcribæ, quid lictores,quid cæteri quos apparere video,volunt?Feſtus libr.12.Naualis,inquit,ſcriba,qui in naue apparebat. Apparere etiam,probatum eſſe et liquere probationibus,ſonat.§.ſic itaque diſcretis.Inſt. de actio. Si apparet eum dare oportere:quem locum ita vertit Theophilus, εἰ φαίνεται τὸν ἀντίδικον τόδε πρᾶγμα χρῆναί μοι δοῦναι.Apparet igitur nõ pro intendere ibidẽ accipi,vt malè Oldendorpius explicuit.

Apparitio, officium, actus apparendi: quandoque ſumitur pro ipſis apparitoribus,Vlp.l.ſi.§.fin.D.quod met.

met.cauſ.quo etiam ſenſu accipitur in l. j. C. de loca. prædi.ciuil.lib.11. vbi ſubaudiendum,interueniente, ex d.§.fi.D.quod met.cauſſa:idque etiam rectè ſentit Odofredus ad l.j. qui eam optimè omnium explicat. Apparitio igitur ibi pro apparitoribus ſumitur, non pro iudice,vt Accurſius & Ioannes de Platea ibidem, aut pro diſcuſſione,vt Oldendorpius, falſò putarunt. Apparitio etiam ſumitur pro officio, ſiue ordine. l. 2. C.de appar.procoſ.

Apparitores ſunt magiſtratuum miniſtri, qui eorum iuſſa exequuntur,vt colliges ex l.j. ad inſcriptionem & ἐπιγραφὴν relata de exec.& exact.libr.12.C. Apparitorum numero ſcribas,viatores, lictores & præcones contineri,ex eo quem ex M. Ciceronis Cluentiana ſuperiùs adduximus, loco edocemur. Porrò eos varios fuiſſe conſtat ex libr.12.C.tit.52. 53. 54. 55. 56. 58.59.60.

Apparitura autem ipſum miniſteriũ, & officium, vt Tranquillus ſcribit in libr.de Grammaticis. Vide Old.in claſſe.j.actio.4.in princ.

Appellare generale verbum eſt: Appellare Magiſtratum,eſt ipſum adire agendi cauſſa in edicto Prætoris.l.j.D.ex quibus cauſ.maio. Hoc inquit Accurſius,non fuit expoſitum ab Vlpiano: quod tamen ab eo factum puto,ſed à Tribuniano omiſſum, vt & alia multa.Appellare item eſt ab inferiore iudice ſuperiorem prouocare.l.j.D.de appel.& tot.tit. C. & D.eod. Appellare etiam eſt iudicio conuenire.l.qui appellat. 29.D.de iud.& l.fideiuſſor.16.§.fi.de fideiuſſ. Appellare debitorem, eleganter & propriè, pro eo quod crebrius dicitur interpellare,id eſt,ab eo id quod debet repoſcere,Iulian.l.16.in fi.D.de fideiuſſ.Veriſimile eſt id actum,vt cum appellatus reus non ſoluiſſet, fideiuſſor teneretur.ſed etſi reus antequam appellaretur,deceſſiſſet,fideiuſſor obligatus non erit. In eandem ſententiam illud eſt Columel.lib.j.c.7. Vel optima nomina non appellando,fieri mala,fenerator Alfius dixiſſe fertur.Vulgus, non ſolicitando. Appellare,eſt auxilij gratia quempiam implorare. Cicero: Vos,vos appello fortiſſimi viri. Appellare ex aduerſo,hoc eſt,nomina per antiphraſin imponere, vt bellum,quòd minimè bellũ, vel bonum ſit. Appellare item eſt blanda oratione alterius pudicitiam attentare.Hoc enim non eſt conuicium facere, ſed aduerſus bonos mores attẽtare. Vlpianus in l.item apud Labeonem.15.§.appellare.D.de iniur.

Appellatio eſt triplex,videlicet,quædam à ſententia diffinitiua,de qua tractatur.D. & C.de appellatio. quædam ab interlocutoria ſententia,quam require in l. 2. D. de appel.recip.vel non. quædam denique ab actibus extraiudicialibus,cuius fit mentio in l. j. §. ſolent.D.quan.appellan.ſit.Sunt qui duo tantùm genera conſtituant,iudicialem putà,& extraiudicialẽ: quibus accedo.Sunt etiam qui eam in duo genera diſtribuant:in expreſſam,& tacitam.Expreſſam intelligentes,quæ voce aut ſcriptis fit l.j. & 2. D. de appel. tacitam,quæ neque voce,neque ſcriptis fit,ſed facto, cuius meminit text.in c.dilecti filij.de appel.in antiq.Eſt & alia diuiſio.Nam quædam appellatur generalis: & hæc reiicitur.c.2.extr.eod.& ſpecialis gl.in d. c.2. Appellatio autem fuit inuenta ad præſidium innocentiæ: non autem vt defenderetur malitia appellantis.c.ſuggeſtum.& c.ad noſtram.de appel.& ad imperitiam & iniquitatem iudicis detegẽdam.l.j.D.de appell. Appellationem non oportet ad compares iudices referri,ſed à minori iudicio in maius tribunal aſcendere, Nouel. de appel.§.illo videlicet obſeruando. Conſt. 23.cuius Epitome tantùm in Græca editione Scrimgeri extat. Appellatio, definitore Hermogeniano. l.præfecti.17.D.de mino.eſt iniquitatis ſententiæ querela.Hæc definitio,vt breuis,ita vera eſt. Bartolus vero ita definit in l.j.D. de appel. vt ſit ius quo interim prima ſententia extinguitur,& interim cauſſæ cognitio ad ſuperiorem iudicem deuoluitur. Hanc rectiùs quàm Bart.definiiſſe viſus pleriſque fuit Iulius Pontifex in c.placuit.12.q.6.vt ſit à minore iudice ad ſuperiorem prouocatio.Hermogeniani & Iulij definitiones vt rectæ aptæque ſunt,ita omnibus probatæ.

FORMVLÆ APPELLATIONVM.

Appellationem recipere & admittere, quæ duo idem ſonant.l.ei cuius.5.D.de appel.l.ſi quis.6.§.hi autem.6.D de iniuſt.ſignificãt autem pontificiis appellationi deferri.c.an ſit.de appel.in antiq. Huic contrarium eſt repudiare.l.appellatione.3.C.eo.

Appellationis cauſſas reddere & agere.l.j. & 2.D. an per alium cauſ.l.j.D.ſi pend.appel.& alibi ſæpe in tit.D.de appell. eſt placitare cauſſas appellationis. Proſequi appellationem,& prouocationem exercere, pro eodem dicũtur.l.2.§.legatis.D.de iudi.l.3.de appel. & re, Ex appellatione cognoſci, & prouinciari dicitur, quando appellationis cauſſa cognoſcitur & pronunciatur.l.non ob.25.D.pro ſoc.l.creditor. 102.§. j. D.de ſolut.l.licet.C.loc.Sic ex appellatione ſententiam dicere.l.minor.18.§.idem Imp. D. de min.Et ad appellationem iudicare,lege non putabam.D. de cond.& demonſtr.

Appellatio iniuſta pronunciatur,cùm dicitur male & temere appellatum.l.negotiorum.D.de appel.porrò ſuperiori iudici ſatis eſt pronunciare, iuſtam, vel iniuſtam prouocationem,ex Diocl.et Maxi. conſtit.l. eos. in fi.princ.C.de appel.

Appellationum tempora.l.qui ſuſpectam.20.D.de appel. cum ſimilib.ſunt quæ ad appellationem interponendam,exercendam & explicandam conſtituta legibus, moribúſve ſunt.Sunt autem quatuor, vt à quodam Anteceſſore Toloſæ accepi.Primum intra quod appellare oporteat:& intra decem dies adpellãdum Iuſtinianus conſtituit,Nouel.23.§.j.idque à recitatione ſententiæ.Secundum tempus,intra quod petendi ſunt Apoſtoli,de quo.l iudicibus. C. de adpel. Tertium eſt tempus inducendæ,& vt pragmatici Galli loquuntur, releuãdæ appellationis,cuius meminit.l.2. & 3. de tẽp. & repar.appel. Quartum tempus terminandæ. §.ſancimus.de appel.conſtit.93.

Appellatio Tribunorum,apud M.Cic.in Cluentiana, Videtúrne interceſſiſſe appellatio Tribunorum,nõ more,ſed auxilij cauſa.Appellantur autem Tribuni more & inſtituto,cum eorum interceſſio poſtulatur, ſi quid iniquè à Prætore,verbi gratia,decernatur:at cũ auxilij cauſa appellantur, id verò non fit more in cauſis, quia qui id facit,de ſua cauſa cognoſci non vult. Qui auxilij cauſa tribunos appellabat in litibus,is ſe æquo iudicio certare non poſſe clamabat.

Appellere propriè nauigia dicuntur ad litus,ripã, portum,Græcis κατάγειν.l.riparum.D. de rer. diuiſ.Sed & pecora ad aquam appellere dicuntur.l.vnic. §.fi.D. vt in flu.publ.l.j.§.Trebatius.D.de aq.quot.& æſti.l.2. D.de riuis.Ex quo pecoris ad aquam appulſus.

Appendere in dotem, Vlp.D.lib.23.tit.4.l.34.

Appius Claudius Appiam viam ſtrauit, & aquam Claudiam induxit:vel,vt quidam legunt, inuertit.R, literã inuenit,vt pro Valeſiis Valerij eſſent,Pomponio.l.2.§. iuris.18.D.de orig.iur.

Applicitum,pro iuncto, apud Scæuolam accipitur quum ait,Domum meam cum horto applicito. l. vxorem. §. j.de leg.3.vt apud Plinium lib.2.epiſto. Applicitum eſt cubiculo hypocauſtum perexiguum.

Applicationis ius ab Athenienſibus ortum eſſe

retur Turn. Adu. lib. 24. cap. 32. apud quos peregrini ſe alicui opulento ciui in clientelam dabant, dicabántque: quod in palliata comœdia imitatus eſt Terentius, cum in Eunucho ſcripſit,

-una eſt domus, Thais patri
Se commendauit in clientelam & fidem:
Nobis dedit ſe.

Id Athenienſes appellabant νέμειν προςάτην. Qui autē ad patronum ſe non applicarat, in iudicium vocabatur, quod dicebatur, ἀπροςασίου δίκη. Horum aūt ſi quis inteſtatò mortuus eſſet, patronum volebant (qui tamē non propriè patronus erat, ſed tanquam patronus) dimidiæ partis bonorum poſſeſſionem accipere. Ex Ciceronis tamē in Verrem verbis, vbi C. Sulpitij Olympi meminit, colligi poteſt ſextæ partis bonorum petitionem his patronis conceſſam. Horum aliam explicationem vide apud Hotom. in Comm. verb. iuris.

APPREHENDERE, pro capere perſonam, apud Vlp. D. ad l. Aquil. l. ſed & ſi. 5. ſin autem, ait, cum poſſet apprehendere, maluit occidere, magis eſt vt iniuriam feciſſe videatur.

Apprehenſio, id eſt, captura perſonæ, non eſt paſſim concedēda, propter magnam iacturam nominis & famæ, iuxta. l. 3. §. tutores. D. de ſuſpect. tut.

APPVLSVS pecoris inter ſeruitutes, ius ad aquā expellendi, Vlp. l. 5. de ſeruit. præd. ruſt.

APPENDICES inſtitutionis, ſunt ſubſtitutionis tabulæ, l. ſi quis hæres. 35. D. de adq, hæred.

APRARIVS, adiectiuum ab aper, vt retia apraria, Paulus lib. 23. tit. 5. l. 22.

APSIDES verbum πολύσημον eſt, quo vſus eſt Paulus. l. pediculis. 32. §. j. D. de aur. arg. mund. Sunt autem lances rotundæ, in quibus eſca ponebatur: ſunt & tabulæ in lancium genere magis latæ & planæ, vt apud Horat. epiſt. lib. j. epiſt. 15. tabulas cœnabat omaſi, vilis & agninæ. Vbi tamen alij Patinas legunt.

APTVS Feſto lib. j. cum propria ſignificatione intelligatur, poni tamen ſolet pro adeptus, ſicut apiſci, pro adipiſci.

APPROBARE dicitur, qui non improbat.

APVD, mutuam loci, & perſonæ coniunctionem ſignificat: vt cùm dicimus, cœno apud amicum. Apud & penes in hoc differunt: alterum perſonam cum loco ſignificat, alterum perſonam, & dominium, ac poteſtatem: quo proximè accedit quod Vlpia. l. penes. 63. D. de verbo. ſignific. dicit, penes amplius eſſe, quàm apud Ridicula eſt igitur L. Vallæ reprehenſio. Sed hæc differentia plerumque confunditur. l. 3. §. ſi penes. D. de tab. exhi. l. & habe. §. pen. D. de precar. l. eum qui. ad fi. D. de vſucap.

Apud aliquem obligari, pro alicui obligari, dixit Iul. l. 16. D. de fideiu.

AQ

AQVA, inquit Feſtus, à qua iuuamur.

Aqua diurna, quæ die tantùm, nocturna quæ noctu tantùm ducitur. l. ſi ſic. 7. D. quemad. ſer. amitt. l. ſi priùs. D. de aq. & aq. plu.

Aqua æſtiua, qua æſtate ſola vti expedit: ſicut dicimus, veſtimenta æſtiua, ſaltus æſtiuos, caſtra æſtiua, quibus interdum etiam hieme, plerumque autem æſtate vtimur. l. j. §. æſtiua. D. de aq. quotidia. & æſti.

Aqua quotidiana eſt, quæ duci aſſiduè poteſt, tam æſtiuo, quam hyberno tēpore, etiam ſi quotidie non ducatur. Naturam enim aquæ, ac conſuetudinem reſpicimus.

Aquæ caput illud eſt, vnde aqua naſcitur. l. j. §. caput. D. de aqua quot. & æſtiua.

Aqua & igni interdictum. Hi quibus aqua & igni interdictum eſt, id eſt, deportati. Vlpia. l. j. D. de leg. 3.

Aqua & igni accipere, id eſt nuptias celebrare. l. pen. D. de don. inter vir & vxor. Varr. apud Seruium: Mariti aqua & igni vxores accipiebant. Eodem reſpicit verſus ille Valerij Flacci lib. 8.

-ignem Pollux undamque iugalem
Prætulit. & communis ille verſus:
Vota uiri captant quæ iam captanda putabant:
Quos faciet iuſtos ignis & unda uiros.

Vide Igni & aqua accipere.

Aquam pluuiam definit Vlpianus. l. j. §. j. D. de aq. & aq. plu. quæ de cœlo cadit, atque imbre excreſcit. ſiue per ſe hæc aqua cœleſtis noceat, ſiue cum alia miſta ſit. De aquæ pluuiæ trāſitu (ait Frontinus de limitibus agrorum) controuerſia, ſi collectus pluuiæ aquæ tranſuerſum ſecans finem alterius flumen influit, & diſconuenit, ad ius ordinarium pertinebit.

Aquæ calidæ, & frigidæ meminit Vlpianus. l. j. §. idem Labeo. D. de aq. quotid. & æſti.

Aqua perennis, quæ perpetuò fluit, neque vnquā areſcit. l. j. §. loquitur. D. eo.

Aqua profluens ſeparatur à flumine. §. & quidem. de rerū diuiſ. videtúrque tantum à flumine differre quantum pars à toto.

AQVAGIVM, Feſto, quaſi aquæ agium. l. hoc iure. §. pen. D. de aq. quot. & l. aqua. 9. D. quemad. ſer. amitt.

AQVARII ſulci fiebant in agris aquæ eliciendæ cauſſa. Græcis ἕλικες dicti l. j. §. ſed & ſi quis. & §. ſeq. & ſeq. D. de aq. & aq. plu. l. vicinus. 24. D. eod. Feſt. lib. 5.

AQVARII, aquarum cuſtodes, ὑδροφύλακες. l. penul. de aquæduct. li. 2. C. Aquarij, qui aquam domum lauandi, potandíque cauſſa importabant. l. quæſitum. 12. §. idem reſpondit. 22. D. de inſtr. vel inſtr. leg. Aquarij autē Feſto ſunt impudicarum mulierum ſordidi aſſeclæ. Quā ſignificationem hinc puto manaſſe, quòd quum eorū miniſterio ſæpius mulieres ad balneum vterentur: vnde apud Plautum, *Aggerundáque aqua ſunt uiri duo defeſſi.* hac occaſione amorum internuntiis ſolebant eis vti. Hinc Iuuen. *-ueniet conductus aquarius.* Aquarioli autem per diminutionem ad contemptum, vt in viliſſimis & omnium viliſſimi ipſi dicuntur. Turn. macarios, m, addito inde deduci vult, & teſtatur in lexico latinogræco Aquarium, ὑδροφόρον eſſe, & aquariolum βαλανέα, ſed & baccarionem πορνοδιάκονον. malim tamen macurij nomen à baccarione deduci b, in m. mutato. Baccario enim à baccare vaſis genere deducitur ad portandam aquam apto, vt in vet. gloſſ.

AQVÆ DVCTVS eſt ius aquæ ducendæ per fundum alienum. l. j. D. de ſeruit. ruſt. præd.

AQVÆ HAVSTVS, eſt, ius aquam hauriendi. d. l. j.

AQVÆLICIVM dicitur cum aqua pluuia remediis quibuſdam elicitur. Feſto lib. j. & Tertul. lib. 3. aduerſ. Marcio. Vnde Aquilices, qui aquæ eliciendæ ſunt artifices, apud Tarruntenum. l. vlt. D. de iure imm. de quibus vide Vitruu. lib. 8. c. j. & Pli. lib. 26. c. 6.

AQVILEX dicitur N. Marcello aquam colligens, & Paterno. l. fi. de iure immu. D. ſcilicet artifices inueniendorum fontium, aquarúmque colligendarū ad aquæductus iidem ferè cum iis qui libratores vocantur in tractat. de excuſ. artif.

AQVILIANA ſtipulatio à Gallo Aquilio expoſita eſt, vt Florentinus ſcribit. l. & vno. 17. §. eius rei. D. de accept. & §. item per, Inſtit. quib. mod. toll. oblig. huius formulam referens, cuius eam eſſe vim ait Vlp. l. Aquiliana. D. de tranſact. vt omnes omnino præcedentes obligationes nouet, & perimat, de quibus erit cogitatū, ipſáque perimatur per acceptilationē: & referente Papiniano. l. cū Aquiliana. D. eo. ex conſenſu redditur.

AQVIMINALIA, vaſa aquaria. l. 3. de ſupel. lega. Paulo libr. 3. Sent. recept. tit. 6. Cuiacius tamen Obſer. lib. 10. c. 11. Aquimanalia legi mauult, & explicat χερνιβόξεςα:

νιβόξεστα: teſtatúrque in veteribus gloſſis inueniri, Aquimanile, χερνιβόν, vel quod ex eis aqua manet & effundatur in pelues, vel quod aquam poſcere ſolerent ante cibum his verbis, Aquam manibus. Plautus Trucul. Date aquam manibus.

AQVIMINARIVM dicitur vas eſcarium, & propter aquam paratum, l.cùm aurum.19.§.ſi cui.D.de aur. arg.leg.Cuiac.Obſ.lib.10.c.17.legi mauult Aquimanarium, ea forma qua Non. Aquæ-manalem dixit.

A R

ARABARCHES, erat Alexandriæ magiſtratus, qui Iudæis præerat Alexandrinis quem & quidam Alabarchen vocant: vnde in Epigram.2. ſcribitur, ἐξ ἀλαβαρχέης γραμματικοῦ γέγονεν. De hoc meminit Ioſeph. lib.22. c.5.belli Iudaici his verbis, Primi inter Alexandrinos Iudæos tam opibus quam genere, & tum Alabarchiæ magiſtratum gerentis. Alio loco, videlicet lib.19.ca.4. Ethnarcham appellat. Ergo eiuſdem gentis princeps fuit Alabarches, Arabarches & Ethnarcha, & credibile eſt Alexandrinorum quodam idiomate r, literam in l.emollitum. Vide Turneb. Aduerſ.lib.27.c.25.

ARATRVM inducere, moris fuit Romanis, quum vrbem aliquam euertiſſent, vt eam funditus delerent. Hinc probare & colligere ſolent Iuriſconſ.tum demum vrbem aliquam eſſe deſiiſſe, atq. interiiſſe, cum in ea aratrum circunductum eſt, Modeſtin. l.21. D. quib.mod.vſufr. Hinc Cic. Philip.1. Vt vexillum tolleres, & aratrum circunduceres. Et Horat.

(Iræ) altis vrbibus vltimæ
Stetere cauſæ cur perirent
Funditus, imprimerétque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

ARATORES & ARATIO. Ager aliquis decumanus qui arabatur, eorum à quibus colebatur proprius non erat, ſed publicus pop.Rom.cenſebatur, ac decumarũ conditione & pẽſatione agricolis erat attributus, qui Aratores dicebantur, agríque quos colebant, Arationes: ſed & omnis ager vectigalis & decumanus qui arabatur, frumentariúſque erat, ſic vocabatur. Cic. in Verrẽ: Pulſos aratores eſſe dico, agros vectigales vexatos. Et in Rullum: Illi Capuam receptaculum aratorum eſſe voluerunt. Nam ager Campanus cum publicus pop.Rom.eſſet, qui Capuæ eum colebant, & decumas penſitabãt, aratores erant. Turn. Adu.lib.1. c.6.

ARBITER vetuſtè dicebatur, pro teſte. Vnde illud, Remotis arbitris, pro ſine teſte, & in ſolitudine. Interdũ datum iudicem, addictúmque ſignificat, l.Lucius.24. D.de poſ.quod & Feſtus probat lib.1.his verbis: Arbiter dicitur iudex, quòd totius rei habeat arbitrium, & facultatem. Eſt igitur arbiter iudex compromiſſarius, id eſt ciuis Rom.ex cõpromiſſo à litigatoribus ſumptus, cui Prætor diſceptandæ arbitrio ſuo controuerſiæ poteſtatem dedit, l.Pomponius. D.de arbit.& l.4. & l.pen.C.eo. Arbiter etiam quandoque à magiſtratibus dari ſolet, l.2. C. de ſent.& interlo. Separatur tamen & differt à iudice, l.lex.7. D.ad leg.Iul, repet.§.j. Inſtit.de actio. Porrò hanc differentiam tradit Ariſtoteles lib.1.Rhetoric. ὁ διαιτητὴς τὸ ἐπιεικὲς ὁρᾷ, ὁ δὲ δικαστὴς τὸν νόμον, καὶ τούτου ἕνεκα διαιτητὴς εὑρέθη, ὅπως τὸ ἐπιεικὲς ἰσχύῃ. quod & Senec.lib.3.ca.7.probat: ex quo adiicias: Iudicem formula includit, & certos, quos non excedit, terminos ponit: arbiter liberam & nullis adſtrictam vinculis religionem habet, & adiicere & detrahere quid poteſt. Hinc obſeruare poſſumus arbitros in iis potiſſimum iudiciis nominari qui ex bona fide deſcendunt.

Arbiter familiæ erciſcundæ apud Vlpianum, l.j.in fin.D. de collat.do.l.Næuius.§.arbiter. D.famil.erciſcun.l.in ipſius.& l.ſi diuiſionem.C.eo.& alibi ſæpiſſimè. Idem arbiter diuidendæ hæreditatis vocatur. l.filiæ. C.eod. & arbiter diuidendis bonis datus, l.3.C.com.diuid.vbi eius officium explicatur.

Arbiter communi diuidundo, l.is qui.31. D.com.diuid.& apud Paulum lib.1.Sentent.tit.18.De arbitro famil.erciſcun.Cicero in Orat.pro Cecinna.

Arbiter pro ſocio, l.pro ſocio.38.D.pro ſoc.& apud Ciceronem in Orat.pro Roſc.Comœdo.

Arbiter tutelæ, l.fi.§.fi.D.de appel.& l.2.& 3.C.arbit.tut. vbi iudex appellatur.

Arbiter dotis recuperandæ, l.Titia.de ſolut.D.& de dote cognoſcens, l.j.D.de pact.

Arbiter aquæ pluuiæ arcendæ, apud Alfenum, l.vicinus. 24.D.de aq.& aq.plu.& Ciceronem in Topic.in loco à ſimilitudine.

Arbiter actionis quod metus cauſſa, l.item ſi cum.14.§. hæc autem.D.quod met.cauſ.

Arbiter & in his cauſſis datur, quæ arbitratu boni viri æſtimandæ, definiendæque ſunt, l.Stichus. 12. D.de leg.3.veluti ad determinandam viam latitudinémque actus, vel itineris ſtatuendam, l.certo. D.de ſeruit.ruſti. Item ſi inter vicinos de altitudine ædificiorum ſit controuerſia, l.qui luminibus.D.de ſeruit.vrba. Ad fideiuſſores probandos, l.arbitro.D.qui ſatiſ.cog.

Arbiter Falcidiæ is eſt qui ad defuncti bonorum quantitatem æſtimandam & conſtituendam datur. l.ſi debitor.D. ad leg.Falcid.l.j. §.cum dicitur. D.ſi cui plus quam.& alibi.

Arbiter à Prætore de rationibus excutiendis inter hæredem & ſeruum datur, l.ſi quis.5. D.de manumiſ. Nihil autem aliud ſignificat, quàm virum bonum à prætore delectum, cuius arbitrio rationes computentur. l.ſi pater.47.§.Sticho.D.de fideic.libert. quæ ſignificatio ad omnia arbitrorum genera producitur. Arbiter de alimentis datur, æſtimaturus quantum in facultatibus ſit, l.ſi quis.5.§.fi. D.de agnoſ.li.nec non inter dominum, & fructuarium, de refectione ædium, l.vſufructu.7.§.quoniam.D.de vſufr. Arbiter datur à prætore cuius interuentu merces peculiares tribuantur, l.illud. in fi.prin.D.de tribut.

Arbiter etiam datur ad definiendum quantum deminui oporteat, l.j.§.pen.D.de vent.in poſ.& ad diſtrahendum.l.ſi magiſtratus.27.D.de rebus auct.iud.poſſid. & ad fideicommiſſi reſtitutionem, l.pen.D.de conſeſ.& in reuocatoria actione, l.ex his. 8. D.quæ in fraud.cred.& in modo agrorum, & finibus regundis, l.de modo.D.fin.reg. hinc Terentius in Heautonti. act.3.Scen.1.

Vicini noſtri hic ambigunt de finibus,
Me cepere arbitrum.

Arbitri igitur vel à Prætore dantur, de quibus ſuperiùs, vel ex compromiſſo accipiuntur, & conuentione adeuntur, l.ſocietatem.§.fin.D.pro ſoc.l.arbiter.33.D. de recep.qui arb.& recepti dicuntur quòd arbitria recipiant, vel vt Iuſtinianus ait, l.rem non.12. de iudic. quòd ex recepto, id eſt compromiſſo cauſſas dirimendas ſuſcipiant.

Arbitrorum autem duo genera conſtituit Proculus, d.l. ſocietatem.§.fi.vnum eiuſmodi, vt ſiue æquum, ſiue iniquum ſit, parere debeamus: quod obſeruatur, cùm ex cõpromiſſo ad arbitrũ itum eſt: alterum eiuſmodi, vt ad boni viri arbitrium redigi debeat, & ſi nominatim perſona ſit comprehenſa, cuius arbitratu fiat. Ad hoc genus pertinent ij quos in bonæ fidei iudiciis dari ſuprà diximus. Scio Accurſium varios arbitri ſignificatus referre in l.pen.D.de arbit.& aliquot ſignificata recenſent Angel.& Iaſon in §.j.Inſtit.de actio.

Arbiter non cogetur ſententiam dicere de liberali cauſſa, l.non diſtinguemus.§. de liberali. D.de arb. nec ſacerdotio obueniente, ibidem.§.ſacerdotio, neque de cauſſis publicis: cui rei argumento erit, quòd de iis,

quæ ad ſolutionem pecuniæ, & operarum præbitionem pertinent, ſententiam dicere debet, Iauoleno l. non ex omnibus. D. eo. quod & Solon lege cauerat apud Demoſthenem κἂν μηδ᾽ ἐάν τινες περὶ συμβολαίων ἰδίων πρὸς ἀλλήλους ἀμφισβητῶσι, καὶ βούλωνται διαιτητὴν ἑλέσθαι, &c. quam legem explicui lib. 2. veteris Iuriſp. ad leges Solonis.

Arbiter olim tum maximè dabatur, cùm non niſi re litigioſa oculis ſubiecta, lis explicari poſſet, l. certo generi. in fine. D. de ſeruitut. ruſtico. prædior.

Arbiter ex eadem cauſa facit litem ſuam, qua iudex. leg. ſi quis in conſcribendo. C. de pact.

Arbitri eſſe non poſſunt, pupillus, furioſus, ſurdus, aut mutus, l. ſed ſi in ſeruum. in princ. D. de receptis. Nec iudex poteſt recipere arbitrium eiuſdem rei, de qua iudex eſt, d. l. ſed ſi in ſeruum. §. ſi quis iudex. Sanè diuerſum ius eſt in ſpecie. §. εἰ δὲ σύμβῃ τινά. Nouell. 86. cuius verba non refero: cuilibet enim ſunt obuia.

Arbiter cuius ſordes aut turpitudo manifeſta eſt, poteſt recuſari, l. ſed ſi in ſeruum. §. ſi. D. eo. tit.

Arbiter excuſatur à cognitione, ſi eum infamarunt litigatores: ſi ad iudicium, vel ad alium arbitrum ierint, dicto §. ſi. & l. ſeq. & ſeq. Non cogetur arbiter ſententiam dicere, ſi pœna commiſſa ſit. l. non diſtinguemus. §. j. D. eodem tit. Si dies fuerint, quibus iudex non cogetur ſententiam dicere: ſi iuret ſibi de cauſa nondum liquere, l. Pomponius ait. §. ſi. D. eod. ſi inimicitiæ capitales inter arbitrum & litigatores interceſſerint: ſi ætas, aut valetudo contingat: ſi occupatio negotiorum propriorum, vel profectio vrgens, aut munus aliquod reip. cauſa, vel alia incommoditas incidat: ſi iudicij ſui nomine, quod publicum, vel priuatum habet, impediatur, l. licet autem prætor. & l. ſeq. de recep. arbit. ſi vnus ex litigatoribus bonis ſuis cedat, l. item ſi vnus. in princ. D. eodem tit. Arbiter denique non eſt cogendus, ſi de negotio tranſactum eſt, §. item non eſt, l. non diſtinguemus. D. de recept. arb.

Arbiter à magiſtratu non cogitur, vt hanc vel illam dicat ſententiam, ſed arbiter ſtatuet, & dicet quod ſibi videbitur, l. qualem autem. in princ. D. de recept. arbit. arbitrium enim non valet, in quo libera pronunciandi facultas futura non eſt, l. item ſi vnus. §. item ſi plures, D. eo.

Arbiter, cùm per eum ſtat quò minus intra diem compromiſſi pronuncietur: tunc poteſt cogi denuò recipere arbitriũ, l. quid tamen. §. Papinianus ait. D. eo. tit.

Arbitri ſententia aduerſus minorem 25. annis, non habetur rata, nec pœnæ datur petitio, l. 3. in princ. D. de recept. arb. ſententiam autem dicit, qui ea mente pronunciat, vt ſecundum id diſcedere eos à tota controuerſia velit, l. qualem. §. j. D. eodem tit.

Arbiter ſententiã interlocutoriam poteſt mutare: definitiuam verò non poteſt, ibi. §. vnde videndum. & l. ſeq.

Arbiter de pluribus controuerſiis nihil ſibi communibus ita ſumptus, vt de omnibus ſimul dicat ſententiam: ſi de vna pronunciet, poteſt mutare ſententiam: quod ſi vt ſeparatim dicat ſententiam, non poteſt mutare, l. quid tamen. in princ. D. de recept. arb.

Arbiter ſolutioni diem poteſt ſtatuere, ibid. §. ſolutioni.

Arbitri ſentẽtia incerta, nihil valet, vtputà, QVANTVM EI DEBES, REDDE: DIVISIONI VESTRÆ STARI PLACET: PRO EA PARTE, QVAM CREDITORIBVS TVIS SOLVISTI, ACCIPE. ibid. §. Pomponius ait.

Arbiter non poteſt pronuntiare de pœna compromiſſa. ibid. §. item ſi arbi.

Arbitri pronunciatio, quæ diem ſtatuit, duo habet præcepta, alterum, pecuniam dari: alterum, intra diem dari, l. Celſus ait. §. j. D. eo. tit. qui non committit in pœnam, quòd ſtatuto die non dedit, is tamẽ in eam committit quòd poſteà non dat. Ibi. Si arbiter me tibi certa die pecuniam dare iuſſerit, tu accipere noluiſti, ipſo iure pœna non committitur: niſi poſteà parato accipere, non dem, l. Celſ. ait. §. ſi. & l. ſeq. D. de recep. arb. cùm dies in pronuntiatione expreſſus eſt, tunc poſt diem ſtatim committetur pœna. Qui verò oblatum acceperit, is pœnam petere non poteſt, aut doli exceptione remouetur, l. Celſus ait. in princ. D. de recept. arb. Quando autem in pronuntiatione non exprimitur dies, tunc ineſt quoddam modicum tempus, quod vbi præterierit, pœna committitur, vt tamen vſq; ad litem conteſtatam offerri poſſit, & mora prorogari, l. quid tamen. §. ſi. D. eod. tit.

Arbiter pronuntians, nihil deberi actori, abſoluit reum conuentum, etiam ſi id non addat, l. quid tamen. §. ſi arb. D. eo. tit.

Arbitri ſententiæ ſtare, nihil aliud eſt, quam id agere, quantum in ipſo ſit, vt arbitri ſententiæ pareatur, l. Celſus ait. §. ſi. D. eo. tit. Stari autem debet ſententiæ arbitri propter pœnam, ſiue æqua, ſiue iniqua ſit, & ſibi imputet qui compromiſit, l. diem proferri. §. ſtari autem. D. eo. tit. Sed ſi contra ius conſtitutum expreſſum, vel ſine ſolennitate neceſſaria, vel dolo malo dicta ſit, tum ei poteſt impunè non ſtari, l. ſi expreſſum. D. de appellationibus. l. prolatam. C. de ſent. & interlocut. omn. iud. l. ita demum. D. de recept. arbit.

ARBITERIVM in Pand. Flo. pro, arbitrium, reperias l. arbitro. 9. D. qui ſatiſd. cog. l. 3. §. 1. l. Pedius 7. de arb. & alibi ſæpe. Eſt autem,

Arbitrium, Feſto lib. 1. ſententia quæ ab arbitro ſtatuitur. l. qualem. D. eod. Quemadmodum autem arbitri & iudices, ita arbitria & iudicia differunt. Arbitria enim in bonum, & æquum concipi, & ex bona fide reddi ſolebant. Sic,

Arbitrium familiæ erciſcundæ, & communi diuidundo, l. in iudicio. 47. D. famil. erciſc. & pro ſocio, ſæpe apud Ciceronem in orationibus exempla patent, & aquæ pluuiæ arcendæ, l. quod principis. 23. D. de aq. & aq. plu. & rei vxoriæ, Ciceroni 3. Officio.

Arbitrium etiam arbitri officium, circa ea, quæ in iudicio verſantur, formulaque non continentur, ſignificat, l. ſi conſtante. §. pen. & vlt. D. ſol. matr. l. ſi vendidero. in fi. D. de furt. & alibi, cùm habet verbum iudicis adiectũ. Hinc arbitrariæ actiones, quæ ex arbitrio iudicis pendent. §. præterea. Inſtit. de actio. hoc eſt ex illa facultate ſtatuendi legibus minimè adſtricta.

Arbitrium etiam arbitratum ſignificat. Sed enim arbitriũ aliud eſt liberum & ſolutum, quod in mera voluntate poſitum eſt, & arbitrium plenum voluntatis dicitur, l. vtrum. §. j. D. de reb. dub. l. liberum. D. de adopt. Aliud eſt arbitrium viri boni, quod his verbis exprimi intelligitur: Si arbitratus fueris, Si comprobaueris, Si tibi videbitur, ἐὰν δοκιμάσῃς, ſi volueris, l. fideicommiſſa. D. de fideicom. li. Vbicunque autem in iudicis, vel alterius arbitrium quid cõfertur, pro arbitrio viri boni hoc habendum, & quaſi bono viro cõmiſſum accipiendum eſt, l. j. D. de leg. 2. l. ſed ſi. 17. §. ait prætor. D. de iniuriis. l. ſi libertus. 30. D. de oper. lib. l. ſi ſocietatem. 6. D. pro ſocio, & alibi: idque in conditionibus & bonæ fidei iudiciis locũ maximè habet, l. in perſonam. D. de diuerſ. reg. iur. l. veluti. & l. ſeq. & ſeq, D. pro ſocio.

Arbitrium iudicis, arbitrium boni viri, religio iudicantis Papinianus in l. quæſitum. D. de teſtib. Omnia enim iſta ex conſtante illa, & perpetua voluntate boni, & æqui, velut ex vno fonte procedunt, & eodem tendunt, ſcilicet ad dirimendas celeriter controuerſias litigantium, ex bono & æquo.

Arbitrium, & iudicium duabus potiſſimum rebus eſſentialiter diſtant: prior eſt, quia arbitrium incipit à conſenſu partium, & dat notionem quandam, l. diem proferre.

ferre.§.ſtari autem,& l.non diſtinguemus.§.de officio.D.de recept.l.inter ſtipulantem.§.ſi Stichum.D. de verb.obl.Altera qua diſcernas arbitrium à iudicio eſt,quia arbitrium exigit pœnam,l.litigatores.§.arbitrium,& §.fi.D.de receptis.l.j.C.eodem titul.iudicium autem non æquè,quoniam habet iuris dicendi auctoritatem ordinariam, vel mandatum cum poteſtate coercendi,l.j.2.&3.D.de iuriſdict.

Arbitrium recipere dicitur is, qui quaſi bonus vir receptus, admittit ſolicitudinem,& curam finiendæ controuerſiæ priuatim in ſe transfert,cùm alioqui nõ teneretur.Nemo enim cogitur arbitriũ recipere: vbi tamen ſemel quis in ſe receperit, offficio perfungi cogẽdus eſt,l.3.§.tametſi neminẽ.D.de recept.arbit.itaq; eleganter,& ipſe receptus,& recipere arbitrium dicitur:ſuſcipere officium arbitrandi, recipere arbitrium.

Arbitrio,vel arbitratu boni viri, aliàs de iudice, vt in l. quæſitum eſt.D.de teſtibus.Aliàs de arbitris omnibus, aliàs de cauſſarum actoribus,aduocatis, procuratoribúſve,vt in l.penul.& vlt.D.de procurato. dici ſolet. ſemper enim denotat,debere abeſſe calumniam, & agi rem ſyncerè ex æquo & bono.

Arbitrium ſeruus olim recipere non poterat, neque ſolus,neque cum alio, l.Pedius.D.de receptis.planè ſi liber factus ſententiam dicat, valet, partibus conſentientibus,l.ſed ſi.9.D.eo.

Arbitrium ſoluitur morte alterutrius litigatoris, vel etiã arbitri,ſcilicet quantum ad inſtantiam pertinet, etiã ſi concluſum fuerit in cauſa. Niſi hæredum, vel ſucceſſorum ſit facta mentio in compromiſſo vtrinque, l.diem proferre.§.j.l.ſed & interpellatur.§.fin.D.de recept.qui arb.

Arbitrium præter communem ſignificationem videtur vſurpari ſolitum in funeribus pro mercede libitinariorum,veſpillonum, pollinctorum, eorum denique omnium qui funera curabant.Cicero in Piſoniana: Eodem & loci veſtigio & temporis,arbitria non mei ſolum,ſed patriæ funeris abſtuliſti. Et poſt reditum in Senatu: Nondum palam factum erat cõcidiſſe remp. cum tibi arbitria funeris ſoluebantur.

ARBITRARIÆ actiones, §.præterea. Inſtit.de act.id eſt ex arbitrio iudicis pendentes, vel ex quibus condemnatio fit officio arbitrióque iudicis. Vel in quibus iudex antequam definiat negocium, arbitratur quomodo actori ſatisfaciendum ſit. Vide ſupra,in tractatu actionum.

ARBITRATVS idem quod arbitrium, l.ſi in lege. D. loc.l.æſtimatis.50.D.ſol.mat.l.reſtituere.D.de rei vendic.l.illud. D.quod met.cauſ. Arbitratu Lucij Titij fieri,verba, ius ſignificare & in ſeruum non cadere Vlpianus ſcribit.l.illa verba.68.D.de verb.ſign.Exempla patent in l.ſi quis arbitratu.43.D.de verb.ſign.

ARBITRARI, eſt ſtatuere,& arbitriũ pronunciare, id eſt, νομίζειν & δοκεῖν, l.diem.§.ſi quis.D.de receptis arb. Quid autẽ arbitrũ pronunciantem obſeruare oporteat,docet Paulus in l.non diſtinguemus.§.de officio arbitr.D.eo.Vnde apud Plautum Merc. Arbitrari inſcitum,id eſt,pronunciare inſcitum,atq; imperitum. Arbitrari, patiendi ſignificatu pro æſtimari vſus eſt Vlpianus in l.ſi quis.12.§.ſumptus.3.de relig.

ARBITRARIVM, cùm adhuc res apud arbitrium geritur,Feſto.Proinde incerta eſt & dubia, controuerſiaque iuris,& in voluntate, poteſtatéque & arbitrio alterius: quo factum eſt vt Plautus certum arbitrario opponeret:Hoc quidem profecto certum eſt, non arbitrarium.

ARBORES cæduæ,ſicut ſylua cædua, quæ ſucciſa rurſus ex ſtirpibus aut radicibus renaſcatur.l.fructus.§.ſi fundum viro.D.ſoluto matrimonio.l.ſylua. D.de verborum ſignificatio.

Arbores furtim cæſæ videntur, quæ ignorante domino, celandíque eius cauſa cæduntur, licet earum arborum furtum non fiat,l.furtum.7.D.arb. fur.cæſ.

Arbor vento deiecta,non iam arboris nomen, ſed ligni magis obtinet,l.ligni,de leg.3.Arborem autem partimur in radicem, truncum, & ramos: diuidimus verò in laurum,cedrum,quercum,&c.

Arbores gremiales in editione Flo.in l.fructus.§.ſi fundum.D.ſol.matri. accipit Ant.Aug:lib.3. cap.7.tenues ex Colume. lib. 12. de re ruſtic. tametſi cremiales legendum quidam cenſeant:quam lectionem & Accurſius ibidem agnouit.

Arborũ appellatione & in XII.Tab.& in edictis Prætoriis,& lege Aquilia vites,hederæ,arundines & ſalicta continentur,l.3.D.arb.furt.cæſ.l.j.D.de arb.cæd. Stirpes quoque oleæ arbores eſſe magis eſt,d.l.3.§.fin. Arbores frugiferæ apud Vlpianum, l.ſi cuius. §.fructuarius.D.de vſufruct.& Paulum lib.5.Sentent. tit.20.fructiferæ,notiſſimæ ſunt ſignificationis. Sunt enim arbores non frugiferæ,quarum meminit Paulus,l.competit. D.quod vi aut clam. & arbores pomiferæ, l.in fraudem.§.pen.D.de iur.fiſc.

Arbores terminales apud Paul.lib.5.tit.22.Sent.quæ & finales Siculo Flacco lib.de condit. agrorum dicuntur, cuius verba huc non transfero.

Arbor pro malo nauis ponitur, apud Papinianum & Iulianum l.3.& l.nauis.D.de leg.Rho.de iact. & Paulum lib.2.Sent.tit.7.Arbores autem in torculario Catonis vult eſſe Turn.quas vulgò gemellas poſteriores ſolemus dicere,vt ſtipites anteriores gemellas.

ARCA camerata,id eſt, arcuata & conformata, Vlpi.in l.ſed addes.§.inquilinus.D.locati.Vide in hunc locum Bud. quam inde dictam ait Varro lib.4.ling.Latinæ, quòd arceãtur fures ab ea clauſa, quod & Feſtus probat lib.1.Arcæ etiam mentio fit in l.ſecuritates.C.de ſuſcep.præpoſ.& arca.

Arcarum varia eſſe genera ex ſubiectis liquidò conſtat.

Arca lapidea,in qua mortuus condebatur, l.is qui.§.fin. D.de relig. eiuſmodi pleræque antiquiſſimæ & elegantiſſimis epitaphiis inſignitæ Lugduni,& in ſuburbiis viſuntur,quæ aliquando propter antiquitatis auctoritatem exſcripſi.

Arca ærata in §.ſi inquilinus.l.ſed addes.D.loca.

Arca frumentaria,& olearia,l.j.D.de mu. & hono.l.2.de curat.Kalend.lib.12.C.Th.

Arca vinaria in l.ſecuritates.C.de ſuſcep. præpoſ.& arc. li.& apud Symmach.li.epiſt.1.28.& 33.

Arca quæſtoria,apud eundem:Epiſt.lib.1.epiſt.19.

Arca fiſcalis, l.in prouinciis.de numer.lib.12.C.in quam tributa inferebantur,vt ſignificat Iuſtinianus in Nouell.128.in princi. καὶ τὸ ἐξ αὐτῶν εἰς τὴν ἀρκὰν εἰσφέρεσθαι. Porro arcas argenteas primus habuiſſe fertur Heliogabalus, ſi quid Lampridio credimus. Sed & notandum eos qui bene numati erant, habere arcam dictos: contra non habere, quibus nihil erat numorum:Catull.*Cui neque ſeruus,neque arca*

ARCARIVS ſeruus apud Scæuolam, l.Thais.§.fi.D.de fid.libert.dicitur,qui arcæ,in qua domini pecunia cõdita eſt,præpoſitus eſt:idem qui actor, aut diſpẽſator. at Arcarij præfectorum dicuntur ſub rub.C.de ſuſcep. & arcariis,quibus eorum quæ in arcam præfecti prætorio inferuntur, recipiendorum cura commiſſa eſt. nam in prouinciis alia in fiſci rationes, alia in arcam præfecti præt. inferebantur:eorúmque ita ſeparata & diſcreta erat procuratio, vt nihil inter ſe commune haberent.l.duos tabellarios.13.C,eod.l.3.C.de can.larg. tit.

ARCERA in XII.Tabulis apud Gellium lib.20.cap.1. eſt plauſtrum vndique tectum,& munitum, quaſi arca quædam magna veſtimentis inſtrata, qua nimis ægri, aut ſenes

aut ſelles cubantes portari ſolebant; quam definitionem probat N.Marcellus.hanc ex tabulis factam ſcribit T.Varro lib.4.Ling. Latin. verba legis ſunt ſuprà in verb.Æuitas.

ARCERE aquam,eſt curare ne influat,Paulo l.2.§.idem Labeo.9.D.de aq.& aq.plu.ar.

Arcere,inquit Feſtus lib.1.eſt continere.vnde Arcus.

ARCESSERE,pro accerſere, id eſt euocare dixere veteres,l.Pamphilo.§.propoſitum.D.de leg.3.& l.dominicis.C.vbi cauſ.fiſc. & Cicero pro A.Cluentio : Arceſſit ſine cauſa puerum.Neque in hoc Grammaticos ſequimur,qui aliter diſtinguunt.

ARCHEION propriè domus Principis.Hinc factum vt archæa dicantur tabularia publica,& (vt Sudas exponit)ἔνθ' οἱ δημόσιοι χάρται ἀπόκεινται καὶ χαρτοφυλάκια. in his publica inſtrumenta deponuntur,& adſeruātur,l.moris.§.nonnunquam. D.de pœn.& apud Iuſtinianum Nouell.15.§.προστάξεως, ibi, καὶ εἶναί τι παρ' αὐτοῖς ἀρχεῖον. Iulianus ibi vertit ſcriniū.Sic & Nouell.74.ἀποτίθεσθαι χάρτην ἐν τῷ ἐκκλησίας ἀρχείοις,τουτέστιν ἐν τῷ ἱερατείῳ κειμηλιοφυλακίῳ. Hinc Archiuum publicum.

ARCHEIOTÆ, Archiorum cuſtodes apud Arcadium Chareſium,l.fi.§.hic quoque.D.de mun.& honorib.

ARCHIATRI ſunt qui in comitatu principis medendi cura funguntur,l.2.iuncta inſcriptione. C.quibus non obiic.long.tem.præſc. Exempla extant in l.medicos. & l.Archiatri.& l.ſeq.C.de profeſ.& medic.lib.10.

ARCHIDIACONVS, eſt poſt Epiſcopum vicarius, ad quem in omnibus in clero omnis cura pertinet,c.j.de offic.Archid.cuius officium,c.j.eod.tit.explicatur.

ARCHIEPISCOPORVM appellatione, vt notiſſimā ſignificationem prætermittam, continentur Patriarchæ alij præter priuilegiatos, Alberico. Nam Archiepiſcopus intelligitur Patriarcha,l.iubemus.14. C.de ſac.ſan.eccleſ.& in Nouel.131.in prin.vbi de archiepiſcopo Conſtantinopolitano loquitur.

ARCHIGERONTES, in Cōſtitutione Arcadij, & Honorij,l.6.C.de Epiſc.aud.& in l.j. C.Th.de Alex. pleb. prima.putat Alciatus lib.3.Parerg.ca.18.dici ſeniorum principes,ſummos ſenes, qui procurant negotia aulæ principalis,qui annonam,& quæ ad victum principis pertinent,emunt:quæ interpretatio non conuenit,ob id quod in ea conſtit.ſequitur,ergaſiotarum. Quidam putant eos eſſe principes opificum, & operariorum, ἀπὸ τοῦ ἀρχιεργατεύειν, id eſt, principatum tenere, & legi volunt,Archigetones,leuiſſima mutatione adhibita. In vtroque tamen Codice Iuſtin. & Th.legitur archigerontes.

ARCHIGVBERNVS apud Iauolenum, l. Seius.46.in princi.D.ad S.C.Treb.claſſis præfectum ſonat,gubernatorum claſſis primum. Alij principem gubernatorum explicant,& omnium gubernatorū primum, ab ἀρχὸς & κυβερνήτης,nomine deducto.

ARCHIMANDRITÆ in l.nos reddentes. C.de ſum. Trinit.ſunt cœnobiorum præfecti.vide ſuprà Abbas.

ARCHIMIMVS apud Iulia.l. patronus.25.D.de oper. lib.mimorum primarius.Eſt autem mimus qui facta, mores,& naturas geſticulatim imitatur.

ARCHIFINIVS ager,vide ſuprà agrorum genera.

ARCHITECTVS, eſt ſtructorū princeps,qui ædificiorum rationem cōminiſci, & inſtruere didicit: ac graphicè,hoc eſt,lineamentorum ductu,& vmbratili pictura eas formas deſcribere,l.fi.D.de iur.imm. In omni enim opere magnifico tres perſonæ conſiderātur: dominus,qui liberaliter impendit: ſtructor ſeu officinator, qui fabrili ſubtilitate conſarcinauit: architectus,qui venuſtam proportionem inuenit.

ARCHONTES in l.pars literarum.48. D.de iudic. Haloander Prætores, Alciatus,lib.4. Diſpunct.ca.6.ſummos Athenienſium magiſtratus vertit. Hi vero annui erant quorum etiam ex nominibus,item vt Romæ ex conſulum,anni numerabantur. Græcum nomen retinet Cic.lib. de Fato: Morietur Epicurus, cum duo & ſeptuaginta annos vixerit, archonte Pitharato. Plin. lib.33.magiſtratum dixit:Nonaginta annis ante Praxibulum Athenienſium magiſtratum. Anto.verò Auguſtinus ad Modeſtinum.l.ἀδεῖναι.21.D.de tuto.& curato. dat.de magiſtratibus accipi rectè putat. Sanè apud Paulum,d.l.pars.annuum fuiſſe magiſtratum liquet ex verbis literarum,quæ ibidem referuntur.

Arculæ in Pauli reſponſo, l.argento.53. D.de leg.3.deminutiuum arcæ,Feſto & Varroni,de qua ſuprà.

Arcus Nonio ſuſpenſus appellatur fornix. Arcus aquæ ducendæ cauſſa fiebant,l. ſuprà iter.11.D.de aqu.& aq. plu.Iul.quoque Frontinus,lib.11.de aquæductibus vrb. Rom. aquas per multa paſſuum millia duci tradit. Eiuſmodi arcus non longè à Lugduno adhuc manent: quos ducendæ aquæ cauſſa factos fuiſſe creditur.

Arcuarius, τοξοποιός, legunt quidam.l.6.De iure immunit. id eſt,qui arcus facit.

AREA, locus in vrbe ſine ædificio, Florentino,l.fundi. 211.§.locus.D.de verb.ſignific.Feſto locus vacuus,quaſi exaruerit, & non poſſit quidquam generare. Varro autem aream vocat, vbi frumenta ſecta terantur, & areſcant.Græcis πλατεῖα, Gall.*place* dicitur. Area etiā Iuriſcoſs.ſignificat ſolum,cui ædificium imponitur, & quod,depoſitis ædibus, manet, vnde & ædificij pars eſt Paulo,l.ſeruitutes.20.§.ſi ſublatū.D.de ſerui.vrb.& l.qui res.98.§.aream.D.de ſolut.l.domo. D.de pig.act. & alibi ſæpe.

Aream quoque appellabant, in quam collecta omni ex tecto pluuia deſcendebat: quo etiam modo accipitur in l.2.& l.ſeruitutes.§.ſi ſeruitus,& §.qui in area. D.de ſeruit.vrb.& §.prædiorum.Inſtit. de ſeruit.præd.ruſt. & vrb.In ruſticis verò prædiis locus erat terendis frugibus & leguminibus aptus,l.Mela.§.fi.D.de alim.leg. l.fi.§.fi.C.de ſeruit.& aq.quo etiā ſenſu accipitur apud Varronem loco ſuperiùs adducto.

ARENA locus erat,vbi certamina præbebātur, qui arena ſpargi ſolebat,l.4.D.de accuſ.& alibi ſæpe. Inde,

Arenarius,qui in arenam pugnandi cauſſa deſcendit, ibíque publicè pugnauit,l.hæ demum.D.de oper.libert. & l.od carmen.§.ſi ea.D.de teſtib.Ij etiam cum feris beſtiis pugnabant,vnde & beſtiarij quibuſdam dicti ſunt,l.j.D.de ædi.edict.

ARESCVSA in editione Pand.Flor. Ancillæ nomen l. Areſcuſa.D.de ſtat.homi.l.Titius. & l.idque.45.§.vlti. D.de acti.empt. Attamen alibi in eadem editione, Arethuſa,ſcribitur,l.vbi.75.§.illud.D.de verb.oblig.

ARESTA, vox Græca, ἀρεστά, à Gallico ſenatu vſurpata, qua ſententiæ curiæ ſupremæ ſignificantur, Budæo l. fi.D.de ſenato.

ARGENTARII, ſeu argentariæ menſæ exercitores, erāt ciues Rom.qui tum Romæ,tum in prouinciis rei nummariæ negotiationem exercebāt, vnde & Nummularij & Menſarij nominabantur. Erant autē in foro ſtantes,ibíque tabernas,& menſas ſuas poſitas habentes,apud quos etiam fœnebres pecuniæ deponebantur,quas per partes erogabant,& collocabāt:quarum probatio,ſcripturis ,probationibúſque continebatur,l.4.in prin.l.quædā,& l.argentarius. D.de eden. l.ſi res.D.de admi.tut.l.procurator.D.de libera.legat. l.à diuo.§.pen.D.de re iudi.l.ſi ventri.§.in bonis.D.de reb.auct.iud. ad Argentarias autem duabus de cauſſis pecuniæ deferebantur, aut enim credebātur ſub vſuris ipſis quas deinde fœnori collocabāt. Hinc Argentariorum rationem Donatus Terētij interpres ſignificans:Tunc,inquit,in foro,& de menſæ ſcriptura magis quam ex arca domóque,vel iſta pecunia numerabatur.De qua conſuetudine dicemus in dictione ſyngrapha.

grapha. Aut deponebantur ſine fœnore, vt ex d.l. ſi vẽteri conſtat, propter fidem publicam dũtaxat: id eſt, vt tutiore loco quam priuatis in ædibus aſſeruarentur. Atque hæ pecuniæ in æde Caſtoris recondebantur. Plautus in Curcul. *Sub ueteribus ibi ſunt, qui dant quique accipiunt fœnore. Pone Caſtoris ibi ſunt quibus credas malè.*

Argentarii res in foro publicè vendebant, Vlpiano, l. item videndum. D. de hæred. pet. Scæuolæ. l. filiæ. D. de ſolut. apud eos igitur auctiones factas fuiſſe liquet, Senecæ teſtimonio, quod & M. Fabius in lib. Inſtit. probat. Vnde & meritò eorum officium, & miniſterium publicam habere cauſam Gaius ſcripſit d.l. argentarius. Fiebant & apud eos contractus, de quibus Nouella Iuſtiniani 136. & in 9. Edicto eiuſdẽ principis. Singulorum rationes conficiebant Argentarij, & in Codices referebant, quas & edere cogebantur edicto Prætoris, l. Prętor. 4. in prin. l. ſi quis. D. de eden. & aliis legum capitibus eiuſdem tituli, quarum verba huc non refero.

Argentariis autem varia indita fuere nomina. Vocantur enim à Iuſtiniano Nouella 136. & Edicto 9. Ἀργυροπρά-ται, vel ἀργυροπράκται, vt vult Bud. à Suda ἀργυρόμοιβοι. & Collectarij ab eodem, & in l. quiſquis. C. ſi cer. pet. & Argenti diſtractores à Iuſtiniano, l. fi. C. de pign. & l. pen. in fi. C. de conſti. pecu. & Iuliano Patritio ad Nouell. 4. §. ſin autem. & Argenti venditores à Theodoſio, & Valenti. l. ſi cohortalis. 12. de cohort. lib. 12. C. & ab eiſdem Trapezitæ vocantur ibidem: & Argentarię menſæ exercitores in edicto Prætoris, l. 4. D. eo. Appellantur & menſarij, & menſularij, l. emptor. §. Lucius. D. de pact. & κολλυβισταὶ, à Iulio Polluce, lib. 7. ca. 3. & alibi cermatiſtæ: & coarctores à Scæuola, l. ſticho. 40. §. fi. D. de ſtatulib. Ab eodẽ numularij, d. l. emptor. §. Lucius. D. de act. empt. Collectarij autem, inquit, Cuia. Obſ. lib. 10. c. 14. coactores & numularij, minores argentarij ſunt, aut maiorum miniſtri & mercenarij. Per eos nanque pecunias cogunt, auctore Donato & Acrone: & quas coegere, erogant per parte, permutatione, fœnore, vel qua alia rationes. Partes dixi cum Paulo, quæ Græci κέρματα.

Argentarij officium, l. pen. D. de edend. Argentaria ſocietas, l. cùm duobus. 52. §. cum duo. 4. D. pro ſoc.

Argẽtariã facere, id eſt, argẽtarij munus exercere, et obire, l. 4. D. de eden. & apud Plin. in lib. de viris illuſtrib.

Argentarium, argenteæ ſupellectilis inſtrumentũ, ἀργυρώματα. l. 19. D. de auro arg. leg. Vt in iunctura argẽtea ſcio me dixiſſe, quod non in argẽtario paterfamilias reponebat.

Argenti tria genera Vlpianus videtur cõſtituere in l. in actione. 19. D. de furt. factũ, putà infectũ, & ſignatũ. Factũ, eſt vnde artifex opus aliquod, veluti lancẽ aut paterã effecit: infectum quod rude adhuc, & in maſſa eſt, Græcis ἄσημον: ſignatũ, quod ſigno publico notatũ, numi, atque pecuniæ appellationem recipit. Porrò,

Argenti appellatione tam factũ, quàm infectum cõtineri Paulus ſcribit, l. quæſitũ. 78. §. illud. D. de leg. 3. Argento igitur legato, infectum, & factum, putà vaſa, deberi ait Vlpian. l. cùm aurum. 19. in princ. & §. fi. & l. Quintus. D. de aur. & arg. Planè pecuniam, aut numos non deberi, eidem ibidem rectè placuit. M. tamen Cicero in Topic. ad Trebat. pecuniam numeratam, & numos contineri videtur ſentire, his verbis: Non, ſi vir vxori legauit omne argẽtum, quod ſuum eſſet, idcirco, quæ in nominibus ſunt, legata ſunt. Hanc Ciceronis ratiocinationem improbant plerique, & rectè.

Argentum factum, vas argenteum viderit ait Mutius, l. Quintus. D. de aur. & arg. leg. id autem argentum factum rectè ita definiri Vlpianus cenſet, d. l. Quintus. in fi. D. eo. quod neque in maſſa, neque in lamina, neque in ſignato, neque in ſupellectili, neque in mundo, neque in ornamentis inſit. Factum igitur à ſignato ſeparatur. Seneca, lib. de Benefic. ca. 11. Libentius, inquit, Donabo argentum factum, quàm ſignatum.

Argenti autem facti multæ ſunt ſpecies. Eſcarium, quod & eſcale, & potorium, l. cum quidam. 8. D. de ſupell. lega. l. cum aurum. §. ſi cui. D. de aur. & arg. leg. eſt & balneare, & viatorium, quo quis in itinere, & in via vtitur, l. fi. in princ. & §. j. D. eo. Eſt etiam argentum menſale, de quo Vopiſcus in Claudo. Argentum igitur factum eſt quo commodè vti poſſumus, d. l. Quintus. §. cui legatum. D. eo. tit.

Argenti infecti appellatio rudem materiam continet, vt diximus, id eſt, non factam, l. cum aurum. 19. §. infecti. D. eod. hoc in maſſa conſtitutum vocat Iuſtinianus, l. fin. C. de poſſ.

Argenti quoque aliud genus eſt, putà ſignatum, quod aliqua forma expreſſum eſt, veluti quæ Philippi ſunt, itémque numiſmata, & ſimilia, d. l. Quintus, §. cui legatum. Tria hæc argenti genera Liuius lib. 34. his verbis cumulat: Secundo, ait, die aurum argentúmque factum infectúmque, & ſignatum. Infecti argenti fuit pondo 18. millia. Facti, vaſa multa omnis generis. Signati argenti 84. millia fuere Atticorum.

Argenti appellatione ſupellex argentea non venit: niſi argenti numero à teſtatore habita ſit, d. l. cum aurum. §. idem Celſus.

Argentum id omne accipimus, quod ita ex argento eſt, vt neque ſupellectilis inſtrumento cedat, neque proprio alicui, & ſpeciali generi adſcribi poſſit, l. 2. D. de leg. 2. l. j. & 3. D. de ſup. leg.

Argentum purum putum Alfenus Iuriſconſultus lib. 34. Dig. ſcribit eſſe valde purum, ſicut nouum nouitium dicimus, & proprium propitium, augere atque intendere volentes noui & proprij ſignificationem. Hoc tamen Gell. lib. 6. cap. 5. reprehendit, & ait putum eſſe à putando dictum, & ob eam cauſam prima breui ſyllaba pronunciari. Putum autem argentum eſſe, quaſi exputatum, excoctúmque, omníque aliena materia carens, omnibúſque ex eo vitiis detractis, emaculatum & candefactum.

Argentum puſulatum apud Alfenum, l. in nauem. 31. D. loca dicitur hoc ideo, quia merum in puſulas adſurgeret. Puſularum meminit Feſtus lib. 7. in verbo, Hetta. Vide, Puſulatum.

Argvere, eſt reum poſtulare, accuſare, & conuincere, l. indicaſſe. 197. D. de verb. ſignifi. l. filiumfamil. D. de adult. & alibi ſæpe. Arguere de inofficioſo, eſt accuſare, l. penult. §. ſi hæres. D. de inoffic. teſta. quo ſenſu, arguere falſum teſtamentum dixit Modeſtinus, l. cum Titia. D. de accuſ.

Argvmentvm definit M. Cicero in Partitio. Orat. probabile inuentum ad faciendam fidem: in Topicis verò, rationem, quæ dubiæ rei facit fidem: quam definitionem probat & explicat M. Fabius lib. 5. cap. 10. his verbis: Ergo cùm ſit argumentum ratio probationem præſtans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ quod eſt dubium, per id quod dubium non eſt confirmat. quo ſenſu accipitur apud Paulum, l. qui filium. 74. in fin. D. ad S. C. Treb. l. fi. D. de publiciana. Ciceronis definitionem in Part. confirmat Iſidorus lib. Etymol. in c. forus. de verb. ſignif. exiſtimans duci ab argute & inuentum. Baldus in l. conuenticula. C. de epiſcop. & cleric. Eorum verba huc tranſcribere inſtituti noſtri non eſt: neque enim ad rem pertinent.

Argumentum in procemio Inſtit. §. cúmque. vertit Theophilus ἔλεγχον, id eſt, euidentem demonſtrationem, & euidentiam.

Argumentum pro indicio accipitur apud Vlpianum, l. j. §. iidem Cornelio. D. de quæſt. Porrò exquiſita non debent eſſe argumenta, indiciáve, Marciano, l. diuus. 6. ad

6.ad finem.D.de cuſt.& exhib.reo.Ex variis cauſſis colliguntur.Bald.l.conuenticula.C.de ſac.ſanct.eccl.

Argvto pectine dixit Theodoſius Imp.l.temperent.C.de veſtib. holoberis.lib.11.imitatione Virgil. qui ita dixit lib.1.Georg.

Arguto coniunx percurrit pectine telas.

& Apuleius lib.2.Aſin.aur. Et pectinis arguti dente tenui diſcriminantur.

Ἀργυρῖται qui pro coronis, præmióve argenteo vicerant, l.commodis.D.de re iudic.& apud Plutarch. Vnde ἀργυρίτης ἀγὼν, illa concertatio. Apud Sudam tamen ἀργυρῖται ſunt οἱ ἀργυρίου εὐπορoῦντες, id eſt quibus abunde eſt pecunia.

Argvs, & Arga, l.j.Lang.De cõuitiis, ignauum & inertem ſignificat, à Græco ἀργός. Paul.Diaconus 6.cap.8. Memineris vt me inertem & inutilem dixeris, & vulgari verbo Arga vocaueris. Didymus de Demoſthene ἀκίνητος ὢν περὶ τὰς συνουσίας, ἐλέγετο ἀργός. Sic apud Lucian. ἀργὸς εἰς ἅπαντα, nulli rei vacans. Et apud Plat.in epiſt. ἀργὸν ἐᾶν, otioſum relinquere.

Ἀργὸς, tamen nonnunquam velocem & auidũ ſignificat: Hinc ἀργοὶ κύνες à Poëtis dicuntur, non tam albi, quàm acres aut veloces: ſicque videtur hic Epimenidis verſiculus intelligendus:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία γαστέρες ἀργαί. vt γαστέρες ἀργαὶ ſit dictum pro γαστέρες μαργαὶ, id eſt, ventres auidi & veloces: vel etiam, cum lex carminis hoc μαργαὶ nõ pateretur, illud ſubſtituerit, quod idem ſonare vellet: nec enim quid in ventris pigritia magnopere reprehendendum ſit video.

Ἀργίας actios, vide Lenitudo.

Aridi fructus in Nouella Iuſti.32.§. ξηραινόμενοι. qui & ξηροὶ dicuntur, ſunt velut frumentum, & hordeum, Accurſio auth.ad hæc.de vſur.C.

Arma, quod ad interdictum de vi adtinet, ſunt omnia tela, hoc eſt, fuſtes, & lapides, non ſolùm gladij, haſtæ, frameæ, id eſt, rompheæ, Vlpiano, l.3.§.armis. D.de vi & vi arma. His addit Gaius, l.armorum.41.D.de verb. ſignif. ſcuta, & Galeas. Adiicit & Paulus in l.qui commeatus.§.arma.D.de verb.ſignific. loricam. M.Cicero pro Cecinna, glebas. Sunt autem romphææ apud Vlpianum ex Gellio teli genus Thracæ nationis. Armis etiam connumerat Feſtus lib.j. pugionem, & ſicam. Hinc Armatos accipere debemus non tantùm eos, qui tela habuerunt, ſed etiam quid aliud, quod nocere poteſt, Paulo l.armatos.9.D.de vi public. Armatos eos appellat M.Cicero pro A.Cecinna, ſcutis, telis, glebis, ſaxis, & fuſtibus paratos, ornatóſve.

Armorum appellatione quid contineatur, in Nouella Imp.Iuſti.85. περὶ τῶν ὅπλων. ipſe explicat his verbis: κωλύομεν γὰρ τοὺς ἰδιώτας ἐργάζεσθαι, καὶ ὠνεῖσθαι τόξα, καὶ βέλη, σπάθας τε, καὶ ξίφη (ἅπερ καλεῖν εἰώθασι παραμήρια) καὶ τὰς λεγομένας ζάβας, ἤτοι λωρίκια, καὶ κοντοὺς, καὶ τὰς λόγχας, καὶ μονοκόντια, καὶ ζιβύννας, ἤτοι μισσίβλια, καὶ ἀσπίδας, καὶ σκουτάρια, καὶ περικεφαλαίας, ἤτοι κασσίδας.

Arma ab arcendis hoſtibus duci putat Varro. Feſtus verò ab armis, id eſt, humeris dependentia: vtrunque etymon recipi poteſt, illud ab effectu, hoc à voce. Sed etymon Varronis latius eſt: nam lapides arma ſunt, & tamen ab humeris non pendent: arcent tamen hoſtes.

Armorum cuſtos is erat, qui militibus arma cõmittebat, d.l.qui commeatus.§.fi. Habebat autem vacationem munerum grauium, l.fi.in fi.D.de iure immun.

Armari nauis dicitur, quæ armamentis neceſſariis inſtruitur, Marciano, l.quod quis.34.D.de reb. auct.iud. poſſid.& Vlpiano, l.interdum.5.D.qui pot.in pigno. hab.cui contrarium eſt exarmare: eſt enim armamentis ſpoliare, apud Paulum, l.2.§.j.D.ad leg.Rhod.de iact.vt ibi Budæus docuit.

Armari dicuntur leges, & iura, quæ gladio vltore facinoroſos puniri iubent, in Conſtantij & Conſtantis reſcripto, l.cum vir.31.C.de adult.& in Procemio Inſtit. in princip. Sed ea figura dictum accipe, qua quod vni rei proprium eſt, alteri tribuimus: cuius vſus eſt maximus apud Latinos. Poëta lib.6.Æneidos,

Vngere tela manu ferrúmque armare veneno.

vt etiam ad lib.4.Comment. de verb.ſignifi. A.Alciati aliàs docui.

Armatos milites, lex Caligatos adpellat, In Authen.quibus modis nat.effic. legit.l.à caligato.C.de nupt. Imperitum vulgus armigerum appellat: quum hoc vocabulum denotet eum, qui in prælio gerit tela domini ſui, vt ſcutum, vt arcum, lanceam, & cætera huiuſmodi. Valla & hoc monuit.

Armamenta, ſunt nauiũ inſtrumenta, veluti funes, vela, &c.l.3.§.j.D.de rei vendic.& l.nauis.6.D.ad leg. Rho.de iact. Dicuntur & de aliarum rerũ inſtrumentis, l.3.de ſupell.leg. D.

Armaria in d.l.3.D.de ſupell.legat. locus vbi libri, & ſimilia reconduntur, l.3.§.effracturæ. D.de offi.præfe. vigil.& vænalium reconditoriolum, l.hæres.§.proinde.D.de iudic.

Armentvm, Feſto lib.j. pecoris genus eſt ad opus armorum idoneum. Et,

Armento legato boues contineri, non etiam ouium, & caprarum greges, Modeſtinus ſcribit l.ſeruis in fi.D. de legat.3. quod & Pomponius probat l.boues.89.D. de verb.ſign.his verb. Boues magis armentorũ, quàm iumentorum generis adpellantur.

Armillas, Feſtus ait, lib.j. ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt, & dictas exiſtimat, ab armo deducto nomine. Apud Vlpianum verò in l. argumento, 25.§.ornamenta. D.de auro, & ar.leg.pro eo ornamento accipi putem quo brachia ornantur: Galli appellant, *mancherons, & bracellets.* Ornamentis igitur legatis armillæ debentur.

Aromatvm appellatione apud Vlpianum, l.pen.D. de vſufru.ea.re.quæ vſu conſu. arborum quarundam fructus intelliguntur, odoris, ſaporíſque grati, cuiuſmodi ſunt zinziber, piper, & cætera id genus: vulgus, ſpecies vocat.

Arra, ſiue arrhabo dicitur, quod precij numerãdi quaſi pignus datur. Arræ autem inſtitutæ videntur in auctionibus, cùm æris aliquantulum daretur, quòd plauſtra grauis æris eò vehi incõmodum fuiſſet. nam quod arræ nomine datur, argumentum eſt contractæ emptionis, & venditionis, Inſtitu.de empt.& vend. qua euidentiùs probatur cõuentum fuiſſe de pretio, Gaio l.quod ſæpe.in princip. D.de vulg. Exempla frequentiora ſunt in iure quàm vt referri debeant. Dicuntur autem à re pro qua dantur, Iſid.lib.19.c. vlt. vel à Græco ἀρραβὼν quo firmum & integrum ſignificatur. Eam veteres Arrhabonem dixiſſe, ait Varro li.5. Ling.Lat. dicẽs eſſe pecuniam ſic datam, vt reliquum reddatur, à verbo Græco ἀρραβών. Diuus autem Hieronymus inter pignus quod Græci ὑποθήκην vocant, & arrhabonem, hoc intereſſe vult, vt illud ſit in mutuo, hæc in contractu emptionis & venditionis, quò firma ſit obligatio.

Arræ proxeneticæ, vide Proxeneta.

Arræ etiam ſponſaliorum ſunt argumentum, l.ſi quis. 38.D.de rit.nup.l.3.C.de ſponſal.lib.5. vnde arræ ſponſalitiæ dici cœptæ ſunt munuſcula, quæ ſponſis quaſi coemptionis futuræ prærogatiua dabantur: quæ tum reſtituebantur, cum ſine culpa eius qui eas dediſſet, nuptiæ impediebantur. Is enim qui dederat, ſi nolebat matrimonium contrahere, amittebat, qui acceperat, duplum: atque adeo ſi tantum in ſtipulationem deductum eſſet, quadruplum reddere cogebatur. Eædem etiã pignora dicũtur in l.vni.Cod. ſi rect.prou.

Arrarum nomine anulos plerumque datos conſtat ex l. ex empto.§.is qui vina.D.de act.empt.l.cuique.§.antepen.D.de inſtitor.

ARRHABO, pro obſide veteribus accipiebatur, vt ex M.Catonis verbis conſtat, apud A.Gellium lib.17. c.2 ſic & apud Terent.in Heautontim.act.3.ſcen.3.

-reliquit filiam adoleſcentulam:
Ea relicta huic arrhaboni eſt pro illo argento.

Ἀρρωςία apud Paulū.l.& quantum.D. de ædil.edict. vitium eſt aduerſam valetudinem ſignificās, & ægrotationē.

ARROGARE, Arrogatio, vide Adoptio, item & Adrogatio.

Arrogare alias eſt aſcribere ſibi,& vindicare. Vnde dicitur arrogans,quaſi omnia ſibi adſcribens. Inde arrogantia,id eſt,temeritas & impudētia,ſuperbia,de qua. 46.diſt.in prin. Differunt tamen, quia ſuperbia eſt inanis gloria de eo quod quis habet,vt ſunt Philoſophi,Legiſtæ,& alij ſufficientes in arte ſua. Sed arrogantia,eſt inanis gloria de eo quod quis non habet,vt cum quis credit ea ſe ſcire,quæ tamē neſcit. Arrogantiam opprimi iubet Zeno.Imp.l.vnic.C.de priu.car.

ARTEM eſſe earum rerum,quæ ſciuntur ait M.Fabius. l.2.c.17.aliam ex Cleanthe definitionem ſubiiciens,vt ſit poteſtas viam & ordinem efficiens.

Artibus liberalibus olim ſolitum fuit & mulieres inſtituere.l.qui filium.in prin.vbi pupill.educa.deb.D.

Ars liberalis apud Vlpianum.l.4.D.de decr.ab ord. faciē. quæ ſolius ingenij,nō manuum miniſterio peragitur. Liberalia ſtudia quæ accipiantur, docet Vlpianus.l.j. D.de extraord.cognit.

Artes ludicras interpretatur Seneca lib.13. Epiſto.quæ ad voluptatem oculorum,& aurium tendunt:vt ſunt ludionum,id eſt hiſtrionum, & comœdorum artes.Macer.l.14.D.de pœn.

Artem igitur ludicram facere intelliguntur ſaltatores, geſticulatores,mimi,pantomimi,hiſtriones,& alij id genus.l.j.3.& 4.D.de iis qui not. infa.l. quædam. D.de pœn.& alibi ſæpè.

Arte fabrica præditum,pro fabricandi perito, dixit Paulus.l.ſi mancipia.D.de inſtr.inſtr.leg.

Artem,operámve pollicitus,apud Vlpianum. l. cum duobus.52.§.ſi in coeunda.D.pro ſocio.Si in coeunda ſocietate,inquit,artē operámve pollicitus eſt alter,veluti cum pecus in commune paſcendum, aut agrum politori damus,in commune quærendis fructibus, nimirum ibi etiam culpa præſtanda eſt.

ARTIFICES Feſto lib.j.dicti,quod per artus ſcientiā ſuam exercent,ſiue quòd aptè opera inter ſe artent: qua ex cauſſa etiam artes appellatæ ſunt.

Artifices ſerui,qui aliquod artificium callent.l. fin.D. de oper.ſeru.l.quod ſi.de rei vindi.& alibi ſæpe. His opponuntur ſerui mediaſtini in d.l.vlt.qui nullam artem exercent.

Artifices ſunt,qui rem in aliam formam à ſe elaboratam vendunt.c.eiiciens.88.diſt.Alciat.l. mercis. 207. D. de verb.ſignifi.

ARTIFICIVM in ſeruis ab officio ſeparatur.l. ſi ex legatis.§.j.D.de leg.3.& alibi.Sic operæ quæ in artificio ſunt,ab iis quæ in officio, diſtant.l.ſi non ſortem.§. libertus.D.de condict.indeb.

Artificium quidam in l.textoribus & l.legatis. D. delega. 3.accipi putant pro ſcientia cuiuſque artis. Equidem pro artis exercitio accipiendum putem.

ARTEMO, ἢ ἀρτέμων, magis adiectamentum, quàm pars nauis eſt, Iauoleno.l.malum.242. D. de verb.ſign.&c. quem Alciatus explicans,ait artemonem velum eſſe adſcititium,quo nauis dirigitur, eóque ſenſu in act. Apoſt.à B.Luca acceptum refert.27. καὶ ἐπάραντες τὸν ἀρτέμονα τῇ πνεούσῃ, κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλόν. Baifius in libel.de re nau.maius velum interpretatur: aítque ἀκατίων minus velum adpellari.

ARTICVLORVM & poſitionum vſus eſt,vt his breuiter & diſtinctè prolatis ab actore ſub iureiurando,reſpondeat eodem quoque modo reus ad ſingula. Hoc enim maximum adfert compendium in cognoſcendis litibus,modò priſca ſeruetur forma,& nō miſceātur inutiles clauſulæ.

Articuli igitur ſolùm ea continere debent, quæ ad inſtitutam actionem neceſſariò requiruntur, & quibus probatis,conſtet intentionem actoris iure locum habere,ac reum conuentum eſſe damnandū.Hoc autem quo pacto fieri oporteat, non aliter intelligi poteſt, quàm ſi naturā cuiuſque actionis cōpertā habeamus.

Articulus non tantùm pro particula,id eſt,præpoſitione, coniunctionéve ponitur, ſed & pro verbo quolibet. Sic verbum,eſt,articulus vocatur apud Pomponium. l.ſcribit.§.item ſcribit.D.de aur.arg.lega.&, Quiſquis apud eundem.l. hoc articulo.D.de hæred. inſtit.&, Tunc,in l.ſi is.4.D.de condi.& demonſt. Quin etiam pro clauſula & oratione ſumitur à Iuliano. l.ita tamē. §.qui ſuſpectam.D.ad Trebell.

Articulus etiam accipitur pro eo, quod punctum adpellamus.l.ſi cùm dotem.§.tranſgrediamur.D. ſol.mat.& l.naturalis.in fine princip.D.de præſcrip, verb. et l.in multis.D.de ſtatu hom.Equidem non pro puncto,ſed pro particula,et membro periodi totius alicuius propoſiti,in illis legibus accipiendum putem, vt in l.6.§. ſub hac.C.de bo.quæ lib.quo ſenſu etiam eam vocem accipiunt pragmatici Galli, dum probanda legibus, moribus, inſtrumentis in articulos digerunt: et hoc ſenſu accipitur in c.præſentiam.§.teſtes.de teſtibus,in 6.& c.veniens.2.eo.tit.in antiq.& vtrobique gloſſema pro membro illo probando accipit, & propoſitione probanda.& in hoc ſignificatu.

Articulorum quidam ſunt impertinentes,qui nihil ad rē faciunt,probati non releuant.gl.c. fi.de confeſ.lib. 6. alij ſunt captioſi,quos ſiue neges,ſiue cōfitearis,tuum detegent periurium,atque ita te decipiunt,& captāt.l. in duobus.38.§.fi.et l.qui iuraſſe.§.ſi pater. D.de iureiu. Alij ſunt multiplices,alij ſunt iuris, alij impoſſibiles, alij ſuper crimine:quibus omnibus reum non eſſe cogendum reſpondere gloſſema in d.c.fi.ſcribit.per illū textum,et alios,quos citat.

Articulus etiam ſumitur in Arcadij et Honorij conſtitutione fi.C.comi.rer.priuat.(alius eſt ſub titu. comit.ſacri pal.)pro ſtatim,in ipſo temporis momento: vt rectè ibidem interpretatus eſt Accurſius.Sic etiam accipitur apud Terentium in Adelph.*Vide ut in ipſo articulo compreßit eam.*

Articulus quoque ſumitur pro themate, factíque ſpecie propoſita,caſum vulgò adpellant,in l.non poſſunt.12. D.de legib.

Articulum interpretatur Accurſius in l.ab executione.C. quor.appel.non recip.ſententiam definitiuam. cuius interpretationem probat Albericus. Bart. accipit pro interlocutoria.Equidem illic pro capite, et membro ſententiæ ſumi adfirmare auſim.Nā ab vno ſententiæ articulo,et capite appellari poteſt, Bart.et Alber.in l. appellāti. D. de appel.per illū tex.Guid.pap.deciſ.436. q.66.Iac.Cuiacius interpretatur,præiudicium ſiue interlocutionem iudicis.l.j.2.23.C.Th.quorum app.non rec.Vnde Græci ab articulo ἐκ τῆς διαλαλιᾶς explicant.l. vlt.C.quib.ad lib.procl.non lic.

Ἀρτάβη genus menſuræ Perſicæ apud Herodotum lib.j. Attico medimno tribus chœnicibus capacius. Apud Ægyptios ἀρτάβη facit modios viginti, vt ſcribit B. Hieronymus in c.6.Eſaiæ, Ἀρταβῶν meminit Iuſtinianus Edicto.13.§.εἰ μέν τοι γε. Huius meminit Iulius Pollux lib.4.c.23.Vide Sudam in verbo ἀρτάβη.

ARTICVLVS, bonis artibus inſtructus, Feſto lib.j.à ve-

tere critico explanatur,vt ſcribit Turn. Adu.lib.24.c.31. πάντεχνος, δαίδαλος.

Arvales fratres,vide Fratres Aruales.

Arvspices intelligendi ſunt,qui à victimis in ara inſpiciendis,vt futura prædicerent,nuncupabantur.Horum pœna,mors, igne,aut gladio.l.3. & l.nemo. C.de maleſ.& mathem.Sunt enim diuinatores. Sunt qui cũ h,ſcribendum putent.

AS

As variè accipitur:in diuiſione ſolidum ſignificat, idque Voluſius Mætianus ſcribit in libel. de Aſſe. As etiam æris numus eſt.Nam ab ære as ducitur, Varroni lib.4. Ling.Latinæ.

As principium,& vnum ſonat, Varroni libr.8. eiuſd.lib. Vnde rectè ait aſſem ſimplicem eſſe

As libræ pondus erat,Varroni lib.4.Aſſis porrò diſtributionem & in hæredum inſtitutione & in aliis multis neceſſariam eſſe Mætianus ait,de quo vide Anto.Aug. lib.2.c.8.As autem diuiditur in 12.partes: duodecima vocantur ſingulæ vnciæ, vt Marcianus refert.Has aſſis appellatione contineri Vlpianus ſcribit. l. ſeruum. §.fi.D.de hære.inſtit.Habent & hæ partes propria nomina ab vncia vſque ad aſſem,puta hæc:ſextans, quadrans,triens,quincunx, ſemis, ſextunx, bes,dodrans, deunx,as,Vlpiano,& Mætiano:quorum diſtributionẽ probat Iuſtinianus in §.hæreditas.Inſtit. de hæred.inſtit.Singulas has partes ſuis locis explicabimus. Aſſis nota hæc ⊢.De his plenius vide Iac. Cuiac. ad l.13.D. de hæred.inſtit.

As & Aſſarius idem Chariſio & Clement.Alex.in 5.ζύγα, καὶ ἀσσάζια.Varro lib.7.Ling.Latin.

Aſſis appellatione ſolida hæreditas venit.l.aſſe toto.D.de hæred.inſti.& omne patrimonium,& omne ſolidum. l.ſocietatem.in princ.D.pro ſocio.

Assis formvlæ.

Ex aſſe hæredem relinquere,cui vniuerſa hæreditas relicta eſt,Martiali lib.7. Epigram. ex Aſſe, aut pro parte poſſidere.l.pen.D.qui ſatiſd.cog. id eſt in ſolidum.In Aſſem ſatiſdare.l.is cui.§.miſſi. D.vt in poſſeſſ. leg. In Aſſem vindicare.l.poſt emãcipationem.40. D. de leg. 3.In Aſſem vendere.l.Titius.D.quib.mod.pig. vel hyp. ſol.Ex Aſſe debere.l.j.§.ſi cui ita. D. vt leg.no.cau. In Aſſem impendium reddere Plinio libr.15.Epiſto. In Aſſem dari inſtituíque actio dicitur, id eſt,in ſolidum, apud Scæuolam.l.fin. D. de donat. & Vlpianum.l.de ætate. 11. §.j.D.de interro.Actionibus. ex Aſſe auferri hæreditas dicitur Marciano.l.aufertur.D.de iis quæ vt indig.quæ vniuerſa aufertur.

Aſſis partibus veteres fundum diuidebant.l. minor.39.§.ſi à me beſſem.D.de euict.l.Pompo.8.D.de rei vind.

Aſſis etiam partibus diſtinguebantur vſuræ. vide infrà, Vſuræ.

As pro ſolido accipitur, cùm de diuiſione hæreditatis, fundíve agitur:cùm de pondere,etiam ſolidum ſignificat,id eſt,libram & pondo:cùm de pecunia numerata,æris numus eſt.

Ἀσαφῶς apud Vlpianum.l.mutum.D. de ædil. edict. id eſt, obtuſe,obſcurè,incertò,& dubiè.

Ascendentes apud Iuriſconſultos, ſunt, parentes, maioréſque noſtri, à quibus geniti, procreatíque ſumus:ſicut contrà deſcendentes ij, qui ex nobis prognati ſunt.l.ſi quis inceſti.C.de inceſtis nupt.

Asceteria ἀσκητήρια,loca ſunt meditationis, & ſolitaria,in quibus Theologiæ ſtudioſi animo vacuo ac libero olim ſe exercebãt,Baſilio: accipiuntur pro cœnobio,in l omnia.33.C.de epiſc.& cleric. Dicuntur ab ἀσκέω,quod eſt exerceo, vnde ἀσκητὴς, exercitator.Ea tamẽ à monaſteriis diſtinguere videtur Gregorius ad Baſilium,Ἀσκητήρια (inquit) καὶ μοναστήρια διαυάμλτος μὲν, οὐ πόῤῥω δὲ τῶν κοινωνικῶν, καὶ μιγάδων.& Iuſtinianus.Nouel. 5.§.ὅσα μέντοι. Hinc

Ἀσκηταὶ,Monachi Damaſce.περὶ τῆς τῶν ἁγίων τιμῆς, τοὺς ὁσίους πατέρας ἡμῶν, τοὺς θεοφόρους ἀσκητὰς,&c.Baſi.de vita ſolita. Ἀλλ' ὅπερ τοῖς ἄλλοις ὁ ὄρθρος ἐστὶ, τοῦτο τοῖς ἀσκηταῖς, &c.Et

Ἀσκήτριαι,puellæ Deo dicatæ,vt in Nouel.123. πᾶσι δὲ.Sunt qui dicant Aſcetrias pſallere.

Ascia in xii. Tabulis, & in antiquiſſimis epitaphiis, quæ vidi in lapidibus vetuſtiſſimis, erat dolandi inſtrumentum:cuius formam Lugduni in eiſdem lapidibus vidi. Græcis Ἀξίνη dicebatur.Verba Legis xii. Tab.hæc ſunt:svmptvosa fvnera ne facito: rogvm ascia ne polito. Hanc explicui lib.Veteris Iuriſpru.4.

Ascodrogitæ hæretici in l.10. & 11. C. de hæretic. vide Philaſtrium Epiſ.Brix.in catalog.hæreſ.

Ἀσήμως in l.mutum.D.de ædil.edic.i.ſine ſignificatione.

Ἀσέλγεια eo ſenſu apud Græcos accipitur, quo laſciuia apud Vlpianum.l.lege.4.§.j.D.ad leg. Cornel. de ſica. pro quadam proteruitate ludicra, aut ioculari:de qua vide in voce ascivia.

Asiaches, Ἀσιάρχης, Aſiæ ſacerdos, & præſes:de ſacerdote iuris accipiendus eſt.

Asiarchiam apud Modeſtinum.l.ἐὰν δύο. D. de excuſ.interpretatur Anto.Aug.lib.ad eundem ſingul.de Aſiæ ſacerdotio:quod & videtur dicere ibidem Modeſtinus.De hoc ſacerdotio Aſiæ loquitur & Papinianus.l.in honoribus.D.de vaca.& excuſ.mun.

Ἄσωτος Theophilo.§.furioſi.Inſt.de curat.& §.itẽ prodigus.Inſtit.quib.non eſt per.fac.teſt.eſt prodigus.Hinc Ἀσώτως ζῆν,luxurioſe viuere,non malè vertiſſe eum in §.in duplum.Inſt.de actio.ſcribit Aug.lib.3.c.11.

Asparago apud Calliſtratum.l. nauis.4. §. cum autem. D.de leg.Rho.de iact.ſignificat vitium ex pluuia, vndáve contractum. Græcis περίκλυμα. Alij libri legunt Aſpergine.In vetuſtis autem pleriſque, Conſpargo, & Aſpargo legitur.

Ἀσφάλεια in l.ſancimus.C.de verb.ſignifi. nudam promiſſionem ſignificat,vt & cautio:vt dicit ibidem Imperator,idque per tranſlationem. Ἀσφαλειῶν in proprio ſignificatu genera recenſet Iul.Pollux lib. j. c.8.Significat & ſecuritatem.

Assasini, homicidæ, qui pecuniæ nomine homines iugulant & necant.c.j.de homicid.lib.6.

Asseqvi donatiuum in conſtitutione Arcadij & Honorij.l.nec emere.16.C.de iure delib.eſt illud adipiſci, capere,& adquirere.

Assessores, vide ſuprà Adſeſſores.

Asseres dicti,quòd aſſideant parieti, lapidibúſve,Feſto.lib.j.

Assidvvs pro locuplete & facilè munus faciente accipitur,dictus ab aſſibus,id eſt,ære dando, cùm tempora Reipublicæ exigerent:aut ab aſſiduitate muneris publici, quod non niſi diuites ſubire poſſent, vt Gellius tractat lib.16.capite decimo. In priore ſignificatu accipitur in xii.Tab.Gellio,& Cicerone in Topicis teſtibus.verba legis hæc ſunt: assidvo vindex assidvvs esto:id eſt,vt vult Cic.in Topic.locuples locupleti.Hanc lib.4.veteris Iuriſprudẽt. ad xii.Tab.explicui. Quidam per diſcribunt, Adſiduus,quaſi ſitâ ſedendo figuratum:ſed errant.nam cũ à Seruio Tullio populus in quinque claſſes eſſet diuiſus,vt tributum,prout quiſque poſſideret, inferret,ditiores,qui aſſes dabant Aſſidui dicti ſunt:& quoniam ſoli negotiis publicis frequenter aderant, eos qui frequentes aſſunt, aſſiduos ab aſſibus dixerunt. Hæc Chariſ.libr.j.

Assignare, vide ſuprà Adſignare.

Assilire, pro vim afferre,adoriri, oppugnare, lib. feu.5.tit.5.§.j.& eod.lib.tit.17.Si ſcienter ſeniores aſſilierint.

Assisii

Assisii c.pen.extra de cler.non reſid.dicuntur benefi-ciarij,qui canonici non ſunt, ſeruiunt tamen eccleſiæ nec vocantur ad communes tractatus cum canonicis. Sic autem dicuntur quaſi aſſidui,vt vult Bernardus ad d.c.pen.qui & manſionarios vocari adnotat. Vide ibi Ioan.Andream.Hi vt credo,ſunt, quos vulgò, *preſtres perpetues* vocamus.

Assolet, id eſt conſuetum eſt,apud Macrum. l.diuus. 14.D.de offic.præſid.Liuius lib.j.vr.condit.Vbi illuxit, paratis omnibus(vt aſſolet) vocari ad cóciõnẽ vtrunque exercitum iubet.

Assvltvs,ob quem quis feudo priuatur.c.vnic.§.ſimiliter.quib.mod.feud.amitt.in vſib.feud.eſt impetus in perſonam,vel locum,ſiue hoc pedibus fiat, vel equo, aut machinis, vel alia quacunque re aſſiliatur. Vide Baronem à Tautemberg.in tit.5.libr.j.Feudorum.

Ast Feſto ſignificat, at, ſed, autem. Sunt qui dicunt à poëtis vſurpari carminis cauſa.

Astalivm vide **Astv**.

Astipvlator, vide Adſtipulator.

Astv apud poëtas Feſto lib.j.aſtutiam ſignificat: cuius origo ex Græco ab oppido ἄστυ ducitur, in quo qui cõuerſati aſſiduè ſunt,cauti atque acuti eſſe videantur. Eodem verbo in eundem ſenſum vſus eſt vetus interpres in authen.de teſti.§.ſi verò aſtu.vbi Accurſius interpretatur dolum,vel malitiam, pro quo in Græcis eſt ἐξεπίτηδες.Adiectiue vſurpauit Plautus in Pœnulo: *Mea ſoror iſta ſtupida eſt ſine animo aſto.* Id eſt doloſo & callido:itáque vſurpatur. l. 4. de furt.l. 15. qual. quis ſe det.deb.l.3.de hom.lib.ho.l.j. de dam.iniur.Lãg. Hinc

Astvtvs in Iuſtiniani Conſtitutione.l.fi.in fi. C. mãd. pro doloſo,callido,cauto accipitur.Inde

Aſtutè in reſcripto Impp.l.2.C.de legibus, id eſt, doloſe & malitioſe.

Astalivm ab aſtu,idẽ quod felonia.Hinc Aſtaliũ facere,id eſt fruſtrari & decipere in l.6.Lang.de malef. & publ.crim.

Ἀστυνόμοι,Ædiles apud Papinianum.l.j. οἱ ἀστυνόμοι. D. de via publ.& ſi quid in ea fac.vbi explicatur eorum officium.

Ἀστὸς ab ἄστυ vrbe ductus, ciuem ſignificat, apud Solonem in elegiis:

> Αὐτοὶ δὲ φθείρειν μεγάλην πόλιν ἀφραδίῃσιν
> Ἀστοὶ βούλονται χρήμασι πειθόμενοι.

Ἀσυνάπτως aduerbium,quo quid diſiunctũ ſignificamus, falſo repoſuit Alciatus lib. 9. Parerg. c. 18. in Scæuolæ reſponſo.l.ſi ſic.133.D.de verb.oblig. Deridétque ridiculus doctores,qui pro illo verbo Græco legũt ibidẽ, Si actũ eſt,quibus connumeratur Accurſ. cùm tamen in Florẽtina editione,eaque fideliore, rectiore,atque receptiore ita legatur,quod & Anto.Aug.libr. j. c.vlt. Emen.probat.ait igitur Scæuola: Aut ſi ſic volumus factã eſſe ſtipulationem, NEQ. PER TE, NEQ. PER HÆREDEM TVVM FIERI? vt ad vnã vim primam teneat:ſi vim fecerit,amplius exhæredis cõmitti nõ poterit.ergo ſi auctũ ſit,&c.Ita legũt ibidem Bart.Iacob. Butrig.Alber.Iacob.de Arena,& alij.rectè.Alciatus in ſuum errorem traxit,Oldendorpium,& Spiegel.

Ἀσύστατος Alciato lib.j.Parerg.c.8.dicitur ſtatus nõ conſiſtens:aitque pleroſque ita legere in Africani reſpõſo. l.qui quadringẽta.88.D.ad leg.Falc.alios verò, τοῦ ψευδομένου.Subiicit vtranque lectionẽ poſſe defendi.Equidem à Flor.lectione diſcedere non auſim,quæ τοῦ ψευδομένου habet.Florentinam ſequitur,& probat Ant.lib. 4.emend.c.16.

Asylvm in lege Romuli apud Halicar.lib.2.& Vlpianum ex Labeone.l.quid ſit.17.§.apud Labeonem.D.de ædilit.edict.lucus ſacer erat,quò perfugij, libertatíſve (Galli vocant *Franchiſe*)cauſa ius erat cõfugere:quod & Virgilius oſtendere videtur libr.8.Æneidos,

> *Hinc lucum ingentem,quem Romulus acer aſylum*
> *Rettulit,& gelida monſtrat ſub rupe Lupercal.*

Aſyli ius ad ſtatuas principum productũ eſt.d.§.apud Labeonem.

AT

At, Feſto, differentiam rerum ſignificat, vt cum dicimus, Scipio eſt bellator,at M. Cato Orator. & eodem etiã ſenſu accipitur in §.manet.Inſtit.de ſociet.& l.j.de adpa.procõſ.& lega.lib.12.C.licet quidã ibi putent pro, poſtquàm accipi,cum potius ſit ibi aduerſandi nota.

Atavia, abaui, vel abauiæ mater. l. Iuriſconſultus.§. quinto gradu.D.de gradi.

Atavvs,eſt abaui,vel abauiæ pater,proaui vel proauiæ auus, aui auiæque proauus, matris vel patris abauus. Paul.d.§.quinto gradu.

Ἀτέλεια,ſiue ἀτελεία,tributorũ immunitas,vacatio munerũ.

Ἀτελὴς,immunis,à quo nihil exigitur, vt docet Pollux lib. 9.περὶ τῶν κατὰ θάλατταν μερῶν.id & de hominibus, & de portu dicitur,auctore eo.Exempla extant tit.de vaca. muner.D.& C.lib.10.

Athletæ I.Polluci lib.3.c.j.propriè dicũtur gymnici, & Aſcetæ,& Agoniſtæ.Hi artem ludicrã non faciunt: virtutis enim gratia hoc faciunt,vt Vlpianus ſcribit.l. 4.de iis qui not.infa.Athletæ autẽ quibus ludis exercerẽtur docet Paulus.l.2.D.de aleato.cuius rei cõmeminit & Simonides,cuius verba vertit Alciatus.

> *Iſthmia Philonis,Diophon,& Pythia,uicit,*
> *Et curſu,& iaculo,ſaltibus,orbe,palo.*

Sacris certaminibus coronati, excuſationem à tutela habent.l.ἐὰν μὲν δύο.§.Vlpianus.D.de excuſat. ciuiliũ munerum vacationem.l.vnica.D.de athletis.

Atornati dicuntur procuratores apud acta conſtituti,in c.vnico.de ſta.regula.lib.6.§.porrò.vbi gl.

Atqve,ſimilitudinis nota eſt apud Tryphoninum.l.ſi pater.76.D.de iur.dot.quo ſignificatu ſubaud. vox perinde,& alibi ſæpe,vt l.4.D.de pact.Atque,etiam, pro deinde ſubinde accipitur in l.filia.20.C.de inoffic.teſt. niſi malis pro ſtatim ibidem poni, vt apud Virgilium,

> *Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.*

Atque,explicãdi notam eſſe apud Vlpianum.l.j. D.de admi.tut.in princ.quidam autumant: quod Accurſius & Albericus docent.illic auxeſim quandam potius ſignificare putem,vt ſæpe apud M. Ciceronem viſitur, cùm verbo leuiori grauius,expreſſius & ſignificantius addimus.Atque ſumitur pro,quàm,apud Pomponiũ.l. qui re.76.de furt.vt apud Perſium,

> *-qui tu impunitior exis*
> *Atque hic.*

& Suetonius in Iulio Cæſare, Velut (inquit) grauius atque ipſe ſenſiſſet.

Atqve ita, formula, ſignificat quod vulgò dicitur, & per cõſequens,apud Modeſtinum.l.cùm alicui. 26. D.de neg.geſt.& alibi ſæpe.

Atque,ſiue,vt in Pand.Flo.atquin, et adquin, accipitur pro ſed, ſedenim apud Vlpianum.l. et eleganter.7.§. ſeruus pactionis.D.de dol.ma.ſiue pro, ſed certe, in l. Barbarius.D.de offi.Præto.l.atquin.D.de nego.geſt.et alibi ſæpiſſimè.Exempla enim recenſere nolo.

Atridæ Atrei filij,Agamemnon et Menelaus, vt ex Homero Iliad.9.refert Vlp.l.ſi vxor.13. §. j. D. ad leg. Iul.de adul. Οὐ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων Ἀτρεΐδαι.

Quem Homeri verſum editio Henrici Stephani aliter habet:nã loco illius οὐ,ἦ legit, interrogationis nota ſub finem addita. Atque hunc ita expreſsit Virgilius lib.9.Æneid.

> *-nec ſolos tangit Atridas*
> *Iſte dolor.*

Eſt autem Achillis dictum, Vlyſſis Orationi reſpondentis,à quo vt in caſtra reuerti vellet,rogabatur. Dictum autem iſtud venuſtè tranſtu-

lit Sextus Cæcilius ad eos qui vxores quamuis iniuſtas habent, vt adulterij accuſatio non minus ipſis, quàm iis qui iuſtas vxores habent, permittatur.

Atriarios, ſiue Atrienſes, mediaſtini opera fungi Vlpianus ait.l.j.§.Caupones.D.nau.caup.ſtab.Horum meminere Alfenus.l.in lege.203.D.de verb.ſig. & Vlpianus.l.ſed ſi.15.§.j.D.de vſufr.& alij.Alciatus autem & Oldendorp.putant eum ſeruum dici, qui aliis præpoſitus eſt, qui negotia procuraret, vænalia diſtraheret, debita exigeret, aliis ſeruis alimenta diſtribueret. Atrienſem inde dictũ putat Varro quòd atrium tueatur, lib.7.Ling.Lat.Turn.teſtatur Adu.lib.18. c.28.atrienſem exponi διαιτάριον & διαιτάρχην. Atrium, primus intra ædes aditus, quod Feſtus his verbis probare videtur lib.j.Atrium eſt propriè genus ædificij ante ædem, continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia deſcendit:dictum atrium, vel quia id genus ædificij Atriæ primum in Etruria ſit inſtitutum, vel quia è terra oriatur, quaſi atterreum, ſiue aterium. Turn.loco ſupra citato atrium exponi dicit, μεσαύλιον, ὑπερῷον. Vide, Seruus Atrienſis.

Atrox vis dicitur, qua quis de fundo vi deiicitur, Vlpiano.l.j.§.j.verſi.ad ſolam.D.de vi & vi arma. Atrocem autem iniuriam, quaſi contumelioſiorem, & maiorem accipimus.l.2.& 3. D. de feriis & l.prætor.& l. ſeq.& ſeq.D.de iniur.Quot modis illa fiat, quive æſtimanda ſit, à Iuſtiniano petendum eſt.§. atrox iniuria. Inſt.eodem.Æſtimatur enim à facto, loco, & perſona. d.§.atrox.addas & tempore.d.l.prætor.

Atrox perſona, quæ vel maiora flagitia habet, vel famoſior eſt, vel quæ ſæuitiam præ ſe fert, apud Paulum in l.3.§.j.de offic.præf.vigil.D.

Attæ appellantur, vt Feſtus ait lib.j.qui propter vitiũ crurum, aut pedum plantis inſiſtunt, & attingunt magis terram, quàm ambulent.

Attentare, vide ſuprà, Adtentare.

Atteſtari eſt abſenti denuntiare, Paul. l.ſubſignatum.D. de vrb.ſig.in Pand. tamen Flo.legitur deteſtari rectius.

Attingere hæreditatem, vide ſuprà Adtingere.

Attribvta, vel, vt alij ſcribunt, adtributa pecunia, veteribus dicebatur adſignata, Varro in libr.4. Ling. Lat, quas nunc adſignationes adpellamus, vt adnotat Budæus in prioribus. Cicero in Prætura vrbana, Ne diutius teneam pecunia numerata eſt: profectus eſt quæſtor in Prouinciam. vbi Aſconius, Pecunia, inquit, attributa eſt, quæ in ſtipendium militum de ærario à Tribunis ærariis adnumerari quæſtori ſolet, Vide tribvtvm.

Atypus apud Vlpianum.l.idem Offilius.10.§.fi. D.de ædil. edict.& Gellium in eundem ſenſum lib.4.c.2.dicitur, qui nõ ſatis expedito plectro linguæ vtitur, quaſi aëre non feriens, vel quaſi non ſatis verba exprimens, cõformánſque, nam τύπος formam ſignificat quæ imprimitur: vt ἄτυπος dicatur cũ ea forma malè imprimitur.

Avarvm his verbis definit Horatius li.2.Sermo. ſaty.3.
-quid auarus? Stultus, & inſanus.

Auarus, quaſi æris auidus, iunctúmque eſſe vocabulum, Gellius lib.19.c.5.refert.

Auariſſimus apud Vlp.l.ſolent.D.de off.præſ.

Avaritiam, πάσης πονηρίας προοίμιόν τε, καὶ πέρας εἶναι, docet Imp.Iuſtinianus Nouel.8.§.ἐννοία.& Apoſt.1.ad Timoth.6.πάντων τῶν κακῶν ῥίζαν appellat.

Avc, apud Valerium Probum, notam eſſe auctoris, auctoritatíſve ſcribit A.Alciatus lib.2.c.9.Parerg.

Avceta, Feſto lib.j.ſæpe aucta.

Avctio, ab augendi, adiiciendíque negotio appellatur, Auguſt.lib.2.Emend.c.3.eſtque pretij in ſubhaſtationibus adiectio, quã Galli, *encherer*, vocant. ſic accipitur in l.ſi tempora.5.& l.ſeq.de fide inſtr.& iur. haſt. fiſc.lib.10.C.

Auctionis formulas varias recitat G. Budæus in forenſibus, puta has: Auctio bonorum proſcripta, id eſt, ſubhaſtatio. Auctionis clauſula, id eſt, decreto adiudicatio. Auctionis inſtitor, ſubhaſtationum perſecutor. Auctionis diem denuntiare, dici putat Budæus pro ad diem decreti citare. Addictioni decretali diem præſtituere, dicendum verius & propriè magis putem.l.ſi tempora.& l.ſeq.de fide inſtr.& iur.haſt.fiſc. lib. 10.C.

Avctionalia, apud Vlpianum.l. j. §. officio. D. de tut.& rat.diſt.tabulæ, & inſtrumenta ſunt auctionis, vt ex M.Cicerone in Catilinam liquet. Baſilica interpretantur πρατικὰ λόγους.

Avctionarios interceſſores, opponentes ſe ſubhaſtationi, dici idem putat. Tu rem expende.

Avctores dicuntur à quibus ius in nos tranſit, vnde venditorem, auctorem rectè appellabimus. Cic.Ver. vii. Tum illi intellexerunt, ſe id quod à malo auctore emiſſent, diutius obtinere non poſſe: id eſt ab eo qui vendendi auctoritatẽ nullã habebat. Vide l.ſi ſeruum. §.fi.D.de act.emp.l.creditor.§.fi.D. eo.l.ſed ſi. l. ſi per imprudentiam.D.de euict.l.ſed vbi.D. de minoribus. Porrò quemadmodum verbum vendendi ad omnem alienationem pertinet in xii. Tabulis, vt ſcribit Põponius.l.ſtatuliberi.29.D.de ſtatulib. ita auctor dicitur omnis, à quo ius in nos tranſiit. l. an vitium. D. de diuerſ.temp.præſcript.

Hi primi Auctores ſunt.

Auctores ſecundi dicebãtur, qui pro euictione fideiubebant.l.illud.4.D.de euict.hi à Iuſtiniano in Nouell.4. βεβαιωταί, à Iuliano Patritio venditionis confirmatores appellantur. Vide Anto.Auguſt.lib.3.c.6.

Auctorem laudare, eſt nominare, & (vt Galli dicunt) garendum appellare.l.tenetur.§.ſi tibi.D.de act. empt.l. 2.C.de in lit.dan.tu.l.Herennius.§. Gaia. D. de euict.l. auctore.C.eo.

Auctor dicitur fieri tutor, cùm probat quod actum eſt.l. etiam ſi.3.D.de auct.tut. Hinc Auctor in rem ſuam. §.ſi inter.Inſtit.de auctor.tut.

Auctores etiam pro prudentibus, & conſultis, & iuris præceptoribus ponuntur.l.apud Celſum. §. Labeo. 13. D.de dol.except.l.2.§.poſt originem.D.de orig.iur. l.j. §.ſed in vſufr.D.de vſuf.adcreſ.l.cum auctoritas.C.de vſufr.Cicero in j.de Orato. Atque, inquit, illum cum differẽdo par eſſe nõ poſſet, ad auctores cõfugiſſe.& Auctores iuris.l.quæro.D.de act.empt.l.j.C. de verb.ſig. & apud Aul.Gell.lib.2.c.10.in prin.& Aggen.Vrbic.ad I.Frontin.vbi de Caſſio Longino loquitur, dicebantur iuriſconſulti, quibus permiſſum erat (vt ait Imperator) iura condere.

Auctor ſeditionis in l.eiuſdem.§.itémque auctor. D.de ſicar.l.ſi quis.38.§.auctores.D.de pœn.dicitur, qui ſeditionem primus ciet, inducit, & perſuadet.

Auctor legis dicebatur, qui cum ea dignitate præditus eſſet, vt eius oratione commoueri populus poſſet, ab iis qui leges ferebant, deligebatur, quis eas ſuaderet. Ita Pompeius eius legis quam tulit Lentulus de Cicerone reuocando, frequenter à Cic.auctor appellatur: in ea quam poſt reditum habuit oratione.

Avctoramentvm non ſignificat ipſam exauctorationem, actúmve auctorandi, ſed ipſam obligationem. M,Cicero j.Offic. Illiberales autem, & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, nõ quorum artes emuntur. Eſt enim in illis ipſa merces, auctoramentum ſeruitutis. Eodẽ ſenſu accipitur apud Suetonium in Tiberio c.7.auctoramentum cẽtenum millium, pro mercede dici conſtat.

Avctorare eſt obligare, ſacramento adigere, quod de militibus ſæpe apud Liuium, claſſicóſque rerũ ſcriptores dictum animaduerti: cui contrarium eſt Exauctorare,

ctorare,de quò infra ſuo loco.

Auctorati verò Iuriſconſ.dicitur, pro auctorem eſſe, vel auctoritatem ſuam interponere,apud Pomponium.l. & ſi.4.D.de aucto. tut.& Vlpianum.l.huius.9.D.quod falſ.tut.aucto.

AVCTORATVS dicitur propriè gladiator,qui mercedem accepit,vt depugnet in ludo,& vt vratur flāmis, virgis ſecetur,& ferro necetur,vt ait Acron Sat.7.lib. 2.Serm.Horatij,

Quid refert uri uirgis? ferróque necari?
Auctoratus eas. Is definitur.

Αὐθαιρέτως εἰς ἆθλον ἑαυτὸν βάλλων, καὶ μονόμαχος. Vnde Auctoratio,gladiatorū venditio apud clariſſimos auctores.Cuius iuriſiurandi formula extat apud Petronium,referēte Turn.his fere verbis:In verba Eumolpi ſacramentū iurauimus vri,vinciri,verberari,ferróque necari,& quidquid aliud Eumolpus iuſſiſſet, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animóſque religioſe addicimus. Scribendum tamen, *virgis ferróque necari*.cenſet Turn.Dicuntur etiā Auctorati & exauctorati milites,illi ſacramento militiæ, & ſtipendio obligati,hi tanquam ære diruti & ſacramento ſoluti.

AVTORITAS,probatio,voluntatis interpoſitio, & accommodatio,actus adprobatio, tot.tit.de auctoritate tut. D. & C.de aucto. præſtand. & Inſt.eod.tit. quam Theophilus αὐθεντίαν appellat,& αὐθεντεῖν,auctorare.In cuius præſtatione præſentiam non ſufficere, ſed liberū animū adeſſe oportere Vlpianus ſcribit.l.j.§.fin.D. eod.& nullam eſſe differentiam,eam non interuenire aut perperam fuiſſe adhibitam,idem tradit.l.2.D.eod.

Auctoritatem etiam interpretatur Venuleius.l. fin.D.de euict.actionē pro euictione:quo ſenſu accipitur apud Iulium Paulum lib.2.Sent. recept.tit.17.Hoc actionis genus βεβαιώσεως δίκην appellat I.Pollux lib. 8.Onomaſti.περὶ δικαστικῶν ὀνομάτων, his verbis: Η βεβαιώσεως δίκη, ὁπότε τὶς πριάμενος οἰκίαν, ἢ χωρίον, ἀμφισβητοῦντός τινος, ἀνάγει ἐπὶ τὸν πρατῆρα. τὸν δὲ προσήκει βεβαιοῦν, ἢ μὴ βεβαιοῦντα ὑπεύθυνον εἶναι τῆς βεβαιώσεως. Seneca:Poſidonius, inquit,tibi auctoritatem promittet. Eodem ſenſu accipitur Auctoritatis inſtrumentum apud Scæuolam.l. fi.in prin.D.de pignerat.hoc eſt,id inſtrumētum, quo, de euictione promiſſum eſt:Alciat.lib.2.Parer.c.9.ibi poni exiſtimat pro eo iure,quod ab auctore,id eſt, vēditore conſecutus eſt emptor:hoc eſt, vt vulgò dicitur tituli ſui & acquiſitionis literas: quod eodem pertinet.nam venditionis inſtrumento promiſſio de euictione continetur.Eo tamen ſenſu accipiendum putem quo apud Venuleium & Paulum vbi ſuprà, vt facti ſpecies argumento eſt.

Auctoritas etiam pro iudicis edicto,& literis ſumitur, in l.j.C.Theo.ſi cert.pet.chirograph. ibi, auctoritatémque poſtibus debitoris adfigere. in l. diligenter.9.C. de aquæduct.lib.10.

Auctoritas etiam pro mandato,& iuſſu iudicis ponitur in nouel.Valentin.tit.7.de indul.reliq. quo ſenſu accipitur Auctor apud Paulum.l.iuſtè.D.de adqui.poſſeſ. Iuſtè poſſidet, qui auctore prætore poſſidet, id eſt (vt Accurſius interpretatur) decreto ritè interpoſito.

Auctoritas iuris,apud Vlpianum.l.videamus.4. §. j. D.de in lit.iur.& Modeſtinum.l.ſi ſeruo.20.D. qui & à quibus.& Papinianum.l.in tabulis.36.D.de ſtatulib.vis,& poteſtas legum,& præeminentia, & pondus: ſicut eo ſenſu ſæpiſſimè accipiunt M.Cicero & T.Liuius.exēpla ita obuia ſunt,vt tranſcribi hîc non debeant.

Auctoritas Senatus,quid ſit,docet Dio lib.55.ἀλλὰ, inquit, αὐκτώριτας ἐγίγνετο, ὅπως φανερὸν τὸ βούλημα αὐτῶν ᾖ. Porrò, βούλημα τοῦτο perſcribi ſolitum M.Cicero lib. 3.de Orat. ad Q.fratrem docet:Et eundem, inquit, (id quod in auctoritatibus perſcriptis extat) ſcribendo adfuiſſe.

Sic accipitur apud eundem Tullium, auctoritas ordinis.3.de Orato.in initio.

Auctoritatem legis, pro ipſius beneficio accipere debemus apud Vlpianum.l.fi.§.ait lex,in fi.D. de diuort. vt patet ex §.ſeq.ibid.cuius initium eſt,Illud.

Auctoritas in XII. Tabulis, & in lege Attinia accipitur pro vſucapione:quo ſignificatu vſus eſt & Scæuola.l. vlt.D.de aqua & aq.pluu.qua in re fallitur Bart.ad d.§. vlt.qui auctoritatem,iuriſdictionem interpretari videtur,vt docui lib.4.med.iuriſp.Sent,j,c.Verba Legis, XII.Tabu.hæc ſunt. VSVS ET AVCTORITAS FVNDI BIENNIVM ESTO.ex M. Cicerone in Topicis,& pro A.Cecinna.Itē alio ca. ADVERSVS HOSTEM ÆTERNA AVCTORITAS ESTO. ex Cic.lib.j.Offic.& alio cap. REI FVRTIVÆ ÆTERNA AVCTORITAS ESTO. ex §.furtiuæ. Inſt.de vſu.Attiniæ legis verba refert A.Gellius li.17.c. 7.In lege vtraque Iuſtinianus.d.§.furtiuæ. auctoritatē, vſucapionē interpretatur.Recipiēda igitur nō eſt eorū interpretatio,qui in Scæuolæ reſpōſo auctoritatē, firmamentū,robur,firmitatē,validitatē interpretātur. Alij veræ interpretationi,ſignificationíve propius accedūt,auctoritatē apud Scæuolā pro iure dominij accipientes,cùm tamē iunctis legū capitulis,puta.l.j.§.fi. & l.fi.D.de aq.& aqua plu.auctoritas pro vſucapione accipiatur:quod & Budæus rectè adnotauit ad l.Herēnius.D.de euict.ex M.Cicerone de Haruſp.reſpōſ.

AVCVPATIO (vt notiſſimam ſignificationem prætermittam) in reſcripto Conſtant.in l.j.C.de formul.& impet.eſt verborum iuxta literæ rigorem (vt vulgò loquuntur) expoſitio.vnde & M.Cicero verborū aucupiū rectè dixit.Sic Varro lib.4.Ling.Latinæ, Scientiam ad opinionem aucupari dixit:vt noſtris temporibus vidimus.

AVDACIAM, ab auidè,id eſt,cupidè agendo,dictā ait Feſtus lib.j.qua quis facinus nullo periculi aut pudoris metu perterritus molitur.c.2.de cenſib.lib.5.

Audaciam pro audacibus in Iuliani Conſtitutione.l.pen. C.de ſepult.vt ſcelus pro ſcelerato,apud Plautum, & Terentium.

AVDENTER,pro temere,impudenter & liberius quàm par ſit,dixit Vlp.l.j.§.fi.D.ſi pars hæred.pet.

AVDIENTIAM epiſcopalem,Epiſcopi forum,& iudicium appello.l.epiſcopale. 9. C.de epiſc. audient.iuriſdictionem epiſcopi interpretatur Accurſius.C.eo. cuius ſententiam probat Azo in Summ.C.eod.

AVDITOR in variis Ciuilis & pontificij iuris articulis ſumitur variè.Quandoque pro diſcipulis, qui ius ciuile diſcunt,& præceptores audiunt.l.2.§.poſt hūc.verſ. ſed plurimum à ſuis.D.de reg.iur. Auditorem pro lectore accipi apud M.Ter. Varronem lib.5.Lin.Latin. ipſo ſtatim initio rectè quidam putant.Auditor etiam dicitur cui articulus cauſſæ committitur. c. ſuper quæſtionum.§.porrò.ad fi.de offic.deleg.in vol.Greg.Sed & is cui cauſſæ terminus, definitio, & deciſio delegatur,clem.auditor.de reſcript.

Auditor Cōtradictoriarum:eius officiū eſt circa reſcripta iuſtitiæ,dandóſque iudices.

Auditores in curia Romana,vocantur auditores ſacri palatij.Auditores ſacri palatij referunt inter ſe & pronuntiant,Inno.c.quoniam.de probat.in ant.Cardinales verò auditores Papæ referunt: niſi eis commiſſa fuerit definitio.Auditores an ſint ordinarij, vel delegati tradit Specul.tit.de auditore.

AVDITORIVM locus eſt vbi artium miniſtræ philoſophia,legéſque docētur.l.vnic.C.de ſtud.lib.vrb.Rom. lib.11.quidam vocant ludum literarium.Auditorium, locus in quo cauſſæ aguntur,cognoſcuntur, & finiuntur,Vlpiano.l.j.D.an per alium cauſ.l.4.in fi. C.de lib. cauſ.& l.j.§.fi.in fi. D. ne de ſtat.def. Atque etiam de

ſcholis publicis intelligi poteſt,& illo ſenſu accipitur in l.contra.54.D.de re iud.l.pen.de offic.adſeſ.Auditorium quoque principis appellatur, vbi princeps quid cognoſcit,definit, decernit, edicit.l. minor.18. D. de min.& l.mulier.ad princ.D.ad Treb.& l.ſi quando.36. ad fi.C.de appel.vbi ſacrum vocatur.Alibi conſiſtoriũ dicitur.l.fi.§.in his autem.C. de temp. appel. quod ſoli Imperatori,aut Regi habere licet. Auditorium etiam præfecti Prætorio dicitur.l.lecta.in prin.D.ſi cert.pet. Auditorium iudicum,magiſtratuum, de quo ſuprà.§. auditorium.2. cuius meminit Tryphoninus.l. cum in fundo.§.pen.D.de iur.dot.& l.pen. D. de offic. adſeſſ. vbi cauſſæ audiuntur,& explicantur.

A v e, ſiue, Haue,vel Habe,(b pro v,vt ſæpe in P.Flor.vt eſt literarũ mutua ἐναλλαγὴ,vel Fabio auctore) K N B. id eſt aue cariſſime nobis,ſalutandi formula, qua vtebantur Imperatores ἐν ταῖς ἐπιγραφαῖς, & inſcriptionibus ſuarum conſtitut.qualẽ videmus in inſcriptione.l. falſæ.8.C.Theo.de falſ.mon.& alibi ſæpe.& in Codice Iuſtiniano eiuſmodi ſalutares inſcriptiones viſuntur:quæ quidam deprauarunt,& corruperunt.

A v e r s a charta, id eſt, opiſthographo. l.chartæ.D.de bo.poſ.ſecũ.tab.Eſt enim ὀπισθόγραφος à tergo ſcriptus, Plinio lib.3.Epiſto.5.Theo.Hermopolites ad l. notionem.D.de verb.ſignifi.ὀπισθόγραφον λύσιν appellat apocham à tergo ſcriptam.

A v e r s i o n e, vel per auerſionem emere,locutio eſt à Iuriſconſultis vſurpari ſolita, quum res multæ ſimul atque accruatim vno pretio venduntur. Græci dicunt, κατὰ τὴν ἐπικλώστειαν multas autẽ intelligo, ſiue illæ plurium ſint generum,ſiue vnius:ſed numero,aut pondere,aut menſura diuidantur.Aſconius hac in re vocem Semel,vſurpat,Sectores,inquit,ſpem lucri ſui ſecuti, bona condemnatorum ſemel auctionabantur: ac poſtea ſingulas,quaſque res populo venditabant.Hotoman.ab auerrendo ſcribit deductum vocabulũ, quaſi cum omnia ſimul & vniuerſè tanquam per euerriculum auerruntur:vnde Vniuerſa dicuntur propriè,quæ vnum in locum ſunt conuerſa.Alij ab auertendo deducunt,quod ſcilicet quaſi auerſi negotium ita contrahamus, reomni neque perſpecta neque explorata bene.Quid verò interſit inter Aduerſionem, & Auerſionem,cúrve illa emptori & conductori, hæc venditori & locatori, conueniant, vide apud Hotom.in Comm.verb.iuris. Vide locum.

Auerſione locare apud Africanum.l.& hæc.35.in princ.D. loca.vel per Auerſionem conducere apud Vlpianum in l.1.§.exercitorem.D.de exercitoria. eſt ἐν ὁμάδι, id eſt,in vniuerſum locare,aut conducere.

Auerſione vænire Vlpiano.l.4.§.ſi auerſione. D. de peric. & comm.rei vend.Si auerſione vinum vænit,cuſtodia tantum præſtanda eſt.& §.ſeq.Vino autem per auerſionem vendito,finis cuſtodiæ eſt auehendi tempus. Dicitur autem cum pretium,aut numerus, aut menſura,aut pondus non dicitur,Auguſt.lib.3.Emend.cap.6. Græci,ἐν κόττῳ.Valentinianus No.de releuat.poſſeſſio. in aggere.Galli adpellant in groſſo, *& en bloc*. Plutarchus in Iſocrate, ἀθρόα τὰ φορτία πεπρᾶσθαι.

Auerſione opus locari,apud Florentinum.l.opus.31.D.loca.ait Augu.vbi ſuprà,cum totum vno pretio,non in pedes ſingulos,menſuraſve locatum eſt, quod colligi poteſt ex his Flor.verbis vbi ſupra Opus quod auerſione locatum eſt,donec adprobetur conductoris periculum eſt:quod verò ita conductum ſit, vt in pedes menſuráſve præſtetur,&c.

A v e r s i oneris actio apud Alfenum. l. in nauem.31.D. loca.id eſt,interuerſi,& ſubrepti. Eſt enim

A v e r t e r e, ſubripere.l.illud.7.§.pen.D.de tributo.& amouere,intercipere,aliò transferre.l.1.§.præterea.D. ſi is qui teſta.lib.eſſe.iuſ.fue.l.3.ſed & ſi quis. D. de crimi.ſtellionat.

A v e r t a in l.quoniam. de curſ. publ.lib.12. C. quid ſit ex Græc.interprete Bud.in l.eos.D. de falſis, docet: Ἡ δὲ ἄβερτα, τουτέστι τὸ ὑπομάσχαλον ὅπερ ἐπιφέρονται κατὰ τῶν νώτων, ἔσω καὶ αὐτὸ ἑξήκοντα λιτρῶν. καλεῖται δὲ ἄβερτα ἐκ τοῦ ἀπεστράφθαι. Auerta ex eo, quòd auerſa ſit: ὑπομάσχαλον, id eſt(vt ait Budæus)lora latiora,quæ per terga equi iugalis excurrunt,ſub alis eius ſuccincta.

A v f e r r e eſt quid amouere, ſed id ſine vi fieri poſſe Vlpianus ſcribit.l.quo naufragium.§.non ſolùm autẽ. D.de incen.ruin.& naufr. Auferre toto tit. D. & C.de iis quæ vt indig.& in l.aufertur.D. de iur. fiſci. eſt vindicare,idque per l.portiones.21.D. de iis quæ vt indig. auf.Auferendi cauſſas pete ex dictis tractatibus,latiſſimam enim tractationem exigunt.

A v g e r e ſpectat ad quantitatẽ, Ampliare ad pretiũ.C. de ſacroſanct.Eccleſ.l.iubemus nulli.de iur.fiſ.l.nõ intelligitur.§.diui.Augere hæreditatẽ, gregũ, & pecorũ partus,in fi.l.ſed eti.D.de pet.hæred.l.ancillarũ.D.eo.

A v g m e n t a dicuntur,quæ rei accedunt.l. item veniũt. §.item non ſolùm.D.de hæred.pet.

A v g v r e s ab auium garritu dicti ſunt.Porrò trifariàm augurari auibus ac futura prædicere ſolebãt:Primum volatu,deinde cantu, tertiò guſtatu obſeruato.Nam cùm pulli gallinacei ex cauea deprompti, porrectam eſcam non guſtarent,pernicies portendebatur. A ſacerdotibus autem augures conſtituebantur, viri illuſtres,vt fuerunt Marcellus, Cice.& alij ſimiles.Dicti autem ſunt Augures ab auibus,& gerendo,Feſto lib.1. Auguria autem interpretatiua quæ ſint, quæ itẽ oblatiua,vide apud Turn.Adu.lib.5.c.7.

Augurari,pro diuinari vſurpamus.Cicero de diuinat.lib. 1.Calchas(ait)ex paſſerũ numero,belli Troiani annos auguratus eſt.Itẽ,inaugurari,pro cooptari atque conſecrari in aliquem ordinem: à quo rurſus contrario modo,ſecludi,rectè nũcupamus exaugurari. Adi Gellium lib.5.c.2.

Augures, maleficorũ appellatione cõtineri ſanxit Conſtantius,eos conſuli prohibens.l.nemo.5.C.de malef. & math.idque ſublata Romuli lege,iubentis,Ne quid inauguratò fieret.

A v g v s t v s, Feſto lib.1.locus ſanctus ab auium geſtu, id eſt,quia ab auibus ſignificatus eſt, ſic dictus: ſiue ab auium guſtatu:quia aues paſtæ,id ratum fecére.

Auguſti cognomentum vnde deſcenderit, quáve de cauſſa Cæſari inditum fuerit, ex Dione lib.43. diſces: cuius verba ex H.Xylandri verſione hæc ſunt:Sed poſteà quàm ea quæ pollicitus fuit, re ipſa perfecit, ibi demum Auguſtus à Senatu,populóque appellatus eſt. Etenim cùm ſtatuiſſent peculiari quodam cognomẽto inſignire,ac alij alia referrẽt, ac probarent:Cæſar,quamuis Romuli nomen vehementer adpetebat, tamen cum ſentiret hinc ſe ſuſpectum adfectati regni fieri, eo omiſſo, Auguſtus quaſi hominis natura amplior ipſe cognominatus eſt.Auguſta enim ea,quæ honore digniſſima,ac ſanctiſſima ſunt,dicũtur: ideóque σεβαστὸν Græci Auguſtum interpretati ſunt, quaſi venerandum dicas.

Auguſti & Cæſares(qui his notis in plurimis inſcriptionibus,et ſubſcriptionibus C. Th.et Iuſtiniani conſtitutionum,AA.et CC.reperiuntur) hoc differunt.Nam Auguſti hi dicuntur, qui nunc regnant, et à Senatu Imperatoris nomine honeſtati ſunt:at Cæſares dicũtur,qui ab ipſo Auguſto electi ſunt,ad regendam prouinciam aliquam cum Cæſaris honore tantùm, donec Auguſtus vixerit, poſt eius mortem ſucceſſuri in imperio.Hæc Alciatus in l.2.de excuſ. artifi. lib.10.C. ex Ammiano Marcellino.

Auguſti quando primùm regnarint, docet I. Capitolinus in M. Antonino philoſopho.Marcum, ſcilicet philoſophum,

loſophum, & Verum Commodum fratrem. Tres etiam poſtea ſimul regnaſſe ſcribit Ammianus Marcellinus. In hoc tamen, inquit, negocio Valentinianus morem antiquitus inſtitutum ſupergreſſus, non Cæſares, ſed Auguſtos, germanum nuncupauit, & filium: beneuolè ſatis.

Auguſta, Auguſti vxor, l.princeps.31.D.de legibus l.ſi Auguſtæ.D.de leg.2.l.fiſcus.in fi.D.de iure.fiſc.l.cùm hæredes.C.qui teſta.fac.poſ.& alibi ſæpiſſimè. Auguſta etiam Auguſti ſoror, l.fi.C.Theo.de luſtr.collat.

Auguſta domus, domus eſt principis priuata, ad eius rem priuatam pertinens, vt coniicere eſt ex inſcripti.& tit. de priuileg.dom.Aug.lib.11.C.eadem diuina dicitur, in l.abſit.C.eo.

Auguſtam fortunam, Auguſtum ipſum interpretari poſſumus, l.vlli.in princ.C.de iudic.

AVGVSTALIA, Auguſti feriæ ſunt.

AVGVSTALES variè accipi conſtat. Nam quidam erat præfectus Auguſtalis, qui Ægypti præfectus erat, cui præfectura, & imperium ad ſimilitudinem Proconſulis conceſſa erant, l.vnic.D.de offic.præfect.Auguſt. Quando, & à quo ſit conſtitutus, Strabo lib.7. quáve de cauſſa Tacitus lib.2. Annalium docent. Huius meminit Anthemius l.3.C.de cano.larg.tit.

Auguſtales nuncupatos fuiſſe ſcribit Vegetius lib.2.rei milit. qui primos ordines in bello ducebant: quòd ab Auguſto ad id munus adlecti eſſent.

Auguſtalis etiam ſextumuir, iudex municipalis erat à Decurionibus factus, vt ex l.quinque.57.& l.ſi quos.59.de Decu.lib.18.C.iunctis epitaphiis, quæ Mediolani extant, FAVSTVS VI. VIR AVGVSTALIS, QVI INTER PRIMOS AVGVSTALES A DECVRIONIB. AVGVSTALIS FACTVS EST.

AVIA, mater eſt patris matríſve, ſicut auus pater patris, matríſve, l.j.D.de gradibus lib. Auia negocia nepotis adminiſtrat. Vide l.Neſennius.D.de neg.geſt.

Auia mea, ſocrus magna vxoris meæ eſt. Modeſtinus l. non facilè.§.gradus.de gradi.& adfin.D.

AVIARIA apud Paulum l.auibus.D.de leg.3.caueæ quibus aues concludimus.

AVIATICVS, nepos.lib. Feud.3. titulo 5.§.3. Si verò filios non habuerit, & auiaticum ex filio maſculo reliquerit. Fictum nomen ab Auus, vel auius, quo nomine in legibus barbaricis ſæpè pro auus vtuntur. Nepotem verò feudiſtæ interdum fratris filium appellant: vt libro j.titulo quinto, §.j.quam conſuetudinem in Francogallica lingua retinuimus. Sed de huius nominis abuſione, plura in Comm.verb.Iur.expoſuimus.

AVIBVS legatis, anſeres, phaſiani, galline, & auiaria debebantur. An autem phaſianarij, & paſtores anſerum, voluntatis quæſtio eſt. Hæc Iul.Paulus li.3.Sent.tit.de legat. vnde exſcripta eſt d.l.auibus. à Triboniano immutata.

AVLÆVM, Vlp.l.ſed & ſi quid.15.§.& ſi.de vſufructu: Velut aulæi, inquit, vel alterius apparatus. Sed & apud Ciceronem pro Cœlio, in ſingulari legitur. nam vſitatiùs in plurali, & neutro genere Aulæa legitur. Sunt autem tapeta quibus parietes, & aulæ ornatus cauſa teguntur. Seruius verò ſtragula verſicoloria eſſe putat, explicans hunc Virgilij locum,

Aulæis iam ſe regina ſuperbis,
Aurea compoſuit ſponda.

Sic dicta, quòd in aula Attali Regis primò inuenta ſint. Nonius verò genus veſtis peregrinæ eſſe cenſuit, eſſéq; ait tanquam paludamentum habitus militaris.

AVOCARE alicui, pro ab aliquo. Vlpia. l.36. D.de nox. act. Nec oberit quod Seruiana poteſt ei homo auocari. Sic l.vlt.D.de his quæ in teſt.delent. Auocatur ſcriptis hæreditas, id eſt, à ſcriptis hæredibus, hoc eſt ſcripti hæredes ab hæreditate repelluntur.

Auocare autem concionem, inquit Turn.Adu.lib.16.cap.21.eſt concionem à magiſtratu qui eam aduocauit, abducere: quod, vt apud Gellium eſt, ius erat aliquibus magiſtratibus facere. A tribuno auocare concionem Liuius ſcribit nefas fuiſſe.

AVRES propitiæ opponuntur hebetibus, quas habere dicuntur, qui non curant, quæ audienda ſunt, audire, Vlp.in l.ſi extraneus.de iur.dot. Sic ibi legendum putat Budæus refragantibus exemplaribus. in Floren.tamen Pand.propriis legitur. Tu.lib. βασιλικῶν conſule.

Aurem tangens, totum corpus tetigiſſe videtur, Trebatio, l.vulgaris.D.de furr.

AVRELIA Lex, vide infrà Lex.

AVREVS, ſeſtertium mille æſtimabatur, iunctis Gaij in l.lege.§.vlti.D.de S.C.Silan.& Paul.lib.ſenten.capitibus, quod & Anton.Aug.lib.2.Emend. cap.9.probat. vbi veterem & nouam aureorum æſtimationem explicat. At Hotomanus in Comm.verb.iuris, aureum continere tantum centum ſeſtertios contendit, idque ex Dionis verbis lib.55.quæ ſic vertit: Cum Auguſti domus in Palatio conflagraſſet, multíque multa illi conferrent, nihil accepit, niſi tantùm à populis aureum, à priuatis verò drachmam. Aureum enim ego quoque nummum, qui drachmas vigintiquinq; valet, more noſtro appello: & Græcorum quidam, quorum libros, quod Attico dicendi genere ſcripti ſunt, legimus, ſic ipſum vocarunt. Hæc Dio. Cũ igitur drachma denario Romano apertiſſimè à Plutarcho in Camilli vita æſtimetur, apparet Dionem, aureum pro centum ſeſtertiis vſurpaſſe, cum ſcilicet in vigintiquinque denáriis tot ſint ſeſtertij. Locum autem illum Iuſtiniani in §.3: Inſt.de ſucceſſ.libert.qui huic opinioni refragatur, ſic exiſtimat poſſe reſtitui: Si quidem libertus & liberta minores centenariis ſint, id eſt minùs mille aureis habeant ſubſtantiam (ſic enim legis Papiæ ſummam interpretati ſumus, vt pro cẽtum ſeſtertiis vnus aureus computetur) nullum locum habeat patronus, &c. Reliqua huc pertinentia vide apud eundem Hot. loco præcitato. Sed & obiter notandum, æſtimationem aurei Romani cognoſci poſſe ex comparatione locorum duorum Suetonij & Taciti: Nam de Othone ſcribit Suetonius: Quoties cœna acciperet principem, aureos excubanti cohorti viritim dabat. Tacitus, Cohorti excubias agenti viritim centenos nummos diuidebat. Aureus igitur Romanus centũ numis taxatur. Hæc ex Hoto. vide tamen Anto.Aug.li.2.c.7.

Aureorum anulorum ius, vide ſuprà Anulus.

Aureorum genera duo Budæus conſtituit lib.5. de Aſſe: totidem Alciatus lib.2. Diſpunc.ca.9. quorum verba hic non refero.

Aureus dicitur, ſolidus, §.fin.Inſtit. de pœn.tem.litig.iuncta l.fi.D.de in ius voc.

Aureis quinis valet argenti libra, l.vnica de argent.pre. lib.10.C.

Aurei numi etiam æs dicuntur, Vlpiano l.etiam.159.D.de verb.ſignific.

AVRICHALCVM, vel orichalcum, quidam (vt ait Feſtus) putant compoſitum ex ære & auro, ſiue quòd colorem habeat aureum. Orichalcum ſanè dicitur, quòd in montuoſis locis inuenitur. mons etenim Græcis ὄρος appellatur. Qui vas aurichalcum pro auro vendidit ignorans, teneri aurum, quod vendidit, præſtare, Marciano placuit, l.Labeo.45. D.de contrah.emp. De Orichalco notatu digna, vide apud Seruium in lib.12.Æn. Orichalchum autem fuiſſe pretioſum, etiam Plautus docet, qui ait in Milite glorioſo, Ego iſtos mores orichalco contra comparem.

Aureos tot, interpretatur Iulianus, l.quidam.96. D.de leg.j.quadringentos ex præcedentibus. Ex quo obſeruandum incertum numerum, nondúmq; præfinitum,

ex præcedentibus, aut ſubſequentibus æſtimandum.

AVRI fodina apud Gaium, l.j. D. quod cuiuſque vniuerſ.no. locus vbi aurum foditur, ſicut Argenti fodina, vbi argentum.

AVRVM Feſto lib.j. dictum quia præcipuè cuſtoditur: Græcè enim ὠρεῖν cuſtodire dicitur. Vnde & Theſaurum. Hippocrates medicus de nomine inuentoris id dictum putat, quem vocitatum ait Aurum, ſiue (vt alij legunt) Aurium. Quidam à ſimilitudine auroræ coloris nomē traxiſſe exiſtimant. Nōnulli, quia mentes hominum auertat: alij à Sabinis tranſlatum putāt, quod illi Auſum dicebant.

Auri appellatione anulos aureos contineri, aurea emblemata, inaurata non item, Vlpianus ſcribit l.cùm aurum.§, idem Celſus. D.de aur.arg.leg.

Auri facti, infectíque appellatione, quid contineatur, docent Vlpianus, & Paulus in l.Quintus. & l.Pediculis. & l.cum aurum. D.de aur.arg. quæ legat. quorum verba huc non refero. Vide ſupra, ARGENTVM factum.

Auri ſui appellatione, non contineri quod in credito eſt, argumento eſt quod de argento Vlpianus ſcribit d.l. Quintus.§, argento.

Auri ſacram famem imitatione Virgilij dixere Leo & Anthemius Impp. l.ſi quenquam.29. C.de epiſcop.& cler. pro execranda. ſic enim Poeta lib.3. Æneidos:

- & auro
Vi potitur. quid non mortalia pectora cogis
Auriſacra fames?

Aurum Toloſanum, prouerbium apud Gellium lib.3.c.9. de hominibus calamitoſis. Hinc dictum, quod cùm Q.Cepio Cos. oppidum Toloſanum diripuiſſet, multúmque auri in eius oppidi templis inuentum fuiſſet, quiſquis ex ea direptione aurum adtigit, miſero, execrabilíque exitu periit.

Aurum coronarium, definitore Gellio lib.5.cap.6. coronæ aureæ, quæ imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. hæ antiquitus ex lauro erant, poſt fieri ex auro cœptæ. Baptiſt. verò Egnatius in adnot. ad Capitol. ſcribit eſſe quod ciuitates, & oppida nouis Imperatoribus offerebant ſub coronarum ſpecie. Equidem ab Imperatorum definitione diſcedere non auſim. Aiunt igitur aurum coronarium, eſſe id, quod offertur à curiarum ordinibus, vel amore proprio, vel indulgentiarum lætitia, vel rebus proſperè geſtis, l.quæ diuerſarum. C.Theod. de aur.coron. Hoc autem non niſi ab admonitis, & ex conſuetudine præſtabatur, d.l.quæ diuerſarum. & l.ſeq. C.Theo.eo. Hanc ſolam Iuſtinianus in Codicem ſui nominis tranſcribi iuſſit, quæ extat lib.10. C.eod.tit. Aurum Coronarium voluntatis, munus voluntarium diuus Iulianus reſcripſit. Huius etiam meminit lex penult. C.de Iudæis: & ibi vide Græcos interpretes. Notandum autem obiter illud aurum coronarium, de quo fit mentio apud Seruium in lib.8. Æn. aliud fuiſſe atque illud de quo extat rubr. lib. Cod.10. nam illo intelligi adnotat aurum quod à victis gentibus dabatur propter conceſſam vitam.

Aurum glebale, quod pro poſſeſſionibus penditur: huius fit mentio in l.2. C.de prætor.& hon.præt.lib.12. C.

Aurum luſtrale, quod quarto quoque anno pendebatur, vt ait Zonaras: onus negociatorum, & mercatorum erat, ob ídque aurum negociatorium appellatur à Lampridio in Alexan. Huius fit mentio, C.de luſtralis auri conlatione, vbi ſunt duæ tantum leges Græcæ, à quibus χρυσαργύριον appellatur. fit etiam mentio in variis legibus. C.Th. de luſtra.conlat. Appellatur quoque functio auraria in l.ſinguli. C.Th.eo. à negociatoribus (vt iam dixi) pendebatur, vt ait l.à negociatoribus. C.Theo.eo. & l.ſeq.

Aurum oblatitium, quod non canonis, vel indictionis, ſed oblationis genere quodam à ſenatoribus pendebatur, vt ex Symmachi, & Syneſij epiſtolis didici.

Aurum publicum, quod ærario publico infertur: huius commeminere Honorius, & Theodoſius Impp. in l. vnic. de aur.publ.perſecut.lib.10.C.

Aurum puſulatum, vide ſuprà Argentum puſulatum.

Auri maſſam 72. ſolidis, ſiue aureis æſtimat l.quotieſcunque. C.de ſuſc.præp.& arc.lib.10. ὥσπερ δὲ (inquit Zonaras) τοῖς νῦν αἱ λίτραι ἑβδομήκοντα ἀριθμοῦνται, &c.

AVRARIVS ſuſceptor in l.j. C.de apochis publ. qui aurum collatum ſuſcipit. vide infrà Suſceptor.

Aurarium Canonem, in l.priuatæ. C.de excuſ.mun.lib.10. interpretatur Accurſius ſuſceptorem aurarium: cum pro penſitatione & functione in auro facta, accipi oportere, contextus ipſe conſtitutionis doceat.

Auraria penſitatio, idem: de qua in l.2. de fund.patrim. lib.11. C.& Auraria præſtatio in l.vnic. C.Theo. qui à præbit.tiron.& equi.excom.& Auraria functio, l.ſinguli, & l.omnes. C.Th. de luſtra.cōlat.& Auraria penſio apud Caſſiodo.lib.11. Epipha. Varia. ad Fauſtum.

AVRIFEX qui ex auro quid facit, l.ſcribit. D. de aur.& arg.lega.& l.2. C.Th. de excuſ. artif. Hinc Aurifices ſpecierum, & ſolidorum, in l.ſcriniis. C.de palat.ſac. larg.lib.12. in breui, ſiue (ſi malis) in notitia.

AVSPICIVM, appellatum eſt, ab auium volantium ſpectatione, quaſi auis ſpecium: ſicut Augurium à garritu auium, tam in bonam, quàm in malam partem.

AVSPICIA cognitionum in l.fin. C.de incert. non inter augurium, & euentum litis, vt quidam putat, ſed initia cognitionis cauſſæ, vel potius litis (quod & Accurſius ibidem probat) interpretanda ſunt. Auſpicia, pro auctoritate, iuſſu & mandato in Forenſibus accipit G.Budæus. Auſpicia maiora, maiores honores & magiſtratus ſignificant. Nullus enim magiſtratus inauſpicatò creabatur.

AVT non ſolum diſiunctiuæ, ſed & ſubdiſiunctiuæ orationis eſt, l.hæc verba.124. D.de verb.ſignific. Huius ea vis eſt, vt alterum fieri ſatis ſit, l.ſi is qui.13.§.vtrùm. D.de reb.dub. Sæpe etiam diſiunctam, aut pro coniuncta accipi Paulus ſcribit l.ſæpe.53. D.de verb.ſign. cum dico, Quod dedi, aut donaui. quod & Iuſtinian. probat l.penult. C.eo.titul. vt in interdicto, Quod vi, aut clàm. Hinc qui ſibi, aut filio, aut cuilibet extraneo ſtipulatur, manifeſtè filij, extraneíve perſonam complectitur, vt Iulianus ait l.eum qui.56.§.qui ſibi. de verb.oblig. Ita comprehenſum, adiectum interpretantur Bartolus, Baldus, Alexand. Alciatus ad d.§. qui ſibi. & rectè.

Aut, etiam ponitur pro ſiue, in forma diui Pij apud Calliſtratum, l.debitoribus.31. D.de re iudic. tametſi Accurſius, & eum ſequutus Albericus, pro ſicut, ibi accipiendum exiſtiment: eodem ſenſu accipi poteſt, ſcilicet pro ſiue, in l.penut.§.fin. D.de act.empt. non pro, id eſt, vt credit Albericus: & in Pandect.Floren. vitium eſt interpunctionis. nam interpungi debet poſt verbum Habitatoribus, & reliqua minuſculis literis ſcribenda, hoc modo: Et ſi receperis, habitatoribus, AVT QVAM QVISQ. DIEM, &c. vt ex initio illius, §. liquidò conſtat. Eodem quoque ſenſu accipitur, ídque diſiunctim, in l.quia abſente.4. C.de procur.& tum plerunque geminatum reperitur, l.exigendi. C.eod.tit. de procurat.& in l.ſi cùm venderet. D.de pig.acti.

Aut, negandi vim habet etiam geminatum, in l.dies feſtos. C.de feriis, ibi, aut Circenſe certamen, &c.

AVTEM, præter notiſſimam ſignificationem, ponitur pro, enim, in l.intra.§.quadriennium. verſ. quatuor autem. D.de diuer.& temp.præſ. Aliquando ponitur pro igitur. l.legatis.§.pecoribus. verſ. & ſues autem. D.de legat.2.

Autem

Autem quoque ſonat etiam,& ſic iungit,l.2.§.hoc etiam, verſ.litem autem vlterius.C.de iureiur.prop.calum. dan.vt in illo Plauti, Abite, tu domum, & tu autem domum.

Autem particula ſubiecta,& elegantiam, & ornatum habet,l.cogi.16.§.& generaliter autem.D.ad S.C.Trebel.& l.ſi quis.5.§.tutelæ.ver.& hoc autem.D.de obligat.& actio.

AVTHENTICVM, Αὐθεντικὸν,eſt,quod vulgò originale dicimus,Paulo lib.5.Sent.tit.12.quæ in Pand.lib.22.tit. 4.l.2.de fide inſtr.à Iuris ciuilis compoſitoribus relata fuit.Eodem ſenſu accipitur apud Vlpianum l.fin. D.de teſta. quemad.aper. ἀπὸ τ͂ αὐθεντεῖν. Exemplum teſtamenti ab authentico diſtinguitur:nam quod inde deſcribitur,dicitur exemplũ d.l.2.& d.l.fi.Galli Pragmatici Copiam appellant. Hinc,

Authenticæ rationes eadem ſignificatione Vlpiano l. Pomponius.8.D.famil.erciſc.& Authenticæ tabulæ l. cęteræ.in fi.D,eo.Hæredem enim exemplum debere dare:tabulas verò authenticas ipſum retinere, aut in æde reponere. Quod autem Authenticum, ſit ipſum originale, docet.l.ſancimus. C.de diuerſ.reſcript. vbi vox atque,explicationis nota eſt.

Authentica vulgus interpretum, & Pragmaticorum vocat,quæ τὰς ΝΕΑΡΑΣ, & Nouellas conſtitutiones, & ipſe Iuſtinianus, eiúſque interpres Iulianus Patritius,& interpretes Græci veteres,appellãt. Vnde autẽ eam appellationem traxerint,docere nititur Alciatus lib.2.Parer.c.46.

Αὐτόματα dicuntur,quæ per ſe mouentur,quæve fortuito eueniunt,vt horologia.Αὐτόματα etiam ſunt opera,quæ ita fabricant mechanici,vt ſuâ ſponte quidquam efficere videantur. Hinc,

Automataria fictum verbum apud Vlpianum l.cætera.4. §.pen.D.de lega.j. quæ Alciatus lib.j.Parer.c.10.interpretatur mechanica opera,quę ſponte ſua mouentur, qualia ſunt horologia. Heron in Pneumaticis,aquam ait in ſublime automaton,id eſt,ſpontalem ex ſphæra concaua.Tranquillus in Claud.Si automaton, inquit, aut pegma,vel tale aliud ceſſiſſet.

Author,Authorari, Authoritas, vide ſuprà Auctor. Nam ideo ibi interieci, quòd ita ſcribi & ex monumentis antiquis,& peritorum conſenſu conſtet.

Αὐτοφυὴς apud Vlpianum, l.ſi cui.70.D.de leg.3. appellari Ang.Aug.li.4.c.16.ſcribit,quod ita per ſe natum eſt, vt nulla arte fucatum ſit.Sicui,inquit,lana legetur, id legatum videtur quod tinctum non eſt, ſed αὐτοφυὴς: cuiuſmodi Virgilius finxit Ecloga 4.

Nec uarios diſcet mentiri lana colores.
Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit uellera luto.
Sponte ſua ſandix paſcentes ueſtiet agnos.

Nihil aliud eſt αὐτοφυὴς quàm id,quod per ſe expreſſit.

AVVNCVLVS matris meæ frater eſt, vt ait Paulus, l.Iuriſconſ.§.tertio gradu.D.de gradibus. quod & Modeſti.in l.inter.5. D.vnde legit. & Feſtus lib.j.probant. Traxit autem appellationem ab eo, quod æquè tertius à me, vt auus eſt, ſed non eiuſdem iuris: ideóque vocabuli facta eſt deminutio: ſiue auunculus appellatur,quòd aui locum obtineat, & proximitate tueatur ſororis filium.

Auunculus maximus, is eſt abauiæ frater, patris vel matris auunculus maior. Auunculus maior, is eſt proauiæ frater, patris vel matris auunculus, magnus. Auunculus magnus,hic eſt auiæ frater,Paul.l.Iuriſconſultus 9. D.de gra.& adfin.

AVVS, patris,vel matris pater, l.fi.§.ſecundo gradu. D. de gradibus.dictus à Græca voce πάππος, mutatis aliquot literis.Alij auum dictum putant,quia ad duos adtineat,quaſi adduum.

Auus meus, vxoris meæ ſocer magnus eſt, illa illi pronurus.Modeſtinus,l.non facile. D.eod.tit.

AVXARIA,ſecreta nemoris dicta ſunt,eo quòd ibi frequentant aues,ſecundum Iſidorum 17.etymo,ca,6.Inde venit impetiſatio auxaria,C.de fun.patri.l.2.lib.11.

AVXILIVM ferimus armis,manu,clamoribus,obiectu corporis, plorando. Vlpia.auctor eſt l.j.de S.C.Sil.§. hoc autem Senatuſconſultum.Notum eſt,auxilio nouo indigere,quæ de nouo emergunt, l.de ætate. §.ex cauſa.D.de interrog.action.

Auxilium iuris eſt ſuffragium, & beneficium iuris, prout dicitur,Contra hæc prodita ſunt iuris auxilia: vide de hoc D.ad Sil.l.cùm dominus. Fruſtra auxilium legis inuocat,qui committit in legem, D.de mino.l.auxilium.de vſu.l.quia fruſtra.l.filio. D,de rit.nupt.

Auxilia appellantur, ex fœderatis, amicíſque populis in exercitu conſcriptæ cohortes, l.2. §.exercitum. D.de iis qui not.infa.Sueto.in Tib.cap.16.Per XV. legiones cum quatuor milibus legionariorum,& delectis auxiliis miſſus.

AVXILIARES dicuntur in bello ſocij Romanorum exterarum nationum: dicti ex Græco vocabulo, quod nos dicimus, rerum creſcentium auctionem, Hæc Feſtus lib.j.

AVXILLA, olla paruula, Feſto.

AVXIMALIS ager,limitibus Gracchanis per centurias eſt adſignatus,tit.de limit.Varro auctor poſt Hygenũ.

AXARE, veteribus nominare ſonat,Feſto lib.j.

AXIS,quem Græci ἄξονα dicunt, plures habet ſignificationes.Nam & pars cæli ſeptentrionalis eſt.Proclus tamen in Sphæra ita,Linacro interprete: Axis, inquit, mundi vocatur dimetiens ipſius, circa quem voluitur. Item, mundi linea dimetiens, apud Ariſtotelem de mundo. Eſt & auctore Feſto, ſtipes teres, circa quem rota vertitur.Significat & tabulam ſectilem, & tabulam ligneam,in qua leges ſcribebantur. Tabulas illas ἄξονας appellauit Solon apud Plutarchum. De iis atque ideo de Solone intelligendus eſt Horatius in art.Poet.

-leges incidere ligno.

Paulò ante Solonem ſapientiam appellauerat:

-fuit hæc ſapientia quondam
Publica priuatis ſecernere,&c.

Axe adglomerari, vniuerſi ſtantes,id eſt, vt ait Feſtus, cohortibus, aut legionibus.

AXILIOSI, factioſi olim dicebantur: cùm plures vnà quid agerent,facerέntque. Axit autem antiquos dixiſſe pro egerit conſtat:vnde Axies mulieres,ſiue dij, dicebantur vnà agentes.

Ἀξίωμα, vt Budæus ait, dicitur maieſtas & dignitas magiſtratus. Dicitur etiam pronunciatum, ſententia, Donato auctore.

AZO Bononienſis Iuriſcoſ.varias leges interpretatus eſt:cuius interpretamenta pleraque ab Accurſio in gloſſemata ſua tranſcripta fuiſſe liquet. Scripſit & in Codicem Iuſtinianum Summam, ídque paratitlatim, Vlpiani & Pauli more,ex perſonis, rebus, cauſſis, & effectibus leges explicans,vt in Epiſtola eiuſdẽ Summæ præfixa docui.Scripſit & in Inſtitutiones, & Pandectas & Nouellas:Iura publicè profeſſus eſt. Æmulorum inuidia Montem Peſſulanum profectus, ibi docuit:deinde Bononiam rediit. Diem tandem functus eſt anno à CHRISTO nato 1200. Huius & in ſcholis,& foro maxima eſt auctoritas.

B LITERA

B

B Litera Græcorum, Latinorúmque ſecunda eſt. Huius neque vocem, neque ſonum eſſe Plato in Theæteto ſcribit. M. Fabius lib. 1. Inſtit. Orato. cap. 4. in aliarum locum datam: hinc ex duello bellum factum ait. B & V, mutua eſt enallage in Pand. Flo. vt Fauius pro Fabius, & in aliis vocibus.

Babylonica, ſtragulæ genus, quod equis inſterni ſolet, apud Vlpianum, l. argumento. 25. §. j. D. de aur. & arg. leg. à quibuſdam ψιλὴ πολύμιτος dicuntur. veſtes ea non eſſe Vlpianus ibidem putat. Hinc dicta vult Plin. lib. 8. cap. 48. quòd colores diuerſos picturæ intexere Babylon maximè celebrauit, vnde & nomen impoſuit.

Babylonicæ pelles apud Marcianum in l. fi. §. ſpecies. D. de publicanis, quæ è Babylone aduehuntur, aut illic parantur.

Baccæ ſunt fructus minutiores diuerſarum arborum, vt lauri, oliuæ, myrti, & ſimilium.

Baccar, vas vinarium ſimile Baccioni, Feſto lib. j.

Baccalavreos, magiſtrorum nomine contineri ait Alciatus, l. cui præcipua. 57. D. de verb. ſignif. ex ſententia Pauli Iuriſconſ. qui illius legis auctor eſt. A baccalaurea nomen ſumpſiſſe videntur. Hi à Iuſtiniano lytæ vocantur.

Bacchari Nonio eſt furere. quo ſenſu accipitur apud Vlpian. l. j. §. idē Viuianus. D. de ædil. edic. §. fi. Inſtit. de ſucceſ. ſublat. de muliere ſeruili amore bacchata: amatrix enim rectè furere dicitur, vt ait Imp. Nouel. quib. mod. nat. effi. legit. §. nouimus. furore, inquit, amoris vehementius nihil eſt.

Baivlare, vt ait Nonius, eſt ferre: ſed id ſuo corpore accipiendum eſt, vt ex Plauti Aſinaria didici, Ego baiulabo, tu, vt decet dominum, ante me ito inanis: eodem ſenſu accipit Gaius l. ferri. D. de verb. ſign.

Baivlos dicebant antiqui, quos nunc dicimus operarios, vnde adhuc baiulari dicitur, Feſto. Sed baiulos propriùs appellat Gellius, lib. 5. ca. 3. qui mercede corpore ferunt, quos Græci *βαςάζοντας*, *Porte-faix* Galli vocant.

Balani apud Vlpianum, l. carbonum. 167. D. de verb. ſignif. palmarum fructus, qui dactylus dicitur. Palmæ fœminæ fructus *βάλανοι* dicuntur I. Polluci lib. 1. cap. 12. ex Xenophonte & Herodoto. Hi non veniunt appellatione lignorum, d. l. carbonum. Latiſſimam eſſe τ̃ *βαλάνx* ſignificationem quidam aiunt. Marcello longiores fructus ſignificant: fructum quercus Epigrammatis, Plinio pomum, Theophraſto li. 1. hiſtoriæ Planta. ca. 8. arbuſculam. Pro balanis in d. l. carbonum. quidam legunt bellariis, ſed falsò. In P. Florent. eſt balanis, quam lectionem probat And. Alciatus.

Balbvs, Græcis ψελλὸς dictus qui pronunciando literam, aut ſyllabam eximit, aut prætermittit, vt ex Ariſtotele docet Budæus ad Vlpianum, l. idem O filius. §. fi. D. de ædil. edict. Eum quoque qui obſcurè loquitur eo nomine contineri putem, ex Non. Marcel. qui balbè interpretatur, obſcurè.

Baldvs Iuriſcōſ. Peruſi natus, patre nobili, & medico, vir acerrimi, & promptiſſimi ingenij, Angeli Peruſini frater, Bartoli diſcipulus fuit, vſque adeo iuri & ciuili, & Pontificio operam dedit, vt acutiſſimè docendo ſcribendóque in vtrunque, immortalem ſibi laudem pepererit. Bononiæ & Papiæ docuit. Galliam profectus, poſtliminio poſtea ad vrbem rediit. Ticini, vbi profitebatur, deceſſit anno Salutis 1412. alij, 1400. demorſus in labio inferiori à rabioſa canicula quam habebat in deliciis, vt quidam referunt.

Balinevm, vt ait Varro lib. 4. Lat. Linguæ, veteribus erat locus, vbi vrnæ poni ſolebant.

Balivvs, vt ait gloſſema ad cap. j. §. poteſtas verò. de pœ. in cle. vulgare prouincialium c. dilecto. de ſent. excōm. in 6. in Francia dicuntur præpoſiti. Hi de cauſis capitalibus, & ciuilibus cognoſcunt, vt apud Gallos notiſſimum eſt. Albericus ſcribit vulgare eſſe verbum apud Gallos, hócque nomine iuſticiarios, & locorum rectores, iudices temporales, & ſeculares contineri: quod optimè probat ca. quoniam. de imm. eccl. lib. 6.

Ballistrarii, Græco more, pro, Balliſtarij, apud Tarruntenum Paternum in l. vlt. de iure imm. pro balliſtarum artificibus. In quodam enim Lexico legitur Balliſtra, & vertitur σφενδόνη, μάγγανον. In nouella tamen 85. §. αὐτὸ ᾗ τοῦτο legitur, βαλλιςαρίων τάγμα, id eſt, balliſtariorū ordines, ſicq; reddidit Iulianus Patritius.

Ballvca, aurum quod nuper effoſſum eſt è terra, in l. j. C. de metallar. lib. 11. & l. 4. C. Th. eo. χρύσαμμος Tribuniano. Plinio lib. 33. c. 4. Ballux aurum minutum in puteis inuentum: éſtque quod modò ex aurifodina erutum eſt, cuius libra vnciis conſtat quaternis denis, d. l. 2. C. eo. Pollux τ̃ χρυσίδα ψάμμον vocat.

Balnivm veteres dixerunt, ſiue Balineum: nihil enim differt publicum à priuatis. In publicis autem fœminini generis, & quidem numero ſemper plurali, frequenter balneas & balineas: nec immerito. nam parſimoniæ cauſa vno igni duplex balneū calefaciebant, pariete interiecto, vt pudor viris mulieribúſque conſtaret. Hæc Chariſius lib. 1. Sic Varro lib. de Ling. Latina 8. bina eſſe dixit coniuncta ædificia, lauandi cauſa: vnum vbi viri, alterum vbi mulieres lauarentur.

Balineum autem & balineæ ſic differunt, quod illud priuatum, hæ publicæ. Varro de Ling. Lat. lib. 8. Itaque videntur vſurpari, balneum in l. ſi cuius. 13. in fin. D. de vſuf. l. vlt. §. j. D. de auro, & arg. Balineas autem in l. patronus. 35. §. 3. & l. prædiis. 91. §. 4. D. de legat. lib. 3. Balnea autem & balneas, vt cæteri Latini autores, ita & Iuriſconſ. promiſcuè dixerunt.

Balnearum inſtrumenta Iulio Polluci. lib. 10. ca. 17. ἀσάμινθος, πύελος, κρωσὸς, ἀρύταινα, ἀρύβαλλος, καὶ ἀχυτλὸν, id eſt, Balnei vaſa, peluis, labrúmve, vrna, fons manu factus, cyathus, ſitula, aſpergillum.

Balneorum partes, formámque deſcribit Vitruuius lib. 5. ca. 10. apertius Plinius lib. 5. Epiſto. Hinc,

Balneator, balnearum præfectus, aut qui balneas præbet, l. 4. §. ait Prætor. D. de iis qui not. infa. l. qui inſulam. §. ædilis. D. loca. & alibi ſæpe.

Balnearii fures, qui ex balneo quid ſubripiūt, & furantur, l. j. D. de furib. balnear. &c.

Balnearium furtum, l. fin. D. eo. & apud Tertullianum lib. de Idololat. Balnearij autem fures cur acerbius cæteris punirentur, explicat Ariſtoteles in Problema. c. 29.

Balnearium inſtrumentum, quo etiam balneatorem contineri Marcianus ſcribit, l. item pictoris. 17. §. inſtrumentum. D. de inſtru. inſtrumentóque lega.

Balneare argentum, quo qui in balneo lauabant, etiam diebus feſtis vti conſuerant, Scæuola, l. medico, D. de auro, argen. mundo. leg.

Balnearia in eodē ſignificatu appellauit Proculus, l. quidam. 13. in princ. D. de ſeruit. vrb. præd. quo & Seneca lib. 3. Natur. Quæſt. & lib. de tranquil. vitæ. A Græcis βαλανεῖον dicitur I. Polluci lib. 10. c. 17. Onomaſt.

Baltevs in Leonis conſtitutione l. vnic. C. nulli licere in fre. li. 11. ſiue balteum cingulum, è corio bullatum. Varroni li. 4. Ling. Lat. & militare erat, in eóque omnes conſentiunt. μιλιταριχῶς accipitur in c. qui ſanctus, de pœnit. diſt. j. Balteum non veſtimentorum, ſed armorum appellatione contineri, L. Baifius lib. de re veſtiar. ſcripſit, Taciti lib. 17 & Plutarchi in Camillo auctoritate. à Græcis Ζωςὴρ appellatur.

Βάμμα

βάμμα, tinctura.

βαναυσία, apud Pollucem lib.1.cap.5.eſt quæſtuarium opificium.

BANNIRE Gallico verbo vtuntur hodie qui in exilium mittunt:quod & pontificio iure receptum eſt. Significat etiam capere,prehendere,&(vt pragmatici Galli dicunt)arreſtare,in clem.1.in princ.de pœn.quod & ad perſonas refertur d.clem. Hinc,

BANNIMENTVM, ſaiſina,captio, prehenſio, & arreſtatio. &,

BANNVS,ſiue BANNVM,duo ſignificat: Edictum qua die Vaſſalli equis armiſque inſtructi ad comitatum adeſſe debeant: & ſanctionem, hoc eſt, multam edicto non parentis:Capitul.Carol.Si hoc non impleuerit,beneficium perdat:& qui beneficium non habuerit,bannum ſoluat.Et alibi: Qui hoc fecerit,tantas vices bannum ſoluat,quanta mancipia vendit.& ſi non habet pretium, ſemetipſum donet vſquedum ipſos bannos ſoluat.Gregorius Turon.lib.5.cap.26. Bannos iuſſit exigi pro eo quod in exercitum non ambulaſſent.Vnde Heribannum duo quoque ſignificat: generaliter multam omnem, quæ domino debetur, quaſi ab HER, & BANNVS: ſpecialiter eam, quæ pro militiæ deſertione penditur: quaſi ab HOERE quod exercitum ſignificat. Legis Franc. lib.4.cap.71. Quicunque liber homo in hoſtem bannitus fuerit, & venire contempſerit, plenum heribannum, id eſt ſolid. LX. perſoluat: aut ſi non habuerit vnde illam ſummam perſoluat,ſemetipſum pro vuadio in ſeruitium principis tradat,donec per tempora bannus ſit perſolutus.Et qui propter heribannum ſe in ſeruitium tradidit, ſi moriatur,hæredes eius de ipſo banno obnoxij non fiant. Hinc,

BANNITVS, interdum euocatus. leg.Franc.3. cap. 64. Quicunque noſtros habens honores, in hoſtem bannitus fuerit, & ad condictum placitum non venerit, &c. Legis Franc.lib.4.cap.72.Vt non per aliquam occaſionem, neque pro Vuadia, nec de ſcara, nec de Vuarda, nec pro Heriberigare, nec pro alio banno heribannum apponet ei ſuam tertiam partem. Item: Ipſe heribannus non exactetur neque in terris,neque in mancipiis, ſed in auro atque argento, &c. Vnde nonnulli Francogallicum verbum corruptum putant ARRIEREBAN. Vſurpatur etiam pro pœna non reſpondentis ad exercitum, ab HOERE, vel HEERE, quod exercitum ſignificat, & BANNVS, multa. vnde HERISLITIVM, pœna deſertæ ſiue detrectatæ militiæ.Leg.Franc.lib.4.cap.72.Quicunque abſque licentia vel permiſſione Principis de hoſte reuerſus fuerit:quod factũ Franci & Alemanni HERISLITZ dicunt,volumus vt antiqua conſtitutio,id eſt capitalis ſententia erga illum cuſtodiatur. Item in capitulari Caroli, & in Lombarda libro 1.titul.15. Siquis dimiſſo exercitu abſque licentia Regis domum reuertatur, & quod nos Theudiſca lingua dicimus ERISLIZ fecerit. Item:Ex ea die ſit bannum reſciſſum, quod Theudiſca lingua ERISLITZ, id eſt armorum depoſitio vocatur.vbi Depoſitio,pro deſertio,poſitum videtur. Beatus tamen Rhen.lib.German.2.Deſeruiſſe,inquit, exercitum inter capitalia numerabatur. Id flagitium Franci vocabant Heriſchlitz: quaſi dicas exercitus ſciſſionem.

BANNITVS, interdum exilio damnatus. libro Feud.4. tit.27.dominum,excommunicatum, vel à Rege bannitum,non eſt obligatus Vaſſallus ad adiuuandum.

βαφεῖς, in Conſtantini reſcripto,l.2.C.de murilegu. lib.11. C.ſi ſerui ſunt publici,infectores,ἀπὸ τοῦ βάπτειν, tingere,inficere.

BAΦEION, officinæ vbi panni infici ſolent: ſic legendum quidam putat in d.l.2. & l.vlt. C.de veſtib.holober.lib.11.C.huic præponebantur procuratores,d.l.2 & vide Notit.imp.Rom.

βαφὴ infectura, tinctura, de qua I.Pollux lib.1.c.4.& lib. 7.cap.30.

Baptiſma & Baptiſmus, à D.Auguſtino in Euãg.D.Ioannis,& tranſlatitiè in c.neceſſarium,de conſec.diſtinct. 4.definiri videtur viſibile ſacramẽtum aquæ ad ablutionem viſibilis corporis.Sunt qui ita definiant, vt ſit exterior hominum ablutio, cum certa verborum forma.Baptiſmi autem forma duo copulatè exigit, verbum,& elementum:quod docet Aug.Homil.80. quod & probatur iunctis Euangeliorum locis,Ioan.3.ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος, καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.& Matth.c.vlt. βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Huius effectus eſt remiſſio peccatorum, vt docet Petrus apud Lucam Acto.2. βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν. Tu vide 1.q.1.& de cõſec.diſt.per totam.

Baptiſmi geminationem vetuerunt Imppp. l.1.& 2.& 3. C.ne ſanc.bap.reiter.

BARATHRVM apud Feſtum lib.2.appellant Græci locum præcipitem,vnde emergi non poſſit: dictum ab eo,quod eſt βαθύς.

BARBARI Feſto lib. 2. dicebantur antiquitus omnes gentes, exceptis Græcis: quod & Paulus Apoſtolus probat Rom.ca.1. Ἕλλησί τε, καὶ βαρβάροις, σοφοῖς καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης εἰμί. Barbaros verò in Imperatorum conſtitutionibus accipimus quicunq; Romano imperio non parebant.quod & Alciatus docuit ad l.ſcriniis.de pala. ſac.lar.lib.12.C. Sic accipi debent in l.nulli.28. C.de epiſc.& clér.& apud Vlpian.l.pen.ad fi.D.de bõ.dam.

BARBARICARII Donato in 11.Æneid. dicuntur qui ex auro coloratis filis exprimunt hominum formas, & animalium & aliarum ſpecierum mutatam ſubtilitate veritatem:ſic accipiendi ſunt in l.vnica.de excuſ. artif.lib.10.C.& l.ſcriniis.in fi. C.de pala.ſac.larg. lib. 12.ſic vtrobique accipiendos cenſet eruditus Alciatus. Iidem etiam caſſides & bucculas auro,argẽto, ære tegebant,vt docent Imppp.l.1.C.Th.de Fabricenſ. Obſeruatum autem eſt,Barbaricas veſtes dici pro Phrygiis, hoc eſt pro iis quas Phrygiones acu pingere ſolebant: & quia Barbarum pro Phryge dicebãt aliqui, inde Barbaricariorum nomen, pro Phrygiorum.

Barbaricum,Feſto lib.2.appellatur clamor exercitus, videlicet, quòd eo genere barbari vterentur. Apud Imperatores verò in l.2.C.de commerc.& mercat.ſumitur pro barbarorum ſolo, loco, & terra.Sic & apud Ammianum Marcellinum lib.18. Viſus in barbarico miles per Hortarij regna tranſibat intacta.

Barbarica lex appellatur Romana Alciato lib.6.Parerg.c. 12.ex Plauto. & Barbaricus ritus,eidem,Romanus.

BARBARIVS Philippus, cum ſeruus fugitiuus eſſet, Romæ Præturam petiit,& Prætor deſignatus eſt,Vlp. in l.3.D.de offi.Præt.Vide Sudam, & Turneb.Aduerſ. lib.7.ca.7.

BARCAM Iſidorus li.19.appellat,quam quidam ab oneribus gerendis dictã putant. Βάρκαν καὶ κουμπάρκαν vocari ſcribit Harmenopulus, lib.2. tit.11. περὶ ναυτικῶν. à Paulo lib.2.Sent.tit.7.§.leuandæ,ſcapha nominatur.

BARDVS Nonio,vi propria, & ingenio tardus. Nam, inquit,Græci bardos,tardos dicebant, Homer.Iliad.4.

- ἀλλά τοι ἵπποι

βάρδιστοι θέειν.

Feſto ſtultus à tarditate ingenij dicitur. Hinc opponit Zaſius in Epito.Feud.tit.de Feud ſucceſ.ſtrenuum, virúmque bellicoſum.

BARISELLOS, ex Baldo appellari ſcribit Zaſius ad l.2. §.conſtituti.D.de orig.iur.executores,qui Triumuirorum capitalium imaginẽ principũ beneficio obtinẽt.

BARO,

BARO in libris quidem Feudiſticis non nominatur:ſed apud alios Scriptores barbaricos eo nomine appellatur, qui inter nobiles opibus & potẽtia antecellit: quẽ Satrapen Perſæ appellabant. Denique Barones & Optimates pro iiſdem vſurpantur. In Append. Aymonij libro 5. cap. quinquageſimoſecundo. Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates quoque, plures etiam Optimates & Barones ſui regni congregari fecit. Et capite ſeq. Quidam quoque ſuffraganei ipſorum, nécnon Optimatum & Baronum Regni Franciæ non minima pars. Et capit. quinquageſimoprimo. Quæ perniciosa factio, zelo & diuerſitate Baronum, Comitum, atque Optimatum Regni tanta terram calamitate extinxit, &c. Otto Friſing. libro ſeptimo capite vigeſimoquinto. Leopaldus Marchio ſuſcepto à Rege ducatu Norico, omnibus penè Baronibus ad eum pertinentibus, amoréque, ſeu terrore ad eum confluentibus, ſedem Ducatus Ratiſbonam ditioni ſuæ ſubiecit. Vnde autẽ nominis huius origo fluxerit, nemo adhuc, quod ſciam, expoſuit. Apud veteres quidem Latinos authores notum eſt, pro bardo & ſtupido vſurpari: ſed in Legib. Barbaricis.

BARO paſſim pro mare, ſiue viro vſurpatur: vt legis Salicæ. titulo trigeſimoquarto: Si quis Baronem de via hortauerit, aut impinxerit, &c. Si verò mulierem hortauerit, &c. Item in Lombarda libro primo, titul. nono, Si quis homicidium perpetrauerit in Barone libero, vel ſeruo, vel ancilla, &c. Quare non abſurdè fortaſſe diſputari poſſet, cum Barbarici ſcriptores, vulgò pro Vaſſallis Homines nominent: quemadmodum poſterius in voce Homo exponetur: factum, vt Barones dicerentur iidem, qui alibi Vaſſi dominici: & Homines ſiue Vaſſalli Regij: quo nomine Regni Capitanei, ſiue Proceres omnes, hoc eſt Duces, Comites, Marchiones continentur. Sigebertus in Chronicis anni M. C. L X. Capitales Barones ſuos cum paucis ſecum duxit: ſolidarios verò milites innumeros. Flauius Blondus libro quinto Decad. ſecunda. Nam primarij vrbis, quos nunc Barones, tunc Capitaneos appellabant, Imperatori obſequentes, &c. De Friderico Barbaroſſa loquitur. Sic Lombard. libro primo, titulo decimoquarto. Si quis ex Baronibus noſtris ad nos venire voluerit, ſecurus veniat, & illæſus ad ſuos reuertatur. Sic apud Ottonem Friſing. Marchio in Baronum numerum refertur, libro Frid. ſecundo, capite duodecimo. Inter quos Vvilhelmus Marchio de Monteferrato, vir nobilis & magnus, & qui penè ſolus ex Italiæ Baronibus ciuitatum effugere potuit imperium, grauem conqueſtionem fecit. Item capite decimoſexto: Vicinorum Baronum, quorum vnus Marchio Opitius, præſidiis munita. Iure autem Gallico Baro dicitur, qui in ſuo territorio ſummæ, mediæ, & infimæ coercitionis, atque etiam nundinarum ius habet. veluti, virgis cædendi, ſuſpendendi, exilio multandi, ceruicis amputandæ, cremandi, notæ inurendæ. Itaque, patibuli quatuor tignis erigendi poteſtatem habet: vt eſt apud Ioan. Butilerium in Summa Rurali. Apud Scotos autem Barones vetuſtis temporibus iidem qui apud Germanos dicebantur: nimirum vaſſi Regij. Hector. Boet. Hiſtor. Scot. lib. 11. Conuenienti eò nobilitati condicto die, regno in partes, quas Baronias vocant, diuiſo, cunctas opes agróſque regios meritorum habita ratione diuiſit. Barones verò (ita illius temporis equites noſtrorum annalium monumenta appellant) nenon ſupputerent ad Regiam maieſtatem facultates, vt cuiuſcunque agri domino excedente ex humanis, hæres ſiue mas, ſiue fœmina, vſque ad alterum ſupra viceſimum ætatis annum Regis eſſet ſub tutela.

BARTHOLOMÆVS Salicetus I.C. Bononiæ natus, Patauij primùm, dein Bononiæ Ius Ciuile interpretatus eſt, publicéque docuit. Ab Alberto Ferrariæ principe accerſitus fuit, vt in ea ciuitate nouam ſcholam auſpicaretur. Multis tandem in ius Ciuile ſcriptis libris, ſenio confectus vita exceſſit anno 1480.

BARTHOLOMÆVS SOCINVS Senenſis Mariani F. clarus fuit temporibus Maximiliani Cæſaris, magno honorario Paduæ profeſſus: Fallentias, ſiue reſtrictiones ſcripſit. Vide Volaterranum, & Tritenhemium.

BARTOLVS I. C nobilis in Saxo-ferrato Piceni oppido, quod nunc Marchia vocatur, natus anno à CHRISTO nato 1309. Iuri ciuili operam annum agens 14. dare cœpit. Raynerium Foroliuienſem, & Cynum Iuris ciuilis præceptores audiuit. Vſqueadeò autem Iuri Ciuili ſeſe applicuit, vt anno ætatis ſuæ 20. publicè de iure reſponderit, annóque inſequenti pater Lacernatus, & (vt nunc loquuntur) doctor creatus ſit, annum agens 21. Piſas, & poſt aliquantò Peruſium euocatus Ius Ciuile interpretatus eſt: in cuius volumina omnia commentarios, reſponſorum (conſilia vocant) libros duos ſcripſit: cuius rei nomine eam ſibi laudem peperit, vt iuris Lucerna & ſaccus legum nuncupetur Iuriſperitorum omnium conſenſu. Nam in iure interpretando, explicandóve nulli ſecundus, ita id illuſtrauit, vt de eo ita cenſuerit Alciatus lib. 2. Parerg. c. 42.

In iure primas comparatus cæteris.
Partes hab bit Bartolus.

Eam eſſe Bartoli auctoritatẽ vt ſine eo ius ciuile conſiſtere non poſſit, Alciatus ſcriptum reliquit, L. apud Labeonem. 247. D. de verb. ſig. Mathematica exactiſſimè eum didiciſſe argumento eſt Tiberiadis tractatus, ſiue de alluuione. Hebræorum linguam didiciſſe ſe ſcribit tractatu de inſignibus, & armis. Carus ita fuit Carolo 4. Rom. Imperatori, vt variis ornamentis ab eodem fuerit cohoneſtatus, & ſtemmatis, & inſignibus decoratus: conſiliarius enim eius fuit, vt ipſe refert d. tractatu. Deo tantem reddidit animam, annũ agens 46. anno à Chriſto nato 1355. cæteros iuris interpretes longè exuperans.

BASES ſunt pedamenta, ſuſtentacula, & imæ cuiuſque rei partes, Alciato lib. 4. Parerg. c. 2. & l. ſtatuæ. D. de verb. ſign. quo ſenſu accipi debet apud Iauolenum, l. hæres. 100. §. fin. D. de legat. 3. Tranſlatitiè ad homines verbi Dei prædicatores refertur: eodem tamen ſenſu vſurpatur in c. fundamenta. in princ. extrà de electione lib. 6. & ibi Ioan. And.

BASILICAM, ἀπὸ τ̃ βασιλέως dici putat Feſtus lib. 2. vnde & propriè regia dicitur: ſed & regiarum ſimilitudine quæ loca ampla & ſpacioſa erant, Baſilicæ nominata ſunt: quibus Romanum forum ornatum fuiſſe nemo ignorat. Loca igitur ampla & publicis vſibus accommodata, Baſilicæ nominantur in l. inter ſtipulantem. 83. §. ſacram. & l. continuus. 137. §. cum quis. D. de verb. oblig. Itaque iudicia in eis exerceri ſolita patet ex illo Fab. lib. 12. Trachali oratoris vocem, cum in baſilica Iulia diceret, auditam laudatámque fuiſſe ex quatuor tribunalibus, Item ex illo Plin. in epiſtol. Deſcenderam in baſilicam Iuliam, auditurus quibus proxima comperendinatione reſpõdere debebam. Quin & venalitiarios in iiſdem habuiſſe tabernas patet ex l. 32. §. 3. D. de auro, arg. in qua fit mẽtio argenti cuiuſdam quod teſtatrix negociatrix venale in baſilica propoſitum habebat. Aſconius in Miloniana teſtatur, in curia librorum quoque tabernas fuiſſe.

BASILICA etiam libri ſunt quibus continentur leges ab Imperatoribus promulgatæ, vel compoſitæ, qui libri hodie extant Græcè ſcripti, ex quorũ lectione lucem magnam iuri noſtro ciuili adferri cõſtat. Horum auctor eſt Leo Philoſophus, vt Harmenopulus &

Theodorus

Theodorus Balſamo teſtantur: qua de re I. Cuiacius lib.6.Obſeruat.c.9.

Βασιλικαί,viæ publicæ ſunt,quas alij prætorias, alij conſulares appellant, Vlpiano.l.2.§.viarum. D. ne quid in loc.public.

Baſilicas Romæ plures fuiſſe ſcribit Onufrius: Baſilica Pauli Æmilij,Iulia,Vlpia.aliàs Traiani, Porcia, Sempronia,Argentaria,Opimij.De quibus Plin.lib.de vir. illuſt.& li.5.Epiſt.Sueto.Victor.Varro lib.4.Ling.Lat.

Βασιλίσσα eo ſenſu dicitur,quo Auguſta, quæ Regis, Imperatoriſve vxorem ſignificat.

BASILINDA, apud Iul.Pollucem lib.9.Onomaſt. luſus eſt,cum ducta ſorte aliquis fit rex, & is aliquid laborioſum miniſtro,qui ſorte pariter obtigerit, imperat. quod Germanis adhuc extat, vulgò, Hert ich dienet euch geren,vt annotat Lalius Comment. libr.10. c.9. Huius dictionis & luſus fit mentio à Iuſtin. l.fin. C.de relig.& ſumpt.fun. ſub corrupto quidem vocabulo, Regindalia,quod in eum locum irrepſit pro Baſilinda,vt annotauit Alciat.Prætermiſ.lib. 2. in verbo Luſum aleæ.

BASILICVS Feſto lib. 2.ſerpentis genus, vel quod in capite album habeat inſtar diadematis, vel quod reliqua ſerpentum genera vim eius fugiant. Quæ de hoc plurima narrantur,fabuloſa quidam exiſtimant.

BASILICVS etiam tyrannus fuit ſub Imperatore Zenone:de quo accipiendam putant.l.decernimus.15.C. de ſac.ſanc.eccleſ.Huius meminit Suidas, & vide de eo Nicephorum,Procopium,& Zonaram.

BASTAGA corruptum ex βάσταγμα ferculum portandis rebus fiſcalibus accommodatum,vti patet in Valenti. & Valentis ad Feſtum conſtit.l.3.de cohortalib. lib.12. C.& in Leonis Imp.lib. de bellico adpar. Baſtagam autem priuatam ſub diſpoſitione Comitis priuatarũ ſacrarum diuinæ domus:Præpoſitos verò baſtagarum ſub diſpoſitione Comitis ſacrarum largitionum Notitia collocat.

BASTAGARII,quibus id oneris incumbit. l. 4.& 8. de murileg.lib. 11. C.Hi vecturæ rerum ad ærarium pertinentium ſeruiunt,quã iumentis faciunt. Baſtagarios etiam dici putat Alciat.rub.de murileg.lib. 11. C.qui neceſſaria militibus portabant.Opinatur idem fuiſſe eos qui veſtes ad tincturam ferebant, referebántque.

BASTERNÆ in Zenonis quadam Conſtitutione, tranſennæ ſunt ſeu protecta quæ habētur in ædibus tranſeundi,vel ſpatiandi gratia:πάροδοι,ἤτοι σταβάσεις, Græcè dicta,Alias Baſternæ vehicula ſunt ſiue lecticæ,vel (vt eſt in gloſſis veterũ) eſſeda.Cuiac.Obſ.lib.13.c.30.

BASTIOLA, vaſis genus Nonio:qua voce vſum Plautũ ſcribit:ex quo didici eam auream fuiſſe.

BASTILVM, è ferro ducitur,quo prunas, & cinerem è foco tollere ſolemus, vt aliò transferamus. Horatius Ser.lib.j.Sat.5.

-Prunæque batilum.

& volunt quidam deductum à voce Sicula βατάνιον quod patellam ſignificat.Alij patillum legi volunt, à πατάνιον,quod idem ſignificat.

BAVCALIVM Alciato lib.j.prætermiſſ.vas vinarium.

BAVCALIS eſt,quo vtimur æſtate refrigerãdis in aqua cyathis,Alciat.lib.prætermiſ.j.Nicarchus in Epigram.

Μὴ κάμνε, μὴ φύσα μάτλω, τὸν καπνὸν ἐγέρεις·
Εἰς τὸ θέρος χαλκὴν βαύκαλιν ἠγόρασας.

BE

BEARE Vlpiano eſt prodeſſe.l.bonorũ.49.D.de verb.ſignific.Significat etiam beatum facere, eidem ibidem. Hinc

BEATVS Varroni lib.4.Ling.Lat.qui bona multa poſſidet.rectè igitur pro diuite ab Alciato in d.l. bonorum accipitur:quia cæteris prodeſſe & poteſt,& debet. Eo nomine felices appellauit Virgil.lib. j. Æn.his verbis.

ô terque quaterque beati. Hinc.

Beatus nonnunquam pro ſibi ſatisfacienti, ſτέργων. Hor. epiſt.lib.2.ep.2.*Si tacent,laudant,quicquid ſcripſere,beati.*

Beatiſſimos patriarchas,& Epiſcopos in cõſtitutionibus ſæpiſſimè vocat Iuſtinianus,idque vetuſto exemplo.

BEATITVDO, iuuamen immunitatis in conſtitutione Conſtantini.l.j.de vetera.lib.12.C.

BELLARIA, ait Feſtus lib.2.res aptas bellis appellabãt. Hinc puto.

Bellaria à G.Budæo in Forenſi.dici, quæ vulgò Species dicuntur,id eſt ſportulæ iudiciales, Gallis *eſpices*, Græcis,δικαστικόν.ex Ariſtotel.Polit.6. Eſt & alia bellariorum notiſſima ſignificatio:ſúntque cibi melle & ſaccharo conditi, quæ menſæ ſecundæ appellantur Alciato,quod & antè Gellius docuerat lib.13.c.11.

BELLE, id eſt eleganter & prudenter,Nonio ex Plauto, & M.Ciceroni:ſic in variis Digeſtorum locis legendum cenſet Auguſtinus lib.Emend.j.c.9.Locos eos referam.Primus eſt apud Vlpianum in l. ſi debitor. 4.§. fi.ibi bellè quæritur. D. quibus mod.pig.vel hyp.ſol. Secũdus eſt apud eundẽ in l.cæterùm. in prin.ibi, non bellè inquilinum.D.de vſu,& habit.Tertius eſt apud eundem met in l.de pupillo.§. 9.in ipſo ſtatim initio. D.de op.no.nunt.Quartus in l.2.§. vnde.D. de ſuis & leg.ibi,vnde bellè.Quintus in l.2. §.tractari.in ipſo principio.D.ad S.C.Tertyl.In quibus locis falſo legitur in vulgatis Codicibus pro belle,velle: cùm in P. Florent.legatur bellè.

BELLVM à duello factum Varro lib.6.Ling.Lat.exiſtimat:quod & Alberico probatur. A beluis duci Feſtus lib.2.putat:quod perpetua ſit diſſenſio beluarũ. vtrunque etymon verum eſſe poteſt.Bellum definire videtur N.Marcellus, vt ſit pugna: hócque differre ait à prælio, quòd prælia ſunt partes:bellum verò eſt ipſa congreſſio,ſiue pugna. Virgil.

Infantem fugiens media inter prælia belli.

Bellum iuſtum definit Iſidorus lib.20.Etymolog. tranſlatitiè.c.iuſtũ.23.q.2.quod ex edicto geritur de rebus repetundis,aut propulſandorum hoſtium cauſſa. Auguſtinus lib.2.Quæſtionum.c.dominus.ead.cauſ.ita definiri ait,quod vlciſcitur iniurias.

Bellum iniuſtum quinque modis geri conſtat perſona, re,cauſſa,animo, iniuſſu principis,gloſſ.in ſumma 23. quæſtio.j.

Bellum etiam dicitur tempus illud, quo à pugna, conflictionéque ceſſatur.Nam,Gellio auctore lib. j.c.25.induciarum tẽpore bellum manet,tametſi pugna ceſſet.

Bellum adfectum Ciceroni in Oratione,quam habuit de prouinc.conſula.id eſt pene cõfectum.Bellum,inquit, adfectum videmus,& verè(vt ita dicam) pene confectum.quod A.Gellius.lib.15.c.5.Noct.Attic.probat.

Bellum quoddam eſt recuperatorium, quo res ab hoſtibus occupatas repetimus:Defenſiuũ, quo res noſtras tuemur.

Bellum ciuile.l.j.D.de cenſib.intelligitur bellum Peſcennij nigri,à quo ſtetit Byſantium, & Antiochia, quas etiam victor Seuerus malè multauit:& auctore Herodiano,Perinthiis qui à ſe ſteterant,adiudicauit Byſantios partis aduerſæ & eadem ratione Laodicenis Antiochenas:quibus præterea eum ademiſſe multa Spartianus ſcribit,priuilegia ſcil.omnia,vt Byſantius.

BELLICÆ captiuitatis ea vis fuit, vt ſeruitutem induceret,quod Florentinus, & Marcianus aiunt.l.4. & 5. D.de ſtat. hom.& Iuſtinianus probat Inſtit.de iure perſ.§.ſerui.Bellicæ huius captiuitatis ſuperſunt reliquiæ quædam.Nam bello captus capientis homo fit: & eo iure hodie vtimur, hócque exactiſſimè obſeruãt tempeſtatis noſtræ milites.

Bellicarum coronarum genera hæc ſunt,Gellio & Plinio auctoribus:oualis,naualis, muralis, obſidionalis, ca-

ſtrenſis,ciuilis,triumphalis.Vide Corona.

Bellonarios, apud Vlpianum lib.de offic.Procõſ. gloſſæ veteres interpretantur θεοφορουμένους, erátque religionis ſecta quædam.Martialis hos vocat, Bellonæ turbam entheatam lib.12.& de eiſdem lib.11. *Alba nimis ſæuis lacerantur brachia cultris, Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.* Acron in 2.Satyr. Horat. Bellonarij, inquit, humeros lacertóſque concidunt.

Βέλος, telum, quo nomine ſignificatur non ſolum quod arcu mittitur, ſed & omne quod manu, ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι, vt ait Gaius.l.ſi caluitur.233.D.de verbo.ſignif. ex Xenophõte lib.5.Expeditionis Cyri, cuius hæc ſunt verba, καὶ τὰ βέλη ὁμόσε ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι: id eſt, Et tela ſimul ferebãtur, haſtæ, ſagittæ, fundæ, tum plurimi lapides.

Belva, ſiue mauis, bellua, immanis fera. Hinc dictam quidam putant, quod ſine lumine, id eſt, mente feratur. Equidem à bellando duci putem, quod perpetuò feræ inter ſeſe pugnent: μεταφορικῶς accipitur de eo, qui ſciens falſum iurat, apud Auguſtinum.c. homines. 22.quæſtio.2.

Bene, in l.j.D.ſi cert.pet.accipi putat Albericus pro decens eſt. ita habent vulgati Codices; in Pand. tamen Florent. aptius legitur, è re.

Bene gerere rationes, eſt ita rectè, vt nulli querelæ poſteà locus relictus ſit: ita ſe explicat Scæuola in l.teſtamento.18.D.de fideicom.libert.

Bene prospexit, apud Iuſtinianum.§.conſtitutio. Inſtit.de vſucap.id eſt rectè, prudentérque.

Bene fit, quod bona fide ſit, Accurſio.l.eum qui iurauit.§.in popularibus.D.de iureiur.

Bene natvm, apud veterem Nouellarum interpretem in conſtit.22.§.quod autem prius. interpretatur Accurſius ingenuum: & rectè: pro eo in Græco eſt, εὖ γεγονώς.

Bene agier inter bonos, vetere Iuriſconſultorum formula M.Ciceroni frequentiſſima, ſignificari quidam aiunt, bonos ex fide præſtare quæ apertè lingua nuncupata non ſunt: quò propendet Pauli reſpõſum. l.quia tantundem.D.de neg.geſt.

Bene dicere eſt laudare, & gratias agere, bene precari, quod in dandi, accuſandíque caſu effertur. Significat etiam in ordinem cooptare, & probare, & cõſecrare, & ordinare.c.j.de ſuppléd. neg.prælat. Huius benedictionis effectum tradit Panormitanus in d. c.j.verſic.quæro an alium.& verſic. præced. Accipitur etiam pro conſecratione, & confirmatione nuptiarũ, de quain can.ſeriatim.32.diſtinct. Qua in re ita cauit Leo Imp.Nouel.89.οὕτω δὴ καὶ τὰ συνοικέσια τῇ μαρτυρίᾳ τῆς ἱερᾶς εὐλογίας ἐῤῥῶσθαι κελεύομεν.

Benedictionis quoque appellatione hæredis inſtitutio continebatur veteri Teſtamento: cuius rei exemplum eſt in c.27.Geneſis, & in Iacobi benedictione.quod & adnotauit Baldus in prooemio Decretalium.

Beneficentia, Victorio in M.Ciceronem, eſt animi virtus, & quædam bonitas naturæ, qua opibus ſuis alios iuuare, & beneficia in homines conferre homines delectãtur. Alij eam definiunt, vt ſit exterior charitatis, ſiue amicitiæ actus. Quidam hoc modo: Eſt liberalitas, ceu cognatio iuſtitiæ, quæ communicat res non debitas iure præſertim ciuili, quas tamen aliquo modo iure naturæ cõmunicare debemus. Hæ omnes definitiones eodem pertinent: poſtrema tamen cæteris explicatior: ad quam referẽda eſt vulgatiſſima iuris regula, Quod tibi non nocet, & alteri prodeſt, benignè præſtandum eſt.l.2.in princ. D. ſolut. mat. quæ tamen cum Bartoli ad d.l.2. diſtinctione recipienda eſt: & vide ibidem Iaſonem.4. notab. qui ἀντινομίαν diluit. Eandem regulam caſibus interpretatur A. Alciatus ad d.l.2. verſic.niſi hoc ei.&c.

Beneficivm in iure ciuili pro priuilegio fere dicimus: hoc eſt pro iure præcipuo quod certæ alicui perſonæ, vel ætati, vel ſexui, vel conditioni propriè attributum eſt. Perſonæ, vt in l.3. D. de conſt. prin. Beneficium imperatoris, quod à diuina ſcilicet eius indulgentia proficiſcitur, quàm pleniſſime interpretari debemus. Ætati, vt beneficium reſtitutionis in integrũ, quod minoribus annis.25.conceditur. Sexui, vt beneficium S.C.Velleiani, quod mulieribus quæ pro aliis interceſſerint, datur: quod vſquequò porrigatur, vide apud Cuiac.Tract.4.ad Afr.§.cum haberes. Certæ cõditioni, vt beneficium epiſtolæ D.Adriani, quod fideiuſſoribus datur, vt ſi vnus in ſolidum conueniatur, de ſua virili parte excipiat.l.inter. 26. & l.ſeq. D. de fideiuſſ. Item Beneficium, ne qui pluris quã facere poſſint damnentur: de quibus cognoſce ex l.ſunt qui. 16.& multis ſeq.D.de re iud. Item Beneficium ceſſionis, vt iis qui magno ære alieno oppreſſi ſunt, ſi ſoluendo non fuerint, bonis apud magiſtratum cedere liceat.l.j. C.qui bon. ced. poſſ. Sumitur etiam beneficium pro largitione aliqua ex ærario, quæ ciuibus Rom. duntaxat, quorum egregia opera in bello extitiſſet, commendatione Imperatoris, Tribuníve ſui deferebatur, vt ex orat.pro Archia poëta M. Ciceronis liquidò cõſtat. Et in beneficiis, inquit, ad ærarium delatus eſt. Vnde & Beneficiarij Veg.l.2. quod promouerentur beneficio Tribunorum.

Beneficium pro opera, & (vt vulgò dicunt Galli) medio alicuius, dixit Vlpianus.l.ex damni.40.§.j. D. de dam. infect. Accipitur etiam pro facto, & occaſione.l.communi.7.§.ſi debitor, ibi, quia hæc pars beneficio alterius.D.comm.diuid.

Beneficium, officium, & vt vulgò dicitur, gratioſitas, & liberalitas quædam gratuita, apud Paulum.l. in commodati.§.ſicut.D.comm.quo ſenſu vſus eſt Terẽtius, & alij claſſici auctores.

Beneficium in vſibus feudorum accipitur pro feudo.c.j. §.ſciendum.de mil.vaſ.qui contu.eſt in vſibus feud.atque eo ſenſu ita definitur à Seneca lib.de Benefici.c.6. Beneuola datio tribuens gaudium capientibus, capienſque tribuendo, in id quod facit pronè, & ſpontè ſua parata. Hæc definitio refertur & probatur in vſib. feud.c. j. §. imprimis. in quibus cauſ. feud.amitt. vbi pro, datio, legitur actio. Ex quo textu elicitur, beneficium vnum eſſe quod genus eſt, quale eſt in definitione à Seneca tradita: aliud, huius ſpeciem.d.c.j.§.imprimis.quod vt clarius liqueat, eius. §. verba ſubiiciam: Huius autem generis ſpecies quædam eſt beneficium illud quod ex beneuolẽtia ita datur alicui, vt proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: vſusfructus verò illius rei ad accipientem tranſeat, &c. Rectè adiecit immobilis. Nam feudum, ſiue beneficium non niſi in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut in iis quæ inter immobilia cõnumerantur, conſiſtit. Hinc Beneficiare, pro infeudare, vel feudum alicui tribuere. Sigeb.in Chron.anni. 1007. Poſtea Imperator ſeditione ſuorum coactus, Valentianas Balduino Comiti beneficiauit, vt ſibi contra motus ſuorum auxilio eſſet. Hinc etiam, Beneficiatus, pro beneficiarius, qui feudi beneficio affectus eſt, lib.feud. 2.tit.55.§.j. Beneficiati eorum feuda quæ ab iis tenebãt, obligauerant, vendiderant.

Beneficium eccleſiaſticum, id eſt, canonicatus, vel præbenda.c.ex multis.§.conſtituimus.j. q.3.& alibi ſæpiſſimè. Beneficij quoque appellatione dignitates contineri ſcribit Ioannes Andreas in c.ſi propter tua. de reſcript.lib.6.per illum text.

EX SVM

EX SVMMA ANGELICA, §. BENEFICIVM.

Beneficium ecclesiaſticũ, aliud
- *religioſum.*
  - *ſimplex, ut canonicatus regularis.*
  - *duplex*
    - *abbatia.*
    - *prioratus.*
    - *habens iuriſdictionem:*
- *ſeculare.*
  - *ſummum, papatus.*
  - *maius, epiſcopatus.*
  - *minus, ſeu ſimplex.*
    - *canonicatus.*
    - *capellania.*
    - *aduocatoria.*

Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione Canonica obtineri.c.j.de reg.Iur.lib.6.extra c.ſi quis deinceps.16.q.7.vide Dinum ad d. c.j. Atque hæc beneficia, feuda propriè non ſunt. Vide Cuiac. in tit.j. lib.5.feud.

Beneficij ceſſionis bonorum, de quo ſuprà iam meminimus, ea vis eſt, vt qui bonis ceſſerit, iudicatus in carcerem non trahatur: atque ita Alexander Imp. reſcripſit. l.j.C.qui bo.cede.poſſunt. Habet aliud beneficiũ, quia in id quod facere poteſt tantùm, condemnandus eſt.§. fi.Inſtit.de actionibus.vbi vide Fabrum.& Ang.& eſt textus in l.4.D.de ceſſio bonorum.

Beneficio Nouellæ.4. De fideiuſſoribus, priùs coueniendus eſt debitor, ſiue reus principalis, quàm fideiuſſor: ídque Iuſtinianus conceſſit Nouel.conſtit.4.§.j. Vetere enim iure poteſtatem fuiſſe creditori, reo relicto, eligendi fideiuſſores, Antoninus Imp.reſcripſit. l.iure noſtro.5.C.de fideiuſſ. Eſt & aliud

Beneficiũ Nouellæ Iuſtiniani. 9. περὶ ἀλληλεγγύων inductũ: quo, ſi qui rei promittendi fuerint, vt alter pto altero inuicem fideiubeat, ſi quidem additum non fuerit, vt vnuſquiſque ex his inſolidum teneatur, pro portione ſua tantum, obligatus eſt, atque pro ea tantùm excutiendus. Sed an hoc vere beneficium, ceu priuilegium, dici poſſit, alibi dicemus.

Beneficium hypothecarum mulieribus conceſſum: primùm dotibus inſunt hypothecæ beneficio. l. vnicæ.§. & vt plenius.C.de rei vxo.act. Secundò dotis nomine creditoribus, etiam anterioribus, præfertur mulier.l. fi.C.qui pot.in pign.hab.

Beneficio legis præfertur poſterior creditor, cuius pecunia prædium comparatum eſt.l.licet,7.C.eod.

Beneficium S.C.Macedoniani actionem denegat ei, qui filiofamilias mutuam pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem patris.l.j.D.ad S.C.Maced.

Beneficium reſtitutionis in duo capita quidã diſtribuunt: quorum primum explicatur ex capite minoris ætatis. D.& C.de mino.25.anno. alterum ex abſentia, de quo tit.D.ex quibus cauſſ.maio. His poteſt addi metus cauſſa: cuius rei nomine reuocatoriam competere Accurſius rectè ſcripſit ad Vlpianum.l.j.§.quæ onerandæ.D. qua.rer.act.non det. cuius ſententiam probat ibidem Bartolus noſter.

Beneficio ob liberorum numerum excuſatur quis à tutela, curave, apud Modeſtinum.l.2.§.j.D.de excuſ. & reſcripto Seueri & Antonini.l.j. C. qui nu.li. A muneribus ciuilibus excuſationem præſtat, Vlpiano.l.2.§.j.D. de vaca.mun.& Conſtant.in eandem rem conſtituit. l.fi.C.de iis qui num.lib.li.10. Iis quoque, qui multos liberos procreaſſent, à Cæſare præmia multa propoſita fuiſſe ſcribit Dio lib.43.

Beneficium cedendarum actionum eſt, per quod poſtulare poſſunt fideiuſſores, & alij, qui obligati ſunt in vna obligatione, ſibi cedi in alia contra fideiuſſores, & alios quibus ſunt obligati: alioquin niſi cedatur eis, poſſunt recuſare ſolutiones. D. de ſol. l. Stichum aut Pamphilum.§.pen.vbi Barto. hoc notat. De hoc vide in Spe.tit.de remu.§.finitis.verſi.poſtremò dicendum. De beneficiis & aliis require ibidem.§. parum autem. ver.& nota. Cedendarum autem actionum beneficio, de quo in l.fideiuſſoribus.vbi Paul.Caſtr.D.de fideiuſſo. petimus vt creditor ſuas nobis cedat actiones, eóque cogendus eſt.

Beneficium epiſtolæ diui Adriani, de quo ſuprà meminimus in beneficiorum diuiſione, & fit mentio in §. ſi plures.Inſti.de fideiuſſ. etiam in l.inter fideiuſſores.D. eod.tit. eſt, ſi vnus è multis fideiuſſoribus de toto debito conueniatur, rectè excipiet pro rata parte duntaxat ſoluenda. quod accipiendum eſt, ſi cæteri litis conteſtatæ tempore ſoluendo ſint.d.§.ſi plures. non igitur fit debiti diuíſio ipſo iure, ſed epiſtolæ diui Adriani beneficio.d.l.inter.

Beneficium à Principe conceſſum decet eſſe manſurum Nouel.81.θεμ. ἐκεῖνο δὲ. adeò vt non ceſſet, etiam ſi quædam cauſſæ concedendi priuilegij ceſſent, vt l.2.§.vlt. & l.ſeq.D.de donatio.l.vnius facinoris.§. ſeruus in caput.D.de quæſtio.l.vlt.D.de decurioñ.l.2.& l.3.D.rerum amotarum. Aliter eſt, ſi cauſſa finalis ceſſauerit.l. qui cũ hærede.D.de obligatio. & actio. l. Papinianus. §.ſed nec impuberis.D.de inoffi.teſta.

Beneficium, ſeu priuilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.c. priuilegium. vbi gl. Din.& Alberic.de reg.iur.lib.6.l. priuilegia quædam. & l.in omnibus cauſis.68.D.eod.tit.

Beneficium à iure indultum non eſt alicui auferendum.c. indultum.de reg.iur.lib.6. Exemplum in l.4.§.ſi quis condemnatus.D.de re iudicata. Intelligi autem oportet, Non auferendum, ſine legitima cauſſa, & cognitione, vt appellandi vſus ex cauſſa poteſt negari, iuxta tit.C.Ne liceat in vna eadémque cauſſa.l.2.D.de re iud. alias limitationes pete à Dino ad d.c.indultum.

Beneficium, quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet aliis in exemplum. c.quod alicui. vbi Dinus & Alber.de reg.iur.lib.6.l.j.in fin.de conſtit. prin.l.quoniam.C.de epiſc.& cler.

BENEFICIVM, Latinè noſtri appellant, quod ſua lingua Feudum: vt in Diſput.cap.2.expoſuimus. Sic libro feudorum.2.tit.j.§.2. Sciendum eſt feudum, ſiue beneficium non niſi in rebus ſoli, &c. conſiſtere. Item libr. feud. 2. tit. 52. §.3. Comperimus milites ſua beneficia paſſim diſtrahere. Item, Milites ſuos omnibus beneficiis exutos. Item: Nemini licere beneficia quæ à ſuis Senioribus habent, ſine ipſorum permiſſione diſtrahere. Et ab hac conſuetudine non abhorret, quod Cæſar libr.de bell.ciuil.2.ſic ſcribit: Cæſar & ſi multis neceſſariiſque rebus in Italiam reuocabatur, tamen conſtituerat, nullam partem belli in Hiſpaniis relinquere, quòd magna eſſe Pompeij beneficia, & magnas clientelas in citeriore prouincia ſciebat. Sic cùm populus Romanus ſtante Repub. honores & magiſtratus mandabat, eíque ſoli accepti ferebantur: Beneficia dicebantur. Cicero Philipp. XIIII. Eſt ille quidem Conſul, ſed alterum nomen beneficij eſt populi Rom. alterum, &c. Et Agraria.2. Et vnuſquiſque ſtudio & ſuffragio ſuo viam ſibi ad beneficium impetrandum munire poſſit. Et pro Muræna. Vt eiuſdem hominis voce & declaratus Conſul, & defenſus, beneficium populi Rom. cum veſtra atque omnium ciuium ſalute tueatur. Sed præter locos auctorum quos illo capite protulimus, non alienum erit, hunc inſignem ex Abbate Tritemio deſcribere. Eodem tempore (inquit) inter Papam Adrianum & Imperatorẽ Fridericum grauiſſimæ contentiones oriri cœperunt. Innocentius Papa ſecundus Romæ quondam in muro imaginẽ ſuam depingi fecerat, quaſi in ſede Pon-

tificali reſidentem Imperatorē Lotharium, complicatis manibus coram ſe inclinatum, coronam Imperij ſuſcipientem. Quod Fridericus Imperator videns, cū eſſet Romæ à ſuis incitatus, ægrè tulit. Acceſſit huic, (ſi dici fas eſt) contumeliæ aliud quiddam perſimile, quod nouæ commotionis & diſſenſionis magnum ſeminatorium fuit. Imperatore cum primoribus Regni in ciuitate Biſontina Burgundiæ curiam celebrante, duo Cardinales literas Adriani Papæ perferentes adfuerunt, in quibus inter alia ſic continebatur. Beneficium coronæ tibi contulimus, neque pœnitentia moueremur, ſi excellentia tua maiora à nobis beneficia accepiſſet. Quod verbum, ſcilicet Beneficium, hi qui circa Imperatorem erant, vſualiter interpretantes, & in contumeliam ipſius poſitum aſſerentes, animum eius in iram concitauerunt. Cardinales iniuriis affectos, à conſpectu ſuo eiecit, dicens: Quod à ſolo Deo habemus (coronam videlicet Imperij) non Romano Pontifici, ſed ſoli Deo attribuimus. primam vocem Regiæ electionis Archiepiſcopi Mogūtini recognoſcimus: Regalem cōſecrationem, Archiepiſcopo Colonienſi permittimus. Imperialem conſecrationem Romano Pontifici aſſignamus. Deleantur ergo picturæ, ſcripturæ corrigantur. alioquin inter Regnum & Sacerdotium concordia & pax ſtare non poterunt. At Romani indignationem & iram Imperatoris metuētes, aliam interpretationem huius nominis protulerunt: Beneficium, quaſi benefactum intelligi debere dicentes. Hactenus Monachus Abbas Tritemius. Memorabile autem eſt, quod de Romanis beneficiis ſcribit Flauius Blondus libro Inſtaurationis Romæ III. Dictatorem nunc perpetuum (inquit) Pontificē ſummum, Principes orbis adorant & colūt. Senatum præſentis Romæ Cardinales Eccleſiæ, poſt Pontificem, orbis veneratur. Quid? quod maiora, vel certè paria priſcorum tēporum vectigalibus Europa penè omnis tributa Romam mittit, dum ſingulæ ciuitates à Romano Pontifice beneficia accipiunt. Et libro XI. Romæ triumphantis: Petri Baſilica, eſt prætorium: Conſul, eſt Pontifex: Magiſter militum, eſt Cæſar, Imperatoris nomen retinens. Legati, Quæſtores, Tribuni, & Centuriones, ſunt Reges, Principes & Duces. Hæc Blondus. ex quibus intelligi poteſt anthiteſis eius, qui tam perſpicuè pronuntiabat, Regnum ſuum non eſſe in hoc mundo: & cùm à multitudine de Regis nomine & honore recipiendo importunius vrgeretur, fuga ſe ſubduxit, Iohan. 8. & Matth. 20. ac diſcipulis ſuis præceptum hoc dedit: Reges gentibus ſuis dominantur. Vos autem non ſic. Beneficium igitur, idē quod feudum. vnde Beneficiare pro Infeudare, vel feudum alicui tribuere. Sigeb. in Chron. anni. 1007. Poſtea Imperator ſeditione ſuorum coactus, Valentianas Balduino Comiti beneficiauit: vt ſibi contra motus ſuorum auxilio eſſet. Vide Feudum.

Beneficium autem & hæreditas ſic opponuntur, vt feudum & allodium. nam illo nomine appellantur, quæ beneficio alicuius adepta ſunt: hoc verò, quæ legitimis hæreditatibus, vt in teſtamento Caroli Magni apud Hanclerum & Matium: Præcipimus vt poſt noſtrum diſceſſum vnuſquiſque accipiat beneficia in regno domini ſui, & non alterius, &c. Hæreditatem autem ſuam habeat vnuſquiſque illorum hominum, abſque contradictione, in quocunque regno hoc eum habere contigerit.

Beneficij poſſeſſor conuentus, ſi negauerit rem prorſus domini eſſe, & cōuictus probatione voluerit titulum feudi obiicere, non auditur: imò poſſeſſio ad dominū transfertur, propter mendacium. Nouel. conſtit. 18. §. κἀκεῖνο δὲ. & l. fi. D. de rei vendic.

BENEFIALIS cauſſa dicitur, ſiue agatur de dignitate, vel perſonatu, officio, præbenda, vel beneficio, Arch. in c. ſi gratioſè, & c. ſi propter. de electio. lib. 6. Beneficium hic accipe ſpirituale.

BENEFICIARIVS fundus, & beneficiarium prædium dicuntur Budæo in Forenſibus eodem ſenſu.

Beneficiarius, qui beneficium accipit. Vnde & à veterib. beneficiarij dicti ſunt illi, quos Imperator ſuo beneficio promouiſſet in militia. Cæſar Com. de bell. ciuil. lib. j. Petreius verò non deſerit ſeſe, armat familiam: cum hac & Prætoria cohorte certatorum, barbariſque equitibus paucis ſuis beneficiariis, quos ſuæ cuſtodiæ cauſa habere cōſueuerat, improuiſò ad vallum aduolat.

Beneficiarij olim milites opponebantur municipibus. Nam municipes dicebantur, auctore Feſto libr. 2. qui non vacabant, ſed munus Reipub. faciebant. contrà, beneficiarij appellabantur, qui vacabant mneris officio. In Nouella autem. 13. Beneficiarios intelligi vult Cuiacius, exploratores & indices, quos pro huius miniſterij præmio habebat prætor plebis immunes. Tertullianus de fuga in perſecutione, In matricibus, inquit, beneficiariorum & curioſorum, inter tabernarios, & lanios & fures balnearum & aleones continentur. At poſtquam liberalitate quadam cōcedi cœperunt bona, quæ feuda dicimus, tranſlatum eſt hoc vocabulum ad huiuſmodi conceſſiones, aliquantò cōmodius, quàm barbara vox Feudatarius, aut Vaſallus, aut Vaſſus. Et,

Beneficiarius hic habet duplex remedium aduerſus dominum, qui nolit compellere pares curiæ, vt inter ſe & beneficiarium cognoſcant, & iudicent: vel qui recuſauerit cogere teſtes, vt veritatem in controuerſia dicant, remiſſo illis iureiurando fidelitatis, quantum ad eam cognitionem, vel depoſitionem pertinet. Vnum remedium eſt: nam poteſt ad ſuperiorem magiſtratum confugere, vt is compellat pares curiæ, vel teſtes. arg. eorum quæ tractantur in l. nimis graue. C. de teſtibus. c. j. in fi. prin. in vſib. feud. quid ſit inueſtitura. In prin. dum dicit, Tunc domino cogente iurent. iunct. gl. in verb. domino cogente. Et apertè probatur titul. Si de inueſti. inter domi. & vaſal. lis oriat. c. j. in prin. Alterum verò remedium eſt: poteſt enim dominum beneficiarius ob denegatam iuſtitiam iudicialiter conuenire, ac petere vt priuetur proprietate beneficij, adiudicāda ipſi beneficiario, vt tradit gl. communiter probata, tit. quid ſit inueſtitura. c. j. ver. prin. in compellat. & tit. Quæ fuit prim. cauſ. benefic. amittend. §. illud tamen non lateat. verb. Iuſtiniani, & c. j. §. fi. de mil. vaſ. qui contu. eſt. Et probatur tit. Quali. domi. propri. feud. priuet. A correlatiuis. Qua ratione enim beneficiarius ob denegatam iuſtitiam, vel inſignem perfidiam, vtili dominio priuatur, eadem dominus proprietatem amittit per ſententiam. Quod & Aluarotto ibidem rectè placet. Accedit tit. de for. fidelita. c. j. in fi.

Beneficiarius defunctus cùm eſt in poſſeſſione beneficij tempore mortis: non debet vllo modo deſtituere agnatos eius commodo poſſeſſionis. c. j. in prin. & ibi Iacob. Beluiſ. ſi de feud. defunct. content. ſit inter domi, & adgna. vaſal. in princ. l. fi. C. de edict. diui Adria. tollen. Eſt enim quædam naturalis continuatio inter defunctum beneficiarium, & adgnatos eius ſuccedentes. l. cùm miles, in prin. D. ex quib. cauſ. maio. l. in ſuis. D. de lib. & poſthu.

Beneficiarius à domino in poſſeſſione feudi grauatus, ad curiam parium ſupplicatione confugiet. Quos ſi admonentes non audierit, etiam ſine appellatione ſuperior magiſtratus adiri poteſt. tit. de milit. vaſſall. qui contumax. §. ſi verò vaſallus. Nouel. de Quæſtore. §. ſi verò cùm ſæpenumero. Conſtit. 80. l. à diuo Pio in prin.

prin.D.de re iud.l.epiſcopale. C.de Epiſc. audien. Pares verò qui cognoſcant inter dominum & clientem ſeu beneficiarium, communi vtriuſque conſenſu eligendi ſunt.c.j.de contro.feud. apud par. terminan. Propter inopiam probationum, recurritur ad ſubſidium iuramenti.c.j.in prin.Si de inueſt.inter domi.& vaſal.lis oriat.in prin.tit.Quid ſit inueſtitu.§.ſi verò vaſallus.Aluarottus allegat rationes.j.quia melior eſt conditio poſſidentis,quàm petentis.l.ſi debitor.D.de pignoribus.2.Actore non probante,reus abſoluitur.l.qui accuſare.C.de edend.3.Nam rei ſunt fauorabiliores actoribus.l.fauorabiliores.D.de regul.iur.4.Quia proniores rectè ſumus ad abſoluendum, quam ad cōdemnandum.l.Arianus.D.de obli.& actionibus.

Beneficiarius qui triginta annis poſſedit rem titulo feudi,& ſeruitiū domino exhibuerit, poteſt ſe exceptione præſcriptionis tueri, & præſumitur inueſtitus,etiã ſi dominus,vel hæres eius oſtendat titulum pignoris. tit.de vſu Mediolan.Et tit.ſi de feud.defunct.côten.ſit inter dom.& adgna.vaſal.§.ſi quis per 30.annos.

Beneficiariæ actiones ſunt quas condictiones ex lege interpretes adpellant:de quibus latiſſimè Bart.in l.j.D. de condict.ex leg.

BENEFICIATVS, pro Beneficiarius,qui feudi beneficio affectus eſt.libro feud.2.tit.55.§.j.Beneficiati eorū feuda quæ ab iis tenebant,obligauerant,vendiderant. Otto Friſing.lib.Frid.2.capite.12.Singuli ſingulos beneficiatos ſuos per præcones expoſcunt.Item:Sicque omnes omnium beneficia,qui ſine bona voluntate dominorum ſuorum domi remanſerunt, in feudis cōdemnentur.Cæſar libro de bello ciuil.j.Petreius verò nō deſerit ſeſe,armat familiam,cum hac & Prætoria cohorte cetratorum, barbariſque equitibus paucis, beneficiariis ſuis,quos ſuæ cuſtodiæ cauſa habere cōſueuerat,ad vallum aduolat.Idem lib.3.Euocatorum circiter duo millia,quæ ex beneficiariis ſuperiorum exercituum ad eum conuenerant, quæ tota acie diſperſerat.

BENEVOLENTIA, dicitur ſtudium, fauor, amor: ſic accipitur in conſtitutione Iuſtiniani. l. Imperalis.in princ.C.de impet.& §.ſciendum.Inſtit.de hæred.qual. & dif.

BENIGNITAS, vt notiſſimam ſignificationem omittam,æquitatis epitheton inhumanitatis rigori cōtrarium eſt.Modeſtino.l.nulla.25.D.de legibus.

BENIGNVM, æquum bonum ſignificat, apud Vlpianū. l.ſi fuerit.5.D.de leg.3.quod & Accurſi.adnotauit ibi.

BENIGNE apud Clementē.5.Pontific.accipitur pro humane.c.Romani.§.& quòd eccleſia de iureiur.in Cle.

BERGENÆ, ſeu Bargenæ,veteribus vocabantur barbari funerum elatores.Gloſſæ veteres,Barginna, νεκροφόρος βάρβαρος, προσφώνησις βαρβάρε.Cuiac.in Nouell.43.

BERONES Budæo in l.in naue.31.D. loca. in prioribus annot.dicuntur ſacci,quaſi perones, à pera dicti.Sic putat legendum apud Alfenum.d.l.in naue.cū in Pandectis Florentinis legatur *berones*.Vide infra Erones.

BERVS, honeſtiorum & palatinorum veſtis fuit Cericea:βῆροι enim interpretantur Zonaras & Balſamon σηρικὰ ὑφάσματα.In concilio Gangrenſi, καταψηφίσαιτο τ̃ τὰς βῆρους φορούντων.Et Euagrius,βῆρους τε γαμικοὺς ἐξάπτοντας.Inde fortaſſis illud noſtrū, *Verous* ſeu *uelours*, corrupte.Huius veſtium generis ſit mētio à Vopiſco in Carino:Donati,inquit,ab Atrebaticis beri (corruptè enim in vulg.cod.berri) petiti:donati beri canuſini.Hint Holoberæ veſtes,de quibus ſua loco à nobis eſt dictum.

BERYLLVS, ſiue(vt in editione Flor.eſt, vbi V.pro B. more veterum ſæpe ponitur) Veryllus, gemma eſt in India naſcens,quæ à gentis ſuæ lingua nomen habet, viriditate ſimilis ſmaragdo,ſed cum pallore:atque in ſexangulas formas atteritur,vt hebetem coloris lenitatem angulorum repercuſſu excitet ad vigorem, inquit Solinus.Huius meminit Marcianus.l.interdū.16. §.ſpecies.D.de publican.De hac Plinius lib.37.c.5.Iſidorus lib.16.Etymolog.c.7.

BERYTVS, vrbs Phœnicis in iure noſtro Ciuili celebratiſſima,hodie vulgò Barutum appellata. Hanc ciuitatem pulcherrimam, & legum nutricem appellat Iuſtinianus:quin & metropolitano nomine, & dignitate exornata fuit à Theodoſ.& Valentiniano.l.vnica de metrop.Beryto.lib. 11. C.Beneficiis Auguſti gratioſam dixit Vlpianus.l.j.D.de cenſibus. à Plinio lib.5. c.20.felix Iulia appellatur.

BES, veteribus Des,Varroni, lib.5.Ling.Lat. dēpto triēte.Feſto lib.2.quòd bis triēs ſit.Beſſis vnciæ octo ſunt, Aſſis partem eſſe Voluſius Mætianus lib.de diſtributi. aſſis docet,notam eius indicans.

Beſſem pretij pro octaua pretij parte dixit Vlpianus.l.ſi verò.12.§.cōtrario.D.manda.Veteres enim Romani omne totum in vncias.12.diuidebant. Hinc & ex

Beſſe ſocium eleganter dixit Proculus.l.ſocietatem.76. D.pro ſocio.

Beſſium vſurarum mentio fit in l.eos.26.§.ſuper vſurarū C.de vſuris.Sunt autem vſuræ beſſes, cum acceptis centum, poſt annum octo præſtantur, aut menſtrui denarij ſinguli,ſi ſors.150.ſit,vt rectè ſcribit Anto.Auguſtinus lib.2.c.10.Emendationum.

Βήσαλον,Theoph.in tit.de rer.diuiſ.tigni appellatione cōtineri ait:id peſſulum quidam interpretantur: ſed male,inquit Cuiac.Obſ.lib.9.c.26 Teſtam enim ſignificare vult.l.j.D.de tig.iunc.ſiue laterem:vnde in Baſilicis ad l.fiſtulam.D.de ſer.vrb.præd. ex figlino opere, ἀπὸ βησάλων.& in gloſſis, Laterculum, βήσαλον καὶ σχαστίας.& apud Chariſium,beſalia.

BESTIÆ dicuntur,quæ natura feræ ſunt Vlpiano.l.j.§.in beſtiis.D.ſi quadrup.paup.fec.di.veluti vrſi, leones, pantheræ.Gaio.l.2.D.ad leg.Aquil.Beſtias, inquit Vlpianus.l.j.§.beſtias.D.de poſtul.accipere debemus ex feritate magis,quàm ex animalis genere. Beſtiarū numero elephantos, & camelos contineri,ideóque nec mācipi eſſe,idem ait in Epit.tit.19.in prin. Cicero autē beſtias vocauit,quas Græci θηρία vocant, quo nomine veniunt venenata animalia: Mirari licet, inquit,quæ ſint animaduerſa à medicis herbarum genera,quæ radicum,ad morſus beſtiarum. Μεταφορικῶς beſtia dicitur homo,qui non facit quæ hominem,rationalem creaturam decent,vt adnotat Accurſ.ad Nouel.5.περὶ μοναστηρίων,ex Boëtio in lib.de Conſolat.

ad Beſtias damnari dicebantur,qui in hoc damnabantur, vt beſtiis tandem ſubiicerentur, Vlpiano.l.ſacrilegij. 6.D.ad leg.Iul.pecul.Gaio.l.eius.8.D. de teſtam.eidem Vlpiano.l.ſi quis.25.§.ſi quis planè.D. de acqui.hæred, Modeſtino.l.ad beſtias.31.D.de pœn. & apud.Tertul. lib.ad Scapul.Scribit Sophronius B.Ignatium B.Ioannis Euangeliſtæ diſcipulum, Antiochenſem Epiſcopum,θηριομαχῆσαι κελεύσθέντα quod ad beſtias damnatū interpretor.Hoc autē ſuppliciū Prudētius ſic explicat:

Sanguinis humani ſpectacula publicus edit
Conſeſſus,legéſque iubent uenale parari.
Supplicium,quo membra hominum diſcerpta cruentis
Morſibus,oblectent hilarem de funere plebem.

Beſtiis obiici apud Modeſtinum.l.pen.D.ad leg.Pompei. de parricid.durius, ſeueriúſque eſt. Qui enim beſtiis obiiciebantur,ad ſtipitem adligabantur, vt ex Fl.Vopiſco in Aureliano liquidò conſtat. Mneſteus (inquit) poſteà ſurrectus ad ſtipitē beſtiis obiectus eſt.Beſtiis ſubiici dixit Marcianus.l.3.§.pen.D.ad leg.Cornel.de ſicar.eodē ferè ſenſu.Hæc legis Corneliæ de ſicariis, & veneficiis pœna erat,auctore eodem.

ad Beſtias datū pœnæ ſeruū fieri cēſuit Macer.l.quod ad

ſtatum.12.D.de pœn.hac pœna puniebatur qui numos aureos cuſerat.Vlpiano.l.quicũque.8.D.de fal.De hoc pœnæ genere meminit Gellius lib.5.c.14. Dio ita Dãnatos,τοὺς τοῖς θηρίοις ἐκ καταδίκης διδομένους,dicit lib.58.

ad Beſtias etiam dari dicebantur,qui citra damnationem cum beſtiis depugnandi cauſſa in arenam intromittebantur,Modeſtino.l.circuncidere.11.§.j.& §.fin.D.de ſicar.Vlpiano.l.4.D.de accuſ.Erant & qui operas ſuas, vt cum beſtiis pugnarẽt,locabant,Vlpia.l.j.§.qui operas.D.ad S.C.Tertyl.hos ad matris hæreditatem non admitti idem ſcribit ibidem. Hinc

Beſtiarii dicebantur qui ludis publicis in amphitheatro cum beſtiis pugnabant,Ciceroni pro Sextio, & in Vatiniũ,& Senecæ lib.2.de benefic.c.19.& Epiſt. j.lib.10.& Tertul.in Apologet.c.42.

BI

Biarchi in Leonis Imp.conſtitutione.l.3.C.de agent. in rebus.& l.vlt.C.de off.præfe.præto.Afric. officiales victui præfecti, qui in rebus militant: horum meminit Hierony.ad Paumachium aduerſ.Ioan. Hieroſolymit.Erant ex ſchola agentium in rebus. vide Alciatum ad d.l.3.& ſuprà,Agentes in rebus.

Biarchia, eorum munus,in Conſtantini Imp.reſcripto.l.j.C.de offi.mag.offic.

Bibliothecæ appellatione & armaria, & locum, quo libri collocati ſunt, & ipſos libros ſignificari Nerua apud Vlpianum ſcribit.l.librorũ.52.§.ſed ſi bibliothecã.D.de leg.3.idque pro rei cõceptione accipiendũ idẽ Nerua ait.Eius ſententiam probat Feſtus lib.2.adiiciẽs,id & Græcis & Latinis receptũ.Ex Neruæ ſentẽtia bibliothecam pro libris, eorúmve numero apud Labeonem.l.Labeo.50.D.de contrahen.empt. accipiendã putem.Apud Vlpianum verò.l.quæſitum. §.inſtructo.D.de inſtr.inſtrum.leg.armaria ſignificat.

Bibliothecarius dicitur,qui librorũ curã gerit,quique bibliothecæ præeſt:ſic accipiendũ exiſtimẽ in c.Adrianus.63.diſt.tametſi gloſſema ibidẽ & Albericus Archidiaconum ſequutus Cancellarium interpretentur.

Biceſſis à duobus deſcuſſibꝰ dicitur,Varroni li.4.Linguæ.

Bicipitem,,quod incomparatũ eſt, poſſe dici,Varro apud Noniũ aperuit.In ſpem (inquit) adducebar non plus ſoluturos,quàm vellem: iniquus equeſtri ordini iudicia tradidit, ac bicipitem ciuitatem fecit diſcordiarum ciuilium fontem.

Biclinium locus vbi duo lecti erant.Plaut.in Bacchidib.

Animaduortite Mneſiloche,& ut Piſtoclere iam facite
In Biclinio cum amica ſua uterque accubitum eatis.

Verbum iunctum eſſe ſcribit Fabius lib.j.c.5.

Bidelli Alciato lib.7.Parerg.c.22.ſunt gymnaſiorum cuſtodes,ex Lucillio.

Bidens apud Vlpianum,l.in inſtrumẽto.D.de inſtruc. inſtrumen.leg.inſtrumẽtum foſſorium ruſticum,Græcis σμινύη Polluci lib.j.Onomaſtic.c.12. περὶ ἐργαλείων γεωργικῶν ὀνομάτων.Bidentes oues,Higynus apud Gelliũ libr.16.c.6.vt alias ἐτυμολογίας omittam,hinc dictas putat,quòd duos dentes altiores haberent.

Bidental, Feſto lib.2.dicitur quoddam templum, quòd in eo bidentibus hoſtiis ſacrificaretur.

Biduum quandoque pro die vno,quandoque pro duobus interpretari ſolet,Vlp.l.3.§.minorẽ.D. de minor.

Biduum hac formula, ILLVD FACITO IN DIEBVS, intelligi Iauolenus ſcribit.l.inter.217.§.j.D.de verb.ſig. Ex quo textu collegi,dies, numero multitudinis non adiecto,biduum ſignificare.Reliqua de biduo pete ab Euſtathio lib. περὶ χρονικῶν διαστημάτων.tit.περὶ δυὸ ἡμερῶν.& ex Cuiacio de diuerſ.temp.præſcr.c.4.

Bifurcium terminũ appellant Sarmatæ,qui tres petras circa ſe habens,trifinium demõſtrat, in li.de limitib.auct.variorum.Illius nota eſt B.

Bigamus dicitur qui diuerſis temporibus, & ſucceſſiuè duas legitimas habuit vxores,Hoſtienſis.c.aperiat. per illum tex.31.q.j.c.ſi quis.& c.cognoſcamus.34.diſt. interpretatione, qui corruptam, vel viduã duxit,can. ſeriatim.32.diſt.vel qui pollicitam virginitatem violauit.c.quotquot.27.q.j.vbi etiam proprius, & primus ſignificatus apertè declaratur. De Bigamis extat titulus lib.j.Decretalium tit.21.vbi vide Panor. & Feli.& alios pontificios. Hinc

Bigamia, quæ variè contrahitur.Primò, quando quis duas habuit vxores,quas cognouit:ſecundò, quando diuerſis temporibus habuit duas, vel plures, vnam de facto,aliã de iure:tertiò,quando plures habuit eodem tempore,& eas cognouit: quartò, quando contrahit cum vidua ab alio viro cognita:ſecus ſi virgo manſiſſet:quintò,quando contrahit cum corrupta à quocũque ſiue ſcienter, ſiue ignoranter, & eam cognoſcit: ſextò,quando cognouit vxorẽ ſcienter vel ignorãter, poſtquam ab alio corrupta eſt:ſeptimò, quando quis in ſacro ordine conſtitutus vel poſt factam profeſſionem religionis,de facto contrahit cum corrupta.

Bigenera animalia,ex diuerſo genere nata, vt leopardus.Feſto lib.2.

Bilamnæ, apud Vitalem de limitib.agrorum.

Bigatos nummos, à notis bigarum dictos putat Zaſius in catalog.leg.antiq.vt quadrigatos, à notis quadrigarum.Plin.lib.3.c.33.Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ.

Bima die, id eſt,duobus annis. Vlpiano.l.3.D.de ann. lega.Eodem ſenſu Bimam æſtimationẽ, id eſt in biennium ſiue pro biennio, Pomponius dixit.l.ſi vſufructus.6.D.de vſufr.legat.

Bimus dicitur,qui annorum duorũ ætatem habet.Hinc nuces bimas Cato.c.17.Rei ruſtic.dixit. Hinc

Bimatus, ætas annorum duorũ, pro quo Græcis διετία dicitur, καὶ διετὴς,annos duos natus: vt in Euangelio Matthæi de Herode pueros bimulos necari iubẽte.c. 2.καὶ ἀποστείλας,ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας τοὺς ἐν Βηθλεέμ,καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς,ἀπὸ διετοῦς,καὶ κατωτέρω.

Bina ſponſalia conſtituere, in edict. Prætoris.l.j. in fi. D.de his qui no.infa.eſt vnam duobus ſpondere, vt vtriuſque ſit vxor,& ſic, quod vulgò dici ſolet, pro vna filia duos generos facere.§. ſi quis alieno.l. quid ergo ſi non.D.eod.

Binomius Feſto lib.2.cui geminum eſt nomen,vt Numa Pompilius.

Binubum rectè appellat vetus interpres. §. quia verò hactenus.de nuptiis,in Nouel,qui ad ſecũdas nuptias conuolauit.Nam in Græco ita eſt, τὸν τῆς τελευτῆς τοῦ δευτερογαμήσαντος γαμέτου,&c.

Biremem nauẽ,à Romanis dictam ait L.Bayfius in libel. de re nauali,quæ binis remorum ordinibus agebatur: Græcis διήρης.Plin.lib.7.c.57.Biremem Demoſthenes auctor eſt Erythræos feciſſe: triremem Thucidides Amoclen Corinthium;quadriremẽ.Ariſtoteles Carthaginienſes.

Bis de duobus actibus dicitur.l.ſeruos.C.ad leg.Iul.de vi.idque in legibus,teſtamẽtis,pactis, & ſtipulationibus.Eodem ſenſu ponitur apud Paulum.l.veluti.in fin. D.de edend.& Vlpianum.l.cum plures.in fi.D.de reb. auct.iudic.poſſid.

Bis actio eadem de re ne ſit. Hoc, inquit Fabius lib.7.c.7.ex iure obſcuro eſt; quæri enim ſolet quo referatur hoc Bis, an ad actorem, an ad actionẽ.Ad hanc legem pertinet vulgatiſſima antiqui iuris regula,cuius meminit Gaius.l.57.D.de diuerſ.reg. iur.antiq.Bona fides non patitur vt bis idem exigatur.

Bis credere quid ſit explicat Marcianus.l.creditor.12.§.3. D.qui pot.in pig.his verbis:Si idem bis,id eſt, ante ſecũdum,& poſt eum crediderit, in priore pecunia potior eſt ſecundo,in poſteriore tertius eſt.

Bispellio, idem, vt vult Hotomanus, qui verſipellis, id eſt veterator, planus, πολύτροπος, Marc.l.72.§.4.D. de ſolutionibus. Num ergo & ſi biſpellionẽ, aut alias turpem dederit hominem, idem ſit. Vlpianus l.31.D.de euict. Si ita quis ſtipulanti ſpõdeat, inſanum non eſſe, furem non eſſe, biſpellionem non eſſe, &c. inutilis ſtipulatio quibuſdã videtur. Vbi tamen **vis pellionem**, errore in Florentinis libris peruulgato legitur, item vt apud Mætianum in l.7.D.ad S.C.Treb. Atque hoc nomine hominem duarũ pellium ſignificari conſtat. Eius autem appellationis origo in Arcadũ fabula poſita eſt, quã Plin.li.8.c.22.exponit: Ij certos homines ex gente Antæi cuiuſdam ſtagnum quoddam trãſmiſſos, in lupos transfigurari tradunt: & poſt annos nouẽ eo in habitu cõfectos ſi homine ſe abſtinuerint, idem ſtagnum remeantes, priſtinum habitũ recipere: vnde Verſipelles dicti: & vet.gloſſ. λυκάνθρωποι. & apud Fabium, eandem recipere veſtem. Vnde Perſius Satyra 5.his verſibus,

Sin tu cum fueris noſtræ paulo antè farinæ.
Pelliculam veterem retinens, & fronte politus,
Aſtutam rapido ſeruas ſub pectore vulpem:
Quæ dederas ſupra repeto, funemq; reduco.

Biſpellionem igitur ſeruum eundem dici putat Hotom. qui & Verſipellis, id eſt perfidioſus, fallax, fraudulentus dicitur. Alij tamẽ, Veſpillonem, alij, Veſpertillionẽ, alij etiã alio modo legi volũt. Vide Viſpellio.

Bissextus, ſiue Biſextus, in l.cum biſſextũ.D.de ver. ſignif.& l.3.§.minorem.D.de minorib. diem ſignificat qui quarto quoque anno intercalatur. Biſſextus, inquit Iſidorus li.6.c.17.eſt poſt quatuor annos vnus dies adiectus. Creſcit enim per ſingulos menſes quarta pars aſſis: at vbi quarto anno aſſem cõpleuerit, biſſextilem annũ facit. Id biduũ pro vno die haberi, poſterioremque diem calendarũ intercalari, Vlp. ſcribit d.§.minorem. quod & Pontifex probat ca.quæſiuit.§.j.de verb. ſig. vide Alciat.ad d.l.cum Biſſextũ. quo in genere quæ ſubſequuntur non ineptè ex Oldendorpio adieci: Biſſextus quaſi bis ſextus dicitur, quia duobus continuis diebus bis dicimus, ſexto calendas Martias, duos dies pro vno cõputantes, d.§.minorem. Romani enim ex diſtributione Numæ Pompilij, ad Lunæ curſum, ſicut Græci annum computabant: intercalantes totũ menſem, more Græcorũ, teſte Macrobio lib.1.Saturnaliũ, c.14. Hinc Cato & Quint.Mutius Iuriſconſulti, rectè appellarunt addititium menſem, d.l.cùm biſſextum. quoniam intercalabant eum, hoc eſt, vocato populo Pontifices interponebant, vt annus ad curſum Lunæ quadraret. Deinde verò, cõfuſis intercalationibus vitio Põtificum, qui aliàs ſuperſtitione, aliàs gratia, quò magis proferrent vel imminuerent publicanis annorum dies, adeò turbabantur tempora, vt neq; meſſium feriæ æſtati, neq; vindemiarum autumno competerẽt. Tranquillus in Iulio Cæſare, ca.40. Quapropter Iulius Cæſar conuerſus ad ordinandum Reipublicæ ſtatum, non iam ex curſu Lunæ, quæ paulò minus mẽſe in Zodiaci circuitione conſumit: ſed ad rationem Solis, qui 365.diebus & quadrante curſum ſuum cõficiens, ad ſignum, à quo digreſſus fuit, reuertitur, totidem diebus annum conſtare voluit. Vide Dionẽ lib.43.de hoc diſſerentẽ. Et ne quadrans deficiens errorem ſupputandi temporis ingereret, ſtatuit, vt quarto quoq; anno Põtifices vnũ diem intercalarẽt, eodẽ tẽpore, quo antea mẽſis intercalari ſolebat, hoc eſt, ante quinq; vltimos dies Februarij: idque Biſſextum appellauit, quia intercalato die, bis ſexto kalendas Martij dicitur. Hæc Oldendorpius ex G.Budæo ad d.l.cum biſſextũ.98. quem conſule. Eadem ferè apud Amm.Marcel.li.26. his verbis: Anni interuallum trecentis & ſexagintaquinque diebus & noctibus cõcluditur & horis ſex, adúſq; meridiem plenã: anniq; ſequẽtis erit poſt horam ſextam initium, porrectum, ad veſperã: tertius à prima vigilia ſumens exordium ad horã noctis extenditur ſextam: quartus à medio noctis vſque ad clarã lucẽ. Ne igitur hæc cõputatio, variantibus annorũ principiis, & quodam poſt horam ſextam diei, alio poſt ſextam excurſo nocturnã, ſcientiam omnẽ confundat, & autumnalis mẽſis inueniatur, quãdoq; vernalis, placuit ſenas illas horas, quæ quadriẽnio viginti & quatuor colligũtur, in vnius diei noctíſq; adiectæ tranſire menſuram.

Bissellium, vbi duo ſedent appellat F.Marius.

Βιθυνιαρχία, apud Modeſtinum l.ἐὰν δύο.§.ἔθνους. D.de excuſ. Bithyniæ ſacerdotium, ſiue præfectura dicitur, Antonio Auguſtino interprete lib.ſingul. ad eundem. Eſt autem Bithynia prouincia Aſiæ minoris, Solino, & Seruio. Hanc memorant Honorius, & Theodoſius, l.2.C.de immu.ne.conced.lib.10.C.

Βιοκωλῦται apud Iuſtinianum Nouel.8.§.τὸ δὲ ἐν τοῖς. & Nouel.145.dicuntur, Iuliano Patritio in Epitom. interprete, qui vim, impreſſionem, & deprædationes arcent.

B L

Bladum Accurſio in l.triticum.94. D.de verb.oblig. generale nomen eſt ad omne quod in area teritur: cuius ſententiam probat Barto.in l.j.§.de eo opere.D.de aq.plu.arcend. Hac voce vſus eſt Romanus Pontifex in c.ex multiplici.de decimis.in antiq. Legumina hac voce non contineri liquidò conſtat. Vnde ſi lege municipali vetatur blada prouincia exportari, legumina exportans non multabitur, neque tenetur. Sanè in eo genere regionis conſuetudo loquendi inſpiciẽda eſt, & ſtatuentium mens. Hoc autem vocabulum ex genere dici poteſt eorum quæ corruptè nimium ex Italica lingua ſunt deſumpta, habentùrque vulgò pro Latinis: vt Allodium, cuius verbi mentio fit in ca.j.de allodiis in vſibus feud. vide ſuprà Alaudium. Sic appreciari, pro æſtimare: mediare, pro componere, aut pacificare: appropriare, pro vindicare: campus, pro exercitu: liga, pro fœdere: treuga, pro induciis: manutenere, pro tueri, ac ſuſtẽtare: ſaiſare, vel ſachiſare, pro extorquere, aut per vim auferre: importat, pro intereſt, ſeu refert: perpetuare, pro cõtinuare: fortalitium, pro arce, ſeu munitionibus: ſuccurſus, pro ſuppetiis, aut ſupplemento: contentare, pro eo quod ſit contentũ reddere: aſſecurare, & contutare, pro eo quod ſit ſibi tutò ac diligenter prouidere, ſiue munire: baſſe, pro humiliter, ſummiſſe, aut in imo: partialitas, pro factione, aut ſtudio partium: atq; horum aliquot crebrò apud interpretes occurrũt, purè loquuturo omnino vitanda: monuit id eruditiſſimus Inſulanus.

Blæsus, apud Vlp.l.idem O filius.§.fin.D.de ædil.edicto, qui linguam habet impeditam, aut qui inter pronunciandum literam aut excludit, aut malè profert: vt Demoſthenes qui r, literam eloqui nequibat. Græcis βλαισὸς, φαυλός.

Blandiri pro decipere, fallere poſuit Vlpianus l.3.§.ſi parens.in fin.D.de adminiſt.tut. Eodem ſenſu Alexander l,blanditus.12.C.de fideiuſſo.

Blanditias potentum & poteſtatẽ æquiparat Accurſius l.vnic.C.ſi rector prouin.in gl.in verb.pignor.

Blasphemare, βλασφημεῖν, eſt conuiciis inceſſere, obtrectare, impiè de Deo loqui, & creaturæ adſcribere quod Deo conuenit: vel ab eo remouere, quod illi conuenit, vt Ambroſius ait. Verbum eſt Demoſtheni & Platoni familiare. Vnde βλασφημεῖν dicuntur qui per caput Dei aliáve membra iurant. Nouell. Conſtit. 78. ἐπειδὴ δέ τινες. & cap.ſi quis per capillum.22.q.j. vbi de pœna blaſphemiæ agitur. Blaſphematur autem verbum Domini, vel cum contemnitur Dei prima ſentẽtia, & pro nihilo ducitur, vel cum Chriſti infamatur Euangelium, Hieronymo in Epiſtolam Pau-

li ad Titum,&c.cũm caput.13.q.5.Blaſphemare ad homines quoque referri poſſe exiſtimat Bartolus in l. item apud.§.ait Prætor. D.de iniur,quo ſignificari ait optare malum in futuro.

βλασφημία, eiuſmodi infamatio. Porrò quæ blaſphemia deuitāda ſit,docet his verbis Tertullianus Iuriſcoſ. in lib.de idololatria: Siquis noſtrum ad iuſtam blaſphemiam ethnicū deducat,aut fraude,aut iniuria,aut contumelia,aliáve materia digna querelæ, in qua nomen meritò percutitur,vt meritò iraſcatur & Dominus.

Blatta purpuræ genus,quæ in lana eſt, l.j.C.quæ res vend.non poſſunt: & apud Caſſiodo.lib.j.Variarum Epiſtol.Cùm blatta,quam ſingulis annis noſtro cubiculo dare conſueuiſti. Lampridius in Heliogabalo: Parauerat(inquit)igitur funes,blatta,& ſerico,& cocco intortos. Quo loco Baptiſta Egnatius adnotat, blattā eſſe purpuram ex Indico cōchylio factā.Hinc,

Blattaserica in conſtitutione Theodoſij,& Valentiniani,l.vlti.C.Th.de murilegul.de veſte intelligi debet.Nam & Vopiſcus in Aureliano pallium Blatto ſericûm dixit.

Blaterare, ψελλίζομαι,Feſto lib.2.eſt ſtultè,& percupidè loqui,quod à Græco βλὰξ originem ducit: qua voce fatui, & ſtolidi ſignificantur. Sed & camelos, cum voces edunt,blaterare dicimus. Blaterare etiam Nonio eſt per mendacia confingere, ex Afranio in Augure.Quid eſt iſtuc te blaterare,atque obloqui?

Blatire apud Tertullianum Iuriſcoſ.in lib.de pallio, vetus verbum,quo inaniter,& inconditè loqui ſignificauit,quod & Marcellus docuit.

βλαστηξάνων apud Platonem in lib. de legib.eſt incrementum,& fœtus,ἀπὸ τοῦ βλαστεῖν.

βλάστος Theophraſto in lib.de cauſ.plantarum, germen, ramulus,παρὰ τὸ βλώσκειν,τὸ αὔξειν.

Blennos,ſtultos eſſe Plautus indicat apud Feſtum lib. 2.qui ait,Stulti,ſtolidi,fatui, fungi, bardi,blundi, buccones.

Blitum,N.Macello olus leue,à ſaporis ſtupore appellatum putat Feſtus lib.2.Dioſc.huius meminit lib.2.ca. 146.& vocat βλῖτον.

B O

Boa,vel,vt quibuſdam placet,boua, ſerpens eſt aquatilis.quem Græci ὕδρον vocant,à quo icti obturgeſcunt. Crurum quoque tumor viæ labore collectus, Boa, ſiue Boua appellatur.In antiquo lexico boua νόσος βοῶν explicatur.

Boarium forum Romæ, quòd ibi boues venderentur, Feſto lib.2.

Bobianus,Magone,& Vegoia auctoribus, oppidum. iter populo debetur pedibus 10.lege Iulia eſt deductū: termini rotundi ſunt adpoſiti. Finitur teſtimonio arcarum,riparum,ſepulturarum,congeriarum, carbunculorum,riuorum,ſupercilliorum,& limitum.

Bodones ſiue botones apud I.Paulum li.5.Sentent.tit. 22. vicem præſtant terminorum,aut ipſi termini:éſtq; vox menſorum, vel eorum qui de agrorum & limitum conditionibus ſcripſerunt.Atque hos qui conuulſerit,ſi quidem ſeruus eſt,in metallum damnatur: humiliores, in opus publicum: honeſtiores, in inſulam relegantur,amiſſa tertia parte bonorum.

Bodum apud Hygenum flumen eſt quod ex veterum finibus eſt.

Boethi in l.boethos.4.C.de tabula.lib.10.dicuntur adiutores, Iuliano Patritio Anteceſſore interprete in Nouel.35.quam Latinam eſſe aiunt quidam.Ducuntur autem ἀπὸ τοῦ βοηθεῖν: ſuntq; qui officialibus vel morbo, vel negociorum magnitudine impeditis additi laborem illorum ſubleuabant. Horum varia genera eſſe conſtat.Quidam enim erant adiuuæ Logiſtarum, d.l. boethos.in princ.& in Baſilicis li.54.Alij erant adiuuæ Quæſtoris,de quibus ediſſeritur in d.Nouella 35.Erant & officiorum,& Palatinorum l.3.C.de diuerſ.offic.lib. 12.Quidam erant adiutores Numerariorum,in Zenonis conſtitutione l.nulli.10.C.de numera.lib.12.

Boiæ, Feſto lib.2.genus vinculorum,tam ligneæ,quàm ferreæ dicuntur.

Boicus ager,eodem auctore, qui fuit Boiorum Gallorum.Is autem eſt citra Alpes, in Gallia quæ Togata dicitur, in qua ſunt Mediolanenſes. Boij ſunt quos Borbonios vocamus, Mediolanenſes,Gallis, *Molins en Bourbonnois.*

Bombyx, Tertulliano in lib.de Pallio, vermiculi genus eſt, quæ per aërem aliquando aranearum more ſcopis idoneus diſtendit, dehinc deuorat, mox æquè reddere, perinde ſi necaueris animata iam ſtamine aluo. De bombycibus ita I.Pollux lib.7.c.17. τὰ δὲ (inquit) ἐκ βομβύκων,σκώληκές εἰσιν βόμβυκες, ἀφ᾽ ὧν τὰ νήματα ἀνίεται, ὥσπερ ὁ ἀράχνης. Hinc,

Bombycina veſtimenta, quorum meminere Paulus lib.3.Sentent.tit.6.& Vlpianus l.veſtis.23.§.j. D.de aur. arg.mun, Bombycina autem dicta à bombycibus vermiculis conſtat,qui,vt ait Plinius li.11.ca.22.telas aranearum more texunt, ad veſtem luxúmque fœminarum,quæ Bombycina appellantur.Bombycum telam prima retorquere, rurſúſque retexere inuenit in Co mulier Pamphila,vt ait Plin.lib.11.cap.23.

Boni viri appellatione iudicem contineri ex Venuleio liquet,l.continuus.§.cum ita.D.de verb.oblig.ex eodem, l.vir bonus. D.iudic.ſol. & l.58. §.j. D.locat. Bonum etiam virū interpretamur eum, qui alteri facit quod ſibi fieri vellet, ex ſententia Vlpia.l.j.in med. D.de ſolut.quod & lex diuina iubet Matth.7. πάντα οὖν ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς. οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος, καὶ προφῆται. Boni viri igitur appellatio, in iure noſtro emphaſin habet. Nā is bonus vir dicitur, qui nullius fraudis cōſcius, verū honeſtatis iudicium in qualibet re ſequitur. Vnde iudex breuius definiri non poteſt, quàm vt bonum virum eſſe dicas.

Boni viri arbitratu veteres dicebant, cum neutrius eorū quorū res agebatur, ſed eius cuius nihil in ea re intererat, probatio erat.Vnde Bonus vir, & arbitratus boni viri, in Iure Ciuili & πολιτικῶς ſic intelligendus eſt:nam Bonus vir eſt,qui ductu naturæ,infallibile iudiciū conſcientiæ ſequitur,ſemotis affectibus alterutrius partis.Arbitratus ergo boni viri vtique definiendus eſt,vt deſeruiat foro, hoc eſt reſpectu controuerſiæ,quam bene ac rectè diiudicare debet. Alioquin ſi bonum virum definias abſolutè, ſcilicet, qui honeſtè viuat,alterum non lædat,ius ſuum cuique tribuat, bona quidem,ſed generalior,& ab vſu forenſi remotior erit definitio.Boni viri mētionem facit Labeo ſecundum ſupradictam rationem,in l.Inſulam vno pretio. §.j.D.Locati.Et Iuſtinianus ipſe tali modo definit arbitratum iudicis,qui certè bonus vir & dici & eſſe debet.Nouel.17.Mandata principis.§.ἔξεστι δὲ. Boni ergo viri arbitratu,eſt recto animi iudicio, abſque prauis affectibus,ex bono & æquo aliquid decernere,obſeruata ratione ne quis lædatur, l.ſi libertus ita iurauerit. D.de oper.liber.l.ſi quis arbitratu.D.de verb.oblig.l. non cogendum.in prin.D.de procurat.

Boni viri arbitratu alimenta relicta pro modo legatę dotis intelligi, ſcribit Papinianus l.cum vnus, §.fin.D.de ali.& cib.leg.

Boni viri arbitrio legatum accipi, quod in alterius arbitrium collatum eſt, Vlpianus ſcribit l.j. D.de legatis.2.

Boni viri arbitratum pro poſitione patrimonij accipiendum idem ait Vlp.l.3.D.de ann.leg.Boni etiam viri arbitratū ad æquitatem reducendum, & ex æquo & bono regulandum conſtat l.ſi libertus ita iurauerit. D.de oper.lib.& ita accipi debet in l.vnic.D.de rip.muni.

Boni

Boni viri verbo cõtinetur etiam quiuis vir iuſtus, æquus, innocens, prudens, conſideratúſque paterfamilias, l.3. §.tametſi. D.de arbit. & l.pen. D.vſuſf. quemadmod. cau.iuncta l.fundi. in fi.16.D.de vſu & habit. l.ſi pater. 47.§.ſi Sticho. D.de fideicommi.liber.l.vlt.C.de alim. pupil.præſtan.Cicero 5. Tuſculan. Sedenim pro iudice & pro prudente & æquo accipitur apud Horatium lib.1.Epiſt.ad Quintium.

- nempe
Vir bonus & prudens dici delector ego, ac tu.

& poſt paulo:

- uir bonus eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges, iuráque ſeruat:
Quo multæ, magnæq; ſecantur iudice lites:
Quo reſponſore, & quo cauſæ teſte tenentur.

Bonus vir in ſumma, qui rectè viuit, vt apud Horatium videtur interpretari Porphyrio.

Bona, Feſto lib.2.id eſt ſubſtãtia rerum, dicta ſunt, quod bonis digna ſint. Vnde Græcorum ſenarius: Ἐσθλῷ γὰρ ἀνδρὶ ἐσθλὰ καὶ δίδοῖ θεός.

Bonorum appellatio generalis eſt. Nam eo verbo prædia ruſtica, & vrbana, mãcipia, ſupellex, & Kalendarium contineri Scæuola ſcripſit l.vxori.37.D.de vſu, & vſufru.legat.Porrò autem.

Bonorum appellatio naturalis eſt, aut ciuilis: idque Vlpianus ait l.bonorum.49. de verb.ſig.Naturaliter bona dicuntur quæ reuera & effectu bona ſunt: quia (vt Vlp.ait) beant, hoc eſt beatos faciunt. Vnde rectè colligit Iauolenus l.propriè.83. D. eo.propriè bona dici non poſſe, quæ plus incommodi, quàm commodi habent: & hoc ſignificatu bona intelliguntur, quæ deducto ære alieno ſuperſunt, l.39.§.bona. D.eo. Eáque ratione bona ab hæreditate ſeparãtur, l.cogi. D.ad S.C. Treb.ciuiliter bona dicuntur, quæ cum reuera bona non ſint, loquendi tamen conſuetudine ſic appellantur: tantum quod ius patriſfam. vniuerſum contineãt. Itaque ſucceſſio in ius vniuerſum alicuius, quanuis damnoſa ſit, bonorum tamen poſſeſſio appellatur, l. 3.D.de bon.poſſ.l.nam quod.14.cum l.ſeq.D.ad Treb. Hinc Africanus in l.bonorum.208. D.de verb.ſig.Bonorum, inquit, appellatio, ſicut hęreditatis, vniuerſitatem quandam, ac ius ſucceſſionis, & non ſingulares res demonſtrat.Et hoc forſan quia ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον res æſtimantur ac denominantur.

Bonorum poſſeſſionis alia eſt diuiſio. Nam quædam eſt edictalis, quæ ex edicto defertur, & quocunque die peti, & de plano dari poteſt, l.cùm quidam.§.j. D.de acq.hæred.& l.j.§.j.D.ſi tab.teſta.nul. extab. Quædam eſt quæ decreto petitur, & hæc cognitionem pro tribunali deſiderat, l.2.§.dies.& §.ſeq.D.quis ordo in bo. poſ.ſerue.& l.2.§.ſi quis ex liberis.D.ad S.C.Tertul.Et hæc Decretalis dicitur, l.j.§.decretalis. D.de ſucceſ. edicto. Quo in genere ita ſcribit Græcus interpres lib.45.Βασιλικῶν.tit.2. Quædam enim ſunt decretales, quædam etiam ordinariæ, ceu edictales. & poſt paulò: Ex his enim licet cognoſcere quòd ſunt quædam bonorum poſſeſſiones decretales, & opus habent magna cauſſæ cognitione, quæ ius hæredi non tribuunt, ſed mittunt in poſſeſsionem, vt quæ datur ventris nomine, & Carboniana, & quæ datur furioſo. Ordinariæ, ſeu edictales ſunt, hoc eſt ex edicto competentes, ſeu legiſlatione Prætoris, quæ tribuunt ius hæreditatis, & non habent opus cauſſæ cognitione, ſeu varia inquiſitione.A quo magiſtratu autem detur bonorum poſſeſsio, vide apud Cuiac.Obſ.lib.4.15.

in Bonis noſtris computari ſciendum eſt, non ſolum quæ dominij noſtri ſunt, ſed & ſi bona fide à nobis poſſideantur, vel ſi ſuperficiaria ſunt.Æquè bonis adnumerabitur, etiam ſi quid eſt in actionibus, petitionibus, perſecutionibus.Nam hæc omnia in bonis eſſe videntur, Vlpiano.l.bonorum.D.de verb.ſig. His addit Modeſtinus exceptionẽ l.rem in bonis.D.de acq.re.domi.

in Bonis noſtris dicitur eſſe quod in patrimonio noſtro aliqua ratione eſt, l j.D.de rer.diuiſ.l.fin.§.non ſolum. D.quæ in fraud.cre.

in Bonis vim paſsi dicitur eſſe res, quæ vi alienata fuit, l. metum.9.§.licet.D.quod met.cauſ.

in Bonis venditoris res vendita eſt antequam venditori tradita ſit, l.ſicut.§.ſi debitor. D.quib.mod.pign. vel hypo.ſol.

in Bonis eſt, qui in poſſeſsionem eorum miſſus eſt, l.pen. D.vt in poſſ.leg.

Bona rapta ſic accipiemus, etiam ſi vna res ex bonis rapta ſit, Vlp.l.Prætor.2.§.bona rapta. D.vi bono.rap.& de turba.

Bonorum possessionem definit Vlpianus l.3. §.bonorum. D.de bono. poſſeſ.ius perſequendi retinendíque patrimonij, ſiue rei, quæ cuiuſque cùm moreretur, fuit. Alciatus hanc definitionem explicat in rub.C.qui admit.A.C.Harmenop.li.j.tit.3.διακάτοχη appellatur.Cuiac.ſic: Bonorum poſſeſsio ius eſt ſucceſſionis prætoriæ in vniuerſa defuncti bona. Vel hæreditas poſſeſsione retenta.

Bonorum poſſeſsionis beneficium multiplex eſſe Paulus ſcribit, l.ſed cum.6.§.j. D.de bon.poſſeſ.Nam quædam bonorum poſſeſsio contra voluntatem competit, d.§.j.Hæc contra tabulas appellatur, l.quod vulgò. D.de bon.poſ.contra tabulas.Græcis ἐναντίωσις τῆς διαθήκης.Hæc quibus competat, quæve ſit eius vis, explicatur infrà, & tot.tit.D.& C.de bon.poſ.cõtra tab.& in Epito. Vlp.tit.28.§.j.& l.j.D.de leg.præſtand.& l.j.D. de collat.Quædam eſt, quæ datur ſecundum defuncti voluntatem, d.l.ſed cum.§.j.& hæc ſecundum tabulas vocatur, Vlpiano d.tit.28.quibus autem detur, quíſve eius ſit effectus, declaratur D.& C.eo.& d.titul.28. §.ſunt autem. Inſtitu. de bon.poſſ.Eſt alia Bonorum poſſeſsionis diuiſio.Nam quædam eſt ordinaria, quædam extraordinaria: ordinaria, quæ ad differẽtiam extraordinariæ, vt eſt bonorum poſſeſsio, Vnde liberi, l. 3.§.miſſum. D.de Carbon.edicto. Extraordinaria eſt, quę ex Carboniano edicto datur, de qua eſt titulus, D. de Carbo.edicto, & lib.3.Sent.Pauli.titul.j.Eſt etiam aliud bonorum poſſeſsionis genus, quod inteſtati bonorum poſſeſsio Vlpiano nominatur, d.tit.28. quam per ſeptem gradus dari ibidem ſcribit, ſcilicet primo liberis: ſecundo, legitimis hæredibus; tertio, proximis cognatis: quarto, familiæ: quinto, patrono.patronæ, liberíſve patroni, patronæve: ſexto, viro, vxori: ſeptimo, cognatis manumiſſoris, &c.

Bonorum poſſeſsio contra tabulas locum habet cum paterfam.teſtamentum quidem fecit, ſed in eo liberos emancipatos, qui ſi in poteſtate manſiſſent, ſui futuri erant, præteriit: hoc eſt, neque nominatim inſtituit, neq; nominatim exhæredes fecit: indéq; dicitur à Triphonino, Contra lignũ dari, l.quod vulgo.19.D.de bon.poſſ.contra tab. Filiis tamen familias etiam hæc bonorum poſſeſsio conceditur.

Bonorum poſſeſsio secundum tabulas, eſt ea quam prætor teſtamenti tabulas ac ſcripturam ſequẽs eíque obtemperans, inſtitutis hæredibus largitur, l.j. & paſs.D.de bon.poſs.ſec. tab.

Bonorum poſſeſsio unde legitimi, dicitur quæ agnatis ab inteſtato defertur: ídque ex leg.XII.Tab. Præterea autem quotieſcunq; vel lex, vel ſenatus defert hæreditatem, ex hac parte eam peti oportet, l.j.l. 2.l.3.& l.5.D.vnde legit.

Bonorum poſſeſsio unde decem personæ, dicitur quæ decem quæ manumiſſori extraneo præferũtur, cõceditur, l.ſi ad patrem, 10.D.de ſuis & legit. Decem autẽ perſonas intelligimus infrà ſcriptas, filium, filiam,

filiam, nepotem, neptem, fratrem, ſororem, patrem, matrem, auum, auiam.

Bonorum poſſeſſio VNDE COGNATI, dicitur quæ cognatis proximis ab inteſtato defertur: in quibus agnati emancipati, quibus Vnde legitimi non competit, continentur, l.j.& paſs. D.vnde cognati.

Bonorum poſſeſſio, VNDE QVI EX FAMILIA, eſt quæ liberti liberis, tam naturalibus, quàm adoptiuis, itémque vxori quæ ipſius in manum conuenerat, ab inteſtato deferebatur. Vide Hotom. Comm.in Inſti.

Bonorum poſſeſſio VNDE PATRONVS, patrona, liberi, parentéſq; illorum vocantur, eſt quæ ab inteſtato liberto ſupraſcriptis perſonis defertur, §.ſunt autem.de bon.poſſ.& apud Vlp.c.Inſt.28.& 29.

Bonorum poſſeſſio VNDE VIR ET VXOR, dicitur quæ viro ab inteſtata vxore, & viciſſim huic ab illo conceditur, quoties deficit omnis parentum, liberorúmve ſeu propinquorum legitima, vel naturalis ſucceſſio, fiſco excluſo, l.j.D.vnde vir & vx.& l.j. C.eo.

Bonorum poſſeſſio VNDE COGNATI MANVMISSORIS, eſt quæ patroni cognatis ab inteſtato liberto conceditur: quorum ius quoddam ſingulare fuiſſe, Iuſtinianus non obſcurè ſignificat, §.pen. De ſucceſ.li. & Vlp.c.Inſt.1.& 28.

Bonorum poſſeſſio ex ſucceſſorio edicto his datur, qui hæredes quidem non ſunt, ſed hæredis loco conſtituuntur Prætoris beneficio. Vlpiano in Epit.tit. 28.§. hi quibus.& vide C.& D.de ſucceſſ.edicto. In ſucceſſorio edicto, ceſſante, aut deficiente primo gradu, ſequens admittitur, l.j.C.eo.

Bonorum poſſeſſio aut cum re datur, aut ſine re, Vlpia.d. tit.28.Cum re, inquit, ſi is qui accepit, cum effectu bona retineat: ſine re, cùm alius inre ciuili euincere hæreditatem poſſit, velut ſi ſuus hæres inteſtatò ſit.

Bonorum poſſeſſio litis ordinandæ gratia dicitur, quæ in hoc accipitur, vt inſtitui & ordinari iudicium poſſit, l. Papinianus.8.in prin.D.de inoffi.teſtam.

Bonorum poſſeſſionis ordinem explicat Modeſtinus l.j. D.quis ordo in bo.poſ.ſerue.

Bonorum emptor dicebatur, qui à creditoribus bona debitoris diſtrahentibus emerat, in quem omnes, quæ venditionem bonorum paſſo, vel in eum competebant, actiones transferebantur, vtilibúſque agebat, & conueniebatur ceu honorarius ſucceſſor. Theoph. Inſtit.de ſucceſſionib.ſubla. quæ fiebant per bon.vend. apud quem ἀγοραστὴς τῶν πραγμάτων dicitur. Atque hic ſimilis erat bonorum poſſeſſori.

Bona noſtra dicere non poſſumus, quæ nondum competunt, vt ſcribit Paul.l.ſubſtitutio. D.de acq.rerũ domi.

Bonorum appellatione nomina cõtinentur, l.bonorum. 49. Hoc tamen cum Bartoli diſtinctione recipiẽdum putem in l.princeps.D.de verb.ſignifi.vbi vide Alberic.& Alciatum. At Bonorum appellatio fructus non continet, Paulo l.ſi quis bonorum.23. D.de leg.j.niſi mora interceſſerit.

in Bonis habere dicebantur olim, qui pleno iure domini facti non erant, Vlpian.Epit.tit.j. Theoph. Inſtit.ex quib.cauſ.manu.lic.

in Bonis mariti dotem eſſe conſtante matrimonio Paulus reſpondit, l.Lucius 21.§.idem reſpondit. D.ad municip.& de incol.ſed ſi ad munera municipalia à certo modo ſubſtantiæ vocẽtur, dotem non debere computari: vt idem ait ibidem.

in Bonis vaſſalli bona data in feudum, computari Baldus ſcribit in c.j.per quos fiat inueſtit. cuius ſententiam probat Decius l.quod euincitur.D.de reg.iur.

in Bonis noſtris non eſt quod euincitur, l.quod euincitur. D.de reg.iur.

ex Bonis noſtris, neque extra bona, ſunt ſeruitutes, Paulo l.j.D.vſuf.leg.

Bona ἀδέσποτα Græco verbo dici putat Budæus in Forenſibus, vacantia, & quæ Galli appellant, *Eſpaues*.

Bona aduentitia dicuntur, quæ alia ex re, cauſsáve, quam patris filiisfamiliàs quæruntur, vt rectè colligit Accurſius in l.cum oportet, in princ. C.de bo.quæ lib.per illum text. Strictiùs igitur accedit Alciatus ad l.quod dicitur.130.D.de verb.ſign.exiſtimans illud aduentitiũ dici, quod filius propter merita ſua acquiſiuit. Ea verò ineptiſſimè ita definiebat quidam: Quæ acceſſione quadam & præter ſpem nobis contingunt. Quæ definitio etiam profectitiis congruit. Vide inf.Peculium.

Bona ciuitatis abuſiuè publica dicta fuiſſe ſcribit Vlpianus, l.bona.15.& l.ſeq.& ſeq.D.de verb.ſign.

Bona caduca in iure dicuntur quæ deficiente eo cui iure ciuili debebantur, in alium ceciderunt: veluti cum lex ei dotem adimit, qui contra eius interdictum vxorem in prouincia ſua ducit, eámque fiſco attribuit: caduca dos dicitur à Paulo l.ſi quis 38.D. de rit.nupt.quemadmodum caduca glans in l.XII. Tab.dicebatur, quæ deficiente eo qui legat ex arbore decidit, l.ſylua.30.D. de verb.ſignif.Hinc ille Craſſi iocus in lib.de Orat.3. Noſtra eſt, inquam, omnis iſta prudentiæ doctrinæq; poſſeſſio, in quam homines quaſi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, inuolauerunt. Et Philip.10.caducas hæreditates vocat, iacentes, quæ ipſi Antonio relictæ, necdum ab eo aditæ atque acquiſitæ erãt.facetè autem locutus eſt, non propriè: nam Caducum, auctore Vlpian. propriè dicitur, quod quis ſibi teſtamento relictum, ita vt iure ciuili capere poſſit, aliqua ex cauſſa non ceperit, quaſi ab eo ceciderit: veluti ſi legatarius poſt mortem teſtatoris ante tabulas apertas deceſſerit. Hæc ille, c.Inſtit.17. Tres autem modos, quibus ea quæ teſtamento relicta ſunt deficiunt, vide apud Iuſtin.l.vnic.C.de cad.toll. Aliàs caduca omnia dicuntur quæ illis excidunt quibus iure ciuili debebantur. Vnde illud Iuue.de vxore quæ marito liberos ex adulterio pariebat: *Iura parentis habes propter me, ſcriberis hæres, Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.* Bona autem vacantia, de quibus l.j.C.de bon.vacant.dicebantur, eorum bona quibus poſt mortem ſucceſſor nullus exiſtit: hæc fiſco caducis legibus deferuntur, vt annotat Cuiacius in frag. Vlp.tit.28.Hæc Græcis ἀκληρονόμητα vocantur.

Bona de eccleſiæ menſa tunc facta dicuntur, quando per officiales ad hoc poteſtatem habentes ſunt deſcripta in lib.aliarum poſſeſſionum de menſa, vel ſunt declarata eſſe de menſa: ita Bartolus in l.fi.C.de bo.vacant. lib.10. cuius ſententiam probant Ioannes de Platea & Angelus ad d.l.fi.Sed & de menſa ſunt quæ Archiepiſcopus, vel alius prælatus ad manus ſuas tenuit, & in proprium vſum excepit vel expendit, nec aliis infeudauit: idque Pontifex Celeſtinus decreuit c.vt ſuper.de reb.eccleſ.ali.

Bona deficere dici quidam autumant, non ſolùm cum nulla extant, ſed etiam ſi aliqua extarent, quæ in remotis eſſent collocata.

Bonum publicum, vtilitas publica omnium, Accurſio l.j. D.de vſur.& vſucap.

Bona, prædia Pediano dicuntur, quæ ſatiſdationibus ſunt obnoxia.

Bona paterna, quæ à patre profecta ſunt. Ea cõmunia inter fratres præſumũtur, l.ſiue poſſidetis. C.de probat.

Bonorum poſſeſſio, & poſſeſſio bonorum longè diſtant. inquiunt nonnulli. Nam illa ſonat ſignificátque ius, vt ex definitione ipſius liquidò conſtat, quam inferius paulò ſubiiciam: hæc verò facti eſt. ita Bald.& Angel. Inſti.de bonor.poſſeſ.in prin. Adducunt pro hac l.j.§. adipiſcimur.& §.ſi vir.D.de acq.poſſeſ. Eſt & alia differentia, quòd illa ad bonorum vniuerſitatem, id eſt, vniuerſi iuris ſucceſſionem pertinet, atque in perpe-

tuum

tuum decernitur, vt infrà patet. Hæc cauſa rei ſeruandæ, atq; ita ad tempus conſtituitur, vt apparet ex verbis Calliſtrati l. quamuis.13. D. vt in poſſeſ. leg. veluti cum venter, aut creditor, aut legatarius in bonorum poſſeſ. mittitur. Conuerſo tamen ordine poſſeſſionem bonorum (quæ iuris eſt) dixit Macer. l.4. D. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdictio. Subtilem hunc verborum ordinem, & ſtructuram non obſeruauit Paulus l. in honorariis.35. D. de oblig. & actio. Illæ, inquit, rei perſecutionem continent, quibus perſequimur quod ex patrimonio nobis abeſt, vt cùm agimus cum bonorum poſſeſſore debitoris noſtri. Bonorum autem poſſeſſio, quæ C. Harmenopulo διακατοχὴ dicitur, à iuriſconſultis ſimpliciter nonnunquam poſſeſſio appellatur, l. ſcriptus. D. de Carb. edi. & l. cùm pater. §. Titio. D. de leg.2. In Macri tamen reſponſo d. l.4. de offic. eius cui manda. de ea quæ facti eſt accipiendam putem. Nam eam facto ipſo decernit iudex, vt eam accipiat hæres. Alciatus igitur differentiam huius ordinis improbat l.j. in fin. C. qui admitti. & Parerg. li.3. cap.3. Et ſane à veritate abeſt.

Bonorum poſſeſſionem vt ex legibus, vel vt ex conſtitutionibus, de qua §.7. Inſtit. de bon. poſs. quæ à Græcis, Tum cui ex legibus, vel ex conſtitutionibus, appellatur, eadem forma qua vnde legitimi, Tum quem hæredem, Iac. Cuiac. Obſ. lib.10. cap.14. explicat de conſtitutione diui Adriani, ex qua militis capite damnati ex militari flagitio hæreditas & bonorum poſſ. defertur cognatis vſque ad quintum gradum: qui tamen aliàs lege non vocabantur, propter capitis deminutionem militis, l.2, D. de vet. & mil. ſuc. &c. Reliqua vide in loco ſuprà citato.

Bonorum poſſeſſio nomine ventris datur mulieri prægnanti in bonis mariti, in quibus ſecundum dignitatem ſuam ſibi & familiæ ſuæ alimenta conſtituuntur, l.j. D. de vent. in poſſeſ. mitt.

Bonorum poſſeſſio ex tit. de edict. Diui Adriani tollendo, datur alicui volenti ſuccedere in bonis alicuius ex teſtamento, in quo inſtitutus, vel inſcriptus eſt, ex eo quòd oſtendit teſtamentum non cancellatum, nec abolitum, nec in aliqua parte ſui abraſum, l. fin. C. de edic. di. Adr. toll. Et datur volenti ſuccedere ab inteſtato, ſecundum Roſ. quod probat ſecunda pars rubri. quæ dicit, quemadmodum ſcriptus hæres in poſſeſſionem mittatur. ſed ratio Roſ. dicit contra. in ſum. Hoc tamen notandum ſecundum Spec. de bonorum poſſeſſione, quòd bonorum poſſeſſiones olim fuerunt vtiles, ſed hodie ſunt inutiles, præterquàm in quinq; caſibus. Primus, quãdo viuo teſtatore poſthumus præteritus deceſſit, quaſi videatur teſtamentum ruptum iuris ſcrupuloſitate, nimiaque ſubtilitate, cùm nihilominus hæres ſcriptus ex iſto teſtamento petit bonorum poſſeſſionem, vt in l. poſthumus. D. de iniuſ. rup. & irrit. teſt. ſecundus eſt in l. filios eod. tit. tertius Inſt. qui. mo. teſt. infir. §.2. quartus in l. vt ſcriptus hæres. D. de bon. poſ. ſecun. tab. quintus in l. æquiſſimum. §.2. eo. tit. & l. filiis. C. de inoffic. teſt.

Bonorum poſſeſſionis introducendæ cauſa fuit, vt ius ciuile percipiendarum hæreditatum anguſtiſſimis finibus per legem XII. Tabularum conſtitutum, Prætor ex æquo & bono dilataret, ſcilicet hoc agens, ne quis ſine ſucceſſore moreretur, qui ſaltem hæredis loco eſſet bonorum poſſeſſor. §. adhuc autem. Inſtit. de bonor. poſſeſ. §.j. Inſtit. quibus ex cauſ. manu. non licet. l. & quia. D. de interrogat. in iur. facien. quæ ratio dilatandæ ſucceſſionis tãtum apud veteres valuit, vt Prætor non ſolùm emendandi, ac ſupplendi, verumetiam confirmandi ſeu adiuuandi iuris ciuilis gratia, concederet bonorum poſſeſſionem etiam illis, qui vel ex teſtamento, vel ab inteſtato, legitimè ſuccedere poterant: cœpitque paulatim decretum ſucceſſionis apud iudicem à quibuslibet hęre. peti, ſicut & hodie in multis locis obſeruari videmus. Inſti. de bon. poſſ. in prin. l. vlt. C. qui admitti ad bono. poſſeſ. vbi vide Alciat.

Bonorum poſſeſſio hoc tempore appellari poteſt cæremonia illa, quam ex ſtatutis adhibent ſuccedentes ab inteſtato, vel ex teſtamento, dum teſtamenta poſt mortem recitantur publicè apud magiſtratum, dum bona immobilia adſignantur hæredi, & deſcribuntur in publicis monumentis, vide Bartol. l.2. C. de teſta. ad bonorum poſſeſſionem item pertinent ordinationes ſtatutariæ, ſcilicet, ne quis hæres admittatur, niſi probatione priùs, ſaltem per duos teſtes, audita, de gradu cognationis proximo, & ſi quæ ſunt ſimiles.

Bona fides variè accipitur. Interdum enim bonam fidem in animi ſcientia ponimus, cum videlicet quis rem, quam poſſidet, ſuam eſſe exiſtimat, quíque ignorat alienam, ita explicuit Marcianus l.3. D. ad l. Fab. de Plag. quod & Harmenopulus lib.j. καλῇ πίστει, ait, κατέχει, τουτέστιν ὁ εἰδὼς ὅτι ἀλλότριον τὸ πρᾶγμα, ἀλλ' ἀπατώμενος, καὶ νομίζων δικαίως κατέχειν αὐτό. ἡ κακῇ πίστει, τουτέστιν ξένον εἶναι γινώσκων τὸ πρᾶγμα. Hinc Bonæ fidei poſſeſſor: cui contrarius malæ fidei poſſeſſor. Porrò & Bona fide poſſeſſorem, vt & bonæ fidei dicunt Iuriſcoſs. l. qua ratione. §. ſed non vti. D. de acqui. re. do. & alibi ſæpiſſimè. Sed &,

Bona fide emptorem dixit Vlpianus, l. ſed & ſi. D. de publicia. in rem act. Vnde & Bonæ fidei emptorem, apud Modeſtinum, l. bonæ fidei.109. D. de verb. ſignif. qui ignorauit eam rem alienam eſſe, aut putauit eum qui vendidit, ius vendendi habere: puta procuratorem, aut tutorem eſſe. Ergo malæ fidei emptor, qui ſcit rem alienam eſſe, aut eum qui vendit, ius vendendi non habere: & vt breue id faciam, quiſquis contra legum interdicta mercatur.

Bona quoque fide dominus reperitur apud eundem, l. igitur.112. in fi. D. de lib. cauſ.

Bona fides etiam dicitur, cum promiſſum præſtatur, quod ex Suetonio in Aug. liquet, Eidem, inquit, populo promiſſum quidem congiarium repoſcenti, bonæ fidei eſſe reſpondit: & Vlpiano noſtro l. ex empto. in prin. D. de actio. empt. ex Iauoleno, l. cùm venderem. D. loca. & aliis Iuriſcoſs.

Bona fides, ſimplex & ſyncera conſcientia, ſic accipi debet in l.2. D. de ſeparat. & in l. bona fides. D. de diuerſ. regul. iur. antiq.

Bona fides: æquum & bonum, ſiue, (ſi malis) æquitatem ſignificat, Græcis, ἐπιείκεια, l. ſi domum. §.j. D. loca. & alibi ſæpiſſimè. Hinc,

Bonæ fidei contractus, & iudicia, l. in bonæ.16. D. de pecul. Paul. lib.2. Sentent. tit.17. l.j. §.j. D. de actio. empt. & alibi ſæpe. Et,

Bonæ fidei actiones, quas recenſet Iuſtin. §. actionum. Inſt. de actio. quas ideò ita appellari conſtat, quia in bonum & æquum conceptæ ſunt, l.2. & l. ſi quis.5. D. de obligat. & actio. In his etiam libera poteſtas permittitur iudici ex æquo & bono æſtimandi, quantum actori reſtitui debeat. §. in bonæ fidei. Inſtit. de actio. Hæc poteſtas deſcendit ex formula Prętoris, EX FIDE BONA, vel, QVANTVM ÆQVIVS, MELIVS. apud Cice. lib.3. Offic. & alibi. Hac ratione fidei bonæ actionem temperandam dixit Vlpianus, l. non debet.11. D. de dol. mal. Sic accipi debet apud Paulum l. quæro. in fin. princ. D. loc. & alibi ſæpe.

Bona fides contraria eſt fraudi, & dolo, ita Paul. l.3. in fin. D. pro ſocio, & malæ fidei in Gordiani conſtitutione, l.j. C. de reſcind. vendit. Hoc ſenſu bona fides in omnibus contractibus exigitur, l. bonam fidem. C. de oblig. & act.

Bonam fidem agnoſcere, apud Vlpianum, l. quoties, 9. §. ſicut.

ſicut.in ſi.D.de adminiſt.tut.eſt ſincerè,& ex animi integritate negocia tractare.

Bonam fidem præſtare in l.Proculus.18.D.de neg.geſt.eſt ſine dolo,& fraude verſari.

BONA GRATIA diſſolui matrimonium, formula iuris antiqui,cum alter ab altero non propter vllam culpam animorúmve offenſionem, ſed vel ſua ſponte, vel legitima aliqua de cauſa diſcedebat, vt Vlp.verba oſtendunt,l.cum hic.32.§.ſi diuortium.D.de don.int. vir.& vxo.l.ſed ſi.14.D.qui & à quibus.& Nou.Iuſt. Imp.2.§.τὸ μὲν οὖν. Huius ſolutionis cauſſas recenſet Hermog.l.vitricus.D.de don.int.vir.& vxor.Gaius,l. vel ſenectutem.D.eod.& Iuſt.Nou.22.§.διαλύσι).

BONVM pro commodo accipitur,ſiue pro gratia. Hinc illud Caſſiani.Iuriſcoſ. CVI BONO: quod Priſcianus interpretatur,cuius gràtia, cuius commodo. Caſſij ſententiam refert M.Cicero pro Milone,& 2.Phil. in M.Ant.

quod Bonum,pro quæ vtilitas eſt, locutio Iuriſcoſs.familiaris,Paulo l.aliquando.D.ad S.C.Velleian. Vlpiano, l.ſi poſt.10.§.liberi.D.de bon.poſſeſ.contr.tabul.

BONVM & ÆQVVM Budæo,l.j.D.de iuſtit.& iure,eſt legitimi iuris emendatio: quod ibi latiſſimè declarat. Porrò in libris iuris Ciuilis cōiungi ſolent,l.j.& l.pen. D.eo.l.qui ſeruum.D.de oblig.& act.& alibi ſæpe.

Bonum,ac æquum impetrare, Budæo eſt ius ſuum obtinere,rémque ſuam conſequi.

Boni, & æqui ars eſt collectio politicorum præceptorum, ad diiudicandas incidentium negociorum circumſtantias, vt iuſtum in his ab iniuſto rectè diſcernatur,l.j.in prin.D.de iuſt.& iure. Horum autem præceptorum capita ſunt hæc, Honeſtè viuere, alterum non lædere,ius ſuum cuique tribuere, Vlpiano l.inſtitui.§.j.D.eo.tit.

Bonum & æquum non magis ſeparari poſſunt,quàm honeſtum & vtile,d.l.j.§.j. Neque diuerſum probatur in l.hac lege decernimus. C.de pact.conuent.tam ſuper dote.bonū ibi accipitur pro æquo, vt conſtat ex verbo æquitatis ibidem poſito.

Boni æqui notitia iuriſconſultum ſignificat verùm & vtilem,l.j.in prin.de iuſt.& iure.D.

Bonū, pro æquitate poſuit Salluſtius in Catilina, his verbis.Ius bonúmque apud eos non legibus magis, quàm natura valebat.

BONVM NOMEN facere apud Paulum,l.inter.26.§.abeſſe.D.manda.eſt idoneum & ſoluendo reputare eum quem delegatum admiſit.Bonum nomen à quo facile exigi poteſt:& apud Collumel.lib.3.c.7.Bona nomina non appellando fieri mala.

BONI CONSVLERE apud Vlpianum,l.3.C.de decurio.eſt,Budæo interprete,bonum iudicare. Boni conſulere debeat humanitatis ſententiæ, nec decurionatum recipiat.

BONI DVCERE,eodē ſenſu dixit Tertullianus li.5.aduerſus Marcianū,vt rectè interpretatur Beatus Rhenanus:pro quo in Græcis eſſe refert, εὐδόκησεν ὁ θεός.

Bonum factum, veteres boni ominis cauſa præfari ſolebant in edictis.Tertullianus,O edictum, cui aſcribi non poterit bonum factum.Plaut.Pœnulo:Bonum factum eſt,edicta vt ſeruetis mea.

Bonis cedere,eſt facultates ſuas creditoribus inſtantibus poſſidendas,diſtrahendáſve dimittere,& deſerere, vt ex Summa Azonis collegi,C.qui bonis ced.poſſ.

Bonis qui,& vbi cedendum docet Marcianus.l.fin.D.eo. Bonis cedi non tantùm in iure,ſed & extra ius poteſt. Sufficit & per nūcium,vel per epiſtolam id declarari.

Bonis hoc modo per Prætorem interdici ſolitum fuiſſe ſcribit Paulus li.3.Sent.tit.4.Quando tua bona, paterna,auitáque tua nequitia diſperdis, liberoſque tuos ad egeſtatem perducis,ob eam rem ea re, cōmercióq; interdico.Eſt autem bonis interdicere, prohibere ne bona adminiſtret,aut quoquo modo alienet.

BONARIOS ficto verbo appellat Theop.Inſti.de libertinis.§.libertinorum.naturali iure dominos, item vt eius contrarium,Quiritarios,ſcilicet quibus iure quiritium dominium competit. Cauſam autem harum appellationum vide apud Vlp.in Inſtit.

BONITAS apud Pomponium,l.cum quid. D.ſi certum pet.ſignificat Alcia.ibidem qualitatem quandam, quæ rem non mutat: vnde à ſubſtantia eam parum differre ait.Sunt qui pro valore ibidem accipiendā putent. Accurſius qualitatem ſaporis interpretatur, ibidem. Cuius ſententia vera eſt.

Bonitatis genera duo conſtituit Bartolus in d.l.cum quid. quædam,ait,eſt intrinſeca,vt quòd vinum ſit talis ſaporis,& coloris:quædam eſt extrinſeca,vt quòd tanti valeat:Valor,inquit venit extrinſecus.

BORBORIANI, ſiue,vt aliis placet, Borboritæ in l.Arriani.& l.cognouimus,& l.pen.C.de hære.ſunt hæretici,qui (vt ait Philaſtrius in catalogo hæreticorum) vitiis implicati ſeculi,& malis cōcupiſcentiis ſeruientes,iudicium non ſperarunt futurum, ſed potius carnalem ſeculi concupiſcentiam fundarunt.

BOSTRA in Leonis conſtitut.l.4. C.de natur.lib. (ſic enim ibidem Boſtræ,nō noſtræ,legendū) ciuitas Arabiæ,Marcellino lib.14.& de ea vide Strabonem li.16.

BOTONTINI ſunt, Fauſto & Valerio auctoribus, in lib.de limitib.monticelli de terra, quorum etiam meminit Hygenus lib.de limit.conſt.

BOTRVS, Græca vox.Nam & Græcis βότρυς dicitur, ſignificátque vuam, racemum: quo ſenſu accipitur in can.cum omne.§.illud verò.de cōſecrat. diſt.2.Botrus expreſſus ſignificat vuarū grana,d.§.illud verò.eo.tit.

BOVES magis armentorum, quàm iumentorum genere appellantur.Pompo.l.boues.88. D.de verb.ſignific. quod & Vlpianus probat l.Ædiles. 38.§.iumentorum. D.de ædilit.edicto.

Boues aratorij,quibus vtimur ad agrorum culturam.Hos mactari & immolari vetuit Solon, vt docui lib.2.veter. Iuriſp.ad ll.Solon. alioqui capitale erat. Qua etiam ratione Attica lege mactari boues ararorios non potuiſſe Ælian. refert variæ hiſt.lib.5.his verbis: Βοῦν ἀρότην, καὶ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ, ἢ καὶ σὺν τῇ ἁμάξῃ, μηδὲ τοῦτον θύειν, ὅτι καὶ οὗτος εἴη ἂν γεωργὸς, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. Et Plin.lib.8. cap.45.Iudicio pop.Rom.in exilium actum eum, qui bouem aratorium occiderat & ex Varrone, ſocium laboris & agriculturæ occidi,dum bos occideretur.Hos pignori capi vetuit Conſtantinus,l.executores.C.quæ res pig. oblig.poſſ.Sanxit & Conſtantinus, ne boues aratorij etiam deficientibus iis, qui curſui publico deſtinati ſunt ab iis qui iter faciunt,abſtrahantur,l.j. C.Theod. de curſu publico:quod & ad vecturam bellicorū impedimentorum,& tormentorum æneorum produci poteſt.Boues aratorios inſtrumenta fundi eſſe F.Aretinus reſpondit conſi.158.incip.longa eſt.num.18.

Boues crebroſi, dicuntur contumaces, vt homines à peruerſo cerebro, qui à nemine perſuaderi poſſunt, Colum.lib.2.

Bos cornupetens,vitioſus,l.bouem.D.de ædilit.edicto.

Βουλή,Polluce lib.8.Onomaſt.auctore, locus vbi congregantur conſiliarij.Porrò vſu peritorum effectum fuit, vt pro Senatu acciperetur:ídque Antonius lib.ſing.ad Modeſtinum adnotauit. Hinc,

Βουλευταὶ apud Modeſtinum, l.καὶ οἱ μή.22.D.de tuto.& curat.dat.ab.ſunt decuriones, Anto.Aug.ibidem interprete:cuius verſionem probant I.Cuiacius ad l.j.D.de excu.& G.Bud.ad l.ſolent.D.de offi.Procoſ.& leg.

Βοώτης bubulcus, vide Gellium de hac dictione differentem lib.2.c.21.

Βραβεῖον

BR

Βραβεῖον, brabiũ (ſic enim dici ſcribique debere Eraſmus adnotauit) victoriæ præmiũ. Brabium, coronã æternitatis appellat Tertullianus in lib. ad Martyres. Hinc.

Βραβευταὶ, apud Vlpia. l. 4. D. de his qui not. infam. Deſignatores autem quos Græci βραβευτὰς appellant, artem ludicram non facere Celſus probat, quia miniſterium, non artem ludicram exerceant: & ſanè locus iſte à principe non pro modico beneficio datur. Iul. Pollux: Τοῖς μὲν μουσικοῖς κριταὶ καθίζονται τοῖς δὲ γυμνικοῖς ἐφεστᾶσι βραβευταὶ, καὶ μαστιγονόμοι, καὶ ῥαβδοῦχοι. Dicuntur autem βραβευταὶ, quod victoribus βραβεῖον, id eſt præmium conſtituant & deſignent. Vnde Moſchopulus in catalago vocabul. Ατ. οἱ βραβεῖς καὶ βραβευταὶ, οἱ διοικηταὶ τοῦ ἀγῶνος, οἱ τὰ ἆθλα διδόντες, ἀφ' βραβεῖον τὸ ἆθλον. Quin & Gallicam vocem *braue*, hinc deductam labor vt exiſtimem: ſolent enim qui præmium aliquod reportant inſoleſcere.

BRACARII in l. vnica de excuſ. artif. lib. 10. C. artificum genus, in Baſilicis βρακάριοι dicuntur. Accurſius dictos putat à longis brachis Teutonicorum, vel Turculariorum: quæ interpretatio non congruit, vt ex ſerie conſtitutionis liquet.

BRANCA lupi in termino, ſiue petra naturali arborem peregrinam ſignificare ait Latinus V. P. Togatus. Eſt autem branca pars ima pedis abſciſſi, vt ex eodẽ Latino conſtat.

BRANCA VRSI, eodem auctore, in termino, ſiue petra naturali, lucrum ſignificat.

BRACTEARII in d. l. vni. C. de exc. arti. lib. 10. qui Græcis πεταλουργοὶ dicuntur, (πέταλον enim bractea eſt, ſeu folium) qui aurum malleis tuſum, & ad quamuis tenuitatem ductile rebus inaurandis inducunt: idque Budæus in priorib. in Pand. adnotat. Iulius Firmicus eos bracteatores lib. 8. c. 19. appellat.

Βρεντήσιον, Brentiſium, pro Brunduſio poni apud Scæuolam. l. qui Romæ. §. Callimachus. D. de verb. ſign. Alcia. & I. Cuiacius aiunt. Porrò Brunduſium, Stephano, vrbs Calabriæ ad mare Adriaticum ſita. Brunduſium quidam Poëtæ breuitatis cauſſa Brendam dixerunt, Feſto lib. 2.

Βρεφοτροφεῖον in l. illud. 16. & l. ſancimus. 18. C. de ſac. ſanct. eccleſ. locus, domúſve vbi infantes, recentéſque partus expoſiti, aut egentibus parentibus nati alebantur. Βρέφος enim infantem, fœtúmque recens editum ſignificat, παρὰ τὸ φέρβω τὸ τρέφω κατὰ μετάθεσιν.

BREVE, Feſto lib. 2. à Græco deſcendit quod eſt βραχύ.

BREVE tempus in l. cum antiquitas. verſ. ſi tamen. C. de teſta. horam, vel etiam minus, accipere debemus, pro rei neceſſitate. Aliquando triginta dies ſonat. in l. in contractibus. §. j. iuncto. §. 2. C. de non nu. pecu. & ibi hoc adnotat Accurſius. Quandoque ponitur pro paucis diebus. c. cum Bertholdus. de ſen. & re iud. Interdũ accipitur pro anno, gl. in c. prætereà. extra de æta. & qualit. Breue tempus etiam pro vita hominis accipitur, gl. in d. c. quid ergo. 11. q. 3. Nam & homo breui tempore viuit.

BREVIS, Breues, & Breuia, paſſim in iure noſtro reperias, quæ ita definiuntur à Zonara in cõcilio Carthaginenſi, Βρέβιοι, ἡ ἐπιτομὴ λέγεται, καὶ σύντομος γραφὴ, id eſt compendiaria ſcriptura. Ananias. Alex. 6. βρέβια ταῦτα ἡ συνήθεια ἔδοξε καλεῖν ἐν οἷς ἀναγράφεται τὰ ἐν ἑκάστῳ τεμένει κειμήλια. Eo ſenſu accipiuntur in l. inter. 5. C. de conuen. fiſco debit. lib. 10. & l. excellentia. C. de erog. mil. ann. Budæus ad tit. de offic. præfect. prætorio, interpretari commentariolos ſummam rerum continentes, & à Gallis adpellari *Borderelles*, annotat. Breuium meminit Conſtantinus Imp. l. j. C. de exact. trib. lib. 10. Lampridius in Alex. Notarium in falſum cauſæ breuẽ in conſilio Imperatorum retuliſſet, &c.

Breues, quadrimeſtria in l. j. C. de apoch. publ. lib. 10. & l. pen. C. de cano. larg. tit. eo. lib. qui de ſingulis penſionibus à Chartulariis conficiebantur. Caſſiodorus Epiſto. lib. 12. Expenſarum fidelem notitiam quaternis menſibus comprehenſam ad ſcrinia noſtra dirigere maturabis, vt totius erroris caligine deterſa, rationibus publicis veritas eluceſcat.

Breui manu, vide, Manu longa.

Breues cauſæ Baldo in auth. niſi breues. C. de ſent. ex breuic. recit. dicuntur, quæ inter homines paruæ conditionis agitari ſolent.

Breuis, numero vnius dixit vetus interpres in Nouella de nupt. §. ſecundum occaſionem. pro libello, vt rectè interpretatur Aldricus ibidem apud Accurſ. pro quo in Nouella Græca eſt βραχέα.

Breue TESTATVM, quod Latini modò teſtationem, modò teſtificationem appellant, lib. Feud. 2. tit. 32. Etiã ſi probari poſſit per breue teſtatum. Et lib. j. tit. 2. Niſi per patres curtis vel breue teſtatum probare poterit. Cicero Verr. 7. Iſte in tabellas refert, obſignat ſignis amicorum prouidens homo, vt contra hoc crimẽ hac teſtificatione vteretur.

Breuiſſimi loculi, repoſitoria in quibus monilia magnũ patrimonium æquantia ſeruãtur, annotauit Rhenan. in lib. Tertul. de habitu muliebri.

BREVIARIVM, opus conciſum, Græcè fœminino genere ἐπιτομή: tum etiam libellũ eum non ineleganter accipimus, quem ærarij Principis ſtatum generalem appellant, quo Princeps ſtatuit, quam ſummam miniſterio omni aulico expenſam ferri placeat.

BREVIARIÆ rationes apud Scæuolam. l. vlt. D. de pecul. lega. dicuntur in epitomen & compendium contractæ. Vlpia. in l. 3. §. 6. D. de pen. leg. logarium videtur hoc appellare. Suetonius in Galba. cap. 12. breuiarium rationum dixit.

BREVIATORES in Nouel. 105. περὶ τῶν ὑπάτων. §. τοὺς μέντοι. dicũtur breuium ſcriptores. Aldricus apud Accurſium ibidem interpretatur rectè qui breuiatores ſcribunt. Breuiatores etiã ſunt officiales in curia Romana, qui reſcripta eiuſdem curiæ & ſcribunt, & dictant.

Breuiloqua ſubſtitutio, vide Subſtitutio Breuiloqua.

BREVICVLVM, paruum breue ſignificat, & hoc verbo vſi ſunt recentiores auctores, & Sex. Rufus, & alij. Iſidor. lib. j. etymol. In breuiculis, inquit, militum nomina ſcribebantur. Inde quidam viri docti, vt Budæus ad l. fi. D. de Senator. & Contius ad tit. 44. C. lib. 7. legendum cẽſent eo loco, pro periculo, breuiculo, Breuiculum accipientes pro eo quod Gallicè dicimus, *diction, ou breuet*, Alciatus tamen lib. j. Diſpũct. c. 21. vulg. retinet lectionem. Vide Periculum.

BROCARDICA materia dicitur, quæ eſt contrariarũ opinionum rationibus inuoluta, vnde Alciat. l. quidquid. D. de verb. oblig.

BRVCHVS βροῦχος genus vermis è locuſtarum genere, herbas, & arborum frondes erodens. Huius meminit Hieronymus in Malach. c. 3. & c. reuertimini. 16. q. j.

BRVTIANI dicebantur Brutij, atque hi coacti fuerunt ſeruilia exhibere, quod primi bello ſecundo Punico poſt cladem Cannenſem ad Hannibalem defeciſſent. Feſt. lib. 2. Gell. lib. 10. c. 3. Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 2. c. 17. vbi tamen Brutiarios eos vocat.

BRVTVM dicitur non ſentiens, & quod longiſſimè à ſenſu abſit. Hinc apud Lucretium, obbruteſcere, An contracta ſuis è partibus obbruteſcat; id eſt ſenſum amittat & vitam, & intereat. Brutum hoc ſenſu paſſim in iure Ciuili & pontificio reperitur. Brutum, obtuſum & hebetem ſignificat Marcello. Brutum etiam grauem antiqui dixere, Feſto lib. 2.

g

BV

Bv, βοῦ quamuis per ſe nihil ſignificat, magnis tamen & amplis rebus præponi ſolet, Feſto lib.2.

Bvbalina pro Babylonica, falſò ab Oldendorpio & Spiege.legitur in l. argumento ſunt.25.D. de aur. & arg.leg. Babylonica in Pand. Florent. legitur: quam lectionem confirmat ibidem Bayfius. Babylonicarum pellium meminit Marcianus l.fi.§.ſpecies.D.de publicanis, & vectigalib.

Bvbinari, Feſto lib.2. eſt menſtruo mulierum inquinari, ex Lucilio.

Bvbevm, ſiue Bubleum, Feſto eo. libr. vini quoddam genus eſt.

Bvbvlcvs, Varroni libr.4.ling.Lat. eſt quaſi temo inter boues. Bubulcum accipi poſſe rectè ſcribit Paulus. l.cũ de lanionis.18.§.de bubulco.D.de inſtru. inſtr.lega. pro eo qui bobus arat, & qui boues aratores paſcit.

Bvccellarii in conſtitutione Leonis & Anthemij Impp.l.fi.C.ad leg.Iul.de vi.pub. ſunt (inquit Tur.Adu. lib.24.c.16. citans Mauricium quendam Græcum auctorem) equites armati zabis, (id eſt armatura loricarum propè talarium) & contati quidam & ſagittarij. In magno autẽ honore hos fuiſſe ex eo apparet, quod in agmine ante Imperatorem exercitus equitabant, & poſt ſequebantur. Hinc Mauricius, χρὴ περιπατοιῶντος τοῦ στρατοῦ ἡγεῖσθαι τὸν τοῦ παντὸς στρατηγὸν, προπορευόμενον αὐτοῦ τιμῆς ἕνεκα τῆς ἐπιτιμίων, καὶ ἰδικῶν αὐτοῦ ἀνθρώπων μετὰ τῆς ἀδιστράτων καὶ βουκελλαρικῶν βάνδων· ὄπισθεν δὲ αὐτοῦ δὴ τοὺς ἀνθρώπους, καὶ μετὰ αὐτοὺς τοὺς βουκελλαρίους. Erant autem, vt opinatur idem, equites illi Gallogræci. Nam à Suida ſcribitur, βουκελλάριοι οἱ ἐλλωγαλάται ὀνομάζονται, καὶ ἡ τῆς βουκελλαρίων χώρα, γαλλογραικία. Sunt & Alciato lib. 2. Diſpunctorum.c.2. equites in exercitu Romano, quibus magiſter militum per Orientem præerat: aliíque iuniores, alij ſeniores erant. Atque etiam ſcribit, his militibus, poſtquàm miſſionem accepiſſent, latrocinari, & rapto viuere licuiſſe. Sed fortaſſe gẽtis vitium hoc fuit. Vnde eos latrones interpretatur Albericus.

Bvccellas dixit Tertullianus Iuriſcoſſ.li.de monogamia, pro panibus quos miniſtri eccleſiæ mulieribus dabant domum perferendos. Hinc

Bvccellatvm, genus panis bis cocti in l.j. C. de erog. milit.ann.lib.12. Ammianus Marcellinus lib.18. frumẽtum ad vſus diuturnitatem excoctum ita appellari ſcribit, quo milites paſci in caſtris ſolebant. Spartianus in Peſcennino: Idem piſtores ſequi expeditionem prohibuit, buccellato iubens milites, & omnes cõtentos eſſe. Paulinus, & Theraſ. in Epiſtol. Auguſt.36. De buccellato Chriſtianæ expeditionis, in cuius procinctu quotidiè ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi miſimus. Vnde non ineptè Buccellatum, expeditionalem annonam interpretatur. A Græcis δίπυρος, καὶ ξηρὸς ἄρτος, & παξαμάδιον dicitur.

Bvccinam, Feſto lib.2, quam nos appellamus, Græci buchianon (al. ἰκανιστήριον) à ſimilitudine ſoni dicũt: eſt cornu recuruum, quod more tubæ inflatur. Ouidius:

caua buccina ſumitur illi
Tortilis in latum. Hinc

Bvccinator apud Tarruntenum Paternum. l. fin. D.de iur.immuni. qui buccina canit in exercitu, aut præconiis publicis, aut cùm in militem animaduertitur, vt ex Vegetio lib.2.c.22. liquet.

Bvccinvm, conchæ genus, purpuris cõficiendis idoneum. l. ſi cui.§.fi.D.de leg.3. pro quo in Pandect. Florent. eſt Fucinum.

Bvcvlæ, quarum ſtructores Paternus vacationẽ munerũ habere ſcribit in l.vlt.D.de iur.imm. ſunt (inquit Hotom.) inſtrumentum illud, cuius meminit Vitruuius lib.10.c.15. in quo ſucula inditur, catapultis exercẽdis parata. At Tur.Adu.lib.9.c.16. Buccularios legit, atque eos eſſe interpretatur, qui galeas faciunt, ex ea galearum parte quæ buccula dicitur, impoſito nomine. Opinionum harum quænam habenda ſit potior, vide apud Hotom.in Com.verb.iuris.

Bvfo, rana terreſtris venenata, Virgil.j.Georgic.

Inuentúſque cauis bufo, & quæ plurima terræ
Monſtra ferunt, &c.

Bufones in c.vnico, de vita & & honeſt.cler. interpretatur Ioannes Andreas hiſtriones, vulgaréque Tuſcorum eſſe ait.

Bvlevta, bvle, vide ſuprà βουλὴ.

Bvlgæ, dicuntur apud Gallos ſacculi ſcortei, auctore Feſto.

Bvlgarvs Iuriſcos. in Italia floruit circiter annum. M.CXC. Is gloſſemata in Ius Ciuile ſcripſit. ex quibus Accurſius multa accepit, eum ſæpiſſimè citans.

Bvlla aurea, Feſto, inſigne erat puerorum prætextatorum, quæ dependebat eis à pectore, vt ſignificaret eam ætatem alterius conſilio regendam. Dicta autem à Græco ſermone βουλὴ, quod conſilium dicitur Latinè: vel qui eam corporis partem contingat, id eſt, pectus, in qua naturale manet conſilium. Hæc ille. Quod autẽ eſſet inſigne puerorum, Plutarchi teſtimonio in Romulo probatur, φορεῖν δὲ, inquit, καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν τὴν καλουμένην βοῦλλαν ἀπὸ τοῦ χρήματος. Bullæ aureæ commeminere alio ſenſu Pontifices clem.vnic.in fin.de iureiur.& c.præſentium.§.teſtes.de teſtibus lib.6.

Bvllare, apud Accurſium in l.ſi quis metallum. C.de pœn. eſt in fronte imprimere pœnæ genus: etſi vetitum.d.l.ſi quis in metallum, vſu tamen in Gallia receptiſſimum.

Bvprestis, ſiue, vt in Pand.Flo.eſt, Bubroſtis, corruptè tamen, apud Marcianum.l.3.§.alio Senatuſconſulto.D.ad legem Corne.de ſica. animal venenatum, rarum in Italia, ſcarabeo longipedi ſimillimum, bouem inter herbas fallit maximè. Nomen habet παρὰ τὸ πιμπρᾶσθαι τὰς βοῦς. Paulus Ægineta lib.5.ex Dioſcoride libr.2. Plinius libro 30.c.4.

Bvra Varroni quid ſit, ex eius verbis diſces, lib.4.Ling. Latin.

Bura, pars aratri poſterior, quæ manu bubulci tenetur, quaſi βοὸς οὐρὰ, quòd ad ſimilitudinem bubulæ caudæ ſit incuruata. Varr.lib.j.de re Ruſt. Et ſæpe fracta bura relinquunt vomeres in aruo.

Bvrdo apud Vlpianum.l.legato.49.in princ. D. de leg. 3. hinnulus eſt, id eſt animal ex quo & aſina genitum, Iſidoro lib.12.Etymol.& Laur.Val.lib.Eleg.4.

Bvrgi in l.2.§.in Sardinia.C. de offic.Præf. præto. Afr. & l.pen.C.de fund.rei pri.lib. 11. vulgo vocantur vt ait Paulus Diaconus in Valẽtiniano, crebra per limitẽ habitacula cõſtituta à quo Burgundiones dictos Paulus monachus, Luitprandus diaconus, Iſidorus epiſcopus tradiderant: de quibus diximus in voce clvsvæ. Vegetius lib.4. Caſtellum paruum burgum vocant. C. Luitprandus lib.3. de Reb. per Europam geſt. c.12. Et quoniã, ait, ipſi domorũ congregationem quæ muro non clauditur, Burgum vocant. C. Luitprandi interpretatione Gallorum vſus probauit, & retinuit. Domorum enim multitudinem appellant *Bourg*. Ducitur vt volunt quidam à Græca voce πύργος, π in β mutata. Nam & mutua eſt harum literarum enallage: quanquam hæc dictio pro vrbe nonnunquam ſumitur. Hinc Æſchini νόμιμα πύργινα, leges vrbanæ. Hinc

Bvrgarii, de quibus lib.7, C. Th. nondum typis excuſo, à burgis.

Bvrgravii, vide gravio.

Bvrgvndiones, quòd burgis eſſent expulſi, à Romanis appellati ſunt.

Bvr

Bvstvm in xii. Tab.Græcis τύμβον, monumentum & ſepulchrũ videtur interpretari Cicc.lib.2.de legibus. cui videtur cõſentire Feſtus Pompeius lib.2.Buſtum, ait,propriè dicitur locus,in quo mortuus eſt combuſtus,& ſepultus:dicitúrque buſtum quaſi bene vſtum. Vbi verò combuſtus quis tantùm modo,alibi verò eſt ſepultus,is locus ab vrendo Vſtrina vocatur:ſed modò buſtũ,eò quòd ſepelitur, ſepulchra vocamus. Hæc Feſtus.Verba legis xii. Tabul.hæc ſunt: HEROVM, BVSTVMVE NE VSVCAPITO. hanc ex Solonis legibus accepiſſe Decemuiros conſtat ex M. Cic. lib.2.de legibus.Lex Solonis hæc eſt, ΗΡΩΟΝ, Η ΤΥΜΒΟΝ ΜΗ ΧΡΗΣΕΙ ΛΑΜΒΑΝΕΙΝ. Vtramque legem explicui lib.2.& 4.Veteris Iuriſprudentiæ.Porrò autem Græcam vocem τύμβος vſu retinuere Galli. Nam & ſepulchri operculum Tumbam vocant:ſepulchrum ipſum,*Tombeau*. Eo ſenſu,quo apud M.Ciceronem.2.de legibus,ſumit Imp.Iulianus. l.pergit.5.C.de ſepul.viola. Quidam etiam leguntin l. 2.in fi.D.de in ius vocan.In Pandect. tamen Florentinis eſt iuſta,rectius.

BY

Byrrhvs,veſtis genus eſt, vt vult Pithæus lib.j. Aduerſ.c.16.aliquantum vilioris,& pilis hirſutæ, qualem etiam endromidem Martialis deſcribit. Matt.Capella lib.4.Veſtis vniuocum eſt.nam & byrrhus & tunica nomen veſtis habent.Sudas,Βίῤῥον,ἱμάτιον ῥωμαϊκόν.Perſij vetus interpres,lacernam byrrhum interpretatur, & adiicit,pallium eſſe fimbriatum,quo ſoli quòdam milites vtebantur.Hac dictione vtuntur Impp. in l. j. c.TH.de habit quo vti oport.int.vrb.li.14. vbi omnibus,præterquam militum ſeruis, byrrhis vti permittit,& cucullis:milites enim domini byrrhis paſſim vtebantur.Sedæ Vopiſcus in Carino,ſed corruptè,ibi birri pro beri. Burrhæ appellationem nos hodiéque aliqua ex parte videmur retinere.huiuſmodi enim veſtis genus,vocamus *Bureau*.

Byssvm lini genus eſſe apud Indos candidiſſimi, & molliſſimi,Iſido.lib.19.Etymo.c.27.& Iulius Pollux lib.7.c.17.ſcribunt. Alij tamen byſſum eſſe volunt linum tenue,rufum,colorémque auri imitans,& ſplendorem atque fulgorem.Reperitur & in pinna marina molliſſimæ lanuginis,tenuiſſimæque & delicatiſſimæ. Byſſum etiam legitur pro colore purpureo,& byſſinũ pro hyſginum. Heſychius, βυσσὸς χρῶμα ἀντὶ τῆς ὕσγης παραλαμβανόμενον.

Byſſinam veſtem Iudæis ſacerdotibus familiarem fuiſſe Ioſeph.lib.6. Belli Iudaici oſtendit. Huius meminit Apuleius lib.11.Aſini Aurei.

Byſſicum opus apud Marcia.l.fi.§.ſpecies.D. de publican. pro aliquo ex byſſo cõfecto,tametſi per υ(quod y nota eſt in Græcorum libris) ſcribatur.

C

C. Condemnationis nota erat, quæ in publicis iudiciis dabatur à prætore in tabella ſcripta, ídque Aſconius in 3. Verrin. ſignificat: ideóque rectè triſtem eam appellauit M. Cicero. pro Milone:Quod niſi vidiſſet poſſe abſolui eum qui fateretur, neque quæri vnquam iuſſiſſet,nec nobis tam ſalutarem hanc in iudicando literam,quam illam triſtem dediſſet.

C.litera nota erat prænominũ, vt Caij, quæ inuerſa mulierem declarat,vt ſcribit M.Fabius li.j.c.7. Atque hæc etiam apud Mætianum Voluſium in libello de aſſis diſtributione,erat nota ſicilici.Nonnunquam autem.C. ſcripta,G pronuntiatur,vt in Gneo videre licet.

C,in G,mutatur,Fabio teſte.lib.j.c.19.vt & docui in Conſuetud.Marchiæ tit.*des donations & dots*.§.301. Marchiani enim dicũt *logres*,quod vetus interpres Nouell. appellat lucra nuptialia.Nam C & G mutua eſt enallage, & O pro V,ſæpe veteres pronuntiaſſe cõſtat. C,in G, mutari ſignificauit Varro lib.4.in verbo, Gladius qui à clade ducitur.

C,pro Q,in antiquis libris ſcribi cœptum refert Petrus Victorius in primum Epiſt.ad Atticum: docétque earum literarum vſum ſæpe confundi:vnde ex ſterculino,ſterquilinium factum eſt: veterem tamen orthographiam Pand.Florentinæ retinuerunt in l.ſi quando.17.§.fin.D.ſi ſeruit.vindic.& l.fundi.§. fundo. D. de acti.empt.quo ſcribendi genere vſos fuiſſe M.Catonem & Terentium Petr.Victorius admonuit.

CCCIƆƆƆ ∞ centum milium notam eſſe idem docet.

Caballos pro equis dixit Pomponius. l.ſi ita.15.D.de inſtrumen.inſtru.que leg.quo etiam ſenſu vſus eſt & Lucillius lib.2.apud N.Marcellum.

Succuſſatori tetri,tardique caballi.

Caballarii,Iulio Firmico auctore, dicuntur, qui ſub equi cæleſtis ſidere naſcuntur.

Cabvs, frumentaria menſura. Hinc Cabæſi dicuntur,qui expleri nequeunt.

Cacabvs, vas in quo pulmentarium coquitur,vt Paulus definit.l. cum de lanionis.§. aſinam. D.de inſtru. inſtr.que lega.quo etiam ſignificatu vſus eſt collega eiuſdem Vlpianus.l.cum aurum.19.§. ſi cui eſcarium. D.de aur.argentóque leg. Varro lib. 4. Ling. dicit cacabum vas fuiſſe in quo cibus coquebatur, quem à cibo ductum ait.Pauli definitio,vt ſpecialior, ita verior ſemper mihi viſa fuit. Κάκαβον inter vaſa coquinaria connumerat I.Pollux lib.10.c.24.Onomaſticωn.

Κακία,in l.2.D.qui pet.tut.vitium, non malitiam, ſignificat,vt ſcribit Cicero lib.3.de finibus,& 4. Tuſculanar. quæſt.

Cacvla, Feſto libr.3.ſeruus militis, ἀπὸ τῶν κάλων dictus, quòd fuſtibus clauíſque ligneis ad tutelam dominorũ armari ſolitus eſſet.Plautus: Video caculam militarẽ me futurum. Hinc

Caculatvm, id eſt, ſeruitium.

Κακοήθεια apud Paulum.l.& quantum.D. de ædil.edict. vitium eſt,malignitatem, & malam conſuetudinem ſignificans.vlcera mammarum Dioſcoridi lib.3.c.16.& ad animum transferri poteſt.

Cado verbum,variè μεταφορικῶς accipitur.

Cadere pro republica,hoc eſt,occidi, mori. §. filij autem. Inſt.de excuſ.tuto.Hinc Cadauer.Nam à cadendo ductum rectè putat Tertullianus libr.de reſurre. carnis. De cadaueribus extat titulus lib.48.Digeſtor.D.de cadaueribus punitorum,quæ ab Vlpiano, Marciano & Paulo Iuriſcoſſ.appellantur corpora D. eod.l.j.2.&3. Ergo Cadere dicimus corpus in terram per mortem, vt ſcribit Tertullianus lib.5.aduerſus Marcionem.

Cadere commodè,pro contingere,euenire.

Cadere in commiſſum apud Marcianum.l.fi.in princ. D. de publican.dicitur cuius dominiũ fiſco acquiritur ob crimen.l.commiſſa.D. eo.Porrò quando de crimine accipere debeas,diſces ex dict.l.fi.& l.cotem.D.eod.

Cadere cavssa, antiquis dicebatur pro eo quod nunc dicimus,cauſſam,litémve perdere, apud Papinianum.l.Stichum.96.§.pen.D.de ſolut.& l.Titio centum.§.fi.D.de cond.& demonſt.& Paulum.l.in fraudẽ. 45.§.neque inſtrumenta.D. de iur.fiſc. Ita explicat Iuſtinianus Impe.in §.ſi quis agens.Inſt. de actionib. Siquis agẽs intẽtione ſua plus cõplexus fuerit, quàm ad eũ pertineat,cauſſa cadebat:id eſt rẽ amittebat.Porrò modos quibus cauſſa cadimus, recẽſet & declarat idẽ Imperator.d.§.ſi quis.verſi.plus autem.hos ſcilicet,res tẽpus,locus,cauſa:Et Paulus li.j.Sẽten.recep.tit.10.vbi

pro re,ſummã, pro cauſſa qualitatẽ dixit. Vide Cauſſa cadere.Sic eodem ſenſu,diuerſo tamen modo.

Cadere formula,dixere veteres:quod eueniebat, cũ quis non vt oportuerat,actionem inſtituiſſet. In omnibus ferè cauſis,(ait Fabius)in quibus cecidiſſe quis formula dicitur,hæ ſunt quæſtiones,an huic,an cum hoc, an hac lege,an apud hunc,an hoc tempore agere liceat. Porrò tametſi iuris formulas amputari iuſſerit Conſtantinus Imperator.l. vnic.C. de formul. & impetr. ſubl.quotidianus tamen forenſis vſus in exceptionibus reuocaſſe videtur,non formulas quidem, ſed hæc excipiendi genera,an huic,aut apud hunc: & dicũtur, *Fines non recipiendi à practicis.* Cadere autem formula in ſtricti tantum iudicij actionibus videtur vſurpari ſolitum:Cauſſa cadere, in omnibus. Sueton.in Claudio: Nec ſemper præſcripta legum ſecutus, duritiam lenitatémque multarum ex bono & æquo moderatus eſt: nam & iis qui apud priuatos iudices formula excidiſſent,reſtituit actiones.

Cadat verbum in legibus,conſtitutionibus, edictis, ſententiis intelligitur non ipſo iure.ita rectè explicat Accurſius in l.2.§.quòd ſi actor.C.de iureiuran.pro.calũ.dan |quod probat Nouell.124.§. εἰ δὲ ἀπεῖναι, κατὰ ψῆφον αὐτοῦ ὁ μὲν ἐνάγων τὴν ἔκπτωσιν τῆς ἀγωγῆς. ὁ δὲ ἐναγόμενος καταδίκην ὑπομένῃ. Accurſij etiam ſententiam probat Bernardus c.fi.§.pœna.extra.de iuram.cal.Vide tamen Felinum in c.ex tenore.extra de reſcript.

Cadere in ſuſpicionem,in deliberationem, pro incidere, venire.Cicer.

Cadere animos,vultus,verba:pro frãgi,perire,debilitari.

Cadere in poteſtatem,pro redigi, vt Inſt. quib. mod. ius patr.poteſt.ſoluit.§.j.

Cadere in caſum,in Conſtantini Imp.cõſtitutione.l.pen. C.de delatorib.lib.10.dicuntur bona alicuius ob delictum,quando quis ſine hærede deceſſit.

Cadens de cælo aqua, pluuia appellatur, Vlpiano. l.j. §.j. D.de aq.& aq.plu.

Καδίσκος,ſiue καδδίσκος,ſuffragiorum vrna,ſeu amphora. Fuerunt autem duo apud veteres cadiſci, in quos calculos mittebant iudices:alterum θανάτου, ſiue καταδικαζομένων:& hunc appellabant κύριον, in quem condẽnationis,alterum ἄκυρον, in quem abſolutionis calculos proiiciebant.Hæc καδίσκος ἐλέου, id eſt, miſericordiæ, vocabantur, in quem αἱ σώζουσαι mittebantur: altera θανάτου, hoc eſt, mortis erat, priore loco ſita. Vide I. Polluc.lib.8.Onomaſtic.περὶ σκευῶν δίκας.& Bud.in cõment.ling.Græcæ.

C**ADVCA** bona,quæ ex aliqua cauſſa in fiſcum cadunt.l. proximè.3.D.de iis quæ in teſta.del.l.cum fiſco.9.D.ad S.C.Silan.l.30.C.Th.de pet.& vlt.dat. Vnde in lexico Latino Græco,quod extat in æde Beati Germani ad Pariſios,Caducum definitur,τὸ χωρούν εἰς τὸν φίσκον. Vide ſuprà,Bona caduca.

Caducum legatum erat,relictum ſub conditione:qua deficiente,vel viuo,vel mortuo teſtatore,cadebat,& redibat vel ad teſtatorem viuum,vel ad ſubſtitutum aut coniunctum eo mortuo.Vnde titulus eſt in C.Iuſt.de tol.caducis.

Caduca auſpicia,Feſto lib.3.dicebãt veteres,cùm aliquid in templo excidit,veluti virga è manu.

Caduca hæreditas,eadem ratione dicitur, qua caducum legatum,quòd ad fiſcum veterum tempore deferebatur,quod tamen à Iuſtiniano correctum, apud eos à quibus derelicta erat manebat,niſi vel ſubſtitutus,vel coniunctus eos ante ceſſiſſet.Vide,Bona caduca.

Caduca aqua I.Frontino lib. 2. de aquæduct. quæ vel ex lacu abundat,aut ex caſtellis effluit,aut ex manationibus fiſtularum.

Caduca glans,vide Bona caduca.

Caduca oliua,quæ ex arbore cecidit, apud Columellam lib.12.c.49.

C**ADVCARIA** lex apud Vlpia.tit.28.Epitom.vide infra,Lex caducaria.

C**ADVCEOS** Græci Cerycia dicunt,apud Marcia.l.ſanctum.8.D.de rer.diuiſ.Eſt autem κηρύκειον, vt Pollux auctor eſt lib.8.περὶ πρεσβέων,φόρημα τῶν πρεσβέων. Porrò Caduceum ſignum pacis erat,Gellio lib.10.c. 27. Vide Sudam in verb.κηρύκειον.

C**ADVCEATORES**, Feſt.lib.3. dicuntur legati pacem petentes,à caduceo quem manu geſtabant: vtuntur hodie ſpintere,quæ armilla dicitur, vt ait Budæus. l. ſanctum.D.de re.diui.

C**ADVS** apud Vlpianum.l.ſed ſi.15.§.proprietatis. D.de vſufru.& Proculũ.l.pen.D.de vino, tritic. vas vinariũ Polluci lib.10.c.20.vrnas tres capit.Palæmon apud A. Auguſt.lib.2.Emend.c.11.amphoram Atticam appellari ſcribit.Alciat.lib.4.Diſpunc.c. 21.dicit cadũ congiorum decem capacem,ex Dioſcoride lib.5.

C**ÆCVM** definire videtur Vlpianus.l.j.§.ſecundo loco. verſ.caſum.D.de poſtul.vtriſque luminibus orbatum. Cæcum etiam pro improuido veteres dixiſſe Nonius ait.Cæcus autem tametſi à poſtulando repellatur.d. verſ.caſum,iudicandi tamen officio fungi eum idem Vlpianus credit.l.6.D.de iudic.Sed hoc accipiendum putat Bart.ſi poſtquam iudex erat, cæcitas ſuperuenerit.Teſtamentum tamen facere non poteſt. §.cæcus Inſtit.quib.non eſt permiſſ.fac.teſta.

Cæcus μεταφορικῶς eſt qui ſupernæ contemplationis lucem ignorat,qui præſentis vitæ tenebris preſſus, dum lucẽ venturam nequaquam diligendo conſpicit quò greſſus operis dirigat,neſcit.c.hinc etenim.49.diſtinct.

C**ÆCAM DIEM**, & **CÆCA TESTIMONIA** vocant Iuriſconſulti,quæ ſcripto perhibentur abſentibus.cuius rei exempla pete ex l.ad perſonas.D.de iureiur. & alibi.Nam cæca ſunt non tantum quæ non vident,ſed & quæ non videntur,& abſunt. Vide Eraſmum exponentem parœmiam,Cæca dies.

Cæca veſtigia,vt refert Nonius,pro inſidioſo, & latenti, & occulto malo. Virgilius.Æn.lib.6.

Cæca regens filo ueſtigia.

Cæcus paries, qui feneſtras non habet: cuius meminit Paul.in l.eos.4.D.de ſeruit.ſi lectionem C.Harmenopuli ſequamur,qui pro pariete cõmuni,vt eſt in Pand. Flo.legit,τυφλὸν τοῖχον.Sed Florentinam lectionẽ probo:quod & ipſa res docet. Non tamen eo inficias parietem,qui feneſtras non habet,cæcum dici:quo ſenſu ita ſcribit Virgilius lib.5.Æneid.

Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter,ancipitémque
Mille uiis habuiſſe dolum,&c.

Sic Cæcum cubiculum, quod feneſtram non habet, dixit Varro lib.8.Ling.Latin.

Cæcum vallum Feſto lib.3. dicitur in quo præacuti pali terræ adfixi,herbis vel frondibus occulũtur:qua analogia cæca teſtimonia.i.occulta dici putem.

Cæcum animal appellat Hieronymus, in Malach.c. vlt. 49.diſt.indoctum:rectè.Nam & hoc ad animũ tranſtulit M.Cicero pro Sex.Roſcio.

Cæcus fluctus,Græcis κῦμα κωφὸν,apud Sinſennam in Nonio:Subito,inquit,mare ſubhorreſcere, cæcóſque fluctus in ſe prouoluere cœpit.Eſt autem cæcus fluctus, occultè malus & latens,& cuius non ſentitur nec apparet cauſa,vt cum venti quieſcunt: quod plerunque fit ante vẽtos exortos.Hinc Virgilius in Prognoſtico:

Continuò, uentis ſurgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere,&c.

C**ÆCITAS**, morbus eſt partis corporis Vlpiano.l.j.§.ſed ſciendum.D.de ædil.edict.

Cæcultare Feſto lib.3.eſt cæcos imitari.

Cædem,ait Feſtus lib.3.putant ex Græco dici, quòd apud illos

illos κτείνειν, interficere ſignificat.

CÆDERE pignora, ait Hoto. in Comm. verb. iuris, pro vendere, & auctione diſtrahere. Cic. in procemio lib. 3. de Orat. An tu cum omnem auctoritatem vniuerſi ordinis pro pignore putaris, eámque in conſpectu pop. Rom. conciderís, me his pignoribus exiſtimas poſſe terreri? non tibi illa ſunt cædēda, ſi Craſſum vis coërcere: hæc tibi eſt excidenda lingua, qua vel euulſa, ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit. Idem, Cædere, pro conſumere, à veteribus vſurpatū, ibidem docet. Cædere autem frōtem apud Catonem explicat Tur. Aduerſ. lib. 13. c. 2. eam colligere: quod cū faciebant eam ſtringebant, & ferramento plerunque velut deradebant. Hinc Plautus, quia fronde ſaginabatur pecus, per trāſlationem dixit: Eſte, effercite vos, ſaginam cædite.

Cædere eſt non ſolùm ſuccidere, quod eſt ſecuri vel aſcia totam arborem crebris ictibus excidere, ſed etiam ferire aut vulnerare aut cædere ex parte, Paulus in l. cædere. D. arbor. furt. cæſ. Hinc

CÆDVÆ arbores. in l. fructus. §. ſi fundum. D. ſol. mat.

Cædula ſilua, vt inquit Gaius. l. ſilua. D. de verbo. ſig. eſt, quæ in hoc habetur, vt cædatur. Seruius eam eſſe, quæ ſuccisa rurſus ex ſtirpibus, aut radicibus renaſcitur, ait Seruij definitio communi Gallorum loquendi cōſuetudine probatur: vide infrà Silua.

CÆDITITIÆ tabernæ in via Appia, à domini nomine vocari cœptæ ſunt.

CÆLARE, vel vt in Florēt. Pād. Celare ſine diphthongo, ſignificat inſculpere. l. cum aurum. 19. §. infecti. 4. D. de aur. & arg. lega.

CÆLATI verbo contineri, quod cælari cœpit. d. §. infecti. quod ad multa produci poſſe variis Iuris Ciuilis articulis conſtat.

CÆLATVRA, ſculptura, ſculpturæ opificium, Paulo l. ex argento. D. de condict. furt.

CÆLEBS Feſto lib. 3. dictus, quòd dignam cælo vitam agat: cui adſtipulatur Iſidori etymon. Celebs, inquit hic, quaſi cælo beatus: quod & diuus Hieronymus probat. Cælebs eſt, qui vxorem nō habet, quod etiam ad fœminas refertur, quæ virum non habet. Vnde Fabius lib. j. c. 6. Cælibes quaſi cælites dictos vult, quod munere grauiſſimo vacent.

CÆLIBATVS, vita ſine viro, aut vxore, ἀγαμία. Huius pœnæ legibus Papia & Poppæa inductæ infirmantur ab Imppp. l. j. & 2. C. de infir. pœnis cælibat.

CÆLVM variè accipi conſtat. Quādoque ſignificat Dei domicilium, N. Marcello ex Virgilio: & ita definiſſe videtur CHRISTVS Saluator noſter apud Euangeliſtam Matthæum c. 5. His verbis: μὴ ὀμόσαι ὅλως, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, ὅτι θρόνος ἐστὶ τοῦ θεοῦ. Cælos igitur loca ſupera meritò appellat Varro lib. 4. Analogiarum. Cælū putat Atl. Gallus, quòd eſt cælatum: Varrò autē à Chao, hinc cauum, & hinc cælum. Ac Cælum duobus modis dici Varro ibidem ſcribit, & pars eius ſumma vbi ſtellæ, & id quod Pacuuius demonſtrat, cum dicit: Hoc vide circum, ſupràque quod complexu terram cōtinet. Cælum etiam pro aëre dixerunt veteres, vt refert N. Marcellus. & Iuriſ. l. j. D. de aq. rer. domi. l. fin. §. pen. D. quod vi aut clam. l. ſi apes. D. de furt. l. j. D. de ſerui. vrb. præd. l. ſi cuius. 13. §. ſi tamen. D. de vſufruct. Eodē ſenſu accipitur apud Ciceronem lib. 2. de nat. Deor. vbi de cælo craſſo loquitur. Sic apud Virgilium lib. j. Georg.

Varium cæli prædicere morem.

Cæli, inquit Seruius, id eſt aëris. Cælum pro aëre etiam poſuit Vlpianus. l. j. §. j. D. de cloacis. Cælum autē propriè, vt definit Iuſtinus Martyr Philoſophus. in libr. expoſit. fidei. q. 5. eſt ſumma pars totius mundi, & in quæſt. à gent. q. 63.

Cæli in diuina ſcriptura aut ſunt, qui per ſe & eſſentia cæli ſunt, veluti primum cælum, aut aëris ſpacia.

CÆLESTIA auguria vocāt antiqui, vt refert Feſtus lib. 3. cùm fulminat, aut tonat.

Cæleſtia mandata, præcepta Decalogi rectè adpellabimus. Antè enim quam Dominus eloqueretur, tonauit. Geneſis. 19. ἐγένετο δὲ τῇ ἡμέρᾳ τρίτῃ γενηθέντος πρὸ ὄρθρου ἐγένοντο φωναὶ, ἀστραπὴ, καὶ νεφέλαι γνοφώδεις ἐπ' ὄρους Σινά.

Cæleſte oraculum in l. iubemus nullam. 10. C. de ſacroſan. eccleſ. ſumitur pro indulgentia principis viua voce conceſſa, Alciato ibidem. Ideo autem cœleſte dixere Impp. quaſi è cœlo dimanent principis mādata, vt innuit Iuſtinianus in Nouellis ſæpiſſimè.

Cæleſtis aqua, pluuia dicitur. l. j. §. j. D. de aq. & aq. plu. cadit enim de cœlo.

CÆLICOLÆ dici cœpti ſunt, qui cœlum quaſi Deum colunt, vt ſcribit Azo. in Sum. C. de Iudæis. de his. l. 2. & l. cœlicolarum. C. eo. & l. 75. C. Th. eo.

CÆLITVS impetrare in l. 2. C. de caſtrenſ. & miniſt. lib. 12. id eſt à principe, vt rectè interpretatur Accurſius: cuius ſententiam probat Io. Platæus, & nouiſſimè. I. Cuiacius ibidem.

CÆLESTVS SALINENSIS apud Vlpianum in Epito. tit. 22. Africæ Deus, vt refert Tertullianus aduerſus gentes: quod & Capitolinus in Pertinace probat.

CÆLESTIS deæ meminit Ammianus Marcell. nus.

CÆMENTA, vel vt in Pand. Florent. Cemēta, apud Vlpianū. l. redemptores. D. de rei vindic. ſunt lapides rudes, & informes, quibus vtuntur ad farturas operum, Budæo. l. ſicuti. §. competit. D. ſi ſeruit. vindicet. & l. qui domum. D. loca. Vide Vitruuium lib. 2. c. 8. Hinc

CÆMENTITIA fundamenta dixit Iauolenus. l. qui domum. D. loca. quæ cæmentis inferciuntur: & Cæmentitius riuus apud Vlpianum, ex Seruio & Labeone. l. 3. §. Seruius. D. de riuis.

CÆREMONIÆ ſunt externi in ſacris ritus, moréſque, c. non eſt. §. is itaque. & ibi gl. 6. diſtin. & 16. q. 7. c. in noua. & Exodi 12. c. 45. diſtinc. c. qui ſyncera. & vide Lyturgiā Iacobi fratris Domini, & Dionyſ. cæleſt. Hierarch. c. 7. Auguſt. Epiſt. 59. ad Paulinum. Cæremoniarum cauſſam, & vnde dictæ ſint, docet Feſtus lib. 3.

CÆRITES tabulæ quæ eſſent, ex ſubiectis Agellij verbis lib. 16. c. 13. diſces. Primos autem municipes ſine ſuffragij iure Cærites eſſe factos accepimus, conceſſúmque illis, vt ciuitatis Romanæ honorem caperent, ſed negotiis tamen atque oneribus vacarent: pro ſacris bello Gallico receptis cuſtoditiſque. Hinc Cærites tabulæ adpellatæ vice verſa, in quas Cēſores referri iubebant, quos notæ cauſſa ſuffragiis priuabant. Pedianus in Diuinat. Qui plebeius erat in Cæritum tabulas referebatur, & ærarius fiebat, ac per hoc non erat in albo centuriæ ſuæ: ſcilicet ad hoc vt ciuis eſſet, ſed tantummodo vt pro capite ſuo tributi nomine æra penderet.

CÆSALIS lapis finalis erat, & Tiburtinus dicebatur, vt aiebat Dolabella lib. de limitib.

CÆSA definit Vlpianus, arbores cæſas, & carbones, & ſimilia. l. fundi. §. ſi ruta. D. de actio. empt. In rutis cæſis eſſe ea, quæ terra non tenentur, quæquę opere ſtructili, tectoriove non continentur, ſcribit Quintus Mutius. l. in rutis. 241. D. de verb. ſig. Verba in lege vēditionis dici refert Varro lib. 8. Ling. Lat.

CÆSARIS nomen qui primus adeptus eſt, à cæſarie illi eſt impoſitum, vt ait Feſtus, quod ſcilicet cum cæſarie natus ſit. Alij ab elephanto (qui lingua maurorū cæſa dicitur) in prælio cæſo: vel quia mortua matre ventre cæſo natus ſit: vel quod oculis cæſiis & vltra humanū morem viguerit, vt refert Spart. in Ælio Vero. Fuit autem hoc Iuliorum familiæ cognomen, & Xiphilinus in principio Veſpaſiani, id cōprobat, vbi Veſpaſianū à Senatu imperatorem conſtitutum, deſignatos autē Cæ-

ſares Titum & Domitianũ,hi omnes Cæſares in vniuerſum appellati ſunt.Hoc tamẽ nomen Imperatoribus deſignatis,& futuris imperij ſucceſſoribus tribui ſolebat.Vnde ab Auguſto Cæſar ſeparatur à Cõſtantino A.Imp.in l.& ſi excepta.ibi, In comitatu meo vel Cæſaris.C.de malefic.& mathem.& apud Spartianũ, Capitol.& Lampridiũ,& ſæpe in inſcriptionibus cõſtit.C.Sic poteſt accipi in l.fiſcus.§.fi.D.de iure fiſci.

Cæſares autem ideo diuos appellatos credidit antiquitas, quòd poſt mortem inter diuos referrentur. Alciatus verò in l.ad inſtructiones.C. de ſac.ſan.eccleſ. diuos ideo dici quòd imperium à Deo ſit conſtitutum: cuius ſententia vera eſt: οὐ γὰρ (ait Apoſtol.Rom.13.) ἔστι ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ τοῦ θεοῦ.quod & Iuſtinianus fatetur Nouell.6.in princi. Μέγιστα τὰ ἐν ἀνθρώποις ἐστὶ δῶρα θεοῦ παρὰ τῆς ἄνωθεν δεδομένα φιλανθρωπίας, ἱερωσύνη τε, καὶ βασιλεία.

CÆSARIANI, & Cæſarienſes dicũtur miniſtri ſeu officiales procuratoris Cæſaris, qui & Catholiciani dicuntur.l.prohibitũ.& l.defenſionis.C.de iure fiſc.libr. 10.& l.penul.§.fi.C.de bonis proſcript. Cæſarianos in actu duntaxat cõſtitutos Cõſtantinus Impe.reſcript.l. j.C.Th.de Cæſarianis.lib.10. Vnde eos executores nũtios fiſcales interpretatur Alciat.l.fi.C.de pact.Vox autem Gallica *Sergens*,ex hac Cæſarianorum appellatione deducta eſt,vt vult Cuiac.ad l.7.C.de iure fiſc.

CÆSARIENSIS ADVOCATIO, in d.l.fin.aduocati ſunt ipſius, ſcilicet Cæſaris, Accurſio interprete.Alciatus verò ibidem aduocatos Cæſareæ ciuitatis, quæ Cappadociæ metropolis eſt interpretatur,rectè.

CÆSARIANA prædia dixit Calliſtratus.l.vlt.D.de offi. procur.Cæſ.quæ ad Cæſarem pertinerent.

CÆSONES adpellantur exſecti ex matris vtero, Feſto lib.3.& huiuſmodi matrem etiam cùm moreretur filium habere ſcribit Vlpianus.l.etiã ea.t.41.D.de verbo. ſignifi.Vide tamen ibidem Alciatum.

Καιρικαὶ horæ, Alciato.l.2.§.cuiuſque.D.de verb.ſignifi.dicuntur temporales & vulgares.

CAINANOS hæreticos dictos putat Iſidorus libr. 8.c.5. Etymolog.quòd Cain fratricidã adoraſſent, & c.quidam.23.q.3.quod & ante dixerat Tertullianus Iuriſconſ.in lib.de præſcript.aduerſus hæreticos.Magnificant enim,ait,Cain,quaſi ex quadam potenti virtute conceptum,quæ in ipſo operata ſit.

CAIVS CAIA, nomina in matrimoniis quæ per cocoemptionem fierent,vſitata: VBI TV CAIVS, ET EGO CAIA. quibus verbis, vt Plutarchus ſcribit, quaſi paciſcitur ſibi commune cum viro dominium,& par imperium domi: ac ſi diceret, Vbi tu es familiæ princeps ac dominus, ecce ego adſum familiæ princeps & domina. Quod Cicero facetè exagitans in Muræniana: Quia, inquit, in alicuius libris exempli cauſa id nomen inueherunt, putarunt omnes mulieres quæ coemptionẽ facerent,Caias vocari.Val.Max. Cæterum,inquit,Caia vſu ſuper omnes celebrata eſt. fertur enim Caiam Cæciliam,Tarquinij Priſci Regis vxorem,optimam lanificam fuiſſe:& ideo inſtitutum fuit,vt nouæ nuptæ ante ianuam mariti interrogatæ quænam vocarentur,Caiam eſſe ſe dicerent.

CALAMISTRI, Varroni lib.4.Ling.Lat.quòd his calefactis in cinere capillus ornatur:pertinere poteſt ad ea,quæ recenſet Vlpianus.l.argumento.§.ornamentorum.D.de arg.mund.

CALAMITAS, grando,quòd calamos cõminuat, Donato interprete,Budæus.l.ex cõducto.§.j.D.loca.Hinc Calamitoſa tempeſtas apud Vlpianum. d.l.ex conducto.§.j.eodem ſenſu.

Calamitas etiam damnum ſignificat μεταφορικῶς apud Põponium.l.fi.D.de adminiſt.tut.& Paulum.l.ſi ab arbitro.D.qui ſatiſd.cogant.Calamitatem fortuitam dixit Vlpianus.l.2.§.pen.D.ſi quis caut.in iud.ſiſt.

Calamitas,ſtatus mutatio.§.è contrario.Inſtitut.de ingenuis. Hinc

CALAMITOSI, apud Calliſtratum.l.obſeruandum.D. de offic.præſid.rei delati,ærumnoſi, malis calamitatibus prægrauati,Nonio.

CALAMVS in Zenonis conſtitutione.l.fin.C.de diuerſ. præd.lib.11. eo ſenſu accipitur apud Plinium libr.12.c. 23.qui & odoratus dicitur.Is arundini ſimilis eſt,multis geniculatus nodis,caſſiæ ſapore. Prouenit in Arabia,India,& Syria.Vide Dioſcoridem.

CALARI Agell.lib.15.c.27.eſt conuocari, ἀπὸ τοῦ καλεῖν. Hinc Calendæ,vt ſcribit Macrob.lib.Sat.j.c.15.

CALATA Comitia L.Feneſt.lib.2.c.7.dicta quòd per lictorem curiatim calari,id eſt,vocari ſolerent. Calata ergo comitia apud antiquos eſſe ait Labeo apud Agellium lib.15.c.27.quæ pro collegio,aut regis ſacrorum, aut Flaminum inaugurandorum cauſſa fierent.Erat & olim teſtamenti genus,quod Calatis Comitiis adpellabatur,vt ſcribit Iuſtinianus Imp.Inſtitu.de teſta.ord. in princip. Hoc quî fieret, docet Græcus interpres Theophilus,cuius verba huc non tranſcribo:ſtudioſiſſimo enim cuique obuia ſunt.

Calaſsis Feſto lib.3.tunicæ genus,quod Græci καλάσιριν vocant.Alij dicunt nodum eſſe tunicæ muliebris,quæ connexa circa ceruicem tunicæ ſubmittitur.

CALATIO, Varroni lib.4.de curia Calabra loquenti.

CALATORES, Feſto lib.3.quòd ſemper vocari poſſent ob neceſſitatem ſeruitutis.

CALENDÆ, Calendarium,&c.vide Kalendæ.

Κάλαθοι, Græcum eſſe verbum Feſtus libr.3.& Seruius in ecloga.3.Virgilij adnotant:pro quo Latini qualos,& quaſillos dixerunt.Qualos autem inſtrumentum fundi cogendi cauſſa paratum Vlpianus ſcribit.l. in inſtrumento.8.§.cogendi.D.de inſtru.& inſtru. vbi eos eſſe vindemiatorios ait.Vas eſt vimineum apud Porphyrionem: quod Ouidius lib.4. Faſtorum probat:

Hæc implet calathos lento de uimine nexos.

Calathos Gynæciis vaſis connumerat Iulius Pollux lib.10.c.29.Si quis horum formam videre velit, Marcellinum conſulat.

CALAVTICA (ſic enim in Pandect.Florent.legitur) inter capitis ornamenta muliebria recenſet Vlpianus.l. argumento 25.§.ornamenta.D.de aur.& argent.leg. tegmen muliebre,quod capiti innectitur, ait Nonius ex M. Cicerone.Seruius Honoratus: Mitræ, inquit, fœminarum ſunt, quas Calauticas dicunt. Et Auſonius calauticam vocat quod Homerus κρήδεμνον. Inde Decalauticare Lucillio, id eſt calauticam detrahere, apud Nonium in verbo Depeculaſſere. Lexicum quod extat in æde beati Germani ad Lutetiam definit εἶδος ζώνης. In aliis exemplaribus legitur Calantica.

CALBEOS, armillas dicebant antiqui, quibus triumphantes vtebantur,& quibus ob virtutem milites donabantur.Feſt.lib.3.

CALCARIA, apud Vlpianum.l.aut damnum.§.in calcariam.D.de pœnis.locus vbi calx cõficitur. In calcariam damnatos,qui ad coquendos lapides, ex quibus calx fit,addicti erant,accipere debemus.

CALCEARIVM, ſiue, vt in Pand. Floren.eſt, calciarium, apud Vlpianum.l.cum hi.§.qui tranſigit.D.de tranſact.De calciario quoque arbitrio Prætoris tranſigendum eſt.& l.diariis.D.de alim.& ciba.leg.Diariis & cibariis relictis,neque habitationem,neque veſtiarium,neque calciarium deberi palam eſt. Nec verò calceum vnum,ſed quantum calceorum vſui ſatis eſt, ſignificat;id quod pro perſonæ conditione accipi debet Suetonius in Veſpaſiano:Claſſiarios qui ab Oſtia & Puteolis Romã pedibus commeãt,petentes conſtitui aliquid ſibi calciarij nomine,quaſi parũ eſſet, ſine

reſponſo

reſponſo abegiſſe,iuſſit poſthac excalciatos curſitare.

Calciatvs, apud Paulum l.3.§.ſciendum.D.de offic. præfecti vigil.id eſt,calceis indutus: ſic enim Flor.legitur,& in vulg.cod.& apud Feneſtel.nec alia ratione præfectum vigilum calciatum oberraſſe dicit Cuiac. lib. Obſer.13.c.30. quàm vt noctu ſecurius ambularet per medios etiam ignes,ſi neceſſe fuiſſet: qua ratione etiam in armatura Chriſtianorum D.Paulus inſerit vt ſint calciati pedes. Hieronym.lib. Quid cauendum in libris περὶ ἀρχῶν: Calciatis pedibus pergere, necubi à ſerpentibus mordeatur,&c.& alibi ſæpiſſime hoc vtitur vocabulo. Quidam pro calciato caligatum: Hoto. falciatum legendum autumat, id eſt falcibus muralibus(de quibus Cæſar & alij meminere)quæ diruendis ædibus inflammatis parantur,inſtructum. Tacitus lib. 19.Paulum inde moræ,dum è proximis agris ligones, dolabras,& alij falces,ſcaláſque conuectant.

Calcem, pro fine,terminóque alicuius officij, dixere Honorius & Theodoſius,l.palatinos. C.de palat.ſacr. largit.lib.12.

Calces,Feſto libr.3.ampullæ plumbeæ.

Calces eiicere, apud Alfenum D.libro 9.tit.j.l.5.idem quod Silio calces elidere, λακτίζειν, calcitrare, vt equi calcitroſi ſolent. Agaſo,inquit,cum in tabernam equũ deduceret,mulam equus olfecit, mula calcem reiecit, & crus Agaſoni fregit.

Calcitro, ait Agel.lib.4.c.2. ex Labeone dicitur vitioſus equus, qui calce percutit, aut petit, Vlpiano interprete in l.j.§.j.& 2. D.ſi quad.pau.feciſſ.dic. Calcitroſus eodem ſenſu dixit Vlpianus,d.l.j.§.j.

Calcvlare, hoc eſt,ad calculũ vocare, vel rationẽ facere cum aliquo. Quod ad calculũ ponere dicimus.

Calcvlvs variè pro re accipi in iure noſtro ſolet: quandoque pro calculis,& computatione,l.vnic.C.de erro.calcul.l.ſi ſponſus.§.ſi quis rogatus.in fi.D.de do. int.vir.& vx.& l.quod priuilegium.D.depoſ.ita explicat & Macer l.j.§.j. D.quæ ſent. ſine appell. Azo.in Summ.C.de erro.calcu. Hinc Calculos publicos, publicas rationes, & fiſcum interpretamur in Zenonis conſti.l.vni.C.vt omnes iud.tam ciuil. Calculum vero pro re pecuniaria accipi quidam putant in l.Sabinus. D.de dolo. Equidem pro computatione accipiendum putem:cuius rei nomine defunctus calculator tenebatur,quia doloſè cõputaſſet,vt lex titulo ſuo congruat. Calculus etiam tranſlatitiè pro tabella iudicis & ſententia accipitur, l.ſi actor. C.de appel.l.4. C.de auct. præſ.l.rem nõ nouã.in princ. C.de iudic.& c.per tuas. ext.de appel. ψῆφος eodem ſenſu Græcis dicitur l.ἀδέναι χρὴ.D.de excuſ. Calculis enim olim iudices ferebãt ſententias,albis abſoluebant, nigris condemnabant. Azo in Summa de erro.calc. C.dicit accipi in d.l.rem non.pro cognitione cauſſæ, quod plerique probant: ſed hic ſequi malim Ant. Auguſt.qui pro ſentẽtia ſumi vult. Hinc calculos æquare dixit Bud.pro diſtribuere ſententias in numerum parẽ: & Calculum addere: ſic &,Calculum reducere,hoc eſt mutare ſententiam.

Calculũ proponere ſeu porrigere,hoc eſt,cenſendi poteſtatem facere,& in conſilium mittere, cũ proceſſus in eo ſtatu eſt,vt iudicari poſſit,Budæo l.2.C.de orig.iur.

Calculum pro puncto poſuit G.Budæus in Forenſibus. Hinc ponere calculum, id eſt ad punctum aduertere: quo ſignificatu accipitur l.fori.in fi.D.de iis qui no.infa.vt res ipſa docet,non pro computatione, vt Accurſius autumat. Calculum etiam pro expenſarum articulo G.Budæus in Forenſib.dixit.

Calcvlatores, à calculis, id eſt, minutis lapillis dictos putat Iſidorus,qui rationibus cõficiendis adhiberentur, Anton.Aug.l.ϖαράδοντα.D.de excuſ.quo ſenſu accipiuntur in l.vt iuriſiurãdi. §.dabitur. D.de oper. liber.& l.oratione.C.de profeſ.& medic.lib.10.à Græcis διαψηφιςαὶ, d.l. ϖαράδοντα.

Caldaria cella,Vitruuio li.5.ca.10.locus ſub hypocauſto,Budæus l.ſi quis mihi.D.manda. Et,

Caldarium,ahenum ex quo aqua calida hauritur, eiſdem auctoribus.

Calere iudicia,eſt iudicia exercere,ídque magna diligentia,apud M.Ciceronem.

Calicata ædificia,calce polita,Feſto lib.3.

Caliga,militare calciamentum,ex qua C.Cæſar Germanici filíus cognomen pueri induit, vt Tacitus lib.1. & Suetonius ſcribunt.& vide Sabell.ad Sueto.in Caligula. Erat autem gregariorum militum calciamentum,vt Anto.Augu.lib.ſingu.ad Modeſtinum l.οὐ μόνον in princ.D.de excuſ.ſcribit. Hinc,

Caligata militia, in d.l.οὐ μόνον. Et,

Caligati milites,viliores, manipulares & gregarij ſunt,quod & ex ſerie contextus Vlpiani l.2.in prin.D. de iis qui not.infa.& l.à caligato. C.de nupt.liquidò conſtat. Porrò in d.l.à caligato.pro protectoris, legendum adfirmare auſim,præfecti cohortis, per ſeriẽ d.l.2.Caligatos,Nouella,qui.mo.nat.effic.legit.§.quiſquis, interpretatur ἀτελεστέρους καὶ ἀφανεστέρους. Sic accipi poteſt in l.omne 6.§.exploratores.D.de re mili.& l.de militibus.9.D.de cuſto.& exhi.reo.

Calim,Feſto lib.3.antiqui dicebant pro clam, vt nis, pro nobis,ſam pro ſuam,im pro eum. Hæc Feſtus. Sed & am pro eam legimus in Pandect.Florentinis.

Calyptra, auctore eodem, veſtimenti genus, quo capita operiebant veteres.

Calix diatretus apud Vlpianum l.ſi ſeruus.27.§.ſi calicem.D.ad leg.Aquil.tornatilis, & pertuſus, torno factus:Budæo vas eſt,quo bibimus:quod & Iullij Pollucis teſtimonio probatur,lib.6.ca.6. & Varronis lib.4. Ling. Huius hæc verba ſunt: Calix à caldo, quod in eo calida puls adponebatur, & caldum in eo bibebãt. Quod & Feſtus probat lib.3. Calicem non tantum pro vaſe, ſed & pro ea tantùm vaſis parte, quæ humoris capax eſt,probatiſſimos auctores dixiſſe refert L.Baifius in libell. de Vaſculis. Calix etiam μετωνυμικῶς pro potu ſacro ſanctiſſimi ſanguinis Christi Seruatoris noſtri accipitur, Tertulliano li.de Corona militis. Calicis, aut panis etiã noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur. & Cypriano in Epiſtola ad Cæcilium fratrem,c.ſcriptura,de conſecra.diſt.2.

Callainvs, pro lapide pretioſo apud Martianum l. interdum. §.ſpecies. D.de publican.in Pand.Flor. Tu Baſilica conſule. Nam ibi quidam Callinnum legunt.

Callidvs in Iuſtinia. Conſtitutione l.cum antiquitas.in fi.C.de teſtam. dicitur cuius vſu animus concaluit:M.Ciceroni vafer, aſtutus. Callidum commẽtum hoc ſenſu dixit Papinianus l.ob hæc. 20. D.de iis qui not.infa. Callidum conſilium Vlp.l.ſed &,vt in Pand. Flor.aliàs l.eũ qui,vt in vulg.codic.§.prætor ait. Hinc,

Calliditas in l.j.§.dolum. D.de dol.malo. fallacia, & machinatio: quam iuſtitiæ contrariam M.Cic.ſcribit lib.1.Offi. Aſtutiam excogitatam videtur appellare Zeno,l.vni.C.vt om.iud.tam ciuil.quã criminal. Eodẽ ſenſu videtur accepiſſe Vlpianus l.j.in princ.D.ſi quis omiſ.cauſ.teſtam. Eam tacendo fieri ſcribit Accurſius in d.§.dolum. Equidẽ etiã facto verba ſubſecuto committi putem,l.j.& l.6.& l.fi.D.ſi quis omiſ.cauſ.teſt.

Callones,Feſto li.3.calcei ex ligno facti,quo genere vtuntur Marchiani noſtri,& Pictones. Calones etiam ſunt militum ſerui, dicti, quia ligneas clauas gerebant, quæ Græci κᾶλα vocant.

Calor irati animi impetum,& quemlibet efferueſcẽtem motũ,incõſultámq; mentis cõmotionem ſignificat,apud Paulũ l.3.D.de diuort.l.quicquid.D.de diuer. reg.iur.antiq. Marcianũ l.j.§.quæri. D.ad Turpil.l.lex. §.fi.D.ad leg.Iul.rep.l.2. C.de abol.& alibi ſæpiſſimè.

CALPAR, verbum antiquum, dolium ſignificat N. Marcello. Varro, Quia, inquit, antè quàm nomē dolij prolatum, cũ etiam id genus vaſorum calpar diceretur, id inde calpar appellatur. Calpar vinum nouum, quod ex dolio demitur ſacrificij cauſſa, antè quàm guſtetur, Feſto lib.3. qui ſubiicit calpar fictilis vaſis genus eſſe.

CALVISIANA actio, vide actio Caluiſiana.

CALVITVR, inquit Marcellus, eſt fruſtratur: tractum à caluis inimicis, quòd ſint omnibus fruſtratui. Plautus in Caſina: Nam vbi domi ſola ſum, ſopor manus caluitur. Complura Nonius exempla protulit, ex quibus Caij reſponſum facilè intelligatur in l.233. D. de verb. ſign. Si caluitur, & moretur, & fruſtretur: vt, SI CALVITVR, verba ſint legis XII. Tab. quam interpretatur: cætera ſua, id eſt gloſſæ & interpretationis. Erat autem in lege, vt vult Hotom. SI CALVITVR, PEDEMVE STRAVIT, MANVM ENDO IACITO.

CALVMNIA eſt malitioſa, & mendax infamatio, Nonio: eáque eſt Marciani ſententia l.j.§.j.D.ad S.C.Turpil. Eſt & callida, & malitioſa iuris interpretatio, auctore M.Cic.li.1.Offic. cuiuſmodi interpretes pleroſque noſtra tempeſtate vidimus. Calumnia eſt etiam cùm quis ex certa ſcientia & dolo iniuſtè agit, aut excipit, Azo in Summa, C. de iura.propt.calum.dand. Sic accipitur in l.j.§.per calumniam. D.ſi mulier vent.nomi.in poſſeſ.calum. & l.2.in prin. C.de iureiur.propt. calum.dan. Iurare enim ea conſtitutione iubentur & actor & reus, ne calumniandi animo litem aut intendant, aut excipiant. Significat & calumnia calliditatē, id eſt σόφισμα apud M.Tullium lib.2.de Republica, vt Marcellus refert: Vt Carneadi reſpondeatis, qui ſæpe optimas cauſſas ingenij calumnia ludificari ſolet. Calumnia etiã pro accuſatione accipi videtur in Arcadij, & Honorij conſtitutione l.ſancimus.C.de pœn. ſed quæ calumnioſè inſtituta eſſet, vt ibidem Accurſius docuit. Nam præſumitur calumnioſè quis propinquum accuſare, qui eum dicit in propinquũ deliquiſſe, d.l.ſancimus ex verbis & ſentent. Sic accipiendam calumniam putem in l.2.C.de cenſib.& cenſito.lib.11. quamuis quidam autument pro pœna ibidem accipi. Calumnia quoque pro delicto accipitur, hoc eſt pro eo actu, quem calumniandi cauſſa quis facit, l.auxilium.D.de mino.& c.calumniam.ext.de pœnis, vt Albericus exiſtimat. Ego verò pro iniuſtè inſtituta actione, vel obiecta exceptione accipiendam ibi calumniam putem: quod verba temerè litigantium ibidem poſita indicant.

Calumniæ ſpecies tractat eleganter Marcellus in l.j.in princip.D.ad Senatuſconſult.Turpil.

Calumniæ pœnam, & aduerſus calumniatores procedendi modos explicat Bartol.l.j.C.de calumniato.& l.j.D. ad S.C.Turp.

Calumniam ferre, apud Ci.in Cælij epiſtola: Scito Sempronium Rufum, mel ac delicias tuas calumniam maximo plauſu tuliſſe. Eſt autem Calumniã ferre, calumnioſum quiddam & aſtutum doloſumque excogitare & afferre, & obtinere fortaſſe: quod tum fecit Rufus, qui accuſatorem ſuum poſtulauit lege Plotia, vt hoc extraordinario reo cauſam non diceret. Sic Cicero in Salluſt. Sed eſt quædam calumnia, quam vnuquiſque noſtrum, teſtante animo ſuo, fert de eo qui falſum crimen bonis obiectat. Quanquam in hoc poſteriore exemplo nonnihil à prioris ſententia deflectitur: hîc enim ſignificat, eos improbari tacito hominum iudicio qui falſo crimine alios calumniantur.

per Calumniam petere dicitur, qui vexandi alicuius gratia petit, l.poſtquam.43. D.de hæred. petit. Sic etiam per Calumniã ſatis petere, vel per Calumniam deſiderare vt cautio interponatur, dicitur, qui nullo iure, ſed vexãdi aduerſarij cauſſa cautionē poſtulat, l.3.§.j. D.vt in poſ.leg.l.j.§.fi.& l.paulus.8.D.de prætor.ſtipul.

de Calumnia iurare, eſt iureiurando promittere ſe non vexãdi animo aliquid facere, l.qui bona.13.§.qui damni.D.de damn.infect.l.3. C.quemad.teſtam.ape.l. cum plures.D.de reb.auct.iudic.poſ.& alibi ſæpe.& C.de iureiur.propt.calum. dand.

Calumniari, quod eſt falſa crimina intendere l.j.§.calumniari.D.ad S.C.Turpil. à verbo Caluor. de quo ſuprà.

CALVMNIATOR qui ſciens prudenſque per fraudē litem aut controuerſiam facit alteri, vt vexet eum, vel vt ei aliquid extorqueat, in tit.de calumniatorib. Et de calumniatoribus, id eſt, de his qui pecuniam vt negotium facerent, aut non facerent, accepiſſe dicentur, l. pen.eod.tit. Calumniator etiam in priuata re eſt qui non debitum petit, l.pen.D.ne quis eum, qui in ius vo. & qui temere controuerſiam mouet, l.cui neceſſitas. 39.§.j.D.de libe.cauſ. Sic calumnia in d.c.calumniam, de pœnis accipiẽda eſt. Hinc Calumniæ illa actio antiqua, de qua ſcribit Imperator, §.hæc autem.Inſt.de pœn.tem.litig. quæ in partem litis decimam actores multabat: & poſt ſententiam pronunciatam, victori aduerſus eum qui damnatus erat, dabatur. Sed hæc in deſuetudinem abiit.

Calumniator ita demum notatur, ſi fuerit calumniæ cauſa damnatus Neque enim ſufficit calumniatum, Vlp. in l.Athletas.D.de his qui not.infam.

CALVMNIOSVS eſt, qui ſciens, prudénſq; negocium alicui comparat, Paulus lib.1.recept.Senten.tit.5. is pro qualitate admiſſi puniendus eſt, Paulo ibidem.

CAMARA, & Camuri boues, à curuatione, ex Græco καμπή. Camara dicitur fornix, arcus, teſtudo, Budæo l.ſed addes.D.loca. Camaræ quoque nauium ſunt nomina apud Arrianum & Strabonem.

CAMBIO, elegans & antiquum verbum, quod Alciatus annotauit lib.1.Parer.c.45. id ferè ſignificat quod per muto. Vnde Campſor Latinè dictus. Noſtri verò vocem cambij inde deducunt, quæ, eodem admonente, Latina non eſt. Id autem ea voce intelligunt, quod per κόλλυβον Græci, id eſt, vt Pollux li.7.Onomaſt.c.30. ait, ἀργυρείου ἀλλαγὴν. Vnde Lagium alij dicunt, deductionem videlicet quandam, quam ſibi Trapezitæ retinent, vel ob mercedem ſuam, vel quia ſua tantum interſit pecuniam, quam permutationis vice exhibēt, potius retinere, ob monetæ varietatem. Hinc eodem ſignificatu.

CAMBIVM, & Cãbij literæ, pro quibus ita præſumitur, vt executio concedi poſſit. Alciato reſponſ.333. Harum vſus frequens eſt inter Lugdunenſes negociatores.

Cambium etiam aliud permutationis genus eſt, ſcilicet rei ad rem, vt c.ſi quis fecerit. quo temp.mil.inueſt.in vſib.feud. verbum Iuriſcoſ. veteribus incognitum, ſed interpretum, & vulgi vſu receptiſſimũ. & vide P.Rebuffium in tractatu de chirograph. recognitione, & Hotom.in lib.de verbis feud.

Καμηλασία, apud Hermogenianum l.j.D.de munerib.& hon.& Chareſium l.fin.§. Camelaſia. D.eo. perſonale munus eſt, alendorum ſcilicet camelorũ. Lib.17. apud Amm.Marcellinum, Camelaſium reperitur, vt refert Ludouicus Reuſſardus. Sic nec Camelaria, nec vt legit Bud. legendum eſt, vt autem ab ἵππος, ἱππάζειν, ἱππασία: ſic à κάμηλος, καμηλάζειν, καμηλασία. Camelaſium verò eſt tributum eo nomine indictum.

CAMELORVM naturam quaſi miſtam eſſe, ideóq; iumentorum, & beſtiarum numero cõtineri Gaius ſcribit l.3.§.j.D.ad leg.Aquil. Eos, vt ait Plinius lib.8.cap. 18. inter armenta paſcit Oriens. Horum genera duo conſtituit. Omnes iumentorum vice dorſo fungi idē Plinius refert.

CAMELLÆ virgines apud Feſtum ſunt, mutatione g in c, καμήλιοι θεοί.

Camera, pro conclaui in quo pecunia ſeruatur. vnde Feudum de camera, lib.2.tit.j.§.2.& tit.2.§.2.pro ſtipendio quod Vaſſallo datur à domino. Sic in teſtamento Caroli Magni apud Eguinarthum, Incipit de ſcriptio atque diuiſio, quam perfecit de theſauris ſuis atque pecunia, quæ illa die in camera eius inuenta eſt. Antoninus Florentinus parte Hiſt.2.in extremo: Anno M.CC.IIII. Petrus Arragonienſis Rex obtulit regnum ſuum Innocentio Papæ: illúdque ſibi ac ſucceſſoribus ſuis conſtituit cenſuale, vt annuatim de Camera ipſius Regis CC.& L.naſſemuntinæ apoſtolicæ ſedi redderentur. Feudum de Camera & Soldatam eſſe arbitror ex lib.Feud.2.tit.10.in fin. Petrus de vineis libro Epiſtolarum ſecundo, ca.trigeſimo octauo. Necnon feudorum noſtrorum, & de cameris feudatariorum in ipſa collecta ſubſidiis computatis.

Camerarius, cl.2.§.eo tamen prouiſo.de elect.vide Card.Zab.

Camerata arca, arcuta, & confornicata: vehiculum tectum, qualia ſunt hodie corio tecta ait Bud. quibus matronæ geſtari ſolent, & valetudinarij. Vlpia.in l.ſed addes.§.ſi inquilinus.5. D.loca. Pand. tamen Flor.pro camerata habent ærata, quod rectius putem, & menti Vlpiani conſentaneum magis.

Camillus Feſto lib.3.propriè appellatur puer ingenuus. Turn.autem Adu.lib.10.c.20.fuiſſe ſcribit ſacerdotum miniſtros. Camillæ autem nomen vnde ſit deductum vide apud Turn.lib.14.c.13.

Caminus, vide infrà Heliocaminus.

Campani, qui Campaniam Italiæ regionem habitāt, ſic dictam quòd campeſtris ſit. Vlp.in l.metum autem. quod met.cauſ.§.ſed ex facto, Cùm Campani, ait metu cuidam illato, extorſiſſent cautionem pollicitationis, &c.de his idem Vlpianus.l.j.D.ad municipal.qui Campaniam non regionem, ſed ciuitatem appellaſſe videtur: de qua Plinius lib.3.cap.5.& Campani vini meminit idem Vlp.l.vbi.75.D.de verb.oblig.quod bonum eſſe dicit, vt & Gaius lege præcedenti: cum tamen Theophil. §.huic autem.Inſtit. de act. χάρεων οἶνον vocet.& Campanus ager, qui circa Capuam eſt, Hygeno lib.de limit.conſtit.

Campio, in lib.feud.certator pro alio datus in duello à campo dictus, qui circus erat decertantibus definitus, vt docet Hot.Diſput.vltimo. Sic lege Langob.tit. 112. Nullus campio præſumat, quando ad pugnandum contra alium vadit, herbas quæ ad maleficium pertinent, ſuper ſe habere.

Camum potionis genus, ex quo conficiatur nondum compertum habeo: huius commeminit Vlpianus, l.ſi quis.9.D.de trit.vin.& ol.leg.negans illud vini appellatione contineri: quam vocē non intelligētes quidā, hanc lectionem immutarunt, quibus connumeratur Haloander, qui Curmi, legit.alij Cannium. Cuiac. Obſer.lib.11.cap.30.loram eſſe vult, ſecutus Cœlium Apitium lib.3.qui hæc ſcribit: Camum vel defrutum immittatur, quod Romani loram vocant. Quin & coniicit Curmi Dioſcoridis eſſe, cum zytho proximè iungatur.

Κάνα, Feſto lib.3. Græcis idem eſt, quod Latini Caniſtra dicunt: quid ſit vide ſupra Calathi.

Canabis herba ex cuius cortice funes intorquentur, vt ex Plinio diſces lib.19.cap.9. quo etiam ſenſu accipitur apud Vlpianum l.j.§.non autem.5. verſi.igitur. D.de exercitor. In Pand. Flor. appellatur Cannaba. Agellius Cannabum dixit lib.17.cap.3.

Canabula apud Hygenum in lib.de limitib. conſt. termini genus eſt, cuius formam eleganter expreſſit.

Canalis apud Vlpianum l.funes.15.D.de actio.empt. eſt lignum cauatum ad cannæ, vnde ducitur, n, dempta, ſimilitudinem, quo aqua confluit in viis. Canales inſtrumento contineri, & ad aquas ſalientes neceſſarios Vlpianus ſcribit l.quæſitum.§.canales: & §. fiſtula.D.de fun.inſtru.& inſtru.leg.

Canalicolæ foreſes, homines pauperes, dicti quod circa canales fori conſiſterent, Feſtus auctor eſt lib.3.

Cancellare, eſt ſcripta veluti ductis cancellatim lineis expūgere, & delere l.2.D.de iis quæ in teſta. delen.l.emptor.47.§.Lucius.D.de pact. Porrò quid diſtent cancellare, inducere, & circunducere, docet Accurſius in l.ſi quis libertatem. D.de hæred.pet.quam differentiam probat Bart.l.j.§.j.D.de iis quæ in teſta. delen.& vide infrà ſuis locis: & cācellare omnem teſtamenti ſcripturam dixit Marcellus l.3.D.eo. Hinc,

Cancellarius, in l.3.& l.nemo.C.de aſſeſſo.& domeſtic.actuarius & ſcriba: inde ducto nomine, quod eius officium, id eſt cellula in qua ſcribere conſueuit, cācellis munita ſit: vt ex inſcriptione marmori inſculpta, quæ Romæ extat T.Aproniani V.C.vrbi præfecti, coniicere poſſum. Eum notarium rectè interpretatus eſt Accurſius in d.l.3. In Gallia autem eò celſitudinis, ac dignitatis euectum trāſlatúmve eſſe conſtat, vt Præfecti Prætorio inſtar ſit, & Nomophylax cenſeatur, vt ſcribit Budæus in Prioribus ad Pand. adnot. altius eius dignitatis originem repetens. At apud Vopiſcum in Carino, Cancellarios explicat Turn.qui preces ſupplicéſque libellos, omniáque ſcripta, quibus Princeps ſuſcribere nolebat, cācellabant, fortaſſe è notariorum numero. Cui opinioni refragatur Hotom.in Comm. verb.iuris, vbi huius verbi vim & proprietatem fuſiſſimè declarat: & hoc in Vopiſci loco, Præfect. vrbi vnum ex cancellariis ſuis fecit: quo fœdius nec cogitari potuit aliquando, nec dici. pro Cancellariis, Ancillariis legi vult: quo nomine ipſe idē vtitur, lenocinij ac libidinis miniſtros ſignificans. Cancellarij partes hæ ſunt, & munus, Videat (inquit Budæus) vt nulla principis conſtitutio, nulla ſanctio, nullum diploma, nullum reſcriptum, nulli codicilli regij, non è repub.atque etiam è dignitate reipublicæ principalíque, exeant: cuius cenſuræ, aut ſtylo acta ſua eximi nunquam voluit Principum maieſtas. is Principis præſentis vicarius, &, eo peregrè profecto, Interrex quodam modo cenſendus eſt. Hunc igitur rerum omnium cognitione, omni doctrinarum, virtutúmque genere inſtructiſſimum, & ornatiſſimum, &, vt vno verbo dicam, ἐγκυκλοπαιδείαν abſoluiſſe, ingenióque ad omnia verſatili, omnia in numerato habere oportere neceſſario fatendum eſt: quid, quod res ipſa docet, id reſpublica exigit.

Cancellaria quid ſit, pluribus docet Budæus in Forenſibus, officinam, & conuentum appellans, & iuris æquitatiſque promptuarium, & oraculum, & Iuſtitiam ipſam, ſummi iuris emendatricem. Porrò à Cancello ducitur.

Cancellum numero vnius dixit Vlpianus l.nam & ſi.9.D.quod vi aut clàm. Petronius etiam arbiter eodem numero ea voce vſus eſt, exiſtimans cancellum murum eſſe cœnaculorum, ſeu quorumlibet ædificiorum ora, ab iniuria lapſus ibi incedentis defendens.

Cancelli, ligna ſunt inter ſe modicis interuallis in tranſuerſum connexa, quibus tribunalia, ſcenæ, & feneſtræ muniri conſueuerunt. Huiuſmodi quoque feneſtræ Clatratæ dicuntur, Vlpian.de leg.j.l.cætera.41. §.item hoc. item de fun.inſtr.l.quæſitum. Cancellos quoque inſtrumento contineri puto. Cancellos per tranſlationem appellat G.Budæus in Forenſib.locum vbi aduocati ſtantes cauſſas agunt. Galli vocant, *le barreau*. Stantes dixi. Nam dum cauſſas agunt, ſtare debent, iudex verò ſedere: ídq; Valentinianus & Valens conſtituerunt l.quiſquis.6.in fi.C.de poſtul.

Candelabra, ſupellectili legata, deberi Paulus ſcribit l.4.

bit.l.3.in prin. D.de ſupel.leg.dicta autem ſunt Feſto lib.3.quòd in eis candelæ figantur.

Candelabro ſigillum incluſum vindicari non poſſe, ſed vt excludatur, ad exhibendum agi, idem Paulus ait l. gemma.D.ad exhib. Sed & Candelabro vendito, ſigillum ei incluſum ſeruandum nõ eſſe putem ex ſententia Solonianæ legis, quam explicui li.2.Iuriſpr.veteris. Legis verba hæc ſunt apud Diogenem Laertium: δακτυλιογλύφῳ μὴ ἐξεῖναι σφραγῖδα φυλάττειν τοῦ πραθέντος δακτυλίου. Hoc ad candelabrum produci poſſe argumento eſt quòd Paulus idem ius conſtituat in vtroque, nempe anulo, & candelabro, dict.l.Gemma.

Candela accenſa vtuntur in auctionibus, vt tandiu liceri, pretiúmque augere poſſis, quandiu durat, & donec vnà cum lumine conſumpta fuerit: & tunc meliorem conditionem adferenti addicitur res: argumento ab electione petito, cuius formæ & ſolennitatis commeminit pontifex in Decretali epiſtola.c.cùm veteri. de electione in antiq.

Candidati Romæ dicebantur, qui Conſulatum, vt ait L.Feneſtella lib.2.ca.7.vel alium magiſtratum, vt aliis placet, petebant: dicti, quòd veſtibus candidis induti eſſent? & tranſlatitiè aliarum rerum petitores dici cœpti ſunt. Hinc candidatos reſtitutionis dixit Tertullianus lib.2.aduerſus Marcionem.

Candidatos principis appellat Vlpianus, l.vnic.D. de offic.Quæſtoris. qui libris ſolis, hoc eſt epiſtolis ſiue orationibus principis in Senatu legendis vacabãt. Hi & Quæſtores candidati vocabantur. Lampridius in Alexandro: Quæſtores candidatos ex ſua pecunia iuſſit munera populo dare: ſed vt poſt Quæſturã Præturas acciperent, & inde prouincias regerent. Quibus ex verbis candidatos ſuſpicatur dictos Hotom. ea re quod hic ingreſſus erat, & quaſi primordium gerendorum honorum, & ſententiæ in Senatu dicendæ: vt & Vlpia. eodem loco ſcribit. Dio lib.54. Συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον, αὐτὸς μὲν οὐδὲν εἶπεν ὑπὸ βράγχου· τὸ δὲ βιβλίον τῷ ταμίᾳ ἀναγνῶναι δοὺς, τά τε πεπραγμένα οἱ κατηριθμήσατο.

Canis pecudum numero non continetur, Gaio, l.2.D. ad leg.Aq. ſed nec inter feras beſtias eſt, vt ex Gaio colligere potes. Canis impudicus dicitur Epiſcopus, qui nec regiminis in ſe rationem habuit, nec ſua delicta deterſit, nec filiorum crimen correxit, vt dicit Auguſtinus c.qui nec regiminis.2.q.7.

Canis, apud Feſtum pro collari ſeu vinculo, ſiue tormenti genere hodie frequenti, quod collo reorum iniicitur ignominiæ cauſa, aut pœnæ cauſa, vt ſignificatur l.7. D.ad leg.Iul.de vi.pub.his verbis: Aut quid in collum iniecerit, vt torqueatur. Huc forſitan alluſiſſe videri poſſit Plautus in Caſina: Deos quęſo tu vt quidem hodie canem & furcam feras.

Caninam facvndiam, apud Salluſt.& Hieron. de grege moratorum (non oratorum, vt deprauatè legitur apud Cic. Actione 1.in Verrem) ſeu rabularum intelligi quidam annotarunt. Hinc Prudentius:

Inde canina foro latrat facundia toto.

Canon Gr. regula Lat.c.Canon.Diſt.3. Canonibus ſoluere, Legibus ſoluere, Gratiã canonis facere, Gratiam legis facere, pro diſpenſare, Bud.l.princeps.D.de legi.

Canon etiam dicitur omnis eccleſiaſtica conſtitutio, Panorm.& alij Pontificij in c.j.de conſtitut.in antiq. ſic accipi debet in l.priuilegia.C.de ſac.ſanc.eccl.& ibi vide Bart.& Bald.diſputantes, legibus, an canonibus ſtandum: & docui in tabulas Bartoli.

Canon publicus, in Conſtitutionibus Imperatoriis anniuerſariam pẽſitationem, collationem, & præſtationẽ ſignificat, quæ à prouincialibus quotannis populo vel Romano, vel Conſtantinopolitano, vel Alexandrino gratis ac ſine pretio vllo mittebatur: qui ſpeciebus his ſtabat, frumento, vino, carne, oleo, &c. vt patet ex ti. Co.li.10.& C.Th.de canone frument.vrb.Rom. De fru.vrb.Conſtan. De frument.Alexand.

Canon varij generis eſt, ídque ex ſubiectis liquidò conſtabit. Erat igitur Canon aurarius, l.priuatæ.10. C.de excuſ.mu.li.10. Et Canon delegationis, d.l.priuatę. Canon emphyteuticus, l.fi.§.neceſſitatẽ.C.de iu.emphyt.

Canon frumentarius vrbis Romæ. Rubr. C.de cano.fru. vrb.Rom.lib.11. Lamprid.in Heliogabalo. Iuſſerat, inquit, & canonem Pop.Rom.vnius anni meretricibus, lenonibus, & exoletis intra muratis dari, extra muratis alio promiſſo, cum eo tempore iuxta prouiſionem Seueri, & Traiani ſeptem annorum frumẽtarius eſſet.

Canon telonei, quod ratione menſæ publicanorum, penditur: cuius meminit Caſſiodorus lib.5. Variar. ad Ampelium: Telonei quin etiam canonem nulla faciatis vſurpatione confundi.

Canon glebæ, apud Sidonium Apollinarem lib.6.Epiſt. ad Papam Cenſorium, qui ratione glebæ præſtatur. Quem ſi domeſticis fidei deputata humanitate foueatis, id eſt, vt debitum glebę canonem non petatis, tantum lucelli præſtitum ſibi.&c.

Canon largitionalium titulorum, 4.rub. C.de canone larg.tit.lib.x. eſt qui ex more infertur theſauris, vel ærario priuato Principis, l.j.C.eod.

Canon metallicus, l.2.C.de metall.lib.11.

Canon veſtium, l.j.C.de milit.veſte.lib.12.

Canon vrbanus, l.nauiculario.C.Th:de nauicula. eſt & vrbicarius l.2.C. de cano.fru.vrb.Rom. lib.11. Eſt & alius in edicto 13.Iuſtiniani.

Canonum quidam ſunt latæ ſententiæ, quidã ferendæ: ille verbo, innodatus, hic futuro, innodetur.gl.in verb. innodetur.in ca.quicunq;.§.inhibemus.de hęret.lib.6.

Canonia, vt Panormitanus definit c.cùm M.Ferrarienſ.extr.de conſtit.in antiq.eſt ius ſpirituale proueniens eo ipſo, quòd aliquis recipitur in canonicum: quid diſtet à præbenda, vide infr. Præbenda. Canonia eſt nomen tituli, & iuris. & vide Inno.in dicto ca.cum M.Ferrarienſ.

Canonicæ Nouella 69.ſunt monachæ, vt conſtat ex 2.Nicenæ c.20.& epiſt.Baſylij, πρὸς Θεοδώραν κανονικὴν περὶ βίου κανονικοῦ.

Canonica pensitatio, l.2.C.de luc.aduocat.li.12.

Canonica illatio, cuius meminere Imperatores Honor. & Theod.in l.placet.C.de ſac.ſanc.eccle.eſt ordinariũ munus, quod habet certam præſtationem lege impoſitam, ad cuius ſolutionem etiam eccleſia tenetur.

Canonici equi, l.3. C.Th.de equorum conlat. diſces qui ſint ex l.1.2.& 5.eod.tit.C.Th.

Canonica inſtitutio in c.beneficium.de reg.iuris.lib.6.eſt legitima collatio beneficij, ſecundum eccleſiaſticorum decretorum regulas: vt ex gloſ.Dino & Alberico liquet. Eodem ſenſu,

Canonica præſcriptio, & Canonicè procedere dicimus paſſim in iure pontificio.

Canonica monitio, quando citatio interuenit cum tribus monitionibus, vel vna pro omnibus peremptoria.c.conſtitutionem.de ſent.excom.lib.6.

Canonica portio, eſt quæ à Canone deputatur eccleſiæ parochiali de relictis à parochiano. vide text.& doctores in c.in noſtra.extr.de ſepult.

Canonicarii in conſtit.Anaſtaſij quæ Græca eſt l. fi, C.de exact.tri.li.10.& Iuſtiniani Nouel.30.§.πρόνοιαν τοίνυν.& alibi, ſunt Palatini qui mittuntur in prouincias ex ſcrinio canonum ad exigẽdos canones, id eſt, ſolennes titulos fiſcales, & mittũtur vel à Comite domorũ, aut præpoſito ſacri cubiculi, vel à Cómite priuatarum, vt eſt in formula Comitiuæ priuatarũ Caſſiodori, Canonicarios dirigis. His pares ſunt vindices Anaſtaſiani, de quibus vide ſuo loco.

CANTABRARII,l.2.C.Th.de collegiatis, à cantabris vexillorum genere, cuius Tertullianus in Apologetico meminit, his verbis: Sypara vexillorum & cantabrorũ.ſic enim legũt libri veter. vide Turn. Aduerſ. lib.15.ca.16.

CANTATOR, in Mauricij cuiuſdam hiſtoriis, qui de militia Romana Græcè ſcripſit, cuius meminit Turn. Aduerſ.lib.24.c.16.is eſt qui exercitum hortatur & ante pugnam animat oratione milites ad fortiter dimicandum, velut ad eorum aures canens.

CANTHARIDES, inter venenata animalia enumerantur à Marciano,l.3.§.alio S.C.D.ad l.Cornel. vnde & Cantharidis venena dixit Tertullianus Iuriſcoſ.in li.aduerſ.Marcionem. Vtriuſque ſententiam probat Plinius lib.29.c.4.ad fin.his verbis, Cantharidas diximus, ſed & in his magna quæſtio: quoniã ipſæ venena ſunt potæ veſicæ cum cruciatu præcipuo. Sunt autem Cantharides vermes terreni virides, auri colore ſuperlucentes, in ſummitate ramorum fraxini, aut oliuæ naſcentes. Tranſlatitiè pro venenata potione ex cantharidibus confecta ſumitur in d.§.alio S.C.& à M. Cicerone lib.9.Epiſt.Caius Carbo, accuſante L.Craſſo, cantharidas ſumpſiſſe dicitur.

CANTHARI apud Vlpianum,l.cætera.41.§.item hoc. D.de leg.j.ſunt ludicræ quædam effigies & figuræ, per quas aquæ ſaliunt, fortaſſe ad cantharorũ animalium, aut verò ad canthari vaſis quo potari Liber pater ſolebat, ſimilitudinẽ effictæ. Auſonius in epiſtola Edyllij 16.Harum verticularum variis coagmẽtis ſimulantur ſpecies mille formarũ: Elephantus bellua, aut aper beſtia, aut anſer volans, & mirmillo in armis ſubſidens, venator & latrans canis: quin & turris, & cantharus, & alia huiuſmodi innumerabilium figurarum, quæ alij alio ſcientiùs variegant. Hinc optima ratione catharos, perſonas, ex quarum roſtris aqua ſalire ſolet, appellat idem Vlpia.l.fundi.§.caſtella.D.de actio. empt.Iulius verò Pollux lib.6.Onomaſt.c.16. Poculi ſpeciem κάνθαρον eſſe ſcribit.

CANTHERIVS Feſto, lib.3. equus cui teſticuli amputantur.

CAPAX, vt notã vulgo ſignificationẽ præteruolitẽ, habilem ſignificat, vt apertè colligitur ex Vlpiano, l.j.§. non autẽ in fi.D.de exercitor. Huius verba hæc ſunt, Vt ecce ſunt naues quæ Brundeſium à Caſſiopa, vel à Dyrrachio vectores traiiciunt, ad onera inhabiles. Adiicit. Item quædã fluuij capaces, ad mare non ſufficiẽtes. Sed ea ſignificatio ad factũ refertur. Sed & habilitas illa ad ius pertinet. Nã capax dicitur ille, cui relinqui iure poteſt, quicũve teſtamẽti factio (vt loquuntur interpretes) paſſiua eſt, quive capere quid poteſt.

CAPEDO, vas vinarium L.Baifio ad l.cum aurum.19.§. argento. D.de aur.& argent.leg. vide apud eundem Baifium, qui Plutarchum citat.

CAPELLÆ, Bernardo iuris Põtificij gloſſulario ca.concedimus.de conſecr.diſt.j. dicuntur Oratoria nõ conſecrata. Papias dictam putat Capellam, quaſi capientem λαὸν, id eſt, populum, vel laudem. De Capellis vide d.c.concedimus.& 16.q.2.per totum.& ca.peruenit.& ſeq.ead.cauſ.q.j. & ext.de capel.monach.& ibi docto.

CAPERLATA poſſeſſio, cuiuſdam fundi poſſeſſioníſve nomen eſſe Accurſius interpretatur in l.Aurelio. D.de lib.leg.quod & A.Aug.lib.3. Emend.ca.7.probat. Alciatus lib.6.c.23. Parerg.cùm prolatis repoſuit: alij Caprelatum, alij Capellatum. Accurſij lectio & explicatio veriſſima eſt.

CAPERE, vt Vlpianus ſcribit,l.aliud.71. D.de verb.ſig. eſt cum effectu: accipere verò, etiam ſi quis non accepit vt habeat. quod & Accurſius docet, l.cum ei.42. D. de legat.2. Effectum autem acquiſitionis duraturæ accipi oportere rectè putat A.Alciatus. Hinc optimè colligit Vlpianus in d.l.aliud.in hæc verba: Ideo non videtur quis capere, quod erit reſtituturus. Quibus ex verbis colligitur, Capere eſſe iuris: Accipere verò facti: vt cum dicimus, Capere ex teſtamẽto, Capere hæreditatem, legatum, fideicommiſſum: idem enim valet, quod iure ſibi acquirere. vt cum ita ſcribitur: Lucius Titius cum capere potuerit, hæres eſto, l.in tempus.62.D.de hær.inſt. vnde ſolidum capere non poſſe dicuntur, quibus id acquirendi ius non eſt, l.ſi quis.72. l.qui non militabat.78.in fin.D.de hæred.inſt. Sed reclamat Iauolenus ſuperiori dicto Vlpian.in d,l.aliud.l. cum ei.D.de legat.j.Cum ei, ait, qui partem capiebat, legatum eſſet, vt alij reſtitueret, placuit ſolidum capere poſſe. Accurſius in l.cum ei. hanc ἀντινομίαν diluens ſcribit, in d.l.cum ei.impropriè accipi. Nam qui tantum erogat quantum accepit, capere quid non videtur Paulo l.ciuitatibus.122.in fi.D.de legat.j.καταχρηστικῶς etiam accipitur apud Pomponium.l.j.D.de fideiuſ.tuto.vbi Accurſ.interpretatur, accipit, vel aufert: cuius interpretationem probat Alciatus in d.l.aliud. ibi fortè legi poteſt, *rapit*.nam Iuriſcoſ.ſtatim ſubiicit, *Non quidem crimine caret.*

Capere etiam accipitur pro capi facere, & iubere, in ca. cum Epiſcopus.de offic.ordi.li.6.& ita explicat ibi Io. And.Nam vt idem ait, Epiſcopus ipſe non debet aliquem tenere, aut prehendere. Sunt qui dicant, capere, poni, pro auctoritate propria capere: quorum ſententiam probat Andr.Alciat.ad d.l.aliud.

Cepiſſe etiam is intelligendus eſt, quamuis alij acquiſiuit, Paulus auctor in l.cepiſſe.D.de verb.ſig.

Capere ex teſtamento non poſſe apud Vlpianum, l.cum autem.23.§.fin.D.de ædil.edict.is dicitur cui teſtamenti factio paſſiua (vt doctores loquuntur) non eſt, & cui aliquid relinqui nõ poteſt, vt ſibi quęrat. Eodẽ ſenſu accipitur in l.fin.D.de leg.j.& l.in fraudem.10.D.de iis quæ vt indignis.& l.in tempus. D.de hæred. inſtituend.& l.ſi Titio.D.de legat.2. Capere, id eſt, capacem & habilem eſſe ad quærendum, l.ſi is qui 11.D.de vulg.l.qui non militabat.§.fin.D.de hæredibus inſtituend.l.3.D.de iure fiſci.

Capere ſolidum non poſſe dicuntur apud Terentium Clementem, l.ſi is qui.6.D.de vulg.qui totius hæreditatis acquirendæ inhabiles ſunt, & incapaces. Eodem fere ſenſu capere ad certum modum dixit C.Scæuola, l.qui teſtamentum.27.D.de probat. Hinc Capiendi ius apud Calliſtratum, l.2.§.item diui.D.de iure fiſci.& Iuuenalem in Satyr.

Si capiendi ius nullum uxori, &c.

Cepiſſe non videtur, qui per exceptionem à petitione remouetur, l.non videtur.13. D.de di.reg.iur.antiq.P.tamen Decius legiſſe videtur cœpiſſe, cum diphthongo, atque pro inchoaſſe ibi poni, improbata Accurſij interpretatione. Subiicit cepiſſe poni ibidem pro acquiſiiſſe, per gloſ.in l.ſi quis obligatione.§.fin. D.eodem.& hæc vltima vt verior, ita probabilior, receptiórque ſemper mihi viſa fuit lectio.

Cepiſſe videtur Paulo l.2.D.de calumn. qui obligatione liberatus ſit. Repetitur in l.ſi quis.115. D.de diuer. reg.iur. antiq. Idem cenſuit in l.Neſennius.22.§.fin. D.ad legem Falcid.& Iulianus in l.mortis.18.§.j.D.de mort.cauſ.don.

Capere etiam vſu, adquirere ſignificat, l.nunquam.§.2. & l.eum qui.D.de vſucap.l.2. §.cùm Stichum. D.pro empt. Eodem ſenſu,

Capere dominium dixit Vlpianus, l.ſi finita.§.Iulianus. D.de damn.infect.& in ſumma dominium Capere, Paulus l.Prætoris.5.D.eod.tit. Et,

Capere tempore, Vlpianus l.ſi aliena.§.j. D.de vſucap.& l.bonæ.48.D.de acquir.rer.domi. Et,

Capere poſſeſſione, Paulus in l.pignori.§.ſi mandauero. D.de

D.de vſucap.& l.3.§.fin.D.de acquiren.poſſeſ.

Capi interdum etiam ſignificat fraudari, & decipi, l.3.§. ergo.& l.verùm.§.ſciendum.D.de minor.& alibi paſſim in iure noſtro. Exempla tibi frequens lectio ſuppeditabit. Eodem verbo in eundem ſenſum vſus eſt & Virgilius libro 2.Æneid.

Talibus inſidiis periuriiq; arte Sinonis
Credita res, captiq; dolis, lacrymiſque coactis, &c.

Capi etiam dicebantur virgines Veſtales, flamines Diales, Pontifices, Augures, qui ſacerdotes creabãtur. Capi autem virgo propterea dicebatur, quod Pontificis Max.manu prehenſa, ab eo parente in cuius poteſtate eſt, velut bello capta dicitur. hæc Agellius lib.j.c.12. Captas in poteſtate parentũ eſſe deſinere ſcribit Vlpianus Epitom.tit.10.

Capi dicebatur arbiter, in quem litigatores conuenerãt. Terentius in Heautontim.actus 3.Scen 1.

- Simus & Crito
Vicini noſtri hic ambigunt de finibus:
Me cepere arbitrum.

C A P E S C E R E honorem, l.j.C.ſi ſer. vel libert.ad dign. aſpir.lib.11.pro ire ad capiendũ, vel aſpirare ad honorem, Plautus dixit in Bacchid. & alibi ſæpe. Virgil.pro perferre accipit. Plautus pro immittere, & recipere.

C A P I O dominij apud Paulum l.damna.18.in princ.D. de damn.infect.& V S V C A P I O, vide infr. Vſucapio, & mortis cauſſa capio, de qua in l.mortis cauſſa capimus.18.& l.mortis cauſſa capitur.31. D.de mort.cauſ. cap.& pignoris capio in l.à diuo Pio.§.ſi rerum. (aliàs in vulg.Cod.incipit, ſi ſuper.) D.de re iudic.& l.fin.C. Th.de diſtrah.pigno. Capio autem in his vſurpatur, vt ſcribit Gellius lib.7.cap.10.quaſi dicas captio.

Captus luminibus in l.vnic.C.qui morbo. dicitur oculo vtroque orbatus.

C A P T I O, deceptio, fraudatio, fallacia, l.j. D.de in integr.reſtit.l.j.D.de mino.& damnum, l.ob id.43. D.ad leg.Aquil.& l.pen.D.de vacat.mun. Hinc,

C A P T I O S A ignorantia, quæ damnum infert: contraria eſt lucroſa l.quod autem.6.§. ſi quid cum pupillo. D, quæ in fraud.cred. Et,

Captioſi Articuli, vide ſuprà Articulus.

Captioſum, damnoſum, l.ſi rem.41.D.de vſucap.& in eundem ſenſum dicitur Captioſus metus, l.item ſi.14. aliquando, D.quod metus cauſſa.

C A P T A R E à capio ductum conſtat. Captare aliquem hi à veteribus dicebantur, qui ſimulato obſequio munuſculíſve eius ſuprema iudicia aucupabantur. Martialis libro 6.Epigram.

Scis te captari, ſcis hunc, qui captat, auarum:
Et ſcis qui captat, quid, Mariane, uelit. Et eod.ſenſu,

Captare teſtamentum dixere Senec.li.6.de benefi. An vt Arnutium, & Aterium, & cæteros, qui captandorum teſtamentorum artem profeſſi ſunt, & Plinius lib.20. c.14. Et paulò, ait, antè Iulium Vindicem adſertorem illum à Nerone libertatis captatione teſtamenti lenocinatum. Erant autem Romæ qui ſenes orbos & valetudinarios locupletes demereri ſtudebant, vt ex eorum teſtamentis quid ferrent. Eiuſmodi captatores pleroſque videas, qui ex Iro inopibus magis ad diuitiarum faſtigium euehuntur. Cuiuſmodi captatoria officia ridet Lucianus in dialogis mortuorum.

Captare etiam hæreditatem in eundem ſenſum dixit Vlpianus noſter l.j.D.ſi quis aliq.teſta.prohib. & Impp. l.ſi maiores. C.de tranſact. & §.manet autem.Inſt.de ſocietate, Hinc,

C A P T A T O R I Æ inſtitutiones, Alciato li.2.Parerg.c.31. quæ ex hac cauſſa fiunt, vt ab aliquo inſtituatur quis, vel legatum, aut lucrum conſequatur: Vel quã, vt ait Papin.in l.captatorias.de hæred.inſtit. conditio confertur ad ſecretum alienæ voluntatis: id eſt, quæ ſub ea conditione fiunt quæ ex alterius teſtamẽto pendet. Alciati ſententiam probat Ant.Auguſtin.lib.4.Emendationum, c.15.vbi huius inſtitutionis hanc tradit formulam: Titius qua ex parte me hæredẽ inſtituerit, ex ea parte hæres mihi eſto. Hæ improbatæ ſunt per SC. Libonianum, illáſque nullius eſſe momẽti diuus Philippus reſcripſit, l.captatorias.11.C.de teſta.milit.quod & in captioſis ſcripturis Gaius reſpondit, l.captatoriȩ. 64.D.de legat.j. Quæ & ad eas inſtitutiones, legata, & huiuſmodi cæteras liberalitates ſubdoloſorum blanditiis expreſſas eadem æquitatis ratione produci poteſt. Planè, quæ ex mutuis adfectionibus dimanarunt iudicia, non improbauit Senatus, d.l.captatorias.& l. ſeq.& l.Clemens. D.de hæredibus inſtituend. & Nouell.Valent.tit.4.de Leonio. Sed & in piis cauſſis captatoriæ inſtitutioni locum eſſe Bartolus tradit, l.captatorias. D.de hæredibus inſtituen. adfert Decretalem Pontificis epiſtolam, c.cum tibi.extr.de teſtamen. Qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem conuertit, non videtur diſcedere inteſtatus. vbi de captatoria nullum verbum, ſed de voluntate in alterius diſpoſitione commiſſa: quod legitimo modo intelligendum eſt. Tu vide ibi Bernar. gloſſularium, & alios interpretes. Conſtant. Harmenop.libri 5.cap.8. hanc captatoriam inſtitutionẽ, *χάριν ἀμειβομένην* vocat.

Captari verba dicuntur apud Paulum in l.pen.D.ad exhibendum. cùm torquentur in aliam ſignificationem, quàm intellexeritis qui ea pronuntiauit, vt ait Auguſtinus lib.4.Emendationum, c.5.

C A P T I V V S à capio dictus, ſignificat eum, qui bello captus eſt, l.4.iuncta l.5.§.captiuus.D.de captiuis & poſtliminio reuerſ.& §.ſerui.Inſtitut.de iure perſonarum. quo ſenſu accipitur apud Agellium, li.7.c.18.& Virgilium lib.9.Æneid.

Præterea bis ſex genitor lectiſsima matrum
Corpora, captiuóſque dabit, ſuáque omnibus arma.

Sic quoque ſumitur in diuorum Seueri, & Antonini reſcripto, l.j.C.de poſtliminio reuerſ. Hinc in eundem ſenſum Captiuitas l.fin.C.eod.& d.§.ſerui.

C A P S A, cyſta, quòd in ſe res repoſitas, reconditáſve capiat. Hinc,

C A P S A R I I, qui mercede ſeruãda in balneis veſtimenta ſuſcipiunt: ita definit Paulus, l.3.§.fina. D.de officio præfect.vig. quam definitionem probat Epiphanius lib.2.Panar.in hæc verba, πρῶτον γὰρ φασὶ τοὺς ταύτους τὰς αὐτῶν ἐκκλησίας ἤτοι φωλεοὺς καὶ σπηλύγγας ἐν ὑποκαύστοις οἰκοδομεῖσθαι· ἐν δὲ τῷ εἰσιέναι ἱματιοφύλακες εἰσί τινες πρὸς ταῖς θύραις δίκην καψαρίων, ὑπ' αὐτῶν ἐπιτεταγμένοι. Pars autem ea balnei in qua conſtituebantur capſarij, ἀποδυτήριον dicebantur. Capſarij etiam dicũtur Vlpiano, qui pueris euntibus in ſcholã libros portant, l.ſi collectaneus. 13. D.de manumiſſ. vind ct. quo ſenſu accipitur apud Suetonium in Nerone c.36. Conſtat, ait, quoſdam cum pædagogis, & capſariis vno prandio pariter necatos. Eodem pertinet quod ait Iuuenalis Satyra 10.

Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Mineruam,
Quem ſequitur cuſtos anguſtæ uernula capſæ.

Capſarij autem in qua ſignificatione accipi debeant apud Tarruntenum Paternum l.fin. D.de iure immunitatis nondum planè conſtat: ſuperioribus duabus non continentur. neq; enim his tributa cẽſenda eſt munerum grauiorum vacatio: neque pro capſarum artificibus accipi ibidem poteſt, vt quidam Lexicographi autumant. Nam illic non ſubieciſſet Iuriſcoſ.& artificibus. Tu conſule Baſilica in eum Paterni locum.

C A P T A T O R I Æ inſtitutiones, vide Captare. in verbo Capio.

C A P V T ex Græco ductum, vt Feſtus lib.3.ſcriptum reliquit: quod illi interdum κάρα dicunt, ídque per apocopen, pro κάρανον. Varia, & multipiex eſt huius verbi acceptio.

acceptio. Primùm quidem Caput, quia principale hominis membrum, & rationis ſedes eſt, à Platone in Timæo diuiniſſimum appellatur: ideóque συνεκδοχικῶς pro toto homine ponitur: & ſic pro perſona apud Paulũ.l.2.D.de public.iud.l.3.D.de cap.minut.l.7.verſi. ex nouis.in fi.D.eod.& Papinianum.l.pen. §.teſtamẽto.D.de bonorum poſſeſſio.ſecũdum tabulas. Eodem ſenſu κεφάλαιον à Græcis, vt apud Lucianum, ὤ, τι περὶ κεφάλαιον τὸ κάτωθεν ἤγαγες, quodnã caput ex inferis eduxiſti? Sic etiam caput dicitur quodcunque in recenſione numerũ efficit, à Dialecticis indiuiduum appellatum. Hinc in gregibus & armentis tot capita numerantur, quot beſtiæ ſunt.l.j.§.vlt.& l.3.D. de rei vindi.l. 13.de pign. Vnde in locum demortuorum alia ſubſtituere, apud Vlp.l.8.& l.70.D.de vſufr. quo eodem modo Vlp.in l.pronuntiatũ.195.D.de verb. ſig. ita ſcripſit: & cum paterfamilias moritur, quotquot capita ei ſubiecta fuerint, ſingulas familias incipiunt habere. Hinc Tributum capitis dicitur à Iuriſco. quod in ſingulas perſonas imperatur.l.3.& l.vlt.D.de cenſi. Hinc cenſa dicuntur ciuium capita, cum à cenſoribus in luſtris condendis eorum nomina in tabulas publicas relata ſunt. Hinc apud Papinianũ.l.11.§.2.D. de bon.poſ.qui ſe arrogandum dat, cum capite fortunas quoque ſuas in aliam domum ac familiam transferre dicitur: id eſt cum ſua perſona, vt vulgus loquitur. Hinc diuiſio in capita, id eſt in viriles, Vlp l.2.§.1.D.de ſuis & le.§.noſtra autem.Inſt.de hæred. quæ ab inteſtato defertur. quod Iuſt. κατὰ τὸν τῶν προσώπων ἀριθμὸν interpretatur, ſcilicet vt æquales partes quiſque ferat: cui opponitur ea quæ in ſtirpes dicitur. Hinc cum ordinis alicuius quoddam ius eſt proprium ac præcipuum, ſi quis ex illo ordine moueatur in quo caput ſiue numerum obtinebat, capite minutus dicitur, id eſt iure illo, quod illius ordinis erat proprium, priuatus ac deminutus. Hinc capitis deminutio apud Iuriſconſultos. Nam in eo tractatu Caput ſine dubio ius ſignificat, ex eo alicui quæſitum, quòd caput ſiue locum in ordine aliquo, cuius erat illud ius, obtinet. Qua de cauſſa, Paulus in l.3. in fi.D.de ca.min. ſeruũ capite minui negat: quia nullum, inquit, ius habet. Exempli cauſſa, liberis hominibus, qui nondum tamen tributum obtinent, facultas eſt (quæ & libertas appellatur) quidlibet faciendi. Quare qui in eum ordinem (ſic enim Cicero loquitur) cooptatur, caput iam habere dicitur. vnde ſeruus qui pro libertate pretium perſoluit, precium pro capite ſoluere dicitur, apud Plautum & Iuriſconſultos frequentiſſime, id eſt vt liceat illi caput in ordine libertorum obtinere: qui ſi poſtea libertate multetur, capite, id eſt iure libertorum minutus dicetur.l.vlt.D. de cap.minut.

CAPVT liberum, pro homine libero veteres dicebant: Hinc illa definitio Seruij in l.j.D.de tut. Tutela eſt vis ac poteſtas in capite libero.& apud Agellium lib.5.c. 19. Tutoribus in pupillos tantam eſſe auctoritatem fas non eſt, vt caput liberum fidei ſuæ cõmiſſum, alienæ ditioni ſubiiciant. Hinc

Caput liberum facere, pro manumittere, apud Plautum in Mercat. Liberum caput tibi faciam paucos menſes. Hinc

pro Capite pecuniam ſoluere, id eſt pro libertate, Plautus in Perſa, Vt des mihi numos ſexcentos, quos pro capite pendam. Idem in Pſeudolo, Actu.j. Tu autem, qui pro capite argentum mihi iam iamque ſæpè numeras. Seneca Epiſtola.j.libr. 11. Eripe te hac ſeruitute, quam extremæ quoque conditionis mancipia, & in his ſordibus nata exuere conantur, peculium ſuum, quod comparauerunt capite fraudato, pro capite numerant. Hinc in eandem ſignificationem, in Caput alicuius interrogari, Arcadius. l. de minore. §. poteſt. D.de quæſtionib. torqueri Vlpianus.l.j. §. ſeruum. D. eodem. aiunt, & teſtimonium dicere idem dixit.l. qui cum.14.§.is demum.D.de bon.li.pro in perſonam.

Caput etiam ſtatum ſignificat. Sic capite minuti dicũtur, qui ſtatum mutãt, in edicto Prætoris.l.2.§.j. D.de cap. minut. vnde Capitis minutionem ſtatus mutationem definit Gaius.l.j.D.de cap.minut. id eſt ademptionem iuris eius quod quis vel ex libertate, vel ex ciuitate, vel ex agnatione proprium habebat. Hinc

CAPITE DEMINVTVS dicitur, qui mutatus eſt ciuitate, & ex alia familia in aliam adoptatus: & qui liber alteri mancipio datus eſt: & qui in hoſtium poteſtatẽ venit: & cui aqua & igni interdictum eſt. Feſtus. Hinc

Capitis deminutio, quã in tria genera diſtribuit Paulus.l. fi.D.eod. in maximam, mediam, minimam. Tria enim ſunt, inquit, quæ habemus: libertatem, ciuitatem, familiam. Igitur cùm omnia hæc amittimus, hoc eſt libertatem, ciuitatem & familiam, maximam eſſe capitis deminutionem. Cùm verò amittimus ciuitatem, libertatem retinemus, mediam eſſe capitis deminutionem. Cùm & libertas, & ciuitas retinetur, familia tantùm mutatur, minimam eſſe capitis deminutionẽ conſtat. Quam Pauli diuiſionem & probat, & explicat Iuſtinianus Inſtitut.de capit.deminut. Vlpianus tamen genera duo conſtituiſſe tantùm viſus eſt, magnã & minorem.l.j.§.ſi filius.D.de ſuis & legit.hæred. Minorem, mediam interpretatur illic Accurſius, quod probatur in §.minor.inſtit.de cap. deminut. Hanc velut ἀντινομίαν ita conciliandam putem, vt minore etiã minima contineatur. Hoc probatur iũctis §§.ſi filius. & minor. Sed enim magna Capitis deminutione etiã mediam comprehendunt plerunque Iuriſconſulti.l.j. §.capitis.D.ad Senatuſconſultum Tertyllianum. quod & Seuerino Boethio probatur, qui deportationẽ maximam capitis deminutionem appellauit.

CAPITA deminuta, capiuntur pro capitatione, pro tributo videlicet, quod pro ſingulo quoque capite exigebatur. Pacatus in Panegyr. Quid memorem capita deminuta, & vitam ære taxatam? Alciat.l. vnic. C.de colonis Tracen.lib.11.

Caput quoque initium ſignificat, in ea formula, à Capite rationem reddere, id eſt, ab ipſo actus geſti initio.l. atquin.19.§.j.D.de neg.geſt. Originem aquæ primam ſonat.l.aquam.16.D.quemadmod.ſeruit. amitt.l.ſeruitus.9.D.de ſeruit.ruſti. quod & Vlpianus his verbis.l.j. §.caput.D.de aqua quotidiana & æſti. explicat: Caput aquæ illud eſt, vnde aqua naſcitur. Vitruuius lib. 7. c. j. Tum deprimendus eſt puteus in eo loco, & ſi erit caput aquæ inuentum, plures ſunt circà fodiendi. Siculus Flaccus libro de conditione agror. Quidam, ait, enim riui ab origine, id eſt, à capite, donec in mari defluant, fines poſſeſſionibus præſtant. Sæpiſſimè hoc verbo in eundem ſenſum vtitur I. Frontinus lib.j.de aquæduct.

Caput rationum, eam ſolam partem, quæ ad inſtruendũ aliquem pertinet, ſignificat, velut ſumma.l.argẽtarius. §.j.D.de edendo. Accurſius ibi à capite, id eſt, cum die & conſule, quæ ſunt in capite, interpretatur: quod ineptum eſt. Bart. appellat particulam illam ſeiunctam, quæ ad rem pertinet, & qua de agitur. quod & veriſſimum eſt, vulgò Capitulum vocatur: quo ſenſu ſæpè κεφάλαιον apud Græcos reperias. Sic eodem ſenſu Caput mandatorum dixit Marcianus.l.diuus.6. D. de cuſto.reorum.& caput Edicti Varro lib.5. Linguæ Lat.

Caput anni, pro initio accipi adnotat Accurſius.l.j.C. quando dies legat.ced. Caput montis appellat Bart. in tract. de inſula.§.quod frequenter. numero 5. per l.j.C. quando dies leg.ced. quod ſupra partem ſuperiorem eleuatum eſt. Caput rei etiam vocat, per quam in illam rem ingredimur. Caput prouinciæ dicitur ciuitas honorabilior: Bart.d.§.quod frequenter accidit. per l.

inter claras.in princ.C.de ſumma Trinit. Caput contubernij,apud Vegetiũ lib.2.c.8.denis militibus præpoſitos ſignificat.

CAPITA pro fœno,paleis,& iumentorum pabulis poni ſolebat.l.j.quæ Græca eſt.C.de ann.& trib.lib.10.& in tit.de annonis & capitu,& alibi ſæpe.Marcellinus lib. 22.Pabula,inquit, iumentorum, quæ vulgò dictitant capita.Caſſiodorus lib.7.Epiſt.Var.Ad equos capitum definitum.Capitu autem in d.tit.cum effertur,quidam mendoſum exiſtimant, & capitibus, alij capitatione reponunt:nec animaduertunt ea forma dictum qua ſignificatu,quarta nominum declinatione, & ſcribatu,l.j.D.de mun.& honor.tametſi, capitibus, ſuſtineri poteſt.

Capita officij,primates officij ſonant.l.2. C. de proximis ſacr.ſcrin.vt colligitur ex l.fin.de offic.diuerſ.libr.j.C. Vtriuſque legis eadem eſt ſpecies, & ſic geminantur, vt adnotaui lib.j.Mediæ Iuriſprudentiæ. Capita ſcholarum,dicuntur milites in ordine caſtrenſi, Marcellino lib.25.

Capitis etiam appellatione ſors principalis continetur. l.vnic.in fin.C.Theod.de vſurp.rei iudic. Sed capitis, ait,quidem duplæ , vſurarũ verò ſimplæ.Ambroſius.c. 5.de Tobia. Offertur , inquit , pecunia creditori , vix exoluis vſuram,caput debes.Sic Græcis κεφάλαιον, ſicut in ea re teſtis Æſchines clariſſimus apud eos Orator, ἕως τὸ κεφάλαιον ἀπέδοσαν, quo ad ſummam ſoluerunt & ſortem.

Capita nũdinatitia appellat Tertullianus in lib.de velandis virginib.petulantiam , impudentiam oſtentatitiæ virginitatis.Vtinam talibus carerent vrbes pleræque, vbi πολλαὶ ἑαυτὰς ὀφθαλμοῖς ſe proſtituunt,vt ait Ariſtophanes in Nubibus.

Ex Capite huiuſmodi formulas & apud iuris Ciuilis, & aliarũ rerũ claſſicos auctores conceptas animaduerti.

Caput noxa ſequitur,prouerbium apud Iuriſcon.l. j.§.14. D.depoſ.& l.qui ex pluribus.20.& l.vlt.D. de nox.act. in quo vox Caput pro perſona quæ caput habeat, & cum qua lege agi poſſit, poſitum eſt:veluti, quandiu Parmeno meus eſt ſeruus,eius ſum caput.

Capitis accuſare apud Vlpianum.l.qui cum maior.14.§.is demum.D.de bo.libert.videtur,qui tali iudicio adpetit,cuius pœna aut ſuppliciũ habuit, aut exilium quod ſit vice deportationis,vbi ciuitas amittitur:quod probat Terentius Clemens.l.cum patronum.10.D. de iur. patro.Sic accipitur in l.ſi filius,§. pen, D. de fideicõm. libert.

Capitis anquirere apud Liuium lib.26.capitaliter accuſare.Capite litẽ æſtimare apud M. Ciceronẽ in Cluentiana,eſt capitales concluſiones concipere:Vt lis hæc, ait,capitis æſtimaretur.

Capite cauere,Budæo in Forenſibus, eſt ſub vita, & honore promittere,ex M.Cicerone.

Capite,& fortunis cauere,eidem ex Plinio, eſt obligare perſonam,& bona.

Capite cenſi Agellio lib.16.c.10.qui nullo, aut paruo ære cenſebantur.Extremus autem cenſus capite cẽſorum fuit æris.375.

Capitis iudicium facere,apud Macrum. l.lex.7. D. de leg. Iul.repet.accuſare.

Capite ſancire Budæo in Forenſibus, defendere ſub pœna ſuſpendij.

CAPITAL à capite ducitur, vt ait Varro libr. 4.Ling. Lat.eſtque,vt idem ſcribit,texta faſciola,qua capillum in capite colligarent,quod ſacerdotulæ in capite etiã nunc ſolent habere. At Feſtus libr. 3. Linteum fuiſſe quoddam,quo in ſacrificiis vterentur, tradit. Capital alia ſignificatione eſt Capitis periculum,crimen capite vindicandum,vt explicat Nonius,quod capitis pœna luitur,vt Feſtus eodem lib. Sic accipitur Apud Arrium Menandrum.l.omne.6.§.4. D. de re milit. Siquis commilitonem vulnerauit, ſiquidem lapide, militia reiicitur:ſi gladio,capital admittit.& Calliſtratum in l.fi.D.de termin.mot.Cic.de Leg.lib.2. Quique nõ paruerit,capital eſto.

CAPITALIA iudicia ea dicũtur,ex quibus pœna mors, aut exilium eſt, hoc eſt,aquæ & ignis interdictio.per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate.ita definit Paulus.l.2.D.de public. iudic. De iiſdem loquitur collega eius Vlpianus.l.ſeruum.33.§.publicè. D. de procuratoribus.Non capitalia autem ſunt,ex quibus, aut in corpus aliqua coërtio pœna eſt.d.l.2.

Capitalis omnis cauſſa , licet Latinè loquentibus exiſtimationis eſſe videatur,tamen appellationem capitalem mortis,vel amiſſionis ciuitatis intelligendam eſſe ſcribit Modeſtinus.l.licet.103.D. de verb. ſig. in quem videndos relinquo Bartol. Alberic. & Alciatum,& M. Ciceronem in Orat.pro P.Quinctio. Quod ait Modeſtinus,Omnis,etiã ad ciuiles cauſſas pertinet, quæ infamant.

CAPITALE CRIMEN dicitur, Bart.interprete in l. 2.D.de public.iudic.ſiue ſit mors naturalis, ſiue ciuilis. Quærit deinde vtrum in dubio crimen capitale ſit, ſi pro crimine duæ imponantur pœnæ alternatiuæ. Reſpondet,capitale.

Capitalis homo dicitur,qui facinus capite vindicandum admiſit,vt colligitur ex Pauli ſententia.l.2.D. de public.iud.

Capitales inimicitiæ apud Iuſtinianum.§. inimicitiæ. Inſtit.de excuſatione tut.ſiue(vt Modeſtinus.l.ἐὰν δύο.6. §.ἀφίενται.D.eod.) κεφαλικὴ ἔχθρα, ob capitalem accuſationem ortæ, A.Auguſt.lib.ſingul.ad d.l.6. quam definitionem probat Cuiacius anteceſſor ad dictam.l.6. per Nouel.6.§.εἰ μέντοι τις.Sic etiam accipi debent inimicitiæ in Decretali.Pontific. Epiſtola. c. quamuis.de ſent.excom.& c.Deceterò.extrà eod.

Capitales quæ pœnæ ſint,diſces ex Calliſtrato,pœnarum capitalium gradus diſtribuente.l.capitaliũ.D.de pœn. Primus eſt mors,cui variè addicuntur rei. d. l. capitalium.Secundus,metalli coërcitio : tertius deportatio, d.l.capitalium.vbi vide Alberic.Roſarium, & Felin.c. qualiter,& quando.lo.2.extrà de accuſationibus.

Capitalis rei damnatum intelligere debemus ex Africano.l.edicto.13.D.de bonorum poſſeſſ. cui pœna mors aut aquæ & ignis interdictio ſit.Vlpiano illo non diſſentiẽte.l.2.D.de pœn.qui ait eſſe,ex qua cauſſa mors, vel etiam ciuitatis amiſſio,vel ſeruitus contingit. Eodem quo & ſuperiora ſenſu accipienda eſt.

Capitalis ſententia,apud Hermogenianum.l.ſi quis.22.§. miles.D.de legat.3.

Capitalem diem dicere reo.

Capitalem fraudem admittere,in edicto Ædilium Curulium.l.j. D. de ædil.edict.eſt tale aliquid delinquere, propter quod delinquens capite puniendus ſit.l. cùm autem.§.excipitur.de ædil.edic.D.veteres enim fraudem , pro pœna ponere ſolitos fuiſſe refert ibidem Vlpian.

CAPITALES TRIVMVIRI Romæ erãt,ad quos capitalium cauſarum animaduerſio ſpectabat, carceriſque cuſtodia:vt cùm animaduerti oporteret, interuẽtu eorum fieret,auctor Pomp.l.2.§. deinde cùm eſſet. D.de orig.iur.Quæ verò ratio fuerit olim in facinoroſos animaduertendi , Budæus refert in prioribus adnot.

CAPITATIO,tributi ſpecies,apud Arcadium Cariſiũ l.fi.§.pen.D.de muner.& honor.l.ſacroſancta.8.C.de ſacroſanctis eccleſ. in l. eccleſiis.& l. quiſquis. C. de epiſc.& cler.l.j.& 2.C.Th.de immu.cõceſ.& alibi quæ perſonalis erat,& capiti ſiue perſonæ magis, quàm rebus aut facultatibus impenebatur, & ab iis etiam

qui

qui nullum cenſum haberent, nullàque prædia poſſiderent, exigebatur: ſicuti olim Romæ capite cẽſi fuerant. Sicque ſumitur etiam in l. vnic. C. de capita. ciui. cenſib. lib. 11. & alibi ſæpè. Eodem quo in d. l. vnica. ſenſu dicuntur Capita releuata, in l. 6. C. Th. de conlat. don. vbi etiam de capitatione humana fit mentio. Capitatio etiam annonariam pro mẽſura agrorum functionem, indictámque poſſeſſionibus pro iugorum & capitum quibus coluntur, & arantur, numero collationem deſignat. l. ſi minor. C. de act. empt. l. fi. C. Th. ſine cenſ. vel reliq. Huius autem appellationis ratio hæc reddi poteſt, quòd iumenta Capita vocarentur apud A. Marcellinum, quorum iugo vno quãtum arari poterat, id ſubiugationis appellatione in deſcriptionẽ veniebat, tributariæque functioni ſubiiciebatur. inde Capita & iuga, & Capitationem & iugationem in eadem oratione, tanquam parem vim habeant, poni videas. l. immunitates. de agr. & cenſ. lib. 11. C. Dicitur & iunctim iugorum capitatio. l. j. C. Theod. de immunit. conceſ. & ζυγοκέφαλον Nouell. 17. §. ἀναγκάσεις. quod Iulianus Patritius vertit, *iugera*, vel (vt alij legunt) *iuga*. Eam conlationem pro numero iugorum, & capitum, quæ quiſque poſſidebat, factam dilucidè oſtendit l. fi. C. de immu. nem. conced. Vide Carol. Molin. in Conſ. Pariſ. tit. *des droits ſeigneuriaux* in proœm. nu. 9.

Capitia Nonius interpretatur, capitum tegmina: tamen Varro capitium dictum putat ab eo quod capit pectus, id eſt, vt antiqui dicebant, indutu comprehendit. Vlpianus autem inter muliebres veſtes recenſet. l. 23. §. j. D. de aur. arg.

Capitvlvm non ſolùm paruum caput ſonat, vt eſt apud Terentium: quod & notat Panorm. in c. capitulum. extrà de reſcript. ſed & ponitur vt diſtinguat vnã materiam ab alia, & ſic dicũtur capitula Decretalium. Nam quælibet Decretalis per ſe Capitulum dicitur. quo ſenſu accipitur in c. quod in dubiis. & c. inter alia. de ſentent. excommunicat. Quandoque ponitur Capitvlvm pro loco vbi Canonici cõgregantur: qua ſignificatione accipi ait Panormitanus in c. in cauſſis. de electionib. Sed verius eſt & rei magis congruum, vt accipiatur pro ipſo canonicorum collegio, & pro ipſis canonicis congregatis: ſic accipitur in d. cap. capitulum.

Capitulum interdum ſignificat κεφαλικὴν συντέλειαν, id eſt temonariã functionem. l. 15. & l. 18. C. Theodoſ. de extraordinar. ſiue ſordid. mun. Sic accipi & legi debet in l. maximarum. 12. C. de excuſatione muner. Eadẽ functio Capitularia appellatur. l. 14. C. Theodoſ. de extraordinariis, ſiue ſordid. muner. Vide Temonarii.

Capitvlvm Feſto lib. 3. veſtimenti genus quo caput tegebatur.

Capitvlares à capite ducuntur: ſunt autem libri ſtatutorum, eorum capitula continentes, gloſ. in auth. caſſa. C. de ſacroſanctis eccleſiis.

Capitvlarii, capitum exactores, Symmacho 11. Epiſtol. qui & Cephalæotæ dici cœpti ſunt. l. fi. C. Th. de patroc. vicor. qui & liturgi. d. l. fi. & de capitulariis l. 2. C. de priuil. eo. qui in ſac. pala. milit.

Capitularij horreorum, & tabernariorum, apud Caſſiodo. in lib. variarum.

Capitanei dicuntur, qui Latinis ſunt Principes, aut Proceres: quod tanquam caput reliquo corpori, ſic illi reliquis ciuibus præſunt. Horum duæ ſpecies numerantur. nam alij ſunt Capitanei Regni, quo verbo Duces, Comites, Marchiones intelliguntur: ac propriè Capitanei nominantur. lib. Feud. j. tit. j. §. j. & tit. 7. Alij verò impropriè, qui vrbium præfecti ſunt, quibus plebs ab aliquo ſuperiorum gubernanda commiſſa eſt: qui & valuaſores Regij, aut maiores appellantur. lib. feud. 4. tit. j. §. j. & tit. 7. & tit. 17.

Capitolivm ex eo dictum ait D. Halicarnaſſæus, quòd caput illic inuentum eſt, ideóque caput Italiæ eſt: ibi varia fuiſſe auditoria conſtituta docentiũ conſtat. l. vnic. C. de ſtudi. liber. vrb. Rom. lib. 11. Templũ erat Iouis in cliuo Tarpeio aſcenſu (vt puta) difficile. Hinc conditiones conceptæ quæ in faciendo conſiſtunt, vel non faciendo. l. ſi iam. 11. & l. Mutianæ. 7. D. de conditione & demonſtratione. Antea tẽpore Legum Decemuiralium Arx Tarpeia appellabatur. Ait lex, Qvi falsvm testimonivm dixerit, saxo tarpeio deiicitor. Quod pœnæ genus iure optimo abrogatum eſt, imo & vetitum l. ſi diutino. §. fi. D. de pœn.

Capitvlenses apud Paulum l. fi. D. de cenſibus. populi ſunt Italiæ, à Capitulo oppido, cuius commeminit Plinius lib. 3. cap. 5. Illis tributum capitis remiſſum fuit. d. l. fi.

Capſoldum, Saliceto, & Alciato. l. priuilegia. C. de ſacroſanctis eccleſiis. quòd de ſolido, id eſt, integro carpatur: Collybus, κόλλυβος, rectius appellatur, detrimentũ que pecuniæ ſignificat. Ariſtophanis interpres εἶδος ἀντὶ τελοῦς νομίσματος eſſe ait. alij dicunt pecuniã eſſe, quæ Numulario datur pro pecunia commutanda.

Carbonvm appellatione ligna ad eos coquendos conficiendóſque non contineri Vlpianus ait. l. ligni. 55. §. ſi lignum. D. de legatis. 3. repetita in l. carbonum. 167. D. de verb. ſignific. Sed nec titiones, & alia ligna cocta ne fumum faciant, carbonibus adnumeranda ibidem ſcribit idem. Quid igitur eſt Carbo? tum dicitur, cùm pruna extincta eſt. Græcis ἄνθραξ. Huius meminere Papinianus. l. 4. §. modum. de ſeruit. tit. gen. & Vlpianus. l. fundi. 17. §. ſi ruta. D. de actio. empt. Carbonis autem inlatio ſordidis, extraordinariiſque muneribus connumeratur. l. 15. & l. 18. C. The. de extraord. ſiue ſordid. muner.

Carboniana bonorum poſſeſſio, vide ſuprà Bonorum poſſeſſio. Dicitur autem à Carboniano inuentore, vel auctore. Et datur ſolo nato, & non naſcituro: in quo differt ab edicto de ventre in poſſeſſionem mittendo, quod ſubuenit naſcituro. Vide tot. tit. de Carbo. edicto. D.

Carcer, ait Seruius lib. j. et 5. Æneidos, eſt vndecunque exire prohibemur: ſic dictus ſecundum Varronẽ, quaſi arcer, ab arcendo: quod Vlpianus probat. l. aut damnum. 8. §. ſolent. D. de pœn. Carcer, ait, ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet. Carcerem etiam pro palæſtra interpretari ſic ait Tertullian. lib. ad Martyres. Bart. tamen in tract. de Carceribus: Carcer, ait, eſt locus ſecurus, & horribilis repertus non ad pœnam, ſed ad delinquentium vel debitorum cuſtodiam. At Ciceronis tempore, hoc eſt, ſtante Repub. quoniam in carcerem damnati coniiciebãtur, ibíque de iis ſupplicium ſumebatur, idcirco in Catilinaria 11. ipſe ſic loquitur: Sentiet in hac vrbe eſſe Cõſules vigilantes, eſſe egregios magiſtratus, eſſe fortẽ ſenatum, eſſe arma, eſſe carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifeſtorum ſcelerum maiores noſtri voluerunt. Carcer verò bifariam intelligitur: publicus & priuatus. Publicus carcer eſt, quem magiſtratus habet ad continendos homines, non ad puniendos: & in hunc ſenſum accipitur in l. j. & tot. tit. C. de cuſtodia reo. Priuatus carcer eſt, quem habent nulla poteſtate legitima præditi, vim illicitam exercentes priuatim: & talis ſub pœna vltimi ſupplicij interdictus eſt omnibus, in l. vnic. C. de priuat. carceribus. & l. ſuccurritur. D. ex quibus cauſis maiores. Porrò qui videantur incidere in l. vnic. D. de priui. carcer. docet eleganti diſtinctione Bar. l. c. 5. D. de adulter. quem omnino vide. Verum eſſe eum, qui in carcere clauſus eſt, nõ videri neque vinctum, neque in vinculis eſſe, niſi corpori eius

vincula ſint adhibita, dicit Vlpianus in l. verum eſt. 216. D. de verb. ſignifi. Carceris quoque alia diuiſio eſt. Nam quidam eſt ad cuſtodiam, alius ad pœnam. De primo agitur. C. toto tit. de cuſto. reo. & dicto. §. ſolet. De ſecũdo quidam textum eſſe aiunt in l. 2. C. de exactione tributorum lib. 10. Equidem de loco cuſtodiæ cauſa facto accipiendum putem, quod & docemur eadem. l. ſecunda, ibi, & in vſu hominum inſtituta cuſtodia. Nec moueor eo textu dicente, Carcer pœnalium, Carcer eſt hominum noxiorum, ad eos, ſcilicet, cuſtodiendos. Pontificiis tamen Carcerem, pœnæ eſſe liquet. c. quamuis. de pœnis libr. 6. & Clementina. j. §. duro. de hæreticis.

CARCERATICVM, merces quæ datur carceris cuſtodibus. l. diuus. §. panniculariа, ibi, vt putà Carceraticũ. D. de bonis damnatorum. quam lectionem improbat G. Haloander, & pro eo, Chariſticum repoſuit. Vtranque lectionem reiicit Pand, Florenti, editio, & pro eo legit Chartiaticum, idque rectiſſime. vide infrà Chartiaticum.

CARDAMOMVM, apud Marcianum. l. fin. §. ſpecies. D. de publica. & vectigal. fruticis genus amomo ſimile, ſemine oblongo, Plinio lib. 12. c. 11: qui huius genera recenſet. & vide Iſidorum lib. 17. c. 9. & Dioſcoridem libr. j.

CARDINEM vocat Hygenus lib. de limitibus conſtit. limitem à meridiano ad Septentrionem.

CARDINALES, à Cardine ducti ſunt, quia ſicut cardine regitur oſtium, ita eccleſia bono eorum conſilio, not. in c. ſacroſancta. ad fi. 21. diſtinctio. & Archidia. in c. vbi periculum. §. hoc ſacro. de elect. lib. 6. vbi explicat eorum officium. Cardinalem pro epiſcopo interpretatur gl. in c. relatio. 21. q. j. Maiorem autem dignitatem non habent, quàm epiſcopus, Bart. l. j. §. ſi quis. verſi. ſimile videmus. D. de appellat. Cardinales etiam olim Conſiliarij adpellabantur Romano in ſermone poſt conſilia. c. eccleſiaſticis. 12. q. 2.

CARDINALATVS, quo iure inductus, & de eorum præſtantia, A. Barbatius tractatu de Cardinalium præſtantia docet.

CAREAT VIRIBVS FORMVLA, vim latæ ſententiæ habet, quod probat decretalis epiſtola. c. pen. de deſponſ. impub. & c. ad hæc. de reſcriptis in antiq. Vide Fel. Sandæum. c. ex tenore. & c. Rodolphus. eo. tit.

CARERE IMPETRATIS, in l. pen. C. ſi contra ius. id eſt, non frui beneficio literarum à principe obtentarum: quod pragmatici Galli dicunt, *Eſtre debouté de l'effect des lettres Royaux obtenues.* eodem ſenſu accipitur in c. j. de ſchiſmatic.

Carere crimine falſi, in diui Antonini reſcripto. l. vnic. C. ne tut. vel cura. vectig. conduc. eſt immunis eſſe falſitatis, & vacare eo ſcelere.

Carere lanam, apud Varronem, pro purgare, ac ita deducere, vt careat ſpurcitia.

CARENA, aliàs Carentena, dicitur à carentia hominũ vel cibariorum. Nam per quadraginta dies ieiunant in pane, & aqua, & includuntur in aliquo ſecreto loco iuxta Eccleſiam, vbi non habent conſortium hominũ: vt no. Bernard. in c. accepiſti. de ſpõſa duor. & eſt vulgare Italicorum. adde. c. Accuſaſti. de accu. & ſimile no. gl. in c. 2. de ſpon.

CARICÆ apud Proculum inter dulcia numerantur. l. fi. §. cui dulcia. D. de trit. vin. & oleo leg. & ficus ſiccas ſignificant, vt ait Plinius. Harum ſingularum nucibus, viginti foliis rutæ, granis aliquot iuniperi, aceto, & grano ſalis miſtarum ea vis eſt, vt peſtem auertant, vt ab eruditiſſimo medico mihi amiciſſ. accepi: quo remedij genere vtebar, cum hæc ſcriberem. Nam tũ peſtis inualeſcebat Lugduni anno. 1564. quod Deus Opt. Max. auertat.

CAREVM, apud Paulum. l. non omne. 5. D. de pen. legat. frutex peregrinus, Plinio lib. 19. c. 8. Peregrinum, ait, & careum, gentis ſuæ nomine appellatũ, culinis principale. In quacunque terra ſeri vult, ratione eadem, quà oluſatrum. Laudatiſſimum tamen in Caria, proximum in Phrygia.

CARINA, in l. Minicius. D. de rei vindic. pars ea nauis eſt, quam aluum, aut ventrem adpellant. Sic accipitur in l. quuod in rerum. §. fi. D. de leg. j. Hinc

CARINANTES, Feſto lib. 3. probra obiectantes: à carina dicti, quæ infima pars nauis eſt: ſic illi ſortis infimæ.

CARNIFEX pop. Rom. non modò ciuis Romanus non erat, ſed ne in vrbe quidem domicilium ei habere licebat. Cicer. pro C. Rabirio perduell. Sed moreretur prius acerbiſſima morte millies Gracchus, quam in eius concione carnifex conſiſteret, quem non modò foro, ſed etiam cælo hoc ac ſpiritu Cenſoriæ leges, ac vrbis domicilio carere voluerunt. Carnificis autem, vt ait Feſtus, loco habebatur, qui ſe vt moreretur, vulneraſſet.

CARPENTARII, in l. fin. D. de iure immunitatis. & l. vnic. C. de excuſ. artif. in Baſilic. σαγματοποιοὶ, qui σάγματα τῶν καμήλων faciunt, id eſt, clitellas, quæ Latinè Carpenta dici poſſunt. Carpentarius ſpeciale nomen eſſe Iſidorus ſcribit lib. 10. c. 19. Carpentum autem genus erat vehiculi, vt ex lib. 1. Faſtorum Ouidij colliges:

Nam priùs Auſonias matres carpenta vehebant.

Καρπισμὸς, apud Clementem Alexand. lib. 5. στρωμάτων, id eſt manuum correptio, & vindiciæ, à Chariſio καρπιστεία dicitur, quod manus brachiale caperetur qui carpus dicitur. Id & Gellius indicat ſcribens: Vindiciæ correptione manus in re atque loco præſenti apud Prætorem fiebant. Hinc

Καρπιστὴς adſertor, & καρπιστία adſertio vocatur vt teſtatur ſe reperiſſe in Lexico Latino Græco Turn. Aduerſ. lib. 13. c. 27.

CARPASVM, apud Marcianum. l. fi. §. ſpecies. D. de publica. planta eſt, ex qua ſuccus medicamentis vtilis exprimitur, cuius commeminit Galenus lib. j. de Compoſ. & ὀπὸν καρπάσου Dioſcorid. lib. 6. c. 14. vocat. Paulus Ægineta Carpeſiam.

CARPOCRATIANI. l. Arrianis. C. de hæreticis, hæretici dicti à Carpocrate, qui dixit Chriſtum hominem fuiſſe tantum, et de vtroque ſexu progenitum. c. quidã autem. 24. q. 3. vide Philaſtrium Brixienſem Epiſcopũ in hæreſeon catalogo.

CARPVSCVLVM, ſiue, (vt alij legũt) Carpiſculum, definitore Fl. Vopiſco in Aureliano, calciamenti genus eſt. Hanc etiam vocem reperi in epigrammate lapidi antiquiſſimo inſculpto, quod Viennæ Allobrogum, ad diui Mauricij ædem extat.

CARRVCA, in l. ſi cuius. in fi. D. de vſufr. & apud Paulũ lib. I. Senten. tit. 6. §. pen. & l. in commodato. §. pen. D. commod. vehiculi genus duas habens rotas, quod & ciſum appellatur. Ad carrucas autem iungi mulæ ſolebant. l. ædiles. §. quæſitum. D. de ædil. edicto. Plin. lib. 33. c. 11. At nos, ait, carrucas ex argento cælare inuenimus. Carruca dormitoria in l. vxori. D. de auro & arg. legatis. Hinc.

CARRVCARIVS in l. item quæritur. in princ. D. loca. qui & ciſiarius dicitur, qui carrucam agit.

CARRVLI. l. cum duobus. 52. §. ſi quis ex ſociis. D. pro ſocio. qui quid vehunt, vt ex eo textu liquet.

CASA, à cauatione ducta, vt vult Feſtus lib. 3. quæ lectũ paſtorale Statio appellatur. Virg. in Alexide,

Atque humiles habitare caſas, & figere ceruos.

& apud Scæuolam. l. vxorẽ. 41. §. feliciſſimo. D. de leg. Pro domuncula videntur poſuiſſe Iuſti. §. litorum. Inſtitutioni. de rerum diuiſ. & Pomponius. l. pen. D. de vſufr. Caſæ literarum quæ fuerint, ex libr. Variorum

aucto

auctorum de limitibus, dices, & quid caſales, & Caſale: quorum verba huc tranſcribere nimis lōgum eſſet.

CASARIA apud Feſtum, quæ caſam cuſtodit.

CASILLÆ, ſunt granaria, in quibus fructus componuntur: ſic accipi poteſt in c. caſellas. 12. q. 2.

CASCVM, Feſto lib. 3. id eſt, antiquum & vetus: quod Varro probat lib. 6. Linguæ Lat. ex Ennio: *Quam primum Caſci populi genuere Latini.* Manilius: *Caſcum caſcam duxiſſe non mirabile'ſt, Quoniam canoras ſanci- bant nuptias:* vt legit Ioſeph. Scaliger in ſuis Collect. in Varronem.

CASEARIAM tabernam, ſiue, vt in Pand. Florent. eſt, Caſiariam, i, pro, e, vt ſæpe, poſito, dixit Ariſto apud Vlpianum. l. ſicut. §. Ariſto. D. ſi ſeruitus vindicetur: in qua caſei fumigari ſolent, vt d. §. Ariſto. lectio indicat, & ex Columellæ lib. 7. c. 8. liquido conſtat: ſed & Plinius lib. 11. c. 42. vbi de caſeorum diuerſitate loquitur: At caprarum, ait, gregibus ſua laus eſt in recenti maximè, augente gratiam fumo, qualis in ipſa vrbe conficitur cunctis præferendus. Et Mart. in Xeniis,

Non quemcunque locum, nec fumum caſeus omnem:
Sed uel breſcem qui bibit, ille ſapit

Moris enim fuit in pleriſque Italiæ locis, colorandi, ſiccandíque caſei gratia, fumum aut ex culmis, aut ex malignis viridibúſque lignis facere, quod gratioris & ſuauioris guſtus eſſe caſei fumo infuſcati crederentur. Falſò igitur Haloander, roſariam vtrobique repoſuit in d. §. Ariſto. Non tamē reiicienda eſt Accurſij interpretatio, Caſeariam, in qua fiunt caſei, appellantis: tametſi ad Ariſtonis locum minimè pertineat. Sed & Caſeariam tabernam, locum vbi caſei væneunt, rectè quis appellet.

CASITO, vel Caſſito, frequētatiuum à Caſo, frequentatiuo verbi Cado. Paulus de ſeruit. vrb. prædior. l. ſeruitutes. §. Si ſeruitus ſtillicidij impoſita ſit, non licet domino ſeruiētis areæ ibi ædificare, vbi caſſitare cœpit ſtillicidium. Feſto, Caſabundus, crebrò cadens eſt.

CASSARI dicitur ſententia, quæ tenet. gl. in c. accedens *le premier, in uerbo. caſſanimus.* text. vt lit. nō conteſt. Caſſamus, verbum etiam caſſatum denuntiamus. quo ſenſu accipi ait Bernardus gloſſularius in d. c. accedens. j. ſed ineptè, alioquin fruſtra ibidem ſtatim ſubieciſſet pontifex, imò caſſas denuntiauimus. Non tamen nego, quin & Caſſare caſſum denuntiare ſignificet, in c. cum dilectus. ad fi. & ibi gloſ. extra de elect. & ele. poteſt. Quod autem ea quæ ipſo iure nulla ſunt, infirmari debeant, & caſſari, liquidò conſtat ex Nouella. 7. §. ἐπειδὴ δὲ. ibi, ἀλλὰ καὶ τὸ γινόμενον ἄκυρον. &c. & adnotat Accurſius in l. & eleganter. in verſ. ſi in hoc ipſo. D. D. de dolo.

CASSATIO, aliquando ad factionem fertur, gloſ. in c. propoſuit. extra de conceſ. præben. & an ad actum nullum, Felin. c. ex parte. de teſtibus.

CASSIANI, vel qui ex ſchola. C. Caſſij, vel qui eius ſectæ erant, & qui C. Caſſij opiniones ſectabantur: eo modo quo Sabiniani & Proculiani: vt docet A. Auguſtin. lib. j. Emend. c. 5. & lib. 3. c. 4. De iis Pomponius. l. 2. ad fi. D. de origine iur.

CASSIA VIA, à Caſſio ſtrata, apud Feſtum libr. 3. & vide infra, Via.

CASTALDIA, gubernatio dicitur, qua domini res gubernantur. Caſtaldi, gubernatores, vel vicedomini. Zaſ. de feud. degenerant. Itaque erat Caſtaldio non abſimilis procuratori, & actori poſſeſſionum domini, cuius fit mentio in l. vlt. C. quod cum eo qui in aliena pot. eſt. Secundum Aluarot. & gl. erat velut œconomus quidam, cui res dominica gubernanda committebatur, inſtar œconomi Eccleſiaſtici: arg. l. iubemus nulli. C. de ſacroſ. eccleſ.

CASTALDVM, in leg. Lombard. l. j. de acqui. acto. re. gl. in c. vnic. §. ſi verò. de feud. guar. in vſib. feud. interpretatur eum, cui res domini committuntur: quam interpretationem probat Iacob. Beluiſius, ibidem. Eo etiam nomine procuratores contineri liquet, indicāte Alberico. Eodē ſenſu ſumitur Caſtaldio, vt ſcribit Beluiſius. d. §. ſi verò.

CASTELLVM, vt notiſſimam ſignificationem prætermittam, accipere debemus, aquæ receptaculum, quod aquam publicam ſuſcipit, Vlpiano. l. j. §. ait prætor. D. de aqua quotid. & æſti. & Labeoni. l. fiſtulas. 78. D. de contrahenda emptione. Id veteribus diuidiculum appellabatur, vt ſcribit Feſtus lib. 4. Quod nunc, inquit, caſtellum eſt, ex quo à riuo communi aquam quiſque ducit. Heſychius, κάϛελλος, ait, ὄνομα τόπου ἄνω, καὶ κάτω φέροντος, καὶ μερίζοντος τὸ ὕδωρ. Sic accipi debet apud Paulum. l. fiſtulam. 19. D. de ſeruit. vrb. prædiorum. & Vlpianum. l. 2. commu. præd. & l. cætera. §. item hoc prohibetur. D. de leg. j. & l. 3. de aquæ ductu, lib. 11. C. De Caſtellis hæc l. Frontin. libr. de aquæduct. Eſt ferè nunc in vſu, cum plures quinariæ impetratæ fuerint, ne in viis ſæpius conuulneretur vna fiſtula, excipiatur in caſtellum: ex quo ſinguli ſuum modum recipiant. De his etiā Vitruuius lib. 8. c. 7. item & lib. 10. c. 9. Quod rota extulerit, inquit, in caſtellum infundi. Agrippa, ait Plinius lib. 36. c. 15. ad fi. caſtella. 130. fecit. Porro Caſtella vt plurimum plumbea erant, vt videre eſt ex l. ſi vēditor. 38. §. firmus. & l. fundi. §. caſtella. D. de actio emp. Hæc conceptacula appellant Imppp. in l. 2. C. Th. de aquæductu. Scio G. Budæum in prioribus adnotat. ad d. §. Caſtella. permulta ex Claſſicis rerum ſcriptoribus prodidiſſe: cuius verba huc nō transfero, vt pote quæ ſtudioſo ſint obuia.

CASTELLANI, qui Caſtellis præerant, vt patet ex inſcriptionibus antiquis. Andreas Iſernius eoſdem eſſe ſcribit qui antea caſtaldi dicebantur, idque ex cōſuetudine vtentium & vſu loquentium. Planè aliter accipiuntur in l. 2. C. de fund. limitroph. lib. 11. Nam caſtellani ibi dicuntur, qui vicis paruis muris circundatis, quæ caſtella dicebantur, præerant. Sic Caſtellum apud M. Ciceronem in Oratione pro Cecinna accipi conſtat: Cùm id, inquit, partim mirarentur, partim nō crederent, ecce ipſe Ebutius in Caſtellum venit, denuntiat Cecinnæ ſe armatos habere. Quod nomen in eodem ſignificatu adhuc retinet Lugdunēſis prouincia. Habent enim caſtella, quibus qui præſunt, *Iuges des Chaſteaux* Gallico verbo nuncupantur, et *Chaſtellains,* Caſtellani. quo ſenſu accipitur in d. l. 2. C. de fund. limitroph. Ineptiſſima eſt igitur Oldendorpij, et Spiegelij reprehenſio, aientiū Caſtellanos non eſſe arciū præfectos: neque enim vim verbi Caſtelli expēderūt.

CASTVM et periurum apud M. Ciceronem contraria ſunt in orat. pro Q. Roſcio Comœdo.

CASTE VIVERE mulier dicitur, quæ legitimè nubit, Nouella. 2. § ὑπολοίπων. quod et Bart. noſter rectè docuit. l. fi. verſ. ſed quia. C. de indic. vid. toll. ait Imp. d. §. ὑπολοίπων, ὥϛε δεῖν τ σωφρόνων γάμων, ἢ καὶ δευτέροι καθεϛήκοιεν. Hoc ad eum tractatum pertinet quo diſſeritur, An legatum mulieri, ſi caſtè vixerit, præſtari debeat. quod Bart. placet, d. l. fi. Paulo Caſtrēſi diſplicuit. Tu expende. §. ὑπολοίπων.

CASTIGARE eſt non ſolùm fuſtibus punire, et emendare. l. 3. §. j. D. de officio præfec. vig. et l. ſi duo. §. fi. D. de iure iu. ſed et flagellis, per l. ſed ſicut. D. de vſufru. Sed et ad alia pœnarū genera pertinet, vt diſces ex c. quia plerique. de officio ordin. lib. 6. et c. ſi clericos. de ſent. excommuni. eod. lib. et vtrobique gl. et Doctores.

CASTIGATIO leuis qui accipienda ſit apud Vlpianū. l. ſed et ſi quemcunque. §. fi. D. ad leg. Aquil. repetita in l. item quæritur. §. item Iulianus. D. loc. Bald. docere nititur ad dict. §. fin. appellátque moderatam: quod latè explicat. Caſtigationem modicam apud Vlpianum in

l.magiſtratibus.D.de iuriſdict.varij variè interpretãtur.Accurſius ibidem adpellat coërcitionem, ſine qua iuriſdictio eſſe non poteſt:quod Bart.improbat,dicitque eam expediri officio iudicis nobili: eſſéque meri. Bald.autem ſcribit ibidẽ eam habere locum in leuibus delictis,vt corpus non tangat. Alciatus in l.imperium.numer.144.D.de iuriſdictio.Modica,inquit,caſtigatio debet intelligi de ea, quæ venit acceſſoriè ad iuriſdictionem,& quæ iuriſdictionis eſt:vel, ait,debet intelligi de aliqua coërcitione,quæ corpus non lædat. & hæc cum Baldo conſentit.

C a s t r a r e apud Martianũ.l.3.§.item qui auctor.D. ad leg.Cor.de ſicar.eſt virilia,ſeu genitalia amputare, & exſcindere.Caſtrare etiam ad animum refertur.

C a s t r a t i dicuntur, quibus virilia exciſa ſunt, & vt ait Theophilus.§.ſed & illud. Inſtit.de adopt.ἐφ' ὧν γέγονεν ἐκτομὴ τῶν γεννητικῶν μορίων.Horum meminit Vlpian.l. ſed eſt quæſitum.D.de lib.& poſthumis.l.ſi ſerua.39.§. fi.D.de iure dot,Atque horum vel ſunt Ectomiæ, qui exſecti:vel Thlibiæ, qui colliſi: vel Thlaſiæ,qui attriti.d.l.ſpadonum.& l.4.de ſic. Vide infrà verbum Spado.Solebant autem mangones pueros caſtrare,quo pretioſiores facerent.l.ſi ſeruus.27.§.& ſi puerum. D. ad leg.Aquil.quod & M.Fabius lib.5.c.12.Inſtit. Orato. apertiſſimè indicat his verbis:Mancipiorum negotiatores formæ puerorum, virilitate exciſa, lenocinantur.& poſt paulò:Libidinem iuuet ipſum effœminati ſexus mendacium: nunquam tamen hoc continget malis moribus regnum,vt ſi qua pretioſiora fecit, fecerit & bona.Porro homines caſtrari S C.& diui Hadriani edicto vetitũ eſt l.lege.4.§.vlt.& l. is qui ſeruũ. D.ad leg.Cornel.de ſicar.

C a s t r v m numero vnius, notiſſimæ eſt ſignificationis.Caſtra verò numero multitudinis locum ſignificant,vbi milites tentoria figunt: quo ſenſu accipitur apud Modeſtinum.l.3.§.emenſor. D.de re milit.Porrò horum genera multa erant:quædam erant prætoria, de quibus Tacitus lib.j. Annalium de Tiberio loquẽs. Diſperſas per vrbem cohortes in vna caſtra cõduxit Tiberius.Alia erant vrbana.l.ſi maritus.15.§. legis.D. ad legem Iuliam de adul.Alia vigilum, ſiue vigilium. d.§.legis.

C a s t e l l e n s e municipium quid ſit,Feſtus, & Valerius in lib.de limitibus docuerant, ſed id iniuria temporum periit.

Caſtrenſis ordo is veteribus erat, vt miles Centurionis, Centurio Tribuni,Tribunus Legati,Legatus Conſulis,Magiſter equitum Dictatoris pareret imperio.Budæus d.l.2.de orig.iur.ex T.Liuio.lib.8.

Caſtrẽſe iugerum quadratum habet perticas.cclxxxviij. pedes autẽ quadratos.xxviii.dccc.id eſt, per latus vnũ perticas.xviiij.quæ in quatuor latera faciunt perticas. lxxij.ex Feſto,& Valerio lib.de limitibus.

Caſtrenſis peculij,Caſtrenſiúmque bonorum eſſe intelligitur,quidquid in militia quæſitum,vel occaſione militiæ obuenit.Caſtrenſe peculium, vt Macer definit l. caſtrenſe. 11.D.de caſtrenſ.pecul.quod à parentibus, vel cognatis in militia agenti donatum eſt, vel quod ipſe filiuſfamilias in militia adquiſiuit, quod niſi militaret,acquiſiturus non fuiſſet. Macri ſententiam probat Paulus lib.3.Sen.tit.4.niſi quòd pro agenti, Paulus poſuit,*proficiſcenti*; quod tamen ſecundum Alexandri Imp.diſtinctionem accipiendum eſt l.4.C.fami.erciſ. & vide Bart.l.j.§.nec caſtrenſe.D.de collat.Caſtrenſis quoque peculij eſſe dicitur quod à palatinis conſcio principe & in eius propè conſpectu quæritur,vt diuus Conſtantinus reſcripſit.l.vnic.C.de caſt.om.pala.pecul.Vide,Peculium caſtrenſe.

Caſtrenſe æs alienum, in caſtris contractum, ex quo & Caſtrenſes creditores.l.j.§.ſi filij familias.D. de ſeparat.& vide infrà Peculium.

C a s t r e n s i s,ſacri palatij officium habuit:ſub diſpoſitione ſua habebat pædagogia,miniſteriales quoque dominicos,& curam palatinorum. Huius meminere Honorius,& Theodoſ.l. vnic.qui à præbit. tyro.exc. C.Th.& l.38.C.Th.de decurio.

Caſtrenſi corona donabatur,qui primus hoſtium caſtra propugnando introiſſet,cui inſigne erat ex auro vallum,Feſtus lib.3.& Agellius lib.5.c.6.

C a s t r e n s i a n i ſunt miniſteriani aulici. vt colligitur ex rub.de Caſtr.& miniſt.lib.12.C. qui ſacro Imperatoris miniſterio deputati ſunt.l.4.C. eod.veluti prægustatores,pincernæ,veſtitores,piſtores, pædagogia, ſeu pædagogiani pueri, vt Marcellinus lib. 26. deſcribit,tunica auro diſtincta induti à calce in pubem,purpureis operti tegminibus pedum,quos & lib.30.refert in venatione diſponi ad canes retinendos: Gallice, *Paiges*.Caſtrenſes miniſtri appellantur à Lampridio in Alexandro.De his Tertull.lib.de corona militis:Eſt etiam,inquit,alia militia regiarum familiarum. nam & Caſtrenſes appellantur. Hi erant ſub diſpoſitione viri ſpectabilis caſtrenſis ſacri palatij:vt refert Cuiac. in tit.5.C.lib.12.

C a s v s in iure variè accipitur.Quandoque facti ſpecies propoſita,quódque in diſputationem incidit:ſic accipitur apud Iulianũ.l.neque leges. D.de legibus.quódve caſu accidit.Cauſſam Cicero appellat: vt Verrina. 3.Tantùm quòd hominem non nominat:cauſſam quidem totam perſcribit. Hinc Seneca in prologo Declamat.Declamabat autem Cicero, non quales controuerſias dicimus, nec tales quidem quales ante Ciceronem dicebantur,quas Theſes vocabant.Controuerſias nos dicimus:Cicero Cauſſas vocabat.Caſum, id eſt,negligentiam explicuit Gaius.l.qui ædes. D. de incend.ruin.& naufrag. Caſus quod inopinatò euenit,aut contingit.§. theſauros. Inſtit. de rer. diuiſ. vbi Accurſius ita definit: Caſus inquit, eſt inopinatus rei euentus ex diuerſis cauſſis proueniens ob aliud.

Caſum fortuitum diffiniſſe videtur Vlpianus, quem nullum conſilium humanum præuidere poteſt.l.2.§.ſi eo tempore.D.de admi.re.ad ciuit.pertin. & cui humana infirmitate reſiſti non poſſe idem ait.l. j.§.is quoque. D.de obligat.& actio. quod diuorum principum reſcripto iuuatur.l.in iudicio.38.C.loca.eius generis ſunt mors,latronum hoſtiúmve incurſus,piratarum inſidiæ,naufragium,incẽdium,fugæ ſeruorum:ait Gaius.l. in rebus.18.D.commo.rem explicans.His adiicias vim aquarum,inſolitam ventorum vehemẽtiam, ruinam, labem,effracturam, rapinam, tumultus.l. contractus. 24.D.de diuerſ.reg.iur.antiq.& alibi ſæpe:& hi adpellantur Caſus maiores.Adpellatur & huiuſmodi caſus vis maior.vide infra.Vis maior. Exempla ſæpius in iure Ciuili reperias,quàm quod tranſcribi debeant.Caſum,& fortunam pro iiſdem vſurpat Vlpianus. l.j. §.ſi magiſtratus.D.de magiſtratibus conueniendis. Vnde rectè caſum dixit Feſtus lib. 3. quod fortuito hominibus accidit.Diuerſa eſt Caſus acceptio apud Marcellum.l.quia in eum.16.D.ad legem Aquiliam. Quia in eum(ait)caſum res deuenit,à quo incipere nõ poteſt, & apud Scæuolam.l. Gallus. §. ille caſus.D. de libe.et poſthum.

Caſum,pro amiſſione dixit vetus interpres Nouella.22. §. mitioris. quæ etenim amittuntur, cadere dicuntur. pro quo Iuſtinianus ipſe, λελομένων ἐκπτώσεων dixerat.

C a s v s m i l i t i æ Nouella.35.& 53.eſt id quod mortuo milite qui in aliqua ſchola inter ſtatutos relatus eſt, hæredes eius,vel liberi,aut vxor ex communi ſcholæ placito à Principe capiunt, vt indicat.l.vlt.C.de pign. vbi & Scholæ placitum dicitur, & l. omnimodo. §. vlt.

vlt.de inoffic.teſtam.in illo loco,vel mortuo militante certa pecunia ad hæredes eius perueniat.Nec enim ad hæredes militia tranſit,quæ perſonæ cohæret, ſed caſus militiæ.Igitur & in Nouella 97.caſus militiæ fieri dicitur mortuo milite. Vide Iulian. Anteceſſorem ſub titu.De caſu militis.Fruſtra ergo diſputat Lælius Taurellus,quæ ſint militiæ ex caſu ex dicta Nouella 53. cum nullæ vnquam militiæ talem appellationem habuerint,& Iuſtin.in ea Nouel.non dicat τὰς ἐκ τῆς κάσεως καλουμένας στρατείας,ſed τὰς ἐκ τῆς καλουμένης κάσεως στρατείας. Qui de his plura videre volet, conſulat Iac.Cuiac.expoſitionem in Nouellas.

Caſu etiam vocabulorũ formas ſignificari ſcribit Feſtus lib.3.quia in aliam,atque aliam cadunt effigiem:& hoc ſenſu ſæpe caſus pro caſu ponitur, vt adnotat Bernardus gloſſematarius Iuris Pontificij in cap.j.de iudic.

Κατὰ πόδα, ſignificat iiſdem veſtigiis inſiſtere, & pedetentim ſubſequi,& ad pedẽ, vt docet Alciat.lib.11. Parerg.c.6.Iuſtin.de compoſit.D.§.17.Niſi tãtùm ſi velit eas in Græcam vocem transformare, ſub eodem ordine,eáq; conſequentia,ſub qua & voce Romanæ poſitæ ſunt: hoc quod Græci κατὰ πόδα dicunt. Hæc ille. Xenophon de venatione, θηρατέας ὃ κατὰ πόδας, ὥσπερ ὁ λαγωός. Plato.lib.11.de leg.καὶ δὴ καὶ δ' ἐπιτηδεύμασιν ἐπὶ κατὰ πόδα καπηλείας ἐπιτηδεύματα: Poſt præcepta de adulteratione, proximè ſequitur vt de cauponatione dicamus.

Καταβολὴ,conſtitutio,& ſolutio, & præſtatio, verbum iuris eſt.Hinc καταβολαὶ τῶν προσόδων, redituum præſtationes dicuntur Ariſtot.2.Oeconom.& ſæpe in Nouell. Iuſtiniani 128.§.ἐπειδή.& aliis §§.

CATABOLENSES in rub.C.Theodoſ.de Piſto.& Catabol.lib.14.tit.4.& eo.tit.l.9. quo ſenſu accipi debeat nondum planè ſatis cõſtat:niſi dicamus eos fuiſſe, qui panes exercitui præſtarent,ἀπὸ τοῦ καταβάλλεσθαι,vel καταβάλλειν,id eſt ſoluere,vt ait Bud.in poſter.adnot.Catabolenſes alio ſenſu accepiſſe Caſſiodorum ſubiecta eius verba lib.3.Variarum epiſt.ad Feſtum V.I.Patritium,declarant.Atque ideo magnitudini tuæ præſenti admonitione declaramus, vt marmora quæ de domo Pinciana cõſtat eſſe depoſita,ad Rauennatem Vrbem per Catabolenſes veſtra ordinatione dirigantur. Eodem ſenſu accipiendi ſunt apud eundem lib.4.Variarum ad Godiſcaleum Saionem.vbi pro, *Catabulnenſis*, legendum,*Catabolenſis*,rectè cenſuit B Briſſonius.

CATADROMVS, apud Labeonem in l.ſi ſeruus. 54.D. de act.empt.quibuſdam ſignificat deſcenſum ex grue machina. Verior ſemper mihi viſa eſt explicatio eorum,qui funem extentum ex edito loco in inferiorem demiſſum exiſtimant:quod & Labeonis verba ſignificant. Veriſſima igitur eſt huius loci lectio, vel inuito G.Budæo in eum Labeonis locum: tametſi non ſim neſcius catadromum locum ſignificare, in quo decurri ſoleat, apud Suetonium in Nerone ca.11.idem quod Gallis,Licia.

CATAPHRYGES, apud Iſidorum 8.etymolog.lib.hæreticorum genus,quibus nomen à Phrygia prouincia inditum ait. Hi adſerebant aduentum Spiritus ſancti non in Apoſtolos, ſed in ſe traditum.

Κατάπλους, portus ad quem plurimum appelli ſolet. Vlp.l. 4.§.4.D.de offic.proconſ.

CATASTA, locus vbi ſerui venales exponebantur.Erat & Cataſta machina lignea longa,& magna compedis forma,qua ſerui vincti tenebantur, vt refert Plinius libro Nat.Hiſt.35.cap.18.

CATASTRVM,quod Eximum eſt, barbaris iuriſperitis appellatur. ea voce vtitur Andræas Alciatus Regul.1. præſumpt.10. Et Cataſtrum videtur appellare Bartol.in l.forma.§.ſi cum ego. D.de cenſibus.librum, quo tributa,& cenſus æſtimari ſolent, in §.ſi cum veniam,d.l.forma.ipſam æſtimationem Alcia.reg.1.præſump.10.& l.in ſuis.D.de libe.& poſthu. æſtimum vocat:Vlpianus d.§.ſi cum ego.profeſſionem.in §.ſi cum veniam.cauſam addictam.

Κατηχέω,& Κατηχίζω, apud Paulum Apoſtolum ad Galat.6. &c.ante baptiſmum. de conſecr.diſtinct.4.ſignificant inſtituere,erudire,initiari. Catechizare verbo Latinè vtitur Tertullianus,lib.de Corona militis.

Κατηχούμενος,Catechumenus,quo vſi ſunt Paul.Apoſt.ad Rom.c.2. κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου. & Auguſt.ad Fortunatum in ca.catechumenum. de conſecr.diſtinct.4. Audientem,& auditorem ſæpè vertit Tertullian. Hinc,

CATECHISMVS, inſtitutio, Nicolao Pontifici Maximo c.catechiſmi,de conſecra.diſtinct4. vbi Archidiaco.rudimentum rectè vertas, vt & Pontifex quidam, d.c.ante baptiſmum. Catechiſmos autem à ſacerdotibus vniuſcuiuſque eccleſiæ fieri poſſe decretum eſt, d.c.catechiſmi.

CATENA, vinculum ferreum in conſtitutione Gratiani & Val.& Theod.l.fi.C.de abolit. ad incorporea tamen referri conſtat,vnde Legum catenas dixit M.Cicero in Sextiana,in d.tamen l.fi. ad omne vinculorum genus catenæ verbum pertinere eorundem Imppp. ſententia ſignificatur.Notandum tamen obiter Catenas ſingularias apud Plautum in Truculento vocari quæ ſunt ſingularum librarũ: vt balliſtas centenarias, quæ ſaxa centum pondo iaciebant: talentarias, quæ talenti pondo. Lucillius: *Quid ſic balliſtas iactas centenarias?* Siſenna, *Balliſtas quatuor talentarias.*

Καθαίρεσις,eſt regradatio, ſiue ordine motio, quæ epiſcoporum & clericorũ eſt propria, vt ἀφορισμὸς plebeiorum & monachorum:vt videre eſt Nouella 42.

CATHEDRA notioris ſignificationis eſt, quàm quod huc referri debeat.

Cathedram çollocare,in c.luminoſo.18. quæſtione ſecunda, eſt iudicia exercere: vt ibi explicare videtur gloſſa, vel (vt ait Albericus Roſatius) iuriſdictionem exercere, & explicare, quod ibi ſignificare viſus eſt pontifex,ſi,vel,particula explicationis nota ſit.

CATHEDRARIA,in cathedris numerantur, vt Sedularia,in ſedibus.

CATHEDRATICI appellatione,in c.conquerente.de offic.ordina.in antiq.continetur quod clerici epiſcopo ſuo annuatim cathedralis honoris cauſſa pendunt: quod & ſynodaticum quibuſdam appellatur. Eius autem nomine duos ſolidos pendi, eadem decretali expreſſum eſt,d.c.conquerente.quod & decretum fuiſſe Gratianus refert,c.placuit.10.quæſtione 3. Eſtque ſubiectionis,vel obedientiæ ſymbolum. Verti autem debet in templi reſtitutionem, vel (vt cum aliis loquar) in eccleſiæ reparationem,d.c.placuit.

CATHETVS, apud Gaium, & Theodoſium in lib.de limitibus,Græcum verbum, quo normalis linea Cenſorino apud Budæum in prioribus ſignificatur.

CATHOLICVM appellabant Cæſaris procuratorem, id eſt, qui totius prouinciæ fiſcalem procurationem gerebat: vt ex multis Baſilic.locis liquidò conſtat: idem & λογοθέτης dici cœpit, C.Harmenopulo.

CATHOLICIANI, in conſtit.Arcad.& Honor.l.pen. §.fi.C.de bon.proſcript.qui & Cæſariani, dicebantur officiales Catholici, & ταξεῶται ratiociniorum, indicio eſt d.§.vltimus.& procuratores Cæſaris, in l.prohibitum. 5.de iur.fiſci.lib.10.C.Paratitlarius,l.4.C.de Epiſc.& cler.

CATILLVS, Paulo l.cùm de lanionis.18.§.cum de villico. D.de fund.inſtruc. dicitur ſuperior pars molæ.F. Marius Grapaldus inferiorem eſſe autumat,auctorem nullum aut rationem adducens.A Paulo igitur, à quo nec quiſquam alius diſſentit,facilè non diſcedas.

CATINVM à capiendo dictum, vas in menſa eſcaria

vbi pultem, vel iurulenti quid ponebant, appellari ſolitum Varro lib.4.Ling. Lat.ſcribit, Siculóſque dixiſſe κάτινον, vbi aſſa ponebant.

Κατοχὴν Græcis, Latinis poſſeſſionem dictam ait Paulus l.j.D.de acquirenda poſſeſſione, quæ quid ſit, vide infra Poſſeſſio. Cur autem ita Græcis appellata ſit, docet A.Alciatus libro II.cap.I.Parerg. Ductum verbum illud putat, ad Paulum d.l.j. ἀπὸ τ̃ κατέχειν, id eſt, à detinendo, & tenendo.

CATONIANA regula, eſt ſententia, ſiue axioma M. Catonis obſeruatum atque notatum ex plurium legum mente: QVOD inutile foret, id eſt, cuius dies inutiliter cederet, ſi teſtaméti facti tempore mortuus fuiſſet teſtator, id legatum, quandocunque deceſſerit, ex poſt facto non conualeſcere, l.j.& paſſ. D.de reg. Cat. cuius hæc ratio atque æquitas videtur eſſe, vt refert Hotom. Obſ.lib.2.cap.3. quia cum teſtatoris certam mentem atque voluntatem eſſe oporteat, eum præſentis temporis conditionem ſpectaſſe, déque ea ſtatuiſſe iudicamus: non autem incerto futuri temporis euentui rem commiſiſſe: quippe cum alioqui teſtamenta non ex teſtatorum mente, quæ in iis dominari debet, ſed ex fortuna & caſu penderent. Hæc autem regula antiqui iuris eſt, nec pertinet ad leges nouas, id eſt leges Iulias & Papias, ex quibus legata cedunt ab apertis tabulis: ſed ad leges XII.Tab. ex quibus ea cedunt à morte teſtatoris, vt doctiſſimè annotauit I.Cuiac.in Notis ad tit.Inſt.de legat. Ad quæ autem pertineat hæc regula, vide apud eundem, Obſ.lib.4.cap.4.

CAVDECÆ, vel Caudetæ, Feſto lib.3.dicebantur ciſtellæ ex iunco, ad ſimilitudinem caudæ equinæ factæ.

CAVDEX antiquis dici ſolebat (vt ait A.Seneca lib.de breuitate vitæ) plurium tabularum contextus. Hinc Codices, vide infrà Codex.

CAVDICÆ, eidem Senecæ ibidem, vel Caudicariæ, Feſto lib.3.naues erant ex tabulis craſſioribus factæ: harum etiam cómeminit Agellius li.10.c.25. Noct.Attic.

CAVDICARII, in l.2.C.The.de piſtoribus & catabol. & l.j.C.Th.de cano. frum.vrb. Roma.& l.9.C.Th.de ſuar.pecua.& ſuſce.frumentariorum vrbis Romæ, genus erat, quorũ ea functio erat, vt piſtoribus frumentum vænundare cogerentur, vt Valerianus, & Valens Impp.conſtituerunt d.l.j.Hi corpus habebant, d.l.2.& patronos, d.l.j.De iis etiam accipiendam putem, l.j.in fin.de condi.in publi.horr.lib.10.C.

CAVEA, Varroni à cauo ducta, apud Vlpianum l.iniuriarum.13.§.ſi quis me. D.de iniur.ſignificat aream in medio theatri, in qua equitum ſubſellia conſtituta erant: dicta, quòd velis tecta caueæ ſimilitudinem haberet. quo ſenſu accipitur in Amphitrione: Vt conquiſitores (ait) ſinguli in ſubſellia eant per totam caueam ſpectatoribus. Meritò Græcis θεωρητήριον. Ea publica erat adeò, vt ſi quis aliquem in ea ſedere prohibeat, iniuriarum in eum agi poſſit, vt Vlpianus ſcribit d.§.ſi quis me.

CAVENA, vel (vt eſt apud Ardizonem) Caneua, pro cella. Vnde feudum de cauena in lib.2.tit.j. §.2.& tit.2. §.2.erogatio annua vini, frumenti, alteriúſve annonę, quæ militi tribuitur. Itáque veriſimilius eſt pro cella, ſiue cellario dictam, lib.feud.2.tit.10.in fi. Feudum ſoldatæ ſignificatur eſſe feudum de camera vel cauena: quia plerunque, inquit, in ſolidorum donatione conſiſtit. quandoque autem in vino & annona. Doctores, duce Aluarotto, definiunt Cauenam, eſſe locum, in quo frumentum, vinum, oleum, & huiuſmodi cætera ſeruantur.

CAVERE Iuris Ciuilis verbum eſt præcipuum ac proprium, ídque generale: in varias enim & multiplices acceptiones fertur, & formulas: ſingula excutiemus. Primò proſpicere, & conſulere ſonat apud Scæuolam l.3.D.de tranſactionibus.& Labeonem l.ſi mercedé.in fin.D.de actionibus empti. Sic cauere ſibi cenſetur creditor qui curat ſibi pignus dari, apud Paulum l.ſi conuenerit.18.§.ſi quis.D.de pigno. Generaliter definitum eſt nec paciſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando quéquam alteri cauere, id eſt, proſpicere, & promittere poſſe: Q.Mutius ait l.quo tutela.73. D.de diuer.reg.iuris. Cauet etiam, qui conſiliũ dat, quo ſenſu accipitur apud M.Cicer.in Topicis, cuius hæc verba ſunt: Etenim cùm tu mihi meóſque multa ſæpe cauiſſe, &c. atque ita accipi debere indicio ſunt quæ ibidem præcedunt. Alias cauere dicebantur, cum ne ab aduerſario caperentur, certis adhibitis formulis prouidebant: vnde illud Ouid.lib.j.de Arte amandi:

Illo ſæpe loco capitur conſultus amore,
Quique aliis cauit, non cauet ipſe ſibi.

In eo autem genere rectè eum cauere Plautus exiſtimat in Epidico, qui iura, & leges tenet. Cicero in Epi. lib.7.ep.6.ad Trebatium: Tu qui cæteris cauere didiciſti, in Británia ne ab eſſedario decipiaris, caueto. Hanc tamen cauendi formam ſibi præripiunt atro circulo notati, exleges, & auritæ beluæ.

Cauere boni viri arbitratu perceptum iri vſumfructum, hoc eſt, non deteriorem cauſam vſusfructus promittere facere, & nõ aliter vti quàm bonus vir arbitrabitur, l.j.vſufructuarius quemadm.caueat.D.§.cauere.

Cauere capite, eſt capitis periculo ſe obſtringere, & aliũ ſibi eodem vinculo obligare. Budæus in poſterioribus Adnotat.in l.ſi ſciente.D.ad legem Pompeiam de parricid.ex Plinio lib.34.cap.7. Capitéque tutelarios cauere pro eo inſtituti publici fuit.

Cauere dotem, pro promittere. Lege titul.de dote cauta. C.lib.5.

Cauere cautionem dixit Hermogenianus l.tutores.6.D. rem ratam haberi. pro quo Terentius Varro, Cauere cautione, lib.Ling.Lat.4. atq; ita apud Hermogenianum d.l.6.legi poſſet: ſed Cauere cautionem figuratè dixit; nam hoc loco Cauere, promittere per ſtipulationem ſonat.

Cauere dupla, in l.quod ſi nolit.§.quia aſſidua. D.de ædili. actio. vide infrà Dupla.

Cauere idoneè, dicimur ſatiſdato, aut pignoribus, ſed & ſi promittendi fides nobis habeatur, ſine ſatiſdatione: ita explicat Vlpianus noſter l.4.§.addici. D.de fideicommiſ.liber. pro quo Modeſtinus in l.Septitia.10. D. de pollicit. ἀσφαλιζομένη ἀξιόχρεως dixit. ἀσφαλίζεσθαι enim cauere & tutum facere ſonat. Sic accipi debet in l.ſed & hæ.§.defendere.D.de procur. & l.fideicommiſſa.§. ſi hæres.D.de legat.3.

Cauere lege, apud Papinianum l.ſi venditor.6.§.ſi quid emptor.D.de ſeruis exportandis. eſt pacto nominatim aliquid exprimere & promittere.

CAVERE etiam, eſt ſibi proſpicere, & ſe contra fraudis ac perfidiæ periculum munire, vt ex exemplis ſubſequẽtibus liquebit. Hinc Cautio, pro tabulis in quibus contractum negocium perſcriptũ eſt. Paul.in l.lecta. 40.D.ſi cert.pet. Lecta eſt in auditorio Papiniani cautio huiuſmodi: Lucius Titius, &c.

Cauere obſidibus, apud Cæſarem lib.7.de bell.Gallico non procul ab initio: Et quoniam (inquit) in præſentia obſidibus cauere inter ſe non poſſent: ne res efferretur, vt iureiurando ac fide ſanciatur, petunt. Qua formula obſides & dare & exigere ſignificari, ſed ſub diuerſa ſignificatione, Gulielmus Budæus exiſtimat, d.l.ſi ſciente. Sic,

Cauere prædibus & prædiis formula vetere dixit Vlpianus in l.ſi quis putans.6.§.ſi damni.D.communi diuidundo, pro cauere fideiuſſoribus, & pignoribus. Cauebatur tamen prædibus & prædiis populo, vt T. Liuij teſtimonio liquet: Si quibus (ait) argentum in

præſentia deeſſet, dandam ex ærario pecuniam mutuam, prædibúſque ac prædiis cauendum populo cenſerent. Hæc Liuius lib.22.

Cauere rectè dicimus, per ſatiſdationem, aut pignoribus datis, Pomponio ita apud Vlpianum explicante. l. j.§.iubet autem. Sic,

Cauere ſatiſdato apud Pomponium l.is cui.31. D.ad leg. Falcid. id eſt, cum ſatiſdatione, vt explicare videtur diuus Antoninus l.2. C.de vſur. legat.& Vlpianus l. niſi.11. D.de rei vend.

Cauere, eſt etiam cautionem extorquere, in l.cùm poſtulaſſem.44.§.fin. D.de damno infec. Sic apud Ciceronem in Bruto in hæc verba, At verò (inquam) tibi ego, Brute, non ſoluam, niſi prius à te cauero amplius eo nomine neminem cuius petitio ſit, petiturum.

Cauere etiam dicitur, qui fideiubet, ac pro ſe alterum dat, vt ex Pauli verbis liquet l.cum pro quo. D.de in ius voc.& l.Lucius.46.§.Paulus.4. D.de admin.tut.& apud Terentium Varronem lib. Linguæ Latinæ 5.

Cauere etiam dicimur per ſtipulationem, ſi inter præſentes actum eſt, Paulo l.Titia.134.§.pen. D.de verbor. oblig.& l.j. C.de contrah.ſtipu. quo ſenſu accipi debet apud Celſum, l.tres fratres. D.de pact. Quo in loco Accurſius interpretatur, cauerunt, hoc eſt, promiſerunt: quod per ſtipulationem intelligendum eſt, d.§. penult. Cauet igitur qui interrogatus promittit, d.l.j. & dicto §.penult.

Cauere tamen nudè promittere ſignificat, nec fideiuſſionis dationem eo verbo contineri Iuſtinianus conſtituit l.3. C.de verb.ſignif. Sanè ſi lex vel teſtator, contrahénſve ſatiſdationem aut fideiuſſionem adiecerit, tum aut dandum ſatis, aut fideiuſſores adhibendos liquet. Cauere igitur nuda promiſſione accipi debere ait Mela apud Vlpianum, l.2.§. ſed ſi dubitetur. D.de iudic. Atque cauere & ſatiſdare ſic diſtingunt Iuriſconſulti, vt qui datis fideiuſſoribus ac ſponſoribus promittit, ſatiſdare dicatur: qui verò ſine fideiuſſoribus, cauere. Vlpian.l.2.§.6. D.de iudic.

Cauet quoque qui confitetur, Accurſius l.maritus.52. D. ſol.matr. cuius explicationem probat Alberic. Quod ſi ſecundum tractat. C.de dot.caut. non num. (vt par eſt) accipias, eſt ſcripto non acceptam dotem promittere, l.j. C.eo.

Cauere, eſt nominatim exprimere, vel expreſſim quid ſtatuere, vt apud Paulum l.j. D.de leg.Rhod.de iact. & alibi ſæpe. Sunt qui putent verbum,

Cauere, apud Vlpianum l.ſi vt certo.§.quinimo D.commo.& Paulum l. in commodato.17.§.3. D.eodem. ſignificare chirographo ſe obligare. Quod verum adfirmare auſim, cùm literis obligemur, vt Inſtit. de lite. obliga.& alib. Hinc,

Cauere ab aliquo, apud Vlpianum l.ſi ſciente. D.ad leg. Pomp. de parricid. Ab ſeſe cauere apud M.Ciceronem in 3. Verrina. Epicratem conueniunt, demonſtrant id quod ille ſciebat, ſe ſeſtertia octoginta dediſſe: rogant eum vt id quod ab ipſis abiſſet pecuniæ, curet: ab ſeſe caueat quemadmodum velit: de illa hæreditate cum Epicrate neminem eſſe acturum. Id eſt, Budæo interprete in poſter. arbitrio ſuo ab ſe cautionem exigat.

CAVTIONIS verbi varia, multipléxque eſt ſignificatio. Cauitionem pro cautione veteres dixiſſe ait Feſtus. Cautionis nomine, vel ἀσφαλείας non eſſe fideiuſſoris dationem interpretandam: niſi hoc ſpecialiter, vel in Græcis, vel in Latinis verbis ſcriptum fuerit. Niſi enim vel generaliter de ſatiſdatione, vel fideiuſſione ſpecialiter ſit nominatum, cautione, vel ἀσφαλεία minime fideiuſſionem, ſed nudam promiſſionem ſignificari. Hæc Iuſtinianus l.ſancimus. C.de verbor. ſignif. cui addas, niſi aliud res tulerit, exegerítve: quod & Baldus Peruſinus rectiſſimè animaduertit, d.l.3. Cautionis tamen verbo promiſſionem contineri putat Alciatus l.qui pecuniam. numer.34. D.ſi cert.peta. Eo etiam verbo ſimplicem confeſſionem ſignificari idem ibidem ſcribit: quod & Albericus docet, citans l.Lucius. D.de manumi.teſt. Equidem putem pro promiſſione rem pupilli ſaluã fore, accipi. Cautio etiam in l.ita autem.§.Iulianus (aliàs eſt lex in vulg.cod. in c. quidam decedens.) D.de adminiſtrat.tutor. ſignificat formulam & verborum conceptionem, Gulielmo Budæo interprete in l.ſi ſciente. D.ad leg.Pomp.de parric. vel iuſſum teſtatoris. Cautio autem, quæ Græcis ἀσφαλεία, dicitur vulgò ſecuritas, quo ſenſu accipitur apud Pomponium l.plus cautionis.25. D. de diuerſis regulis iuris antiq. Plus (ait) cautionis eſt in re, quàm in perſona. vti Accurſius & Petrus Decius interpretantur Nouella conſtit. 17.§.ὅτε δὲ ἀσφάλειαν. vetus interpres vertit Cautelam. Hoc verbo vſi ſunt Vlpianus l.ſi defunctus.15. in fine. D.de procurator.& l.ſi debitori. D.de iudic. Gaius l.ſi plures.14. D.depoſiti, & Pomponius l. quamuis.6. D.de pign.actio. Verùm cautelam pro cautione à Tribuniano, & collegis repoſitam quidam exiſtimat: quod & mihi veriſimile ſemper viſum eſt. Veterum enim iuris auctorum ſcripta immutaſſe, & truncaſſe eos conſtat, vt docui in libris Mediæ Iuriſprudentiæ. Quin & Cautionem pro cautela à Marc.Cicerone libro 2.de Orat. dici refert Nonius Marcellus. Neque mihi illa cautio, & timiditas in cauſſis propter præſtantem prudentiam Craſſi negligenda eſt: & à Terentio in And. Puerum autem ne reſciſcat mihi eſſe ex illa cautio eſt.

Cautionis autem verbo inſtrumenta, tabulas (vt ſuprà dictum) ſyngraphas, & chirographa contineri ſubiecta legum capita demonſtrant, l.ſi quæ ſunt.5. D.famil.erciſcun. l.lecta.40. D.ſi certum petat. l.penult.§.fi. D.ad leg.Falcid. l.Lucius.27. D.depoſ. l.cum conuenit.20. D.de pigno.& alibi ſæpiſſime, vt in l.emptor. 47.§.Lucius. Sic γράμμα, Lucæ 16. Chartulam liberationis, ineptis Quictantiam, ſonat. Eraſmus vertit cautionem. Cautionis appellatione inſtrumentum ſignificari, apud Scæuolam in d.l.emptor. in princip. cenſuit ibidem Accurſius. Equidem pro nuda promiſſione accipiendum putem, vt latè docui lib.1. Enucleationum πιθανῶν. cap.j. Cautionem apud Marcellum l.Titius. 24. D.de pecu.conſtit. epiſtolam ſignificare liquet.

Cautione actionem intelligi quidam putant in l.j.§.ſi quis purganti. D.de cloacis. Tu verúmne ſit quod dicunt, expende. Cautionem pro dilatione accipit Accurſius in §.ſi verò cauſam. in authentico, de liti.conſtitu.112. ſed ineptè. Inciderat Accurſius in deprauata exemplaria, & *cautione*, pro *uocatione* legerat. Nam in ea conſtitutione Græcè à Iuſtinia. ſcripta ita legitur, μιᾶς ἑκάστης κλήσεως, &c.

Cautio in Conſtitutione Honorij, & Arcadij in l.quoniã. 13. C.Theo.de fide teſt.tranſcripta in l.quoniam liberi.10. C.de teſtib. accipitur pro prouidentia, vel prouiſione, vt interpretatur ibidem Accurſius, & id rectè.

Cautionem extorqueri apud Vlpianũ in l.idem ſic cum exceptione. §.pro eo autem. D. quod met.cauſ. eſt compelli à iudice vt caueatur ſatiſdato, aut pignoribus. vide ibi interpretes.

CAVTIONVM GENERA.

Cautio debita, in l.j. C.de tut.illuſtr.perſo.

Cautio dotalis, l.fi.§.filiæ. D.de leg.2.

Cautio de dolo, locum habebat cum petita iudicio res eſſet, vereretúrque petitor, ne quid dolo malo poſſeſſor interea committeret. Itaque apud iudicem poſtulabat ab eo, vt ſibi repromitteret, ſe nihil in ea re dolo malo facturum: hoc modo: Spondes ab ea re qua de agitur,

agitur, dolum malum abeſſe, abfuturum eſſe? Hanc euerriculum malitiarum omnium appellat Marc.Cicero.Huius cautionis meminit Pomponius l.5.in prin. D.de verborum obligationibus, & l.nouiſſima.D.iudic.ſolui.Diuus Ambroſ.lib.3.ca.10.diu.officior.honeſtatis formulam vocat.

Cautio fœneratitia apud Iuſtinianum in l.ſancimus.25.C. de adminiſtr.qua fœnus aliquod promittitur. Textum illum expende.

Cautio Falcidiæ legis,de qua in l.j.D.ſi cui pluſquàm per legem,&c.

Cautio indemnitatis, quæ pro indemnitate præſtatur apud Papinianum l.liberto.31.§.j. D.de negociis geſtis.& alibi.

Cautio iudicialis,quæ à mero iudicis officio proficiſcitur: ita eam diffinit Pomponius l.5.D.de verbor.oblig.Alciatus ibidem videtur aliter diffiniſſe, vt ſit, quæ coram magiſtratibus interponitur.

Cautionem iuratoriam (cuius forenſis vſus frequentiſſimus eſt) diffinit Iuſtinianus §.ſed hodie.Inſtit.de ſatiſdat.promiſſionem ſine fideiuſſoribus,ſolo interpoſito iureiurando, fore vt reus in iudicio aduſque litis exitum permaneat. Græcis appellatur ἐξωμοσία, vt refert Theophilus,vel(vt ex Iuſtiniano liquet,Nou.53.§. εἰ δὲ καί τινες.) διωμοσία.ait enim, εἰ δὲ καί τινες διωμόσαιντο, &c. quod ita vertit Iulianus Patritius: Si qui iurati promiſerint. Iudicialia hæc eſſe nomina ſcribit Iulius Pollux lib.8.Onomaſtic.cap.1. περὶ δικαστικῶν ὀνομάτων, in hæc verba: Διωμοσία ἡ ὁ παρ' ἑκατέρου ὅρκος· ἐξωμοσία δὲ οἷον τις ἢ πρεσβεύτης αἱρετῇ ἐπ' ἄλλην τινὰ δημοσίαν ὑπηρεσίαν ἀῤῥωστεῖν, ἢ ἀδυνατεῖν φάσκων ἐξόμνυται αὐτὸς ἢ δι' ἑτέρου.Iuratoriæ cautionis meminit Leo Imp.l.vnic.C.vt omnes iudic.& Zeno l.penult.de dignita.lib.12.C.qua quis ſuæ fidei committitur,vt idem ait,qui in l.fi.C.de princip.ag.in reb.lib.12.adiuratoriam cautionem appellat.De cautione iuratoria accipienda eſt l.penult. C,de teſtib.iubens ſacramento committi.

Cautionem moratoriam apud Papinianum l.cum poſſeſſor.5.§.fi.D.de cenſibus.eo ſenſu accipiendam putem, quo moratoria præſcriptio apud Diocletianũ,& Maximian.in l.2.C.de precibus Imp.offerend. Galli litteras Quinquennales vocant,aut anni dilationem: quas in tributis, & cenſibus admitti vetat d.§.fin. De his Quinquennalibus vide Cinum,Baldum, & alios in d. l.2.incip.quoties.Guid.Papam in quæſt.97.& 109.

Cautio Mutiana eſt, qua is cui quid ſub conditione non faciendi legatum eſt,id promittit,& cauet ſe nunquã facturum:eius enim vtilitas in conditionibus quæ in non faciendo conceptæ ſunt, conſiſtit: idque Vlpianus ait, l.Mutianæ.D.de conditionib.& demonſtrat. Quando ei locus non ſit docet,Papinianus l.auia.77.§. j.D.eo.De hac Iuſtinianus in Nouel.22.§.τὸ ἡ ἐφεξῆς.& alibi ſæpe.Tu de hac cautione vide Bart.& alios in d. l.Mutianæ.A.Q.autem Mutio Iuriſconſulto fuit inſtituta.Atque huius ea vis eſt,vt ſtipulatione commiſſa, qui contrà fecerit, vel rem cum fructibus, vel quanti ea res eſt reſtituat,l.cum ſub hac.67.l.hæres.79.§.2.D. de condit.& demonſt.

Cautio non numeratæ pecuniæ dicitur chirographum debitoris,quo ſibi creditam pecuniam ſcribit, quæ tamen numerata non fuit,l.j.de caution.& non numerat.pec.C.Greg.& l.j.3.4.8. C.de non nu.pec.huc pertinet titulus.C.de dot.caut.& non num.pecu. Et huius quidem cautionis vſus in Galliæ curiis exoleuit.

Cautionem nudam accipere debemus in l.2.§.ſed ſi dubitetur.D.de iudic.ſimplicẽ promiſſionem per l.ſancimus.C.de verb.ſig.quæ vel ſine ſatiſdatione fit, d.§.ſed ſi dubitetur.Quando autem huic locus ſit, gl.in l.pen. D.de hæredit.pet.& Alciat.in l.ſiquis ſtipulatus ſit Stichum.in fin.D.de verb.oblig.docent.

Cautio nudo pacto, cùm quis tantum fidei de me habet, vt nuda promiſſione ſit contentus.

Cautio ſolita, apud Vlpianum l.diuus Pius.5.D.de petit. hæredit.eſt cum petita hæreditate,aut ſatiſdare debet poſſeſſor de ea re conſeruanda,aut eo non ſatiſdante, in petitorem ſatiſdantem transfertur poſſeſſio, vt alteri probandi onus incumbat: neutro ſatiſdante, potior eſt poſſeſſor:quod optimè confirmat l.de bonis §. vlt.D.de Carb.edict.

Cautionum genera alia recenſet Speculator variis in locis,quos in indice reperies in verbo,Cautio.

Cavtvm (vt refert Paulus l.habere. 188.D.de verborum ſignificatio.) intelligitur ſiue perſonis ſiue rebus cautum ſit, hoc eſt, fideiuſſoribus vel pignoribus datis.Sed hoc reſponſum pugnare videtur cum l.ſancimus. C.eodem. Hanc ἀντινομίαν non ſatis conciliat A.Alciatus in d.l.habere.§.cautum. Tu rem exactius perſpice.

Cavtionales ſtipulationes, inſtar actionum habere dixit Vlpianus l.j.D.de præto.ſtipul. ntercedunt autem vt ſit noua actio.

Cavillari variè accipi ex ſubiectis liquet Tertulliano in lib.de Corona militis,pro cauere,à quo ducitur.Aut(inquit)omnibus modis cauillandum, ne quid aduerſus Deum committatur.Cauillari etiam(vt Vlp. ex Iuliano refert l.natura.177.D.de verb.ſignif.)eſt ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes diſputationem ad ea, quæ euidenter falſa ſunt, perducere. Alios huius verbi ſignificatus recenſet A.Alciatus in d.l.natura. quandoque enim ſignificat calumnioſè agere.Cauillari eſt irridere,vt ex Feſto.li.3.conſtat.Cauillari etiam dicitur qui falſa, vt ſuam ſentẽtiam tueatur,prodit ſciens. Cauillari Alciato l.ſi caluitur.D.de verbor.ſignificationibus,ſonat decipere.Cauillari in l.j.D.de regu.Catonia.ſumitur pro ſcienter falſum dicere: ita Accurſius in d.l.j.explicat. Cauillari etiam fraudare,& fruſtrari ſonat, l.ſi caluitur. D.de verbor. ſignificationibus.ſic accipi debet in l.2.§.tractare. D. ad S.C.Tertyl. Hinc,

Cavillatio, quam ex Iuliano diffinit Vlpianus in d.l.natura.his verbis:Natura cauillationis, quam Græci σωρείτην appellant,hæc eſt,vt ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes diſputatio ad ea quæ euidenter falſa ſunt,perducatur.Repetitur in l.ea eſt natura. D.de diuerſ.regu.iur.antiq. Vnde autem dicta ſit cauillatio,ex Gaio diſces d.l.ſi caluitur.232.D.de verborum ſignificationibus,cuius hæc verba ſunt: Si caluitur & moretur, & fruſtretur. Inde & calumniatores appellati ſunt: quia per fraudem & fruſtrationẽ alios vexarent litibus:inde & cauillatio dicta eſt. Sic accipi poteſt in l.Titia.85.D.de conditione & demonſtr. Cauillatio Feſto li.3.eſt iocoſa calumniatio.Cauillatio in Decretali Pontificis Honorij Epiſtola.c.pen.de iud.in antiq.ſignificat fraudem,& fruſtrationem, & id quod Galli vocant,*Surprinſe*:qua ſæpiſſimè vtuntur pragmatici vafri,& impoſtores.

Cavpo, is accipiendus eſt apud Vlpianum l.j.§.caupones.D.naut.caupo.ſtab.qui cauponam exercet.Græcis κάπηλος, eduliorum & vini venditor.Et viatores in caupona manere patitur Gaius l.nauta,5.D.eodem tit. Sed & eius inſtitorem ea appellatione cõtineri idem Vlpianus ait, d.§.caupones. Hoc ſpeciali ſignificatu accepiſſe viſus eſt Martialis hoc pentametro:

Non potes,ut cuperes,uendere caupo merum.

Cavpona, locus vbi vinum,& edulia venduntur:vulgò Taberna.ſic accipitur in l.nauta.5.ſuprà citata.Eam veteribus coponam à copiis dictam Feſtus lib.3.putat. Quædam exemplaria habent à cupis.quæ lectio verior videtur.Cupæ enim vaſa vinaria ſunt apud Vlpianum l.3.D.de trit.vino.

CAVPONIA taberna apud Paulum l.13.D.de inſtru.vel inſtru.leg.Vide infrà Taberna.

CAVSSA (ſic enim, non cauſa, ſcribendum cēſet M.Fabius lib.1.ca.7.adiiciens M.Ciceronem & Virgilium ita ſcripſiſſe) verbum πολύσημον eſt. Primùm enim ſignificat negocium,cōtractum & obligationem l.certi condictio.9.in prin.D.ſi cert.pet.l.obligari.§.pupillus. D.de auctor.tut.l.& vno.18. D.de acceptilat. & l.9.§.j. D.de tribut. Pro contractu ſumitur in §.vnde in iis cauſſis.Inſtit.de auct.tut.Nec ad contractus tantùm, ſed & ad omnes obligationes,etiā ex delicto deſcendentes,pertinet. Sic accipitur apud Gaium l.creditorum.D.de verb.ſignif.ergo & ad quaſi contractus, vt ibidem notat A.Alciat.Hotom. tamen in his omnibus locis planè & Latinè cauſſæ nomen vſurpari vult.

Cauſſæ etiam verbo lis ſignificatur Paulo lib.j.Senten.tit. 10.quod & Iuſtinianus in §.ſi quis agēs:Inſtit.de actio. expreſſit,explicans,cauſſa cadere,hoc eſt rem amittere.Sic ſumitur in l.j.C.de reb.credi.quam tamen Græcam eſſe quidam referunt,eodem verbo in eadem ſignificatione vtuntur Pragmatici Galli. Hanc appellāt Græci δίκην: quo verbo in eum ſignificatum vtitur ſæpiſſimè M.Cicero, & Seneca in Prologo 30.De clama.Cauſſam verò à lite ſeparaſſe,diſtinxiſſe vidētur Imppp.in l.cauſſas.16.C.de tranſact.& Pontifices in c.forus.extra de verbo.ſignif.in antiq.de quo Albericus in d.l.cauſſas.Cauſſam à lite etiam ſeparat Arcadius l.j.§.adhiberi.D.de teſti.ex quo putem cauſſam à lite ita diſtingui, vt illa generale verbum ſit, quo & capitalia & ciuilia contineantur:litis verò appellatione ciuiles tantum actiones comprehendantur.Cui rei etiam indicio eſt l.litis.D.de verbo.ſignif.Hinc diſputatur,an cauſſa & actio eadem ſint,ab Accurſio in §.j. Inſtit.de actio.& ibidem ab Angel.& Iaſone, & aliis. Cauſſam generale verbum eſſe tradit Barto.d.l.cauſſas.Cauſſa tamen in d.l.cauſſas,ſumitur pro hypotheſi,vel negocio,ex quo lis nata eſt.

Cauſſam pro re ponit Vlpianus in l.iuriſgentium.§.ſed & ſi in alium.& §.ſed cùm nulla. D.de pact.quod autem dicimus rem,accipe dandam,tradendam,faciendámve,per d.§.ſed & ſi in alium.Sic accipitur in titu. D.de cond.cau.da.& C.eo.& tit.de condict. ob turp.cau. & tit.de condict.ſine cauſa.

Cauſſa etiam ſumi ſolet pro titulo debiti,actionis, dominij,poſſeſſionis,l.priuilegia.16.D.de priuileg. credit. l. 3.§.ex plurimis.D.de acq.poſſeſ.Hinc Cauſſas oneroſas,& lucratiuas dicimus, de quibus infrà ſuo loco in cauſſarum generibus.

Cauſſam pro titulo poſuit Vlpianus l.ſi ego.§.partus.D. de publician.in rem act.

Cauſſa ſignificat conditionem, iúſque rei cuiuſlibet, l.ſi conuenerit.18.§.ſi fundus. D.de pigno.act.l.alienatio. 67.D.de cōtrah.emp.l.ſi debitor.12.C.de diſtrac.pign. & in conſtit.Seueri, & Antonini l.vnic.C.rem alien. ger.& ſic explicare videtur cauſam Paulus, eam, conditionem appellans,in l.via.23.§.ſi fundus.D.de ſeruit. ruſtic.Hinc dixit Vlpianus cum ſua cauſſa, ſuíſque vitiis l.Pomponius.13.§.j. D.de acquir.poſſeſ. Sic Cauſſam pro conditione poſuit M.Cice.de lege Agr.Soluta,ait,in meliore cauſſa ſunt,quàm obligata.

Cauſſæ fauorabiles ſunt quatuor, ſcilicet, de libertate, matrimonio, dote, & teſtamento.c.duobus. de re iud. & de cauſſa notat Panor.in cle.dudum. de ſepul.ſuper verbo,cauſſis,& Io.And.in c.cùm dilecti.de accuſ.

Cauſſæ autem omnium rerum ſunt quatuor: efficiens, à qua fit: materia, ex qua fit:forma, per quam eſt; finis, propter quem fit.

Cauſſæ verbum plerunq; per ἔκλειψιν ſupprimi ſcribit A.Auguſti.lib.2.Emen.ca.j.apud Alfenum l.cum quæreretur.§.vlti.D.de leg.3.verſi.topiarium enim.exempla reliqua ſæpiùs fient obuia, quàm vt dici ſcribíque debeant.

Cauſſæ appellatione comprehenditur omne commodum,omníſque vtilitas, quæ ex re percipi poteſt: ita videtur explicare Vlpianus in l.Iulianus.9.§.penult. & fi.D.ad exhib.& l.5.D.ſi vſuſfru.petat.eo itaque verbo partum cōtineri ait. Sic accipitur in titulo D.de vſur. & fructib.& cauſſis.Gaius igitur rectè exponit cauſſa, id eſt,omne quod habiturus eſſet actor,ſi quo tempore iudicium accipiebatur, res reſtitura fuiſſet,l.præterea.20.D.de rei vendic.quam expoſitionem probat Paulus,ad condictionem producens,in l.cum fundus. 31.D.ſi cert.pet.Pro fœtu,& partu etiam cauſſam vſurpat Papinianus l.equis.8. D.de vſur. Cauſſa autem à fructibus ſeparatur à Iuſtiniano, §.ſi ad exhibendum. Inſtit. de offic.iudic. & antè ab Vlpiano l.Iulianus. 17.§.idem Iulianus. D.de rei vendic.ſed & ab vſuris ſeparatur.

Cauſſæ appellatione apud Paulum, l.obligationem. 44. D.de obligat.& actio.formam quandam & ſpeciem contineri aiunt quidam,vt & in l.in executione.85.D. de verb.obligat.vt obligatio in diem,ſub conditione, modo,& acceſſione.

Cauſſa etiam,vt M.Cicero lib. de Fato,diffinit, eſt quæ id efficit,cuius eſt cauſſa:vt vulnus mortis,cruditas morbi,&c.Sic accipienda eſt apud Vlpianum l.j.in princi. D.depoſit.Incendium, tumultus, ruina, naufragium, cauſſæ ſunt deponendi.Hinc Cauſſa efficiens, formalis,& finalis, de quibus infrà. Vnde nō immerito Donatus in 2.Æneid.cauſſam eſſe dicit propter quā quid fit.Sic accipi debet in l.cum antiquitas. 28. C.de teſta. μεταφορικῶς pro dilatione ſumi poteſt. Nam cauſſæ ibi enumeratæ dilationem pariunt. De cauſſa verò propter quam quid fit, ſic Fortunatius Iuriſc.in Rhet. Cauſſa eſt aut impulſiua, ὀρεκτικὴ, vt ira, odium: aut ratiocinatiua, λογικὴ, vt lucrum, hæreditas. Harum vtraque eſt aut efficiens, vt cùm dicimus, Illa ratione prouocatus eſt: quod ποιητικὸν αἴτιον Græci vocant; aut adiuuans, vt cùm dicimus, Etiam illa cauſſa acceſſit: quod ὑπεργετικὸν αἴτιον Græci appellant:aut prohibens, vt,Imo habui cauſſam non faciendi, ne ad inimicum meum hæreditas perueniret:quod κωλυτικὸν αἴτιον Græci nuncupant.

Cauſſam pro ratione ſumi interpretantur Alber.& Decius apud Paulum l.j. D.de diuerſis regul.iur.legentes ibi,coniunctionem, cum Pand.Floren. habeant coniectionem. Alciatus lib.5.Parerg.c.j.poni ibidem cenſet pro maxima propoſitione,vnde ducitur argumentum. Coniectionem cauſſæ, controuerſiæ argumentum,& ſummam interpretari videtur F.Duarenus lib. Diſpu.1. ca.46. Coniicere enim eſt ſummatim exponere:quod placet.

Cauſſam pro querela poni apud Iuſtinianum l.ſi quis filium.34.C.de inof.teſtam.quidam aiunt, quod & Accurſius ibidem putat. Cauſſam tamen à querela ſeparare videtur Imperator.Sed de hoc alibi.

Cauſſæ appellatione quæſtionem contineri putant quidā apud Marcellum l.penult.§.Priſcianus.D.de iis quæ in teſta.delent.Nec forte inepte. Nam ibi dubitabatur, num inductis hæredum nominibus, libertates, & legata deberentur.Hac de re quærebatur,& controuerſum erat inter quoſdam aduocatos apud Imperatorē.

Cauſſam,apud Marcellum in l.rerum.30.in fi.D.de vſurp. & vſucap.Bart.qualitatem,alij naturam interpretantur:conditionē dicerem. quæ omnia eodē pertinent.

Cauſſam,pro gratia,& fauore,dixiſſe videtur Martianus, l.qui exceptionem.40.D.de condi.indeb. quod verba ibidem ſubiecta oſtendunt.Cauſſam,id eſt, hæreditatem explicat Imperator in §.igitur in pupillari. Inſtit. de pupil.ſubſtit.

Cauſſam in libris Decretorum accipit Gratianus pro eo quod ὑπόθεσιν Græci, Latini argumentum, & ex quo eliciuntur quæſtiones vnde de rebus diſputatur. ὑπόθεσιν, quam cauſſam vocat, prætexuit, hinc quæſtiones diſcutiendas eliciens: vt colligi poteſt ex diſtin.101. & prin.primæ cauſſæ, quæſtione prima.

CAVSSARVM GENERA.

Cauſſa bona in l.petitor. in fin.D. de lib.legat. qua litigando aduerſarium iuſtè & legitimè vincimus. Huic contraria eſt mala cauſſa, d.l.petitor.

Cauſſam bonorum, vtilitatem interpretatur Vlpianus in l.j.§.hæc actio. verſ.plenius. D.ſi quis teſta.lib. & ſic accipitur apud eundem Vlpianum in l.in conuentionalibus.52.§.fi.D, de verbo.oblig.

Cauſſa caduci apud Iuſtinianum in l.vnic.C.de cadu.tollen.dicitur cùm quid ſub conditione relictũ erat quæ deficiebat, vel is cui relictum erat, viuo teſtatore moriebatur. Vide ſuprà CADVCVM.

Cauſſa condictionis, apud Papinianum l.pupilli.96.§.fin. D.de ſolut.eſt ipſum indebitum, ob quod condictioni, id eſt, repetitioni, locus foret.

Cauſſam dotis apud Pomponium l.j.D.ſolut.matrimon. variè interptetatur Accurſ.nempe, actionem, dotem, conditionem habitudinémve, titulum, contractúmve iudicium, vel inſtantiam, & matrimonium: ſingulas acceptiones probat Barto.Et Alciat.exponit cauſſam hoc eſt ſubiectum, & materiam, quaſdam expoſitiones Accurſij ſequi viſus, & ante eum Bald.Briſſonius ſecundam explicationem ſequitur. Equidem ſingulas poſſe ferri ego putem. Idem dicas in l.j.D.de iure dotium.

Cauſſam edicti, edictum ipſum ſonat apud Vlpianum l.ſi pater.5.D. vnde li. Equidem Cauſſam ibidem accipiendam putem pro eo quod impulit Prætorem ad ita edicendum.

Cauſſa facti, in l.tutor.10.D.de tut.& curat.dat.ab iis.non factum ipſum, ſignificat, vt quidam autumant, ſed id cuius cauſſa quid fit. Cauſſa dati tutoris in locum alterius erat abſentia: factũ ipſum, datio tutoris in ſpecie, d.l.tutor.

Cauſſa fideicommiſſi, in Papiniani reſponſis l.3.§.nonnunquã.D.de vſur.ſignificat quibuſdã fideicõmiſſum. Equidem pro conditione, & iure fideicommiſſi accipi debere putem. Tibi hoc ipſum cogitandum relinquo.

Cauſſam vſusfructus, apud Paulum in l.ſi ſeruit.10.D.vſufruct.quemadmodum caue.pro lite, quæ huius nomine mota eſt, accipi putem: quod & ſubiecta ibi verba oſtendunt.

Cauſſa minima, apud Accurſium in §.illud etiam in gloſ. in verbo, minimis.in auth.de appel. & int. quæ temp. dicitur quæ minor eſt decem librarum auri. Dicerem quæ non excedit decem aureos. Cauſſa etiam minima appellatur aureorum quinquaginta, centum aureorũ, Accurſio in §.ſi tibi.de manda.prin.in auth. At Cauſſæ maiores in cap.j.de tranſlatione Epiſco.dicuntur quæ reſeruatæ ſunt ſedi apoſtolicæ: ſuntque meri imperij, Panor.in d.c.j.no.4.

Cauſſarum quædam eſt cauſſa cauſſans, quædam cauſſa cauſſata, Baldus l.j.C.per quas perſonas. Tu eum videto. Item quædam eſt remota, quædam propinqua, vide gl.in l.poſſidere.§.veteres. D.de acquirenda poſſeſſio. Item quædam eſt impulſiua, quædam finalis, Bartol.in extrauag.ad reprimendum. Item quædam ciuilis, quædam criminalis, quædam mixta, c.tuas.extra de procu. Cauſſarum verò, inquit M.Tullius ex Chriſippo in libro de Fato, aliæ ſunt perfectæ, & principales: aliæ adiuuantes, & proximæ. Cauſſarum etiam quædam publica, quædam priuata: ita diſtribuit Homerus Odyſſ. 2.quod ad ius noſtrum pertinet.

Πρῆξις δ' ἥδ' ἰδίη, οὐ δήμιος, &c.

Cauſſa perpetua apud Paulum in l.foramen.28. D.de ſeruit.vrban.in ſeruitutibus dicitur, qua continenter vti poſſes, vt aqua quæ cælo decidit: quod accipe aptitudine per l.j.§.quod autem. D.de aqua quot. & æſtiua. Cauſſa perpetua naturalis etiã dicitur, in d.l.foramen.

CAVSSARVM FORMVLÆ.

Cauſſa cadere, in XII. Tabul.eſt rem amittere, Iuſtino in §.ſi quis agens.Inſtitutionibus de actionibus. Cadendi autem cauſſa modos recenſet, & explicat Paulus libro j.Sent.titu.10.Rei autem appellatione apud Iuſtinianum lis ſignificatur. vide infrà Res. Apud Cicer.tamen lib.j.de Orat.abuſiuè Cauſſa cadere, etiam plus petere eſt: Cum Hipſeus, inquit, maxima voce pluribus verbis à M.Craſſo prætore contenderet, vt ei quẽ defendebat, cauſſa cadere liceret. Id eſt, vt plus ei liceret petere, actione tutelæ, quàm in duodecim Tabul. lege permiſſum erat. Rurſum, Cn.autẽ Octauius homo Conſularis non minus longa oratione recuſaret, ne aduerſarius cauſſa caderet. Id eſt, ne aduerſario plus petere liceret, quàm quod eſſet in actione tutelę, duplum ſcilicet, vt l.tres tutores. D.de admin.tut. His patronis nota erat lex XII.Tabul.non tamen illa iuris definitio, qua cauetur formula excidere eũ qui intentione ſua plus complexus fuerit, quam ei debeatur.d. §.ſi quis agens. Hypſeus enim pro pupillo à M.Craſſo Prætore poſtulabat, vt ſibi liceret in triplum agere. Octauius pro tutore non niſi in duplum actionem dari oportere contendebat: neque intelligebat, ſi in triplum actionem impetrari ſciuiſſet, hoc ſolo ſe tutelæ actione liberatũ iri. Itaque cauſſa cadere, eſt cauſſam perdere. Sed interdũ etiam ſine cauſſæ amiſſione ſimpliciter plus petere eſt. Cicero in Muræniana: Nam ſi tibi neceſſe putas etiam aduerſariis amicorũ tuorum de iure conſulentibus reſpõdere, & ſi turpe exiſtimas te aduocato illum ipſum, quem contra veneris, cauſſa cadere. Id eſt plus petere, ídque obtinere.

Cauſſam cognoſcere, & cauſſæ cognitio. Vide infrà, Cognoſcere, & Cognitio.

in Cauſſa ius poſitum dixit Alfenus in l.ſi ex plagis.52.§. in cliuo. D.ad leg. Aquil.pro eo quod vulgus factum ipſum interpretatur. Accurſ.ibidẽ: Ius, ait, in cauſſa poſitũ, hoc eſt, vt is teneatur, qui cauſſam mortis prębuit.

Cauſſam dicere, eſt litigare. Cauſſam agere dicitur orator & aduocatus, Varroni lib.4.Ling.Lat. At Budæo in prioribus, Cauſſam dicere eſt iudicium ſubire, & culpas fraudéſque iudiciorum ſuorum actorúmque præſtare. Græci κρίνεσθαι, καὶ δικάζεσθαι dicunt.

Cauſſam in vinculis dicere, apud Papinianum l.2.D.de cuſtod.reo.ſignificat, vt carceratus ſuas defenſiones proponat, dum criminis quæſtio peragitur.

in eadem Cauſſa eſſe, formula fręquens Iuriſcoſſ.qua ſignificatur, idem iuris eſſe in vtraque ſpecie: vtriuſque eandem eſſe conditionem.

Cauſſarum figuræ, in l.j.in princ.D de obligatio.& actionibus, variè explicantur ab Accurſio in d.l.j.Bartolus obligationes ex quaſi contractu interpretatur: cuius ſentẽtiam quidam ex nouiſſimis Lexicographis probare videtur. Alij pro negotio quouis accipiunt.

Cauſſa iuris, apud Papinianũ l.cùm pater.77. §.fidei tuæ. D.de leg.2.vt quibuſdam placet, ſignificat diſpoſitionem, & voluntatem iuris, & teſtatoris. Equidem cauſſam à voluntate ſeparari putem, & Cauſſam ibidem ſumi pro occaſione ad ita fidei committendum.

Cauſſa legati, apud Iulianum in l.quæſitum.9, §.duobus. D.de leg.j.ius ipſum legati ſignificat.

Cauſſa nouationis, in l.4.in fin. D.de vſur.ſignificat ius, conditionem, & naturam nouationis.

Cauſſæ vocabulum, vt dictum ſuprà ex Hotoma.in l.ii. D.de verbor.ſignif.& l.9.D.ſi cert.pet.ac ſimilibus, ridiculum eſt vſurpari pro contractu aut obligatione.

nam il

nam illis locis & ſexcentis ſimilibus planè & Latinè cauſſæ verbum poſitum eſt.

Cauſſa ordinis, in l. ex conſenſu. §. fi. D. de appel. pro ipſomet ordine ponitur, vt quibuſdam placet.

Cauſſa iuſta, ſæpiſſimè iure Ciuili, & Pontifico, quæ iuris auctores, iudicéſve mouet: vel quæ ius tribuit, quáve dominium acquiritur. Ad primam referuntur, bellū, litigium, peregrinatio, paupertas, temporis qualitas: ad aliam emptio, permutatio, donatio. Vtrũque ſignificatum negotia & res aperient. pro ſecundo eſt text. l. nunquam nuda. D. de acqui. rerum domi.

Cauſſam poſſeſſionis, in l. j. C. per quas perſonas nobis acqui. in varias ſignificationes tulere varij. Accurſius ibidem ſignificare ait dominium, vel vſucapiendi cōditionem: quod & Bald. refert. Bartol. ad d. l. j. pro poſſeſſione ipſa accepiſſe viſus eſt: quæ acceptio iuuari videtur Pauli reſponſo. l. j. §. per procuratorem. D. de acquirenda poſſeſſio. Hanc expoſitionem probãt quidam ex recentioribus: Baldus tamen eam reiicit, ſubiiciens Nicolaum Maturellium, pro re ipſa, quæ poſſideri poteſt, ſumere. Bart. ſententia iuuatur etiã ex diui Seueri conſtitutione. l. j. C. de acq. poſſeſſ. quæ explicatur à Iuſtiniano in §, ex his itaque. Inſtit. per quas perſo. vnde elicere poteris explicationem. l. j. C. per quas perſo. Cauſſam tamen poſſeſſionis emptionem eſſe didici ex Iuliano. l. non ſolum. 33. §. quod vulgò. D. de vſurpa. & vſuc. Titulus (vt ſic loquar) eſt poſſeſſionis cauſſa. Vide infrà poſſeſſionis cauſſa. Poſſeſſionis igitur cauſſam pro re, & negotio interpretabimur. At Cauſſa poſſeſſionis in c. j. & tot. tit. extra. de cauſſa poſſeſſio. & proprieta. eſt ipſa lis, quæ de poſſeſſione ventilatur coram iudice: eodem ſenſu accipitur ibidem Cauſſa proprietatis.

Cauſſam propriam eam eſſe Vlpianus ait. l. j. §. in propria. 8. D. quando appellan. ſit. cuius emolumentum, vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet.

Cauſſam teſtamenti, codicillos appellare videtur Vlpianus. l. j. §. hoc interdictum. D. de tab. exhib. Apud Papinianum in l. tutores. 39. §. hæres. D. de admini. tutor. pro iure, conditione, & ſpecie teſtamenti accipiendum id verbum putem: vt & in l. j. in princ. D. ſi quis omiſ. cauſ. teſta. licet ibi accipi poſſet de his quæ teſtamento cauta ſunt: & ibidem paulo pòſt, Cauſſa pro conditione accipi debet.

Cauſſa alia lucratiua eſt, alia onerosa. Lucratiua eſt, ex qua accipienti nihil abeſt, veluti in legato, & donato. l. 5. D. de vſucap.. Onerosa, propter quam quid accipienti abeſt, vt in empto, vendito, locato, conducto, permutato, & ſimilibus.

Cauſſa indicta damnati dicuntur, qui cauſſa non cognita condemnati ſunt, Budæo in l. 2. D. de cuſt. reo. Hinc Cauſſa inaudita damnari, quod & æquitas & Senatus apud Tacitum lib. 18. & pontifex maximus. c. j. extra de cauſ. poſſeſſio. & proprietat. vetant. Vide quæ hac de re ſcripſi ad leges Draconis lib. j. Veter. Iuriſprudētiæ.

Cauſſam ſubſcribere, in M. Ciceronis Cluentiana, ſignificat ſententiæ cauſſam adſignare, vt vult Budæus ad l. fi. D. de priua. delib. Video igitur iudices (ait) animaduertiſſe Cenſores in iudices quoſdam illius conſilij Iuniani, cùm iſtam ipſam cauſſam ſubſcriberent.

in Cauſſam deſcendere, apud M. Ciceronem libr. 8. Epiſto. ad Attic. epiſt. j. eſt, Budæo interprete, liti ſe adiungere: Quo minus mirere inuitus ſi in eam cauſſam deſcendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæſita ſit vnquam.

CAVSSARI N. Marcello eſt dicere & defendere. Cauſſari tempeſtatem dixit Vlpianus noſter, pro eo quod dicimus excuſationem ob tempeſtatis obicem adferre. l. 2. D. ſi quis cautio. Sic & l. generaliter. 24. §. planè ſi fortè. D. de fideicom. libert. eodem ſenſu accipitur.

CAVSARIA miſſio, vide infra Miſſio.

CAVSSARII dicuntur, qui propter valetudinem aut ſenectutem dimiſſi ſunt. Cauſſa enim Latinis vitium eſt, Græcis, αἰτία dicta. Sic Cauſſariæ animi partes, id eſt vitioſæ.

CAVSSIDICI, in conſtit. Valentiniani & Valentis. l. quiſquis. 6. C. de poſtuland. ſunt iudices, ſeu aduocati, & cauſſarum patroni, qui in foro cauſſas dicunt: qui & Togati dicũtur: ideóque & inſtituendi & ſedendi ibidem dicuntur habere.

CAVSSIDICINA, cauſſidicorum munus apud Marcellinum lib. 30. vt refert Cuiac. lib. 4. Obſer.

CAVTIO, vide ſuprà poſt verbum Cauere, ſuó loco.

Cauteria apud Marcianum. l. itẽ pictoris. 17. D. de inſtru. inſtrumen. legat. dicta ſunt pictoris inſtrumenta, quibus bituminationes & fortiores quæque conglutinationes cōcoquuntur, maximè in ea pictura quæ ἐγκαυστικὴ adpellatur. ἐγκαυστικὴ enim pingendi ratio eſt, quæ inuſtaria dicitur: de qua Martialis. Encauſtus Phaëthō tabula tibi pictus in hac eſt.

C E

CECTERIA, Theodoſio & Neuterio auctoribus, dicitur fouea rotunda.

CECTORIA, lacuna eſt, ex ſubiectis eorundem verbis ex lib. de limitibus: V. caſa, quæ per v. nomen habet, fines grandes habens, ſuper ſe finem mittit, vt in colle cum meridiano requiras, qui terminus conſtitutus: & ipſa pedatura pergens per limitem orientalem, qui venit in ſextaneum, & pertranſit, ibidem facit quadrifinium, quem locum ſubter ſignificabimus: ab auſtro lapides natiuos, quod eſt exſoluti cectoriales, in epirecticum adſignauimus, & in ipſo lapide decisa eſt, & flumen tranſit, & lacunam quæ eſt ſubter viam, & per lacunam limes excurrens finalis, qui ex ipſo loco mittit vſque ad terminum, & in lōgitudine. LXX. hoc eſt Cectoria eccleſiæ eius. ſimiliter pedatura accepit tēplum eorum viuos, hæc fecerunt; aquam proximam inuenies in fundo ſupra ſcripto. Hactenus Theodoſius, & Neuterius. Hinc

CECTORIALES lapides, quorum explicationem deſume ex ſuperioribus.

CEDERE, verbi latiſſima ſignificatio eſt. Cedere abire è loco. Hinc Cedere foro, & cedere vrbi apud Iuriſcoſſ. & M. Ciceronem.

Cedere pro ſoluere, Vlpiano dictum putant quidam in l. non ſolùm. 33. §. ſi mihi. D. de vſurp. & vſuc. Equidem pro ius poſſeſſionis transferre apud eundem accipi crediderim.

Cedere etiam eſt conſtituere, apud Paulum. l. fin. D. commu. præd. in princ. de ſeruitute loquentem.

Cedere quoque renuntiare ſignificat, in clem. vnic. de renuntiat. quod verum videri poteſt, ſi vera ſit regula vulgò prodita, Leges debent intelligi ſecundum titulos, ſub quibus poſitæ conlocatæve ſunt. quæ regula colligitur ex l. Imperator. in fin. D. de in diem addict. Eodem etiam ſenſu ſumitur Cedere in c. quàm perículoſum. 7. q. j. niſi dicas ibi pro ius ſuum transferre accipi. Cedere autem ſiue pro conſtituere, ſiue renũtiare accipias, μεταφορικῶς intelligas oportet. qui enim ſeruitutem conſtituunt, rebúſve ſuis renuntiant, eáſve abdicant, iure ſuó abire creduntur.

FORMVLÆ.

Cedere actionibus, pro præſtare, dixere Gaius l. patri. 27. §. j. D. de minoribus. Paulus. l. vt tantum. 14. §. penul. D. de ſeruit. Vlpianus in l. quod ſi. 3. §. idem Labeo. in fin. D. de in rem verſ. & paſſim alibi; in quibus locis pro actionibus vulgata exemplaria habent actiones. Sed lectio Florentina vt rei aptior, ita venuſtior ſemper viſa fuit.

inter Cedere actiones, & mandare differentiam quan-

dam ſubeſſe refert Accurſius.l.j.C.de oblig.& actio. Bart.ibidem exiſtimauit(quod ad cedentem,vel mandantem adtinet)nullam eſſe:ſed reſpectu eius cui ceditur,eſſe.Equidem hoc diſcriminis ſubeſſe putē:Ceſſione actiones transferri,idque Iuſtinianus conſtituit. l.fi.in princ.C.de iure dot.)mandato non item,vt probatur per l.3.C.de nouat.

Cedere bonis, eſt profiteri voluntate ſe deſerere bona ſua creditoribus:hoc colligitur ex l.in omni.6.& l.j.& tot.tit.C.qui bonis cedere poſſunt. Profeſſionem diffinitioni Azonis in Summa.C.eod. tit.addidi. eā enim ſolam ſufficere Theodoſius dixit.d.l.in omni. Hoc autem beneficium conceſſit lex Iulia:quod tit.18.libr.4. C.The.edocemur,& Diocletiani & Maximiani conſtitutione.l.4.C.qui bonis ced.poſſunt.

Cedere diem,Vlpianus ait.l.cedere.213.D.de verb.oblig. & ſignificat incipere deberi pecuniā. Eſt autem cùm certi temporis pars effluit:veluti cùm quis Kalend.Ianuarij die ſtipulatus eſt,ſibi proximis Kaladis dari:vel cum in locatione dies operi faciundo præſtituta eſt Kalend. Febr.triduo quatriduóve exacto, rectè tres quatuórve dies ceſſiſſe dicentur.Sic accipi debet in l. deducta.58.§.qui poſt tempus.D.ad S.C. Trebellia. & l.cum quærebatur.13.D.iudi.ſol. Hinc

Cedere dies legatorum dicitur,cùm pars aliqua legitimi temporis,quo illa legatariis quæſita ſunt, effluxit,ſub tit.D.quan.di.leg.ced.Sic accipitur in l.pen.& fi.C.eodem tit.quod ita explicat Theophilus in §.peculiū.Inſtit.de legat.προχωρεῖ δὲ τὰ λῃγάτα, ἐπειδὰν κάλεσε χθῆ εἰς ἡμᾶς.καταφορὰ δέ ἐστιν ἡ τῆς ἀγωγῆς ἅρμοσις ἁρμόζει δὲ ἐπὶ μὲν τῶν πούρων,à morte teſtatoris,ἤγουν μετὰ θάνατον τοῦ διαθεμένου· ἐπὶ δὲ τῶν αἱρετικῶν,μετὰ τὴν ἔκβασιν τῆς αἱρέσεως. Sic etiam cedere dies bonorum poſſeſſionis dicitur, cum præſcriptione eius temporis excludimur à commodo & petitione bonorum poſſeſſ.l.2.D.quis ordo in poſſ.ſeru.

Cedere foro,apud Vlpianum.l.ſi hominē.7.§.quoties.D. depoſ.dicebantur argentarij,vt ibidem refert Budæus in prioribus,cùm tabernis,id eſt,menſis ſuis cedētes, quæ in foro Romano erant,aliò habitatum migrabāt. Vulgus id vocat facere Banquam ruptam. Id autem eleganter expreſſit Iuuenalis Satyra 11.

Hi plerunque gradus,conducta pecunia Romæ,
Et coram dominis conſumitur.inde ubi paulum
Neſcio quid ſupereſt,& pallet fœnoris auctor,
Qui uertēre ſolum,Baias,& ad oſtia currunt.
Cedere nanque foro iam non eſt deterius,quàm
Eſquilias à feruenti migrare Saburra.

Ceſſionem fori ad alios debitores Iulianus.l. fin. D.de curat.bonis dand.produxiſſe videtur.

Cedere hæreditatem dici putauit Seruius in illud.3.Æn.

Et patrio Andromachen iterum ceßiſſe marito:

pro competere,vel debitam eſſe,aut quæſitam.

Cedere in iure dicebantur,qui dominium rei ſuæ in aliū transferebant,à quo ipſi abibant:ex Epitome Vlpiani tit.19.cuius hæc verba ſunt, In iure ceſſio fit per tres perſonas,in iure cedentis,vindicantis,& addicentis. In iure cedit dominus,vindicat is cui ceditur, addicit Prætor.Hoc inter acquirendi modos recenſuit idem Vlpianus:cuius rei formam explicat Boëtius in Topica M.Ciceronis,his verbis; Apud Magiſtratum is cui res in iure cedebatur, eam tenens ita vindicabat: HVNC ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio.Deinde poſtquam hic vindicarat,Prætor interrogabat eum qui cedebat,an contra vindicaret:negante eo,aut tacente,tunc ei,qui vindicarat,rem addicebat. Hæc ille.Hotom. opinatur ſumptū hoc fuiſſe ex vindiciarum conſuetudine,in quibus alter virgula quaſi haſta pellebat,alter verò cedebat.Hinc cedere etiam dicimur in rebus incorporalibus, cum earum ius in alium transferimus:veluti cum Actiones aut Seruitutes cedi paſſim in iure noſtro legimus:ſic vſusfructus, & hæreditas & tutela legitima & libertas, vt ſcribit Vlp.c.ſuprad.

Cedere hauſtum,& Cedere iter dixit Vlpianus. l.3.D.de ſeruit.ruſtic. pro conſtituere, & transferre ius aquæ hauriendæ,& eundi,vt l.per fundum in princ.D.eo.& ſeruitutem Cedere eodem ſenſu dixit Paulus.l.nemo. 39.D.de ſeruit.vrb.& ſæpius.l.fi.D.comm.præd.

Cedere legibus, apud M. Ciceronem in Miloniana, eſt parere condemnationi pœnæ ſecundum leges inlatæ. Verba Ciceronis hæc ſunt,Siue Milo morte patriam liberare voluiſſet, non dubitaturum fortem virum, quin cum ſuo periculo ſalutem Reipublic. adtuliſſet, cederet æquo animo legibus.Id quod ad cauſſas ciuiles produxit, & iudicatum facere interpretatus eſt Oldendorpius,

Cedere nomina,eſt debita transferre,ex l. Iulianus.D.de pet.hæred.

Cedere operæ eadem ſignificatione dicuntur, qua cedere legata:quod plenè ſic poteſt efferri, Cedere dies, quibus operæ aut legata debebātur.Hinc illud Vlpiani.l.ſi quis.13.D.de oper.libr. Iudicium de operis tunc locum habet,cum operæ præterierint: præterire autem non poſſunt,antequam incipiant cedere: & incipiunt,poſtquam fuerint indictæ. Sic accipitur in l.hæ operæ.23.& l.interdū.34.D.eod. Diuerſum eſt in operis in ſtipulationem deductis.l.quoties.24.D.eod.

Cedere interceſſioni,apud Budæum in l.2.de orig.iuris. eſt admittere oppoſitionem,nec procedere vltra.Vnde ſublata interceſſione,quod nunc dicimus,Non obſtante oppoſitione.

Cedere tempora dicuntur apud Paulum. l.j. D. de iur.& fact.igno.& Gaium in l.annus.6.D.de calum.& Vlpianum.l.4.D.de adulteriis.quæ currunt,& computātur.

Cedere teſtibus,teſtibus conuinci.

Cedere vita,eſt ſibi mortē conſciſcere,Budæo in adnota.

CEDENS cenſetur extranei loco.l.ſi cum emptore. in princ.D.de pact.l.2.§.cùm quis debitori.D. de hæredi. vel actio.vendit.

Cedere tutela in Inſtit.Vlpiani tit. 11. abire à tutela, & ipſam deponere apud acta, & in alium eius adminiſtrationem transferre.Porrò illud legitimis licere,teſtamento datis tutoribus non item, idem Vlpianus ait. Hinc.

CESSICVS tutor,cui in iure tutela ceſſa eſt, eidem Vlpiano in Epitome.Etſi hoc in loco,Ceſſitium legi vult Turneb.Aduerſ.lib.j.c.21. Hinc

CESSICIA tutela,quæ ita in iure ceſſa eſt, & tranſlata. Et Libertas ceſſicia,quæ vindicta datur.

CESSIO in iure, cuius etiam commeminit Cicero in Topic.eſt communis alienatio, & mancipi rerum, & nec mancipi,quæ fit per tres perſonas, in iure cedentes,vindicantes,addicentes.

Ceſſio nominum.l.Iulianus.30.D.de pet.hæred.Vide,Cedere nomina.

Ceſſio ſeruitutum.l.ſed quæ.22.D.de ſeruit.ruſtic.

CESSIM IRE, in l.ſi ex plagis.§.in cliuo. D. ad legem Aqui.eſt retrò redire,ex interpretatione Alpheni eius legis auctoris; quod & Accurſius rectè intellexit.Eo dicendi genere vſus eſt Iuſtinus libr.2.Aut ſi hoc parum tritum extat,vos,commiſſo prælio,ite ceſſim, inhibete remos,& à bello diſcedite.

Κειμήλια,Theophilus in §.ſacras.Inſtit. de rerum diuiſ.interpretatur,res ſacras,& donaria ritè ad miniſterium Dei dedicata: cuiuſmodi ſunt vaſa,veſtes, & ſimilia pretio magno habita, vt eſt in l.ſancimus.C.de ſacroſanct.eccl.Sunt qui putent κειμήλιον numero vnius munus,multitudinis verò mobilia pretioſa ſignificare.

CEIMELIARCHÆ, vel κειμηλιάρχαι, in l. fin.C. de bo. auct.

auct.iud.poſ.qui Camelis curandis præſunt.

Ceimeliarchion, ædem ſacram interpretatur Iuſtinianus.l.litibus.C.de agricol. & cenſit.lib.11. vel potius locum in eccleſia vbi κειμήλια reponuntur, per d.l.fi.Huius meminit Alciatus lib.9.Parerg.c.7.

Celare, pro abſcondere notæ ſignificationis eſt:falſi ſpeciem eſſe, & ad legem Corneliā de falſis pertinere Paulus ait.l.qui teſtamētum.2.D.de falſ. & l.inſtrumentorum.§.Paulus.D. eod. vbi Bartol. hoc adnotat, rectè quidem.Celare dicitur etiam is, qui res amouit, vt colligitur ex l.ſi concubina. §. res amotas.D.rer. amot.

Celare fugitiuum,in l.j.D. de fugit. vt definit Accurſius, eſt quod velis ignorare eum,ad quem ea res pertinet, alicuius commodi ſui cauſſa.Sed addes dolo malo,per l.doli.in princ.D.de ſeruo corrupto.

Celare venditorem,ſic accipiendum rectè putat Vlpianus.l.j.§.j.D. de ſeru. corrupt. non ſolùm ſi quis non admonuit,ſed & ſi negauit ſeruitutem deberi.

Celatim, pro occultè & abſconditè poſuit Siſenna in hiſtoriis,referente à Gellio lib.12. c.15.

Κελάρια inter vaſa,quæ dulcedines,& confectiones, & ſapores ad comedendum continent,poſuit I.Pollux lib. 6.Onomaſt.c.12.

Celebris ciuitatis adpellatione,apud Vlpianum in l. ſi in aliam.(ſic incipit in Pandect.Florent.in vulg.ſi in aliquam.)D.de officio Proconſ.continetur ea,quæ ab hominibus frequentatur.

Celeberrimus,apud Hermogenianum.l.ſi res pupillaris. 50.D.de admin.tut.dicitur populi iudicio & teſtimonio diuitiis clariſſimus,& famigeratiſſimus.

Celebrare diuiſionem,in l.vnic. de iis, qui ſe def. lib.10.C.eſt in populi frequentia rem diuidere.

Celebrare venditionem,eſt vendere.l.j.C. de comm.rerum alien.

Celeres,quorum cōmeminit Pomponius.l.2. §.quod ad Magiſtratus.& §.populo.D.de orig.iur.dicebantur equites veteribus.d.§.quod ad magiſtratus. quod & Feſtus lib.3.& L.Feneſtella lib.2.c.2. probant.Eos Romuli comites videtur adpellaſſe Plutarchus in eius vita.Delecti enim erant ad eius corporis cuſtodiam, vt idem & D.Halicarnaſſæus referunt, à celeritate & velocitate dicti,vt iidem & Feneſtella ſcripſerunt: in quorum ſententiam pedibus iuit Zaſius, in d.§.quod ad magiſtratus.Tametſi à Celere Remi interfectore ductos putet Feſtus lib.3.quod & Ouidium cōfirmaſſe in libr.Faſtorum ſcribit Feneſtella. Trecentos eos fuiſſe Halicarnaſſæus, & Feſtus prodiderunt. Vnde Galli Celeres vocare poſſunt,quos adpellant. *Le corps de garde du Roy.* Græcis Σωματοφύλακες dicti. Veteribus Græcis etiam λειτουργεὶ dicebantur, & λειμέτιοι ἔπιχλται, qui ferè erant Scythæ, vt apud nos Heluetii vel Germani. Hinc

Celeritas, id eſt,velocitas actionūm,id eſt actorū, apud Vlpianum.l.3.§.ſed ſi debitorem. D.de donatio. inter virum & vxorem.in eum ſenſum, vt vnū ſtatim ſequatur aliud. Celeritatem tamen deſiderare apud eundem in l.j.C. de dam. infect. ſignificat negotium diebus omnibus etiam feſtis abſque vlla dilatione excutere. Eſt igitur Celeritas dilationi contraria. d. l. j. Hinc

Celeriter, pro ſtatim,illico,& ſine vlla dilatione, in l.ne quis.D.de cuſtod.reo. Et eodem ſenſu,

Celerrimè in Iuſtiniani conſtitutione.l.ſi quis. C.depoſi. Quod tamen dicunt leges celeriter, arbitrio iudicis relinqui,inque eius eſſe poteſtate, ſententia Vlpiani exprimitur.l.j.in fi.D.de iure delib. Ex eo verbo, Celerrimè, colligit Bart.depoſiti cauſſam ſummariam eſſe,in d.l.ſi quis. Et

Celerrimus finis,hoc eſt non moratorius, & abſque vlla dilatione,in l.j.§.fi.C.de veter.iur.enuclean.

Κελεύςης, qui ſociis naualibus imperat, I. Polluce interprete,qui à Plauto hortator dicitur. Hinc

Κέλευσμα,hortamentum,exhortatio nautica, Budæo in l. j.§.qui ſunt.D.nau.caup.ſtab.

Cella, à celando ducta,locum ſignificat vbi quid cōdebatur,repoſitoriū,Græcis ἀποθήκαι, in qua res eſculentæ & poculentæ reponi ſolent.Ex epithetis, & adpoſitis,ſiue(ſi malis)adiectiuis ſignificationem ſumit. Vnde Cellam oleariam & vinariam dixit Vlpianus.l. ſi habitatio.§.fi.D.de vſu & hab.Et Cellam penuariā idem dixit.l.3.§.ſiue autem.D.de penu lega. pro repoſitorio eorum,quæ eſui,potuíque ſunt. Caper tamen, inquit Cuiac.Obſer.lib.10.c.26.Cella,inquit,penaria, non penuaria dicendum. Et veteres gloſſæ, Penaria cella & promptuarium, ταμεῖον.

Cellas promas pro ſepulchris poſuit Tertullianus in lib. de reſurrectione carnis.Nam ait,cùm legimus,Populus meus introite in cellas promas quantulum, donec ira mea prætereat. Sepulchra erunt cellæ promæ, in quibus pauliſper requieſcere habebunt,qui in finibus ſeculi ſub vltima ira per Antichriſti vim exceſſerint.

Cella etiam ad alias res pertinet,ſumitúrque pro loco, in quo reponimus quæ occulta eſſe volumus, vt l.3.D.de offic.præfect.vig.& l.quis ſit fugitiuus.§. apud Cæliū. D.de ædil.edict.

Cellæ etiam,interprete Pontifice Maximo, in c.priuilegium.de verb.ſignific.lib.vj.dicuntur loca ſecreta, & ſolitaria,quæ ab hominum ſeparata conuictu ſunt,ad contemplandum,& Deo vacandum:de his accipi debere.c.qui verè.16.q.j.rectè putat gl.in d.c. priuilegiū. Hinc

Cellvla, 18.q.2.c.cellulas.et c.ſeq.

Cellarivs, qui cellæ penuariæ præpoſitus eſt.ſic accipi debet in l.nominatim.24. D. de manum.teſt. Sic fortè accipitur in l.hac ſanctione.fin. de diuerſ. offic. lib.12.C.Ab iis autem præberi ſolebat cibus et potio. Eodē ſenſu Cellararivm videtur interpretari Vlpian.l.quæſitum.12.§.ſi aliqua.D. de inſtruct.inſtrumen.leg. vbi vulgaria exemplaria habent Cellarium:quam lectionem veriorem putant quidam anteceſſores noſtræ tempeſtatis. Equidem à Florentina diſcedere nō auſim,cùm Cellararij vox Cuiacio probetur,in d.l.fi.de diuerſ.offic.lib.12.C.et apud Paulum lib.3.Sent.tit.6.ac cellarios et cellararios pro eodem ſumat,et hos fuiſſe dicat qui præbere ſolerent cibum et potionem.Hotom. tamen Cellarium hoc in loco legi mauult, et interpretatur ſeruum qui præpoſitus erat,vt cellæ rationes ſaluæ eſſent: quod et annotat Cælius Rhodigin.lib.14.c.8.

Cellearivs, in c.dilecto.de præbend. in antiq.(tametſi Albericus Cellarium legi malit) adminiſtrator quidam rerum eccleſiaſticarum.

Cellarivm apud Scæuolam in l.vxorem. 41. §. j.D. de leg.3.pro loco ſumitur qui diætæ iungebatur. quid ſit diæta, vide infrà ſuo loco.

Cellaria numero multitudinis aliter ſumi videntur in l.fi. C.Theod.de offic.omn. iudic. nam illo loco annonis comparantur.Eodem ſenſu ſumitur hoc verbū apud Sulpitium Seuer. libr. 2. hiſtor. ſacræ: Quadringenti (inquit)et aliquātò amplius Occidētales Epiſcopi Ariminum conuenere;quibus omnibus annonas, et cellaria dare Imperator præcepit. Vnde et

Cellarienses ſpecies,in l.pen.C.Theodoſ.de indulg.debito.

Cellaritæ,apud Caſſiodorum in lib.Var.epiſt.

Celsvs, vt ait Feſtus, ex Græco κέλης deducitur: quo vocabulo denotatur qui ſingulari equo vehitur. Celſos etiam iudices dixit Marcellinus lib.28. *Et iudicibus celſis,itidémque minoribus.* Hinc illud, *Celſi prætereunt auſte-*

ra poemata Rhamnes:ſic dicti quod aliis fuerint ditiores & potentiores.Significat autem ἐπιθετικῶς, ſublimem, excellentémve. Hinc

Cᴇʟsɪᴏʀᴇs, doctores legum dicti ſunt,in l.2.C.de offic.diuerſ.iudic.vt ibi interpretatur Accurſius: alibi honoratos appellat cōſtitutio.l.3.C. eod.Eorum enim iudicio iudices prouehuntur.d.l.2. Iuris igitur peritorum iudicio & examine iudices futuri probandi ſunt. Illi merito patres adpellantur,cùm à iudicibus fratres vocari vetentur.d.l.2.

Cᴇʟsɪ duo Iuriſcoſſ.recitantur à Pomponio.l.2.§.fi.D. de origine iur. Celſo patri ſuo ceſſit Celſus filius in iuris Ciuilis profeſſione.d.§.fi. De altero Spartianus in Adriano ita ſcribit:Cùm iudicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos,aut comites ſolùm, ſed Iuriſcōſultos,& præcipuè Iulium Celſum,Saluium Iulianum, &c.Celſum aiunt filium Cōſulem fuiſſe, Pomponius. d.l.2.§.fi.& Vlpianus.l.20. D. de pet. hære.Celſi patris reſponſum extat.l.pater.29.D.de lega.2. Celſi filij in l. j.D.de reſcind.vendit.extant & alia vtriuſque reſpōſa paſſim in lib.Digeſtorum.

Cᴇɴᴏᴛᴀᴘʜɪᴏɴ, vt Florentinus diffinit.l. monumētum.42.D.de relig.eſt monumentum memoriæ cauſſa factum,in quod neque corpus, neque reliquiæ illatæ ſunt: quam diffinitionem probat Sudas his verbis, Κενοτάφια,inquit,τινὰ ἦσαν ἐλιαζόμενα ὡς τινὸς νεκροῦ μὴ ἔχοντα νεκρόν.adeò vt tumulum inanem rectè adpellauerit lib.3.Æneid.Virgilius,

Solennes tum fortè dapes & triſtia dona
Libabat cineri Andromache,manéſque uocabat
Hectoreum ad tumulum,uiridi quem ceſpite inanem,
Et geminas,cauſſam lacrymis,ſacrauerat aras.

Suetonius in Claudio. c. j. honorarium tumulum vocauit.Differentiam ſubeſſe inter ſepulchrum,& cenotaphium idem Florentinus ſcribit.d.l. monumentum. In ſepulchrum corpus,aut reliquiæ illatæ ſunt: in cenotaphium non item:quod & Lampridius in Alexandro ſignificauit,Cenotaphium(inquit)in Gallia, Romæ ſepulchrum ampliſſimum meruit. Cenotaphium autem religioſum eſſe Virgilij teſtimonio Marciano placuit.l.in tantum.§.fi.D.de rer.diu.Virgilij locum ſuprà retulimus.Sed diuos fratres contrà reſcripſiſſe Vlpianus refert.l.ſed contrà.D.de rer.diuiſ.

Cᴇɴsᴇʀᴇ, in varias ferri ſignificationes Feſtus libr.3. ſcribit.Quandoque(inquit)ſignificat putare. quod & Nonius probat,idque exemplis. Caſſius hiſtor.libr.6. Cenſuit ſeſe Regem Porſennam occidere. Nunc (ait idem Feſtus)ſuadere:nunc decernere. Cenſere Iauoleno.l.cenſeri.111.(ſic enim incipit in æditione Florentina,in qua.j.pro E,vt & alibi paſſim, ponitur) D. de verb.ſignific.eſt conſtituere,& præcipere. Vnde etiam dicere ſolemus,Cenſeo hoc facias, & Senatum aliquid cenſuiſſe.atque inde Cenſoris nomen videtur eſſe tractum.Cenſere etiam pro conſulere, opinari, ψῆφον ἐπαγαγεῖν,in Senatuſconſultò, quod Imperatoris Hadriani eſt.l.item.20.§. pridie. D. de pet. hære. poſitum,ait,interpretatúrque Vlpianus.l.ſed & ſi.§.conſuluit.D.eod.Cenſeri etiam pro in precio haberi, & auctoritate valere,dixit Papinianus.l. vlt. D. de ſuis & legit.Priuatorum cautionem legum auctoritate non cenſeri:id eſt proprie non dignari,vel non dignas duci quæ parem cum legibus auctoritatem habeant.Cēſeri iſtius iuris peritia,in l.j.D.de iuſtitia,& iure.& Inſtit.de iure.nat.gēt.Theophilus ibidem vertit ἀναγράφεσθαι ἐν τοῖς τιμῶσι τὸν νόμον τοῦτον,id eſt adſcribi iis qui ius naturale obſeruant. Cenſeri priuilegio, dixit Vlpianus.l.j.§.qui ex duobus.D.ad municip. pro munerum functione eximi.non ineptè tamen interpretaberis priuilegio dignari, & decorari. Cenſere Marcello ſignificat ſuccenſere,Varro in Captiuo prælio, Ne vobis cenſeam,ſi ad me referretis. Cenſere etiam apud Vlpianum.l.ætatem.3.D.de cenſib. eſt capita, id eſt perſonas,& iugera & bona deſcribere: quo ſenſu accipi debet in l.omne territorium.de cenſib.lib.11.C. quæ explicatio ex Luca Euāgeliographo ſumitur.c.2. ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐξῆλθε δόγμα παρὰ καίσαρος αὐγούστου,ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. Qua in re diligēter perſonæ,& res diſcutiēdæ & inſpiciendæ ſunt, ne prægrauētur,per l.11.C.de cēſitorib.in C.Theod. Cenſendi hoc ſenſu formam expreſſit.d.l. omne territorium.

Cᴇɴsɪ, Alciato lib.j.Parerg.c.14.dicuntur, qui ſpeciali priuilegio in fœderatis,vel Latinæ conditionis populis ciues Romani erant.

Cᴇɴsɪᴛɪ Agricolæ ſub rubr. C.de agric.& cenſ.dicti ſunt qui agrorum quos colebant dominis ſic addicti erant, vt ne ſuum quidem peculium in poteſtate haberēt,capitis cenſum dominis penſitarent, actionem cum iis nullam, niſi ex ſuperexactionis cauſſa haberent: vendi denique cum ipſis agris poſſent.Qua de cauſſa etſi non omnino ſerui,at certè quaſi ſerui numerabantur:dicebantúrque Aſcriptitij, quaſi agris illis adſcripti & obnoxij.Iidem Tributarij dicuntur in l.ſeruos.6.C.eod.& l.2.C.ſi vag.mancip.pet.Dicuntur & capite cenſiti à Iuliano Patritio in Nouell.

Cᴇɴsɪᴏ, inquit Feſtus lib.3.æſtimatio,ſiue(ſi malis) deſcriptio æſtimatoria.Cenſio haſtaria,auctore eodem, dicebatur,cùm militi multæ nomine ob delictum militare indicebatur,quòd haſtas daret.

Cenſionem facere dicebatur Cenſor,cùm multam equiti irrogabat.At Cenſionem bubulam Plautus feſtiuè vocauit verbera lori bubuli, cuius cenſura in ſeruos animaduertitur.

Cᴇɴsɪᴛɪᴏɴᴇᴍ, pro cenſu dixit Ælius Spartianus,in Peſcennio Nigro:Vos(ait)terras veſtras leuari cenſitione vultis,ego verò etiam aërem veſtrum cenſere vellem.Vbi Cenſere pro cenſum ex aëre exigere, & aëri imponere accipi putem.

Cᴇɴsɪᴛᴏʀ eſt qui cenſum agit,& percipit præſtationem tributorum coloni,& pignoris iure vendit prædium,ſi cenſus non ſoluitur, vt D.de cenſ.l. forma. §. illa.& l.cùm poſſeſſor.§.cùm pro pecunia. D. eod. Sic accipitur in rubr.C.de cenſiti.& cenſito.lib.11. Hinc illud.l.ergo.§.alluuio. D. de acqui.rer.dom.Flumina cenſitorum vice funguntur,vt ex priuato in publicum addicant,& ex publico in priuatum.

Cᴇɴsᴏʀᴇs dicuntur,vt vult Varro lib.de Ling. Lat.4. ad quorum cenſionem,id eſt arbitrium cēſeretur populus.At vt Feſtus lib.3.quod quiſque rem ſuam tanti æſtimare ſolitus ſit,quantum illi cenſuerint. A Liuio verò lib.4.dicti quod cenſui præeſſent.Atque duo primùm creati ſunt,Papirius & Sempronius,anno cccx. vt ſcribit Liuius libr.10.& 55. Hæc de iis refert Cicero lib.3.de legib.Cēſores populi Ciuitates,ſoboles,familias pecuniáſque cenſento. Vrbis templa,vias,aquas, ærarium,vectigalia tuentor: populíque partes in tribus diſtribuūto,exin pecunias, Ciuitates,ordines partiuntor. Equitum, peditúmque prolem deſcribunto. Cœlibes eſſe prohibento:mores populi regunto:bini ſunto:magiſtratum quinquennem habēto: eáque poteſtas ſemper eſto.Pedianus in Diuinat. Cicer.Regēdis moribus ciuitatis Cenſores quinto quoque anno creari ſolebant.Hi prorſus ciues ſic notabant, vt qui Senator eſſet,eiiceretur Senatu:qui eques Romanus, equum publicum perderet: qui plebeius, in Cæritum tabulas referretur,& ærarius fieret,ac per hoc non eſſet in albo centuriæ ſuæ,ſed ad hoc eſſet ciuis tantùm, vt pro capite ſuo tributi nomine æra penderet.Iidem completo quinquennio vrbem luſtrabant, & Suouetaurilia ſacrificia,de ſue,oue,tauro,faciebant. Eorum notam

notam ſucceſſores plerunque ſoluebant. Zonaras lib. 2.creatos propterea vult Cenſores, quia conſules rebus omnibus propter earum multitudinem ſufficere non poterant.Conſules enim omnem illam quæ tum Cenſoribus attributa eſt præfecturam, ad illud vſque tempus geſſerant.Eorum autem officium erat,vt ſcribit Liuius lib.40.legere Senatum, recenſere equites, agere cenſum, luſtrum condere. In omnibus precationibus hæc verba nuncupabant, Vt ea res mihi collegæque meo bene & feliciter eueniat. Cenſori autē defuncto nunquam aliquis ſufficitur, auctor idem Liuius lib.4.5.6.9.& Plutar.in Vitis.Liu.item libr.4.& 9. Cenſuram primò quinquennem fuiſſe ſcribit: deinde Mam.Æmilium Dictatorem legē tuliſſe, vt Cenſura, quæ antea quinquennalis fuerat, annua & ſemeſtris eſſet.Idem lib.29.curam publicarum tabularum Cenſorum propriam fuiſſe ſcribit,& ius ſartorum tectorum exigendorum.quod idem Pedianus in Verr.3.cōfirmat.Et de nota Cenſoria vide Valer.Max.& Cic.in Cluentiana.Cenſores etiam apud Liuium libr.39. pro iis ſumuntur qui per prouincias à Cenſoribus dimiſſi, ciuium Romanorum in exercitibus, quantus vbique eſſet,referrent numerum.

Censoriæ animaduerſiones, apud M. Tullium in Cluentiana,& Cenſoriæ notæ paſſim,& Cenſoria ſeueritas,apud Gellium lib.4.c.20.& Cenſoria ſubſcriptio,apud Ciceronem in Cluentiana, & Cenſoria iudicia paſſim apud M.Ciceronem, Cenſoria virgula apud M.Fabium lib.j.c.2

Censoriæ tabulæ. Harum fuſiſſimè meminit Varro lib.5.de Ling.Lat.De iis autem & earum cuſtodia non ſunt prætereunda quæ ſcribit Dionyſ.Δηλοῦται δὲ καὶ ἐξ ἄλλων πολλῶν καὶ τῶν καλουμένων τιμητικῶν ὑπομνημάτων, ἃ διαδέχεται παῖς παρὰ πατρὸς, καὶ περὶ πολλοῦ ποιεῖται τοῖς μεθ᾽ ἑαυτὸν ἐσομένοις, ὥσπερ ἱερὰ πατρῷα παραδιδόναι. πολλοὶ δέ εἰσιν ἀπὸ τιμητικῶν οἴκων ἄνδρες ἐπιφανεῖς οἱ διαφυλάττοντες αὐτά.

Censura, Cenſoris munus,& dignitas,Gellio d.c.20. ſic accipitur apud Plinium lib.14.c.4.Catonum, ait, ille primus triumpho,& cenſura ſuper cætera inſignis, &c.& Liuium libr.4. V.C.alios magiſtratus annuos eſſe,quinquennalem cenſuram grauem eſſe.Sumitur pro ſeueritate,correctione,& decreto,& lege.Plin.in Panegyrico. Nam vita principis, cenſura eſt, eáque perpetua: ad eam dirigimur, ad hanc conuertimur. Pro decreto accipitur in Decretali Pontificis Maximi Epiſtola.c.j.in fi.extra qui cleric.vel vouentes.& in c. decæterò.de teſtibus.in antiq.Cenſuræ etiam appellatione continetur excommunicatio.c.2.de exceptio. lib.6.ſed & interdictum,& ſuſpēſio, vt explicat Pontifex Maximus c.quærenti.extra de verb. ſignifi.cuius rei cauſſa gloſſematarius ibidem adnotat, Cenſuram generale nomen eſſe,vbi explicatur quid ſit Cenſura eccleſiaſtica.

Census eſt perſonarum, rerúmque deſcriptio: ſic ſumitur apud Pomponium.l.2.§.poſt deinde. D. de origine iuris. Perſonarum quidem cùm ciues ſinguli in ſua tribu,claſſe,centuria,nomina ſua,vxorum,liberorum,libertorum,ſeruorúmque ſuorum, itē cuiuſque ætatem,& quam vrbis regionem habitarent, profiterentur.Bonorum verò,cùm iidem patresfamiliàs prædia ſua cum vrbana,tum ruſtica,ſeruorum, pecudúmque numerum,fundorum inſtrumenta,ſupellectilem, pecuniæ denique numerum profitebantur. quod Dionyſius Halicarnaſſæus libr.4.& T.Liuius libr.j.7.& 39. ſcribunt.Cenſus quoque nomine, ſubſtantia, bona, fortunæque comprehenduntur. Cicero in Oratione pro Q.Roſcio,Quem tu,ait,ſi ex cenſu ſpectas, ciuis Romanus eſt.Vlpian.l.cogi.16.in princ.D.ad Senatuſconſultum Trebellianum.Hoc idem & ſi patrimoniū fuerit rogatus reſtituere,& ſi facultates, & ſi quid habeo,& ſi cenſum meum,& ſi fortunas meas,& ſi ſubſtantiam meam. Hinc Cenſu manumitti dicebantur ſerui,qui luſtrati cenſu Romæ iuſſu dominorum inter ciues Rom.cenſum profitebantur:ait Vlp.c.Inſtit.j.

Cenſum pro pecunia diſtracta accipit gl.in c.j.de in integrum reſtitut.pro penſione tamen, quæ prouentibus ſoluitur accipi ibidem veriùs putem. quod & Angelus Clauaſius in Sūmma,in verb.Cenſus, ait:ſicque accipi debere ſcribit in c.quæſitum.j.q.3. Sic ſumi ſolet toto tit.extra de cenſib. vnde nec immeritò, ſed μεταφορικῶς,reditum, ſiue prouentum appellant interpretes cenſum,tametſi à Doctoribus malè vſurpatum putet Oldendorpius.

Cenſum ita diffinit Theophilus in §.fi.Inſtitut.de libertinis.κένσος ἦν σανὶς, ἤτοι χάρτης ἔνθα ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας περιουσίας, ἐπὶ τὸ ἐν καιρῷ πολέμου κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἰδίας ὑποστάσεως ἕκαστον εἰσφέρειν. Eſt igitur Cenſus tabula,ſiue charta,in qua Romani ſcribebant ſuas facultates.quo ſenſu accipitur apud Q.M.Scæuolam.l. quæ quiſque. 64.D.de acq.rer.domin.Marcellum.l.cenſus.10.D.de probationib.& alibi ſæpè. & Caſſiodorum libr.3.variar.Epiſtol.pen.cuius hæc verba ſunt, Auguſti ſiquidem temporibus orbis Romanus agris diuiſus,cenſúque deſcriptus eſt.

Cenſus crimen,apud Hermogenianum in l.vix certis.D. de iudic.accipere debemus fraudati cenſus crimē,per l.j.C.de quæſtionib.atque ita explicat Accurſius in d.l. vix certis.

Cenſus luſtralis,apud Vlpianum in Inſtit.appellatur,quo luſtrabantur ciues quinto quoque anno, acto cenſu, ad diſcrimen cenſus equeſtris,ſenatorij, aut eius cenſus qui in prouinciis agebatur: ſic dictus à luſtri ſpatio,vt ſi quinquennalis cenſus diceretur.

Cenſus nouus dici poteſt,qui in fundatione ipſius eccleſiæ impoſitus non eſt, gl.in c. ſignificauit. de cenſib.in antiq.

Cenſus paſſiuus,apud Tertullianum in lib. de Monogamia,ſignificat infinitum,vagum, & liberum cenſum, vt apud eum interpretatur B.Rhenanus.

Cenſui cenſendo agri propriè adpellantur, qui & emi,& venire iure ciuili poſſunt,vt ſcribit Feſtus libr.3.cuius rei exemplum extat apud M.Ciceronem in Oratione pro L.Flacco:Illud, quæro, ſintne iſta prædia cenſui cenſendo?habeant ius ciuile?ſint, nécne ſint mancipi? ſubſignari apud ærarium,apud Cenſorem poſſint? in qua tribu denique iſta prædia cenſuiſti?

Cenſui Cenſendo legem dicere apud Liu.explicat Turn. Adu.lib.16.c.21.pro cenſu agēdo,æſtimandiſq; ciuium fortunis & facultatibus: Legem cenſui cenſendo dicturos eſſe,vt præter cōmmune omnium ciuium iuſiurandum hæc adiurarent.Id eſt,hæc iurarēt, aut præterea iurarent. Hinc

Cenſus dictus eſt,tributum quod prædiis prouincialibus imponebatur,& fiſco pendebatur,Conſtant.l.2. C.ſi ne cenſ.vel reliq. Qui comparat, cēnſum rei comparatæ agnoſcat, neque liceat alicui rem ſine cenſu vel comparare,vel vendere.

Cenſum agere, peculiare verbum eſt hiſtoricis, pro recenſere,vel capita vel patrimonia profiteri, vt adnotat Zaſius.l.2.§.poſt deinde.D.de orig.iur.Titus Liuius lib.4.ſcribit,Papyrium & Sempronium cenſui agendo à populo præfectos.Itaque Cenſum agere, eſt deſcribere & æſtimare ſubditos profitentes & capita,& patrimonia ſua iuratò.

Cenſu manumitti olim dicebātur,qui luſtrali cenſu Romæ iuſſu dominorum inter ciues Romanos cenſum profitebātur, vt auctor eſt Vlpianus noſter in Epito. tit.j. Sic etiā legēdum adfirmare auſim apud Gaium lib.j.Inſtitutionum, tit.j. cuius hæc verba ſunt: Ciues

Romani ſunt,qui his tribus modis, id eſt teſtamento, aut cenſu,aut ante Conſulem fuerint manumiſſi. vbi pro Cenſu legitur in quibuſdam exemplaribus in Eccleſia.

CENSVARII à cenſu ducuntur. Horum fit mentio in l.ſi quis intra.7.C.de bonis proſcript. Sunt hi qui cenſum pendere debent, quique cenſibus obnoxij ſunt: pro qua voce in C.Theod.eod.tit.legitur Caſarij. quo fit vt in quibuſdam exemplaribus manuſcriptis. C.Iuſtinianæi ſic legatur:atque vox Caſarij omnibus ferè probatur.

CENSVALES, ij ſunt qui dicuntur Tabelliones,& ſcribæ,& librarij cenſualis miniſterij: id eſt qui operam ſuam accommodant magiſtro cenſus in vrbe,& acta Senatus conficiunt. Sic accipi debent in l.2.& 4.C.de princ.ag.in reb.lib.12.& in rubr. de tab.ſcribis, logographis & cenſualibus,lib.11.C.Sic & apud Capitolinum in Gordianis: Senatuſconſultũ tacitum(inquit) fieret,ita vt non ſcribæ,non ſerui publici, nõ cenſuales illis actibus intereſſent. Et apud Symmachum in Epiſtolis: Argenti(ait) publici ratio, quod cenſualibus editores munerum contulerunt. Et in Nouell.17. Cenſualis adparatio, pro magiſtri Cenſus adparitoribus, qui elogia intimant. ſic ſumitur in Iuſtini conſtitutione.l.conſulta.C.de teſtam. Hi Cenſuales etiam vocantur legati ad Cenſus accipiendos, apud Hermogenianum.l.j.D.de mun.& honoribus (vbi in æditione Florentina lege ſcribatus, pro ſcribitus.) de quibus etiam meminit Nouella.17.§.ἐὰν δὲ ὡς.vbi κηνσίτορας eos adpellat Iuſtinianus, Iulianus & vetus interpres verterunt Cenſuales: vide Accurſium in §.coges. in auth. de man.princip. Hi etiam Prætores & Quæſtores nominãtur, vt ex.C.Theod.ſexto colligi poteſt,& l.j. C. eod.de priuil.dom.Aug. His etiam iunguntur ſubſcribendarij, actuarij, diurnarij, regendarij.l.8.C. Theod. de cohor.princ.& alij in l.vlt.C.de tab.ſcrib.log. Et

Cenſualis contractus eſt, cùm quis ius, quod in re habet, ſiue directum, ſiue vtile dominium, alienat prorſus in alium, pro certa pecunia, puta pro cẽtum, & præterea conſtituto annuo cenſu. Sed per emphyteuticarium contractum non transfertur omne ius in emphyteutam.l.j.C.de iure emphyteu.vbi vide Doctores.

Cenſualium equorum fit mentio in l.comperimus.19.C. de curſu public.lib.12. ſed verius eſt vt ibidem legas *Curſualium*, hoc eſt, curſui deſtinatorum, vt & docet ἐπιγραφὴ,& rubr. illius tractatus: cui rei etiam indicio eſt quod his verbis ſcribit Caſſiodorus lib.5. Variarum epiſtol.ad Mammillam: Qui ſuprà(inquit) euictionum numerum curſuales equos vſurpare præſumunt.

Cenſualis forma quæ ſit, adparet ex.l.4.& paſſ. D.de cenſibus. vt agri nomen, ciuitatis,& pagi referatur in cenſum. Cenſualia munera.l.2.C. de priuileg.eorum qui in ſac.palat.milit.lib.12. Cenſuale officium, in l. teſtamenta.18.C.de teſtam. exponit Alexander Imolenſis ibid. Cenſuum magiſtrum: cuius expoſitio iuuatur noua Iuſtiniani conſtitutione.44.§.ἵνα δὲ ὅμως.

Cenſualis profeſſio, in l.cenſualis.7. C. de donatio. & l. omnes.3.fine cenſ. vel reliq.C.Theod. Cenſuales paginæ,l.fi.C.Th.fine cenſ.vel reliq. Cenſuales libri ac tabulæ.l.4.de agricol.& cenſit.lib.11.C.qui ſint, ex eo loco diſces apertè.

CENTENA, ordo eſt,& dignitas, & gradus promotionis in ſchola agentium in rebus.l.j. de Cæſarianis.C. Theod.& l.j.C.Theod.de murilegul.l.5. C. Th. de decurionibus,& alibi paſſim in eo.C. Hinc

CENTENARII dicebantur, qui eum gradum in ſchola agentium in rebus tenebant.l.j.C.de luctis aduocat. lib.12.l.4.C.de ag.in reb. eo. lib. & l.j.de exact. tribut. lib.10.C.& alibi paſſim. Porrò qui Centuriones veteribus dicebantur, eos ſuis temporibus Centenarios dici ſolitos refert Vegetius lib.2.c.13.

CENTENARII liberti in lege Papia dicebantur qui centum milium ſeſtertiorum rem habebant.l.ſi libertus.D.de iur.patro.& §. poſteà. Inſtit. de ſucceſ. liber. Hi(vt ſcribit Aſconius) Cenſi dicebantur, veterũ more. Quòd autem apud Imp.§.ſeq.legitur, Centum millia ſeſtertiûm centenis aureis comprehendi, falſum eſſe annotat Hotom. Non enim (inquit) centeni, ſed milleni aurei ſiue ſolidi cẽtum ſeſtertiûm millia conficiunt. Quapropter aut hallucinatum Tribonianum fuiſſe, aut locum corruptum, in Inſt. comment. docet. Vide Aureus.

CENTESIMA vſura, vide infrà Vſura centeſima.

CENTESIMA apud Catonem, in capite de oleæ pendentis lege, centeſimæ eſt acceſſio, quam in redigẽda pecunia coactores exigunt. Hæc ſunt verba Catonis: Qui oleam emerit amplius quàm quãti emerit, omnis pecuniæ centeſima accedit. Cic.pro Rabirio: Vtrum acceſſionem decimæ, vt facere noſtri coactores ſolẽt centeſima, an deceſſionem de ſumma fecerit.

CENTESIMVS lapis, pro milliario accipitur in l. propter litem.21.§.licet.D.de excuſat. & §.qui autem excuſare. Inſtit.eod. tit. atque ita videtur explicare Vlpianus.l.j.§.j.D.de offi.præfect.vrb.& Theophil. ad §. qui autem excuſare.

Centeſimæ Kalendæ, apud Paulum in l.centeſimis.46. D. de verb.oblig. dicuntur centeſimus menſis, And.Alciato & Iac.Cuiac.interpretibus in d.l.cẽteſimis. quidam cẽtum annos interpretabantur, quos reprehendit idem Alciatus lib.2.Parerg.c.23.

CENTESIMARE, apud Iulium Capitolinum in Opil. Macrino, militare verbum eſſe ait Egnatius ad illum. Milites enim vbi quid grauius admiſiſſent, ſæpe decimus quiſque, interdum centeſimus extremo ſupplicio adficiebatur. Verbum hoc Centeſimare Macrini proprium ſcribit fuiſſe Capitolinus, cùm ſe clementem diceret, quando eos centeſimaret, qui digni eſſent decumatione aut viceſimatione.

CENTIENS, pro centies in Pandectis Florentinis ſæpè reperimus. Quo in genere ſcire oportere admonuit Auguſtinus lib.2.c.6.Emend. veteres inter E. & S. poſuiſſe N. vt mollius proferrẽt. Hinc ſæpe in P.Fl. thenſaurum,& vicenſimum,&c.legimus. Caper tamen, vt annotat Cuiacius, hanc ſcripturam nõ probat,& vnà cùm Donato Theſaurum Græco more veteres pronuntiaſſe ſcribit.

CENTIES aureorum, in l. propemodum. in Pand.Flo. incipit tantum.88. D.de verb. ſignific. compendiario dicendi genere ſignificantur centies centena millia aureorum, G.Haloandro interprete, cuius interpretationem probat A.Auguſtinus lib.2.c.Sic decies ſeſtertiûm, pro decies centena millia ſeſtertiûm.

CENTGRAVII, vide GRAVIO.

CENTONES, vela ſunt ex pilis caprarum, ſiue panni craſſiores, ex lana diuerſorum colorum conſulti. Meminit eorum Vlpianus.l.quæſitum.12.§.ſi domus. D.de fund.inſtr. Alexan.Neapolit.lib.Genial. dierum. Dixère autem, inquit, centones ex villis groſſioribus ſagula intexta vilioribus pannis, quibus domorum tecta, tabulata, aut ligneæ machinæ militares, aduerſus incendia, ſi ignis maior vis ingruat, muniuntur. Vide in Chiliad. Eraſmicis, Farcire centones.

CENTONARII, de quibus in l.j.& 2. C. Theo. de centonariis & dendrophoris.

CENTVM anni, finis vitæ longæui hominis. l. an vſuſfructus.D.de vſufruct. Sic & centeſimus annus, vt ait Caius.l.56.D.de vſuf. Vide infrà, Vita.

Centum, quæ in arca habeo, apud Vlpianum l.j.§. adeò. D.de

D.de dot.prælegata.ad rei veritatem pertinent,eamq; ſpectant:atque ideo ſi nihil ſit,nihil debebitur.

Centumviri, iudices quidam erant, vel Ouidio teſte,lib.3.de Ponto,

Vtq; fui ſolitus, ſediſſem forſitan unus
De centum iudex in tua uerba uiris.

non autem magiſtratus. De quibus ita Feſtus libro 3. Centumuiralium iudicia, à Centumuiris ſunt dicta. Nam cùm eſſent Romæ triginta & quinque tribus, quæ & curiæ dictæ ſunt,terni ex ſingulis tribubus ſunt electi ad iudicandum, qui Centumuiri adpellati ſunt: & licet quinque ampliùs quàm centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, centum viri ſunt dicti.Cicer.lib.de Orat.j.Nam volitare in foro, hærere in iure,ac Prætorum tribunalibus iudicia magna obire,in quibus ſæpe non de facto, ſed de æquitate & iure certetur: iactare ſe in cauſſis Centumuiralibus, in quibus vſucapionum,tutelarum, gentilitatum, agnationum,alluuionum, circumluuionum,nexorũ, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum, aut ratorum,cæterarúmque rerum innumerabilium iura verſentur, &c. Poſterioribus autem temporibus eorum iuriſdictio multũ creuit,vt ex Fab.lib.4.ca.j. videre licet: item lib.5.cap.2. & lib.11.cap.j. Auctus autem eſt poſtea Centumuirorum numerus,ſcilicet ad centum octoginta, manente tamen ſemper nomine,diuiſuſque in quatuor conſilia pari iudicum numero, vt teſtatur Plinius lib.6.Epiſt. quibus omnibus Præerat prætor,vt idem lib.5. ſignificauit his verbis: Hoc facto Nepotis commotus Prætor, qui Centumuiralibus præſidet, &c. Erant autem Centumuirorum conſilia quatuor vſqueadeo proxima inter ſe,vt actiones vnius Tribunalis ab alio exaudiri poſſent,vt ex eodem Plinio lib.2.intelligimus, & Quintiliano lib.12.vbi meminit Trachalli. Hinc,idem Plinius 4. Centumuirale iudiciũ vocat, Quadruplex: Proximi (inquit) cum apud Centumuiros dixiſſem, ſubiit recordatio,egiſſe me iuuenem æquè in quadruplici iudicio:proceſſit animus, vt ſolet, longius, cœpi reputare quos in hoc iudicio, quos in illo ſocios habuiſſem.

Centumvirales cauſſas ſuprà memoraui: de his loquitur Plin.lib.2.Epiſt.14.ad Maximum. Eas in duas haſtas diuiſas docet M.Fabius lib.5.ca.de præiudiciis.

Centumuiralis haſta, quæ in foro centumuirorum erigebatur,vt ſciret populus iudicandi tempus. Idq; noſtro quoque ſeculo pleriſque in locis receptum videmus, vt iudicij auctoritas ſoléni baculo ſignificetur: vt ſcribit Bud.l.2.D.de orig.iu. Centumuiralis autem haſtæ meminit Suetonius in Auguſto.cap.36.in hæc verba: Auctor & aliarum rerum fuit,in queis ne acta ſenatus publicarentur,&c.vt cura ærarij à Quæſtoribus vrbanis ad Prætorios prætoréſve tranſiret: vt centumuiralem haſtam,quam Quæſtura functi conſueuerant cogere,Decemuiri cogerent.

Centumuirale iudicium, pro inofficioſi teſtamenti querela accipitur in l.Titia 13. D.de inoffic.teſta.& in l. prætor.30.de lib.leg.& l.fin. C.de petit.hæredita. Vſucapiones quoque, tutelæ, gentilitates, &c.quæ ſuprà ex Cic.annotauimus. A Valerio Maximo haſtæ iudicium vocatur: Centumuiros enim,haſta in foro poſita,iudicaſſe conſtat.

Centvria, inquit Feſtus lib.3.in agris ſignificat ducenta iugera: de qua ita Varro lib.4.Ling.Lat.Centuria prima à centum iugeribus dicta, poſt duplicata nomen retinuit: vt tribus multiplicatæ idem nomen tenent. Huius etiam idem in libro de re Ruſtica meminit:Bina iugera quòd à Romulo primùm diuiſa dicebantur,viritimque quod hęredem ſequerentur, hæredium appellarunt:hæc poſtea à centum, centuria dicta. Quo ſanè loco non dicit initio centum iugerum, vt hîc fuiſſe:nec ſibi vtrobique conſtare videtur. Siculus Flaccus in lib.de conditio.agr. Centuriis(ait)quarum mentionem nunc facimus, vocabulum datum eſt ex eo:Cùm antiqui Romanorũ agrũ ex hoſte captum victori populo per bina iugera partiti ſunt, centenis hominibus ducenta iugera dederũt, & ex hoc facto Cẽturia iuſtè appellata eſt. Sic ſumitur in l.omnes.10. C.Th.de anno.& tributis.& in Nouel.Iuſt.128. in prin. In hoc ſignificatu Centuriarum modum docet Hygenus lib.de limitibus conſtit.earundem inſcriptores Siculus Flaccus lib.de condit.agrorũ. *Hinc* eodẽ ſenſu,

Centvriatio, apud Sicul.Flaccũ.diuiſionis forma.

Centvria verò in re militari, auctore Feſto li.3.centum homines ſignificat.Hinc Varro lib.4.Ling.Latin. Centuriæ quæ ſub vno centurione ſunt: quorum centenarius iuſtus numerus.

Centvrio apud Macrum l. milites agrum. §.inreuerens. D.de re milit.& in rub. C.Theod.de centurio. qui centum militibus præerat. Centurionum autem inſigne erat vitis,quam manu geſtabãt, vt ait Plinius lib.14.ca.1.Vites in caſtris ſummam rerum imperiúmque obtinent. Centurionum in manu vitis,& optimo præmio tardos ordines ad lentas ducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipſam honorat. Cuius rei & commeminit Alex.ab Alex.Genialium dier.lib.6. cap. 8.& Macer, d.§.irreuerens.ibi,qui vitem tenuit, id eſt, centurionis munere functus ſit. Habebant & corpus, quod deſerere non licebat,l.vnic.C.Theodo.de Centurio.Centyrionem verò pro Centurione poſuit ędítio Florentina, in l.inter ſocerum.§.conuenit. D.de pact.dot.& l.centyrio. D.de vulga. idque more veterum,qui y,pro,v,vſi ſunt.Sed & ὑψιλὸν,hac figura,u,vidimus ſæpe in Diogene Laërtio, in lib.Decret.quæ eſt forma,u,Latinorum:nam veteres Syllam, & Sullam dixerũt.Centurio primipili dicitur, qui & primipilarius Ant.Auguſt.ad Modeſtin. D.de excuſ.tut. Hi Tacito ſunt centuriones primorum ordinum, primus princeps,primus haſtatus.

Centvriata Comitia, Feſto lib.3.quia Pop.Rom. per centũ turmas(quidã pro turmis Centurias legunt) diuiſus erat Aſconius,Cẽturiata comitia dicũtur, cùm ab omni ſexu & ætate fertur ſuffragiũ: quòd per centenas turmas diuiſus erat populus Romanus. Et,

Centuriata lex,vide infrà Lex.

Centuriatus ager,in ducena iugera definitus, Feſto lib.3. quia Romulus centenis ciuibus ducena iugera tribuit. Centuriatũ etiam exercitũ dixit Varro lib.5. Ling.Lat.

Centvssis, id eſt,centũ aſſes.As enim libræ erat põdus,vt ſcribit Varro lib.4.Ling.Lat.hinc vnũ pondus aſſipondium dicebatur:deinde ab numero reliquũ dictum vſq; ad centuſſem. Idem Varro apud Gellium li. 15.cap.18.Nunc qui illum norunt volunt emere millibus centum,te qui nouit nemo centuſſis:id eſt centum aſſibus,& poſitum eſt pro centuſſe. Budæus in Forenſibus hoc verbo etiam centũ aſſes ſignificari ſcribit.

Cera notiſſimo ſignificatu(ſignificat enim quod, melle ex fauis expreſſo,ſupereſt)ſumitur in ca.vnic.de offic.cuſtod.in antiq. Cera etiam pro epiſtolis & pugillaribus ſæpiſſimè veteribus accipitur:Iuuenalis,

Nõnne libet medio ceras implere capaces?

Hinc profectæ formulæ Cera prima, ſecunda, ima. Suetonius in Cæſare:Q.Prædium(inquit)ex quadrante hæredem inſtituit, reliquos in ima cera: hoc eſt in extrema parte teſtamenti. Hinc Cera prima eſt teſtamenti inſtitutio, vt ſcribit Alciat.lib.4. Parerg.ca.6. Nam veteribus inſtitutio hæredis, caput & fundamẽtum teſtamenti erat.Sed hoc emẽdaſſe ſe Iuſtinianus ait d.§.an hæredis. Hinc,

Ceratæ tabulæ, pro codicillis, & pugillaribus po-

nuntur,vt adnotat Viglius in §.nihil autem.Inſtitu.de teſta.ordina.Veteres enim ceratis tabulis vſos ſcribit Anton.Auguſt.lib.ſingu.ad Modeſt.l.ſi duas.§.ſi verò. D.de excuſat.Hinc & Cereæ tabellæ,id eſt cera illitæ, vt ait Alex.ab Alexand.lib.2.cap.30.Gen.dier.in quibus monumenta literis nonnunquam mandabantur: aliquando duplices,plerunq; triplices, aut quintuplices,colore diuerſæ. Et paulò poſt: In triplicibus epiſtolas, in quintuplicibus honores & magiſtratus, in duplicibus ſi quid eſſet arcanum, & ſubticendum, interioréſque animi notas magis adnotabant.

CERAMIVM,amphora Attica,Anton.Auguſt. lib.2.ca. 11.capit autem vrnas tres.

CERÆTES, in ponderibus, oboli pars media eſt, habens ſiliquam,& ſemis: ſicut in ea re teſtis eſt Iſidorus lib.16.cap.24.Etymolog.

Κεράτιον numi genus, quod ſex obolos, ſeu folles valebat, cuius mentio fit in Nouella Iuſtiniani conſtitut. 59.§.λίδοσθαι. Iulianus Patritius vertit ſiliquas.& Leonis Nouell.83.in fine. Harmenopulus in legibus agrariis, παρεχέτω ὑπὲρ αὐτοῦ ἡμερήσιον κεράτιον ἕν, ἤγουν φόλλας δώδεκα.

Κεφάλωμον adpellant Græci quod Caſſiodorus lib.4. Siliquaticum. Eſt autem id quod in nundinis exigitur ob venditionem proponendam.

CERAVNIVM, in l.fi.§.ſpecies. D.de publican.& vectiga.gemmæ genus,ab eo nomen habens, quòd non alibi quàm in loco ictui fulminis proximo inueniatur. Feminino genere dixit Plinius lib.37.cap.9.ídque candidum eſſe ait.Lampridius in Heliogabalo,Parauerat (inquit)& cerauniis, & in hyacinthis & in ſmaragdis venena, quibus ſe interimeret, ſi quid grauius immineret. Ceraunia coruſcare dixit Tertullianus lib. de habitu Muliebri,non procul ab initio: habet enim intus ſtellam coruſcantem,vt ait Zeno.

CERDO, qui & Lucrio dicitur. Eſt enim artifex ſordidus,qui artes illiberales quæſtus gratia exercet: quales ſunt veteramētarij(vt Suetonius appellat)cōſutores.

CEREBROSI boues, contumaces, vt homines,à peruerſo cerebro,qui toti ſuo conſilio hærent, & iracundiæ obtemperant, & à nemine perſuaderi poſſunt. Columella lib.2. Cerebroſum quidam interpretantur ὀξύθυμον & ὀξύχολον.

CERNO,à creo dictum putat Varro lib.5. Ling.Latin.ab eo,quòd cùm quid creatum eſt, tunc denique videri, ait.Libri tamen veteres ſic habent, referente Scaligero, *Dictum Cerno à cereo: Cereo enim à creo.* A quo in Saliari carmine Cerus manus,id eſt creator bonus. Atq; hinc Ceres dicta, vt vult Feſtus, quòd omnia creet: non à gerendo,vt Varro & Cicero. Cernere in varios ferri ſignificatus ſcribit Nonius:pro videre accipitur apud Publ.Virgilium lib.3.Æneid.

Cernimus adſtantes nequicquam lumine toruo.

Sic ſumitur in c.niſi cum verſ.nec putes. extra de renuntiatio.in anti. Cernere, iterum diſponere. Lucilius Satyrar.lib.5.

Poſtquam præſidium caſtris educere creuit.

Cernere,dimittere. vnde vitam cernere dixit Varro in Didaſcalo. Cernere eſt iudicare.Pacuuius in armorum iudicio:Et æquum,inquit,& rectum eſt quod poſtulas, iurati cernant. Cernere ſonat etiam, eodem auctore, audire. Cernere etiam Varroni lib.6.Ling. Lat.ſignificat conſtituere.Vnde dicebant veteres cernere hæreditatem,id eſt, ſe hæredem conſtituere: & CERNITO in teſtamento, id eſt facito videant te eſſe hæredem; vt Varro interpretatur:quo ſenſu accipitur in l.j.C.Gregoria.de patria poteſtat. Hinc,

CRETIO, quam ita diffinit Vlpianus eod.tit. Cretio, ait,eſt certorum dierum ſpatium, quod datur inſtituto hæredi ad deliberandum vtrum expediat ei adire hæreditatem.quam Vlpiani diffinitionem probat Iſidorus lib.5.Etymolog.cap.24.his verbis: Cretio, inquit,eſt certus dierum numerus, in quo inſtitutus hæres aut adit hæreditatem,aut finito tempore cretionis excluditur,nec liberum eſt ei vltrà hæreditatis ius capiendæ.Cretionum ſolennitatis meminit conſtitutio l.vnic.C.Theod.de cretione & bonorum poſſeſſioni. & l.2.C.Theod.de mater.bonis.Cretionibus,pro curationibus in ca.ius Quiritum.j.diſtinct.reponendum putem.quod & res & verba indicant, quæ ex Iſidoro lib.5.Etymolog.tranſcripta à Gratiano fuere. Cretionum ſolennitates ſuſtulerunt Imppp.conſtitutiones l. j.C.Theod.de mater.bon.l.cretionum. C.de iure delib.Cretionum genera duo conſtituit idem Vlpianus d.tit.22.§.cretio autem.vulgarem, & continuam. Ac vulgarem quidem,in qua adiiciuntur hæc verba:Quibus ſcieris poterísq;.Continuā, in qua nō adiiciuntur.

Cretio libera,vide Legatio libera.

CERNERE,& pro hærede ſe gerere hoc differūt,quòd qui cernit,verba cretionis pronunciat,quæ retulit Vlpian.ca.Inſt.XXII. CVM ME MÆVIVS HÆREDEM INSTITVERIT, EAM HÆREDITATEM ADEO CERNOQVE. Qui ſe pro hærede gerit, re tantum ipſa hæredem ſe eſſe declarat: vt ſi auctionem faciat,ſeruis cibaria mandet.Itaque Paulus in l.9.D.de acq.hære.Pupillus, inquit, ſi fari poſſit, cum tutoris auctoritate poteſt hæreditatem acquirere.Si fari poſſit, id eſt, ſi verba cretionis pronunciare poſſit. Cernere autem hæreditatem Græcis dicitur προσέρχεσθαι τῇ κληρονομίᾳ, vt in Lexico, quod eſt in æde B.Germani ad Lutetiam Pariſiorum,legitur.

Cernere in l.fin.in fin. C.de Iudæis.ponitur pro intelligere & ſcire μεταφορικῶς: Et qui ſynagogæ fabricam ceperit, non ſtudio reparandi, cum damno quinquaginta librarum auri fraudetur auſibus ſuis,cernat prætereà bona ſua proſcripta,mox pœnæ ſanguinis deſtinandus. Quorum verborum frequens eſt vſus in eandem rem,in pœnis ſcilicet irrogandis.

CEROFERARII, ſunt quos Græci Acolythos vocant: horum fit mentio ca.cleros.non procul à fine 21.diſtinctio.& c.ſi quidſpoſt.§.deſeruientes.33.diſtinctio. vtrobique eorum officium explicatur.

CERTARE, in l.quod certatum. C.de poſthu. hæredib. inſtitu. & l.cum quidam. C.de legat.eſt inter ſe contendere.& cōtrouertere, & inuicem de re aliqua diſputare.Sic ſumitur apud Virgilium Ecloga 5.

Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas.

Certare autem cum vſuris fructibus prædiorum dicuntur,quorum vectigalia vix aut ne vix quidem vſuris ſoluendis paria eſſe poſſunt, Ciceroni in oratione 2.in L.Catilinam: Neque enim iſti, qui poſſeſſiones habent,alia ratione vlla ſalui eſſe poſſunt. quòd ſi maturius facere voluiſſent, neque (id quod eſt ſtultiſſimum)certare cum vſuris fructibus prædiorum: locupletioribus his & melioribus ciuibus vteremur.

Certare multam, Vide Multa.

CERTAMEN, de quo infrà in l.liberto. §.Lucius. D.de annu.leg.ſignificat ludos & ſpectacula, & conflictus. ſic ſumitur in l.3. C.de ſpectacul. lib.11. Certamen etiam μεταφορικῶς ſumitur pro iudicio contradicto, in quo confligunt litigatores, in §.ſi verò altera. in Authenti.de nupt.conſtitut.22. ita vertit ibi vetus interpres,pro quo Iuſtinianus dixerat τῶν ἀγώνων. Certaminum autem genera quatuor fuiſſe apud Græcos, (quibus ἀγῶνες dicebantur) ſcribit Budæus in prioribus adnot. in Pandect. Olympia, Pythia, Nemæa, Iſthmia, quæ & ſacra certamina adpellantur, eodem auctore. Hæc explicat Alex. ab Alex.lib.5.ca.8.ad cognitionem multarum legum Digeſto.& Codic.De iis etiam loquitur Pollux.lib.3.ca.30. & Cælius Rhodig. libro 13.

lib.13. cap.30. Extat autem lib.j.Epigram. tetraſtichon Archiæ de his quatuor certaminibus, his verbis:

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί,
Οἱ δύο μὲν, θνητῶν οἱ δύο δ', ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο.
Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Certamen Chryſanthianum, ab aureo flore præmio victoris nuncupatum, ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ, id eſt, ab auro, καὶ ἄνθος, flore. Huius ludi meminit Iuriſ.in l.penult.D.de ann.legat. Certamen publicum apud Vlpianum l.qua actione.§.ſi quis in colluctatione. D.ad leg.Aquil.dicitur, Accurſio interprete, quòd publicæ lætitiæ gratia fieret, vel quòd populo exhiberetur. Certamen Circenſe, in l.eos qui.de ſpectacul.li.11.C.accipiunt Græci interpretes pro equeſtri conflictu: vide infrà in verb. Circenſes.

Certatio nem, pro cognitione extrema accipi putant quidam in legibus, quas refert M.Cicer.lib.3.de legibus, MVLTÆ POENÆ CERTATIO ESTO.

Certiorare, pro certiorem facere, non ſemel dixit Vlpianus l.ſi fideiuſſor.29.D.mandati.& l.j.D. de actio empt.l.j.in fine.D.de eo qui pro tutor.ſed id verbum à Triboniano pro venuſtiori alio repoſitum putem: tametſi ſciam Alciatum exiſtimaſſe Certiorare eadem ratione dictum, qua Meliorаſcere, apud L. Columellam.

Certum in iure dicitur id, cuius qualitas & quantitas apparet, l.ſtipulationum.74.D.de verb.obli.vbi Caius ſcribit certum eſſe in Stipulationem tractatu quod ex ipſa pronuntiatione adparet quid, quale, quantúmque ſit, veluti aurei 10.fundus Tuſculanus, homo Stichus. Certum in actione, Si certum petetur, pro certa pecunia numerata accipitur. De ea enim actionem hanc comparatam eſſe ſcribit Vlpianus l.j.D.de condict. tritic.Inde, Certæ pecuniæ actio, apud Senecam lib. 3.Benefic.cap.7. Et,

Certa pecunia credita M.Fabio libro 4.capit.2.Satis, ait, eſt dixiſſe certam pecuniam peto ex ſtipulatione. & Scæuolæ l.fin §.Lucius.in princ.D.de condi.indebiti. Certa pecunia igitur, dicitur cuius qualitas cum quantitate expreſſa eſt: veluti H-S.decem millia, aut pecunia quæ in illa arca eſt. idem enim valet ac ſi diceret, qualis quantáque in illa arca eſt, l.7.§.penul. & l.vlt.D. de contr.empt.Incerta verò, cuius aut qualitas, aut quantitas expreſſa non eſt. veluti aureos dare ſpondes? vel, Numorum decem millia dabis? &c.

Certum etiam dicitur, quod clarum, manifeſtúmque eſt, Alciato in d.l.certum. Sic accipitur in c.de capitulis. 10.diſtinct. Quandoque accipitur pro eo, quod dicimus verum conſtet, l.ſi filius. D.de ritu nupt. Sunt tamen qui certum ibidem, pro veriſimili accipiant.

Certum eſt (quod ad certi condictionem adtinet) cuius ſpecies vel quantitas, quæ in obligatione verſatur, aut nomine ſuo, aut ea demonſtratione, quæ nominis vice fungatur, qualis, quantáque ſit, citra omnem ambiguitatem oſtenditur. Nam & Pedius libro j.de ſtipulationibus, nihil referre ait, proprio nomine res adpelletur, an digito oſtendatur, an vocabulis quibuſdam demonſtretur, quatenus mutua vice res fungantur, quæ tantundem præſtant.l.certum. D.ſi cert.peta. & certi.condict.

Certum etiam Alciato, d.l.certum. id propria ſignificatione ſonat, quod liquidò adparet, & oculato ſenſu deprehenditur, à cernendo ducto verbo.

Certum etiam illud dicitur, quod tempore ſtipulationis in aliquo certo loco eſt, veluti VINVM, OLEVM, TRITICVM, QVOD IN HORREO EST, DARE SPONDES? Incertum ergo eſt quod nondum natum eſt, l.vbi autem.75.§.illud dubitationem. D.de verborum obligationib.

Certi condictio, vide infrà Condictio.

Certum contractum, in l.certi.9.in princip. D.ſi cert.pet. appellant Accurſius, Bartolus, & Baldus, qui certum continet: quorum ſententia iuuatur Iuſtiniani conſtitutione l.vnic.C.de ſentent: quæ pro eo, quod intereſt profer. Quidā interpretatur certos contractus, qui certum nomē habent: incertos, qui incertum: quæ interpretatio etiam ferri, iuuaríque poteſt, d.l.vnic.

Certi anni, in conſtitutione Imppp.l.ſi certis annis.C.de pactis. dicuntur Accurſio ibidem pauciores tribus. Bartolus & Baldus longum tempus interpretantur. Alciatus in Bartoli & Baldi ſententiam pedibus it, tametſi alioquin pro triēnio accipi credat. Accurſij ſententia iuuari videtur l.j.C.de fideicommiſ.& cap.j.de præſcriptio.in antiq.Ni dicas vtrobique iure ſpeciali triennium præſtitutum: quod magis eſt. Nam in l.j.C. de fideicommiſſ.alimentorum.in d.c.j.de præſcript.fidei Chriſtianæ fauor verſatur.

Certiorem confeſſionem falſæ videtur oppoſuiſſe Vlpia. l.j.§.ſi quis vltrò.D.de quæſtionib. licet quidam putent ibidem pro veriſimili accipiendam: verius tamen eſt vt pro veris argumentis confirmata ſumatur.

Certum corpus in l.ſed & ſi.10.D.de accept. & alibi propriè Iuriſconſulti appellant, quod dialectici indiuiduum: Incertum verò, quod illi genus. Qua de cauſſa inter ſe opponuntur in l.j.§.non ſolū.D.ad leg.Falcid.

Certus homo, cuius qualitas definita eſt: nam de quantitate non laboratur: qualitas autem aut nomine oſtenditur aut demonſtratione, aut natione: nomine, vt Pamphilus, Stichus, Dama: demonſtratione, vt ſi digito notemus, veluti cum dicimus, Hunc hominem meum eſſe aio: natione, vt Syrus, Phryx: & ſic dicitur ad differentiam hominis in genere, l.Neratius. D.de condict.indeb.Huic opponitur homo incertus, l.hæredes.25.§.ſi incerto.D.famil.erciſc.

Certum ius in conſtitutione Alexandri Imp.l,2.C.de ſolut.ſumitur pro claro & aperto. Certum ius hoc eſt expreſſa & aperta lege cautum. Certum ius verò apud Pomponium l.2.in principio.de origi.iur.dicitur ſcriptum, vt colligitur ex §.exactis.d.l.2. Sic Certa lex, in ſcriptis redacta, & lata, perſcriptáve, dict.l.2.

Certus locus, in l.locus. D.de acquir.poſſeſſ.& l.4. D.pro empt.dicitur qui pro diuiſo poſſidetur, quæ interpretatio comprobatur l.j.D.de euict.& l.Pomponius.8. D.de rei vendic. Alciatus ad d.l.locus. certum locum ita diffinit, qui certis finibus ſit comprehenſus. quæ diffinitio iuuatur d.l.Pomponius.8. Incertus autem, cuius qualitas, aut quantitas non apparet, l.cum poſt. 69.§.gener.D.de iure dot.veluti qui pro indiuiſo dicitur.In eundem ſenſum dicitur.

Certa pars, ſcilicet, quæ pro diuiſo poſſidetur.opponitur enim ei, quæ pro indiuiſo eſt, l.j.§.hoc interdictum.D. vti poſſid.Alciatus autem in d.l.locus.ait ex Bartolo, Oldrado, Iacobo Rain. Alberico certam partem pro indiuiſo poſſideri, cùm tertiam, putà, partē huius fundi habeo, etſi neſciam quantus ſit totius fundi modus. Verius tamen eſt partem, quæ pro indiuiſo poſſidetur, incertam eſſe: cùm magis intellectu, quàm corpore partes habeat, nec oculis demonſtrati poſſit, l.ſeruus communis.D.commod. Aliter certam, & incertam partem accipimus in eo, quod dicimus, partem incertam poſſideri non poſſe, l.3.§.incertam. D.de acqui.poſſeſ.ſed id ſubtilitate mera dictum eſt, l.ſi fur.§. fi.D.de acq.poſſeſ.

Certa onera dicuntur alimenta aliquo certo loco præſtanda, vel tributa, l.ſi fideicommiſſum. D.de iudic.

Certo certius, prouerbialis ἐπιβολή, qua veriſſimum ſignificauit Vlpianus l.ait Prætor. §.ſi cùm mulier. D. quæ in fraud.cred.

Certus dicitur is, qui ab integræ fidei aliquo admonitus eſt, l.ſi

eſt,l.ſi quisita.16.D.de teſta.tutel.

Certa dies, cui numerus adiectus eſt, veluti Kalendis Ianuariis centeſimis,l.ſi dies.21.D.quando dies leg.ced. & tunc dies ſtatim cedit.Huic opponitur incerta dies: veluti cum pubes erit,cum nupſerit, d.l.ſi dies. & hæc conditionem facit, l.dies incertus.D.de condit.& demonſtration.

Certæ & ſolennes actiones, certis formulis comprehenſæ, adſtrictæque,l.2.§.deinde ex his. D.de orig.iur.Sic in eundem ſenſum.

Certa verba,in §.procurator.Inſtitut.de iis per quos agere poſ.id eſt præſcripta, concepta, & ſolennia, & vt Theophilus ibidem vertit τυπικά, hoc eſt formalia, & certa forma concepta. Certa verba dixit M.Cicero lib.2.de Nat.Deorum,pro ſolitis,& ſolennibus.Varro lib.5.Ling.Lat.Hinc faſti dies, quibus certa verba legitima ſine piaculo prætoribus licet fari.

Cervicalia veſtis nomine contineri putat Vlpianus.l.argumento 25.§.j.D.de aur.& argen.Quod ſi ad mundum muliebrem ea pertinent, ſignificari putat hoc nomine Hotom. quæ Græci περιτραχήλια nominant,quæque Iul.Pollux in mundo muliebri recenſet: ſin virilia ſunt,ea quæ frigoris vitandi cauſſa ceruici circundantur.

Cervices erigere,eſt Imper.Conſtantio, in eum cui gratitudo debetur,irreuerentem eſſe,l.2.C.de libertis & liber.eorum.Notum,duræ ceruicis hominem dici, quaſi indomabilem,more ferocium boum, quíq; ceruice erecta, & rigida contumaciam quandam præ ſe ferat,tanquam nemini ceruicem inclinare volens, ca. niſi cùm pridem.§.propter malitiam.de renunc.

Cervisiam vini adpellatione contineri negat Vlp. l.ſi quis vinum.9.D.de tric.vino,oleóq; leg.rectè.confici enim eam ex frugibus Plinius lib.22.ca.25.ſcribit.

Cerycia erant,quæ legati ferre ſolebant,ne quis eos violaret.Sic ſumitur in l.ſanctum.D.de rer. diuiſ.quod & Iul.Pollux libro 8.Onomaſtic.his verbis docet, κηρύκειον φόρημα ἦν τῶν πρέσβεων.Apud Suidam, κηρυκεῖον, ξύλον ἔχον ἑκατέρωθεν δύο ὄφεις περιπεπλεγμένους, καὶ ἀντιπροσώπους ἀλλήλοις κειμένους.Non igitur ornamento tantum erant, vt putat Alexander Genial. dierum lib.4.ſed & tuitioni, d.l.ſanctum.

Cessare, pro in mora eſſe accepiſſe videtur H.Modeſtinus l.tutor.§.Lucius:D.de vſur.& alibi.Sed & pro fruſtrari ſumitur in l.5.§.Imperator.D.vt in poſſ.leg.

Ceſſare partem dixit Iauolenus l.Mæuio.41.D.de legat.2. pro deficere:& ceſſantium,id eſt deficientium partes, eodem ſenſu Paulus l.diuus.7.D.ſi cui plus quàm per leg.Falc. Sic Romanus Pontifex,Ceſſante cauſſa ceſſat effectus,id eſt,deficiente,& ſublata, c.cùm ceſſante.extra de adpel.& vide A.Tiraquellum tracta.Ceſſante cauſſa. Ceſſante quoque demõſtrationem apud Papinianum accipere debemus,pro deficiente probatione l.cùm ex pluribus.97.D.de ſolut.

Ceſſare edictum dixit Vlpianus l.quòd ſi.3.D.ne quis eum qui in ius voc.pro eo quod eſt locum non habere, & ad eum caſum non pertinere.

Ceſſare libertatem, Et,

Ceſſare addictionem, apud Vlpian.l.ergo.4. §.ſi in fraudem.& §.ſi bona.D.de fideicom.libert.accipi oportet, hoc eſt non valere,& ei actui locum non eſſe.

Cessio,vide ſuprà in verb.Cedere.

Cessionarius dicitur ille, in quem transfuſa eſt obligatio,vel nomen,& debet certiorare debitorem, quòd nomen eius in ipſum transfuſum ſit,ipſum notificando, vel oſtendendo inſtrumentum, & legendo, & copiam ſi velit habere,dando, vt l.nomen.quæ res pig. oblig. po. C.aliàs alteri ſoluere poſſet debitum, non credens ſe obligatum ceſſionario.C.de oblig.& actio.per Bartolum.

Cessum dare l.bouem.43.in princ.D.de ædil.edic. mulæ dicantur:quod quid ſit variè exponitur. Mihi locus corruptus eſſe videtur, & legendum ſeſſum, vt de iis dicatur mulis quæ homines vehunt,quæ & magis calcitroſæ ſunt aliis.Seſſus autem pro ſede ponatur.Holoander,Ceſſim dant legit,alij peſſundant.

Ceteroquin, pro alioquin poni apud Vlpian.l.eius qui.29.D.de iure fiſc.Sed enim hæc pœna magis eſt,vt aduerſus ipſum locum habeat, qui delatorē redemit: ceteroquin aduerſus hæredem eius tranſire nõ debet. Et apud eundem l.ex facto.35.§.rerum.D.de hæred.inſtitut.putat A.Auguſtinus in Emendat.

Ceterorum, & reliquorum adpellatione omnes ſcribit cõtineri M.Terentius Clemens in l.cùm optio. 17.D.de opt.leg.& Marcellus apud Vlpianum l.ceterorum.D.de verb.ſignific.ideóque incluſionis notam eſſe conſtat. Excludit etiam plerunque, veluti apud Vlpianum l.non ſolùm. §.quæritur. D.de procurat. Singulari quoque numero apud eundem l.2. D.de iis quæ in teſt.delent.excludit.Compendioſè in tabellionum tabulis,inſtrumentíſve interiecta his notis, &c. hæc vox, comprehendit omnia, quæ ſunt de natura contractus, vel rei, ſuper qua adponitur, Bartol. in l. Gallus.§.idem credendum.D.de liber.& poſthu.Huius locutionis vim latiſſimè explicat Iaſon, & Alciatus ibidem.

Cetera cognitionis, dixit Scæuola l.intra vtile.39 D.de minoribus.pro omnibus,quæ ad cauſſæ reſtitutionis in integrum cognitionem pertinerent. Sic eodem ſenſu dixit idem,Cetera negotij. , Sic,

Cetera venditionis dixit Vlpianus l.magis puto.5. §.ſi pupillus.D.de rebus eorum.pro omnibus quæ venditorem facere,& præſtare oportet: & omnia iudicij,l. in cauſſæ.D.de procurato.

Ceterum abſurdi nota eſt,& ſignificat alioquin, l.ait prætor.7.§.j.D.de minorib.Et ideo ſi minor conueniat debitorem,adhibere debet curatores,vt ei ſoluatur pecunia:ceterùm non ei compelletur ſoluere.Et l. 4.§.ſi quis autem. D.de alien.iudic.mut.cauſ.fact.& alibi ſæpe in libris Dige.quod res ipſa ſatis indicabit. Sic ſumitur apud Tertullianum lib.2.aduerſ.Marcionem.Ceterùm non eſſet anima,&c.& in l.iam tamen. in princ.D.iudic.ſolui.& l.in cauſſæ.D.de procur.Ceterùm aduerſandi nota eſt,& accipitur pro ſed, in cõſtit.Alexand.Imp.l.j.C.ſi aduerſ.rem iud.

C H

Chaldæi in Conſtantij Imp.reſcripto l.nemo.5.C.de malefi.& mathema. ſecundum interpretationem B. Hieronymi in c.2.Daniel.dicuntur γενεθλιάλογοι, qui futura ex natiuitatibus prædicũt:quo ſenſu accipi debet apud Spartianum, cuius hæc verba ſunt, Vel vates, vel Chaldæos conſuluiſſet.quod & Plutarchus in Galba adnotauit.

Χαμόθεν apud Modeſtinum l.εἰδέναι. §.χρὴ δὲ μία.D.de excuſ. Anto. Auguſt lib.ſingulari ad Modeſt.ſuppliciter.Iac. Cuiacius de plano vertit. A.Auguſtini ſententia potior viſa eſt. Nec moueor Græcorum interpretatione, qui interpretantur χαμόθεν, ἐξ ἐπιπέδου, hoc eſt de plano.

Χαμαιδικασταὶ pedanei iudices,quorum commeminit Iuſtinianus conſtit.60.§.κἀκεῖνο.& vide Alciat.lib.j.Parerg. cap.41.

Charonianus libertus à Charonte dicitur,ea forma qua horcinus Vlpian.Inſtit.tit.2.ab horco: id eſt nullius,niſi Charontis,Plutonis,horci.

Character, figura vel ſignum, vel forma expreſſa ex litera præcipuè.Vlp.de teſta.l.ad teſtium.Dum tamen(inquit)habuerit χαρακτῆρα.

Charta,eſt pagina ſcriptioni apta.Differt à papyro. Papyrus enim eſt materia vnde chartæ præparantur: vbi verò

vbi verò expolita eſt, chartæ nomen accipit. Viglius in §.nihil autem. Inſtit.de teſta.ordin. quæ diſtinctio iuuatur reſponſo Vlpiani l.librorum.§.chartis.D.de leg.3.Chartæ adpellatio & ad nouam,& ad deletitiam refertur,l.4.D.de bo.poſ.ſecun.tab. Chartis autem legatis,neque libri iam facti,neque cœpti ſcribi, neque membranæ, neque cæteræ ad ſcribendum materiæ debentur,l.librorum.52.§.4.& l.chartis.76.D.de leg.3. Chartas autem epiſtolares penoris eſſe ait Seruius apud Vlpianum l.3.§.pen.D.de penu.leg. & his continentur chartæ ad ratiunculam paratæ, d.§.penult. At chartarum genera,& quo fierent modo explicant Plinius lib.13.cap.12.& Iſidorus lib.6.cap.10.

Chartam deletitiam, cuius meminit d.l.4. Græci vocant παλίμψηστον, Cic.lib.7.Epiſtul.Epiſt.18. Nam, quod in palimpſeſto,laudo equidem parſimoniam, ſed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, quàm hæc ſcribere. huius & commeminit Martialis:

Eſſe puta ceras, quamuis membrana uocetur,
Delebis quoties ſcripta nouare uoles.

CHARTIATICVM, in l.diuus. D.de bonis damnat. quod quaſi pro charta officialibus præſtabatur. Sic enim legitur in Pandect.Flor.ſic & emendati vulgati Codices habent. Alciat.li.j.Par.variè hoc vocabulum conatur reſtituere: ſed parum ad rem. Florentinam lectionem confirmant Zonare verba in Nicephoro: ἐπόπτας περὶ βάλλειν ἐπισκέπτειν ἐπαύξειν σφᾶς τὰ δημόσια, ἀπαιτεῖσθαι δὲ καὶ ὑπὲρ χαρτιατικοῦ ἐπὶ τῷ νομίσματι δύο κεράτια. Eodem autem modo dictum videtur, quo Cerarium, Verrina v.quod quaſi pro cera pendebatur:ſicut & pulueraticum & pulueratium, quod vide ſuo loco.

Χαρτοπρᾶται, Chartopratæ, in titul.de colleg.& chartopra.& Numul.lib.11. C.ſunt Chartarum quæ ex prouinciis in vrbem tranſmittuntur,ſuſceptores, & venditores.In Baſilicis eo.tit. περὶ συστημάτων καὶ χαλκοπρατῶν.repone χαρτοπρατῶν.

Χαρτοπρατία Chartarum venditio,l.vnica.C.de colleg. & chartopratis lib.11.

Χαρτοφύλακες,magiſtri dicuntur ſcriniorum. Hinc, Χαρτοφυλάκιον, in ca.j.extr.de proba. dicitur ſcrinium vbi chartæ reponuntur.vide Sudam.

CHARTVLARII, in rub.de num.actu.chartul.lib.12. C.& l.nulli.10.in fin.C.eodem.& l.3.de cano.largit.tit. lib.10.C.dicuntur, qui de cohortalibus officiis vniuſcuiuſque prouinciæ largitionales titulos retractabãt: id eſt qui chartas & codices tractabant earum expenſionum,quæ priuato principis ærario illatæ,magna ex parte in largitiones inſumebantur. De iis accipi debet l.j.§.illi quoque.de præpoſ.ag. in reb.lib.12.C.Hos Commentarienſes dictos ſcribit auctor Etymologici. Chartulariorum frequens mentio fit in Notitia Nouellæ 8. Porrò Zonaras poſterioribus temporibus,Chartularium, τὸν τῶν βασιλικῶν ἱππονομῶν ἐπιστατοῦντα appellatum Tomo.3. Annalium in Leone Iſauro ſcribit:atque eum, qui huic muneri præficiebatur, πρωτοστάτορα vocatum.

Chartularius cubiculi,quem Græci τὸν ἐπὶ κανικλείου vocabant, conſtitutiones ſubſcribebat, vt no.Conſtitut. Manuelis, cuius commeminit Iac.Cuiac.l.2. C.de pet. bo,ſubl. lib.10.

CHASMA, Χάσμα, terrę hiatum ſignificat:eo verbo vſus eſt Vlpianus l.cùm res.47.§.fin.D.de leg.j.& alij Iuriſcoſs.in Pandect.ſæpe χασματίαν appellat Ariſtoteles lib.2.de Mundo: τῶν δὲ σεισμῶν οἱ μὲν σωνίζοντες πεσόντες εἰς τὰ κοῖλα, χασματίαι λέγονται. De hoc terræ hiatu loquitur Plinius lib.2.cap.82. Seneca lib.1.Natur. Quæſt. Chaſma vocat cum aliquod cœli ſpacium deſedit, & flammam dehiſcens,velut in abdito oſtentat.

CHELYNIAS, in l.fi.§.ſpecies.D.de publica. & vectig. gemmam eſſe Indicam teſtudinis oculo ſimilem putem, ex Plinio lib.37. cap.10.

Χειρέμβολον, in l.j.§.& ſunt quidam.D.naut.caup.ſtab.eſt ſignum à magiſtro nauis in prora reſidentis manu datum,quo nautis imperat vt aliquid faciant, ſeu aliquẽ recipiant,vel non recipiant,Alciato lib.j.Parerg.cap. 44.interprete.

Χιλίαρχον,mille militum ducem,Vlpianus l.j.D.de teſt.milit.rectè appellat.

CHIROGRAPHVM, χειρόγραφον, ſcripturam priuatam manu cuiuſque ſubſcriptam, ſubſignatámque ſignificat, apud H.Modeſtinum. l. ſi chirographum. D.de probat.eodem ſignificatu alibi ſæpe reperias. Itaque generale nomen eſt, ad omnes huiuſmodi cautiones pertinens,l.pen.D.de teſt.& ſæpe apud Cicer.& alios veteres.fecit autem conſuetudo,vt chirographũ propriè appelletur συμβόλαιον γραμματεῖον, vt ait Heſychius: id eſt cautio ad contractus pertinens: & propriè libellus quo quis pecuniam ſe debere ſcripſit. Itaque Aſconius in Verrin.111. Inter ſyngraphas, inquit,& cætera chirographa hoc intereſt, quod in cæteris tantùm quæ geſta ſunt ſcribi ſolent: in ſyngraphis,etiam cõtra fidem veritatis pactio venit, & non numerata pecunia,aut nõ integrè numerata,pro temporaria voluntate hominũ ſcribi ſolet, more inſtitutóq; Græcorum:& cæteræ tabulæ ab vna parte ſeruari ſolent:ſyngraphæ ſignatæ vtriuſq; manu, vtriq; parti ſeruandæ traduntur. Hæc ille. Hoc etiam ἰδιόχειρον vocat Leo l.ſcripturas 11.C.qui pot.in pigno.pro ſigno ipſo teſtis accipitur, Paulo l.penul.D.de teſta.

Chirographo legato venditóve, non ſolùm tabulas, ſed & debitum, & nomen, legata, venditáve intelligi rectè ſcribit Vlpian.l.ſeruum filij.§.eum qui chirographum.D.de leg.j.

Chirographum inane appellat Vlpianus, cùm debitum eſt in ſolidum ſolutũ,l.18.D.de ſolut.Solutione chirographo inani facto,& pignoribus liberatis,nihilominus creditor,vt inſtrumenta ad eum contractum pertinẽtia ab alio quàm debitore exhibeantur, agere poteſt.Inane etiã dici poteſt,quod ſine cauſſa factum eſt.

CHIROGRAPHARIVS creditor, qui ex ſolo chirographo nititur & ſibi cauit,in l.pro debito. C.de bon. auct.iud.poſſid.quod & expreſſius oſtendit Paulus,li. 5.Sentent.tit.26.§.fin.Idem l.38.§.j.D.de priuileg.cred. Reſpublica creditrix omnibus chirographariis creditoribus præfertur. Opponuntur autem iis qui Hypothecarij dicuntur,l.cùm tibi.10.C.qui pot.in pign. & l. 4.& 6.C.de priuil.cred. Hinc,

Chirographarius debitor,qui chirographo, & cautione promiſit,ſéque obligauit,l.ſi ſoluere.C.de nouat. & l. vnic.C.etiam ob chirog.pec.pig.ten.

Chirographaria pecunia, quæ ſine pignore ſolo chirographo comprehenſa eſt, rubr. C.etiam ob chirograph.pec. Et,

Chirographaria inſtrumenta,l.ſi.C.ſi certum pet.tabulæ quibus continentur huiuſmodi cautiones.

Chirographaria actio dicitur, quæ ex chirographo naſcitur.

Χλαῖνα Latinis læna,militaris veſtis genus, Bayſio ex Plutarcho in Numa: καὶ γὰρ ἃς ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς χλαίνας.

CHLAMYS, inter puerilia veſtimenta recenſetur ab Vlpiano, in vulgatiſſima l.veſtis.D.de aur. & arg.leg. Suidas autor eſt, Numam primùm Romanorum regem chlamyde vſum eſſe, cùm legationem Iſaurorum excepiſſet, rationémque eorum habitus percepiſſet. Vide Bayſium in d.l.veſtis.latè diſputantem.

CHOENIX, quæ & maior libra apud Athenienſes vocabatur, fuit menſura tritici quantum quiſq; vno die comederet, ſextarium Gaza vertit: pendebat eorum drachmas 150. hoc eſt 7.& 10.vncias Græcas: noſtra autem menſura ſequilibram. Eius chœnicis dimidium,drach

dium,drachmarum 75.libra,ſeu libella dicebatur, cuius ſit mentio in l.iudices.C.de epiſcop.aud. qua iubent Impp.Honor.& Theodoſius duas libellas, id eſt, chœnicem victualis ſubſtantiæ, cuſtoditis præſtari. quod etiam olim fieri ſolitū oſtēdit Pythagoræ ſymbolum, Chœnici ne inſideas. Cuius explicationem pete ex Chiliad.Eraſmi, & cap.17.lib.j.Parerg.Alciat. hac voce libra, ſeu libella Paulus vtitur in l.ſeruis vrbanis.de leg.3.quum,ait, Quod maximè ex libellis familiæ,item cibariis deprehendi poterit.Accurſius pro albis panib.inſcitè exponit.

Chomata,χώματα, quid ſint, interpretatur Vlpianus D.de extraordi.crimin.l.ſaccularij. Chomata, inquit, ſunt aggeres, qui ſolent aquam Niliacam continere. χῶμα autem Græcè dicitur agger,terra aggeſta,cumulus terræ,vel lapidum.

Choragros,Græcum eſt verbum, Theodoſio, & Neuterio auctoribus,in lib.de limitib.quo villa ſignificatur,ἀπὸ τῆς χώρας,ἀγρῦ.

Χωρεπίσκοπος, in Græca conſtit.C.de epiſco.& cler.& ca. Chorepiſcopi.78.diſtinct.dicitur, qui ab vrbis epiſcopo certo vico, vel pago præficitur: vnde à Papia regionarius vocatur. Fuere huiuſmodi multi, eccleſia naſcente,poſteà ſublati: idque Damaſus Pontifex ſignificauit in Epiſtolis d.c.Chorepiſcopi. ſic enim ibidem ſcribendum, non correpiſcopi.

Chorvm, apud Africanum l.cum eiuſdem.34. D.de ædil.edict.& Celſ.l.ſi chorus.79.D.de legat.3. & in comœdiis Ariſtophanis,maximè in Pluto, accipere debemus cœtum, ſiue multitudinem canentium. Nam multorum vocibus, & concentu conſtat. Sic eodem ſenſu Chorū clericorum pſallentium dicimus.Chorus μετωνυμικῶς locum ſignificat qui pſallentes continet,in Decretalibus Pontificum Epiſtolis, cap.dilectus.extr.de præben.& dignitat.in antiq.

Χρημάτων appellatione Iuriſconſultis tam mobilia, ſéque mouentia, quàm immobilia continentur: pro rebus hæreditariis accepiſſe viſus eſt Solon apud Demoſthenē,in ea quæ κατὰ Στεφάνου ψευδομαρτυρ.β. eſt oratione,κρατεῖν τῶν χρημάτων. Huius quidem verbi ſignificatio ita eſt latiſſima, vt pecuniæ Latinis, vt docent paſſim Iuriſcoſs.potiſſimum D.de verb.ſign.l.158.& l. 222.περὶ τῶν χρημάτων I.Pollux lib.3.cap.10.& lib.9.

Χρηματισμὸν prænomen interpretatur Theophilus in §.ſi quis in nomine. Inſtitut.de legat.qua de re conſule Anto.Aug.lib.3.Emendat.cap.8. Alias χρηματισμοὺς pro reſponſo iudicum ius reddentium. Athenæus de Dionyſ.τοὺς δὲ χρηματισμοὺς ἐποιεῖτο τοῖς βουλομένοις, προτιθέμενος κιβώτιον τοῦ σώματος. Poſtulationibus adeuntium reſpondebat,arca intermedia.

Χρῆσις,id eſt,vſus.Vlpia.ſed ſi χρῆσις,ait,ſit relicta, an vſus ſit,videndum,l.ſi habitatio.§.j.D.de vſu & habitat.

Χρῖσμα,vnctionem ſignificat, quæ conficitur ex oleo & balſamo, c.vnico.§.ad exhibendum autem.extra de ſacra vnctio.quo verbo vſus eſt B.Ioannes.Epiſt.1.c.2. καὶ ὑμεῖς χρῖσμα ἔχετε, &c.

Christianorvm appellatione Epiſcopos contineri in l.Chriſtianos.C.de epiſcop.aud.& l.fin.C.de poſtlim.reuer. Azo & Accurſius in d.l. Chriſtianos, ſcripſere. Niſi dicas pro cœtu Chriſti fidelium accipi, quibus pro captiuorum redemptione hoc officium pietatis incumbit. Prior tamen interpretatio potior viſa eſt: iuuatur Nouella Iuſtiniani conſtit.131.§. εἰ δὲ κάτις. Chriſtianus autem rectè vtitur ad perſequendum ius ſuum ſcriptis legibus,quia lex eſt creatura & ordinatio Dei,id eſt,conſeruatio ciuilis iuſtitiæ. Nam politicus ſtatus eſt Dei opus,etiam ſi perſonæ ſint impiæ,& abutantur tali ordinatione. Paul.Rom.13. Non eſt poteſtas,niſi à Deo. Et Pſal.81. Ego dixi, dij eſtis, hoc eſt,gerentes officia diuina: quæ ſunt, conſeruare iuſtitiam,& iudicia,defendere innocentes,punire delicta,militiam legitimam exercere, ad defendendum bonos.Chriſtiani autem dicuntur à Christo,l.j. C.de ſumma Trinit.Sic & Chriſtianus actiones ſibi competentes,velut inſtrumēta exigendi debiti, exercere poteſt ſecundum iuris præſcriptum, modò ſemper ambiat concordiam bona fide.

Χρύσεα χαλκείων,ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. Id eſt aurea pro æreis, & centum bubus emenda pro nouem iuuencis redimendis. Hoc Carmine Homeri lib.6.Iliad. παροιμιακῶς vſus eſt Iuſtinianus in Procemio Digeſt. incip. omnem.in fin.quo permutationem inæqualem ſignificat. quod & M.Cicero lib.6.Epiſt.ad Atticum epiſt.1.indicat his verbis:Habes ad omnia,non vt poſtulaſti χρύσεα χαλκείων. ſed paria paribus reſpondemus.& Gellius lib.2.cap.23.ſatis apertè oſtendit,diſparitatem notans. Alias effertur, Diomedis & Glauci permutatio. Vide Eraſm.in Chiliad.

Chrysolithi, inter gemmas perlucidas recenſentur ab Vlpiano l.cùm aurum.§.perueniamus.D.de aur. & arg.leg.eam eſſe colore aureo tranſlucidam ait Plinius lib.37.cap.9.Hanc commemorat Iſidorus.lib.16. Etymol.cap.14.

Χρυσάμμος,vide ſuprà in verbo Balluca.

Chrysvlca, aqua vulgò Aqua fortis vocitata, cuius vi aurum à quocunque metallo deduci ſcribit Alciat. lib.3.Parergon capite 11.cuiuſmodi ars Vlpiani temporibus inuenta non erat, vt ex eiuſdem reſponſo colligit idem Alciatus,quod extat l.idem Pomponius. 5.§.j.verſi.ſed ſi deduci.D.de rei vendic.

C I

Cibariorvm appellatione neq; habitationem, neque calciarium,neque veſtiarium contineri Vlpianus rectè ſcribit l.diariis.21.D.de alim.& cib. ideóque de cibo tantùm accipienda putat. & vide infrà, Cibus. Eam quoque ſignificationem videtur indicaſſe Varro lib.4.Ling.Lat.

Cibillam,à cibo duci rectè cenſet Varro lib.4.Ling. Lat.eámq; eſcariam menſam dici:prius erat quadrata, poſteà rotunda facta:quæ omnia confirmant Vlpiani interpretationem d.l.diariis.vt non immeritò cibaria à veſtiariis ſepararint Scæuola l.Gaio.13. D.de alim.& cibar.leg.& Paulus l.Lucius.12.D.eod.In alimentis diuerſum Modeſtino placuit l.4.D.eo. At libri veteres apud Varronem, vt refert Turn.in ſuis in Varr.comment.Cillibā legunt.Hinc Feſtus, Cillibæ erant menſæ rotundæ:atque dictas à cibo per traiectionem literarum aut ſyllabarum,vt fieri poſſe alibi Varro dixit. Putat tamen Turnebus non à cibo ſic deductas, ſed à Græco κιλλίβας,quo ſignificatur menſa tripes.

Cicatricem in notæ adpellatione contineri ait Vlpianus l.j.§.fin.D.de fugit. quod & videtur obſeruaſſe Baldus (cuius loco Bartolum citant lexicographi) in l.ſi quis metallum C.de pœn. eam igitur euidentem rectè appellat idem Vlpianus l.quæritur. §.fin. D. de ædilit.edicto.remanet enim vulnere ſanato.

Ciere dicitur, qui nominat.

Cihiamellvs, ſiliqua ſiluatica dicitur Theodoſio, & Neuterio auctoribus in lib.de Limitib.

Cilicia vela, Caſſius apud Vlpianum l.quæſitum.12. §.ſi domus.D.de fund.inſtruc.texta de pilis, in caſtrorum,nautarúmque vſum,ſcribit Aſconius: ſic & accipienda ſunt in l.fundi.§.quæ tabulæ.D.de actio.empt. Sic dicta quòd in Cilicia (ſic autem legendum, vt & Flor.Pand.l.j.in fina.D.de cenſib.) eorum vſus ortus eſſet vel potius à ciliis, ex his coacta veſtimenta vulgò Feltra vocamus:nempe τὰ ἐκ τῶν τριχῶν συμπιλούμενα. Huic Conciliare verbum Fullonū,τὸ συμπιλοῦν, πιλεῖν, ἑνοῦν, καὶ ἁπαλύνειν Varro lib.5.de Ling.Lat.apud Fullonem veſtimentum cum cogitur conciliari dicitur. De his

accipiend

accipiendum Virgilij verſum lib.3. Georgic. Seruius admonuit:

Nec minus intereà barbas incanáque menta,
Cinyphij tondent hirci,ſetáſque comantis
Vſum in caſtrorum & miſeris uelamina nautis.

In vſum,inquit,caſtrorum,ideo dixit, & quia de ciliciis poliuntur loricæ,& teguntur tabulata turrium, ne iactis facibus ignis poſſit adhærere.

Cilicii termini à Cilicio Saturnino Centurione legionis.27.dicti in libr.de Limitib. variorum aucto. fit mentio.

Cilicium, veſtimentum pilis hircorum,& caprarum textum.c.qui ſanctus. de pœnit.diſtinct. j. & de pœn. diſtinct.3.c.Achab Rex.quod pœnitẽtium erat dd.cc. Sic autem vertit B.Hieronymus, vt refert Gratianus. Idem B.Hieronymus in Eſaiam:Cilicina tunica habitus fuit prophetantis populi delicta plangentis, pro quo.70,interpretes σάκκον ex Hebræo dixere.

Cincia lex,vide infrà Lex.

Cingere arborem,vetuſtè,pro illam in orbem deglabrare, ſeu delibrare. Paulo arbo.furt. cæſ.l. cædere. Cingere,ait,arborem, eſt illam deglabrare. Vlpian.l. furtim.D.eod.& Alphe.locati.l.in lege locationis.Néve quem cingere,cædere,vrere ſinito. Cingere præterea notiſſimæ ſignificationis eſt, à quo ſignificatu ducitur participiale nomen.

Cinctus,a,um,apud Marcellum in l. Titius.25.D.de milit.teſta.quod quidam de eo milite accipiendũ putant,qui tribunatui, aut muneri alicui præficitur. Titius priuſquam Tribunus legionis factus eſſet, teſtamentum fecit,& poſtea cinctus, manente eodem teſtamento deceſſit.Paulus.l.quod dicitur.§.j.D. eo.Miles teſtamentum fecerat:deinde non ignominiæ cauſſa miſſus,rurſus cinctus eſt in alia militia. Sed & ad alios poteſt referri qui alicui alij adminiſtrationi præſunt, veluti in conſtitutione Theodoſij & Valẽtiniani Impp.l.2.C.vt dignit.ord.ſeru.libr.12.quo loco pro cunctis,legendum Cinctis,vt & res ipſa docet, & vetera exemplaria admonent. Poteſt tamen dici in d. locis Marcel.& Paul. de eo qui ad militiam conſcriptus,miles factus eſt.Moris enim fuit antiquis, vt togati ciues eſſent in militia:ſed prœlium inituri, præcingerentur.Inde teſtamenta in procinctu, quemadmodum Plutarch.in Coriolano teſtatur.Sed eo more ſublato,cingulum manſit perpetuo: vnde qui ab Imperatore ignominia afficiebantur, plerunque diſcingebantur.qua pœna vſum Marcellum Liuius lib. 6.teſtatur:Auguſtum verò,Suetonius.

Cingulum, tranſlatitiè ſumi pro adminiſtratione in iure nequiſquam omnium addubitat, quin & pro dignitate ipſa.l.2.C.vt dignita.ord.ſer.lib.12.& l.omnes. C.de meta.& epide.eo.lib.Sed & pro dignitatis titulo accipi ſolet.l.fi.C.de præpoſ.ſac.cubic.lib.12.Cingulũ autem depoſitum,adminiſtrationem poſitam & finitam interpretari oportet,in l.2. C. vbi de ratiocin. agi oportet. Cinguli præſcriptionem,exceptionem fori declinatoriam ob priuilegium accipere debemus.l. fi.de adpa.mag.milit.lib.12.C.

Cinctum limum adpellari ait Hygenus lib. de limitib.agr.purpuram tranſuerſam.

Cinamomum, cuius commeminit Marcianus. l. fi. §.ſpecies.D.de publicanis.fruticis in Æthiopia naſcẽtis genus:cuius vis in cortice eſt,de quo Plinius lib.12. c.20.& Dioſcorides lib.j. Rariſſimum etiam ſuo tempore fuiſſe hoc fruticis genus ſcribit Galenus,nec alibi conditum quàm in ſcriniis Imperatorum. Sunt tamen qui exiſtiment aliud nihil eſſe quàm quod nobis, *fine canelle.* Vide Garchiam ab Orto.

Cippus columna dicitur, quæ cum inſcriptione ad cõſeruandam alicuius rei memoriam erigi ſolet, Græcis στήλη:cuiuſmodi etiam in defunctorum monumentis erigi conſueuere.de quo accipiendus eſt Horatius lib. j.Sermon.Satyra.8.

Mille pedes in fronte trecentos cippus in agrum
Hic dabat:hæredes monumentum ne ſequerentur.

Pontificiis verò truncum ſignificat, aut lignum inornatum,perforatum in modum capſæ:in quo pecuniæ oblatæ, donatæve eccleſiis reponebantur, Clemen. exiui.§.quocirca quæſtus.de verb.ſignific.vbi gl.

Circa ad locum referri putat Iſidorus,quod & Proculi teſtimonio comprobatur, in l.Rutilia Polla. D. de contrah.empt.

Circenses,quaſi circuenſes dictos putat Caſſiodorus lib.4.variarum ad Fauſtum, propterea quòd apud Antiquitatem rudem, quæ necdum ſpectacula in ornatum deduxerat fabricarum,inter enſes, & flumina locis virentibus agerentur.Certaminis Curulis genus erat,quod commemorat Alexand. Neapol. libr.5.Genial.Dier.c.8. Hinc

Circenſes equi apud Hermogenianũ.l.j. D. de muner.& honor.& Circenſes ludi,in l.ciuitatibus. D. de legat.j.

Circitores,Circuitores, antiquis (vnde & Circites apud Feſtum,circuli ex ære facti) Vlpiano in l.cuicunque.5.in princ.D.de inſtito.dicũtur quibus lintearij, vel veſtiarij dant veſtem circumferendam & diſtrahendam:quos & inſtitores dici poſſe refert.In re verò militari adpellantur Vegetio lib.3.c.8.de re milit. qui vigilias circumibant,& ſi qua emerſiſſet culpa, renuntiabant.Tribuni,inquit, eligunt, qui vigilias circumeunt,vt renuntient, ſi qua emerſerit culpa, quos circitores adpellant:nunc militiæ factus eſt gradus.

Circulatores Paulo.l.vlt.D.de extraord.crimin. qui ſerpentes proponunt,& circumferunt. Hoc verbo vtuntur M.Cicero in Epiſt.& Seneca in lib.Beneficiorum:illos Græci vocant, ἀγύρτας, καὶ ὀχλαγωγοὺς καὶ περιοδευτάς.

Circumcidere, apud Modeſtinum. l. circumcidere.D.ad l.Cor.de ſicar.& apud Paulum libr. 5.Senten. tit. 22. ſignificat per circulum incidere & amputare: quod et ſummus Nomotheta Devs æternus iuſſerat Geneſis capite 17.formam ibidem docens, καὶ περιτμηθήσεσθε τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας ὑμῶν. Quam rem Paulus Apoſtolus Galat.5.Lucas acto.15. Tertullianus libr.aduerſ.Iudæos et lib.5.aduerſus Marcionem explicant,et extra de Baptiſm.et eius effe.c.j.Ciues autem Romani ſi ſe aut ſeruos ſuos circumcidi paterentur, relegabantur,ademptis bonis:atque hi qui circumcidebant, capite puniebantur,perinde ac ſi caſtraſſent.

Circumducere, eſt fraude obrepere, et obtegere, Tertulliano lib. de pœnitent.in med. Circumducere etiam eſt inducere,tollere, delere, et ad nihilum ponere. Hinc Circumduci cauſſa dicitur. l. ſi præſes.C. quomodo et quand. iud. cum ob id quia deſerta eſt, eius nomen ex cauſſarum albo eximitur. Paulus.l.45. D.de re iud.Acta apud ſe habita,ſi partes cõſentiant, et iudex hoc permiſerit,poteſt iubere ea die circumduci. Sic edictum circumducere Vlpian.l.73. §.j. D.de iudic.Tum circumducendum erit edictum peremptorium, neque cauſſa cognoſcetur. Quod pragmatici dicunt, *le defendeur a conge auec deſpens.* quod fit nõ comparente actore in die dicta et aſſignata.Bud. in Foreſ. aliter expoſuit,ſed meo iudicio,malè.

Circumduci cognitionem apud Vlpianum. l.diui fratres. 27.§.j.D.de lib.cauſſ. cancellari interpretatur Accurſius.rectè Galli pragmatici dicunt *mettre au neant.*

Circumforaneos medicos,qui ad fora properarent vertit Antonius Auguſtinus libr.ſingulari ad H. Modeſtinum.l. ἐὰν δύο.ibi, περιοδευταί. D. de excuſa. M. Ciceronem in Cluentiana imitatus. Pharmacopola, ait,circumforaneus qui properaret,cui fora multa re-

ſtarent,&c. *περιοδευτὰς* Circuitores verterat interpres vetus: cuius ſententiam probat I. Cuiacius ad d.l. *ἐὰν ἀδο.* aitque Circumforaneorum adpellatione vilitatem ſignificari. Circumforaneos dictos putat Iſidorus, quòd in modum rotæ circumferantur.

Circumfluens amnis inſulam facit. l. ergo. D. de acq. rer. domin.

CIRCVMLVVIO, Feſto lib.3. eſt ius prædiorum: (Hotom: prædiatorium legi vult) id eſt cum parte aliqua diuiſum flumen, agrum alicuius ita ambit, vt inferius vnitum, illum in inſulæ formã redigat. l. adeo.7.§. quod ſi. D. de acqui. rer. dom.

CIRCVMSCRIBERE Senatum dixit Tullius, pro priuare auctoritate, vt eleganter adnotauit Beatus Rhenanus ad Tertullianum in lib. de Patientia. Circumſcribere etiam abrogare, & obliterare, frequens hoc ſignificatu verbum Iuriſcoſſ. & claſſicis auctoribus. Cicero in lib. de finibus: Circumſcriptis igitur iis ſententiis, quas modò poſui, &c. Circumſcribere etiam fallere ſignificat, vt apud Græcos *περιγράφειν*. Paulus. l. exceptiones.7.§.j. D. de except. Si quis fideiuſſerit pro minori viginti qūinque annis circumſcripto. Plerunque autem in minoribus hoc verbum vſurpatur. Cic. lib. Offic.3. Circumſcriptio adoleſcentum lege Lætoria vindicata eſt. Pro Cluent. Cum omnis ab his fraus, omnes inſidiæ, circumſcriptionéſque adoleſcentium naſcerentur. Hinc

CIRCVMSCRIPTVS dicitur, qui dolo alterius decipitur. l. item exigit.16. D. de dolo mal. l. ſi ex cauſſa.9.§.j. D. de minor. Porrò autem is circumſcriptus non videtur, qui iure cõmuni eſt vſus, ídque Zeno Imperator conſtituit. l. fi. C. de in integ. reſtitut. Hinc eodem ſenſu.

CIRCVMSCRIPTIO, Græcis *κατασοφισμὸς*, eſt cũ quis ſcripto quidem legis paret & ſatisfacit, ſed nõ etiam menti, cuius duo exẽpla exponit Cuiac. obſ. lib.13.c.24.

Circumſcriptorem colubrum, hoc eſt deceptorem, adpellat Tertullianus.

CIRCVMVENIRE eodem ſenſu quo circumſcribere, hoc eſt, decipere, accipitur. l. in cauſa.16.§. pen. D. de mino. ídque l.j.§. dolum. D. de dolo mal. Sunt etiam qui putent circumuenire quem poſſe ſine dolo.

CIRCVMSTANTIA alicuius loci intelligitur per 30. pedes, vt dicit Bart. in l. item apud Labeonem. §. conuitium. D. de iniur. Circumſtantiæ autem, quæ in iure variant omnia, vt æquitas inde colligatur, ſeptem ſunt, Cauſa, quare aliquid factum ſit, perſona, quis, & cum quo fecerit: locus, vbi factum ſit: tempus, quando factum ſit: quantitas, magnum an exile ſit: qualitas, quomodo factum ſit: euentus, an metu, vi, errore, dolo, culpa, caſu fortuito factum ſit. Claudius Saturninus in l. aut facta. D. de pœnis. Secundum iſtas enim circumſtantiarum ſpecies, æquitas iubet ius ſummum vel intendi, vel remitti. Circumſtantias dictas quidam putant, quæ in vnaquaque cõtrouerſia quæri ſolent, & quaſi quæſtionem circumſtant. Has diligenter attendendas ſuadet I. Chryſoſto. Hom.10. in Matth. & 23.q.8.c. occidit. Circumſtantiam videtur definire Angelus Clauaſius in dictione Circumſtantia, quæ circumſtat actum quaſi extrinſecus extra actus ſubſtantiam conſideratum. Oldendorpius verò ſic definit: Circumſtantiæ ſunt notæ rerum, & perſonarũ communes & externæ, ex quibus æſtimatur iuris definitio, non ſolùm in pœnis delictorum, verumetiam in omnibus contractibus & humanarum functionum negotiis.

CIRCVS, propriè ſignificat omnem in gyrum ambitũ, à circumeundo, vt vult Seruius. Apud Macrum. l.3. D. operibus public. locus eſt muris ſeptus, in quo Curulia certamina peragebantur. Virg. lib.5. Æneid.

-mediáque in valle theatri
Circus erat.

Fuerunt autem tres circi Romæ: Circus maximus inter Palatium & Auentinum: circus Flaminius, qui & Apollinaris: & circus Neronis, in Vaticano.

CISIVM, vehiculi genus eſt biroti, inquit Nonius, quo nunc etiam Hungari vtũtur. Cic. pro Sex. Roſcio. Decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia paſſuum ciſiis peruolauit. Hinc.

CISIARIVS, ipſius ciſij auriga & moderator, Vlpianus carucharium adpellat. l. item quæritur.13. D. loca. Item quæritur ſi ciſiarius, id eſt carucharius, dum cæteros tranſire cõtendit, ciſium euertit, & ſeruum quaſſauit.

CISTA, hoc eſt capſa, Græcum verbum, éſtque vaſis genus ad veſtes reponendas, & id Vlpianus expreſſit. l.j. §. ſi ciſta. D. depoſiti. quod & Iulij Pollucis teſtimonio comprobatur lib.7.c.19. & lib.10.c.6. Notandum autẽ obiter ciſtas, in illa phraſi Cicer. Ciſtas diſiicere, ſumi pro vaſis in quæ populus per pontes tranſiens tabellas ſui ſuffragij mittebat. At Ciſtiphoros, nummos Aſianorũ fuiſſe, ſic appellatos, quod in eis ciſtiferij eſſent ſculpti, qui ſacrorũ myſticorum ciſtis incluſorum arcana ferebant, vt in Cybeles myſteriis, Bacchi orgiis, Cereris initiis. Valebant autem paulo minus ſemidenario. Cicer. huius meminit in epiſt. ad Atticum. Ciſtigeros vero Martialis eos homines appellat, qui & pro contemptiſſimis & deſpicatiſſimis habebantur:

-Dum non vis niſi lato Gellia clauo
Nubere, nupſiſti Gellia ciſtigero.

CISTERNA inde dicitur Feſto lib.3. quòd ſit cis, id eſt, infra terram. Nam ciſterna non habet perpetuã cauſam, nec viuam aquam, ſed locus eſt ad colligendam aquam pluuiam aptus, imbribúſque concipitur. l.j.§. hoc interdictum. D. de font. Ciſternam quoque aquæ, & vini dixit Vlpianus. l. vulgaris.21.§. ſed ſi de naui. D. de furtis. pro loco effoſſo ad vini aquæve cuſtodiam.

CITARE, eſt per præconem vocare in ius. l. diuus.7. D. de in integ. reſtit. & l. & poſt edictum.73. D. de iudic. Et poſt edictum peremptorium impetratum, cum dies eius ſuperuenerit, tunc abſens citari debet: & ſiue reſponderit, ſiue non reſponderit, agetur cauſſa & pronuntiabitur. Cic. pro Flacco: Citat præco magna voce legatos Æmonenſes. Hoc enim fiebat cum pro tribunali ſtans & vociferans, in iudicium euocaret. Et Citare in teſtimonium, Venuleio. l. in teſtimonium.20. D. de teſtib. pro vocare ad iudicem ad dicendum ferendúmque teſtimonium. Citare autem pæana, & minuritionem, vt legit Turn. apud Cic. in lib. de Oratore, Græcis ſunt *παιανίζειν*, & *μινυρίζειν*, vt illud ſit contentionis vocis, hoc remiſſionis. Vide Turn. Aduerſ. lib.1.c.12.

CITATVS reus, apud Papinianum. l. inter.10. D de public. iud. Liuius libr.j. Patres, ait, in Curiam per præconem citari iuſſit. M. Fabius, In publicis (inquit) certè iudiciis vox illa præconis, præter patronos, ipſum qui egerit citat. Hoc verbum retinuerunt pragmatici eccleſiaſtici apud Gallos. Curiæ (quas vocant) ſeculares pro hoc dicuntur *adiourner*, quaſi dicas ad diem in ius vocare.

CITATIO, ita diffiniri videtur ab A. Alciato rubr. C. de in ius voc. vt ſit actionum inſtituẽdarum principium. quæ diffinitio comprobatur. §. omnium. Inſti. de pœn. temer. litig. Sed & aliter diffiniri poteſt, vt ſit in ius vocatio, per l.j. D. de in ius voc. Nam cùm quis de aliquo conqueritur, & querimonia ſua coram iudice eſt depoſita, iudex emiſſo citationis edicto, ad eius inſtãtiam vocat, vel inuitat illum ad ſe, in quem agere deſiderat qui cõqueſtus eſt. Sed enim ſi in edicto iudex, vel prætor adiiciat hãc clauſulam: Si in die præſcripto non

non veneris,quaſi contumax condemnaberis, vel reputaberis:tunc edictum olim dicebatur peremptoriũ. Hodie autem ſufficit, quòd dicatur: Citamus talem peremptoriè.Et eſt quadruplex modus citandi, ſecundum Guil.de Mont.Lau. Primus, per nuncium literis citatoriis:ſecundus per præconem : tertius per edictũ valuis eccleſiæ adfixum,vel per compita.Cle. j.de iud. Quartus fit ex iuris diſpoſitione.Item quædam citatio fit ad monitionem iudicis. c.conſuluit. de offic.deleg. Item citationis ſunt tres actus:primus eſt præceptum de in ius vocando,cùm iudex iubet nuntio, vt citetur reus:ſecundus denuntiatio,cùm nuntius denuntiat citato,vt veniat:tertius relatio, cùm nuntius refert iudici ſe talem in tali loco citaſſe:Additur etiã quartus, ſcilicet comparitio citati:& quando citatus teneatur comparere, & ſi non-comparet, mulctetur, not.per docto.in c.præterea.de dila.& de illis actibus vide. c. ſi.de feriis.Et nota quòd citatio eſt de iure naturali, vt videre eſt in Clem.paſtoralis.de re iud. Citatus ad locum morboſum,ſeu vbi aër eſt peſtilẽs,vel corruptus, non tenetur ire,cùm ſalutis hominum ſit ratio habẽda.l.recuſare.§.ſi quis alio.D.ad Treb. & ibi per Bart. & docto.nec citatus peremptoriè poteſt dici contumax ante libelli oblationẽ.l. ſi finita. §. ſi plures. D.de dam.infecto.Porrò citationis ſcopus hic eſt, vt citatũ iudicio ſiſtat,íſque in iudicium veniat, Alciato in rub. C.de in ius vocand.

Citationum genera duo excogitarunt interpretes:quædã enim verbalis eſt,qua præco vel voce, vel edicto quẽ vocat in ius:Realis quæ fit,cùm perſona prẹhenditur, & in ius ducitur,trahitúrve,& in carceres conijcitur: quæ perſonæ prẹhenſio,& captio, Græcis ἀνδρολήψιον adpellatur,Pollux.li.8.c.περὶ δικαστικῶν ὀνομάτων.Vtriuſque generis commeminere Accurſius & Bar.& alij in l. conſentaneum. C. quomo. & quando iudex. Sanè ſpecies quaſdam commemorat Bart. in tract. in quibus caſib.citatio non valet. Citationum alia genera conſtituit Io.Imbertus in lib.forenſium Inſtitutionum.Vnum priuatum,quod perſonæ,domicilióve fieri ſolet:alterum quod publicè fit per compita ſono tubæ,quod ἀνακαλεῖσθαι τῇ σάλπιγγι adpellauit Plutarchus in Gracchi vita:vel edictis compitatim, vel eccleſiæ valuis adfixus.Clem.j.de iudic.5.

CITO,in veteri interpretatione Nouell.Mandata princ. §.ſed & ſuſcipientes. exponit Accurſius, hoc eſt, triginta dies.Cicer.in Bruto pro fortaſſe vſurpaſſe videtur.Sed neque verbis aptiorem cito alium dixerim. τάχα etiam,quod citò eſt Græcis, plerunque fortaſſe valet.

CITA HÆREDITAS in libris Legum Romanarum dicebatur diuiſa,vt ex Feſto lib.5.& Seruio Grammatico liquet,vide infrà Erectum.

CITATIOR aqua apud Vlpianum.l.j.§.2.D.de aqua & aqua plu.arc.vehementiori æquiparatur. In vulgarib. exemplaribus eſt citior, quam rapidiorem interpretantur Albericus,Oldendor.& Spiegelus.

CITHARA cum pſalterio male cõcordat, prouerbium cuius fit mentio c.diuerſis fallaciis.extra de cler.coniug. quo ſignificatur vitam actiuam ſeu laicalem malè concordare cum vita clericali ſeu contemplatiua. Cithara enim cum ſit inſtrumentum habens plures chordas,& valde clamoſum,vitã denotat multis motibus & occupationibus deditam:Pſalterium verò, vitam clericalem ſeu contemplatiuam, quia ſonum tenuem vel exilem habet Vide ibi Abbatem Panor. n.5.

CITRA in varios ferri ſignificatus ſubiecta demonſtrant.Accipitur aliquando pro fine.l.fi. D.de pub.iud. & l.vt ſit.31.D.pro ſocio. & alibi ſæpè eadẽ ſignificatione. Citra exceptionis,reſtrictioníſve notam eſſe cenſent,Accurſio duce,Bart.Bald.& alij in l. tranſigere.C.de trãſact.& Alciatus lib.5.Paradox.c.9. Idem tamen Alciatus in d.l.trãſigere,eam vocem citra, pro fine, accipiendam putat:cuius expoſitionem, tacito auctore,probat B.Briſſonius lib.3.de verb. ſignific.Sumitur etiam pro præter.l.vlt.D.de calum.ibi, & citra pretij æſtimationem.Quandoque ſumitur quibuſdam priuatiuè,ſeu negatiuè.l.ſi filia.§.Papinianus.(aliàs eſt lex incipiens ſi vni.) D. familiæ erciſcundæ. Ponitur etiam aduerſatiuè, & accipitur pro contrà.l.ſeruus.D. de nouat.Verius tamẽ eſt vt ibidem ſumatur pro fine.

CITREÆ menſæ,ex citri materia elaboratæ,olim celebrabantur.Paulus D.de actio.empt.& vendit.l.ſi ſterilis.§.quamuis.Veluti menſas quaſi citreas emat, quæ non ſint. Huiuſmodi menſarum meminit Petronius Arbiter,

-Afris eruta terris
Citrea menſa,&c.

CIVIS dictus eſt,quòd in vnum coeat cœtum,& ſub legibus viuat politicis, vt ex M.Cicerone conſtat. Ciuium quoque adpellatione continentur ij qui vtuntur priuilegiis,& ſimilibus actibus ciuitatis, & ſuburbiorum incolæ,Alciato.l.vrbis.2.D. de verb.ſignificat.& ante eum Alexandro Imolæo rubric.D.ſol.mat. Ciues autem origine,manumiſſione,adlectione,& adoptione fieri diui Principes reſcripſerunt.l. ciues. C.de incolis.lib.10.Atque Ciues Romani ſunt Vlpiano in Epitom.tit.j.liberti,qui vindicta,cenſu, aut teſtamento,nullo iure impediente manumiſſi ſint.quod & Iuſtinianus probat Inſtitut.de libertinis.§.fin.In genere Ciues Romanos eos adpellat Vlpianus. l.in orbe.D. de ſtatu homi.qui in orbe Romano ſunt: ídque diuus Antoninus conſtituit.Vide Alciatum libr. 2. Diſpunctionum.c.21.

CIVILIS actio,hoc eſt, præſcriptis verbis, Vlpiano.l. ſolent.D.de præſcript. verb. Ciuiles etiam actiones ex legitimis & ciuilibus cauſſis deſcendentes, ad differentiam earũ,quas prætor ex ſua iuriſdictione comparatas habet.§.ſed iſtæ.Inſtit.de actionib.l. vlt.D.de conſtit.pecun.

Ciuilis dies,incipit à media nocte, in ſequentémque mediam noctẽ finit.l.more.de fer.D.& vide infra. Dies.

Ciuilia iudicia,vide infrà Iudicia.

Ciuile ius,vide infrà Ius.

Ciuile negotium,hoc eſt,legitimũ & iure ciuili receptũ, & ex quo Ciuilis actio oritur.l.j.D.de æſtimat.

Ciuilis obligatio,vide infrà Obligatio.

Ciuilis poſſeſſio,vide infrà poſſeſſio.

Ciuiles res,in Theodoſij & Valentiniani conſtitution.l. 2.C.de petit.bonorum ſubla.libr.10.hoc eſt ad publicum pertinentes,vel etiam ad ciuitatem & Rempublicam:cuiuſmodi ſunt opera publica. l. ſi aliquando. C.de operib.public.

Ciuilia verba,vide infrà Verba.

CIVILE pro iuſto, æquo, legitimo accipi ſolet. l. ciuile. C.de furt.& l.cum in fundo.78.§.ſed & ſi non ſit.D.de iure dot.E diuerſo Inciuile,inhoneſtum,illicitum,iniquum,& cõtra iuris ordinem. l.inciuile.C.de rei vendic.& alibi ſæpe.

CIVILITER interdum ſignificat,ciuili iure,vt cum dicimus ciuiliter quem obligari.l.j.§.hæc actio.D.ſi mẽſ. falſ.mod.dix.l.j.§.ſi quis ita.D.de verb.oblig.Exempla frequentiora ſunt,quàm vt referri debeant. Aliquando ſonat rectè,legitimè,& ex iuris ciuilis regulis.l. filius.28.§.ſi quis eo.in fi.D.de lib.& poſthu. & l.2.in fin. D.de acq.poſſeſſ.Quandoque ſignificat,ſecundum iuris ciuilis rationem. l. anniculus. 134. D. de verb.ſign. quam interpretationem probat Alciatus,& ante eum Albericus Roſatius ibidem.Non tamen improbandã putem expoſitionem Accurſij.d.l.134. explicantis ciuiliter,ideſt, ſecundum conſuetudinem ciuium, & lo-

quelam,per l.anniculus.132.D.eod.tit.Interdum ciuiliter ſignificat eo modo eáque formula quam Iuriſconſulti excogitarunt & tradiderunt. Hinc Pompon.in l. pen.D.de ſolut.ſcribit verborum obligationem ciuiliter per acceptilationem tolli, non rei naturam ac ſubſtantiam:id eſt,conſenſum & pactum ſpectãs, ſed modum ac formam aduentitiam:cum Vlpian.in l.8.in fi.D.de acceptil.apertè dicat,Acceptilationem eſſe iuriſgentium:quatenus ſcilicet pactum conuentum, id eſt ſubſtantiam ipſius actus conſideramus:vt acceptilationis materia ſit iuriſgentium, forma verò iuris ciuilis.Hinc Ciuiliter acquiri dicuntur, quæ iuris miniſterio verbis,ſine aliquo corporali facto,acquiruntur. l.ea quæ.53.D.de acq.rer.domi.

Ciuiliter agit, qui quod ſua priuatim intereſt, perſequitur:Criminaliter,qui publicum.l.vnic.C. quando ciui. act,crim.præiud.& l.fin. C. de falſ. Ciuiliter criminali perſecutioni opponitur.l.fi.D.de furt.& l.conſtitutionibus.37.D.de iniuriis.

CIVICVM munus,pro ciuili accipitur in l.4.C.de fabricenſ.libr.11.vbi falſò legitur ciui commanere,pro ciuico muneri.

CIVITAS, eſt multitudo ſeu vnitas ciuium, in hoc collecta, vt iure ſocietatis viuat optimo. c.ſi ciuitas.de ſent.exc.lib.6.Zaſius.l.2.D.de orig.iur. Cicero in Sõn. Scip.In ciuitate,& vbiuis locorum, neceſſariò requiritur in primis verbum Dei:deinde magiſtratus, qui adminiſtret rempublicam: id quod gentes quoque, quamuis Chriſtum ſeruatorem noſtrum ignorarent, lumine tamen naturali aliquo modo cognouerunt. Ideóque intra exempla iuris publici referuntur ſacerdotes,& magiſtratus,in l.j.§.j.D. de iuſtit.& iur. Hac ratione Ciuitas adpellari ſæpe ſolet ἐκκλησία, hoc eſt cœtus,vel congregatio,non qualiſcunque, ſed conciliata in vnam ſocietatem communionémque fidei, & ſacramẽtorum:vnde Apoſtolus ad Cor.Eccleſiæ Dei, inquit, quæ eſt Corinthi. Et Coloſſ.j.pro corpore ipſius, ait, quod eſt Eccleſia. Ciuitatis adpellatio aliàs accipitur pro iure ciuium ac libertate, qua ciues vtuntur.Vnde dicebantur olim ciuitate Romana donati: quorum exempla commemorat multa Cicero pro L.Cornelio Balbo.Item comprehenduntur horti. arg.D.de procu.l.præſens.Item ciuitatis nomine non comprehenduntur diœceſes,nec è contrario.cap.Rodulphus.& ibi gl.extrà de reſcript. vocatur autẽ propriè ciuitas,quæ habet epiſcopum,vt 80.diſt.in illis,& c.ſeq.Ciuitas quoque poteſt adpellari etiam,quæ Epiſcopum non habet, Alciato in c.pernicioſam.de offic. iud.ordin. Ciuitas etiam ſolet vſurpari pro mœniis duntaxat,& ædificiis.Sicut etiam eccleſiæ ſignificatio ad paucos ordines redigitur, adeóque ad tẽplum materiale,in tit.C. de ſacroſanct. eccle.& de his qui ad eccleſi.confug.in rubri.Ciuitas autem augenda, magno adhibito delectu.Nam admittere paſſim omnes, populoſam quidem, non autem magnam ciuitatem facit.Et Socrates lege cauit, ne parua ſit ciuitas, nec magna,ſed vna, & ſufficiens, vt refert Zaſius.l.2.in princ.D.de orig.iur.ex Ariſtotele lib.j.ἠθικῶν. Quamobrem Cicero in Orat.pro L. Flacco, eleganter aduentitiam illam ocioſorum hominum multitudinem, adpellat fæcem ciuitatis, vt quæ nulli proſit, multos autem oneret.

CL

CLABVLA, vehiculi eſt genus. Hinc

CLABVLARIS curſus, in Leonis conſtitutione. l. curſum.21.de curſu public.lib.12.C.vt curſus vehicularis. Vide CLAVVLARIS CVRSVS.

CLADEM quidam à calamis comminuendis ductam exiſtimant:atque ideo pro calamitate accipiunt,in l.j. C.de iur.emphyt.quaſi clàm data ſit,vt Papias ſcribit. Hinc Gladium deduci vult Varro lib.4.Ling.Lat.

CLAM à clauibus duci putat Feſtus lib. 3. quòd his, quæ celare volumus,claudimus.

CLAM FACERE videtur Caſſio apud Vlpianum.l.3.§. fi.D.quod vi,aut clam.qui celauit aduerſarium, neque ei denuntiauit:ſi modo timeat eius cõtrouerſiam, aut debuit timere. Et Ariſto apud eundem ibidem,Clàm quoque facere eum putat,qui facit celandi animo,eũ, quem prohibiturum intelligeret, aut exiſtimat, aut exiſtimare debet ſe prohibitum iri. Seruius etiã apud Venuleium.l.4.D.eod.tit.putat eum Clàm facere,qui exiſtimare debet ſibi controuerſiam futuram:aut etiã (vt Vlpianus ait.l.5.D.eod.)qui aliter fecit, quàm denuntiauit:vel qui decepto facit eo, ad quem pertinuit non facere: vel conſultò tum denuntiat aduerſario cùm eum ſcit non poſſe prohibere:vel tam ſerò pronuntiat,vt abire(in Pandect.Florent. Vbire) prohibiturus priùs,quàm fiat,non poſſit.Clàm quoque feciſſe videtur,qui poſt denuntiationem in certum diem, & horam,fecit.d.l.5.§.j.

CLAM POSSIDERE eum dicit Vlpianus. l. clàm poſſidere.6.D.de adquir.poſſeſſ. qui furtiuè ingreſſus eſt poſſeſſionem,eo ignorante,quem ſibi controuerſiam facturum ſuſpicabatur,& ne faceret,timebat. Clàm etiam poſſidere videri Paulus ait libr.5.Sentent. tit.6. hæredem eius, qui precariam poſſeſſionem tenebat,ſi in ea manſerit. Ita Clàm ab aliquo poſſidere accipimus in interdicto Vti poſſidetis.l. j. D. vti poſſid.& l. pen.D.pro ſuo. Eodem modo.

Clàm ab aliquo ducere aquam dixit Vlpianus. l.j. D. de aqua quotid.& æſtiua.

CLAM VTI eum diffinit Vlpianus.l.3.in princ. & §.j.D. de itinere actúque priuato. qui prohibitus vtitur, vel qui,prohibito eo,cui id ius vtendo cõſeruabat,vtitur.

Clàm,etiam pro in obſcuro poni videtur in l.j.in prin.D. de furtis.

CLANDESTINAM electionem adpellat Bernardus in c.quia propter.§.fi.in gl.fi.de electionib.in antiqu.quæ ſingulariter fit & occultè per occulta conuenticula. Clandeſtinum factum vitio magis perſonali, quàm reali adſcribi putat obſeruatè Albericus Roſatius in l. quare.(in Pandect.Florent.incipit, quam rem.) D.de vſurpat.& vſucap. Clandeſtina deſponſatio, clandeſtinum coniugium, & clãdeſtinum matrimonium, quæ occultò contrahuntur, per c.2.extrà de clandeſt. deſponſ. Clandeſtinam poſſeſſionem interpretari debemus in l.ſi de eo.§.vlt.D.de adqui. poſſeſſ.iniuſtã, per l.7.§.inter prædones.D.commu.diuid.& à quibus cauſſis non poſſit ſeparari, docet Sal.Iulianus. d.l.ſi de eo.§.fin.

CLARA perſona in libris iuris Ciuilis intelligitur Senatoris,vel vxoris eius:ita explicat Gaius. l. curator.5. D.de curat.furioſ.Clariſſimi igitur viri, Senatores accipiendi ſunt,vel Senatorio honore donati. l. deferre. D.de adulteriis.l.ſpecioſus.D.de verb.ſignific.& Nouella.52.& alibi ſæpiſſimè.At eorum filiæ,niſi quæ viros clariſſ.ſortitæ ſunt, clariſſimarum fœminarũ nomine non habentur:atque tandiu clariſſima fœmina erit,quandiu Senatori nupta erit, vel clariſſimo: aut ſeparata ab eo alij inferioris dignitatis non nupſerit.l. 8.D.de ſenat.l.22. §. primo. ad municip. Proconſules etiam clariſſimi viri adpellantur.l.j.C.ſi ex falſ.inſtrumen.Prouinciarum quoque præſides,& rectores.l.raptores.C.de epiſcopis & cleric.& magiſtri cenſus.l.fi. C.de iure emphyteot. & aduocati.l.j. C. de aduocat. diuerſ.iud.quod de rabulis minimè accipiendum eſt. Clara quoque dignitas ſic accipienda eſt l.fin.C.quod met,cauſ.Clariſſimi autem viri his notis V V. C C.ſignificabantur.

CLARISSIMOS autem à Spectabilibus diſtinguit. l. vnica.

vnica.C.de annonis,& c.Itémque ab Illuſtribus.l.j.C. vbi Senat.vel clariſſ. Hinc

CLARISSIMATVS, dignitatis vocabulum,de quo Alciatus.c.4.lib.Diſpunction.3 Porrò quibus Clariſſimatus dignitas collata erat, conſidendi, ingrediendíque ſecretarium licentia contribuebatur. l. peculiarij. de proxim.ſacr. ſcrin. libr. 12.C. Quid autem differat à Spectabilitate,vide DIGNITATVM GENERA.

CLARIGATIO Græcis eſt,vt vult Hermolaus,ἀνδρολήψιον,quod erat,auctore Polluce,ὅταν τις τοὺς ἀνδροφόνους καταφυγόντας ὥς τινας,ἀπαιτῶν μὴ λαμβάνῃ ὁ ἔξω ἐκ τῆς ἐκδιδόντων ἄχρι τριῶν ἀπαγαγεῖν. Moris enim fuit antiquiſſimi,vt qui cædē perpetraſſent, ſi cum in externā vrbē profugiſſent,ad pœnā expoſciti non dederentur iis ad quos facinus admiſſum pertinebat:ipſis vt permitterentur iniuriā paſſis pignerādi poteſtas,quā Androlepſiam, & neutro genere androlepſium Græci vocant.Verba legis à Demoſthene tranſcripta ſunt in Orat.κατ᾽ ἀριστοκράτους,in hanc ferme ſententiam:Siquis violenta morte obierit,pro hoc gentilibus & cognatis androlepſiæ ſunto, quoad iudicium cædis, pœnaſque ſubierint;vel necis auctores dediderint. Hæc lib. Decret.epiſt.6.ſub tit.de iniur. & auth.ſed omnino.c. ne vxor pro mar.pigneratio vocatur:barbaries tamē interpretū repreſſalias maluit dicere.Alias vet. gl. ἐνεχυρασμὸς dicitur, vt & Nouell.52. & ὅμηρος, & σύλη. Galli *Ius Marquæ* quæ vocant,quia in limitibus potiſſimū exercetur,vt vult Cui.ad l.vni. C.vt nullus ex vica. pro alie.vic.deb.teneatur.Tit. Liuius lib.8. clarigatione hoc ſenſu videtur vſus:Veliterni, inquit, iuſſi trās Tiberim habitare:vt eius qui cis Tiberim deprehēſus eſſet,vſque ad mille pondo clarigatio eſſet:nec prius quā ære perſoluto is qui cepiſſet, extra vincula captū haberet.Aliàs clarigatio erat, cū feciales res repetitū mittebantur.Hic enim Plin.lib.22.c.2. Clarigatum exponit,id eſt res raptas clare repetitum.

CLASSICI,in l.vnica.C.de claſſic. lib. 11. & C.Theo. eodem.l.vnica. milites ſunt deputati nauibus amnicis,purgandorum fluminum,& aliarum neceſſitatum gratia. Hinc Claſſis Seleucena Orientis.d.l.vnic.

Claſſici teſtes dicebantur Feſto libr.3.qui ſignandis teſtamentis adhibebantur,hoc eſt primæ claſſis homines, quaſi primæ auctoritatis, & idonei veritatis ſponſores.Budæus in l.vlt.D.de pigneratitia actione.

CLAVDIA lex,vide infrà,Lex Claudia.

CLAVDIANVM Senatuſconſultum, vide infrà Senatuſconſultum Claudianum.

CLAVDVS à Gaio inter morboſos numeratur.l.item claudus.in Pand.Florentin.clodus.D.de ædil.edict.De claudo quare ſit ſalacior cæteris, cauſam reddit Ariſtoteles in Problemat.Atque obiter notandum veteres Claudo & Claudeo pro claudico dixiſſe, vt annotat accuratè Priſcianus. Quin & vult quidā illud Terentianum in Eunucho: *-nuncubi meam Benignitatem ſenſiſti in te claudier.*ſic legi *nuncubi meám Benignitatem ſenſiſti in te claudere.* Id eſt deficere & claudicare:ea forma qua Cæcilianum illud in Epiclero:*An ubi uos ſitis, ibi conſilium claudeat.* & illud Salluſtij in oratione Marci tribuni pleb.Itaque verborum ſatis dictum eſt. neque enim ignorantia res claudit,ſed occupauit neſcio quæ vos torpedo. Malim tamen eo in Terentij loco legi claudier,vt ſit deponens verbi claudo,pro claudico.

CLAVICARII, ſiue Clauicularij in l.vnic.C.de excuſ.artif.lib. 10.ſunt, Clauium artifices, Gallis dicuntur *Serruriers.* Clauicularij etiam dicuntur ianitores carceribus præpoſiti, à clauibus gerendis, ſiue etiam Clauicarij. Græci interpretes ad l.carceri.8.D.de cuſtodia reorū.ὁ δεσμοφύλαξ ὁ λεγόμενος νῦν καὶ κλαβικάριος. Huius commeminit Iul.Firmicus lib.3.Matheſcos.c.6.

CLAVSOS, Vlpianus pro vinctis accipit: ſi modò ita vincti ſint,vt omni modo erumpere non poſſint. l. ſi quis in graui.§.ſubuenitur.D.ad Sila.

CLAVSTRI adpellatione ſignificatur id quo quid clauditur.l.fundo.D.de actio.empt.l.librorum.in fin. D.de actio.empt.Sic portarum Clauſtra rectè dixit Virgilius lib.7.Æneidos.

CLAVSVLAS adpellant Conſulti iuris Ciuilis, & pontificij,edictorum,ſtipulationum, teſtamentorum, reſcriptorúmque particulas.l.quædam.9.D.de edend.l.3. D.quod metus cauſ.l.iudicatum.6.& l.cum quærebatur.13.D.iudicatum ſol.l.ſed etiam.31.D. de legatis.j.& c.cauſſam,quæ.de reſcript.

CLAVSVLARVM GENERA, ET FORMÆ.

EX IVRE CIVILI.

Clauſulam de dolo,in l.& per iuſiurandum. §.eum qui.D. de acceptilationib.l.doli.119. D. de verb.oblig. adpellant eam ſtipulationis partem,qua dolum malū abeſſe,abfuturúmque eſſe, vel ſiquid in ea re dolo malo factum ſit,comprehenditur:vel ita, Cui rei dolus malus aberit, l.ex ea parte.121. D.de verb.obligat, l. hæc verba.69.D.de verb.ſignific.

Clauſula,Ob rem non defenſam, dicitur,qua in iudicatum ſolui ſtipulatione, rē non defenſa, quanti ea res erit,promittitur.l.3.§.fi.D.iudic. ſolui. Eadē, De re defendenda,vocatur.l.iudicatum.6.D.iud. ſol. vbi etiam ponitur Clauſula,De re iudicata.Scio interpretes alia ferè innumera clauſularum genera efformaſſe, inque eam rem libros edidiſſe qui extant.

Clauſula codicillaris dicitur, quæ in teſtamentaria ſcriptura ſubiungitur,vt ſi minus teſtamenti,ſaltem codicillorum vim atque auctoritatē obtineat. Atque eius duæ formulæ fuerunt:prior hæc, vt ſi iure teſtamenti non valeat,iure codicilli valeat.l.vlt.C.de codicill.l.ſi iure.11.C.de teſtam.manu.l.cohæredi.41.§.2. de vulg. ſubſtit. Altera ſic, ἐπὶ πάσης ἐξουσίας,quacunque ratione poterit,quoquo modo poterit.l.ex ea ſcriptura.26.D. de teſtam.l.3.D.de milit.teſtam.l.Lucius.89.§.vlt.D.de legat.2.Quin & Rogatio legitimorum hæredūm, ſine vlla ſcriptura,pro clauſula codicillari valet. l. ex teſtamento.C.de fideicommiſſ.l.generaliter.24.§.ex teſtamento.D.de fideicom.libert.Vide infrà Codicilli.

Clauſula derogatoria,vide Derogatoria clauſula.

Clauſulas alias efformarūt notarij, de quibus ſatis diſputatum fuit à me in Theoria Notariorum Gallica.

EX IVRE PONTIFICIO.

Clauſula, Antè ferri,quid operetur, collige ex c.tibi qui. de reſcript.lib.6.& c.quamuis.eod.tit.

Clauſulam,Quidā alij,ad plures, quàm tres,aut quatuor, trahi non poſſe Decretali Epiſtola cautum eſt. c.cùm in multis.de reſcrip.lib.6.& ibi vide Ioan.Andr.

Clauſula,Niſi pro alio ſcripſerimus,quî accipienda ſit in reſcriptis ad beneficia,docet gl.in c. duobus ſuper.eo. tit.lib.6.vbi vide Doctores. Clauſulas autem varias commemorat Speculator tit.de reſcript. præſent.§. ratione formæ.

Clauſulæ PRÆGNANTES iuris interpretibus hæc ſunt, Plenitudo poteſtatis,Motus proprius, Certa ſcientia, de quibus ſuis locis.Earum ea vis eſt,vt in contrarium nemo audiatur,quòd ſemper præſumatur iuſtitia, excludatur omnis ignorantia,& error. & defectus ſolēnitatum in reſcriptis. Obſeruandum, has clauſulas principum ſententiis interiici non debere: quòd hîc iuſtitia nulli cedat, vt quæ in principum ſententiis prælucere debeat. l.fin.C.de legibus.& l.omnium.C. de teſtamen.

CLAVVS & claui quibuſdam ſunt retinacula in veſti-

bus,gemmæ viteæ inſtar habentia, quibus tanquam clauis pars veſtis alteri parti cōiuncta retinetur, quos ſimilitudine gemmarum *Boutons* Galli appellant. Vlp. l.19.§.j.D. de aur.arg. Quemadmodum claui aurei & purpuræ,pars ſunt veſtimentorum. At potius exiſtimē ſecutus in hoc Cuiacium obſ.lib.12.c. 39. ornamenta quædam fuiſſe veſtium purpurea clauorum ſpeciem præbentia:quorum tamen alij, vt inſtitæ, conſuebantur veſtimento:hinc illud Varronis lib.8.de Ling.Lat. Nam ſi quis tunicam in vſu ita conſuit, vt altera plagula ſit anguſtis clauis,altera latis:vtraque pars in ſuo genere caret analogia. Alij verò non conſuebantur, & indiſtinctè veſtimento continebantur quaſi pars.l. 19.§.planè.l.23.§.j.D.de aur.& argen. leg. Sanè quibus honoris cauſſa vtebantur Senatores, vel tribuni, vel equites,non erant conſuti veſti,ſed ſupra eam demiſſi in pectus vſque,alij arctius,alij latius:vt rectè Horatius dixerit Satyr.lib.j.Satyr.6.

-Latum demiſit pectore clauum.

& Acro in illum locum,

Prætextam & latum clauum,prunæque batillum.

Latum clauum,inquit,purpuram dicit quæ in pectore extenditur Senatorum:Græci πορφυρόσημον vocāt.Hinc Latus clauus,Græcis πλατύσημος, de quo videtur illud Horatij Satyr.lib.j.Satyr.6.

Sumere depoſitum clauum,gerique tribunum?

& Laticlauij, qui latum clauum geſtabant: qui ferè erant Senatores,vel tribuni militum quidam maioris dignitatis. Et anguſtus clauus, Græcis ςενόσημος à quo Anguſticlauij equites dicebantur,à claui quo vtebantur qualitate,vt & Tribuni quidā minoris dignitatis. Patrē enim ſuum Tribunum anguſticlauium(non auguſticlauium,vt habent vulg.cod.) fuiſſe Othoniano bello Suetonius ſcribit in Othone Syluio.De hoc etiā illud Papinij Syluarū lib.4. ex caſtigatione Turnebi:

Hic paruus inter pignora curiæ
Contentus arcto lumine purpuræ
Creſcis,

Neque verò videtur prætermittendum quod ſcribit Feſtus,in voce Picta tunicam palmatam à latitudine clauorum eſſe dictam,quæ nunc(inquit ille)à genere picturæ appellatur. Quibus verbis ſignificat clauos illos in tunicis acu fuiſſe depictos. Hinc

CLAVATÆ veſtes,de quibus ſentire videtur Vlpianus in l.cum aurum.§.j.verſic.idem Pomponius.D.de aur. arg.leg. Et quæ his acceſſionis vice cedunt: quæ ſunt inſitæ picturæ,clauíque qui veſtibus inſuuntur. De his Baptiſtæ Egnatij ſcholium in Vopiſci Aurelianum,& Baifius, Vide VESTIS.

CLAVARIVS officij nomē eſt,quo adpellatus eſt Suetonij pater,ab eo quòd præfectus fuerit donatiuo Imperatorio inter milites diſtribuēdo. Tacitus, Seditioſæ,ait,militum voces Clauarium terrebant.

CLAVVS, morbi genus eſt in ſimilitudinem tuberculi, coloris albi, rotunda ſpecie, fitque vt plurimum in plantis,digitiſque pedū maximè. Vlpianus de ædilitio edic.l.qui clauum.12. Qui clauum itaque habet, morboſus eſt.de hoc Celſus lib.5.à Græcis ἧλος dicitur.

CLAVVLARIS curſus,in l.pen.de curſu public.libr.12. C.vide Turn. Aduerſ.libr.26.c.34.legitur in ſcriptis exēplaribus erat,vt refert Turneb.Aduerſ.lib.26.c.34. quoddā curſus publici genus,quod fuiſſe putat cū curſus publicus militibus caligatis concedebatur.caligæ enim eorum erant Claulis confixæ. Huius meminit Marcell.lib.20.Cum familiis eos ad Orientē proficiſci præcepit claularis curſus facultate permiſſa.quædam habent Ambularem, alia Clabularem, vide ſuprà Clabula.

CLERI adpellatione ſignificatur hæreditas in legibus Solonis,quas explicui libr.2. Veteris Iuriſprudentiæ. κλῆρον etiam ſortem accipere debemus.c. cleros. 21.diſtin.In Nouella tamen Martiani,quæ extat in C.Iuſti. l.generali.13.de ſacroſanct. eccleſ.ſumitur pro collegio,& corpore clericorum. Sic etiam accipiendum putem in d.can.cleros. Hinc

CLERICI, quo generali verbo ſignificātur omnes,qui diuino cultui miniſteria religionis impendunt,vt Cōſtantinus Imp.l.2. C. Theod. de epiſc. & cler. diffinit: cuius diffinitionem probat Iſidorus lib.7. Etymolo.c. 12.& d.can.cleros.aiens, Clericos nuncupari omnes, qui in eccleſia CHRISTI deſeruiunt: eorum ordines gradatim recenſet:Oſtiarius,Pſalmiſta,lector,exorciſta,acolythus,ſubdiaconus,diaconus, archidiaconus, presbyter.Porrò hæc Clericorum genera conſtituta fuiſſe initio naſcentis eccleſiæ ex Epiſtola S.Ignatij ad Antiochenſes liquet.Hieronym. in epiſt. ad Nepotianum:Igitur clericus qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ,interpretetur primò vocabulum ſuum, &c. Si enim κλῆρος Græcè, ſors Latinè appellatur; propterea vocantur clerici vel quia de ſorte Domini ſunt, vel quia ipſe Dominus ſors,id eſt pars clericorum eſt. Separantur autē ab epiſcopis lib.feud.2.tit.35.& in tit.C. de epiſc. & cler. At Clerumenœ apud Plautum in prologo Caſinæ,non Clerumene, ſunt ſortientes: niſi quis malit Clarumenœ,Doricè.

CLIBANVS, thoracem,quo pectus tegitur, ſignificat, Leo Imperator in lib. de bellico adparatu.c.6.Armabāt autem, inquit,Ioan.Checo interprete, catafractū equitem vndique,tum ipſum,tum equum, etiam loricis,id eſt galeis,clibanis,id eſt thoracibus, parameriis, id eſt machæris.& alibi, & paſſim apud claſſicos auctores reperitur hoc verbum, A quo

CLIBANARII equites catafracti qui tota ſpecie ferrea ſic contegebantur,vt tanquam panis, ſic ipſi clibano vndique obtecti obductique videbantur. Hos commemorant Impp.in l.annon. 9. C. Th. de annon. ciuic.& Notitia Imperij,& Vegetius lib.3.c.6.& Lampridius in Alexandro.Catafractarios, quos illi Clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus. Horum meminit Marcel.lib.16.

CLIENTES paſſim in libris Digeſtorum, & Codicis Iuſtiniani liberi homines dicebantur, qui ſe in alicuius potentioris ductum applicarēt, vt eius patrocinio defenderentur in capite & fortunis, viciſsimque ipſi patronos ſuos omni obſeruantia colerent, atque obſequio. Hæc comprobantur ex l.non dubito.7. D. de capt.& poſtlim. & Plutarcho in Romulo. vt meritò Suſcepti dici cœperint Seruio in 6.Æneid.Saluianus lib.5.de gubernat.Dei:Quærunt auxilia & patrocinia maiorum:nihil ſuſceptis tribuunt, ſed ſibi. Clientes autem libertis comparaſſe videtur Vlpian.l.ſi verò.5. §.j.D.de iis qui deiec. vel effud. At Clientium originem ex Romuli legibus deſcendiſſe docet.D.Halicarnaſſæus libr.j.Etenim Romulus plebeij ordinis hominibus à patribus diſcretis, ne qua inter eos diſſenſionum materia relinqueretur, vnicuique ex plebe permiſit, quemcunque ex patribus vellent, patronum cooptare. Atque hæc inter eos iura conſtituit. Patroni quidem vt quæ clientes iura & legitima ignorarent, eos docerēt.quod videtur ſignificaſſe Horatius Epiſt. lib.2.epiſt.j.

Romæ dulce diu fuit, & ſollemne, recluſa
Mane domo uigilare, clienti promere iura.

Eorum abſentium æquè ac præſentium, neque ſecus quàm parentes liberorum, curam gererent:cauſſas & priuatæ & publicæ rei ſuſciperent: denique tum priuatim, tum publicè eorum commodis & rationibus conſulerent. Viciſſim autem vt clientes ad collocandas patronorum filias,dotem,ſi opus eſſet, cōferrent: patronos,aut ipſorum liberos ab hoſtibus captos re-

dime

dimerent multas, ſi quæ deberentur, eorum nomine perſoluerent: ſi qui ſumptus publicè faciendi ſint, partem contribuerent. Vtriſque autem hanc legem impoſuit, vt neque inter ſe accuſare, neque aut teſtimonio, aut ſuffragio lædere, inimicitiaſve exercere iis liceret. Hæc ferè ex Halicarnaſ. Vide etiam Gellium lib. 5. cap. 13. Clientes autem duorum erant generum: alij nanque fuerunt quorum ſuprà meminimus: alij, homines prouinciales, qui ſe Imp pop. Rom. dediderant, ac propterea parte aliqua ſuorum agrorum donati fuerant: quorum conditio proximè ad vaſallorum ſimilitudinem accedit. Vide Hotom. cap. Diſput. 2. atque de his intelligi poteſt. l. non dubito. 7. D. de capt. & poſtlim. Hinc in feudiſticis libris Clientes ſeu clientuli interdum dicuntur, qui paſſim vaſalli, aut milites, aut feudatarij appellantur: vt lib. j. tit. 13. ſed tamen impropriè.

CLIENTELA, eſt, obſequium ipſum, quod homagium vocant, & ſeruitium pro beneficio præſtandum. Moris enim fuit apud antiquos, (vt dictum eſt) vt prouinciales & ſocij populi Romani in clientelam ſeſe darent, vel toti ſenatui, vel certis proceribus Romanis, quos patronos ſibi adoptabant priuatim: vt docet G. Budæus in priorib. adnot. ad Pandect. Quæ neceſſitudo id ferebat, vt clientes perpetua patronorũ protectione defenderentur, ac ipſi viciſſim eos omni obſequio colerent. Ex his cogitationibus tutandæ vitæ, ac fortunarum omnium, veluti ſcintillis quibuſdam cœpit initium beneficiariæ conſuetudinis, quæ aucta eſt multũ propter continuam bellorum moleſtiam. Accipitur etiam pro patrocinio, & protectione, l. j. C. vt nemo ad ſuum patro. lib. 11. In Baſil. lib. vocatur ὑπόσχεσις, l. 2. C. eod.

CLIVIA, vt ait Feſtus lib. 3. auſpicia dicebant, quæ aliquid fieri prohibebant. omnia enim difficilia Cliuia vocabant. Vnde,

CLIVI, loca ardua, eidem. Sic ſumitur apud Alfenum l. ſi ex plagis. §. in cliuo. D. ad leg. Aquil. & l. ſeruitutes. §. ſi domo. D. de ſeruit. vrb. Capitolinus cliuus in d. §. in cliuo, vt Alexander ab Alexand. lib. 2. cap. 18. Genial. dierum ſcribit, ex quo ad æqua vrbis ex Capitolio deſcenſus patuit. Cliui igitur ſumuntur pro loco celſo, & ſublimi, vt colligitur ex d. §. ſi domo. non autem pro foſſis terræ, vt falsò autumarunt Albericus, & Oldendorpius. Hinc,

CLIVOSA dicuntur loca in ſublime ſurgentia, & opponuntur planis, l. 2. §. deteriorem. D. ne quid in loc. pub. Vnde decliuis, ex monte deſcendens: Accliuis, ad montem aſcendens. Vlpian. l. prætor. D. ne quid in loco. §. 18. Vt cùm plana fuerit, cliuoſa fiat, &c. de viis loquens.

CLOACAS à conluendo dictas Feſtus putat lib. 3. Cloacam autem diffinit Vlpianus l. j. §. j. de cloacis, locum cauum, per quem conluuies quædam fluat. Sed & tubum & fiſtulam ea appellatione contineri ait idem. De cloacis vrbis Romæ ita Caſſiodorus lib. 3. Variarum ad Argolicum: Proinde (inquit) illuſtris ſublimitas tua ſpectabilem virum Ioannem nos direxiſſe cognoſcat propter ſplendidas Romanæ ciuitatis cloacas. Romanas etiam cloacas commemorat Alexãder ab Alexandro lib. 3. ca. 14. Genial. dierum. Cloacarum autem genera duo fuiſſe, publicam & priuatã, ſcribit Vlpian. l. j. §. idem Labeo. D. de cloacis. Hinc,

Cloacam ducere, l. j. §. hoc amplius. D. de cloac.

Cloacam facere, & immittere, d. §. hoc amplius. & §. ſeq.

CLOACALE flumen dixit Cato apud Feſtum lib. 3. pro cloacarum omnium conluuie.

CLOACARIVM tributum, quod cloacarum purgandarum cauſſa inferebatur, l. ſi pendentes. 27. §. ſi quid cloacarij. D. de vſufruct. Si quid cloacarij nomine debeatur, vel ſi quid ob formã aquæductus, &c. & l. cùm ſeruus. 39. §. hæres. D. de leg. j.

CLOACINA dea apud Tertullianum, In adyta cloacinarum detuliſſet: quod eſt pro in cloacas miſiſſet. Hæc enim cloacis præerat: & eam in cloaca repertam conſecrat Tatius. Hanc tamen alij Cluacinã dictã volunt, quaſi colluacinam. Cluere enim veteribus, tanquam colluere & purgare erat: & de Venere dici volunt.

CLVDERE, pro claudere, & cluſum pro clauſum, in Pand. Florent. ſæpius reperies, quàm vt loca præcidi debeant, quod & Bar. Briſſonius lib. ſingulari Parerg. indicat. Cludere verbo vſus eſt Nigidius apud Gelliũ lib. 12. cap. 14. Verbum vetus eſſe A. Aug. lib. j. Emen. ca. 2. admonuit, quo & vſus eſt Vlpian. l. tabernæ. D. de verb. ſignif. & Hygenus lib. de limitib. conſtitu. Anguli centurias cludunt. Hinc,

CLVSARES anguli, eidem in eodem loco.

CLVSARIVM latus, ipſe explicat quid ſit.

CLVSVRÆ, in l. 2. §. in Sardinia. C. de offic. Præf. Præt. Afric. & l. curæ. C. de offic. mag. officiorum. (ſic enim vtrobique, non, clauſuræ, legendum videtur) ſiue, vt vult Sudas, Clauſuræ, ſunt τὰ ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων. Id pridem ab Hadriano inſtitutum videtur, de quo Ælius Spart. ſic ſcribit: Per ea tempora, & alias frequenter, in plurimis locis, in quibus Barbari non fluminib. ſed limitibus diuidũtur, ſtipitibus magnis in modum muralis ſepis funditus iactis, atque connexis, Barbaros ſeparauit. Hæ cluſuræ propugnaculis quibuſdam munitæ fuerunt, quæ caſtra & caſtella dicuntur: vnde & Caſtellanus miles alicubi nũcupatur. Herodianus li. 6. στρατόπεδα, καὶ τὰ φρούρια appellat: & paulo antè, τὰ ἐπικείμενα στρατόπεδα ταῖς ὄχθαις τῶν ποταμῶν. Clauſulas tamen dixit Caſſiodorus lib. 2. Varia. ad Fauſtum præfectum præto. Procopius de ædificiis Iuſtiniani libro tertio, ποταμοὺς ἀπεργάζονται δύο ἄγχιστά πῃ ἀλλήλοιν ὄντα, οὓς περ- νενομίκασι κλεισούρας καλεῖν. Poſteriorum temporum ſcriptores, vt Luitprandus, Ado. Sigebertus, cæteríque eius fere ordinis, Clauſas, cluſas, & interpoſitiones vocant. Dicuntur & Burgi, à quibus olim Burgundiones dictis. Vide BVRGI.

CLYPEI appellatione continetur & ſcutũ & eius imago, l. ſi verò. 5. §. ſi id quod poſitum. D. de iis qui deiecet. vel effud. Nam & cum pater in pergula clypeum vel tabulam expoſitam habuiſſet, &c. Plin. lib. 35. cap. 3. clypeos ἀπὸ τοῦ γλύφειν, hoc eſt cælando, vel ſculpendo, dictos vult. Scutis (inquit) qualibus pugnatũ eſt apud Troiam, continebantur imagines. Vnde & nomen habuerunt clypeorum, non vt peruerſa Grammaticorum ſubtilitas voluit, à cluẽdo. Cornelius Fronto hoc differre vult clypeum per u, à clypeo per i, vt illud ſit imaginis, hoc verè armorum: idem dicit Pomponius dubij ſermonis lib. 2. At Labienus clypeũ neutro genere imaginem ſignificare ait, virili verò inter arma poni: id tamen improbat Chariſius, qui clypeus per y, & clipeus per i, non alia ratione dici aſſeuerat, quàm maximus, & maxumus, & optimus, & optumus propter communionem i, & u, literarũ. Clypeos tamen à ſcutis videtur diſtinxiſſe Liuius lib. 8. Clypeis antea Romani vſi ſunt: deindę poſtquã facti ſunt ſtipẽdiarij, ſcuta pro clypeis fecere. Quin & lib. 1. primæ claſſi imperatũ eſſe dicit clypeũ cũ galea, ocreis, lorica: ſecũdæ pro clypeo ſcutum, & præter loricã eadem omnia: vbi D. Halicarnaſ. pro clypeo ἀσπίδα Græcè ſcribit, pro ſcuto θυρεόν. Igitur clypeus rotundus erat, ídq; Virgil. auctore lib. 3. Æn. in comparatione oculi Cyclopis:

Argolici clypei, aut Phœbææ lampadis inſtar.

Scutum formæ oblongæ, maiúſque clypeo: atque ideo pro clypeo ſecundæ claſſi datum, quod ſine lorica eſſent: hinc Græcis θυρεὸν dictum, à forium ſimilitudine, quæ longiores quàm latiores ſolent eſſe.

Κλυϛὴρ, ſiue cluſter, propter affinitatem v, antiqua figura, υ, ita ſcribi ſolitum *u* ſæpe apud Laërtium, lauamen ſonat. Apud Vlpianum tamen l.item ſi obſtetrix. §.j. D.ad leg.Aquil.accipitur pro inſtrumento, quod ad proluenda ventris incrementa ſedi inſeritur, quoque inteſtinorum lauamentum aluo iniicitur. In Pandectis tamen Florent.legitur clyſtere.

CO

COACTA voluntas, ſtricta iuris ratione eſt voluntas, l. ſi mulier.§.penult.quod met.cauſ. Coacti homines qualiter accipi debeant, exponit Vlpianus in l.2.§.homines.Vi bon.raptor.vbi vide.

COACTIO ipſum colligendi munus, Suetonio, de Veſpaſiani patre: Coactiones (ait) argentarias factitauit. Sumitur etiam pro compulſione, quæ voluntati contraria eſt. Huius genera duo ſunt.

Coactio abſoluta, cui reſiſti nō poſſit, vt cum quis vi trahitur, cōpellitúrve vt quid faciat: quo caſu omni modo excuſatur.de hac accipiendus eſt can.preſbyteros. 50.diſtinct.c.conſtat.j.q.j. Et,

Coactio conditionalis, quæ metum cruciatus, vel aliquid graue minatur: quæ ſi excuſat à tanto, non tamen à toto, c.ſacris.& c.cum dilectus.extra quod metus cauſ.

COACTOR argentarius apud Scæuolam l.Sticho.40.§. vlti.D.de ſtatulib. Argentarius coactor, cùm penè totam fortunam in nominibus haberet, ſeruis actoribus libertatē ita dedit. Hi autem in auctionibus olim dicebantur quaſi quæſtores quidam, qui ab iis quibus ſingulę res in auctione attributæ fuerant, pretium exigebant: quaſi collectores, quia pecunias cogebant, id eſt colligebant, Acron.in illud Horat.Satyr.1.

Nec timuit ſibi ne uitio quis uerteret, olim
Si præco paruas, aut fuit ipſe coactor,
Mercedes ſequerer.

De hoc etiam meminit Cicero in Cluentiana. Atque varia erant argentariorum genera & munia, vt rectè admonuit Iac.Cuiacius Iuriſcoſ.ad l.ſi vnus. D.de pactis. Idem collectarius appellatus eſt à Theodoſio, & Honorio Impp.l.pen. C.ſi cert.pet.Ineptè igitur argentarium, & coactorem ſeiunxit A.Alciatus lib.j.Parerg.cap.24. Hinc,

COACTILIA apud Vlp.l.argumento.25.§.Ariſt. D.de aur.& arg.lega.veſti cedunt & erant ex villis craſſioribus, & ex coactis facta veſtimenta, vel tegmenta. Gallis dicuntur Feltra.Plin.lib.8.cap.48.Lanæ (inquit) & per ſe coactam veſtem faciunt. ſic enim legi vult Cuiac.Ex hoc genere ſunt petaſi, & καυνάκαι, & galbinæ, vel molliora alia quædam quæ ex lanis xylinis, caprinis, ouillis conficiuntur, cuiuſmodi ſunt Thoracomachi, qui tunicas ſuperinducuntur.Quod & libelli de reb.bellic. ad Theod. teſtimonio iuuatur. Hoc enim veſtimenti genus, quod de coactili ad menſuram, & tutelam pectoris humani conficitur, de mollibus lanis timoris ſolicitudo ſolertiæ magiſtra compoſuit.Falſa igitur eſt B.Egnatij interpretatio in Spartianum in Pertinace, exiſtimantis dici pelles, ſeu lora, quibus alligantur veſtimenta: in quem errorem prolapſi ſunt Oldendorpius, & Spiegellius. cuius quidem nos præmonuerat Lazarius Baifius ad d.§.Ariſto. Neque coactilitiam, vel coactiliariam, ſed coctilitiam legendum putat apud Spartianum in Pertinace, teſtimonio Vlpiani fretus, l.ligni.in fin.D.de legat.3. de ligno coćto diſputantis.

COADVNARE, coniungere, vnum è pluribus facere, Vlp.l.9.in fin. D.de pact.Nam in hunc caſum ſpectabimus cauſas plures, quia illæ excedunt in vnam ſummam coadunatæ.

COÆSTIMARE, eſt ſimul, & cum aliqua alia cauſſa æſtimare, vt cum variis ex cauſſis mea intereſt quid factum eſſe, vel non factum. Huius ſignificationis exemplum ponit Celſus l.inficiando.67.§.j.D.de furt.

COALESCERE dicuntur arbores, plantæ, cruſtáve agri, & vites quæ in fundum radices immittunt, & quaſi vnitatem cum terra faciunt, l.idem Pomponius. 5.§.pen.D.de rei vendic.l.qua ratione, 9.D.de acq. rer. domin.l.hoc amplius.§.Alfenus.D.de dam.infect.l.fi. D.quod vi, aut clàm. Sic ſemina cum terra coaleſcere dixit Varro lib.4.Ling.Lati. Concham coaleſcere dixit Vlpianus l.cum aurum.§.fi.D.de aur.arg.legat.pro concreſcere.

COALLVERE (vt eſt in vulgat. Codicib.) in l.ergo.30. D.de acq.rer.dom.ſignificat per alluuionē aliquid augere, Nebriſſenſi: quē probant Oldendorpius & Spiegellius. quo tamen loco Accurſius pro coalluendo, legit alluuio.in Pand.tamen Florent.legitur colluendo. rectius: quo verbo vtūtur & claſſici rerum ſcriptores.

COCCVM purpuræ appellatione non contineri ſcribit Vlpian. l.ſi cui lana.§.pupuræ. D.de legat.3. Significat autem, id quod vulgò vocamus granum, vt rectè putat L.Baifius in libel.de coloribus.cap.8.de quo & Plinius lib.21.c.8.Coccum proprio nomine appellatum, quin verſicoloribus cederet, dubitaſſe neminem Paulus ait l.quæſitum.§.coccum.D.de lega.3.

COCCINA veſtimenta dicuntur ea, quæ infecta ſunt cocco, id eſt, frutice illo fullonio, cui adhærent grana, quibus fit color ille lanarum præcipuus, cuius copia ſumma eſt in ea parte Hiſpaniæ, quæ Tudertania appellatur. Vide Strabonem li.3. Sunt, vt Bayfius l.veſtis. D.de aur.& arg.teſtatur, qui putant cocco abundare Germaniam, eſſéque id, quod crameſinum vulgò dicimus. Vlpiano in l.ſi cui lana.de leg.3.non placet coccū contineri purpuræ appellatione. Quid verò debeat promittens optimum, explicat Iuriſcon. in l.ſi quid venditor.§.j.D.de ædil.edic.

COCINATORIVM inſtrumentum, pro coquinario ſumi conſtat in l.cui aurum.19.§.ſi cui eſcarium.D.de aur.& arg.leg.Nam C.& Q.ſæpè confundi liquet ex P.Victorij explicationibus ad M.Ciceronem. Plinius lib.33.cap.11.vaſa coquinaria dixit, à verbo Coquinari, quo vſus eſt Plautus. Sic eodem ſenſu Cocitatoria in l.penult.D.de penu legat. F.Hotomanus mauult Coquinatoria, c in q, & t in n verſa.

CODICES, vt Varro lib.3.de vita Pop.Rom.apud Nonium ſcribit, antiqui plures tabulas coniunctas dicebant. Seneca lib.de Breuit.vitæ. Hoc quoque, ait, quærentibus remittamus, quis Romanis primus perſuaſit nauem conſcendere. Claudius is fuit, Caudex ob hoc ipſum appellatus, quia plurium tabularum contextus, caudex apud antiquos vocabatur. Vnde publicæ tabulæ Codices dicuntur. Sic ſumuntur in l.3, §.j.D.de tabul.exhib.& l.librorum.52.D.de leg. Codices etiam pro teſtamentaria ſcriptura dixere Iuſtinianus.§.ſed & vnum, Inſtit.de teſta.ordi.& Iuuenalis,

- Nam codice ſæuo
Hæredes uetat eſſe ſuos.

Codices item appellat Leo Imperator l.3.de agent.in reb.lib.12.C.tabulas cōtinentes notitiam dignitatum & adminiſtrationū ciuilium, vel militarium, & mandatorum principalium, & promotionum, & conſuetudinum, quod & Marianus docet. Erant & Codices argētariorum, ſcripturæ quibus eorum rationes continerentur, l.quædam.9.§.penul.D.de edend. Erant & numulariorum. Fiebant autem ex membranis, chartis, ebore, aliáve materia, vt conſtat ex d.l.librorum. Hinc conſtitutionum Imperatoriarum volumina Codices appellati ſunt. Porrò ante Iuſtinianū tres erant: Gregorianus, Hermogenianus, & Theodoſianus: quos commemorat Iuſtinianus, l.vnic. C. de no.Cod. fac.& l.vnica, C.de Iuſti.Cod.confir.& Iſidorus li.5. Etymol.Gregoriani Codicis commeminit B.Auguſti. lib.2.de adult.coniug. Hinc,

Codicilli κατὰ μίκρον, qui cerati erant, d.l.librorum. in eundem ſenſum, ſed multo quàm illi breuioribus & paucioribus conficiebantur: ob eam cauſſam, vt facile, quò cuique commodum eſſet, circunferri, & in ſinu geſtari poſſent. In iure tamen noſtro frequentius accipiuntur, vt à Theophilo diffiniuntur, κωδίκελλος δέ ἐστιν ἐλλιπὴς ἐν διαθήκῃ γνώμης τελευτῶντος ἀναπλήρωσις. ſcilicet pro ſcriptura qua defunctus leuiter, ac ſine vlla ſolennitate voluntatē ſuam teſtatus eſt de eo quod poſt mortem ſuam fieri cupit. Vel ſic: Codicilli ſunt teſtati, vel inteſtati voluntas minus ſolennis. Eorum alij ſunt fideicommiſſarij, alij directi. Fideicommiſſarij ſunt, in quibus ſcriptor verbis vtens precariis ſuam de rebus omnibus quæ teſtamentis comprehendi ſolent, hæredi ſuo petitionem expoſuit. Directi, in quibus directis ciuilibúſve verbis ſcriptoris voluntas de legatis duntaxat alicui relinquendis expoſita eſt. Hoc ſenſu accipiuntur D.C. & Inſtit. de codicillis. Theophili diffinitionem probat Harmenopulus lib.5. cap. 7. Codicilli ergo accipiuntur pro ſententia voluntatis vltimæ, quam ſine iuſta teſtamenti ſolennitate permiſſum eſt, ob impedimenti neceſſitatem, ſcribere. Semper enim leges, quoad poſſunt, volunt accommodari vſibus hominum: & præſertim vltimis voluntatibus latiſſimè propagandis, impenſè fauent, vt vnuſquiſque pro re nata habeat occaſionem non admodū difficilem teſtandæ voluntatis nūquam rediture. Codicillorum autem vſum primus introduxit L.Lentulus, Inſtit. de codicill. Codicilli alias accipiuntur pro diplomate, ſeu literis principalibus, vt in l.adminiſtrantes. in prin. D.de excuſa.tut.l.iudices. C.de dignita.lib.12. Suet.in Claud.ca.29. Aliàs pro paruis literis, à priuato ad amicum ſcriptis. Sulp.ad Cicero. Puer Acidini mihi obuiam venit cum codicillis.

Codicillos, & ſcriptis & ſine ſcriptis fieri conſtat ex l.vlt. C.de bonis lib. Codicillorum verò vtilitas non eſt obſcura. Nam ſi quis oblitus fuerit neſcio cuius rei in teſtamento non deſcriptæ, vel ſi vereatur ne per obliuionem aliquid prætereat, is poteſt ante vel poſt teſtamentum ſcribere Codicillos. Idque eſt, quod Paulus in l.conficiuntur. in prin. D.de iur. codicil. tradit, codicillos confici quatuor modis, quos ibidem declarat. Aut enim in futurum confirmantur, aut in præteritum, aut per fideicommiſſum teſtamento facto, aut ſine teſtamento. Codicillos confirmatos teſtamento accipere debemus in l.ſed etiam. 31. D.de leg.j.l.vxorem.41.§.codicillis. D.de leg.3. Sic etiam intelligendi ſunt codicilli ad teſtamentum facti, l.cum hi.8.§.hæc oratio. D.de tranſac. & l.poſt legatum.§.principale. D. de his quæ vt indig. & Codicilli ad teſtamentum pertinentes in Alexandri conſtitutione l.j. C.de codicill. Codicilli autem & teſtamēta diuerſa ſunt l.ſi idem. C. de codic. Ideóque codicillis factis, non autem teſtamento, inteſtatò quis deceſſiſſe dici meritò poterit, l.4. C.eo.

Codicilli ſemper pluratiuo numero proferūtur: ſicut pugillares & liberi: vt ſcribit Caius in l.non eſt.148. D.de verb.ſignif. In ſingulari tamen Codicillus ponitur à Diocletiano l.nō codicillum.14. & à Iuſtiniano. l.cum antiquitas.28. C.de teſta. item l.vlt. C.famil.erciſc.

Codicillaris Clauſula, quid ſit, vide Clauſula codicillaris.

Codicillaris clauſulæ vi legata conſeruari, rupto præteritione poſthumi teſtamento cōſtat, l.ſi quis eum §.ſed & fin. D.de iur.codic. Bar. poſt Dinum in l.j. D.eo. verſ. quinto quæro. atq; ita reſpondit F.Aretinus conſil.93. num.5. Codicillaris quoque clauſula inducit nouam conditionem ſimilem reſpectu venientium ab inteſtato, Alciat.l.3. D.de leg.j. ergo ſi venientes iure inteſtati reſtituere debent, gloſ. in l.eam quam. C.de fideicommiſ. igitur & vi clauſulæ codicillaris conſeruantur fideicommiſſa, d.§.ſed & fi. G.Bened. in ca.Rainutius. verb. in eodem teſtamento relinquens. num. 242. de teſtamen. quæ ſententia vera eſt: tametſi quidam aduocati contrà ſenſerint.

Coemptio, ſolennis matrimoniorum contrahendorum ritus. Boëtius in Topic. Cicer. Coemptio, ait, certis ſolennitatibus peragebatur: & ſeſe in coemendo inuicem interrogabant. Vir ita, An ſibi mulier materf. eſſe vellet: illa reſpondebat, velle. Item hæc virum interrogabant, an vir ſibi paterf. eſſe vellet: ille reſpondebat, velle: ſicque mulier viri cōueniebat in manum: vocabantur, hę nuptiæ per coemptionē. Hæc ille: cuius ſententiam probat Seruius explicans hunc Virgilij verſum, lib.4. Æneid.

Repulit, & dominum AEneum in regna recepit.

Sed & in hunc ex lib.1. Georg. verſum:

Téque ſibi generum Thetis emat omnibus vndis.

Sed videtur Boëtius in ſupradictis omiſiſſe quod erat præcipuum, nempe virum vxori nummum vnum tradidiſſe adhibitis teſtibus & libripende, & ſimiliter vxorem viro: nam olim nulla alienatio abſq; nexu & ære & libra per XII. Tab. fieri poterat, nec ſine pretio potuit vocari coemptio. Coemptionis meminit M. Cicer. lib.1. de Orat. ad Q.Fratr. Coemptio etiam ad adoptiones pertinebat, vt colligitur ex Epito. Vlpiani titul.11.§.qui liberum. Vide Briſſonium lib. de ritu nup. & Ant.Cont. in diſput. lib.1.c.12. ſub fin. Hinc, Coemptio ſenum, & ſenes coemptionales.

Coemptor pater, qui pater naturalis dictus eſt, d.§. qui liberum.

Coenacula, Varro de Ling. Latin. lib.4. Vbi cubabant, cubiculum: vbi cœnabant, cœnaculum vocitabant. poſteaquam in ſuperiori parte cœnitare cœperunt, ſuperior domus vniuerſa, Cœnacula dicta. Romæ enim, vt teſtatur Vitruuius lib.2. cap.8. olim ædificia contignationis erant vnius. At hæc conducebantur ab inquilinis & tenuioribus. Hinc Iuuenal. Saty.10.

Rarus uenit in cœnacula miles.

Rectè autem pars ſuperior Cœnaculum dici cœpit, ad quam ſcalis aſcendentes, ibi vt plurimum cœnabant. Huius meminit Paul.l.3.§.fi. D.de offic. præfec. vigilū. l.j.§.ſi filiusfa. D.de iis qui deiec. vel effud. Vnde,

Coenacularius dicitur, in cœnaculo habitans, l. ſolutum.§.ſolutam. in fi. D.de pign.act. & Cœnaculariam exercere is dicitur qui domos totas conductas, per ſingula cœnacula inquilinis locat, quæſtum inde faciens, pluris in ſummam locando, l.ſi verò.§.ſed ſi quis. D.de his qui deiecer. vel effuder. Nam et ſi quis cœnaculariam exercens, ipſe maximam partem cœnaculi habebat, ſolus tenebitur.

Coenatio verò potentiorum Bud. eſt cœnandi locus, cùm ad cœnaculum ſcalis aſcenderetur, vel cochleis. Vitruuius lib.6. Cum enim aucto, inquit, mirum in modum Romano populo, neceſſe fuiſſet in cœnaculis habitari, (nam anteà, cum per vrbis laxitatem licebat, vnius tantum contignationis erant ædificia) ad ædificiorum altitudines deuentū, & ædium frequentiā. Bud. l.ſi cuius. D.de vſuf. De cœnatione Iuuenalis:

-& algentem rapiat cœnatio ſolem.

Coenobia, κοινόβια, vnde dicantur, & quamobrem monaſteria ſic appellētur Iuſtin. oſtēdit Nouell.123. de eccleſ. diuerſ. c.§. ἐν πᾶσι.56. Ἐν πᾶσι, inquit, τοῖς μοναστηρίοις, ἅπερ κοινόβια καλοῦνται, κελεύομεν ἐν ἑνὶ οἴκῳ πάντας οἰκεῖν καὶ κοινῶς τρέφεσθαι, καὶ ἑνὶ οἴκῳ πάντας κεχωρισμένους καθεύδειν. In omnibus monaſteriis, quæ Cœnobia dicuntur, iubemus in vna domo omnes habitare, & ſimul ali, & vna domo omnes ſeorſim dormire. Eſt etiam vitæ fortunarúmque communitas, ſiue ſocietas, verbúmq; eſſe Romanum Aulus Gellius ſcriptum reliquit.

Coe pisse

Coepisse dicitur quis,ſi fundamenta iecit, vel locum purgauit,ſed & ſi locus illi petenti deſtinatus eſt, l.j.§. cœpiſſe.D.de pollicit.

Coercere aquam,eſt continere ſic,ne defluat, nec dilabatur,l.j.§.pen. D.de fonte. Coërcere arbores, eſt ramos conſtringere,& circuncidere, ne eorũ vmbra vicino prædio noceat,l.j.§.deinde. D.de arborib. cæded. Aliàs coërcere tum de pecuniaria, tum de corporali pœna vſurpatur : nam & coërcere pignoribus dicitur in l.4.§,j.D.de damn.infect. & lib.de Orat.Pignoribus ablatis Craſſum inſtituit coërcere.At in lib. de legib.3.Magiſtratus ciuem nec obedientem multa, vinculis,verberibus coërcento.Sic in l.6.D.de pœn.l. nemo.7.D.de reg.iur. Hinc,

Coercitio,animaduerſio pecuniaria,ſiue in corpus, punitio,& caſtigatio. Huius varia genera ſunt: quædam enim Capitalis, l.hæc ſtipulatio.200. D.de verb. ſignif.quæ ad corporis punitionem pertinet,& habet publicam coërcitionem. Quædam verò eſt modica, apud Paul.l.fi.D.de offic.eius cui mand.ad miſtum imperium pertinens,quæ & ipſa pecuniaria eſt,pignoris capione iudicibus cõceſſa, ne iuriſdictio inutilis eſſet. Eſt & leuis coërcitio apud Vlpian.l.Prætor.7.§.præterea. D.de iniur.& l.non ſolùm.§. quanquam. D.eo. qua ſignificatur leuis pulſatio, & emendatio, vt ipſe Vlpian.interpretatur in d.§.prætereà.

Coerrare calciatus dicitur præfectus Vigilũ apud Paul.l.3.§.ſciendum.D.de offi.præfe.vigi.cum huc illuc vicatim diuagatur,idque cum aliquo comitatu, & noctu.Florentina lectio quæ,Calciatum, habet, defendi poteſt aduerſus Hotom.coniecturam legentis Falciatum,ex M.Cicer.lib.j.de Natura Deorum. Cum pelle caprina,cum haſta,cum ſcutulo, cum calceolis.Calcei indumentum pedum erant,quos noctu induebant diligentius citiúſve coerrandi cauſſa.

Coetus in lege xii.Tab.& apud Marcia.l.qui cœtum. D.de ſicar.accipitur pro hominum conuentu, & congregatione,à coëundo,Iſidoro lib.6.ca.18. Etymolog. auctore.Vlpianus turbæ comparans l.Prætor.4.§.j.D. vi.bon.rapt.hominum multitudinem diffinit, adiiciés decem,aut quindecim homines cœtum,vt & turbam, facere.& vide Bartolum d.§.j.

Cogere in ordinem,id eſt,vt vulgò loquimur(inquit) Budæus ad l.diuus. D.de offic.præſid. cogere ſuo ſtatu & conditione ſe continere. Huic opponitur, Eximere numero, Budæo.

Cognati appellati ſunt,quaſi ex vno nati,aut (vt Lab. ait) quaſi commune naſcendi initium habuerint, vt ſcribit Vlpian.l.j.in prin.D. vnde cognat.quam verbi notationem probat Modeſtinus,l.4.§.cognati. D.Cognationis autem nomen, vt ait, Paulus, l.10.§.j.D.de gradib. adfinit. à Græca voce deductum videtur: συγγενεῖς enim illi vocant quos nos cognatos appellamus.Agnati ſunt per patrem cognati ex eadem familia:qui autem per fœminas cõiunguntur,cognati tantum nominantur.Inter adgnatos igitur & cognatos hoc intereſt,quod inter genus & ſpeciem.nam qui eſt agnatus,& cognatus eſt:non vtique autem qui cognatus eſt,& agnatus eſt.alterum enim ciuile,alterum naturale nomen eſt.Idem lib.4.Sent.tit.8.tradidit.

Cognatos in conſuetudine etiam nepotes eorum, poſt quorum mortem concepti ſunt, appellari non propriè,ſed per abuſionem, vel potiùs ἀναφορικῶς, id eſt, relatione ad aui vitam facta, vt explicat Hotom.accidere,ſcribit Iulianus,l.item Prætor.8.D.de ſuis & legiti.hær.

Cognatio eſt ius quoddã inter certas perſonas, quæ natura vel legis fictione inter ſe cognatę ſunt,inſtitutum:cuius duas ſpecies apud Romanos intelligi tradit Modeſtinus l.non facilè. §.cognationis. D.de grad. adfini. Quædam enim iure ciuili, quædam narutali connectuntur. Nonnunquam vtroque iure concurrente & ciuili & naturali, copulatur cognatio. Naturalis cognatio eſt,communio ſanguinis,quam habent ij inter ſe,qui ex eodem progenitore orti, quaſi riuuli ex eodem fonte deducti dimanarunt. Ciuilis autem quæ per adoptionem contrahitur, non ſanguinis, ſed iuris communio eſt, d.l.non facile. §.cognationis. D. de grad. adfin. Ad ciuilem cognationem pertinet & ſpiritualis,de qua extat titulus, De cognatione ſpirituali,in Antiq.& 6.Decretalium, quibus locis explicantur eius vis,eiúſque contrahendæ genera. Cognatio autem quæ ciuilis, ſiue legitima Modeſtino dicta eſt,legalis pontifici Maximo dicitur, c.vnic.de cogna. leg.in Antiq. Cognationem etiam inter vulgò quæſitos conſiſtere ait Gaius,l.2.D.vnd.cogna. Sed & inter ſeruos,quæ Seruilis dicitur, l.adoptiuus. D.de ritu nupt.& Inſt.de ſerui.cogn.

Cognationi legatum,cognatis deberi ſcribit Vlpianus, l. ſi cognatis 19.D.de reb.dubiis.

Cognatio ſpiritualis,eſt propinquitas vel attinentia perſonarum,quæ prouenit ex ſacramenti datione, vel ad illud tentione,Angelo Clauaſio in verb.matrimoniũ. imped.7.Vnde ex cognatione ſpirituali,quę in baptiſmo contrahitur, nouem propinquitates naſcuntur: Prima filiatio inter ſacerdotem baptizantem & baptizatum:Secũda compaternitas inter ſacerdotem & patrem baptizati:Tertia,commaternitas inter eundé, & matrem baptizati:Quarta,inter filios ſacerdotis,et baptizatum, ſcilicet fraternitas.30.quæſt.j.omnes,& quæſt.3.ita diligere. Quinta filiatio inter baptizatum, & ſuſcipientem de baptiſmo:Sexta filiatio inter eundem & vxorem ſuſcipiẽtis: Septima fraternitas inter baptizatum,& filios ſuſcipientis:Octaua compaternitas inter ſuſcipienté & patré ſuſcepti: Nona,cõmaternitas inter eũdem,& matrem pueri.30.q.3.per totum.

Cognoscere inſtrumenta,apud Vlpian.in l.cognoſcere.56.D.de verb.ſign.eſt ipſa relegere, & recognoſcere. Cognoſcere ſimpliciter dicitur iudex, qui de cauſſa quærit,& diſceptat,litigatoréſque audit, idque pro tribunali,l.j.D.de conſtit.princi. l.quod ſi Epheſi. §.interdum.D.de eo quod cert.loco.Sueton. in Claud. Cognoſcens quondam in Auguſti foro, victúſque nidore prandij quod in Maxima æde Martis Saliis apparabatur, deſerto tribunali aſcendit ad Sacerdotes. Cognoſcere ex interdicto, in reſcripto Valeriani, & Gallieni l.2. C.de interdict.eſt quærere de cauſſa, & examinare eã in cauſſa interdicti. Cognoſcere quoque tutelæ apud Vlpian.l.2.D.vbi pupil.educ.deb.pro eo accipitur,quod eſt de actione tutelæ diſceptare, & in ea actione litigantes audire. Cognoſcere igitur ad iuriſdictionem pertinet, ſignificátque negotium excutere,& examinare, & de eo ius dicere,l.3. §.cognoſcit.D.de offic.præfect. vigil.l.2.D.de re iudica. Cognoſcere videtur poſuiſſe vetus interpres in §.interdicimus.in Auth.de non alien.pro recipere, pro quo Iuſtinia.Imp.γινώσκειν dixerat: quæ interpretatio recipi poſſe videtur ex iis quæ in eodem §.dicuntur. Cognoſcere dicitur etiam, qui ſtuprat aut comprimit mulierem.Sic ſumitur toto tit.de eo qui cogno.conſan.vxo.extrà.quo ſenſu eodem verb.vſus eſt Papinianus l.mulierem.14.de iis quæ vt indig. Ex hoc verbo ducitur verbale.

Cognitio, quod in diuerſas ſignificationes ferri peritorum vſu receptum eſt. Paſſim in libris C.pro negocij examine,diſcuſſione,& quæſtione,vt & l.j.D.de officio aſſeſ. l.cognitio. 4. D. de offic. eius cui mandata eſt iuriſdict. & alibi ſæpè. Cognitionum autem genera paſſim hæc in iure reperias: Prætoria,l.j.§.per hanc.D.de rei vendic.Extraordinaria. D.de extraord. cognit.

cognit.quæ recenſentur in l.j.D.eo. Eſt & alia cognitionum diuiſio à Calliſtrato tradita l.penult.D.eo.de honoribus,ſiue muneribus, de re pecuniaria, aut de exiſtimatione,aut de capitali crimine.Porrò vbi cauſſæ cognitio eſt,ibi Prætor, ibi tribunal deſideratur, l. 2.§.dies.D.quis ordo in bo.poſ.& l.vbicunque. D.de diuerſ.reg.iur.quam explicant P.Decius, & nouiſſimè P.Faber,idque eruditiſſimè.

Cognitio Prætoria,Religio iudicis, Officium iudicis, l.j. D.de rei vendic.l.D.ſi vſusfruct.peta.Vbi requiritur cognitio,ibi de modo,de cauſa,& de perſona quærendum,vt intelligas quid reuera ſit cognitio, & quantũ abſint à cognitione,qui ſcripta tantùm legunt, l.cùm hi quibus.§.vult igitur oratio.D.de tranſact.

Cognitio,pro inſtantia (vt nunc vocant) accipitur apud Papin.l.pen.D.de ſuſpec.tut.vt Bart.docet. Cognitionem pro accuſatione poni putat Alber.in l.ſi ea quæ. C.qui accuſ.non poſ.Equidem pro negotij examine, diſcuſſione, & quæſtione accipi putem. Cognitio etiam ſumitur pro ſuſceptione cauſſæ alienæ, & defenſione,l.nemo.6.C.de cognit. & procurat. Hinc,

Cognitionaliter,hoc eſt, vtraq; parte præſente & audita, in l.fi. C.de legib.Græcis κατὰ διάγνωσιν, vt μονομερῶς, vna tantùm parte præſente.

Cognitor,vt ait Feſtus lib.3.qui litem alterius ſuſcipit,coram eo cui datus eſt: quod probat Anianus. C. Theodoſi.interpres.tit.de cogni.& procurat.his verbis:Cognitor is eſt,cui ſine mandato cauſſam agẽdam præſens, præſente iudice, litigator iniungit. Hunc à procuratore ſeparat Paulus lib.j.Sent.tit.2.& 3. & titu. C.Th.de cognit.& procurat.tametſi vtrunq; litis miniſtrum appellent diui principes, l.vltim. C.Theod. eod. Cognitorem apud Prudentium accipere debemus pro iudice qui de negotio, cauſſave diſceptat, eámve cognoſcit: Hic tum cognitor pronunciauit, Claudatur infans carcere. Eodem ſenſu accipitur cognoſcens in l.j.§.calumniatoribus.D.ad S.C.Turpill. Vide Aduocatus & Procurator.

Cognomen dicitur, quod nomini additur, vt refert A.Auguſtinus lib.3.ca.8.ſic accipi debet l.ſi quis in nomine.C.de teſta.& §.ſi quis in nomine.Inſtit. de leg. Porrò Cognominum genera duo cõſtituit idem Auguſtinus ibidem ex M.Varrone li.2.de re Ruſtica. vnũ familiæ,vt Annij,Tauri,Statilij,& adſignificant.Alterum cognominis genus eſt,quod ob aliquam rem additur,& hoc(vt ait Theophilus ad d.§.ſi quis in nomine) ἀπὸ ψόγου, ἢ ἀπὸ ἐπαίνου λαμβάνεται). vt in Pompeio, Magni cognomen:in T.Manlio,Torquati.

Cognomines(Feſto lib.3.)qui eiuſdem ſunt nominis.

Cohæres, qui ſimul hæres inſtitutus eſt, vel etiam qui cum aliquo ſuccedit inteſtato,l.j.§.ſi ego.D.de hære. inſtit. Cohæredis quoque appellatione fideicommiſſarium contineri conſtat,l.pater filium.§.fi.de leg.3.l. Lucius.93.§.fi.D.eod.tit.

Cohors,Varroni lib.4.Ling.Latin.quòd vt in villa ex pluribus tectis coniungitur,ac quiddam fit vnum: ſic hæc ex manipulis pluribus copulatur cohors: quæ in villa dicta,quod circa eum locum pecus coërceretur. Tametſi cohortẽ in villa Hypſicrates dicit eſſe Græcè χόρτον apud Poëtas dictam. Et in illo ſignificatu quot millibus conſtet apud Romanos & Græcos docet Alexand.ab Alexan.lib.6. cap. 13.Genial. dier.recenſens cohortium genera. & vide eundem lib.j.cap.5.& alibi. De cohortibus vide Iac.Cuiacium in lib.Obſeruationum.

Cohortales in l.3.C.de hæred.dec.& l.3.C.de can. larg.tit.lib.10. & de cohortal.lib.12. C.ſunt apparitores, & officiales perpetui præſidum prouinciarũ, quibus manſionum equorum cura plerunque mandabatur:vt Patricius definiit. Thalelæus libr.45. Baſilicωn: Ὁ δὲ μανκλεάτης πατρίκιος τοὺς κορνικουλαρίους καλεῖ μὲν, Beneficiarios: λέγει δὲ φροντίζειν αὐτοὺς τῆς ἀλλαγῆς τῶν ἵππων. Græci ταξεώτας appellant. Hinc Cohortalium conditio, l.2. C.de aduoc.diuer.iudicum. Cohortalium corpus l. 2.C.de defenſ.Ciuit.

Κοινὸν,in l.ſi de vi.37.de iudic.D.& l.qui cœtu.5.D.de vi public.& l.j.D.de appel.& l.ἐὰν δύο.6. D.de excuſ. interpretatur A.Auguſt.ad d.l.6, commune, & vniuerſitatem.Gallis appellatur *une communauté*, à quibus retinetur nomen illud *Commune*:vt Commune apud Cicero. perſæpe.

Κοινωνία,forenſe verbum eſt Iul.Polluci lib.9.Onomaſtic. ſocietas,& communio. Hinc,

Κοινωνικὰ χρήματα,dixit Demoſthenes apud Pollucem: eadem inter forenſia recenſentem eodem loco.

Κοινοπραξία,apud Iuſtinian.Inſtitu. de actio.in princip.(ſic enim veteres li.& Theophilus ibidem legunt,tametſi & verbo κοινωνίας vtatur idem Theophilus)Latinè Societas dicitur.κοινωνίαν appellat C.Harmenopulus lib.3. cap.10.& 11.

Coire, verbum μέσον eſt, & in bonam (vt nunc loquimur) & malam partem accipi ex inferiùs ſcriptis liquet. Nam dicimus, Coire in matrimonium, hoc eſt conuenire,& cõſentire,l.in teſtamento.31. D.de condit.& demonſt. Et Coire ſocietatem.l.j.& 4.D.pro ſocio. Et Coire negociationem l.cum duobus.52.§. quidam.D.pro ſocio. Coire in alienam litem dicuntur, qui de commodo litis communicando paciſcuntur ſic, vt quicquid ex condemnatione in rem vnius ceciderit, inter eos cõmunicetur, l.ex Senatuſconſulto.6.D.de vi priua. Coire in accuſationem innocentum,l.vlti.D.de concuſ.Coire aduerſus aliquẽ, pro conſpirare,l.j.D.nau.caup.ſtabul.

Colere fundũ,& ornare, & tueri & cuſtodire diuerſa & ſeparata ſunt,l.cum quæreretur.60. §.prædiis. D. de legat.3. Colere fundum numis, in l.ſi apes. D. de furt.

Collare eſt vinculi,ſiue tormenti genus hodie frequens,quod collo reorũ iniicitur ignominiæ aut pœnæ cauſa,idque ſignificat ut l.7.D.ad leg.Iul.de vi publ. his verbis:Aut quid in collum iniecerit vt torqueatur. Pœna eſt ſeruilis,vel(vt ita dixerim)canina. nam hoc genere canes vinciri ſolent. Vide canis.

Collaterales dicuntur, qui ſe attingunt, vel ſibi attinent tranſuerſaliter per lineam collateralem,non per lineam rectam aſcendentem vel deſcẽdentem, vt conſanguinei,vel conſimiles.hoc verbo ſæpe vſus eſt I.Andræas in declaratione arboris affinitat. Gaius ex tranſuerſo, ſiue à latere vocat l.j. D.de gradib. affinib. Dicuntur etiam collaterales generaliter, omnes æqualiter,quaſi lateribus conſidentes.

Collatio bonorum (de qua tractatus duo ſunt in libris noſtris) eſt contributio certæ partis bonorum inter fratres,propter paternæ ſucceſſionis rationem à Prætore inſtituta. Nam cum Prætor ad ſucceſſionem paternam admittat emancipatos cum iis qui in poteſtate ſunt, æquitas & ratio ſuadet, vt quæque bona in medium conferant,ſcilicet vt emancipati volentes ad participandam patris hæreditatem accedere, tantam partem è ſuis bonis conferrent,quantam ex hęreditate auferrent:nõ ſinguli,ſed omnes ſimul, quippe cum omnes emancipati vnius locum obtineant. Itaque ſi duo ſint ſui,duo emancipati,quamuis emancipati ſinguli ex hæreditate quadrantem auferant, tamẽ ex ſuis bonis non ſinguli, ſed ambo quadrantem conferent. Conferuntur autem antiquo iure aduentitia, & profectitia:hodie ex Iuſtin.conſtitutione profectitia tantùm,l.vlt.C.de collat. Vide Duareni annot.in illos tit. Porro emancipati inter ſe nihil conferunt. nam cum alter alteri nihil auferat, nõ ipſorũ cauſſa ſimpliciter,

ſed pro

ſed propter ſuorum rationem & reſpectum, Prætor collationem inſtituit, C.eod.l.j. & paſs.D.eod. Collationum vocabulum aliter vſurpaſſe videtur Suetonius in Nerone pag.257.

Collecta, Vide Turn.aduerſ.lib.3.cap.6.

Collectarius, in cõſtitutione Honorij & Theod. l.penult.C.ſi cert.pet.& apud M.Cicer.in lib.de Orator.accipiendus eſt Suidæ, ἀργυραμοιβὸς, ἤτοι κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος, & τραπεζίτης. Alcia.li.4. Diſpunct. cap.22.vertit argentarium nummularium, & campſorem:rectè.Reiicienda igitur eſt Accurſ.& Alberic.interpretatio exiſtimantium Collectarium eum dici, qui eundem mecum petit honorem: ſed nec ita in locis ab eis citatis legitur, vt putant.

Collegatarii dicuntur quibus eadem res coniunctim legata fuit.l.interdum.10.D.de vſufr.adcreſc. & alibi ſæpiſſimè.

Collegas hinc dictos putat M.Varro lib.5.Ling.Lat. quòd vna lecti eſſent. Eorum appellatione contineri putat Vlpian.l.collegarum.173. D.de verb.ſignif. eos qui ſunt eiuſdem poteſtatis,& officij. Alexander Imp. l.3.C.de proba.& contutores,& concuratores, Paulus l.etiam.14. D.de adminiſt.tut.& qui eadem legatione funguntur,l.2.C.de legationib.lib.10. Quinimò & qui eiuſdem hæreditatis ſunt participes, id eſt cohæredes, l.Paulus.101.D.de ſolutioni.& eos, qui ex eodem ſunt collegio, Hermogenianus,& Paulus l.adminiſtrantes. 41.§.fin.& l,ſequenti, D.de adminiſtr.Sed & hos,

Collegiatos appellarũt diui Principes,l.pen.C.de commer.& mercat.& l.vnic.de collegiat.lib.11.C.hos fuiſſe ex corporatis adnotat Iac.Cuiacius,d.l vni.Erãt certis ciuitatum collegiis adſcripti.& vide C.Th.tit.7. lib.14.Vide Corporati.

Collegiata eccleſia, vide infrà Eccleſia.

Collegium, cœtus,& coitio, ſiue ſodalitates dicuntur conuentus certorum hominum artem aliquã certam factitantium:vt piſtorum, nauiculariorum, item eorum qui vectigalia, aurifodinas, argentifodinas, cæteráve huiuſmodi munia omnia exercent, l.j.D.quod cuiuſque vniuerſ.& l.j.& paſſim,D.de colleg.& corp. Innocent.j.de electio.Ea collegia à Rege Numa inſtituta eſſe,ſcribit Plutarch.in eius vita, Valerius lib.j. & Plin.lib.34,cap.j.dèque iis Cicero in ea pro domo, & in Sextiana mentionem facit. Collegium tres facere Marcellus & Neratius putãt,l.Neratius. 85. D.de verb. ſignif.Horum quædam licita ſunt,quædam illicita. Licita collegia quibus coẽundi ius erat lege, S C.conſtit. Illicita, quæ ſine lege conſtituta fuerant:& de variis collegiis vide Cuiacium lib.7.Obſer.cap.30.Erat autem ordo quidam & dignitas etiam collegiorum, ac quoddam magnum dicebatur, vt apparet in inſcriptione, *Viatori collegij magni.*

Collactaneus, qui ſimul mammã ſuxit, l,alumnæ. 30.§.Titia.D,de adim.leg.Græcis dicitur σύντροφος.

Collibertus, ſiue conlibertus, ab eodem patrono libertate donatus, qui cum alio eſt libertus, l.cum pater.§.volo.D.de leg.2.& l.vlti.D.vt lega.no.cau. & alibi ſæpiſſimè.

Collisum argentum facto non contineri, ſed infecto, & fracto comparari Vlpianus rectè putat.D.de aur.& argen.leg.l.Quintus.2.§.cui aurum.

Collocare, ſiue (vt ſæpè in Floren.P. & claſſicis ſcriptoribus reperias) collocare, eſt addicere ei, qui licitatione vicerit,l.quòd autem.11. D.de in di.addict. Tu de huius verbi ſignificatione propria, vide Varronem lib.4.Linguæ Latin. vbi de verbo Locare agit. Collocare nominibus dixit Proculus l.ſi ita.86. D.de leg.3.pro deponere penes aliquem velut mutuò, qui huius pecuniæ cauſſa obligabitur, fortiſque reddendæ fœnus, vſuráſve penſurus l.vxori.24.D.de vſu, & vſufru.lega.eodem ſenſu dicunt Iuriſcoſ. Collocare in nomina,& Collocare, ἁπλῶς. quam ſignificationem probaſſe videtur Traianus Plinio ſcribens lib.10.Non aliud remedium diſpicio, quam vt quantitas vſurarum minuatur, quò facilius pecuniæ publicæ collocentur. De genere collocandarum pecuniarum loquitur M. Cicero lib.3.Officio. Collocare nuptias propriè dixit Imp.Gordia.l.j.C.de indic.vidui.toll.ex notatione M. Varr.lib.4.Ling.Latin.Collocare etiam ſumitur Pontificiis pro inſtituere,& beneficium conferre c.ad decorem.extr.de inſtitutioni.& vide infrà Inſtitutio.

Collocatum beneficium, Vide Coloratum.

Collybus, verbum Græcum Polluci.lib.3.ca.9.interpretanti ἀργυρέως ἀλλαγήν. Budæus ad l.vlti.D.de pign. act.ſignificantius vim verbi exprimit his verbis, Collybus eſt id detrimentum pecuniæ, quod in ratiociniis emptione auri appellant,& vulgò Cambiũ dicitur, cũ pecunia ad exteras nationes exportanda eſt, & apud numularios aliis numis commutanda, vt ſi argentea moneta aurea mutetur, aut genera quædam pecuniæ abrogata,& antiquata, aut quouis modo repudiabilia in vna prouincia, alio quo genere permutãda ſint rato, receptóq; & promulgato in ea prouincia. Id enim quod ex ſumma apud numularium decedit, & veluti deperit, Collybus appellatur, Hæc ille. Cicero in Verrem actione quinta: Ex omni pecunia quam aratoribus ſoluere debuiſtis, certis nominibus deductiones fieri ſolebant, primùm pro ſpectatione & collybo, deinde pro neſcio quo cerario. Hæc omnia, Iudices, non rerum certarum, ſed furtorum improbiſſimorum ſunt vocabula.nam collybus eſſe qui poteſt, cũ vtantur omnes vno genere numorum? Hinc,

Collybistæ dicti ſunt numularij.

Colluctatio in l.qua actione.§.ſi quis. D.ad leg.Aquil.vide infrà Pancratium.

Colludere dicuntur qui quod in ſpeciem ex animo facere videtur, id ſimulatè & fictè agunt inter ſe, aliorum ſenſibus illudentes: hinc qui luſoriè, non ex animo cauſſam agunt, & tranſlatitiè accuſandi munere defunguntur, alij ſponte lite cedentes, colludere dicuntur,& præuaricari,l.& eleganter.7.§.ſi dolo.D.de dolo mal.l.niſi.3.D.de adul.l.j. §.præuaricatorem.D.ad S.C.Turpil. Colludere etiam ex aliis cauſſis dicimus, atque ideò ad ciuiles cauſſas pertinet hoc verbum, l. ſed addes.19.D.loc. Colluſoriè agere etiam eodem ſenſu dixit Vlpian.l.ſi ſeruus.50.§.j. D.de leg.j.vbi tamen Pandectæ Floren.habent luſoriè.

Collusio, ſiue conluſio, eſt ſub ſpecie litis luſus veluti quidam inter duos litigatores, id agentes ex compacto, vt vnus ſinat ſe vinci ab altero, Græcè συνδυασμός: ſic ſumitur, l.j.& 2.& tot.tit. D.de colluſ.deteg. l.ſi ſuſpecta.D.de inoffi.teſtam.& alibi ſæpiſſimè, & ſecundum Azonem in Summa.C.de collu. deteg.fit per procuratorem & aduocatum cauſſarum, qui ſe in lite ſuperari patiuntur.Sed & per principales perſonas in ſimilibus, tam in ciuili cauſa, quàm in ſpirituali, ca.audiuimus.extra de colluſ.detegen.In ciuilibus autem ſecundum Azonem fit impunè, niſi in hoc caſu, putà ſi me agente cum alio, tanquam ipſe eſſet ſeruus meus, vel libertus, paſſus ſum eum pronunciari ingenuum, vel liberum, confitendo contra me in iudicio eum liberum & ingenuum eſſe:& hoc ideò, ne per tales ita degeneres inquinaretur ampliſſimus ordo Senatorũ, vt dicit l.j. D.de colluſ.deteg. qua de re & totus titulus accipiendus eſt, vt & Cod.

Collyrium eſt medicamentum ad oculos, παρὰ τὸ κωλύειν καὶ ῥεῖν, id eſt, quod fluxũ impediat,& ſiſtat. Inſti.de re.diui.§.cùm ex aliena. & D.de acq.rer. dom.l. adeò.§.cùm quis.Id in inſtrumento medici eſſe, vt & emplaſtra, ſcribit Caſſius apud Paulum l.cum de Lanionis.§.

nionis.§.inſtrumento. D. de fund.inſtr. Vide Celſum libr.6.c.6.& Columell.lib.6.c.6.

Colobia in l.j.C.Th.de habit.quo vti oport. veſtimenti genus:dicta putat Iſidorus lib.Etymolo.19.c. 22. quòd oblonga eſſent,& ſine manicis.Cuiacius Obſer.lib.12. Colobia hoc in loco interpretatur latos clauos ſuperiectos interiori veſti.

C O L O N V S propriè is eſt,qui agrum certa mercede cõductum colit:atque hoc differt ab inquilino.hic enim in vrbe dicitur.l.res pignoris.37.D.de acquir.poſſ.l.vlt. D.vnde vi & vi arm.Appian.lib.2. bell.ciuil. ἰγκιλίνων, ὃ ῥήματι καλοῦσιν τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν ἀλλοτρίαις οἰκίαις. Olim generaliter dicebantur coloni omnes vſquequaque habitantes:hinc illud Virg.Æneid.j.

-Tyrij tenuere coloni.

Interdum Coloni ſunt qui ſuis numis colunt,quique pecunia numerata conducunt.l.ſi apes.D. de furt.& d. §.vis maior. Coloni etiam pro conductoribus prædiorum ad fiſcum pertinentium accipiuntur,in conſtit.Alex.l.coloni.8.C.de excuſ.tut.Iidem Coloni Cæſaris adpellantur.l.fi. D. de offic. procu. Cæſar.Et Coloni prædiorum fiſci.l.vlt.§.j.D. ad municip. Coloni etiam dicebantur, qui in colonias deducebantur. Vnde colonus à municipe,& colonia à municipio ſeparatur.l.libertus.§.error.D.ad municip.l. eius qui.27. §.j.D.eo.Paul.lib.4.Sent.tit.6.& huius differentiæ cõmeminere Gellius lib.16.cap.13.& Alex.ab Alex.lib.4. cap.10.

C O L O N I, de quibus extat Rubr.C.de agric.cenſ.& col. liberi homines erant, qui ea conditione agros colebant,vt & certam eorum nomine penſionem præſtarent,neque vnquam ab illis diſcederent:adeo vt terra ipſorum quodammodo domina videretur.quin etiam triginta annorum poſſeſſione ius illud ab agrorum dominis acquirebatur,quod ex tit.D.& C. de agric. & præſertim ex l.19.intelligitur.Ioannes autem ſimpliciter colonum eſſe vult.qui ſub certa annua mercede in pecunia numerata prædia colenda accipit. Horũ variagenera conſtituit Azo.Sed ea veriùs dignoſces ex lib.11.Codicis.Horum igitur alij vocantur coloni cõditionales,alij coloni inquilini,alij originarij,alij partiarij,alij coloni ſimpliciter nuncupati.

Coloni C O N D I T I O N A L E S dicuntur,quaſi ex ſua conditione prædium, vel agrum colere debentes,& ſecundum Ioan.de Plat.ſic conſtituuntur,quòd primò in ſcriptis,vel ſine ſcriptis perpetuo iure colonos ſe eſſe in fundo promittunt,vt poſtea per viginti annos in fundo permaneant.Et licet quidam putent hos eſſe adſcriptitios conditionales, tamen ſecundum Ioannem malè putant,quia Colonus temporis tranſcurſu poteſt liberari, adſcriptitius verò minimè, vt C. de agri.& cenſi.l.cùm ſcimus.lib.11.require ſuprà, A D S C R I P T I T I V S.

Coloni D O M I N I C I dicebantur,qui colebant agros imperatoris,vt C.de prædi.& omnibus re.lib. 11.

Coloni I L L Y R I C I, aliàs Illyriciani, de Illyrico, id eſt, Sclauonia dicuntur, & habentur in l.cùm quærebatur.C.vnde vi.vbi dicitur, Inter Illyricinam aduocationem.gl.j.inter aduocatos de Illyrico. C. de colo.Illyrici.lib.11.l.vnica.

Colonus O R I G I N A R I V S ſecundum Ioannem dicitur coloni conditionalis filius, ex eo quòd originaliter conditioni colonariæ ſubiectus eſt:nec refert, ſecundum Ioannem,ſiue in ſolo fuerit natus,ſiue extra ſolũ, quia tanquam originarius ad terram illam reducendus eſt,quam pater ſuſcepit colendam.vide.l.originarios.C.de agri.& cenſit.lib.11.

Coloni P A L Æ S T I N I ſunt liberi: tamen terram dimittere non poſſunt.

Coloni P A R T I A R I I, à partiendo dicti, ſecundũ quoſdam dicuntur illi,qui terram colunt non pacta pecunia,ſed pro parte dimidia,vel tertia, ſecundum ſterilitatem terrarum: & ſecundum Ioannem nullum ius habent,ſtatim fructibus à ſolo ſeparatis.Et ille dicitur propriè partiarius,qui conducit rem ruſticam pro cõmuni damno & commodo: & competit contra eum actio pro ſocio.Colonus partiarius fructus cũ domino diuidit.l.ſi merces.25.§. vis maior. D. loca. μοιρίτης Iuſtiniano dicitur in lib.legum ruſticarum tit. 2.quem libellum epitomæ ſuæ ſubiicit.C.Harmenopulus.

Colonus S V P E R F I C I A R I V S eſt, qui aream conducit ea conditione,vt ſibi liceat in ea ædificare, & domum tollere,cùm voluerit.

C O L O N I A dicta eſt,vt putat Siculus Flac.in lib.de cõd. agro. quòd in municipia miſerint colonos. quod & Aggenus probat,aitque adpellatam ab agrorum noua dedicatione culturæ.Erat autem Colonia vel cum coloni aliquem in locum deducebantur, aut veteribus incolis adſcribebantur, vel veteribus colonis noui addebantur.Atque hæ duorum erant generum, quædam Latinæ,quædam Italicæ:Latinis ius erat ciuitatis & ſuffragij,& magiſtratus capiendi, ſi in ſua colonia magiſtratum geſſiſſent.Idem ius coloniis tranſpadanis dedit,quamuis colonos in iis non collocaſſet, Põpeius Strabo.Proinde ſcribit ad Atticũ Cicero:Quoniam videtur in ſuffragiis multum poſſe Gallia. Italicis autẽ coloniis ius ciuitatis & ſuffragij nullum erat: ſed qui in colonias illas deducebantur, ius ciuitatis omnino quidem amittebant, immunes tamen erant, & leuationem cenſitionis obtinebant. Tandem tamẽ paulo ante Strabonis ætatem, tota Italia ciuitate donata eſt:& denique Antonini Imperatoris tempore, quicunque ex orbe Romano eſſent, vt ſcribunt Iuriſcõſulti.Hæc Turn.Aduerſ.lib.j.c.11. Iac.Cuiac.Obſer. lib.11.c.35.ex tit. D. de cenſibus, Colonias alias dicit fuiſſe Italicas,alias prouinciales.Italicas quidem, quæ vulgo immunes eſſe exiſtimantur, non prouinciales, niſi donatæ ſint iure Italico. Ius autem Italicum immunitatem eſſe negat tributorum, cum & quædã ſint coloniæ,ius Italicum non habentes, quæ tamen immunes ſunt,ſed cenſitionis tantùm leuationem.Et ita rectè Plin.lib.3.c.3.& 21.ciuitates aut colonias immunes ſeparat ab iis quæ ius Italicum habent.Plus autem eſt eſſe immunem ciuitatem,aut coloniam, quam habere ius Italicum.Vide Ius Italicum.

Coloniam pro prædio quod ſub colono poſſideatur, ab eo ve colatur,dixere Iuriſcoſſ. Paulus in l.ſi in lege. §. colonus.D.loca. Scæuola. in l. Seiæ. 20. §.prædia. D. de inſtr.inſtrumentóque lega.

C O L O N A M pro loco agricolationis accipi apud Paulũ. l.quæro.§.vlt.D.locat.falſò putat Oldendorpius, cum pro perſona ſumi liquidò conſtet ex ipſo contextu, ídque Bar.ſentit.rectè.falſiſſimè igitur ibidẽ legit Coloniam I.Spiegellius pro loco agricolationis.

C O L O N A R I V M ius (vetere interprete diffinitore in §.lex itaque.in auth.de nõ alienan.aut permut.cõſt.7.) eſt veluti ſi domum valentem centum ſolidos,& præſtantem penſionem ſolidos decem, accipiat quis ab eccleſia,& det pro ea ſolidos centum, ſeu amplius, aut etiam minus,& quaſi iam de proprio aggrauet ſe dare ſingulis annis quaſi penſionis nomine ſolidos tres.Iſte adpellatur παροικὸς.

C O L O R, prætextum,& titulum ſignificat.l.2.D.de inoffic.teſta.& §.j.Inſtit.eo.l.Sulpitius.49.D. de dona.inter vir.l.item ſi filius fa.D.de S.C.Maced.

C O L O R A T V M beneficium.l.iubemus.2.§.ſcientes. C. de ſacroſ.eccl.dicitur quod colore & prætextu aliquo defenditur,veluti officio,aut ſtudio aliquo,& ἐπ' ἀντιδώρῳ,id eſt remunerandi gratia,vt Nouell.120.Perperam autẽ in vulgatis Collocati legitur, pro Colorati.

Colvm nivarivm, apud Pomponium.l.in argento.21.D.de aur.& argen.lega. vas in vſu veteribus ad percolandũ vinum, ſiue aquam ex niuibus, tum vt frigidius & alſius biberent, tum vt liquidius: huius commeminit Mart.lib.14.in Apophoret.in Colo Niuario.

Setinos, moneo, noſtra niue frange trientes,
Pauperiore mero tingere lina potes.

qua de re Alciatus lib.8.Parerg.c.4.Interea obiter notandum in d.l. 21.paulo poſt colum legi pro coſtum. Vide Coſtum.

Colvmnas inde dici ſcribit Feſtus libr.3.quòd culmina ſuſtineant.ſic accipit eas Vlpianus in l.ſicut.8.§. j. D.ſi ſerui.vend. Vitruuius autem, quòd columen, id eſt ſummũ faſtigij percurrens tignum ſuſtineat, lib.4.c.2.

Colvmnarii, apud Cælium in Epiſt.Nolo, inquit, te putare Fauonium à columnariis præteritũ eſſe, optimus quique eum non fecit.Sunt autẽ, vt vult Turneb. homines viliſſimi, obærati & decoctores, qui ſæpe ad columnam Mæniam in ius vocabantur. quam intelligit Cic.pro Sexto ſcribens: Aëris alieni in freto ad columnam adhæreſceret.Vide Cuiac. ob.libr.j.cap.13.& lib.11.c.8.

Comagenam, in l.in argento.21.§.j.D. de aur.& arg. leg.vnguentis valetudinis cauſſa comparatis, connumerat Pomponius.Plinius lib.10.c.22.ad fin.Comagenum tamen vocans, adnotat ſic nominatum anſerum adipem in vaſe æreo cum cinnamomo niue multa obrutum, ac rigore gelido maceratum, ad vſum præclari medicaminis: à Comagene Syriæ parte.

Combinæ, dicuntur duplomata ſiue codicilli, aut tractoriæ, aut συνθήματα, quæ dantur curſu publico vtentibus, vt l.Cuiacius ſcribit.l.continuis.§.cum ita.D.de verb.oblig.

Combinationis verbo alio ſenſu vſus eſt Bart.in l.naturaliter.§.nihil commune.D.de acq.poſſeſſ.nempe pro actionum concurſu, & coniunctione petitorij, & poſſeſſorij, non, vt Alciatus putat, ἀντὶ τῶ ἀξιωμάτων: & quod duobus verbis Planudes, vno dixit expreſsitve Bart. Ait ille,

Hæc breuitas ſenſus fecit coniungere binos.

Bartolus coniunctionem duorum, Combinationem adpellauit.Porrò petitorij & poſſeſſorij Cõbinationes ſeptem recenſuit, & explicat Bart.quo in genere videndos Berengarij Fernandi & Ioan.Coraſij præceptorum meorum conſultiſſimorum commentarios in d.§.nihil commune.relinquo.

Comedere beneficia, per tranſlationem, eſt beneficiorum obliuiſci.

Comites, apud veteres auctores ij dicebantur, qui cũ poteſtate erant, id eſt, quibus imperij pars mandata erat.Cic.in Lælio: De Scipione dicam libentius: quanta illi fuerit grauitas, quanta in oratione maieſtas: vt facile ducem pop.Rom.non comitem diceres.At Comitem (ait Vlpianus.l.item apud Labeonem.15.§.comitem.D.de iniuriis.) accipere debemus eum, qui comitetur & ſequatur.Labeo apud Vlpianum ita diffinit, eum qui frequentandi cuiuſque cauſſa vt ſequeretur deſtinatus, in publico, priuatóve abductus fuerit. Pædagogos inter comites eſſe idem Labeo ait, apud Vlpianum.d.§.comitem.Vnde in libris Pandectarum, ſeu Digeſtorum.

Comites adpellari cœpti ſunt, qui Proconſules, Præſides, Procuratores in prouincias euntes comitabantur, vel Senatus, vel ipſorum magiſtratuum voluntate ac iudicio, publicorum negotiorum adiutores atque adminiſtri: quales erant, quæſtores, legati, ſcribæ, accenſi.Poſtea comitum nomine, Iuriſperiti prouincialium magiſtratuum adſeſſores appellati ſunt: quos magiſtratus arbitratu ſuo delectos, ſecum abducebãt. l.ὁ μόνον 10.§.ὁ πριμίπιλον.D.de excuſat.Paul.l.12.§.j.D.de vacat.& immun.Comites præſidum & proconſulum, procuratorúmve Cæſaris, à muneribus vel honoribus & tutelis vacant.Sic l.Senatuſcõſulto.D. de offic.præſid.l.adminiſtrantes.D.de excuſat.tut.l.diem functo.4. D.de offi.adſeſ.Suetonius in Iulio Cæſ.c. 42. Sanxit, (ait) ne quis Senatoris filius, niſi contubernalis, aut comes magiſtratus peregrè proficiſceretur. Comitibus commemorat Cicer.actione.4.in Verrem, etiam præcones, & medicos.Iuſtinianus verò ſub tit.de offic.adſeſ.Conſiliarios, & adſeſſores legatorum, & proconſulum.Plinius lib.9.cap.30.de Comite Proconſulis loquitur.

Comitum autem in Conſtitutionibus Impp. recentiorũ varia pro adminiſtratione nomina inueniuntur.

Comes archiatrorvm, qui medicis aulicis præerat.l.vnic.qui à præbit.tyro.C.Theod.de quorum dignitate ſcribit Caſſiodorus lib.6. Variar.eã, illiúſque munus, & officium explicans.

Comites avri, Comites formarum, riparum & alueí Tiberis, portuum: quos omnes recenſet Caſſiodorus, & extant varij tituli lib. 11.& 12.C.

Comes commerciorvm.l.vni.de ann.& c.C.l.2.C. quæ res vend.non poſ.qui negotiationes curabat, cõmerciiſve præerat, cuíve licebat comparare ſericum à barbaris.d.l.2.

Comes domesticorvm, in l. reſtituendæ.6.C.de aduo.diuerſ.iudi.l.neminem.64.C. de decurio.lib.10. l.vnic. C.Theod.qui à præbit.tyro.duos ponit Notitia Impe.vnum equitum.d.l.neminem.aliud peditum.Vide Ammia. Marcellinum lib.20.& 31. A Sozomeno, ἡγεμὼν τῶ ἱππέων δομεστικῶν dicitur.

Comes domorvm olim dicebatur is ſub cuius iuriſdictione erãt præcipuè plurimi coloni æquè ac inquilini domorum ac poſſeſſionum multarum, quæ in Pontica diœceſi & Cappadocia propriæ erant patrimonij Principis, homines puta tamiaci, poſſeſsionéſque tamiacæ, item ſerui & equitia eiuſdẽ iuris, conditionis, nominis.l.vlt.C. vbi cauſ.fiſc. At Nouell. 30.ſublato Comite domorum transfundit hanc rerum tamiacarum & βασιλικῶν iuriſdictionem omnem in proconſulem Cappadociæ, ſimulac cohortem omnẽ comitianam: ita tamen vt ſeorſim id fiat.

Comes dispositionvm, in l.vni.C.de ſuſcep.lib.10.

Comes excvbitorvm apud eundem in Iuſtino Curopat.

Comes foederatorvm apud Zonaram Tomo.3. Annalium in Tiberio.

Comes horreorvm, cuius & mentio eſt in l.vnic.C. de piſtorib.lib. 11. piſtrini Principis curator fuit, habuítque mancipia quædam purgãdis horreis aſcripta, coquendóque pani Principis.

Comes metallorvm, in inſcriptione.l.j. C.de metallariis.ſub quo erant procuratores metallorum, de quibus.l.4.C.eod.atque eum fuiſſe in Illyrico conſtat ex Notitia imperij, quoniam ſibi frequens erat metallorum commercium, vt indicant.l.7.& 8.C.The.eo.

Comes militvm, in l.j.C.de offi.vicarij, & l.nemo.6. C.de adſeſſo.Porrò comites rei militaris, in partibus Orientis duo erant: per Ægyptum vnus, per Iſauriam alter.

Comes palatinvs dicitur, cui cura præcipuè incumbebat remiſſorum notariorum & iudicum negligentiam arguere, à Prouincialibus tributa exigere, & cõſueta depoſcere.Comes Palatinus ſpurios legitimat. Alciatus poſt alios in Rub.D.de lib.& poſthumis.ſed & arrogationi auctoritatem interponere eum poſſe docet Viglius.§.adoptiui.Inſtit.de exhæred.lib.

Comes patrimonij Italiæ: huius fit mentio Nouella. 104. Alias, Comes largitionum Italicarum dicitur.

Comes rervm privatarvm aut largitionum, in l.3.C.

l.3.C.de bonis vac.lib.10.& l.vlt.C.de peti.bo. ſubl.eo. libr.& Nouell.7. Valentin. gubernator erat priuatæ ſubſtantiæ principis, ídque per curam Rationalium. ita videtur diffiniſſe Caſſiodorus lib. 6. in Formulis. Interpretes Græci.lib.6. τῶν βασιλικῶν ita diffiniunt, τὸν κόμητα τῆς ἰδικῆς περιουσίας, τουτέστι τὸν φροντίζοντα τῶν πραγμάτων τῶν ἀφορισμένων εἰς τὰς ἰδίας χρείας τοῦ βασιλέως.

Comes SACRI CONSISTORII, qui intimo principis conſilio aſſiſtebat, in §.j.C.de nou.C. fac.& l.4.C. de aduoc.diuer.iud.vbi inter ſpectabiles ponitur. Idẽ & conſiſtorianus dicitur.l.2. C. de comitib. conſiſtor. lib.12.eum pro conſulibus æquant Anthemius,& Honorius.l.j.C.eod.idem primi ordinis dicebatur, vt ex Caſſiodoro colligitur libr.6. Varia. Non ſum tamen neſcius, quin & comitiua primi ordinis magiſtro ſcrinij deputata fuerit, vt idem Caſſiodorus ibidem ſcribit: ſed & aliis, vt ex variis tit.lib. 12. C. patet. Vnde & Comitiua conſiſtoriana, in l.quicunque.C.de procur. Quid ſit Comitiua, quídve ſit Conſiſtorium, vide infrà ſuis locis.

Comes SACRARVM LARGITIONVM, cuius frequens mentio fit in inſcriptionibus variarum conſtitutionũ.C.Iuſti.& Theod.is erat, qui theſauris ſacris, id eſt imperatoriis & auguſtalibus pecuniis præerat: vel qui liberalitatis & donorum curam gerebat, vt docet Caſſiodorus lib.6.de Comitiua ſacrarum largitionum.Hic etiam Comes ſacri ærarij dicebatur.

Comitem SACRI PATRIMONII, in titul.de officio Comit.ſac.patrimo.C.accipere debemus eum, qui patrimonium ſacrum principis curat, cuíque id ideo creditum erat, pro ſubleuandis patrimoniorum fortunis, vt Caſſiodorus lib.6.in Formulis ſcribit.

Comes SACRI PALATII.l.vnic.C.de offic.Com.ſacr. pal.& l.vnic.C.de comit.& arch.ſacr. pal.lib.12.Sed & illum & hunc tit.de hoc Comite non eſſe accipiendũ cenſet Cuiac.& nullum eiuſmodi Comitẽ fuiſſe: ideoque priorem illum tit.lib.j.C.perperam conſtitui: hũc autem lib.12.ſic eſſe accipiendum quaſi dictum eſſet, de archiatris comitiuæ primi ordinis honore præditis: quod & teſtatur Caſſiodorus lib. 6. Varia. in Formula Archiatrorum.

Comes SACRI STABVLI, dicitur equorum præfectus & rector, qui & equorum præſtationi præerat.l.29.C. Theo.de ann.& trib.l.3.de equo.coll.C. Th.qui canonici equi dicebantur. Aimon. Monachus libr.de geſt. Franc.3.c.43. Theſaurarius Clodouei à Cupanio ſtabuli comite de Biturico retractus. Hunc Gallis dici *Eſcuier* putat Iac.Cuiacius in commentariis ad l.vni.de comitib.& trib.ſchola.lib.12.C.negátque eam appellationem ad Coneſtabilem pertinere, aítque eſſe vocem merè Francicam, atque in Notitia officiorũ Conſtantinopo.definiri, κεφαλὴν τῶν ῥογατόρων φράκτων. Contrà videtur ſenſiſſe B.Briſſonius lib.3. de verb. ſign. ex eodem Aimono Monach.eiuſdem libri.c.70. cuius hæc verba ſunt: Lendegiſilus regalium præpoſitus equorum, quem vulgo Coneſtabilẽ vocant. Rhegino monachus lib.2.Annalium Eodem anno Burchardũ Comitem ſtabuli ſui (quod corruptè Cõſtabulum adpellamus) cum claſſe miſit Corſicam.Eam dignitatẽ fuiſſe in pretio ex A.Marcellino liquet de Valentiniano loquente lib.36.qui Valentem fratrem ſtabulo cum tribunatus dignitate præfecit.

Comes SACRÆ VESTIS, in l.vnica. C.Th.qui à præbit.tyronũ.Comes veſtiarij in Notitia adpellatur.Sacra autem veſtis quid ſit, vide apud Caſſiodorum lib.j. Variar.epiſt.2.

Comites SCHOLARVM, in l.3. C.de offi.mag.offi.extat & titulus, de comit.& tribunis ſchola.libr.12.C.Ij.ſunt ad quos ſcholarum agẽtium in rebus gubernatio pertinet, & ſunt ornati comitiua primi ordinis.Atque hic titulus honorarius eſt, inuentus à Conſtantino Imperatore, dum ſingulos quoſque honore aliquo cumulare cupiebat maximè, ſecundi etiam ordinis & tertij comitibus creatis.Euſebius.4.de Conſtantini vita.Hac verò dignitate, vt idem eod.lib. tradit, ornati præpoſiti & tribuni ſcholarum hæc beneficia habent, vt interſint Imperatoris epulis, & vt adorent purpuram eius: quod pro ſummo beneficio habetur.

Comes SILIQVATARIORVM, apud Caſſiod.libr.2. Varia.qui ponderibus ſpecierum in latarum præerat: ſed & menſuris, ne quid culpæ admitteretur.

Comes etiam in Mauricij cuiuſdam hiſtoriis cuius meminit Turneb.Aduerſ.lib.24.c.16. eſt qui legioni aut numero præfectus eſt, idémque tribunus militum.

Κωμῆτας, in Nouell.38.§.κἀκεῖνο. vertit Haloander cõmitianos: quam verſionem reprobat I.Cuiacius in l.vni.nõ licere habi.metroco.lib. 11. C.mauúltque vertere vicanos, quod rectius putem.Nam ducitur ἀπὸ τῆς κώμης, qui vicus eſt.

COMITIANI dicuntur comitum officiales, vt idẽ Cuiacius ſcripſit ad d.l.vnicam.

COMITATIVA, comitum dignitas adpellatur. l. per ſingulas.30.C.de diſcuſ.lib.10.& l.curiales.47. de Decurio.eo.lib.& paſſim apud Caſſiod.lib. 6. & 7.Varia. Comitatiuarum gradus, primi ordinis comitatiuam commemorat.l.6.C.de princip.ag.in reb.libr. 12.alios Caſſiodorus in lib.Variarum.

COMITATENSES largitiones.l.ſcriniis.7.C.de palatin.ſac.larg.libr.12. Et Comitatẽſes milites.l.vlt.§.pro limitaneis.C.de offi. præfec.præto.Afri.qui comitatui conceſſi ſunt, vt aiunt Arcadius & Honorius.l. nemo miles.de re milit.libr.12.C.Comitatenſes legiones, vide infrà, Legiones.

COMITATVS ſacer.l.milites.13.§.ignominioſa.D.de re milit.vbi eſt Imperator.Comitatus (vt ſcribit And.Alciat.l.pupillus.239.§.territoriũ.D.de verb.ſignifi.) propriè de Imperatoria aula dicitur: ſed quia tẽpore Caroli magni, regnantibúſque Berengariis & Othonibus, ad ſingulas ciuitates regendas aliquis comes mittebatur, cœpit iuriſdictio, territorium & diſtrictus (quoniam illi comes præerat) Comitatus dici.

COMITES in libris Feudiſticis, dicuntur iudices ordinarij, qui in pace & otio ius reddunt, itémque præfecti vrbium.Itaque lib.Feud. 2. tit.27.§. 2. qui iudex dictus eſt, idẽ continuò poſt Comes appellatur. Comes eandem hæreditatẽ regiæ ditioni aſſignet.& §.4.Si comes hæreditatem regiæ poteſtati conſignet.Sic legis Frãc. lib.11. de aduocatione ad Comites.c.6. Monemus veſtram fidelitatẽ, vt memores ſitis fidei nobis promiſſæ, in pace & iuſtitia facienda, &c.Conſueuerunt autẽ ſinguli ſingula territoria ex hac comminandi, id eſt in ius vocandi, poteſtate, Comitatus ſuos appellare. Dicuntur etiã Comites alicuius regionis præfecti.Græg. Turon.lib.4.Nam ſemper Britanni ſub Francorũ poteſtate poſt obitum Regis Chlodouei fuerunt: & Comites, nõ reges appellati ſunt.Albert. Krantz. in Vandalia lib.j.c.28.Equidẽ arbitror, qui cum Senatus Rẽp. adminiſtraret, rexere prouincias, Proconſules: & ſub Auguſtis inde Imperatoribus, prouinciarum præſides inde dicerentur, aut præfecti prætorij; hi poſtea ſub Imperatoribus iam imperio declinante, Comites dicerentur.Erat (inquit) comitatus Imperatoris Mediolani.Quid vult inſinuare aliud, niſi quia publicum Imperatoris conſilium ibi quieuerat. Comites ergo in prouinciis habebãtur, qui in quaque prouincia publicum fouebant conſilium. Ætate autem noſtra longè aliud præfert Comitis nomen: inferiorem ſcilicet nobilitatis gradum, ſub Duce, ſupra Barones.Hæc ille. Comites præterea duodecim circa Caroli Magni tẽpora ſub vno Duce fuerunt, de quibus vide in verbo,

Duces: quod tamen neque vbique neque perpetuò obſeruatum eſt.

Comiter, vt vult Varro libr. 6. de Ling. Lati. hilare ac lubéter, cuius origo Græce κῶμος: inde Latinè, Comiſſatio dicta, & à Græcis, vt quidam volunt, Comœdia. At Comiter conſeruare maieſtatem, hoc fœderibus comprehendi ſolebat, vt intelligeretur is populus ſuperior, cuius maieſtas comiter ſeruari iubebatur. l. nô dubito. 7. D. de capti. & poſtl. reuer. vbi falſò in vulgat. lib. legitur communiter. Meminit huius & M. Cic. in Orat. pro Cornel. Balbo. Primum, ait, verbi genus hoc conſeruandi, imperantis eſt, non precantis: deinde cû alterius populi maieſtas conſeruari iubetur, de altero ſiletur, certè ille populus in ſuperiori côditione cauſſaque ponitur, cuius maieſtas fœderis ſanctione defenditur. Atque ibidé, **comes**, benigni, faciles, ſuaues homines eſſe dicuntur, qui erranti comiter monſtrant viam, benignè, non grauatè.

Comitivm, Viglio in §. ſed vt nihil. Inſtit. de teſtam. ordin. Romanis ſignificari ait locum in quem populus ſuffragiorum cauſſa conueniebat. quam ſententiá deprompſiſſe videtur ex Feſto lib. 3. adiiciens, Comitium pro actu accipitur multitudinis numero. Comitiorum autem genera Gellius lib. 5. c. 27. & Alexan. ab Alexád. in lib. Genial. dier. variis locis poſuere. & Varro de Ling. Latina.

Comitiales dies Feſto lib. 3. adpellabant, cùm in comitio conueniebant, à coëundo, id eſt, ſimul veniédo.

Comitialis morbus, apud Iauolenum. l. qui tertiana. D. de ædil. edic. & Vlpianum. l. j. D. de auct. tut. dicebatur ἐπιληψία, καὶ ἐπιληπτικὴ νόσος, Ariſtoteli in Problem. qui cum totius corporis conuulſione principes cerebri operationes tollit, toto cerebro, vel duobus eius ventriculis adfectis.

Commata, apud Vlpianum. l. in Ægypto. 10. D. de extraordin. criminib. ſunt inciſa, ſiue meatus aperti, per quos ex chomatibus aqua Nili poſſit in agros remotiores ſegetibus deſtinatos influere: Commata etiam & diacopi, qui in aggeribus fiunt. Neque enim hîc Chomata legendum eſt, vt habetur in Pand. Florent. Chomata enim ſunt aggeres, & humus aggeſta: vt & Vlpianus. d. l. in Ægypto. in princ. explicat his verbis: In Ægypto qui chomata rumpit, vel diſſoluit, hi ſunt aggeres, qui quidem ſolent aquam Niloticam continere, æquè plectitur, &c. Honorius, & Theod. Impp. verterant in eandem rem vallum. l. vnic. C. Theod. de Nili aggeribus non rumpen. & l. vni. C. eod. ſed & aggeres, vt in rubr. C. eod. Eſt autem χῶμα deductum à χώννυμι, quod aggero ſignificat: hinc & pro ſepulchro dicitur. Sunt tamen qui ſuperiore loco, Chomata legi malint, propter repetitionem vocabulorum duorum idem ſignificantium.

Commeare, eſt animo redeundi abire, Vlpiano. l. j. in fi. princ. D. de iis qui deiec. vel effud. Publicè enim vtile eſt, ait, ſine metu & periculo per itinera cômeari.

Commeatvs variè pro re accipitur, vt conſtat ex ſubiectis. Significat interdum licentiam ad tempus datam militi, quo ire & redire poſſit. l. j. D. de re milit. & alibi ſæpe, vt l. 2. §. fin. D. ad municipal. & apud claſſicos auctores. Sic accipitur apud Paulum. l. qui cômeatus. D. de re milit. quemadmodum & in Imp. Leonis Conſtit. l. 9. C. de proximis ſacr. ſcr. & in Conſtantini conſtitutione. l. j. C. de commea. lib. 12. Atque huius licétiæ hæc extat formula apud Liu. lib. 30. SI QVIS VESTRVM SVOS INVISERE VVLT, COMMEATVM DO: PRIMO VERE ADSITIS EDICO. Nec dabatur commeatus, niſi iuſtiſſimis cauſis approbatis, vt ait Vegetius. Certè expeditionis tempore imminentibus hoſtibus non datur, nec vnquam amplius quàm 30. l. 16. C. de erog. mil. ann. qui Cômeatales dicuntur. Datur autem commeatus à tribunis cohortium, aut præpoſitis militum, aut vicariis, vel domeſticis eorum, vel à principe, Nazianzenus, γράμματα τῆς ἀφέσεως vocat commeatum. Hinc Commeatum petere, apud Varronem lib. 5. Ling. Lat. Et Commeatum accipere, eodem ſenſu quibuſdá. l. miles. 34. D. ex quib. cauſ. ma. Et Cômeatum dare. Et Commeatum impetrare, hoc eſt licentiam morandi, vbi voluerit quis. l. filij. 22. §. pen. D. ad municip. Commeatus etiam accipitur pro ſpacio ad eundum, & agédum in via publica. l. 2. §. deinde. D. ne quid in loc. publ. At in §. hoc interdictum. 14. d. l. 2. ſumitur pro ipſo iure eundi, agendíve.

Commeatum & remeatum dixit Marcianus. l. relegati. 4. D. de pœn.

Commeatales milites dicuntur qui vnà commeatum accipiunt, vel qui in ſtipendij partem accipiunt alimenta ex commeatu, id eſt, ex alimento publico. C. de offic. præfect. præt. Aphrican. l. in nomine. 2. Nullû audeant duces, vel tribuni, commeatalem de ipſis dimittere, ne dum ſibi lucrum ſtudent conficere, incuſtoditas noſtras relinquant prouincias. Sudas Commeatalem intellexit, dum interpretatur, κομιάτωρ ἐξάτησιν λαμβάνοντα τοῦ ἀφεθῆναι.

Commendam diffinit gl. in verb. Cômendare in c. nemo deinceps. de elect. lib. 6. eccleſiæ cuſtodiam alicui commiſſam. cui diffinitioni neceſſariò adiiciundû putem hæc, In tempus, gratia euidentis neceſſitatis & vtilitatis. idque docuit textus in d. c. nemo deinceps. vbi ſcribit Io. Andreas, Commendarum genera duo eſſe: nam (ait) quædam eſt in titulum, quædam in cuſtodiam. Commendam, titulum eſſe canonicum, ſcribit eadem gl.

Commendare (vt Papinianus ait) nihil aliud eſt, quàm deponere. l. Lucius. 24. D. depoſit. quod Vlpianus probat. l. commendare. 186. D. de verb. ſignific. Sic accipitur apud Paulum. l. Publia. in princ. 26. D. depoſiti. & alibi ſæpe. Vnde

Commendare corpvs dicit Vlpianus. l. & ſi quis. §. impenſa. D. de relig. & ſump. fu. pro temporis cauſſa deponere, donec iuſtæ ſepulturæ corpus tradatur. Paulus enim. l. ſi quis enim. eo. tit. D. oſtendit plerunque corpora téporis cauſſa deponi. Quod & nos docuit vetus libellus Seuero Imp. datus. Oppreſſus neceſſitate corpora eorum fictili ſarcophago commendauerim, donec is locus, quem emeram, ædificaretur. Reiicienda igitur eſt F. Duareni lectio exiſtimantis in d. §. impenſa. legi poſſe condendum, pro, commédandum. Commendare etiam cenſendus eſt & Roma. Pont. Sacerdotia, cùm adminiſtratorem generalem alicuius opulenti templi aliquem conſtituit: cenſetúrque is liberam habere procurationem, modo nimirû reperto, quo (teſte Alciato. l. commendare. D. de verb. ſignifi.) citra ius irreuocabilis tituli, ex ſacrorum fructibus ἑλκεσίπεπλοι luxurientur. Sed & cômendat etiá, qui cuſtodiam mandat, vt idem adnotauit, enarrans. d. l. commendare. Commendandi verbo, relinqui libertatem non videri, Diocletianus, & Maximianus reſcripſerunt. l. ex verbo. C. de fideicô. libert. Commendare etiam ad homines refertur, apud Vlpianum. l. ſi verò non. 2. §. cum quidam. D. manda. ſignificátque quaſi earum committere fidei: vt & apud Terent. in Eunuch. Act. 4. Sce. 2.

C. Ego me tuæ commendo, & committo fidei.

Atque hoc ſenſu ſe commendare dicebantur vaſalli, cum ſe in fidem & clientelam patroni dicabant: more (vt videtur) ab antiquis, & Romanorum & Athenienſium inſtitutis tracto, vt diximus ſuprà explicantes ius applicationis. Commendati tamen & recommendati dicebantur, non iidem qui vaſalli, ſed tantum qui ſe in alicuius potentioris fidem & tutelam receperant: qui

& Affi

& Affidati dicuntur. Neapol. conſt. lib. 3. tit. 7. Vt in terris, inquit, demanij noſtri nulli omnino liceat affidatos vel recommendatos habere.

COMMENDATITIÆ literæ. l. pen. D. de acq. rer. do. & apud Macrob. libr. 2. c. 4. Accipe, ait, commendatitias: quia illic neminem noſti. Sunt etiam Commendatitiæ literæ, dimiſſoriæ, & quibus clericus dimittitur & abſoluitur à poteſtate ſui Epiſcopi: in quibus perhibetur de vita & ordinibus illius teſtimonium.

COMMENDATARIVS dicitur nudus miniſter. l. Lucius. 24. D. depoſit.

COMMENTARIVS principis, ſiue Commentarium, apud Modeſt. in l. abeſſe. 32. D. ex quib. cauſ. maio. accipitur vt vult Hotom. pro libro, & ephemeride principis, in quo eorum omnium nomina perſcribit, quibus aliqua Reip. procuratio commiſſa eſt. Budæus in d. l. abeſſe. videtur accepiſſe pro diario ſeu pro libro quē ſibi Principes priuatim facere conſueuerant, quaſi quoddam promptuarium eorum quæ agebant, id eſt ephemeridem actionum ſuarum: atque inde Cōmentarios Cæſaris dictos, in quibus res eius in Gallia & bello ciuili geſtæ, nō latè & plenè enarrantur, ſed veluti perſtringuntur. Sic apud Suetonium in Caligula: Commentarios ad matris fratrúmque ſuorum cauſſas pertinentes, conuectos in forum, concremauit.

COMMENTARIENSIS adpellatur carcerum cuſtos ac præfectus, ab eo quòd in commentarios eorum qui carcere concludebantur, nomina referebat. ſic accipitur in l. 4. de cuſtod. reo. Ad cōmentarienſem receptarum perſonarum cuſtodia obſeruatióque pertineat. Hi priſcis temporibus Statores dicebantur & Curatores. Vide Stator.

COMMENTARIENSES etiam adpellantur, quorum manu acta ſubnotantur, quoties apud fiſcum agitur. l. in fraudem. 45. §. quoties. D. de iure fiſc. Quoties apud fiſcum agitur, actorum poteſtas poſtulanda eſt, vt meritò iis vti liceat: eáque manu commentarienſis adnotanda ſunt. Erant & in legionibus commentarienſes, vt ex Imperij notitia adparet.

COMMERCIVM eſt promiſcuus mercandi inuicem vſus: vel (vt diffinit Vlpianus in Epito. tit. 19.) eſt vendendi emendíque inuicem ius: hoc ius Theophil. in §. j. Inſt. de inutil. ſtipul. ἐξουσίαν adpellat, τοῦ δύνασθαι πιπράσκειν, ἢ ἀγοράζειν. Sic apud Hermogenianum. l. ex hoc iure. D. de iuſti. & iur. putat Accurſius pro permutatione accipi. quod & Baldus probat. Alciatus ſentit, eo verbo omnes contractus, etiam innominatos contineri. Accurſius autem. d. l. ex hoc iure. D. de iuſt. & iure. refert Commercium generale verbum eſſe omnium contractuum: cuius ſententia iuuatur. l. quòd ſi minor. 24. §. j. D. de mino. Sic accipitur Rubric. C. de cōmerc. & mercato. Liuius lib. 34. Mutuum vſum vocat. Commercio Græcorum, inquit, Hiſpani gaudebant. Huius mutui vſus deſiderium vt Hiſpana vrbs Græcis pateret faciebat. Et lib. 38. Id oppidum multarum gentium fines contingit, quarum commercium in eum maximè locum mutui vſus contraxere.

Commercium earum rerum non eſſe dicitur, quæ vſibus hominum, dominióque ſubiici, & in obligationem deduci, alienari, & adquiri non poſſunt. l. cum ſeruus. 39. §. fi. D. de leg. j. & l. ſi in emptione. §. omnium. D. de contrah. empt. & alibi ſæpiſſimè. Commercium non habere alicuius rei is dicitur, qui eius habendæ capax non eſt, vel quam acquirere non poteſt, alius poteſt. l. multùm. 34. D. de verb. oblig. Commercio redimi, eſt pretio dato hoſtibus vendentibus. l. ſicut & l. ſi liberū. C. de poſtlim. reuerſ.

COMMILITIVM apud Tryph. l. de hæreditate. 19. D. de caſtr. pecul. interpretatur Alciatus lib. 4. Diſpunct. c. 17. militum commercium, & facultatem ipſam, ceu ius, quo vnà militant. F. Hotomanus in Commenrariis Iuris, ſocietatem interpretatur militiæ, quam inter ſe milites habent. Hæc ſunt verba Tryphonini: De hæreditate ab agnato commilitone data, Scæuola noſter dubitabat: quia potuit & ante notus & amicus dare: potuit & non dare, niſi commilitium auxiſſet. Nobis ita videtur, ſi ante commilitium factum ſit teſtamentum, non eſſe peculij caſtrenſis eam hæreditatem.

COMMINISCI, ait Varro dictum à con, & mente, cum finguntur in mente, quæ non ſunt. Sic accipi debet. l. j. in fi. princip. D. de eo per quem fact. erit. Hinc

COMMENTVM dicitur fictio in mente rei quæ nō eſt, Varroni lib. 5. Ling. Lat. Sic accipiēdum putem in l. ob hæc verba. D. de iis qui not. infa. & l. 2. C. de reb. alien. non alien. & alibi ſæpè. Vnde non ineptè Commentum pro fraude poſuit Pontifex Maximus. c. peruenit. j. iuncta ibi gl. extra de teſtib. cogen. Hinc

COMMENTITIVM ius apud Paulum in l. ſi pœna. 20. D. de pœn. interpretatur G. Budæus ibidem, quod figmento, non reipſa ſubſiſtit: id eſt fictitium, nouum, & recens excogitatū, vel non tranſlatitium, non aliunde ſumptum. ex Sueto. in Claud. c. 11.

Commentitiam venditionem in l. 2. C. ſi aduerſ. vendit. interpretatur Accurſius commentitiè compoſitam, cum pupillum lædunt, hoc eſt (vt ſignificantiùs rē aperiam) fictè coloréque quæſito.

COMMINVS in Honor. & Theod. conſt. l. 3. C. de fruct. & lib. exp. accipi debet pro in præſentia, vbi cōminus pro tota die falſò interpretatur Accurſius. Quo verò ſignificatu accepere iidem Impp. eodem accepit & Iuſtin. l. ſi imperialis. C. de nupt. Cōminus, pro è propinquo ſumitur apud Tertullianum de carne Chriſti. Accedant, ait, comminus ad congreſſum. Vnde & pro ſtatim vel ad manus accipitur, vel præſenti pecunia. l. ſi quaſi. D. de pigne. act. Si quaſi recepturus à debitore tuo comminus pecuniam, reddidiſti ei pignus.

COMMITTERE, ait Feſtus lib. 3. propriè eſt ſimul mittere. Nunc eo vtimur & pro facere, aut pro relinquere, aut pro incipere. Committere in legem, ſtipulationem & teſtamentum dicuntur, qui aduerſus legem, ſtipulationem & teſtamentum quid faciunt. l. nō ſolùm. §. illud. D. de lib. leg. Veteres etiam lege Committere dicebant, M. Fabio libr. 7. c. 2. Lege de ſicariis commiſit L. Varenus. Committere in legem venditionis, eſt quid facere quo contraueniatur pacto venditioni adiecto: ſic accipias in l. fi. D. de leg. commiſ. Eodem ferè ſenſu Committere in *Pro ſocio* actione, apud Paulum. l. actione. §. Labeo. D. pro ſocio. Committere etiam edictum dicitur qui ei locum facit. Sic accipitur in l. 3. §. ſi quis ex liberis. D. de bon. poſſ. cont. tabul. & alibi ſæpiſſimè. Eodem ſenſu Committere ſtipulationem dixit Papinianus. l. Stichum. 95. D. de ſolut. ſic. l. in cauſſæ. D. de procur.

Cōmittere quoque animalia dicūtur, quoties inter ſe cōfligūt. l. j. §. cū arietes. D. ſi quad. paup. fec. dic. Cū arietes vel boues cōmiſiſſent, & alter alterū occidit, &c.

Cōmitti etiā ſtipulationē intelligimus, cū id quod per eā promiſſum eſt, debetur, toto tit. D. de verb. obli. ſicut pœnā cōmitti, cū incurritur & debetur. l. 3. D. eo. Hinc & cōmiſſa obligatio. l. j. §. vlt. D. de ſtip. ſer. Et, Cōmiſſa deuotio capitis, apud Cicer. in ea pro Domo, cum ſe voti reū fateretur, & caput deuotū debere. Eodē ſenſu.

Committere pro delinquere. l. j, §. cùm vrbem. D. de offic. præfect. vrb.

Committi fiſco ea dicuntur, quæ ob aliquas cauſas fiſco acquiruntur, vnde tit. D. lib. 39. & C. lib. 4. de vectig. & commiſ. Hinc

COMMISSA dicuntur, inquit Aſconius, quæ contra teſtatoris volūtatē facta, aut nō facta ab hærede, mulcta aliqua pœnáque plectuntur. Et commiſſa hæreditas,

in quaſupple id commiſſum eſt,quamobrem alteri ea debeatur.Atque hinc in Cōmiſſum res cadere dicuntur,pro quibus vectigal ſolutum non eſt, niſi forte id publicanus permiſerit.l.vl.§.ſiquis.D.de vectig. & cōmiſſ.aut res improfeſſæ,id eſt non inſinuatæ apud publicanos.l.vlt.§.quoties.D.eo. Aut denique cauſſa cōmiſſi eſt,cùm quis hoſtibus,aut barbaris arma vendit, ferrum,cotem.l.cotem.D.eo.l.j.C.de cōmer.& merc. tum ſiquis aliquid contra præſcriptum legum vendiderit,etiam ſi nō hoſtibus.l.ſi quis.C.de vectig. Commiſſum autem Græcis dicitur τὸ κλεπτοτελώνημα.

Commiſſæ hypothecæ dicuntur M.Ciceroni in Epiſt.ad Famil.quæ creditoris factæ ſunt.

Commiſſum factum pro homicidio poſuiſſe videtur Imperatores.l.is qui cum telo.C.ad leg.Cor.de ſica.

COMMISSORIA lex,eſt pactio quæ in venditionibus & oppignerationibus vſurpatur:qua id agitur in venditionibus vt ſi intra diem ſtatutum emptor pretium non ſoluerit.& vēditor rem veniſſe nolit,res nec vendita,nec alienata ſit,l.2.& tot tit.D. de leg.commiſſoria:in oppignerationibus verò,vt niſi definito tempore ſoluatur debitum,pignus fiat creditoris, de qua toto tit.C.de pact.pignorum. Dicitur autem hæc pactio Commiſſoria,quod qui in eam committit, in vēditionibus,in vniuerſam venditionem committat, ſiquidē velit venditor totam vēditionem haberi pro infecta. l.3.& 6.D.de leg.commiſſ. in pignoribus verò, quod pignus ipſum non ſoluto debito committatur, & liceat illud creditori vendere. Hanc conuentionē quidam volunt ab antiquis dictam fiduciam,de qua Paul. Sentēt.lib.2.tit.de leg.commiſſ.& in his Cuiac.in Parat.Pand.Hotom. verò ad tit. Feud.de feudo dato in vic.leg.commiſſ.reprob.multiplex inter illas eſſe diſcrimen,& fiduciam aliud nihil eſſe,quàm venditionē, quam vulgo cum redimendi facultate factam appellamus.Vide in dictione Fiducia.Vtranque autem legē Conſtant.ſuſtulerat.l.vn. C. Th. de commiſſ. reſcind. ſed cum Iuſtinianus eam in venditionibus retinuiſſet, & Conſtantini Conſtitutionem referret in l. vlt.C.de pact.pignor.vocem,Pignorum,interpoſuit.In pignoribus certè ob eam cauſam prohibita videtur,ne quod Principis auctoritate fieri debebat. l. j. & paſſ. C. de iur.domin.impetr. priuatorum pactionibus permiſſum videatur.

COMMODARE in edicto Prætoris in l.j.D.commod. iuncta.l.2.D.ſi cert.pet.eſt rem vtendam dare,vt eadē reſtituatur,finito vſu,in quem data fuit. Commodare pro mutuò dare poſuiſſe videntur Impp.in l.2.C.de iis qui ex pub.ratio.mu.pecu.libr.10.niſi accipientem dicas eandem ſpeciem, idémve aurum redditurum. Potior viſa eſt prior interpretatio, vt primus articulus illius.l.2.& rubrica docent. Commodare etiam dixerunt Valentinianus & Valens Impp.l. fundi.4.de fund.patrimo.libr. 11. C.pro ἐμφυτευτικῶς cedere,iurécque dominij tradere.

COMMODATVM,contractus eſt,quo rem aliquam ita gratis concedimus,vt de ea reſtituenda is qui acceperit teneatur.l.j.§.j.D.de oblig.& act.Inter commodatum autem & vtendum datum Labeo quidem ait tantum intereſſe,quantum inter genus & ſpeciem. commodari enim rem mobilem,non etiam ſoli: vtendam dari etiā ſoli.ſed(inquit Vlpianus) vt apparet,propriè commodata res dicitur, & quæ ſoli eſt:idque & Caſſius exiſtimat,Viuianus etiam habitationem commodari poſſe ait.l.j.D.commod.

Commodati natura eſt,vt gratuitò detur vſus rei : alioqui mercede interueniente,locatio erit, vel cōtractus innominatus.l.ſi vt certò.§.nunc videndū.D.commodati.§.item is cui.Inſtitut.quib.mod.re contrah.oblig.

COMMODVM notiſſimæ ſignificationis fertur.Commodum bonorū poſſeſſionis,in l.ſed & ſi. 5. D.de bo. poſſ.cont.tabul.dixit Iulianus,quod Paulus adpellauit beneficium.l.4.§.fi.D.eod.tit.

Hæc verba, CVM COMMODVM ERIT,ita interpretatur Sulpitius apud Labeonem.l. auus,79. D. de iur. dot.cum primùm ſine turpitudine,& infamia dari poterit.Proculus,cum ſine incommodo poterit.l.nepos. 125.D.de verb. ſignific. Apud Paulum. l. ſi dies. 21. D. quando dies leg.ced.ſignificare videtur Accurſio vtilitatem:B.Briſſonio voluntatē,id eſt,ſi voluerit. Equidem accipi eo ſenſu putem,quo commodè apud Varronem lib.6.Ling.Lat.cuius hæc verba ſunt : Igitur de originibus verborum multa qui dixerit commodè, potius boni conſulendum,quàm qui aliquid nequiuerit, negligendum, &c. pro aptè, rectè & legitimè, legibus moribúſve conſentientibus. Sulpitij ſanè & Proculi interpretationes tametſi ſit diuerſæ,recipiendæ tamen ſunt.Verba enim pro re accipiēda inter omnes conuenit. Commodum Falcidiæ, quartæ loco eſt apud Hermogenianum.l. ſi hæres. 9. D.ad leg.Falc. Sic Commodum Senatuſconſulti apud Vlpianum.l.5. §.ſi quis rogatus.ad fin.D. de dona.inter vir.& vxor. Commoda præmiorum,pro pecunia quæ propter coronas præſtari ſolet:idque athletis, qui victores fuerunt in ſacris certaminibus.l. commodis. 40. D.de re iudic. Commoda ex tribu, pro liberalitatibus & emolumentis,quæ à tribu obueniunt. l. patronus.D. de lega.3. Commoda primipili, in l.pater.23.D. de adim.leg.& Commoda primipilatus,in l. j. C. de primipil.libr.12.dicuntur ſalaria,quæ primipilo præſtantur. Græcis dicuntur, τὰ λόγῳ παραμυθίας παρεχόμενα. Eodem ſenſu Commoda veteranorum dixit Suetonius in Nerone.c.32.

COMMONITORIVM, in l.2.C.Theod.ſi cert. peta. de ſuffrag.l.vnic.C.de ſuffra.ſignificat adnotationem, & ſcripturam ipſam conuentionis.Nouella.8. σύμβολον vócatur.Sunt qui putent ſine ſcriptura fieri eam conuentionem:verius tamen eſt vt ſcripto fiat. Nam & Κομμονιτόριον, Sudæ ſignificat ἐπιστολὴν προστακτικὴν ἀποστελλομένην εἰς χώρας.,quo quis officij ſuſcepti implendi commonetur. Commonitorij autem formulam poſuit Caſſiodorus lib.7. Varia. Et ita apud B.Auguſtinum epiſt.129. & 158. hoc verbum accipiendum eſt. Symmachus etiam monitorium pro eodem vſurpauit.

COMMOVERE limites,& terminos in lege Mamilia, quam refert Arcadius Auguſt. in lib.de limitibus, eſt loco mouere:quo verbo vſus eſt Tertullianus in lib. de præſcriptione aduerſus hæreticos. Qua poteſtate, Apelles,limites meos commoues?

COMMOTIO pro excitatione principis, cum quis aduerſus mandata facit,apud Caſſiodorum libr.7.Variarum,in formula commonitorij.

COMMVNE dicitur,quod omnes ligat:inde lex.Hinc & Communis res,quæ eſt vel cum ſocietate, vel ſine ſocietate.Cum ſocietate,veluti inter eos qui eandē rem emerunt:ſine ſocietate,veluti inter eos quibus eadem res teſtamento legata eſt.l.2.D. comm. diuid. Hinc & Commune præceptum adpellatur Papiniano.l.j.D.de legib. Hinc etiam Commune ius, quod dupliciter accipitur,aut reſpectu proprij iuris, quod quæque ciuitas ſibi cōſtituit,cuiuſmodi ſunt conſuetudines ſingularum ciuitatum,de quibus loquitur cap.j.de conſtitu.libr.6.Aut reſpectu iuris gentium, quo omnes populi vtuntur. l. j. §. fi.l. omnes populi.9. D.de iuſtit.& iur. quod & idcirco κοινὸν νόμιμον appellatur Ariſtoteli. Communi autem iuri priuilegium opponitur,Papiniano.l. Centurio. 15. D.de vulg.& pupil. Sicque Commune ius, militare, & proprium aduerſa ſunt. l.conficiuntur.8.§.ſi miles. D. de iur.codic. Paul.libr. 3.Sent.

3.Sent.recep.tit.44§.filiusfamiliàs. Communi,& creditoris iure vendere ſeparantur l.ſi mandatu.59.§.creditor.D.manda. At propriè Communia omnium eſſe dicuntur,quæ naturali iure omnibus patent, vt aër, aqua,&c.l.2.& 3.de rer.diuiſ.Communia prædia accipere debemus, ait Vlpianus l.magis puto.§.fin.D.de reb.eo.ſi pro indiuiſo communia ſint.

Communia quædam naturali iure ſunt omnium, quædam vniuerſitatis,quædam nullius, pleraque ſingulorum, quæ variis ex cauſſis cuique adquiruntur, l.quædam.D.de diuiſ.rerum.

Communia veſtimenta ſunt, quibus promiſcuè vtitur mulier cum viro,Vlpianus l.veſtis.23.§.communia.D. de aur.& arg.leg.

Communes ſunt ſtipulationes, veluti Rem ſaluam fore pupillo: Pomponius,l.ſtipulationem.§.communes.D. de verb.obligat.

COMMVNI DIVIDVNDO actio miſtam cauſſam habens,quæ inter eos redditur, inter quos aliquid commune eſt,vt id diuidatur,§.quædam.Inſti.de actio.nec ſolum redditur in rebus communibus iure ſocietatis, id eſt inter eos qui pariter eandem rem emerunt: ſed & ſine ſocietate,veluti inter eos quibus eadem res teſtamento legata eſt,l.2.D.communi diuid.Atq; in hoc iudicium nihil peruenit vltra diuiſionē ipſarū rerum quæ communes ſint:& ſi quid in his damni datum factúmve eſt, ſiue quid eo nomine, aut abeſt alicui ſociorum,aut ad eum peruenit ex re cōmuni, l.3.D.eod.

COMMVNITER geſtum à ſocietate longè remotū eſt & ſine ſocietate fit. l.nam cum tractatu.32. & l.ſeq.& ſeq.D.pro ſoc.

COMMVNIO alia eſt publica & naturalis. cuius fit mētio in l.2.D.de rer.diuiſ.& in §.& quidem.Inſtit.eo.tit. Vbi quædam naturali iure communia ſunt omnium. Talis publica & naturalis communio in paucis admodum rebus vix poteſt retineri,nec admittit iudiciū diuiſionis, quia in ſimplicitate naturali manet. Communio alia eſt priuata & ciuilis, vmbram quandā referens naturalis illius communionis. Hæc admittit diuiſionem de rebus priuatis,& dominio noſtro ſubiectis,etiam vniuerſitatis. Imò requirit neceſſariò iudicium diuiſorium, quoniam cōmunio etiam inter paucos parit diſcordiam, l.in re communi.D.de ſer.vrb. præd.l.cum pater.§.dulciſſimis.D.de leg.2. Vnde ſatis admonemur,quam non fuerat poſſibile,abſolutam illam & ſimplicem retinere communionem omnium rerum, vt nonnulli phanatici ſomniant. Communionem autem rerum omnium pugnare cum naturali diuinóque iure Exodi cap. ΟΥ ΚΛΕΨΕΙΣ, hoc eſt, FVRTVM NON FACIES, nobis oſtenditur. Nam ſi omnes res nobis ſecundum naturam eſſent communes,hoc eſt,ita vnius ſicut alterius, non poſſet cōmitti furtum contra naturam, quia concederentur iure occupanti: vt etiam nunc habemus quaſdam res cōmunes,quæ furtū non admittunt, quoniam furtum committitur dūtaxat in rebus alienis,vel alieni iuris, clam domino, l.j.D.de fur.Statuitur igitur legitima rerum & dominiorum diuiſio, idque iure gentium, l.ex hoc iure.D.de iuſti.& iur. vt vnuſquiſque ſuū habeat, ſitq; ſua ſorte contentus: quod Ariſtoteles eleganter, ac omnes Romani Iureconſulti probant, reiecta Platonis falſiſſima opinione.

COMPACTVM in conſtitutione diuorū Seueri & Antonini,l.3. de execut.rei iudic. ſtructā collato in vnum conſilio machinationē ſonat.Liuius lib.6.Vrb.Cond. Vt multo (ait) veriſimilius ſit compacto eam rem, & communi fraude patritiorum actam. Compactum, à cùm & paciſci, éſtque conuentio,vt quis fraudetur.

COMPARATIONIS verbo coëmptio ſignificatur, in l.j.C.vt nemi.lic.in coëmpt.lib.10.& l.j.& fi.C.de quibus mun.eo.lib.Lib.57.Βασιλικῶν appellatur συνωνὴ, l.2. C.vt nemini lic.in coëmpt. Comparationem etiam in l.j. D.priuileg. cred.vel (vt eſt in Pand.Flor.) l.cum bona.16.D.de rebus auctorita.iud.poſ.accipere debemus æquiparationem.Sed & Comparationē pro præparatione & formatione poſitam adnotat B.Rhenanus à Tertulliano in lib.aduerſ.Valentinianos.

COMPARATIVVM,& ſuperlatiuum haud perpetuò naturam ſuam ſeruare,demonſtrāt Doctores in l.cùm pater.§.libertis.§.rogo.de legat.2. Albert.citatis locis indicat, & comparatiuum aſſumere vim poſitiui, & viciſſim hunc naturam cōparatiui, l.quod Nerua. vbi Zaſius.D.depoſit.vt apud Virg.

Triſtior, & lacrymis oculos ſuffuſa nitentes.

nec immeritò: nam comparatiuo ſignificationem poſitiui ineſſe adnotat Alciatus,l.vbi autem.in princi.D. de verbo.oblig.

COMPASCVVS ager,in quo vicinis ius eſt communiter compaſcendi. Cicero in Topic.Si cōpaſcuus ager eſt,licet compaſcere.Sic & Feſtus hoc in genere ſcripſit, Compaſcuus ager, relictus ad paſcendum communiter vicinis. Iſidorus lib.15.Etymolog.ca.13.Compaſcuus ager, qui à diuiſoribus agrorum relictus eſt ad paſcendum communiter vicinis. Scæuola l.pen. D. ſi ſeru.vind. Plures ſaltum communem, vt ius compaſcendi haberent mercati ſunt. Et paulò poſt: An pars illorum fundorum aliquid iuris ſecum huius compaſcui traxerit,

COMPASCVA Siculo Flacco in lib.de condit.agro.genus ſunt quaſi ſubſeciuorum,ſiue loca, in quibus proximi quique vicini, id eſt, qui ea contingunt paſcua, ius paſcendi habent.

COMPEDES, vinculum eſt, quo pedes irretiri ſolent. Dicitur COMPEDITVS homo,& Compeditus abſolutè,§.ſed pœnæ.Inſtitut.de iniur.Compeditum appellat Theophilus eum,qui in vinculis eſt,& viliſſimo comparatur.

COMPENDIVM eſt breue,& vtile.Hoſtien.in cap.fin. ext.de dol. & contum.in antiq. Compendium temporis,l.debere.§.fin.D.de caſt.pecul.Et Compendium itineris dixit Modeſtinus,l.eundem.16.D.de legationib. Et Compendium edictorum, pro peremptorio edicto poſuit Vlpianus, l.nonnunquam.in fin.D.de iudic. Compendij etiam verbo lucrum ſignificari exiſtimant interpretes.l.duo ſocietatem.71.§.duo. D. pro ſocio.l.3. D.de calumniat. l.Iulianus.D. ſi quis omiſſa cauſ.teſt. & alibi ſæpe in Pandect.l.iudices. C. de anno.& tribu.lib.10. l.cum virum.16.C.de fideicom. In cita.§.duob. Iuriſconſ. lucrum à compendio ſeparat: atque id videtur intelligendum, quod quærimus parſimonia. In aliis autem locis μεταφορικῶς pro lucro accipi putem. Quod verbum à vetere æris penſandi ritu deriuant Feſtus lib.4. & Varro.lib.4. Ling. Lati.Huic opponitur Diſpendium,l.actione.65.§.item qui.D.pro ſocio.

COMPENDIARIA, pro breui itinere ponitur in l.4. D.de itin.actúque priuato. vbi, via, eleganter ſupprimitur: vt & poſuit apud Non.Varro,Hoc(inquit)dico compendiaria ſine vlla ſolicitudine, ac moleſtia dicendi poſſe perueniri ad eandem voluptatem.

COMPENDIOSA ſubſtitutio, vide infrà, Subſtitutio.

COMPENSARE eſt cum debitum & creditum inter ſe cōtrahentes cōtribuunt,toto tit.de cōpenſat.D.Hinc,

COMPENSATIO eſt debiti & crediti inter ſe contributio,id eſt,per æris ſui computationem, ab ære alieno liberatio. l.j. D. de compenſatio. Compenſatio quandoque etiam ſumitur pro deductione & retentione,l.in reſtituenda. C.de hæred. peti.l.fructus.7.§. ob donationes.& l.rei iudicatæ.15.§.j.D.ſol.mat.Hanc tentionē appellant Vlpianus in Inſtit.tit.6. de dotib.

& Iuſtinianus l.vnic.§.taceat.C.de rei vxo.actio.

Comperendinatio, eſt,vtriſq; litigatoribus inuicem ſibi denunciatio in perendinum diem. Budæus in d.l.fi.ex Aſconio. Comperendinatio diffinitur in quodam lexico,τρίμερος ὑπέρθεσις,id eſt, trium dierum dilatio.vnde non immeritò Comperendinatam rem, iudicium in tertium diem conſtitutum Feſtus libr.16. diffinierit.At quid differat comperendinatio ab ampliatione,vide Ampliatio.

Comperendinati rei dicuntur, qui in criminalibus è cuſtodia dimiſſi, ſuæ ipſius cuſtodiæ commiſſi ſunt, vt aut vrbem carceris loco iuſti habeant, aut aliquam priuatam domum: vt interdum fit ex perſonarum dignitate,& genere cauſſarum. Budæ.in l.poſter. de orig.iur.D.

Compellere, notiſſimæ ſignificationis eſt. Hinc,

Compulsor in l.3.de lucr.aduoca.libr.12.C.Græcis ἐξπελάστης dictus,in Cõſtitutione Græca Anaſtaſij Imperatoris l.fi,C.de exact.tribut.lib.10.qui prouinciales cogebat ad penſitationes ſoluendas:vt colligitur ex d. l.3.& fi.Caſſiodorus lib.j. Var.epiſto.2. Quia non iam compulſorem ad te mittimus, ſed vltorem, ſi aliqua credideris ludificatione tardandum.

Competere verbum Iuriſcoſ.frequens, & familiare, pro aptum & idoneum eſſe.Inde Competere libertates dicuntur,quæ ex teſtamento,aliàve cauſſa contingunt,l.Papinianus.in fi.D.de inoffi.teſta. Et Competit actio,quæ lege data eſt, & alicui conuenit, vel ex contractu deſcendit. Sic Competere certi condictionem dicimus,l.certi condictio.D.ſi cert.peta.

Competens iudex dicitur, cuius de re controuerſa iuriſdictio eſt,iuriſve dicendi poteſtas, l.penult. D.de iuriſd.om.iudic. Competens cautela, in l.ſi debitori. D.de iud.id eſt, idonea. Competens pœna, congrua,& ſecundum delictum inflicta,l.3. C.de lucr.aduocat. Competens tribunal, apud quod ius fuit de re cognoſci,l.ſed & hæ.§.j.D.de procur. Eodem ſenſu Competens forum,ex rub.de foro cõpetenti.Competentes vſuræ,in l.j,C.ſi maior fact.alienat.congruæ, & legitimæ,legéque definitæ.

Competenter, pro eo quod eſt, idoneè, c.grauis. de reſti.ſpolia.in antiq.ſic accipitur apud Vlpia.Solut. matr.l.ſi cùm dotem.§.eo autem tempore. Quatenus, inquit,& filio & patri competenter conſulatur.

Competitor apud Vlpian.l.generaliter.§.ſpurios. D.de decurio. is qui cum aliquo eũdem magiſtratum, officium,& honorem petit.

Compilare, Feſto auctore lib.3.eſt cogere,& in vnũ condere. Compilare iura,& leges, eſt in volumen redigere:quod fecere Tribonianus & collegæ. Compilare etiam ſignificat,vndique ſubripere,& omnia furtim legere,l.ſacrilegi.D.ad leg.Iul.peculat. Atque deductum videtur,vt vult Turneb. ab Æolico verbo πιλήτης,id eſt fur,qui φιλήτης Heſiodo.dicitur. Hinc,

Compilatorem eum appellat Iſidorus libr.10.qui aliena dicta ſuis permiſcet.

Compingere, apud Vlpianum l.qui res.§.aream. D. de ſolut.eſt componere,& coniungere: quo ſenſu accipitur & apud Virgilium in Bucol.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.

Compita,loca quæ ſimul petuntur, hoc eſt, adeuntur per diuerſas vias eodem tendentes, vt ſunt triuia,& quadriuia,in quæ plures coëunt viæ, ex Varrone lib.5. Ling.Lati.& Seruio in 2.Georgicωn. Sic accipitur in can.de viro.12.q.2. Larum autem ſedes in cõpitis erat. Nec in vrbe ſolum compita fuerunt, verumetiam in lucis vbi colebantur dij. Papinius: *Idcirco acriis moliuntur compita lucis.* Sed & in agris.Cicer.2.de Leg.Lucos in agris habento,& larum ſedes.

Complexus,in l.triplici.D.de verb.ſign.eſt comprehenſio, cùm vna clauſula complectitur, veluti & nomina & res:qua de re vide infrà,Coniunctio.

Complurium appellatione quatuor complurésve contineri liquet ex l.is qui complures. D.de lega.2. vide item Bart.in l.j.C.ſi rector prouinciæ.

Compluriens, pro ſæpe,apud Catonem poni ſcribit Feſtus lib.6.

Compluvium, vt ait Feſtus lib.9.quò de diuerſis tectis aqua pluuia in eundem locum confluit. Varro lib. 4.de Ling.Lat.Impluuium, quò impluebat: Compluuium,qua compluebat, vtrunque à pluuia: vt illud ſit ſuperior pars,hoc inferior. Compluuium tamẽ in Vitruuio ea pars eſt tecti in cauædio, quæ pluuiã deiicit: vt,Cum iiſdem rationibus trabes & compluuia collocantur. Id enim dicit de excurrente parte tecti, & aſſeribus longius proiectis.

Componere, eſt multas res apta quadam cohærentia,& velut harmonia ſimul ponere, cõiungere, & de rebus ſuis diſponere, in l.2. C.de exhib.reis. Sic dicimus componi carmina,leges, ædificia, orationes. Vnde pulchra admodum metaphora, componere cenſemur lites,id eſt concordare,ad bonas conditiones paciſci: quo ſenſu accipitur Compoſitio c.2.de teſtibus. lib.6.& Compoſitò, aduerbialiter, hoc eſt,ex pacto: cuius oppoſitum eſt, Non ex compoſito. Componere etiam ſignificat inſtituere,vt in l.2.§.poſtea ne diutius. D.de orig.iur.quo loco compoſitas actiones,pro inſtitutis quibuſdam agendi formis accipere debemus.

Compositor anni,apud Cic.lib.2.de Legib.Feriarũ feſtorúmque dierum ratio in liberis, requietem habet litium & iurgiorum:in ſeruis operũ & laborum: quas compoſitor(non compoſitio,vt in vulgatis)anni conferre debet perfectionem operum ruſticorum.Eſt autem Compoſitor qui componit annum, & ſtatuit qui dies ſacri & profani ſint.Victorinus Var.lect.cap.6.

Compos mentis,qui ſani animi eſt, l.3.C.de curat.furioſi. Terent.in Adelphis,

Vix ſum compos animi,ita ardeo iracundia.

Compraedes, Feſto lib.3.eiuſdẽ rei populo ſpõſores.

Compromittere in arbitrum dicuntur,qui arbitri ſententiæ ſtaturos ſe hinc inde ſub pœna promittunt,l.ſed ſi.9.D.de arbit.

Compromissum, eſt conuentio, qua arbitri ſententiæ ſe obtemperaturos inuicem ſub pœna vterq; litigator promittit.l.j.& 2.C.de arbit.

Compromiſſum plenum, in l.quid tamen.§.plenum. D.de arbit.appellatur, quod de rebus controuerſiiſque compoſitum eſt,quod & habet doli mentionem, l.ita tamen.in fin. D.eod. Compromiſſum autem ad ſimilitudinem iudiciorum redigitur, & ad finiendas lites pertinet, l.j.D.de recept.arb. Vocantur enim litigatores in ius, offertur libellus, dantur dilationes, recipiuntur teſtes, inſtrumenta, dicitur ſententia in compromiſſo, ſicut in iudicio: quod de iis accipi oportet, quando ex compromiſſo ad arbitrum itum eſt, l.ſocietatem. §.arbitrorum. D.pro ſocio. Compromitti verò poteſt in duos, vel plures, vt alterutrius,vel cuiuſlibet ſententia valeat, l.ſed ſi ita compromiſſum. l. non diſtinguemus. §. cum in plures. D.de recept.arbit. Compromitti in plures poteſt, vt vnus ex eis eligatur, qui pronunciet, l.item ſi vnus. §.item ſi plures ſunt.D.eod.tit. Compromitti in duos non poteſt ſic, vt ſi diſſentirent, tertium adſumant: niſi nominetur tertius, d.l.item ſi vnus. §.ſi in duos. In numero impari rectius compromittitur, quia ſi diſſentiant, maior pars inuenitur cuius iudicio ſtabitur. Ibidem. §.principaliter tamen. Vſitatum eſt in duos compromitti, & ſi diſſentiant, magiſtratus cogit eos tertiam perſonam eligere, cuius autoritati pareatur,

reatur, etiam ſi neutri accedat in pronunciatione. Ibidem. Si in plures fuerit compromiſſum, ſufficit maioris partis conſenſus: modò ſi omnes adſint. Ibid. §.fin. nam ex pluribus arbitris non poteſt vnus ſententiam dicere abſentibus aliis, l.item ſi vnus. §.item ſi plures. D, eod.tit. Quod de arbitris dictum eſt, idem dicendũ de pluribus iudicibus datis, l.ſicuti tribus. D.eod.titul. Compromitti autem de crimine poteſt ciuiliter, l. quid ergo.§.ex compromiſſo. D.de his qui notantur infam. De famoſo aut publico delicto criminaliter ad arbitrum iri non poteſt. l.non diſtinguemus.§.Iulianus. D. de recept.arbit. At vero Compromiſſum ſoluitur, ſi ex pluribus actoribus vel reis conuentis vnus ante ſententiam moriatur, ſi cauſa eſt indiuidua: ſin autem diuidua, recurrendum eſt ad diſtinctionem, l.quid tamen.in princ. D.eo.titu.glo. & Bart.in l.diem proferre.§.j.D.eod. Nec Compromiſſi generalitas pertinet ad ea, de quibus actum, ſed de quibus diſceptatum eſt, d.§.plenum.

intra Compromiſſi diem vocatus, qui non adeſt, legitima impeditus cauſſa, valetudinis, vel abſentiæ reip. cauſſa, aduerſus pœnæ petitionem tutus eſt, ſi admittat denuò compromitti, d.l.quid tamen.§.ſi quis ex litigatoribus. In eum locum iubendi ſunt litigatores adeſſe, de quo actum, vel vbi compromiſſum eſt, Ibid. §.ſi arbiter iuſſerit. Vocatus in aliquem locum inhoneſtum, non tenetur comparere. Ibid. §.ſed & ſi in aliquem.

in Compromiſſo dies ſolet conſenſu partium exprimi, intra quem cauſſa definiatur, l.Pomponius ait. §.fi.D. de recept.arbit. Quòd ſi compromiſſum ſine die confectum eſt, neceſſe eſt arbitro diem ſtatuere partibus conſentientibus, & ita cauſſam diſceptare, l. ſed ſi compromiſſum.D.eo.titu.

Compromissi diem proferre. Hæc clauſula nullam aliam dat arbitro facultatem, quàm diem prorogandi. Et ideò conditionem primi compromiſſi neque minuere neque mutare poteſt, l.Labeo ait.§. hæc autem clauſula. D.eod.titu. Diem autem arbiter proferre vel præſens, vel per nuncium, vel per epiſtolam poteſt, l.diem proferre.in princ.D.eod.tit. Prolato die, cautio primi compromiſſi nõ abſimilis iterum præſtanda eſt, d.l.Labeo ait.§.fin. & l.ſeq. Arbiter ita ſumptus ex compromiſſo, vt & Diem referre (in Pandect.Floren.proferre) poſſit, (hoc eſt, retrò ferre, breuiorem ſtatuendo, ad diſceptationem finiendam) hoc quidem facere poteſt inuitis ſeu contradicentibus litigatoribus: referre autem non poteſt, niſi conſentiant, l.arbiter ita.D.de recept.arbit. Licet non valeat ſententia arbitri, poteſt tamen prolatio diei valere, l. Labeo.in princi. D.eod.titu. prærogatio diei non fit conuentione partium in compromiſſo, niſi ſequatur iuſſus arbitri, l.non diſtinguemus.§.dies compromiſſi. D.eo.titu.

ex Compromiſſo non naſcitur exceptio, ſed pœnæ petitio, l.2.D.de recept.arb. Si in compromiſſo fuerit adiecta pœna, non eſt opus ſtipulatione, aut fideiuſſoribus. Si ſtipulatio, vel cautio fideiuſſoria interuenerit, non eſt neceſſaria pœna ad producendam actionem, Barto.in l.diem proferre.§.fi.D.eo.tit. Ex compromiſſo per pactum nudum confecto, adiecta pœna, competit certi condictio, ſiue certa ſit ſumma, ſiue incerta, in id quod intereſt, arg.l.fi. D.ſi quis in ius vocat.non ierit. Ex compromiſſo per ſtipulationem cõfecto cum pœna, naſcitur actio ex ſtipulatu, ſi incerta fuerit ſumma: vel certi condictio, ſi certa fuerit, Inſtitut.de verb. oblig.in princ. & §.fi. Vbi ſine pœna ſimpliciter ſententiæ ſtari per ſtipulationem promiſſum eſt, ibi competit incerti actio, hoc eſt, ex ſtipulatu. Cùm in compromiſſo neque pœna, neque ſtipulatio fuerit ſubiecta, tunc ſi litigatores ſubſcripſerint ſentẽtiæ, hoc eſt, expreſſè in eam conſenſerint, vel tacitè, id eſt, intra decem dies non cõtradixerint: & actio in factum naſcitur, & exceptio pacti, l.ne in arbitris.§.ſi quis autem.& l.penul.C.de recept.arbit.

in Compromiſſis pœna vtrum ſit certa, an incerta, vtputa quanti ea res erit, nihil intereſt, l.non autem.D.eo. tit.non diſtinguitur item, minor an maior ſit pœna, quàm res de qua agitur, l.non diſtinguemus.in princ. D.eo.tit.pœna compromiſſa accipitur non ſolùm numaria, verùm etiam alia res vice pœnæ promiſſa, l.litigatores ierunt.§.j.D.eo.tit. Item ſi res apud arbitrum depoſitæ ſunt, vel quantitas certa, eo pacto vt ei daret qui viciſſet, vel vt eam daret, ſi non pareretur ſententiæ. Item ſi ambo debitores paciſcãtur, ne petat, quod ſibi debetur, qui ſententiæ non paruerit, l.litigatores ierunt.§.quid ergo.& §.interdum.D.eo.titu.

in Compromiſſis ſtipulatio ſub hac conditione tacita committitur: Si ſine dolo malo ſtipulantis factum ſit, l.ita demum.in prin.D.de recep.arb.iunct.l.conditiones extrinſecus.D.de conditio.& demon.

in Compromiſſo ſi adiiciatur, Si quid dolo in ea re factum sit: ex ſtipulatu conueniri, qui dolo fecit, poteſt. Quòd ſi huiuſmodi clauſula adſcripta non eſt, tũc de dolo actio, vel exceptio locum habebit, d.l.ita demum.

ſi Compromittat mulier alieno nomine, non erit pœna compromiſſa propter interceſſionem, l.non diſtinguemus.§.ſi mulier.D.de recept.arb.

Compromissarius iudex, ex compromiſſo ſumptus, l.cum lege. D.de arbi.l.pen.C.de pact.l.fin.C.de teſtibus.per l.pen.D.de iudic.vel ad quem ex compromiſſo itum eſt, d.l.ſocietatem.l.76.vel (vt Sudas diffinit) ἐκ συναινέσεως δύο μερῶν μεταξὺ ληφθεὶς διαιτητής. Alias διαιτητὴς αἱρετὸς dicitur.

Compvlsor, vide ſuprà Compellere.

Compvlsoriales literæ dicuntur, à cõpellendo. Iudex enim appellationis, quoniã ſuperior eſt, compellere ſolet ad hoc inferiorem iudicem, à quo appellatum eſt, vt acta edat cum refutatoriis, l.à proconſulibus.C.de appella.l.vnic.D.de libel.dimiſ.

Compvtare, in §.item tria.in fin.Inſtit de excuſ.tut. pro εἶναι accepit ibidem Theophilus, quaſi dicas accipitur, intelligitur, cenſenda eſt: Tutela pluriũ liberorum vna exiſtimanda eſt, ἐπειδὴ (vt ait Theophilus) καὶ μία ἐπιτροπία. non tamen inficias eo, quin pro connumerari accipi poſſit.

Compvtatio, in Gordiani Imp.conſtitutione l.inſtar.C.de iur.fiſc.lib.10. Accurſ.pro rationum traditione poni credit: vbi Albericus pro traditione legit redditione. Bart.I.Platæus, & Odofredus ibidem pro rationum ſubductione, & ad calculum reuocatione accipiunt, & verius, quam Galli vocant *Compte*: & verbum, computatio, non ad eum qui reddit, ſed eum, qui eas ſubducit, & (vt vulgò loquimur) Computum facit, referri debere res ipſa docet.

Conatvm accipere debemus, ad quid faciendum tentationem, & periculum, niſum, & experientiam, Græcis πεῖραν, Gallis, *effort à faire quelque choſe*, qui tamen effectum non habuit. Sic accipi debet in l.j.in fin. D.quod quiſque iur. Diſputatum eſt variis iuris articulis, an puniendus eſſet conatus. Regulariter definitur non puniri. Ex cauſſis diuerſum ius receptum ſcio: quo in genere librum ſcripſit Felinus Sandæus, quem ſubiecit Titulo de appella.

Concameratio, vel (vt in Pandect.Florent.) concamaratio, in l.ſi cui ædes.31. D.de legat.3. ſtructuræ genus, arcuato opere conſtans, Budæo ex Vitruuio lib.6.cap.vlti.

Concedere, generale verbum eſſe, vũque ſecundum nat

dum naturam cõtractus,cui adiungitur, accipere ſcribit Baldus ad l.non ambigitur.in fin.D.de legibus. cui rei conteſtem habet Concedere pro dare accipi apud Scæuolam, l.vxorem,§.j.D.de leg.3.itáque ab eodem apertiſſimè explicatur ibidem,& à Baldo,d.l.non ambigitur.quo verbo dominij tranſlatio ſignificatur, ex ſententia eiuſdem Baldi,exiſtimantis hoc ita, ſi cauſſa ſubeſſet, vt in legato domus. Cauſſa enim (ait) apta erat ad dominij tranſlationem: alioquin committere ſignificat. Eo quoque verbo dominij tranſlatio non ſignificatur, cum vſusfructuarius rem, in qua vtendi fruendi ius habet, alteri fruendam concedit, l.arboribus.§.vſusfructuarius.D.de vſufru. At Concedere pro remittere dixerunt Impp.l.omnium. C.de vectig.& commiſ. Concedere in fatum, pro mori, accipitur in l.3.C.de iur.delib.

Concedere, pro permittere, temporarium eſt: Cedere, perpetuum, gloſ.in verb.portionibus, l.ad eum. D.de donationi.

Concessvm dicitur, ſicut datum, legatum, donatum, quod deductis omnibus expenſis reliquum eſt, l.non amplius.D.de leg.j.

Concessioni generali non continentur ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter conceſſurus, c.in generali. de regul.iur.lib.6.vbi vide gloſ.& Dinum.

Concha apud Vlpianum l.cum aurum.19. §.penult.D. de auro,& arg.leg.non eſt margaritæ ſpecies, vt putat ibidem Accurſius, ſed belluæ marinæ genus, quæ margaritas parit, vt docet Plinius, lib.9.cap.35.quam celerrimè creſcere ait, eo lib.cap.36. Concha etiam aliud ſignificat Marciano l.item pictoris.D.de fund.inſtru. accipitur enim ibidem pro vaſculo pictorio, & teſta conchæ.

Conchylivm, in l.ſacri.6.C.de diuerſ.reſcrip.& l.ſi quis.6.C.de murileg.lib.11.& l.4.C.de veſtib.holober. eo.lib.piſcis genus, ex cuius mortui ſucco inficiebantur veſtimenta regia. Vide Caſſiodorum lib.j.Variar. epiſt.2.huius proprietatem fuſiſſime explicantem, & qua occaſione vſus eius ad artes ſit ductus. Conchylia autem à murice ſeparat l.ſi quis.C.de murileg. Sunt tamen qui dicunt muricem,& conchylium idem eſſe, ſed muricem Latinum, κογχύλιον Græcum eſſe: atq; ſic videtur vſurpaſſe Caſſiodorus loco præcitato. Hinc,

Conchyliatvs, conchyliis tinctus. Inter conchyliata autem & purpurea hoc intereſt, quòd purpureum inficitur purpuræ flore & buccini ſucco, certo quodam temperamento: in conchyliatis non miſcebatur buccinum, vt Plinius ſcribit: In conchyliata veſte cætera eadẽ ſine buccino, prætereáque eius temperatura, & quæ pro indiuiſo humani potus excremento remedia & medicamina adduntur. ſic enim legi vult Turn.

Conchylegvlos, qui conchylia legunt, paſſim reperias, quos κογχυλιολέγας Iuſtinia.in Nouellis vocat. De his loquitur Caſſiod. loco iam citato: Quid enim agunt tot artifices, tot nautarum catervæ, tot familiæ ruſticorum?

Conciliari ſignificat amore coniungi, amore nuptias, matrimonium contrahere, in oratione Antonini, l.3.D.de don.int.vir.& vxor. Sed & contractis nuptiis, ſi diſſenſerint vir & vxor, & poſteà in mutuam gratiam redierint, conciliari veteribus dicebantur: idque mulierum plerunque opera fiebat. Vnde,

Conciliatrix, Feſto lib.3.dicebatur quæ viris conciliat vxores,& viros vxoribus.

Concilivm, Feſto auctore lib.3.dicitur à populi conſenſu, ſiue à concalando, id eſt, vocando. Concilium enim veteres dicebant de plebis parte aliqua, quæ in foro ad concionem conueniebat. Hinc Concilium edicere intelligitur, qui non vniuerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe iubet, vt ait Lælius Felix apud Gellium lib.15.cap.27. Concilium autem aduocare ſeu conuocare dicebatur Trib.pleb. qui concionem ad plebem habiturus eſſet. Cicero in Vatiniana: Num quando tibi moram attulerit, quo minus concilium aduocares, legémque ferres, quòd eo die ſcires de cælo eſſe ſeruatum. Hinc Concilij nomen pro ſynodo, quod tractum eſſe Gratianus ſcribit cap.15.diſtinct.ex more Romano. tempore enim quo agebantur cauſſæ, conueniebant omnes in vnum, & communi intentione tractabant, &c. vt eſt apud Iſidorum libr.6. Etymolog.ca.18. Quo autem tempore cœperint concilia, quæve, & quanta ſit eorum auctoritas, docetur cap.j.& 2.diſtin.15. Eorum canones pro legibus haberi Iuſtinianus iuſſit Nouella 131.

Conciliabvlvm, à municipio, colonia, oppido, præfectura, vico, caſtellóque ſeparatur Paulo libr.4. Sentent.tit.6.quid ſit, diſces ex I.Frontino lib.de limitibus agro.de controuerſia territorij loquente. Conciliabulum interpretatur Feſtus, lib.3.locum vbi in cõcilium conuenitur: quo verbo vſus eſt C.Gracchus apud Gellium lib.j.cap.7. Per conciliabula autem & fora Liuius intellexiſſe videtur omnia quæ extra vrbem erant maiora & minora oppida, caſtella, loca in quibus eſſent conuentus aliqui iuridici. In genere tamen conciliabula loca fuerunt in quibus ius diceretur, quæ foris erant inferiora.

Concinnare, vt ait Feſtus, eſt aptè cõponere. Quãdoq; veteres vſurpabãt pro facere. Plautus in Captiu. *Qui me inſanum dictis concinnat ſuis.* Aliquando etiam Concinnare is dicitur, qui rem effictis mendaciis, omnibus lenociniis perpolit: à vocabulo Cinnus, ducta metaphora, qui apud veteres, vt refert Nonius, potionis genus ex multis liquoribus confectum dici ſolebat. Hinc,

Concinnatores cauſſarum, vt habẽt vulg. exemplaria in l.ne quicquam.§.circa aduocatos.D.de offic. proconſul.quam etiam lectionem agnoſcere videtur Alexander ab Alex.lib.4.Genial.dier.cap.15. ij ſunt, vt idem ait, qui nouas lites ſimulatis captionibus, & cauillis improbis in longum ducere moliebantur, cùm ſibi agere iure non liceret.

Concipere, eſt ad certam formulam exprimere, Budæo l.iuſiurandum.34.D.de iureiur.ſicque accipiendum putat in l.quicquid.D.de verbo.oblig. Equidem verbum concipere ſignificare ibidem putem aliquid animo adprehendere, tum mente concepta exprimere,& certis verbis comprehendere. Vnde concipere libellos appellatorios, l.j.in fi.D.de appel.& Cõcipere iuſiurandum, pro certam iuriſiurandi formulam præſcribere, l.34.§.ſi de qualit.& §.pen. D.de iureiur. Cic. de Offic.3. Quod ex animi tui ſententia iuraueris, ſicut verbis concipitur iure noſtro, id nõ facere, periurium eſt. Hinc Concipere ſtipulationem apud Vlpian.l.61. l.71.l.115.D.de verb.oblig.& l.99. ſtipulatori liberum fuit verba latè cõcipere. Et Concipere vadimonium, apud Cicer.lib.2.ad Q.fratrem. Negat enim in tanta multitudine eorum qui vnà eſſent, quenquam eſſe, qui vadimonium concipere poſſet.

Conceptis verbis iurare, id eſt, dictatis à deferente iuramentum. Bud.d.l.iuſiurãdum. Idem appellatur, præire verba iuriſiurandi. Conceptis verbis peierare, eſt inexpiabili periurio ſeſe cõtaminare. Bud.in l.iuſiurandum & ad pecunias. D.eo.

Conceptio dicitur formula apud Paulum l.libellorum.in princip.D.de accuſ.& Ciceronem lib.2.de inuention. Et omnis conceptio priuatorum iudiciorum concipitur. Sic Stipulatio dicitur Conceptio verborum, l.ſtipulationum.5.§.j. D.de verb.obliga. Conceptio iuriſiurandi apud Vlpianum l.iuſiurandum. 34. §ſi de

§.ſi de qualitate.D.de iureiu. Conceptionem autem à formulis ſeparat Paulus noſter in lib.Sententiarum l. actio.47.D.de neg.geſt.& pro inſtitutione,& compoſitione,& expreſſione poſuiſſe videtur.

CONCEPTÆ in bonum, & æquum actiones apud Gaium l.eas.8.D.de capit.minut. ſunt quæ ex bona fide deſcendunt,quæve bonæ ſunt fidei, cuiuſmodi eſt actio de dote. Conceptæ in rem ſtipulationes, l.5.D. vſufr, quemadmodum caueat. Concepta pœnæ nomine actio,quæ ex delicto naſcitur,l.præter.9.§.fi. D. de reb.auct.iud.poſſid. Concepta in dolum actio, dicitur in factum, l.huius actionis.9. D.quod falſ.tut. auct.Eodem ſenſu accipitur apud Iuli.Paul.lib.5. Sentent.tit.7. Conceptum furtum(vt Iuſtinianus diffinit in §.conceptum.Inſtit.de obli.quæ ex delict.naſcunt.) cum apud aliquem, teſtibus præſentibus, furtiua res quæſita & inuenta ſit:quam diffinitionem ſumpſit ex lib.2.Sentent.Pauli tit.31.cui adiecit,Teſtibus præſentibus.ſic ſumitur hoc verbum in his verbis legis XII. Tab. Tignum iunctum ædibus vineáque concaptum ne ſoluito.Concaptum enim vetuſtè pro conceptum. vide Tignum. Conceptæ feriæ Varroni lib.5.Ling.indictæ,& lege,aut à principe præſcriptæ. Et conceptiuus dies ibidem.

CONCLAVE in edicto Prætoris l.j.D.de vent.inſpic.& l.quod conclaue.D.de dam.inf.locus ſecretior domus. Terentius in Eunuch.

Dum apparatur, uirgo in conclaui ſedet.

Conclauia eodem ſenſu dixere Varro, & Feſtus.

CONCRATITIVS paries, idem qui intergerinus, id eſt,paries cratitius, ſiue ex aſſeribus in modum cratis textus, inter duos communis. Papin. in l.ſi fratres. §. item Mela.pro ſocio.Si vicini ſemipedes inter ſe contulerunt, vt ibi concratitium parietem inter ſe ædificarent, ad onera vtriuſque ſuſtinenda. Alij cratitium legunt,ſed malè. Vide inter gerinus.

CONCVBINA,eſt mulier quæ conſuetudinis, non matrimonij cauſſa retinetur,arg.l.34.D.de adul. Vel dicebatur ea,quam quis non mariti animo, ſed concubitus tantum cauſſa,ſine ſtupri tamen crimine, flagitióue domi habebat.Huius autem diffinitionis particulas & rationes fuſiſſime explicat Hotom.in Cõment. iuris. A Græcis παλλακὴ dicitur. Atque de hac extant duo tit.D.& C.de concub. Labeo apud Paulum l.144. D.de verb.ſignific.vero nomine Amicam appellari ait.In vet.inſcriptionibus,Vicecõiux appellatur: vxorem enim imitatur. Eam ab vxore ſolo delicto ſeparari placuit Paulo lib.2.Sent.tit.20. quo loco quædam exemplaria habent delectione,alia derelicto, alia delicto,alia delectu: & hanc poſteriorem probant Iac. Cuiacius,& F.Hotomanus, moti Pauli reſpõſo l.pen. D.de concubinis.quæ lectio etſi probari poſſit, ea tamen,quæ delicto habet,reiicienda non eſt,ex Sententia Pauli lib.2.tit.20. Cum vxore enim concubinam habendam non eſſe ſcribit. Harum autem aliæ libertæ fuerunt,aliæ ingenuæ,aliæ ſeruæ. de quibus vide in d.tit.In quibus autem vxor à concubina differat, vide apud Hotom. loco præcitato, ſex earum differentias explicantem. Vide Pellex.

CONCVBINATVS, ea coniunctio ſine matrimonio dici cœpit,l.ſi prædia.D.de dona.inter vir.& vxo.& l. fin.D.de diuort.l.3.D.de concubi.

CONCVRATORES, qui ſimul eandem curam adminiſtrant,l.actus.19.D.de adminiſt.tut.l.3. §.quæri.D.de ſuſpe.tut.

CONCVRRERE dicuntur collegatarij,cum eadem res iis in ſolidum legata fuit.l.j.§.interdum.in fi. Cum primum itaque non inueniet alter eum qui ſibi concurrat,ſolus vtetur in totum.

CONCVRRENS quantitas, in l.cum alter. D.de compenſat.dicitur quæ vtrinque æqua eſt, vt probari poteſt ex l.12. D.eo.

CONCVRSV partes habere dicuntur in legatis, quibus eadem res, vel ſint duo vel plures, in ſolidum legata fuit,l.j.§,interdũ. D.de vſufr.adcreſc:l. planè.§.ſi coniunctim.D.de leg.j.Atque hi legatarij re coniuncti dicuntur:alij quorum partes ab initio factæ ſunt, verbis coniuncti,l.re coniuncti.89. D.de legat.3.l.triplici. D. de verb.ſignif. Vide infrà,Coniunctio.

CONCVTERE, eſt terrore poteſtatis aliquid ab aliquo extorquere. ſic accipitur in l.illicita.5. §.illicita. D.de offic.præſid.& l.4.C.ad leg.Iul. repet. Cicer. Tuſc.4. Terror definitur metus concutiens. Hinc,

CONCVSSIONIS crimen contrahitur,quoties aliquid terrore poteſtatis illicitè extorquetur, & aufertur, l.j. & 2. D.de concuſ.l.3.C.de condi. ob turp.cauſ.Sed & quod per euidentem calumniam ſpecie tranſactionis extorquetur,in concuſſionis crimen cadit,l.j.§.pen.D. de calumniat. Concuſſionis rei ſunt, pœnáque legis Corneliæ teneri iubentur, qui in accuſationem innocentium coierint,&c.l.2.de concuſſ.D.

CONDEMNARE, pro condemnationem aduerſus aliquem obtinere, & (vt Iuriſcoſ.loquuntur) iudicatum debitorem facere,l.2.D.de admi.tut.Si tutor condemnauit, ſiue ipſe condemnatus eſt. Sic l.furti.6.§.mandati. D.de iis qui not.infa. Cicero pro Roſcio Com. hunc per iudicem condemnabis. Eodem ſenſu Condemnationem facere dixit Gordianus l.quamuis.8.C. de pigno. Condemnari ſummæ,pro,in ſummam, accipere debemus apud Pomponium l.ſed hoc ita.22.D. de re iudic.& pecuniæ dixit Paulus l.ſi ita.39. D.de oper. libert. Condemnare ſponſionis apud M.Ciceronem in Orat.pro Cæcinna, pro eo quod dicimus, ob ſponſionem factam. Condemnare reliquo,l.j.D. arb.furt.cæſa.Sed Trebatius ita vtramque dandam, vt iudex in poſteriore deducat id quod ex prima conſecutus ſit,& reliquo condemnet.Sunt tamen qui ibi legant,ex reliquo.

CONDEMNATVM accipere debemus eum, qui ritè condemnatus eſt,vt ſententia valeat. Cæterùm ſi aliqua ratione ſententia nullius momenti ſit, dicendum eſt condemnationis verbum non tenere, Vlpiano l.4. §.condemnatum.D.de re iudic.Sic damnatus ille cenſendus eſt,ſi ſententia teneat.l.2.§.fi.D.de pœnis.

Condemnatus certam quantitatem, l.fideiuſſor.45. D.de fideiuſs.certam pecuniam l.poſt mortem.5.D.quan.ex fact.tut.quibus locis eleganter per ἔκλειψιν ſupprimitur præpoſitio in, vel ad, quas vulgatis codicibus interiecerunt, qui elegans hoc dicendi genus non norunt. Vocum autem multarum ἐκλείψεις videas in Pandectarum,ſeu Digeſtorum libris.

CONDICERE, Feſto lib.3.eſt dicẽdo denunciare: hinc Imper.§.appellamus.Inſt.de action. Condicere priſca lingua eſt denũciare:nunc verò abuſiuè dicimus Condictionem,actionem in perſonam eſſe, qua actor intendit dari ſibi oportere. nulla enim hoc tempore eo nomine denunciatio fit. Condicere etiam eſt ſimul dicere,vt fit in pactionibus,Pomp.l.66.D.de contrah. empt.In vendendo fundo,quædam, etiamſi non condicantur, præſtanda ſunt. Hinc Condictum Feſtus lib.3. interpretatur ſimul dictum. Condicere igitur eſt diem locúmque communi conſenſu conſtituere, quo quid fiat. Sic Cicero, Condicere alicui cœnam, pro indicere cœnam & denunciare ſe affuturum, non, vt vulgo placet, pro inuitare ad cœnam: Craſſus (inquit ille in epiſt.ad Lentulum) vt quaſi teſtata pop.Rom.eſſet noſtra gratia, penè à meis laribus in prouinciam eſt profectus. Nam cum mihi condixiſſet, cœnauit apud me, in mei generi Craſſipedis hortis. Suetonius etiã in Tiberio eo ſignificatu vſurpauit.

pauit: Claudio libidinoſo ac prodigo ſeni cœnam ea lege condixit, ne quid ex conſuetudine immutaret, aut demeret. Sed & in libris Iuriſconſultorum CONDICTIO (vt ibidem Feſtus ſcribit) in diem certum eius rei, qua de agitur, denunciatio. Moris enim fuiſſe, vt iudicio à Prætore conſtituto, diem ex ſuo commodo litigatores ſumerent, quo in iudicium venirēt, vetera illa demonſtrant apud Plautum in Curculione, & Gellium lib.16.ca.3. Si ſtatus condictúſve dies cum hoſte. Itaque Cōdicere aliud fere nihil eſt quàm denunciare, vt liquet ex Cicer. loco in Orat. pro Comœdo. Quod temere commiſiſſes in iudicium vt denunciares, rogaſti vt ignoſceret, te adfuturum negaſti. Hinc Aſconius Verrina 3. Comperendinatio eſt, ab vtriſq; litigatoribus inuicem ſibi denunciatio in perēdinum diem. namque cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna ſe ſacramenti peterent, poſcebant iudicem: qui dabatur poſt tertium diem: (ſic enim legendum, non triceſimum) quo dato, deinde inter ſe in perendinum diem, vt ad iudicium venirent renunciabant. Eodem pertinent illæ notæ apud Valerium Probum, I.D.T.S.P. In diem tertium ſiue perendinum.

CONDICTIO in perſonam actio eſt, hocque verbo ſignificatur omnis formula qua intendimus dari, aut fieri oportere, Inſtit. de action. §. appellamus, & ibi Theoph. ea tamē qua ex mutui cauſſa intendimus dari oportere, hoc proprio ſignata nomine eſt, vt refertur ibid. ſtatim initio tit. quib. mo. re contr. oblig. & Græci definiunt condictionem, τὸ ἀπαιτητικὸν λόγον τοῦ οἰκείου δανείου. Et huius plerunque hæc in iure formula eſt, Si paret dare oportere.

Condictio ſemper eſt dicta actio in perſonam, l. actionū. 25. D. de oblig. & act. ſicut & nunc eam ſignificationē retinet. Hoc tantùm intereſt, quòd ſolennis olim obſeruabatur, quæ noſtris quoque temporibus eſt conuenientiſſima, per l. quidam. D. de ſer. vrb. Theoph. in §. appellamus. Inſtit. de excep. demptis verborum formulis: vt, cùm quis perſonaliter eſſet obligatus, tum is ſolebat admoneri, denunciato die, quo aut ſoluēdum, aut in iudicio ſiſtendum illi eſſet. Commeminere huius rei etiam Accurſ. Ange. & Iaſ. d. §. appellamus. Notandum autem id factum adhibito ſaltem vno teſte, ſecundum formam prædictam.

Condictio quædam eſt certi, quædam incerti. Condictionem certi appellat Vlpian. l. certi condictio. D. ſi cert. pet. quæ competit ex omni cauſſa, ex omni obligatione ex qua certum petitur, ſiue ex certo contractu, ſiue ex incerto. Certi condictionem in generalem, & ſpecialem quidam deducunt, vt ſcribit Accurſ. l. j. D. ſi cer. pet. quam diuiſionem probat Barto. d. l. certi. aliis vnā tantum eſſe aientibus. vtri verius dixerint, ipſe diſpice. Condictio incerti, per quam incertum petitur, quam commemorat Paulus l. ſi tibi. 8. D. de action. empt. vt ſeruitus imponatur, quæ debebatur, vel vt condicatur liberatio, l. ſi hæres. 5. D. eo. Atque illius quidem hæc formula eſt: SI PATERET Aurelium Licinio ſtipulanti centum ſpopondiſſe, tum Aurelius centum Licinio dare damnas eſto. Huius verò hæc: SI PATERET Æmilium Cornelio ſtipulanti hominem ſpopondiſſe, tum quantum ex eo ſtipulatu Cornelio Æmilium dare, facere oportebit, tanti Æmilius damnetur.

Condictiones in iure noſtro variæ memorantur. Quædam enim appellatur Condictio ex lege, quæ aliàs Condictitia EX LEGE nominatur: §. tripli. & §. ſeq. Inſtit. de act. locum habet, quoties ex noua lege deſcendit obligatio, nec in eadem lege cautum eſt, quo genere actionum experiatur: quæ pro varietate cauſſarum, nunc ex contractu, nunc ex delicto naſcitur, & ſic non ſtatuitur vel cauetur qua actione agatur. vide l. j. D. de cond. ex lege. Hinc condictio ex lege Iulia. l. dotalem. l. ſi verò. & ſeq. D. ſol. ma. Condictio ex lege, Cincia, l. 21. D. de donat.

Condictio FVRTIVA competit domino rei contra furem, eiúſque ſucceſſores, ad ipſam rem perſequendā, vel æſtimationem eius, quanti plurimi fuerit poſtquā ablata fuit, eo quòd fur ſemper eſt, & fuit in mora. Vide tit. D. de condic. furt.

Condictio INDEBITI competit ei, qui per errorem indebitam pecuniam ſoluit alicui, credens ei teneri, cùm non teneatur: vel cùm à procuratore ſuo ſoluta eſſet ipſo ignorāte: vt liquet D. de iu. & fac. igno. l. iuris ignorantia. Vide etiā tot. tit. l. de condi. indeb. C. & D.

Condictio LIBERATIONIS competit ei, qui quod omnino non debuit, promiſit.

Condictio CAVSSA DATA, cauſſa non ſecuta, actio eſt in perſonam, per quam repetuntur ſcilicet cauſſa data, id eſt ſub cauſſa, vt eſt ſcriptum l. pen. hoc titul. quod Græci, ἐπὶ τῇ συνθήκῃ, ſi ea cauſſa ſecuta non ſit. Cauſſa do, quod do, vt Romam eas. Cauſſa non ſequitur, ſi non Romam eas. Eadem dicitur, Condictio ob cauſſam, vel condictio ob rem dati re non ſecuta, ſimilis condictioni ex mutuo, vel potius condictio ex promutuo. Quid enim aliud eſt quod ob rem datur, quàm prorogatio ſiue datio in anteceſſum? Omnis autem prorogatio promutuum. Cōdictio verò ob cauſſam datorum, vt vult Azo eo. tit. locum habet, vbicunque duo contractus innominati interueniunt, ſcilicet, do vt des, facio vt facias. In illo autem contractu innominato, ſcilicet do vt des, datur actio de dolo. Et prout alij dicunt, tunc competit ad rem petendam, quæ ob cauſſam honeſtam, vt potè in cauſſam futuram vel præteritam, data eſt, cauſſa non ſecuta. Poteſt enim condici cauſſa non ſecuta, ſi pœnituerit dantem re integra. Si verò dediſti decem, vt Bononiam irem, & aliquid, quod erogaui ad profectionem, exprimam, habes condictionem, ita tamen vt præſtetur mihi indemnitas. Quia autem ex obligatione, quæ re contrahitur, & non conſenſu, perficitur hæc condictio, minima eſt: quia res ad aliquem profecta ſine conſenſu vtriuſque, contra eundem aſſenſum petitur & repetitur.

Condictio OB TVRPEM CAVSSAM, eſt per quā repetimus ea, quæ dedimus alteri, cauſſa etiam ſecuta, ob quam data ſunt, ſi turpitudo tantum ex parte accipientis verſetur. Alioquin ſi ex parte dantis, vel ſi vtriuſque, repeti non poteſt, quia in pari cauſſa turpitudinis potior eſt conditio poſſidentis. ca. in pari. de reg. iur. lib. 6. & ſecūdum Azonē eo. tit. ponitur exemplum: Ego dedi tibi vt ſacrilegium nō faceres: ab hoc enim debuiſti abſtinere nullo tibi dato. Et ideò etiam cauſſa ſecuta poſſum petere quod tibi dedi. Eſt & de condictione ob iniuſtam cauſſam. In hac, cauſſa pro principio accipitur, vt ſi quid detur ex ſtipulatione per vim extorta: in illa pro fine, vt ſi quid detur vt contingat aliquid quod ſit contra bonos mores. vide D. de cond. ob tur. vel iniuſt. cau.

Condictio SINE CAVSSA competit, quando aliquid primò ex iuſta cauſſa eſt apud alterum, ſed poſtea per aliquem effectum eſſe non debet. Verbi gratia, Mutuaſti mihi centum, feci tibi inſtrumētum, in quo confeſſus me tibi teneri, ſoluo tibi: modò inſtrumentum obligatorium eſt apud te ſine cauſſa, per quam repetā ipſum. Cōpetit ergo cōdictio ſine cauſſa, finita cauſſa, ex qua res ad aliquem peruenit ex contractu, qui iam finitus eſt, vnde videtur deſcendere, nec inde, quòd expirauit adhuc cauſſam ſubſiſtendi habere. Item ſi ſine cauſſa penes te res eſt, quam nō habes per cōtractum, & ita nec ex cōtractu, nec ex maleficio es obligatus mihi. Etiam locum habet, vbicunque ſine cauſſa aliquid,

aliquid,quod apud te eſt,mea intereſt me habere:qua de re extat tit.de condic.ſine cauſ.D.

Condictio TRITICIARIA,ſiue Triticiana, arbitraria eſt,quia æſtimat in ea iudex rem arbitrio ſuo quæ petitur,habita ratione loci & temporis. Datur ergo eius rei quæ petitur æſtimandæ cauſſa. Porro æſtimationē recipiunt res omnes, præter pecuniam numeratam. nam æſtimat ipſa res cæteras,non æſtimatur, aut ſaltē non indiget æſtimatore, cum ſit eius æſtimatio conſtans & certa. ea re pecunia numerata in condictionē triticiariam non cadit:cæteræ res omnes cadunt, quæ pondere vel menſura conſtant,mobiles, vel immobiles,corporales, vel incorporales, & fundi, ſiue proprietas debeatur fortè ex teſtamēto, vel ex ſtipulatione,ſiue emphyteuſis,& res etiam ſua,ex cauſſis quibus rem ſuam dominus condicere poteſt. quod ita enumeratis variis generibus rerum Vlpianus exequitur.l.j.D.eo.propterea quod dubitari poterat,an tot res cōplecteretur condictio quæ nomen à tritico habet.Sed inditum eſt nomen tale caſu quodam,vt adnotat Cuiac.in Paratit.l.ex Stephano,quia in antiqua formula huiuſce cōdictionis,quoties ſcilicet ſua cuique actioni conſtituta erat formula,tritici fiebat mentio: propterea quòd qui hanc actionem ſibi dari prius poſtulauerat,forte ei res erat de æſtimando tritico. Quoniam autem notatu hoc dignum eſt, nec à quoquam adhuc adnotatum, apponam ipſa Græcorum verba: ἰστέον δ' ὡς φησὶν ὁ Στέφανος ἐν ταῖς παραγραφαῖς, οὕτω λέγεται τριτικιάριος, ἐπειδὴ ἐν τῇ κατὰ τὸ πάλαι πολιτευομένῃ αὐτοῦ φόρμουλα, τρίτικι ἐνέκειτο μνήμη. ὃ δὴ λέγει τοῦ τόν ἐστιν· ἐν τῇ παλαιᾷ φόρμουλα καὶ τῷ τύπῳ αὐτοῦ, ἡνίκα τὴν ἀρχὴν ἐτυπώθη παρὰ τῶν νομικῶν, μνεία γέγονε τρίτικι, ἤγουν σίτου, τυχὸν ἐνάγοντος τινὸς σῖτον αὐτῷ διαφέροντα κατέχειν τινὰ παρὰ τὸν νόμον, καὶ πρὸς τὸ τοιοῦτον φάκτον τυπωθέντος τοῦ τριτικιαρίου κονδικτικίου. Triticariæ autem condictionis & condictionis certi,longè alia ratio eſt, licet deſcendat vtraque ex eadem cauſſa:nam per illam omnes res certæ vel incertæ petuntur:per hanc condictionem certi, id eſt ſi certum petetur,nō res incorporales ſiue incertæ.hæc enim actio eſt ſtricta,id eſt ſeruit in ea iudex ſcripturæ contractus,& petitioni actoris,ſui arbitrij impos.

Condictio EX SCRIPTVRA,Inſtitut.de liter.oblig. & l.14.C.de non num.pecun.eſt actio in perſonam, per quam is qui ſe pecuniam alicui debere ſcripſit,ſiue ea numerata ſit,ſiue non ſit,ſoluere cogitur:dum tamen ſit data non ſit pecunia,actio poſt biennium intendatur. nam antea non numeratæ pecuniæ exceptione excluditur.

Condictionis actionem dixit Antoninus. l. j. C. de condictio.indeb. Et Condictionis ius idem.l.j.C.de cōd. ob cauſ.

CONDICTITIA actio,qua quid repetitur.l. qui ſe.7.de condict.cauſ.dat.cauſ. non ſeq. & alibi ſæpe. Condictitia ſimpliciter.l.ſi duo.13. §.Iulianus. D. de iureiur. Atque nihil aliud eſt quàm condictio.

CONDICTICIA ex lege,pro condictio ex lege.§.tripli, Inſtit.de action.Ex qua proculdubio eſt ex lege condicticiam emanare.& §.ſeq.Item ex lege condicticia ex noſtra conſtitutione oritur, quadrupli condemnationem imponens. ſic enim vtrobique legendum, auctoribus vet.libri.

CONDITIO,ſiue(vt in Pand. Flor.) Condicio, variè à variis diffinitur.Conditio,ait Accurſius rub.D.de condict.& demonſt.eſt ſuſpēſio,cuius de futuro defectus, vel confirmatio pendet. quam diffinitionem Azo in Summ.C.de condit. inſert. probat, apud quem conſummatio,pro confirmatio legitur.Bart.l.j. D. de cōd. & demonſt. reiicit eam diffinitionem,dátque aliam in hæc verba:Conditio eſt quidam futurus euentus, in quem diſpoſitio ſuſpenditur.Alciatus.l.debitori.C.de pact.ait eſſe qualitatem, qua quid condi, id eſt fieri actum eſt.Hotomanus,Conditio,inquit,eſt lex negotio adpoſita,vnde ipſius euentus pendet.Equidē Bartoli diffinitionem veram putem.l.vnic.§.ſin autem aliquid ſub condi.C.de cadu.toll. iuncta.l. cum ad præſens.37.D.ſi cert.pet.Euentui ſubiicit.d.§.ſin autem aliquid.& poteſtatiuas,& fortuitas & mixtas. Lex verò, in facto.D.de cond.& demonſt.in euentu ponit, quæ obtingunt,id eſt fortuitæ ſunt. Ideóque ita diffinire tentabam:Conditio eſt lex adpoſita hominum actibus,eos ſuſpendens.

Conditionum variæ ſunt diuiſiones. Iuſtinianus. d. l. vnica.§.ſin autem aliquid.diducit in poteſtatiuas, caſuales & mixtas.Ac poteſtatiuas quidem quæ in l. 11. D. de cond.& demonſt.promiſcuæ appellantur,quòd poteſtatiuarum nulla ferè ſit quæ & nō poſſit eſſe non poteſtatiua.l.4.§.puta.D.de hær.inſt.Caſuales verò, non promiſcuas:nam caſualis quæ eſt, non poteſt eſſe poteſtatiua:veluti,Si fulſerit cras, ſi tonuerit. At miſtas, non eas quas vulgo malè accipiunt pro promiſcuis, ſed eas potius cuius euentus pendet ex caſu: veluti,Si Titio reuerſo ab hoſtibus.10. dederit. Communis igitur,non promiſcua.Hæc Cuiac.Obſe.lib.4.

Conditionum(ait Paulus lib.3.Sentent.tit.4.)duo ſunt genera:aut enim poſſibilis eſt,aut impoſſibilis.Poſſibilis eſt,quæ per rerum naturam admitti poteſt:impoſſibilis,quæ non poteſt.Quarum altera ex euētu expectatur,altera ſubmouetur.& vide Viglium. §. impoſſibilis.Inſtit.de hæred.inſtit.

Conditio alia certa eſt, alia incerta. Certa conditio eſt quæ omni modo extatura eſt:veluti,Si intra Kalendas digito cælum non tetigero.l.in illa ſtipulatione.D.de verb.oblig.Item,Siue nauis ex Aſia venerit, ſiue non venerit.l.neceſſariò.8.§.j.D.de peric. & commod. Incerta conditio eſt,quæ an impleatur incertum eſt: vt, Si nauis ex Aſia venerit.Dubium eſt enim,vtrum ventura ſit nauis,an non.

Conditiones vel in præſens,vel in præteritum,vel in futurum conferuntur. Sed eæ demum poteſtatem conditionum obtinent,id eſt in euentum aliquem negotium ſuſpendunt,quæ in futurum conferuntur. l. cum ad præſens.& l.itaque.D.de reb.cred. Quæ conferuntur in futurum, aliæ in caſum & euentum incertum, aliæ in arbitrium conferuntur.Illas caſuales,has poteſtatiuas adpellauit Iuſtinianus.d. §. ſin autem aliquid. Quæ in arbitrio noſtro ſitæ ſunt, promiſcuas vocat Paulus.l.ſi iam facta.§.j.D.de cond.& dem. Conditiones præterea facti eſſe dicuntur,quæ in facto cōſiſtunt,& in faciendo verſantur,ad differentiam earum quæ in dando conſiſtunt.l.ſi cui purè.§.j. D.ad Trebel. l,ſeruus.D.de ſolutio.Quædam verò conditiones iuris ſunt,id eſt,ex iure veniunt,de quibus.l. multùm. 21. D.de cond.& demonſtr.

Conditiones dicuntur iniici.l.ſi quis.12.D. de manu.teſta. Adſcribi, variis iuris locis. Dari.l. ſi quis.35.§.j.D.de acq.hæred.Pendere,ſuſpendi,exiſtere, impleri,euenire.Et è contrario deficere,& extingui.

Conditiones agrorum ſunt qualitates.l.j.§,denique.D.de aqua & aqu. plu.arcen. quas explicat Siculus Flaccus lib.de conditio.agro. Conditio quoque ſponſaliorum,nuptiarúmque coniunctionem ſignificat, quod Galli vocant *party*.l.c.19.in vulg.incip. qui liberos.D. de rit.nupt.Seneca lib.controuerſ. Conditionem nuptiarum illi inuentam cum alio nullo modo poſſet. Conuenta Conditio (inquit Feſtus lib.3.) dicebatur, cum primus ſermo de nuptiis, & earum conditione habebatur:ſic accipitur in l.vlt.D.de ſponſal.Itaque in renuntiatione ſponſalium hæc verba probata ſcribit Gaius.l.2.de diuort.Conditione tua non vtor.

Conditio hæc, SI IN CAPITOLIVM ASCENDEm

RIT; ſic recipienda eſt, cùm primum potuerit Capitoliũ aſcendere. l. hæc conditio. D. de cond. & demonſt.

Conditio à demonſtratione hoc differt, quòd demõſtratio plerunque factam rem oſtendit, cõditio futuram. l. ſi nominatim. D. eod.

Conditio libertatis leuiſſima ea intelligenda eſt, quæ ad libertatẽ perducit, quamuis natura grauior & durior ſit. l. leuiſſima. D. eod. tit.

Conditiones extrinſecus, non ex teſtamento venientes, id eſt, quæ tacitè ineſſe videantur, non faciunt legata conditionalia. l. conditiones extrinſecus. D. eod. tit.

Conditio qualis poſita fuerit, multum intereſt. Nam aut in præteritum concipitur, veluti, SI Titius conſul fuit. Aut in præſens, vt, SI Titius conſul eſt. Aut in futurũ, veluti, SI Titius conſul erit. l. cùm in ſecundo. D. de iniuſt. rupt. irrit. fact. teſtam. Conditionum autem quæ in futurum conferuntur triplicem naturam deſcribit Marcianus. l. 91. D. eod. Quaſdã enim pertinere ait ad id tẽpus quo teſtator viuat, vt, TITIÆ, ſi mihi nupſerit. quaſdam ad id quod poſt mortem futurum ſit, vt, SI AD exequias funeris mei venerit. quaſdam ad alterutrum, vt, SI filio meo nupſerit.

Conditionem ponere, Concipere, Adſcribere in tempus, vel ad tempus. Ibidem.

Conditio pro impleta habetur, ſi ita hæres inſtitutus ſim, SI decẽ dedero, & accipere nolit cui dare iuſſus ſum. D. de cond. inſtit. l. ſi ita hæres. 3.

ſub Conditione impoſſibili, vel alio, modo (in Pãd. Flor. pro modo legitur mendo) factam inſtitutionem, placet non vitiari. l. j. D. eod. tit. Quæ ſub conditione iuriſiurandi relinquuntur, à prætore reprobantur. l. quæ ſub conditione. D. eo. Non videtur enim defectus cõditione, ſi parere conditioni non poſſit. Implenda eſt enim voluntas, ſi poteſt. l. quæ ſub conditione. §. quoties hæres. D. de cond. inſt.

Conditiones contra edicta Imperatorum, aut contra leges, aut quæ legis vicem obtinent, ſcriptæ, vel quæ contra bonos mores, vel deriſoriæ ſunt, aut huiuſmodi, quas Prætores improbauerunt, pro nõ ſcriptis habentur. l. conditiones contra. D. eo. Paulus libr. 3. Sent. tit. 4. contra bonos mores, veluti, SI ab hoſtibus patrem ſuum nõ redemerit: &, SI parentibus ſuis patroniſve alimenta non præſtiterit. l. conditiones quæ. D. de condit. inſtit. Nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & (vt generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt. l. filius qui. D. eod. tit.

Conditio hæc, SI vxorem duxerit, SI dederit, SI fecerit, ita accipi plerunque debet, quòd per eum non ſtet, quò minus ducat, det, aut faciat. l. vter ex fratribus. D. eodem.

Cõditio hæc, SI ALEXANDRIAM PERVENERIT, poteſt & non eſſe in arbitrio, per hiemis conditionẽ: poteſt & eſſe, ſi ei, qui à primo milliario Alexandriæ agat, fuit impoſita. l. ſuus quoque. §. puto rectè. D. de hæredi. inſtit.

Conditionem deferri, hoc eſt, electionem dare emptori, vtrum malit rem emptam habere iuſto pretio, an verò à re diſcedere, pretio recepto. l. j. §. ſi quis in fraudẽ. D. ſi quid in fraud. patron.

Conditionis etiam verbo pactio, & conuentio continetur. l. ea conditione. C. de reſcind. vẽdit. Cicero in Topic. SI quæratur à naturáne ſit ius, an ab alia quaſi cõditione, & pactione hominum, Græcis συνθήκη appellatur. l. 2. D. de leg. ex Demoſthene. Conditiones etiã ſunt teſtium dicta, quaſi condictiones, Iſidorus libr. 5. Etymolog. c. 24. ſcribit.

Conditio aliquando accipitur pro qualitate, & ſtatu perſonarum. l. hæres. & l. ſed & ſi. D. de acq. hæredit. Vnde

CONDITIONALE inſtrumentum, pro inſtrumento ſtatus & adſcriptitiæ conditionis. l. cum ſcimus. C. de ag. & cenſ. Et

CONDITIONALES vocantur tabularij. l. ſcripturas. C. qui pot. in pign. Sab. inde deducto nomine quod conditioni addicti ſunt, nimirum quod ea cõditione munus illud adepti ſint, ne ad vllum aliud aſpirent. Vel etiam (vt alij volunt) quia depoſitiones teſtium ſolerent excipere. Conditiones enim ſunt dicta ſiue depoſitiones teſtium, vt ſcribit Iſidor. lib. 5. Etymolog. c. 24. Conditionales ſerui in l. defenſionis. de iur. fiſc. lib. 10. C. Qua forma adſcriptitij etiam coloni, & capite cenſiti, & alij quilibet certæ conditioni addicti, conditionales dici poſſunt. Tertullianus alio ſenſu ſumpſit Conditionalis nomen: Opera, inquit, & conditionalis eram.

CONDITIONALES creditores dicũtur hi, quibus nõdum competit actio, eſt autem competitura: vel qui ſpem habent, vt competat, Vlpian. in l. conditionales. D. de verb. ſign.

CONDITIONARII, in c. confidat. 50. diſtinct. cenſiti, & adſcriptitij dicuntur: ſed & familiares, apud Yuonẽ Carnotenſem in Epiſtol. ad Paſcalem Papam.

CONDITIONALITER, pro ſub conditione. l. quæ res. D. de verb. oblig. & paſſ. alibi apud Iuriſc.

CONDITA adpellabant ſpecies, & copias publicas in horreis ſeruandi cauſſa poſitas, & reconditas. l. ſicut. 4. C. de erog. milit. ann. lib. 12. l. j. de condit. in publi. horr. lib. 10. C. Capitolinus in Gordian. Nulla erat, inquit, ciuitas limitanea potior, quæ totius anni in aceto, frumento, larido, atque hordeo, & paleis cõdita non haberet. Symmach. lib. j. Epiſt. 19. Vt eius argentum publicis conditis redderetur.

CONDITVRA, quod ferculis, aliíſque eſculentis condiendi gratia adhibetur. Vlpian. de trit. & vino leg. l. ſi quis. At conditionem vocat Varro lib. 4. Ling. Lat. Elixum eſt è liquore aquæ deductum: & ex iure, quod iucundum magis conditione eſt.

CONDVCERE dicitur Is, qui precium accipit pro re aliqua facienda: quod Redimere etiam dicitur: Vlpianus, Si quis ſeruum docendum conduxerit. l. item quæritur. 13. §. ſi quis ſeruum. D. locat. & alibi ſæpiſſime. Sic & apud alios Iuriſconſultos reperies. ſic accipitur in l. 2. D. ad leg. Rho. de iac.

Conducit qui dat, ſed qui locat accipit illud.

Vide Locare.

Cõducere numo vno, donationis inſtar eſt, ait Vlpianus. l. ſi quis. 46. D. locati. Eſt autem prouerbiale ſecundũ veteres, ſicut nunc dicimus, *Donner, ou uendre pour un morceau de pain*, ſignificantes donationem potiùs eſſe, quàm alium contractum.

CONDVCIT, aliquando in tertia perſona, pro vtile eſt, accipi, notius eſt quàm quod exẽplis probari debeat.

CONDVCTIO eſt procurationis ſpecies, Nouell. Theodoſ. ne cur. alt. præd. Vide Locatio.

CONDVCTOR is eſt qui vel rei alienæ vſum, vel alieni operis perfectionem certa mercede pacta recepit. Hinc Conductor operis, pro redemptore. Iauol. l. 44. D. de fideicom. Et quia opus effectum non erat, alij locaſti: & cum poſterior conductor ſatis non daret, ipſe opus fecisti. Atque is tenetur de dolo, & culpa. l. contractus. D. de diuerſ. reg. iur. ſed non de caſu fortuito. P. Decius in d. l. contractus. in fi. niſi eum quoque nominatim receperit. In menſura æquali conſiſtere debent, tam quæ à dominis ad conductores, quàm à conductoribus ad dominos perueniunt. Et ita de cæteris contractibus. Nouella de hortulanis. § his igitur. de cauſſis. Cõſtitut. 64. Per improbitatẽ & inexplebilem auaritiam conductorum, dominis ſuis poſſeſſiones non debent fieri inutiles. Ibidem.

CONFARREATIO ſacrificij ſolennis genus erat, quo

vteban

vtebantur veteres Romani in coniunctione viri, & vxoris, cuius cómeminiſſe videtur Vlpianus in Epitome tit.9. Farre (ait) cóuenitur in manum certis verbis, & teſtibus.10. præſentibus. Eam ſolis pôtificibus conueniſſe ſcribit Boëthius in Topic. in loco à genere: qua de re adeundi ſunt Alexand. ab Alex. lib.2. Genial, & Bar. Briſſonius lib. ſing. de ritu nupt. Confarreationem Romæ omiſſam ſcribit Tacitus libr.4. Annaliũ.

CONFERRE, à con, & fero, quaſi ſimul portare, multa ſignificat, propter varias cóferendi cauſſas. Quare ex eo quod adiungitur, ſolet vis huius verbi lectoribus apparere. Conferre manus, conferre ſigna. Conferre pedem, antiqui eleganti Metaphora dicebãt pro eo quod eſt propius accedere ad cauſſam: cuius oppoſitum eſt, Fugere ſcopum controuerſiæ, ſicut nunc ferè litigatores faciunt in iudiciis. Cicero pro Plãcio: Non poſſum pedem conferre, vt aiunt, aut propius accedere. Commentatores venire ad punctum cauſſæ dicunt. Conferre in arbitrium alicuius, l. j. D. de leg.2. Conferre in aliquod tempus, hoc eſt, differre. l. quæſitum. D. de ſponſal. Conferre, comparare. l. vbi falſi. D. de falſ. Dicimus enim, confero te illi, aut cum illo. Hieronymus in procem. Paralip. Quendam, ait, auctorem, qui apud Hebræos in admirationibus habebatur, aſſumpſi, & contuli cum eo à vertice (vt aiunt) vſque ad extremum vnguem: & ſic cófirmatus, auſus ſum facere quod iubebatis. Conferre in pauca, accipimus pro concludere breuiter, quæ diffuſius ſunt dicta. Plaut. Nunc verba in pauca conferam.

Conferre autem Pontificios canones legibus Romanis ſic oportet: Primùm, retinenda ſemper eſt breuitas, ne quid mediocritatem excedat: deinde, in locis ex iure collatis perpendi oportet auctorem, & illius cóſilium, hoc eſt, quis, ob quam cauſſam, cui, qua de re, & quando ſtatuerit tale ius. In his enim conſiſtunt & aperiuntur tibi ſtatim circumſtantiæ negotiorum: quæ cùm diuerſæ ſint, nihil eſt mirandum, ſi de quibuſdam ſpeciebus varient ius ciuile & canonicum. Tum ex collatione ſic facta, apparebit tibi lux quædam mirabilis, ad inueſtigandam ſimilium negotiorum æquitatem, ſiue in ſcholis, ſiue in iudiciis, ſiue in conſultationibus verſeris. Porrò hæc eſt exercitatio, quam inculcare oportet ſtudioſæ iuuentuti: nõ ad altercationem fori, ſed ad concilianda iuris præcepta, quæ eodem pertinent tandem. Nam ſi bene circunſpicias, multò certè rarior inter ius ciuile & canonicum eſt ἀντινομία, quàm vociferantur quotidie in tribunalibus. Differẽtias tamen permultas inter ius Ciuile & Pontificium conſtituit Bart. tractatu in eam rem edito.

Conferre apud Venuleium. l. ſi vir. 6. D. ad leg. Falc. pro impendere poſitum aiunt Accurſius, & Albericus: equidem pro contribuere accipi putem. Conferre apud Pontificios ſignificat concedere. c. eam te. extrà, de reſcript. ibi, præbendam ſibi conferre deberent. Conferre, transferre ſignificat. l. confeſſionibus. D. de interrog. actio. Conferre pacta in l. fi. C. de feriis. eſt de paciſcendo colloqui.

Conferre, in cõmune, & medium redigere ſignificat toto tit. D. & C. de collat. bono. & D. de dot. collat. Vnde.

COLLATIO bonorum & dotis, vide Collatio bonorum ſuprà.

Collatio tributorum, & vectigalium, aliarúmque functionum, hoc eſt præbitio. l. vlt. §. patrimoniorum. in fi. de muneribus & honor. Sic accipitur in l. in honoribus. §. qui muneris. D. de vacat. mu. Eodem ſenſu accipitur in rub. C. de collat. fund. patr. lib. 11. & C. de collat. fund. fiſcal. eod. lib. Et

COLLATORES, in Nouell. 128. interpretibus Iuliano Patritio & Irnerio, quos ὑποτελεῖς Græco vocabulo adpellauit Iuſtinianus in d. Nouella.

CONFESSI, vt ait Varro lib.5. Ling. Lat. qui fati id quod ab eis quæſitum eſt. Confeſſus Iuriſconſulto videtur, qui monitus tacet. l. de ætate. §. nihil intereſt. & §. qui tacuit. D. de interr. act. Confeſſa res pro clara, manifeſta, & extra controuerſiam poſita.

CONFESSIONEM Quintilianus Declam. 314. accipiẽdam ait qualemcunque contra ſe pronuntiationem ſuam. Pronuntiantis ſẽtẽtiam diffinire videtur Paulus. l. j. D. de confeſſis. Confeſſio non nocet abſentibus nec vocatis. l. certum. §. ſi quis abſente. D. de cõfeſſ. quod declara, vt per Bart. d. §. ſi quis abſ. & reſtringe vt per Barth. Socinum in Tract. Fallen. reg. 63. Cõfeſſio teſtatoris vel ægrotantis eò facta, vt quis bonorum relictorum capax exiſtimetur, valde ſuſpecta, & in fraudẽ adiecta præſumitur. l. qui teſtam. D. de probatio. l. legaui Titio. D. de liberatio. legat. Confeſſio erronea, nullius eſt momenti. l. j. C. de falſ. cauſ. adiect. legat. l. ſi obligatum. C. de ſolutionibus. l. error. C. de iuris & facti ignorantia. Confeſſio teſtatoris ſimplex, & ſine iuramento, non facit plenam fidem. l. cùm quis decedens. §. codicil. ita ſcripſit. D. de leg.3. l. Titia cum teſtamẽto. §. Gaius Seius. l. cùm pater filios. §. pater qui filio. D. de lega.2. ὁπόσα ἂν τις ὑπὲρ ἑαυτοῦ φήσειεν, ἢ γράψειε, ταῦτα μηδὲν αὐτὸν ὠφελεῖν, μηδὲ τοῖς δανεισταῖς προσκείνειν, vt ait Iuſtinianus conſtitut. 48. θεμ. ἀλλὰ ταῦτα. Confeſſio facta in vno iudicio, fidem facit in alio, inter eaſdem perſonas. Ioan. And. & alij, in c. per inquiſitionem. De electione. Et in c.2. de ord. cognitio. Antoni. de Butri. in c. cùm dilectus. De capell. Monacho. Bald. Alciat. & alij in l.2. C. de edend. per leges quas citant. Confeſſio coram notario facta, habetur pro ſcriptura in fideiuſſione, iudicio ſiſti. l. penult. C. de fideiuſſor.

CONFESSORIA actio, cui opponitur Negatoria, dicitur, quaſi adſertoria iuris & ſeruitutis: Cuius vindicandæ gratia confitemur, intendimus apud Iudicem. Habet enim hic verbum iſtud, **CONFITERI**, emphaſin, & vehemẽtiorem pro ſubiecta materia ſignificationem, quàm alibi. Datúrque ei qui ſeruitutem ſibi deberi intendit. l.2. §. j. D. ſi ſer. vindi. concipitur autem verbis adfirmatiuis. Plerunque tamen negatiuis. l. 4. §. fi. quod tamen negat Hotom. in Comm. Inſtitut. affirmans hanc actionem nunquam niſi aientibus verbis concipi. Confeſſoria actio etiam datur in lege Aquilia de damno dato, aduerſus confitentem reum, id eſt ex confeſſione rei. l. inde Neratius. 23. §. fi. & l. proinde. §. j. D. ad l. Aquil. Sic quoque adpellatur ea actio, quæ ex alicuius ad interrogata reſponſione competit. l. fin. D. de interrog. actio.

CONFESTIM variè pro re, hoc eſt, ſubiecta materia, accipitur. Aliquando, vbi primum potuit, hoc eſt, Prætoris copiã habuit, Vlpiano. l.2. §. confeſtim. D. ad S C. Orfic. Aliquando ſumitur interpretatio ex teſtatoris voluntate, vt ſignificet ſtatim à morte inſtituti. l. cum pater. §. ab inſtituto. D. de leg.2. Interdum pro decem dierum ſpatio. l. promiſſor. §. j. D. de conſtit. pecu. Plerunque pro modico interuallo temporis, ſcilicet pro tanto, quanto iudex pro tribunali ſederit. l. diuus. D. de in integ. reſtit. Quandoque ſine vllo temporis interuallo. l. ita vulneratus. D. ad leg. Aquil. ſic accipitur, interprete Vlpiano, in l.3. §. cum igitur. D. de vi & vi arm. Confeſtim, hoc eſt, intra quatuor menſes. Sic intetpretatur Bart. in l. presbyteros. C. de Epiſcop. & clericis.

CONFICERE rationes, apud Vlpianum. l. j. §. officio. D. de tute. & rat. diſtrah. eſt in libro ſcribere rationes actus, & adminiſtrationis. Et Conficere profeſſionem apud Cicer. eſt profiteri rem ſuam eſſe, & edere numerum eius, vel modum, vel æſtimationem apud magiſtratum, vt in cenſu: quod vicaria etiam alterius

opera fieri interdum, auctoritatem dum præſtaret, poterat.

Confideiussor, qui ſimul fideiubet. l. ſi dubitet. 10. D. de fideiuſſ.

Confines agri dicuntur, qui iiſdem ſe finibus adtingunt. l. 4. §. non ſolum. D. fi. reg. Eodem ſenſu Confinia prædia dixit Paulus. l. qui duo. 29. D. de ſeruit. ruſtico. præd. ſed ita tamẽ vt linea intelligãtur diſtincta.

Confinii appellatione ſignificatur, quo ſe poſſeſſores adtingunt. l. 2. §. j. ver. prætерea. D. de aqua, & aqu. plu. arc. l. patronus. §. j. D. de leg. 3. Confiniũ porrò non intelligitur, ſi via publica interuenit. l. 4. §. fi. D. fin. reg. Confines à vicinis ſeparat Paulus. d. l. 4. quòd illi de ruſticis, hi de vrbanis prædiis dicuntur. Vicini enim ſunt quorum prædia parietibus diſterminata ſunt. Trifiniũ etiam veteres adpellabant eum locum, in quem tres poſſeſſores adtingebant: ſicut in ea re teſtis eſt Siculus Flaccus lib. de conditio. agro.

Confirmare apud Calliſtratum. l. 3. D. de teſtib. non adſeuerare, vt putat Oldendorpius, ſed pro ſimul probare accipitur. (falſo apud Oldendorpium in Lexico legitur, conformare, vt & apud Spiegelium.) Confirmare apud Paulum. l. & quia. D. de orig. iur. ſignificat approbare, & validius, & perfectius efficere, vt explicat ibidem Bart. Confirmare etiam eſt alicui iuri, vel facto firmitatem præſtare. Hinc

Confirmatio, quæ eſt iuris priùs habiti corroboratio. c. inter dilectos. de fid. inſtru. Confirmatio dicitur etiam quando ſuperior confirmat factum inferioris, & de infirmo firmum facit. Qui enim confirmat aliquid, is non cenſetur dare. l. & quia. D. de iuriſdict. Paulus, l. ſi donatæ. §. ſi ſponſus. D. de dona. inter vir. & vxo. Quia, inquit, tunc factam donationem confirmare videtur, nõn inchoare nouam. Ex innouatione priuilegij, nouum ius non adquiritur, ſed antiquum (ſi quod habet) conſeruatur. c. cùm dilecta. §. nuper autem. de confir. vtil. vel inutil. & diſt. 12. c. præceptis. Qui declarat, nihil dat, ſed datum ſignificat. l. hæredes palam. §. ſi quid poſt. in fi. D. de teſtam. Sic accipi debet toto tit. de confir. vtil. vel inutil. Confirmatio etiam manuum impoſitionem ſignificat. c. j. iuncto. c. Spiritus ſanctus. de pœnit, diſtin. 5. vbi docetur quænã ſit eius vis.

Confiscari, eſt fiſco, id eſt Principis ærario, applicari, vel in fiſcum cogi. l. fi. D. de bon. eor. qui ſib. mor. l. 4. C. de re mil. Suetonius in Domit. Confiſcabantur, ait, alieniſſimæ hæreditates, vel exiſtente vno, qui diceret audiſſe ſe, &c. Vnde fiſcus eſt regius ſaccus, in quem reducuntur bona damnatorum, & proſcriptorum. Vnde dicitur, Facta eſt omnium bonorum confiſcatio. Et caſus in quib. poſſunt bona alicuius confiſcari poſt mortem ſuam, vide gl. in l. fi. C. ad legem Iuliam maieſtatis. Et qualiter formabitur ſententia, eſt gl. Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. §. per cõtrarium. Caſus autem in quibus poſſit quis incarcerari, notat Bart. in l. j. de cuſto. & exhi. reo. C. Confiſcari etiam ad perſonas refertur. l. ſi tutor. §. pen. D. de tut. vbi tamen, confiſcatus accipi debet pro eo, cuius bona confiſcata ſunt, & in ærarium Principis coacta. Suetonius in Caligula: Prætereuntes (inquit) duos equites locupletes ſine mora corripi, confiſcarique iuſſit.

Conflages Feſto lib. 3. loca dicuntur, in quæ vndique confluunt venti.

Conflare æs alienum, tranſlatitiè pro contrahere debitũ, facereque ſe debitorẽ alienæ pecuniæ. Conflare argentum dixit Gaius. l. adeò. §. cum ex aliena. D. de acqui. rer. dom. pro liquefacere & ſignare.

Conflatum vas, id eſt compoſitum, §. cum ex aliena. Inſtit. de rerum diuiſ.

Confundi id dicimus, quod alij ita commiſcetur, vt ſeparari, & diduci non poſſit, aut certè difficilis ſit eius ſeparatio. l. 3. §. fi. & l. ſeq. D. de re. vindic. & §. ſi duorũ. Inſtit. de rer. diuiſ. Hinc Confundi iura dicuntur, quæ in eandem vel rem vel perſonam inciderunt. Veluti Confundi obligatio dicitur, quoties in eandem perſonam & creditoris & debitoris ius deuenit, id eſt, cum vel debitor creditori, vel creditor debitori hæres exiſtit. l. debitori. 50. D. de fideiuſ. l. licet. C. ad leg. Fal. & alibi ſæpiſſime. Fit etiam debiti confuſio, quando alter correorum debendi alteri hæres eſt. l. ſi duo. 93. D. de ſolut. Confunduntur ſeruitutes, quando vtriuſque prædij, & quod ſeruit, & cui ſeruitus debetur, idẽ dominus fit. l. j. D. quemad. ſeruit. amitt. Confundi etiã eas totiens dixit Iauole. l. cum ſeruitus. 15. D. eo. quotiẽs vti iis is ad quẽ pertinent, non poteſt: vt in propoſita ibid. ſpecie oſtenditur. Confundi dicitur vſusfructus, cum fructuarius proprietatem adſecutus eſt. l. 4. D. vſufr. quemadmo. cau. l. ſi fructuarium. 6. D. de manu. vind. Sic & Confundi actiones dicuntur quæ miſcentur inter ſe. l. qui ſeruum. 34. §. fin. D. de oblig. & actio. Accurſius tamen ibidem explicat confundi, & miſceri, hoc eſt tolli.

Confugam interpretamur eum, qui ad aſylum, & eccleſiam confugit. l. præſenti. 5. C. de iis qui ad eccleſ. confug. l. ſi qua. 22. C. de epiſc. & cler.

Congiaria inter cauponiæ tabernæ inſtrumenta recenſet Paulus. l. tabernæ. D. de inſtr. inſtr. leg. Græcis χοῦς Polluci libr. 10. c. 20. inter vaſa vinaria connumeranti. Congiarium autem eſt vas congij vnius, hoc eſt, ſextariorum ſenum capax: menſuræ igitur genus eſt Fabio libr. 6. c. 4. & vide Anto. Aug. lib. 2. c. 11. Congiarij quoque verbo cõtinetur munus, quod Imperator populo dabat. Alex. ab Alex. libr. 5. c. 24. vnde rectè dixit M. Fabius. Nam congiarium, inquit, cum ſit commune liberalitatis, atque menſuræ, à menſura ducta eſt imminutio rerum. Gloſſæ veteres. Congiaria appellant ἐπίδοσιν ἐπὶ τὸν νόμον δωρεάν. In l. patronus. D. de leg. 3. principales liberalitates vocantur.

Coniicere cauſſam, forenſe verbum eſt, vt ſcribit Duaren. Diſp. lib. j. c. 46. nec aliud ſignificat quã cauſſæ argumentum iudici, apud quem agenda eſt, ſummatim exponere. Afranius apud Non. Marcel. Cauſſam coniicere apud te volo: ambo adeſtis: profuturos arbitror. Hinc

Coniectio cauſſæ, interprete Aſconio, cauſſæ ſuæ per iudicem in breue coactio. Paul. l. j. D. de diu. reg. iur. ant. Per regulã igitur breuis rerum narratio traditur, & (vt ait Sabinus) quaſi cauſſæ coniectio. Harmenopolus lib. 6. σύνδεσμος legit, Ioan. Placentinus, Coniunctio, vt & alij. Coniectio etiam apud Apuleium in nuptialibus pactis, pro pacto ſumitur: Præter hæc, inquit, conditione factam coniectionem, ſi nullis ex me ſuſceptis liberis vita demigraſſet.

Coniugata, vt ſcribit M. Cicero in Topic. dicuntur quæ ſunt ex verbis eiuſdem generis, id eſt, quæ ab vno orta, variè commutantur, hoc eſt in diuerſas vocabulorum ſpecies inflectuntur: vt, iuſtitia, iuſtus, iuſtè, iuſtum, iuſtitiarius. Hæc verborum coniugatio Græcis συζυγία dicitur, ex qua huiuſmodi eſt argumentum, auctore M. Tullio: Si compaſcuus ager eſt: ius eſt compaſcere. Hæc res ſuccedit in vniuerſum ius defuncti. l. cùm hæres. D. de diuerſ. & tempo. præſcript. Itaque hæreditas eſt ſucceſſio in vniuerſum ius, quod defunctus habuit. l. hæreditas. D. de reg. iur. Sed hoc argumentum probatione indigere ſcribit M. Fabius libr. 5. Inſtit. Orato. cap. 10.

Coniuges Iſidoro libr. 9. Etymolog. c. 7. verius adpellantur à prima deſponſationis fide, quamuis adhuc ignoretur inter eos coniugalis concubitus: quam explicationem refert diuus Auguſtinus lib. de bono coniug.

iug.& vide c.coniuges.c.coniunx, & c.priuſquàm. 27. q.2.Coniunctio igitur animorum non corporum ſpectatur.Nuptias enim non concubitu ſed conſenſu fieri Vlpianus ait.l.nuptias.D.de diuerſ. regu. iur. Sed & Coniuges adpellantur, qui non liberorum procreandorum,ſed continentiæ cauſſa conueniuntur.c. vlt.32.q.2.Vbi pro incontinentiæ, legendum cōtinentiæ,vt & Albericus rectè legerat.

CONIVNCTÆ tabernæ adpellatione contineri putat Albericus eas,quarum vna ſuperior, alia inferior eſt: non putem tamen ſignificationem latiſſimam à S.Iuliano.l.j.D.de ſeruit.leg.perſtrictam. Coniunctas itaque tabernas ita accipiendas exiſtimarim, quæ ſimul iunctæ ſint,quæve vna contignatione coniungantur.

CONIVNCTIO in hæreditatibus & legatis triplex oſtēditur.Coniuncti re videntur hæredes vel legatarij,vel vſufructuarij,cùm duobus eadem res ſeparatim relicta eſt,idque re ipſa non verbis appareat eos iungi ad communicandum,partibúſque ex concurſu æſtimandis:veluti, Titio fundum talem do, lego.Sempronio eundem fundum relinquo.l.coniunctim. & l. re coniuncti. D. de leg.3. iidem etiam diſiuncti vocantur.l. vnic.§.ſinautem diſiunctim.C.de cadu.tol. Bart. d.l.re coniuncti.4.oppoſ. At Coniuncti verbis, non etiam re cenſentur,cum pluribus res eadem partibus definitis legata eſt:vt,Titio & Seio æquis partibus fundum Titianum do,lego.d.l.re coniuncti. Coniuncti re & verbis ſunt,quos & nominum & rei complexus iungit:vt,Lucio & Seio fundum Sempronianum do, lego.l.triplici modo.D.de verb.ſign.

CONIVNCTIONVM AVT, VEL, SIVE, VE, ac ſimilium,certum eſt eam cenſeri poteſtatem, vt ſenſum orationis diſiungant. Quemadmodum Coniunctiones,Et, Ac, Quoque, At, Que, Atque, regulariter copulant.Et eam quidem ſignificationem verborum naturalis ratio ſuppeditat, quia ad hoc ſunt inuentæ coniunctiones,vt aliquid copuletur cum alio, aut diſiungatur ab alio.Inſtitut.de leg.§.ſi eadem res.Verùm in iure talis verborum ſignificatio nonnunquam inuertitur ex re:idque mens proferentis,vel rerum qualitas,vel alia ratio extrinſecus vrgēs ſuadet. Id tractat eleganter Paulus.l.53.D.de verb.ſignific.Sæpe ita comparatum eſt,inquit,vt coniuncta pro diſiunctis accipiantur,& diſiuncta pro coniunctis, interdum ſoluta pro ſeparatis.Nam cùm dicitur apud veteres, Adgnatorum gentiliúmque:pro ſeparatione accipitur.At cū dicitur,Super pecuniæ tutelæve ſuæ: tutor ſeparatim ſine pecunia dari non poteſt.Et cùm dicimus, Quod dedi aut donaui:vtraque continemus.Cùm verò dicimus,Quod eum dare facere oportet: quoduis eorum ſufficit probare. Cùm verò dixit prætor, Si donum, munus,operas redemerit:ſi omnia impoſita ſunt, certum eſt omnia redimenda eſſe.Ex re ergo pro coniunctis habentur.Et ſi quædam impoſita ſunt, cætera non deſiderabuntur.Verba item, Ope, Conſilio, aliàs ex ſententia coniungentium, aliàs ſeparātium accipienda ſunt:ſed verius eſt ſeparatim accipienda. Rationē ibidem adfert Paulus.& vide.l.qui ſeruo.D. de furt. & l.proinde.D.de cond.furt.

Coniunctionem nonnunquam pro diſiunctione accipi Labeo ait,vt in illa ſtipulatione,Mihi heredíque meo, hæredémque tuum,Paulus in l.Coniunctionem. D.de verb.ſigni.

Coniunctionis diſiunctiuæ effectus variè intelligitur & dignoſcitur,vt ex ſubiectis adparebit,aliàs ex adiectis intelligitur clauſulis.l.plerūque intereſt.§.fi. D. de iur. do.Siquidem fuerit adiectum,vtrum mulier velit, ipſa eliget.Aliàs verò ex ipſo contextu orationis effectum ſeparandi non difficulter intelligimus, ſcilicet perpēdentes quid diſiungat.Aliàs diſiungit, vt relinquatur arbitrium eligendi.l.j.§. expilatores.D. de effractoribus.In opus publicū vel perpetuum, vel temporariū. l.quicunque.C.de ſeru.fugiti. Eum cum alio pari, vel viginti ſolidis reddat. Aliàs coniunctio diſiunctiua non ſeparat,ſed coniungit.l. Lucius. 85. D. de hæredibus inſtituendis:aut (quod abominor) prius morietur, quàm meam hæreditatem adierit, aut filium filiámve ex ſe natum.Paulus.l.ſi quis.D.de aur.argen.mund. Si quis,inquit,ita legauerit,Vxori meæ mundum, ornamenta, ſeu quæ eius cauſſa paraui, do, lego: placet omnia deberi.ſicuti cùm ita legatur,Titio vina quæ in vrbe habeo,ſeu in portu,do,lego.Hoc enim verbum, ſcilicet SEV, ampliandi legati gratia poſitum eſt.l. Quintus Mutius.D.eod.tit.Planè ſi ita legatum fuerit, Vaſa,aut veſtimēta,aut quæ vxoris cauſſa parata ſunt, tunc æquè erit vera Quintij Mutij ſententia.l.generaliter.C.de inſtitu.& ſubſtitu.Si filius vel filia inteſtatus vel inteſtata,vel etiam ſine liberis,vel ſine nuptiis diſceſſerit.

Coniunctio diſiunctiua aliàs diſiungit actionem, obligationem,conditionem vel ſolutionem. l. plerunque intereſt.§.fi.D.de iur.dot.Verùm conuenerit,vt aut æſtimatio,aut res præſtentur.l.ſi quis ita ſtipulatus fuerit. D.de verb.oblig.At ſi ſic,Dabis,ſi nauis venerit, aut Titius conſul factus ſit?ſufficit vnum factum. Et contrà:Dabis,Si nauis non venerit, aut Titius conſul factus non ſit?ſufficit vnum non factum eſſe.l. cùm illud aut illud legatur.Enumeratio plurium rerum diſiunctiuo modo comprehenſa,plura legata non facit. D. de verb. oblig. Siue nauis ex Aſia venerit,ſiue Titius conſul factus fuerit,vtra prius conditio extiterit, ſtipulatio committitur.Aliàs diſiungit, vt vnicuique ius proprium diſpertiat,diuerſis caſibus.l. vbicūque reus. D.de fideiuſſ.Aut iure, aut exceptione liberandum. l. ſed & ſi deceſſerit.D. de bono. poſſ. cont.tab. Secundum tabulas,vel contra tabulas.l.3. C. de condict. ob cauſ.Vel vt donatori,vel eius hæredi. Aliàs diſiungit, vt in vnoquoque idem ius locum habeat,licet diuerſa ſint.Nouel.de Eccleſiaſt.diuerſ.c.§.Si quis cum diuina. Conſtit.123.Legis vigorem vel tranſgreſſus fuerit, vel non vindicauerit.l.j.D.ad l.Pompe. de parrici. Patronam occiderit, eiúſve dolo malo id factum erit.l.j.in prin.D.ad leg. Cornel. de falſis. Acceperit, pactúſve fuerit.Aliàs neque diſiungit,neque cōiungit, propter aliquam extrinſecus accedentem rationem.l.fin.D.de verb.oblig.Cùm mihi aut Titio ſtipulor,dicitur aliam quidem rem in perſonam meam, aliam in Titij deſignari non poſſe,veluti mihi decem, aut Titio hominem.l.ſi ita ſtipulatus.D.eod.tit.ſi ita ſtipulatus fuero, decem aut quindecim dabis:decem debentur. Item ſi ita,poſt annum aut biennium dabis: poſt biennium debentur.

CONIVNCTIM hæredes inſtitui, aut coniunctim legari,hoc eſt totam hæreditatem, & tota legata eſſe ſingulis data,partes autem concurſu fieri.l.cōiunctim, D.de legat.3.

Coniunctim plures cōditiones hæredi datæ ſi ſint:omnibus parendum eſt, quia vnius loco habentur.Sed ſi diſiunctim ſint,cuilibet.l.ſi hæredi plures. D. de cond. inſtitutio.

CONLVCARE Feſto lib.3.dicebant,cùm profanæ ſiluæ rami deciderētur officientes lumini. Lib. verò.16.ſcribit,Conlucare eſt ſucciſis arboribus locum implere luce.Comparatum olim fuit edictum, De conlucandis arboribus.extat in eam rem Prætoris edictum.l.j. in princ.D.de arbo.cæd.Sublucare verò dicebant,eodem Feſto auctore,ramos ſupputare, & velut ſubtus lucem mittere.quo verbo vſus eſt Paulus lib.5.Senten. tit.6.quò pertinere videtur alterū Prætoris edictum, quod extat.l.j.§.deinde.4.Veteres edixerunt, De ſub-

lucandis arboribus.

CONNIVENTIA, eſt patientia accommodantium, ac videre ſe diſſimulantium. Pro conſenſu accipi in l. quiſquis.C.de poſtul. putant Albericus, Spieg. & Oldendorpius poſt Accurſium in d.l.quiſquis. Equidem priore ſignificatione accipiendum exiſtimarim, quod & ipſa indicant verba.

CONNIVENTIBVS OCVLIS dixit Vlpianus.l.4.D. de manumiſſ. tit. gene. hoc eſt per diſſimulationem: quod prouerbialibus ſermonibus connumerat Alciatus lib.4.de verb.ſignific.

CONNVBIVM, inquit Vlpianus in Epitome titul.5.eſt vxoris iure ducendæ facultas, vbi inter quos ius eſſet, docet. Hoc etiam explicat alibi Briſſonius. Seruius autem, Connubium, inquit, eſt ius legitimi matrimonij.

CONQVIRERE variè in iure noſtro pro re accipi ſolet. Apud Vlpianum.l.congruit.D.de offi. præſid.ſignificat diligēter quærere & inueſtigare. Sic eodem ſenſu apud M.Ciceronem in 5.Verrina: Quum vndique homines nequiſſimos conquiſiſſet. Significat etiam coërcere Feſto. Theodoſius verò, & Valentinianus Impp.l.8.C.Th.de legit. hæred. poſuerunt pro acquirere, ſicque in C.Iuſtinianeo.l.mater.C. ad Senatuſcō. Tertul.ex C.Th. exſcripta legēdum, vt & manuſcripti Codices habent.

CONREVS, qui vnà reus ſeu obligatus eſt.l.3.§.nunc de effectu,D.de lib.lega.alij legunt Correus. Hinc tit.D. &c.de correis debendi.

CONSANARE pro ſanum effici, dixit Vlpianus.l. idem O filius.10.D.de ædili.edict.Si homini digitus ſit abſciſſus, membríve quid laceratum, quamuis conſanauerit, ſi tamen ob eam rē dominus vti nō poſſit, non videri ſanum eſſe. In quibuſdam exemplaribus legitur conſolidauerit. Conſanandi tamen verbo vſus eſt Columella lib.4.c.14. Vide num, Conſanuerit, legendum.

CONSANGVINEI propriè dicuntur ſoli fratres ſororéſve ex eodem patre prognati, prognatæve, qui capite minores non ſunt.l.3.C.de leg.tut.§.j.§.cæterum.Inſtit.de leg.agna.ſuc. vel etiam qui in eiuſdem patris poteſtate ſunt, etiāſi ex eo progeniti non ſint, vt puta quæſiti per adoptionem, vel vnus adoptiuus, alter naturalis: eadémque ratione mulier quæ in viri manum cōuenit, quia in eiuſdem patrisfamilias poteſtate eſt, & ſui hæredis ac filiæ loco, liberis ſuis ex eo matrimonio progenitis conſanguinea eſt. Conſanguineos eos etiam accipere debemus, quos lex diuina & ciuilis cōſanguineos appellauit.c.cōiunctiones.in fi.35.q.2.& 3.

CONSANGVINITAS, attinentia perſonarum eſt: ex eo proueniens, quòd vna deſcendit ab alia, vel ambæ ab eadem. Eſt enim vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali compage factum, quaſi ſanguinis vnitas. ita diffinit Hoſtien. in Sum.de conſangui.& affinit. Conſanguinitas tamen propriè fraternitas eſt, itaque hoc verbū vſurpauit Vlpian.l. 4.D.vnde cogna.& l.lex non epiſtolis. C. de probat. Cōſanguinitatis iura à patre oriuntur: Proximitatis à matre, à fratre, Vlp.l.ſi ſpurius.D.vnde cogn. Ac proinde longè aliud eſt conſanguinitas, aliud ſanguis. Conſanguinitas enim ſpecies eſt agnationis. §. vulgo. Inſtitut.de ſucceſſ.cogn. atque ſic vſurparunt Græci. Sophocles in Aiace, τοῦ μανέντος ξύναιμον, Aiacis furioſi fratrem Teucrum. vt & Latini poëtæ: Virg. Statiúſque,

Conſanguineum lethi ſoporem,

quem Homerus κασίγνητον. Sanguis verò, cognatio eſt naturalis.l.2.D.vnde cogn.l.vel ſi ſanguine. D. de manu vind.l.qui in adoptionē.D.de adopt.& ſæpius alibi. Sumitur tamen & vno loco Conſanguinitas prò cognatione.l.vn.C.de imp.lucr.deſcr. Eque ex diuerſo, ſi poſteriores ad maiores prædicta ſibi conſanguinitate deuinctos. Id eſt patrem, auum, proauum.

CONSCIENTIA eſt tacitum animi, infallibiléque facti noſtri iudicium, à communi iuſtitiæ formula, quam Deus inſculpſit omnibus hominibus, productum, per quod aut accuſatur res mala, aut defenditur bona. Itaque conſcientia res eſt ſimpliciſſima, quæ diuidi non poteſt in vno atque eodem homine: vt rectiſſimè ſit dictum in c.literas.de reſtit.ſpol. Qui facit cōtra conſcientiā, ædificat ad gehennam. Item, Cōſcientia mille teſtes. Conſcientiam autem ſynceram niſi adhibeat iudex, non poteſt cauſam ſecundum æquitatem definire, etiam ſi mille teſtes, totidémque videat ob oculos inſtrumenta. Conſcientia enim certa eſt, non fallitur. At in probationibus ſæpe vel error, vel dolus verſatur, ſicut experientia nos docet. Conſcientiam diffinit Papias cognitionem cordis ſui ipſius. At Conſcientia, inquit Apoſtolus, eſt in gentibus factum accuſans vel defendens. Eſt igitur lex: quaſi dicat: Cōſcientia cuilibet indicat, num bene, an malè fecerit, etiam homini planè agreſti & indocto. Sed tale iudicium non poteſt fieri in conſcientia ſine aliqua formula legis, quæ indicet in corde hominis eſſe iuſtum, aut iniquum id quod fecit. Ergo eſt in homine lex, quā etſi nuſquā ex ſcripto legit, habet tamē à Deo inſculptam ad formandos mores.

CONSCIVS ab eo, qui ſimpliciter ſciuit, eò differt, quòd ille & conſilij particeps ſit.l.vtrum.iuncta.l.2.D. ad l. Pomp.de parric.

CONSCRIBERE dotem.l.vnic.§. ſed & ſi quis.C.de Lat.lib.toll.id eſt ſcribere: vel dotale inſtrumentū cōficere, vt poſtea exponit.

CONSCRIPTI patres, vide infrà, Patres conſcripti.

CONSCRIPTIONEM pro inuentario accipi ait Archid.in c.ſicubi.12.q.5.ex quo textu obſeruandum, inuentarium breue eſſe debere.

CONSECRARE, in l.ſi quando.3.C.de bon.vac.eſt mácipare, & addicere: quod ad res refertur. Significat etiam Deo dicare, & ad perſonas refertur.24.q.j.c.pudenda.quo verbo vſus eſt & Iulianus Patritius in verſione Nouellæ. 6.cuius loco verbo χειροτονεῖσθαι vſus erat Iuſtinianus, quo manuum impoſitionē ſignificauit. Hoc enim modo Epiſcopos conſecrari cœptos fuiſſe docet nos liber qui ΠΡΑΞΕΙΣ ΤΩΝ ΑΠΟΣΤΟΛΩΝ inſcriptus eſt. Conſecratæ etiam μεταφορικῶς dicūtur ædes quæ Imperatori dicātur, quæ palatiū dicūtur.l.vnic.C.de pala.& domib.domin.lib.11.

CONSENTIRE in iudicem intelliguntur, qui ſcientes ſe eius iuriſdictioni ſubiectos non eſſe, ei ſe ſubiiciūt. l.2.D.de Iudic. quod ſi putent eius eſſe iuriſdictionem, & ſe ſubiecerint, conſentire intelligēdi non ſunt, cum errātis nullus ſit cōſenſus.d.l.2.& l.ſi per errorē.D.de iuriſd.om.iud. Quādo autem dicantur collitigatores conſentire, diſputat Bart.& cæteri in l.ſi cōuenerit.D. de iuriſdict.omnium iud. ac poſt longam diſputationē omnes ferè in hoc conueniunt, in iudicem conſentire bifariā, partim litem conteſtando, partim proponendo exceptiones declinatorias: ſic enim apud Bart.in d. l.ſi conuenerit.legendū eſt, non, dilatorias, in verſic.& ſic duobus, vt ex ipſomet liquet: ſicque legiſſe videtur apud eum Bald.in d.l.ſi conuenerit. Quod ad litis cōteſtationem adtinet, rationem adferebat Rob. Irlandus Scotus præceptor meus, quia partium conſenſus poſt litis conteſtationem tranſit in contractum.l.3.§. idem ſcribit.D.de pecul. Conſenſiſſe nunnunquam & is accipiēdus eſt, qui expreſſis verbis & nominatim id teſtatus eſt. In eadem cauſſa eſt & is, qui nō contradicit.l.2.§.voluntatem.D.ſol.mat. Conſenſiſſe etiam intelligendus is eſt, qui euidenter diſſentit.l.in ſponſalibus.§.j.D.de ſponſal. Conſentire etiam eſt in vnā ſententiam occurrere.l.j.§.conuentionis.D. de pactis. Sic accipitur in l.conſenſu.D.de actio.& oblig.

CONSENTIENTES in aliquam rem, ex cōſenſu obligari neceſſariò ex voluntate noſtra videmur, l.obligamur.D.de actionib.& obligat.

CONSENSVS liber non eſt, qui alieno pendet ab arbitrio, ca.ſuper eo.de condit.appoſ. Conſenſus autem eſt quadruplex, ſcilicet negligentiæ, conſilij, cooperationis, & auctoritatis, ſeu defenſionis. Et primò & ſecundò conſentiens minus punitur, quàm faciens, tertiò æqualiter, quartò verò plus. Vnde,

Conſenſus ſpernit, ſuadet, iubet atque tuetur,
Hic minus, ille minus luit, hic æqualiter, hic plus.

De hoc glo. optima in cap.j.de offic.deleg.ſuper ver. Pari pœna.

Conſenſum metiri oportet in delictis ex ope & conſilio, vt nemo ope videatur feciſſe, niſi & conſilium malignum habuerit: nec conſilium habuiſſe noceat, niſi & factum ſecutum fuerit. §.ope & conſilio. Inſtitut. de oblig.quæ ex delic.naſc.l.qui ſeruo.D.de furt.& l.ſæpe ita computatum.§.fi.D.de verb.ſignif.

CONSEQVI propriè eſt, quod barbari dicunt à propè ſequi. Vlpi.in l.j.de ſeparat. Conſequuturi, pro adepturi, vt alij, vſurpat. Conſequi & amittere contraria ſunt. Conſequi enim adipiſci ſignificat, l.ſi ſeruum. 33. D.ad leg. Aquil. Conſequi tamen apud Salluſtium ſcriptorem antiquarium videtur ſumptum pro perdiſcere, percipere, quod Græcè παρακολουθεῖν dici ſolet: Hæc ſi vt conquiſitè conſcripſimus, ita tu diligenter fueris conſecutus.

CONSEQVENS dicimus, quod ex aliquo ſequitur illatiuè, & argumentando ita ſumitur in l.ſi verò plures. §. hoc edictum.D.de iis qui deiec.vel effud. Nam ex toto partem concludimus, qui ex loco deiicere vetat, ergo & ex partibus loci.

Conſequens in l.eos qui. 4.in fi.D.de capti.quidam putat pro conueniens & rationi & æquitati conſentaneum accipi. Equidem pro eo quod ex aliquo infertur accipi debere arbitror, quod magis ſubtili iure, quàm æquitate receptum eſt. propoſitio eſt: Hoſtibus deditus, reuerſus à nobis receptus non eſt. Ergo ciuitatem adipiſci non poteſt. hoc eſt conſequens, & concluſio. Sic accipi poteſt in l.ſanè.D.de iur. dot.

Conſequens apud Iulianum. l.de quibus. D.de legib. quidam interpretantur, hoc eſt, ſimile & conforme, vt & accipi aiunt in §.eſt & aliud.verſ.ſed nos.Inſtit.de dona. Quod ad verſ.ſed nos: attinet, conſequens ibi pro conſonum & conforme accipi putem, pro quo Theophilus ibi vertit τὰ πρόσφορα. In reſponſo vero Iuliani conſequens accipiēdum exiſtimarim, quod interpretatione ex conſuetudine inferri poſſet, & argumentando: quo ſenſu accipitur in l.ſi verò plures: tametſi non negauerim pro conueniens, & rationi conſentaneum poni. Eodem ſenſu,

CONSEQVENTIAS hæreditatum dixit Vlpianus l.3. in princ.D.de leg.hæred. hoc modo, Huius hæres es. Sequitur igitur vt eiuſdē tutor ſis iure quodā naturæ, vt eum ſequantur onera, qui commoda habiturus eſt.

Conſequentiam verborum dixit Iuſtinianus l.fi.C.de hæred.inſtit. pro gradatim, & ordine: veluti, Plotius mihi hæres eſto, Sempronius Plotij hæres eſto. Nam Sempronius in totū, partémq; Plotij vocatus intelligitur.

CONSERERE manum, Iuriſconſultorum eſt formula, vt ſcribit Gellius lib.20. cap.9. éſtque de qua re diſceptabatur in re præſenti, ſiue ager, ſiue quid aliud eſt, cum aduerſarium ſimul manu prehenderet, in ea re omnibus verbis vindicare: id eſt vindicia correpta manu in re atque in loco præſenti. Apud Prætorem ex duodecim tabulis fiebat, in quibus ita potuit eſſe ſcriptum: SI QVI in iure manū conſerunt, vtriq; ſuperſtitibus præſentibus, vindicia ſumunto. Cicer.lib.j.de Orat. Multiſque præeſſem, qui te ex iure manu conſertum vocarent. Hotom. in Comment.in Orat.pro Cæcinna: Conſerere manus, inquit, dicebātur in vindiciis, qui vim moribus, feſtucas inter ſe, quaſi haſtas, dicis cauſſa committentes, faciebant. Atque illud Manu conſertum Turnebus vult ex formula ſine caſus mutatione dici, vt apud Cice. Condemnari arbitrium pro ſocio. Manu conſertum autem antiquè dictum pro manus, eliſo s, eo more de quo Cic.in Orat.diſputat. Ennius verò octauo annali hoc genus loquendi tranſtulit ad bella.

Miſcent inter ſeſe inimicitias agitante.
Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt.

CONSERVATOR, eſt iudex datus ad defendendū aliquos à manifeſtis iniuriis, iudiciali ordine non vtens. hanc diffinitionem tradit Ioan.Andr.in ca.fi.verſ.notandum.de offic.deleg.lib.6.& probatur extra eo.tit. & lib.c.j.qualis eſt Lutetiæ Pariſiorum, Conſeruator priuilegiorum ſcholarium: & Lugduni, Conſeruator priuilegiorum nundinarum. Apud eum ſyngrapharum agnitiones, & literæ cambij verſantur. Huius cōmeminit Bartol.in l.ſi fideiuſſor.§.quædam.D.manda. ex quo obſeruantiſſimè colligit in curia mercatorum debere iudicari ex bono & æquo.

CONSIGNARE in l.creditor.20. C.de pig.tit.gene.& l.acceptam.C.de vſuris.ſignificat obſignare, & deponere in manibus: quod verbum in eundem ſenſum retinuere Pragmatici Galli. dicunt enim, *Conſigner l'argent, ou autre choſe, & mettre entre les mains du Greffier, ou d'un tiers.* At Conſignari tabulæ, inſtrumentáque dicuntur, quæ anuli impreſſione ſignantur, l.vlti. D.de dot.prælег.l.pen.D.de donat.inter vir.& vxo. Cicero pro Quintio, Tabulæ, inquit, maximè ſignis hominū nobilium conſignantur. Conſignare verò non videtur qui conſignatum reaſſumit, gloſ.in d.l.acceptam. C.de vſur. Boërius lib.1.quæſt.q.23. Hinc Conſignatio tabularum, & inſtrumentorum dicitur, l.j.§.j. D.de falſ.& l.inſtrumentorum.§.j.D.eo.

Conſignare legem, eſt pactionem ſcripto redigere, l.Iulianus.§.idem Iulianus.D.de actio.empt.& vendit.

Conſignare teſtationes, pro ſubſignare dixit Vlpianus, l. moris.§.j.D.de pœn.

CONSIGNATIONES, ſunt perſcriptiones & tabulæ teſtificandi gratia factæ & obſignatæ. Fabius: Litigator omnia, teſtem, populum, paratiſſimas conſignatione. Tranquillus de his intelligens: Cum quid per iocum, ait, teſtandi gratia ſignarent. Alibi teſtationes vocat Fabius Quintil. vide Teſtationes.

CONSILIVM dictum videtur vel à conſulendo, vel quòd in vnam ſententiam plurium mentes cōſiliant, & tandem expenſis rationibus cōueniant, ad ſtatuendum id quod rectum eſt. ſed à ſilendo credibilius dictum putatur: quod maximè probatur Feſto libro 3. Eſtque propriè Conſilium conſeſſus eorum qui cauſſam vel publicam vel priuatam, cum Prætore aut iudice cognoſcunt. vnde illud, Cauſſa cum conſilio cognita. Atque hoc Theophilus ita definiit: Κονσίλιον ἐστὶν συνέδρειον φανερῶν ἀνδρῶν κατὰ ῥητὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ χρόνον συνισταμένων. ἐγένετο δὲ τοῦτο τὸ κονσίλιον οὐ μόνον ἐν ῥώμῃ, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις. Pro conuentu iudicum ſumitur. l.ſi minor.19.D.de manumiſſ.vin.& alibi ſæpe.

Conſilium accipitur plerunq; pro quadam congregatione ad aliquid cum deliberatione tractandum deputata. Cicero pro Roſc. Qui ex ciuitate in Senatum propter dignitatem: ex Senatu in hoc conſilium delecti eſtis, propter ſecuritatem. Hinc etiam cōſilium apud Salluſtium in bello Iugurthino illud intelligi videtur, quod more maiorū Imperatori rem militarem adminiſtranti ſolebat adeſſe. Ita more maiorum (de Metello Imperatore ſcribens) ex cōſilij decreto per legatos

Iugurthæ imperat argenti pondo ducenta milia.

Conſilium præbere, exercereque dicitur Prætor, vel conſul qui conſilium cogit, l.j. D.de officio conſul. & l.2. D.de officio eius cui mandat. eſt iuriſdict. & alibi ſæpe. (Eodem ſenſu accipitur apud Vlpianum in Epitome, tit.j.§.eadem lege.) Qui verò aduocantur in conſilium, adhiberi, in conſilio eſſe, in conſilio adſidere dicuntur. Plinius lib.6. Epiſtol. ad Maximum: Adhibitus, ait, in conſilium à Præfecto vrbi, audiui ex diuerſo agentes ſummæ ſpei adoleſcentes. In conſilio eſſe Celſus, l.pater.29. D.de leg.2. in conſilium adſidere, Papinianus l.fi.D.de officio aſſeſ. dixere.

Conſilium ante factum inire oportet: non autem poſteà cauſſari ignorãtiam, niſi præter opinionẽ quid emergat fortuitò. Nou.de hære.& Falc.§. ſed neq; illis. Cõſti.j. Nam nemo redargui poteſt quòd futurũ nõ præuiderit. Nouel.de his qui nupt.ite.§. duo igitur huic. Conſt.22. Bene autẽ vniuerſa gerũtur, & competẽter, ſi principium fiat decens, & amabile Deo. Nou. Quomodo oport.epiſco.§.ſancimus igitur. Conſtit.6.

Conſilij plenioris effectus, eſt correctio errorum, & reſtitutio in melius. Nouel.de his qui nupt.ite. §.vetuſt. planè. Conſt.22. Multa autem quæ vidẽtur iuſta, ſi pleniore cõſilio perluſtrentur, erunt corrigenda, d.§.vetuſtas. Euentu enim tẽporis edocemur, ibi.§. per cauſſam verò neceſſariam. Rerum experientia docet certò, quid ſit dãnoſum, quid vtile. Nouell.de appe.in pr. Conſtit.23. Infinitatem rei eiicere, medicina eſt optima. Nouel. Vt determi.ſit numer.cleri.§.ex omni igitur. Etiam magnus ille Papinianus aliquando nõ ſatis definiuit medendi rationẽ in negociis. Nouel. Vt credito.primùm aggredi.§.cæterũ ſi fideiuſſor. Conſti.4.

Conſilium & iudicium non ita multum differunt. Nam venerandæ antiquitati cõſulere fuit iudicare, hoc eſt, de vtili & honeſto decernere. Vnde Senatuſcõſultum nomen traxit. Et nunc quoque ſi quid intereſt, hoc fuerit, quòd in iudiciis contentioſa, in conſiliis verò voluntaria iuriſdictio exercetur, l.2.D.de of. proconſ. Iudicia item apertè tractantur, conſilia autem plerunque ſemotis arbitris. Alioqui effectus vtrorumque eodem tendit. Vnde adſeſſores quoque iudiciorum. dicuntur conſiliarij, l.conſiliariis. & l.vlti. D.de adſeſ. Quid autem iudex poteſt conſulere vtilius atque honeſtius, quàm vt diſſentientes redeant in concordiam, quam Deus amat? Sæpe enim progreſſus litis, & controuertentes ipſi, & eorum cognatio ad perpetua rapiuntur odia, quæ interdum & vitæ & bonorum diſpendio exercentur.

Conſilium verò & Mandatum hoc differunt, quòd mandatum ſpecies quædam eſt imperij, quod pro ſocietate generis humani receptum eſt, vt quod cuiq; negocium datum eſt, id mandatoris periculo conficiatur. Conſilium autem ab imperio prorſus alienum eſt, nec vllam voluntatis eius qui conſilium dat, ſignificationem habet. Itaque rem conſultoris arbitrio permittit, nec vtrum fiat, nécne, laborat. Itaque ex conſilio nulla naſcitur obligatio: at ex mandato naſcitur. Hæc ex l.j. in fin.& l.2.D.mand.& l.conſilij.D.de reg.iur.

de Conſilij ſententia pronunciatum dicebatur, quod ex eorum qui in conſilium adhibebantur, ſententia ſtatuebatur: vt apud Ciceronem ſæpe, & Apuleium Apolog.j. Quæ verba his notis D.C.S. ſcribi ſolita Valerius Probus eſt auctor. Si cauſſa cum conſilio cognita eodem ſenſu dicebant veteres.

Conſilium in rub.C.de vind.& apud conſilium manumiſ. ſumitur pro conuentu: tametſi Azo in Summa eod.tit. videatur accepiſſe pro loco illo, in quo celebratur, vel exercetur iuriſdictio voluntaria: cuius ſentẽtiam probat Albericus: at Accurſius, l.j. C.eod. dicit poni pro præſidentibus in conſilio.

Conſilium pro deliberatione poſuiſſe videtur Alexander Imp. l.j. C.qui, & aduerſ. quos in integ. & pro aliquid faciendi, vel non, excogitata ratione. Cicer.j.de Inuent. Conſilium etiam pro corpore & collegio accipitur, l.fin.C.de naufrag.lib.11.

Conſilium etiã ſæpiſſimè in libris I.C. ſumi ſolet pro ſuaſione & hortatu, §.tua tantum. Inſtit.manda.l, conſilij. D.de diuerſ.regul.iur.l.ſæpè.53. D.de verbo.ſignific.& alibi ſæpiſſimè.

Consiliarii ſunt iudicum comites, & adſeſſores qui iudicibus adſident, l.penult. D.de offic.adſeſ, & l. conſiliarios.C.eo. Hos Græci, *συμπόνους, παρέδρους, συνέδρους, συγκαθέδρους.* Hinc,

Consiliator, quo nomine Chriſtum vocat Lactantius, poſt Sibyllam, quæ *σύμβουλον* appellarat. Plin. 4. Epiſto. In gerendis honoribus conſiliator & rector. Vnde Horatius, *Conſiliantibus diuis.* vt in l.12.C.T H. de legat.à conſiliantibus.

Consistere nonnunquam eſt in iudicio ſtare aduerſus aliquẽ, l.j.C.qui pet.tut. l.vix certis.53. D.de iud. & alibi ſæpe. D.& C.

Consistorium, cuius meminere Imppp. l.fin. C.de offic. diuerſ. & l.j. de comit. conſiſtor. diffinit Sudas *συνέδριον, καὶ τὸ σύστημα, ἔνθα περὶ τῶν ἐπειγόντων βουλεύονται*, in quo legatos & quoſcunque ſe adeuntes princeps admittit & audit, & de cauſſis cognoſcit, inquirentibus & deſpicientibus cõſiſtorianis, vt ait Ammianus Marcellinus lib.15. Ex quibus locis apparet cõſiſtorium ad Principis *συνέδριον* referri: quod & colligitur ex Nou. 23.§.ad hoc ſancimus. Sed & ad iudices, ad eóſve quibus iuris dicendi poteſtas eſt, referri poteſt. ca. Romana. de appell. lib.6. Quibus igitur nulla iuris dicendi poteſtas à lege, vel principe conceſſa eſt, quive principes non ſunt, Conſiſtorium habere non dicuntur.

Consistoriani, vide ſuprà Comites.

Consobrini conſobrinæque dicuntur Gaio l.j.§.4. D.de gradi. qui, queve ex duabus ſororibus naſcuntur, quaſi conſororini, & Paulo, l.fi.§.eod. D.eod. & lib.4. Senten.tit.11.§.4.gradu. Obtinuit & patrueles quoq;. id eſt, è fratribus natos: & amitinos, id eſt, ex fratre & ſorore genitos, communi cõſobrinorum nomine appellari, d.l.fi.§.eodem.§.j. Inſt.de leg.agn.ſucceſſ. quod *καταχρηστικῶς* fieri ibidem Theophilus admonuit. Conſobrini *ἐξάδελφοι*, & *πρωτεξάδελφοι* Græcis dicuntur. Sunt & Conſobrini quidam in ſexto gradu, hi ſunt patruelium, conſobrinorum, amitinorum filij. Et hoc eſt quod Paul. ait in l.I.C. locorum, fratrúmq; meorũ nepotes, neptéſve, item mei inter ſe conſobrini ſunt. & lib.4. Sent. Propioris (inquit) ſobrini filius filia, qui cõſobrini appellantur. & paulo poſt in VII. gradu cõſtituit conſobrini filios, filiáſque, id eſt, ſobrino natos natáſque. Hi ab Theophilo tit.de gradib.cogn. *μείζονες κονσοβρῖνοι* vocantur, & ſimpliciter conſobrini, §.vltim. Inſt.de ſucceſſ.cog. Propriè autem ſobrini dicuntur & ſobrinæ, l.3.D.de gradib.adfin. quæ appellatio à pleriſque etiam matruelibus tribuitur. Spartianus in Adriano, Traianum, conſobrinum patris Adriani, ipſius quoque Adriani conſobrinum vocat: quem nos propius ſobrinum, ſobrinam.

Consoceri dicuntur, ait Theophil. quorum alterius filia alterius filio nupſiſſet, §.9.de nupt. Vtitur Vlpian. l.32.§.proinde. D, de donat.inter vir.& vxor.

Consolidari dicitur vſusfructus, qui proprietati coniungitur, l.j. D.de vſuf.adcreſcen. Hinc apud Iauol. l.à liberto.35. D.de bon.libert. ſolida proprietas dicitur, in qua vſusfructus ineſt. itémque apud Paulum l. Sempronius.26.§.j. D.de vſufr.leg.

Consolidatio appellatur, quando vſufructuarius adquiſiuit proprietatem: tunc enim confunditur & finitur vſusfructus, §.finitur. Inſtit.de vſufr.

Consors

CONSORS, eiuſdem ſortis & cōditionis eſt, vt ait Varro lib.5.Ling. Lat.& eum ſecutus Bald.in l.dudum. C. de contrahen.empt. & ſignificat dominij participem. vide Alciat.l.proximi.D.de verb.ſignif. Sed pro ſubiecta materia aliter atque aliter μεταφορικῶς accipitur.In d.l.dudum.ſumitur pro dominij participibus. Ij etiam quibus talis communis eſt res,conſortes appellantur. Tit.notus eſt in Iuſtiniani Codice, de Cōſort.eiuſdem lit. Conſortes in libris Feudiſticis dicuntur dominus & vaſallus,quaſi σύμμαχοι,eiuſdem militiæ ſocij, eiuſdémque fortunæ participes, lib.Feud.3.tit.3. Si contigerit feudum neglectu fidelis conſortibus applicari, id eſt,dominis cōmitti & aperiri. Alibi Coniuges appellantur,quaſi coniugales,eodem iugo alligati, lib.2. tit.58.§.j.nonnunquam etiam Pares. Vide Pares.

CONSORTIO, communio,l.96.§.3.D.de ſolut. Nec in arbitrio eius electio erit,cum debitor precium pignoris conſortioni ſubiecerit: id eſt, promiſcuè vtrique debito pignus ſubiecerit.

CONSPIRATIO eſt quædam fraudulenta confœderatio,facta in præiudicium alicuius perſonæ, vel dignitatis.Hanc, quia ferè nunquam non doloſa cenſetur, ideò ſeuerè lex iubet vindicari. Sed & Imper.Adrian. priuatim quoq; ſtatuit vindicari ſcelus aduerſariorū, quibus opprimitur litigantis innocentia, l.viuus.D. de re iudic.

CONSPONSORES à Cicerone dicuntur, qui à Iureconſultis correi debendi : id eſt, qui eiuſdem obligationis ſunt debitores.Cicer.ad Attic.lib.12.Tamen velim des operam,vt inueſtiges ex conſponſorum tabulis,ſitne ita.Idem Leptæ:De tuo negocio, quòd ſpōſor es pro Pompeio,ſi Galba conſponſor tuus redierit.

CONSPONSOS antiqui dicebant fide mutua obligatos.Feſtus. vt & ſponſos obligatos : vel vt ait Varro lib.6.Linguæ Latin.contra ſponſum rogatos, id eſt ad ſpondendum.

CONSTARE dicitur teſtamentum,quod infirmari non poteſt.Cùm dādi caſu ſæpe iungitur , & eſt cōſtantem eſſe & perſeuerantem. Significat & manifeſtum eſſe & clarum:vt,Conſtat de eius innocentia,id eſt, manifeſta eſt:& apud Vlp.conſtat alimenta cum vita finiri, l.cum hi.§.modus.de tranſact.cum ſimili.Item,conſtat inter omnes,id eſt,nemo negat. Conſtat,id eſt,manifeſtum eſt,vel nemine in ſpeciem admonente. Quando enim Iuriſconſulti dicūt,Conſtat,tunc ſemper habent aliquam regulam naturæ præ oculis.

CONSTITVERE,aliàs conuenire ſignificat, & conueniēdo obligare ſe ad id,quod iam debitum eſt. Theophil.ἀντιφωνεῖν dixit,& Græci ἀντιφωνεῖν conſtitutum. Latius autem patet, quàm fideiubere: primùm quòd permiſſum ſit vt aliud,pro debito cōſtituatur , l.j.§.an poteſt.D.de conſtit.pecu.Cùm ſit diuerſum in fideiuſſione,l.ſi ita.D.de fideiuſſo.Deinde quod non ſolùm pro alio, ſed pro ſeipſo quis rectè cōſtituat. §.de conſtituta.Inſtitu.de actio. Fideiuſſor verò non niſi pro alio intercedit,Inſtitut.de fideiuſſo.in princ.Deniq; , conſtitutum nudo duntaxat pacto fit , nulla ſtipulatione interpoſita.d.§.de conſtituta. ſecus eſt in fideiuſſione. Conſtituere aliàs,eſt formare & bonā diſpoſitionem adhibere. Et ſic conſtituta iudicia rectiùs dicuntur, quàm proceſſus iuris. Conſtituere eſt conſiſtere & conſtare,l.39.D.de excuſa.tutorum. Conſtituere, cum parte ſtatuere & deliberare. Alciatus l.bonæ. C. de pact. Conſtituere diſceptationem,id ſonat,quod vulgus dicit,Accordare ſcripturas.

Conſtituere iudicium vel quæſtionem , in publicis duntaxat iudiciis,dicitur Quæſitor, qui iudicum reiectione vtrinque facta,certos conſtituit iudices, qui ſibi iurati in conſilio adſint,& ſecum cognoſcāt : in priuatis verò iudiciis,cum Prætor vrbanus iudici ac recuperatoribus à litigatoribus acceptis , poteſtatem de cauſſa cognoſcendi & iudicandi facit. Cicer.pro Cæcinna: Qui igitur conuenit, quæ cauſſa fuerit ad conſtituendum iudicium , eandem moram eſſe ad iudicandum. Vel ſic,Conſtituere iudicium Prætor in priuatis cauſſis dicitur,cum agendi poteſtatem,litigatoribus : iudicandi verò,iudicibus ſumptis permittebat.

Conſtituere ſeruitutem non eſt ſimpliciter cedere,ſed re ipſa imponere.Conſtituuntur enim ſeruitutes per patientiam,vel traditionem,l.13.§.j.D.de Pub.id eſt,ſi inducatur quis in prædium,vel eum,is qui cedit,ſeruitute vti patiatur,l.3.D.de vſufr.l.j.in fi. D.de ſeruit.ruſtic. Patientia autem illa pro traditione habetur , vt colligunt interpretes ex l.penult.D.de ſeruit.qui enim ſeruitutem debet,pati debet,l.quoties.15.D.eod.titu.quæ quidem patientia eſt de natura ſeruitutis , d.l.quoties. ergo patientia habetur pro conſtitutione,d.l.quoties.

Conſtituere ſponſalia nuptiáſve , l.13.§.j. D.de publ.in rem act.

CONSTITVTVS vſusfructus tunc dicitur, cùm iam quis vti,frui poteſt, l.vnica. §.dies. D.quando dies legati cedit. Igitur Conſtitutus non dicitur ante aditam hæreditatem, vel antequàm dies ceſſerit. Cæteroquin Conſtitutæ ſeruitutes dicuntur , quæ pactionibus , ſtipulationibus , legatíſve iam impoſitæ ſunt, l.10.D.ſi ſeruit.vindic.

CONSTITVTVM, vide Cuiac.in Parat.à tit. de Conſt.pec.

Conſtitutum,quod ab Imppp.reſcriptum,ſtatutúmve eſt, l.11.C.de neg.geſt.& alibi ſæpe.

Conſtitutum tempus pro anno l.63.§.fin. D.de acquir.rerum dom.pro biennio.l.4.pro ſoci. D.l.2.de diuerſ.& tempo.præſcript. quod petendæ reſtitutionis cauſſa conceditur. l.95.§.quod vulgò. D.de ſolut. Hodie eſt quadriennium cōtinuum, l.vltima. C.de tempo.in integ.reſtit.pet. Conſtitutum tempus ætatis, in l.62.in fin.D.de ritu nuptiarum,interpretere ex l.66. D.eodē. l.6.C.de interdicto matr. Et Conſtituta tempora in l. 5.in fi. D.de appell.interpretere ex l.j.§.biduum. & §. quod in ſentētiis.D.quan.appel.ſit. At in §.qui autem. Inſtit.de excuſ.rut.ſunt quinquaginta dies.

Conſtitutam partem,in l. 3.D.ſi à parent.quis man. interpretatur quidam, quæ patronis lege Papia præſtituta eſt,Conſtituti dies,l.7. D.de re iudicat. quos iudicatis conceſſit lex.

Conſtitutum ius, l.25.D.de donatio. inter virum & vxorem.l.j.§.item cum. D.quæ ſent.ſine appel.reſcind.& Gellio,lib.12.cap.13.

Conſtitutum etiam veteribus pro condicto , & adſignato die ad ius experiendum. Cicero pro Cecinna: Qui ad conſtitutum iuris experiundi cauſſa veniſſent. Varr. lib.2.de re Ruſtic. Cùm alius eum ſalutaſſet, alius conuiciatus eſſet , quî tam ſerò veniſſet ad conſtitutum.

CONSTITVTIO IVDICII , controuerſia quædam eſt ante litem conteſtatam, præcedens iudicium : vulgò dicunt exceptiones dilatorias impedientes proceſſum.Cicero in Partitionib.Atque etiam (inquit) ante iudicium de conſtituendo ipſo iudicio ſolet eſſe contentio:cùm aut,ſit ne actio illi qui agit , aut iámne ſit, aut num iam eſſe deſierit,aut illáne lege,illis verbis ſit actio,quæritur.

CONSTITVTIONES dicuntur quæcunque Imperatores per epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuunt, vt ſunt reſcripta,decreta,edicta,l.j.D.de conſtit.princip. Atq; harum duo ſunt genera:aliæ enim ſunt generales,aliæ perſonales , l.j. D.de conſtit.princip. Generales quidem,quæ ad omnes pertinent , perſonales , in quibus propter certæ perſonæ rationem,à iure communi receſſum eſt:quæ & Priuilegia appellantur.

Conſtitut

Conſtitutionum ſunt quatuor virtutes, l.legis virtus. D. de legib. Vnde,

Quatuor ex uerbis uirtutes collige legis,
Permittit, punit, imperat atque uetat.

Nam permittit, vt vir fortis petat præmium: Punit ſcelera & delicta: Imperat & præcipit, vt ſtatuta Canonica ſeruentur, vt clerici regulare propoſitum, & honeſtum habitum deferentes, continenter & caſtè ſtudeant viuere: Prohibet clericos ſecularibus immiſceri negociis. Et cõſtitutio conſulit: quæ virtus poteſt cõprehendi ſub prima: nam qui cõſulit, ſatis permittit.

CONSTITVTIONES DIVALES, hoc eſt, Imperatoriæ. Cenſentur enim Imperatores diui, non quidem apud nos falſa diuinitatis opinione, ſicut apud gentes olim, ſed quia omnes magiſtratus ſunt ordinatio Dei, & Imperator eſt ſummus magiſtratus.

CONSTITVTOR dicitur, qui pro ſe vel pro alio ſe ſoluturum promittit, vel aliqua facturum, & alterius in ſe transfert, vel ſuſcipit obligationem. Conſtituere enim, id eſt, Græci κατατάξαϑ dicunt. Hinc,

CONSTITVTORIA, ſiue Conſtitutitia actio, quæ in eum qui ſe ſoluturum conſtituerit datur, his fere verbis: Si appareat Mæuium Titio pecuniam cõſtituiſſe, eámque pecuniam cum conſtituebatur, debitam fuiſſe, neque Mæuius aut ſoluat, aut faciat id quod conſtituit: ac per actorem non ſteterit quominus fieret quod conſtitutum eſt, tum Mæuius damnetur, l.16. l.17. l.18. D. de conſtit. pec.

CONSTRINGERE ſe pactis, l.vnic. C. de monopo.

CONSVETVM fieri, præſumitur factum. Bal. in l.incendium. C. ſi certum peta. per l.quòd ſi nolit. §.qui aſſidua. D. de ædil. edict. Ex Duar. c.7. Com. in 1.part. Pand.

CONSVETVDO, ius eſt non ſcriptum, quod in morem vetuſtas vulgi approbatione perduxit.

Conſuetudo, quæ iuris pars eſt, Ius moribus, id eſt, aſſiduis actibus introductum, cap.conſuetudo.1.diſtinct. Voluntas populi rebus ipſis & factis declarata, Tacitus conſenſus omnium, l.de quibus. D. de legibus. Ius ex non ſcripto deſcendens, Tacita ciuium conuentio, Ius ſcripto non comprehenſum, l.ſed & ea, & l.ſeq. D. d.tit. Conſuetudinis autem appellatio, eſt referenda ad eam, quæ legitimè introducta eſt, cap.Cumana. de electionib. iuncta gloſ. Atque Conſuetudini ſecundus poſt ſcriptam legem locus tribuendus ideò eſt, quia conſuetudo fit longo tempore, longum autem tempus adfert experientiam multarum rerum: cùm ſæpe lex ſcripta ferri ſoleat ſubita quadã cogitatione, quæ nonnunquam fallitur, nec ſatis expendit ſingulas circunſtantias. Cõſuetudinis verò officium eſt, primùm, vt cõfirmet: deinde, vt interpretetur ſcriptam legem, ſi obſcura aut varia ſit. Paulus in l.minimè. Calliſtratus in l.ſi de interpretatione. D. de legibus. Optima enim, inquit, eſt legum interpres conſuetudo. Conſuetudo ſeruanda eſt, l.minimè. & l.de quib. D. de legib. l.ſemper in ſtipula. D. de regulis iur. l.j. C. quæ ſit long. conſuetudo. gloſ. in l.fin. C. de iur. domin. impetrand. cap.licet ex ſuſcepto. de foro competen. Cle. dudum. §.verùm. de ſepultur.

Conſuetudo generalis facit ius commune, & nonnunquam ſpecialis, Cle. ſi. de ætate & qualitat. Conſuetudo tanti temporis, cuius initium nõ tenetur in hominum memoria, habet vim priuilegij Imperialis. l.2. §. ductus aquæ. D. de aqua quotidiana & æſti. gloſ. in ca. ſuper quibuſdam. §.præterea. de verborum ſignificatio. Talis conſuetudo habet vim conſtitutionis, l.j. §. denique. D. de aqu. plu. arcen. & ibi Bart.

Conſuetudo ad vnguem ſeruanda eſt, cùm actus cenſeatur practicus, vt Bald. dicit in l.quicunque. C. de ſeruis fugi. & in ca.j. qui feud. dar. poſ.

Conſuetudo dicitur ius commune eius loci in quo eſt. ca. cùm veniſſent. de eo qui mittit. in poſſeſſio. Alexan. in l.de quibus. D. de legibus.

Conſuetudo ligat fiſcum, ſicut priuatos, l.venditor. §.ſi conſtat. D. communi. præd.

Conſuetudo laicorum rationabilis, adſtringit etiam Eccleſias. Nota. in cap.cùm cauſa. de re iudicat. Vide cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ. de conſtitut.

Conſuetudo quòd hæres extraneus ſuccedat in emphyteuſin Eccleſiaſticam, valet. Bar. in l.qui rem. in fi. C. de ſacroſanctis Eccleſiis. Paulus Caſtrenſis Conſilio 134.

Conſuetudo teſtatoris & loci interpretatur materiam ſucceſſionis, l.ſi ſeruus. §.fin. D. de legat.j.

Conſuetudo loci ligat clericos. Bald. in l.neque. C. de hæredibus inſtituendis. Per cap.conſtitutus. de in integrum reſtitutione. Bart. in l.j. C. quæ ſit longa conſuetudo. cap.cùm veniſſent. de eo qui mittit. in poſſeſ.

Conſuetudo facit legem, & rurſus abolet. Sicut pleráque iura de ſeruis atque de libertinis, moribus, non legibus introducta ſunt: ita moribus abolentur ſine legibus, l.libertinus. D. de ritu nupt. l.de quib. in fin. D. de legibus.

CONSVLES, poſt exactos reges, duo creari cœpere anno ab vrbe condita 245. L.Iunius Brutus, & L.Tarquinius Collatinus, vt Liuius tradit ſub finem lib.j. & lib. 2. Omnia iura (inquit) omnia inſignia regiæ poteſtatis Conſules retinuere: id modò cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur. Varro lib.4. Ling. Latin. Conſul nominatus quòd conſulere populum & Senatum debet, (id eſt in concione ſententiam rogare) niſi illinc potius, vnde Accius ait in Bruto, Qui rectè conſulat, conſul fiat. Idem Varro lib. de vita popul. Rom. apud Non. hoc Accij videtur ſecutus, his verbis: Quia iidem dicebantur Conſules & Prætores: quòd præirent populo, prætores: quòd conſulerent Senatui, Conſules. Florus vocatos Conſules dicit, quòd meminiſſe deberent conſulere ſe ciuibus: hos προβούλους interpretatur Dionyſius. Fabius: Sítne conſul à conſulendo, an à iudicando. nam & hoc conſulere veteres vocauerunt. Atque obiter notandum, quòd qui hæc duntaxat ſecundum verbi, & non potius ſecundum rei ſignificationem accipiunt, ij toto errant cœlo. Non enim à conſulendo nominatus eſt Conſul, quia deriuetur à verbo Conſulo: ſed quod ab ipſo Conſule exerceatur conſultatio, hoc eſt, res quam ſignificat verbum, quod ab ipſo deriuatur Conſule, Conſulo. Siquidem prius homo is exigitur, qui conſilio ſit præditus, poſsítque conſulere, quàm fiat actus conſulendi. Quod diligentiſſimè obſerua. Nam deſeruit tibi, vt rectiùs intelligas, quod Ius deſcendat à Iuſtitia. Cicer. de Legib.3. Regio imperio duo ſunto, iique præeundo, iudicando, conſulendo, Prætores, Iudices, Conſules appellantor. militiæ ſummum ius habento, nemini parento. Ollis ſalus pop. ſuprema lex eſto. Ius autem Conſules dixiſſe vel ex 2. Liuij intelligi poteſt, vbi ſcribit Appium Conſulem quamaſperrimè ius de creditis pecuniis dixiſſe. Pomponius l.2. §.8. de orig. iur. Conſules ab eo dicti ſunt, quòd plurimum Reipub. conſulerent. Lege lata ſummum ius eis delatum eſt, prouocatio ab eis pop. conceſſa, prohibitum eiſdem ne poſſent in caput ciuis Roma. animaduertere iniuſſu populi. ſolùm relictum eſt illis, vt coërcere poſſent, & in vincula publica duci iuberent. Polybius lib.6. hiſt. Conſules, antequam legiones educant ex vrbe, omnium publicarum rerum actiones penes ſe habent. reliqui enim omnes principes ſubiiciuntur illis, atque obſequuntur, exceptis tribunis plebis: atque in Senatum legationes deducunt: quæ celeriter ſtatuenda ſunt, ipſi decernunt: ipſorum verò officium eſt, quæ

ſenatuſconſulto decreta ſunt, ea vt perficiantur: quinimò & quæ per populum de Rep. perficienda & tranſigenda ſunt, eorum eſt perpendere, ac diligenter curare: concionem quoties opus eſt aduocare, ad populum ſenatus decreta referre, quicquid maior pars iuſſerit exequi. Adhæc in his quæ ad belli apparatum, & caſtrēſem diſciplinam pertinent, quaſi regiam habent poteſtatem. His etenim ius eſt, ſociis quicquid libuerit imperare, Tribunos militum creare, delectum habere, ac de iis qui ſub imperium eorum ſunt, in caſtris arbitratu ſuo ſupplicium ſumere. His prætereà licet, eos comitante Quæſtore, ac ſedulò imperata faciente, publici æris quantum res ipſa tulerit impendere. Hæc Polyb. Conſtat autem ex Cic. Philip. 5. legitimum conſulatus annum fuiſſe 43. Ex Muræniana & lib. Epiſt. 7. & Liuij lib. j. centuriatis comitiis eos creari conſueuiſſe. Ex Pediano in Verrin. 2. diem comitiorum Conſularium fuiſſe 6. Cal. Sextil. Ex Philip. 2. & Plutarcho in Cicer. Conſules captis pignoribus Sanatores qui nec aderant, & quibus cauſſa non erat, coërcuiſſe. Ex Liuij lib. 42. cùm ad bellum proficiſcerentur, votis in Capitolio nuncupatis, paludatos ex vrbe exiſſe, omnibus ordinibus eos concomitantibus. Ex Verrina 3. deſignatos in Comitiis Cōſules domum à multitudine deduci ſolitos. Ex Gellio lib. 17. cap. 21. niſi ex patritiis gentibus, Conſules fieri ius non erat: poſtea tamen Licinij Stolonis lege Coſs. etiam ex plebe creari cœpti, breui poſt tempore, quàm apud Leuctra Thebani Lacedæmonios duce Epaminonda ſuperauerunt. Ex locis innumeris, eoſdem Kalend. Ianuariis magiſtratū iniſſe, pompámq; inſignem adhibitam fuiſſe, cuius meminit etiam Ouid. de Ponto lib. 4. Elegia autem 10. eiuſdem libri de extraordinaria Conſulis poteſtate nōnulla ſcribit, quæ quia nuſquam alibi me legiſſe memini, ſubiiciam:

Aut reget ille ſuos dicendo iura Quirites,
Conſpicuum ſignis cum premet altus ebur:
Aut populi reditus poſitam componet ad haſtam,
Et minui magnæ non ſinet urbis opes.
Aut ut erunt patres in Iulia templa uocati,
De tanto dignis Conſule rebus aget.
Aut feret Auguſto ſolitam, natóque ſalutem,
Déque parum noto conſulet officio.

Idem fere retulit Elegia ſequenti:

Hæc modò te populo reddentem iura uidebit,
Et ſe ſecretis finget adeſſe tuis:
Nunc longi reditus haſtæ ſupponere luſtri
Credet, & exacta cuncta locare ſide.
Nunc facere in medio facundum uerba Senatu,
Publica quærentum quid petat utilitas.
Nunc pro Cæſaribus ſuperis decernere grates,
Albáue opimorum colla ferire boum.

De Conſulatu autem Caſſiodorus lib. 6. Variarum ſic ſcribit: Priſcorum iudicio qualis ſit Conſulatus, hinc omnino datur intelligi, quando inter mundi dignitates eximias, ſolus meruit habere palmatas veſtes, quas felicitas dabat præmia vincentium, nomen annorum, cōpenſatio ſola cui debebantur omnia. Statum Reip. Romanæ viri fortis dextera tuebatur, fortunas omnium ac liberos huius conſilia vindicabant, & tot magnis debitis ſola erat huius retributio dignitatis, repertam in libertatis ornatum, inuenta ad generale gaudium. Per illam nimirum ſtatus imperij iugiter creuit. illam ſemper felix Roma ſuſcepit. meritò quidem genus habebatur imperij: meritò ſupra omnes ciueis poterat, qui ab hoſte patriam vendicabat: vtilitates publicas ſub æquitate diſponens, ius dicebat etiam capiti, ſed tutò illi commiſſa eſt poteſtas necis, qui fuerat auctor ſalutis. Hinc eſt, quod etiam faſces atq; ſecures tantæ poteſtati præceptæ ſunt illigari: vt cum tardius ſoluerentur, moram deliberationis acciperent, ſi de cæde aut nece hominis aliquid cenſuiſſent. ita vt cum omnia eius traderentur arbitrio, ne inſoleſceret animo, Conſul dictus eſt, à conſulendo. Hinc tanta largitas profluebat, vt illa dextra, quæ ſanguinem copioſè fuderat hoſtium, vitæ auxilium ciuibus manaret irriguum. Sic quos felices per bella fecerat, ſtudio largitatis explebat. In argumentum etiam publicæ gloriæ ſoluebat famulos iugo ſeruili, qui libertatem tantæ dederat ciuitati. Hactenus Caſſiodorus. De Conſulibus verò prolixius tractauimus, cum vt id ſemel ſit dictum, tum verò maximè quod hæc ſint plurimis Cod. & Digeſt. titulis lucem allatura. Apud Carthaginenſes verò velut conſulare imperium erāt Suffetes, vt ſcribit Liuius lib. 40.

Conſul pomeridianus quis ſit, vide apud Turn. Aduerſ. lib. 18. cap. 13.

CONSVLARIS vir, qui Conſulatum geſſit. Hinc Conſulares fœminas intelligimus conſularium vxores, l. j. D. de ſenat. l. 3. §. vlti. D. de arbit. Conſulares viæ, publicæ, & Prætoriæ, & βασιλικαὶ, l. 2. §. viarum. D. ne quid in in loc. pub.

Conſulares quidam prouinciarum rectores, l. vnica. vt omnes iudic. l. vnic. de officio Comit. ſac. patr. qui in Orientis partibus 15. erant. ita accipere debemus τὰς ἀρχὰς κονσυλαρίας Nouel. 7. & Conſulares Campaniæ, l. 12 de pœn. C. Theod.

CONSVLATVS ordinarius apud Suetonium in Domitiano: In ſex conſulatibus nonniſi vnum ordinarium geſſit. explicatur à Turn. Adu. lib. 5. cap. 10. ex cuius nomine anni ſupputatio ordinabatur, id eſt cuius nomen in literis & inſtrumentis, & in faſtis ſcribebatur, qui denique Kalend. Ianuar. honorem inibat. Nam ætate Imperatorum annus in multos diuidebatur conſules: ſed ſoli qui anni initio inibant honorem, ordinarij cenſebantur, honoratioréſque erant. Seneca: Conſulem me fecit. ſed non ordinarium. Vide Dionem lib. 43. Alij tamen Conſulem ordinarium dici volunt ad ſuffectorum differentiam: ex his Lamprid. in Alexandro verbis: Conſules, ait ille, quoſcunq; vel ordinarios, vel ſuffectos creauit, ex Senatus ſententia nominauit.

CONSVLI res dicitur, de qua ad Senatum relatum eſt: vti patet ex lege operis faciundi, de qua vide, Duumuiri. At Conſuli populus dicebatur Romæ, cum lex rogabatur. nam Feſtus, Rogatio eſt (inquit) cum pop. conſulitur. Cic. de legib. 3. Qui agent, non plus quam de ſingulis rebus conſulunto. Et in ea pro Domo: Si pop. de iſta re conſultus eſſet. Conſulendi autem mos olim & frequens & optimus fuit. Sic Ariſto magna laude conſultus fuit à Celſo iuris peritiſſimo. l. iuris gentium. §. ſed & ſi. D. de pact. Quemadmodum Seruius Q. Mutium conſuluit, in l. 2. §. Seruius autem. D. de orig. iur.

CONSVLTVS, adiectiuum, ſignificat ſcientem, & peritum, à quo iure conſilium petas. Liuius. 1. ab Vrbe condita libro: Conſultiſſimus iuris, vt illa quiſquam ætate eſſe poterat. Significat etiam interrogatus, l. denique. §. ſi quis. D. de minor.

CONSVLTVM lib. Feud. 2. tit. 8. §. 3. Nā nec pignus, quod conſultum dicitur, fieri poteſt ex feudo.

CONSVLTARE, eſt frequenti opera conſilium inire. in Conſultandis rebus oportet ad plenum proſpicere: non autem partem abſoluere, partem erroribus implicitam relinquere, quæ difficilioribus adhuc controuerſiis materiam præbitura ſit. Nou. vt ſi plures filij non ſint. §. quòd ſi minus agat. Conſti. 18.

CONSVLTATIO, hoc eſt, cùm cauſſa in varias partes expenditur, vt quod optimum eſt appareat, ſuccurritur noſtræ cæcitati & inconſtantiæ. Quandoquidem rectiſſimè

rectiſſimè dictum eſt, Hominem inconſtantiſſimum animal eſſe, Romanor.4. Epheſio.2. Geneſ.6. Pſal.115. Omnis homo mendax.l.2. C.de veter.iur. enuclean. Hoc verbo vſi ſunt iuris auctores in l.11. §.ex facto. D. de minoribus l.j.§.j. D.de appellatio.l.2. C.de legibus. Græcis συνέλευσις dicitur. Fit verò conuocato Senatu. Atque in Conſultationibus non tantùm Imperij proceres & ſummi magiſtratus, ſed etiam totus Senatus conuenito. Proponuntor quoque in medio ſancta Euangelia. Et quæ ordinis Decreto placuerunt, referuntor ad maieſtatem Imperatoriam. Nouel.de Conſultationibus. Conſtit.62.

CONSVMMARE eſt inchoatum perficere, l.ſi in aliquam. D.de offic. Proconſul.

CONSVMI actiones dicuntur, quæ tolluntur, pereunt, extinguntur, l.28. §.exceptio. D.de iureiuran. & alibi ſæpiſſimè.

CONSVMPTI nummi videntur, qui aliis permutati, vel ita mixti ſunt, vt diſcerni nõ poſſint, vel aliàs ſunt expenſi, l.13.l.19.§.vltimo. D.ſi cert.pat.

CONTEMNERE, & deſpicere, in eo diſtant: quòd deſpicere eſt grauius, quàm contemnere. Paratus ſoluere, etiamſi non offerat, contemnere non cenſetur. Vide Archidiac. & Ioannem Andr. in cap.j. Extra de ſent. excommu.lib.6.

CONTESTARI ſignificat teſtibus adhibitis aliquid declarare, & profiteri, l.j. D.quod iuſſu. & l.2. de filiiſfamilias, & quemadm. pat. pro his ten. Cod.lib.10. Potueras enim nominato filio tantum conteſtari, & non conſentire oneri ei delato. Feſtus, Cõteſtari eſt, cum vterque reus dicit, Teſtes eſtote. Hinc Conteſtari litem dicebantur duo aut plures aduerſarij, quòd ordinato iudicio vtraque pars dicere ſoleret, Teſtes eſtote. hoc autem proprium erat actoris cũ reo, non contra, l.ſi à me fuerit. D.de iudic. Vnde Conteſtatio, pro teſtatione, l.20.§.vlt. D.de teſt. Paul.lib.2. Sent.tit.14.

CONTESTATIO litis, eſt eius rei de qua controuerſia eſt apud iudicem ex vtraq; parte facta narratio teſtibus præſentibus. Hoc genere res in iudicium deducitur, & litis nomen accipit. nec enim lis eſt antequam conteſtetur, ſed controuerſia. l.25.§.ſi ante. D.de petit. hæred. Προκάταρξις à Græcis dicitur, quòd initium iudicio dat. Et,

CONTESTATA LIS tunc dicitur, cùm iudex par narrationem negotij, cauſſam audire cœperit, l.vnica. C. de litis conteſt. Non tamen per poſitiones & reſponſiones ad eas, ſed per petitionem in iure propoſitam, & reſpõſionem ſecutam, conteſtatio litis fieri dignoſcitur. ca.vnico. circa fin. extra eod.tit. & cap.cùm cauſam. extrà, de iuramen.calum. Gloſſæ veteres Conteſtatas lites exponunt, αἱ ἀρχὴν λαβοῦσαι ἐν δικαστηρίῳ δίκαι ἐξ ἀντικαθεστώτων.

CONTESTATO teſtibus adhibitis, aduerbium, l.j.§.Iulianus. D.de liber.agnoſc. Si neque conteſtatò dixerit eam ex ſe prægnantem non eſſe.

CONTEXTVS teſtamenti, l.75. D.de leg.j. Contextu vno teſtamentum fieri debere dicitur, hoc eſt, nullo alieno actu intermixto, l.21.§.fin. D.de teſtam.

Contextu ædificiorum vnita domus, l.15. §.ex hoc edicto. D.de dam.infect.

Contextus rationum, l.110. D.de conditionib. & demonſtrationibus.

CONTEXTVM etiam appellatur, quod in tela eſt nondum prætextum, vel detextum, l.22. D.de auro & argento legato. Sic Contexta quî accipere debemus in l.70.§.verſicoloribus. D.de legat.3. docet ibi textus

CONTIGNATIO (in l.36. D.de ſeruitut.vrb. Vitruuius lib.2.cap.9. Plinius lib.35.cap.13.) dicitur vel lignorum, vel tignorum, vel aliarum rerum coniunctio. Et quandoque dicitur tegmen. Vnde duæ ædes dicuntur eſſe ſub vna contignatione, hoc eſt, ſub vno & eodem tegmine.

CONTINENTES prouincias accipere debemus, quæ Italiæ coniunctæ ſunt, vt Galliam & Prouinciam, l.99. D.de verbo.ſignific.

CONTINENTIA vrbi, pro ſuburbiis accipiuntur, quòd cum ipſa vrbe ſe teneant, contingua que ſint, l.2.l.139.l.154. D.de verborum ſignificationibus. Notandum, Qui extra continentia vrbis eſt, abeſſe. Cæterùm vſq; ad continentia, non abeſſe videbitur. Inter continentia vrbis vicos vult intelligi Vlpian. in l.collegarum. D.de verbo.ſignif.

CONTINVA poſſeſſio dicitur, non ſolum quæ penes vnum, atque eundem ſemper eſt, verùm etiam quæ ab vno ad alium legitimè tranſlata fuerit.

Continui DIES vtilibus opponuntur, l.j.§.dies. D.de lib. agnoſ. Vide Dies.

Continuum TEMPVS, quod nulla eorum dierum, quibus experiundi poteſtas non fuit, ſubductione facta, currit, & ignorantibus quoque cedit, l.8. D.de iis qui not.infa.l.31. D.de adulter.§.qui excuſare. Inſtitutio. de excuſat.tut.

Continua PRÆDIA, id eſt, contigua, & vicina, ſéque inuicem contingentia, l.31. D.de ſeruit.ruſt.l.7. in fi.D. commu.prædi.

Continuus ANNVS, vide Annus.

Continuus ACTVS, l.137. D.de verborum obligatio. ſine aliquo longo interuallo, & aliquo actu contrario obligationi.

CONTRA, pro ex diuerſo, Paulus in l.hæredes eius.§. contrà ſi promiſſor. D.familiæ erciſcun. Vlpianus in l. Celſus ait. in princ. D.de recep. contrà, ait, vbi duntaxat dari iuſſit. Contra, id eſt, in conſpectu, l.venditor. D.communia prædiorum.

CONTRA IVS PARTIVM pronũciare, dicitur, cùm in ſententia non exprimitur aliquid contra leges, ſed tamen ſi ad factum & cauſſam exigatur, tum apparet iniquitas.

CONTRA BONOS MORES, frequens in iure formula, qua publicam honeſtatem lædi ſignificamus.

CONTRA LEGEM facit, qui id facit, quod lex prohibet, l.29. D.de verbo.ſignif. Contra edictum facit, qui prætore vetante facit, l.103. D.de reg.iur. Contra conſtitutiones iudicatur, cùm de iure conſtitutionis, non de iure litigatoris pronunciatur, l.j.§.item cum contra. D.quæ ſenten.ſine appel.

CONTRARIVM, ſeu ἀντινομίαν, hoc eſt, Legum repugnantiam, nullam putat Iuſtinianus in Pandectarum libris inueniri, ſi quis ſubtili animo diuerſitatis rationem excutiat. Nam ſemper eſt aliquid, ſecũdum quod liceat diſſonantiam conciliare. Conſtitutio. D.3.§. Contrarium autem Budæus contrà nititur probare. quæ ſoluit Zaſius.

Contrarium iudicium tutelæ quod directo opponitur, quod tutori datur, quando ei ſunt ſumptus & expenſæ, quas in res minoris fecit, reficiendæ. Vlpianus. l. furti. de his qui not.infam. Contrario iudicio damnatus, ait, non erit infamis. Vide Contractus.

Contrariorum eadem eſt diſciplina, l.j. D.de iis qui ſunt ſui. Sed, quandoquidem plurimi refert quomodo diſciplinam accipias, ſic diſtingue: Aut intelligimus cõtrariorum eandem eſſe diſciplinam, id eſt, cognitionem, & erit vera propoſitio. Nam cognito vno ex cõtrariis, cognoſcemus & aliud contrarium, l.ex duob. in princip. & l.ſeq. in fin. de vulga. ſubſti.l.j. in princ. D. de his qui ſunt ſui, vel alien.iur. Aut referimus eam propoſitionem ad iuris ſanctiones, vt ſit contrariorum eadem ſanctio, vel ordinatio. Et tunc, cùm in vtroque eſt eadẽ ratio, erit eadem iuris definitio. Cùm autem apparet diuerſa ratio, erit quoque diuerſa diffinitio.

ctio. Ibi autem plerunque par ratio eſt, vbi ambo contraria ſeſe mutuò reſpiciunt, & ex ſeſe naſcuntur ſub corruptionis modo, hoc eſt, vt cùm alterum contrariorum naſcitur, alterum perimatur, veluti retinere, & amittere: obligare, & liberare: contrahere, & diſtrahere: teſtamentum facere, & teſtamentum reuocare: nunciare nouum opus, & remittere. In his enim & ſimilibus eadem eſt iuris diſpoſitio, vt quod in vno ſtatuitur, cenſeatur etiam in alio ſtatutum. Vt ecce: In obligatione diſpoſitum eſt, eam tempore produci non poſſe, l. ſi certis annis. C. de pactis. Ergo nec tempus perimere poteſt obligationem, l. obligationum ferè. §. placet. D. de obligat. & actio. Sic quando contractus fit bonæ fidei, eius quoque reſolutio erit bonæ fidei, l. ab emptione. D. de pact. l. nihil tam naturale. D. de diuerſ. reg. iur.

ex Contrario. §. relegati. Inſtit. quib. mod. ius pat. ſumitur non pro è contra, ſed pro ſimiliter, relatione tamen filij ad patrem. Relegati patres in inſulam, in poteſtate liberos retinent: & ex contrario liberi relegati, in poteſtate parentum remanent.

Contrarietas iuris eſt, quoties ex eodem in ſpecie facto repugnantes ſunt definitiones præceptorũ, quarum alteram inſpecta ratione boni & æqui oportet eſſe falſam. Talis contrarietas, quia valde nocet humanæ ſocietati, ſemper fugienda eſt. Conſtit. D. 3. §. Contrarium.

Contradicere, eſt allegare iuſtam læſionem cõtra id quod agitur, Vlpianus in l. nam ita diuus. D. de adoptionibus.

Contrahere apud Iuriſconſultos dicitur cum vltrò citróque aliquid dabatur, ſcilicet cum vnus accipiebat, alter dabat. Liuius lib. 22. Iam inde haud ſecus quàm in pace res inter ſe cõtrahere, vẽdendo, emendo, mutuum dando argentum, creditúmque ſoluendo auderent. Contrahere autem dicimus negotium, obligationem, ſtipulationem, vẽditionem. l. 2. & l. 33. de condictio. indeb. l. 5. & l. 133. de reg. iur. l. 57. D. de oblig. & actio. Huic contrariũ eſt diſtrahere. l. 4. §. is quoque. D. de oblig. & actio. Contrahentibus autem licere inuicem ſe circumuenire, dixere Vlpian. l. in cauſſæ. 16. D. de minor. & Paulus. l. item ſi. §. fi. D. locati. quod accipiendum putat illic Bart. ſi dolus abſit, nec vltra dimidium iuſti pretij factum ſit, vt notatur infrà. Panormitanus in c. nauiganti. de vſuris in antiq. hoc clarius explicat, vt tum demum circumuenire liceat, cùm circumſcriptio re ipſa interuenit: ex propoſito diuerſum eſſe. quæ ſententia vera eſt. Accurſius tamen in l. ſemper in conuentionibus. D. de diuerſ. reg. iur. antiq. hoc non congruere viro bono ſcribit. Philippus Decius inter ſcientes hoc cõceſſit, in d. l. ſemper. Tu rem expende, & vide eundem P. Decium in l. pen. C. de pactis. & Salicet. in auth. adhæc. C. de vſuris. & Ioannem Imol. c. j. de empt. & vendit. Notandum igitur contrahentium deceptionẽ iure ciuili tolerari, vſque ad dimidium iuſti precij. l. in cauſſæ. §. idem Pomponius. D. de minoribus. Erant autẽ olim periti rerum æſtimandarum inter contrahentes, quos Summarios adpellabant. Nouell. de hortulanis. §. ipſam verò olerum æſtimationem. Conſtit. 64.

Contrahimus crimen. l. 15. D. de donat. & l. 2. D. de cond. ob turpem cauſſam. cùm ſubimus. Contrahere fraudem. l. 8. D. de publican. & ita accipe ex malo contractu. l. 52. D. de re iud.

Contrahere etiam videtur, qui adit hæreditatem. l. 3. in fi. & l. ſeq. D. quibus ex cauſ. in poſſeſſ. ea.

Contractus, Græcis ſignificantius συνάλλαγμα vocatur, continétque omne pactum. Qua voce Ariſtoteles vtitur Ethico. lib. 5. Quò reſpiciens Labeo, adſerit, contractum eſſe vltro citróque inter duos pluréſve obligationem, in l. Labeo. D. de verb. ſignific. Vel Cõtractus eſt negotium ex quo mutua obligatio, mutuáque actio naſcitur: & ea quidem actio vel vtrinque directa eſt, vel hinc directa, illinc contraria. Directa, id eſt principalis: contraria, id eſt quæ principalis non eſt, ſed ex contrario in eum datur cui principalis actio competit. Aut igitur vno tantum ex latere principalis eſt actio: aut vltro citroque. Contraria actio principalis non eſt, quia ea indemnitati duntaxat cõſulitur: quamobrem nec famoſa eſt, nec in ea iuratur in litẽ. l. ei apud quem. D. depoſ. Contractus autem cauſſa efficiens eſt Ius gẽtium, hoc eſt naturale ſeu diuinum. Naturæ enim præceptum eſt, diligendum eſſe proximum, quia Deus nos dilexit. Ergo benefaciẽdum eſt maximè, nocẽdum minimè fratri. §. iuris præcepta. Inſtit. de iuſtit. & iur. l. vt vim. D. eod. tit. Non poſſumus autem commodius alteri benefacere, quàm ſi cõmunicemus ei aliquid rerum noſtrarũ, vel officiorũ. Rurſus cõmunicatio, niſi haberet modum iure pręſcriptũ, nonnunquam expleret adfectus hominum inſatiabiles. Quare modos adhibere oportuit, & ordines quoſdam in transferẽdis rebus, vt mutua quædã ſeruaretur vtilitatis ratio, ne alter ab altero nimis grauaretur. Et hæ ſunt contractuum formulæ, per quas exercemus mutuæ charitatis officia, in pace & trãquillitate. Item eſt alia regula naturæ: Omnes res ſunt à Deo gratia hominum creatæ, Omnia inquit Dauid, ſubiecisti ſub pedibus eius. Iam cùm diſtincta ſint rerum dominia, fit vt id quod noſtrum eſt, inuitis nobis auferri non liceat. l. id quod noſtrum. D. de reg. iur. Opus ergo fuit aliis quibuſdam mediis, ad introducendam mutuam omnium rerum & operarum communicationem, ſine vllo grauamine. Tales autem ſunt contractus nominati & innominati, ac quaſi contractus. Viden quomodo contractus ſint ex iure gentium? Quæ gẽs enim non probet huiuſmodi naturæ beneficia lumine naturalis rationis? At Contractus cauſſa materialis, ſunt res humanæ, & functiones tã variæ, vt plura ſint negotia, quàm vocabula. l. natura enim. D de præſcrip. verb. Circa hanc enim cauſſam perpendendum illud eſt, non potuiſſe conſeruari pacem in hac vita, confuſis tot rerum ſine diſtinctione commerciis. Et rurſus, diſtinctionem fuiſſe pernicioſiſſimam ſine formulis communicandarum rerum futuram. Vis videre quàm hoc ſit verum? Circumſpice quoquò verſus, & videbis, ne nunc quidem ſatis conuenire inter homines, vtcunque rebus diligentiſſimè diſtributis. Quid igitur erat futurum, non introductis contractibus obligatoriis? Certe beluino more nos inuicem dilaniaremus, niſi eſſent contractus. Quinimò Cõtractus cauſſam formalem ſi rectè inſpicias, oblectabit te maiorũ prudentia. Mirum enim dictu eſt, quàm pulchra ſit obſeruata contractuum ratio, ac velut harmonia vſui noſtro omnibus modis deſeruiẽs per gradus. Ea enim eſt vera philoſophia, cuius meminit. l. j. D. de iuſt. & iur. j. Ecce ſi rebus indigeas, & habueris pecuniam numeratam: propoſita eſt formula emendi, & vendendi, præſtans omnium facilè rerum communionem. II. Si careas pecunia, locuples aliarum rerum, tunc vti potes priſca illa permutandi obſeruatione, de qua. l. j. de contr. empi. quæ etiam frequentatur hodie. III. Si nõ ita multum habeas pecuniarum, nec rerum: aut ſi dominus nolit alienare rem, qua indiges, tunc proximũ eſt, vt vſum eius conſequaris, ſaltem ad tempus certũ. Quo pertinet locatio, & conductio, exhibens etiam nobis commutationem operarum perſonalium. Item, commodati contractus, & mutui, eodem ſpectãt. IIII. Vbi nihil eorum poſſis conſequi pecunia: tunc expoſitas habes liberalitatis formulas: vt ſunt, precarium, donatio tam inter viuos, quàm cauſſa mortis. Sæpe

enim largimur rogati, & ſine obligationis vinculo, id quod alioquin non concederemus pecunia. Eſt ne hæc elegans forma in gradibus contractuum obſeruata? Tu collige ita de reliquis omnibus, videlicet, quomodo abſentibus nobis deſeruiāt contractus mādati, negotiorum geſtorum. Contractus denique cauſſa finalis eſt, vt vtamur, fruamur rebus à Deo donatis, honeſtè ac commodè: ne alter ab altero grauetur: vt æqualitas commutatiua pacem conſeruet, pax Rempublicam, in qua, velut eadē naui, ſumus omnes. Item, vt exerceamus charitatem, & cōmunicemus res noſtras indigentibus, vtque certò cōſtet in commerciis rerum, quid, vbi, cuique tribuendum ſit. Et in ſumma, omnes contractus pertinēt ad finem benefaciendi proximo. Nam in hoc conſiſtit verus eorum vſus: errántque tota via, qui contractus ad vilem quæſtum referunt principaliter: quanquam honeſtum lucrum non repudiant inter contrahentes. Contractus autem ex conuentione legem accipere dignoſcuntur, de reg. iur. lib. 6. ex l. contractus. D. eo. tit. In alternatiuis, debitoris eſt electio: & ſufficit alterum adimpleri, ibidem ex l. in eo quod plus. §. vbi verba. D. eod. tit. Contractus impugnandi cauſſa iuſta non eſt, quòd paulò minore vel maiore precio res ſit alienata. l. ſi voluntate. & l. quiſquis mihi. C. de reſcinden. venditio.

Contractuum duo ſumma genera ſunt. nam alij nominati dicuntur, quibus certum nomen conſuetudo impoſuit: veluti emptio, locatio: alij fere innominati: Do vt des, Do vt facias, Facio vt des, Facio vt facias, ſic nominati quòd Latinæ linguæ vſus nullum iis nomē impoſuerit. l. j. & paſſ. D. de præſcript. verb. Quidam contractum incertum in l. certi cōdictio. D. ſi cert. pet. interpretantur contractum innominatum.

Contractus NVLLVS dicitur, qui in re, forma, vel materia peccat.

Contractus BONÆ FIDEI dicuntur, ex quibus ſimplici quadam ratione boni, & æqui, abſque vlla ſubtili diſputatione, præſtanda ſunt etiam ea, quæ non fuerant inter contrahentes dicta. Stricti verò iuris, anguſtis finibus concluſi, nihil admittunt, quàm ea quorum mētio facta eſt. § in bonæ, Inſtit. de actio. & l. conſenſu. D. de obl. & act.

Cōtractus SIMVLATVS dicitur, cùm fœnerator, quod pignoris cauſſa acceptum eſt, emiſſe videri vult. c. ad noſtram. de empt. in antiq. & l. 3. C. plus valere quod agit.

CONTRADICTVM iudicium. l. cum de conſuetudine. D. de legib. dicitur, cum aliquid ſtatuitur, altero ex litigatoribus contradicente, & aliquid non eſſe tale cōtendente, Primum, inquit Vlpian. illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquando iudicio cōſuetudo firmata ſit.

CONTRARIVS, vide CONTRA.

CONTRECTARE eſt loco mouere. atque ita in quæſtione de furtis verbum Contrectationis accipiendū oſtendit. l. 3. §. ſi rem. D. de acq. poſſ. & alibi ſæpe. vt autem furtum cōtrectatione committitur, ita purgatur, ſi res reponatur. l. 40. D. de ſtatulib.

CONTRIBVERE. Hinc CONTRIBVTVS, id eſt commixtus. l. 2. §. cæterum. D. vi bonor. rapt. cæterum neque furti actio, neque legis Aquiliæ cōtributæ ſunt in hoc edicto: licet interdum communes ſint cum hoc edicto.

CONTRIBVTIO eſt collatio, vt fit mercium pro iactu. l. j. D. ad leg. Rhod. de iactu. Perſæpe etiā ſumitur pro coniunctione & cumulatione variarum ſummarum: velut in legis Falcidiæ ratione ineunda, cum varia legata cumulantur, vt appareat de dodrantis quantitate, dicitur fieri cōtributio. l. j. §. interdum omni modo. l. in ratione. 11. §. quod vulgo. D. ad leg. Falcid. & l. j. in princ. D. Si cui plus quàm per leg.

CONTROVERSIA eſt certarum perſonarū de re propria contentio, & dicitur ante litem conteſtatam. l. ſed & ſi lege. D. de pet. hæred.

Controuerſiam poſſeſſionis facere is videtur, qui prohibet aliquem vti poſſeſſione ſua naturali. l. ſi duo. §. hoc interdictum ſufficit. D. vti poſſidetis.

Controuerſia aquæ, in l. fluminum. §. idem Seruius. D. de damno infecto. dicitur vis & impetus.

CONTVBERNALES, ſunt ſeruorum coniuges, & nati, qui inſtructo fundo continentur. l. quæſitum. §. ſi inſtructum. D. de fund. inſtru. & l. vxorem. §. concubinæ. D. de leg. 3. & l. liberorū. §. ſed & Papyrius. D. de verb. ſignific.

CONTVBERNALES in re militari dicuntur commilitones qui in iiſdem tabernaculis, ſeu tentoriis militāt. l. rem. §. j. D. commod. Sic dicti, vt vult Feſtus, à tabernis, quæ fiebant ex tabulis, vnde & tabernacula ſunt dicta, licet ex tentoriis & pellibus fiant. African. loco præcitato: In exercitu contubernalibus vaſa vtenda communi periculo dedi. Vide Tabernæ.

Contubernalis ſeruus, pro domeſtico. l. vltim. de aur. & arg. leg.

CONTVBERNIVM, primùm militum dicitur, à tabernaculis militaribus. l. 5. §. à barbaris. D. de re milit. & apud Sueton. in Iulio Cæſare. c. 2. Contubernium etiam ſeruile connubium ſignificat, Pau. lib. 2. Sentēt. tit. 20. l. 14. §. ſeruiles. D. de ritu nupt. l. 49. de manumiſſ. teſtam. Generalius autem accipitur in §. quibus connumerari. Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt.

CONTVMAX eſt, ait Hermogenianus, qui tribus edictis propoſitis, vel vno pro tribus, quod vulgò Peremptorium adpellatur, literis euocatus, vel denuntiationibus conuentus, præſentiam ſui facere contemnit. l. contumacia. de re iud. Cęterùm, qui ad maius tribunal euocatus eſt, ſi litem inchoatam deſeruit, contumax non videtur. l. 54. D. de re iud. Contumax item dicitur, qui vocanti in ius non obtemperauit. Contumaces autem non videntur, niſi qui cùm obedire deberent, non obſequuntur: id eſt, qui ad iuriſdictionem eius, cui negant obſequi, pertinent. d. l. contumacia. Cæterùm, Contumacem per annum ius ſuum amittere, Doctores tradiderunt, idque in ſimplicis contumaciæ pœnam: contra mentem. §. vlt. in noua Iuſtiniani Conſtit. C. de aſſert. tol. vt latius declarat Alciat. c. 17. lib. 3. Parerg. Obſeruandum tamen, Contumacem eſſe citationi, & non obtemperare ius dicēti, diuerſa eſſe. Contumax etiam eſt qui omnino non reſpondit in iure interrogatus. l. de ætate. §. qui tacuit. D. de interrog. actio.

CONTVMACIA euidens, quæ & manifeſta dicitur, cōtrahitur, ſi reus dicat ſe non compariturum, aut obtēperaturum. & Contumacia præſumpta, eadémque & dubia, cùm reus ad domum citatus, vel in valuis eccleſiæ, non comparet. Eadem & Contumacia, inobedientiam ſignificat, & propriè contemptū potiorum: & eſt delictum perſonale, perſonam ſequens inobedientis. Vnde fit, quòd procuratores, tutores, vel curatores, ſi non obtemperauerint iudici, ipſi tenentur, non dominus, pupillus, vel adoleſcens. l. j. §. ſi procurator. D. ſi quis ius dicen. non obtemper.

CONTVMELIA à contemnendo dicitur Vlpia. l. j. D. de iniur. & famoſ. libell. quod & Seneca probat libr. de Tranquill. vitæ. 11. Contumelia, inquit, à contemptu dicta eſt: quia nemo, niſi quem contemnit, afficit tali iniuria, &c.

CONTVRBARE, vocabulum eſt ad rationes pertinens, & de iis dicitur qui non ſunt ſoluendo, neque ſe extricare nominibus poſſunt, & ære alieno. Cicer. pro Plancio: Verum fac me multis debere, & in his Plancio. Vtrum

Vtrũ igitur me cõturbare oportet,an cæteris, cùm cuiuſque dies venerit,hoc nomen quod vrget, nũc cum petitur, diſſoluere. Vlpian.l. 5. §. 2. D. de inſtit.act. de ſeruulo piſtoris loquens: Si pecunia accepta præſente,vt per dies ſingulos panem cui præſtaret, conturbauerit:id eſt,ſi eis à quibus panũ precium acceperat, non ſatisfecerit. Alfen.l.16.de in rem verſ.Seruius boues vendiderat,alios redemerat, nummos venditori non ſoluerat,poſtea conturbauerat: id eſt,pecuniam diſſiparat.Plena autem locutio eſt, conturbare rationes,vt in Eunucho Terentij:Ita conturbaſti mihi rationes omnes.Sic ſumitur apud Martial.lib.Epig.9.

Conturbauit Atlas,& non erit unciatota,
Decidat tecum,qua pater ipſe Deum.

Huius autem contrariam dicendi formam explicat Plautus in Amphitruone:*Et ut res rationéſque ueſtrorum omnium bene expedire uultis.* Sic in epigrammate de Catone Grammatico:

Omnes ſoluere poſſe quæſtiones,
Vnum non facile expedire nomen.

Conuenæ dicuntur,qui è diuerſis mixti nationibus, in vnam coaluerunt ciuitatẽ,qualis eſt origo Venetorũ.

Conuenire in manum dicebatur materfamiliàs,quæ in matrimonium,certis ſolennitatibus adhibitis, coibat.Cicero in Topic.Vlpianus in Epito.tit.9.

Conuenire,eſt in ius vocare.l.29.D.de procurat. Si actor malit dominum potius conuenire, quàm eum qui in rem ſuam procurator eſt.hinc eodem ſenſu cõuentio. l.45.D.de rei vindic.l.7.C.de præſcript.30.vel 40.ann. Cõuenire etiam eſt debitorem appellare:ſicque vſurpauit Caius.l.41.D.de hær.pet.Si quo tempore conueniebatur poſſeſſor hæreditatis,pauciores res poſſidebat,&c.

Conuenire teſtato. l.10. §. ſi quis particeps. D. quæ in fraud.credit. Conueniri interdicto, nihil eſt aliud, quàm quòd,comparente iam aduerſario, poſtulatorẽ petere,vt ſummatim cognoſcatur,tunc mandatum iudicis exequendum eſſe. Conuenire etiam dicuntur, qui ex diuerſis locis in vnum colliguntur, & veniunt: ita qui ex diuerſis animi motib.in vnum conſentiunt, id eſt,in vnã ſententiã decurrunt.Vlpia.l.j. D.de pact.

Conuenit,abſolutè,hoc eſt pacto firmatum eſt.

Conuentionis autem nomen adeò generale eſt,vt eleganter dicat Pedius,nullum eſſe contractum,nullã obligationem,quæ non habeat in ſe conuentionem, ſiue re,ſiue verbis fiat. Pertinet enim conuentionis verbum ad omnia,de quibus negotij contrahendi tranſigendíque cauſſa conſentiunt,qui inter ſe agunt. l.j.§.j.D. de pact. Conuentionum autem tres ſunt ſpecies:Aut enim ex publica cauſſa fiunt, aut priuata, aut iuriſgentium. Conuentio publica eſt, quæ fit per principem,aut pacem,quoties ſcilicet inter ſe duces belli quædam paciſcuntur.l.conuentionum. D. de pact.Conuentio legitima eſt,quæ aliqua lege confirmatur.Etideò interdum ex pacto actio naſcitur: vel tollitur,quoties lege, vel Senatuſconſulto adiuuatur. l.legitima.D.eod.tit. Conuentiones Iuriſgentium, quædam actiones pariunt,quædam exceptiones.Quæ pariunt actiones,in ſuo nomine nõ ſtant,ſed tranſeũt in proprium nomen contractus,vt emptio, venditio, locatio,conductio,ſocietas,commodatum, depoſitũ, & cæteri ſimiles contractus.Sed & ſi in alium contractum res non tranſeat,ſubſit tamen cauſſa, eleganter Ariſto Celſo reſpõdit eſſe obligationem, vt putà, dedi tibi rem,vt mihi aliam dares:dedi, vt aliquid faceres:& contractum eſſe,& hinc naſci ciuilem actionẽ. l.iuris gentium.D.eod.tit.

Conventionales ſtipulationes ſunt, quæ ex conuentione reorum fiunt,quarum totidem ſunt genera, quot (penè dixerim) rerum contrahendarum.Nam & ob ipſam verborum obligationem fiunt, & pendent ex negotio contracto.l.ſtipulationum aliæ.D.de verb. oblig.

Conventvs quatuor modis intelligitur Feſto libr.3. Primò cùm quemlibet hominem ab aliquo conuentum eſſe dicimus:ſecundò,cùm ſignificatur multitudo ex compluribus generibus hominum contracta in vnum locum:tertiò,cùm aliquem in locum frequẽtiæ hominum,ſupplicationis,aut gratulationis cauſſa populus colligitur: quartò, cùm à magiſtratibus iudicij cauſſa populus congregatur. Atque id in præfecturis Italiæ potiſſimum fiebat,tum etiam in prouinciis. Cicero in Sextiana:Qua de cauſſa & tum conuentus ille Capuæ P.Sextio gratias egit.In prouinciis autem vrbes certè,ac potiſſimum metropoles, conſtituebãtur, ad quas è locis vicinis vadimonia promittebantur, vt Rectores cum aliquot equitum Rom. conſilio ius de controuerſiis dicerent:Cæſar de bello Gallico libr.5. Quieta Gallia in Italiam ad conuentus peragendos proficiſcitur.Atque hoc nimirum illud eſt, quod Veteres Forum indicere, & forum agere dicebant. Sícque Theophilus.§.eadem.Inſtitu.quib. ex cauſ.manumitt. non licet.diffinit, ῥητὸν χρόνον πρὸς κατάλυσιν δικῶν ἐπινενοημένον, ἐν ᾧ οἵτε δικασταὶ, καὶ οἱ δικαζόμενοι συνίεσαν, ἐν ταῖς ἐπαρχίαις.vide infrà Forum.

Conuentus aliquando ſignificat ius Epiſcopale.c.ſicut.16. q.3.& ibi nota. Conuentus etiam pro monachorum collegio ſumitur.c.edoceri.de reſcript.Clem.2. eo.tit. Conuentus amicabilis,id eſt,compromiſſum.

Conventvale, eſt congregatio ſubditorum ſine conſenſu prælati.c.17.de ſeru.& c.multis.

Conversatio æqualis,pro conſuetudine familiari. l.obſeruandum.D.de offic.præſid.Apud Vlpianum. l. 12.§.j.D.de relig.& ſumpt. Conuerſatio pro habitatione ſumitur:Senatuſconſulto cauetur, ne vſus ſepulchrorum permutationibus polluatur:id eſt,ne ſepulchrum alius conuerſationis vſum accipiat.hoc eſt, ne quis aliam ob cauſſam quam ſepulchri & religionis ibi habitet,aut verſetur:vt inde colligi poteſt, & l. 3.D.de ſepul.violat.

Conversvs dicitur qui à communi hominum conſuetudine ad monachalem vitam abductus, depoſito virili habitu veſtitum cucullarem induit,lib.feud.2.tit. 30.Hic primus eſt ad monachiſmum gradus: alter eſt eorum,qui poſt conuerſionem profitẽtur ſe ab hominum conſortio abſcedere, & Profeſſi appellantur: poſtremus monachorum.Conuerſio non ſpoliat matrimonio:Profeſſio ſpoliat,cum hæc formula pronũtiata eſt:Do me & mea huic eccleſiæ, gl.in c.vt lex cõtinentiæ.cauſ.27.q.j.quod totum ex antiqua gentium conſuetudine videtur profectum, vt ex illo Verrinæ. j.intelligi poteſt: Dixit & ſe omnia ſua Veneris eſſe: Si pateret eam ſe & ſua Veneris eſſe dixiſſe.

Convivivm, M.Ciceroni,quòd vitæ coniunctionem habeat.l.fi.D.de aleato. multò elegantius quàm Græcis συμποσίου nomen,à ſimul bibendo.

Convoti, iiſdem votis obligati.

Convicivm, iniuria verbis facta.l.j.D.de iniur.Dicitúrque,vt vult Vlpianus,vel à concitatione (non à vitio,vt vult Laur.Vall.)vel à conuentu,hoc eſt, à collatione vocum. Cùm enim in vnum complures voces conferuntur,conuicium adpellatur,quaſi conuocium. l.item apud. §. conuicium. D. de iniur.& famoſ.libel. Veter.Gl.καταβόησις, ὀχλαγωγία.Itáque bifariam intelligendum erit conuicium,cùm ſcilicet aut plurium hominum voces, aut etiam vnius hominis plures & repetitæ voces in vnum hominem conferuntur.

Copiæ pro commeatu,& annona quæ publicè præbetur.l.20.D.de compenſ.& Caſſiod.libr.6.Varia.in formu.præfecturæ annonæ.Valer.lib.5.c.j.Obuiam illi P.

Corn.Scipionem Quæſtorem Capuam miſit,cenſuitque vt ei domus Romæ quàm optima conduceretur: & copiæ non ſolum ipſi,ſed etiam comitibus eius publicè præberentur. Vnde

Copiari verbum caſtrenſe,de quo Gellius & Nonius, Briſſonius lib.2.Solutionum. Duarenus lib.j.Diſputa. c.26.Atque hinc Copiarij,qui copias præbent,qui & Parochi dicuntur,ἀπὸ τοῦ παρέχειν Porphyrio in Horat.

Copias pro materiis ad ædificandum idoneis dixit Vitruuius lib.6.c.vlt.

Copiatæ in Nouella Iuſtiniani.59.νεκροθάπται, καὶ περὶ τ λειψάνων ἐκφορὰν κάμνοντες, vocãtur.Sic enim Lexicon beati Germani hoc verbum interpretatur. Nos libitinarios,vel pollinctores,vel veſpillones reddere poſſemus.

Coqvinatorivm, vel vt Haloander legit, coquinarium inſtrumentum.l.& ſi non ſunt. §.infecti. D.de aur.& argen.leg.

Coracinvm colorem Iuriſcõſult.nominat in l.quæ ſitum.§.coccum.D.de leg.3.nec Crocinum legendum, quod habet Nor. editio. Alcia. nigrum interpretatur in Parerg.quo loco colores explicat:& dicitur παρὰ τοῦ κόρακος.Sic Strabo lib.12.τὴν κοραξὴν χρόαν intelligit nigerrimum colorem, de Laodicenſium pecoribus loquens.

Coram factum,ex natura rei plerunque illud non videtur,cui intelligentia non acceſſerit:cùm qui animo non adeſt,abeſſe videtur.l.diem.§. coram. D.de arbit. Vide Alciatum in l.coram Titio.de verb.ſignifi.

Corbis in l.in inſtrumento.D.de fund. inſtruct.inſtrumenti genus cogendorum fructuum cauſſa comparatum viminibus factũ.Varro.lib.j.de re ruſt.At lib.4.de Ling. Lat. Corbes, inquit, ab eo dictæ quòd ſpicas, aliúdve quid conruebant.Hinc,Per orbem vini menſuram facere,apud Vlpianum in l.j.§.4. D. de peric.& commod.id eſt per cribrum,cùm ſcilicet vinum è doliis venditor effunderet,quia non intra tempus conſtitutum dolium exinaniret:vt ſic ſciatur,vino ad mẽſuram vendito,quantum emptori perierit, qui pro eo quòd admenſum fuerit,pretium debet.

Cornelia lex,vide infrà Lex.

Cornicvlvm,muneris quædam ſpecies, cuius mentio fit.l.j.C.de apparit.præfect.præt.lib.12. Hinc

Cornicvlarii, adiutores Principis cuſtodiæ, vel officialis vocabantur.Accurſius,Accenſi,inquit, dicebantur attributi decurionibus,hoc eſt, miniſtri eorũ, quaſi ad cenſum additi. Quos nunc Commentarienſes,& Cornicularios adpellant.Dicitur autem Cornicularius in bello,Accẽſus decurionis. In Palatina militia Cornicularij accipiuntur pro Accenſis Primiſcriniorum,vel Principis proximorum. Alciatus in l.2. corniculario.C.de prox.ſacr.ſcrin.lib. 12. Caſſiodorus tamẽ ſcribit lib.11. Varia. Cornicularios dici officiales,qui præſunt cornibus ſecretarij:hoc eſt qui in cõſilio Præfecti prætorio armati ſtabant,à Græcis ὑπασπισταὶ dicti. Cornicularium Turn. Aduerſ.libr.5.c.10. in hoc loco Valerij, Libidinoſi centurionis ſuppliciũ M.Lectorij Mergi Trib. militaris æquè ſimilis fœdus exitus ſequitur:cui Cominius Trib.pleb, diem ad pop, dixit.quòd Cornicularium ſuum ſtupri cauſſa appellaſſet.accipi pro eo qui corniculo præerat, Vt enim in exercitu & acie cornu dicitur,ita in Trib.militum cohortibus corniculum,& fortaſſe in ordinibus centurionum.Sic Sueton.in Domit.Ac repugnantem adorti Clodianus Cornicularius & Maximus. Itaque Corniculum videtur ſumendum apud Sueton.in libr. de claris Gram.de Orbilio.item & apud Plin. in libr. de viris illuſtr.de M.Æmilio loquitur. Apud Liuium autẽ lib.10.ſub fin.videtur pro ornamento quodam ſumi: Equites omnes,inquit,ob inſignem multis in locis nauatam operam,corniculis armilliſque argẽteis donat.

Cornicvm oculos configere, prouerbium eſt de iis dici ſolitum,qui perſpicaciſſimis oculatiſſimíſque viſum adimant, offundántque tenebras. Hinc ille Cn. Flauius ſcriba, cuius meminit Cicer.in orat. pro Muræna, quòd ab ipſis Iureconſultis eorum ſapientiam compilarit,cornicum oculos confixiſſe dicitur.

Cornvarii, in l.fi.D.de iure immunitat.vel qui cornua conficiunt,vel cornicines,qui cornu canunt,quos Æneatores à priſcis dictos Feſtus ſcribit lib.j. Paternus à tubariis eos ſeparat,vt & cornicines à tubicinibus Veget.lib.2.c.22.

Coronarvm genera,& differẽtias perſequitur Tertullianus lib.de Corona milit.Gell.lib.5.c.6. Coronæ mẽſarum.l.19.§.perueniamus.D.de aur.& arg.leg. quas conuiuiis adhiberi ſolitas antiquorum teſtimoniis liquet. Coronæ ſacræ,quæ athletis in certaminibus ſacris præſtantur.l.40.D.de re iudic.

Coronarivm aurum in Rubri.de auro Coron. C.& l.15.C.Theod.de legat.Seruius libr. 8. Æneidos ita adpellatum tradit,quod à victis gentibus dabatur,quódque propter cõceſſam vitam illis impoſitum erat.Lãpridius in Alex.& Ammian.Marcellinus libr.25. huius meminere.Vide Aurum coronarium.

Corpvs, pro collegiis & vniuerſitatibus à Iuriſcoſſ. accipitur,vt Calliſtratus de excuſat.l.non tãtùm.Item Pomp.de vſucap.l.rerum.Corporum, inquit, tria genera ſunt:vnum,quod continetur vno ſpiritu,& Græcè ἡνωμένον συμφυὲς vocatur,vt homo,tignum,lapis: alterum,quod ex contingentibus ſe,hoc eſt, ex pluribus inter ſe cohærentibus conſtat, quod συνημμένον vocatur,vt ædificium,nauis,armarium: tertiũ, quod ex diſtantibus capitibus conſtat,vt corpora plura non ſoluta,ſed vni nomini ſubiecta, veluti populus, legio, grex.Idem Paulus.l.23.§.itẽ.D.de rei vind. & vide Senecam lib.17.Epiſt.& Plutarch. in præceptis connub.

Corpus menſorum frumenti.l.10. §. j. D. de vacat. mune. Sic Corpus Fabrorum.l.pen. §. quibuſdam. D. de iure immu.Corpus nauiculariorum.l.2.§.licet.D.eod. Corpus patrimonij.l.25.§.quod autem.D.de petit.hæredit.

Corpvs positvm, pro ſepultum apud Scæuolam in §.cibaria.l.fi.D.de alimen.& cib.legat. Huius vocabuli vſus latè patet,varieque, quem fideliter tradit Robertus Sthephanus.

Corporales res ſunt,quæ tangi poſſunt,veluti fundus hic,homo hic,veſtis hæc: incorporales ſunt, quæ tangi non poſſunt, qualia ſunt ea quæ in iure conſiſtunt:ſicut hæreditas,vſusfructus.Inſtit.de reb.corp.& incorpo.Gaius.l.j.§.hæ autem.D.de rerum diuiſ.

Corporalis poſſeſſio,quæ corpore tenetur. Corporaliter autem poſſidet,qui poſſeſſioni incumbit.l.24.& l.25.§. fi.D.de acqui.poſſ.l.40.§.fi.D.de pignor.actio. Corporalia pignora,ad differentiam nominum captorũ.l. 15.§.ſic quoque.D.de re iud. Sic

Corporaliter acceptum pignus dixit Iul. Patritius in Epitom.Nouell,tit.20.

Corporaliter præſtitum iuriſiurandum.l. j. C.ſi aduerſus. vend.l.pen.C.ſi min.ſe maio.dix.id eſt,vt interpretantur Doctores, tactis ſacroſanctis Euangeliis,& teſtibus præſentibus, vt videre eſt, in authen.iuſiurand. quod præſt.ab his,&c.in Collat. 2. in princ. Sed id intelligendum videtur de iis qui Chriſtiani erant. Alias enim quoties de ethnicis id efferetur, de iis eſt explicandum qui aras in iurando tenebant:vt de Annibale refert Liuius lib.21. qui altaribus admotus, tactis ſacris,iureiurando à patre adactus eſt, ſe, cumprimùm poſſet,hoſtem fore pop.Rom. Huic opponitur iuſiurandum,quod verbo tenus præſtabatur, de quo.l.3.C. ſi minor.ſe maior.dix. Si tamen,inquit, inſtrumento per ſacramenti religionem maiorem te eſſe adſeueraſtis

ſti:iunctis iis quæ ſequuntur.

CORPORATI qui ſunt ex corpore collegij, vel ciuitatis.l.fi.C.de nauicul.lib.11.l.vnica.C.de priuil.corporat.vrb.Rom.l.vnica.C.de Alexand.primat.veluti piſtores,ſuarij,boarij,pecuarij,caupones,lignorum,frumenti,olei portitores,calcis coctores, populi Ro.vſibus & neceſſitatibus deſtinati:quibus adde collegiatos,id eſt συςηματικὸς,qui incẽdiorum caſibus ſolebant ſubuenire.Vide Symmach.Epiſt.lib.j.Epiſto.13.

CORRADERE,eſt cum difficultate ſummam aliquam ex venditione redigere.l.5.D.de admini.& peric.tut. Ita autem depoſitioni pecuniarum locus eſt,ſi ea ſumma corradi,id eſt colligi poſſit,vt cõparari ager poſſit.

CORRECTORES prouinciarum,pro rectorib.& gubernatoribus,id eſt quibus pars aliqua prouinciæ regenda tradita eſt,apud Hermogenianũ in l.de omnib. D.de offic.præſid.l.vni.C.vt om.iud.Anianus Nouel.3. Vide.tit.3.Caſſiod.lib.3.Variar.

CORRIVARE.l.j.§.ſed & foſſas, & l.3.D.de aqua, & aqua plu.arc.pro deriuare ſumitur. Sed & foſſas, inquit priore loco Vlp.agrorum ſiccandorum cauſſa factas,Mucius ait fundi colendi cauſſa fieri, non tamen oportere corriuandæ aquæ cauſſa fieri.Et alio loco, Si tamen aquam corriuet, vel ſi ſpurcam quis immitat,&c.

CORRVMPERE late patet, & ad animum & corpus, aliáſve res refertur.Corrupiſſe(quod ad leg. Aquil.adtinet) videtur, qui vinũ ſpurcauit, vel effudit, vel acetũ fecit,vel alio modo vitiauit.l.27.§.inquit lex.cũ. §.ſeq. D.ad leg.Aquil.Item ſi frumento arenã, aut quid aliud immiſcuit,cuius difficilis ſeparatio ſit, quaſi de corrupto agetur.d.l.27.§.ſi quis veſtimenta. Corrupiſſe etiã intelligitur tabulas,qui eas interleuerit.l.42.D.ad leg. Aquil.l.35.D.de dol.mal. Corrumpere ſeruum(quod ad tit.de ſeru.corrupto,pertinet) videtur, qui eum deteriorem facit.Quod quo ſit accipiendum modo exponitur.l.j.§.fi.D.de ſeruo corrupt.Sic etiam Corrumpere,pro vitium adferre & violare.l.5.D. de quæſtio.l. 38.§.qui nondum. D.de pœn. Corrumpi etiam dicuntur ſtipulationes,legata,libertates, quæ aliqua ratione vitiantur,& intercidunt.l.11.D.de ſeruitut. l.30. §.diuus.D.de fideicommiſſ.liber.

CORRVPTORES teſtamẽtorum,aut aliarum ſcripturarum pœna falſi tenentur,non ſolùm ſi corruperint, verum etiã ſi reſignauerint, & legerint per iniuriam, vel ſi aduerſario legendas prodiderint.l.j.§.is qui. D. depoſ.l.qui teſtamentum.& l. Paulus reſpondit. D. ad l.Cor.de falſ.l.eum qui.C.eod.tit.

CORRVPTELA,eſt peruerſa conſuetudo ſacris canonibus inimica.c.cum venerabilis.de conſuetud.in vol. Greg.c.ad decorem.de vit.& honeſt.cleric.

CORRIGI dicũtur,quæ praua & dura ſunt, cum in melius emendantur, reformantur, aut interpretatione molliuntur.l.7.D.de iuſt.& iu.l.79.D.pro ſocio. Græci ἐπανορθοῦν dicunt.

CORRECTIO legum, id eſt emendatio, vel mutatio, effugienda eſt.

C P.nota eſt in extremo præfat.Inſtit. Conſtantinopolin ſignificans.D.C P.hoc eſt datum Conſtantinopoli,& alibi ſæpiſſime.

COSTVM, ſeu Coſtus.l.fi.§.ſpecies.D. de publicanis. Radix eſt herbæ in India,Arabia, Syria naſcentis iucundi odoris,Dioſcoridi lib.j.c.15.Plin.lib.12.c.12. Iſidor.lib.17.c.9.Plinius etiam lib.22.c.24.Odorum cauſſa vnguentorúmque & deliciarum,ſi placet, etiam ſuperſtitionis gratia emantur,quoniam thure ſupplicamus & coſto.Igitur non aberrarit,opinor,qui in l.21.§. j.D.de aur.arg.pro Colum, legerit Coſtum, vbi odorum vnguentorúmque Pomponius meminit.

COTORIA,vena eſt vnde cotes exciduntur. Alphen.in l.Cæſar.de publican. Cum inſulæ Cretæ cotorias locaret,legem dixerat.

CRABATTVS, Κράβαττος, lectulus meridiando idoneus.l.20.§.8.D.de fund.inſtr.

CRATITIVS paries, qui arrectis aſſeribus tum aliis tranſuerſis in modum cratis illos preſſè circumplicantibus conſtat.l.ſi fratres. D. pro ſocio quanquam Bud. hic concratitius legat & ita videtur legendum. Vide concratitius.De cratitio pariete,Vitruu.lib.2.c.8. Cratitij verò velim quidem ne inuenti eſſent. quantum enim celeritate & loci laxamento proſunt,tanto maiori & communi ſunt calamitati,quòd ad incẽdia, vti faſces,ſunt parati

CREDERE propriè is dicitur,qui ita rem alienat,vt dominium transferat:qui enim dominium retinet,fidem alterius non ſequitur:hincque in creditum ire dicitur, non qui rem ſuam,ſeu certam ſpeciem vendicat, ſed in perſonã agit,vt ſibi ſatisfiat.Vnde & per prolepſin, in creditum ire,ſimpliciter pro credere accipi plerũque conſtat.l.2.§.mutui datio. D. de reb.cred. & alibi. Credendi adpellatio,quemadmodum Celſus ait, generalis eſt.Nam cuicunque rei adſentiamur, alienam fidem ſecuti, mox recepturi quid ex hoc contractu, credere dicimur,auctore Vlp.l.j. de reb. cred. Hotom. in Commentariis verb.iuris hanc obſeruat differentiam inter Credere,& in Creditum ire, vt illud conſiſtat extra eas res quæ pondere,numero,menſura cõtinentur:hoc verò minimè,vt idem ſit quod mutuum dare.Mutui enim dationem his etiam in rebus conſiſtere vult Paulus.l.2.de reb.cred.Mutui igitur datio,& in creditum itio duæ erunt ſpecies quæ ſubiicientur credendi verbo,ita tamen vt generis ſui nomen retineat. Creditum igitur à mutuo ita differet,vt genus à ſpecie.Nam creditum,vt diximus, conſiſtit extra eas res,quæ pondere,numero,menſura continentur:ſicut ſi eandem rem recepturi ſumus creditum eſt. Itẽ mutuum non poteſt eſſe,niſi proficiſcatur pecunia: Creditum autem fit interdum,etiam ſi nihil proficiſcatur: veluti ſi poſt nuptias dos promittatur,Paul.l.mutuum. D.ſi cert.pet. Hinc in Creditum pecuniam accipere, pro accipere mutuo,velut ſuam fœnerare. Opp. mandatu domini ſumere & fœnerare. Vlpia.in l. ſi remunerandi.§.apud Iulianum. D.mandat. At verbum, in creditum ire tum demum vſurpant Iureconſulti, cum res accipientis facta eſt. Alfenus Iuriſconſultorum puriſſimus in l.31.D. locat. Rerum, inquit,locatarum duo ſunt genera:vt aut idem redderetur, ſicuti cũ veſtimenta fulloni curanda locarentur: aut eiuſdem generis redderetur,veluti cum argentum puſulatum fabro daretur,vt vaſa fierent:aut aurum,vt anuli: ex ſuperiore cauſſa,rem domini manere: ex poſteriore in creditum iri.Sic in creditum ire ex cauſſa emptionis, vel alio ſimili contractu, id eſt mutuum aut promutuum contrahere:nam promutuum contrahit qui vice deditoris ſe reum creditori cõſtituit.l.3. §. is autem. D.ad s.c.Maced.Et in Creditum poſſidere, eſt in crediti vicem,& locum poſſidere.l.15. §. ſi pignora. D. de re iud.In Credito eſſe argentum dicitur, quod in nominibus eſt.l.27.§.argento.D.de auro & arg.

Credere & deponere diuerſa ſunt & ſeparata.l. ventri.§. in bonis.D.de priuil.credit.

CREDITI adpellatio eam tantùm pecuniam demonſtrat,quæ peti poteſt,non etiam eam, quæ petitionem quidem non habet,ſolutione autem facta,repeti non poteſt.l.94.§.fi.D.de ſolut. Crediti quoque adpellatio ad mutuam tantùm pecuniam reſtringitur, putà in Macedoniano.

CREDITORES accipiendos eſſe conſtat eos, quibus debetur ex quacunque actione, vel perſecutione, vel iure ciuili, (ſine vlla exceptionis perpetuæ remotio-

ne)vel honorario,vel ordinario, vel extraordinario, ſiue purè, ſiue in diem, ſiue ſub conditione. Quòd ſi natura debeatur,non ſunt loco creditorum. Sed & ſi non mutua pecunia, ſed contractus, creditores accipiuntur.Vlpian.l.creditores. D. de verb.ſig. Creditorum adpellatione non hi tantùm accipiuntur qui pecuniam crediderint,ſed omnes quib.ex aliqua cauſſa debetur,Gaius in l.creditorum.D.eod.tit. Creditor is eſt,inquit Paulus,qui exceptione perpetua ſummoueri nõ poteſt.Qui autem temporalem exceptionem timet,ſimilis eſt conditionali creditori. l. creditor.D.de verb.ſignific. Creditores adpellantur quibus quacunque ex cauſſa actio cum fraudatore competat,Paul.l.ſi cui.D. de ſtatu libe. & Nou. vt credito. prim.aggred.§.creditorem autem.Conſt. 4. Creditores ſecundum vetuſtatem nunc quoque cẽſentur, quicunque actionem habent ex mutuo, vel alio quouis contractu.

Creditor vt quis dicatur,ſatis, quòd fidem alterius ſecutus ſit,vel verè,vel legis interpretatione.l.qui in fraudem.§.ex omni.qui & à quib.manumit.

Creditores peculiares, qui in peculium credidiſſent. Vlpianus in l.his conſequenter. §. ſi filiusfam. D. famili. erciſc.

Creditorem abſoluere, liberare creditorem, dimittere creditorem,Alciato,pro eo quo eſt, ſoluto debito dimittere creditorem,qui ſtante vltrò citróque obligatione quodammodo ligatus videtur.l.& in contraria. D.de vſur.

Credentia eſt aſſertoria epiſtola, quam vulgò certificationem vocamus,cum ſuperior Magiſtratus fidẽ facit pro ſubdito,vel etiã pro alio. Sumitur etiam pro arcano vaſalli fideicõmiſſo lib.feud.j. tit.17. Vel ſi credẽtiam ad eorum damnum ſcienter manifeſtauerint.

Credentiarium nominant barbari eum,qui ſit à dapib.prægůſtandis:quem peculiari nomine Sueton. in vita Claudij,vocat prægustatorem. Qui ad principum menſas minutatim,ſuo more,edulia conſcindũt, qui mos apud Italos vbique eſt vulgaris. Scructorum nomine vocari poſſe,cenſuit Inſulanus.Gallis, *Eſcuyer trenchant.*

Cremia, hoc eſt,ſurculi tenues ac aridi, ad cremandũ præ cæteris apti,ſicut ex pinu fiunt,apud Iuriſcoſſ.l.55. §.2.D.de legat.& fid.lib.32.& Columell.libr.12.cap.19. Græci hæc vocant φϱύγια. Hinc

Cremiales arbores apud Vlpianum.l. diuortio.§.ſi fundum.D.ſolut.mat. quæ ſurculos illos ſuppeditant, & vnde faciſculi componuntur. Alij Gremia legi volunt,vt in Pand.Flor.& Gremiales arbores: cenſéntque ſic dici,quòd à ruſticis ad comburendum gremio deferri ſoleant.Perperam autem qui Germina & germinales arbores ſcribi volunt.

Cretio, vide Cerno.

Cretifodinæ.l.9.§.ſed ſi.D.de vſufr.l.13. §.inde eſt. D.eo.l.77.D.de verb.ſignific.

Crimen generale verbum eſt delicta comprehendẽs, Bart.l.tranſigere. C.de tranſact. Crimen pro criminatione,& accuſatione ponitur,Vlpianus.l.7.D.de accuſat.Cauent itaque ſinguli quod crimen obiiciant, & præterea perſeueraturos ſe in crimine vſque ad ſententiam.Sic.l.3.C.de calumniat.l.21.D.de S C. Silla. Inſtit.de ſuſpect.tut.in princip. vbi quod Iuſtinianus crimen,Theophylus κατηγοϱίαν adpellat. Crimẽ autem à delicto ſiue maleficio ſic diſtinguunt Iureconſulti, quòd illud capitalis fraus ſit,vt cædes,falſitas, &c.Delictũ priuata noxa eſt.l.17.§.16.D.de ædilit.edict. Hinc rubrica,De priuatis delictis,libr.D. 47.nonnunquam tamen id diſcrimen confunditur, & crimen de priuatis delictis intelligitur,vt apud Vlp.l.j.§.j.D.de pœn.

Crimen læſæ maieſtatis eſt, vbicunque quis contra principem,vel vrbem aliquid molitur:aut qui profugit ad hoſtes,vel illos iuuat qualicũque cauſſa,ſcilicet armis,conſilio, vel pecunia: vel qui ſubiectas prouincias nititur facere rebelles: vel ſeditiones aut bella mouet in ciuitate: vel qui prælatum, magiſtratum, vel principem occidit: vel qui contra latus eius militat: vel arma fert & occupat contra rempublicam.Et idem dicitur crimen perduellionis, id eſt, hoſtile:nam perduelles dicuntur hoſtes. Secus ſi committatur hoc crimen non contra rempublicam, quia tunc non dicitur perduellionis, ſed ſimpliciter læſæ maieſtatis. Et nota:Non ſubditus crimen læſæ maieſtatis non committit,vt in §.rurſus.in cle.paſtoralis.de re iud. vbi rex Siciliæ Robertus, non eo modo ſubfuit Henrico Imperatori,vt crimen læſæ maieſtatis in eum commiſerit.

Crimen maieſtatis eſt illud,quod aduerſus populum Romanum,vel aduerſus ſecuritatem eius committitur.l. j.ad l.Iuliam maieſt. Securitatis ſignificationẽ Accurſium non intellexiſſe, admonuit Budæus qui inquit: Securitas reip.eſt ἀσφάλεια,cum ſcilicet ſtatus reipu.ita compoſitus eſt,vt nulla ex parte periculum imminere videatur,nec ſit metus belli externi, aut inteſtini. Itáque hoc loco ſecuritatem ab Vlpian. Latinæ locutionis libenter obſeruanti,acceptam eſſe.

Crimina legitima, ſunt,quorum iudicium lege aliqua iudicióve eſt conſtitutum.Vlpian.l.3.§.j.D.de crim.ſtell. Pœna autem ſtellionatus nulla legitima eſt, cum nec legitimum crimen ſit.ſolent autem ex hoc extra ordinem plecti.

Criminalia iudicia, vide infrà Iudicia.

Crina in l.21.§.j.D.de aur.& arg.leg.lilium rubens,cuius meminit Plinius lib.21.c.5.Moſcopulus πεϱὶ σχεδῶν. Κϱίνον παϱοξύτονον, εἶδος φυτοῦ εὐώδους. εἰσὶ δὲ τὰ λευκά, τὰ δὲ μέλανα ὑάκινθα λέγονται. Falſò apud Vlpianum legit Oldendorpius,Crinalia.Crina autem videtur hic poſuiſſe Pomponius pro vnguento crinino: nam inter vnguenta,quæ valetudinis cauſſa ſunt parata,enumerat.

Crithologia.l.j.C.de frum.Alexand.cura frumenti ſuſcipiendi & excutiendi: κϱιθὴ enim hordeum eſt. Hinc κϱιθολόγος,cui id muneris imponebatur, qualem & apud Opuntios fuiſſe refert Plutarchus in Hellanicis.

Crocuphantia. in ornamentis muliebribus referuntur.l.25.de aur.& arg.D.planè in Lexico Beati Germani reticulũ γύϱγαθος, & κϱοκύφαντος vertitur.Turneb. hoc vocabulo intelligi vult ornamenta capitis, quæ tota è ſubtegmine ſine vllo ſtamine contexta ſint: vnde & appellationem ſunt adepta. κϱοκύφαντον enim Grammatici Græci exponunt,quod διὰ κϱόκης ὑφαίνεται, & ab Atticis κεκϱύφαλον ſcribunt vocari. Ibidem reticula vocantur. Latinum enim Græco. Aliud ſentit Hotom.accipiens Crocyphantia pro ornamentis capitis villoſis,quæ ſub reticulis contexta per eorũ plagulas apparent.

Crurules, quod Beroaldus Maior elegans vocabulũ dicit,reponendum idem putat apud Vlpianum in l.argumento.de aur.& arg.leg.nam pro eo vulgati Codices habent,Faſciæ crinales, falſò.in Pand. enim Florent.eſt,Crurales.Crurules autem, & Pedules Vlpianus adpellat,à cruribus ſcilicet & pedibus veſtiendis.

Cruſtæ Iſidoro lib.19.Etymo.cap.13.tabulæ ſunt marmoreæ. Cruſtæ marmoreæ.l.17,§.quæ tabulæ.D.de actio.empti.Caſſiod.libr.j.Varia. Cruſtæ aureæ.l.32. D.de aur.& argent. Cruſta agri.l.9.§.Alfenus.D.de aur.& arg.leg. Cruſtæ,in l.1 1.C.Theod.de Scenicis, ſunt quibus alio admiſtus colori puri rubor muricis inardeſcit. Cruſtas autẽ & emblemata nominat Cic. vaſorum ornamenta: inter. quæ videtur interfuiſſe, quòd cruſtæ tectoria quædam erant, & tanquam bracteæ

ctæ quædam illitæ, & laminæ inductæ, inauratæque. Emblemata pretioſiora erant, & operis exquiſitioris, exemptiliáq; erant, cum illigata eſſent vel adfixa. cruſtæ autẽ, etſi reuelli poterant, tamen firmius hærebãt.

CRVSTVARII, à cruſtis, quarum mentio apud Paulum in l. pediculis, de aur. & argen. leg. dicti, quorum artificio vaſa cruſtis illigabantur. Huiuſcemodi cruſtarum meminit Iuuenalis Satyra quinta.

Κρυπτὴ apud Vlpianũ l.3. §.5. D. vti poſſid. Planè ſi cœnaculum ex publico aditum habeat, ait Labeo, videri non ab eo ædes poſſideri qui κρυπτὰς poſſideret: ſed ab eo cuius ædes ſupra κρυπτὰς eſſent. Κρυπτὴ autem eſt locus abditus & concameratus. Hinc Iuuenalis: Et ſolitus mediæ cryptam penetrare ſaburræ. Ab Vlpiano verò ſumptũ videtur pro crypto porticu, vt & à Vitruuio. In ædibus, inquit, cryptæ, horrea, apothecæ. Vocantur autem ab eodem Vlpiano refugia. l.13. §. ſed ſi re diuin. D. de vſufructu. Sed neque ei permittetur aditus poſticáſve vertere, vel refugia aperire.

CVBICVLARIVS, l.65. D. de lega.3. & l.203. D. de verb. ſignif. ex genere erat ſeruorum, vt ex illis locis conſtat. At in plurimis Codicis locis pro iis ſumitur quos ſecretarios ſecretorum vulgò appellamus. Cubiculo præpoſitum Xiphilinus πραιπόσιτον vocat. Cubicularij, id eſt ſecretarij Nou. 8. 24. 26. 27. ſunt chartarij, vt ait Iuliani Patritij interpres. Hoc nomen vſurpat Suetonius in Nerone: Vt plerique conſulares cubicularios eius cum ſtupa tedáque in prædiis ſuis deprehenſos non attigerint. Sic in Domitiano: Saturius decurio cubiculariorum.

CVBITVS Nili, in l.j. C. Theod. de Nili agger. Incrementa enim exundantis Nili cubitis metiri ſolebant. Plin. lib.5. cap.9.

CVCVMA videtur eſſe genus ædificij, tugurij pauperis. Ambroſ. Serm. 90. pro vaſe quodam æreo videtur poſuiſſe. Dij ærei, inquit, ex quibus cucumæ melius fiunt ad vſus hominum. Vnde Cucumellam inter vaſa poſuit Vlpianus tit. ſi ſeruitus vend. l. ſi quando. Secus, inquit, ſi ſiluam ſeuiſſet, in qua labra & crateras & cucumellas poſitas haberet. Sic ſumitur apud Martianum, ad l. Cor. de ſic. l.j. §.2. Si claui, inquit, percuſſerit, aut cucuma in rixa. Petronius Arbiter pro fornace videtur poſuiſſe.

CVCVRBITARE dicitur vaſallus, qui domini vxorem adulterat, vel ad crimen iſtud ſaltẽ ſolicitat, turpiter tentat, affectat: item filiam, neptem, nurum, aut ſororem eius polluit. Zaſius de feu. priua. Barbarica autem videtur origo huius vocabuli, cum in legib. Langobard. Corbita pro ſtupro vel infamia vſurpetur. Vnde Cucurbitam dicebant, vxoris adulterio infamem, quam etiam Argam nuncupabant, vt in Lombard. lib. tit. de conuit. quod tamen à Græco ἀργὸς deductum videtur, quòd qui eiuſmodi contumeliam patitur, ſit iners atque excors. Mariti cucurbitati ſolent duci Pariſiis per ciuitatem ab vxore retrogradi ſuper aſinum, præcone clamante, Qui ſic faciet, ſic accipiet. Næuiſanus in ſilua Nuptial.

CVIVSLIBET CONDITIONIS: hæc addita verba in Principis conſtitutione, edicto, decreto, lege, ſeu quauis alia diſpoſitione, digniſſimos quoſque regulariter comprehendit.

CVLCITÆ, vt ait Varro lib.4. Ling. Lat. ab inculcando ſic dictæ, quod in iis ſagum, aut tomentum, aliúdve quid calcabant. At generali nomine vocari poſſunt, omne ſtragulum, in quo aliquid quieſcendi gratia inculcatum ſit. Paulus l.3. de ſuppelle. legat. Culcitæ, toralia imperia, vaſa aquaria, &c. ita enim legendum eſt. Notandũ tamen Paulũ diſſentire ab Vlpiano in culcitarũ explicatione, nec eas cõprehendere ſub ſtragulis, ſicut nec ceruicalia & toralia, tot. tit. D. de aur. arg. leg.

CVLLEVS, vter eſt ex corio factus Iſidoro lib.5. cap.27. Etymolog. capiens viginti amphoras, vel quadraginta vrnas, vt eſt apud Plinium lib.14. ca.4. & Columellam lib.3. cap.3. Vlpian. de fund. inſtructo. l. quæſitum. Cuppæ, inquit, & cullei. Item Scæuola, eodem lib. tit. de annu. legat. l. legatum. Vini, inquit, falerni, quod domi naſceretur, quotannis binos culleos. Eſt præterea Culleus menſura frumentaria, tantundem capiens. Scæuola de pignor. act. l. vlti. pecuniam ſub pignore culleorum accepit, & vide Sueton. cap.21. Plin. lib.18. ca.31. Erat item Culleus, ſaccus coriaceus, vel ex lino aut cannabe, cui inſuebantur parricidæ, ſimul immiſſa vipera, ſimia, cane & gallo gallinaceo: atque ita proiiciebantur in profluẽtem, §. alia deinde lex. Inſtit. de publ. iud. l.9. D. de lege Pomp. Theop. ἀσκὸν βόειον vocat. Huius cullei meminit Cicero pro Roſcio Amerino, & l.4. C. Theod. quor. appel. non recip.

CVLINÆ, (vt ait Aggenus Vrbicus) loca ſunt publica inopum funeribus deſtinata.

CVLPA eſt læſio per imprudentiam alteri illata, quæ alioquin humanitus euitari potuiſſet. Culpa, inquit Donatus, eſt eius, qui neſciens aliquem læſit. Inſpiciamus hanc diffinitionem: Culpa contingit bifariam, aliàs faciendo aliquid, quod noceat: & hæc retinet nomen culpæ: aliàs non faciendo, vel prætermittendo quicquam, vnde damnum cõſequitur. Ea vocatur negligentia, l. magna negligentia. D. de verb. ſigni. Simile videmus in adoptione, quæ dicitur adrogatio, l.2. D. de adoptio. vnde lex ſæpe vocat latam negligentiam, pro lata culpa, l. tutor qui repertorium. §. competet. D. de adminiſt. tut. & Gaius in l. ſi fideiuſſor. in princip. D. mandat. diſſoluta enim negligentia, inquit, prope dolum eſt, l. magna. D. de verb. ſignif. Eleganter diſputat Paul. in l. ſi ſeruum ſtipulatus. in prin. D. de verb. oblig. ſic dicens: An culpa (quod ad ſtipulationem attinet) in faciendo accipienda ſit, an non faciendo. Itaq; lex frequenter promiſcuè vtitur iſtis appellationibus culpæ ac negligẽtiæ, Inſt. quib. mod. re contrah. oblig. §. præterea & is. Culpæ autem nomine, ait Iuſt. id eſt, deſidiæ, ac negligentiæ, l.j. §. is quoque. D. de act. & obli. Culpa ergo idem eſt quod negligentia, ſegnities, deſidia, l.72. D. pro ſoc. l.5. C. de pericul. atque ita interpretatur cap.j. §. præterea, verſi. quòd ſi. quæ fuit princ. cauſ. benefi. amitt. in vſib. feud. tametſi non eſſe negligentiam, ſed eius conſequens quidam putet. Culpa eſt læſio. Læſionẽ accipimus loco generis. nam & dolus malus, & omnia planè maleficia ad lædendum ſolent deſtinari, ideóq; velut res nociuæ ab humana ſocietate reiiciuntur. Niſi enim ſequatur læſio, non conſideratur dolus, l. ſi quis in pigno. in fi. D. de pign. act. ideò quoque læſionis appoſitiſſimè fit mentio in diffinitione, quia in cognitione doli, culpæ, periculi, diligentiæ, ſemper oportet obſeruare relationem quandam ad alium. Nam & iuſtitia virtus, & iniuſtitia vitium, in hoc maximè diſcernuntur, quòd ſemper ad alium referri volunt, vt l. Iuſtitia eſt. D. de iuſti. & iur. Quare deuiatio vel declinatio non admodũ huc pertinent. Additum eſt autem in diffinitione, per imprudentiam illata. Hinc apparet differentia inter culpam & dolum. Culpa enim eſt ex ſegnitie animi, vel ruſticitate, vel inertia, vel ſimplicitate, quæ ſemper habent comitem imprudentiam, l.3. §. vlt. D. de ſuſpect. tutorib. Dolus verò naſcitur ex malitioſa deſtinatione animi contemnentis omnem honeſtatem atque prudentiam, cum propoſito lædendi. Sequitur. Quæ alioquin humanitus euitari potuiſſet: vt ſic diſcernatur culpa à caſu fortuito. Culpa enim propter incurioſitatem reprehenſibilis eſt, & obligat lædentem: quia potuiſſet adhibita quadã diligentia prouidere, ne damnũ contingeret. At caſus fortuiti ſupra omnẽ hominis proui-

dentiam plerunque incidunt, veluti, mors, fuga hominis non cuſtoditi, rapina, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, ruinæ, naufragia, impetus prædonum, l.contractus.D.de reg.iur.l.quæ fortuitis.C.de pig.act. nihil enim hîc eſt, quod in homine reprehendatur, cùm ſupra cuiuſlibet prudentiam ſint, & fato potius eueniant, l.cùm duobus.§.damna.D.pro ſocio.Et propterea, ſi dolus vel culpa præcedens occaſionem det huiuſmodi nocumentis, non cenſentur caſus fortuiti, l.capitalium.§.incendiarij. D.de pœn.l.ſi ſeruus ſeruum.§.ſi fornicarius. D.ad l.Aquil.l.qui petitorio.§.j. D.de rei vend.l.eum qui.§.an pater.D.de fur.Inſtit. quib.mo.re contrah.obl.§.item is cui.

Culpa eſt deuiatio à legis diſpoſitione, ſecundum Pet. At ſecundum Bart.in l.quod Nerua.D.depoſit. Culpa eſt deuiatio ab eo quod bonum eſt, quod per diligentiam hominis potuit prouideri.

Culpæ quinque ſpecies tractant interpretes, videlicet, latiſſimam, latiorem, latam, leuem, & leuiſſimam, ſecundum Bart.in l.quòd Nerua.D.depo.ſed certè ex huiuſmodi gradibus maioris aut minoris culpæ nõ poſſunt conſtitui diuerſæ ſpecies, iux.l.fin.D.de inſtr.vel inſtr. leg.l.is cui.D.quemadmodum ſerui.amit.Sed nec quidem poſſunt omnes culpæ gradus certis definitionib. explicari.Primùm quia cenſendo magis, quàm diſputando percipiuntur: ideóq; commodius viſum eſt Iurecoſſ.omnes culpę circunſtantias duobus tantum capitibus complecti.vt aliàs culpa dicatur latior, aliàs leuior, l.cum res.§.culpa.D.de lega.j. Culpa latior, eſt læſio tam reprehenſibilis & iniuſta, vt ſecũdum communem ſenſum non poſſit excuſari: vt ſi quis faciẽdo, aut pręteremittendo non intelligat, quod omnes intelligunt, l.cedere diem.§.fi.l.latæ culpæ. D.de verb.ſign. aut ſi quis non ad eum modum curet res alienas, quo proprias ſolet, l.quòd Nerua. D.depo. Hic enim tanta eſt fraudis ſuſpicio, vt talis incurioſitas rectè cenſeatur dolo comparanda, vel proxima, vel etiam dolus ipſe.Nam hæ phraſes effectu iuris inſpecto non differunt, l.j.§.hæc actio.D.ſi menſ.falſ.mod.dixe. l.mulier. §.ſed enim ſi quis.D.ad S.C.Trebel.quare Vlp.in l.j.§. non autem aliàs.D.ſi is qui teſt.lib.eſſe iuſſ.erit. Sed culpa, inquit, dolo proxima dolũ repræſentat. Quanquam enim ſecundum rerum naturam ſimilia, nõ propriè ſint eadem res, ciuili tamẽ ratione nihil prohibet alterum prędicari de altero, propter eoſdem ferè iuris effectus. Appellatione enim doli mali regulariter lata culpa continetur, l.3.§.ex hoc edicto.D.naut.caupo. ſtab.Quia, inquit Vlpia.in locato & conducto culpa, in depoſito dolus duntaxat pręſtatur, l.j.§.ſi quis ſeruũ. D.depoſiti.Et hoc fefellit Bart.ſe fruſtra torquentẽ in l.quod Nerua.D.eod.tit.quemadmodum arbitri pronunciatio eſt ſentẽtia. Ex his intelligi poteſt definitio Martiani l.in actione.D.de in lit.iuran. ſed in his omnib.inquientis, ob dolum ſolũ in litem iuratur, nõ etiã ob culpam: ſcilicet leuiorem. Alioquin ob latiorẽ iurari, verius eſt, iuxta l.2.C.de in lit.iuran. Vbi autẽ dolus pro ipſo facto accipitur, ibi lata culpa, pro dolo, per iuris interpretationem non intelligitur, l.in lege Cornelia.D.ad l.Corn.de ſicar.Pro facto autem accipi, eſt ipſum factum per ſeſe tam turpe cenſeri, vt puniatur, vt propriè conueniat illius definitioni.Conſtat autem diſtare definitiones doli & culpæ. Culpæ latiori adnumeratur ignorantia iuris communis, niſi ob ætatem, ſexum, vel ruſticitatem excuſetur, l.regula eſt. in princi.& §.ſi quis ius ignorans. D.de iuris & facti igno.Sciant (inquit Paulus) ignorantiam facti, non iuris prodeſſe, nec ſtultis ſolere ſuccurri, ſed errãtib. ſed tum appellatione doli non continetur, l.ſed etſi le.§. ſcire autẽ. D.de pet.hære. Nihil his refragatur l.à procuratore.C.manda.A procuratore dolum, & omnem culpam pręſtari: quaſi vniuerſale, Omnẽ, de tribus ſaltem accipiendũ ſit.l.Neratius.D.de verb.ſign.nam nõ ſolùm tres aut quinque, ſed infinitos culpæ gradus ſignificant Imperatores.Sũmatim de culpa teneri procuratorem, Vlpi.dicit in l.ſi procuratorem.§.proinde. D.mandati. At culpa leuior, eſt incurioſitas, vel negligẽtia, quã alij plerunq; homines in rebus ſuis ſolent euitare.In eo enim peccatur duntaxat leui culpa, quòd non tam diligens is fuit, ſicut alius quiſpiam circũſpectior fuiſſet, l.ſi cùm venderet.in fi.& l.ſeq.D.de pign. act.l.ſi putator.D.ad leg.Aquil.Culpam leuem eſſe, ait Paulus, cùm quod diligenter prouideri potuerat, non eſſet prouiſum: aut tum denunciatum eſſet, cùm periculũ euitari non poſſet.Dicta eſt autẽ leuis, non quòd aliquando non grande damnũ adferat, ſed quòd nulla planè cõiectura colligi poteſt animus mali cõſcius. Ideóque defectus ille, licet non omnino ſemper excuſetur, leuior tamen exiſtimari ſolet, etiamſi magnũ ſit damnum, arg.l.hi.D.de calumniato. Et quemadmodũ in dolo & latiore culpa mens hominis inſpicitur: ita in culpa leuiore ſimplicitatis habetur ratio. Fraudis interpretatio (inquit Papinianus) ſemper in iure ciuili, non ex euentu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur. Simplicitatem autem appello generaliter omnem animi ſegnitiem, vel ruſticitatem, vel inertiã, l.3.§.fi.D.de ſuſpec.tutor. Proinde nullũ certius eſt argumentum animi ſimplicis ac minimè mali, vnde culpa proceſſit, quã ſi in propriis rebus nihilò ſoleat eſſe diligentior, ac fuerit in alienis.l.mulier.§.ſed ſi.D.ad S.C.Trebell.Sed ſi, ait Vlpia. cùm diſtrahere deberet, non fecit lata culpa, non leui, & rebus ſuis cõſueta negligentia: huiuſmodi rei rationem reddet. Quo loco nõ diſtinguitur duplex lata culpa, vt quidam opinantur, ſed leuis culpa deſcribitur. Imperitia quoque leuiori culpæ adnumeratur, ſi modum nõ excedat, l.imperitia.D.de reg.iur.l.idem iuris eſt. D.ad leg.Aquil.l. ſiquis id quod.§.doli mali.D.de iuriſ.l.j.§.fi.D.de eden. l.3.§.vlt.D.de ſuſpect.tuto.Illud & notandum eſt, quòd lex nonnunquam, aut hominum conuentio, vltra innocentiam à culpa, requirit etiam diligentiam, vel cuſtodiam alicuius. Et in hoc diſcerni ſolent huiuſmodi appellationes, vt alia cenſeatur diligẽtia, vel cuſtodia, quæ nominatim exigitur: alia quæ facit ad materiam culpæ leuioris, l.j.§.ſæpe euenit.D.depoſ.l.contractus. D.de reg.iur.l.cùm res.§.culpa.D.de leg.j.l.ſi vt certo. §.nunc videndum eſt.& §.ſeq.D.commod.l.ſi cùm vẽderet.§.fi.D.de pign.act.l.nauta et caupo.D.naut.caup. ſtabul.l.hæredes eius.§.non tantum.D.famil.erciſc. Ea enim diligentia vel cuſtodia, quę ſeorſum & nominatim debetur, ad exactiſſimam boni patrisfamiliàs cõſuetudinem exigitur, vt apparet ex d.§.non tantùm.& euidentius ex l.ſi cùm vẽderet.§.fi.& l.ſeq. D.de pign. act.Verba enim Vlpiani, *Venit, & cuſtodia*, Paulus ſic interpretatur, quæ diligens paterfamiliàs in ſuis rebus præſtare ſolet. Ex prædictis omnibus obſeruandum, cùm appellatione doli mali regulariter comprehendatur latior culpa, conſequens eſt, appellationem culpæ non ad latam; ſed ad leuem culpam pertinere, l.ſi mora.D.ſolu.matrimo.l.in venditione.§.de tempore. D.de reb.iudicis auctorita.poſſid. Culpam enim qui ſimpliciter dicit, de leui loqui intelligendum cum P. Faber ſcribit in l.cõtractus. D.de diuerſ.reg.iuris. quæ à Græcis ἀμελέια, appellatur.Eum conſule, de culpæ generibus eruditè diſſerentem. His duobus culpæ capitibus addit Hotomanus tertium, leuiſſimam ſcilicet culpam, de eo qui ſummam diligentiam deberet, nec eam præſtitit, ſed mediocrem tantum.

CVM vocula, licet coniungat, accipitur tamẽ pro quamuis, l.ſi ita.3. C.quo quiſque cred.lib.10.& l.6. C.Th.de appel.Atque ita coniungendi vim habet, vt tamẽ non

ſemper

ſemper indiuiduè ac neceſſario coniungat. Itaque etſi cùm ita legatum eſt, Titio cum Seio do lego: vtriſque legatum intelligitur: ſicut vtrunque legatum eſt, cum fundus cum domo legatus eſt, l.ſi quis 112.§.j. D.de legat.j.tamen poterit alter ſine altero admitti.

Cvm imperio eſſe, vt ait Feſtus, dicebatur apud antiquos, cui nominatim à pop.dabatur imperium. Cum poteſtate eſſe dicebatur, de eo qui à pop.alicui negocio præficiebatur. Sicque hæc videntur diſtincta l.7.& l.10.D.de vi publ.

Cvm omnibvs quæ domi ſunt, verba hæc qui accipienda ſint, explicat Iuriſcoſs.in l.Seius.D.de leg.2.

Cvm moreretvr pater, hanc formulam exponit Vlpianus l.fideicommiſſa.§.ſi filio.D.de leg.3.

Cvm omni cavssa, his verbis vti ſolet Lex, quoties fructus, pertinentia, acceſſiones & reditus veluti in vnum faſcem colligere vult: quaſi dicat, quicquid cauſſam duxerit proueniendi quouis modo ex re aliqua. Vide Inſtit.de offic.iudic.

Cvm popvlo agere (quæ verba legis ſunt XII. Tab.) eſt rogare Populum quid ſuffragio ſuo vel iubeat, vel vetet: vnde Rogatio, pro lege dicta. Concionem autem habere eſt verba facere ad Pop.ſine vlla rogatione, Gell.lib.13. cap.14.

Cvm patribvs autem agere, eſt ad ſenatum referre. Vide Bud.in adnot.poſteriorib.ad Pand.

Cvm sacco adire, apud Paulum l.105.D.de ſolut. Quod dicimus in eo hærede, qui fideiuſſori teſtatoris, id quod ante aditam hæreditatem ab eo ſolutum eſt, debere ſtatim ſoluere, cum aliquo ſcilicet temperamento temporis intelligendum eſt.nec enim cum ſacco adire debet. Eſt autem, vt vult Hotom. poſtulare vt ſibi eueſtigio, atque eodem temporis puncto pecunia ſoluatur. Saccum autem Aſconius interpretatur manticam quandam ad maioris ſummæ continendas pecunias. Alciatus Parerg.lib.2.ca.8. hæc verba ad hæredem refert. De eodem exiſtimo interpretandum quod ſcribitur Luc.22. Quando miſi vos ſine ſacculo.

Cvmvlatio, eſt ius perſequendi, multis actionibus in vno atque eodem iudicio editis. Quemadmodum enim cumulus debiti, vocatur coadunatio multarum ſummarum: ita cumulus actionum eſt editio plurium actionum, l.maiorem.& l.ſeq.§.cumulum.D.de pactis. Eſt autem Cumulatio actionum, ſicut etiam recõuentio, cum præiudiciis, & toto iudiciorum proceſſu, introducta propter compendium litigandi, ſcilicet vt apud eundem iudicem, eodémque tempore ſimul diſceptentur ea, quæ alioquin multiplicatis ſumptibus & moleſtiis ſeorſum expedienda forent. Et ideò commentatores rectè dicunt: Cumulationẽ permitti ſemper, niſi fuerit nominatim prohibita in iure, l.ſi idem cum eodem.D.de Iuriſdict.om.

Cvncti, l.cunctos.C.de ſumma.Trin.& fid.cath.verbũ omnes quidem ſignificat: ſed de coniunctis, & congregatis: Omnes verò, etiam ſi in diuerſis locis ſunt.

Cvnei peditum ſunt globi, vt vexillationes equitum turmæ: atque hæc verba diſtinguenda ſunt in l.j.C. Theod.de bonis milit. Veget.lib.3. ca.19. Cuneus dicitur multitudo peditum, quæ iuncta cum acie primò anguſtior, deinde latior procedit, & aduerſariorum ordines rumpit.

Cvnicvlvs, pro canali.in l.Proculus.D.de damn.infect.l.ſupra iter.de aq.plu.arc. Vlpian. in l.Seruius autem.de riuis, Cuniculum vocat foramen ſub terra occultum. Feſtus protulit genere neutro, lib.3.

Cvpæ ſunt vaſa vinaria, in quibus muſta coquuntur, & deferuntur, (quæ quibuſdam impropriè & ineptè Vegetes appellantur) l.15, §.4. D.de vſufruct. l.Lucius. D. de leg.3. Veteres gloſſæ, βότ‌τεις μεγάλας exponunt.

Cvpidos pro amantibus poſuit Iuriſconſultus l.j.in fin.D.de ædil.edict.

Cvra, à cultura ſeparatur, §.ſi quis à non domino. Inſtit.de rer.diuiſ. Nam & oues, & pecorũ fructus curari dicuntur, l.60.in fin.D.de leg.3.l.7.§.non ſolum.D.ſolut.mat. Item arbores, l.3.D.de impen.in reb.dot.

Cura epiſtolarũ inter officia præf.vrb.ponitur l.fin.C.eo. vbi corruptè perſonarum legitur.

Cvrare, pro ægrotis mederi, l.11.§.pen. D.ad exhib. Curare negocia, pro gerere, l.14.§.j. D.communi diui.

Curare, pro incruſtare, l.27.§.vlt. D.ad leg.Aquil. Item ſi tectori locaueris laccum vino plenum curandum, & ille eum pertudit, vt vinum ſit effuſum. Græci exponũt partim ἐπὶ τῷ φιλοκαλῆσαι, aliis ἐπὶ τῷ ἀναχρίσαι τὰς πλευρὰς αὐτοῦ: alij verbum de verbo, ἐπὶ τῷ φροντίσαι.

Cvratio, & Curatela, munus eſt eius bona adminiſtrandi qui ſuis bonis non poteſt præeſſe, vel ob ætatem, vel mentis corporíſve vitium: atque hoc differt à tutela, quod hæc ſit poteſtas in capite libero, id eſt in perſona pupilli: Curatio verò, niſi illa furioſi ſit, rei & cauſſæ datur. Tutor inuito & ignoranti datur: Curator inuito adoleſcenti non datur. Tutela anno 14.finitur: Curatio anno 25. Hinc,

Curationis iudicium, l.11. D.de aucto.tuto.ſeu actio adminiſtratæ curæ, l.4. C.de tranſact.

Curationem reſtituere eadem forma, qua & tutelam dixit Paulus l.32.D.de minorib.id eſt, curæ adminiſtratæ rationem reddere. Hinc,

Cvratores, qui multiplicis generis in libris noſtris memorantur. Sunt enim adoleſcentium, furioſorum, prodigorum, mutorum, ſurdorum, dementium, fatuorum, debiliúmque perſonarum, & eorum qui rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt. D.& C.de curat.furioſ. & Inſt.de curato. l.j.§.vlt.& l.2.3.4. & 5.D. de poſtul. Atque horum alius eſt legitimus, alius honorarius: legitimus ſcilicet qui datur iis quibus lex XII.Tab.iubet, ſcilicet furioſis: & prodigis: honorarius, qui à Prætore datur puberibus, mutis & ſurdis.

Curator ventri datus, l.j.§.quoties.& §.ſeq. D.de vent.in poſſ.mitten.& alibi ſæpiſſimè. Curator bonorum, qui ad diſtrahenda, vel gerenda bona abſentis commiſſus eſt, vel eius cui hæres non extat, vel qui apud hoſtes eſt, D.de curato.bon. Græcè curatores, ἐπιμεληταὶ vocantur, l.46.§.j. D.de adminiſtr.tuto. Curatores operum, l.7. D, de offic.proconſul.l.2.§.j. D.de oper. publi. quibus ſcilicet extruendorum reficiendorúmve ædificiorum cura mandatur, l.j.§.hi quoque.& l.vltim. D.de mun.& honorib. Curatores corporum, l.penult.in fin. D.de colleg. Curator municipum, l.5.§.hæc verba. D.quod vi, aut clàm.

Curator reipublicæ, l.fin.D.de offic.adſeſ.l.37. D.de pact. Vlpianus librum ſingularem ſcripſit de offi.cura.reip. qui & curator ciuitatis dicitur, Græcè λογιστὴς, vt eſt in l.3. C.de mod. mult. Erat autem magiſtratus municipalis ex decurionibus creatus (l.vlt. D.de adminiſtr.rer.) qui pecuniæ publicæ adminiſtrandæ, vectigalibus locandis, operibus lociſque publicis curandis præerat, vt conſtat ex l.2.§.4.& l.3.& l.vlti. D. de adminiſt.rerum, & l.vlt.§.qui annonam. D.de mun. & honor.& l.46. D.de damn.infect.& l.3.§.3. D.quod vi aut clam. Curator Cæſaris, pro procuratore, l.fi. D.de offic.procu. Cæſ.l.5. D.de iure fiſc. Curatores frumenti, & olei emendi, quos σιτῶνας, & ἐλαιῶνας appellant, l.fi.D.de mun.& hono. Curator Kalendarij, l.fin.§.item reſcripſerunt.D.de admin.rer. ad ciuit.perti.l.j.C.Th.de curat.Kalend. Curator diuinæ vel dominicæ domus, l.fi.C.de quadrie.præſcr. Nouel. Iuſti.conſtit.j.

Cvrax, diligens & ſolicitus, l.18.D. de ædil.edicto. Si conſtantem, aut laborioſum, au curacem, vigilacem eſſe, &c.

Cvragen

CVRAGENDARII, vide infra Curioſi.

CVRCVMA, in lib, 11. Cod. tit. null. lic. in fren. & equ. eſt (vt refert Cuiacius Obſeru. lib. 11. cap, 20. ex Chaldaico lexico) ſandalium. Sed acquieſco, inquit, Heſychio magis, qui camum, quod genus eſt ornamenti equeſtris vilius freno, freni tamen vel oreæ vice, Curcumam interpretatur, his verbis, ἐν κημῷ, ἐν κουρκούμῳ.

CVRIA propriè & reſtrictè quid ſit, vide Curtis. At olim appellata eſt pars populi ex diuiſione Romuli, qui primus Romanum populum in triginta partes propterea diſtribuit, vt per eas cõmodè rogaret ſententias ſingulorum, ſicque reipublicæ curam talibus ſententiis expediret. Vnde vides, curam dediſſe honeſtiſſimam appellationem curiæ: quia partes populi dicentes ſententias de ſalute reipublicæ, appellabantur curiæ, & inde Curiatæ leges, l. 2. in prin. D. de orig. iur. Nec verò ſine magna ratione Pomponius curias à cura dictas admonet. Siquidem cura, ſolicitudo eſt, & anxietas animi, quaſi cor edens: & profectò tali conatu atque diligentia rempublicam iuuare oportet. Curia autem, aliàs ſignificat ordines hominum, qui curant, vt in d. l. 2. aliàs locum, in quo curabantur res diuinæ, vel humanæ. Nam & curia ſacerdotum, & curia ſenatus erat, ſicut Hoſtilia, Pompeia, Iulia. Inde Curiales, ſeu curiones, ad curiam pertinentes. Curius maximus, cuius auctoritate curiones regebantur. Curiata lex, à curiatis comitiis. Curionatus, ipſe magiſtratus. Iſta enim omnia ſignificantiſſimam habent deriuationem à cura, ſcilicet quæ ad publicam vtilitatem pertinet. Hoc tempore dicimus curiam Romani Pontificis, Imperatoris, aliorúmque principum, quòd ibi frequentiam hominum verſari videmus. Cæterùm vim & poteſtatem verbi, hoc eſt, rem ipſam quam ſignificat, nemo animaduertit: & propterea curiarum maieſtás in leuiſſimos vſus paulatim eſt perducta, C. ſi curialis relicta ciuitute, rus habitare maluerit. Curia etiam in municipiis & coloniis ſumitur pro loco in quo conſilium publicum habebatur, l. 3. D. quod cuiuſq;, vniu. l. communium, 9. C. de nat. lib.

CVRIALES, qui curiis adſcripti erant, qui etiam decuriones appellantur, l. penult. C. de exact. trib. lib. 10. l. 12. & 18. C. de epiſcop. & cleric. De curialibus vrbis Romæ, vide in dictione Decuriales.

CVRIATÆ leges, hoc eſt, curiatim latæ. Conuocato enim per triginta curias populo, ſinguliſque curiis velut in ſepta ſegregatis (id enim commodius videbatur, ad euitandam multitudinis confuſionem) ſententiæ rogabantur, ad probandas vel improbandas leges, quæ ferendæ fuiſſent. Eæ de imperio magiſtratus ferebantur, atque de aliis nonnullis rebus. Eodem modo curiata comitia nuncupabantur, à coëundo, quòd omnes populi curiæ & partes coirent.

CVRIONES, ij erant qui pro curiis ſacrificabant, qui & triginta erant, quot etiam ſunt curiæ. Dionyſius: Ἀπέδωκε δὲ μίαν ἱερουργιῶν διάταξιν τοῖς τριάκοντα κουρίωσιν, οὓς ἔφην τὰ κοινὰ θύειν ὑπὲρ τῶν φρατεριῶν ἱερά. Illis autem in ſacrificiis vnà epulabantur Curiales magna cum hilaritate. Atque hinc fortaſſe Cicer. lib. j. de Oratore: Vt dies inter eos curiæ fuiſſe videretur, cõuiuium Tuſculani, quod de die Senatus interpretantur. Curiones ludis publicis epiſtolas hiſtrionum, comœdorum, tragœdorum legebant, cùm quid à populo, à principe, aut à ludorum domino petebant. Proinde ita ſcripſit Martialis: Video quare Tragœdi epiſtolam accipiant, quibus pro ſe loqui non licet. Epigrammata Curione non egent, & contenta ſunt ſua, id eſt maledica, lingua, &c. Hi etiam à Varrone lib. 6. de Ling. Latin. Curiones dicuntur.

CVRIOSI, qui & Curagendarij appellantur, ſunt ex agentibus in rebus, vt conſtat ex l. j. C. de offic. mag. offic. His committebantur curæ publici curſus, & quidem ſolæ, vt tamen & miſſi per regiones, prouincias, litora, portus, commonitoriis & mandatis inſtructi à magiſtro officiorum, in eos qui quid circa curſum publicum admiſerint, diligẽter inquirant, rem deferant ſine inſcriptione. Horum autem alij erant in comitatu, alij per diuerſas prouincias. Vide tit. lib. 12. Cod. de curioſ. Apud Suidam in vita diui Ioannis Chryſoſtomi fit mentio horum his verbis: ἑλκόμενος ὑπὸ τοῦ κουριόσου τῆς πόλεως ἐν μέσῃ τῇ πόλει.

CVRMI, ex maceratis & coactis hordei frugibus potus, Vlpia. in l. ſi quis. D. de Tritic. & vin. leg. Igitur & acetum, ait, quod vini numero paterfamilias habuit, & zythum & curmi, & cætera quæ pro hominum affectione atque vſu numero vini habebuntur. Zythum ab hoc differt tantùm in modo apparatus. Quinimò crediderim antiquis Curmi aliud nihil fuiſſe, quàm Germanis, Polonis, Gallis ceruiſiam.

Κουροτροφεῖον, domus alendis pueris deſtinata, l. illud. 16. C. de ſacr. ſanct. eccleſ. κοῦρος enim puerũ ſignificat. Differt à βρεφοτροφείῳ. in hoc enim infantes, recentéſque partus, aut expoſiti, aut parentibus egentibus nati alebantur: in illo pueri grandiuſculi, qui labore ſuo victum ſibi necdum parare poterant.

CVRSVS vehicularis, l. j. & vltim. D. de mune. & hon. Curſus publicus, l. 4. C. de offic. præſid. Δημοσίαν ὁδὸν Græci appellant: éſtque via, qua literæ Principis, tum alia ad eius vſus neceſſaria feruntur plerunque & aguntur, ſub rub, Cod. de curſ. public.

CVRSORES, veredarij. Sunt etiam Curſores equitum apud Mauricium, qui ante agmẽ & aciem excurrunt, hoſtéſque verſos in fugam perſequuntur.

CVRSVALES equi, Caſſiod. lib. 4. Varia. Epiſtol. ad Godiſcalcum. l. 9. C. Th. de legatis & decleg. quibus ſcilicet in cauſſa Principis vtebantur.

CVRTIS, idem quod Curia. Hinc libr. feud. 2. titul. 51. §. j. Quidam Capitaneus in quadam curte ſua beneficium dedit militibus, & poſtea eandem curiam vendidit. Curia autem propriè ac reſtrictè eſt area muro circundata, in qua ædificium inſulæ modo poſitum eſt: vt in diplomate Ludouici apud Ioannem Auentinum: Ludouicus diuina fauente gratia Rex Baioariorum, Gotzbaldo perpetuo dono in villa Engolſtat duas eccleſias, curtim dominicatam cum ædificiis deſuper poſitis. Hinc Curtis pro Prætorio, ſiue ampla & magnifica domo frequenter vſurpatur, quam Gallicè dicimus, *La maiſon Seigneuriale*. Helmodus in hiſtor. Slau. lib. j. cap. 32. Miſſi ergo à Principibus venerunt ad Regem, qui tunc fortè conſiſtebat in corte Regia, &c. Latius tamen hoc nomen vſurpatur, pro territorio & finibus eius domini, cui vaſalli ſubſunt: vnde feuda in curte, & hinc Pares curiæ, & Pares curtis paſſim in libris Iuriſ. promiſcuè appellantur. Differunt autẽ curtis ſeu curia, & domus. Domus enim eſt ædificium in quo dominus habitat, quod Iuriſconſultorum ſermone Prætorium appellatur. Curtis verò idem quod Romanis cohors. In villa (inquit Varro) cohors eſt, ex eo dicta, quod circa eum locum pecus coërceatur. Vnde Cohortales aues, quæ in villatica cohorte aluntur, cuiuſmodi ſunt gallinæ: vt de vulpe in Faſt. Ouid.

Abſtulerat multas illa cohortis aues.

Lingua noſtra dicimus, *Baſſe court*. Veriſimile eſt autẽ, Patronos in cohorte locum habuiſſe iuriſdictioni & cauſſis cognoſcendis deſignatum. Et ſi autem curtis et domus ita differant, vt cohors & villa: tamẽ vt ſæpe ex potiore parte res appellantur, ſæpenumero curtis pro domus parte numeratur, vt in legib. Baioar. tit. 14. Siquis intra curtẽ ducis aliquid inuolauerit, quia domus

Ducis

Ducis publica eſt,&c. Hinc feudum in curte dicitur, & feudum extra curtem,lib.feud.1.tit.5.§.5.& libr.2.tit. 51.§.1.Et pares curtis aut curiæ, aut domus pro iiſdem nuncupantur lib.1.tit.10.

Cvrvles Ædiles dicti à curuli ſella. Erat enim curule,vel curulis,ſedes ex ebore,qua maiores magiſtratus vtebātur in curru, quo honoris gratia in curiam vehi ſolebant.De his ædilibus eſt tit.D.de ædil.edict.

Cvstodes, obſeruatores,qui actiones,notant,& animaduertunt,l.3.D.de adminiſtr.tuto. vt Iuriſcoſſ. de honorariis tutoribus loquitur. Cuſtodes enim propriè iuuenum erant,vt ex Cicer.Seruius notat, quibus in militiam euntibus cuſtos dabatur. Hoc enim verbo in eo ſignificatu vtitur Virgilius lib.5.

Cuſtodem ad ſe ſe comitémque impubis Iuli,
Epytiden uocat,& fidam ſic fatur ad aurem.

Cvstos Eccleſiæ is dicitur,cui ea, quæ Eccleſiæ competunt cuſtodienda traduntur,& committuntur, text. in cap.j.de offic.cuſtod.vbi.& in ca.2.extra eod.exponitur qualénam ſit eius officium,& munus.

Cvstodes tabvlarvm, ij erant qui dum tribus vel centuriæ ſuffragia ferebant, & dum ſuffragia dirimebantur, dum ſortitio fiebat, ne quid fraudis fieret, obſeruabant,quíque numerum ſuffragiorum & punctorum annotabant,qui & ad tabulam poni dicebantur. Cic.in Piſon. Vos rogatores, vos diſtributores, vos cuſtodes fuiſſe tabellarum.

Cvstodia, idem ſignificare videtur, quod vincula: prior tamen vox non niſi publicam cuſtodiam complectitur, poſterior & publicam & priuatam, l.vinculorum. de verbor.ſignific.l Sic l.9.D.quib.ex cauſ. maio.in l.ad Commentarienſem. C.de cuſtod.reor. Sed & cuſtodia non rarò pro ipſo in carcerem coniecto vſurpatur, vt l.12.D.de publ.iud. & apud Tranquil.in Tiberio, & Tertullianum in Apologetic.cap. 44.Hinc etiam Seneca: Quemadmodum eadem catena & cuſtodiam & militem copulat. Mirum igitur hæc cur ſcribat Seruius: Nam vt hi qui cuſtodiuntur, cuſtodia dicantur, vſurpatum eſt, vnde malè in vſu cuſtodiæ audiuntur. Hæc ille. Sed cuſtodias à magiſtratu audiri, elegantiſſimè dici, ex eo quem citauimus Senecæ loco, eſt manifeſtum. Poteſt etiam Cuſtodia de militibus intelligi qui in carcerem detruſos cuſtodiebant. titu. D.de cuſtod. & exhib.reor. ſic enim Sudas: Cuſtodia, τὸ τῷ δεσμωτηρίῳ ἐπικείμενον στράτευμα.

Cvstodire diligenter, pro vincire accipiendum, in l.j. D.de fugit. adnotarunt & alij. Porrò ad cuſtodiendi rationem, quam Doctores obſcurè tractant, pertinet rem conſeruare ſumptibus, l.Iulianus. §. Præterea. D.de action.empt.l.domum. C.de rei vendication.

Κυβιστητῆρες, Græcis vrinatores,hoc eſt,natantes ſub aquis ſunt,qui ſe ſub aquas capite mergunt, à κυβιστάω, quod in caput ferri,deuoluíque ſignificat.

Cymbivm, poculi quoddam genus ad ſimilitudinem nauis cymbæ factum.Paulus de auro & arg.leg.l.pediculis.vide Plinium lib.37.cap.8.

Cydonivm, Latinis Cotoneum dictum,vt ſcribit Plinius,& Macrobius,lib.Satur.7.cap.7. Vlpian.l.9.D.de trit.vino. Cydonium vinum vocat ex malis cotoneis confectum.huius Dioſcorides lib.5.meminit.

Cylindri, in l.34.§.fin.D.de aur.& arg.leg.oblongi lapilli & teretes cylindrorum inſtar, ad ornatum mulierum pertinentes. Horum meminit Tertull.libr.de habit.mulier.& Plin.lib.37.cap.5.

Cynvs I.C.Piſtorij natus, Diui Muxellani auditor. Floruit Bononiæ circiter annum 1320.elegantes in ius Ciuile Commentarios,qui etiámnum extant, poſteritati tranſmiſit.

D

D litera, in fin.præfat.Inſtit. ſignificat Datum.Sed & decimo,vt adnot. P.Victorius in Ciceronem,& dedico in antiquis inſcriptionibus, quæ in lapidibus hodie Lugduni viſuntur,S.A.D.Sub aſcia dedicauit.

Daciæ prouinciæ,quæ nunc Vualachia poſt Mœſias, fit mentio in l.fi.ad finem.C.de diuerſ.offic.& appar. Hæc ſub Gallieno Imp.amiſſa eſt, & pòſt à Gotthis Scandia dicta, & è Germanici Oceani remotiſſimis inſulis egreſſis,occupata.Eſt autem longè ab ea,quam non rectè hodie Daciam vocant:cùm ſit Dania appellanda,vulgò dicta *Dannemarc*, ad Cimbricam Cherſoneſum.Impe.eam diuidit in Mediterraneam & Ripenſem,in Authen.de Eccleſ.tit.§.j.Daciæ autem prouinciæ quinque referuntur,Dacia mediterranea, Dacia Ripenſis,Mœſia prima,Dardania, Præualitana, & pars Macedoniæ Salutaris.

Dactyliotheca anulorum cauſſa paratam thecam ſignificat,l.67.de furt.Porrò theca capſula eſt.

Δαὴρ Græcis,eſt mariti frater, Latinis Leuir: quod & Alciatus probat. At mariti ſoror,Galos,à nobis, vt Rhodiginus ait, Glos dici poteſt.Idem Alciatus, quin & alij, obſeruarunt, haud rectè ab Accurſio, Læuirum vxoris fratrem, quaſi læuum virum, acceptum: cùm Leuir ſolùm ſit mariti frater,l.Iuriſconſultus, & l.non facilè.D.de gradib.& affinib.

Dalmatica eſt veſtis, qua modò vtuntur omnes diaconi ex conſuetudine in ſolennitatibus, vt 70.diſt. de ieiunio. Antiquitus tamen ſine conceſſione Papæ, nec Epiſcopis,nec Diaconis licebat vti hac veſte, diſtinct.23.cap.omnis filius.

Damivrgi apud Liuium videntur eſſe auctore Heſychio,qui publica negocia, réſque ciuitatis adminiſtrant: apud Dorienſes ſic dicti pro Demiurgi, qui iidem erant qui ab Athenienſibus Demarchi vocantur,id eſt tribuni.

Damno, præter notam ſignificationem,etiam eſt obligo.de diuort.l.ſi filius.Damnandum, inquit,eum quāti mulier litem iurauerit.Item de legat.j.l.cùm filio.Hæredem,inquit,mihi dare damnauerit.Hinc damnatus pro obligatus legitur. Damnare autem & reprobare differunt. Nam damnare eſt rem ſine remedio ſubleuandi tormentis ſeu ignominiæ ſententialiter deputare: reprobare verò eſt rem rationibus euidentib. ream facere.Iſtam differētiam aſſignat Pan.in c.damnamus.in 1.notabili.de ſum.trin.& fid.catholi.

Damnari indicta cauſa dicuntur, qui ad iudicem vocati non affuerunt,abſentéſque ſententiam paſſi ſunt. Vide Budæum in annot. poſter. Damnare multæ Budæo in Forenſibus,eſt condemnare ad multam.

Damnatvs hæres dicitur,à quo ita per damnationis formulam legatum eſt, DAMNAS ESTO, l.7.§.j.D. de annuis leg.Vlpia.in Epito.tit.24.

Damnatum accipimus, qui non prouocauit. cæterùm ſi prouocet,nōdum damnatus videtur. Damnatus enim ille eſt,in quo damnatio tenuit,l.2.§.fi.D.de pœnis.

Damnatio,& damnum,ab adeptione,& quaſi deminutione patrimonij dicta ſunt,l.3.D.de damn.infect.

Damnas, apud Iuriſcoſs. vox peculiaris.Marcel.in l. damnas eſto. de vſufruct.lega.id eſt, damnatus, per ſyncopen. Alij tamen damnes legunt,ea ratione, quā & copes dicitur copioſus.Sed Alciat. veterem lectionem magis probat,quæ & verior eſt,atque ita habent Pand.Flor.Huc non reſpiciens Nebriſſ.monuit pro hac voce vbique reponendum, damnatus. Meminit & eius vocis(vt atteſtatur Alciat.cap.j.lib. Parerg.) Agrecius Grammaticus, Iuriſconſultorum verbum illud eſſe

illud eſſe aſſerens. Ea voce vtebantur veteres,cũ quaſi pœnæ cauſſa quem damnabant,vt in Senatuſconſulto cuius commeminit I.Frontinus libr.2.de aquæ duc. Si quis aduerſus ea commiſiſſet, in ſingulas res in dena millia damnas eſſet. Item in lege Manilia: Reficere, reſtituere damnas eſto.& vide M.Fabium lib.7. ca.penult. Hinc Damnas eſto dicebat teſtator, cum hæredem dare alicui damnabat. quod legatum propterea damnationis appellatur ab Vlpiano cap.Inſtitu.24.& Caio lib.Inſtit.2.cap.3.& paſſim in Pand.

DAMNVM,inquit Varro lib.4.de Ling.Lat. à demptione,cum minus re factum,quàm quanti conſtat.

Damnum propriè is accipit,cuius ædium luminibus officitur,l.25.D.de damn.infect. Damnorum appellatione an veniant impenſæ,vide Cano.& text.in ca.in noſtra.de iniuriis.extrà. Damnum pœnam ſignificat.l.ſi pro fure.D.de condict.furt. Damnum iniuria datum lege Aquilia dicitur, quod cum damno iniuriam attulerit,l.49.D.ad leg.Aquil.vel, vt ait Iuſtinianus, damnum culpa facientis datum. Inſtit. de iniur.&, vt Theophilus interpretatur ζημίαν ἀδίκως γενομένην. Eodem ſenſu,Damnum iniuriæ,l.j. D.ad leg. Aquil. Vnde, Damni iniuriæ actio. Et, Damni iniuria agi,teneri, paſſim in libr.Digeſt. Damnum verò in ſocietate non intelligitur,niſi omni lucro deducto,l.30.pro ſocio.D.

Damnum diuiditur in iniuriã & pauperiem,l.j. D.ſi quad. paup.fec.dic. Hinc Damnum ſine iniuria facientis datum,vocatur pauperies,l.j.in princ.D.eod.tit. Sic Damni ſpecies eſt intertritura & intertrimentum. Nam ea quæ trita ſunt inter ſe,deminui quoq; ſolent, & minoris eſſe pretij,l.vlt.D.de pignera.actio. Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputari,De regul.iur.lib.6.l. quod quis ex ſua culpa. D.eo.titu. Damnum videtur eſſe poſſeſſori, quòd ſibi non proſpexerit cautione, l.quòd ſi poſſeſſor. D. de petit.hæred.

Damnum infectum, eſt damnum nondum factum, quòd tamen futurum veremur.l.2. D.de damno infecto, vt cum ædificium alicuius ruinam minatur ædificio vel prædio alterius vicini: tunc enim ædificij iſtius, vel prædij dominus à domino ædificij ruinam minantis petere poteſt,vt ſibi caueat nomine dãni infecti: quæ ſtipulatio continebit totum intereſſe illius vicini.D. eod.tit.l.ſtipulatione.& l.ſed etſi cõditione.& l.damni infecti. Et Damnum pateris, quando rebus tuis aliquid decreſcit,non quando accreſcit. Quando autem lucrum amittis,damnũ non pateris. Etiam quoddam damnum,ſiue intereſſe eſt circa rem, vt ſi ſubtraxiſti mihi inſtrumenta, quibus poſſeſſio firmatur, teneris mihi ad damnum,quod contingit propter ablationem inſtrumentorum. Et quoddam damnum eſt extra rem.vide l.vni.C.de ſenten.quæ pro eo quod intereſt.Damna fatalia,dicuntur quæ imprudentib.accidunt,ad quæ præſtanda non cogimur,l.cum duobus.§. damna.D.pro ſocio.

Damni infecti promittere & mitti in ædes.his formulis ſubauditur cauſſa,l.15. §.ſi damni.D.ex quib.cauſ.maio.& apud M.Ciceronem in Topic. Eſt autem damni infecti promiſſio,quoties quis promittit,ſi quod damnum vitio ſuo contigerit, ſua reſtitutione eſſe penſandum: vt ibidem annotat Boëtius.

ſine Damno,id eſt,ſine deminutione, &, vt Theophilus explicat, δίχα πάσης δαπάνης, in §.at ex contrario. Inſtit.quib.alien.licet.l.25.de adminiſtra.tut. C.at in l.25. §.ſeruum. D.de fideicom.lib. citra damnum voluntatis,id eſt ſine offenſa voluntatis teſtatoris.

Damnum decidere, pro ſoluere, præſtare, ſarcire damnum,l.ſi ſeruus communis. §.his etiam.& §.quod verò.D.de furt.

Damnum dediſſe videtur, qui cauſſam damni dandi præbuit,l.4.§.pen.D.vi bon.rap. Damnum facere, dare l.151.D.de diuerſ.reg.iur.

Damnum is dat, qui iubet dare,l.169. D.de diuer. regul. iuris, Damnum nemo facit, niſi qui id fecit, quod facere ius non habet.D.eodem tit.l.169.

Δανείζεσθαι, l.34.§.j. D.de pignorib.id eſt,mutuo accipere, Δανεισάμενος παρά σου δηνάρια πεντακόσια, παρεκάλεσά σε, &c.Abs te quingentos denarios mutuatus,vocaui te.

DAPHNE,lucus ſuburbanus Antiochiæ cupreſſis obſitus.Niceph.lib.10. Eccleſ.Hiſt.c.28. Sozomenus libr.5. cuius mentio fit in tit.de cupreſ.ex luco Daphnenſ, lib.11.C.& apud Lamprid.in Alex.

DARDANARIVS,qui & ſeplaſiarius dicitur, à Græcis παντοπώλης, παντομετάβολος, σιτοκάπηλος, annonę & aliarum mercium acerbiſſimus vẽditor,& vexator, id eſt, qui annonã incendit,& excãdefacit, vt loquitur Varro.vel vt Cicero ad Atticum,lib.5.cap.21. qui frumentum comprimit. Vlpia.de extraord.crim.l.annonam. Annonam vexare Dardanarij ſolent. Item de pœnis l.in Dardanarios. Alciatus inter eas dictiones numerat,quæ aliis in auctoribus nuſquã eo ſenſu reperiuntur,,ib.4.de verb.ſig.Iul.Pollux ἀνακωλοῦντας appellari ſcribit. Atque hoc genere hominum etſi nihil fraudulentius,nihil iniquius fuit, & ideo variis Conſtitutionibus fraudes,calliditates, ſtellionatus eorũ coërcentur:non etiam genus omne improbatur negotiationis huiuſmodi: nam & vrbe aliquando eiecti cum fuiſſent,reuocati ſunt Nouel.Valentin. De pantopol. ad vrb.Roma.reuoc. De iis Nazianzenus in funebri orat.Baſilij magni,his verbis, τηροῦσι τοὺς καιροὺς, καὶ καταπραγματεύονται τὰς ἐνδείας, καὶ γεωργοῦσι τὰς συμφοράς. Dardanij autem contumelioſè dici videntur à Dardano, quem magum fuiſſe conſtat ex Apuleio,qui eum inter inſignes magos nominat. Creditum eſt enim eorum maleficiis,& venenis magicis annonam auerti in eorum horrea,& in metiendo menſuram imminui,eiúſque modo ſubtrahi. Hinc Dardaniæ artes Columellæ,id eſt magicæ:

At ſi nulla ualet medicina repellere peſtem,
Dardaniæ ueniant artes.

DARE propriè eſt cum dominium transfertur, §.ſic itaque.Inſtit.de act.l.vbi autem.§.fin.D.de verb.obligat. Alias Dare,id eſt credere, l.vlti. D.comm.præd.& l.ſi vnus.§.fi.D.de ſeruit.ruſtic. Dat qui permutat, vel compenſat, l.dediſſe. D.de verbor.ſignific. Dare, pro damnare ad beſtias,in metallum,exilium,l.8. §.ſeruos. l.17.l.23.l.28.l.34. D.de pœn.& apud Firmic.libr.3.Matheſ.ca.5. Dare,adſignare, l.quæ pater.D.famil.ercíſ. Dare,hoc eſt,ſoluere,l.creditor. §.cum de ſorte.D.de ſolut.Dare nuptui,collocare in matrimonium, Inſtitu.de legat.§.legari. Dare,eſt delegare, l.ſi ita. D.de offic.præſid. Dare intelligendus eſt qui remittit, l. generaliter.D.de calumniat. Dare,id eſt dare velle, l.ſtipulatus ſum Damam.D.de verb.oblig.

DARE, FACERE,formula vetus actionis in perſonã, qua id quod debebatur peti ſolebat, quod in dando, & faciendo conſiſtebat,l.vlti.D.comm.

DARI, FIERI,l.13.D.de inoffic.teſt. & aliàs.

DARE, FACERE, PRÆSTARE, l.13.§.idem Iulianus.D.de actio.empt.

DARE, PRÆSTARE, l.40. §.Pamphilo.de ſtatulib. quod te mihi DARE, facere oportere, verba, licet coniuncta videantur, ſic tamen accipienda ſunt, vt quoduis eorũ probare ſufficiat,l.53. D.de verb.ſignif.

Dari etiam vacua poſſeſſio dicitur,l.32.D.de arbitr.

Dare in arte notariatus dupliciter capitur, propriè ſcilicet,& impropriè. Propriè, quando res data tranſit in dominium accipientis, vt in inſtrumentis, in quibus agitur de rerum alienatione, & dominij tranſlatione, in quibus

in quibus transfertur dominium, ſi tradens erat dominus: aliàs non. Aliter enim non datur, niſi ſic detur, vt in ipſum, cui datur, ſtatim dominium transferatur. Impropriè capitur in inſtrumentis emphyteuticis, & feudi, & locationis, vbi ille, qui locat, vel concedit, licet dare dicatur, non tamen dominium trâsfert. Et eſt differentia inter dare, & tradere. Nam tradere dicitur qui ſolum poſſeſſionem transfert, & non dominium. De hoc not. 23. q. 6. §. vlt.

Dare cum adiuncto variat ſignificationem: dare mutuo, dare hypothecæ. l. & quæ nondum. in princ. D. de pig. Dare impropriè dicitur, qui ſubrepta reſtituit. l. ſtatuliberos. §. ſi quis ſeruum, de ſtatu lib. pro reſtituere autem interpretantur in l. ſi ſeruus. de ædil. edict.

Dare actionem dicitur prætor, quãdo actorem ad intendendam actionem admittit, Vlpianus in l. j. in princ. de ſuperfic. & l. j. §. vlt. de vent. inſpic. ſic & prætor iudicium ſuſcipere cogit aduerſarium. l. vir bonus. D. iudic. ſolui. Obſeruandum autem, nõ rectè colligi, Prætor dicit ſe actionem daturum tali caſu, ergo eſt actio Prætoria: niſi nominatim aliquid addatur, quod denotet actionem ex eius iuriſdictione introductam eſſe. Nam omnibus iudiciis præerat, omnes actiones dabat. Et meritò, quia quaſi viua vox erat iuris Ciuilis, vt Martianus dicit in l. nam & ipſum. de iuſt. & iur. Sic Dare iudicium, ſignificat agendi facultatem præbere. Vlpianus. l. Prætor ait: Quia deiecerint, vel effuderint in eum locum, qua vulgò iter fiet, quantum ex ea re damnum datum erit, in eum, qui ibi habitauit, in duplum iudicium dabo.

Dare DIEM apud Cic. in epiſt. ad Attic. j. 9. Tulliola tibi diem dat, ſponſorem non appellat.

Dare iuſiurandum dicitur etiam, qui vi, vel amens promittit. § ſicut ergo. iuncta gl. in authen. vt iud. ſine quo ſuffrag. Sic Cæſar lib. j. de bel. Gallic. Hac ratione adducti, inter ſe fidem, & iuſiurandum dant.

Dare nomen, eſt curare nomen inſcribendum. Arrianus in l. 3. de re militar. Qui poſt deſertionem, inquit, in aliam militiam nomen dederunt, legive ſe paſſi ſunt. Budæus interpretatur, ad delectum ſeſe exhibere.

Dare VINDICIAS Secundum ſeruitutem, Ab libertate in ſeruitutem, Contra libertatem, genera loquendi à veteribus vſurpata, quoties volebant ſignificare eum de quo agebatur tantiſper ſeruum eſſe. Liuius lib. 3. Iudicem te ab libertate in ſeruitutem vindicias non dediſſe. Item, Vindiciáſne ab libertate in ſeruitutem dederit. Atque huius contrarium locutio eſt, Dare vindicias ſecundum libertatem, vel à ſeruitute in libertatẽ.

DATVS iudex, id eſt, delegatus. Nam in iure ciuili, vt Zaſius ait, in l. duo iudices. D. de re iud. rarò inuenies verbum Delegati, pro Iudice, ſed frequenter verbum Dati, vt Iudex datus, in l. iudex. de iud. in l. à iudice. & l. apertiſſimi. C. eo. in l. 2. ibi, cui iuriſdictio data eſt. in l. & quia. in princ. de iuriſd. omn. iud. Propriè iudex datus dicitur, cui reſpectu vnius cauſſæ, vel articuli tantùm mandata cognitio eſt, & præter ea nihil habet. A recentioribus Cæſaribus Pedaneus adpellatur.

DATVM, ſubſtantiuum, in tit. de condict. cauſ. dati, qui vulgò citatur ſic: De condictione ob cauſſam, confuſa loquendi phraſi ac proprietate, nec abſque ſtudioſorum detrimento. Præterea legendum de Condictione cauſſa dati, cauſſa non ſecuta: non autem, Cauſſa data, nullo cohærente ſenſu. Sic Celſus in l. vltima, eod. tit. obligationem dati vocat.

DATIVI tutores dicebantur, auctore Vlpiano Inſtit. tit. 11. qui teſtamento dati erant. Datiuos tamen, & teſtamentarios tutores ſeparat Modeſtinus. l. 7. D. rem pupill. ſal. for. Quemadmodum teſtamentariam tutelam à legitima, & datiua ſeparat Iuſtinianus. l. 40. C. de Epiſc. & cler. Datiuóſque idem Imperator propriè vocat, qui à iudicibus dantur in l. ſi. C. de leg. tut.

DATVIRI pro datum iri dixit vetuſtè Iuriſconſultus. l. ſtipulatio iſta habere licere. §. ſi quis inſulam. D. de verb. oblig. qua de re vide Anto. Auguſtinum libr. 2. Emend. c. 2.

DASVMAIANO Senatuſconſulto ſubuenitur his, qui iuſta ex cauſſa abeſſent: quo cautum eſt, vt nec libertas impediatur, nec libertas eripiatur his, qui fraude careant. l. neque infantes. D. de fideicommiſſ. libert. Vide & l. non tantùm de his. D. eod. tit. & vide infrà Senatuſconſultum.

DE

DE, præpoſitio auget in depoſito, l. j. D. depoſ. Ant. Aug. lib. Emend. 3. c. 7. Quandoque ſignificat è, vel, ex. l. lecta. D. ſi cert. pet. Interdum, pro, vel propter.

DEALBATORES, item Deauratores. l. vnic. de excuſ. artific. lib. 10. C. ab Impp. inter artifices recenſentur, qui munerum immunitate donati ſunt.

DEBERE, verbum, ad omnes omnino actiones referendum eſt. l. pecuniæ. §. hoc verbum. de verb. ſig. Atque dicitur deberi quod vel natura, vel ciuili, vel honorario iure poteſt. l. j. l. 3. D. de conſtit. pec. Debere defunctus non dicitur, ſed debuiſſe. Interpretes citãt textum ſingularem & vnicum, quo id colligunt, l. qui Romæ. §. Augerius. D. de verb. oblig. Deberi autem propriè id tantum intelligitur, quod peti, & ab inuito exigi poteſt. l. 108. D. de verb. ſignific. Martialis libr. 2. ἐπιγραμμάτων.

Debet enim ſi quis ſoluere iure poteſt.

M. tamẽ Cicero in Paradoxis: Quoniam (inquit) nihil quiſquã debet, niſi quod eſt turpe non reddere. Seruus nec debere, nec illi deberi intelligitur. l. 41. D. de pecu.

DEBITA portio, quæ liberis ex paterna ſubſtantia debetur. l. 8. §. vnde. D. de inoffi. teſt. quæ & debitum ſubſidium adpellatur. l. 2. & l. 5. C. de inoffic. donat. Græcis τὸ χρέος.

Debiti adpellatio plerumque ſolam naturalem obligationem continet. l. 40. §. dominus. D. de cond. & demonſtr.

Debiti facere gratiam, pro remittere.

Debiti inſtar habet id, quod officio iudicis adſequi poſſum ab inuito aduerſario, imò & ipſum officium à iudice debetur poſtulanti ſecundum ius: & ſi negauerit, tenetur iniuriarum. l. j. §. permittitur autem. in fi. de aq. quot. & æſt. D.

Debitum. Perſonæ vel res alicuius, non poſſunt detineri propter delictum alterius. Id autem Iuſtinianus adpellat ἐνεχυριασμὸν, vetus interpres vertit pignorationes: vulgus Repræſalia. Nouel. Ne perſonæ vel rei vel auri. Conſtit. 52. & Nou. de vicariis. ſeu locum tenentibus. §. cùm verò contigerit. Conſtit. 134. mutuum dãs agricolæ, terram eius tenere non poteſt ex quacũque conuentione. Nouel. Ne quis mutuo dãs agrico. Cõſt. 32. 33. 34. quæ conſtitutiones ad diuerſos præſides ſunt promulgatæ.

DEBITORES propriè adpellamus, à quibus inuitis pecunia peti poteſt. l. 108. D. de verb. ſignifi. l. 18. §. fideiuſſor. D. de fideiuſſ. Alias propriè is dicitur cui nulla cõpetit exceptio: ſtrictè autem, à quo inuito exigere poſſimus, hoc eſt extorquere, vt ibidẽ annotauit Accurſ. Optinuit tamen, vt etiam natura deberi dicamus, licet eius petitio nulla ſit. l. j. §. fi. D. de conſtit. pecu. adeò vt qui natura tantùm obligatus ſoluerit, debitum ſoluiſſe dicatur. l. 19. §. pen. D. de ſolut. Debitor tam ex contractu, quàm ex delicto dicitur. l. 14. & leg. ſeq. D. de priuil. credit.

Debitor in primis, antè quàm conueniatur in iudicio, adeundus eſt, & ciuiliter interpellandus ſemel atque iterum, (ſi fieri poteſt) per creditorem ipſum, deinde per alios bonos viros, vt debitum præſtare velit ſine

moleſtia.Admonendus eſt, quanto diſpendio non ſolum corporis,& pecuniarum, verumetiam animæ ſuſcepturus ſit iudicium contra conſcientiam, ſi recuſauerit dare aut facere id,quod ex bono, & æquo debet. Et quamuis hæc admonitio quibuſdam videatur vrbanitas,(vt vocant)ſi tamen rectè perpendatur,certũ erit,quòd ex iure diuino, & humano omnibus modis obſeruanda ſit.Et propterea quibuſdam in locis optima ratione non audiri in iudicio creditorem, niſi ſic admonuerit debitorẽ. Iuxta illud Euangelicũ Matth. 18.ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ἀδελφός σου, ὕπαγε, καὶ ἔλεγξον μεταξὺ σου καὶ αὐτοῦ μόνου,&c.Item: Qua de re (inquit Proculus) volo vt cùm Hybero loquaris, ne rem illicitã faciat.l.quidam Hyberus.D.de ſeruitut.vrba.prædio.

Debitores ex obligatione ciuili, ſi non habeant in ære, nullo iure puniri poſſunt in corpus,ſed perpetui carceris pœna,vt tractãt Iaſ.in §.pœnales.Inſt.de action. Innocentius & alij in c.Odoardus.de ſolut.Verum eſt, quòd antequàm conſtet,vtrum bona habeant,an non habeant,poſſunt duci in ius,& cuſtodiri. Conſuetudine tamen multis in locis carcere ſeruantur debitores, donec ſoluant.Reſpiciunt haud dubiè, qui hoc obſeruant,ad frequentiam huiuſmodi impoſturæ, quam in contrahendo debito admittunt plurimi hoc ſeculo leuioris farinæ homines.Vide quid in eam rẽ ſcripſerim lib.2.veter.Iuriſpru.ad leges Solonias.l.j.At Debitoribus indigentibus olim argentariæ menſæ præpoſiti mutuo dabant pecuniam ſub vſuris ſine ſcripto. Nouel.de argentariorum contractibus.§. quia verò legem tulimus.Conſtit.136. Erant tempore Iuſtiniani mercenarij,quos Vindices adpellabant, qui haud dubiè accepta mercede conquirebant miſeris debitoribus pecuniam,vt adparet Nouel.de decurionibus.§.j. conſtit.38.

Debitor hæreditarius, qui ante aditam hæreditatẽ dedit damnum, vel aliquam rem de hæreditate ſubripuit, auctoribus Paulo & Gaio.D.de pet.hæred.

Debitor putatiuus,qui putat ſe debitorem,vero debitori opponitur.Vide.l.qui ſe debere.de cond. cauſ.dat. cuius intellectum nec interpretes,nec Bart.ſatis aſſecuti ſunt,vt ex Zaſianis intellect.euidenter patet.

Debitores rerum publicarum accipere debemus, qui ex adminiſtratione reipublicæ relinquuntur. l. reſcripto. D.de muner,& honor.

DEBILES perſonæ,qui propter infirmitatem, vel perpetuo aliquo morbo rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt. Inter eas fœminæ & pupilli connumerantur, in l.nequicquam.§.obſeruare.D. de offic. proconſulis.alibi Imperator miſerabiles nuncupat.C.quando nupt.inter pup.lib.3.

DECANI in l.j.& 2.C.de decanis.lib.12.ex miniſterianis ſunt.Atque iidem ſunt qui & lecticarij,& copiatæ,ſiue veſpelliones dicuntur.Ab Epiphanio definiuntur, circa finem lib.3.ſiue tomi 7.contra hæreſes, οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κοιμωμένων.Sic etiam Decanos Conſtantinopoli humandorum cadauerum curam geſſiſſe liquet ex Nouel.59.ſic intelligendi accipiendi ſunt in l. 4.& l.9.C.de ſac.ſanct.eccleſ.

DECANVS in c.j.& 2.60.diſt. dignitas eſt eccleſiaſtica, quo ſignificantur Archipresbyteri.c.in c.50.diſt.Ang. Clauaſius in Summa,pro Archidiaconis poni ait.

DECANICA, in Nouella.79.loca ſunt publica, quæ tamen non ſunt carceres, licet in ea quandoque rei coniiciãtur cuſtodiæ cauſſa,cum & haberi in eis conuentus ſoleant,& recondi res pretioſæ. Dicuntur etiã Diaconica,vt l.3.C.de hæret.

DECEDERE, eſt propriè à mandata functione diſcedere,vt conſules ex prouincia decedere ſolebant.l. pen. C.de priuileg.eo.qui in ſac.pala.milit. Decedere iure ſuo,eſt nõ ſummo iure agere,aliquid ſui condonare comiter.Vulgò dicunt Præterire ius. Decedere officio,non eſt ab officio recedere,ſed eſt,contrà quàm decet,atque officioſum eſt,aliquid agere. Decedere, pro mori,tanquam de gubernatione corporis cedere. Eo enim modo per ſe dicimus, Deceſſit, quo Defunctus eſt, vt ſubintelligatur vita.Decedere poſſeſſione, Decedere iure ſuo,Vlpianus in l.his conſequenter.§. ſed & cùm vnus.D.famil.erciſcund.

DECESSIO, id eſt diminutio,& detractio.l.28.D.ſi quis omiſſ.cauſſ.teſt.& apud M.Cic.lib.3.Offic. Eorum neque acceſſione vitam meliorem fieri,neque deceſſione peiorem.

DECESSOR ab Vlpiano dicitur, qui magiſtratu in Prouincia functus de ea accedente ſucceſſore decedit.l.4. §.3.D.de offic.Proconſ.Recte autem & ordine faciet, ſi edictum deceſſori ſuo miſerit,ſignificétque qua die fines ſit ingreſſurus.Idem in l.præſes prouinciæ. D. de min.Spartian.in Peſcẽnino:Nam,ait,& deceſſor tuus.

DECEM, aut quindecim hæres dato,ſecundum Pompo. pro eo eſt,ac ſi decem ſola legata ſint, in l.ſi ita relictũ. §.ſi.D.de legat.2.

Decem & octo annos plenæ pubertati Modeſtinus adſeruit,in l.arrogato.de adopt.

DECEMPEDA, regula eſt ſeu pertica decem pedum, qua fabricæ menſura colligitur,Bud.in priorib.

DECEMPRIMI, qui & Δεκάπρωτοι dicuntur, erant Decemuiri ex Decurionum ordine conſtituti, qui pecuniam exigebant,quam ipſi fiſco demum numerabant. Quòd ſi morte alicuius reipub.fuiſſet illatum damnũ, Decaproti de ſuo ipſi reſarciebant. Cic. pro Sexto Roſcio: Itaque decurionum ſtatim decretum fit,vt decemprimi proficiſcantur ad L.Syllam. Neque verò eorum adminiſtratio in Reip.gubernatione, ciuitatéque regenda ac defendenda verſabatur,ſed potius in ſumptibus Reip.cauſſa faciendis.Horũ etiam fit mentio in l.2.D.de domeſt.lib. 12. Eadem autem forma dicitur Decemprimus,qua & vigintiprimus, & vigintiprimatus,Græcis εἰκοσάπρωτος,& εἰκοσαπρωτεία. fortaſſe, inquit Budæus,qui à nobis XII. Pares Franciæ nunc dicuntur,Duodecimprimi ab initio vocati ſunt.

DECEMPRIMATVS, id eſt, Decẽprimorum munus, Græcis δεκαπρωτεία.l.ſi.de muner.Patrimonij ſunt munera rei vehicularis, item nauicularis, decẽprimatus.

DECEMVIRI Reip.adminiſtrandæ, vt ait, Liuius lib.j. primùm creati ſunt,mortuo Romulo.Patres enim cẽtum à Romulo creati,decem decuriis factis, ſingulíſque in ſingulas decurias creatis, qui ſummæ rerum præeſſent,conſociarunt. Decem imperitabant, vnus cum inſignibus imperij & lictoribus erat, quinque dierum ſpacio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat. At Dionyſ.lib. 2.ducentos patres fuiſſe ſcribit,& imperium decuriis factis vni eodem modo commiſiſſe. Decemuiri Reip.adminiſtrandæ ſecundò creati ſunt anno.302.Hac de cauſſa inquilini, plebs de nimio Conſulum imperio querebatur, qui ius non è certis legibus,ſed arbitrio ſuo diceret. Petitis igitur è Græcia legibus, ſenatuſconſulto & plebiſcito confirmatum eſt, vt omnibus obrogatis magiſtratibus, Decemuiri cum ſummo imperio crearentur, qui decimo die ius populo ſinguli redderent:& eo die penes præfectum iuris faſces. 12. eſſent: collegis nouem ſinguli accenſi apparerent.Hæc Dionyſ.lib. 10. & Liuius lib.3.Hi verò,cum iniurioſe poſtea vnũquemque tractarent,neque alios deinceps vellent ſufficere magiſtratus,vt ipſi & factio ſua occupatam Remp. perpetuò tenerent,ſenatuſconſulto iuſſi ſunt magiſtratu ſe abdicare,& denuo creati ſunt Cõſules.Liuius eod.lib. & Pompo.in l.2.§.13.D.de orig.iur.At Decẽuiri litibus iudicãdis,ij erãt qui lites cauſaſque priuatas iudicabãt, in quibus de iure cõtrouerſia erat. Lucanus ad Piſonẽ:

Seu

Seu trepidos ad iura decem citat haſta uirorum,
Et firmare iubet centeno iudice cauſſas.

Pomponius.l.2.§.16.D.eod.Deinde cum eſſet neceſſarius magiſtratus qui haſtæ præeſſet, Decemuiri litibus(vetuſte pro litibus, vt ex Sexto Pompeio, & V. Probo liquet) iudicãdis ſunt conſtituti. Sueton.in Auguſto: Auctor fuit, vt Centumuiralem haſtam, quam Quæſtura functi conſueuerant cogere, Decemuiri cogerent. Dio lib.54.ſcribit Decemuiros iis iudiciis quæ ad Centumuiros ſorte deferebantur, præfuiſſe: quin & eos ex xxvj.viris fuiſſe, ex quibus erant & Triumuiri capitales, & Triumuiri monetales, & Quatuoruiri viarum vrbis, de quibus etiam meminit Pompon.d.§. & Duumuiri qui viarum curam extra vrbem habebãt, & Quatuoruiri, qui in Campaniam mittebantur. Erãt & Decemuiri Sibyllini, qui ſacra multa Romæ faciebant, vt Diti patri, & Proſerpinæ in campo Martio ludis Terentinis. Sic etiam Cereri Græco ritu Decemuiri Sibyllini fuere, poſtea duodecim, poſtremò quindecim, Horatius:

Quindecim Diana preces uirorum Curet.

Harpocration in libro quo explicat voces Atticorum oratorum, Lacedæmonios tradit ſolitos fuiſſe *δεκαδαρχίαν*, id eſt decemuiros, in oppidis ac nationibus à ſe ſubactis creare.

DECERNERE, generale verbum ſignificat ſtatuere. Decernere actionem, id eſt dare, Prætor dicitur.l.2.§. interdum.D.de vulg.& pup. Decernere quæſtionem, pro eo, quod nunc dicimus, ordinare, vt fiat informatio, & vt contra delinquentes procedatur. Decernere etiam eſt cognitionaliter ſtatuere.l.j.D. de cõſtit.pec. l.pen.D.de offic.Præto.l.j.D.quod quiſque iur. Hinc

DECRETVM, apud Iuriſcoſſ. propriè eſt deliberatio iudicis cum cauſſæ cognitione, ad mixtum imperium pertinens.l.nequicquam.§.vbi.de offic. Proconſul. Et eſt id, quod placitũ aliàs Latinè dicitur: Græcè *δόγμα, καὶ ψήφισμα, καὶ ἀρεστὸν* dicitur, auctore Budæo. At propriè & ſpecialius dicitur, cum iudices auctoritatem ſuam interponunt, & maximè in iuriſdictione voluntaria: vt in alienatione bonorum minoris, in tranſactione alimentorum, & in bonorum poſſeſſione. Decretum etiam ſignificat ſtatutum alicuius vrbis. l. j.D. de decret.ab ord.faciend. Decreta quoque ſunt ſentẽtiæ pontificum.

Decreta ſenatus, à conſultis ſic diſtinguuntur ſecundum aliquos, quòd decretum dicant, particulam quandam eſſe ſenatuſconſulti: vt cùm prouincia alicui decernitur: tanquàm decreta ſint ſpecialia, conſulta generalia quod & obſeruauit Feſtus lib.17. Nonnunquam tamen decreta pro ſenatuſconſultis ſumuntur, vt l.17.D.ad municip.& apud Cornel.Tacit.ſæpiſſimè. At à ſententia diffinitiua decretum differt, quia hæc cõtinet condemnationem vel abſolutionem.l.j. D. de re iudic.l. præſes.C.de ſent.& interl.11.Sentẽtia non poteſt ferri ſine litis conteſt. to. tit. vt lit.non conteſt.in decreto ſecus, gl.in verb. per contumaciam. l. ſancimus. C. ad Senatuſ.Treb.111.Sententia non poteſt ferri in abſentem.l.de vno.D.de re iud.in decreto ſecus.l. recuſare.in princ.D.ad Trebell.

Decretum, ſiue edictum primum, in contumacem ſolet expediri, vt is tædio ductus, ſui copiam in iudicio tandem faciat, ius ipſius contumacis non perimens.l.3.in fi.de acq.poſſ.

Decretum ſecundũ, conſtituit eum bonorum poſſeſſorẽ, qui ex primo decreto detinebat, incolumi hactenus contumacis iure. Vide c.j.extra de eo qui mitt.in poſſeſſ.Bart.tractat materiam primi & ſecundi Decreti in l.ſi finita.§.Iulia.D.de dam.infect.& vide Specul.de prim.& ſecundo decret. Nec verò ideo decretum magiſtratus habet auctoritatem, quòd magiſtratus dixerit, ſed quòd ſecundum ius, & rationem decreuerit.l. pen.D.de iuſt.& iur. Decretum prætoris exaudiri non poſſe, apud Vlpianum in l.j.D.de poſtulat.

Decretum pro tribunali, non de plano interponi poteſt. l.7.D.de confir.tut. Decretum Principale.l.2.D.de offic.Aſſeſſ. Exemplum.l.13.D.quod met.cauſ. Decretũ patrũ pro Senatuſconſulto.l.17.D.ad municip.& apud C.Tacitum ſæpiſſimè: quamuis Senatus decretum à Senatuſconſulto ſeiungat Feſtus lib.17. Decretum ordinis.l.30.D.de neg.geſt. Decreta ambitioſa.l.3.D.de offic.Proconſ.

DECRETALIS bonorum poſſeſſio, quæ facti eſt, & extraordinaria vulgò vocatur: ideò dicta eſt, quòd potiſſimùm à decreto pẽdeat, ſuámque ſubſtantiã accipiat.

DECIDERE, eſt cum creditore ſuper debito tranſigere. Scæuola de adminiſt. & peric. tutor.l. cùm hæreditas. Cum pleriſque, inquit creditoribus ita decidit. & infrà. Cum pleriſque creditoribus ita deciderunt. Itaque Decidere, paciſci & tranſigere ſignificat: ſic.l. 44. D.de pact.l.46.D.de rei vend. Ita res tranſactione decidſa dicitur.l.29.§.quamuis.D.de inoff.teſt. Decidere damnum pro fure, eſt de furto paciſci.l.9.§.nunc videndum.D.de mino. Decidere damnum.l.61.§.j. D. de furt.id eſt emendare, vt ait gloſſa: malum tamen damnum decidere cum parte, ſumi pro decidendo & componendo litis æſtimationem præſtare. Decidere iureiurando.l.22.in fi.D.de noxal. Decidere verberibus.l.2.in fi.de term.mot.

DECISIO, tranſactio dicitur. In eo ſignificatu ſumitur à Paulo ad Leg.Falcidiã.l.ſi hæres. Si hæres, inquit, cum creditoribus deciderit, ne ſolidum ſolueret: & ob eam deciſionẽ factum ſit vt aliquid retineat. Pro lege quoque Imperatoris accipitur.l. veteris. C. de contrah.& commit.ſtip.& de emen.Iuſtin.C.in princ. ſuper verbo, Deciſiones.& §.vnde quæſitum.Inſti.de nupt. Verùm ea Imperatoris lex intelligitur, qua Partium altercationes diremptæ ſunt. Pragmatica verò ſanctio licet vulgò dicatur, quam Princeps extra corpus iuris ciuilis promulgarit, verius tamen priuilegium vocatur, non quòd priuatis hominibus, ſed quod vel corpori alicuius vniuerſitatis, vel ei qui officio bene functus eſt, confertur: hoc eſt, quæ ob cauſſam publicam, aut communem negotiorum functionem, in ſpeciale quoddam priuilegium impertitur.

DECIES, præciſa locutione, pro Decies centena millia, Papin.l.77.§.2.D.de cond.& demonſt. Cum vxori mãdatum eſſet, vt moriens filiæ communi decies reſtitueret. Plutarchus in Antonio: *Τῶν φίλων τινὶ μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι· τοῦτο Ῥωμαῖοι δεκίες καλοῦσι.* Atque hoc iam inde ab vltima antiquitate. Credo quod tum ea pecunia videbatur ingens, cũ minor erat nummi copia. Hinc Iuuenalis, *-ritu decies centena dabuntur Antiquo*, pro immenſa dote.

DECIMA, ſeu Decuma, eſt omnium bonorum mobiliũ licitè quæſitorum pars decima, Deo data, diuina conſtitutione debita.c.j.c.parochianos.c.non eſt. de Decimis. Atque hoc olim à Moſe in Iſraelitica Rep.fuit inſtitutum. Earum autem tres ſunt ſpecies, ſecundum Hoſtienſem in Summ. ſcilicet quædam perſonales, quæ debentur ex opere perſonali, vt ex artificio, ſciẽtia, militia, negotiatione, &c. quædam prædiales, quæ proueniunt ex prædiis, vt vinum, bladum, fructus arborum, &c. Cales enim dandæ ſunt illi Eccleſiæ, in cuius Parochia ſita ſunt prædia. De deci.ad Apoſtolicæ. Etiam decimas prædiales tenentur ſoluere Iudæi, c.de terris.eod.tit. Item debent ſolui de diuerſis ſeminibus vnius agri, non tantùm de vno, ſi fuerint ſucceſſiuè ſeminata.c.Ex parte Canonicorum. eod.tit. Etiam Ciſtertienſes & alij, qui nullo gaudent priuilegio, dare tenẽtur decimas de terris de nouo acquiſitis, licet eas

propriis manibus excolant.c.nuper.eod.tit. Quædam ſunt decimæ mixtæ,ſecundum Hoſtien.ibidem.Et poſ ſunt dici hæ,de quibus dubitatur, vtrũ ſint prædiales, vel perſonales,vt de agnis & fœtibus aliorum animalium quæ ſunt in paſcuis, & gregatim paſcuntur. At Vlpianus in his verbis, Si decimã quis bonorum vouit.l.2.D.de pollicitationibus. etſi aliter exponant interpretes,tamen ad decimam bonorum partem quæ olim votiuo epulo in Herculis honorem impendebatur,videtur reſpexiſſe.Hinc Plutarchus, ἀποθύων δὲ τῆς οὐσίας ἁπάσης τὴν δεκάτην τῷ ἡρακλεῖ, ἑστιάσεις ἐποιεῖτο τῷ δήμῳ πολυτελεῖς. Plinius dixit Pollucere patrimonium Herculi,pro decimare. Apud Tranquillũ in hoc loco: Scenicis ludis, inter plebem & equitem cauſſam diſcordiarum ferens,decimas maturius dabat, vt equeſtria ab infimo quoque occuparentur. Decimas credit eſſe Turnebus miſſilia & teſſeras quas ſpargebat ludis ſcenicis:atque ita velut quãdam decimam pop. Rom. dabat,vt olim Herculi,& aliis diis. At Decumæ imperatorum,ſunt decimæ imperatæ pecuniæ.

Decipere, generale verbũ eſt.Nam decipit,qui imponit,qui fallit,qui defraudat,qui verba dat,qui in errorem inducit.Vide.§.j.l.j.D.de dolo.

Declarare, ad facta frequẽtiùs,quàm ad dicta pertinere,Valla demonſtrat lib.j.noſtri docent, eum,qui vel addit,vel deminuit quippiam, non declarare, ſed potiùs noui quid facere.

Declinare ſententiã, eſt paulatim illã infirmare:& ideò niſi ſententia declinetur,rebus iudicatis ſtabitur.

Decollatio,deceptio apud Paul.libr.5.Sentent.tit. 17.Nam decollo Diomedi lib. j. ſignificat decipio. At aliter inuenitur apud L.Feneſtel.lib.2.Epitom.Inuenitur & apud Senecam lib.4.controuerſiarum.

Decolorari,pro infamia notari, per trãſlationem, in l.eum qui probabilem.C.de Epiſcopis, & Clericis.

Decoquere, eſt vorato patrimonio, creditoribus fidem fallere,aut certè fidem ſuam per inopiam non liberare.Vide Budæum in Annotation.ad l.ſi hominẽ.§. quoties.D.depoſiti. & Alciat.in l. ſi aliquid. C. de ſuſcep.præpoſ.& Arcar.lib.10. Hinc

Decoctores, χρεωκόποι, qui debitam pecuniam non ſoluunt,& auferũt.l.4.C.de decur.lib. 10.Græci ſic definiunt,ὁ χρεωστῶν τινὶ, καὶ διάτινος μηχανῆς παρασκευάσας ἐκκοπῆναι τὸ χρέος, καὶ μὴ καταβληθῆναι τῷ δανειστῇ.

Decretvm,vide Decernere.

Decvmani,vide Mancipes.

Decvmanvs limes,qui fit ab ortu Solis ad occaſum, Feſto lib.4.Aggenus Vrbic.libr.de limitibus agro.& Hygen.

D. C. S. De conſilij ſententia, his notis ſignificari Valerius Probus ait.Huius formulæ meminit M.Cicero.7. in Verrem.

Decvriones dicti ſunt,quòd initio cum coloniæ deducerentur,decima pars eorum qui ducerentur conſilij publici gratia conſcribi ſolita eſſet.l.239. §.5. D. de verb.ſign.l.7.§.ſolet.D.de interd.& releg. Decuriones autem,Senatores erant coloniarum & municipiorũ. Iuriſconſulti enim duos hoſce ordines in municipiis quaſi contrarios numerant, Plebeios & Decuriones. Ex decurionum autem ordine,item vt ex Senatorum Romæ,magiſtratus creabantur,Paul.l.7.§. 2. D. de decur.& Vlp.l.2.§.j.D.eod. Decuriones quoque dicti ſunt in caſtris,qui decem equitib. præeſſent, Feſto lib. 4.Nam Varro teſtatur,turmis equitum,id eſt, duobus, & triginta equitibus præfuiſſe ternos decuriones, quorum quilibet decem agnoſceret. Decuriones generaliter adpellari cœperunt Principes, ſeu capita cuiuſlibet ordinis.Et ordo ipſe, Decuria vocabatur: vt Decuria iudicum,Decuria ſcribarum, Decuria cubiculariorum.Varro lib.4.Ling. Lat. Primi ſingularum decuriarum Decuriones dicti.Inde Decurionatus.

Decvriales vrbis Romæ,tit.C.lib.11.

Decvrsorivm eſt,quod vulgo Torneamentum dicitur.

D.E.R.I.C. Notæ Senatuſconſultorum, quibus ſignificabant veteres,De ea re ita cẽſuerunt, ſcilicet patres, Gell.lib.4.c.6.l.20.§.præter.6. D. de pet.hær.l.2.D. ad S C.Velleian.& vide Gellium lib.15.c.2.

Dedititii, dicti ſunt quidam populi,qui cùm in Romanorum fidem conceſſiſſent, rebellibus animis ab eis deſciuerunt,quos deinde rurſus ſuperatos, adeò humanè Romani tractarunt, vt & vitam illis ſeruarent,& imaginariam quandam libertatem relinquerent:ſed tamen infamiæ labe aſperſam:lege lata,vt ad veram libertatem, Romanæque ciuitatis iura peruenire nunquam poſſent. Dicebantur & dedititij ij, qui ſe permittebant alienæ voluntati:quod non niſi in extrema fit inopia conſilij & præſidij. Eorum autem alij libertini,alij peregrini dicũtur.Vide Liuium lib.7 Dedititij ſerui ſunt,qui ex obſidione ſe dediderunt in poteſtatem victoris:de his in Inſt.tit.de libert. Dedititij ſunt etiam qui poſt admiſſa crimina ſuppliciis ſubditi,& publicè pro criminibus cæſi ſunt: aut in quorũ facie,vel corpore quæcũque indicia,aut igne, aut ferro impreſſa ſunt,ita vt deleri non poſſint:hi ſi manumiſſi ſunt,Dedititij adpellantur Gaio lib.j.Inſtit.tit.j.

Dedvcere, aliàs pro demere aliquid de ſumma pecuniarum,vel rerum. l. pater. D. de iur.dot. Inde dicimus,expenſas,vel æs alienum deduci.l.ſi à domino.§. fi.& ſeq.D.de pet.hæred.l.fundus qui.D.famil. erciſc.l. veniſſe.D.de verb.ſignific. Deducere aliàs, pro redigere.l.j.D. arbo.furt.cæſar. Deducere item, pro perducere:vt,controuerſiam ad exitum deducere.l.fi. D.de procurator.Deducere ad agnatos.

Dedvctio,ſignificat nonnunquam abſolutè diſpendium,imminutionem rerum. Titius magnam patitur fortunarum deductionem. Deductia aliàs imminutio eſt,etiam iuſta cauſa,fortè.

Dedvcto ære alieno,non hoc ipſum ſolùm, hoc eſt, pecunia,ſed quæuis onera veniunt accipienda. Vide Alciatum in l.veniſſe.de verb.ſignific.

Deductarum expenſarum nomine cõprehenduntur fructus.l.ſi à domino.§.fi.& l.ſeq.D.de pet.hæred.Hæ nullo caſu intercipiuntur.l.fundus qui.famil.erciſcun.

Deesse ſignificat ad iudiciũ non adeſſe.l.55.D.de euict. & apud Suetonium in Caligula.Inde Deeſſe per contumaciam.l.13.§.vnde tractari. D. de mino.Et Deeſſe cognitioni.l.27.§.j.D de lib.cauſ.

Defendere, eſt id facere,quod dominus in litem faceret, & cauere idoneè. Nec debet durior conditio procuratoris fieri,quàm eſt domini: præter quàm in ſatiſdando.Vlp.in l.ſed & eæ.D.de procurato. Defendere rectè,id eſt boni viri arbitratu.l.6.D. iudicat. ſolui. Defendere videtur,qui ſatiſdat.l.5.§. nunc videamus.D.iudic.ſolui. Defendere etiam is videtur, qui iudicium accipit.l.53.D.de procurat. Vt & defendi videtur,qui propter abſentiam in nullo aduerſarij ſui cauſſam deteriorem facit.l.2.in prin.& §.pen. D.quib. ex cauſ.in poſſ. Defenditur rectè,qui ſui præſentiam facit,& ad ſuſcipiendum iudicium paratus eſt. Defendere Alberico aliquando ponitur pro obtinere.l.ſi non ſortem.§.hæredi.D.de cond.indeb. Defendere etiam ponitur pro vindicare.l.ſi oleum.D. de dolo malo. Defendere,id eſt petere.c.quo iure. 8. diſtin. Defendere inculpatè,quid ſit,pulchrè colligit ex verbis Bart.in l.vt vim.D.de iuſtit.& iur.Salomonius.Adde quæ idem Bart.docet in l.furẽ nocturnum. de ſicar.

Defensio eſt inſtantis,imminẽtiſve offenſionis propulſatio.Vbi hæc ceſſat,nõ eſt quod propulſari queat. ab offenſione enim omnis defenſionis pendet ratio.

Vide M.Salomonium in l. vt vim.de iuſtitia & iure. Quo verò iure defenſio nitatur,Bart.explicat in eadē. l.& quàm variè accipienda ſit,refert ipſe in l.de pupillo.§.j.& fi.D.de oper.no.nunc. Sicque Defendere ſumitur apud Cæſarem: Et quod bellum non intulerit, ſed defenderit:id eſt repulerit.

Defenſio in libris feudiſticis duplex obſeruatur, Iuratoria & armata. Iuratoria eſt, cum deficiente vtrinque probatione, iuſiurandum cum XII. ſacramentalibus defertur,lib.feud.2.tit.58.§.6.Fauorabilior autem is eſt cui defertur,lib.feud.2.tit.58.§.4.Rurſus hæc iuratoria duplex eſt,vna quæ reo principali conceditur,vt iuret ſe feciſſe, vel nō feciſſe:altera quæ ſucceſſori permittitur,vt iuret ſe neque ſcire,neque credere factum à deceſſore fuiſſe.d.tit.58.§.6.Armata defenſio eſt, quæ per duellum,& ſingulare certamen inſtituitur,vt lib.3. tit.2.§.j.Siquis ſuorum parium per pugnam eum fatigare voluerit,vt per pugnam ſe defendat edicimus,& lib.2.tit.39.§.3.

Defenſio,pro excuſatione apud Iuriſconſultos,in l.ſed & ſi reip.de vſur.hæc & in capitalibus iudiciis danda eſt, l.ſeruum quoque.§.publicè.D.de procuratorib.Itē pro exceptione vſurpatur.l.j.C.de iur.& fac.igno.l. ſi quidem.de exceptionibus.C. Defenſio quot modis ſumatur,vide Bart.in l.liberto.in fin. D. de negot. geſt. Quando aliquid dicatur fieri ad defenſionem, vide eundem in l.j.C.vnde vi.

Defenſio ILLICITA dicitur,cum offenſio licita cenſetur,Bald.pro quo text.ſingularis eſt in l.ſi ſeruus. C. de iis qui ad Eccl.confug.l.ſi pignus.§.ſi furem.de furt.

Defenſio PLENA accipietur,vt ait Vlpianus in fin.l.item ait prætor.D.quib.ex cauſſ.in poſſ.ſi & iudicium non detrectetur,& iudicatum ſolui ſatiſdetur.

DEFENSOR dicitur,qui abſque mandato, cum ſola ſatiſdatione pro reo in iudicio poſtulat, eúmque defendit,atque tuetur vt Procurator qui actorem, in l.minor.cū duabus proximè ſeq.D.de procu. Vnde Defenſores,id eſt,tutores,vel curatores.l.j.qui pet.tut.

Defenſor idoneus nō eſt minor vigintiquinque annis,in quibus cauſſis in integrū reſtitui poteſt.l.minor.D.de procuratorib.Vide Paulum ibidem.l.neque fœmina.

Defenſores CIVITATVM ſiue locorum non ex decurionibus,ſed ex aliis municipibus ſeu ciuibus eligebātur olim tres,qui curarēt,ne tenuiores & infimi à nobilibus læderētur.l.2.& 3.C.de defenſor.ciuitat.Atque hi videntur fuiſſe ſimiles tribunis plebis: ideo defenſores plebis appellantur.l.j.C.de offi.iurid. Ciuitatum vindices appellantur in l.j. C. TH. ſi quacum. prædit. poteſt.Hi autem in Conſtitutionibus etiam magiſtratus vocantur,tot.tit.C.de defenſor.ciuit.l.2.C. de annal.excep.A quibus autem crearentur, & quinam, & quouſque,vide.d.tit. de defenſ. ciuit.itē Nouellam.15. Horum autem munus cum olim fuiſſet quinquennale,hac Nouell.fit biennale. Sunt &

Defenſores rerumpublic.qui & Syndici dicuntur.l.j.§.tutores.D.quand.adpell. ſit.ſunt delecti actores cauſſæ communis.Lamprid.in Alex.Corpora omnium conſtituit vinariorum, lupinariorum, coligariorum, & omniū omnino artiū,híſque ex ſeſe defenſores dedit.

Defenſor eccleſiæ,iudex vel aduocatus. c.ſaluatori.j. q.3.

Defenſores apud Mauricium biliguem,errant qui ex acie non exibant,neque excurrebant,ſed ordines ſemper ſeruabant.

DEFERRE aliquem,eſt eum accuſare. Sed deferre alicui,eſt grates & reuerentiam ei exhibere. D.de accuſ. l.libellorum.Et ſic dicimus:Plus Deo deferendum eſt, quàm homini.De ſententent.excommu.c.relatum. 11.q. 3.quiſquis metu.& c.Iulianus.Differunt tamen Deferre,& Accuſare in hoc,quia deferre fit reo abſente,ſed accuſare fit reo præſente.

Deferre ſe dicitur,qui quod ei tacitè,& in fraudem legis relictum eſt,capere ſe non poſſe profitetur.l.j.l.3.§.fin. l.15.l.16.D.de iure fiſc.

Deferre,pro in cenſum deferre,& deducere.l.4.§.in ſeruis.D.de cenſib.Senec.lib.j.de Benefi.Nec illis fraudi eſt,ſi quid in cenſum detulerint.

Deferre APPELLATIONEM,in iure Pōtificio,idē eſt, quod admittere adpellationem.Vide Archid.extra de adpel.cū adpellat.lib.6.& c.an ſit.de excep.eo.in anti.

Deferre CAVSSAM ad patronum dicitur cliens, cum eum conſuluit,& ei controuerſiæ ordinem,argumentúmque exponit.

Deferri dicitur HÆREDITAS, quam adeundo cōſequi poſſumus.l.151.D.de verb.ſignific.Obuenit autem quæ ipſo iure & quaſi ſua ſponte ad aliquē hæreditas peruenit:nam defertur quæ teſtatoris voluntate in alienos tranſlata eſt:quamuis id diſcrimen confundatur, vt l.130.D.de verb.ſignifi. Eodem modo Deferri bonorum poſſeſſio dicitur,quam agnoſcendo acquirere poſſumus.l.j.§.decretalis.D.de ſucceſ.edi.l.8.D.de collat.bo. Sic Deferri legatum, cum eius agnoſcendi poteſtas eſt,hoc eſt poſtea quam adita eſt hæreditas. Et Deferri actionem dicimus. l. 64. §.dabit. D.ſolut. matrim.

Deferre IVRAMENTVM,eſt aliquem arctare,vel adſtringere ad iurandūm:& quandoque defertur à iure, quandoque à iudice,quandoque à parte, quandoque etiam delatio à parte parti defertur.De omnibus his nota.C.de iureiur.l.j.& tot.tit.Poteſt autem ipſum deferre maior.15.annis:minor etiam ipſum deferre non prohibetur,dum ſaltem conditio ſua peior non fiat. Nam ſi lædatur,reſtituetur.De iureiu.l. nam poſtea.§. ſed ſi minor.Etiam paterfamiliàs defert,filiusfamilias non item.C. de iureiur. l.nec filius. Item liber, non ſeruus.D.eod.tit.l.multò magis:aliàs incipit, Quantò magis.in fine.Item compos mentis,non prodigus,nec conſimiles,vt l.tutor.§.prodigus.D.eo.tit.& hoc in rebus quæ ad eos pertinent.Si autem adminiſtrationem adiit tanquàm procurator,licet ei iuramentum deferre in tribus caſibus,ſcilicet,ſi ſpecialem habeat adminiſtrationem,ſi in rem ſuam ſit datus,& ſi generalem & liberam habeat adminiſtrationem,vt D.de iureiur. l.iuſiurandum.§.ſi tibi.& l.ſequenti. Et Epiſcopus habet hanc adminiſtrationem, quo ad ea quæ alienari poſſunt.Cui autem deferatur,dicendum eſt ſecundum Hoſtien.quòd à parte parti defertur:quod vocatur,ſecundum eundem, iuramentum voluntarium, vel extraiudiciale.Verùm aliud eſt neceſſarium & iudiciale,ſcilicet,quando iudex parti defert.vt C.de iureiur.l. 3.§.bonæ fidei. Vide de hac materia Hoſtien. in tit. de iureiu. ſub. §. de iuramento aſſertorio. quaſi per totum.

Deferre in ærarium,item deferre in principis commentarium,in l.abeſſe.D.de minorib.eſt id quod Gallicè efferimus, *Enregiſtrer*. Atque idem eſt quod referre in ærarium,& commentarios.

Deferre nomen,propriè non eſt accuſare, ſed apud magiſtratum vel iudicem aliquo crimine ante accuſationem denunciare, & alium in capitis diſcrimen rapere.l.10.D.de iur.pat.

Deferendi nominis formula hæc fuit: L. TITIVS PROFESSVS EST SE MÆVIAM LEGE IVLIA DE ADVLTERIIS REAM DEFERRE, QVOD DICAT EAM CVM C. SEIO ADVLTERIVM COMMISISSE.l.3.D.de accuſ.

Deferre reum,idem eſt,quod poſtulare, & vt cognitionē ſuſcipiat petere.l.deferre.de iur. fiſc. quomodo autem id fiebat,docet Alciatus in l.indicaſſe.

DELATA hæreditas,vt explicatur à Terent. Clemente. l.delata.de verb.ſignific.propriè ſic dici videtur, quā-

do eam hæres adire poteſt, ita quòd nihil neque ex parte hæreditatis, neque ex parte hæredis impedit, quò minus eam conſequi poſſit. Aliud autem eſt hæreditas adquiſita. Adquiritur enim hæreditas agnitione. l. ei qui ita. D. de cond. inſtit. non ipſo iure poſt aditam hæreditatem, licet agnitio retro agatur ad diem aditæ hæreditatis. l. ſeruum filij. §. j. l. ſi tibi homo. §. cū ſeruus. D. de legat. lib. j. Deinde legatū delatum repudiari poteſt: adquiſitum non poteſt. l. j. §. decretalis. D. de ſucceſſ. ed. Vide Cuiacium Obſer. lib. 3. c. 11.

Delatores, συκοφάνται ab Herodiano dicuntur. Qui enim ſuo nomine omiſſo, alieno ſubſcripto accuſationem inſtituit, Imperatores eum aiunt delatorum numero eſſe, in l. noſtris. C. de calumniat. id eſt accuſatorum. Aliàs Delatores ſunt quales olim. Quadruplatores fere dicebantur, qui rem ad fiſcum pertinentem ei vltrò præmij cauſſa denūtiant, vt puta, qui crimina publica, bona caduca, ereptitia, vacantia, commiſſa, tacita fideicommiſſa, vaga mancipia, theſauri inuentionem nunciant, de quibus tit. 11. lib. 10. C. Erāt & qui occultè cauſſam pecuniariam fiſco deferebant, nec probabāt, de quibus eſt tit. 13. lib. 5. Paul. ſent. A Syneſio, κοινοὶ ἀλάςωρες τῆ χώρας dicuntur: ab Imperat. maximum humanæ vitæ malum. Ita autem turpe eſt delatoris nomen, vt iniuriarum teneatur, qui alium delatorem appellat. l. 3. C. de iniur.

Delatoria curioſitas, pro maxima diligentia exponitur, Gl. in l. nec ſupina. D. de iur. & fact. igno.

Deferueſcere ſignificat ardorem animi, inuita ratione excitatum amittere, ſéque (vt ait M. Cicero) colligere: γνῶναι, vt dicit Plutarch. in Alexand. παρ' ἑαυτῷ. quod à Liuio deflagrare dicitur. Spes, inquit, interdum ſubibat, deflagrare iras veſtras, purgari ſuſpiciones poſſe.

Deficere dicuntur, qui ab his, quorum ſub imperio ſunt, deſiſtunt, & in hoſtium ſe numerum conferunt, Paulus in l. amiſſione. D. de capit. minut.

Deficere etiam dicuntur, qui animam agunt. l. 8. §. hoſtes. D. de pœnis. l. 32. §. ſi ambo. D. de donat. inter vir. Hinc Defecta ætas. l. 3. §. ignoſcitur. D. de S C. Silla. Et Defecta ſenectus. l. 12. §. de illo. de vſufru. D. id eſt exacta. Hinc Defectæ ſenectutis homo apud Vlp. l. 12. §. 3. D. de vſufr. id eſt ſenio confectus.

Deficiunt debitores, qui labūtur facultatibus, & efficiuntur non ſoluendo. l. 3. §. multa. D. de iur. fiſc. Vnde Defectus facultatibus. l. 33. D. de iur. dot. Sic, Defici cautio dicitur. l. 73. D. de cond. & demonſt. Sic Defecta nomina accipe in l. 11. in fin. D. de vſur. Defeciſſe quoque conditio dicitur, quæ non exiſtit: ita defectam conditionem. l. 38. §. ſi quis ſeruum. D. de hæred. inſtit. Sic & Defici quem conditione dicimus. l. 8. l. 74. D. de cond. & demonſt.

Deficere & hi dicuntur, qui hæreditatem omittunt, vel ante agnitam aditámque eam decedunt. l. 5. D. de vulg. l. 78. D. ad leg. Falc. Ita Deficientium partes interpretare. l. 53. in fi. D. de acq. hære. & l. vnica. §. ſin autem ad deficientis. C. de cad. toll. Deficere ipſa quoque pars dicitur. l. 31. D. de cond. & demonſt. quæ & alias ceſſare, & vacare dicitur.

Definire in iure ciuili, generaliter, & ſummatim quid ſtatuere. l. 4. §. puto. D. de hæred. inſtit. l. 5. §. conceſſa. D. de don. int. virum & vxo.

Definitio, propriè accipitur pro rei finitione, ſcilicet cum res à genere ſuo, vſque ad ſpecialem & propriam differentiam ſic demonſtratur, vt quaſi finibus certis cognoſci poſſit. Sumitur etiam pro generali regula & canone. l. omnis definitio. D. de diuerſ. reg. iur. quam legem, Omnis, explicat eleganter Viglius. Inſtitu. de teſtam. ord. in princ. aitque à diffinitione diſtingui literarum notis. Nam definitionem adpellat generalem determinationem: diffinitionem, quæ rem quid ſit, explicat, genere & differentiis confectam: quod improbat Antonius Auguſt. lib. 3. Emend. c. 9. aitque in Pand. Flor. in vtroque ſignificatu definiri, & definitio ſcribi. Definitionem genere & differentiis comprehenſam explicat M. Fab. Quintil. in lib. Inſtit. orat. Bart. & cæteri. l. j. D. de teſtamen. Itaque Definitio, eſt oratio, qua quid ſit res, explicatur, non ambiguis, vel obſcuris, aut tranſlatis verbis.

Definitio duplex eſt, propria, & impropria. Definitio propria eſt, quæ ex genere & differentia conſtituitur. Impropria, quæ & deſcriptio vocatur, eſt quælibet rei deſignatio, qualis eſt in l. j. D. de legib. Lex, inquit Papinianus, eſt commune præceptum. Cùm etiam priuilegia ſint leges, non tamen communia præcepta.

Deflorare virginē, Archidiaco. c. vnico. de deſpōſ. impub. lib. 6.

Deformati fructus, qui delapſis floribus iam formati exiſtunt.

Deformitas apud Vlp. de ædificiis dicitur quæ aliqua ſui parte deformata ſunt. l. 7. D. de offic. præſ. Et aduerſus detrectantem competenti remedio deformitati auxilium ferat.

Defrutum, muſtum eſt, quod decoctum, & deſpumatum eſt, Palladio, & Plinio lib. 14. c. 9. Vlpian. l. quæſitum. de fund. inſtr. Vas, inquit, æneum, in quo ſapa coqueretur, & defrutum fieret. Item de vin. & trit. leg. l. qui vinum. Mulſum, inquit, paſſum defrutum. Varro apud Nonium: Defrutum appellabant muſtum quod ex duabus partibus ad tertiam redegerant deferueſaciendo. At Sapam, quod de muſto ad mediam partem decoxerant. Victorinus libr. de Orthographia defructum ſcribēdum putat, quod defruendo, & decoquendo tale fiat, quòd defrudetur, id eſt, defraudetur coctura & minuatur.

Defungi, eſt explicari aliquo negotio, & finem ei imponere. Vnde defungi morbis, defungi vita dicimus. l. ex empto. §. idem libr. 2. D. de action. empt. accipitur plerunque defunctus ſubſtantiuè pro mortuo. Opponitur perfungi, hoc eſt, ad extremū obire munus ſuū, & ſtrenuè operam nauare. Liuius lib. 6. Romani conſules perfuncti, quod ad Capuam attinebat, cura, Gaio Neroni ex legionibus quas ad Capuam habuerāt, ſex millia peditum, & trecentos equites decernunt.

Defunctorie, perfunctoriè, & tranſlatitiè, pro eodem accipiuntur, hoc eſt, frigidè, remiſſè, nō ſatis bona fide, nec ex animo ſcilicet, aut coacti, vel quia debemus. l. 2. D. ad S C. Tertul. l. aut qui. D. quod vi aut clam. Tranſlatiuè, pro vulgari & non accurata diligētia. Opponit. Bona fide, Optima fide, hoc eſt, Citra omnem prorſus ſimulationem. l. j. C. qui munc. tut. ſe excuſ. Non defunctoriè, hoc eſt, non quæſito prætextu ad euitandum iuſtæ tutelæ munus. Accurſius ineptè accipit pro tranſitoriè. Vide infra. Dicis cauſſa.

Deglabrare, Paul. in l. cædere. D. arbor. fut. cæſa. Cingere eſt, inquit, deglabrare. Bud. hanc legem corruptam eſſe putat, indicátque ex compendio Græco, quomodo hic locus legendus ſit: mauult enim legi, deglubere. Haloander à veteri lectione non recedit legitque deglabrare, quæ eſt Pandect. Flor. lectio. pro corticē vndique eximere. Turnebus verò Aduerſ. libr. 23. c. 19. ex Deglabare, quæ eſt lectio veterū exēplariū, Declauare legendum cenſet, quod eſt vndique ramos & clauas amputare, ſolúmque relinquere truncum & ſtirpem, idque loco Ouidij motus qui pinus ſuccinctas dixit, quòd eſt ſurſum & altè cinctas, quòd nullis à ſtirpe ramis ad ſummum cacumen obſideantur.

Degener dicitur, qui moribus non reſpondet, vt colligitur ex textu & gl. in auth. de non alien. §. nūc ergo.

Deiicere, eſt ex eminentiore loco aliquid demittere, quod

quod noceat,aut ſtatim,aut aliquo tẽporis interuallo. Sic accipitur in tit.D.de his qui deiecerint vel effud.

Deiicitur in interdicto, Vnde vi,id eſt expellitur is, qui poſſidet: ſiue naturaliter, ſiue ciuiliter poſſideat, Vlpianus in l.j. D.de vi & vi armata. Refertur autem ad perſonam eius,qui deiecit,nec pertinet ad eum, cuius familia deiecit.Ibidem. Atque Deieciſſe videtur tam qui ſuis manibus expulit,quàm qui mandauit, vel iuſſit,vt aliquis deiiceretur.Ibidem.

Deieciſſe locatorem colonus videtur, qui ei cui locator poſſeſſionẽ vẽdidit,poſſeſſionẽ non tradidit: niſi probabili cauſſa ductus id fecerit,l.12. D.de vi & vi arma.

DEIECTIO duplex eſt,armata,& non armata. Qui armata deiicitur,quamuis nõ poſſideat,aut vitioſe poſſideat,reſtituitur,l.14.D.de vi & vi arm.qui non armata,nequaquam,niſi poſſideat.

DELEGARE,eſt vice ſua alium reum creditori dare,vel cui iuſſerit,l.11.D.de noua. & deleg. & tot.illo tit.& l. 45.D.manda.quod præſupponit nouationem, gloſ.ad ll.3.C.de nouat. Dicunt autem Iuriſcoſs. Delegare debitorem,id eſt alium pro ſe qui ſoluat ſubſtituere: ſic delegare reum,nomen,l.9.D.de præſcr.verb.l.8. §.interdum.D.ad S.C.Velleia.l.48.in fin.D.de pecul.Hinc Seneca lib.4.de Beneficiis: Debitores nobis deos delegat,precatúrque vt illi pro ſe gratiam referant. non derogat, vt legitur in vulg.exempl. Vnde Delegatio nominum,id eſt, alterius debitoris in ſuum locũ ſubſtitutio: veluti cum debitorem meum creditori meo aſſigno.paſs. ſub rub.de nouat. & delegat.Seneca lib. de Benefic.5.Quamuis non interuenerint nummi, ſed delegatione & verbis perfecta ſit ſolutio. Tranſlatè Cic.videtur ſumpſiſſe in orat.pro Fonteio: Quid ſi hoc crimen optimis nominibus delegare poſſumus, & ita vt non culpam in alios transferamus. Sic l.11. C. de donat. & ſic delegatio eſt accipienda in l.17. D.de condict. furt.

Delegare etiam eſt mandare,& committere,l.32.§.quæſitum.D.de arbit.Vnde iudex datus.

DELEGATVS appellatur,l.5.11.& 14.C.de iudic.& extr. de offic.& poteſt.iudic.deleg.in antiq. per totum. Delegatus autem dicitur, cui cauſſa committitur terminanda,vel exequenda,vices delegantis repræſentans, & in iuriſdictione nihil proprium habẽs,l.j.D.de officio eius cui mand.eſt iuriſdict.quo verò diſtet à Vicario,hoc eſt,vt interpretes barbarè dicunt, à Vicegerente, ſeu Locumtenente, Bart.indicat in l.prima & ſequenti. C.de his qui vicem alt.ger. Atque Delegati iuriſdictionem non ſuo iure, ſed alieno beneficio habent.Horum autem alij quidem à fortuna ſeu culmine imperiali dati,alij ſimplici appellatione Principis delegati,quidam ex ſacra iuſſione dati,quidam pedanei. Vide Cantiuncu.cap.2.de officio iudicis.lib.2.

Delegatam pecuniam Paulus dixit,pro decreta,conſtituta,ac aſſignata,in l.2.ad leg.Iul.pecul. Et delegatæ iuriſdictionis vocabulo vſus eſt Papinianus in l.j.de offic.eius cui mand.eſt iuriſdictio.

DELEGATIONES indictionis tributariæ,l.3.C.de anno.& tribut.lib.10.l.j.& vlt.de indictio.eo.lib.Nouella 128. διατυπώσεις vocat συμμαγνώσεις. Suidas ἐκταγὰς τῶν σιτοπομπέων, ἢ τὰς ἀννόνων μεταπομπάς. ſunt enim deſcriptiones quibus exigendorum tributorum & annonarum modus continetur,quæ & Delegatoriæ dicuntur, quod delegari mittiq; in prouincias ſolerent. Dicuntur & ὑπομνήματα,& ἀπογραφαί.

DELEGATORES, Nouella 130.ij ſunt quos Harmenopulus Epit.6.tit.14.legatarios vocat, quorum erat ſcilicet,eos qui annonæ penuria inuectas ſpecies ſupprimebant & flagellabant, præfectis prætorio deferre: atque iis pro ſalario 15.pars copiarum dabatur.

DELIACA ſupellex Ciceroni appellata, in qua erãt triclinia,& lecti cum pedibus,& fulcris ex ære Deliaco factis.Hæc Baifius in libel.de vaſculis.

DELFICÆ, ſeu Delphicæ,apud Paulum l.3. D.de ſupell. leg.qua voce etiam in receptis ſententiis vtitur, abaci ſunt,vt ſcribit Iac.Cuiacius, è quibus vina miniſtrantur,nõ (vt in Baſilicis legitur) οἱ τὰς τραπέζας ἔχοντες δελφῖνες,licet & hi inter vaſa ponantur à Plinio lib.33. cap. 11.Atque eius ſententiæ adſtipulantur gloſſarum veterũ interpretatio, Abaci,delphicæ miniſteriũ, vt Iuuenalis:qua ſanè videtur hic Iuuenalis locus ſignificari:

Ornamentum abaci,necnon & paruulus infra
Cantharus,& recubans ſub eodem marmore Chiron.

Marmoreã enim delficã fuiſſe Porphyrio ſcribit. Cic. 4.in Verrem:Menſas delficas è marmore. Martialis:

- aurum non ſimplex delfica portat.

Agretius,In delfica(inquit)cõparia vaſa ſemper ſunt.

DELETA,in l.j.D.de iis quæ teſta.del.id eſt oblita maculis,quæ lituræ vocantur.

DELIBARE hæreditatem propriè dicuntur legata,quæ dodrantem non excedunt:vt onerare, cum dodrãtem excedunt:& exhaurire,cum aſſem abſumunt.

DELIBATIO hæreditatis,legatũ eſſe dicitur,l.116.D.de leg.li.j.eſtq; quod teſtator, ex eo quod vniuerſum hæredis foret,deminuit,decerpit,& ſubducit.Ex aduerſo illibatus quadrãs,l.20.§.Papinianus.D.famil.erciſ.pro integro,& legatis non imminuto poſuit Papinianus.

DELIBERARE,eſt factũ diligẽter tractare, & mente prouoluere, l.Ariſto.D.de iure delib.ſiue conſilium aliquid faciendi,vel non faciendi capere. vide Budæ. in prio.adnot.ad Pand.dicitur à libella quà quid perpẽditur,Feſto lib.4. Deliberandi autẽ ius,quod à Prætore hæredi conceſſum eſt ad ſtatuendũ,vtrùm hæres eſſe velit,an non, quod erat dierum centum, vide toto tit.D.de iur.delib.l.26.D.de contrah.empt.

DELIBERATIO eſt prouida cauſſæ circũſpectio, cum qua ratio totum agit, & furor ſibi nihil vendicat.11. quæſt.3.c.illa præpoſitorum.

DELIGATVS debitor eſt,quaſi luxui conſecratus: quod enim nunc dedicatum,priùs delicatum dixere. Vlpianus de pigne.act.in fin.l.ſi ſeruos. Igitur hæc, inquit, à iudice erunt diſpicienda, vt neq; delicatus debitor, neque oneroſus creditor audiatur.

DELINQVERE minus eſt quàm peccare.hinc obligationes naſci dicuntur ex delictis priuatis:accuſationes ex criminibus.

Delinquere feudum,pro cõmittere, vel committere culpam quamobrem alteri debeatur,lib.feud.2.tit.31. Vaſalli feudum delinquentis,licet ad agnatos quãdoque pertineat,filius tamen ad id nullatenus aſpirabit.

DELICTVM generale verbum eſt quo quid prætermiſſum ſignificatur, ex Feſto libr.4. B.Auguſtinus definit declinationẽ à bono,qua bonũ prætermittitur:& quid à crimine diſtet collige ex glo.in Auth.qua in prouincia.C.vbi de crimi.agi oportet.& vide ſup. Crimen.

Delictum pro ſtultitia poni ait Albericus in l.cũ mancipium.D.de ædilit.edict.

DELINIMENTA nouercalia, apud Iuriſconſultos in l. 4.de inoffi.teſta. Interpres nouercales blanditias exponit.Cicer.j.de Finib. Qui blanditiis præſentiũ voluptatum deliniti,atque corrupti.

DEMENTES ſunt mente capti, qui propriè loquendo à furioſis diuerſi ſunt:ideóque ab his ſeparantur l.2. D. de inof.teſt.l.27.§.coram.D.de arbit. Atque is propriè eſt,qui neſcit exprimere quod velit,aut nolit, c.paſtoralis.de cleri.ægrot.lib.6.& ibi bonus textus & gloſſa.

DEMENTIA à furore ſeparatur,l.6. D.de curat.furio.l. fi.§.j.D.de admi.tut.Demens enim eſt cum non vſquequaque,ſed ex parte tantùm errore mẽtis affectus eſt: quem & Cicer.Tuſc.3.ſtultum vocat.Græci dementes ἀνοήτους,furioſos μαινομένους vocant. Dementia M.Ci-

ceroni 3.Tuſcul.eſt adfectio lumine mentis carẽs, cùm non integra mens eſt,& ſana:tuetur tamen mediocritatem officiórum,vitæque communem cultum, atque vſitatum. Hæc propria eſt verbi ſignificatio, quæ latiùs plerunque porrigitur,vt cũ furore dementia confundatur. Quintilianus 348. Declama. Dementia eſt ablatus rerum omnium intellectus.

DEMINVI VETABO. His verbis Prætor non tantùm alienationem impedit,verumetiam actiones exerceri non patitur.Vlpia.in l.ait prætor.D.de iure delib.

DEMINVTVS CAPITE, qui ciuitate mutatus eſt, & ex alia familia in aliã adoptatus,& qui liber alteri mãcipio datus eſt, & qui in hoſtiũ poteſtatẽ venit, & cui aqua,& igni interdictũ eſt.Feſtus.vide Cap,deminuti.

DEMOGRAMATEI,plebis ſcribæ,l.4.C.de tab.ſcrib. & leg.vbi corruptè Medogrammatei.

DEMOLIRI ſepulchra, crimen eſt læſæ religionis, & ſacrilegij,l.j.& l.pen.C.de ſepulchr.violat.

DEMOLITIO, Molitioni opponitur, l.ſtipulatio.D.de oper.nou.nun.ſiquidem demoliri, eſt extructa diruere:Moliri ædificare eſt.Vlpian.tit.de vſufruct,l.hæres. Antequàm vſufruct.prohibuerit, demolierit. Et demolitus paſſiuè,vt in tit.de vſucap.l.eum qui.

DEMONSTRATIO eſt quæ vice nominis fungitur.l. 34.D.de cõdit.& demonſt.l.6.D.ſi cert.pet.At à cauſſa, & cõditione multùm diſſidet,l.75.§.j.& l.96. D.de leg. j.Demonſtratio plerunque rem factam oſtẽdit: Conditio futuram,l.34.in fi.D.de condit.& demonſt.id eſt, Demonſtratio in præſens vel præteritum: Conditio in futurum tempus confertur,vt ex l.85. D.de leg.3.patet.Theoph.in §.huic proxima.Inſt.de leg.hæc duo ita diſtinguit,δημονστρατιὼν μὲν ἐστὶ διάλυσις πράγματος ὃ λεγατεύεται. καῦσα δέ ἐστι διάλυσις τῆς αἰτίας δι' ἣν λεγατεύεται.

DENA, decem,l.ſi quis teſtamento. D.de leg.j.Ant.Aug. lib.3.cap.j.ait dena ſignificare ſingulis decem.

DENARIVS, inquit Varro lib.4.Ling.Latin.ſic dictus, quod denos æris valebat. Eſt autem nũmus drachma, & ſcrupulo conſtans.Alexand. ab Alex.li.2.ca.20. vide Ant.Aug.lib.2.cap.8.Emend.

DENEGARI non debet ius iuſtè deprecantibus, teſte Vlpian.in l.2.de his qui ſui vel alieni iuris.

DENOTARE pro infamare, ignominia notare.Pomponius eleganter vſurpauit: Turpia, inquiens legata, quæ denotãdi magis legatarij gratia ſcribuntur, odio ſcribẽtis pro nõ ſcriptis habentur,l.turpia. D.de leg.j.

DENVNTIARE teſtimoniũ alicui, vetus locutio, quæ, ad teſtimoniũ dicẽdũ vocare aliquẽ ſignificat,l.4. & l. 19.D.de teſtib.l.6.D.ad leg.Iul.repet.Sic in lege Manilia: Teſtibus publicè dũtaxat in res ſingulas decẽ denũtiãdi poteſtatẽ facito. & vide Quint.li.5. c.de teſtib.

DENVNTIARE auctori eſt eum ad rẽ defendendã conuenire,l.29.§.fi.l.53.in fi.55.& 56.§.ſi præſente.l.74.§.j. D.de euict. Inde Denuntiatio pro euictione interpoſita,l.63.D.de euict. Eſt & Denuntiatio,iudicium præcedens,l.7.D.de inoffi.teſta. Denuntiare domum, pro ad domum, l.j,§.j.D.de lib.agno. Denuntiaſſe verò in lege Iulia de adult. qualiter accipiatur, explicat Vlpia.l.17.D.de adult.ſecundum quam l.2.& l.39.§. duos.D.eo.tit. intelligendæ ſunt. Eodem modo Denuntiare crimen accipimus,in l.6.C.de accuſat. Hinc,

DENVNTIATVS,cui fit denuntiatio, l.venditor. D.de iudic.

DENVNTIATIO,criminis delatio, l.4.D.ad S.C.Turp.

Denuntiatio ſpecialius,anguſtiúſve,nomen,quam proteſtatio,Alciat.l.deteſtatio.nu.4.D.de verb.ſignif.

Denũtiatio,ciuilis interpellatio,ſiue admonitio olim obſeruabatur: quæ debitoribus in perſonã ſoléniter fiebat,antè quã cõuenirẽtur apud iudicẽ.Siquidẽ agẽs aduerſario huiuſcemodi denũtiabat, Tali die adſis mecũ diſceptaturus,A qua denũtiatione licet hodie receſsũ ſit cõditionis tamẽ nomẽ ꝓ perſonali ꝛetẽtũ eſt actione,vt monuit Theoph.in §.appellamus.Inſt.de actio.

Denuntiationes in l.5. D.de pœ.l.7.& 9.C.quomodo & quãdo iud.& Paul.lib.5.Sent.tit.5.accipiẽdæ ſunt interpellationes,quibus ad iudicẽ quis per officiales magiſtratus euocatur. C.Harmenop.lib.j. ὑπομνήσεις vocat.

DENVNTIATIO,canonicis eſt delatio criminis alicuius ad præſentiam:quæ triplex eſt,euangelica,iudicialis & canonica.

DENVO, rurſus, vel de integro, vel (vt Alberi.placuit) tertio loco,l.cũ prior.& ibi glo.D.de diſtract.pign.l.j. C.de erro.calc.

DEPACTVS Budæo in Forenſib.ex M.Cicerone,qui ſe litibus explicauit.Depactus etiam dicitur turpiter pactus,Vlp.in l.3.D.de calumnia. Hinc depector, vel, vt aliis magis placet,Depaſciſcor,quòd eſt pactione tranſigo:quod tamen honeſtè etiam dici poteſt. Cic.lib.2. de Inuentione:Quidam Imperator, cum ab hoſtibus circũſideretur,neq; effugere vllo modo poſſet, depactus eſt cũ eo,vt arma & impedimẽta relinqueret,milites educeret.Scribitur etiã,Depectus.Conſtant.l.j.C. Th.de rapt.virg. Si quis nihil cum parentibus puellæ ante depectus,inuitam eam rapuerit, &c. Hinc,

DEPECTIO,pactum ſignificat,l.2. C.de abolit.ſic enim ibi legendum quidam admonuerunt:nec ineptè.

DEPENDERE,eſt pręſtare,ſoluere,l.3.§.in iis.D.de vſu.

DEPERDITVM intelligitur, quod in rerũ natura eſſe deſiit:deminutum verò,quòd vſucaptũ eſt,& ob id de hæreditate exiit,l.deperditũ.D.de petitione hæredita.

Deperdita nomina,l.16.D.de admin.tuto.

DE PLANO,id eſt æquo loco,& nõ excelſo: veluti vnde magiſtratus in tribunal, quod editiore in loco poſitum erat,conſcendebant: Græci interpretes in Baſilicis vertunt, ἐξ ἐπιπέδου,libr.58. Hinc illæ notæ V.D.P. L.P.hoc eſt vnde de plano legi poſſit,l.j. D.de iis quæ in teſta.delent.De plano, id eſt abſque cauſſæ cognitione,d.l.9.§.3. Atque de plano, & pro tribunali opponuntur,l.3.§.6. D.de bo.poſſ.Si cauſſa cognita bonorum poſſeſſio detur,nõ alibi dabitur,quàm pro tribunali:quia neque decretum de plano interponi,neq; cauſſa cognita bonorum poſſeſ.alibi quam pro tribunali dari poteſt.Item l.2.§.j.D.quis ord.in bo.poſ.l.j.§. 4.D.ad S.C.Turpil.l.18.D.de quæſt.l.9.§.3.D.de offic. Procoſ. Senec.de Clem.lib.j. Hæc tamen, inquit, magnanimitas in bona fortuna latiorem locũ habet, meliúſque in tribunali,quam in plano cognoſcitur.

De plano, ſine libello, l.de ſubmerſis, C.de naufr.lib.10. De hoc vide Bar.in extrauag.ad reprimendũ. in verb. de plano,& eundem in l.ne quicquam.D.de offic.proconſ.& clem.ſæpè.de verb.ſignif.

DEPONERE eſt demoliri,& ad aream redigere,& ſolo æquare,l.23.in fi.D.de vſucap.l.8. D.ſi ſeruit.vind.l.83. §.ſacram.D.de verb.obligat. Hinc Depoſitio ædificij demolitionem ſignificat, l.9.§.item Pomponius. D. quod metus cauſſ.Sic etiam Deponere ædificium, deprimere ſignificat, l.6. D.ſi ſeruit.vindicet.l.17.D.de ſeruit.vrban.prædio.

Deponere eſt cuſtodiẽdũ rẽ dare, tot.tit. D.& C.depoſiti.

DEPOSITIO,vt diximus, demolitionem ædificij ſignificat.Eſt autem μεταφορικῶς, apud Pontificios, amotio facti ſine ſolennitate,c.degradatio. de pœnis.lib.6.& hæc dicitur ſimplex depoſitio. Abbat. Quibus autem ex cauſſis fiat depoſitio, docet gloſſa magna in fine cap.1.15.quæſt.8.

DEPOSITVM eſt quod cuſtodiendum alicui datum eſt: dictum ex eo quod ponitur.vocula enim,de,auget,l.j. D.depoſiti.& hoc conuentionale, vel ex conuentione dici poteſt. Eſt & depoſitum iudiciale, cùm res ea, de qua controuerſia eſt, apud officium, vel vbi iudex ſtatuerit, deponitur,l.16.in fi. D.depoſit.l.7.§.fin. D.qui

D.qui ſatiſd.cog.l.7.D.depoſi.& alibi ſæpiſſimè.

Depoſiti ad depoſitum non admittitur compenſatio. l.ſi quis.C.depoſiti.Depoſitum debet reſtitui hæredi non minus,quàm defuncto,l.j. §.ſi pecuniam. l. ſi plures.in princ.D.depoſiti. Depoſitum eſt furi reſtituendum. Bald.in tit.de depoſit.& vide ſuprà.Actio depoſiti.

Depositarivs eſt,apud quem res aliqua deponitur cuſtodienda:& ita ſumitur in authen. Sed iam.C.depoſiti.Et differt à ſequeſtro: quia depoſitarius ad hoc præciſè tenetur,vt depoſitori rem reſtituat,& tenetur maximam diligentiam adhibere:ſed ſequeſter neutri litigantium tenetur præciſè rem reſtituere, ſed indeterminatè illi qui vicerit. Depoſitarius autem non opponit compenſationem deponenti,l.fi.C.de compenſatio.l.ſi quis.C.depoſi.cap.2.eodem titu.item Depoſitarius non poteſt opponere quæſtionem dominij, Bart.in l.commodare. D.Commoda.l.ſi quis.C.eod. titu. Depoſitarius ſtatim debet cogi vt reſtituat,l.ſi quis vel pecunias.C.depoſi. Quinimo Depoſitarius ſi vtitur depoſito contra voluntatem domini,vel denegat illud, committit furtum, & condemnatus efficitur infamis,Panor.in ca.j.in j.not. de depoſ.

Deportati,ij erant quibus Princeps inſulas adnotabat,vel de quibus deportãdis ſcribebat. Vide Exilium.

Deportatio, ſpecies erat exilij atrociſſima, cũ ſcilicet quis ita ciuitatem amittebat, vt neruo aut compedibus vinctus, in aliquam nauim imponeretur, & ſeruis publicis,vt eum in inſulam certam transferrent traderetur. Hinc ἀπόλιδες & ad peregrinitatem redigi dicebantur, l.17.D.de pœn.l.10.§.ſed ſi per.D.de in ius vocan.l.j.§.in quibus. D.de legat.lib.3. Atque hoc inde natum eſſe videtur Turnebo, quod Senatus cenſuit milites eos qui ex Cãnenſi acie refugerant, ex Italia in Siciliam eſſe deportandos,nec antè inde reportandos in Italiam, quàm Pœnus Italia depulſus eſſet. Deportatio autem ſucceſſit in locum interdictionis ignis & aquæ, l.3. D.ad leg..Iul.pecul.l.2.§.j.D.de pœnis.Nouel.de iis qui nupt.ite.Conſtit.22. Deportatio autem dicitur,quaſi portatio de eo iure, quod quis in ciuitate habuit, ad exilium perpetuum: adnotata illi prouincia,vbi manendum ſit,l.inter pœnas. D.de interd.& relegat. Libertatem interim non adimebat: ideóq; media cenſebatur capitis deminutio.Inſtit.de cap.demin.§.minor,ſiue media.& l.vlt.D.eod.tit.Nam quod refert Calliſtratus, l.cognitionum. de extraord. cognit.libertatem deportatis ademptã,de iure Quiritium intelligere videtur voluiſſe, vtpote quibus nec teſtamentum facere,nec ex alterius teſtamento quidquam capere licuerit:nec eorum omnium aliquid habuerint,quæ iuris ciuilis magis quam gentium ſunt, l. ſi quis filio. D.de iniuſt.rupt.l.j. D.de legat.3. l.quidam. D.de pœnis. Etenim iure ciuili (ait Boëtius in topic. Cic.)fieri aliquid non inter alios, niſi inter ciues Romanos poteſt. Itaq; ἀντινομίαν illam cõciliant Fr.Duarenus lib.j.Diſp.c.9.& Iac.Cuiacius in illũ Inſtit.locũ.

Deportatio à relegatione ſic differebat: deportatio in perpetuum damnabat: relegatio, aliàs in perpetuum, aliàs ad tempus. Item deportatio adimebat ciuitatem Romanam: relegatio non æquè.Itémque deportatus amittebat bona: relegatus minimè, l.relegatorum.§. hæc eſt differentia. & §.ſequenti. D.de interdictis & relegatis. Addam deportationẽ eſſe, cum ei qui damnatus eſt,certo ſpacio circunſcribitur pœnæ locus: relegationem,cum quis exire fines patriæ iubetur.

Deprecatio, de qua Tryphoninus l.tres tutores. in princ.D.de admi.tut.l.auxilium.D.de minor.eſt,vt definit M.Cicero, in qua non defenſio facti, ſed ignoſcendi poſtulatio continetur.

Depreciatvs, in l.27.§.cæterum. D.ad leg.Aquil. Sed & eius ratio haberi debet, quo cætera corpora depreciata facta ſunt. & Tertulliano lib.4.aduerſus Marcionem,id eſt vilis factus, & nullo pretio dignus. Lexicon B.Germani ad Lutetiã Pariſiorum vertit depreciatos ἐλαττωθέντας,quaſi pretio imminutos dicas.

Deprimere vitem, in l.ſi vitem.22. D.quod vi aut clàm dicitur,qui eam in terram deductam defodit, vt anno inſequẽti renouetur.Si vitem meam, inquit Venuleius, ex fundo meo in fundum tuum depreſſeris, eámque in fundo tuo coaluerit, vtile eſt interdictum. Fl.Pand.deprehenderis legunt, ſed corruptè, cùm in manuſcripto exemplari, Depreſſeris,exponatur, Propagaueris.Cato de re ruſtica cap.3. Arbores facito vti bene maritæ ſint, vitéſque vti ſatis multæ afferantur, & ſicubi opus erit,de arbore deiiciantur, & in terram deprimantur, &c.

Depressa nauis, pro ſubmerſa, l.ſi nauis aduerſa.& l. cum depreſſa.D.ad l.Rhod.de iactu.

Deprehendere aliquem, eſt quod barbari dicunt, capere in ipſo facto, ita vt nec fugere, nec inficiari poſſit: vt deprehendi in adulterio, l.palàm. §.quæ in adulterio.D.de ritu nupt.

Deproperare, vt apud Plaut. pro valdè properare, in l.vnica.in fin.de oper.nou.nunc.& l.2. §.ſed quia diuinæ.de vet.iur.enucl.

Depvgnare ferã quæ regioni nocet, l.j.§.5. D.de poſtul.pro interimere, vel expugnare: quamuis eo in loco ſunt qui expugnare legant.Ibidem, Depugnare cũ feris vel beſtiis,pro pugnare.item l.is qui.D.de accuſ.

Depvtati, in l.fin. C.de ſeruis fugit.à Iuliano Patritio Nouel.85.ſtatuti numerorum, milites ſunt, annonas ferentes ex publico,qui numeri cuiuſque militum arma procurabant: aliàs fabricenſes deputati dicuntur, ſicque in Notitia Rom.imperij leguntur. Deputati ſcholæ agentium in rebus, & deputati domeſticorũ, & deputati equitum & peditum.Planè Leo Imp.in libel.de bellico apparatu ait, Qui antiquis temporibus δεπουτάτοι, ſuis temporibus σκρίβωνες dicebantur. Sic, Deputati ſacræ veſtis, l.7.C.de palat.ſacr.largit.

Derectarii, qui in aliena cœnacula ſe dirigunt furandi animo,id eſt qui malis artibus ſcandũt in aliena cœnacula,aperiunt feneſtras hamis, vncinis, vel qua alia ratione(vnde etiam apertularij dicuntur) atq; ita introeunt furãdi animo.Gloſſæ veteres. Derectarius, ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας ἕνεκεν τοῦ κλέψαι εἰσερχόμενος οἰκίας. Turn. Aduerſ.lib.9.cap.17. Diætarios etiam vocari ſcribit, quòd cœnaculum diæta etiam non malè vocari poſſit,cum in diæta ſit,eorum enim eſt diæta,qui in cœnaculis habitant:ſed illud potius videri.His abſimiles nõ ſunt parietũ aut foriũ effractores, l.1.& 2. D.de effract. qui & θυρεπανοῖκται, & εἰσπηδηκοιῶνες dicũtur in gloſſis,de quibus Iul.Firmicus Matheſeos 6.Horũ meminit l.7. D.de extraord.crimi. vbi, e, pro i, vt olim apud veteres, ponitur. Directarios vocat Paulus lib.5.Sent.tit.4.

pro Derelicto habetur,quod dominus ea mente abiicit, vt in numero rerum ſuarum eſſe nolit, &c.l.56. D.de ſtip.ſeruo.§.pe.Inſtit.de rer.diuiſ. quo loquendi genere & Cicero lib.j.Epiſt.8.ad Atticum vſus eſt.Imp.Iuſtinianus Nouel.22.

Derelictum videri non poteſt quod ſalutis cauſſa interim dimiſſum eſt, l.21.§.j.D.de acq.poſſeſ.

Derelinquere iniuriam,id eſt,abolere.Inſtitu. de iniuriis. §.fi.Et ideo ſi quis iniuriam dereliquerit, hoc eſt, ſtatim paſſus ad animum ſuum non reuocauerit, poſtea ex pœnitentia remiſſam iniuriã non poterit recolere.

Derelictvm dicitur illud,quod caret poſſeſſore,vel quod in nullius eſt poſſeſſione,vt Inſtitut.de re.diui. §. hoc amplius.circa fin.& vide D.pro derelicto.Et vide §.qua ratione. Inſtitut.de rer.diuiſ.Authent.de nupt. §.ſed multo. C.de infant. expoſ. l.2. & pro derelicto, per totum. Quo diſtet derelictum à deperdito, indicat.

indicat Iauol.in l.interdum.D.de acquir.poſſeſ.

Deridere ſententiam, pro improbare, ſeu opinionem confutare, apud Vlpian.in l.ſed an vltrò.de negot.geſt.D.

Deriſorium magis, quàm vtile legatum, apud Vlpi. in l.ſi domus.71.de leg.j.quod deridendi magis, quam vtilitatis gratia ſit legatum.

Derogatur legi, cum pars detrahitur, l.102.D.de verb.ſignif.putà prima. Vlpianus epitome tit.1.& vide infrà in tractatu legum. derogare enim, ait Feſtus, detrahere eſt. Abrogatur verò, cum prorſus tollitur.

Deſcendere, pro naſci, oriri, tum apud Vlpian. tum cæteros. Hinc à nobis nati deſcendentium nomine veniunt, qui cum aſcendentibus rectam lineam conſtituunt: de qua vulgatum illud, Nullos aſcendentes inter ſe poſſe connubium contrahere. Quare ſi Adam hodie ſuperſtes eſſet, non poſſet ducere vxorem. per gloſ.in l.nuptiæ. D.de ritu nupt. Inſtit.de nupt.§.inter eas.

Deſcriptio fit adſcripto collatorum nomine & collationis modo, l.j.C.de apoch.public.lib.10. A Græcis appellatur ἀπογραφὴ, Lucæ ca.2.de Christi natiuitate loquenti.

Deſcriptio bonorum, quomodo licitè fiat, Barto. pulchrè tradit in l.mandatum.D.de requir.reis.in l.defenſionis.C.de iur.fiſc.lib.10.

Deſcriptio, ſubnotatio, adſcriptio, cognitio, diſpunctio rationum, inſtrumentorúmve, differunt. Deſcribimus ea quorum exemplum accipimus. Subnotamus, cùm quaſi inuentarium conficimus, l.fi.C.de bon.aucto.iudi.poſ. Adſcribimúſque, quot corpora inſtrumentorũ ſint, & de qua re. Cognoſcimus, cùm ea legimus atque relegimus: qui enim rationes recognoſcit, verum eſt eum ipſa cognoſcere: ſicut qui reddit, dat: qui repetit, petit. Bart.in Rub.ſolut.matr. Diſpungi rationes, qui data & accepta confert, excutítque & examinat. Vnde & diſpũctio, pro diligenti percõtatione, & examinatione accipitur, l.ſi ſtatu lib.pœnæ.in fi.D.de ſtatu lib.

Deſerere propriè militum eſt, qui relinquũt locum in acie, aut ſine comitatu diſcedunt ex caſtris. Hinc, deſertor, & deſertio, de quibus ſæpe in lib. D. Bart. an idem Deſero & Derelinquo ſignificent, excutit in l. qui agros.C.de omni agro deſerto. Deſerere accuſationem, actionémve dicitur, qui in totum ab accuſatione deſtitit, eámque reliquit, modo ſine fraude aduerſarij id fecerit, l.21.D.de inoffic.teſta.l.10.D.de iudic.l.6.§.qui iudicij.D.de decur. Sic Deſerere vadimonium dicitur, qui ſe ad vadimonium & condictum diem non ſiſtit. Vide vas.

Deſerta promiſſio, contempta & non obſeruata, l. 4.§.2.D.ſi quis cautionib. Quæſitum eſt an poſſit conueniri ne vlla exceptio in promiſſione deſerta iudicio ſiſtendi cauſſa facta obiiciatur. Contemptam vocat Paulus l.ſi duo.D.eo.

Deſertam cauſſam Iureconſulti compoſita voce Eremodicium vocant, l.& ſi ſine dolo.D.de minoribus.l.cum quærebatur. D.iudicat. ſolui.item l. properandum.C. de iudic. Dicitur autem deſerta cauſſa, cum altera parte abſente fertur ſententia. Hinc prouerbiali ſchemate, Vincere deſerta cauſſa, eſt vincere nullo contrà pugnante.

Deſertor miles eſt (inquit Modeſtinus) qui per prolixum tempus vagatus, reducitur, l.deſertorem.§.3.& l. 4.§.penult.& l.5.D.de re milita. Ab effectu. Quintilia. lib.7.cap.7.

Deſertor accuſationis, in priuatis criminibus, punitur arbitrio iudicis, pro qualitate admiſſi, l.ſi quis repetere. §.ſi ſtellionatus.& l.& in priuatis. D.ad S.C.Turp.

Deſidero, præter notam ſignificationem, notat & deficere. In quo ſenſu accepit iuriſconſ.in tit.Si libert. ingenu.eſſe dic.l.quoties. Siue officium, inquit, deſideretur, id eſt, deficiat in eo, qui debet obſequi & obtemperare.

Deſiderare eſt in iure aliquid poſtulare, & (vt vulgò loquimur) requirere, l.3.§.ſolent.D.de tabulis exhib.l.30. D.de procurat.l.32.D.de adopt.& alibi ſæpiſſime. Deſiderare interdictũ, id eſt, à prætore petere, l.40.D.de procurato. Et Deſiderare præiudicium, l.vlt.D.ſi libert.inge.eſſe dica. Et, Deſiderare per interdictum, l. j.§.j.D.de ventr.inſpic. Deſiderare actionem, l.ſi verò plures.§.hæc actio.D.de iis qui deiec. vel effud.id eſt, poſtulare, & requirere, vt innuit verbum ibidem ſubiectum. quod fefellit Oldendorpium. Hinc,

Deſideria, pro libellis ſupplicibus, poſtulationibus, & precibus, & (vt nunc pragmaticorum vulgus loquitur) Requeſtis, l.4.§.ingreſſus.& l.9.§.obſeruare.D. de offic.proconſ.l.j. D.de poſtul.l.15.de offic.præſid.l. 15.D.de in ius vocan. Sueton.in Auguſto cap.53. Promiſcuis ſalutationibus admittebat & plebẽ: tanta comitante adeuntium deſideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quòd ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, quaſi elephanto ſtipem.

Deſiderati milites, ſecundum conſuetudinem deperditi, vel qui perierunt: vel ſecundum rationem, vt Valturius refert, quòd abſentium rerum, necdum inuentarum, ſit deſiderium.

Deſignatores, l. athletas.D.de his qui not.infam. ſunt arbitri certaminum.

Deſignatores, inquit Vlpian. quos Græci βραβευτὰς appellant, artem ludicram non facere Celſus probat: quia miniſterium non artem ludicram exerceant. Et ſane locus iſte hodie à principe non pro modico beneficio datur. Aliàs Deſignator ſumitur pro eo qui præeſt ludis funebribus, deſignátque quid & quo modo, & quo ordine quídque ſit agendum, quæque ornamenta ſint adhibenda. Hinc Horat. Epiſt.lib.1.epiſt.2.

- dum ficus prima calórque Deſignatorem decorat lictoribus atris. hi enim lictoribus atratis ſtipati incedebant.

Deſignatus, id eſt, electus, l.Barbarius.D.de offic. præto.

Deſinere abeſſe res tũc videtur, cùm ſic rediit in poteſtatem, ne amittere eius poſſeſſionem poſſimus ob hoc, quòd furto primùm ſubtracta eſt, l.mulieris.13.D. de verborum ſignif.

Deſinere, perpetuam deſinentiam ſonat, l.fin.§.quod inquit.D.de adſig.lib.

Deſiiſſe non videtur, quod nec incœpit, l.96.de cõdi. & demonſt. Deſinere tamen pertinere vſumfructum quod ad ſtipulationẽ, qua cauet fructuarius ſe reſtiturũ rem, cũ vſufructus ad eum pertinere deſinet, accipimus, etiã ſi nec cœperit pertinere, quãuis legatus eſſet, l.j.in princ.& l.3.§.j.D.vſufru.quemadmo.caue.

Deſiit dolo poſſidere, quæ ſunt prætoris verba, ſic accipere debemus, inquit Vlpianus, deſiit habere facultatem reſtituendi, l.j.D.quod legator.

Deſiſtere à lite conteſtata is videtur, non qui diſtulit, ſed qui liti renunciauit in totũ, vt ait Vlpianus l.deſtitiſſe.D.de minoribus. Deſiſtere enim eſt de negocio abſtinere, quod calũniandi animo inſtituerat. Deſtitiſſe etiã in S.C.Turpil.cũ dicimus, qui in totũ agendi, accuſandíve animũ depoſuit, l.6.D.ad S.C.Turpil. Deſtitiſſe & is exiſtimatur, qui poſt intentatũ crimẽ adulterij accuſatam duxit vxorem, l.40.in fi. D.de adult.

Deſperati homines, idoneis auctoribus ſunt, de quibus nulla eſt ſpes. Noſtri Interpretes abſolutè vſurpant, pro cõſciſcentibus ſibi mortem: de quorum bonis, C.& D.tractant vulgati tituli, Azo in Summa.

Deſperatio, ægritudo ſine vlla rerum meliorum expectatione, Cicero auctor 4.Tuſcul. Vide l.vnica. D.de port.quæ lib.dam.conced.

Despond

DESPONDERE, & ſpondere hoc differunt: deſpondet qui puellam petit: ſpondet à quo petitur: vt ait Donatus in Terentium in Adelph.

M. Quin iam uirginem
Deſpondi, res compoſita eſt: fiunt nuptiæ.

& vide l.7. & l.miles.ii.§.7.D.de adult. Propriè ergo filiæ pater dicitur ſpondere: adoleſcentis verò deſpondere. Cicer.lib. de Orat.1. Cum ædilitatem P.Craſſus peteret, cúmque maior natu, & iam Conſularis Sergius affectaretur, quod Craſſi filiá, C.filio ſuo deſpondiſſet. Aliter tamen videtur Varro lib.4.ſenſiſſe. Qui ſpoponderat filiam, inquit, deſpondiſſe dicebatur, quod de ſponte eius, id eſt voluntate exierat: Sicque vſurpaſſe videtur Cicer.lib.epiſt.ad Attic.1.90. Bibliothecam tuam caue cuiquã deſpondeas, quamuis acrẽ amatorem inueneris. & Teren.in Heaut.de Chremete loquens, act.4.ſc.4. At illi ego nec do, nec deſpondeo. Et paulo poſt: Egone cui daturus non ſum, vt deſpondeam? Vide Sponſalia.

DESPONSATA, deſtinata, denominata, idem ſunt. D. de adulter.l.qui pupillam indicauit.

DESPONSVM, pro deſtinato poſuit M.Cicero in reſponſis Aruſpi.

DESTINARE definire ſonat, l.94.D.de verb.ſign. Alioquin ſi cum deſtinare genus & modum vellet, non fecit: nihil ſtipulatus videtur. Aliàs eſt quod petis attingere & prendere. Cæſar, de bello Gall.lib.7. Nam laqueis falces auertebant, quas cum deſtinauerant, tormenta reducebant.

DESTINATA, vel parata ad rem aliquam, factum, vel rei qualitatem, non habentur pro abſolutis.

Deſtinatum habere, pro deliberare, apud Tryphon.in fi.l.tres tutores.D.de adminiſt.tut. Pro deputare & aſſignare Pomp. vſurpauit in l.quod in rerum. de leg.j. quam fundo Titiano deſtinaret. & paulò poſt: Cum noſtra deſtinatione fundorum nomina & domus, nõ natura conſtituantur. Vlpian. vſurpauit pro parare, & conſtituere, cum ait: Aut ſi deſtinet domicilium transferre alter eorũ, in l.cũ hi.§.cauſſæ.D.de tranſa. Idem in l.inde Neratius.ad leg.Aquil. De quo, inquit, quæſtionem habere deſtinaueram.

DESTITVERE dicitur qui quod promiſit non præſtat, vt qui promiſſam pecuniam non ſoluit. Cicer.in Philipp. Quid? eundem in ſeptemuiratu nónne deſtituiſti? &c. Item in ea pro Quintio: Deſtitutione ea perculſus Quintius, à Scapulis pauculos dies aufert.

DESTITVI dicitur teſtamentum, cum ex eo nullus hæres exiſtit, l.in quantitate.73. D.ad leg.Falc.§.3.Inſt.eo. quia non adita ex teſtamento hæreditate, nihil in teſtamento relictum valet, l.eam quam.C.de teſtam.

DESTITVTVS ſpoliatum ſignificat, c.frequens.§.pen. in fi.D.de reſtit.ſpol.in 6. c.fi.de ſortilegiis.

DESTRINGI in plures aduerſarios, l.28.§.fin.D.de pecul. ex quo delibata eſt l.2.D.de exercit. pro diſtrahi. & in l.3.D.de adim.leg. tametſi codices varient. Hinc,

DESTRICTE, l.15.D.de arbit. Licet autem prætor deſtrictè edicat ſententiam ſe arbitrum dicere coacturum. Sic l.7.§.quæſitum.D.de minoribus, & apud Tertullian.ſæpiſſimè.

Deſtrictio, l.16.§.j.D.de arb. & apud Caſſiodorum in lib. Varia. aliquotiens. Vide Diſtrictus.

DESVETVDO, & Conſuetudo differunt ſecundũ Bart. in l.de quibus.D.de legi.ſuper verbo Deſuetudinem. Nam conſuetudo eſt, quando fit contra legem per ipſam conſuetudinem: ſed deſuetudo eſt, quando non vtimur aliqua lege in iure poſita. De hoc no.in proœmio Inſtitut.in fin. & in gl.præal.

DESVLTOR in l.20.D.de præſcrip.verb. Si tibi equos venales experiendos dedero, vt ſi in triduo diſplicuiſſent redderes, túque deſultor in his curreris, & vice-ris, &c. Deſultor autem dictus eſt in ſacris certaminibus, auctore Iſidoro lib.18.c.39. qui cùm ad finem curſus veniſſet, deſiliebat, & de equo in equum tranſiliebat. Hunc ſcitè Manilius tribus verſibus depingit:

Nec non alterno deſultor ſidere dorſo,
Quadrupedum & ſtabiles poterit defigere plantas
Per quos uadit equos: ludit per terga uolantum.

DETEGERE, patefacere, Paulus de condict.indeb. l.in ſumma.§.j. Sin autem euidens calumnia detegitur, & tranſactio imperfecta eſt, & repetitio dabitur. Hoc Pauli dictum meritò Baldus effert, memorique mente tenendum exclamat. Nam hoc, tametſi tranſactio ſtricti iuris habetur, mox aperto dolo corruit. Vnde Detecta fraus, Detecta coniuratio.

DETENTATIO, eſt inſiſtentia corporalis, non dominij cauſſa, ſed ratione alterius effectus vel iuris, quod ei debetur. Vnde plures fundum detinere poſſunt ad conſequendum effectum eis debitum: & ſi ſpolientur, vel turbentur, interdicta eis dantur, non tamen aliter, quàm ratione iuris quod habent, non ratione rei quæ detinetur. Ita pulchrè declarat Zaſ.in l.poſſideri.§.ex contrario.D.de acquir.poſſeſ.

DETERMINARE, pro certò exprimere, definire, ſeu deſcribere, accipitur in l.fi.D.de iuſt. & iur. Quem locum, inquit Paulus, determinare hoc modo poſſumus.

DETERIOR ſtatio, nauigationiſque iter deterius fieri dicitur, ſi vſus eius corrumpatur, vel quoquo modo impediatur, vt difficilior curſus, aut minor, aut rapacior fiat, aut in totum auferatur, l.j.§.j. & §.deteriorem.D.de fluminibus.

Deteriorem viam fieri in interdicto de via publicam, accipimus, ſi vſus eius ad commeandum, id eſt, eundum agendum, corrumpatur, l.2.§.ait prætor. & §.deteriorem D.ne quid in loc.publi.

Deteriorem cauſſam facit vſuarij proprietarius, etiam in meliorem ſtatum re cõmutata, l.fi.D.de vſu, & habit.

Deteriorem ſeruum facit, qui fugam ſuaſerit, aut furtum, quiq; alios mores corpúſve corruperit, l.j.§.fi.D. de ſeruo corrup. Paul.lib.j.Sent.tit.13. Deteriores res fieri dicuntur, quæ depretiantur. Deterius ius prædij fit, amiſſis nõ vtẽdo ſeruitutibus, l.6.l.7.D.de fund.do.

Deteriores etiam ſunt, qui detrahẽdo aliorũ vitam corrumpunt, & ſubſtantias diripiunt, c.deteriores.16.q.1.

DETESTARI, eſt abſenti denũciare, teſtibus adhibitis, ex l.ſubſignatum.§.2.D.de verb.ſignif. & l.ſeq. Aliter autem deteſtari eſt facta alicuius abrenunciare, ſpernére, vel abominari, ſeu non approbare: vel eſt exarare, vel deſcribere res aliquas, & eas, quæ, quales, & quãtæ ſunt, ſcripto cõprehẽdere, vt D.l.præalle. Hinc.

DETESTATVM, teſtatione denunciatum, l.39.§.2.D.de verb.ſignif. Et,

DETESTATIO, eſt denunciatio facta cum teſtatione, vt ſcribit Vlpia.in l.deteſtatio.D.de verb.ſignif. Deteſtatio etiam, auctore Feſto lib.13. dicebatur, cum Deus teſtis in deteriorem partem vocabatur. Inuenitur & apud Gellium, Deteſtatio ſacrorum lib.7.cap.27.

DETINERE, pro occupare: atque etiam de eo dici volunt, qui poſſidet bona fide, per text.l.apud antiquos. C.de furt.

DETRAHERE legatis, eſt deminuere, l.fi.D.de adim.le.

DETRACTOR eſt non ſolum qui detrahit, ſed & qui detrahentes audit, c.ex merito.6.q.j. & ca.non ſolùm. 11.quæſt.3.

DETRECTARE, eſt deuitare, fugitare, auerſari & ſubterfugere, l.qui cum vno. D.de re mili. Vnde dicitur cum detrectatione, vel ſine detrectatione quiſpiam abeſſe, qui occaſionem quæſierit, vel non quæſierit, cauſſæ dictionis euitandæ, in l.ſi maritus.§.legis Iuliæ. D.ad legem Iuliam, de adulte. Ne quis inter eos referat eum, qui tum ſine detrectatione Reip.cauſſa abeſt.

DETRI

DETRIMENTVM, à detritu, quòd ea quæ trita, minoris pretij. Intertrimentum ab eo quòd duo, quæ inter ſe trita, & deminuta. Varro libr.4. Ling. Lat. & in ca.2. de conſtitu.

DETRVDERE, l.4.§.16.D.de vſucap.pro vi depellere ſumitur: Nec de via quis, id eſt, mero iure depellitur. Hoc verbo vtebantur Prætores in interdicto, Vnde vi. M.Cicer.in Orat.pro A.Cecinna: Eum, inquit, detrudi intelligimus cui manus afferantur. Neceſſe eſt, ait, ſi ad verbum rem volumus attingere, neminem ſtatui detruſum, qui non adhibita vi, manu demotus, & actus præceps intelligatur. At Deiectus is eſt, qui in inferiorem locum de ſuperiore præcipitatus vel motus eſt, vt idem eodem loco dicit.

Detrudi in monaſterium, ca.ſiquis Epiſcopus.50.diſtinct.

DETRVSVM, Impp.in l.quicunque reſidentibus.C.de Epiſcop.& cleric.intelligunt, quem idonei auctores Exauctoratum, Canoniſtę crebrius Depoſitum appellant: quibus & detrudi in monaſterium, perpetuò illi includi eſt, pœnitētiæ, vt aiunt, agendæ cauſſa, ob perpetrata crimina, maximè publica, ſiue, vt ipſi loquuntur, notoria, populúmque Dei offendentia.

DETVRBARE, eſt poſſeſſione deiicere.

DEVERTICVLVM fluminis, l.45.D.de vſucap. Vel ſi quis, quod in fluminis publici deuerticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, Locus erat in quem fluminis aqua diuertebatur. Sic l.7.D.de diuerſ.& temp. præſcrip.& apud I.Frontinum lib.de Aquæductib.

DEVESTIRE, feudalium placitorum conditoribus auferre poſſeſſionem eſt, ſiue ea prius infeudationis nomine tradita ſit, ſiue quo alio ciuili iure acquiſita. in principio tituli, 7.de nat.feud. Apuleius lib.3. pro veſte exuere vſurpauit. Huius contrarium eſt Inueſtire, lib. feud.1.tit.7. Si princeps inueſtierit Capitaneos ſuos de aliquo feudo, non poſſit eos deueſtire ſine culpa; pro quamuis poſſeſſionem adimere.

DEVIRGINATA ancilla, l.fin.D.de offic.præſid. dicitur, cui vitio oblata, virginitas erepta fuit. Eodem verbo vſus eſt Hieronymus in lib.de Monogam. Epiſtol. 25.& Petronius Arbiter: Cur, ait, non deuirginatur Panichidis noſtra.

DEVOLVI an ſit directum, vel obliquum diſces ex l.2. & ibi glo. D.de adim.leg.l.ſi infanti. C.de iur.delib. Bart.l.centurio.D.de vulg.& pup.ſubſt.

DEVOLVTÆ res, l.j.C.de bon.matern.

Deuolutum feudum, quaſi retrò deuolutum.

DEVOTI, qui profeſſi vulgò vocantur. Religioſus & deuotus olim in malam partem ſolùm, ſcilicet pro diro, & execrando, at hodie ſolùm in bonam. Alci.in Rub.de verb.ſignific. Deuoti apud Gallos quinam eſſent, & quæ eorum fuerit conditio, vide apud Cæſar. ſub fin.lib.3.Comm.de bel.Gall.

Deuotæ gentes, quæ olim Romano populo parebant, l. alligatis.C.de vectig.& commiſ.

DEVS appellatur à Græcis ὁ θεὸς, vt eſt ἀκατάληπτος: ita nec eius virtutes, καὶ δυνάμεις mente concipi, lingua, ſcriptíſve exprimi poſſunt. Huius vocis tractationem Theologis relinquo. Deo & iuſtitia nihil maius eſt, ſine quibus nihil commodè geri poteſt. Nouell.de hæredibus.in princip. Conſtit.164. quam Tiberij eſſe ibidem admonet Scrimgerus in Greco exemplari. Bene autem vniuerſa geruntur, & competenter, ſi rei principium fiat decens & amabile Deo. Nouel.quom. oport.Epiſcop.§.ſancimus igitur. Conſtitut.6. Omnia igitur ſunt ita ſancienda, ne Deo debitus honor detrahatur. Nouel. vt ſine vllo impedimento. §.hæc igitur Lex ad tuendam. Conſtit.94. Omnes enim legis lationes bonæ ex Deo pendere, ac eò reſpicere debēt: hoc eſt, Deus ſit earum principium ſimul, & medium, atque finis. Nouel.de mulieribus fide hæretic.in princ. Conſtit.109. Execrabilia verba, & iuramenta blaſphema in Deum vltimo ſupplicio ſunt punienda. Nouel. vt qui contra naturam luxurian. §.inſuper quia vltra. Conſtit.77. Sed enim omnes ſunt cohortandi, vt Dei timorem in animo concipiant, & eius implorent benignitatem. Nouel. vt qui contra naturam luxuriant. in princ. Conſtitutio.77. Deus ſolus, & ad imitationem eius Imperator, cum reliquis magiſtratibus, gubernare poteſt multas & vndique perplexas humanarum rerum conditiones. Nouel. vt omnes prouin. Magiſtrat.§.hanc nos legem. Conſt.68.

ΔΕΥΤΕΡΩΣΕΙΣ, Nouel.146. ſunt, vt Hieronymus variis in locis interpretatur, traditiones & obſeruationes Phariſæorum, Iudaicæ fabulæ, illorum inuentiones: quas Iuſtinianus, dicta Nouell. damnat, itémque librum illorum qui δευτέρωσις, id eſt editio ſecunda dicitur, in quo eiuſmodi traditiones continentur, interdicit: qui quidem liber in libris Talmud inſeri ſolet.

DEVNX, inquit Varro libr.4. Ling. Latin. à duodecim dempta vncia. Sic duæ partes ex tribus cum quarta, hoc eſt, vnciæ vndecim, vt ait Theophil §.8. Inſtitut. de hæred.inſtitut.

DEXTANS, inquit Varro loco ſupracitato, dempto ſextante. Sic duæ partes è tribus cum ſexta, vnciæ decem, vt ſcribit Theophy. ibidem.

D I

ΔΙΑΒΑΤΡΟΙ ſunt ſtationarij cahortales, & officiales præſidum, vel conſularium correctorum, Iac.Cuiacius ad l.j.C.de cohor.lib.12. Alias Diabathra muliebria ſunt calceamenta, quorum meminit Varro lib.6. de Ling. Latina.

DIACATOCHI, in l.j.C.TH. auctore Cuiacio ad l.7. lib.11.Cod.de omni agro deſ. ſunt poſſeſſores qui canonem debent fiſco. Hinc,

DIACATOCHIA, in l.quicunque.C.de omni agr.deſert.lib.11.hoc eſt poſſeſſionis ius, & titulus.

DIACONVS, id eſt, miniſter in eccleſia: & qui ſint diaconi.not.in ca.diaconi.93.diſtinct.

DIACONISSÆ, Nouel.3. de cleric. Conſt. viduæ anus erant quædam, quibus pauperum & carcere vinctorū cura, & pleráque alia pietatis officia commendabantur: quod etiam fateri conatus eſt vel Lucianus in Peregrino. Eorum verò ætas definitur Nouel.6. circiter 50. annorū: cùm tamen poſtea Nouel.123. ſufficere exiſtimauerit annos 40. At l.nulla Cod.de Epiſco.& cler. nulla niſi emenſis 50. annis, ſecundum præceptū Apoſtoli, ad diaconiſſarum conſortium transferebatur.

DIACONATVS eſt dignitas, ca.poſt acceptum.51.diſt.

DIACOPI, παρὰ τὸ διακόπτειν, inciſa, ſiue incilia, id eſt, aditus in aggeribus Nili patefacti, per quos in arua influere aqua poſſit, l.penul.D.de extraord.crimi. Commata etiam & diacopi qui in aggeribus fiunt.

DIÆTA in ædibus, pro cœnaculis, l.13.§.ſed ſi ædium. D. de vſufr.& alibi ſæpè. Eadem zeta vocatur. In hortis verò habitationem ſignificat, amœnitatis, & voluptatis cauſſa extructam, l.43.§.j.D.de leg.j.& l.13.§.fi.D.de vſufru. Vide Zeta.

Diætæ, hypocauſta, l.55.§.lignis.D.de leg.3.

DIÆTARII ſerui, l.12.§.idem reſpondit.D.de inſtr.leg. hi zetarij dicuntur, apud Paulum lib.3. Sentent.tit.6. Vide zetarij. Vide Atrienſis, & ſeruus atrienſis.

Diætarij, qui in nauibus cuſtodiæ cauſſa præponuntur, l. j.§.& ſunt quidam. D.nau.cau.ſtab. Alias ναυφύλακες dicuntur.

DIARIVM, quotidianus victus, Vlpiano l.21. D.de ſupel.legat. Diariis, inquit, vel cibariis relictis, neque habitationem, neque veſtiationem deberi palam eſt.

DIASTOLEI, l.4. C.de tab.ſcrib.& leg. diſpunctores erant rationum ſiue inſtrumentorum, διαστέλλειν enim & διαστίζειν diſpungere eſt, conferre ſcilicet accepta & expenſa.

expenſa.quod & æra diſpungere dicitur,apud Apuleũ de Deo Socratis.

Diatretvs calix,genus videtur poculi cælati tornatilis,à verbo διατρέω,id eſt torno laboro. Iuriſconſ.ad l.Aquil.l.ſi ſeruus.Si calicem,inquit,diatretum faciendum dediſti,ſiquidem imperitia fregerit, damni iniuria tenebitur. Effertur nonnunquam genere neutro, vt apud Mart.lib.11.Epig.67.

O quantum diatreta ualent.

Diatretarii, qui tornata opera faciunt.l.§.j.D.de excuſat.artific. libr.C.10.Poſſunt etiam Diatrocharij dici,quòd rotas, pilâſque ligneas faciunt, & carros. nam idipſum ſignificat τροχός.Inde τροχοποιέω verbum. Alc.C.de excuſ.artif.lib.10. Alij accipiunt eos qui ex margaritis & gemmis calices perforant:cuiuſmodi illud eſt ex Verrina.6.Erat,inquit,vas vinarium, ex vna gemma pergrandi,trulla excauata cum manubrio aureo.Vide Cæl.Rhodig.lib.22.c.26.

Diavlvs, duorum ſtadiorum ſpatium. Stadium enim, vt Hieronymo placet,pedes in longitudinem ſexcentos habet,diaulus mille ducentos, milliarium ſtadia octo,dolichus ſtadia duodecim.Vitruuius libr.5.In palæſtris,inquit,periſtylia quadrata, ſiue oblõga ita ſunt facienda,vti duorum ſtadiorum habeant ambulationis circuitum,quam Græci vocant δίαυλον.

Dica, δίκη,iudiciorum dea & præſes:quandoque pro iure ſumitur,ſæpius pro actione.Terent.in Phormione:En vnquam iniuriarum audiſti mihi ſcriptam dicã. M.Cic.Verrina.4.Scribitur Heraclio dica.Idem tamẽ δίκας abuſiuè pro δικαστὰς poſuit in eadem oratione.Id ei poſtera die venit in mentem, è lege Rupilia ſortiri dicas oportere.Vide Budæum in prioribus.

Dicis cavssa, & Dicis imo, Varro lib.5. Ling. Lat. antiquas eſſe locutiones ſcribit, deductas ab eadem origine qua verbum dico.Atque hinc coniicit Hotomanus Dicis caſum à recto Dex declinatum,vt ſit Dex dicis,à Dico,vt iudex iudicis à iudico,& index indicis, ab indico.Nam ſi iuncto verbo iudex,auctore Varrone,dicitur qui ius dicit:veriſimile eſt voce ſimplici ſimiliter eum qui dicit dicem appellatum.Quin cũ manipuli Caſtrenſes eidem dicerentur dices,perſpicuum eſt dex fuiſſe ſingularis numeri, vt iudex, index Soſipater dicis nomen indeclinabile eſſe vult, vt affatim, ſponte,nequam,ergo,& huiuſmodi. Dicis cauſſa autẽ nihil aliud eſt,quàm leuiter,defunctoriè,& vtcunque. Græcis,ἀφοσιώσεως χάριν, vt vſurpauit Modeſtin.l.13.D. de excuſ.tut.vel ὅσον ἀφοσιώσασθαι. tractũmque eſt, vt vult Turnebus,ab his,quæ vt religione defungamur, vtcunque facimus,cum ſimulata olim in ea pro veris haberentur,& qualiacũque fere pro optimis dicarentur:vultque dictum, tanquam dicationis cauſſa. Qui igitur ad dolum tegendum colore quæſito, magis quã ex animo aliquid agit, quo ſe feciſſe dicere poſſit, quod factum nollet, quíque apud Iuriſconſ. Luſoriè, perfuſoriè,tranſlatitiè,defunctoriè munere fungi, aut quid agere dicitur,is apud vetuſtiores, Dicis imo, & Dicis cauſſa facere dicebatur.Illius exempla non ſuppetunt,huius plurima.Varro eod.libr.Dicis cauſſa fiebant quædam neque ite facta,neque item dicta ſemper.Cice.in Orat.pro Muræna:Sed anne tu,dicis cauſſa,vindicaueris?Et in Verrem:Artagatho imperat vt aliquid illis,quorum argentum fuerat,nummorum dicis cauſſa daret.Sic l.j. D. ad Syll. Vlpian. Excuſantur ſerui qui auxilium tulerunt ſine dolo malo;nam ſi finxerit quis auxiliũ ferre,vel dicis gratia tulit,nihil hoc commentum illi proderit. Dicis gratia ibi exponit Hotom.propter eum qui aderat, ac dicere poterat ſeruum conatum eſſe ſuum dominum defendere.Sic Caius.l.4.D.Commod.& Plin.lib.37.c.2.In Lexico B. Germani ad vrb.vertitur id eſt,vt iuris ſolemnitas obſeruetur. νόμου χάριν. λόγου χάριν.

Dicere ſignificat adfirmare.l.18.D.de ædil. edicto.Ceterùm,quod venditor dicit,vt commendet, accipiendum eſt quod ad præſtationem adtinet, quanti neque dictum neque promiſſum.l.j.D.de dolo mal.Cicero.3. Offic.Sin autem dictum non omne præſtandum eſt, quod dictum non eſt. Dicere,pro ſuadere,vel conſulere.c.iam nunc.28.q.j.

Dicere dotẽ in antiquorum libris,eſt certis verbis, nulla interrogatione vel ſtipulatione præcedente, polliceri dotem: cuiuſmodi dictione has duntaxat perſonas, mulierem videlicet debitorémque eius, parentẽ item virilis ſexus obligari olim potuiſſe ſcribunt Vlpianus tit.6.Gaius lib.2.c.9.quibus ſolis dotis dictionem tribui animaduertere eſt l.fi.C.The. de inceſt. nupt. Terent.Heautonti.act.5.ſcena.j. Hinc Dictio dotis quæ à promiſſione ſeparatur.l.fi.C.Theod.de dotibus. Vlpiano Inſt.tit.6.& 11. Promittere enim dotem, cum ſtipulatione eſt.

Dicere inofficioſum teſtamentum,eſt arguere & accuſare & allegare,quare exhæredari, præteririve non debuerit.l.3.D.de inoff.teſt.Item docere ſe immerẽtem, & ideo indignè præteritum, vel etiã, exhæredatione ſummotum.l.5.eod.tit.Pro eodẽ,dicere de inofficioſo, apud Scæuol.l.20.D.eod.Qui de inofficioſo vult dicere,licet negetur filius,&c.Sic & alibi ſæpiſſime. Eodẽ modo

Dicere ruptum,irritum,falſum teſtamentum.l 8. §. ſi quis, D.de inoff.teſt.l.5.D.de pet.hæred.

Dicere ius,eſt,cùm iudex de iure & æquo faciẽdo ſententiam fert,ac promulgat. Hinc Dicere ſententiam exiſtimatur arbiter,cum ea mente quid pronunciat, vt ſecundum id diſcedere litigatores à tota controuerſia velit,vt tradit Paulus.l.qualem.D.de recept.

Dicere legem eſt conditionem in contractu apponere; nam lex contractus appellatur pactum in principali negotio appoſitũ.Vlpian.in l.quo tutela.73.D.de reg. iur.Nec paciſcendo,nec legem dicendo,nec ſtipulando quiſquam alij cauere poteſt.Sic in l.legem.C. de pact.l.j.C.de pact.conuent.

Dicere multam pro infligere,& irrogare.l.10. D. de iud.l. 10.D.de cuſto.reo.vide Multam dicere.

Dicere vindicias,pro dare & adiudicare.l.2.§. initium.D. de orig.iur.& apud Liuium libr.3.Inuidiæ proximus, quòd in vrbe fuerat,cum iniuſtæ vindiciæ dicerentur. At in tit.D.ſi menſ.fal.mod.dix.renuntiare dicitur.

Dictvm,& promiſſum in venditione ſeparatur.Dictũ, quod verbotenus pronuntiatũ eſt,nudóque ſermone finitur:Promiſſum verò & ad nudam pollicitationẽ, & ad ſponſionem pertinet.l.8.l.19.§.j.D.de ædil.edi.

Dicta facta, eleganti combinatione dicimus, ſignificantes omnem prorſus rẽ geſtam inter aliquos.

Dictio dotis,vide Dicere dotem. Et

Dictio teſtimonij,id eſt ius dicẽdi teſtimonij:vt factio teſtamenti,quo ſuo loco exponitur. Terentius in Phormione:

Seruum hominem cauſſam orare leges non ſinunt. Neque teſtimonij dictio eſt.

Dictare actionem,Paulus in l.non diſtinguemus.§. illud in principio.D.de recept.arbit.eodem ſenſu,quo Terentius Impingere dicam, dixit.Idem in l. ſi ſeruus depoſitus.in fi.D.de nox.action. Iudicium dictare vocat.Tranquillus,Intendere formulam dixit;vulgò nũcupamus,Inſtituere actionem.Vlpian.l.j.D.de edend. Qua quiſque actione agere volet, eam edere debet, vt proinde ſciat reus,vtrum cedere, an cõtendere vltrà debeat.Edere etiam eſt deſcribendi copiam facere,vel in libello complecti, & dare vel dictare. Eum quoque edere.Labeo ait, qui producat aduerſarium ſuum ad album,& demõſtrat quod dictaturus eſt, vel

id dicendo quo vti velit.Porrò dictata dicuntur, quæ alio præeunte verba ſcribi conſueuero: (Barbari pronunciare ad pennam dicunt) ita & quæ natura nobis excipientibus ſuggerit,dictare dicitur. Teſtis eſt Catanæus, doctiſſimus grammaticus, qui dictare apud Plinium lib.Epiſt.2. exponit, componere, ſuggerere: indicátque ex lib.5.Epiſt.Senecæ colligi poſſe,quo differat à dicere.Tum dictata ſunt, inquit, quæ ludimagiſter de aliquo auctore pueris tradit interpretamenta,vt perdiſcăt,eadémque ipſi pòſt paululum ita reddant,vt tradita ſunt:quod & Catanæus Cicero.teſtimonio probat.Obſeruanda autem pulchra metaphora apud Pompo.in l.2.D.de orig.iu.§.nouiſſimè. Nam ſicut dictari cenſentur ea,quæ non noſtro affectu,ſed alio præeunte,verba ſcribimus:ita & quæ viciſſitudo rerum,volente Deo,ſuggerit,ea excipimus, & volentes,nolentes ſequimur,quia natura dictat. Apud Barbaros dictare rationem, facere computum dicitur. Dictare etiam dicitur teſtator quæ teſtamentario excipiente legat.l.93.D.de leg.3.l.9.§.j.D.de hæred.inſtit. Vnde dictante teſtatore legatum ſcribi dicitur. l.15.§. itẽ Senatus.ad fi.D.de falſ.l.j.2.3.C.de his qui ſibi teſt. adſcrib.

DICTATOR, vt inquit Varro lib.4.de Ling. Lat.ſic dictus eſt,quod à Conſule dicebatur,cuius dicto audiẽtes omnes eſſent. non enim à populo in comitiis (vt teſtantur Dionyſ.lib.5.Plutar.in Marcel. & Liuius lib. 9.22.& 23.) vt cæteri magiſtratus:ſed à Conſule captatis auſpiciis nocte ac ſilentio dicebatur. Is etiam apud veteres magiſter populi dicebatur, auctore Cicerone in lib.de Fin.Rectius,inquit,Magiſter populi (is enim eſt dictator) quàm Sylla, qui trium peſtiferorũ vitiorum,luxuriæ,auaritiæ,crudelitatis,magiſter fuit. Item Seneca libri Epiſt.19. Epiſt. 109. Præterea notat eum quem nos dictatorem dicimus, & in hiſtoriis ita nominari legimus,apud antiquos Magiſtrum populi vocatum:hodiéque id extat in auguralibus libris: teſtimonium eſt, quod qui ab illo nominatur, Magiſter equitum eſt.Plutarch.Dictator nõ à populo, aut à patribus creari poteſt: ſed alter Conſulum, quem vult Dictatorẽ dicit,vnde quia ita dictus ſit, Dictator appellatur.Dionyſius autem Senatuſconſultum factum ſcribit,vt Conſules qui tum erant, magiſtratúſque reliqui ſe abdicarent, vnúſque vir quem Senatus nominaret,populus ſciſceret, haud amplius quam per ſex menſium ſpacium ſine prouocatione,& maiore quam Conſules poteſtate, imperaret. Cauſſam creandi Cicero lib.de Legib.3.ſic explicat: Aſt quando duellum grauius,diſcordiæve ciuium poſcunt, Dictator eſto, ne amplius ſex menſes,niſi ſenatus creuerit:idem iuris quod duo Conſules teneto. Iſque aue ſiniſtra dictus, populi Magiſter eſto.Dionyſius eius imperiũ libr.5.ſic exponit: Οὗτος πρῶτος ἐν ῥώμῃ μόναρχος ἀπεδείχθη πολέμου τε καὶ εἰρήνης, καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος αὐτοκράτωρ. ὄνομα δ' αὐτῷ τίθενται δικτάτωρα, εἴτε διὰ τὴν ἐξουσίαν τοῦ κελεύειν καὶ διατάττειν ὅ, τι θέλοι, τά τε δίκαια καὶ τὰ καλὰ τοῖς ἄλλοις, ὡς ἂν αὐτῷ δοκῇ, &c.Pompon.l.2.§.10.D.de orig.iur. Populo deinde aucto,cum crebra orirentur bella, & quædam acriora à finitimis inferentur: interdum re exigente placuit maioris poteſtatis magiſtratum conſtitui. Itaque Dictatores proditi ſunt, à quibus nec prouocandi ius fuit,& quibus etiam capitis animaduerſio data eſt.Hunc magiſtratum, quoniam ſummã poteſtatem habebat,non erat fas vltra ſextum menſem retinere.Præter ſuperiores cauſſas quibus Dictator creabatur,nimirum rei gerendæ & ſeditionis ſedandæ:inuenitur etiam creatus fuiſſe claui in peſtilẽtia figendi cauſſa:de quo Liuius libr.6. commemorat: item comitiorum habendorum,eodem auctore lib.7. & 9.Quæſtionis exercẽdæ,vt apud eundem lib. 9. Ludorum faciendorum, Senatus agendi, feriarum Latinarum:vt paſſim apud eundem legimus: Tantum autẽ illius erat imperium,vt eo creato magiſtratus omnes, præter Trib.pleb.imperio ſe abdicarent, auctore Plutarch.in Fabio,& Polyb.lib.3.vbi etiam cum in hoc à Conſule differre ſcribit, quòd Conſulem duodecim tantum ſecures præcederent, hunc vero vigintiquatuor:præterea illos neceſſe eſſe multa referre ad Senatum:ad huius ſummum liberúmque imperium.Duo verò eſſe dictatores nõ poterant,ac ne Dictator quidem ſine magiſtro equitum:auctore Dionyſ.libr.5.& Liuio lib.23.niſi fortaſſis tunc cum Minutij magiſtri equitum imperium cum Fabij Dictatoris ſumma poteſtate æquatum eſt,vt refert Polyb.lib.3. Neque extrà Romanum agrum,hoc eſt Italiam, dici poterat,vt Liuius lib.27.ſcribit.Nonnunquam & Senatus populum rogari decernebat,vt quem vellet Dictatorem iuberet,qui deinde à Conſule diceretur.cuius rei exẽplum extat apud Liuium eod.lib.Quin & L.Cornelius Sylla Dictator à L.Valerio Flacco Interrege dictus eſt, auctore Appiano lib.j.de bel.ciuili.Caium autem Iulium Cæſarem Senatus Dictatorem creauit, vt Plutarch.in eius vita ſcribit.At olim de patriciis Dictator creabatur,& id lege erat ſancitũ:nec prius de patriciis creari deſiit,quàm creari duo conſules patricij deſierunt.C. vero Marcus Rutilus primus de plebe Dictator dictus eſt à M.Popilio Lænate cõſule plebeio, anno ab vrbe condita.390.Eadẽ lege erat ſancitum (vt refert Plutar. in Fabio) ne Dictator equo poſſet vti,idque vel ob eã cauſſam,quòd cum plus ineſſe roboris in pedeſtribus copiis putaretur, propterea in legione permanere, nec locum deſerere deberet imperator:vel quod cum ad alia omnia dictatoris eſſet ſingularis poteſtas,in hoc vno voluerunt eum pop.inferiorem videri. Id tamen petenti Fabio Max.à ſenatu conceſſum, contra veterem cõſuetudinem,datúmque id hominis virtuti ac tempori.

DICTATVRA, munus illud Dictatoris.

DICTVÆ, ſunt columnæ eccleſiæ, in quibus imagines patrum in ſuo catalogo ponuntur:vel ſunt tabulæ, in quibus quid ſcribitur,vel pingitur.

DIDRAGMA valet duos denarios, Archidiacon.c.magnum.11. q.j.Vel duas dragmas,ac teſte Budæo tãtum quantum ſeptem ſolidi noſtri turonici.

DIDVCERE eſt diuidere,& diſtinguere, Inſt. de oblig. quo verbo vtitur etiam Cæſar:Dimittẽdæ plures manus diducendíque erant milites.

DIENSES, Macedoniæ populi,l.fin.D.de cenſibus. Vide Plin.lib.4.c.10.

DIES, nomen habet à Ioue,quẽ Græci Δία vocant. Tradit enim Macrob.lib.j.Saturn.c.15.Iouẽ eſſe lucis auctorẽ,vnde & Lucetium Salij in carminibus canunt, & Cretenſes Δία τὴν ἡμέραν vocant. Ipſi quoque Romani Dieſpitrem appellant,id eſt diei patrem.Atque hinc,vt vult Varro lib.4.de Ling.Lat.Dei dicti,quinde & Dies & Dius & Diuus.Vnde ſub dio, diuo. Dies autẽ apud varias gentes variè accipiebatur.Nam apud Romanos,à media nocte ad mediam noctẽ ſequentẽ, finiebatur,vt in l.more.D.de feri.More Romano (inquit Paulus) dies à media nocte incipit, & ſequentis noctis media parte finitur.Ita quicquid in iis vigintiquatuor horis,id eſt, duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum eſt, perinde eſt, quaſi quauis hora lucis actum eſſet.Apud Ægyptios ſimili modo obſeruatur.Apud Athenienſes totum id tempus, quod ab occaſu ad occaſum eſt, dies habebatur. Nunc ab ortu ad occaſum ſolis,vulgò nuncupamus diem, more vetuſtiſſimo, quo dies primùm in duodecim horas eſt diuiſus.Vnde Chriſtus ſeruator noſter, Ioan.11.Nónne,inquit,duodecim ſunt horæ diei.Et Geneſ.1.Et diuiſit

uiſit lucem à tenebris, adpellauítque lucem diem, & tenebras noctē. Quò reſpexit Proculus in l. hæc verba. D. de verb. ſign. Diſiunctiuum eſt (inquit) veluti cū dicimus, AVT DIES, AVT NOX EST; quorum poſito altero, neceſſe eſt tolli alterum: item ſublato altero, poni alterum. Et Claudius Saturninus in l. aut facta. D. de pœnis. Tempus (ait) diſcernit emanſorem à fugitiuo: & effractorem vel furem diurnum à nocturno. Dies præterea accipitur pro tempore interminato, idque fœmineo genere, vt, Longa dies nihil non in aliam transfert faciem. Vnde eſt iſta locutio: Promittis annua, bima, trima die, hoc eſt, tempore vnius, duorum, trium, annorum, dare decem? Vlpianus in l. 3. D. de annu. legat. Dies igitur in iure Ciuili intelligendus ſecundum ſubiectam materiam. Nam cùm aliquid tractatur, quod aliam rationem in luce, aliam in tenebris habet, antiquiſſima, & vulgaris diei appellatio retinenda eſt. Sin autem quæratur de cōtinuo temporis ſucceſſu, ſequi oportet Romanam inſtitutionē, vt in materia præſcriptionum. Nam tempus ita noctu procedit, ac die, ad complendam vſucapionem. Vlpianus in l. in vſucapionibus. Et l. ſeq. D. de vſucapio. Ideóque, inquit, qui hora ſexta diei Kalendarum Ianuariarum poſſidere cœperit, hora ſexta noctis pridie Kalendas Ianuarias implet vſucapionem. At Dies, ob commoditatem hominū, à nocte diſtinguitur in duodecim horas, quotieſcunque de his rebus tractatur, ad quas neceſſaria eſt lux: vt ſi quis operas diurnas promiſerit. Non enim noctu eas præſtare tenetur, & ne quidem poteſt ſine alterna requie. Quamobrem magno errore adpellant hunc diem artificialem, credo propter horologium arte factum: alioquin accedit nō minus ad naturam, quàm dies naturalis. Dixit enim DEVS, Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem & noctem, Gen. j.

Dies quidam ſunt naturales, quidam ciuiles. Dies naturalis eſt tempus ab exoriēte ſole ad ſolis occaſum, cuius contrarium eſt nox ab occaſu ad ſolis ortum. Dies verò ciuilis, tempus quod fit vno cœli circum actu, quo dies verus & nox continetur: vt cum dicimus aliquem dies triginta tantum vixiſſe: relinquitur enim etiā noctes intelligi. Nox enim teſte Seruio pars eſt diei: ſed diem dicimus à parte quam conſtat eſſe meliorem. Sic accipitur in d. l. more Romano. qua de re vide Cenſorinum lib. 19. de die natali. Plinius lib. 2. c. 77. totā hanc rem his verbis explicat: Ipſum diem, inquit, alij aliter obſeruauere. Babylonij inter duos ſolis exortus: Athenienſes inter duos occaſus; Vmbria meridie in meridiem: vulgus omne à luce ad tenebras. Sacerdotes Romani, & qui diem diffiniere ciuilem, item Ægyptij, & Hipparchus, à media nocte in mediam. Vide Macrob. lib. j. Sat. c. 3. & Gell. lib. 3. c. 2.

Dies aut feſti ſunt, aut profeſti, aut interciſi. Feſti diis dicati ſunt: Profeſti hominibus, ob adminiſtrādam rem priuatam publicámque conceſſi. Interciſi deorum hominúmque cōmunes ſunt. Feſtis inſunt ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ: Profeſtis faſti, comitiales, comperēdini, ſtati, prœliares. Interciſi, in ſe non in alia diuiduntur. Illorum enim dierum quibuſdam horis fas eſt, quibuſdam fas non eſt ius dicere, vt cum hoſtiæ cæderentur. Hinc Ouid. in Faſt.

Nec toto perſtare die ſua iura putaris,
Qui iam faſtus erit, mane nefaſtus erat.

Faſti dies ſunt, quibus licet fari Prætori tria verba, Do, dico, addico. his contrarij ſunt nefaſti. Comitiales ſunt, quibus cum populo agi licet. & faſtis quidē lege agi poteſt, cum populo non poteſt: comitialibus vtrū que poteſt. Comperendini, quibus vadimonium licet dicere. Stati, qui iudicij cauſſa cum peregrino inſtituuntur. Præliares, quibus fas eſt res repetere, vel hoſtem laceſſere. Ex Macrob. lib. Sat. j. c. 15.

Dies ATRI dicebātur, quibus legiones educere, aut acies cum hoſtibus cōmittere, vel quicquam reipubl. agere religio non ſinit Alex. ab Alexand. lib. 2. Genia. die. c. 5.

Dies alia CERTA, alia INCERTA. Certa cuius tempus certū, ac definitum eſt, vt Kal. Iulij. Incerta (vt ait Paulus. l. ſi dies. D. quando dies leg. ced.) cuius tēpus incertum eſt, vt, Cum in ſua familia nupſerit, Cū magiſtratum inierit. Sic. l. j. & l. 75. D. de cond. & demonſtr. vnde intelligimus hunc diem habere vim conditionis.

Dies alij CONTINVI appellantur, alij VTILES. Vtiles dicuntur à Græcis ὡρισμένοι, qui faſti olim dicebantur, hoc eſt quibus experiundi iuris ſui poteſtas eſt. l. j. D. de diuerſ. temp. præſcri. l. miles. §. quædam. D. de adult. l. iure. C. eod. Continui verò ſunt συνάπτοι καὶ διηνεκεῖς, hoc eſt non interrupti, ſed connexi, cohærentes, tam vtiles, quam (vt ſic loquar) inutiles. l. 2. D. de colluſ. deteg. l. 24. D. ad Velleian. l. 31. D. de adult. l. 8. D. de his qui not. infam. l. 38. D. de excuſat. tut.

Dies CRASSI apud Perſium, qui clara lucidáque luce carent, craſſúmque & concretum habent cælum.

Dies CRETIONIS, præfinitus dicitur dies à teſtatore ſcripto hæredi ad adeundum hæreditatem.

Dies CVRIÆ, apud Cicer. j. de Orat. Tantáque eſſet in homine iucunditas, & tantus in iocando lepos, vt dies inter eos curiæ fuiſſe videretur conuiuium Tuſculani. Sunt qui pro ſenatus die ſumant, propterea quæ præcedunt: Turneb. tamen Aduerſ. lib. 12. c. 13. Diem curiæ eo in loco ſumit pro die quo curiales rem diuinam in curia ſua faciebant, hilaritérque epulabantur: mæſtus enim & triſtis ſermo inde exulabat, & inauſpicatus infauſtúſque habebatur, & à re diuina alienus. Nec cōmodè dies Senatus ſignificari poſſe videtur, cū proximè antecedat lepos, & quæ ſequuntur ad eum nō ad triſtitiam ſuperioris ſermonis referenda ſint. De ſacris autem Curialium ſic Dionyſ. lib. 2. Συνέθυόν τε τοῖς ἱερεῦσιν αἱ φράτραι εἰς τὰς ἀπομερισθείσας αὐτοῖς θυσίας, καὶ συνειστιῶντο κατὰ τὰς ἑορτὰς ἐπὶ τῆς φρατριακῆς ἑστίας. ἑστιατόριον γὰρ ἦν κατεσκευασμένον ἑκάστῃ φράτρᾳ, &c. Erat quoque apud Græcos epulandi in curiis conſuetudo, vt ex Atheneo conſtat, qui θιάσους, & δεῖπνα φρατρικὰ nominat.

Dies FATALIS, dies propriè is erat, quo niſi introduceretur in iudicium cauſſa appellationis, interire ſolebat. l. 2. C. de temp. appell. l. vlt. C. vbi ſenat. Vocatur & dies temporalis. l. 32. C. de appel. nec enim illius legis verba mutanda ſunt, vt annotat Iac. Cuiacius Obſer. lib. 12. c. 4. nam ſic etiam ſumitur. l. 2. C. de temp. appel. l. 63. C. Th. de appel. l. vlt. C. Th. de repar. appel. quod & confirmat Baſilica, quæ d. l. 32. ſic reddunt, δικαζέτω κατὰ τὴν κυρίαν ἐμπρόθεσμον. Erat autem (vt idem ſcribit) longe alia ratio olim dierum fatalium, & reparationis dādæ quàm ſit hodie ex l. 2. & vlt. C. de temp. appel. nam duobus vel ſex menſibus exactis pro locorum interuallo poſt appellationem interpoſitam, vltimus erat fatalis, poſt quem lapſo litigatori intra menſes quatuor extraordinem dabatur reparationis beneficium: ita vt eſſet etiam hic exactis quatuor menſibus, dies fatalis vltimus, poſt quem nulla ſpe relicta ſecūdæ reparationis, ſententiæ latæ neceſſariò obtemperādum erat, perinde atque ſi non fuiſſet appellatum. & huic iuri locus erat non tantùm in appellationum cauſſis, ſed etiam in omnibus cauſſis quæ ex reſcripto principis inſtituebantur, datis certis temporibus ad denunciandum, edēdúmque reſcriptum. l. j. C. The. de temp. curſ. &c. Plura de his Cuiac. loco ſupracitato.

Dies FERIATVS, quo feriæ aguntur, hoc eſt, quo à forēſibus negotiis vacatio datur. l. 2. D. ſi quis in ius voca.

Dies LEGITIMI, id eſt, dilationes ordinariæ, Budeo in prioribus. Dies etiā legitimi dicebātur Aſco. Pediano

viginti,qui dabantur ad accuſandum.

Dies INTERCALARIS, biſſextilis.l.cum Biſſextus.D. de verb.ſig.Vide Biſſextus.

Dies IVSTI dicuntur tempus faciẽdi iudicati, quod erat menſis vnius ex XII.Tab.ſiue.30.dierum. Ex conſtitutionibus verò Impp.eſt duorum menſium,vt oſtenditur in l.2.C.Th.de vſur.rei iud.

Dies QVINQVENNII,apud Proculum in l. Atilicinus. D.de pactis dotalibus, pro quinto anno.

Dies SESSIONVM, quibus ſedet iudex pro tribunali,qui continuis etiam ſunt aduerſi,non tamẽ ſemper ſunt vtiles.nam ſæpe fit vti die ſeſſionum experiundi quis poteſtatem non habeat:contra dies vtiles plerũque ſunt,quamuis ſeſſionum non ſint, vt puta ſi talis ſit res quæ de plano & feriato die poſſit expediri. De his agitur in l.2.§.j.D.quis ord.in bon. poſſ.ſeru.& l.is cui.§.ſatisfactionis.D.vt in poſſ.legat. Seſſionũ enim hoc in loco,non poſſeſſionum, vt habetur in Pand. Flor.legi vult Duar.lib.2.Diſp.c.16.l.Cuiac. obſer.lib. 2.c.18.

Diei cuiuſque maior pars eſt ſeptem horarum primarum diei.l.2.vbi Alciat.D.de verb.ſign. Vergilius autem dixit Diei meliorem partẽ eſſe, quæ meridiẽ antecedit.

Diem abire.l.j.§.quod ſi in lite.D.ſi quis in fraud.patro.

Diem ædere,apud Iuriſconſultos, pro publicè proſcribere,& iudicare diem.Hinc apud Cicer.lib.j.in Verrem, Iſte verò nõ procraſtinat,locare incipit,non proſcripta atque ædita die.ſic enim legendum non edicta, edicta tamen adiectiuo vtitur Liuius lib.45.Senatus in triduum ſupplicationes decreuit, vt Latinæ edictæ ſunt à Conſule in ante IIII. & III.& pridie Id. Nouemb.vt in vulg.aut prodicta,vt Lamb.legit. Ita enim Varro lib.5.Prodixit diem, id eſt denuntiauit & Cic. Pro domo:Nec niſi prodicta die quis accuſetur.

Dies actionis exire dicitur,cùm finitur tempus,quo actio durat.l.4.D.ne quis eum,qui.l.j.& 21.D.quibus ex cauſ. maior.

Diem cedere,aliud eſt quam venire.l.cedere diem.D. de verb.ſignifi.Cedere enim diem ſignificat incipere deberi pecuniam:venire diem,eſt eum diem veniſſe,quo pecunia peti poteſt.

in Diem differri,ſub conditione contrahi dicitur negotium.l.j.§.item mandatum.D.mandat.

Diem procedere.l.ſi plures.D.de bonor.poſſeſſ. Diem proferre,eſt diem prorogare, Vlpia.in l. Labeo ait.& l.arbiter ita ſumptus.D.ibidem.Diem referre & proferre,Papinianus tit.D.de recept.arbit.l.33.ſeperat.Arbiter ita ſumptus ex compromiſſo, vt & diem referre poſſit:hoc quidem facere poteſt:proferre autem,contradicentibus litigatoribus,non poteſt.

ex Die promitti dicitur cum ex die incipit obligatio: ad Diem,vt die illo finiatur.l.44.D.de oblig.& act.

Dies REPETITA, id eſt,vt vulg.dicimus,antedatata,l.2. D.de fid.inſtr.& vide infrà in verb.Repetere.

DIFFAMARI, medium verbum, in bonam aliquando partẽ accipitur.Auguſtinus de ciuitate Dei, lib.5.Romanum imperium tam longè latéque non potuiſſet augeri,& tam grandi gloria diffamari.In malam verò partẽ frequẽtius reperitur vſurpatũ,pro eo ferè,quod eſt infamare,ſiue id iure,ſiue iniuria fiat.Iure, cùm dicimus,actionem & ſententiam infamare.Iniuria,cùm ſceleratus aliquis dilacerat famam proximi,ductus ad hoc prauo quodam affectu,ſicut in l. diffamari. C. de ingen.manu. Nam diffamare, eſt per diuerſas partes famam diuulgare,vitiorum facta commemoratione. Hieronymus:Si Origenem, inquit, nunquam ſecutus ſum,fruſtra infamare me cupitis. Tacitus: A Nerone probroſo carmine diffamatus,cõtumelias vltum ibat.

DIFFAMATVS quis dicatur,explicat Bart.noſter.l.turpia.D.de leg.j.

DIFFAMATOR iniuſtus delinquit, occidit hominem, furatur nomen,improbo lædit teſtimonio.

DIFFICILIS quæſtio dicitur,quando res probari non poteſt,& probatu difficilis eſt.l.cũ hic ſtatus.§.ſi ambo.D.de dona.int.vir.& vxor.

DIFFICILE dicitur quandoque, quod nullo modo fit. 2.q.6.biduum.ver.ſed aduerſus.& gl.fi.de teſti. c. præſentium.exponit,non de facili,id eſt,nullo modo. Adde quòd difficilè interdum exponitur,tarò,vt D.de legat.3.l.Seio.& l.hæres meus.§.vxori.Aliquando difficile,ponitur pro nũquam.j.q.j.ſi quis neque. & c.principatus.& ibi not.Aliquãdo difficile exponitur, id eſt, laborioſum,in Auth. Vt hi qui ob.ſe ha.per.res mi.§. quoniam autem.Aliquando,vix.67.diſt.c. quantum libet.& ibi not.Item qualiter difficile & facile intelligitur,vide de hæred.inſt.l.ſeruus.Difficile, hoc eſt,periculoſum,Hoſt.c.requiſiuit.de ſponſalibus. Difficile autem & impoſſibile propemodum non diſtant. Vlpian.famil.ercíſc. Si familiæ erciſcundæ, inquit, vel communi diuidundo iudicium agatur, & diuiſio tam difficilis ſit,vt penè impoſſibilis eſſe videatur.Felin.in c.eccleſia S.Mariæ. extra conſtit. verſ. ſecundum notab.eſt.

DIFFICVLTER facere,eſt quaſi non facere.c.qui obligationes.23.q.2.

DIFFICVLTAS pro incommodatione, apud Paul.in l. 2.§.ex his.D.de verb.oblig.Sed non facit,inquit,inutilem ſtipulationem difficultas præſtationis.Difficultas magna,ferè fortuito caſui æquiparatur.l.non dubium. in fi.D.de leg.3.Publicas difficultates,probi auctores accipiunt pro penuria rei nummariæ.

DIFFIDARE, eſt feidam,hoc eſt bellum incidere,hoſtem declarare, vt in voce Feida exponitur. Frideric. lib.Feud.2.tit.59.§.4.Perpetua damnamus infamia,diffidamus,atque bannimus. Sic apud Petrum de vineis lib.epiſt.3.c.85.Penitus deneges opportunitatẽ, quam tecum ſoliti ſunt habere,& diffides eos tanquam inimicos noſtros & imperij.Ponitur etiam pro priuatas inimicitias denuntiare, quemadmodum docetur in voce Feida.Notandum autem populi Rom. inſtituto amicitias renuntiatas fuiſſe,& domo interdictas.Sueton.in Claudio:Ac ne tunc quidem vltra progreſſus, quàm vt amicitiam ei renuntiaret, mandarétque domeſticis vltionem,ſi quid ſibi accideret.Tacitus libr.5. Sed Cæſar miſſis ad Senatum literis diſſeruit morem fuiſſe maioribus,quoties dirimerent amicitias, interdicere domo,eúmque finem gratiæ ponere. At Conradus.IIII.Imperator in aurea bulla.c.18.iubet diffidationes priuatas fieri per triduum palam ac teſtato. Non licere,inquit, prætextu diffidationis quempiam inuadi per incendia,ſpolia, vel rapinas, niſi diffidatio per tres dies naturales ipſi diffidando perſonaliter, vel in loco quo habitare conſueuit, publicè fuerit intimata;poſsítque de intimatione eiuſmodi per teſtes idoneos fieri plena fides. Hinc

DIFFIDATIONEM vulgus vocat denunciationẽ hoſtibus factam, antè quàm committatur bellum,quæ nõ minus quàm trium dierum tempus complecti debeat. Vnde eſt tit.de diffidat.in Longobard.legibus.

DIFFINDI dies in XII. Tabulis dicebatur, cum differri,& in alium diem reiici iubebatur. l.2. §.ſi quis.D.ſi quis cautio.Nec tamen propriè idem omnino eſt differre & diffindere, ſed ex diffiſione ſequitur dilatio: idcirco nihil refert dixeris morbo ſontico differri diẽ, vt l.quæſitum.D.de re iud.an diffindi,vt loco præcitato.quo loco etiam Græci diffiſum iudicium, dilatum interpretantur, his verbis: τὸ δικαςήριον ὑπὲρ τίθεται ἢ εἰς τῶν δικαζομένων ἢ τοῦ δικαςοῦ νοσοῦντος. Propriè autem diffindere diem, eſt diuidere, infringere, interrumpere iudicij diem,ſiue tempus illud,quo iudex,aut alte

alterutrer ex litigatoribus morbo ſontico laborat,demere numero dierum,quibus iudicium fieri,iudicióve ſiſti oportet.Varro vno loco:Æſtate diem meridie diuidere:quod eſt partem ſolido demere de die.alio diffindere:Si non diffinderem,inquit,meo infiticio ſomno meridie.Et in elegantiſſimo quoque illo Horatij ſermone & Trebatij Iuriſconſulti:

Nihil hinc diffindere poſſum.

Id eſt nihil quidquam deducere ex tua ſententia poſſum.Vide Acronem in illum locum. Hinc

DIFFISVS dies,id eſt prolatus, in l.27.& l.33.D. de recept.qui arb.Sic apud Vlpian.l.2.§.2. D.ſi quis caut.vbi tamen Bud.item & Hotom.Diffuſum legi volunt, vt ea forma dicatur dies diffuſus,qua vinum diffuſum, quod ex dolio in aliud vas transfunditur. Hinc apud A Gellium lib.14.c.4.

DIFFISIONES,id eſt,prorogationes,& dilationes.

DIFFVNDVNTVR vina propriè, quæ poſteaquàm defæcata ſunt,in doliis conduntur,tranſuaſantúrque.Iulianus.l.cùm quæritur.de leg.3.Nam ſi vina diffudiſſet, habiturus vſui.Item Proculus de Trit.& vin.leg. Cùm vinũ,inquit,quod in amphoris,ſeu cadis diffuſum eſt.

DIFFVSA, in diuerſis,diuiſiſque locis ſita, & conſtituta,& poſita.l.decreto.24.D.de admini.tut.Quotiéſque vel diffuſa negotia ſunt,aut dignitas,vel ætas, aut valetudo tutoris id poſtulet.Sic.l.teſtaméto. C. de excuſ. tut.Sed propter late diffuſum patrimonium, an tibi adiungi aliquos curatores oporteat.Id eſt in diuerſis locis conſtitutum.

DIGESTA, libros.50.quibus omne ius vetus collectum eſt adpellat Iuſtinianus A.qui omnes diſputationes,& deciſiones legitimas in ſe habent. l. 2.C. de vete. iu. enucl.Ea autem in ſeptem partes digeſſit.Horum methodum confirmat I. Droſæus in Methodo iuris vniuerſi.Equidẽ à methodo Q.Mutij,de qua M.Cicero in libris de Oratore,diſcedere non auſim, atque ita tradẽdum ius,ídque facilius adfirmo. Porrò quibus notis Digeſtorum libri ſignificarentur,ex Euſtathio Græco interprete in lib.*περὶ χρονικῶν διαςημάτων* diſces.is enim in hunc modum Digeſtorum loca præcidit, *ὡς β ιγ τῶν διγ.τ.γ.* vnde nec immerito Iuriſconſultiſſimi noſtri temporis maiuſculo elemento. D. Digeſtorum libros ſignificant,rectè.Vulgus interpretum geminis.ff.notat.Vnde autem error ille ridiculus dimanarit, docere nituntur And.Alciatus lib.3.Diſpunct.c. 16. & I. Coraſius præceptor meus in Miſcellaneis.

DIGITVS apud Iuriſconſultum in l.Lucius. de ſeruit. ruſt. præd. Do concedóque tibi digitum aquæ. Modulus eſt aquarius, ſiue fiſtula digitaria, per quẽ aquæ fluxus diuiduntur, perinde ac parietum prominentiæ per pedes diuidi ſolent, l. ſi quando. D. ſi ſeruit. vendic.Nebriſſ.ait. Digitus aquæ,ſextadecima pars pedis, vncia verò duodecima. Eſt autem pars minima agreſtium menſurarum.inde vncia habet digitos tres, vt eſt in lib. variar.auct.

Digitum tollere, apud Cicer.libr.1. in Verrem: Iſte verò non procraſtinat, locare incipit, nõ proſcripta atque ædita die, alieniſſimo tempore, ludis ipſis Romanis, foro ornato. itaque renunciat Rabonius illam deciſionem tutoribus. accurrunt tamen ad tempus tutores, digitum tollit Iunius patruus: iſti color immutatus eſt:vultus, oratio, mens denique excidit. quid ageret cœpit cogitare.Si res abiret ab eo mãcipe,&c.Signum eſt aſſentientis & acceptantis locationem quæ proponeretur.Solebant enim veteres templa deum, vias vrbis, vectigalia certo pretio propoſito, cuilibet de populo, qui modò antè prædibus & prædiis cauiſſet,publicè elocare: ídque,vt ex Cicer. libr. de legibus iudicare eſt,per Cenſores fiebat, qui deinde præfinito tempore locationis exacto,diligenter perſpicere ſolerent & rationem exigere, an vel templa ſarta tecta eſſent,vel viæ,ita vti conuenerat, munitæ:quam etiã curam,iis impeditis,vel non electis,Conſules aut Prætores habuiſſe videtur. Qui igitur auctorem ſe locationis eſſe profiteretur,& hãc vel illã ædem tuendã ſuſcipere vellet,digitum tollebat,eáque manus ſignificatione cõducere ſe & redimere id opus oſtẽdebat.

Digitũ proferre,prouerbialiter dictũ apud Cic.in Orat. pro Cæcina pro aliquid velle dicere vel agere. Denique, inquit Cic. nimia iſta quæ dominatur in ciuitate potentia, in hoc ſolo genere quieſcit:quid agat, quomodo aggrediatur iudicem, qua denique digitũ proferat,non habet.vide Eraſm.in Chiliad.

DIGNVS eſſe fundus, vel ſeruus.15. verbi gratia aureis dicitur,qui tot aureos valet.l.28.§.ſi ex decem. l.31. §. ſi duo.D.de don.inter virum & vxo. l. 19. 65. & 88. D.ad leg.Falcid.

Dignum,in §.diſponat.in auth.de nupt.hoc eſt ſecundum leges.

DIGNITAS, honor eſt alicui propter merita, ſpecialiter Principis,vel legis beneficio,impenſus, Bart.l.j.de dign.lib.12.C.vbi latè.

Dignitatum autem ſpecies, recentiorum Imperatorum ætas quatuor videtur feciſſe.Alij enim ſunt Perfectiſſimi,Clariſſimi alij, ſuperiores Spectabiles, ſupremi Illuſtres appellantur.Perfectiſſimatus dignitas prima erat,ad quam cuiuis,niſi qui ſordida conditione eſſet, aditus patebat,vt ex lib.C.12.tit.33.intelligitur. Clariſſimatus autem dignitatem inferiorem ſpectabilitate fuiſſe Theodoſius.l.5.De prox.ſacr.libr. C.10. demonſtrat:Ii quoque in quos hanc clariſſimatus conferimus dignitatem,cum ſpectabilibus etiam habere ſeſe reuerentiam recognoſcant.Itaque Clariſſimi à Spectabilibus diſtinguuntur.l.vnic.C.de annon.& c.Item vt ab Illuſtrib.in l.j.C.vbi Senat. vel clariſſ. Quicunque non illuſtri,inquit Conſtantinus,ſed clariſſima tãtum dignitate præditus,&c.itémque Nouella Cõſt.71.Spectabiles porro magiſtratus erant, vt Proconſules, Auguſtales,Comites Orientis,ſicuti conſtat ex l.32.C. de appel.& Nouell.Cõſtit.7.& 20.extremis.Illuſtribus autem eos inferiores fuiſſe,Impp.d.l.23. demonſtrant vbi appellari à Spectabilium ſententiis ad illuſtres perſonas iubent,quod idem ex l.36.eiuſ. tit. cognoſcitur.Hac illuſtris nota maior nulla eſt.nam etſi Conſulares & Patricij ſuperiores eſſent illuſtribus, nulla tamen iis nota dignitatis attribuebatur. Itaque Iuſtinianus eos hoc modo ſignificat, Qui ſupra Illuſtres ſunt,vti conſtat ex l.26.C.de vſur.& l.36. C. de appellat.& §.9.de iniur.Illuſtres autem eos fuiſſe,qui ſentẽtiæ in Senatu dicendæ ius haberẽt, in l.vlt. D.de ſenat. non Vlpian.vt vult Duaren. Hotom.ſed Tribonianus tradit.Vlpiani enim tempore,vt ex Lamprid.in Seuero,& Vlpian.l.100.D.de verb.ſign.conſtat, clariſſimi & ſpecioſi ſiue ſpectabiles iidem dicebãtur: & clariſſimi nomen etiam ad ſenatores referebatur, vt conſtat ex l.fœminæ.D.de ſenat.

Dignitatis appellatione beneficia ſimplicia continentur. c.ſi forte.de elect.

DIGRESSVS, Græcis *παρέκβασις*, à propoſito diſceſſio, Alciato.l.in bonæ.C.de pact.

DIIVDICARE, eſt concordare, & (vt Barbari dicunt) accordare,& appunctare.l.ſi oleum. D. de dolo mal. & apud Ciceronem in Tuſculan.

DILACERARE, tranſlatè ſignificat, dilapidare, diſperdere,quod prodigorum propriè eſt l.j.D.de curat.fur.

DILAPIDARE, propriè lapides auferre eſt.Iuriſconſultus pro prodigere, diſperdere, & decoquere vſurpat in §.pen.l.verum.D. de minor.cùm ait: Melior eſt cauſſa, ſecundum Pomponium, eius, qui accepit & dilapidauit, vel perdidit, ſcilicet pecuniam. A Lapide

ductum vult Hotom. in quo præcones qui auctione vendebant, ſtabant. Vnde prouerbium apud Cicer. De lapide emptus.

Dilargiri, eſt diuerſis dare.

Dilatio, eſt tempus, quod indulgetur actori, vel reo ad faciendum aliquid in re iudiciaria: voluerunt enim optimi legiſlatores dilationes neque ipſius iudicis arbitrio prorſus, neque partium affectibus relinquere. patet in rub. de feriis. Siquidem homines ſecundum naturam corruptam ſunt faciles ad litigandũ. l. ſi vnus. §. & principaliter. D. de recept. arbit. Nihil autem humanæ ſocietati pernicioſius eſt, quàm lites nimium differri. l. quidam exiſtimauerunt. D. ſi certum petatur. Hinc Paulus in l. more Romano. D. de feriis & dilatio. tam curioſè deſcribit diem, à media nocte ad mediam noctem, ne quid temporis perdatur ad expediẽdas lites. Aliàs Dilatio, eſt temporis in cauſſa prorogatio, Hoſtieñſis in Summa, qui eius genera receſet. Suſtineri iudicium. l. diuus Pius. §. fi. D. de pet. hæred. Differre iudicium: Expectare iudicium: Moram fieri cauſſæ. l. ſi quis libertatem. D. eod. tit. Impediri cauſſam, ibi. In tempus extrahere negotium. Oppo. Iudiciũ ſtatim explicare. l. de bonis. in prin. & §. ita demum. D. de Carbo. edict. non pœnæ feſtinatione, ſed præueniendi periculi cauſſa properare licet. l. ſi quis filio. §. quid tamen. D. de iniuſt. rupt. irrit. facto teſta.

Dilatoria exceptio eſt, quæ differt actionem, Vlpianus. l. 2. D. de except. & præſcript.

Dilemma, argumentũ vtrinque aduerſarium capiẽs, M. Fabio Quintiliano.

Diligens iuris Ciuilis. l. 17. D. de iur. patro. Quintil. Declam. 261.

Diligentia culpæ opponitur, vt liquet ex l. 68. D. de contrah. empt. vbi diligentiam pæſtare Proculus interpretatur vt culpa abſit. Verùm ex adiuncto verbo augetur, & intenditur vel minuitur eius ſignificatio diligentiæ. Interdum exacta, interdum ea, quam ſuis rebus quis adhibet. l. 24. §. ſi maritus. D. ſol. mat. Diligentiæ exactæ meminit Paulus lib. 1. Sentẽt. tit. 4. Hotom. Diligentiam triplicẽ deſcribit. Aut enim, inquit, infima eſt, aut mediocris, aut ſumma. Infimæ è regione reſpõdet lata culpa: mediocri culpa leuis; ſummæ culpa leuiſſima. Vide Culpa.

Diligentiæ pars eſt cauere damni infecti ædium nomine, quarum cuſtodia debetur. l. 38. D. de actio. empti.

Diligenter aduerbium accipi debet pro ſubiecta materia, apud Corſetum in ſingul. in litera D.

Dimidiam operam præſtitiſſe intelligendus non eſt, qui à meridie ad occaſum opus facit, arg. l. 2. D. de verb. ſignifi.

Diminvere, vel, vt in Pandect. Florent. deminuere, aliquando mutare ſignificat. D. & Inſtit. de capit. deminut.

Diminvtvm intelligitur, quod vſucaptum eſt. l. deperditum. D. de pet. hæred.

Dimitti anni dicuntur l. 2. D. de minorib. ex lege Iulia & Papia, cum beneficio liberorum minoribus vigintiquinque annis ad honores obtinendos dimittebantur. nam minores XXV. annis ad honores nõ admittebantur: ideoque qui habebant quinque liberos, anno XX. admittebantur, qui tres, anno XXII.

Dimitto, pro relinquo, ad vltimas voluntates pertinet. Auth. de Eccl. tit. §. ſi quis vni ſanctorum. Dimittere verbi latiſſimè patet ſignificatio. Dimittere etiã dicitur creditores, qui ſatisfecit, & eis ſoluit. l. 16. D. qui pot. in pig. hab. l. 38. D. de leg. 3. Sic l. ait Prætor. 10. D. quæ in fraud. cred. Cæterum ſi creditores dimiſit, & alios ſortitus: ſiquidem dimiſſis prioribus, quos fraudare voluit. Dimittere eſt mittere. l. vt agenti. C. de curſu publico, libr. 12. Dimittere eſt omnino liberare, & vt Galli loquuntur quittare & delibrare. l. creditor. 157. D. de diuerſ. reg. iur. antiq. Vnde Dimiſſos adpelles omnino abſolutos.

Dimittendi formvlæ ivdicii.

Dixit, cum iam ſatis fluxiſſet verborum, hanc ſibi neceſſitatem finiendæ orationis, imponebant veteres: quod etiam ab vtraque parte oratione conſumpta, vt in conſilium dimitterentur, Præco ſoleret pronuntiare, DIXERVNT. Aſconius in 2. Verrinam. Aut etiam hoc pacto, ACTVM EST, ILICET, quod à præcone pronuntiabatur. At formula dimittendi Senatus, hæc eſt: NIHIL VOS MORAMVR P. C. I. Capitol. in M. Ant. Philoſo.

Dimissvm accipere debemus militem caligatum, vel ſi quis alius vſque ad centurionem, vel præfectum cohortis, vel alæ, vel legionis dimiſſus eſt. l. quod ait. D. de iis qui not. infam.

Dimissoriæ literæ dicuntur, quæ vulgò dicuntur Apoſtoli. Dimiſſoriæ autem dictæ, quòd per eas cauſſa ad eum, qui appellatus eſt, dimittitur. l. dimiſſoriæ. 106. D. de verb. ſign. l. vnic. D. de libel. dimiſſ.

Dinvmmivm adpellatur vectigal à præſtationis qualitate, & modo. l. vn. C. de Alexandrinæ primat.

Dinvs Mugellanus ius Ciuile Bononiæ profeſſus eſt circiter ann. 1300. varios in ius Ciuile & regulas iuris pontificij commentarios edidit, in quibus doctrinæ puritatem cum primis ſecutus videtur.

Διοικητὴς, moderator, gubernator. Sic apud Cicer. qui procurationem, & quaſi diſpenſationem regiam ſuſcepit. Cicer. pro Rabirio Poſtumo: At Diœcetes fuit regius, & quidem in cuſtodia etiam fuit regia, & vita eius oblata pœnæ eſt. Ibidem: Id autem facere non poterat niſi diœcetes: hoc enim nomine vtitur, qui à rege eſſet conſtitutus. Vnde

Dioecetæ ergaſticorum, in l. 5. C. de epiſco. aud. qui operariis præſunt.

Dioeceses accipimus pro adminiſtrationibus multarum ſimul prouinciarum, quæ in vnum coactæ per præfectos prætorio, & eorum vicarios regebantur. l. vnic. C. vt om. iudices. l. 3. C. The. de collatio. equorum. veluti ſub Præfectoria Prætoriana Africæ Orientis quinque erant Diœceſes: Oriens, Ægyptus, Aſiana, Pontica, & Thracia.

Diœceſis aliquando ſignificat territorium, quandoque ciuitatem. c. ſacrorum. 63. diſt. plerunque patriarchatũ. §. illud etiam. in auth. quomod. oport. Epiſco. interdũ diſtrictum, in rub. C. de offic. præfe. præto. Afr. ſæpe pro diſtrictu alicuius ciuitatis ponitur, & de hoc vide Fel. c. Rodulphus. verſ. prima concluſio. de reſcript. in antiq. Diœceſis quæque dicitur vbi eſt Epiſcopus. c. cum pro vtilitate. 16. q. 1.

Dioecesanvs dicitur qui habet domicilium in diœceſi. gl. in c. ſtatutum. §. multis. de reſcriptis lib. 6. & vide Bart. in conſi. incip. ciuitati Camerini.

Diœceſani locorum, ſunt Epiſcopi, & eorum ſuperiores, cle. vnic. de ſuppl. negl. prælat. Archiepiſcopus tamen non eſt diœceſanus, ſed epiſcopus. c. in apibus. 7. quæſt. 1.

Diplomata aliàs ſunt, quas literas patentes appellamus, à principali ſigillo authenticas: quæ cùm aliis, tũ plerunque curſoribus dabantur, vt liceret eis vti equis diſpoſitis, & vehiculis publicis. l. continuus. §. cùm ita. D. de verb. oblig. l. eos qui. §. vlt. D. ad legem Corneli. de falſ. Vel falſo diplomate, inquit Modeſtinus, vias commeauit. Plutarch. in Galba. Tertullianus in Apologetico, Plin. epiſt. pen. lib. 10. A Plauto in Captiueis Syngraphum appellatur.

Diplomata aliàs appellãtur chartulæ complicatæ, & lino traiectæ,

traiectæ, obſignatæque, quales à Romano Pontifice datas, vulgò Bullas dicunt: Latinè codicillos vocamus. Dicuntur & literæ magiſtratuum, quibus alicunde exeundi poteſtas datur, l.27.§.2.D.de falſ. Cicero ad Attic. De diplomate admiraris, quaſi neſcio cuius te flagitij inſimularê. Ego autem quia ſcripſeras te proficiſci cogitare (etenim audieram nemini aliter licere) eo te habere cenſebam, & quia pueris diploma ſumpſeras. Id eſt literas à magiſtratu aliquo, quibus tibi ac pueris M. & Q. Ciceronum filiis ex Italia diſcedendi poteſtas daretur. Ducitur autem diploma ἀπὸ τ̃ διπλῶσαι, id eſt duplicari. Vnde codicillaris poteſtas, quæ à principe confertur datis diplomatibus vel codicillis, l. adminiſtrantes. in princ. D. de excuſationibus tutorum, Adminiſtrantes, inquit Hermogenianus, res principum, ex indulgentia eorum, licet citra codicillos, à tutela, itémque cura tempore adminiſtrationis delata, excuſantur.

Directvm variè accipitur: propriè tamen in iure id eſt, quod ſimplex eſt, atq; ita per ſe conſtans, vt aliunde non adiuuetur: ſicque obliquo opponitur, & ita directa verba, quæ & ciuilia, & imperatiua dicũtur, quibus rectà hæreditas, legatum, libertas relinquitur, l.2. C. commu. de leg. l.10. C. de manu. teſta. His aduerſantur Verba precaria, quæ & inflexa dicũtur, & precatiuè non imperatiuè concipiuntur. Hinc Directa inſtitutio, & precaria opponuntur, l.19. D. de milit. teſt. Hinc &,

Directum, & per fideicommiſſum aduerſa ſunt, l.16. C. de fideicommiſ. Directa (inquit Imperat. §.3. de ſing. reb. per fid.) libertas tunc dari videtur, cum non ab alio ſeruum manumitti rogat, ſed velut ex ſuo teſtamento libertatem ei competere vult. Fideicommiſſaria enim deflexiſſe videtur, à teſtatore ad legatarium, & à legatario in libertum Sícque ſumuntur, l.12. D. ſi quis omiſſ. cauſſa teſt. l.40. D. de manum. teſt. & alibi. Et, Directæ ſubſtitutiones, l.5. C. de impub.

Directa actio, dicitur quæ ex directo iure & lege ipſa qua comparatus eſt, contractus, ex quo agitur, datur. Ciuilis autem accipitur, & Prætoriæ opponitur, l.26. §. ite ſi ex pluribus. & §. ſi is quem. D. de noxal. Ergo Directæ actiones intelliguntur, quæ ex negocio principaliter competunt: vnde & principales appellantur, l.17.§.j. D. commod. quarum ſcilicet formulam is qui agit directò ac ſimpliciter ex verbis legis vſurpare poteſt. Sic,

Directò vindicare, l.55. C. de donat. inter virum.

Directò actionem concipere, l.45. D. ſol. matri.

Directò agitur cum eo, cum quo, vel cuius iuſſu negocium contractum eſt cum alio, id eſt, rectà, non de peculio, l.3.§. ſi filiofa. D. commo. l. fi. D. pro ſocio.

Directum iudicium, l.3.§. ibidem. & l.27. D. ad exhibend. ratione præparatoriæ actionis dicitur, & ſignificat principale iudicium, veluti rei vindicationem, ad quã, re exhibita, gradus fieri ſolet.

Directa iudicia, ſeu recta, contrariis opponuntur, l.18.§. poſſunt. D. commo.

Directum dominium ſignificatur, cùm profertur abſolutè, l.j.§. primò. D. ſi ager vectig. vel. emph. cum ibidem not. l. ſi mater. §. eadem. de except. rei iudicat. l. minor. §.j. de euict.

Directarii, vide ſuprà Derectarij.

Dirimere, propriè componere eſt inter ſe concertantes. Iuriſcoſs. pro diſſoluere, ſeparare, vſurpant. Paul. de repud. l.j. Dirimitur matrimonium morte, diuortio, captiuitate.

Discedere à perſona, id eſt, immutare perſonam, Modeſtin. de vſufr. l. Titio. Vſusfructus inutiliter legari intelligitur, in id tempus videlicet collatus, quò à perſona ſua diſcedere incipit.

Diſcedere in diuerſa, eſt in Senatu diuerſa cenſere.

Diſcedere à conſuetudine Ciceroni, in deſuetudinem abire Iuriſconſ.

Discessio fiebat, cùm duabus dictis ſententiis, is magiſtratus qui Senatum coegerat. Patres conſcriptos iubebat ſurgere, & in hanc, aut in illam ſententiam tranſire, his verbis: Qui hæc ſentitis, ite in hanc partem: qui alia omnia, in illam. Hinc facere diſſeſſionem apud Cicer. lib.j. Epiſt. ad Lentul. Intendere cœpit ante ſe oportere diſceſſionem facere, quam Conſules. Sic Philip.4. & 5. Suetonius in Tiberio cap.31.

Disceptare, frequentatiuum eſt à Diſſepio, is, ire. Si quidem actionum remediis, quibus homines inter ſe diſceptant apud iudicem, vnuſquiſque ius ſuum retinet, velut ſæpe ab aliquo diſtinctum. Inde ſeparari lites, pulchra metaphora dicuntur, hoc eſt, dirimi, tolli è medio, tribuendo vnicuique quod ſuum eſt, ex Iuſtitiæ præſcripto.

Diſceptare, idem re ipſa ſignificat quod diſputare, hoc eſt, agitare aliquam rem in omnem partem, quò magis tandem verum cognoſcatur, l. cum clericis. C. de epiſc. & cler. Diſceptare etiam pro arbitrari, iudicare, c. forus. extra, de verborum ſignifi. Inde,

Disceptator, qui litem & controuerſiam dirimit & componit, iudex vel arbiter. Cic. in Partition. Nam aut auſcultator eſt modò qui audit: aut diſceptator, id eſt rei, ſententiæque moderator. Vlpian. l.3.§.j. D. de arbitr. Quoniam non deberent decipi, qui eum quaſi virum bonum diſceptatorem inter ſe elegerunt. Hinc,

Disceptatio, contentio, controuerſia, l. Neſennius. D. de negot. geſt. & Cicer.2. de Diuinat. Cum quibus omnis ferè nobis diſceptatio, contentióque eſt.

Discidivm, & Diſſidium pro diuortio, & repudio, l. 8. D. de capti. & poſtlim. l.11. §. fin. D. de adult. & apud Martialem lib.10. Epigram.

Disciplina publica, l.j. D. de offic. præf. prætor. & Communis, l.8. D. de re milit. & militaris, l. pen. D. de feriis. & Caſtrorum, l.19.§. filiis. D. de captiuis. & Spectaculorum, l.j.§. quies. D. de offic. præfect. vrbi. Diſciplinæ traditus ſeruus, l.78. D. de leg.3. qui datus eſt inſtituendus. Diſciplina Papiæ eſt rerum quarumcunque ſcientia, Archidiaco.1. diſtinctione 5. conſuetudo. in verbo Diſciplina.

Discipvli quales ſunt in ſcholis inſtituti, tales ſunt poſtea magiſtratus, tales iudices, tales cauſſidici. Nunquam igitur rectè ius exercetur in foro, niſi rectè tradatur in ſcholis, id eſt, certa, & compẽdioſa ratione.

Discretio, differẽtia, l. fi. in prin. C. de ſac. ſan. Eccleſ.

Discretvm, diſtinctum, l. diſcretis. C. qui teſta. face. poſſ.

Discvs, orbis argenteus. Diſci duo apud Iuriſconſ. tit. Depoſiti. l.26.§. fi. Iulius Pollux dicit eſſe vas latum ad portandas carnes aptum.

Discvtere matrimonium, apud Paulum in l.2. de don. inter vir. & vxor. pro diſturbare, diſſoluere.

Discvsso periculo, pro ſublato, apud Papin. in l. nihil. D. de naut. fœn.

Discvssores ſunt veluti cognitores, & diſceptatores rationum fiſcalium ab aliis tractatarum, rub. de diſcuſſ. lib.10. C. vide Caſſiod. lib.4. Variarum. Diſcuſſor, inſpector, λογιστὴς, in Nouell. Valentiniani tit. de ind. reliq. Hinc,

Discvssio, inſpectio, l.3. C. de diſcuſ. & apud Firmicum lib.4. Matheſ. cap.13.

Disertiones, diuiſiones patrimoniorum inter conſortes, Feſto lib.4. ſed vide num legendum potius Diſortione, vt conſortioni opponatur.

Disivncti in iure Ciuili appellantur qui re, non verbis coniuncti ſunt: id eſt, quibus ſeparatim res

eadem legata eſt. Hinc,

DISIVNCTIM legatum relictum, quod duobus ſeparatim & diuerſis rationibus relictũ eſt, §.ſi eadem res. Inſtitut.de legat.l.vn. Cod.de cad.toll.l.j.§.interdum. D.de iure accreſc.veluti, Titio Dauum do lego: Mæuio Dauum do lego. Atque hoc re coniunctio vocatur l.89.D.de legat.3. Qui enim re coniungit, verborum quidem & linguæ ſono diſiungit: mente verò atq; intelligentia coniungit, quoniam vnius eiuſdémque rei communionem inter illos inducit.

DISIVNCTIVO modo, ſeu diſiunctim relinqui dicitur, quod ſub alternatione relinquitur, l.25.D.quando dies leg.ced.

Diſiunctiua conditio, quæ ſub diſiunctione concipitur, l. 63.D.de verb.ſignif.

DISIVNCTIVVM eſt veluti cùm dicimus, Aut dies eſt, aut nox: quorum poſito altero neceſſe eſt tolli alterum: item ſublato altero, neceſſe eſt tolli alterum, l. 124.D.de verb.ſignif.

DISIVNCTIONEM appellabant veteres Iuriſcõſ.quã interpretes noſtri alternatiuam, l.coniunctionem.D. de verb.ſignif.

DISIVNCTA pro coniunctis ſæpe ponuntur, l.53.D.de verb.ſignific.

DISPENDIVM Varroni, quod in diſpendendo ſolet minus fieri.

DISPENSATOR ſeruus appellatur, qui familiæ rationes diſpenſat, peculiíq; adminiſtrationem habet, l.51. & 62.D.de ſolut.Nonius in verb.Æra.Quintilia.lib.6. cap.4.Theophylus in §.rectè.Inſtit.de mandat.diſpenſatorem diffinit, οἰκέτην ὃς εἴωθεν ἐκδανείζειν τὰ δεσποτικὰ χρήματα. Diſpenſatores dictos quibus pecuniarum adminiſtratio credita eſſet, ipſa nominis notatio arguit, quam ab antiquo pendendi æris modo, Varro lib.4. Ling.Latin.Pomp.& Iſido. dicunt. Ideóque qui principum pecunias curant, theſaurorúmque adminiſtrationem gerunt in Conſtitutionibus Diſpenſatores appellantur, l.j.C.ſi aduerſ.fiſcum.& C.Theod.de his qui cum diſpenſ.contrah. Atque hinc deducuntur expenſa, ſiue diſpenſata, vel compenſata.

DISPENSATIO apud Pontificios (ſic à Specul.in tit. de Diſpenſationibus definitur) eſt iuris prouida relaxatio, ſeu neceſſitate penſata. Vel ſic: Eſt rigoris iuris per eum, ad quem ſpectat, canonicè facta relaxatio, c. niſi rigor.1.quæſt.7. Καταχρηστικῶς plerunque accipitur pro iuris declaratione, vt in c.Quintauallis.extra.de iureiuran.Io.Andræas ſignificare etiam ſcribit quandam communem menſurationem ad ſingula.& vide Hoſtienſem in Summa.

DISPOSITIO eſt ordinatio, vulgatiſſimo ſignificatu, cap.licet.de præbend, in 6. Diſpoſitio aliàs elegantius, & verius accipitur in Conſtitutionibus, & in Notitia Imperij Romani, pro adminiſtratione, & cura, ni fallor. Diſpoſitionum ſcrinium, l.3.4.& 11. C.de proxi. ſacr.ſcrin.lib.12.Diſpoſitionum comes, l.8.C.eod.in d. l.4.emenda pro, primi, primam.

DISPVNGERE inſtrumenta eſt inquit Vlpia.conferre data, & accepta, l.56.D.de verb.ſignif.quæ ad quæſtionem l.15.D.de rebus aucto.iudic.poſſid.pertinet.l.6.§. fi.D.de ſtatu lib.Seneca lib.4.de Benefic.ca.31.

DISPVTARE, à dis, & puto, are, quaſi verborum agitatione prorſus purum facere. idem eſt propemodum, quod diſceptare. Diſputare rationem cum aliquo: quod & deputare rationẽ dicimus. Plaut.in Aulul. dixit: Æs petitur, putatur ratio cum argentario. Vbi diſputata eſt ratio cum argẽtario, etiam plus ipſus debet argentario. Diſputandum eſt ſobriè in vtranque partem, quaſi conferendo alicuius rei ſententias, vt Marcellus in l.j.§.accuſationem. D.ad Senatuſc. Turpillia. Vlpianus in l.j.§.quæſitum eſt.D.quor.legato.

DISPVTATIONEM fori accipit Pomponius in l.2.D. de orig.iur.pro applicatione legum ad commoditatem reipublicæ, cuius negocia in foro tractari ſolent. Dicimus enim in foro diſputare, ſicut, Vti foro, Deſeruire foro. Diſputationes autem moderatè exercitij vice adhiberi debent, more veteris ſcholæ Socraticæ, Sic enim obſeruabatur, vt cùm alter dixiſſet quod vellet, alter contradiceret modeſtè: in hoc tantùm differentes, quò magis inueſtigaretur veritas, & diuerſa ſimul collata, facilliùs intelligerentur. At Diſputatio doctorum immodica quantùm noceat, ex ipſo vſu forenſi colligere licet: cum non ob aliam cauſſam lites fiant immortales, quàm quòd quilibet cauſſidicus calumniæ ſuæ patrocinium facilè adſequitur ex repugnantibus eorum ſententiis. Vnde Speculat.in Tit.de except.§.viſo quando excepti.refert, Vbertum dicere ſolitum fuiſſe: Non eſt bonus aduocatus, qui patitur intra decem annos litem conteſtari cum tutore vel curatore. O impudens verbum!

DISQVISITIONEM vocabant antiqui iudicium per opiniones, (vt nunc loquimur) cùm opinionẽ vel ſententiam omnes rogantur. Budę.in l.poſter.de orig.iur.

DISSIDIVM, vide ſuprà Diſcidium.

DISSIMVLARE pro conniuere, in l.diuus.de offic. præſid. aliter dixit Paulus. Diſſimulare de ſua conditione, in l.4.quibus ad libert.proclama.non lic.

DISSIPARE ædificium, pro diſturbare & demoliri, l.7. §.pen.D.de incend.ruina.

DISSOLVTA negligentia l.29.D.mand.quæ aliàs ſupina, & lata. Cicero Diſſolutum hominem in re familiari vocat negligentem, & parum circunſpectum, ſolicitúmque patrémfamiliàs.

DISSOLVI nauis dicitur, cùm tabulæ refiguntur, & reſoluuntur, l.88. D.de leg.3.l.83.§.ſacrum. D.de verbor. obligat. Et Diſſolui ornamentum, l.10.§.ſi maſſæ.D. quibus modis vſusf.amitta.

DISSORS, diſſimilis ſortis. Auguſt.in Grammatic.

DISTRAHERE, pro eo, quod eſt, vendere, aut auctioni exponere, ſumitur ab Vlpiano l.ſi vni. de tranſact. Si vni, inquit, pluribúſve fundus fuerit diſtractus, l.ſi ita.D.de contrahen.empt. Origo vocabuli ex auctionibus nata eſt, in quibus res propriè diuendi & diſtrahi dicuntur, quia non vni addicuntur, ſed pluribus varia in loca res emptas aſportantibus. Hinc,

Diſtrahere ſocietatem, l.63.D.pro ſocio. matrimonium, l. 2.D.de diuort.negocium l.4.§.is quoque.D.de obliga. & act.pro diſſoluere, & tollere.

Diſtrahere controuerſias, hoc eſt dirimere, & decidere. Cicero pro Cecinna, Omnia iudicia aut diſtrahendarum controuerſiarum, aut puniendorum maleficiorum cauſſa reperta eſſe. Eodem verbo in eundem ſenſum vtitur Sueto.in Iulio cap.78.

Diſtrahere rationes, id eſt, interuertere, cõturbare, auertere. Hinc Actio diſtrahendis rationibus, quæ hæredibus dabatur ex leg.1 11.Tab.contra tutores, finita tutela, in duplum, qui in gerẽda tutela pecuniam pupillarem interceperant, vel quam aliam rem pupilli abſtulerant, auerterant, ſubripuerant, hac fere formula. Quod ex rationibus tutelæ pupillo abeſt.

DISTRACTIO, interuerſio, conturbatio, cum res pupilli auertitur vel aufertur, l.tutor. D.de liber. leg. Ponitur & pro diuortio, in Authen.de nup.§.nuptias. & ibi in gloſ.D.de diuort.& repud.l.2.& vide C.& D. de diſtra.pig. & C.de iure delib. l.j. vide ſuprà Deſtringere.

DISTRACTVS, apud Doctores, pro reſolutione cuiuſcunque contractus ponitur.

DISTRIBVERE, eſt ſuum cuique tribuere, l.j.D.famil.erciſc.

DISTRIBVTIO quotidiana Pontificiis ſignificat id, quod

quod præſtatur his qui horis certis interſunt diuinis, c.2.§.j.de ætate & qual.in Clem. c.vnic.de cleric.non reſid.lib.6.& c.licet vobis.de præbend.

Distribvtiva nomina, & eorum vim ponit Bart. l.hoc articulo.D.de hæred.inſtit.

Districtvs, ſiue deſtrictio, coërcendi poteſtas, ſiue iuriſdictio, quæ magiſtratui cum imperio mixto intra certæ regionis ac territorij fines conceditur. Siculus Flaccus: Regiones, inquit, dicimus, intra quarum fines magiſtratibus ius dicendi coërcendíque eſt libera poteſtas.lib. feud.j.tit.5.§.4. Siquis feudum extra curtem detinuerit, & dominus diſtrictum habuerit, &c. Et lib. 2.tit.54. Qui allodium vendiderit, diſtrictum & iuriſdictionem Imperatoris vendere non præſumat. Fictũ eſt nomen à Diſtringendo, quod in Feudiſticis libris pro coërceo ſæpe ſumitur: vt in Capitul.Caroli Magni: A miniſtris reip. diſtricti, ſex ſolidis componant. Interdum pro territorio vſurpatur. Ant. Florent.hiſt. part.3.tit.20.cap.8.§.13. Ciuitas Florentia triginta millia hominum in ſe continebat aptos ad arma, & diſtrictus eius ſeptuaginta millia.

Districte pro prorſus, omnino, profectò, ſic res ſe habet, l.7.§.5.D.de minor. aliquando ſignificat præciſè, præfractè, reſtrictè, religioſè, l.13.D.de procur.

Ditio, à dito ducitur, ſignificat imperium, poteſtatem, l.2.§.capta.D.de orig.iur.

Div ponitur pro biennio, D.de re iud.l.fin.& D.loca.l. cum domini. Quandoque ponitur pro tribus menſib. 13.diſt.Lectis.in glo. Aliquando pro decem. Inſtitut.de lit.oblig.§.pen.& D.qui & à qui.l.ſi cùm fideicommiſſarias.§.Ariſto. Ponitur etiam aliis modis, vt ibi not. Aliquando pro triennio. D.de vſucap.l.j.& l.quamuis aduerſus. Aliquando ponitur pro anno, D.de ſucceſſo.edict.l.j.§.largius.& §.quibus. Aliquando momentum ſignificat.C.de acquir.poſſeſ.l.2. Item quando diu fieri intelligatur, vide ext.de elect. quia propter.& ca. offerri.de libel.obla.

Diu Vlpianus interpretatur non minus decennio, l.16.§. Ariſtot.D.de fideic.libert.l.5.§.ſi ſeruus.D.de acq.poſ.

Divtvrnvm tempus, & Diuturna poſſeſſio, ad decennium referuntur, idque vulgò obtinuit, l.j.D.de aqua, & aqu. plu.arcen.l.10. D.ſi ſerui. vindic. Vide l. diuturna.D.de leg.& Inſtit.de iure nat. §.ex non ſcripto. Albericus hoc aliquantò contractius eſſe putat longo tempore, tametſi videantur idem ſignificare tempus.citat.§.emanſor.l.2.de re milit.

Diversa illa dicuntur, quæ origine & corruptione ſunt diuerſa, l.ſi mihi eodem tempore. de ſeruit.ruſti. præd.l.ſi domus tua. de ſerui.vrba. præd. Bald.in l.ex hoc iure.de iuſt.& iur.

Diversorivm, à diuertendo, ſignificat ſtationem, in quam diuerſi generis merces adferuntur, Accurſio in l.3.D.in quibus cauſ.pig. & rectè. Aliis locis accipitur pro hoſpitio mercenario, in quod nos recipimus, vt ibi commoremur magis, quàm habitemus. Cicero in Catone: Commorandi enim natura diuerſorium nobis, non habitandi dedit.

Divertere, nuntium remittere, Dirimere matrimonium, Repudiare vxorem, Nuncium mittere, Matrimonium ſoluere, l.ſi mulier. D.ſolut.matrimonio. Si mulier diuerterit, & iudicio de dote conteſtato reuerſa fuerit in matrimoniũ, &c. Sic l.proſpexit.D.qui & à quibus manu. Mulier quæ diuertit, omnes omnino ſeruos ſuos manumittere, vel alienare prohibetur. & l.ſi cum dotem.§.ſi maritus.& §.ſeq D.eo.tit.

Divortisse non videtur, quæ breui reuerſa eſt, l. quicquid.D.de diuerſ.reg.iur.

Divortivm, diuerſitas mentium, vel quia in diuerſas partes itur, l.inter diuortium.D.de verbo.ſignif.l.2.D. de diuort. Eſt autem nomen generale, & de amicitia interrupta dicitur, & inter amantes diuortium eſt: denique animæ corporiſque diuortium eſt. Propriè tamen eſt, ſi vir & vxor ſeparentur: Repudium verò, ſi ſponſus à ſponſa dirimatur. Ergo in hoc differunt, teſte Paulo, quod repudiari etiam futurum matrimoniũ poteſt: non rectè autem ſpõſa diuertiſſe dicitur. Confunduntur tamen hæc vocabula. Apud noſtros eſt duplex diuortium, aliud verum, aliud fictum, l.vir mulieri.D.de dona.int.vir.& vxor. Diuortium autem ſeu repudium, olim ex multis atque non ita grauibus cauſſis fiebat, vt eſt videre in l.conſenſu licita. C.de repud. Hodie verò nõ niſi ex cauſſa adulterij diuortium permittitur, Matthæi quinto.& capite tertio, de adult. & ſtupro. Quod & ſancti Epiſcopi & iuſtiſſimi Cæſares intellexerunt etiam de caſibus criminum, quæ maiora ſunt & habentur, minúſque tolerabilia maritis omnibus quàm ſit omne adulterium. vt ſi homicida ſit, venefica, inſidiatrix vitæ mariti deprehenſa, furax, blaſphema in Deum, & perpetua iritatrix mariti, ac omnino implacabilis. Quemadmodũ & inter alias cauſſas à Cæſaribus Chriſtianiſſimis enumerantur, præter adulterij crimen, homicidium, veneficium, falſarij crimen, ſepulchrorum effractura, ſacrilegium, latrocinium, plagiarij crimen, & huiuſmodi quædam alia, quæ adulterio vel æquiparantur, vel multum excellunt in crimine. Verùm adulterij meminit Dominus exempli gratia, vt inde atrociora æſtimemus crimina. De quibus tamen Eccleſiæ iudicio ſtandum eſt magis, quàm proprio. Atque obiter notandum, primum diuortium factum fuiſſe, vt ſcribit Tertullianus in libr. de Monogamia, ſexcentis fere annis poſt vrbem conditam, à Sp. quodam Caruilio, viro nobili, quia liberi ex vxore non gignerentur, corporis vitio: quod & retulit Gellius, lib.4.cap.3. quáquam pro ſexcentis, quingentis habeat, corruptè.

Divortia, Iſidor.libr.15.Etym.cap.vltim. ſunt flexus viarum, hoc eſt, viæ in diuerſa tendentes. Virgil.lib.9. Æneid.

Obiiciunt equites ſeſe ad diuortia nota.

Id eſt, ad viarũ flexus. & Liuius lib.44. Eadem diuerticula dici cœpta ſunt. Hinc Diuortia aquarũ apud Cicer.lib.2.Epiſt.ad Cæliũ. Eſt que locus, vt ait Paulus, vnde aquæ duas in partes diuiſæ incipiunt defluere.

Dives quis dicatur, ponit Bart.in Auth.præterea.C.vnde vir, & vxor. Diues non dicitur vxor propter dotem, l.Lucius.§.idem reſpondit.D.ad municip.

Dividere ſententiam. Aſconius: Cum aliquis in dicenda ſentẽtia duas plurés ve res complectitur, ſi non omnes hæ res probantur, poſtulatur vt diuidat, id eſt de ſingulis rebus referatur ſeorſum, quò pars vna, ſi viſum fuerit, repudietur, altera recepta. Cicer.pro Milone: Diuiſa ſententia eſt, poſtulante neſcio quo (nihil enim neceſſe eſt me omniũ flagitia ꝓferre) ſic reliqua auctoritas Senatus empta interceſſione ſublata eſt.

Dividvvm eſt, quod diuidi poteſt in partes aliquo effectu iuris ſeparatas. Indiuiduum eſt, quod diuidi non poteſt in partes, quolibet iuris effectu ſeparatas. Hæc deſcriptio deducitur à cauſſa finali, ſeu ab effectu diuiſionis. Nam verbum Diuidere, in hac materia accipitur politicῶs & ciuiliter, vt negociis hominum deſeruiat: ſcilicet, quoties occurrit quæſtio, vtrũ aliquid adquiri, vel retineri, vel alienari poſſit pro parte: an verò non niſi totius commercium admittat: ſiue quæratur de rebus corporalibus, ſiue de rebus incorporalibus, ſiue item de obligatione, vel actione, aut ſolutione diuidenda, vel non diuidenda. In his enim totum ius conſiſtit, & per cõſequens totus effectus diuidui & indiuidui, l.fin.D.de leg.l.j.D.de ſtat. hominum. iuncto titu.Inſtitut. de rebus corporalibus & incorporalibus: & vide l.ſtipulationes non diuiduntur.

duntur. & l.4.§.Cato. D.de verb.oblig. Diuiduum autem Romani legiſlatores ſignificare ſolent his aut ſimilibus verbis: Partium præſtationem recipere, l.2. in princip. D.de verb.oblig. A ſingulis hæredibus diuiſum conſequi: pro parte peti: admitti partis executionem, l.in executione.D.eo.titu. Pro parte adquiri: Pro parte retineri: Pro parte remitti, l.pro parte.D.de ſeruitutib.l.vnus ex ſociis.D.de ſeruitut.præd. ruſtico. A communione decedere, ſcilicet rerum particularium, vt in titulis, D.& C.communi diuidundo. Familiam erciſcere, hoc eſt, hæreditatem diuidere, ſeu rerum vniuerſitatem, vt in titulis D.& C.famil.erciſc. Ad ſignificandum verò indiuiduum has appellationes accommodant Iuriſconſulti: Partium præſtationem non recipere; Niſi totum detur ſtipulationi ſatis non fieri: In ſolidum teneri, l.2.in princip. & §.j.de verbor. obligat. Ab omnibus hæredibus committi pœnam: In ſolidum peccari, vt in l.eadem. §.Cato, D.eod.tit. Diuiſim non præſtari; In ſolidum agi: Totum dari, d.l. in executione. Ex his atque id genus aliis appellationibus intelligi poteſt, quomodo in hac materia ſit accipiendum diuiduum & indiuiduum: nempe quod diuidi poteſt, vel diuidi non poteſt in partes iuris effectu ſeparatas.

Divisio eſt vel totius in partes, vel generis in ſpecies fiſſio, vt res cuius eſt quæſtio, facilius atque certius intelligatur. Diuiſionem, ait Accurſius §.j.Inſtitut. de obligat. eſſe innumerabilis materiæ breuem compoſitionem.

Diuiſio ſingulorum ciuium qui accipi debeat, diſces ex l. ciuitatibus, 122. D.de leg.j.

Divi Iuriscons. appellantur Imperatores, qui poſt obitum in deos relati erant, ea ἀποθεώσεως ſolennitate, quam Herodianus lib.3.deſcribit: poſt quam & templa eis conſtrui, ac ſacerdotes & ſodales creari, & ludi fieri, omnéſque diui honores decerni ſolebant, vt ex Tacito, Sueton. Spartiano, Capitolino videri poteſt. Papias verò ſcribit eò diuos vocari, quòd ſint quaſi cæleſtes: quam verbi notationem admittere, & pium, & Chriſtianum magis eſt. Nam qui iuſtitiam colunt, diui rectè appellantur.

Divi fratres ſæpius memorati à Iuriſcoſs. quàm huc referri debeat, dicuntur M.Antoninus Philoſophus & Ælius Verus, primiq; duo Auguſti appellati, & Faſtis conſularibus ſic inſcripti ſunt, auctore Spartiano in Ælio Vero. & vide Antonium Auguſtinum libr. ſingula. de Excuſat. ſuper §.Præterea. Diuinos autem honores ſibi cum vendicarent Imperatores, eò factũ eſt, vt diuinæ domus & conſtitutiones, Cæſarum domus & conſtitutiones appellentur, vt & alia multa.

Divinum ius, quòd ad dei cultum pertinet. Hinc nuptias diuini iuris communicationem definit Modeſtinus, l.j.D.de ritu nupt. quòd vir & vxor eorundem ſacrorum participes eſſent, l.4.C.de crimi.expil. hæred. & Iuriſprudentia Diuinarum rerum ſcientia definitur, l.10.D.de iuſtit.& iure. Diuini iuris etiam eſſe dicuntur res ſacræ & religioſæ, l.j.D.de rer.diuiſ. Sic Diuinas res interpretatur Vlpianus l.j.D.de interdict. Quæ definitio à Gotthis interpolata eſt apud Gaium lib.Inſtit. 2.tit.j.

Divinatio, iudicium eſt, quo duo pluréſve, qui ſe præponi in accuſando volunt, de accuſatione ſibi deferenda contendunt. Ex eo autem deductum nomen exiſtimat Hotomanus, quod cum in hoc iudicio iudices non de præterito, ſed de futuro ſtatuant, vter ſit rectius accuſaturus (quod totum opinabile eſt, coniecturáque nititur) diuinare dicantur, eorúmque iudicium, opinabilis diuinatio. Vlpian. l.15. D.de accuſ. Atque hoc in publicis iudiciis: nam in popularibus Prætor eligebat idoneiorem, vt loquitur Paulus in l. 2.D.de popul.act. Vide Fab. lib.3.cap.10.& lib.7. cap.4. Gellium lib.2.cap.4.

Dixi. Moris fuit, vt ait Aſconius, cum ſatis viſum eſſet fluxiſſe verborum, hanc ſibi neceſſitatem finiendæ orationis imponere, vt dicerent ad vltimum dixi. quod etiam ab vtraque parte, oratione conſumpta, vt in conſilium dimitterentur, præco ſoleret pronunciare, dixerunt. Sic legendum non prætor, ſed præco, ex Fabio Quintiliano lib.11. Inſtit. Orato.

Do, dico, addico. His tribus verbis vniuerſa iuriſdictio Prætoris continebatur, quod & Ouidius lib. 2. Faſtorum expreſſit.

Ille nefactus erit, per quem tria verba ſilentur.
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Varro lib.5.de Ling.Lat. Dies faſti per quos Prætoribus omnia verba ſine piaculo licet fari: contrarij horum nefaſti: per quos dies nefas fari Pretorem, Do, dico, addico. itaque non poteſt agi: neceſſe eſt enim aliquo eorum vti verbo, cum lege quid peragitur. Dabat enim iudices, recuperatores, arbitros, iudicia, actiones, exceptiones, poſſeſſionem. Dicebat ius, multam, viam in vindiciarum litibus. Addicebat in ceſſionibus, bonis controuerſis, in vindiciis, vt rectè ex Hygeno, M.Cice. & T.Varrone collegit Hotomanus.

Do, id eſt, datum pronuncio, c.fi.22.q.5.

Do, lego, in l.j.D.ad leg.Falc. & l.Stichum. D.de ſtatu lib. nihil aliud ſignificant, quàm lego.

Doctores legum Magiſtros appellari ſcribit A.Alciatus. & de Doctoribus pulchra, ſcitúque digna pſodidit Ioan. Andræas in proœmio lib.6. Decretal.

Dodrans, duæ partes è tribus cum duodecima valet vncias nouem, vt Theophylus ſcribit, §.hæreditas. Inſtit. de hæred.inſtit. Varro lib.4.de Ling.Lati. Dodrans ab vncia dempto quadrante.

Dogas, veteres gloſſæ exponunt βόττας: quod quidem dogarum nomen à Græcis raptum videtur, quibus δόκαι, vel δόχαι, ſunt quæ capacitati alicui parata ſunt, & capacitates ipſæ, vel mẽſuræ: vt in Aureliano Vopiſci: Facta eſt ratio dogæ cuparum, nauium, & operum. Doga non vas, ſed capacitatem ſignificat. atque videtur eſſe vas, cui nomen ſimile lingua vernacula Butticulam habemus.

Δογμα, in l.2.D.ad S.C.Velleian. Decretum, & Senatuſconſultum ſignificat, pro quo Modeſtinus in l. ἐὰν δύο. D.de ehcuſ. ψήφισμα dixit.

Dolabrum, inſtrumentum per quod ignis vel flamma in tignis recepta, quaſi dolando abraditur, ne progrediatur, l.3.D.de offic.præfect.vigil. Hinc præfectus vigilum cum dolabris errare dicebatur ad diruendas & demoliendas domos, vt ruina aliquarum incendium reprimatur.

Dolare, in l.ferri.D.de verbo.ſignific. verbum fabrorum lignariorum, cum ligna aſpera complanant.

Dolium, cuiuſuis materiæ vas, reique cuiuſlibet capax, quod tandiu vaſis vinariis connumeratur, quandiu vinum habet, l.206. D.de verb.ſignific. Idem l.26. D.de inſtit.vel inſtr.leg. Dolia fictilia, item plumbea, quibus terra adgeſta eſt, & in his viridiaria poſita, ædium eſſe Labeo & Trebatius putant. Et Proculus l.15.D.de trit.& vin. dolia in vaſis vinariis non eſſe, ex Trebatij ſententia fatetur, Vlpian.l.3. D.eod. In doliis non puto verum, vt vino legato, & dolia debeantur. maximè ſi depreſſa in cella vinaria fuerint, aut ea ſint, quæ per magnitudinem difficile mouentur.

Doliarium non locus vbi dolia, ſed vas ipſum ampliſſimum & capaciſſimum: apud Caium l.35.§.pen.D. de contrah.empt. Et,

Doliare vinum, l.j.§.fin. D.de peric.& commo. rei vendi. quod adhuc in doliis eſt, & nouum eſt, ad diſcrimen vini diffuſi, vt ſcribit Turn.arg.l.15. D.de trit. vin.&

vin.& ol.Patet autem ex l.3.§.j.& l.cui vinum.6.& l.vino.14.& d.l.15.& l.ſeq.eius tractatus, conſeruari vina ſolita in doliis, quæ poſtea diffunderentur, hoc eſt transfunderentur in amphoras, cados, vrnales. Vini Doliaris vendendi legem Cato in libro de Re ruſtica c.148.exponit. Vinum de dolio appellat Cic.in Bruto: Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio ſibi hauriendum putet? Appellat & vinum de cupa, vt in Piſonem: Panis & vinum à propola & de cupa. Notandum autem à Plauto vocari annum doliarē, id eſt ſuffarcinatam & præpinguem, tumidámq; & obeſam, credo de ventre doliorum tumidiore.

Dolon, in l.53.§.j.D.ad leg.Aquil.vt à Beroaldo, & G. Budæo emendatum eſt, flagellum ſignificat, Seruio interprete, intra cuius virgam latet pugio: aut ſecundum Varronem, ingens contus cum ferro breuiſſimo. Sic dictus ἀπὸ τοῦ δόλου, id eſt à fallendo: quòd decipiat ferro, cum ſpeciem habeat ligni. Vtitur etiam hac voce Vlpian.l.j.§.2.D.ſi quadr.nec enim legendum, dolore, vt antehac, ſed dolone. Sueton.in Claudio cap.13. Reperti & equeſtri ordinis duo in publico, cum dolone, ac venatorio culto. Heſychius, Δόλωνες, ait, ξιφίδια ἐν ξύλοις ἀποκεκρυμμένα.

Dolus malus ratio eſt vafra, decipiens alium, alio nomine vacans. Dolum autem malum ex XII. Tabul. deſcendiſſe Ælius in Eunuch.admonuit. Gallus Aquilius apud M.Ciceronem 3.Offi.dolum ſic definiebat: Cùm aliud agitur, aliud ſimulatur. quam Galli definitionem Sulpitius probat, vt apparet ex l.j.D.de dolo ma.& l.7.§.ſed ſi fraudandi.D.de pact.& Paul.lib.j.Sententiar. Hæc tamen à Labeone repræhēditur, vt referunt Tribonianus, & collegæ l.j.D.de dolo. Sed hanc Triboniani, non Labeonis reprehenſionem eſſe, quidam in d.l.j.obſeruarunt. Quod verum eſt. Nam Aquilij definitio Pauli temporis obtinebat, vt patet ex titul.8.libro j.Sentent. Sed quia Triboniani definitio inter doctores obtinet, ipſum audiamus. Dolus malus, eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita, l.j.§.dolum malum.D.de dol.mal. Quam definitionem excutiamus. Pro genere ponitur Calliditas, ſicut & fallacia, & machinatio. Et aliquando ipſa res in ſe dolum habet, l.ſi quis cùm aliter.D.de verbor.obliga. Seruij definitio ob hoc duntaxat Triboniano non ſatisfecit, quia ſimulationem poſuit loco generis, cùm aliud ſimulatur, & aliud agitur: quæ porrò ſpecies eſt doli mali, non genus. Siquidem poteſt & ſine quauis ſimulatione id agi, vt quis circumueniatur, d.l.j.§.dolum malum. Ergo rectius per calliditatem, & fallaciam definiri putauit, l.iuriſgentium.§.dolo malo.D.de pact. Sequitur in definitione, Ad decipiendum alterum: Atque hæc eſt differentia doli mali propriiſſima, per quam diſtat à culpa. Quoties enim ad hoc deſtinatur calliditas, vt alter deceptus lædatur contra ius, toties eſt dolus malus verè admiſſus. Ideóque ſcribit Vlpianus in l.j.in princip.D.de dolo malo: Qui aliis obfuerint calliditate quadam. Imponitur autem alteri occultè, hoc eſt, ita vt non intelligat malitiam lædentis, & ne quidem aliquantò poſt acceptum damnum, duobus modis. Aliàs enim verborum adulationibus expeditur dolus, & tūc appellatur fallacia, Varroni à fando: aliàs verò factorum technis, quam machinationem vocant. Vtrumque procedit ex recondita corrupti animi malitia, aduerſus ſimpliciores nihilque mali ſuſpicantes, lucri turpis gratia. Quocirca Vlpianus, Ne vel illis, ait, malitia ſua ſit lucroſa, vel iſtis ſimplicitas damnoſa. Experimur enim quotidie, hominem homini lupum eſſe. Quò igitur occultior eſt calliditas lædendi, hoc pernicioſior eſt dolus, nempe quòd nullum eſt execrabilius malum, quàm quod ſub aſpectu latet. Id enim cùm prouideri non poſſit, facilem habet nocendi ſucceſſum. Et hinc apparet primùm, quàm eleganter Lab.dixerit, Fallacia, machinatio: deinde quàm inutilis ſit Interpretis diſtinctio inter dolum verum, & dolum præſumptum. Nam omnis calliditas, ad lædendum alterum contra ius adhibita, eſt verè dolus malus. Et omnis dolus malus eſt præſumptus, quia non niſi præſumptione & indiciis probari poteſt, d.l.j.§.dolum malum l.dolum. C.de dolo malo. Quamobrem Iuriſconſulti promiſcuè vti ſolent his verbis, Dolo facere videtur, & Dolus eſt, l.ſi procuratorem.D.mandati. Dolo autem, inquit Vlpianus, facere videtur. Et l.dolus eſt.ibidem, Dolus eſt, ait, ſi quis nolit perſequi, quod perſequi poteſt. Simili leuitate diſputant, vtrum dolus ſit crimen: cùm vtique non poſſint inficiari, dolùm eſſe fontem omnium planè criminum: imò ſine quo crimen cenſeri non ſoleat, l.j.C.ad l.Cornel.de ſicar. Ideóque Iuriſconſ.dolum malum appellant crimen, l.j.D.de fideiuſ. tut.l.item exigit.D.de dol.mal.l.j.§.planè ſi ex dolo.D. de tute.& rationibus diſtrah.l.omne crimen.in princ. D.de re milita.

Dolus malus, fallacia, & fraus coniungi ſolent, l.45.& l.51. D.pro ſocio.l.48.D.de diuerſ.regul.iur. Et Dolus callidum conſilium dicitur, l.7.§.prætor ait.D.de Publiciana: & machinatio l.36.D.de verb.oblig.

Dolus alius bonus: alius malus. Dolum bonum veteres pro ſolertiā dicebant, maximè ſi aduerſus hoſtem, latronémve quis machinaretur, l.j.§.nō fuit.D.de dolo. Hinc illud Virgilij 2.Æneid.

Dolus an uirtus, quis in hoſte requirat?

Auguſt.Epiſt.29. Sic Baſilius in Prouerbia, quandā ait eſſe καλὴν, καὶ ἐπαινετὴν πανουργίαν. Hinc Lucretius Poëta teſtatur dolum bonum eſſe quo à medentibus falluntur ægri, non autem decipiuntur. Vnde & Feſtus: Doli, inquit, vocabulo nunc tantum in malis vtimur: apud antiquos autem in bonis vtebantur: hinc etiam dicimus, Sine dolo malo: nimirum quia ſolebat dici & bonus Hinc & illud Sophoclis:

– τὰ γὰρ δόλῳ τε μὴ δικαίως κτήματ᾽ οὐχὶ σώζεται.

Dolus malus aberit, abfuerit, verba generaliter comprehendunt omnem dolum, quicunque in rem aliquam admiſſus eſt; ita Vlpianus l.hæc verba.69.D.de verborum ſignif.

Doli clauſula, pars ſtipulationis qua dolum abeſſe comprehendimus, l.22.53.119.121.D.de verb.oblig. Appellatur & illa quæ actioni de peculio adiicitur, l.6.D.de peculio.

Dolus & fraus an differāt, fruſtra quæritur, cū extēt apertæ ſanctiones, l.hæc verba cui rei.D.de verb.ſig.l.fraudis interpretatio.D.de re.iuris. Quidquid enim nō eſt ex bona fide, id neceſſariò venit ex mala fide. Mala autem fides eſt dolus & fraus, l.ſi dolo.C.de reſcin.vēditio. Sūt tamē qui hoc modo diſtinguant, Dolū fieri, alterū circūueniendi cauſſa: Fraudē propriè dici, etiā ſi decipiēdi conſiliū nō adfuerit: ſed is qui deceptus eſt, à ſeipſo, vel ex euētu fraudatus ſit. Dolū item in faciēdo, fraudē in verbis dicunt, à φράζειν, quod eſt loqui. Alci. de verb.ſign. Dolum etiam clàm, fraudē palàm committi volunt, §.dolo.l.iuriſgentium.D.de pactis.

Doli mali ſpecies ſunt, Calumnia, Præuaricatio, Tergiuerſatio, Cauillatio, Calumniari, eſt falſa crimina intendere; Præuaricari, vera abſcondere: Tergiuerſari, in vniuerſum ab accuſatione deſiſtere, l.j.in princ. Et §.j.D.ad S.C.Turpillian.l.j.D.de præuaricato, l.ſi caluitur.in princ.D.de verbor.ſignif. Cauillari, eſt falſis diſputationibus imponere. Iulianus, Ea, inquit, eſt natura cauillationis, quàm Græci σωρίτην appellant, vt ab euidenter veris, per breuiſſimas mutationes, diſputatio ad ea quæ euidenter falſa ſunt, perducatur, l.

ea eſt

ea eſt natura. D.de regul.iur.Exemplum eſt in l.qui quadringenta.in princ.D.ad l.Falcid.

Dolus malus ſæpe procedit ad aliquod maleficium nominatum,veluti,furtum,homicidium,periurium, falſum. Aliquando producit factum criminoſum, quod tamen ſpeciali nomine non eſt ſignificatum: & ideò dicitur, Stellionatus. Vt extant tit.de criminibus nominatis: & probatur l.j.D.Stelliona. Plerunque verò dolus affert læſionem, nullo tamen facto,quod criminaliter accuſari poſſit,ſicut in commerciis hominum, aliiſque modis fieri ſolet. Et tunc retinet doli appellationem,vt in tit.D.de dol.mal.&,de dol.mal.& met. exceptione.

Doli mali effectus ſunt: I. Omnis dolus malus legitimis probatus indiciis, eſt famoſus, vel ſaltem quaſi infamiam apud bonos viros irrogat,l.j.D.de his qui notan.infam. De dolo,ait Iulianus, & fraude ſuo nomine damnatus,pactúſve erit,l.pen. C.de interdict. matri.inter pupil.& tutor. Et ſic accipienda eſt lex 2.D. de cri.ſtelliona. II. Contractus bonæ fidei per dolum præcedentem,ipſo iure vitiatur,l.& elegáter.in princ. D.de dolo mal.l.bona fides.D.depoſit. Stricti verò iuris,per exceptionem reſcinditur,l.penul. C.de inutilibus. III. Dolus malus facit ceſſare quodcunq; priuilegium, l.2.§.verba itaque. D.ad S.C. Velleian. Fraus enim nemini debet patrocinari, imò punienda eſt,l. verum eſt.§.tempus autem. D.pro ſocio.l.tranſactione. C.de tranſact. IIII. Nullum mali genus eſt, quod maiorem humanæ ſocietati peſtem inferat,quàm dolus malus,Cicero lib.Offic.j.Semper autem, inquit, in fide,quid ſenſeris, non quid dixeris, cogitandum. Et paulò pòſt. Cùm autem duobus modis, id eſt, aut vi, aut fraude fiat iniuria:fraus quaſi vulpeculæ, vis leonis videtur. Vtrumque alieniſſimum ab homine,ſed fraus odio digna maiore. Totius iniuſtitiæ nulla capitalior eſt,quā eorum,qui tum,cùm maximè fallunt,id agunt, vt viri boni eſſe videantur.

Dolus præteritus, dolus ante litem conteſtatam admiſſus,l.nec vllam.§.is autem qui.l. ſed etſi lege.§.etiamſi ante.D.de petitio.hæredita. Dolus compenſatur dolo,l.ex hoc edicto.D.de eo per quem fact. Hoc verum eſſe intellige,cùm in delicto neutra pars excedit. Sed tum verior eſt illa, Qui delinquit prior, maius delictum admittit.

DOLI CAPACES, Pontificio iure cenſentur ſeptenni maiores:noſtro iure,maſculi decem annos, ac ſex mēſes nati;fœminæ,quibus ad nouem ætatis annos ſemeſtre acceſſit,l.impuberem.D.de furt.l.j.& ibi per gloſ. fi.C.de donat.l.pupillum.D.de nouat.cum ſimil.

DOMUS vnicuique æſtimari debet, vbi ſedes,& tabulas habet, rerúmque ſuarum conſtitutionem fecit, l.203. D.de verb.ſigni. In domo autem aliàs domicilium habemus,aliàs habitationem ſine domicilio,Rurſus ſimplex habitatio,aliquando eſt momentanea, nonnunquam cum tractu temporis, vt ſtudiorum cauſſa, l.lex Cornelia.§.domum.D.de iniur. ſic etiam ſumitur domus nomen,ſcilicet pro quouis loco in quo quis habitat ſiue proprio,ſiue alieno,vt & l.8.in fi.l.22.D.adult. l.j.§.domum.D.de aleæ luſu. Domus quandoque familia eſt,& agnatio,vt apud Paulum,tota domus pro gente vna tota, l.vlti.de offic. Præſid. per μετωνυμίαν, tanquam continens pro cōtento ponitur, vt accipiatur pro his qui vnà habitant. Alc.de verb.ſign.l.195.l. 17.D.de teſtib. Verumtamen Domum non dici quæ adhuc contecta non ſit,plerique ſenſerunt,l.1. §.deinde.de don.vt ſuprà dictum eſt. Negat Cicero in Oratio.Pro domo ſua,quicquam ſanctius, quicquam omni religione munitius, quàm ſit domus vniuſcuiuſque ciuium,& quæ ſequuntur.Paulum in l.ſed & ſi is.de in ius voc.arbitror ad hunc Ciceronis locum reſpexiſſe, vbi,Tamen,inquit,de domo ſua nemo extrahi debet: quia,vt Gaius eo.tit.dixit,in l.plerique. domus tutiſſimum cuique refugium atque receptaculum ſit. Proinde qui domum alienam ingreditur inuito habitatore, vim inferre videtur.

Domo inſtructa, ſupellectilem legatam, non etiam vina accipimus, quia domus vinis inſtructa intelligi non poteſt:auctor Pomp. l.ſi ita teſtamento. de fund.inſtr.

Domo legata,quid contineatur,pete ex l.91.§.pen.& fin. D.de leg.3.

DOMESTICI in rubric.& l.j.& 2,C.de domeſti.& protecto.lib.10,dicebantur, vt vult Suidas, οἱ τῶν Ῥωμαίων οἰκειακοὶ στρατιῶται, qui domi, non in acie, protegendi lateris ſacri ſolicitudinem patiuntur: & quod ait l.8. C.Th.de domeſt. familiarius militant, & ſunt domeſtici procuratores.Sed fuere tamen ex iis alij pedites, alij equites,l.vltim. C.de domeſt.& procur. De iis ſic Caſſiodorus in formulis: Inter protectores & domeſticos ſacram purpuram adoraturus accedat: quod & conſtituitur l.j. C.eod.tum vt in ſalutandis etiam & oſculandis vicariis præf.prætorio, ac multo magis præſidibus admittantur. At qui in acie protegere latus Principis ſolebant, Protectores dicebantur, de quibus ſuo loco.

Domeſticorum tum equitum, tum peditum ſchola erat, cui Comites præerant viri illuſtres, à quibus domeſtici regebantur,Marcellino lib.21.& 26.Trebellius Pollio in Numeriano.

Domeſticus ſcholarum, Nicepho.lib.7.hiſtor.Eccleſ.cap. 18.Zonar.Tomo,3. Annal.

Δομέστικος μέγας, in aula Conſtantinopolitana, vt docet Guliel.Tyrienſis Pontifex libr.2. belli ſacri, cap.5.de Alexio loquens. Hic à Domino Nicephoro qui tunc in ſceptris ag ns principabatur, plurimū honoratus, & Megadomeſtici dignitate (quem nos maiorem Seneſchallum appellare conſueuimus) fungitur officio.

DOMESTICA furta vocantur, quæ ſerui dominis, vel liberti patronis, vel mercenarij his apud quos degūt, ſubripiunt,l.reſpiciendum.D.de pœnis.

Domeſticus teſtis, vbi quis ipſe ſeſe laudat, quaſi domi teſtem habeat,non aliunde adductum.Huic autem teſtium generi quàm minima fides haberi ſolet,ac legibus ceu ſuſpecti reiiciuntur. De teſt. Paulus ait,teſtes, quos accuſator de domo produxerit, interrogari non placuit.Impp.l.2.eo.tit.Etiam,inquiunt, iure ciuili domeſtici teſtimonij fides improbatur,Eraſ.in Chiliadibus indicat Cicer. alibi domeſticos teſtes appellaſſe, propinqua cognatione iunctos parentes, liberos, fratres, patruos, ſoceros, generos,&c.l.2. C.de teſtibus, & l.4.D.eo.

Domeſticum funus,familiare,l.2.D.de in ius voc.l.4. D.ſi quis caut.

DOMICILIUM, eſt domus poſſeſſio in ea ciuitate, in qua ciuis cenſetur, & ſæpiùs commoratur, D.ad municip. per tot. Atque Domicilium ibi quis habere intelligitur,vbi larem,rerúmque ac fortunarum ſummam quis conſtituit,vnde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil auocet, & vnde dum profectus eſt, peregrinari videtur, l.7.C.de incol.lib.10. Sic interpretabimur in l.19. §.j. & l.50.ad fin. D.de iudic. Planè ſola domus poſſeſſio,quæ in aliena ciuitate comparatur, domicilium non facit,l.17. §.ſola.D.ad municipalem.Sed nec domicilium quis ibi habere intelligitur, vbi ſtudiorum cauſſa habitat,niſi,decem annis tranſactis, eo loco ſibi ſedes conſtituerit,l.5.§.domum. D.de iniuriis l. 2.C.de incol.lib.10. Ergo Alfenus l.203. D.de verb.ſig. ſcribit, Domum eam vnicuique noſtrum debere exiſtimari, vbi quiſque ſedes & tabulas haberet, ſuarúmque rerum conſtitutionem feciſſet. Item Cicer. pro Archia: At domicilium Romæ non habuit, is qui tot

annis

annis ante ciuitatem datam ſedem omnium rerum ac fortunarum ſuarum Romæ collocauit. Iſque Incola dicitur, à Græcis, πάροικος.

Domicilium ibi videtur miles habere, vbi meret, ſi nihil in patria poſſideat. l. 23. in fi. D. ad munic.

Domicilium in vrbe retinent Senatores, etiam ſi vbicunque morandi poteſtatem impetrauerint. l. 22. §. ſenatores. D. ad municip.

Domicilium amiſſi mariti ſequitur vidua, quæ ſe aliis nuptiis non iunxit. d. l. 22.

Domicilium & in domo propria, & cõducta habere poſſumus. l. 5. §. domum. D. de iniur.

Domicilium ferre. d. l. 22. §. municipes, eſt conſtituere, & transferre. At non nuda conteſtatione, ſed re, & facto transfertur. l. 20. D. ad municip.

Dominatio in l. fi. C. de cenſitoribus & peræquat. lib. 11. pro dominio. Verum ne ſub ſpecie litis dominationes ſemel conſtitutæ turbentur, ſex menſium ſpatium cenſemus debere ſeruari, intra quod is, qui putat ſibi rem probabili ratione competere, debitas exerceat actiones. Sic l. 78. in fin. D. de acq. hæred. Item apud Feſtum: Regalia exta appellantur, quæ potentibus inſperatum honorem pollicẽtur: priuatis & humilibus hæreditates: filio familiæ dominationẽ. De eo enim hoc vult intelligi qui ius patriæ poteſtatis exiit, ſuique dominij & iuris efficitur. Sumitur & pro patria poteſtate. l. 64. D. de cond. indeb.

Dominivm, eſt ius de re corporali perfectè diſponẽdi, aut vindicandi pro arbitrio, niſi lex, vel conuentio prohibeat, Apello auctore. Ab effectu. Nam duo ſunt effectus dominij: videlicet, diſponere, ac vendicare. l. in rem actio. D. de rei vend. l. ſi quis vi. §. differentia. D. de acq. poſſ. Vide Alciatum. l. traditionibus. C. de pact. Atque hoc vnum eſt quo differt vſuſfructus à ſolido dominio: tametſi Cicero ludens ad Curium ſcribat, id cuiuſque eſſe proprium, quo quiſque vtitur ac fruitur. Vſus enim in vſufructu eſt, non abuſus. At vero vſuſfructus pars eſt dominij, vt ait Paulus. l. 3. D. de vſufr.

Dominium diuiditur in directum, & vtile. l. j. in fi. ſi ager vectig. vel emphyteu. pet. item in proprietatem, & vſumfructum. l. 4. de vſufruct. l. qui vſumfructum. de verb. oblig. Sed & alias in iure inueniri dominij ſpecies, indicat Alciatus in Parergis. Quoddam enim dominium eſt κατ᾽ ἐλπίδα, id eſt, in ſpe, vt cùm in l. in ſuis. de lib. & poſthu. filiusfamilias rerum paternarum dominus vocatur: vnde & ſui hæredes dicuntur, tanquã ſibiipſis ſuccedant: erant enim viuente quoque patre quodam modo domini. Aliud eſt dominium, quod κατὰ πρόληψιν, id eſt, per anticipationem dicere poſſumus; vt cùm mulier rei ſuæ in dotem traditæ domina dicitur. l. in rebus. C. de iur. dot. Aliud eſt dominium, quod vidua habet, quam maritus relictis liberis decedens, in teſtamento iuſſit eſſe dominam vſufructuariam adminiſtratricem (dominium enim illud εἰκονικόν, id eſt imaginarium eſt) eam ſolùm in domo præeminentiã conſecuta, quam, viuente marito, habebat: ideóque ad alimenta tantùm contrahitur: eſt igitur & hoc dominium ἐσχηματισμένον. Aliud eſt, quod ſummum, ſeu maius dominium vocant: quædam ſcilicet maieſtas, cuius obſeruationem fœderati ſupremo Principi, vel reip. debent. l. non dubito. de capt. & poſtlim. reu. Effectus autem maioris dominij, qui non pauci referuntur, ab interpretibus petendi ſunt.

Dominium item diuiditur in naturale, quod iure gẽtium acquiritur, & in id quod iure ciuili. Prius autem ſine poſſeſſione adquiri non poteſt, poſterius poteſt maximè. l. à Titio. in fi. de furt. l. cùm hæredes. in princip. de acqui. poſſ. l. facta. ad S C. Treb. l. j. de bon. poſſ. §. j. Inſtit. de acquiſ. per adrog. & tit. proximè ſeq. cum ſimil. Ac dominium quidem naturale, acquiritur occupatione, inuẽtione, alluuione, traditione, &c. Iure ciuili autem, vſucapione, præſcriptione, legato, aditione hæreditatis, arrogatione, in iure ceſſione, & nonnullis aliis modis quos recenſet Vlpian. in Epit. tit. 19. eóſque explicat.

Dominium, proprietas, & vſusfructus, quæ duo ſunt partes dominij, & non minus prefectiones quàm dominium ipſum, non ſunt ex pluribus cauſſis. l. 3. §. ex pluribus. de acqui. poſſ. l. non vt ex pluribus. de reg. iur. §. ſic itaque diſcretis. Inſtit. de actionibus. Quaſi dominium, Ius in re, & Obligatio, ſæpenumero ſunt ex pluribus cauſſis. l. & an eadem. §. pen. de excep. rei iud. d. l. non vt ex pluribus. cùm ſint quædam imperfectiones.

Dominium, Quaſi dominium, & Ius in re ſpecificum, adfinia ſunt inter ſe, & ſpecies diſtinctæ ipſius iuris in re generici. Directum verò & vtile, ſpecies ipſius dominij. Porrò dominij duo eſſe officia Bart. in l. j. de acqui. poſſ. explicãdo poſſeſſionis definitionem, tradit: Vnũ diſponendi, alterum vendicandi, per l. in rem actio. de rei vend. l. ſi quis vi. §. differentia. item d. tit. de acqui. poſſeſſio.

Dominium non modo corporalium, ſed & incorporaliũ rerum eſt: nam & vſusfructus dominium eſt. l. 3. D. ſi vſufru. pet. & generaliter ſeruitutũ. l. ſemper. 15. §. hoc interdicto. D. quod vi aut clam.

Dominij ius impetrare dicuntur creditores, qui à principe impetrant, vt pignora quorum nullus emptor repertus eſt, ſibi addicta, dominij iure poſſidere liceat. l. j. C. de iur. domi. impet. l. 63. §. fi. D. de acqui. rer. domi. l. 5. §. ſi fundus. D. de reb. eor.

Dominvs dicitur quaſi qui domi præeſt, & domi imperat. Et dicitur is propriè qui domui præſt, & qui domus imperiũ habet, cuíque omnis familia paret. Terent. in Eunucho. Apparet ſeruum hunc domini eſſe pauperis. At Dominorum loco ſunt qui vectigalem fundum in perpetuum conducunt. l. 5. in fin. D. arb. fur. cæſ. nam re vera ſunt conductores. Dominæ locum obtinet hæreditas non adita. l. 13. §. pen. D. ad leg. Aquil. Dominus retrò intelligitur legatarius, agnito legato. d. l. 3. §. fi. Dominus fit is, cui traditur, ex cauſſa emptionis, donationis, dotis, mutui, legati, hæreditatis, ſolutionis, tranſactionis, ſententiæ, vel ſimilibus. l. traditionibus. C. de pactis. l. nũquàm nuda. de adquir. rerum domin. Domini autem adpellatio, à domo deducitur. οἰκεῖον proprium Græci vocant, & à domo deriuant. Vigl. in tit. Inſtit. de hæred. qual. & differ. ad eóſque extenditur, qui rei alicuius proprietatem habent, etiamſi vſusfructus alienus ſit. Vlpian. Domini abuſiuè dicuntur filiifamilias, & cæteri liberi, qui in poteſtate ſunt, & vſufructuarij. Dominorum vice ſunt tutores vel curatores. l. 56. §. qui tutelam. 8. D. de furt. Domini loco habetur poſſeſſor hæreditatis, qui ſatiſdedit. l. 5. §. fi. D. de quæſtio. Dominus litis. l. j. C. de ſent. & interloc. om. iud. Pro Domino eſt procurator in rem ſuam. l. 13. D. de pact. & quilibet alius procurator poſt litem conteſtatam. l. 4. §. fin. D. de appellat. & defenſor qui ſatiſdedit. l. 76. D. de procurat. vtrobique dominum litis intelligimus.

Domini nomine ſolebant veteres aliquẽ honoris gratia ſalutare, vt in l. Neſennius. in princ. D. ad leg. Falcid. Hinc vir & vxor teſtandi coniugij cauſſa ſeſe inuicem appellabant, Dominum & Dominam. Iuſt. Nouel. 74. καὶ παρεῖναι, μάρτυρας ἀκινδύνως λαβομένοι, καὶ ὅτι κυρίαν ἐκάλει τὴν συνοικοῦσαν ὁ ἀνὴρ, κἀκείνη τοῦτον ὁμοίως ὠνόμαζε. Hinc illud teſtatoris in l. vxori. 41. D. de leg. 3. Vxoris fidei cõmiſit hæc verba: Peto abs te domina vxor, ne ex fundo Titiano partem vendices. Item in l. Titia. 19. §. qui marco. D. de annuis legat. Domina ſanctiſſima, ſcio te de amicis tuis curaturam. Item in l. vlt. D. de aur. & arg. leg. Vxori ſuæ teſtamento ita legatum eſt

Semproniæ dominæ meæ hoc amplius argentum balneare. Martialis:

De palatinis domin: quod ſerica prelis: id eſt auguſtæ.

DOMINVS paſſim in Feudiſticis libris appellatur is, qui feudum in re ſua alteri fruendum conſtituit: idcirco, vt vulgo creditur, quia rei in feudum datæ dominium & proprietatem retinuit: ſolum vſumfructum feudi nomine conceſſit. lib. feud. 2. tit. 8. §. 3. Ergo dominus eodem modo dicetur, quo & Signor, ſiue Senior appellatur: quaſi vaſallus patronum ſuum honoris cauſſa dominum appellaret: vt in formula iuriſiurandi, lib. feud. 2. tit. 5. Ergo iuro, quòd ero fidelis ei, vt vaſallus domino. Sic Domina patroni vxor appellatur, libr. 2. tit. 24. §. 3. Ex eodem genere illud eſt, quod vulgo in ſcholis dictitant, directum feudi dominium manere penes patronum: vtile verò in vaſallum tranſire.

DOMINICVM, patrimonium domini: hinc Dominicũ Eccleſiæ, lib. feud. 2. tit. 35. §. j. Epiſcopi & clerici, ea quæ in dominico habent, olim dederunt, & hodie dant. Sic in Append. Aymoinij lib. 5. c. 25. Cum omnibus villis in eo conſiſtentibus tam dominicatis, quàm etiam vaſallorum. Hinc

DOMINICALIA, pro Regalibus feudis: vt apud Radeuic. libr. 2. c. 30. In capitulis pacificationis oblatis ab Adriano Papa Imperatori Frideric. j. De dominicalibus Apoſtolici fodrum non eſſe colligendum, niſi tempore ſuſcipiendæ coronæ.

DOMINICÆ res appellantur, res Cæſarum, tit. C. ne dominic. rei vel templ. Et

Dominici coloni. l. 7. C. vbi cauſ. fiſc. nam Imperatores Domini adpellantur. l. 3. D. de iis quæ in teſta. delen. l. pen. D. de leg. Rhod. hoc nomen primus ſibi vindicaſſe dicitur Caligula, vt eſt Sext. Aurelio traditum.

DONEC aduerbij varia eſt acceptio: quandoque conditionis nota eſt. l. ſi oleum. 21. de dol. mal. c. cauſſam matrimonij. de probat. Eſt & limitationis. l. ſiue. §. tandiu. D. de condict. furt. De hac dictione vide Bart. l. 4. D. de ſeruit. tit. general.

DONVM generale nomen eſt à donando. l. inter donũ. D. de verb. ſig. quo ſignificatur id quod nulla neceſſitate, iure, officio, ſed ſponte præſtatur. l. munus. 214. D. de verb. ſign. Atque hoc differt à munere: munus enim eius eſt ſpecies: tum donum maiorũ eſt rerum, vt ſunt regna, regiones, oppida & prædia: munus minorum. quin & abſentes res donari rectè dicuntur: munera autem mitti, & præſentia offerri. l. 18. D. de verb. ſign. Vide Hotom. in Comment. verb. iuris.

DONARIA, id eſt, dona. l. ſancimus. C. de ſac. ſanct. eccleſ. & pro donatiuis accipiuntur, in l. qui excubias, D. de re milit. Græcis dicuntur ἀναθήματα, Seruius tamen Honoratus: Donaria, inquit, propriè loca ſunt, in quibus dona reponũtur deorum. Et alibi: Donarium vbi ponuntur oblata. Item Cornelius Fronto: Donum quod diis datur: inde vbi dona ponuntur, Donarium appellatur.

DONARI videtur, ait Papinianus, quod, nullo iure cogente, conceditur. l. 29. D. de donat.

Donare ad proceſſus, id eſt, vt eo donatarius vtatur in pompa, vel cùm in Principis eſt comitatu: id enim ſignificat proceſſus, in l. nam & Imperator. D. de donat. inter vir. & vx. teſte Alc. lib. 3. de verb. ſig. vnde & alibi dicitur. l. j. C. de ſenten. paſſ. cùm proceſſiſſet, Imperator ſalutatus eſt. Propriè nanque dicitur procedere, qui pompa quadam procedit in publicum: veluti ſi ſponſus procedat aut ſponſa, quod Virgilius dicit, Tãdem progreditur.

DONATIO, dicta eſt à Dono, quaſi dono datum. rapta à Græco: nam hi dicunt δῶρον, καὶ δωρεῖσθαι. l. 35. §. j. D. de dona. cau. mor. vbi tamen καὶ vacare vult Hotom. Senſus enim eſt: Donationem non dationem eſſe ideóque rectè Seneca donationem creditum inſolubile vocat. Ex quo Vitruuius lib. 2. c. 3. & Plinius lib. 35. c. 43. Palmã δῶρον appellari ſcribunt, quòd munerum datio, quæ fit per manus, ita appelletur. Donationis porrò verbum ſimpliciter loquendo omnem donationem comprehendit, ſiue mortis cauſſa, ſiue nõ mortis cauſſa factã. l. 67. D. de verb. ſignifi. neque creditor donare dicitur, qui mutuo dat: vel debitor, qui ſoluto: vel ſocer, qui doti: ſed quoties aliquid dono datum eſt, tum hoc nomen vſurpatur. Videntúrque Latini veterem hanc locutionem, Dono aliquem dare, vel donare, à Græcis ſumpſiſſe, qui τινὰ δῶρον δωρεῖσθαι dicunt, cum ſolius liberalitatis & munificentiæ cauſſa, rem alicui traditam ſignificant. Atque Donatio propriè appellatur cùm quis ea mente liberalitatis gratia quid dat, vt ſtatim accipientis fiat, neque vllo caſu ad ſe reuerti velit. l. j. D. de dona. eáque abſoluta & vera donatio dicitur. l. 35. §. j. & l. 42. in fi. D. de mort. cau. donat. Nec verò Donatio abſenti aliter fit rectè, quam ſi abſens rem ſibi miſſam acceperit, vel rem iam apud ſe conſtitutã, ſibi donatam ſcierit, eámque donantis liberalitatem agnouerit. l. abſenti. D. de donat. Nec enim donatio eſt ſine acceptione. & rectò. l. 8. de bon. lib. Si patrono libertus donauit, ille accepit. & in illum locum Terentij: Dos Pamphile eſt decem talenta, Accipio. Niſi dixiſſet, Accipio, dos non eſſet, inquit Donatus. Datio enim ab acceptione confirmatur, nec poteſt videri datum id quod non ſit acceptum. Et hodie quia exemplo emptionis & venditionis donatio ſolo conſenſu perficitur, non re, vt olim, etiam non videtur perfecta, antequam is cui donatur ſcierit ſibi donari, eámque donationem ratam & gratam habuerit. Et hoc eſt quod Græci dicunt, donationem factam μὴ ὁμολογῶς nõ valere: excepto caſu. l. 15. C. de ſacr. ſanct. eccl.

Donatio CAVSSA MORTIS, cùm quis habere ſe mauult, quàm eum, cui donat, magíſque eum, cui donat, quàm hæredem ſuum: fitque propter manifeſtum aliquod mortis periculũ: vel ſic, Donatio cauſſa mortis liberalitas eſt, quæ ita fit vt nõ niſi morte donatoris confirmetur. l. j. D. de donat. mor. cauſ. Cuius tres ſpecies recenſentur. l. 23. & ſeq. D. eod.

Donatio INTER VIVOS proprio nomine dicitur, quæ neque mortis, neque nuptiarum, ſed à viuente in viuentem ſolius liberalitatis cauſſa fit. l. j. D. de dona. tit. general. l. Senatus. D. de mort. cauſ. donat. ſoláque voluntatis teſtatione ſic perficitur, vt traditionis neceſſitatem adferat, publicis literis cõſignari, niſi quingentos aureos ſuperet, non debeat: ab ingrato tamen repeti certis de cauſſis poſſis. d. l. eod. l. 35. & pen. C. eod. l. vlt. C. de reuoc. donat.

Donatio HONORIS CAVSSA, eſt quam vxor marito ad honorem ac dignitatem aliquam conſequendam facit. Caius. l. 42. D. de donat. int. vir. Nuper ex indulgentia principis Antonini recepta eſt alia cauſſa donationis, quam dicimus honoris cauſſa: vt ecce ſi vxor viro Laticlauij petendi gratia donet, vel vt equeſtris ordinis fiat, vel ludorum gratia.

Donationes INOFFICIOSÆ cenſentur, cùm parentes bona ſua ſic exhauriunt donationibus, dum viuunt, aliàs ſtultitia, aliàs malignitate, vt nihil ſit inde ad liberos peruẽturum, paſſim in tit. de inoffi. de donat. C.

Donatio ONEROSA dicitur, cùm donans reuocat donationem propter ingratitudinem, Zaſi. §. item ſi quis. Inſtit. de actio.

Donationis quæ fiebat per mancipationem hæc ſunt ſolẽnia verba in veteri inſcriptione vrbis Romæ: Hoc monumentum L. Titurius Sabinus ſe viuo donauit L. Sanio Symphoro, mancupauítque ſeſtertio nummo vno. Itaq; l. vlt. C. de donat. pro Seſtertij nũmi vnius, aſſium quatuor: ſic eſt emendandum, Seſtertio nummo vno,

mo vno,aſſium quatuor,vt in Baſilicis.

Donatio PROPTER NVPTIAS eſt,quam facit ſponſus,vel aliquis nomine eius,ſponſæ,vel alteri nomine ſponſæ.Hæc vno verbo Græcis dicitur ἀντιφερνή, quaſi contrà vel mutua donatio. Vulgò hanc donationem propter nuptias,dotem viri nuncupamus, cùm æqualis ſit in iure doti mulieris. Donatio propter nuptias autem olim dicebatur propterea,quòd eo duntaxat tempore ſponſus exercebat liberalitatem in ſpõſam: idque dupliciter:aliàs ſimplici,perpetua,& irreuocabili munificentia,non adiecta nuptiarum conditione: aliàs ea mente,vt non ſecutis nuptiis, res donata redderetur.l.j.D.de donatio.Sed ab eo iure primùm diſceſſit Conſtantinus:vt omnes huiuſmodi donationes haberent in ſe conditionem,vt non ſequente matrimonio,reſtituerentur ſemper à viuo nolente contrahere:Mortuo autem eo,reſpiciendum eſſet, oſculóne, an ſine oſculo cõtigiſſet liberalitas.l.cùm veterum.& l.ſeq.C.de donationibus ante nupt. Deinde Iuſtinianus conſtituit,vt non ſolùm ante,ſed & poſt nuptias fieret donatio matrimonij gratia: ideóque propter nuptias eam appellauit, nomine rebus conſequente. §.eſt & aliud.Inſtit.de donatio.l.cùm multæ.in princ. C.de don.ante nupt.Sic & dos eſt donatio ob cauſſam nuptiarum.l.j.D.de donat.Quinimò Donatio propter nuptias accipitur pro liberalitate, quam vir cõfert ad onera matrimonij,ante vel poſt nuptias.§.eſt & aliud. Inſtit.de donat. Hanc Iuſtinianus vult eſſe ſpecialem contractum,ab aliis donationibus ſeparatum.Nouell. vt ſpõſal.larg.in princ.Atque etiam Donatio propter nuptias appellatur vulgò id,quod,ſoluto matrimonio,apud coniugem manet ſuperſtitem ad vitam eius. Sic enim mariti futuri donare ſolent vxoribus, vel ex pacto concedere bona, quæ habeant dum viuunt, aut certam,pro eis pecuniam, vt poſt mortem earum redeant ad hæredes donantis: idque inter nobiles eſt frequenteſſimum. Vxores quoque viciſſim ita ſolent ante matrimonium, vel parentes earum paciſcendo permittere,vt maritus ſuperſtes,quoad vixerit, aliquid habeat,videlicet in caſum ſoluti ſine liberis matrimonij.Et hoc apud pleroſque nuncupatur Dotalitium,voce domi eorum nata. Donatio propter nuptias intelligitur etiam pro omni lucro dotali,quod coniunx ſuperſtes ſibi paciſcitur in bonis primũ morituri,ſiue ſit maritus,ſiue vxor. Quod quibus modis fiat tractatur.D.& C.de pact.dotalib. & l.fœminæ.C. de ſecund.nupt.Nouella.de nupt.§.ſi verò expectet.Et huiuſmodi liberalitates quandoquidem vel ex mutua coniugum pactione,vel ex beneficio Legis proficiſcuntur,dicta propriè ſunt lucra dotalia vtrinque. Vſu autem vulgari confunduntur ſub appellatione donationis propter nuptias. Itaque Donatio propter nuptias in diuerſa nomina pro regionibus,& prouinciis abiit,quorum nomenclaturam huc recenſere vaniſſimi eſſet operis. Hoc te interpretes & forenſis vſus docebunt.

Donatio perfecta & pura eſt ſpecies donationis ſimplicis l.j.D.de don.

Donatio imperfecta, ſiue conditionalis, vel ſub modo, Hoſtien.in Summa, eo.& vide. C.de donat. quæ ſub modo.

Donatio ſpõſalitia,quæ fit à ſponſo ſpõſæ vel cõtrà,Azo in Summ.C.de don.ant.nupt.& vide infrà Spõſalitia.

DONATARIVS,cui quid dono datur, præſenti vel abſenti.l.etiã.l.abſenti.D.de donation.l.nec ambigi. C. eo.tit.Obſeruandum autem geri, negotium cum donatario obligatorium.Obligatur enim ad gratitudinẽ auctore omnium maximo,hoc eſt,natura ipſa & Deo.

DONATIVA,in l.10.D.de re milit.ſunt largitiones ab Imperatoribus in milites collatæ:verbum frequens in Tacito,Capitolino,Lampridio & aliis id genus auctorib.Atque dabantur vel ob victoriam, vel ob adoptionem,vel ob auſpicia imperij.Dabãtur, vt apparet & auctoritatis in ipſo tyrocinio,vt militaturis.Hieronym. Ecce donatiuum quod militaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant.Sudas, δωνατικὴ διάδοσις ἡ διδομένη παρὰ τοῦ βασιλέως τοῖς ςρατεύμασι. Alio nomine dicuntur Auguſtatica apud Marcellinum Comitem in Chronico,& clauaria apud Cor. Tacit.lib.19.à clauis caligaribus.

DORMIRE cum aliqua,eſt adulterium cum ea committere.c.qui dormierit.27.q.2.

DORMIT præſcriptio,vel tẽpus non currit,ſed quieſcit, paſſim apud interpretes.

DORMIENTES pro ceſſatoribus,incuriis,& negligẽtius ſua agentibus.Iuxta vulgatum illud: Vigilanti,& non dormienti ius ciuile ſcriptum eſt.l.pupillus. in fi. D.quæ in fraud.cred.cum ſimilibus. Vigilantes autem accipimus,qui ſuarum rerum ſatagunt.

DOS eſt patrimonium mulieris.l.Pomponius Philadelphus.D.famil.erciſ.quod propterea marito datur à parente,vel ab extraneo,vt onera matrimonij ſuſtineat.l.j.l.dotis fructus.& l.res in dotem. D.de iur.dot. quaſi mulieris theſaurus,ad vitæ neceſſitatem conſeruandus.Varro: Dos pecunia nuptiarum cauſſa data ſcilicet ea pecunia quæ marito nuptiarum cauſſa datur.Dos autem legitimè reſtituta mulieri aut patri ſoluto matrimonio, non plus dicetur dos,ſed nominabitur patrimonium mulieris: ſicut hæreditas adita: poſtquam eſt adita,non plus dicitur hæreditas,ſed patrimonium hæredis.l.ſed ſi plures.§.filiæ.D.de vulg. Dos autem nondum reſtituta,quamuis matrimonium ſit ſolutum,rectè dicetur Dos, per tex.in l.vnic.§.taceat.C.de rei vxor.act.

Dos aut profectitia eſt,aut aduentitia,Vlpiano in Epitome titu.de dotibus.6.Profectitia eſt,quæ à principalibus perſonis,id eſt à parente virilis ſexus profecta eſt de bonis vel facto eius.l.5.D.de iur.dot.l.vn.§.& vt plenius.C.de rei vxor.act.l.4.C.de coll.l.2.D.ſol.mat. Aduentitia,quæ à quouis alio,vel ex ipſius mulieris bonis data eſt.l.5.§.ſi pater.D.de iur.dot.

DOS CADVCA dicitur quæ confiſcata eſt.l.ſi quis.38. §.j.D.de rit.nupt.Dos communis.l.22.§.j.D.ſolut.mat. Dos per præceptionem legata,hoc eſt,ante captionẽ, in l.fundus.D.famil.erciſc.

DOS RECEPTITIA ſpecialiter dicitur, quam extraneus dans,vt ea ſibi redderetur ſtipulatus fuit.Vlpia.c. Inſt.6.Caius.l.31.§.2.D.de mort.cau.don. Sed & dos quam quis in mortem mulieris à marito ſtipulatur,capitur ſanè mortis cauſſa,cuius generis dotes receptitiæ vocantur.

DOTI reſpondet donatio propter nuptias.Eadem enim cauſſa,vt vitam commodè tranſigant,vel maritus,vel illius nomine alius,eam confert, Vnde Græcis dicta eſt ἀντιφερνή,quaſi contra vel mutua donatio.

Dotium cauſſa.l.j.D.ſol.mat.quæ ſit vide Bart.Alciat.in d. l.j.& vide ſuprà Cauſſa.

DOTES prædiorum eæ videntur fuiſſe acceſſiones, quæ ex aliis prædiis ad vſum vnius fundi ſolebant venire: vt in exemplo quod eſt apud Vlpia.l.9.§.6.D.de vſufruct.Nam etſi vſusfructus fundi fuerit legatus,& ſit ager vnde palo in fundum, cuius vſusfructus legatus eſt,ſolebat paterfamilias vti, vel ſalice, vel arundine, puto fructuarium hactenus vti poſſe ne ex eo vendat. Dotes prædiorum Papinianus vocat inſtrumẽta, quæ prædiis ſic attribuuntur, vt dotes nuptiis. Dotes prædiorum inquit, quæ Græco vocabulo ἐνθῆκαι appellãtur,cum non inſtructa legantur, legatario non præſtantur.l.2.§.j.D.de inſt.vel inſt.Columel.libr. 4.c.30. Pedaminum iugorúmque & viminum proſpiciendo-

rum tradenda ratio eſt.hæc enim quaſi quædam dotes vineis ante præparantur.Vide Enthecæ.

DOTALIS FVNDVS intelligitur, ſiue quem mulieris nomine quis viro dederit,ſiue quem à viro ſibi debitũ ipſa mulier doti promiſerit,&c.l.14.§.ſi fundum.D.de fun. Hinc dotale prædium conſtituitur,tradita eius poſſeſſione.l.5.D.ſol.mat.l.42.D.de vſucap. Dotale prædium accipimus,cùm dominium marito quæſitum eſt,vt tũc demum eius alienatio impediatur.l.13.§.dotale.D.de fund,dot.

DOERIVM,vel doarium eſt dotis augmentum, ex parte dotis.Guido Papæus quæſt.524.prò eodem ponit Dotalitiũ & doërium.& vide.q.525.& 249. Ex quo collige.Pragmaticos Gallos plerũque hoc vocabulo abuti:pro dote enim accipiunt,& potiſſimùm Notarij imperiti.

DOTALITIVM, id eſt,donatio propter nuptias,vel res paraphernales,id eſt,vltra dotẽ datæ: vel vſusfructus partis bonorum mariti, quem vxori propter nuptias dat,vt eo poſt mortem ſuam alatur:vulgus, Doarium appellat:Harmenopulus ὑπόβολον.Saxon.ſpe.lib.3.arti. 74.Diuortium ſi iure fuerit celebratum inter virum & vxorẽ,mulier dotalitium, id eſt vitæ prouiſionem, ſibi in proprietate viri donatum continebit.Sic.c.ex parte.de for.cõpet.c.nuper.de donat.int.vir.& vxor. Id per adulterium perdit mulier.c.plerunque.de don. inter.vir.

DOTARIVM, idem quod Dotalitium. Neapol.conſt. lib.3.tit.13.& tit.15.& tit.16.Contra autẽ quod ab vxore confertur,Maritagium appellabant.Hinc Petrus de Vineis epiſt.lib.5.c.16.Et ideo cum pro maritagio filiæ noſtræ cariſſimæ,quam filio N.marchionis Miſnenſis decreuimus copulandam,&c.

DRACHMA Vnciæ pars octaua,quæ ſex obolos pendebat,dicta ἀπὸ τῆς δράκος,eo quod ſex oboli manum, id eſt τὴν δράκα implebant,vt inquit Euſtathius. Nec verò Drachma pondus denarij tantùm ſignificat, ſed etiam nummum eodem pondere percuſſum ab Athenienſib.Terent.in Andr. Vix,inquit, drachmis obſonatus eſt decem.

DRACHMALIS vſura Græcis dicebatur, quæ Latinis centeſima.vt enim Romani ab aſſibus, & ita Græci à drachmis vſuras denominarunt. Vide Vſura centeſima,& Bud.lib.de aſſe.

DROMONES, nauigia ſunt celerrima,quaſi curſoria dicas.Horum meminit Iuſtin.in l.2.C.de offic.præfect. Præt.Afric.Milites,inquit, conſtituas, qui poſſint & ipſum traiectum ſeruare,& omnia quæcunque in partibus Hiſpaniæ,vel Galliæ, ſiue Francorum aguntur, viro ſpectabili duci denuntiare:in quo traiecto etiam dromones quantos poteris ordinari facias. Item Procopius libr.3.de bell.Goth. Hotomanus eoſdem eſſe quos Celoces Latinis dictos à celeritate vult. Caſſiodorus lib.4.ad Venenatum,horum mentionem facit, vt opportunorum ad rem frumentariam conuehendam:& ab his.

DROMONARIOS dictos, huiuſmodi nauium exercitores.

DV

DVÆ res non ſunt fructus, & fundus.ſed vna.l.fi.§.pen. D.quæ in fraud.credit.l.j.§.ſi duæ res.quorum legatorum.

DVBIVM eſt,de quo inter ſapientes dubitatur.l.an inutilis.D.de acceptilat.arg.l.vnicæ, & quidem perquàm elegantis.Nihil innouan.appell.pend.Dubia & incerta lib.j.de Orator.apud Cic.Hæc autem omnia quæ tractarentur ab Oratoribus,dubia eſſe & incerta. Dubium & controuerſum,apud eundem libr.2.de Diuinat.Tantũ ſat eſt intelligere, id ſumere iſtos pro certo, quod dubium controuerſúmque ſit.Idem eodem lib.Vidéſne igitur quæ dubia ſint, ea ſumi pro certis atque conceſſis.

Dubia cauſſa dicitur,quæ ſemiplenè probata eſt,gl.eſt celebris in l.admonendi.D.de iureiur.Porrò, in dubiis interpretandis,ad mitiora deflectendum eſſe, Schola noſtra omnino recepit.

Dubius in fide,infidelis.c.j.de hæret.

DVBITABILE eſt,quando argumenta pro, & contra congruunt,colligitur ex l.Licinius.D.de fideic.libert.

DVCENA,vt & centena,gradus dignitatis, promotionísve in ſchola agentium in rebus.l.fin.C.de agen.in reb.l.j.C.de offic.mag.offic.vbi ita legendum,ducenã, non ducenariam. Hinc

DVCENARII,qui ducenam gerunt,& ducenis ſcholaribus præſunt.l.3.C.de agentibus in rebus,lib.12.l.9.C. Theod.de exact.Cypria.lib.j.Epiſt.4. Nicepho.libr.6. hiſtor.eccleſ.c.30.& vide Notit.Imp.Roman. Cæterũ & in re militari.

DVCENARIVS, interprete Vegetio libr.2.c.8.qui duas centurias,id eſt 200.homines ducebat in acie ſecunda.

DVCENARIORVM IVDICVM decuria. Sueto.in Auguſto.c.32.Ad tres iudicum decurias quartam addidit ex inferiore cenſu,quæ Ducenariorum vocaretur, iudicarétque de leuioribus ſummis.Quam appellationem non à cauſſarum æſtimatione,ſed à cenſu potius ortam eſſe, opinantur nonnulli: vt fuerint ducenarij iudices, qui dimidium cenſus equeſtris poſſidebant. Budæus.

DVCERE, dominorum verbum proprium, qui mancipia abducunt. Itaque, DVCAS LICET, dici ſolebat in auctionibus, cum licitatori mancipium addictum fuiſſet.Vnde illud lib.de Orato.3.quanti addictus?mille nũmûm,nihil addo.Ducas licet. Hinc & Duci ſerui dicebãtur,qui noxæ nomine dediti,in aliorum dominium tranſibant.l.2.D.ſi ex nox.cauſ.agat.l.quod ait.3.D.de noxal. Atque hinc Duci in cauſſis liberalibus dicebantur ſerui,contra quos vindiciæ in ſeruitutem datæ fuerant.l.duobus.30.D.de lib.cauſ. Vnde

DVCENDIS de liberis, Prætoris interdictum.l.3.D.de lib.exhib.l.j.D.vtrub.Vtrubi hic homo quo de agitur, &c.quominus eum ducat,vim fieri veto. Hinc

Duci obærati dicebantur, qui addicti creditoribus in ſeruitutem fuerant,in XII.Tab.Aſt qui ei endo iure vim dicit,ſecum ducito. Hinc

Duci, producta verbi ſignificatione, dici conſuetum de iis,qui in ius ducerentur:propterea quod ad magiſtratum ita raperentur,ac vi abducerentur,quaſi poteſtas ex lege in eos eſſet.vnde tit.in Edicto Prætoris, QVI NEQ. DVCANTVR, NEQ. SEQVANTVR.

Ducere aliquem, quòd decreto iudicis non obtemperauerit,hoc eſt,in carcerem trudere,vt vulgò loquimur. l.iniuriarum actio.§.ſi quis quòd.D.de iniur.

Ducebantur olim & cuſtodiebantur illi, qui non defendebantur,Paulus in l.2.ſi noxal.cauſ.agat.

Ducere IN CARCEREM, quia manus in eos qui ducebantur iniectione,quaſi poteſtas quædam adepta eſt.l. 2.D.de in ius voca.Cicero in 2.Agrar.Egone is Conſul qui timeam ne mihi in carcere habitandum ſit, ſi Trib.pleb.duci iuſſiſſet.

Ducere pugnum,cædere pugno.l.4.D.de iniuriis.Si cum ſeruo meo pugnum ducere vellem, in proximo teſtãtem inuitus percuſſerim,iniuriarum nòn tenear.

Ducere VXOREM, præciſe dictum, pro ducere vxorem domum.Veteribus enim mos fuit nuptam è patris domo noctu tædis prælatis velatam in mariti domũ deduci.Pomp.l.mulierem.D.de ritu nupt.Mulierem quæ abeſſet deduci à marito non poſſe. Deductione enim opus eſſe in mariti non in vxoris domum,quaſi in domicilium matrimonij.Ducere autem vxorem propriè dicitur paterfamilias: at filiusfamilias non tam ducit

vxorem,

vxorem quàm à patre accipit:quippe cum patri committatur puella potius in eiuſmodi conditionibus,quā marito.Hæc Donat.in Terent.& Vide Nuptiæ.

Duci,& ferri ſeparantur.l.vnic.D.ſiquis in ius voca. non ier.l.57.D.de euict.hoc ad ea quæ anima carent, illud ad ſe mouentia pertinet.

Ducere FVNVS, hoc eſt facere.l.2.D.de in ius voc.

Ducere MATERIAM. l.pen.D.commu.præd. & apud Vitruuium lib.5.c.ſi.Ducere murum.

Ducere EVERRICVLVM.l.11.§.ſi quis me.D.de iniur.

DVCTVS miſericordia,pro excitatus, in l.& eleganter. §.idem Labeo.de dol.

DVCATOR.l.28.§.ſi nauis alienā.D.ad leg. Aquil. quod verbum & in Lexico B.Germani ad Lutetiam notatū reperitur:Ducatores, ἀγοὶ, ἡγεμόνες, προηγούμενοι.

DVCES, ab antiquis ſemper quidem pro ductoribus exercituum dicebantur:ſed tamen tribus modis id nomen vſurpabatur.nam interdum Duces appellabantur,qui ſummum in militia imperium obtinebant: qui ſi commiſſo prœlio victoriam obtinuiſſent, Imperatores conclamatione militum appellabantur. Liuius lib.9.Iamprimum,vt ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo,egregium ducem fuiſſe Alexādrum.Interdum autem Dux appellatur,cui pars imperij ab altero ſuperiore mandata eſt.Cic.Offic.3.M.Atilius Regulus,cum Cōſul iterum in Africa ex inſidiis captus eſſet,Duce Xanthippo Lacedæmonio, &c.Sic in l.conuentionum.5.D.de pact.Publica conuentio eſt quæ fit per pacem,quoties inter ſe Duces belli quædā paciſcuntur.Sic à Cæſare Duces perſæpe appellantur, qui legati ipſius erant,& Imperatore abſente ſummā poteſtatem habebant:vt Labienus apud Cæſarem lib. 6.de bello Gal.Præſtate eandem nobis Ducibus virtutem,quam ſæpenumero Imperatori præſtitiſtis Atque hi nonnunquam conſularibus inſignibus vtebantur,& poterant dimitti ab Imp.ignominiæ cauſſa, vt ſcribit Vlpian.l.2.in princ.D.de his qui not.infam. Iuſtin.lib.24.Multis nobilibus regnum Macedoniæ affectantibus,Soſthenes ignobilis præponitur: & cum Rex ab exercitu appellatus eſſet,ipſe nō in Regis, ſed in Ducis nomē iurare milites coēgit.Idem lib.9.Cum honoratum inſuper ducatu aduerſarium videret. Et lib.30.Agathocles Regis lateri iunctus ciuitatem regebat:tribunatus, præfecturas, & ducatus, mulieres ordinabat.Tacitus de morib.Germ. Reges ex nobilitate:Duces ex virtute ſumunt: nec Regibus infinita aut libera poteſtas: & Duces exemplo potius quàm imperio:ſi prompti,ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præſunt.Interdum tamen Duces ij dicūtur qui ſummum quidem imperium obtinent: at ij qui cum poteſtate ſunt,id eſt,quibus Imperij pars mandata eſt,Comites.Cicero pro Marcello: Bellicas laudes ſolent extenuare verbis, eáſque detrahere ducibus, communicare cum militibus,ne propriæ ſint Imperatorum.Et aliquanto poſt:Hæc enim res vnius eſt propria Cæſaris:cæteræ duce te geſtæ, magnæ illæ quidē, ſed tamen multo magnóque comitatu. Huius autem rei tu idem es & Dux & comes. Poſtea vero DVCES dicti ſunt,quibus rex aut populus regionis alicuius adminiſtrandæ poteſtatem dederat:vt in le.Baioar.tit.13. c.2.Siquis contra ducem ſuum,quem Rex ordinauit in prouincia illa, aut populus elegit ducē, de morte eius conſiliatus fuerit,&c.Specu.Saxon.lib.3.artic.53.Quælibet prouincia Theutonicæ terræ ſuum habet Palatinatum:Saxonia,Baueria,Frāconia,& Sueuia: quæ antequam à Romanis ſuperabātur,regna fuerunt: à quibus ipſa in Ducatus nomina fuerunt permutata: &c. Animaduerſione autē dignum eſt, quòd circiter ætatem Caroli Magni Duces dicebantur, cui Duodecim comites ſuberant.Theodulphus ſub anno.849.Taſſilonem in ducatu Baioariorum collocauit per ſuum beneficium:Grifonem verò partibus Neuſtriæ miſit, & dedit ei duodecim Comitatus.Eum locum imitatus eſt Aimoynius lib.4.c.61.Taſſilonem (inquit) in ducatum reſtituit Grifonem more ducum duodecim comitatibus donauit. Duces rurſus & comites apud ſcriptores Barbaricos ita diſtinguuntur, vt Duces ſint totius regionis Præfecti:Comites, vrbis tantum. Greg. Turon.lib.9.c.7.Ennodius cum ducatum vrbium Turonicæ atque Pictauæ adminiſtraret, adhuc & vici Iulienſis atque Benarnæ vrbium principatum accepit. Sed euntibus Comitibus Turonicæ atque Pictauæ vrbis ad regem Childebertum,obtinerunt eum à ſe remoueri.

DVX Tripolitanæ & Byzacenæ prouinciæ & Mauritaniæ,& Numidiæ.l.fin.C.de offic.præfect.præt. Dux Rhœtici, apud Vopiſcum in Bonoſo. Dux limitis Scythici,Illyriciani,Thracij,Orientalis,apud eundem in Aureliano.

DVCATVS, aliàs dicitur regio cui dux dominatur:alias ipſa ducis dignitas,præfectura,& imperium militare. Suet.in Tib.Cæſ.c.19.Confidens(vt aiebat)oſtento ſibi ac maioribus ſuis in omni ducatu expertiſſimo. Id eſt quoties pro imperio aliquid gerendum eſſet, vel quoties bellum ſuis auſpiciis gererent.

DVELLVM, dicitur bellum,inquit Feſtus, in quo à partibus de victoria contendentibus dimicatur. Hinc Perduellis, qui pertinaciter bellum retinet. Plautus Amphitr.4. Cic.in Orat. Quid verò licentius, quàm quod hominum etiam nomina contrahebant, quo eſſent aptiora?nam vt duellum bellum, & duis,bis: ſic Duellium,eum qui Pœnos claſſe deuicit, Bellium nominauerunt, cum ſuperiores ſemper appellati eſſent Duellij.Vt autem ex duello bellum factū, ita quoque bellus duellus ab antiquis dicebatur. Liuius apud Nonium:Lenti calido, duella rapula, rumice. Duella rupula,id eſt bella. Duellum autem aliàs inter plures fit,aliàs inter duos tantùm. Vnde monomachia dicitur.c.monomachiam.2.q,4.Et monomachus, hoc eſt, qui ſolus cum ſolo pugnat.Tale olim certamen inter duos fieri conſueuit,ad probationem alicuius rei,aut ad purgationem obiecti criminis. De quo in c.2.de purg.vulg.c.j.de pact.ten.& c.j.de cleric.pug. in duell. Romani enim ad excitandos iuuenum animos, huiuſmodi cruenta ſpectacula non abhorrebant: vti apparet in l.qua actione.§. ſi colluctatione. vbi vide Bart. D.ad l.Aquil.Frequentabatur adhuc duellum tempore Frideric.j.Hodie duellum prohibetur cū omnibus id genus cruentis hominum ſpectaculis,in l. j. C.de gladiator.c.j.de purga.vulg.& 2.q.3.c.monomachiam.

DVLCIVM appellatione continentur mulſum, paſſum, defrutum & ſimiles potiones:item vuæ, caricæ, ficus, palmæ.l.fi.D.de vino,trit.& Murrina, id eſt, myrrhæ odore condita,vt & Plinius probat lib.14. c.13. & vide I.Paulum lib.3.Sentēt.tit.6.Plautus in Pſeudulo: Quid ſi opus ſiet, vt dulce promat indidem, ecquid habet? Rogas?Murrinam,paſſum,defrutum,melinam.

DVLCIARIVS, vt Dulciarius piſtor,qui panes & mellita concinnat edulia.Lamprid.in Heliogab. Dulciarios & lactarios tales habuit, vt quæcunque coqui de diuerſis edulibus exhibuiſſent, vel ſtructores, vel pomarij,illi modo de dulciariis, modo de lactariis exhiberent.& Iul.Firmicus lib.8.Matheſ.c.11.tradit dulciarios cōditores,& his ſimiles viros naſci ſubſidere ſpicæ,quæ in Virginis parte decima exoritur.

DVM NVPTA ERIT. His verbis propriè nuptiæ intelliguntur.l.bonos.§.hoc ſermone.D.de verb.ſig.

Duodecim, loquendi compendio appellabantur Leges.

XII. Tab. vt colligitur ex Cicero. libr. 1. de Orato. & lib. 2. de Legib. vide Tabulæ Duodecim.

Dvplvm ſtipulari, hoc eſt, vt precium emptori in duplo reddatur, ſi res fuerit euicta. l. 72. D. de contrah. empt. l. 31. §. quia aſſidua, D. de ædi. edict. C. Harmenopul. vocat τίμημα εἰς τὸ διπλοῦν. Quæ ſtipulatio olim fuit frequentiſſima, ad reprimendam venditorum temeritatem. l. 4. §. ſi is qui. D. de verb. oblig. Sic & Vlpianus dicit duplari pœnam, in l. qui tabulas. in princ. D. de furt. Hinc Duplæ cautio apud Varronem libr. de re ruſt. 2. Si res mācipio non datur, dupla promitti ſolet: aut, ſi ita pacti, ſimpla. Vlpianus in l. qui erat. 49. D. fam. erciſc. Hos demum venditores ad duplæ cautionē compelli ſcribit, qui ſponte ſua diſtrahunt: cæterum qui officio diſtrahentis fungūtur, non debere adſtringi. Sic l. 48. & 56. D. de euict. Vide Euictio.

Duplum euictionis nomine exigi. l. 7. D. de pecul.

Duplum ex cauſſa ſtipulationis. l. 17. D. de euict.

Dupli appellatione, interdum quadruplum continetur. l. inter eos. §. quod diximus. D. de furt.

Dupli fructus, hi ſunt qui dicuntur maiores fructus non tantum in l. 6. §. j. D. mand. ſed etiam in l. reſcriptū. §. j. D. de diſtr. pign. Et ideo in l. 8. §. j. D. de neg. geſt. ampliores fructus quàm oporteat eum qui fundum vindicauit conſecutum dicemus, qui ſupra duplum exegerit: quia ex 12. Tab. dupli tantum fructus debētur ex die accepti iudicij in rem, vel ad exhibendam. Et ad hanc legem. 12. Tab. reſpicit etiā Vlpian. in l. Iulianus. §. quantum. D. ad exhibēdum, dum ait in actionem ad exhibendum venire fructus ex die accepti iudicij, & ſecundum legem æſtimari. intelligens per legem. 12. Tab. Ergo ex priſcis iuris formulis, vt ait. l. j. C. Th. de vſur. rei iud. id eſt ex 12. Tab. malæ fidei poſſeſſor in duplos fructus cōueniebatur: qua ex re colligit & malæ fidei debitorem in duplum eſſe damnādum. Legis 12. Tab. hæc ſunt verba, ex caſtigatione Cuiacij: SI VINDICIAM FALSAM TVLIT, REI SIVE LITIS, ARBITROS TRES DATO: EORVM ARBITRII FRVCTVS DVPLIONI DAMNVM DECIDITO.

Dvplex ſubſtitutio, quæ duos caſus continet. l. j. D. de vulg. & pupilla.

Duplex teſtamentum, quod quis ſibi & filio impuberi fecit. l. j. D. ſi cui plus quàm. l. 79. D. ad leg. Falcid.

Dvplicia interdicta vocātur, in quibus vterque actoris & rei partes ſuſtinet: veluti vti poſſid. & vtrubi. l. j. §. j. D. de interdic. §. pen. Inſtit. de interd. Sic

Duplicia ivdicia ſunt, Familiæ erciſcundæ, Communi diuidundo, Finium regundorum: quia par vtriuſque litigatoris in his conditio eſt, nec quiſquam præcipuè reus, vel actor intelligitur, ſed vnuſquiſque tam rei, quàm actoris partes ſuſtinet, Inſtit. de iud. §. tertia diuiſio. in fi. Aliàs Duplicia iudicia dicuntur in quibus duo conſilia ad vnam cogebantur haſtam, vnúmque tribunal: vt quadruplicia, è quatuor iudicum conſiliis & decuriis, quæ in Baſilica Iulia ſedebant, cogebantur. Fab. Inſtit. lib. 11. Si apud alios iudices agatur, vt in ſecunda aſſertione, aut in centurialibus iudiciis duplicibus parte victa.

Dvplicatio, eſt allegatio, quæ datur reo ad infirmādam replicationem actoris. §. rurſum. Inſtit. de replic.

Dvplicarii milites dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria, vt darentur, inſtitutū, Varro de Ling. Lat. lib. 4. In vetuſto Lexico διμοιρῖται explicantur. Eadem forma armaturas duplares appellat Vegetius, quæ cōſequebantur duplas annonas, ſimplares, quæ ſimplas.

Dvplio, verbum XII. Tab. quo duplex vel pecuniæ, vel capitis multa iniungitur alicui quemadmodū Talionis, talis pœnæ dicebatur condemnatio, cuius aliquis alium affecerat. Verba legis hæc ſunt: Frugē aratro quæſitam furtim noctu ſi pauerit, ſecuerít ve, pubes ſuſpenſus Cereri necator: impubes verberator, noxiámque duplionem præſtato. Hanc explicui lib. 4. Veteris Iuriſprudentiæ. l. 71.

Dvploma, vide Diploma.

Dvpondivm, ſeu Dupodius, inquit Varro de Ling. Lat. lib. 4. à duobus ponderibus, quòd vnum pondus aſſipondium dicebatur: id ideo, quod as erat libræ pōdus. Dupondius ergo duos aſſes ſignificat, vel 24. vncias, aut 12. ſeſcuncias, & ſic apud Vlpian. l. item ſi. 17. D. de hæred. inſtit. & §. & conſtat. Inſtit. de hæred. inſtit. Vide Vigl. in enarratione huius legis. Etiam pro parua pecunia ſumitur. Cicer. pro Quintio: Si dupondius tuus ageretur ſex Næui, ſi in parua re captionis aliquid verere. Hinc

Dvpondios iuuenes appellatos ſcribit olim Iuſtinianus in Præfat. Pandectarum, primo anno nouos auditores iuris: atque id ridicule, quod non eſſent magni pretij, ſed duorum aſſium, vt ſi triobolares, aut diobolares auditores diceres. Sic Hieronymus aduerſus Heluidium: Quis te oro dupondij ſupputabat? Et in epiſt. Senecæ: Dupōdio ſatur, id eſt perexiguo ſumptu. Hos ipſe vult deinceps vocari Iuſtinianeos annos.

Dvrare, in tempus conſiſtere. l. j. D. de pœnis.

Dvrante matrimonio, id eſt, conſtante, ſæpe in conſtitutionibus.

Durante vita vide infrà, Verba, durante vita.

Dvra lex, immitis, quæ facilè non fertur.

Dvrior conditio, pro difficilior, vt ſiquis deteriorem habeat patronū, gl. §. fi. l. generaliter. D. de fideicomiſ. libert. Sic durior aduerſarius, in l. j. C. de alien. iud. mutan. cauſ. fac.

Dvracinæ vuæ, quæ durum habent acinum. Plin. lib. 14. c. j. Vua non alibi gratior callo, vt inde poſſit inueniſſe nomen duracini, durus acinus. Niſi mauis legere, Duracinæ, vt ad vuam referatur. Sic Duracina perſica, quorum corpus ligno adhæret, auellíque nequit. Plin. lib. 15. c. 12. Paulus de verb. ſignifi. l. 205. Qui fundum, inquit, vendit, pomúmque, excepit ficus, nuces, & vuas duracinas & purpureas, & quæ eiuſdē generis eſſent, quas non vini cauſſa haberemus: quas Græci τρωξίμους appellant. Id eſt edules, cibarias eſcariáſque.

Dvvmviri capitales dicebantur, qui de perduellionis crimine iudicabant. Liuius lib. j. de Tullo rege loquēs: Duumuiros, inquit, qui Horatio perduellionem iudicent ſecundum legem, facio. Lex horrendi carminis erat: Duumuiri perduellionem iudicent: ſi à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato. ſi vincent, caput obnubito: infelici arbore reſte ſuſpendito: verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. Idem lib. 6. Sunt qui Duumuiros, qui de perduellione anquirerent, creatos auctores ſint. Loquitur de M. Manlio: de quo & Plutarchus in Vitis. Durauit hic mos ſtante ſemper rep. Itaque C. Rabirius à Iulio Cæſare & L. Cæſare Duumuiris perduellionis damnatus eſt, ſed ad populum prouocauit: vt ex Cicer. Oratione pro eo, & Suetonio & Dionis lib. 37. notum eſt omnibus. Cicer. in Oratore: Planéque Duumuirorum iudicium, aut Triumuirorum capitalium, aut Decemuirorū litibus iudicandis dico nunquam.

Duumuiri cvratores viarum quæ extra vrbem eſſent nominantur à Dione libr. 4. in eorum XXVI. virorum numero, vnde alij quoque magiſtratus minores erant.

Duumuiri mvnicipales, magiſtratus erant annui (niſi ſi eſſent refugæ: tunc enim erant biennales. l. 17. C. de decur. & fil. eor) in municipiis & coloniis, qui ius dicebant: ideóque vocabantur, Duumuiri iuri dicundo.

cundo. Hi imperium non habebant, l.ea quæ.D.ad municip. Iuriſdictionem habebant vſque ad certam quantitatem, quam tamen defendere pœnali iudicio non poterant, l.j. D.ſi quis ius dic.non obt. Pignoris capionem, l.29.§.magiſtratus. D.ad leg.Aquil. Legis actionem, vt in 2.Sent. Pauli annotat Cuiac. In ſeruos caſtigationem, l.12.D.de iuriſd.l.ſi priuatus.D.qui & à quib.man. Tutoris & curatoris dationem, l.3.D.de tut. & cur.da.quin & ordo ipſe ipſum magiſtratum, id eſt, Duumuirum iure tutorem dabat, l.decreto.D.qui pet. tut. Præferebant faſces, ſiue bacillos, vt in 2.Agraria. Poteſtate ſua non vtebantur extra territorium, ſicut nec vrbani magiſtratus. Erant in municipiis & alij Duumuiri, QVINQVENNALES cognominati, in integrum creati quinquennium, cenſus tributiq; cauſſa vel potius quibus iuris dicendi cauſſa in quinquennium ob ſpectatam virtutem is honos mandabatur, cum aliis annuus eſſet, quod verius puto: aut in quinquennium continuabatur, prorogabatúrq; : vt in hac antiqua inſcriptione, II. VIR. QVINQ. BIS OB MERITA. Aut etiam legibus & inſtitutis in quinquennium creari is magiſtratus ſolebat.

Duumuiri NAVALES, lege Decia, quam M.Decius Trib.pleb.tulit, creati ſunt: vt claſſis ornãdæ reficiendæque curam haberent, Liuius lib.9.

DVVMVIRATVS, pro ipſo Duumuirorum magiſtratu, l.j.D.de alb.ſcrib.l.j.C.de tempor.appel.

DVVMVIRALIS, qui Duumuiratum geſſit, d.l.j.de alb. ſcrib. Hinc,

DVVMVIRALITII, qui abierunt Duumuiratu. Auguſtinus de cura pro mortuis: Curialis pauper vix illius loci Duumuiralitius.

DVVMVIRILITAS, l.j,C.de nat.lib.

E

E, PRO, i, veteribus ſæpe poſitum fuiſſe conſtat, quod & M.Fabius lib.j.cap. 4.docet: vnde in Pand.Flor. intelleguntur, intellegi, pro, intelliguntur, intelligi, vt & B.Briſſonius lib.Parerg.adnotat. Pierius in ſuis in Virgil. Caſtigationibus idem admonet, in marmoribus antiquis e, pro i, legi, Verginius, Deana, IOVE OPT. MAX. pro Ioui.

E, vocula plerunque excluſionis nota eſt, ca.j. de renũcia.

E contrario, pro viciſſim, vice verſa, l.11.§.j.D.de duo. reis conſtit.

EA MENTE, apud Vlpianum, de furt. pro voluntate, & non (vt vulgus ſolet) pro intentione accipiendum eſt. Accurſius in l.codicillis. de legat.2. eadem verba in Scæuolæ reſponſo, haud ſimpliciter, hoc eſt, pro animo, aut ſententia, ſed pro pacto intellexit.

EADEM ſunt, quorum ſententia eſt eadem, Bald.l.neq; leges.D.de legib.

EA & EADEM aduerbia loci, id eſt, per eãdem viam.

EATENVS tandiu, vel vſque ad id: atque variè poni docet Bartol.in princ.l.j. de oper.nou.nun. Porrò Eatenus dicitur quis poſſe facere, quatenus ex fructibus ſupereſt, deductis alimentis, l.qui bonis. D.de ceſſion. bon.l.imperator.ad S.C.Trebellia.

EBLANDITÆ preces, ſignificant teſtimonia blandis precibus impetrata, apud Plin.in Panegyr.

EBOR vel EBVR, pro Elephanti dente, quaſi è barrho, id eſt, Elephanto productum teſte Seruio: quod tamẽ negat Pauſanias, è cornibus id produci contendens, quæ ex illius ore exeant: vt annotat Mathiol.in Dioſc. lib.2. Sicut autem ab ebor, eboreæ: ita ab ebur, eburneæ dicuntur tabulæ. Pompon.in l.2. D.de origin.iur. Quas in tabulas eboreas perſcriptas, pro roſtris compoſuerunt, vt poſſent apertius percipi.

EBORARII, inter artifices qui à Principibus vacationem munerum obtinent, numerantur in l.priore. C. de excuſat.artif.lib.10.

EBRIVS, qualibet re expletus, Nonio. At Ebriis quandoque venia dari ſolet delinquentibus, tanquam ſepultis & neſcientibus: ſcilicet in delictis non ita magnis, l.reſpiciendum.§.delinquunt.D.de pœn.

Ἐκβιβαστὴς, ἀπαιτητὴς, executor, titul.de præſcripti. quinquennij.

ECBOLIA, medicamenta quibus medici vtuntur abigendis infantibus in vtero enectis, quæ & Phthoria dicuntur: tum & veneficia, quibus abortum faciunt mulieres: de quibus locus eſt Vlpiani: Si mulierem, inquit, viſceribus ſuis vim intuliſſe quò partum abigeret, conſtiterit: eam in exilium Præſes prouinciæ exiget. Ad leg.Cornel.de ſicar. Quòd tamen hodie apud nos capitale eſt.

Ἐκβολὴ, in l.3.D, de incend.ruin.& nauf. reponendum putat Spiegelius: cum in Pand.Florent. legatur ἐξεβράσθη, id eſt, in vadum eiecta. Vide Ἐξεβράσθη.

ECCLESIA, Græca vox eſt, & ſignificat multitudinem, non qualemcunq;, ſed conciliatam in vnam aliquam ſocietatem religionis. Eccleſiæ appellationem vulgò reſtringunt ad miniſtros eccleſiarum, & ipſa templa, titul.C.de ſacroſanct.Eccleſ. Eccleſiam pro loco aut templo duntaxat accipi prædurum eſſet, niſi Imperatoris auctoritate donaretur.

Ἔκδικος, & ἐκδικηταὶ ſunt perſecutores, quorum munus eſt iudicio experiri contra eos qui aurum vel argentum, vel pecuniam reip.debent. Vocantur & defenſores ciuitatum in l.vt perfectius.D.de ann.except. Eſt etiam ἔκδικος vindex & aſſertor. Ecdici tamen apud Cicero. lib.Epiſt.Fam.13.Epiſt.56. videntur dici ij quibus à ciuitatibus cura mandata erat de his quæ deberent, cum priuatis tranſigendi. Milaſij & Alabandenſes pecuniã, Cluuio debent: dixerat mihi Euthydemus, cũ Epheſi eſſem ſe curaturum, vt ecdici Milaſij Romam mitterentur, id factum non eſt: legatos audio miſſos eſſe: ſed malo ecdicos, vt aliquid confici poſſit: quare peto à te vt eos & Alabandẽſes iubeos ecdicos Romã mittere.

Ἐκταγὴ, delegatio, ſiue diſpoſitio Præfecti prætorio, in l.ſi. C.de exact.trib.lib.11.

Ἐκτίνειν τὰς κηδεμονίας, curationis nomine ſatisfacere, rationes referre, reliqua ſoluere, Modeſt.l.49. D.locat. οἱ ἐπίτροποι γενόμενοι πρὶν ἐκτίσαι τὰ τῆς κηδεμονίας, μισθωτὰς καίσαρος γενέσθαι κωλύονται. Tutores facti, priuſquã procurationis ſuæ nomine ſatisfecerint, prohibentur aliquid à Cæſare conductum habere.

ECVLEVS eſt genus tormẽti, ita dictũ, vt quidam volũt, ab equi forma: cuius ſit mentio apud Cic.lib.4.de Fin. Nec ſi ille ſapiens ad tortoris eculeũ à tyranno ire cogatur, ſimilẽ habeat vultum, ac ſi ampullã perdidiſſet. Sic C.de male.& mathe.l.etſi excepta.in ſi.de hoc 23.q. j.c.j.per Archidiac. Sunt tamen qui ſtipitem eſſe velint cui velut equo rei imponebãtur, ac varie torquebãtur, cruciabãtur: idq; auctore Prudẽtio in D.Romani martyrio. Sed hoc ſignificatu per c ſcribi volũt, alio per q.

Ἑκυρὸς, apud Græcos propriè viri pater vocantur: ἑκυρὰ, viri mater: vxoris autem pater πενθερὸς, & mater πενθερὰ vocatur l.non facilè.D.de gradibus & adfin.

EDEATRÆ, qui præſunt regiis epulis.

Ἕδνα in libris βασιλικῶν, quidam dotem, alij donationem propter nuptias interpretantur.

EDERE actionem eſt copiam deſcribendi facere: vel in libello complecti, & dare, vel dictare: vel aduerſarium noſtrum producere ad album Prætoris, & demonſtrare quid dicturi ſimus, vel dicendo id quo vti velimus. aut denique quouis alio modo inſinuare

ſummam actionis,l.j.§.j.& in l.ſi quis ex argentariis.§,ſi initium.D.de edend.

Edere iudicium eſt profiteri & enunciare qua actione vſuri ſimus,l.15.D.de auct.tut.Interdictũ,l.8.§.ex hoc.D.de precar.Formulam, Plin.lib.9.ca.59. Quintil.Declam.13.Patrimonium, l.j.§.ſi quis. D.de offic.præfect, vrb.Cenſum, Plin.lib.10.Epiſt. Exemplum literarum, l.pen.D.de appel.recip.Librum, l.46.§.tutor. D.de admini,tut.Mandatorem, l.2.§.Diuus.D.de iur.fiſ. Crimina.Paul.lib.5.Sentent.tit.17.

Edere operas dicitur libertus,pro dare,præbere, & præſtare operas,l.9.de oper.lib.Proprietas earũ & in edẽtis perſona, & in eius cui eduntur,cõſiſtit. Iauolenus l.21.D.eod.Operæ loco edi debent,vbi patronus moratur,ſumptu & vectura patroni.Senec.lib.4.Epiſt.29.

Edere NOMEN,proferre vel efferre nomen ſuum vt deſcribatur,& veluti ſuum nomen profiteri in actis quẽ manumiſſuri ſumus:id quod fiebat ante cognitionem conſulis Vlp.l.j. D.de offic.Conſ.Conſules & ſeorſum & ſinguli manumittant.ſed nõ poteſt is qui apud alterum nomina ediderit, apud alterum manumittere. Quinetiam Edere nomina hodie dicimus eos, qui prouocatores apud acta Curiæ præſentari dicuntur. Quod & nomen dare vocatur, vt dare nomen militiæ,l.3.de re milit.

Edere rationes longe aliud ſignificat,quàm reddere. Nec enim is qui edere iuſſus eſt, reliquum reddere debet: nam & argentarius edere rationem videtur, etiam ſi quod reliquũ ſit apud eum non ſoluat,l.89,D.de verb. ſignif. Edi autem ratio ita intelligitur, ſi à capite edatur.l.ſi quis.D.de edend.

Edere reo,pro contra reum,Cic.in Orat.pro Planco.

EDITA actio,l.edita.C.de edendo,l.j.C.de lit.conte.

EDITIO pro natiuitate,ortu,l.2.§.j.D.de Decurionib.Si cõceptu ſit à plebeio, mox ante editionem pater eius decurionatum adeptus,ante editionem amiſerit, &c.

Editio actionis, propriè præparatoria eſt, Bartol.in l.in ſulam. de verb.obliga.

Editionem exigere ab officio iudicis, eſt iudicem inuocare,vt decernat,& mãdet exhibitionẽ ſcripti, cauſſa ſummatim cognita,& delato iuramẽto exigenti,quòd non calumniæ cauſſa poſtulet,iuxta l.ſi quis ex argentariis.§.exigitur.D.de edend.

EDITVS, us, ui, pro ſtercore ſeu excremento,quod ab armentis editur, ab edendo, ſeu extra mittendo dictus. Iuriſconſ.tit.de legat.3.in l.ligni appellatione. 55. §.3.In quibuſdam prouinciis editu boũm ad hanc rem vtuntur.

EDITITIVS iudex,quem vna pars elegit.Seruius Eclog. 3.Cicero pro Plancio: Neque enim quicquam aliud niſi edititios iudices es ſecutus.

EDICO.Donatus in Hecyra Terent. Inter Edico & Interdico hoc intereſt,quòd Edicimus,quod fieri iubemus.Interdicimus, quod fieri vetamus. Edicimus vni generi hominum, Interdicimus diuerſis.Itaque Prætoris edicta,& interdicta dicuntur. Quæ diſtinctio,vt Alciatus ait, nõn ſat vera eſt,cùm ſub Rub.de interdictis quædam ſint,quæ fieri non prohibent, vt Reſtitutoria,Exhibitoria.Edicere verò alias eſt iubere,decernere,edicto vetare,& propriè eſt magiſtratuum. Cic, ad Brutum lib.11.8. Cum Tribuni plebis edixiſſent, Significat etiam denunciare,vt quid fiat, aut non fiat, Terent.in Eunucho:Dico, edico vobis noſtrum eſſe illum herilem filium. Hinc Dionyſ.lib.5. τὰ γὰρ ἐπιτάγματα καὶ τὰς διαγραφὰς τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων, ἔδικτα οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. Atque huic verbo videtur ineſſe vis prædicendi, atque in poſterum denunciandi: vnde illud Cicer.lib.2.de Finib.Eſt enim tibi Prætori edicendum quæ ſis obſeruaturus in iure dicendo.Edicendum enim dixit pro denunciandum & diuulgandum: id quod fixa tabula,& libello palam propoſito fiebat.Solebant enim creati Prætores priuſquam ius dicerent, vt cuique notum eſſet quemadmodum anno ſuo ius dicturi eſſent, in albo edicta conſtituere atque proponere: idque inito magiſtratu, habita concione, & iurati in leges faciebant.Proconſules etiam, & præſides in prouinciis edicta eiuſmodi proſcribebant, quæ Prouincialia appellabantur, ad differentiam vrbanorum,vt ex lib.7.Epiſtol.M.Cicero.ad Atti.Epiſtol.j.& ex Verrinis patet.Ad edictum autem tam prouinciale, quàm vrbicum Gaius Commentarios ſcripſit. Eaque cauſſa eſt cur in Edictorum interpretatione Proconſulis ſæpè mentionem faciat,l.j.D.de aliona.mu.iudic. & aliis locis quos memorat A.Aug.lib.j.Emen. cap.5. Edicunt autem non prætores aut Proconſules tantum, ſed & omnes magiſtratus. Edicit enim Conſul Gabianus in Sextiana orat.vt L.Lamia eques R.ab vrbe abſit millia paſſuum ducenta. Edicunt Piſo & Gabinius Coſs.vt Senatus qui veſtem propter Cicero. mutarat, ad veſtitum rediret. Edicunt Cenſſ. apud Gell.lib.15.cap.2. ſibi Latinorum Rhetorum ſcholas non placere. Edicunt Tribuni pleb.apud Cicero. Verr.4,ne quis Romæ eſſet,qui rei capitalis damnatus eſſet. Hinc,

EDICTA tria, quibus abſens aduerſarius in iudicium vocatur,l.ad peremptorium.68.& ſeq.D.de iudic.& l.cum vero.26.§.euocari.De.de fideicommiſ.libert.quæ Græci προγράμματα appellant. Hinc & Edictale programma,apud Caſſiod.lib.j.Varia.epiſt.ad pop.Rom. & li.2.epiſt. ad Senat.vrbis R.Hinc illud in Cod.libris toties legimus,Hac edictali lege Sancimus,&c.

EDICTA Romæ dicebantur, quæ Prætores, antequam ius redderent, ſolebant proponere, vt ſcirent ciues, quod ius de qua re quiſque dicturus eſſet, ſeque præmuniret,l.2.§.5.D.de orig.iur.

Edictum vero,aliud eſt perpetuum,aliud temporale. Perpetuum eſt, quod à Prætore iuriſdictionis perpetuæ cauſſa proponi dicitur,in l.7.D.de iuriſd. nimirũ quod Prætores inito magiſtratu proponebant, quo ciuibus denunciabant, quemadmodum anno ſuo ius dicturi eſſent. Temporale verò, quod etiam peculiare dicere poſſumus, eſt πρόγραμμα, quod certi negocij oborti cauſſa proponitur: vt illud Verris, Vt Kaled.Decemb. adſi Sthenius Syracuſis. item, Ne quis frumentum ex area tolleret,&c.Exoritur, inquit, Cic.peculiare edictum repentinum, &c. Vlpian.l.7. D.de iuriſd. Siquid id quod iuriſd. perpetuæ cauſſa, non quod prout res incidit,in albo, vel in charta, vel in alia materia propoſitum erit,corruperit.Cicero in Vatiniana, Edixeritne C.Mẽmius prætor,ex ea lege, vt adeſſes die trigeſimo?Tum & illud quo Prætor aduentũ ſuũ Prouincialibus ſignificabat,l.4.§.antequam. D.de offic.Proconſ. De ſuperiore ſic loquitur Aſconius in Cornelianæ argumento:Aliam, inquit, legem Cornelius, etſi nemo repugnare auſus eſt, multis tamen inuitis tulit, vt Prætores ex edictis ſuis perpetuis ius dicerent: quæ res tum gratiam ambitioſis Prætoribus, qui variè ius dicere aſſueuerant, ſuſtulit,ſic enim locũ interpretatur Hotom.non quod in horas edicta ſua Prætores mutarent, ſed quod ex edictis ſuis ius non dicerent. Cuius rei Verres à Cicer.quoque lib.Accuſ.j.accuſatur. Edictum perpetuũ etiam alia ſignificatione dicitur, quod vnũ ac ſimplex in omnes annos, atq; in perpetuũ cõpoſitũ eſt. Nã prætores olim arbitratu ſuo edicta, quæ leges erant annuæ,ſcribebant. idq; eorum honori tribuebatur,vt in annum ſuũ ius conſtituerent.Itaq; quo edicto ſuperioris anni Prætor vſus erat, inſequẽs fere non vtebatur: alioqui eius edictum Tranſlatitium dicebatur. Sed poſtea diminuta cum illa pop.Rom.magiſtratuum quoque poteſtate, conſtitutũ eſt, vt edictũ vnum

vnum componeretur, ex quo edicto omnes in poſterũ tempus Prætores perpetuo ius dicerent: quod idcirco Perpetuum eſt appellatum. Huius rei auctorem fuiſſe, D. Adrianum Iuſtin. in l. 2. C. de vet. iure enucl. teſtatur. Edicti vero ſcriptorem Cod. Saluium Iulianum. Cùm ipſe Iulianus, ait, legum & edicti perpetui ſubtiliſſimus conditor, &c. Idem tradit præterea in l. 10. C. de cond. indeb. Eutropius lib. 9. Poſt eum Saluius Iulianus Rem publ. inuaſit, vir nobilis & peritiſſimus, nepos Saluij Iuliani, qui ſub Diuo Adriano perpetuum compoſuit edictum. Ex his igitur conſtat edictum ſuperius perpetuum, in vniuerſum Præturæ vnius tempus valuiſſe: cum tēporalia in partē duntaxat, veluti menſem vnum, aut alterũ vim habeāt: hoc vero ad omnes omnium Prætorum iuriſdictiones pertineat. Ac de hoc ipſo intelligendus Hermogen. l. 2. D. de ſtatu hom. itē in l. vlt. in fi. D. de appel. recip. l. 5. D. de extraord. crim. l. 21. D. de lib. con. Edicta autem hæc quæ perpetua diximus, monitoria appellata quidam autumant, quòd his ciues admonerētur, qualiter ius dicturi eſſent magiſtratus. Ad quod Edictũ Calliſtratus libros ſex ſcripſit, vt ex indice Pan. Flo. præfixo intelligitur. Ad hanc ſpeciem pertinet Edictum Carbonianum, quod ſolũ auctoris ſui nomen retinuit. Eiuſdem quoque generis eſt Edictum nouum, de quo in l. j. §. ſi pater. D. de vent. in poſſeſ. mit.

Edicti perpetui cauſſa & generaliter nihil vnquã propoſuit Prætor, quod non euidentem haberet vtilitatē in publicum, ſecundũ naturalem æquitatem, quæ & hodie perdurat, & nunquam ceſſabit. Et hinc videmus, omnes propemodum mores ciuitatum, qui antiquitatem redolent, tractos eſſe ex iure Prætorio: ſi modò libeat vtriuſque ſeculi obſeruantias inuicem conferre.

Edicta PRINCIPVM ſunt generales leges, quæ omnes populos & prouincias tenēt, l. 3. C. de legib. Theophylus ſic definit, πᾶν ὅπερ ἂν οἰκείας φύσεως κινηθεὶς ὁρίζει ὁ βασιλεὺς πρὸς τὴν τῶν ὑπηκόων ἀταξίαν καὶ λυσιτέλειαν. Atque iis nõ ad certã aliquã controuerſiã de qua cõſulti ſunt, reſpõdent, ſed generaliter quaſi nouã aliquam legem conſtituunt, vt l. hac edictali. 6. C. de inceſt. rupt.

EDICTVM DIVI ADRIANI, de quo l. vlti. Cod. de dict. diui Adr. toll. vt intra annum hæredi ſcripto daretur aditus adipiſcendæ bonorum poſſeſſionis: quo elapſo amplius non admittebatur: & hoc cum deminutione viceſimæ partis applicandæ fiſco. quo pertinuit & lex Iulia, de viceſim. hæreditatum, de qua in Indice legum, & Alciat. lib. Diſp. 3. cap. 6.

Edictum PEREMPTORIVM inſtar trium obtinet, l. contumacia. §. contumax. D. de re iudic. Quo autem ordine ad illud perueniatur, docent Iuriſcoſ. l. ad peremptorium. & ll. ſeq. D. de iudic. Vide Peremptorium.

Edictum DOMITIANI, quo cautum eſt abolitiones ex Senatuſconſulto factas ad huiuſmodi ſeruos non pertinere. Papin. in l. ſi ſeruus. D. de cuſt. & exhib. reo.

Edictum de ALTERVTRO, cuius fit mentio l. j. §. ſciendum. C. de rei vxor. act. & l. vnic. C. Th. de teſta. eſt quo cauetur, vt ſi quid maritus vxori aut hæreditatis, aut legati, aut fideicommiſſi titulo reliquerit, alterutro contenta ſit mulier, relicto vel dote: actione ex teſtamēto, vel actione rei vxoriæ: nec pertinet hoc edictum niſi ad actionem rei vxoriæ: ideoque penitus hodie ſublatum eſt, cum ſit hodie actio rei vxoriæ ſublata. De quo vide Cuiac. Obſer. lib. 3. cap. 16.

EDICTALES bonorum poſſeſſiones ſunt, quas ordinarias vocamus, & quæ ius tribuũt, quæq; ex edicto dantur, ſine cauſſæ cognitione, & de plano, l. 30. D. de acq. hæred. Decretales verò, de quibus ſuprà, extraordinarias, quæ ſcilicet dantur cauſſa cum conſilio cognita, & pro tribunali, l. j. §. 1. D. ſi tab. teſt.

EDVCARE, idē eſt, quod alimēta & ad victũ neceſſaria præſtare, l. fi. de alimēt. & ciba. leg. vbi pupillus educari debeat, pulchrè Iuriſcoſ. toto hoc tit. oſtendunt, & Impp. C. eo. Plautus diſtinguit inter alere & educare in Menæh. Hic homo conuiuas non alit, ſed educat.

EDVLIVM, inquit Valla, eſt quidquid edimus, aut quicquid ad prandiũ, cœnámque, edendi gratia nobis adponitur, & ſumimus. Interpretãtur hãc vocē, ſuo more, pro comeſtione, apud Iuriſc. in l. ſolet. in fi. de offic. Proconſ. Et quod mãdatis cõtinetur, ne donũ vel munus ipſe proconſul, vel qui in alio officio erit, accipiat, emátve quid, niſi victus quotidiani cauſſa, ad xeniola non pertinet, ſed ad ea quæ edulium excedant vſum.

EDVLITAS, rerum edulium largitio, & donatio, quæ à Principe in populum cum magna eſſet annonæ caritas, fieri ſolebat. Quo vocabulo vſus eſt Papinianus, l. 17. de compenſ. Ideo, inquit, condēnatus, quod arctiorem annonam edulitatis tempore præbuit, frumentariæ pecuniæ debitor non videtur: & ideo cõpenſationem habebit. Sunt qui eo in loco, ædilitatis, pro edulitatis, legant: ſed malè mea quidem ſententia: quod & animaduertit Duar. Diſp. lib. j. c. 26. Hac dictione vſus etiam eſt Lamprid. in Alexan. Cum edulitatem, inquit, L. Rab. eo peteret, interrogauit per Curionem quam ſpeciem caram putarent. Illi continuo exclamarunt, carnem bubulam & porcinam.

EFFECTV apud Iuriſcoſ. ſignificat facto ipſo, re ipſa, l. 15. D. de leg. preſtan. Quia effectũ fratris aufert partem dimidiam. Sic l. 10. D. de vſu & habit. Effectus quandoque pro cauſſa ſumitur. Atque etiam Effectus eſt quòd ex re ſequitur, l. 3. D. ex quib. cauſ. maio.

EFFERRE, verbum eſt funeribus accommodatum, cum cadauer prouehitur, & extollitur, humeris ſcilicet ſuppoſitis. Feretrum verò efferre propinquioribus virilis ſexus, olim munus dabatur. Itaque filij, parentes, fratres, ſorores, elatos funere deferebant: nonnunquam ſerui libertate donati: quod & legibus Solonis cauetur, ὑπὲρ ἀγνεῖς κλήρου. Cicer. pro Flacco; Cũ efferretur magna frequentia. Idem Attico lib. 15 Cn. Lucullus familiaris noſter matrem efferebat.

EFFERVESCERE, ſignificat ardore animi excitari, vt cùm homo ira excandeſcit: cõtrariũ eſt, Deferueſcere. Vlpia. in l. quis ſit fugitiuus. §. idem ait. D. de ædil. edict. Si autē in hoc tantùm latuiſſet, quoad iracũdia dominorũ offerueſceret. vbi tamē, Deferueſceret legendũ videtur: nec enim illius ſignificatio huic loco quadrat.

EFFIGIARE verbo vtitur nunc Cæſarea Cancellaria in diplomatis quæ à Principe ſuper natalium reſtitutione, hoc eſt nobilitatione (vt ait Bud. in prior. annot.) impetrãtur. Hoc tamē verbũ apud auctores claſſicos vix reperias: & ſi id non reſpuit Prudentius, vt nec Gellius, qui fœtum ineffigiatũ dixit. Pro eo tamen malim delineare, exprimere, characterib. depingere.

EFFINGERE, vide Extergere.

EFFODERE oſſa, vel eruere, l. 8. D. de reli. l. vlti. D. de ſepul. viola.

Effodere terminos, id eſt, lapides finis cauſſa poſitos auellere & eiicere, l. j. C. de accuſ. & Paul. lib. 5 Sēt. tit. 22.

EFFRACTORES, qui vi fores, parietéſve inſularũ, horreorúmve effringebant, vt inde quid ſubriperent, l. 3. §. j. D. de offic. præfec. vigil. l. 16. §. tempus. D. de pœnis. & apud Firmi. lib. 3. Matheſeos, cap. 13. & vertuntur in antiquo Lexico, θυρεπανοίκται. Interdum etiam Effractores dicuntur, qui è carcere effugiunt, parietes eius perfodiunt, vt ſub tit. de effract. & expil.

EFFRACTVRÆ crimen, l. 48. D. de bon. libert, l. j. C. de locato.

EFFVSORES, qui patrimonium, peculiúmve temerè & largè expendunt, diſſipántq;. Verbum fuit admodum familiare diuo Cæſ. Imp. Auguſt. Frid. 3.

EGESTAS ferè in mala re dicitur, quæ ſcilicet ad maleficium

ficium hominem impellit. Propriè tamen eſt, alicuius rei opus habere. Tryphoni. in l. bona fides. D. depoſiti. Cenſuit, nec iniquè, malè meritum, publicè vt aliis exemplo ad deterrenda maleficia ſit, etiam egeſtate laborare debere.

Ἐνατέρες (ait Modeſtinus) apud Græcos dicuntur duorum fratrum vxores: quod vno verſu, ait idem Modeſtin. Homerus ſignificat:

Ἠὲ πῃ ἐς γαλόων, ἢ εἰνατέρων ἐυπέπλων.

Siue alicubi in glorium, aut inaterum ſpecioſis peplis. l. 4. §. 4. D. de grad. adfin.

Εἰσδεκτικὰ, hominij ſiue homagij ſymbola Cuiacio libro 8. Obſeruat. cap. 14.

EIICERE, verbum eſt ad immaturum partum accommodatum. Vnde eiecti partus, pro abacti. Eiecti item, & eiectitij, pro abortiui, dicuntur. Vlpianus in l. ſi ſeruus ſeruum. §. ſi quis de manu. ad leg. Aquil. Si mulier pugno, inquit, vel equa ictu à te percuſſa eiecerit. At Edere, eſt maturum parere. Illud Græci ἐκβάλλειν dicũt, & partus eiectionis tũ ἐκτρώματα, tũ ἐξαμβλώματα dicunt.

EIECTA nauis, hoc eſt, quod Græci aiũt ἐξεβράσθη, id eſt, in vadum eiecta, illiſaq;, l. quo naufragio. D. de incen. ruin. nauf. quæ & Deiecta, l. 7. D. de leg. Rhod. dicitur.

Εἰσιέναι δίκην, cauſſam agere. Paulus l. 48. D. de iudic. τοὺς ἄρχοντας ἐν ᾧ ἄρχουσι ἐνιαυτῷ μήτε εἰσιέναι δίκην ἰδίαν, μήτε διωκόντων, μήτε φευγόντων. Magiſtratus quo anno cum imperio ſunt, neque propriam agere cauſſam, ſiue agendo, ſiue defendendo.

EIVRARE bonam copiam, eſt iurare ſibi copiam non eſſe æris alieni exoluendi, Cic. lib. 9. Epiſt. ad Pætum. Tu autem, quod mihi bonam copiam eiures nihil eſt. & vide Feſtum lib. 5. in dict. Eiuratio. Hoc eodem verbo vſus eſt Varro lib. 6. de Ling. Lat. Et omnes qui bonam copiam eiurarent, ne eſſent nexus diſſoluti. Id eſt ſi iureiurando negarent ſibi facultatem dari eo ſe ære liberandi.

EIVS, pro ei ius, in Pand. Flor. ſæpè reperitur.

Ἐλαιώνης, curator oleo coëmendo, Arcad. l. vlt. D. de mun. & hon. Cura quoque emendi frumenti, olei. nam harum ſpecierum curatores, quos σιτώνας & ἐλαιώνας appellant, creari moris eſt.

ELEMPORIA, ea cura, d. l. fi. vbi tamen Elæemporia legendum videtur: dicitur & ἐλαιωνία.

ELECTRI nomen duobus modis accipi Pauſan. lib. 1. Eliacω̃n ſcribit: τὸ δὲ ἤλεκτρον τοῦτο, ait, ἐφ' οὗ τὸ Αὐγούστῳ πεποίηται τὴν εἰκόνα, ὅσον μὲν αὐτόματον ἐν τοῦ Ἠριδανοῦ ταῖς ψάμμοις εὑρίσκεται, σπανίζεται τὰ μάλιστα, καὶ ἀνθρώπῳ τίμιον πολλῶν ἐστιν ἕνεκα. τὸ δὲ ἄλλο ἤλεκτρον ἀναμεμιγμένος ἐστὶν ἀργύρῳ χρυσός. In hanc poſteriorem ſententiam electrũ vſurpatur in l. 7. §. voluntas. D. de acqui. rer. domi. l. 4. D. de leg. j. Plinius lib. 33. ca. 4. vbicunque quinta argenti portio eſt, electrũ vocatur. Seruius in 8. Æneid. Tria ſunt, inquit, electri genera: vnum ex arboribus, quod Succinum dicitur: aliud quod naturaliter inuenitur: tertium quod fit de tribus partibus auri, & vna argenti: atque de hac ſpecie intelligenda ſunt Pand. loca ſuperiora, vt diximus. Vide Iſido. lib. 15. Etym. c. 23.

Electri nũmi apud Lãprid. in Alex. Eóque ſenſu electrina vaſa accipi poſsũt, l. 32. §. Neratius. D. de aur. & arg. leg.

ELENCHVS, lapillus eſt ex genere margaritarum. Paul. de aur. & arg. leg. l. pediculis. Item cùm inaures, in quibus duæ margaritæ, elenchi, & ſmaragdi duo, legaſſet, & poſtea elenchos eiſdem detraxiſſet: & quæreretur an nihilominus detractis elenchis inaures deberentur: reſpõdit deberi, ſi maneant inaures, quamuis margarita eis detracta ſint. Plin. lib. 9. cap. 35. Cylindri & elenchi in eo differũt, quòd elenchi ſint faſtigiatę longitudinis, alabaſtrorum figura, in pleniorem orbem deſinentes: atque hos digitis ſuſpendere, & binos ac ternos auribus, fœminarum gloria eſt: cylindri verò proceritatis æqualiter orbiculatæ ſunt.

ELICES ſulci ſunt aquarij, qui in ſegetibus fiũt, per quos aqua collecta educitur è liris. Vlpia. l. j. §. Labeo. D. de aqu. & aqu. plu. arcẽ. Sulcos aquarios, qui Elices appellantur, ſi quis faciat, aquæ pluuiæ arcendæ eum teneri. Haloander ſic habet: qui Græcis ὑδράυλακες appellãtur: quemadmodum & Alciatus quandoque legendũ exiſtimauit. Nunc in Parergis indicans nihil immutandũ, idque auctoritate L. Columellæ, cuius verba lib. 2. de re ruſtica, cap. 8. hæc ſunt: Sed quamuis tempeſtiuè ſementis confecta erit, cauebitur tamen, vt patentes liras, crebróſque ſulcos aquarios, quos nonnulli. Elices vocant, faciamus. Sic lib. 11. cap. 2. Arbitramur tamen Elices propriè dici, capita fontiũ, & ſcaturigines. Vnde Aquilices Calliſtrato qui artẽ hanc exercẽt, ſciúntque, quo modo aquę elici poſſint. Alciatus rectè ſentẽtiã mutauit. nã Pand. Flor. habẽt Elices, quæ lectio retinenda eſt vel peritorũ conſenſu. Bud. aliter ſentit, & Aquilices ab aquis legendis dictos vult. Vide Aquilex.

ELIDERE in ſpecie Pauli l. ſi vnus. §. pactus ne peteret. D. de pact. nõ omnino tolli, ſed & inutile, & inefficax effici accipi debere docui lib. 4. mediæ Iuriſprud. Sent. c. 3. quod eiuſdẽ Pauli verba oſtendunt ibidem. Et quidem ipſo iure & replicatione exceptio non elidetur, quod & Iuſtin. A. probat §. præterea. Inſt. de actio. pacto cõuento obligationes non omnino diſſoluuntur. Zaſius verò lib. 1. Reſponſ. cõ 5. & Fortunius Garſias in repet. d. §. pactus ne peteret. omnino cõtra ſenſerunt: ſed falſo: cùm ex verbis l. Pauli contrarium ſit verius.

ELIGIMVS reipſa, quod prius mẽte optauimus: quapropter promiſcuè optio, electióq; aſſumitur, auctor Alciatus. Omnis autẽ electio, actus eſt volũtarius, vt Ariſtot. docuit 2. Ethicor. colligitúrq; ex l. Gallus. §. & quid ſi tantũ. Eſt autẽ electio de multis, l. quod in hæredẽ. §. eligere. de tribut. l. plerunque. §. fi. de iure dotium. vide Salomo. in l. Gallus. D. de liber. & poſthum. Igitur,

ELECTIO ſecundum Io. eſt alicuius perſonæ idoneæ ad dignitatem, vel fraternitatem, vel ſocietatem, ſeruata forma canonicè facta, vocatio. Et hoc modo electio ſumitur ſtrictè, quamuis eligere ad multa ſe habeat, vt etiam not. Rofre. in ſum. eod. tit. §. 1. in princ. Vnde ad electionem tria requiruntur, ſcilicet auctoritas, numerus & zelus. Auctoritas cõſideratur in dignitatibus & meritis vitæ. Zelus cõſiſtit in animo, vt ſine carnali animo fiat, ſed ſecundùm meritum perſonæ eligendæ. 8. quæſt. 1. Si ergo, licet contra iſtam conditionem ſæpius committatur electio de facto, nõ de iure. De numero patet. Debet ergo electio fieri ſecũdum iſta tria, habito reſpectu meriti ad meritum, zeli ad zelum, numeri ad numerum. Si tamen ex vna parte ſit dignitas, & zelus melior, tam reſpectu eligẽtium, quàm electi, & ex alia parte numerus maior: certè prævalebit dignitas cum zelo ipſi numero, vt extra. de elect. cap. eccleſia veſtra. Item differũt electio, collatio, & præſentatio. Nam electio fit per collegium ad dignitates, & Papa confirmat: & quodlibet collegiũ debere eligere prælatum ſuum, niſi aliud ſit de conſuetudine vel priuilegio, vt extra. de elect. & elec. poteſtate. cap. 1. Collatio fit ad beneficium ſimplex, & pertinet de iure communi ad epiſcopum per totam diœceſim, cum conſenſu capituli, niſi aliud habeat conſuetudo vel priuilegium: & dat plenum ius, nec indiget confirmatione. Sed præſentatio pertinet ad patronum, nec dat plenum ius præſentato, ſed requiritur inſtitutio, & inueſtitura Epiſcopi: vt per totum titul. de iure patro.

Electio canonica quæ dicatur, exponit Io. Andræas in ca. non poteſt. de præbend. & digni. lib. 6.

ELIMATVM, id eſt, expolitum. Nam limare verbum, propriè pro polire ponitur. Et expolire nihil à poliendi ſignificatione differt: niſi forte aliquid perfectioris artis

artis habere velis. Sic verbũ Elimatũ, accipiendum in §.ſed cũ perſpeximus.l.2.C.de veteri iure enucleando.

ELOGIVM multi putant Græcum eſſe, priúſque dictum ἐκλογία: at vero ego contra putem, quemadmodum pleriſq; nominibus Græcis Latini præpoſitiones ſuas anteponebant: ita etiam elogium ex Græca voce & Latina præpoſitione conflatum. Eſt verò teſtificatio de certo homine tam in bonam quàm in malam partem. In malam, Modeſtinus in l.deſertorem.D.de re mil. Deſertorem auditum, ad ſuum ducem cum elogio Præſes mittet. Aut eſt conuitium, vituperatio, ſeu notatio quædam (ſic enim notationes Cenſoriæ dicebantur) exhæredationis cauſſam perſtringens. Africa. l.14.§.2. Non enim videri quaſi filium exhæredatum eſſe, cum elogium pater, cum filium exhæredaret, propoſuiſſet, & adieciſſet propter eam cauſſam exhæredare. Sic Auguſtin.in ſermone de vit.& mor.cler. Ambos exhæredauit, illam cum laude, iſtum cum elogio, id eſt cum vituperatione. Sic in l.j.§.idem ait. D.de Carbon.edict.l.9.C.de ſuis & legit.& apud Cicer.in Cluentiana. In bonam partem Gloſſæ antiquorum notariam (ſcilicet breue ſcriptum) interpretantur, vt l.Diuus.l.non dubium.D.de cuſtodia reor.vbi Baſilica, Cum elogio, μετὰ τ ἐν αὐτῷ γραφέντων. Sic Vlpian.l.38.§.2. D.de æd.edict. Idcirco elogium huic edicto ſubiectum eſt, &c.id eſt de induſtria, vt de pecore nominatim caueretur, hæc clauſula ſubiecta eſt. Itaque elogium in hoc ſignificatu, teſtificatio eſt de homine certo, ei vini propria, neque alteri conueniens: vt illud de Attilio Calatino: Vno ore cui plurimæ conſentiunt gentes, populi primarium eſſe virum. Turn.aliud ſentit à ſuperioribus Aduerſ. lib.18.c.5.

ELVGERE, luctum deponere, vel finem lugendi facere, l.10.D.de iis qui not.infam. Solet autem vir elugeri propter turbationẽ ſanguinis. Tum Pomponius eam, quæ intra legitimum tempus partum edidit, putat vel ſtatim poſſe ſe nuptum collocare, d.l.10.

ELVSCARE, eſt aliquem altero oculo orbare. Nam Luſcus propriè eſt, qui altero oculo caret. Vlpianus de condit.tritic.l.in hac actione. Si quis, inquit, poſt mortem ſeruum eluſcatum dedit. Idem l.ſed & ſi.§.ſi magiſter, ad leg.Aquil. Iulianus, inquit, ſcribit Aquilia teneri eum, qui eluſcauerit in diſciplina diſcipulum. Hinc Eluſcatio, actio ipſa priuandi altero oculo. Vlpianus de ædilit. edict. l.item O filius. Eluſcationem eam quidam putant, vbi homo lumine adhibito nihil videt. Qui id dixerint, non ſunt audiendi, quia nulla freti auctoritate id dicant.in d.l item O filius in Pand. Flor.legunt quidam luſcitationem falsò: Haloander, Nuſcitationem.

EMANCIPARI Feſto lib.5. dicebantur qui patris poteſtate exibãt, vt paſſim in libris noſtris:& id proprie de liberis: vt manumittere de ſeruis, etiãſi hoc diſcrimen non vſquequaque obſeruetur. Cicer.pro Domo ſua ad Pontifices: Id autem ſcire & videre omnes, non vt ille filius inſtituatur, ſed vt è patriciis exeat, vt Tribun.pleb.fieri poſſit, idcirco adoptari? neque id obſcure: nam adoptatum emancipari ſtatim, ne ſit eius filius qui adoptauit. Emancipare autem veteres dicebant pro alienare & vendere. Plin.in epiſt.lib.7. Nam pro quingentis millibus nummum, quæ in alimenta ingenuorum, ingenuarúmque promiſeram, agrum ex meis longè pluris actori publico emancipaui: eundémque vectigali impoſito recepi. Sueton.in Othone: Cuidam etiã de parte finium cum vicino litiganti adhibitus arbiter totum agnum redemit emancipauitque. Id eſt ſuum iam factum mancipio tradidit illi. Apud Plautum, Emancupo me tibi, id eſt tuæ me poteſtati trado.

EMANCIPATI (inquit Feſtus) duobus modis intelliguntur: aut ij qui ex patris iure exierunt, aut ij qui aliorum fiunt dominij: quorum vtrumque fit emancipatione. Emancipatus apud Cic.id eſt dedititius: Ita ſenectus nimis honeſta eſt, ſi ſeipſam defendit, ſi ius ſuũ retinet, ſi nemini emancipatus eſt, ſi vſq; ad extremũ ſpiritũ dominatur in ſuos. vet.Gloſ. Emancipatus, χειράφετος, & Emãcipare, χειραφετεῖν, Emãcipatio, χειραφετεία.

EMANCIPATIO eſt quædam imaginaria liberorum vẽditio: quæ ad ſimilitudinem eius excogitata eſt, quã olim Romul.inſtituerat. nam is cauerat, vt ſi pater filiũ ter mancipaſſet, id eſt vendidiſſet, filiam autem ſemel, ij ſui iuris efficerentur: poſtea verò ad ſpeciem atque vſurpationem vetuſtatis inſtitutum eſt, vt pater apud Prætorem alicui cuius fidẽ ſequebatur, & qui ob eam cauſſam Fiduciarius pater dicebatur, filium ſuum dicis cauſſa ter, acceptis ab eo vno aut duobus nummis, filiam ſemel vendens, eos hac ratione de manu ac poteſtate ſua dimitteret: quos tamen nũmis redditis, iterum pater recipiebat. Reliqua vide apud Caium Inſtitut.cap.6. Quid autem ab Abdicatione differat Emancipatio, vide in Abdicatio. Hæc autem ſolennitas relaxandæ poteſtatis patriæ, iure quidem Romano introducta eſt, ſed maximè ſecundum naturam. Nihil enim tam naturale, quàm vt aliquid ſoluatur eo modo, quo obligatum eſt.

Emancipationem veteres omnibus contractibus, qualeſcunque illi tandem fuerint, adhibebant. Idque eam ob cauſſam, quia nulla res tantam facit controuerſiam, quàm illæ alienationes. Vt igitur conſtaret de alienatione, illam ſolennitatem introduxerunt. Nos hodie illud negocium per arram conficimus.

EMANERE, eſt diutius extra caſtra vagari, l.3.§.ſi ad diẽ, D.de re milit. Si ad diem commeatus quis non veniat, perinde in eum ſtatuendum eſt, ac ſi emãſiſſet, vel deſeruiſſet, pro numero temporis. Sic l.17.§.cæterũ.D.de ædil.edict. Emanere ſumitur pro extra domum manere. Eum eſſe fugitiuum ab imprudẽtibus dici ſolet, qui nocte aliqua ſine voluntate domini emanſiſſet.

EMANSOR, eſt qui diu vagatus extra caſtra, tandem redigreditur, l.deſertorem.§.2.D.de re milita. idem & Remanſor, l.5.§.à barbaris.D.de re milit. Tempus diſcernit emanſorem à fugitiuo, & effractorem vel furem diurnum, à nocturno, l.aut facta.D.de pœnis. Differũt autẽ Emanſores à deſertoribus, vt Errones à fugitiuis.

EMANSIO, ipſum delictum, l.4.D.de re milit.

EMBAMMA, à Græco ἐμβάπτειν deducitur, quod eſt intingere: vnde intinctum à Plinio vocatur. Eſt autem condimentum ex aceto, quod ad condienda obſonia fit. Colum.lib.12. cap.55. Hoc ſinapi ad embammata non ſolum idoneo, ſed etiam ſpecioſo vteris. Vlpian. l.9.§.j.de trit.vin. Si acetum quis legauerit, embamma continebitur, quia aceti numero fuit.

Ἐμβαθμοὶ, ordinarij, l.fi.C.de mod.mult.

EMBATEVTICI iuris appellatione, ceu generali, cuius meminit Vlpianus in l.3.§.fin.de rebus eorum qui ſub tut. Alciato tradente, id ius intelligi poteſt, quod & quandam detentationem reſpicit, & rei poſſidendæ facultatem: tametſi proprietas vera ad alium pertineat. Quale eſt ius ſuperficiarij, vel eius qui fundum vectigalem poſſideat, vel perpetuarij: ſic dictum ἀπὸ τ ἐμβατεύειν, quod eſt ingredi, & intro pedem ferre, l. bonorum.de verb.ſigni.l.fi.de ſuperfi.l.j.ſi ager vectigalis. Erunt fortè, quibus magis arridebit, Ius embateuticon intelligere, quod vulgò Pedagium, quo alioqui ad Regalia ſolet pertinere. Sed Alciatus eam interpretationem magis probat, quæ in Etymologico magno eſt, vbi ille Grammaticus, Ἐμβατεία, inquit, quæ nunc & ἐμβάδεια, dicitur id Ius, quod creditor in bonis debitoris ſibi pignoratis retinuit, propria auctoritate ea ingrediendi.

EMBLEM

Emblemata, dicuntur, quæ ſcyphis, ſpeculis, apſidibúſve ornatus cauſſa adiiciuntur, exemptilia cum libitum erat: dicta ab ἐμϐάλλω, quod eſt impono, ſeu interſero. Vlpianus de aur.& argent.legat. l.ſi gemma. Emblemata rectè legantur, & ſeparantur, & præſtanda ſunt. Et eodem Pōpon.l.& ſi. Ea quæ inaurata ſunt, non deberi, neque aurea emblemata. Vlpian.item ad exhiben.l.tigni, Si anſam ſcypho iniunxeris, vel emblemata phialæ. His autem vaſa pura opponūtur, hoc eſt, non cælata, quorum meminit Iuriſcoſs.in l.ſi in rem.D.de rei vin.Vide Cruſtæ.

Embola, l.10.C.de ſacroſanct.Eccleſ.l.fin.C.de nauib. non excuſ.publicarum ſpecierum copiarúmque, ſeu annonarum tranſuectionem ſignificat, quæ quotannis ex Ægypto nauibus illatæ Conſtantinopolin deferebantur, ἀπὸ τοῦ ἐμϐάλλεσθαι ταῖς ναῦσι τὸν σῖτον, vt Iuſtinianus Edicto 13.indicat, vbi & ἐμϐολῶν σιτοπομπείαν vocat. Hinc Embolicæ ſpecies apud Voſpicum in Aureliano, non ambolicæ, quibus oneratæ naues Romam mittebantur.

Ἔμϐολος, nauis velociſſima, Æſchyl. vide Adnotationes in leges Rhodias.

Ἔμϐρυον, in legibus Solonis, apud Galenum, ἐν ζῶον τὸ κατὰ γαστρὸς. & in lib. περὶ φιλοσόφου ἱστορίας, ſignificat infantem in vtero. vide quæ ad leges Solonis ſcripſi in lib. Veteris Iuriſp.2.

Emendare, eſt mendum, id eſt errorem, tollere, l. actorum. D.de re iudic. Emendare, corrigere, titulis. C.de mend.propinq.& emend.ſer.

Emendatio, eſt mutatio, vel variatio libelli, l.edita. C.de edend.

Emenda, verbum Gallicum, Latinis multa, vel mulcta, Græcis ζημία, dicitur. de verbo Gallico text.in capit.quamuis.de offic.ordin.lib.6. De Latino tot.titul. C.de mod.mult.l.ſi qua.D.de verbo.ſignific. De Græco in legibus Solonis, quę extant apud Demoſth.orat. & Plutarch.& D.Laërtium in eo. & veterem noſtram Iuriſpr.lib.2.

Emendicare, more mendicantium aliquid petere, C.de accuſ.l.ſinguli.vbi Impp.Singuli, aiunt, vniuerſique iudices cognoſcant, in publicis criminibus non oportere emendicatis vti ſuffragiis decretorum.Suet. in Cæſare: In Hiſpania à Proconſule, & à ſociis pecunias accepit emendicatas in auxilium æris alieni.

Emere, ait Feſtus, quòd nunc eſt mercari, antiqui accipiebant pro ſumere. Sumebant & antiqui pro conducere. vide Redemptores.

Emptum, & paratum hoc differunt, quòd in empto paratum ineſt: in parato non continuò emptum continetur, l.47.§.j.D.de leg.2. Ergo emptum ſpeciei, paratum generis nomen eſt, l.45.46.47.& 49.D.eo.

Emptio, eſt contractus iuris gentium de quantitate cum corpore cōmutanda, ſola inter ſe pactione contrahentes obligans, l.2.D.de oblig.& act. & ita differt à mancipatione, quæ non eſt contractus, ſed actus, id eſt legis actio: ruſus à locatione diſtinguitur, quia res conducta neque iure dominij, neque in perpetuum obtinetur. At lex duodecim tabularū hoc verbo omnem alienationem cōplecti videtur, l.ſtatu liberi.29. D.de ſtatu liber. Itaque animaduertere eſt Varronem in libris de re Ruſtica, acquiſitionem omnem emptionis verbo comprehendere, nec intereſſe, quo genere quiſque dominus eius fieret.

Emptio ſpei eſt, cùm quaſi alea emittitur: quod fit, cùm captus piſcium, vel auium, vel miſſilium emitur.

Emptio & permutatio ſic differunt. I. In emptione res pro nummis datur; in permutatione res pro re, vel nummus pro nummo: vel, vt certius loquamur, pretiū pro pretio: vt equus cum boue, vel nummus Gallicus cum Italico. II. In emptione ex ſola conuentione naſcitur obligatio: in permutatione ex rei traditione tantum. III. In illa venditor tenetur tantum ad poſſeſſionem præſtandam: in hac rei dominium trāsfertur. IIII. Illa rei alienæ traditione poteſt conſiſtere: hæc verò nequaquam. V. Ex illa venditor vna tenetur actione, nimirum eius quod intereſt: in hac qui rem accipit duabus tenetur actionibus, aut condictione, aut petitione eius quod intereſt, l.j.D.de rer.permut.

Emptionis, & venditionis verbis veteres promiſcuè vtebantur, vt ait Gaius l.19.D.de actio.empti.id eſt, vt exponit I.Cuiacius, & in locatione & conductione, vt eſt legendum in l.ſeq. Nec enim emptionem pro venditione, vel emptorem pro venditore, nec è contrario vt acciperet, ita locuti ſunt, ſed locationem venditionem appellarunt ſæpe, & conductorem emptorem, ſiue redemptorem, vt mercedem ſiue penſionem, pretium: quia locatio & conductio proxima eſt emptioni & venditioni, eiſdémque regulis conſtat. Hygenus II. de limit.conſt. Mancipibus ementibus, id eſt conducentibus in annos ſingulos. Feſtus, Venditiones olim dicebantur Cenſorum locationes.

Emptionem Inſtit.de ſucceſſ.ſubla. quæ fi.in princ.exponit Accurſius venditionem.

Emptor, non ſolùm qui pretio emit, ſed etiam ſi quis vel permutauit, vel compenſauit, accipiendus eſt, l. ſciendum. §.pen. D.Ædil.edict.l.fin. ex quibus cauſ.in poſſ.eat.

Emptor hæreditatis, qui bona fide alienam hæreditatem emit non tenetur petitione hæreditatis, niſi non extaret vēditor, aut modico vendidiſſet, l.nec vllam cauſſam.§.quid ſi quis.D.de petit.hæredita. Qui mala fide alienam hæreditatem emit, tenetur vtili petitione hæreditatis, d.l.nec vllam cauſſam. §.ſed ſi quis ſciens. l.ſi poſt motam. C.eodem titulo. Venditor hæreditatis haud dubiè conueniri poteſt petitione hæreditatis, d. §.quid ſi quis. Emptor ſingularum rerum hæreditariarum, non tenetur petitione hæreditatis, niſi titulus habeatur pro non titulo, d.l.nec vllam cauſſam.§.j.rei vendicatione tamen conueniri poteſt, l.ſed etſi lege. §.item ſi res diſtraxit, D.de petition.hæreditat.l.ſi poſt motam.C.eodem titulo. Venditor ſingularum rerum hæreditariarum tenetur petitione hæreditatis ad pretium, l.item veniunt. §.bonæ fidei.l.ſi & rem & pretium.D.de petitione hæredita.

Emptorem pro venditore, locatorem pro conductore, creditum pro debito quandoque poni, & quandoque vice verſa poni, obſeruatum eſt ab Accurſio l.1.ad Legem Rhodiam.

Emptoribus ſimiles perſonæ enumerantur, l.fi.D.quib.ex cauſ.in poſ.eat.

Emeriti dicuntur, qui, impletis ſtipendiis, labore militiæ ſoluuntur.l.j.C.de excuſ.tut.l.fin. C.de iis qui non imple.ſtip. Hi ætatem militarem impleuerunt ab anno 17.ad 46.ex lege Ser.Tulli.& Gracchana.

Emeritum, præmium, & commodum finitæ militæ, l. 3.§.qui militię, D.de re mili. Qui militiæ tempus in deſertione impleuit, emerito priuatur. Et paulo poſt: Et ſi expleto militiæ tempore redeat, vt veteranus reſtituetur, & emerita accipiet.

Emigrare dicuntur, qui ante finitum conductionis tempus habitationem derelinquunt, l.28.§.j.D.loca.& alibi ſæpiſſimè.

Eminentiſſimus titulus dignitatis, qui præfectis prætorio tribuitur, & magiſtris militiæ, & patritiis, l. 2.C.de ſentent.ex pericul.recit. Eminentiſſimæ præfecturæ, l.6.C.de exactor.tribut.lib.10.

Emitti inſtrumentum, l.47.§. fin.D.de pact.& Cautio, l.j. C.de non nu.pec.& ita legas in l.j.C.ſi pigno. & Satiſdatio, l.3. C.de ſuſp.tut.& Epiſtola, l.24.D.de conſtit.pec. Hoc ſenſu,

EMISSA manus, pro expoſita, cautione.l.15.D.de proba. & Emiſſio chirographi, Caſſiodorus libr.4. epiſt. ad Dudam.

EMISSARII vocantur conciliatores, atque internuntij furtorum eorum, quæ à magiſtratibus committuntur: auctor eſt Aſconius in Cic.5. Verr. In eundem. Act.4. Petit Næuius Turpio quidā iſtius excurſor & emiſſarius, homo omnium ex illo cōuentu quadruplatorum deterrimus. Ponitur & pro calumniatore & vexatore ſummiſſo & ſubornato ab inimicis. Cice. Mario epiſt. lib.7.2. Perſuaſerátque nonnullis inuidis meis ſe in me emiſſarium ſemper fore.

EMOLOGARE verbum, nec Latinitas, nec Græciſmus agnoſcit. Interpretes pro cōfirmare, vel laudare vſurpant. Homologare, proprius ad ſuam, quæ Græca eſt, originem accedit. Vide Bart. in l. cum antea. C. de arbi.

EMOLVMENTVM nihil aliud propriè ſignificat, quam fructus, vel fruges, & alia alimenta quæque. l. imp. in fin. ad Treb. l.3.§. item ſi ipſe. l. vlt. Sicui plus quàm per leg. falc. l. dominus. de vſufruct. & illo Cæſaris loco, Sine magno commeatu & emolumento. l. j. de bell. Gall. Ab eo forte quòd fruges emolantur, vt in illo Perſij loco, *Granaria emole.*

Ἐμφανιστικὰ Nouell.65.(παρὰ τὸ ἐμφανίζειν, quod eſt profiteri, & publicare) dicuntur quæ pro introitu maioris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ noui clerici dant veteribus. Sic in Rub. Nouellæ. 66. ἐμφάνισιν διατάξεων, promulgationem conſtitutionum vocat. Vetus interpres, inſinuationes, vſitato verbo vocat.

EMPHRACTÆ. Vlpianus in l.j.§. igitur. de exercit. act. hac dictione vſus eſt. Budæus indicat in quibuſdam embatæ legi, ſiue epibatæ. Nebriſſ. priorem lectionem ſequitur, interpretatúrque emphractas, nauigia tecta. Embatas vulgare verbum, aut nauticū eſſe, putat Budæus. Epibatas autem milites claſſiarios explicat, hoc eſt, milites in nauib. merentes, quos pro vectoribus apud Græcos accipi tradit. Reiicienda autem eſt & Nebriſſenſis (πάνκαταφράκτους huiuſmodi nauigia Græci vocant) & Budæi diuinatoria lectio retinendáque eſt Florentina, in qua eſt ἐπιβατηγοί. Sunt autem ἐπιβατηγοί, naues vectorum ductrices, ἀπὸ τοῦ ἄγειν τοὺς ἐπιβάτας. Hæc ex Ant. Aug. lib.4.c.16. Alij ἐπιβάδες legi volunt, aut certe ἐπιβατίδες, vt Alciatus lib.j. Parerg.

EMPHYTEVSIS, Latine inſitionem ſignificat, ſiue plātationem, à Græco verbo ἐμφυτεύω, quod eſt inſero, vel conſero. hinc apud Iuriſ. Fundus in emphyteuſim dari dicitur, quem dominus in perpetuum, vel in plures annos tranſtulit in alium, ea lege, vt id melius cultiúſque redderet conſtituta penſione certa. Ab initio enim ſterilia tantum & inculta hoc contractus genere concedebantur à culturæ ſubteliore parte, inſitione, deducto nomine. Itaque Emphyteuſis contractus eſt à Zenone primùm nominatus, cum ager ea lege fruendus datur, vt quādiu merces ſoluatur, nunquam ad dominum reuertatur. l.j.C. de iure emphyteut. vbi Zeno ait, ius emphyteuticarium, neque conductionis, neque alienationis eſſe titulis adiiciendum: ſed hoc ius tertium eſſe ab vtriuſque memoratorum contractuum ſocietate ſeparatum, conceptionémque ac definitionem habere propriam. Nec verò ad tēpus, ſed in perpetuum, aut certè ad tempus longiſſimum illi agri locabantur, tum quod impendium magnum in illorum culturam & conſitionem faciendū eſſet, tum etiam quod huiuſmodi agri deſerti & inculti non facile colonum reperiebant. Alij ſic definiunt: Emphyteuſis, eſt conceſſio quædam perpetua, ad vſum, vtilitatem, & culturam rei, efficiens vtile dominium: ita vt domino proprietatis annua penſio perſoluatur, ſaluáque ſit rei ſubſtantia.

Emphyteuſis conceſſa duobus, vel patri & filiis, poteſt mutuò inter eos alienari, etiam domino non conſentiente. Bart. in l.j C. de impoſit. lucrat. deſcriptio. & in l. ſi domus.§. fi. D. de legatis.j. Aliter in hæreditate prohibita alienari. l. voluntas. C. de fideicommiſſ. l. pater filium.§. quindecim. D. de leg.3. l. cùm hi.§. inter. D. de tranſactionibus.

Emphyteuſis meliorata tranſit ad hæredes extraneos, nec finitur tertia generatione. Bart. in l. quicunque. C. de omni agr. deſert. quanquam non adfirmat, ſummæ tamen æquitatis eſt.

Emphyteuſis pro ſe & Titio, adquiritur Titio ſine ceſſione vel traditione, Bart. in l. ſi quis vſumfructum. D. de vſu & vſufruct. legat. per l. fundum cum mihi. D. de actionibus empt.

Emphyteuſis eccleſiaſtica poteſt de conſuetudine per ſtipulationē adquiri etiam hæredibus extraneis, Bald. in l.j.C. de iur. emphyteutic. & in l. etiam. D. ſolut. matr. emphyteuſis Eccleſiaſtica tranſit ad vxorem, ſi hoc actum eſt nominatim, Nouell. de non alienan.§. emphyteuſim, & de aliena. emphyt.§.j. gl. in l. etiā. D. ſolu. matrimo.

Emphyteuſis perpetua nō poteſt auferri, Baldo in c. cùm fundus. C. de ſolutionibus. Emphyteuſis natura eſt, vt transferatur ad hæredes, gl. in l. indebiti.§. fi. de cōd. indeb. Emphyteuſis vendi, aut alienari iure proprietatis non poteſt, ſed donari permittitur, Bart. in l. j.C. ne rei dominic. vel templorum. & in l. fi. C. de iure emphyteut. Emphyteuſis in bonis cenſetur emphyteutæ. Paul. de Caſt. l. ſciendum. D. qui ſatiſd. cogan. & in l.2.D. quod quiſque iuris. Et propterea addit, Teſtē dicere falſum, qui adſerit, aliquem nihil habere in bonis, cùm habeat emphyteuſim.

EMPHYTEVTA ſeu Emphyteutes, is dicitur qui fundū ea lege qua ſuperius dictum eſt, agrúmve à domino accipit, vt eum conſerat, melioremque efficiat. Atque hic tenetur ad modicas, non autem ad ingentes expēſas, vt in l. Senatus.§. Marcellus. D. de legat.j. C. de iur. emphyt. & in l. hoc iure.§. ſi aquam. D. de aq. cotid. & æſti. At verò Emphyteuta poteſt legare, ac vendere melioramenta ſua, Bart. in l. quicunque. C. de omn. agr. deſert. gl. in auth. qui rem. C. de ſacroſanct. eccleſ. Bart. in l.j.D. de ſuperficiebus. & in l. in conuentionalibus. D. de verb. oblig. Quinimo non poteſt fundus melioratus ei auferri, vel canon augeri, Bart. in l.j.C. de iur. emphyteuti. Probatur in l. qui fundos. C. de omni agr. deſert. Poteſt autem locare emphyteuticam rem, Bald. in l. vſufruct. D. ſol. matr. Tum & ius ſuum poteſt in dotem dare, Ioan. And. in c. potuit. de loca. & conduct.

Emphyteutæ poſſunt mutuò ſibi alienare, etiam emphyteuſim eccleſiaſticam. Conſtit. Imperial.§. præterea. de prohibit. feud. aliena. per Frider. Bart. in l. cùm hi.§. ſi vnic. D. de tranſact. & in l. ſi domus.§. fi. D. de leg.j.

EMPHYTEVTICON ius, prædij eſt, & id perpetuariū: quinimò & temporarium eſſe poſſe quidam aiunt, per l. fi. D. ſi ag. vectigal.

Emphyteuticus contractus, quo ſterilia conceduntur, vt in meliorem ſtatum plantationibus reddantur. Vnde ius, quod emphyteuta adquirit, vocatur melioratio, Græcis emponema, in l. vlt. C. de iur. emphyteut. Tandem cùm paſſim & fertiles agri ſic darentur perpetuò colendi, manſit vtique nomen, vt contractus diceretur emphyteuticus.

EMPHYTEVTICARIVS verbum aliàs adiectiuè accipitur, vt in tit. D. ſi ager vectig. vel emphyteut. aliàs ſubſtantiuè, pro eo, qui habet ius emphyteuticum: vt, in l.j.C. de iur. emphyteut.

EMPLASTRVM, παρὰ τὸ ἐμπλάττειν. Corn. Celſ. libr.5.c.17. definit medicamentum quod liquati aliquid accipit, ita vt ex multis componatur, quæ in vnum poſtea

miſcentur.Imp.§.22.de rer.diuiſ.Aut ex ſuis & alienis medicamentis,emplaſtrum aut collyrium. Sic Paulus. l.18.§.6.de inſtit.vel inſt.

Emponema Græcis eſt, quæ melioratio noſtris dicitur.Et eſt ius,quod emphyteuta prædium colendo adquirit:vel expẽſæ vtiles & neceſſariæ bona fide factæ. Extat vox apud Iuſtinianum in l.vlt.C.de iur.emphyt.

E N.

Ἐν ἔργῳ,in l.quod ait,D.de adul.id eſt in opere, in actu,putà venereo. Ex lege Solonis apud Plutarch. pro quo falſò,ex Luciano in vulgar. exemplaribus repoſitum fuit obſcœnum hoc,ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχοντας. Vide commentarios meos ad leges Solonis libr.2. Veteris Iuriſprud.

Ἐν ὅρκῳ.l.omne verbum.C.comm.de leg.idem eſt quod dixit Papinianus.l.cum pater.§.filius.de legat.2. cum iuriſiurandi religione.Alij aliter legunt: ſed ea mihi videtur non mutanda lectio.

Ἐν πλάτει, locutio eſt familiaris Iuriſc.idem ſignificans quod loco,non anguſtes neque preiſe:id eſt cũ paululùm vltra præſcriptum ſignificant eſſe concedendũ, præſertim in his quæ ſunt humanitatis:quaſi dicas,cũ quodam ſpatio, laxamẽto,& tẽperamento temporis. Nam(vt ait Heſychius) πλατέα τὰ ἐν πλάτει νεμόμενα μεγάλα, id eſt πλατέα, dicuntur paſcua longè latéq; patẽtia.Deniq; idem videtur ſignificare quod παρατάτικως, de quo ſuo loco.Vlp.l.3.de cõdict.tritic. Si verò deſierit eſſe in rebus humanis,mortis tempus,ſed ἐν πλάτει, ſecundum Celſum erit ſpectãdum.Labeo.l.ſi arbiter. 28.de probat.Sed num hoc aliquo modo probari poſſit,quando id opus factum ſit:& hoc ita quod Græci dicere ſolent,ἐν πλάτει. Vtitur & hac phraſi Iulianus.l. 13.de ſolut.Sed hoc ἐν πλάτει, & cum quodam ſpacio temporis accipi debet.

Encaustum, in l.6.C. de diuerſ. reſcript.l. 4. de extraord.muni.C.Th.in quo verbo error eſt in l.j.§.j.C. de collegiat.nam vbi vulgo incautis breuibus legitur, ſcripti Codices Encauſtis breuibus, dilucidè habent. Sed & in l.9.C.de agric.& cenſit.lib.11. vbi,Encauteriis quidam habent,credit B.Briſſonius libr.5. hoc tit. legendum encauſtis:tametſi alij legant Eucteriis.Encaſtum autem ſacrum ex muricis,ſeu conchylij liquore compoſitum.d.l.6.C.de diuerſ.reſcript. docet:vnde in Epitome Chronicõn adpellatur,Sanguis conchylij quibus ſyngraphæ ſubſcribebãtur.Vel ſic: Encauſtum ſunt reſcripta Principis purpurea inſcriptione inſignita,hoc eſt cocti muricis & triti conchylij cruore.

Encænia,ferias ſignificant,quæ nouo operi facto dicandóque conſecratæ ſunt: ſic publicæ bibliothecæ dedicabantur,ædes ſacræ,opera publica,etiam ſtatuæ, hinc ſcitè & venuſtè Quintilianus:Neminem non aliquando cœpiſſe peccare,nec per encænia ducendum ſcelus primum.Vnde feſtus dies dedicationis templi, Ioan.5.Lucæ.4.c.& can.ſolemnitates,de cõſecrat. diſt. 5.vbi Archidiaconus.

Enchiridia Græcis,Latinis pugillares,Alciat.libr.4. comment.de verb.ſignifi.

Encomium, carmen in victoriæ laudem. Alexand.ab Alex.Neapol.lib.j.Genial.dier.c.22.

Encaute ſcripturæ genus, vel picturæ, à quo monumenta ciuitatum encauta, & encautaria. l.immunitates.8.C.de agr.& cenſit.lib. 11.vbi ita legit I.Cuiacius. Plin.lib.35.c.11. Lyſippus quoque Æginæ picturæ ſuæ inſcripſit encautem: quod profecto non feciſſet niſi encauſtica inuenta. Alia exemplaria habẽt Encauſen.

Ἐνδοματικὰ,in l.fi.de exacto.trib. libr.10. C. ſunt quæ dat collator exactori in hoc vt aliquid de exigendi ſeueritate inſtantiáque remittat.Iuſtinian.in Edicto de Alexandrinis: καὶ τισὶ μὲν τῶν ὑπευθύνων ἐνδιδόναι, καὶ τὰ καλούμενα ἐνδοματικὰ κομίζεσθαι.

Endoprocinctu Feſtus lib.5.interpretatur in procinctu. ſignificat autem cùm ex caſtris in prœlium itum eſt. Procinctos autem quaſi præcinctos atque expeditos.nam apud antiquos togis incincti pugnaſſe dicuntur.

Endoiacere verbo vetere vſa eſt lex XII. Tab.apud Feſtum lib.18.quo ſignificatur amputare. verba legis hæc ſunt: SI CALVITVR, PEDEMVE STRVIT, MANVM ENDOIACITO. Hanc legẽ explico libr. 4.veteris Iuriſpr.l.87.

Endoplorato Feſto lib.5.implorato,quod eſt,cum quæſtione inclamato.

Ἐνεχυρασμοὶ,ſunt repræſaliæ.l.vnica. vt nul.ex vican.libr. 11.C.& nouella conſtit.52.

Ἐνεργούμενοι,in c.omni die.de conſecra.diſt.5.à dæmonibus obſeſſi.

Enixa,in l.ter enixa.D.de verb.ſignific.quæ partu leuata eſt,No.Marcello.

Enixæ preces,hoc eſt,diligentiores, quæ cum maiori ſtudio fieri ſolent.Papinianus in l.cùm pater filios.D.de legat.2.in fi.§.filius matrem.Nam,ait, enixæ voluntatis preces ad omnem ſucceſſionis ſpeciem porrectæ videbantur.

Entheca, ἐνθήκη, inſtrumẽta, & ferramenta agri cauſa repoſita,quæ tanquam eius dos ſunt.Iſidorus, Enthecam,Græco ſermone,repoſitam rei copioſam ſubſtantiam appellamus.Papinian.l.2.§. j.Dotes prædiorum, quæ Græco vocabulo ἐνθήκαι appellantur, cum non inſtructa legantur,legatario non præſtantur.Vlpian.l.teſtatorẽ.65.§.3.de legat.3. Prædiis cum his enthecis, quæ in ea poſſeſſione ſunt relictis, mancipia quoque prædiorum,cum illic teſtamẽti tempore fuerunt,cedent: ſed & quæ poſtea acceſſerunt:ſi modò hoc teſtator manifeſtè expreſſit.Paulus etiam repoſita videre vocare.l.ſi mihi Mæuia.92.§.fi.de legat.3.His verbis domibus legatis:fidei hæredum meorum committo,vti ſinant eum habere domus meas,in quib.habito nullo omnino excepto, cum omni inſtrumento, & repoſitis omnibus. Libanius ſcribit Atticos vocare ἐνθήκην,quicquid menſarij pecuniæ ſeponunt.Hinc illud Sidonij μεταφορικῶς, ſed affectatiſſimè, ne dicam ineptiſſimè, dictum: Quicquid Helicon verbalibus horreis enthecatum poſſederat. In lege Rhodia, Entheca alio ſenſu ſumitur,videlicet pro onere naui impoſito.Leontius in Ioanne Eleemone:Nauclerus emit enthecam,id eſt onerauit nauem mercibus.Sed & in Decretis Canonicis accipitur Entheca, pro apotheca & horreo,vel pro loco,gazæque repoſitorio.

Enthronistica,pro Introniſticis, ſupponendum apud Iuſtinian.in Conſti.de ſanctiſſ.epiſc.§.ſi quis autem epiſcoporum. Sunt autem Cathedralia, vt nunc vulgò dicuntur,à Græca voce ἐνθρονίζειν, quod eſt in ſedem ponere;Barbari dicunt Inſtallare.

Enucleare, tranſlatè pro declarare & explanare,vt in tit.C.de vet.iur.enuclean.

Enuntiatio, pro oratione,& clauſula. l. hæc enuntiatio.D.de verb.ſignifi.

Enuntiatum, eſt enuntiatio eius, quod eſt, vel non eſt.l.& licet.D.de conſtit.pecunia.

Eo amplius. Hæc verba & addunt,& repetũt, vt interpretes demonſtrant.l.ſi ſeruus.§.ſi quis ita.de leg.1. & l.ſi ſit.eod.cum ſimil.

Eò,id eſt propterea.l.id quod.D.de conſtit.pecu.

Eo ipso,Verbo hoc Barbatius tradit denotari canonẽ latæ ſentẽtiæ:citátque.l.fi.§.ſi poſtquàm.verſi.eo ipſo, quòd inuentarium fecit.C.de iur.delib.

Eo potius,pro eò amplius, vel ea maximè ratione. Sic colligitur è l.item ait Prætor.§.hoc autẽ. D. ex qui. cauſ.maior.

Eousque, pro intantùm.§. illud quæſitum. Inſtitut.de

rer.

rer.diuiſ.

EPANGELLIA, cum quis accuſatur, quòd præter leges concionetur, vel rempub. capeſſat, Cælio.

Ἐπαρχία, prouincia. D. de excuſ. tut. l. 6.

Ἐπαρχικὸς ἄνθρωπος, prouincialis homo. l. 21. D. de tut. & cur. dat ab his.

EPARCHICA libri qui continent generales formas, ſiue edicta præfectorum prætorio, quæ legis vim habent. l. 2. C. de offic. præfe. præto. l. apertiſſimi. C. de iudi. l. fin. C. de fideiuſ. Ex ἐπαρχικῶν libris multa deſumpſit. C. Harmenopulus. vide Cuiacium lib. 6. Obſeruat. c. 10.

Ἐπικείμενον, id eſt imminens. l. j. §. quæ onerandæ. D. quarum rer. act. non det.

EPHESVS, metropolis Aſiæ eſt, quæ propriè minor dicitur, ad quam Procõſuli neceſſitas impoſita erat per mare adpellere, teſte Vlpiano in l. 4. D. de offic. Proconſulis.

Ἐπὶ πάσης ἐξουσίας, vſurpatum eſt à Paulo in l. 29. D. qui teſt. fac. pro, quacũque ratione & modo fieri poterit. Scribit enim Paulus ſcripturam ad teſtamentum paratam vim teſtamenti non habere, niſi hæc ei verba defunctus ſubſcripſerit, Hoc teſtamentum quacũque ratione poterit, ratum eſſe volo.

Ἐπιβατηγοὶ, naues vectorum ductrices. l. j. D. de exercito. quæ alias vectoriæ dicuntur, vide ſuprà Emphractæ.

Ἐπιβάται, l. fi. D. naut. caup. ſtabul. vectores, ſiue vehant, ſiue vehantur.

Ἐπιβολὴ, inquit Conſtant. Harmenop. eſt ἐπίδοσις ἀπόρου κτήσεως πρὸς κληρονόμους, ἢ συντελεστὰς, ἢ ὁμοχώρους, καὶ ὁμοσκηνοῦς, corrupte pro ὁμοκήνσους, Id eſt cum prædium aliquod ſterile ac detectum transfertur ad cõſortes, hoc eſt qui eiuſdem ſubſtantiæ poſſident bona, ad eos qui ſub eodem tit. vectigal pendunt, & eiuſdem territorij poſſeſſores, ad eos denique qui ex eis bonis quæ in cenſum ſimul relata inueniuntur, prædia poſſident: ne ſcilicet à ſterili poſſeſſione & à domino deſerta ac deſtituta, aliquid publico depereat. De his autem vide toto tit. C. de omni agro deſ.

Ἐπικίνδυνον, nauticum creditum, quod eſt periculo creditoris, de quo in l. 122. §. Callimachus. D. de verb. oblig. Terreſtre autem eſt periculo debitoris, & hoc Græci ἀκίνδυνον vocant.

Ἐπιδημίαι, viæ tritæ, per quas itur ad vrbem, ex δῆμος confictο nomine, quod populum ſignificat. Vlpian. l. 4. §. 4. D. de offi. proconſ. Ingreſſum etiam hoc eum obſeruare oportet, vt per eam partem prouinciæ ingrediatur, per quam ingredi moris eſt, & quas Græcia ἐπιδημίας appellat, ſiue κατάπλουν obſeruare.

Ἐπιδημητικὰ, Cod. de metat. & epidemet. ſunt pretia quibus prouinciales ſe à metatoribus redimunt onere hoſpitum ſuſcipiendorum. Solebant enim Prouinciales præbere ſuperuenientibus militibus vel aliis perſonis hoſpitia, quæ & Metata dicebãtur. Alciatus vult eam eſſe collationem pecuniæ, quam à ciuibus extorquebant milites, ne in eorum domos diuerterentur: vt & Iuſtinian. videtur vſurpaſſe in Authentic. vt nulli iudic. Hinc

EPIDEMETICI, ſunt hoſpitiorum metatores in vrbe. Dicti ab ἐπιδημία, in vrbem aduentu: qua voce vſus eſt Vlpian. in l. obſeruare. D. de offic. proconſ.

Ἐπιείκεια, hoc eſt, conuenientia, Latinis æquitas dicitur. Quare Ariſtoteles ſæpe vocat æqualitatem. Nomen enim factum eſt ab ἐπὶ, quod eſt iuxta, & εἰκὸς, conueniens, adſimilatum ab εἴκω adſimilor. Porrò æquitas ſeu æqualitas retinet in humana ſocietate proportionem rerum omnium iuſtam, hoc eſt, ſtatum aptum locis, temporibus, perſonis.

Ἐπιμεληταὶ, curatores, qua voce Paul. in l. Lucius Titius. de adminiſt. tut. vſus eſt, iuxta Haloandri editionem: generaliter ſignificat curatorem. Apud Athenienſes decem erant hoc nomine, qui emporiis præſiderent, curarẽntque in vſum ciuitatis triticum deferri. Vide Alcia. c. 29. lib. Parerg. 2.

Ἐπίμετρον, l. 15. C. Th. de ſuſcept. præpoſ. id quod ſuſceptoribus debebatur, frumẽti quinquageſima, hordei quadrageſima, vini & laridi viceſima, &c. Id & Mantiſam veteres vocaſſe videntur. Vide Cuiac. Obſ. lib. 7. c. 10.

Ἐπισάκτοι, milites euocati. l. 2. C. vt nemi. lice. à coëmpt. forte melius aduentitij & externi: quos & extraordinarios & ἐπιλέκτους vocant. Dio. 55. ξένοι δ' ἱππεῖς ἐπίλεκτοι. nam eodem ſenſu leges externas Dionyſius, ſeruos barbaros Plutarchus in gracchis, ἐπισάκτους.

EPISCOPVS, ſpeculator. Hinc ad eos deducitur qui rebus quibuſdam obſeruandis & cuſtodiendis præſunt, & ad quos ſumma negotij pertinet, vt patet ex Cicer. lib. 10. ad Attic. Epiſt. 7. Latinè inſpectores dicere poſſis. l. vlt. D. de muner. & honori. Epiſcoporũ nomen de iis vſurpatur, qui præerant pani. & cæteris venalibus rebus, quæ ciuitatum populis ad quotidianum victum vſui erant: quales ſunt apud nos, quos magiſtros opificiorum vocant.

Epiſcoporum verbo etiam patriarchæ, primates, & Archiepiſcopi continentur. c. j. 21. diſtin. Sed & presbyteri. c. legimus. §. j. 93. diſtinct. Specula. titu. de inſtru. edi. §. 4. verſi. de epiſcopo. Epiſcopum autem qualem eſſe oporteat, docet Apoſtolus Paul. j. ad Tim. 3. Quòdnam ſit eius officium, exponitur. c. ſi quis vult. 36. diſtinct.

EPISTALMA, id eſt, commiſſio Principis, per mandati ſubſcriptionem facta. Alciatus in l. pactum. C. de pactis. Hoc verbo vtitur Iuſt. l. fin. §. quæ omnia. C. de quadr. præſcr.

Ἐπισταθμία, munus recipiendi hoſpitis, Bud. l. fi. D. de mu. & hon. Ant. Aug. lib. ſing. ad Modeſtinum. Heſychius vocat ὑποδοχὴν ξένων.

EPISTOLA, pro cautione. Scæuola. l. vlt. D. de pecun. conſt. L. Titius Seiorum debitor deceſſit: hi perſuaſerunt P. Mæuio quod hæreditas ad eum pertineret: & fecerunt, vt epiſtolam in eos exponat debitorem ſe eſſe, quaſi hæredem patrui ſui confitentem. qui & addidit epiſtolæ ſuæ, quod in rationes ſuas, &c. Sic. l. 34. D. de pign. act. l. emptor. 47. D. de pact. l. vlt. D. de inſtit. l. 24. l. 26. l. 28. D. depoſ.

Epiſtolæ, principum reſcripta, quibus ſcilicet illi vel ad poſtulata præſentiũ, vel ad magiſtratuum abſentium conſultationes reſpondebant. l. j. D. de conſt. princip. Exempl. in l. ſed addes. 19. §. 8. D. locat. l. Diui fratres. D. de iure patron. l. 3. D. de teſtib.

Epiſtola DIVI ADRIANI, erat de periculo diuidendo inter mandatores & fideiuſſores, de qua fit mentio l. fi. C. de conſtit. pecun. per quam etiam extenditur ad plures conſtituentes.

Epiſtola, teſtimoniale dimiſſionis veteranorum. l. 2. de deſert. C. l. j. C. de veteranis.

EPISTOLARES principes. l. 32. & l. 35. C. de appell. lib. 7. illi in ſacro auditorio acta excipiebant. l. 36. C. eod. tit. Habebant enim Impp. ſcrinium ſacrarum epiſtolarũ. l. 3. C. de temp. adpellat.

EPISTOMIA, non ſunt foramina per quæ aqua effluit, vt Alexandrinus neſcio quis putauit: nam ab ἐπιστομίζειν confictum vocabulum apparet, quod ſignificat os claudere, ſiue obturare: vnde ἐπιστόμια clauſtra ſunt ſiue obturamenta canalium. Paul. lib. Sent. 3. cap. 9. Inſtrumento balneatorio legato, balneator ipſe & ſcamna, & podia, fiſtulæ, miliaria, epiſtomia, rotæ aquariæ cõtinentur. quanquam hic Cuiac. epitonia legi vult ex auctoritate librorum ſcriptorum Dn. Ranconneti, &

P.Victorio.Vide Epitonia.

EPITHESIS.Vlpian.l.Lex Cornelia, in fi.de iniur.Eadẽ pœna ex S C.tenetur is,qui epitheſin,aliúdve quid,ſiue ſcripturam in notam aliquorum produxerit. Eſt autem Epitheſis inſcriptio quædam appoſita, in contumeliam fraudémve alicuius facta.

EPITHECA Græcis eſt,quod dos Romanis. Vnde prædiorum epithecæ apud Iuriſprudentes,quas Papinianus impoſitiones interpretatur,quamuis pro epithecis,vitioſe legitur eotici, vt & apud Vlpianum. Lege c.13.lib.22.lection.antiq.Rhodig.

EPITIMIA pro multa pœna & reprehenſione mordaci,& iurgatoria apud Modeſtinum in l.ſcire.de tut.& curat.Sed & ſiquis à parentibus prohibitus fuerit tutor eſſe:neque creari hunc oportet. Et ſi creatus ſit, nec recuſauerit,prohiberi eum eſſe tutorem, manente epitimia.Alciat.lib.2.Parerg.c.29.Accipitur ἐπιτιμία inter cætera,pro μὴ ἀτιμία·μὴ non,ἀτιμία, ignominia, infamia,dedecus.Voluit igitur Modeſt.filium quidem ſubmoueri, ſed tamen non ideo notari infamia aliqua,vel dedecore,quo ſuſpecti,remotíque tutores afficiuntur.Non enim talis fuit mens parentum, vt filio ſuo vellent vllam notam inurere. Remouebitur igitur,manente epitimia,id eſt illabefacta nominis honoríſque fama. Idem

EPITIMIVM, eſt enim ἐπιτιμίον,Heſychio,πρόστιμον καὶ τιμωρία:vel gl.pœna & mulcta quod & notat Cælius Rhodigin.lib.30.c.18.Atque ita videtur ſumi hæc dictio.c.omnis.21.q.4. Igitur ſi inuenti fuerint deridentes eos qui vilibus & religioſis veſtibus amicti ſunt, per epitimium corrigantur.Gl. hanc pœnam exponit ſuſpenſionem per hebdomadam : alij aliquod aliud ſupplicium.

EPITOGIVM,veſtis ſuperior clerici,gl.Clem.2. de vita,& hon.cleric.Spontinus, Genus pallij quod ſuper togam ferebatur.

EPITONIA.l.17.§.caſtella.D.de actio.empti. anteà epiſtomia perperam legebatur. Dicuntur inſtrumenta quibus funes intenduntur,ἀπὸ τοῦ ἐπιτείνεσθαι, id eſt intendi: qualia pleriſque in Germaniæ locis viſuntur, rota inſtructa & pluteis adplũbata. eo ordine vt terni & quaterni ſimul aquam eodem ex puteo haurire poſſint,funiculo per rotam demiſſo.

Ἐπίτροποι,Curatores apud Dionem.Sed & tutores paſſim in lib.excuſatio.Modeſtini ſignificat.

Ἐποχαί,quarum fit mentio in Nouella Leonis.56. ſunt retia in mare extenſa confixis palis. Phauorinus, δίκτυα ἀγρεύοντα τοὺς ἰχθύας quæ erant in prothyris maxime anguſto mari.Vnde Leo Nouella.104.ἐποχῆς τῶν πήξεων dixit.Plura de his Cuiac.lib.obſ.14.c.j.

Ἐπώνυμον,cognomen, apud Iuſtinianum. Nouuel.78. quo verbo vtitur & Plutarch.Vide Anto. Auguſt.lib.3.c.8.

EPVLVM, conuiuium eſt numeroſis ciuibus exhibitum, vel in honorem deorum,vel oſtentationem magnificentiæ,aut in funere parentali.Iuriſconſ. de legat.lib.30.l.22.Vel epulum,inquit,relictum fuerit.Sic.l.17.§.5. D.de act.empt.

EQVI adpellatione non continetur pullus.l.ſed addes.§. ſi quis mulierem.D.locati.

EQVVLI,id eſt,parui equi, in §. in pecudum fructu. Inſtitu.de rer.diuiſio.Sic equula apud Varron.Nemo eſt tam negligens,quin ſumma diligentia eligat aſinum, qui faciat equulam.

EQVITIVM,equorum armentum.l.j.§.fi.D.de rei vind. l.12.§.equitij.D.de vſu.& habit. EQVITIARII, equorum moderatores. Differt autem equitij legatũ, à legato equorum.l.equis.D.de vſur.§.ſi grex.Inſtit.de legat.l.plenum.§.equitij.D.de vſu & habit.

EQVES,Tria genera loquẽdi Scriptores vſurpãt, eques, equeſtris ordinis,equeſtri loco natus.quæ vtrũ idem ſignificent, an verò differant, & quatenus differant conſiderandum.Eques & equeſtris ordinis idem ſunt. nam & eques quicunque eſt, & dicitur, idem equeſtris ordinis & eſt,& dicitur:& contrà. quod ſi eques patre natus eſt,qui nũquam ſenator fuerit, is equeſtri loco natus dicitur.ſin patre natus eſt ſenatore, eques quidem,ſed non equeſtri loco natus. qui porro, cum eques fuiſſet,in ſenatũ eſt allectus,eques non amplius dicitur,ſed aſſumpto nobilioris ordinis nomine,ſenator:ornamenta tamen retinet equeſtria, annulum aureum,& equum publicum.Itaque M.Cicero cũ equite Romano natus eſſet,nunquam poſteaquam in Senatum peruenit,eques appellatur,ſed ſenator.atque ipſe ſuis in ſcriptis cum de ordine ſenatorio loquitur, noſtrum appellat,cum de equeſtri,non item.is igitur nõ eques,neque equeſtris ordinis,ſed ſenator, & ſenatorij ordinis iure dicebatur. Ac mihi venit in mentem, quod in quadam epiſtola ſcripſit M.Cælius ad Ciceronem:Noſtri,inquit,equites niſi acutius vidiſſent.noſtri ob eam cauſſam dixit, quia vterque patre equite Romano natus erat.Poteſt igitur eſſe eques equeſtri loco natus,& eques non equeſtri loco natus:itémque poteſt eſſe ſenator equeſtri loco natus,& ſenator non equeſtri loco natus. cuius verò pater eques fuit, is, ſi ſenator factus eſt,deſinit appellari eques, & equeſtris ordinis:eadem tamen retinet inſignia,niſi ſi ea, ignominiæ cauſſa notatus à Cenſſ.amiſit. Ex obſeruationibus P.Manutij.

EQVES AVRATVS nũcupatur,quòd Romæ olim aureis annulis à plebe diſtingueretur equites,ſicut & nũc aureis calcaribus phaleríſque vtuntur.Erant enim in Romana Republica tres ordines, Senatorius, Equeſtris,& Plebeius.

EQVESTRIS dignitas.Vide l.j.C.de equeſt. dig.libr.12. Ea inter patres & plebem fuit.Seuerus imperator cõſueuit equeſtrem ordinem adpellare,Senatorum ſeminarium.Iudicandi ius aliquando habuit,vnde equites iudices adpellati. Deinde auctoritas nominis vario ſeditionum euentu ſubſtitit circa publicanos. Lege Roſcia ius ſedendi in quartodecimo gradu theatri habebant.Et quia gerẽdorum annulorum auctoritatem tenuerunt, illuſtres ab Hiſtoricis adpellati, olim ſexcenti numero fuere.Lege Catanæum in princ.Cõment.5.

Equeſtris facultas, cenſus equitum Romanorum, qui quadringentis millibus nummûm (nam idem id eſt) conſtabat.lege Catanæum Commenta.j.Bud.in l.vlt. D.de ſenat.

ERCISCEOR, verbum compoſitum à coërcendo & ciendo.Feſtus:Erctum citúmque fit inter conſortes,vt in libris legum Romanarum legitur:dicitur autem ab ercendo,vnde erciſcundæ & erciſcitum.Citum aut eſt vocatum à ciendo. Hinc:

ERCISCVNDÆ familiæ iudicium dicitur, quod fit in rei vel pecuniæ hæreditariæ diuiſione, non hæreditatis,nec nominum, inter cohæredes, ſimiléſve perſonas. Erciſcundæ igitur eſt diuidundæ, vt Erciſcundi Stoici Seruio in 3.Æn.mediæ ſententiæ auctores & quaſi diuiſores.tantundum poteſt ciendæ & ciſcundæ verbum:vt non aberret quis fortè ſi in erciſcundæ diuidat er & ciſcundæ, vt Feſtus & Donatus erctum & citum:erctum pro hæreditate,citũ pro diuiſione.nam & gloſſis antiquis, Ciendæ διαιρεμένης. Cic. libr. j.de Orat,ex caſtigatione Victorij:Icirco qui,quibus verbi erctum cieri oporteat,neſciat,idem erciſcundæ familiæ cauſſam agere non poſſit.Et Eres vel Ereditas ſcribitur interdum in Pand.Flor.vt erus in tit.ad l. Aquil. & illo Turpilij loco,Ignoſcere iſthic ſolentne eis minores

nores noxias,erum ſi forte quas galiolas vini tango.

Ergasterivm, taberna mercimoniis deputata. C. de epiſcop.& cler.l.omnis. Ex ergaſteriis, inquit Imp. & tabernis conquirere potuit.Item lib.12.de epidem. & metat.l.2.in quælibet ergaſteria, quæ mercimoniis deputantur.Papin.de via publi.l.Ædiles. Vt ante ergaſteria nihil proiectum ſit.Erant & ἐργαστήρια, officinæ fabrorum,atque opificum.

Ergastvla dicuntur carceres, vel preſſiones. Sunt & loca in quibus deteriora mancipia in vinculis opus facere cogebantur. Hinc:

Ergastvlarii ergaſtulorum cuſtodes,& ergaſtulo præfecti.

Ergolabvs, ἐργολάβος, Operarius, manceps, operarũ redemptor. ἐργολαβέω, opus faciundum conduco, operam loco,rem perficiendam ſuſcipio,redempturas facio,& inde lucrum facio: ἐργολαβία, merces ex labore, manualis operatio, redemptio operis, & conductio vel locatio. In Cod.rub.De monopol.& conuentu ergolaborum: Ædificiorum quoque artifices, vel ergolabi, aliorúmque diuerſorum operum profeſſores,&c. Ergolabi etiam ab oratoribus dicuntur ſycophantæ & quadruplatores, quæſtu delationes habentes, qui compendia ſua comparant ex alienis diſpendiis atque calamitatibus: interpretes etiam & ſequeſtres, qui iudiciis corrumpendis, aut eiuſcemodi maleficiis ſuſcipiendis operam ſuam locant, à Cicer. ſequeſtres appellantur.

Ergo correptum ſignificat idem,quod Græcis οὖν: productum idem quod χάριν, gratia: cùm ſcilicet gratia intelligitur pro cauſſa, vt virtutis ergo. Hinc Virgilius lib.6.Æneid.

Illius ergò
Venimus, & magnos Erebi tranauimus amnes.

Ergo verbo in eum ſignificatum vſa eſt lex XII. Tabul. verba legis hæc ſunt, QVI CORONAM PARIT, PECVNIAVE EIVS VIRTVTIS ERGO IPSI MORTVO, PARENTIBVSQVE EIVS DVM INTVS POSITVS ESSET, FORISVE FERRETVR SINE FRAVDE IMPOSITA ESTO. Hãc ex XII. Tab. eſſe legibus ait Plinius libr. 21.c. 3. eandẽ explicuit lib.4. Veteris Iuriſprud. lib.4.l.45.

Eremodicivm, deſertio eſt litis conteſtatæ, ex qua ſequitur mors litis & abſentis condemnatio, videlicet ſi inſtante termino ciuilibus actionibus præſtituti tẽporis ea contigerit: quod ſolemus dicere, *defaut & congé*. Nec audiendus qui Eremodicium ſcribit incidere in actores non reos, vt nec ille qui in reos non actores. Conſtat enim vel actore vel reo abſente contrahi eremodicium.l.properandum.§.ſin autem.§. cum autem eremodicium.C.de iud.& in ſpecie.l.cum quærebatur.D.iudic.ſol.Qui interpoſuit cautionem iudicatum ſolui, incidit in eremodicium. is autem eſt reus: quoniam actor non cauet iudicatum ſolui. Male etiam Haloander in Nouell.68. Eremodicium deſertionem vadimonij interpretatur. Vadimonium enim eſt ſatiſdatio iudicio ſiſtendi cauſſa. Tum ex eremodicio lis amittitur: ex deſerto vadimonio non item. Præterea deſerit vadimonium reus non actor: cõtrahit eremodicium non reus tantum, ſed etiam actor. Denique eremodicij reſtitutio præſtatur omnibus ætatis hominibus, ſi ſe doceant ex iuſta cauſſa abfuiſſe.l.ait Prætor.§.vlt.D.de minor. deſerti vadimonij reſtitutio nõ præſtatur, ſed exceptio tantum reo certis ex cauſſis datur, ſi deſertionis pœna petatur ſtipulatione comprehenſa vt exponitur tit.D.ſi quis caut.in iud.ſiſt. At eremodicij exemplum habes apud Paulum in l.vlt. D. ad S C.Trebell. vbi Polycrates cum eius aduerſarius Phœnibus μονομερῶς egiſſet, victus eſt. Nam, vt ſcribit Heſychius, Ἐρήμη, μονομερὴς δίκη, ὅταν μὴ ἀπαντήσας ὁ δικαζόμενος ἐπὶ τὴν κυρίαν ἡττηθῇ. quanquam hoc poſtremũ ad Iuriſconſ. Eremodicium non pertinet. quod & à reo & ab actore, vt dictum eſt, contrahitur.

Eripere eſt de manibus per raptum auferre.l.4.D.ne quis eum,qui in ius voc.

Eripi in libertatem.vide,in Libertatem eripi.

Ἑρμηνευτικὸν, apud Vlp.l.vlt.de proxenet. interpretitium & pararium æs, pæmium ſcilicet quod nuptiarum,vel amicitiæ,vel adſciſuræ, vel cuius alterius huiuſmodi proxenetis datur.

Ἐριάξυλον.l.70.§.2.D.de leg.3.Lanugo eſt quæ ex pomo fruticis cuiuſdam apud Arabas & eos qui ſub cynoſura ſunt,depectitur, qui inſtar barbatæ nucis, aut modici cotonei mali eſt: vnde & nonnulli Cotoneum vocant: veteres verò Goſſipium. Ἐριόξυλον autem dictum eſt,quaſi lanam ligno decerptam dicas.Alexand. lib.6. Parerg.

Ero, eronis. Hoc vocabulo vtitur Alfenus. l.31.D.locat. Quod ſi ſeparatim tabulis aut eronibus, aut in alia cuppa clauſum vniuſcuiuſque triticum fuiſſet. Eronibus autem Græci ad legem exponunt cophinis, vt probat Cuiac.obſ.lib.7.c.39.Item Plinius lib.36.c.14.& Vitruuius lib.5.c. 12. Erones autem accipit Turnebus texta quædam ſtoriarum & tegetum more, in quibus interdum pauperes dormiebant,& fruges reponebantur: ſed & vaſa ſic viminea vocabantur tegetibus ſimilia & cophinis: φορμοὶ à Græcis dicuntur. At hãc interpretationem obſignat teſtimonio Donati in Phorm.Terentij: Phormio, non à formula, ſed phormione dicitur ſparteo, quem nos eronem dicimus triuialiter & pro cõſuetudine. Vetus Criticus (vt idem refert) eronẽ interpretatur κάνα. Budæus tamen Perones in locis ſupradictis legi debere contendit, pro eo quod corruptè heronibus legebatur. Vide Pero.

Erogare per partes, in l.quædam.D.de edendo. Apud Apuleium pro valde rogare. Piis, inquit, precibus erogatus. Sed exrogare, eſt ex lege veteri aliquid eximere per nouam legem, Feſto. Hinc:

Erogationes diſtributiones, largitiones.l.fin.D.de hæred.pet.l.54.D.ad S C.Trebel. Traianus Plinio: Modo ne quid ideò intribuant, aut minus illis in poſterũ fiat ad erogationes neceſſarias. Sic Papinianus in l. Seio.D.de annuis legat. Ea videntur relicta, quæ certam formam erogationis annuè, non incertam liberalitatis voluntatem habuerunt.

Errare eſt aliud pro alio putare, Azo in Summa.C.de iuris & fact.igno. vnde Errantis nullus eſt conſenſus. Errare etiam cum exiſtimat P.Faber in l.id quod noſtrum.11. D.de diuerſ.regul.iuris, qui metuit, Quoniã, ait, in metu ineſt ignorantia.l.item ſi cum exceptione. §.in hac actione.D. quòd met.cauſſa. quod recipi poteſt propter ceſſantem voluntatem, quoniam metuẽtis nulla eſt voluntas. Sed mouet quod ſcribit Paulus. l.ſi mulier.21.§.ſi metu.D.quod met.cauſ. nẽpe coactũ velle. Voluntas coacta, voluntas ſit nécne, docẽt Doctores in d.§.ſi metu.

Errans, dubitans, ignorans, titubans, quibus modis diſtent, tradit Bart.in l.qui teſtamento.D.de teſtam.

Errans circa cauſſam facti, in ipſo quoque facto erraſſe videtur.l.ſi poſtumus.in fi.D.de lib.& poſtu.

Errandi facilitas cognata eſt hominibus propter corruptæ naturæ fragilitatem.

Error eſt exiſtimatio, qua adprobatur verũ eſſe, quod falſum eſt, vel falſum eſſe, quod verum eſt, vel certum eſſe, quod incertum eſt: aut contrà.

Error & ignorantia promiſcuè accipiuntur in iure, & idẽ vitium in ſpeciem ſignificant.l. iuris ignorantia non prodeſt.& l.ſeq.D.de iur.& fact.igno.l. error facti.C.

eod.tit. Error tamen in hoc maximè diſcerni poteſt ab ignorantia,quia nunquàm admittit veritatem, ſecutus duntaxat id,quod falſum eſt: Ignorantia autem & veri & falſi eſſe poteſt. Tum & Error eſſe non poteſt abſque ignorantia:ſed ignorantia ſæpe eſt abſque errore.Non enim qui neſcit,continuo errat:ſed qui ſe exiſtimat ſcire,quod neſcit.Error procedit ad actionem dicti, vel facti falſam: Ignorantia poteſt etiam intra animum latere, nec progredi ad actionem externam.Et ex his collige, quomodo intelligendus ſit titulus.D.de iur.& fact.ignorant.hoc eſt,politicῶs, vt ignorantia ſemper habeat comitem errorem.

Error ergo cum ſit vel facti,vel iuris,Error iuris bifariam conſiderari poteſt.Aut enim erratur in iure conſtituto,cum id quod certi & conſtituti iuris eſt ignoratur. l.j.l.9.§.3.D. de iur.& fact.ignor.Aut erratur in iure, quod quis in ſuo habet negotio.l.j.§.j.D. quæ ſentent. ſine adpellat.reſcind. Error facti cum aut quod factum eſt, factum neſcitur: aut quod non factum eſt, factum putatur:veluti ſiquis eum cuius bonorum poſſeſſio ipſi deferebatur, deceſſiſſe ignoret:aut alterum bonorum poſſeſſ.accepiſſe putat.l. j.D. de iur.& facti ignor.Et alias quidem eſt proprij, aliàs verò alieni. Vtriuſque permittitur excuſatio,ſed diſpar:quia facilius in alieno facto errans auditur,quàm in proprio.l. plurimum intereſt.D.de iur.& fact.igno.

Error facti ſiue proprij, ſiue alieni, quandoque cenſetur iuſtus,nonnunquàm culpabilis. Error iuſtus eſt,cui nulla poteſt obiici culpa, quòd errans non habuerit rem notam,ſed quia ignorauit poſt modum emergẽtia.l.de ætate.§.interdum.& §.qui iuſto. D. de interrogat.in iur.fact. Error culpabilis eſt, qui reprehendi poteſt propter culpam,ſeu negligentiam inquirendæ veritatis.d.§.qui iuſto.l.nec ſupina.& l. pen. D. de iur. fact.ignor.

Error calculi dicitur,cùm in ratione ſubducenda per imprudentiam erratum eſt, ſic vt tranſactio falſa ſuper eo errore facta ſit.l.vnic.vbi vide Bart.& repet.C. de error.calcul.

Error pro vagatione ſumitur in l.j.in fin. D.de ſeruo corrupto:quem locum Accurſius non intellexit. Tu locũ expende.

Erroneſ, vagabundi ſerui & fugitiui: ſic enim interpretatur Vlpia.tit.de ſeru.fugitiuo. quanquam Arrianus,de re milita.l.qui cum.velit erronis crimen in ſeruo leuius eſſe,quam fugitiui. Inde Labeo puſillum fugitiuum erronem adpellat,vt ex diuerſo, magnum erronem.In ſumma,Erro eſt,qui non fugit,ſed frequenter ſine cauſſa vagatur, & temporibus in res nugatorias conſumptis, ſerius ad dominum redit. §.erronẽ.l. quis ſit fugitiuus. D. de Ædil. edict. Hinc Columella erronem apud ducem cenſet,detractis alis, velut quadam compede,domi retinendum.

Ervderare, eſt repurgare,rudúſque, hoc eſt, comminuta fragmenta dirutorum ædificiorum,auferre.

Ervere, pro detegere poſuit Iuriſcõſ.l.inde Neratius. §.ſed ſi ſeruus.D.ad leg.Aquil.

Escarivm argentum,quod ad epulandum in miniſterio habetur,id eſt,ad eſum & potum.l.cum aurum. D. de auro,arg.mund.

Escale argentum,pro eſcario apud Modeſtinum.l. 8. D.de ſup.legat.ponitur.

Essedvm,vehiculi genus,Budæo in prior. Gallis *coche*.

Essedarivs, qui eſſedum regit.

Est, non ſolum præſens, ſed & præteritum tempus ſignificat.l.123.D.de verb.ſignifi. aliquando tamen præſentis temporis demonſtrationem indicat. l.34. D.de aur.& arg.leg.Eſt,id eſt eſſe præſumitur.l. ſi debitori, D.de iudic.

Est rationis. Hic modus dicendi apud Iuriſ. frequẽs reperitur.Martianus de hæred.inſt.Quæ rea fuerat eiuſdem criminis poſtulata,rationis eſt.Pariter de bonis eorum,qui ante ſentẽtiam mortem ſibi conſciuerint.Vlpia.Quando dies legatorum, quæſtionis eſt. & idem de fideicom. liber. Papinian. de Collat. dot. Paulus de aq.plu.arc.dixit:Cõſuetudinis eſt.& de verbor.oblig.Dubitationis eſt.Modeſt.de dona. Summæ æquitatis eſt.

Esse cum genitiuo poſitum,ſignificat pertinere, vel alicuius officium,vel partes eſſe.l.non ſolùm. §. hæc verba.D.de alien.mut.iud.cauſ.facta.Eſſe,pro venire, vel vendi apud Iuriſcoſſ.Eſſe ad veritatem refertur.l.hæc verba.de verb.ſignifi.D. Eſſe,pro eſſe fingi intelligendum Bald.l.quæ fortuitis.C.de pigne.actio. Eſſe, pro manere.l.2.D.de concubinis.

Eſſe in poſſeſſione,& poſſidere,diuerſa ſunt.l.ſi quis autẽ. §.j.de acquir.poſſ.l.prætor ait.§.eum.de damn.infect.

Eſſe talem,& haberi pro tali,diuerſa ſunt.l. mercis.& ibi gl.de verb.ſign.Bart.in l.maritus.2.§. legis Iuliæ. D.de adult.quod nota ad multos effectus.

Eſſe in controuerſiam eleganter dixit Petronius, Ciceroníſque modo,pro cõtrouerſum eſſe, & litigioſum. Neque enim,inquit,res quæ viderentur in cõtrouerſiam eſſe,ſed longe aliud quæri.

Essentialia rei dicũtur,quæ ab ea ſeparari nõ poſſunt, Marius Salomonius in l. Gallus. D. de liber.& poſthu.

Et, pro,id eſt,in §.ſed iſtæ.ibi, cùm dicitur,& ſi quæ ſint ſimiles.Inſtit.de act.Huius particulæ vis propria eſt,vt coniungat.l.ea tamen adiectio. de leg. 3. tametſi hoc non ſit perpetuum.Eſt enim vbi et,pro vel, disiungit,vt l.ſæpe.D.de verb.ſignifi.& aliis modis accepta, cùm diſpoſitionem,tum ſententiam variat, vt latiſſimè proſequitur Albe.attigit Bart.l.j.de pact.l.non ſolum.D.ſolut.mat.Aliquando ordinis nota eſt,l.Gallus. §.j.vbi Docto.D.de lib.& poſtu. Aliquãdo pro etiam, vt l.j.C.de no.C.comp.Quandoque ponitur pro quia. l.fi.C.de cur.fur.Interdum ſubauditur.l.ſi abrogator.§. j.D.de adoptio.

Et cætera. Sunt qui plurimum referre putent, extẽſim hæc clauſula ſcripta ſit,an præſcriptis notis, &c. Quod Alciat.ridiculũ arbitratur:qui& refert dictionẽ Cætera,deductã à Græco καὶ ἕτερα, id eſt, & alia.Et ideo cum abbreuiationis cauſſa apponitur, eius virtute cẽſeri alia repetita,quæ ex natura & conſuetudine actus requirebantur. vide Bart.in l.Gallus.D.de lib.& poſth. & Alciatum ibid.

Etiamnvm,pro adhuc,Vlpianus tit.arbor.furt.Cæſar. l. vitem. §.Labeo. Etiamnum reponi poteſt. Aliqua exemplaria etiã nunc habẽt, ſicut & Pand.Flor. quod intelligitur pro vſque nunc, vſque ad iſtud tempus. Etiamnum ponitur etiam pro vſque tunc, vel vſque ad id tempus.

Etymologia verborũ explicatio,id eſt, qua de cauſſa quæque verba ita ſunt nominata,vt ait Cic. j. Acad. Si propriè vocem Latinitate volueris donare,Veriloquium adpellabis,vt ait Cicero in Topicis,qui & nuncupat,nominis vim eam Ariſtotelem hoc idem ſymbolum & notationẽ,& vocare dicit. At Etymologia, & alluſio vocabuli,longè differunt.Etymologia, non verbi ſolùm,ſed etiam rei,de qua quæritur veram interpretationem ſequitur:quamobrem ſpecies finitionis cenſenda eſt merito.Alluſio ſolam verbi, vocem, non etiam rei veritatem reſpicit.

Evacvatoria in formulis Marculphi, ab euacuanda obligatione, ea forma qua Græci ἀπυγραφὴν: pro quo apocha.l.plures.C. de fid. inſtr.& rub.libr. 10.C. de apoch.& ſecuritas l.j.C.eod. in Nouell.130.Recauta.Au

ta.Auguſt.lib.de Cura pro mort.Vbi eſſet recantū,quo illa cautio vacuata fuerat,indicauit. Vide Recautum.

EVANESCIT actio, id eſt, intercidit, in §.j.l.cum fundus. Si cert.pet.item Euaneſcere actionem auctoritate Iuris, remitti actionem voluntate domini, l.qui iniuriæ.§.ſi ſeruus.D.de furt.

Εὐχαριστία propriè gratiarum eſt actio. At panis & calicis ſacramentum interpretatur Gregorius j.q.j.c.multi. quod Tertulliani teſtimonio comprobatur. in libr.de Corona militis: Euchariſtia, inquit, ſacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec aliorum manu quàm præſidentium ſumimus. quod & Iuſtinus Martyr Apolog.2.pro Chriſtia.ad Anton.Pium.Imp probat. Idem in dialogo cum Tryphone aduerſ.Iudæos εὐχαριστίαν, ſacrificium appellauit. & vide cap.omnis. de pœniten.& remiſſio.

EVCHETÆ, l.5.C.de hęret.Hæretici fuere quidam, quorum dogma nefarium in Syria propagatum fuit. Horum fuit hæreſis, poſſe humanam virtutem ac ſcientiam, non ad Dei modo ſimilitudinem peruenire, ſed perfectionem quoq; ac æqualitatem: adeo vti ſit mox ἀναμάρτητος, id eſt, vt ſic dicam, impeccabilis, quoniā ne cogitatione quidem, aut inſcitia, vbi perfectionis faſtigium contigerit, queat delinquere. Atq; ſic dictos volunt ἀπὸ τῆς εὐχῆς, id eſt ab orationis aſſiduitate, quòd incredibiliter, inquit Auguſtinus, perpetuo facerent. Vide Nicephorum lib.11.c.14.hiſtoriæ ecclesiaſt.

EVCTERIA, loca in quibus orationes, actáque prouinciarum continentur, Alciat. in l.immunitatis. C.de agricolis & cenſitis lib.11.

EVECTIONES, quo vocabulo Impp. vtuntur. C.de curſu publi.lib.12.l.euectiones.3.l.4.l.6.l.9. l.penult.& vltima. diploma, & literæ dicuntur, vt apertè indicat d.l.3.literæ, inquam, ſiue codicilli, quibus curſu publico vtendi facultas datur, & ſine quibus non licebat curſu publico vti. Dicuntur & ſynthemata, & combinæ & tractoriæ. & vide l.j.C.de numera. Auguſtinus Epiſtol.55. Zenobius, ait, magiſter memoriæ factus eſt, miſit nobis euectionem cum annonis. Symmachus lib.Epiſt.2.Epiſtol.261.

EVENIET, pro continget, l.j.§.j. D.de ſeruo corrup.§. eſt & aliud.Inſtit.de donat.

Euenit, imperſonale, pro ita cecidit.

EVENTVM Cicero in Rhetoricis cuiuſcunque negotij finem definit, à quo ſæpenumero res iudicantur: & ſic accipiendum putat Albericus in ca.ſi forte.de electio.lib.6. Euentus ſpectandus, l.aut facta. §.euentus. D.de pœnis. l.rem non nouam. C.de iudic. Euentus declarat l.ordinata.C.de liber.cauſſ. ſi Euentum res habuerit, l.ait Prætor. D.quæ in fraud. cred.id eſt ſi fraude actū fuerit: nam (vt ait Lucretius)

Euentum dici poterit, quodcunque erit actum.

Euentus in iure noſtro multa complectitur, metum, ſiue vim, errorem, dolum, culpam, & caſum fortuitum. Vide Apellum cap.7.de circunſtantiis.

Euentus mortalitatis, pro caſu mortis, apud Vlpian.de offic.præſid.l.illicitas.§.pen. Catanæus enim in Commentario in Plinianas Epiſtolas, admonet Iuriſcoſs. frequenter vſurpare mortalitatem pro morte.

EVERRERE, verrendo nitidum facere: hinc Euerrere ciſium, l.13. D.locati. Nauem, Ciceroni in Paradox. Onus, l.j.§.j.D.ſi quad.paup.fec.dic.

EVERRIATOR dicitur, qui accepta hæreditate iure iuſta facere defuncto debet: quæ ſi nō fecerit, ſeu quid in ea re turbauerit, ſuo capite luat. Nam euerræ ſunt purgationes quædam domus, ex qua mortuus ad ſepulturam ferendus eſt, quæ fit per euerriatorem, certo genere ſcoparum adhibito, ab extra verrendo dictæ. Feſto lib.5.

EVERRICVLVM, Græcis σαγήνη, genus retis piſcatorij, à verrenda aqua ſic dictum. Vlpianus l.13.§.ſi quis me.D.de iniuriis, Si quis me prohibeat in mari piſcari, vel euerriculum, quod Græci σαγήνην dicunt, ducere. Ad alia transfertur. Hinc,

Euerriculum malorum, actionem de dolo μεταφορικῶς appellat M.Cicer.lib.3.de Natur.deor.

EVERTERE patrimonium eſt exhaurire, conſumere, & exinanire, l.j. D.ſi famil.furt.fecisſ.dic. Ne cum plures furtum admiſerint, euertant domini patrimonium, ſi omnes dedere, aut pro ſingulis æſtimationem litis offerre cogatur. Sic apud Cicer.pro Sex.Roſc. Hunc funditus bonis euertit, id eſt ſpoliat. Hinc,

EVERSORES prodigos rectè appellat Gaius lib.j. Inſtit.quòd bona euertant, diſſipent, & dilapident.

EVIDENS, propriè quod apertum eſt, & ſemper apparet, l.ea quæ.D.de contrahend.empt. Vnde vulgatum illud, Quod in euidenti eſt, nulla poteſt tergiuerſatione celari: nec indiget, quod manifeſtum eſt, probatione, l.eum. C.de appellat. Plus enim quàm ridiculum eſt, dubitare de eo, quod euidenter apparet, l. Domitius.Labeo.D.qui teſtamen.facere poſſ. Siquidem plus eſſe euidens, quàm manifeſtum, traditum eſt Impp.in l.quoniam ſororem.C.de iure delib. Manifeſtum atq; euidens eſt, inquiunt, antè, quàm pro hærede gereret, vel bonorum poſſeſſionem admitteret. De euidenti, vide D.ad exhib.l.3.& de ædil.edict.l.quæritur.§.vlt.

Euidens vtilitas apud Vlpian.l.2.de conſtit.Princip.ſic intelligēda eſt, vt retineatur ius naturę, quod lex, aut cōſuetudo, niſi corrigeretur, paulatim eſſet corruptura.

Euidentem voluntatem teſtatoris vocat Vlpian. in l.licet Imperator.de leg.j.quæ ex argumentis & interpretationibus verborum colligitur.

EVIDENTIA facti, inter ſpecies probandi verſatur, vt cùm quid ſenſu corporeo coràm percipitur, vel cum quid eſt notorium, ca.fin.de reſtit.ſpol. Si quis enim afferat, vulnus atrox eſſe, & mox indicet locum, certè hæc probatio non poteſt reuocari in dubium. Paul. in l.vulneris.de in iur.& in l.ſi irruptione.D.fi.regun.

Euidētiam facti, & Notorium exæquant Canoniſtæ, cap. vlti.extr.de reſtit.ſpoliat.c.euidentia.de accuſat.

EVINCERE, propriè idem eſt quod vincere: aliàs eſt rem meā iure dominij ab aliquo cuius non erat alteri aut datam, aut vēditam, repetere in iudicio, & ab emptore per iudicis ſentētiam ad eam mihi reſtituendam condemnato, extorquere & abducere. V.pian.l.j.D.de euict. Siue tota res euincatur, ſiue pars, habet regreſſum emptor ad venditorē. Sic tot.tit.D.& C.de euict. & alibi ſæpiſſimè. Euinci hæreditas dicitur per inofficioſi querelam, cum ab hærede ſcripto auocatur, l.21.§.fi.D.de inoffic.teſtam. Sic Euinci per bonorum poſſeſſionem, l.6.in fi.D.ſi pars hæred.pet.

EVICTA res dicitur, quæ tradita non fuit, ita quòd fiat accipientis, l.iuris.D.de iur.doti.

EVICTIO eſt rei emptæ, aliáve cauſſa acceptæ, interpoſito iudicis decreto, ablatio, l.euicta.D.de euict. Azo in Summ. C.eod. Quod vt intelligamus, illud ſcire oportet, olim moris fuiſſe, vt ſi res non Quiritium, ſed gentium iure abalienaretur, is qui eam acquirebat, duplam aut ſimplam ſtipularetur ſibi ab auctore dari, ſi ea ſibi iudicio adimeretur. quemadmodum Varro lib.de re Ruſt.2.c.10.ſignificat. Cum autem mancipio res venierat, tum iudicij periculum præſtabat is, qui eam vendiderat, vt oſtendemus in voce Mancipium. Itáque Varronis locus intelligendus eſt, cum ait: Si mancipio non datur: id eſt, ſi res non acquiritur per ius Quiritium, hoc eſt per mancipationem & nexum. nam ſi mancipio res erat data, aut vſucapta, aut in iure ceſſa, nunquam euinci poterat, id eſt iudicio à poſſeſſore auferri.

Euictionis nomine vel ex conſuetudine regionis, vel nomine caueri oportet, l.ſi fundus.7.D.eo. vel ſecundum id, quod inter partes conuenerat, l.4.& l.37.D.eo. plerunque per ſtipulationem ſimplæ aut duplæ cauetur, hoc eſt vt euicta re ſimplum vel duplum vẽditor emptori reſtituat, l.6.& l.7.D.eod.

Εὐγενῆ, definiunt Theophylus lib.j.Inſtit.& C.Harmenop. lib.j.tit.6. τὸν ἅμα τῷ τεχθῆναι ἐλεύθερον, ὄντα.

Evlabes, negotiorum ſuſceptorem ſignificat, vt eſt apud Sudam monuit Alciat.in titu. C.de præpoſi.labor.lib.12.

Evlogiæ, ſunt collectiones pro eleemoſynis ſeu collationibus, de quibus diſt.18.c.de eulog.& Paul.2.epiſt. ad Corinth.c.6.& 9.

Evnomia, recta iuris, legúmque conſtitutio. εὔνομοι, populi dicuntur, qui recta legum, inſtitutorúmque ratione vtuntur. Eſt autem Eunomia duplex: Vna quidem recta Iuris conſtitutio: altera verò, rectè Iuri conſtituto, obtemperatio. Neque enim ſatis eſt, bene inſtitutam poſitámque eſſe rationem reipubl.niſi & hoc omnib. perſuaſum ſit, inſtitutioni tali omnino parendum eſſe Bud.in Adnot.prior.

Evnvchvs, vide Spado. Interea notandum vbique in Imp.conſtitutionibus Eunuchos pro caſtratis accipi. Súntque qui eo nomine tegi putant iniuriam naturæ factam, & ſignificari cuſtodes lecti, quòd ad obſeruãdam mulierum pudicitiam adhiberentur: & inde in l. penul.C.de præp.ſacr.cub.Eunuchum, inquit, ſacri cubiculi miniſteriis adhæſurum.& in Nouell.113.eunuchi præficiuntur puellis aſcetriis: tum & olim, vt teſtatur in Eunucho Terentius, iis ſolebant reginæ vti. Hinc & Leo Nouella 98.de eunuchis: καὶ τῆς εὐνῆς ἀνυπόπτους φύλακας εἶναι. τοῦτο γὰρ ἡ κλῆσις ἐνδύεται. Epiphanius tamen lib.2.contra hæreſes Eunuchos dici vult παρὰ τὸ εὐνοεῖν, quòd beneuoli eſſe, & fidem ſeruare maritis didicerint. Phauorinus παρὰ τὸ εὖ νοῦν ἔχειν, quod bonæ mentis compotes eſſe exiſtimentur, id eſt quòd venereis abſtineant, quæ veteres ἀνόητα dixerunt.

Evocare eſt in ius vocare, l.cùm verò is.§.euocari.D. de fideicom.li. quod non ſolũ ciuili in cauſſa tantùm, ſed & capitali fieri dicitur, M.Ciceroni actio.2.in Verrem, loquenti de iis qui populum cõcitant euocandis.

Euocare ſacra, eſt religionem ex loco quopiam eximere. Vlpianus in l.ſacra.de rer.diuiſ. Et ſolent, inquit, qui liberare eum locum religione volunt, ſacra inde euocare. Quæ res vt olim ſit fieri ſolita, Macrobius lib.3. Sat.cap.8.& Liuius lib.5.tradunt. Hinc illud Virgilij li. 2.Æneid.de excidio Troiæ:

Exceſſere omnes, adytis, ariſque relictis,
Dij quibus imperium hoc ſteterat.

Aliter effertur Deum euocare. Plin.lib.28.ca.2.Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat in oppugnationibus ante omnia ſolitum à Romanis ſacerdotibus euocari Deum, cuius in tutela id oppidum eſſet.

Evocati milites apud Cæſarum & alibi, homines erant militia perfuncti, & emeritis ſtipendiis, qui tamen rurſus militatum euocabantur. Id declarat Dio ſic ſcribens: Ἐκ τούτων δὲ ἀπὸ τῶν ἀνδρῶν καὶ τὸ τῶν ἠουοκάτων σύστημα (οὓς ἀνακλήτους ἄν τις ἑλληνίσας, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατιᾶς ἐπ' αὐτὴν αὖθις ἀνεκλήθησαν, ὀνομάσειεν) ἐνομίσθη. Id eſt, Ex his hominibus euocatorum numerus conſtitit, quos ἀνακλήτους, id eſt reuocatos, Græcè vocare poſſis, quòd militia perfuncti ad eam rurſus reuocarentur. Euocatorum autem honeſtus erat ordo in re militari, & in multis inſcriptionibus: Euocatum Cæſaris aut Auguſti fuiſſe ambitioſe inciſum videmus. Ex Turnebo Aduerſ.lib.j.cap.9.

Εὕρεθρα, à Græcis appellari dicit Vlpianus l.falſus.§.ſolent. D.de furt.præmia quæ deſiderantur ab his, qui alienũ quid iacens forte fortuna inuenerunt, & domino reſtituerunt, aut reſtituere parati ſunt. Gregorius Thaumaturgus id confirmat in epiſt.Canonica, περὶ τῶν ἐν αἰχμαλωσίᾳ εἰδωλόθυτα φαγόντων, καὶ ἕτερά τινα πλημμελησάντων, his verbis à Cuiacio Obſer.lib.11.cap.18.citatis: τοὺς δὲ τὴν ἐντολὴν πληροῦντας, ἐκτὸς αἰσχροκερδείας πάσης πληροῦν δεῖ, μήτε μήνυτρα, ἢ σῶστρα, ἢ εὕρεθρα, ἢ ὅ τι ὀνόματι ταῦτα καλοῦσιν, ἀπαιτοῦντες.

Eurematica Modeſtini conſilia & cautiones ſunt à Modeſtino excogitatæ rei iuríſque cuique intuendi cauſſa: quod ſermo is quo libro de Eurematicis loquitur, indicat: modo enim ait, Conſulendum eſt.l.58.ſol.mat. modò, Suaſerim, l.45.ad Treb.modò, Optimum factum eſt.l.9.D.de ſuſp.tut.

Evvlgare, eſt palam vulgo quid facere.

Εὐτελεστάτη, apud Theophyl.in §.item tria.Inſtit. de excuſ. tut.alij tenuiſſimam, alij opulentam interpretantur. Tu expende rem ipſam.

Ex particula, vt variis verbis iungitur, ita & variæ eſt ſignificationis. Propriè autem innuit cauſſam proximam, & immediatam, l.§.ex incendiis. de incend. ruin.naufra. Bartol.l.vnica.C.ſi ſeruus exter. ſignificat item Ex præpoſitio, cauſſam per ſe, & non per accidens, l.eo tempore.§.fin.D.de proc.adi.Bart.in l.Prætor.§.j.D.de bon.aut.iud.poſſi, ac pleriſque aliis locis. Albert.collegit etiam aliquot alias huius particulæ ſignificationes.

Ex, pro, propter l.2.§.2. D.de incend.ruin.naufra.pro ab, vel à, l.2.in fi.C.ſi in cauſ.iud.pig.ca.ſit.pro, &, & tunc excludit, l.2. D.de itin.actúque priuat. Aliquando ſignificat inter, c.dudum.c.3.4.q.6.aliquando contra, c. ex his.33.q.j. Aliquando incluſionis nota eſt l.quod dicitur. D.de impenſ.in reb.dota.fact. quandoque excluſionis, l.quæſitum, §.idem Celſus.D.de fund.inſtructo. Ex, quandoque ſignificat ortum, l.ex hoc iure. D.de iuſtit.& iure.

Ex quoque dictio, dignitatum magiſtratuúmque nominibus adiecta functionem finitam, præteritámque ſignificat. Pro qua Græci ἀπὸ habent. Ant.Auguſt.lib.3. Emend.cap.3. Hinc,

Ἐξαίρετα τῆς πόλεως vocantur l. ἐξεῖναι. D.ad munic.præcipua ciuitatis, id eſt, forum, balnea, templa, ſpectacula. ὁ γὰρ ἐκεῖνης, inquit Modeſt. τῆς πόλεως ἐξαιρέτοις μὴ χρώμενος, οὗτος οὐ νομίζεται εἶναι incolas.

Exarchiatri, l.maximar.C.de excuſ.munc.lib.10. qui archiatria abierunt. Sic Excomites, præfecti, expræpoſiti, expræſides, exconſules, exquæſtores: quæ vide ſuis locis.

Ex abvndanti, pro abundanter poſuit Papinianus l.cauſſam.D.de manumiſſ.

Ex aduerſo, pro è diuerſo, vel & cõtrà, ca.ad audientiam. de probat.& c.dilecto, de præbend.

Ex animi ſententia. Conceptio ſolennis erat iuriſiurandi, quæ idem valebat, quod ſine dolo, ſyncerè, ex animo liquido. Cic.Academ.Quæſt.2. Quam rationem etiam maiorum comprobat diligentia, qui primum iurare ex animi ſui ſententia quenque voluerunt, deinde ita teneri ſi ſciens falleret. Liuius lib.22. Ex animi mei ſententia iuro, vt ego Remp.non deſeram, neq; alium ciuem deſerere patiar. Cice.3. Offic. Non enim falſum iurare peierare eſt: ſed quòd ex animi tui ſententia iuraris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere, periurium eſt.

Ex aſſe hæres, id eſt, in vniuerſum, l.ex aſſe. D.de acquir. hæredit.

Ex bono & æquo facere, elegantius, quàm quòd vulgò dicitur, in bona fide, & æquitate. Iulianus de contractibus bonæ fidei loquens, In iis, ait, alter alteri obligatur de eo, quod alterum alteri ex bono & æquo præſtare oportet: id eſt, non de eo ſolùm quod cautum eſt: quod etiam ex bona fide dicitur alibi ab eodem.

Ex bonis

Ex bonis,& in bonis differunt. nam in bonis eſſe propriè dicuntur ea, quæ ſitu & poſitione intra rem aliquam noſtram continentur: ex bonis verò,quæ ὄντως, id eſt, naturaliter ſunt extra rem, ſed tamen ad eam pertinent:vt aliud eſt annulũ eſſe in dactyliotheca, aliud ex dactyliotheca. Iuſtin. §.2.de vi bon.rapt. Sane in hac actione non vtique expectatur,rem in bonis actoris eſſe. nam ſiue in bonis ſit, ſiue non, ſi tamen ex bonis ſit, locum hæc actio habebit. Quæ igitur quaſi manu non tenentur, ſed conſequi per actionem poſſumus, ea ex bonis noſtris dicuntur: at quæ iam intra ditionem ac fines noſtros ſunt, in bonis. Vnde ſeruus iuſſu Prætoris abductus,in bonis noſtris eſſe dicitur, l.2.in fi.D.ſi ex nox.cau.& l.26.in fin.de nox.act. atque hæc, vti dictum, propria huius vocis ratio eſt. Impropriè verò in bonis noſtris omnia dicuntur eſſe, quæ in patrimonio noſtro ſunt,l.j.D.de rer.diuiſ.

Ex cauſſa hæreditaria, id eſt, propter hæreditatem, l.qui abſenti.§.fi.D.de acq.poſſeſ.

EXÆDIFICARE, ædificium abſoluere.

EXAGGERARE & deprimere opponuntur, l.3.§.fi. D. de itin.actúque priuato.

EXAGOGICA, vectigalia quæ reddebantur, mercibus ex agricolatione exportatis: ſicut Iſagogica alia dicebantur,cum importabantur. Horum meminit Cic.in Orat.pro lege Manilia.item Cæl.Rhodig.lib.10. ca.8.

EXAGIVM trutinam ſignificat & certæ ponderationis genus eſt,quod conſtabat ſiliquis 24. vt ſcribit I.Cuiacius in l.fi.C.de ſuariis,& ſuſcept.vini.

EXAGONIA dicuntur, quæ ad cauſſam non pertinent, velut extra certamen.

EXAMEN, noua apum ſoboles, quam parentes ex ſuis aluearibus, ad nouas quærendas ſedes exire cogunt, quod hæ ita vniantur, vt ſimul ligatæ appareant. l.naturalem.§.examen.D.de acqui.rer.dom.Tranſlatè pro quacunque nouæ prolis multitudine inſtar apum accipitur. Metaphoricòs autẽ à noſtris interpretib. modò(nec abſurdè) pro iudicij inueſtigatione:modò pro ſcrutinio,& vt barbari dicunt,depoſitione teſtium.

EXAMINATIO ciuilis, pro iudicio priuato, & pecuniario,l.j.§.3. D.de abigeis. Qui pecora de quorũ proprietate faciebat controuerſiam, abegit, ad examinationem ciuilem remittendus eſt.

EXARARE eſt delere,ductum ex more aratri ducendi, dirutis vrbibus,l.4.§.4.D.fi.regund.Si dicantur termini deiecti,vel exarati,iudex qui de crimine cognoſcit, etiam de finibus cognoſcere poteſt.Cic.lib.de legib.2. cum multa in eo loco ſepulcra fuiſſent, exarata ſunt.

EXAREO, vel Exareſco,ſiccum eſſe ſiue fieri. At in Authen.de inoffic.donat. & Cod.eod. l.ſi mater.& l.fin. Exaruit patrimonium donationibus, ſumitur pro exhauſtum eſt.

EXARGENTARE, in pecuniam redigere ſignificat. Ex Alciato.

EXARMARE, in l.2.ad legem Rhodiam .de iact.§.j. ea forma dicitur, qua excalceare, hoc eſt, armis nauim ſpoliare,vt malo,roſtro,antenna,carcheſio, clauo,pede,anchora,& reliquis. Si conſeruatis mercibus deterior facta ſit nauis, aut ſiquid exarmauerit, nulla facienda eſt collatio. Hac voce etiam vſus eſt Cæſar in Comment.& metaphoricè Plinius ſecundus exarmare dixit,pro debilitare,& infirmare.

Ἐξαρτίας appellatione nihil aliud contineri putat C.Harmenopulus lib,2.tit.19. quam ἐξάρτησιν, id eſt, σκευὴν, & κατασκευὴν, inſtrumenta ſcilicet ad tutelam & conſeruationem nauis neceſſaria, Latinis armamenta, l.3.§. armamenta.D.ad leg.Rhod.

EXASPERARE, aſperius facere,l.pen.D.de pœnis.

EXAVCTORARE, inſignia militaria detrahere, l.2.§. ignominia. D.de iis qui not.infa. Sed & ſi eum exauctorauerit,id eſt inſignia militaria detraxerit,interinfames efficit, licet non addidiſſet ignominiæ cauſſa ſe eum exauctoraſſe. Alias Exauctorari, eſt militia remoueri,l.29.D.de libe.cauſ.l.4. §.non omnis.& l.7.D. de re milit. Atque de iis dicebatur qui ſoluebãtur ſtipendio,neque tamen dimittebantur: ſed habebantur ſub vexillo,non ſub aquila,aut ſignis legionis: neque iam legionarij erant: retinebãtur tamen,donec emerita ſoluerentur,aut agri aſſignarentur.Quibus autem miſſio dabatur,ij penitus dimittebantur. Tacitus:Miſſionem dari vicena ſtipendia meritis: exauctorari qui ſena dena feciſſent.

EXCANDESCERE,non eſt fortiter acclamare,vt indicat Scholium in l.obſeruandum.de offic.præf.ſed vehementius commoueri, & iraſci, quòd ira velut ignis animum incendat.Calliſtr.loco iam citato,de ius reddente loquens, Sed &,inquit, in cognoſcendo neque excandeſcere aduerſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illacrymari oportet.

EXCEDERE, propriè exire & egredi eſt.Sed à Paulo, in l.3.de offic.Præſid.gloſſ.accipit pro decedere, hoc eſt,ſe abdicare adminiſtratione.

EXCESSVS vocabulum apud Marcellum in l.iam dubitari non poteſt. de hæred.inſtit.non ſatis intellectum à noſtris doctoribus, Alciatus in Parergis monuit,veteres pro digreſſione quadam accipere: vel cùm quis altiùs rem petit: vel cùm capta occaſione obiter extra argumentũ aliquid dicitur.Grȩcis παρέκβασις, παρεκβολή,

EXCESSVS nomine continetur iuriſdictio, Innoc.ca. quoniam.§.ſunt & alij.vt lit.non conteſt.

EXCIDERE aliquem numero ciuium, apud Plin.libr. epiſt.18.epiſt.18.ad Rufinum,id eſt eximere. Excidere partum mulieri,apud Marcellum,l.2.D.de mort.infer, Negat lex Regia mulierem,quæ prȩgnans mortua ſit, humari ante,quam partus ei excidatur.

EXCIPERE, pro ſuſcipere, in §.hoc amplius. Inſtitut.de rer. diuiſ. Cum miſſilia iactant in vulgus, ignorant quod eorum quiſque ſit excepturus. Huius verbi & varius,& elegans eſt vſus.

Excipere actionem.Oppoſitum,Securum eſſe. Gaius in l. non ſolùm.D.de noxal.actio.Nam abſurdum, inquit, videretur,eos quidem, qui bona fide poſſiderẽt, excipere actionem:prædones verò ſecuros eſſe.

Excipere manus iniectionem l.ſed ſi hac. D.de in ius vocando venditor dicitur, qui retinet facultatem repræhendendæ rei alienatæ, id eſt ſuapte poteſtate ſaiſire, vt noſtri loquuntur.Bud.

Excipere,pro accipere,l.2.C.de prædiis & omn.reb.nauicul.lib.11. Excipere, excepta exponere, l.& eleganter. D.de dolo mal. Aliquando ſignificat deducere, l. furioſi. D.de petit.hæred. Quandoque recipere,l.3. D. ſeruit. vrb. prædio. Plerunque conuenire, D.locat.l. ſed addes.

Excipi nominatim,id eſt, poni ſeparatim, l.ob quæ vitia. §.animi.D.de ædil.edict. Sícque ſumitur pro nominatim cauere. Cice.ad Qu.fratrem lib.1.Nominatímque lex exciperet, vt ad templum, monimentúmque noſtrum capere liceret. Varro de re Ruſt.In emptionibus eo iure vtimur quod lex præſcripſit: alij enim plura, alij pauciora excipiunt. Hinc Excepta (inquit Budæus)dicuntur,quæ in fœderibus & in legibus cauta ſunt nominatim. Hinc,

EXCEPTIO, cautio illa ſeu pactio, in l.3.de reſcind. vend.l.pacta conuenta.72. D.de contr.emp.l.iuriſgentium.7.§.adeo.D.de pact,

EXCEPTVM, quandoque accipitur pro acceptum, in Prooemio Digeſt.§.in ſecundi anni.

Exceptæ perſonæ, l.5.§.fina.& l.15.& l.20. D.de leg. præſtand. intelliguntur parentes,liberi, vxor, nurus, cui dotis nomine legatur,l.j.D.eod.l j. C.de contra tab. apud

apud Vlpianum in Epito.titul.j. Sic etiam Exceptas perſonas accipere debemus cognatos, quibus per legem Furiam plus mille aſſes capere licebat. Vlpianus in eod.lib.titu.pen. Hinc Exceptos in l.7. D.ad leg. Iul.repet.accipi oportet cõſobrinos, propioriſve gradus cognatos.

EXCEPTIO, generale nomen eſt cuiuſcunque defenſionis, quoquo modo actioni obiectæ. Præſcriptio verò dicitur, quæ directè intentioni non aduerſatur, ſed ſolùm de ea limitat. Alciatus in tractatu de quinque pedum præſcription. Hanc ſic definit Vlpian.in l.2.D.de except.Exceptio dicta eſt quaſi quædam excluſio, quæ interponi actioni cuiuſque rei ſolet, ad excludendum id quod in intentionem condemnationémve deductum eſt. Excludendum autem dixit, pro eiiciendum & amputandum. nam Excipere proprie detrahere eſt: indéque dicta Exceptio eſt, quod partem aliquam de vniuerſo actoris iure detrahat. Hinc eius formula erat, Niſi ſi, vel Si non, vel Extra quam, quaſi defenſor aliqua ex parte veram eſſe actoris intentionem fateretur, ſed tamen cum exceptione. Hoc autem differt à Replicatione, quod hæc à parte actoris veniat: ita vt exceptio actorem excludat, replicatio reum, l.2.D.de except.

Exceptio eſt conditio, quæ modò eximit reum damnatione, modò minuit damnationem, l.exceptio. 22. D.eod.tit.

Exceptio in genere propoſita, nihil prodeſt: perinde eſt enim, ac ſi nulla propoſita fuiſſet, l.ſcire etiam. D.de excuſat.tutor.c.paſtoralis. de exceptio. Nam Exceptio generaliter propoſita, non poteſt poſtea declarari.Clement. Conſtitut.§.cæterùm.de electiõn.

Exceptio obſcura nullius eſt momenti, l.j.§.Labeo ſcribit.D.de fluminibus.l.Titiæ textores.in princip.D.de legat.j.Bartol.in l.j.D.de exceptionibus.Obſcurè excipere, eſt nihil excipere, arg.l.de ætate.§.nihil intereſt. C.de interrogatio. Exceptum non cenſetur in contractu id, quod non apparet, l.in lege fundi.D.de contrahend.emptio. Conuentio, ne vlla exceptio obiiciatur, nihil prodeſt, niſi ſpecialiter exprimantur omnia, l.ſed & ſiquis. §.quæſitum. D.ſi quis cautionibus.l. ſi quis mihi bona fide.§.iuſſus eius. D.de acquirend. hæreditat. Sub obtentu exceptionis non debet mora fieri, in detrimentum alterius, l.ſi qui libertatem. §. cùm quidam. D.de petition.hæreditat. Sicut intendens incompetentem actionem ſuccumbit, l.j. §.ideò autem.D.ſi menſ.fal.mod.dixer.Ita etiam qui ineptam exceptionem opponit, l.2.§.j.D.de dol.mal.& met.exceptio.l.j.§.Labeo ſcribit.D.de fluminibus. Bartol.in l. j.D.de except. Exceptionem qui non probat, in litis ſumptus damnandus eſt, cap.finem litibus.extra de dolo, & contumacia.

Exceptione omni maiores teſtes, quorum fides nulla ex cauſſa legitima poteſt eleuari, & qui communi hominum opinione reputantur boni viri. Quibus verò ſuſpicionis exceptio rectè opponatur, tradunt Iuriſconſulti, in l.2.& 3.de teſtibus.

Exceptiones ANNALES, atque miſtas, quas iuris Pontificij interpretes induxere, nos modò perpetuis, modò temporalibus accommodamus.

Exceptio ANNVA, l.30. §.ſi annua. D.de pecul.appellatur quæ domino competit poſt annum à manumiſſione alienationéve ſerui, l.j.in princi, D.quand.actio de pecul.eſt annal.

Exceptio ANOMALA eſt, quæ non ſequitur normam aliarum. quia poteſt opponi ante litis conteſtationem, & poſt, & in litis conteſtatione, vt exceptio excommunicationis, & aliæ: ſcilicet de quibus dubitatur, an ſint perpetuæ, an temporales: vt exceptio matrimonij, & exceptio non numeratæ pecuniæ, & non numeratæ dotis, vt not.Inſtit. de exception.§.appellantur. & plures aliæ, ſecundum Hoſtienſem, & Speculatorem eodem titulo: vt exceptio, quæ competit fideiuſſoribus, ex epiſtola diui Adriani contra creditores, vt not.Inſtit.de fideiuſſ.§.ſi plures.

Exceptio NON NVMERATÆ PECVNIÆ conceditur ei, qui quaſi ſtatim credituro ſtipulanti ſpopondit, iuréque ciuili obligatus eſt: NISI non numeratam fuiſſe pecuniam appareat. Eſt autem inſtituto Iuſtiniani biennis facta, l.in contractibus.C.de non nu. pecun.Hanc C.Harmenop. ἀναργυρίαν vocat.

Exceptio IN FACTVM appellatur, quæ in factum datur, comparatúrque, & plerunque loco exceptionis doli, l.14.§.eum qui. D.quod met.cauſſ. & alibi ſæpiſſime.& Inſti.de exceptio.in princ. vbi Theophylus ab eo in factum exceptionem appellari ſcribit, ὅτι δυνκ-μα]ικῶς ἀντιτίθε). Conceditur autem ei, qui errore inductus ſtipulanti promiſerat, & iure ciuili cõtra æquum & bonum obligatus fuerat. EXTRA QVAM EVM IVSTO ERRORE inductum ſtipulanti ſpopõdiſſe appareat: vt l.Iulianus.7.D.de doli except.

Exceptio INTENTIONIS, ex vi vocabuli nihil aliud eſt, quam actionis excluſio: ſiue hoc directè fiat, vt in coniecturali: ſiue ex obliquo, vt in iuridiciali ſtatu. Sub hac includi omnes peremptorias exceptiones, docet Zaſ.noſter enarrans l.qui ſe debere.de condict. cauſ.data cauſ.non ſecuta.

Exceptiones PERPETVÆ dictæ, quòd vt ſemper locum habent, ita in nulla litis parte euitari poterunt: quæq; ſemel obiectæ rem de qua agitur, hoc eſt, cauſſam principalem perimunt: vnde etiam peremptoriæ appellãtur: qualis eſt exceptio doli mali, rei iudicatæ, iuriſiurãdi, pacti cõuenti de non petendo perpetui, & id genus exceptiones agentibus nunquã non obſtãtes.

Exceptio DOLI MALI conceditur ei, qui cum dolo malo inductus, ſtipulanti promiſiſſet, iure ciuili obligatus erat. Eius formula erat hæc: NISI DOLO MALO inductum eum ſtipulanti promiſiſſe appareat, l.j. & paſs.D.de dol.& met.except.

Exceptio IVRISIVRANDI permittitur ei, qui actore iuſiurandũ deferente, iurauit ei ſe nihil debere: NISI APPAREAT eum deferente actore iuraſſe, ſe nihil debere, l.3.& 14.D.de iureiur.Item ei datur, qui petitore deferente, ſuam eſſe rem qua de in iure agebatur, iurauit, NISI APPAREAT eum petitore deferente rem ſuam eſſe iuraſſe, l.ſed & ſi poſſeſſori.D.eod.

Exceptio PACTI CONVENTI conceditur ei debitori, quo cum creditor de non petẽdo pactus erat, & qui tamen nihilominus iure ciuili obligatus manebat, l. iuriſgentium.D.de pact. NISI CREDITOREM de non petendo pactum fuiſſe appareat.

Exceptio REI IVDICATÆ conceditur ei, qui cum in iudicio eiuſdem rei quæ nunc ab ſe iterũ petitur cauſſam obtinuerit, denuo tamen in ius vocatus eſt: NISI REM illam, qua de agitur, iudicatam eſſe appareat, l.j. & paſs. D.de except.rei iudic.

Exceptio PRÆFESTINATIONIS dicitur, cùm quis ante tempus petit: quæ inter dilatorias connumeratur. Vnde mox à primo limite, id eſt, ante litem conteſtatam, eſt obiicienda.

Exceptio PRÆPOSTERATIONIS, genus eſt præiudicialium actionum earũ, quæ ita ſe contingunt, quòd ſequens iudicium premitur per ſententiam prioris iudicij, hoc eſt, iudicium quod ſequitur, eſt acceſſorium ad cauſſam, quæ primò eſt mota, ita quòd vtræque cauſſæ ſeſe contingunt. Exempli gratia, ego peto à te, quòd diuidas hæreditatem: tu contrà contendis, quòd nõ ſim hæres: quomodo ergo meam diuidas hæreditatem? Ecce hîc ſunt duo iudicia, ſcilicet diuiſorium hæreditatis, & an ſit hæres. Iſta duo iudicia ſeſe contingunt

contingunt,quia non poteſt diuidi hæreditas,niſi cum hærede:Ergo prius eſt,quòd declaretur hoc iudicium, an ſim hæres,vel non:quâ ſententia lata,tunc præiudicatur alteri petitioni:quia ſi ſum iudicatus hæres, meritò mecum diuides: ſi iudicatus ſum non eſſe hæres, rectè nihil diuides mecum. Extat hic caſus in l.2.famil.ercifcund. & dicitur exceptio, vel præiudicium præpoſterationis:& primum eſt genus præiudicialiũ, ratione contingentiæ. Vide Bartol.in l.fundum. D.de except.& præſcript.

Exceptio, QVOD METVS cauſſa,datur ei,qui cum metu adductus ſtipulanti promiſiſſet,iure quidem ciuili obligatus erat: prætori tamen propter iniquitatem & aſperitatem iuris ciuilis, dignus hoc præſidio videtur, l.j.& paſs.D.de dol.mal.& met.SI NON METV inductum ſtipulanti promiſiſſe appareat.

Exceptio REI VENDITÆ, & traditæ ei obiicitur, qui rem à ſe venditam,& traditam vindicat,atq; petit,toto tit.D.de excep.rei vendi.l.50.D.de actio.empt.Porrò apud Iuriſcoſs.frequens eſt hæc locutio,Exceptione poſita,l.30.l.48.l.65.D.de rei vindica.& alibi ſæpe.

Exceptiones TEMPORALES ſunt,quæ ad tempus ſolùm nocent: quare cùm actionem in tempus differre ſoleant,etiam dilatoriæ vocantur,apud Innocentium, tractatu de exceptio.vt eſt pacti conuenti temporalis, item iudicis incompetentis,& ea quæ aduerſus procuratorem competit:ſicuti Iuriſconſ. in l.exceptiones. de except.& poſt eum Iuſtinianus exponit.

Exceptio PROCVRATORIA, inquit Vlpianus, eſt exceptio qua reus dicit non licere procuratorio nomine agi:nec prorſus litem inficiatur, ſed perſonam euitat,l.2.§.3.D.de except.

EXCEPTIONVM FORMVLÆ.

EXTRA quàm ſi quid ita factum ſit, vti lege fieri licuit, l.j.§.Labeo. D.de fluminib.

Extrà quàm in reum capitis præiudicium fiat, Cic.lib.2. de Inuentio.

Si non vi,non clàm,non precario feceris, l.ſi vitem. D.quod vi,aut clàm.

Si in ea re nihil dolo malo actoris factum ſit,l.2. D.de dol.ma.met.except.

Si in ea re,qua de agitur, præiudicium hæreditati non fiat,l.j.D.famil.ercifc.

Si in ea re nihil metus cauſſa factum erit,l.4.§.vlti. D. de dol.except.

Si non voluntate creditoris fundus venerat,l.ſicut.D. quib.mo.pignus.

EXCEPTOR, qui dictata excipit,(qui & notarius vocatur,& ταχυγράφος, & ὀξυγράφος) l.in ſacris.C.de præpo.ſac.ſcrinio.l.19.§.cùm quidam. D.locat. vtitur & hoc verbo I.Firmicus lib.3. Matheſeos cap.6. & 11. & Auguſt.epiſt.152. Exceptores in ſcriniorum officiis ponuntur l.5.l.12. C.de proxi.ſac.ſcrinio.l.fin. C.de palati.ſacro.ſcrini.

EXCLVDERE gallinæ, vel aues dicuntur, cùm incubando pullum emittunt, aut procreant. Colum.lib.9. Quoniam aliæ melius excludant, aliæ editos pullos melius educent.

EXCLVDI tempore, eſt impediri, ne quis quid poſſit agere propter tempus, D.ad S.C.Trebell. l.ſi proponas.D.de inoffic.teſta.

EXCLVSIO, eſt exceptio,l.2.D.de except.

EX COHORTE principis,prouerbium, quo ſignificatur quem ad omnem nutum delegari.

EXCOMMVNICATOS nunc vocamus, quibus humanitatis ius viciſſitudóque officiorum interdicitur. Et ſicut, quos maiore execratione multandos eſſe Eccleſiaſtica auctoritas cenſuit,anathema appellant,ex eo, quòd in cippis expoſita eſt eorum deteſtatio, & proſcripta: ſic rebelles imperatoriæ cenſuræ, denuò excommunicari ſolent Bãno,vt vtar verbo vulgari, duplicato.Quam pœnam Romani olim interdictionem ignis & aquæ nuncupabant,mutuatam à Græcis,apud quos Draco Legiſlator,cum de cædibus ferret legem Athenienſibus, ſtatuit hominem homicidam, aqua ablutoria,libationibus,crateribus,ſacris,& foro arceri. Draconis lex extat apud Demoſthen. πρὸς λέπτ. quam ideo tulit, quò magis terribile peſtilénſque ſcelus videretur, hominem alterum alterius interemptorem eſſe. Hæc pœna erat proxima capitis ſupplicio, cum vſus ignis & aquæ interdiceretur, ſine quibus nec ortus hominis, nec vitæ progreſſus conſtare poſſit: quare & in nuptiis vtebantur, & Scæuola aquæ & ignis ſolennitatem pro nuptiis dixit, in l.pen. D.de donat.inter vir. & vxo. Draconis legem explicaui li.j. Veter.Iuriſprudentiæ.

EXCOMMVNICATIO, eſt extra communionem Eccleſiæ ſeparatio. Vel cenſura eccleſiaſtica, excludens aliquem à communione fidelium 11.q.3.ca.nihil. Excommunicationum autem genera duo ſunt: Maior & minor,ca.penul.de ſent.excommunicat. Excommunicationis verbo vtraque continetur, d.c.pen.aliquã-do minor tantum, cap.cum non ab homine. extra de iudic. Excommunicatio verò minor quî à maiore differat, docet Felinus Sand.in c.2.de except.

Excommunicatio eccleſiaſtica (quæ certè contemnenda non eſt, ſi fuerit iuſta, quoniam Chriſto auctore conſtat) cõtumaciæ pœna eſt maxima. Matth.18.Apoſtolus 2.Theſſal.3 & 1.Corinth.5.Cum huiuſmodi, inquit,ne cibum quidem capiatis. Apud Hebræos olim apoſynagogi dicebãtur,quaſi ſynagoga exacti, & extorres, propter contumaciam ſuam, vitandi ab omninibus,donec reſipiſcerent.

EX COMPOSITO, idem ſignificat, quod Compoſitò: quaſi dicas,dedita opera, & vt conuenerat inter eos, vt ſubaudiri videatur alius datiuus, Negocio: nempe, ex compoſito negotio. Ex diſpoſito, in ſimilem vſum dixiſſe Macrobium, Inſulanus obſeruauit.

EXCONSVL, Conſularis, qui à conſulatu diſceſſit, vt Exquæſtor, qui Quæſtura functus eſt, Quæſtorius, apud Iuſtinian.l.2. §.nos itaque. C.de nouo iu.enucl. Omne ſtudium Triboniano viro excelſo, magiſtro officiorum, exquæſtori noſtri ſacri palatij, & exconſuli credidimus, &c. & ſæpe in ead.lege. Dicitur & Exquæſtore & Exconſule.Imp.ad Anteceſſores: Tum per Tribonianum virum magnificum, magiſtrum & exquæſtore ſacri palatij noſtri, & exconſule. Idem epiſto.3.Pand.præfixa: Quæ omnia per virum excelſum, necnon prudentiſſimum magiſtrum exquæſtore & exconſule Tribonianum perfecta ſunt. Loquendi formula,inquit Holoander,ei ſeculo familiaris,pro Quæſtorio & conſulari viro:quo modo veteres Proconſule, & Salluſtius Promilite, & Cicero Proquæſtore vno verbo per omnes caſus & numeros dixerunt. Vide Crinit.de honeſt.diſcipl.lib.10. cap.pen. & Alciat.lib.4.Diſpunct.cap.3.

EX CONTINENTI, in l.7.§.j.D.de pact. hoc eſt, coniunctè, ac continuò, & vt alibi incontinenti. Solemus enim (inquit Vlpianus) dicere pacta conuenta ineſſe bonæ fidei iudiciis: ſed hoc ſic accipiendum eſt, vt ſi quidem ex cõtinenti pacta ſubſecuta ſunt, etiam ex parte actoris inſint: ex interuallo non inerunt. Sic l.j. D.ſi is qui teſt.lib. Continere verò ſignificat intra ſe tenere. Id autem fit cum paciſcentes in eadem adhuc tractatione contrahendi perſiſtunt, nec ad aliud negotium proceſſerunt, l.ſi ex duobus. in princip. D.de duob.reis conſti. l.continuus. in princip. D.de verbo. oblig.

oblig.aliquando his verbis, Excontinenti, triduum ſignificatur, vel, vt ait Albericus, pro intra triduum accipitur, l.2.C.de erro.calculi.

Excontrario apud Paulum, Scimus, ait, qui præſtare venditor debeat, quidque ex contrario emptor.

Excreſcere, & decreſcere aqua dicitur, l.j.D.de aqua pluuia.

Excubicularius, qui cubicularij munere functus eſt. Imp.l.13.de excuſ.libert.lib.10.C.Maximarum culmina dignitatum, Conſiſtoriani quoque comites, notarij etiam noſtri, & cubicularij omnes, atque excubicularij, ab omnibus ſordidis muneribus vindicentur. Item l.15.C.Th.de extraor.mun. Eodem ſenſu,

Excurator apud B.Auguſt.in reſcripto Imp.Conſtant.& Maximi.

Excubiæ, pro vigiliis rectè intelliguntur, in l.j.de offi. præf.Vig.ſunt enim & diurnæ. Vnde opinor hanc vocem apud Paulum abſolutè poni in l.qui excubias.de re mil. Vigiliæ enim tantummodò ſunt nocturnæ, ſi Vallæ credimus.

Excuriare, Curia excludere. Varro Hippocyone: Apollonium ideo excuriant, quia nihil habebat. Antiquum. Nonius. Hinc,

Excuriati, exterminatique apud Varronem & M. Tullium, pro iis, qui curia, terminíſque exactiſunt.

Excurrere id dicitur, quod ordinem, modúmve, id eſt, menſuram & numerum egreditur, in l.26.§.fin.D. depoſ. Item ex ratione patris veſtri decem & quod excurrit: id eſt decem aureos, & aliquot denarios, vel ſeſtertios. Summa enim excurrens Latinè dicitur, quã lingua vulgaris ruptam appellat. Sic Voluſius Macianus: Ingenioſiſſimè, inquit, cum ad denariũ ratio conficeretur, excurrentis æris nota inuenta eſt. Vide Bud. in Annot.in Pand.& Cuiac.Obſ.lib.j. cap.vlt.

Excuſare, propriè eſt obiectum crimen diluere. Tranſlatè tamẽ, in iure noſtro, eſt cauſſam afferre, per quam ſtetit, quò minus factum eſt, quod fieri, vel agi, præſtarive debuit, veluti ſi latrones, aut flumina impedimento fuerunt, ne ad diem à iudice dictum adeſſe poſſem. Excuſare item propriè dicitur, qui excuſat eũ, qui ipſe nec in ius venire, nec alium mittere poteſt, in ca.dilecti.de dolo, & contuma. Id quod fermè contingit in iudiciis criminalibus, vbi procurator nonnunquam admittitur, non vt verè interueniat, l.pen. D.de public.iudi.ſed magis, vt reum pro innocentia atque abſentia ſua excuſet, l.ſeruum.§.publicè. D.de procur. & Bartol.in Conſtit.ad reprimendum, quomod.in cri. læſ.maieſt.

Excuſat à legationibus numerus trium liberorum, l.j. C. de legation. A cæteris muneribus perſonalibus numerus quinque: ab omnibus muneribus numerus 16.l. ſemper. D.de iur.immun. ſic legẽdum in l.ſi quis decurio. C.de decur. atque in hunc modum Conſtantinus, ὁ ἔχων δεκαὲξ παῖδας, πάντων λειτουργημάτων ἀπαλλάττεται.

Excutere aliquem, eſt facultates eius diſcutere, & inquirere, vt ſciatur, an ſit ſoluẽdo, nécne, l.2. D.ſi quis omiſſ.cauſ.teſta.l.j.§.ſi inter.D.de magiſtr.conue. l.j.C. de reuoc.iis, quæ in frau.cred. Annæus Seneca libro j. de Beneficiis dicit, Inquirere infortunas alicuius. At l. 42.D.mandati, Excutere vires alicuius, effertur.

Excutere impenſam, id eſt, ſupputare quanti ſint impenſæ, l.60.§.mandaui. D.loca.

Excutere, id eſt, exigere, l.cum plures. §.mandaui. D.loc. Alberico. Tu rem expende.

Excuſſatus pro excuſſus dixit Paulus, l.46.§.6.D.de adminiſt.tuto.

Excuſſionis beneficium, quod eſt Nouæ Conſtitutionis Imp.Iuſtiniani, dicitur ideò, & quidem meritò, quòd bona debitoris, ad quẽ ea res principaliter pertinet, principiò ſint excutienda: experiundúmque an ſpes ſit conſequendi ab eo debiti.

Ἐξέρραϑῆ, Vlpianus l.3.§.5.D.de incend.ruin.naufrag.dici ſcribit de naue eiecta, à verbo ἐκβράζειν, quod eiicere, & expellere ſignificat. Hinc Heſychius ἐξεβράσθη, ait, ἐκβλήθη, ἀπερρίφη. Hinc θαλάσσης ἐκβράσματα, maris eiectamenta. Alij aliter legunt. Vide Anto.Auguſt. Emend.lib.4.cap.16.

Execrari lites, pro abhorrere à iudiciali ſtrepitu, in l.item ſi res.D.de alien.iud.mut.cauſ. Hæc enim, inquit Vlpian, verecundia, & cogitatio eius, qui lites execratur, non eſt vituperanda.

Execrandam prædam dicit Iuriſconſultus l.ne piſcatores.D.de incend.rui.naufr.

Execrabile eſt deteſtandum, abominandum, l.mo-uemur.C.de ſeruis exportand.

Execrabilis, odioſa, l.ex varia, C.de delato.

Exhedra, cella eſt in qua conſidetur ad colloquẽdum aut meridiandum, id eſt meridie dormiendum. Vlpia. l.ſi verò.5.§.interdum.D.de iis qui deiecer.vel effud. In eum oportet prætorem dare actionem ex cuius cubiculo vel exhedra deiectum eſt. Cic.lib.5.de Finib.pro conclaui, vbi Philoſophi diſputantes ſederent, vſurpat. Et lib.3.de Orat. Craſſum in lectulo in exhedra poſitum dormiẽtem facit. Non rectè igitur Accurſius in dicto Vlp.loco feneſtram interpretatur. Hodie etiã Exhedræ dici poſſunt, vt refert Bud.loco ſuprà citato, loca quæ in periſtyliis ſodalium canonicorũ, aut monachorum, id eſt clauſtris, vulgò capitula dicuntur.

Exemplum Cice.vocat, quod ad ſimilitudinem alterius verbotenus deſcriptum eſt: Ex literis, inquiens, quarum ad me exemplum miſiſti, Epiſtol.lib.3. Vlpianus in l.cæteræ. D.famil.erciſcund. Hæredem enim, inquit, exemplum debere dare: tabulas verò authenticas ipſum tenere, aut in ædem deponere, l.2.& l.11. D.de eden.Barbari Copiam appellant. Exemplum item ſolet dici, quod ſequamur aut vitemus. Exemplar, ex quo ſimile faciamus, auctore Feſto libr.5.Sed ſæpe cõfunduntur: vt pertineat vtrumque ad factum, quo doceamur. Cicero pro Muren. Domeſticum te habere dixiſti exemplum ad imitandum. Et rurſus: Ad imitandum verò tam mihi propoſitum exemplar illud eſt, quàm tibi. Bartol.etiam in l.Sempronius. D.de leg.2.aliam differentiam conſtituebat, quod exemplar eſt ſcriptura principalis, exemplũ ſcriptura inde ſumpta. Quod autem ad exemplar attinet, probatur ex Feſto. Exemplum verò pro vulgato *copia* ſumitur l.2.D. de eden.l.fi.D.quando appel.& alibi ſæpiſſimè. Exemplum quoque appellat Cicero, id quod rem venditurus oſtendit emptori.

Exemplum præterea accipitur pro pœna grauiore, quæ cæteris ſit documento ad emendationem. Claudius Saturninus in l.aut facta. D.de pœnis. Nonnunquam, ait, euenit, vt aliquorũ maleficiorum ſupplicia exacerbentur; quoties nimium multis perſonis graſſantibus, exemplo opus ſit. Hinc, Exemplum in aliquem fieri.

Exemplum denique accipitur, non autem exemplar, pro ſpecie argumentationis; cùm probatur aliquid ex ſimili facto, cum citatione auctoris, ſicut tractat l.non poſſunt.D.de legibus. Vnde prohibita ſunt exempla iudiciorum priuatorum, l.nemo Iudex. C.de ſenten.& interlocu.omnium iudi. Cùm non exemplis, inquit, Iuſtinianus, ſed legibus iudicandum eſt. Hanc tamen reſtringit Bart.Socinus in Tract.Fallentiarum tribus limitationibus, quas tibi perluſtrandas relinquo.

Exemplum pro conſequentiis ponitur, in l.j.D.de conſtit. principum. l.14. D.de legib. Exemplo perniacioſiſſimum, peſſimúmve. Et Exempli iniqui res, l.14.D.de lega.3.l.47.D.de iudic. Sic Exemplo malo, & peſſimo, l.j. ad S.C.Macedo. l.33. D.de re iudic.& his verbis.

Exemplo,& ad exemplum vtilis actio ſignificatur.l.13.§.ſi procurator.D.de actio.empt.l.16.& l.pen. D. de inſtitor.aliàs nudam ſimilitudinem ſignificant illa verba.l. 27.in fi.D.de dona.l.7.D.de inſtito.l.6.C.de inof.dona.

EXEMPLARIS ſubſtitutio,vide infrà Subſtitutio.

EXEMPLARIVM, ij,pro exemplo reperitur, teſte Valla libr.6.Vlp.in l.3.in fi.D.quemadmod.teſt.aperiant.Si in duobus exemplariis ſcriptum ſit teſtamentum.Sic habent Holoand.& Pand.Florent.

EX EMPTO verba aliquando pro contractu emptionis accipiuntur.l.ædiles aiunt.D.de ædilit.edict. Quandoque pro actione illa ciuili.l. iuſtiſſimè. §. proponitur. D.illo tit.

EX EO VINO formula,quid ſignificet,docet Iuriſcoſſ. D.de vino,triti.& oleo lega.l.ex eo.

EXEQVI propriè perficere & abſoluere ſonat. Plaut. Truculent.io. *nullam rem oportet aggredi doloſe, niſi aſtutè accurateque exequare.* Aliàs ſignificat declarare. Cicero Varroni: Occultiora habeo, quæ vix verbis exequi poſſum. Aliàs accipitur pro agere iudicati,formula in factum,vel officio iudicis. l.intra. & l.fi. D. de re iud.Nonnunquam paſſiuè vſurpatur,vt l.2. D. de re iud.Sed perrarò intra ſtatutum tempus ſententiæ exequentur.

Exequi,punire,& vlciſci.§.fi.Inſtit.de iis qui ſui,vel ali. iur.ſunt,& tunc ad magiſtratus, cognitoriſque perſonam refertur.l.2.D.de iis qui ſunt ſui. l.pen. D. de extraord.criminib.Tranquill.in Cæſare.c.67.

Exequi,pro conſequi,poni in l.2.C.famil.erciſc. putat.Albericus.

Exequi tranſlatitiè, eſt transferre pœnam in leuiorem communémque modum,qui ad illud delicti genus nõ multum pertineat.Vlpianus in l.j.D. de iur.patro. Patronorum querelas,ait,aduerſus libertos,Præſides audire: & non tranſlatitiè exequi debent.hoc eſt non promiſcuè,non vulgariter,non indifferenter, ſed pœna facto appoſita ſeu conuenienti.

EXECVTIO, id eſt, nuntiandi poteſtas. l. de pupillo. in prin.D.de op.nou. nunc. Executio defenſio. c.defenſionis. 87.diſtinct. Executio quandoque ponitur pro ſolutione.l.cẽtum Capuæ.D.de eo, quod cert. loc. Executio plus eſt,quàm cognitio, Alberico. l.à diuo Pio.D.de re iudic.

Executio,id eſt,actio iudicati,quam tertius (quod mirari poſſis) impedire poteſt,ratione intereſſe quod prætẽdit. Et dicitur vulgò iſte caſus contractionis: qui & cauſſa emergens adpellatur,vt Zaſ.indicauit.

Executio ſententiæ,nunc officio iudicis,nunc actione in factum fieri dicitur.l.intra.de re iud. vbi Bart. Quandoque & vtili actione.l.fi.eod. Eſt mixti imperij. l.iubere caueri.D.de iuriſd. De ſententiæ executione fuſiſſime Bart.l.ſi miles.D.eod.tit.

Executionem publicam habere dicuntur crimina, quæ publicè coërceri ſolent, & quorum nomine publica iudicia conſtituta ſunt,vt adparet ex collatione.l. 200. D.de verb.ſignifi.cum l. 11. in fi.D.de euict.& l.7.§. atqui.de iniur. Hinc Executores pœnarum.l. 37.D.de minorib.

EXECVTOR eſt,qui poſt ſententiam,inter partes audita omni,& diſcuſſa lite,prolatum rei iudicatæ vigorẽ ad effectum perducit.l.penul.C.de exec. rei iud.l.3.§.ſi executor.D.de neg.geſt.l.4.D.de adpellat.

Executores, publici iudicum miniſtri, quorum officium eſt,vt mandata & ſententias ad effectum perducant.l. executorem.C.de execut.rei iud.

Executores teſtamẽtarij,in c.2.de teſtam.lib.6.ſunt, quos teſtatores ipſi deputarunt ad exequendam voluntatis ſuæ poſtremam ordinationem.Et horum alij vniuerſales,alij verò particulares,vulgò dicuntur. Vniuerſales quidem executores ſunt, quando teſtator nullos ſcripſit hæredes in ſpeciem, ſed pauperes Chriſti inſtituit hæredes generaliter,vel aliquem locum pium: vel ſi vniuerſa bona ſua iuſſit per tales teſtamentarios executores diſtribui pauperibus,non inſtituendo hæredes.Et huiuſmodi executores habent nomen hæredum,& cenſentur omnib. modis hæredes.l. id quod pauperib.& l.ſi quis ad declinandam.C. de Epiſc.& cleric.Particulares verò executores ſunt, qui ſimul cũ aliis hæredibus in teſtamento ſcribuntur.frequenter enim fieri ſolet,vt teſtatores,inſtitutis hæredibus, deputent nihilominus aliquos ad executionem rerum ſuarum,quas in varias cauſſas relinquunt: fortè dubitantes de fide hæredis, vt in l.alio hærede.de alim.& ciba. leg. Dicuntur & Executores vltimarum voluntatum legitimi,quibus ſcilicet à lege tribuitur poteſtas vltimæ voluntatis defendendæ, quo minus interuertatur.Atque hi eadem ratione, qua publici iudicum miniſtri,dicti ſunt,quoniam iuſſa teſtatorum ad amuſſim exequuntur. Sæpe adpellantur fideicommiſſarij apud Bart.Itẽ diſtributores, diſpenſatores,apud Speculatorem.Quæ omnia tendunt eodem.Modò tamen memineris longam eſſe differentiam inter fideicommiſſarios,de quibus tractatur in tit.D.& C.de fideicõ. ac illos quorum munus nunc frequentatur in Germania. Vſus autem introduxit, vt compendio quodam loquendi dicamus iſtos executores vltimarum voluntatum,vno verbo,Teſtamentarios. Quæ phraſis perperam recepta eſt.

Executor dicitur & is qui de certo articulo cognoſcit.c. ſuper quæſtionum.Extra de offic.delegati.

Executoris adpellatione continetur delegatus. c. ſiquis contra.de for.competen.

EXERCERE,varias pro adiuncto verbo recipit ſignificationes. Dicimus enim Exercere argentariam.Inde Exercitores argentariæ menſæ.l.4.D.de edend. Exercere nauem.l.j.§.fin.& l.4.D.de exercito. Exercere pecunias.l.35.in fin.D.de hæred.inſtit. Et Exercere fœnus.l.49.D.de admi.tut. Exercere vectigalia.l.6. §.decurio.D. de Decurio.l.fin. D. de vi public.Cicero pro lege Manil.Quo, ait, tandem animo exiſtimatis, aut eos,qui vobis vectigalia pẽſitant,aut eos,qui exercent,atque exigunt.Cauponam, ſtabulum.l.5.in fin.D. de oblig.& actio.l.j.§.caupones.D.naut.caup.ſtab. Feras,id eſt agitare.l.62.§.j.D.de vſufruct. Poſſeſſiones.l. 12.D.de inſtru.inſtrum.leg.& Varro lib.j.de re Ruſtic. c.2. Exerceri etiam dicitur poſſeſſio,id eſt coli fundus:quo ſenſu ſumitur apud Virgilium in lib.Georgic. Exercere figlinas,harenarias, & argentofodinas.l.13. §.inde quæſitum.D.de vſufruct.Piſtrinum.D.de excuſ. tut.Litem,id eſt,perſequi.l.32.§.item ſi.D. de arbit.l.4. C.de reb.cred.Inde,Fideiuſſor de exercenda lite.l.8.§. poſt litem.D.de fideiuſſor. Sic Exercere prouocationem.l.2.§.ei quoque.D.de iudiciis.Actionem.l.j.C. de magiſtr.conuen.Cauſſas adpellationis.l.4.C.manda.Excuſationis.l.pen D.de excuſ.tut. Exercet cognitionem,qui eam perſequitur.l.j.D.ſi liber.ingen.

Exercere,eſt lucrũ facere,vt in Tit.D.de exercito. actio. Et profectò in omni re,etiam literaria,nulla eſt ad lucrum commodior via,quàm exercendi, & frequenter tractandi.

Exercere,punire.c.non omnis.5.q.5.

Exercere,petere.l.vt verborum.C.qui admitt.vel aperire viam petenti.

Exercere quæſtionem,pro torquere,& tortura afficere.

EXERCITOR eſt,qui tam nauim,quàm cauponam,aut ſtabulum exercet.Hunc definit Imper.§.j.Inſtitu.quod cum eo.hoc modo:Exercitor is appellatur, ad quem quotidianus nauis quæſtus pertinet.Alij ſic:

Exercitorem dicimus eum,ad quem obuentiones & reditus nauis omnes perueniunt,ſiue is dominus nauis ſit,

ſit,ſiue à domino nauim per auerſionem,recepto in ſe omni lucro & damno,conduxerit,vel ad tempus, vel in perpetuum.l.j.§.exercitorem. D. de exercitor. Nec refert,qui exercet,maſculus ſit,an mulier, paterfamilias,an filiusfamilias, an ſeruus. Sed ſi pupillus nauem exercet,exigitur tutoris auctoritas.

EXERCITVS, Vlpianus:Exercitum dicimus,non vnam cohortem, neque vnam alam, ſed numuros multos militum,&c.l.2.de his qui notan.infam. exercitus autem nomen ab exercitatione traxit.l.j.D.de milit.teſt.

EXERCITALIS,idem qui miles,vaſallus, feudatarius. Lombard.lib.j.tit.15.Siquis de exercitalibus ducē ſuum contempſerit,ad iuſtitiam faciendam. x x.ſol.duci ſuo & Regi componat.

EXERCITIO quæſtionum publicarum.l. j. D. de offic. eius cui mand.l.200.D.de verb.ſignifi.Sueton. in Iulio cap. 11. Et:

Exercitio iudicij.l.15.D.vt legati ſeu fideicommiſſi nomine caueatur.

EXFESTVCARE verbum ad feuda pertinet. ſignificat enim idem quod deueſtire: hoc eſt honorē alteri abrogare,aut ipſum abdicare.Otto Friſing.Chron.lib.7. c.34.At Eugenius Papa cum Romanis hoc tēpore pacem fecit,vt patritiatus dignitatem exfeſtucarent, & Præfectum in priſtinam dignitatem reciperēt.Fictum ex feſtuca videtur,quo verbo veteres Latini virgam, ſurculum,vindictam ſignificabant:eáque in ſeruorum manumiſſionibus vtebatur. Cum igitur Inueſtitura, feſtuca aut ſcipione tradendo fieret,Infeſtucare dictū eſt pro inueſtire, & Exfeſtucare pro deueſtire. Otto lib.Frid.j.c.8.Conditio pacis fuit, vt Bertolfus ducatū exfeſtucaret.

EXHAVSTA pars,legatis abſumpta.l.6.§.patronus.D.ſi quis omiſſ.cauſ.& tot.tit.ad leg.Falci.D.

EXHÆDRA, vide ſuprà Ἐξέδρα.

EXHÆREDARE, eſt eū qui futurus hæres eſſet, & ſuus hæreditate, ſuccedendi iure priuare. Itaque verbum hoc in ſuis tantum hæredibus vſurpatur: in extraneis res inepta eſt,inquit Paulus in l.quidā. 132. D. de verb. oblig. Fit autem exhæredatio omnis in teſtamento, vímque ſuam duntaxat poſt mortem teſtatoris habet. Abdicare verò,eſt familia eiicere: vt abdicatio nihil aliud ſit, quàm ignominioſa quædam emancipatio. Annotat tamē Hotom. impropriè & abuſiuè verbum hoc etiam ad eos transferri qui præteriti ſunt:non tātum filios,verumetiam agnatos.Cicero in Cluētiana: P.Ælij teſtamēto propinquus exhæredatus cum eſſet, hæres hic alienior inſtitutus eſt.Sic Cornificius lib.ad Herennium.4.Hæreditas aliqua obuenit? non poteſt dici:ſed etiam à neceſſariis omnibus exhæredatus eſt.

EXHÆREDATVS, hæreditate ritè priuatus.Non enim quæuis exhæredatio ſummouet filium à contra tabulas poſſeſſione, ſed quæ ritè facta:vt apud Vlpianū de bon.poſſeſſ.Vnde filiis querela ſæpe eſt de inoff.teſta. Atque,Exhæredatus filius videtur, non tantùm ſi ita dixerit pater, FILIVS EXHÆRES ESTO:ſed & ſi ita, ILLE FILIVS MEVS ALIENVS MEÆ SVBSTANTIÆ ESTO.l.3. C.de libr.præter. Quinctiam à matre,militéve præteriti pro exhæredatis habentur.l.47.§.fi.D.de bon.lib.

Exhæredatum facere.l.24.C. de legat.l.22.& l.24.C. de inoff.teſta.

EXHÆREDATIO,legis implet voluntatem:Præteritio ſecus.Illa ſolidat teſtamentum, iſta infirmat: Illa lege permittitur,iſta prohibetur, Salom.in l. Gallus.D.de liber.& poſthu.

Exhæredationis formula duplex eſt, aut nominatim, aut inter cæteros,Inſtitut.de exhæred.libe.& D.de libe.& poſthu.vide Nominatim,& inter cæteros.

Exhæredatio autem quædam notæ & iniuriæ cauſſa fit: quædam non notæ,ſed bono conſilio.l.18.D. de lib. & poſthu.l.12.§.ſi quis.& l.47.D.de bo.lib. Inde:

Exhæredationis nota.l.pen.D.de bono.poſſ.cont.tabu.

EXHÆRES,hæreditate priuatus,Ciceroni lib.de Orato. j.Res delata eſt ad Centumuiros, cum miles domum reueniſſet,egiſſétque lege in hæreditatem paternam teſtamento exhæres filius:id eſt præteritus.

EXHÆREDEM ſcribere.l.4.D.vnd.libe.

EXHIBERE, eſt facere in publico apud magiſtratum poteſtatem videndæ, & adprehendendæ rei, vt actor copiam eius habens,poſſit exequi actione,quod deſtinauit.l.2.D.ad exhib.& Gaius in l.plus eſt. D. de verb. ſignifi.Exhibere,inquit,eſt præſentiam corporis præbere.l.22.D.de verb. ſignific. atque ita differt à Reſtituere,vt idem Gaius refert.Reſtituere enim eſt poſſeſſorem facere,fructúſque reddere.Sic.l.246.D.eod.Exhibet, inquit Labeo, qui præſtat eius de quo agitur præſentiam.nam etiam qui ſiſtit, præſtat eius de quo agitur,præſentiam,nec tamen eum exhibet;&c.

Exhibere propriè eſt,extra ſecretū habere.l. 3. §. ait Prætor.D.de hom.lib.exhib.Sícque ſumitur in hoc interdicto pro in publicum producere, & videndi tangendíque hominis facultatem præbere. Vſus autem exhibitionis latiſſimè patet. Et id propriè ad res mobiles pertinet.Transfertur tamē & ad res incorporales: vt, exhibere negotium, hoc eſt, moleſtiā. Exhibere amicitiam:Exhibere doctrinam.

Exhibere actionem,mādare actionem, cedere actionem alicui.l.qui iniuriæ.§. qui alienis.D. de furt. Dicimus etiam cedere actioni,trāsferre actionem ad aliquem. Gaius in l.quod ſæpe.§. ſi res vendita, D. de contrah. empt.

Exhiberi,pro,per gratiam relaxari, in l.ad beſtias. D. de pœnis.nec rectè interpretari, nec inde colligi poſſe alleuiationem pœnæ, oſtendit Alciatus. c. 28.ſecundi Parergωn.

Exhibere diligentiam.l. 2. D. de pericul, & commod. rei vend.Negligentiam.l.10.D.de compenſat. Fidem.l.23. C.fam.erciſc.l.6.C.commun. vtr.iud. Exhiberi culpa, id eſt,præſtari.l.3.§.nunc videndum.D.commodati.

Exhibere pro probare.l.j.C.de ædilit.act.

Exhibere eſt alere & educare.l.j. D. de offic. præf.vrb.l.5. D.de lib.agno.l.fi.D.de in rem verſo.Sine quibus aut ſe tueri,aut ſeruos paternos exhibere non potuiſſet. Sic.l.ſi pro patre.§.ſi domini.D.eod. exhibere familiā. Scæuola in l.creditor.§.ſi inter maritum.D. mand.Vt, onus exhibendæ vxoris ad maritum rediret. Hinc:

Exhibere cibum & potum.l.j.§.j. D. de muner. & honor. Vtitur & hoc verbo in hanc ſententiam Tertull.libr. de idolol. Hinc:

EXHIBITIO ponitur pro nutritione & alimentis.l.26. §.fi.D.quando dies leg.l.j.§.non autem.D.de exercito. Sic l.cum poſt diuortium.§.in domum abſentis.D.de iur.dot.ad exhibitionem vxoris promiſſas vſuras, reuerſus vir improbe petit.

EXHIBENS tardiùs, cenſetur non exhibere. l. Iulianus ſcribit.§.vlt.D.ad exhibend.

EXHIBENDVS, id eſt,procurandus.c. cùm amplius extra de teſtib.

EXHIBITIO, pro deguſtatione, apud Vlpian. in l.3. de opt.vel elect. leg.

Exhibitionis,& deductionis onus.l.3,& l.5. C. de aduocat. diuerſ.iud. Forte exhibendarum angariarum munus ſignificatur. l. vnica. C. ſumptus iniunct. muneris ad om.colleg.pertinere.

EXHIBITORIVS, adiectiuum Vlpian.in l.deinde. D. de libr.exhib. Superiora interdicta exhibitoria ſunt, id eſt pertinentia ad exhibitionem liberorum, cæterorúmque,de quibus ſupra diximus.

EXIGERE, ab ex & ago,pro eiicere,expellere. Exigere alias

alias eſt debitum petere, vt exigere pecuniam. Et exactores, qui exigunt. C. de exacto. tributo. aliàs & propriiſſimè is exegiſſe dicitur, qui id recepit, quod inſtituta actione petebat: vnde exigere ab inuito accipitur. l. fideicommiſſa. §. ſi rem. D. de leg. 3. quandoque à ſponte ſoluente. l. falſus. C. de furtis. Vide Alciatum. l. verbum exactæ. D. de verb. ſignific.

EXACTA pecunia intelligitur, quæ perſoluta eſt. ſiue. n. volens, ſiue inuitus debitor dederit, ſoluiſſe dicitur. Alciato. Atque Exactæ pecuniæ verbum non ſolùm ad ſolutionem referri, ſed & ad delegationem. l. verbum. 187. D. de verb. ſignific.

Exacta, finita. l. 2. C. de teſta. militari.

Exacta, id eſt tranſacta. l. ſi quis tutor. D. de ritu nupt.

EXACTIO, ab inuito extortio. Quandoque pro vindicatione. l. aſſiſtere. C. de anno. & trib. Pro probatione. l. procurator. C. de edendo.

Exactionem, quæ paſſim imponitur, Barbari nominant talias, collectas, procurationes, præſtantias: Tributum autem vno nomine debet adpellari, vt exemplis Inſulan. in obſerua. oſtendit. Quod verò à Iuriſcoſſ. Exactio, etiam nominatur Angaria, Græca hæc vox eſt ſignificans exactionem ſiue coactionem.

EXACTOR, Græcis ἀπαιτῶν, tributorum petitor. l. 2. C. de exacto. tribut.

EXIGVIORES nummi. l. nummis. D. de leg. 3. diſces ex d. l. 3. id eſt minores.

EXILIVM ab ex, & ſolum factum verbum ſignificant Feſtus, Nonius, & Seruius, quaſi extra ſolū. Hinc Exules dicuntur, ſolo patriæ pulſi: vel quaſi extra ſolum: vel tanquam extra ſolum miſſi, aut extra ſolum vagi. Quicunque ergo ſiue ſua ſponte, ſiue pœnæ, ignominiæve cauſſa extra ſolum ſuum habitāt, Exules dicuntur: quorum tria genera repeciuntur, Interdicti ſcilicet, alij Relegati, alij Deportati. quæ vide ſuis locis. Notandum tamen Exilij verbum plerunque confundi & permiſceri. Cum enim generale ſit, tamen ad deportationis ſpeciem plerunque & quaſi propriè reuocatur, & à relegatione remouetur, vt in l. 2. D. de pœn. Capitalia, inquit, iudicia ſunt, in quibus pœna mors aut exiliū eſt, hoc eſt aquæ & ignis interdictio. per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate. nam cætera, non exilia, ſed relegationes propriæ dicuntur. tunc enim ciuitas retinetur. Ita etiam diſtinxit Ouid. lib. Triſt. 2. item 5.

Ipſe relegati, non exulis vtitur in me Nomine.

Nomen igitur exilij, quod generale eſt, plerunque ad ſpeciem deportationis ita contrahitur, vt de ea ſola intelligatur. Marcianus autem in l. 5. de interd. ad ſolā interdictionem & relegationem contraxit. Vbi cum dixiſſet, exilium eſſe triplex, tamen duplex duntaxat ponit, ſpeciémque pro genere conſtituit. Scire autem oportet, diſſimillimam fuiſſe ſtante Rep. rationē exilij, quàm poſtremis temporibus fuerit. Nam (vt Cicero ſcribit in orat. pro Cæcinna) exilium non ſupplicium erat, ſed perfugium, portúſque ſupplicij, nam qui volebant pœnam aliquam ſubterfugere, aut calamitatem, ſolum vertebant, hoc eſt ſedem ac locū mutabant. Itaque nulla, inquit, in lege noſtra reperietur, vt apud cæteras ciuitates, maleficium vllum exilio eſſe multatum. ſed cum homines vincula, ignominiáſque vitant, quæ ſunt legibus cōſtitutæ, confugiunt quaſi ad aram, in exilium: qui ſi in ciuitate legis vim ſubire vellent, non prius ciuitatem quam vitam amitterent, qui nolunt, non adimitur his ciuitas, ſed ab his relinquitur atque deponitur nam cum ex noſtro iure duarum ciuitatum eſſe nemo poſſit, tum amittitur hæc ciuitas denique, cum is qui profugit, receptus eſt in exilium, hoc eſt in aliam ciuitatem. Sic Cæſar in Orat. de coniuratis apud Salluſt. Eodem illo tempore maiores noſtri Græciæ morem imitati verberibus animaduertebant in ciues: de condemnatis ſummum ſupplicium ſumebant. Poſt autem lex Porcia, aliæque leges paratæ ſunt, quibus legib. exilium damnatis permiſſum eſt. Polyb. in eandem ſententiam lib. 6. & Cicero in Orat. pro domo ſua: Scire autem illud oportet, moris tum fuiſſe, vt quibus ciuitas lege adimeretur, iis non exilium nominatim irrogaretur, ſed aqua & igni interdiceretur, vt docet Hotom. in Comment. orationis pro Cæcinna: vt dubitare nemo debeat, cum exilio damnatum aliquem per id tempus legitimus, quin de aquæ & ignis interdictione intelligendum id ſit de exilio, itémque eius duobus generibus, legitimo ſcilicet & voluntario, & eorum ſpeciebus vide fuſiſſime diſputantem Manutium in libro de legibus Romanis.

Exilium triplex exponit Marcellus, aut certi loci, aut latæ fugæ, aut inſularis vinculi. l. 5. de inter. & releg. tametſi, Budæi iudicio, locum illum corruptum eſſe cenſentis, illa diſtinctio elici non poſſit. Vide Interdicti. Sic etiam Exilium triplex ponit Archidia. c. cùm beatus. 45. diſtinct.

Exilium voluntarium, quod quis ſua voluntate adſumit. l. aut facta. vbi Bud. D. de pœnis. Exilium aut temporarium, aut perpetuum eſt. l. fi. D. de iniur. l. 13. D. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.

EXVL, ſolo patrio expulſus. Quintil. Declamat. 366. Feſt. libr. 5.

EX ILLO DOLIO amphoras decem, formula quid ſignificet, docet Iuriſcoſ. l. ſi quis ſeruum. D. de leg. 2.

EX IVRE MANV CONSERTVM vocari, priſci Iuriſcoſſ. dicebant aliquem, cui lis intendebatur. Metaphora ſumpta à bellis, in quibus manus conſerere dicuntur, qui comminus confligunt. Terent. Varroni libro de lingua Latina. 5. Vide Conſerere manus.

EXIMERE, differt ab eripere: hoc enim eſt de manibus auferre raptum: illud quodam modo auferre, vel alia ratione impedire, & moram facere, quò minus in ius vocatus veniat, & ſe iudicio ſiſtat. l. ſed eximendi. D. ne quis eum, qui in ius vocab. vi exim.

Eximere diem, eſt prolongare: vt Cato diem dicēdo eximebat, id eſt, prælonga oratione cenſendi tempus cōſumebat de induſtria. Sic eximere actionem dixit Vlpian. cùm per dilationem effectum eſt, vt iam agi lege non poſſet.

EXIMI de reis dicitur, cuius nomen cum ipſe in reos relatus eſſet, delatum eſt l. 11. D. de accuſ. Cicero Verrina. 4. ſignificat accuſatore abſente id etiam fieri: Quo tempore, inquit omnis illa mea feſtinatio fuit cum periculo capitis, ob eam cauſſam ne ex reis eximerere, ſi ego ad diem non affuiſſem.

EXIMENDÆ cretæ, lapidis ius. l. 5. & 6. D. de ſeruit. ruſtic. Eximere ſaxum. l. 6. C. de donat.

EXEMPTA actio dicitur quæ intendi poſſe deſiit. l. ſed & ſi. §. actio. D. ex quib. cauſ. maio.

EXEMPTIO apud Pontificios eſt vbi aliqua conuentualis eccleſia canniocorū ſæculariū, vel regularium: monachorum, vel monialium immediatè ſubeſt Papæ. Huius genera duo ſunt: vniuerſalis, quæ cum vniuerſitate iuris ad Papam ſpectat, ita vt nec metropolitano, vel diœceſano iuris quidquam maneat in eadem. Particularis quæ pro parte certis caſibus ab eorū iuriſdictione eximitur: vide. c. cùm perſonæ. vbi interpretes. de priuileg. lib. 6.

EXEMPTILE dicitur quod eximi poteſt. l. argumento. §. pen. D. de aur. & argent. leg.

EXINANIRE, ab ex & inanire; eleganter accipitur, pro attenuare, ſeu minoris efficere. Exinanire legatis, donationib. hoc eſt, euacuare, attenuare, & ad nihilū patrimonium redigere. l. j. & 3. C. de inoffic. donat.

Exinaniri feudum dicitur, lib. Feud. j. tit. 15. §. 1. quod deſe-

ritur,& euaneſcit,& cuius conſtitutio irrita & inanis eſt.

Exinanitio, euacuatio.c. ad apoſtolicam. de re iud. lib.6.vbi Archid.

Ex integro, id eſt, de integro.

Ἐξισωταὶ, vide Peræquatores.

Exisse è poteſtate dicuntur, apud Cicer. inſani, furioſi, iracundi, qui à mente excidiſſent, & qui ſpreta ratione, cupiditatum arbitrio præcipites ferebantur. Formula ſermonis detorta videtur à Iuriſconſultis: apud quos filij ex iuſtis nuptiis procreati, dicuntur eſſe in poteſtate parentum: niſi emancipentur, aut niſi pater moriatur. Qui verò furioſi erant, agnatorum & gentilium poteſtati permittebantur, & domini rerum ſuarum eſſe vetabantur: itaque exierant è poteſtate ſua. Rurſus emancipati dicuntur exiſſe de poteſtate parentum.

Exiſſe actionis dies dicuntur. l.j. D. ex quib. cauſ. maior. quoties agendi poteſtas eximitur.

Existere conditio propriè dicitur, quando mora amplius dilui non poteſt.

Exiſtere hæredes ad ſuos pertinet, quòd adpareant, & naſcantur, non fiant. l.14. D. de ſuis, & legit. & alibi ſæpiſſimè.

Exiſtere, operari eſt, & efficere: qui eſt ſignatus modus loquendi elegantiæ Iuriſconſultorum dignus, vt dixit Zaſius in gl. nouis. in l. in ratione. D. ad l. Falcidiam.

Existimatio, eſt dignitatis illæſæ ſtatus, legibus, ac moribus comprobatus: quæ ex delicto noſtro auctoritate Legum, aut minuitur, aut conſumitur, auctore Calliſtr. l. cognitionum. de extraord. cog. Exiſtimatio etiã pro fama accipitur: quia ſcilicet, fama ex vulgi iudicio, & exiſtimatione naſcitur. l. teſtium. D. de teſtib.

Exiſtimatio, aliàs eſt iudicium, & arbitratus. Nam exiſtimatio ab Æſtimatione proficiſcitur: cùm rebus æſtimatis, hoc eſt, perpenſis, & excuſſis, poſtea iudicamus, & arbitramur.

Exiſtimationis cauſſa, (ſic enim legi debet in l. ſi in duabus. 104. D. de diuerſ. reg. iur. non vt in vulgaribus, æſtimationis) quæ ad famam pertinet, quæve infamiæ notam inurit. P. Decio, & Pet. Fabro interpretibus.

Exiſtimationem lædere, & notare. l.1. D. de iis qui notan. infa. & alibi conſeruare. l.13. §. prætor. D. de iis qui noinfa. Purgare. l.j. D. de iniur.

Exiſtimatione integra, & illæſa, l.25. de procur. D. quod H. Modeſtino dicitur, μένοντος τῆς ἐπιτιμίας. l. 21. D. de tutor. dat.

Exmagister. l. j. C. Th. de ann. & tribut. & in tit. C. de nouo. C. fac eadem forma quã Exconſul.

Exnatis gregem ſupplere, id eſt, in locum capitum defunctorum, vel inutilium alia ſubmittere, vt dicunt Vlpia. & Pomponius. l. vetus. & ſequẽt. D. de vſufruct.

Ex nunc verbum & includit, & excludit. c. frequens. de reſtit. ſpol. in 6. Si hæc verba adponãtur in ſententia excommunicationis, nõ eſt neceſſe adiicere, prout extunc, Clem. j. de ſepult. nam trahitur ad diem conditionis. Innoc. c. præterea. de adpellat.

Exnunc prout extunc, & Extunc prout ex nunc, frequens Pragmaticis formula, qua ſignificatur extremitatem temporis trahi ad initium, & finem trahi ad extremitatem. Accurſio. l. j. C. de edendo. Bart. l. ita ſtipulatus *La grande*. de verb. oblig. Bart. l. de pupillo. §. ſi plurium. D. de no. oper. nuntiat.

Ex non scripto, ſine libello interpretatur Albericus in §. ſi tibi ſtudium. de mandat. princip. in Authẽ. Aliter ſumitur in §. ex non ſcripto. Inſtit. de iure natu. genti. & ciuili.

Exolere, pro deficere, ac vetuſtate quadã euaneſcere. l.2. ex actis. D. de orig. iur.

Exorbitantia, Zaſius interpretatur, quæ ſunt extralimitanea, quæ ſunt irregularia, quæve ſunt enormata, & propemodum abſurda. De his valde notabilis doctrina per Angel. tractatur in l. quinque. §. parentes. D. de in ius voc. Quòd quantumcunque ſint exorbitantia aliqua, tamen propter honeſtatis rationem fit extenſio etiam ad caſum improprium. Sanè egregia limitatio ad id, quod per manus traditur, in exorbitantibus non fieri extenſionem.

Exorcizare dicuntur, qui per diuina ſpiritum immundum expellunt. vide Auguſt. in lib. de beata vita. hoc Græci ἐξορκίζειν dicunt, Latini adiurare, quod & Albericus indicat (apud quem pro adiurare legitur adiuuare) de quo verb. c. ſanè paruuli. de conſec. diſt. 4. & 79. diſtinct. c. ſi. Cui muneri in eccleſia qui præerant, Exorciſtæ vocabantur. l.6. C. de epiſc. & cleric. l.121. C. Th. de decurio. Iſidor. lib. 8. Etymolog. c. 12. Hoc verbo vtitur etiam Vlpian. l. j. D. de extraord. cognit. Non tamen ſi incantauit, ſi imprecatus eſt, ſi (vt vulgari verbo impoſtorum vtar) exorciſauit. non ſunt iſta medicinæ genera, tametſi ſint qui hos ſibi profuiſſe cum prædicatione affirment, Talium autem imprecationum, quibus morbi expelli credebãtur, meminit Plin. lib. 28. c. 2.

Exorcistæ ex Græco in Latinum, adiurantes. Inuocant enim ſuper cathecumenos, vel ſuper eos qui habent ſpiritum immundum, nomen domini IESV, adiurantes per eum, vt egrediatur ab eis. c. j. 25. diſtinct. c. exorciſta. 23. diſtinct. Horum aut ſimilium meminit Lucas in Act. Apoſt. c. 19.

Ἐξωσταὶ, in l. meniana. C. de ædific. priuat. ſunt proiectiones, ſeu Meniana quod nomen trahitur ἀπὸ τοῦ ἐξωθεῖσθαι id eſt expellere & proiicere. Hanc dictionem ſic reſtituit Cuiacius, cum alij κρόσσας, alij τειχιστὰς, alij σκιάδας, alij ὀροσδύγας, alij ὄρθας legant.

Expatritius. l.3. C. vbi ſenatus vel clariſſ. eadẽ forma qua Exconſul.

Expedio, is, ire, propriè eſt, inquit Donatus, pedem retentum liberare. At Expediri in §. item pretium. Inſtit. de emptione & ven. Accurſius exponit, id eſt cognoſci. Verius tamen eſt, vt pro explicari, exerceri, celebrari accipiatur.

Expedire rationes, vide Conturbare rationes.

Expediat, id eſt, conueniat, vel oporteat. c. cùm expediat. de electio. lib. 6.

Expeditum, Vlpianus in l. contra. §. ſi filius. de pactis, venuſtè accipit, pro certo, explanato, declarato, deciſo. Quod & ipſum non eſt expeditum. Idem in l.2. rem pup. ſal. fore. non expeditam emptionem, pro difficili, & ea quæ citò fieri non poteſt. Sic expeditiſſimũ, pro certiſſimo & indubitato, Gaius dixit in l. in venditione. §. ſi. de bon. aut. iud. poſſ.

Expeditio, propriè profectio cum expeditis militibus. Salluſt. in Iugurtha: Marius interea exercitu in tabernaculis compoſito, cum expeditis cohortibus, & parte equitatus proficiſcitur in loca ſola. Et paulò poſt de eodem loquens: Pauidi ſine decore ad Syllam profugiunt, quem Conſul in expeditionem proficiſcens, Proprætorem reliquerat. Imp. tamen pro caſtris poſuit in princip. tit. De milit. teſt. vbi teſtamentorum leges non exigit ab his qui in expeditionibus occupati ſunt. nam in §.4. Quatenus, inquit, militãt, & in caſtris degunt.

Expellere & Repellere, non debet intelligi de [illegible]mis priuatis, & de facto, ſed de publica executione, & de iure, teſte Iuſtiniano in proœmio Inſtit. qui ait, Sed etiã per legitimos tramites calũniantium iniquitates expellat. Et hinc doct. quidam falſò tradunt in certis ſpeciebus permitti priuatim expellendi facultatem.

Expensæ dictæ ſunt, inquit Plin. libr. 33. c. 3. ab antiquo adpendẽdarum pecuniarum more. ſumptus ſunt voluntarij:

luntarij:& non neceſſarij.Impenſæ verò ſunt vtiles,& neceſſariæ.Expenſæ autem debentur variis ex cauſis: aliàs ex victoria totius cauſſæ,de quibus tractatur in l. properandum.§.ſin autem alterutra.C. de iud.& in c. calumniam.de pœnis.Aliàs ex contumacia aduerſarij: quarum fit mentio in l.ſancimus.C.de iud.& in c.delecti.de dolo & contumac.Aliàs ex culpa aduerſarij, qui proceſſum cauſſæ differt, vt eſt conſtitutum in l. non ignoretis.C.de fructi.& liti.expenſ. & in c.finem litibus.de dol.& contuma. Aliàs ex temeritate eius, qui alium ſine actione in ius traxerit,vt in l.eum quem temerè.in princ.de iud.& c.j.de dol.& contum.lib.6.

Expenſæ.Nemo qui vltra ſubſtantiæ ſuæ modum ſumptus facit,æquo animo ferendus.Nouell.Vt determi.ſit numer.cler.§.ex omni igitur.Conſtit.3. non oportet vndique ad ſumptus poſſeſſiones conquirere, (nam id inſatiabili cuidam auaritiæ ſimul, & impietati proximum eſt)ſed ex moderatis facultatibus ſumptū temperare ibid.

EXPENSARE, expenſum ferre in conficiendis rationibus.Legitur hoc verbum apud Scæuolam. l. Thais.41. §.libertatem.D.de fideicō.lib.Poſt mortem teſtatoris tutores Cupito exactionem commiſerunt,iſque nummos redactos expenſauit eiſdem tutoribus.

EXPENSVM ferre,eſt ſcribere ſe pecuniam dediſſe, inquit Aſconius:vt cum per ſingula expēſi nomina ſummam quandā expenſam aſcribimus. Vlpianus ad S C. Trebellia.l.mulier.Dicēdum eſt potiùs, fructibus hoc expenſum ferendum, quàm fideicommiſſo. Obſeruādum autem,quòd non ſolùm de pecunia,ſed etiam de aliis operibus dicitur.Marcel.ad leg.Iul.repetund.l.lex Iulia.Illud quoque cauetur, ne expenſum ferat opus publicum faciendum, frumentum publicè dandum, præbendum,appendendum(ſic enim legi vult Turn.) ſarta tecta tuenda,antè quàm perfecta, probata, præſtita lege erunt.Iauol.de ſupel.leg.l. qui veſtem communem omnem,& res plurium generum ſupellectili ferre ſolitus erat. Scæuola, quæ in fraud.l. pupillus. Creditores negligentiæ expenſum ferre debent. Sic Plinius lib.2.c.7.cortunæ omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium ſola vtranque paginam facit.l.Id eſt, Quicquid lucri aut damni, quaſi expenſi aut accepti, mortales faciunt, omnia fortunæ adſcribunt.

EXPERIRI, vel Experiri ius,eſt actionem intendere in iudicio.Paul.l.j.de in ius voc.In ius,ait, vocare, eſt iuris experiundi cauſſa vocare.Idem alibi citans verba edicti prætorij in eum,qui vi rapuit:Primo,inquit, anno quo experiundi poteſtas fuit in duplum,poſt annū in ſimplum actionem dabo. Atque huius ſignificatio inde ſumpta videtur, quòd qui rem aliquam iudicio petunt,ij quod iuris ſe habere ad eam rem petendam arbitrantur,id ad iudices,tentādi & experiundi cauſſa,exponunt.Liuius lib.50.Prætor,inquit,L. Petilio dixit,ſeſe eos libros in ignem coniecturum eſſe.priuſquā id faceret,ſe ei permittere,vti, ſi quod ſeu ius,ſeu auxilium ſe habere ad eos libros repetēdos exiſtimaret,experiretur:id integra ſua gratia facturum.

Experiri intra parietes Ciceroni, eſt permittere rem diſceptandam inter amicos extra iudicium,& cancellos forenſes:vulgus amicabiliter componere dicit.

Experiri pro defendere ponitur in c.j.de iudiciis.in antiquis.& ibi hoc adnotat Bernardus.Actionem tamē intendere ſonat.c.paſtoralis.de cauſſ.poſſ.& proprie.

EXPERIENS pro experto.l. ex aula. C. de priuil.eo.qui in ſac.palat.milit.

EXPERTVS, experientia doctus. cap.vt conſtitueretur. 50.diſtinct.

EXPERS, immunis.l.j.C.de ſecund.nupt.

EXPERTES, qui nullam experiētiam habent. C. de tut. & cur.illuſt.perſo.l.j.

EXPETERE, petere.l.damus.C.de falſis. Expetere ius alicuius,curare,vt alicui fiat ius.

EXPILARE, furtiuè fraudare.Inde apud Iuriſcoſſ. titulus eſt,De crimine expilatæ hæreditatis. Et qui alienā hæreditatem expilauerit,extraordinariè ſolet coërceri.Quidam autem dictum volunt à pilis Romanorum telis:alij à Græco πιλῶ, quaſi ὀπιλῶ, id eſt cōplano:quòd qui aut è facie pilos,aut è domo ſupellectilem detrahunt,æquare ac complanare omnia videantur.

EXPILATORES, qui ſunt atrociores fures, hoc eſt, χωποδύται,& qui, vt inquit Aſconius ne pilum quidē in ſpoliatorū corporibus relinquunt, de quib. Vlpianus.l.j.D.de effractoribus & expilatoribus.

EXPIRARE, pro perire poſuit Iuriſcoſſ. l.j.§.fin.D. de req.reis: καταφορικῶς pro decîdit,& tranſfluit.

EXPLANARE, interpretari. Hinc:

EXPLANATORES Ciceroni,qui rem exponunt.

EXPLICARE pecuniam,quod Græci πορίσασθαι, Latini curare.Calliſtratus.l.31.D. de re iud.Si qui tamen per contumaciam magis,quàm quia non poſſunt explicare pecuniam, differant ſolutionem. Id eſt, in promptu non habeant.

EXPLICARI, id eſt,decidi res non poteſt citra adiudicationes & condemnationes,auctor Paul. de procur. l.licet.§.ſi plures.

EXPLICATIO, eſt allegatio infirmās ſupplicationem. Et eſt pro actore contra reum. Replicatio, allegatio eſt contra exceptionem. Supplicatio verò, allegatio eſt,quæ replicationem infirmat,& reum adiuuat.

EXPLICITE, non eſt diſtinctè & apertè, vt Canoniſtæ vſurpant(hoc enim explicatè ſignificat) ſed expeditius & celerius denotat.

Explicitè,id eſt abſolutè.l.j.in princ.D.ad S C.Trebell.

EXPLORATA fides,pro perſpecta & certò cognita.l. vnic.de offic.præfect.Prætor.D.

EXPLORATORES, qui ſecreta nuntiant hoſtibus.l.6. §.exploratores.D.de re milita.l.38. D.de pœnis. Vide Sudam in verbo Ἐξπλοράτωρ.

EXPOLIATI Zaſio eleganti figura dicuntur, qui ſunt priuati,qui iacturam in bonis paſſi ſunt.Ita Iuriſconſ. in l.j.D.de don.int.vir. & vxo.dicit, donationem eſſe prohibitam inter coniuges, ne ſe mutuo amore ſpoliarent.Sic in l.2.de bon.dam.is qui detruditur in carcerem propter crimen,non debet ſpoliari bonis antè, quàm feratur ſentētia.Spoliari,id eſt,priuari. Et quod Iuſtinia.in §.compēſationes. Inſt.de act.dicit, Expoliatum bonis,Iuriſc.in l.fi.ad fi.de his quæ in fraud. dicit,Exutum bonis:vt paria ſint, Exui bonis, & expoliari bonis,id eſt iacturam bonorum pati. Vnde interpretes dicti.§.compenſationes.verbi Expoliatus elegantiam non intelligentes,alienum,ridiculū,& planè impium ſenſum inuexerunt.

EXPONERE cautionem, epiſtolámque dicimus, pro cauere & emittere epiſtolam.l.25.ad fi.D.de probat.l. fi.D.de conſtit.pecun.

Exponi dicuntur infantes,ſerui,liberti,& languidi, ſi ſine cura dimittuntur,vel eis alimenta negantur à parentibus, à dominis,vel à patronis: aut vt à prætereuntibus ſuſciperentur,aut inedia perirent.Vnde Donatus: Exponere inquit,eſt morti tradere, & obiicere.Terētius in Heautontim.4.1.

-cum exponendam do illi,de digito annulum Detraho.

Huius contrarium eſt Tollere.Terent.ibid. S O.

Meminiſtim me eſſe grauidam,& mihi te magnopere intermitatum,
Si puellam parerem,nolle tolli?

Hinc tit.C.de infant.expoſi. & Nouel.153.περὶ τῶν χαμαιρετῶν βρεφῶν:id eſt de infantibus humi repertis: vbi ſtatuit vt omnes liberæ conditionis ſint.

Exponere filium.l.29.D.de manu.teſt.

Expositvs filius.l.j.D.de Iur.& fac.ign.

Exportare, Martian.Exportandus ab Italia, ſi venerit,in prouincia morari poteſt.l.2.de export.

Exposcere,& depoſcere,eſt ad dedendum aliquem ad pœnam petere.

Expostvlare, inquit Donatus, Conqueri eſt, ſeu querelam apud eum ipſum deponere qui fecit iniuriã. Alias Expoſtulare ſumitur pro vehemẽter poſtulare.

Expoſtulare verecundè,apud Vlpian.in l.j.§.quod autem. D.de offic.præf.vrb.de ſeruis contra dominos loquẽs: Sed ſi verecundè expoſtulent:ſi ſæuitiam, ſi duritiam, ſi famem,qua eos comprimant:ſi obſcœnitatẽ in qua eos compulerint vel compellãt:apud præfectum vrbi exponant.

Expostvlatio eſt aduerſus eum,quem accuſamus.

Expoſtulationem facere, cum querela apud amicos requirere,& quaſi officium amicitiæ in alio deſiderare: quia ab eo violatum ſit.

Expræfecti.l.2.C.de præf.præt.qui præfectura abierunt,vt exconſules,exvicarij,excubicularij, &c.Auctores de limitibus agrorum,Squalidus ager quaſi excolidus,quod iam à cultura exierit.

Ex-præparato vice aduerbij,pro dedita opera.

Expresbyter, presbyteratu deiectus & depoſitus. c.accedens.50.diſtinct.

Ex-præscripto agere, id eſt, vt vulgus loquitur, iuxta inſtrumentum.

Expressa nocent,non expreſſa non nocent.l.expreſſa.195.D.de diu.reg.iur.ſententia hæc eſt apophthegmatica, plus in receſſu habens, quàm verba ipſa in fronte præ ſe ferant.Obſeruandum tamẽ, quòd & ea, quæ ad aliud expreſſum referuntur, aut ex neceſſaria conſequentia veniunt,tanquàm expreſſa iudicantur.l. ait Prætor.§.j.l.in ſumma.in princ.de re iud.l.aſſe toto. D.de hære.inſt.cum ſimil.Hanc elegantem Iuris doctrinam accuratè & latè proſequitur Iaſ.in l. Prætor ait.D.de oper.nou.nunc.& Abbas in c.olim.Extra de cenſib.alioqui expreſſum,facit ceſſare tacitum. l. cùm ex filio.§.filio.D.de vulg.& pup.ſubſtit.& plerunque, fit latior interpretatio in caſu expreſſo quàm tacito. Quemadmodũ (vt ſuperius diximus) expreſſa nocẽt, ita è diuerſo expreſſa proſunt, & non expreſſa non proſunt,vt rectè colligit P.Faber in d.l.185.per l.ſi mater.11.§.denique & Celſus.& §.ſiquis autem petit. D. de except.rei iud.Quæri autem ſolet, an expreſſo vitiato,tacitum vitietur. Hoc obſeruant interpretes in Rubr.D.de vulg.& pup. vbi colligunt regulam cum extenſionibus,& reſtrictionibus, quas limitationes, & fallentias vocant.Sed & illud quæri ſolet, an quod ex mente & ſentẽtia legis eſt,expreſſum dicatur.quod fuſè diſputat Bart.noſter in l.Prætor ait.in princ.D.de oper.no.nunt.

Expreſſum,id eſt,repetitum.l.item quia in fi.D.de pact.

Expressim, diſertè, nominatim. l.98.§.3. D. de ſolut. auth.ex teſtamento.C.de collat.

Expromittere eſt nouandi animo pro alio promittere.l.fi.D.ad Maced.& alibi ſæpè.

Expromissor adpellatur,qui alienam in ſe obligationem,vel fideiuſſione,vel nouatione ſuſcipit.l.10.D. de pigne. actio. Aliquoties reus adpellatur, vt l.7.§. ſeruus.D.de dolo.& alibi ſæpiſſimè. Expromiſſorem planè alium à fideiuſſore accipiendum eſſe oſtendunt. l.37.in fi.D.de operis lib.l.53.D. de contrah. empt.§. venditæ.Inſtitut.de rerum diuiſione. Fideiuſſor enim obligatur cum alio,expromiſſor ſolus obligatur quaſi reus principalis:tum fideiuſſorem qui dat non liberatur,expromiſſorem qui dat liberatur. Expromiſſione fit nouatio,nõ fideiuſſione.Expromiſſor tũ quaſi fideiuſſor dicitur l. in perſona.§.j.D. de pact.& in S.C. Velleiano, fideiuſſionis verbo continetur expromiſſio.& l.10.D.de in rem verſ.paria hæc ſunt,fideiubere, Iudicium pro alio ſuſcipere,Expromittere & apertius. l.vlt.D.quod cum eo. Quaſi fideiuſſionem eſſe videri (ſic.n.Cuiac.obſ.lib.13.c.35.legit) cum quis pro alio debitum ſuſcipit,id eſt cum expromittit.

Expvgnatvr nauis,cùm ſpoliatur, aut mergitur,aut diſſoluitur, aut pertunditur, aut vela conciduntur,aut anchoræ inuoluuntur mari,Calliſtrato. D. de incend. rui.nauf.

Expvngere Budæo punctis circunducere, & tollere, & rem quaſi cõfectam è codice eximere.D. de diuer. & temporalibus præſcriptionibus. & l.pen. D. de re militar.

Exprincipe dignitas.l.4. C. de princip. agen.in reb. Ex magiſtro officiorum.l.j.C.de ſilentiar.Marcellinus lib.22.eadem forma qua Exconſul. Sic,

Exproximvs.l.vnic. C.de magiſt.ſac. ſcri.qui proximi dignitate functus eſt. Sic,

Ex proximo libellorum Marcellino lib.22.apud quẽ reperias ſimilia nomina,eod.lib.

Exqvæstor, Vide exconſul.

Exrogare, ex lege vetere quid eximere per legem nouam,Feſto lib.5.

Ex seminario, id eſt,ſtirpitus. Sic Vlpi.interpretatur in l.vitem.§.quòd ſiquis.D.arb.furt.cæſ.

Exsolvtio, integra ſolutio,& plena. Scæuola. D.lib. 20.tit.j.l.31.Si cum in exſolutione vectigalis tam debitor quàm creditor ceſſaſſent. Et tit.3.l. 4. ad vniuerſæ quantitatis exſolutionem.

Extendere legẽ,eſt eam ampliare ad nõ expreſſa.c. fi.§.fi.ne cleric.vel mona. Vnde vulgata doctrina eſt, in fauorabilibus extenſionem fieri oportere, ſi ſit idoneitas rationis.l.illud.C.de ſacroſanct.eccl.

Extensio quando fieri poſſit, docet A.Alciatus in lib. de verb.ſignification.3.

Exter hæres, pro eo qui non ſit domeſticus, & ex familia & nomine teſtatoris non eſt, Papinianus poſuit in l.peto,Luci.§.j.de leg.2.

Extergere ſpongia, apud Vſpian.in l. quæſitum.§. item perticæ.D. de inſtr.& inſtr.leg. vbi tamen alij. Effingere legi volunt, vt apud Cic.pro heſtio: Spongiis ſanguinem effingi.& Catonem, fiſcinas ſpongia effingẽs Apuleius 1. Vulnus ſpõgia effingens.Sic Martialis:Hinc oleo corpus fingo,non frico.

Extimere, apud Iul.l.non ſolũ. §. ſi dominus. de vſucap.pro formidare:Si dominus fundi homines armatos veniẽtes extimuerit.Corrupte enim in q. C.legitur exiſtimauerit quia timorem notare hîc vult Iulianus,non ſuſpicionem,ex qua nulla datur reſtitutio.l. metum.3.in princ.D.quod met.cauſ.

Extores, exules ſunt,quaſi extra terram eiecti,Alciat. in l.nemo clericus.C.de ſum.Trin.&fid.Cath.

Extra pro præter.l.diximus.D.de excuſa.tut. aliquando pro poſt.l.3.§.ſed ſi extra.D.ad exhib.Apud Plautũ Amphitr.8.

Extra te unum. & Terent. in Phorm.1.2.

Neque notus,neque cognatus,extra unam aniculam,

Quiſquam aderat, pro præter.

Extrahere iudicium, eſt prorogare, proferre, & producere.l.10.D. ad exhib.Si optione intra certum tempus data,iudicium in id tẽpus extractum eſt, quo fruſtra exhibetur,&c.

Extrahere ſe rebus humanis dixit Vlpian.in l.cum autem. §.capitalẽ.D.de ædil.edict.pro mortem ſibi conſciſcere.Excipitur, inquit, & ille qui mortis conſciſcendæ cauſſa quid fecerit.Malus enim ſeruus creditus eſt qui aliquid faciat quo magis ſe rebus humanis extrahat: vt puta ſi laqueum torſit,ſi medicamentum pro veneno bibit,præcipitẽmque ſe ex alto miſit,&c.

Extranei hæredes intelliguntur, qui ſubiecti non ſunt teſtatori. Gaius lib.2. Inſtitution.tit.3. definit Extraneos hæredes, qui nullo propinquitatis gradu teſtatori iunguntur, ſed eos quiſq; pro ſuo arbitrio ſcribit hæredes. Appellantur & extrarij, l.36. D.de bonis liberto. Imp. tamen §.3. De hæred.qual. Liberos quoq; noſtros, qui in poteſtate noſtra non ſunt, hæredes à nobis inſtitutos, extraneos nobis hæredes videri ſcribit. Dicuntur autem hi etiam Voluntarij: nam cum teſtatoris iuri ſubiecti non ſint, arbitrio eorum adeundi repudiandive poteſtas permittitur. Atque in hoc numero ſunt, patribus quidem, emancipati liberi: matribus verò, quilibet: patronis autem, ſerui poſt inſtitutionem manumiſſi, §.cæteri. Inſt.eod.

Extraneus poſthumus, apud Iuſtinianum, Inſtitu. de legat. & alienis idem valent. & Extraneus accipitur, qui ſuus teſtatori hæres non eſt: & ita Theoph.tit.de bon. poſſeſſion. ἀλλότριος, ait, πρόσωπος, τοῦτ' ἔστι ὁ μὴ τυγχάνων ὑπεξούσιος. At in l.6. D.de ven.in poſſeſ.mitten. extraneus paulo generalius accipitur, qui nullo teſtatori vinculo coniunctus eſt. Vide Poſthumus.

Extraneum in quæſtione dotium intelligimus omnem citra parentem virilis ſexus in poteſtate dotandam perſonam non habentem, l.vnica. §.extraneum. C.de rei vxo.act.

Extraneæ mulieres, ſunt quæ cap.3. Concilij Nicæni συνείσακτοι dicuntur, vt exponit Rufinus Aquileienſis.

Extrarius, inquit, Feſtus, qui extra focum, ſacramentum, iúſque eſt. Hinc Extraria vis, l.31.§.fin.D. loca. & Defenſio extraria, auctori ad Heren.lib.2.

Extra ordinem fit, quod contra legitimum, & conſuetum iudiciorum morem, & ordinem fit. Extra ordinem itaque ius dicitur, prætore, præſidéque cognoſcente, l.j.§.medicorũ. D.de var.& extraord.cog. l.2.D.ex quibus cauſ.maio. Extra ordinem, hoc eſt extra aliquam ſolennitatem. §.fin. Inſtitut.de interdict. Extra ordinem, id eſt, officio iudicis, l.j. D.de ſeparation.bonorum.

Extra ordinem damnari eos traditur, qui per calumniam actionem iniuriarũ inſtituerint, l.43. D.de iniur. Nam iure legitimo calumnia, in publicis duntaxat iudiciis vindicatur, l.j.§.calumniatores. D.ad S.C. Turpill. Extra ordinem de priuatis iudiciis agitur, cum accuſatio criminaliter contrà, quàm iure ordinario fiat, intenditur. Extra ordinem, in l.fin.§.fin.D.quod met. cauſſa. fieri dicitur, quod per apparitoris iuſſionẽ, cognitione non habita, extorquetur. Nam rectè atque ordine per iudicem id fit. Extra ordinem exequi decreta ſua dicuntur Prætores, cùm apparitorum miniſtrorúmque ſuorum, vel, ſi res poſtulat, militum manu exequuntur, l.j.D.ſi vent.nomi.mul.l.3.D.ne vis fiat ei. quod ciuiliter & ordine per arbitros, iudicéſq; expeditur, l.15.cum ſuis §§.D.de re iudic. Extra ordinem cogi quis dicitur, pignoribus captis, vel multæ dictione, l.j.D.de admi.tuto.

Extra ordinem ius dicebant, qui magiſtratus non erant: ſed vtilitatis cauſſa extra ordinem conſtituebantur, l. 7.D.de offic.Proconſ.

Extra ordinem indictæ feriæ, quæ ſtatæ non ſunt, neque ſolennes, ſed repente indicebantur, l.26.§.ſi feriæ.D. quibus ex cauſ.maio.

Extraordinarium dici non debet, quod ſolenne eſt, l.omnes omnino.C.de anno.& tribut.lib.10.

Extraordinaria actio, l.52.§.inter. de actio.empti. quæ de militia datur, vel de ſalario, l.56.§.ſi. D.mand. ita etiam appellabantur eæ actiones vtiles quæ ex cauſſa interdicti hodie reddũtur, §.ſi. Inſtit.de interdict. Qua de cauſſa rubrica, De interdictis, in Pandectis ita concepta fuit de interdictis, ſiue extraord.actio. quæ pro his compet. Hinc,

Extraordinaria poena, in §.in ſumma.9.de iniur. cuius arbitrium officio iudicis permittitur. l. vlti. C.eo. l.qui iniuriarum.43.l.vlt.D.eod.

Extraordinarium auxilium eſt in integrum reſtitutio, l.16.D.de mino. quòd tota ex Prætoris cognitione penderet, neque vlla certa actione peteretur, l.24.in fine.D.eodem titul.

Extraordinariæ cognitiones dicebantur, quas prætores præſidéſque præter vſitatam officij ſui conſuetudinem ſuſcipiebant, l.j.& paſs. D.de extraord.cognit. l.2.D.ex quib.cauſ.maior. l.j.§.eſt autem. D.de exer.act. l.ſiquis ſepulcrum. D.de relig. & ſumpt.l. quod ſi.§.vlt.D.de mino.

Extraordinarium commodum, l.239.§.munus. D.de verborum ſignific. Extraordinaria munera, l.vnica. de vaca.publicorum mun.lib.10.

Extraordinaria crimina appellantur, de quibus quæſtio lege nulla conſtituta eſt, proinde nec pœna certa vindicantur, ſed arbitrio iudicis coërcentur: qualia ſunt, abigeatus, ſepulchri violati, ſtellionatus, crimen expil.hæred. & alia crimina, de quibus libr.47.Pand. agitur, l.4.D.ad Turp.l.j.C.vbi de cri.agi.opor. Sed & omnia admiſſa, quæ nullam legitimã habẽt definitionem, coërcitionémve, extra ordinẽ coërcentur, pro æſtimatione iudicis pœna impoſita, l.8.§.ſi in locum. D.de religioſ.& alibi ſæpiſſimè. His annumeratur nobilis illa in Milonem quæſtio, de qua Hotom. pleniſſimè in Comment.verb.iuris. Itaque Extra ordinem de criminibus cognoſci dicitur, cum extra antiquum ordinem, & formam, moribus legibúſque publicorũ iudiciorum præſcriptum cognoſcitur, l.15. D.de pœnis.

Extraordinariæ indictiones, l.fin. C.de mu.patri. lib.10. quæ extra ordinem imperantur, l.6. D.de vac. mu. quæ non à lege, S.C. vel conſtitutione principum, ſed ex improuiſo per magiſtratus iniunguntur, l.8.§. qui muneris. D.de vac.mu.

Extraordinaria iudicia, in quibus conceptiones formularum non obſeruantur, l.47. D.de negot.geſt. Et hæc ſola hodie in vſu eſſe, ſublatis ordinariis, Iuſtinianus tradit tit.de ſucceſſ. quæ per bonó. vendi. fiebat. in Inſtitut.& de interdict.§.ſi. Inſtit.

Extraordinariũ remedium, l.12.D.vt in poſſeſſ.legat. quod non ex edicto prætoris, ſed proprio, ac ſpeciali decreto eius proficiſcitur, l.12.D.vt leg.no.caueat.

Extravagantes, aliquot ſanctiones Principum ſunt, ſic dictæ, quòd ſint extra librorũ iuris ciuilis contextum frequẽtatæ: qualis eſt conſtitutio Lotharij Saxonis de feud.nõ alie.& diui Friderici, de pace tenenda. & de Sacrament.puber.ſponte factis non retract. Item de priuilegiis Eccleſiæ, Friderici Imperat. eius nominis ſecundi. Item de Maieſtate læſa: déq; Rebellibus edictum Henrici ſeptimi: & rurſus de pace Conſtantiæ, duorum, Friderici Imp.& Henrici Romanorum Regis ſexti. cum nonnullis aliis principũ ſanctionibus publicis, iuris libris necdum adiunctis, ſed quæ in archiuis Imperij in reipublicæ vſum conſeruantur.

Extremitas Aggenno Vrbico eſt finitima linea, quæ interuenit, aut per iter publicum quod tranſcendi non poteſt, ſecũdum legem colonicam: quia omnis limes itineri publico ſeruire debet: aut per limites ſiue terminos, aliáque ſigna quibus territoria finiuntur: aut vbi inſoluta loca remanſerunt, &c.

Extremum iuriſdictionis, in l.vnica. D.ſi quis ius dicenti non obtemp. varij variè explicant. Tu rem expende, & vide τὰ βασιλικά.

Extricare, propriè ex tricis eximere. Extricatæ margaritæ μαργαρικῶς perpurgatæ & mundatæ, & expolitæ, l.27.§.19.D.ad leg.Aquil. Si cũ maritus vxori margaritas extricatas dediſſet, eáque inuito marito perforaſſet, &c. Huic contrarium Intricare.

EXTRINSECVS, id eſt, extra naturam rei, l.fluminum. §.initium. D.de damno infecto. Aliter ſumitur. C.de bonis quæ lib.l.cum oportet.

EXTVNC, ex illa hora & temporis momento, quæ dictio extremum tempus ſignificat, Ioan.Andr.c.quàm ſit.de elect.lib.6. Extunc, id eſt, intra vnius menſis ſpatium, ca.quamuis.§.ſin autem.extrà de offic.ordin. Extunc, id eſt, elapſo anno, c.cum contumacia. de hæret.lib.6. Extunc quandoque elapſo termino ad reuocationem grauaminis præfixo, ca.ſi à iudice. de appell.lib.6. Quandoque ſonat, elapſo decendio, cap.j.de ſepulturis, lib.6.

EXVEHERE, idem quod vehere: quo vtitur Vlpian.in l.5.in princ.D.ad exhibend. Si quis, inquit, merces quas exuehendas conduxit, in horreo poſuit.

EX VICINI, pro ex fundo vicini: figura nota Grammaticis, & è Græcis fontibus deriuata. Vlpian.l.j.§.10. D.de aqua, & aqua. Aquam ſuperficientem ex vicini in ſuum deriuare.

EX VIRILI SEXV, ſeu per virilem ſexum, & per lineam virilem deſcendentes differunt. Nam primo caſu etiam fœmina ex filio, vel nepote nata continebitur: ſecundo non continebitur. Non enim per lineam deſcendit, niſi qui in linea eſt. Recentiores interpretes in l.Gallus.D.de liberis & poſthum.

F

F. LITERA ſola adiecto punctulo, non ſolùm filium, ſed & fratrem ſignificat, Ciceroni in Bruto. Feſtiuitate, ait, igitur & facetiis, inquam, C.Iulius L.F. vbi F.litera fratrem denotat. Nam, teſte Pediano in Oratione pro Scauro, Is C.Iulius habuit fratrem L.Iulium. Alio Ciceronis loco F.filiū ſignificare obſeruauit P.Victorius.Q.F. tibi Sal.dic. Hac litera nonnunquā vtebantur veteres pro aſpirationis nota, Forreum dicentes, trafo, vefo, fircus, & alia id genus, pro horreū, traho, veho, hircus. Ea inuerſa etiā reperitur filiā denotare.

F.C. fideicōmiſſum denotat, vel Fiduciæ cauſſa, vel Fraude creditoris, vel Faciundum curauit. F.D. Fides data, vel Fide data. F.E. Fides eius. F:F. filiusfamilias, vel Fidem fecit. F.F.F. Ferro, flama, fame, vel Flauius filius fecit, vel Fortior fortuna fato, vel Fortius fortuna fatum. F.I. Fieri iuſſit. F.M.I. Fati munus impleuit. F.N.C. Fidei noſtræ commiſit.

FABRI generale nomen eſt. Dicimus enim Fabrum lignarium, vt apud Paulum lib.3.Sentent.tit.6. Fabrum argentarium, l.39.D.de aur.& arg.leg. Fabrum vaſcularium, l.31.D.locat. Ferrarium apud Plautum in Rubrica, Plinium lib.14.cap.4. Ærarium apud Plinium lib.34.cap.8.

FABER TIGNARIVS dicitur non tantùm, qui tigna dolat, ſed & omnes qui ædificant, l.ferri.235.in fi.D.de verbo.ſignific.vbi quidam ligna legunt.

FABRILES operæ, operoſæ ſunt, & libertorum propriè dicuntur, & ſub artificialium verbo continentur, l.fabriles.6.D.de operis lib.l.penul. D.de præſcr.verb.

FABRICA, pars eſt architecturæ, à Vitruuio ſic definita, Fabrica, ait, eſt continuata, ac trita vſus meditatio, quæ manibus perficitur. Latinis ſonat quorumcunque Fabrorum officium. In conſtitutionibus pro armorum factione accipitur, idque ſpecialius, Authen.de armis. Fabricæ autem in Imperio Romano præcipuæ 19.erant, videlicet in Illyrico 6.in Italia 5.in Galliis 8. Erantq; ſub diſpoſitione magiſtri Officiorum, quemadmodum Notitia Imperij teſtatur.

Fabrica apud Pontificios pro ſtructura, ſic ſumitur 12.q.j. ca.futuram. quem citat Albericus in Lexico, apud quem falſo legitur ſtatuta pro ſtructura.

FABRICENSES in Impp.conſtitutionibus appellantur, qui in ſacris Fabricis arma cudebant, l.j.& toto tit. C.de fabricen.lib.11.& Nouel.85.& l.fabricenſes. C.de decurio.lib.10.

FABIANA lex, vide infrà Lex.

FABIANA formula, à Fabio dictata, ad eorum reuocationem pertinens, quæ in fraudem patroni alienata ſunt, toto tit.D.ſi quid in fraud.patro.

FABVLA, res paſſim vulgata, etſi vera ſit, à fando dicta, commentitia traditio, l.antiqui.D.ſi pars hæred.petat. & in proœmi.Inſtitut.

FACERE, verbum generale eſt, quod omnem omnino faciendi cauſſam cōplectitur, dandi, ſoluendi, numerandi, iudicādi, ambulandi, l.verbū facere. D.de verb. oblig. item reddendi, l.175.eod.tit. Hinc Facere poſſe, vel non poſſe, paſſim in iure ciuili, pro ſoluendo eſſe, & non eſſe, §.pen.de action.l.3.de conſtit.pec.l.24.§.& paſs.D.de re iud.l.21.§.j.D.rer.amot. hoc dixit C.Harmenop. μέχρι ἀπορίας. niſi forte præciſe ſic dicatur, cū plena locutio ſit, Facere iudicatum poſſe.

Facere poſſe etiam dicimur illud quod honeſtè, & commodè facere poſſumus, atque ita L.Romanus reſpondit conſi.364.nu.6.per l.nepos.D.de verb.ſignif. Tum etiam facere poſſe videtur, & qui dolo fecit quo minus poſſideret, l.63.§.tempus.D.pro ſocio.

Facere non poſſe dicimur ea, quæ negat natura, vel lex, vel pietas, vel exiſtimatio, vel verecundia, vel honeſtas publica, l.filius qui.& l.ſi quis inſtitutus. D.de conditio.inſtit.

Facere oportere ſignificat, vt quis abſtineat ab eo facto, quod contra conuentionem fiere, & curare ne fiat, l.189.D.de verborum ſignificationibus.

Facere, plus eſt quàm pronunciare, l.ſi tamen.§.ei qui ſeruum. D.de ædil.edict.

Facere, aliud eſt quàm reficere, l.3.§.pen. D de itin.actúq; priu.l.j.§.j.de via publica reficiēda. Interpretes tamen apud Iuriſconſultos hoc verbū pro reficere accipiunt, vt in l.ſi ſeruus ſeruum.§.ſi calicem.ad legem Aquiliam.l.Mutius.de rei vindi.l.j.de mortuo inferendo.

Facere iuſſus, vt centū habeā, centū dare cogēdus eſt: hoc enim illis verbis ſignificari creditur, l.73.D.de leg.j.

Facere procreare, l.cùm ſatis. C.de agr.& cenſit.lib.11.& ſolicitare: vt, Ne facias furem, id eſt, ne ſolicites vt fur fiat. & ſoluere l.ſi.C.de reb.cred.

Facere, pro dare etiam interpretamur, in l.ſi hæres.D.de legat.j.

Facere ſic eſſe, eſt fingere factum, & (vt vulgò dicunt) ponere caſum.

Facere mecum, pro ſentire mecum: Hinc Doctores dicunt, Illa lex, vel textus facit ad hoc: quo ſignificatu etiam aduocati Galli vtuntur, dicunt enim ſæpiſſimè *Tel texte faict pour, &c.*

Feci, quia prætor vel iudex iuſſit: hæc excuſatio quamuis generalis, modò probata ſit, adeò ſufficit, vt ſi fuerit replicatum, Iniuſtè iuſſit: rectè duplicabitur, Non fuit meum velut priuati hominis hoc diſputare, ſufficit mihi eſſe iuſſum, l.mulier. D.de legatis commiſſis. Obſeruandum tamen hîc ſufficere iuſſum iudicis ad excuſationem doli, & ad euitandum damnum, etiamſi iniuſtus ſit, non autem ad lucrum, ne in hoc fallaris.

Feciſſe dolo quis dicatur, docet Iuriſcoſ.l.j.§.j.D.de eo, per quem fact.erit.

Feciſſe fideliter videtur, qui, cum portionē reſtituere potuiſſet, totū reſtituit, l.libertatē.D.quæ in fraud.credit.

Facere damnum, eſt periclitari, & incommodum accipere ex re aliqua, l.Proculus.D.de damno infect.

Facere exemplum in Dauum, punire vt exemplo ſit, l.Proculus.D.de damn.infecto.

Facit

Facit hæredem, qui moritur, vſitatiùs pro relinquere hæredem.

Facere iudicatum, hoc eſt, ſoluere id, quod ſententia continet, obtemperando ei. Verbum eſt XII. Tab. NI iudicatum faxit, ſecum ducito. Celſ. l.42. D. ſi cert. pet. At ſi iudicatum fecerit Titius, nihil vltra Seius tenebitur. Scæuola l.45. D. de fideiuſſ. An cum hærede venditoris ante diem, quo iudicatum facere compelleretur, agere poſſit.

Facere IVSTITIAM, pro ſiſtere ſe in iudicio, lib. Feud. 2. tit. 22. Si dominus ei iuſtitiā facere noluerit, poterit eum deprędare. Et lib. 2. tit. 24. §.4. Si ſuo domino iuſtitiam facere noluerit, feudo ſpoliãdus eſt. Sic enim locum intelligi vult Hotom. vt in legib. Baioar. ca. 16. tit. 2. Si quis liber alteri libero qui eū mallat (in ius vocat) dedignabitur iuſtitiam facere. Interdum tamen Facere iuſtitiam, eſt legibus vindicare: vt lib. feud. 2. tit. 27. §.7. Dominus cuius caſtrum id eſſe cognoſcitur, ad faciendam iuſtitiam illum producat. Interdū ius reddere, vel iuriſdictionem exercere. Ado in Chron. Legatos regios, qui tunc ad iuſtitias faciendas cum eis verſabantur, compræhendunt. & alibi ſæpiſſimè.

Facere litem ſuam, apud Vlpian. titu. de Iudiciis, dicitur iudex cum dolo malo in fraudem legis ſententiam dixerit: atque tunc, vt idem inquit, veram litis æſtimationem præſtare cogitur. Videtur tamen etiam litem ſuam feciſſe, qui ad conſtitutum tempus in comitium non venerat, cum iudex eſſet datus, aut ſumptus. Id ex oratione C. Cintij cognoſcitur: Inde, inquit, ad comitium vadunt, ne litem ſuam faciant: dum eunt, nulla eſt in angiporto amphora, quam non impleant.

Facere medicinam, exercere, l.26. D. de ope. lib. & Factitare, apud F. Quintilianum lib.5. cap.2.

Facere nomen, eſt in tabulas referre aliquid alicui deberi: vel æs alienum contrahere, & ſe debitorem cōſtituere. Vlpian. l.2. D. de proxenet. Si proxenota interuenerit faciendi nominis, quaſi mandator non tenetur. quia hic monſtrat magis nomen quàm mandat, tametſi laudet nomen. Seneca in princ. lib.j. Non eligimus dignos, quibus tribuamus: ſed nomina facturi, diligenter in patrimonium, & vaſa debitoris inquirimus. Idem lib.2. Quidam volunt nomina ſecum fieri, nec interponi pararios, nec ſignatores aduocari, nec chirographum dari. At apud Columellam lib.3. cap.3. Facere nomen cum vineis, eſt facere ſupputationem reditus vinearum.

Facere paria, non eſt verbum Hiſpanicum, vt Accurſius dixit, ſed vſitatum Latinis auctoribus, quos citat Budæus. Scæuola de ſtatu lib. l. ſi. §. argētarius. Paria facere, interpretatur, reddere iuſtas rationes, & totum debitum ſoluere, vt expenſa paria ſint acceptis, Anto. Aug. lib.4. cap.12. Calliſtratus in l. ſemper. §. conductores. de iur. immunit. accipit Paria fiſco feciſſe, pro ſatis feciſſe, & ſatis dediſſe. Alc. in lib. rationum ait, Ab vna pagina acceptum deſcribitur, ab alia expenſum: vnde paria facere dicitur, qui tantùm accepit, quantū expendit. Vide Bud. in l.65. D. de iure immun.

Facere partem coniuncto, id eſt, efficere vt partiarius remaneat, nec totū accipiat. E diuerſo, collega tunc alteri coniuncto partem non facit, quãdo eo à parte ſua excluſo, legatum ex vtriuſque partibus recipit. Et hoc eſt, quod vulgò ex regula affirmatiua dicitur, Qui ad partem admittitur, partem coniuncto facit: id eſt, id efficit, vt coniunctus nō plus parte ſua recipiat. Sic ex regula negatiua: Qui ad partem non admittitur, partem alteri non facit, id eſt, non impedit eum, quin totum accipiat. Quando verò coniuncti partem collegæ faciant, quando non faciant, leges mirificè variant, quas tamen doctè Zaſius in Intellectibus ſuis explicat

Facere poteſtatem iudicandi, Alciat. rub. C. de in ius voca. Promiſſionem, remiſſionem, l.j. D. quando appel. ſit. Rapinam, l. penult. §. matre. D. de legat.2. ſuſpectum tutorem delegare & approbare, l.2. C. de vſur. pup.

Facere reum, idem eſt, quod accuſare, & indicare, l. ſi veris. C. de fid. inſtrum.

Facere ſponſionem dicimus, cum alius alium fore victorem affirmat. Martianus l.3. de aleat. Quibus ſponſionem facere licet.

Facere ſyngraphas, eſt vulgò obligationes, ſchedulas, & ſigna dare.

Facere totum, pro vim omnem habere. Vlpian. l.35. §.3. D. de hæred. inſtit. Rerum autem Italicarum vel prouincialium ſignificatione quæ res accipiendæ ſint, videndum eſt, & facit quidem totum volūtas defuncti. nam quid ſenſerit ſpectandum eſt.

FACTVM ſubſtantiuè res geſta, l. ſi famil. D. de iuriſdict. om. iudic. Factum, & geſtum κα]αχρηςικῶς nihil diſtant, l. licet. D. de verb. ſignif. Vide Gerere.

Factum in §. ſi res legata. Inſtit. de lega. interpretatur ibidem Accurſius, moram. Theophylus dolum. Crederem etiam pro culpa accipi poſſe.

Factum. idem noſtris quod caſus, ſpecies, ſine cuius recta notitia impoſſibile fuerit certam iuris, & actionis rationem colligere: quippe quòd in caſu, & facto ius eſſet poſitum Iulian. reſpondit, & exemplo declarat in l. ſi ex plagis. §. in cliuo. ac l Aquil. & Vlpian. in l. cùm duobus. in principio. Pro ſocio. Quo modo autem factum rectè diſcernas, inuenies apud Oldendorpium in tract. de Formula inueſtiga. action. vbi ille admonet, vt cognita facti ſpecie, quid ius de eo ſtatuat, conſulamus Iuriſcoſ. & Imperatores, non repertoria.

Factum, vel ſimplex, vel multiplex eſt: veniúntque in eius conſideratione circunſtãtiæ rerum, perſonarum, temporis: vnde non vnam, aut alteram eius partem, ſed totum expendere oportet, l. bona fides. D. depoſiti.

Factum item dicitur, quod eſt redditum. Pomponius, Faciendi verbo, reddendi cauſſa etiam continetur, & quod non factum comprehēdit, l.2. §. item ſi in facto. & in l. vbi autem. §. qui id, quod in faciendo. D. de verborum obligationibus.

Factum quod non durat, factum non intelligitur, l. ſi pro patre. §. verſum. & ibi gloſ. cum multis concor. D. de in rem verſ.

Factum in pactis verſatur, in ſtipulationibus ius continetur, auctor Paulus in l. ſi vnus ex argentariis. §. pactus. D. de pactis.

Facti eſſe cenſentur, quæ alterius tantùm partis voluntati innituntur, glo. §. ex conditionali. de verbor. obligat. Hinc eſt, quòd animi declaratio, ex regula ad hæredes non pertinet, l. inter. §. Stichum. D. de verb. oblig.

Factum iuri opponi ſolet, l.38. §. hi qui ſunt. D. de verborum ſignificat. l.41. D. de pecul. Facti igitur quæſtio iuris quæſtioni aduerſatur. Facti quæſtio, quæ in facto verſatur, & conſiſtit, l.25. D. de neg. geſt. l.16. D. de ſtatu homi. Atque nimirum hoc illud eſt quòd ait Paulus l.j. §.2. D. de acquir. poſſeſ. res facti infirmari iure non poſſe. quemadmodum enim ex eo iure non conſtant, ſic nec ab eo euerti, neque reſtitui poſſunt. Voluntatis quæſtio, facti eſt, l.3. D. de aur. & arg. l.41. l.94. D. de verbor. oblig. l.122. de verb. ſign. Facti ergo eſſe dicuntur, quæ in facto conſiſtunt, l.j. §. ſi vſuſfructus. D. ad leg. Falcid. Quatenus etiam cuiuſque intereſt, in facto vel iure conſiſtit, l.25. D. de diuerſis regulis iuris. Atque Facti ſunt ſolutio, venditio, traditio, l.7. in fi. D. de curato. fur. Sic habitatio dicitur eſſe facti, in l. pen. D. de cap. min.

in Factum actio, dicitur à verbis in id quod factum eſt, conceptis, vide ſuprà, Actio in factum.

Factum notare, pro pœna infamiæ notare, teſte Bald. in l. quid ergo. §. cum autem factum. D. de infamibus.

FACTIONIS ſignificatio aliàs honeſta eſt, vt factio teſtamenti, id eſt ius faciendi teſtamenti. Papin. l.3. D. de teſta. Teſtamẽti factio, nõ priuati ſed publici iuris eſt. Cic. in Top. Si ſtatuiſſemus ex edicto Prætoris ſecundum eas tabulas poſſeſſionem dari, quas is inſtituiſſet, cui teſtamẽti factio nulla eſſet, id eſt teſtandi facultas. Poſt autẽ loquẽdi cõſuetudo inualuit, vt Factio teſtamenti diceretur vltro citroq́;, hoc eſt & à teſtatore, & ab eo cui quid relinquitur, l. filiusfam. D. de teſtamen. Vlpian. ca. Inſtit. 32. Hæredes inſtitui poſſunt, qui teſtamenti factionẽ cum teſtatore habẽt. Aliàs inhoneſta, vt in l.2. §. & cùm placuiſſet. D. de orig. iur. accipitur enim pro diuiſione, ſeu conſpiratione in diuerſa ſtudia, cùm aliqui ſe principes in ciuitate faciũt, quos alij ſequantur. Vnde factioſi ſunt dicti: quoniam amant factionem, hoc eſt, diſcordiam & ſeditionem.

Factiones publicanorum, l.12. D. de publican. Factio latronum, l.11. §. pen. D. de pœn.

Factiones agitatorũ ſeu aurigarias, in cõtrarias partes diuiſos greges accipe, l.j. C. Th. de equis Curulibus, Feſt. lib.6. Erant hæ quatuor, pannorum coloribus diſtinctæ, Praſina, Veneta, Albata, Ruſſata, vel Roſea, de quibus fuſiſſime Sidonius Apollinaris in Narbonenſis vrbis laudibus. His duas addidit Domitianus, alteram aurati, alteram purpurei panni, vt refert Suetonius in Domitiano cap.7.

FACTIONARII, l. fi. C. Theod. de equis curul. domini Factionum. Sueto. in Nerone c.5. Quærentibus, ait, dominis factionũ, &c. de his Lamprid. in Commodo. in Antiquo Lex. Factione reus eſt, ὁ τάγματ@ ἡγούμενα.

FACTORES, qui ſcelus ipſi admittunt, l.6. §. qui præpoſitum. D. de re milit. & l. ſolent. D. de cuſtod. & exhib. reor. Solent, inquit Macer Præſides prouinciarum in quibus delictum eſt, ſcribere ad collegas ſuos, vbi factores agere dicuntur, & deſiderare vt cum proſecutoribus ad ſe remittantur.

FACIES μεταφορικῶς, & operis, & ædificij, & locorum, & patrimonij, l.32. §. item reſpondit. l.55. §. quod autem. D. de admi. tut. l.j. §. opus. D. de no. op. nunc. l.9. §. ſi inquilinus. D. loca. l. fi. D. de termi. mo.

FACVLTAS eſt perſonæ cõmodũ incõmodúmq́;, nõ rerum, quæ promittũtur. Venuleius in l. cõtinuus. 137. §.4. D. de verb. oblig. Sumitur pro facili poteſtate, l. ſi quis poſthumus. D. de lib. & poſth. Pro diuitiis, vt apud Vlp. l.j. §. ſi inter magiſtratus. D. de magiſt. cõuen. excuſſis facultatibus. Sic apud eundẽ l.j. §. ſi magiſtratus ab initio. D. eo. Labi facultatibus. Paul. in l. cũ pluris. §. vlti. D. de admin. tut. in ſingulari vſurpauit: Nõ quas minimas poterit, ſed pro facultate patrimonij. Niſi malis accipere, ꝓ copia patrimonij. Facultatẽ reſtituẽdi habere idẽ eſt ferè quod poſſidere, l.j. §. quod ait Prætor. D. quo. lega.

FÆCEM ciuitatis eleganter appellat Cicero, aduentitiã illam otioſorum hominum multitudinem, vt quæ nulli proſit, multos autem oneret.

FÆNVS, Fænerare, Fænerator, vide Fænus.

FAIDA, vel feida, idẽ quod alibi Guerra: ex Germanico *Feed*, quod modo bellũ, modo capitales inimicitias ſignificat. Leg. Lãgobard. tit.30. Vt Feida (quod eſt inimicitia) poſt acceptã cõpoſitionem poſtponatur. Et tit.58. Propter faidã deponẽdã, id eſt inimicitiã pacificandã. B. Rhenanus German. rerũ li.2. Faidã vocabãt Frãci ſimultatẽ apertã, qua vnus aliquis vel plurib. bellũ denũtiat. Ab hoc Gallicani ſcribæ Faidoſũ appellãt, qui faidam exercet. Germanis notũ minus vocabulum eſt.

FAIDOSVS ergo, qui alibi diffidatus, cui inimicitiæ denũtiatæ ſunt, vt in legib. Friſ. Homo faidoſus pacẽ habeat in Eccleſia, in domo ſua, ad Eccleſiã eũdo, &c. Et in legib. Baioar. Si quis hominẽ ꝑ iuſſionẽ Regis occiderit, nõ requiratur ei, nec faidoſus ſit. vide Diffidare.

FALCES quædã meſſoriæ, quædã putatoriæ, & fœnariæ, apud Iuriſconſ. D. ſub tit. de inſtruct. & inſtrum. leg.

FALCARII, qui falcatis enſibus vtũtur, apud Cic. 1. Catilin. Falcati autẽ ſunt enſes curui, quos Græci Harpas vocãt, qualẽ tribuũt Perſeo Poëtæ, qui etiã Falces vocãtur. Sũt tamẽ qui ſumãt pro iis qui falces faciunt. Nã illud Cic. Venire inter falcarios: Priſcianus exponit, Venire in locũ vbi erãt falcarij. Attico ſcilicet more, vt apud Iſoc. ἐν αὐλητρίσι, ꝑ in loco vbi habitabãt tibicinę.

FALCIDIA lex plebis ſcitũ eſt, cũ eam P. Falcidius Trib. pleb. Auguſti tẽporibus, ſcilicet anno ab vrbe condita DCCXIIII. tulerit. Hæc modũ legatorũ conſtituit: hac enim ſancitũ, vt ſcribit Dio lib.48. Vt hæres quartam partẽ bonorũ ſibi relictorũ, ſi grauiter oneratus ſit legatis, accipiat, cætera legatariis relinquat. Itaq; Falcidia ſæpè pro quadrãte hęreditario paſſim ponitur, qui ab hęrede à quo ſupra dodrantẽ legatũ fuit, retinetur. Vide indicẽ legũ Romanarũ, Paul. l.j. D. ad l. Falcid. & Euſebiũ in Chronicis. Eſtq́; hæc propria verbi ſignificatio. Sed & ꝑ ea portione verbũ hoc vſurpatur, quã, hęreditatẽ reſtituere rogatus heres ex Senatuſc. Treb. retinet, l.j. §. inde Neratius. l.58. §. omnes. D. ad S.C. Treb. Ideóq; & Falcidiæ cõmodũ ea portio appellatur, l.2. in fi. D. ſi quis aliquẽ teſtari prohib. Quarta, quę per legẽ Falcidiã retinetur, l.55. §.j. D. ad S.C. Trebell. Quinetiam portio liberis debita in bonis patris appellatur, l.j. §. vnde. D. de inoffic. teſtamen. l.21. C. eo.

FALLA veteribus vſurpabatur ꝑ fallacia. Nonius: Me nõ vocauit, ob eã rẽ hãc fecit fallã. Falla autẽ propriè turris eſt lignea: atq; ea ratione in ſuperiori ſignificatu ſumitur, qua machina et fabrica & ſutella. Vnde fortaſſis barbari Fæloniã, quaſi Falloniã aut Feloniã appellant.

FALLERE fidem, in l.j. D. de conſtit. pecu. eſt contrà, quàm dictum conuentúmve ſit, facere. Fallere promiſſum, eſt illud non adimplere.

FALSVM accipitur tribus modis. 1. Quicquid nõ eſt verum, poteſt dici falſum, etiãſi nõ procedat ex mẽdacio alicuius, vel fraude, l. ſi is qui ducẽta. §. vtrũ. D. de rebus dubi. l. ſi quid perfectũ. D. de ſolut. 11. Falſum accipitur pro immutatione veri fraudulenta: quo modo omnia mendacia rectè vocãtur falſa: vt Nou. de inſtrumen. & fid. in prin. 111. Eſt crimen graue, quod appellatur falſum: quoties animi dolum ſequitur facti executio, ad peruertẽdã veritatẽ, & ſimulãdũ id, quod nõ eſt, vt deſcribit l. quid ſit falſum. D. ad l. Corn. de falſ. Vnde Falſò aduerbiũ, quod vero contrariũ eſt, Imperator Philippus in l.3. C. qui dar. tut. poſ. Luminibus, inquit, captũ curatorẽ habere debere, falsò tibi perſuaſum eſt. Falſum vocatur etiã id quod ſuſpectum eſt, in l. iubemus. C. de falſis. l. Paulus reſpondit. D. de verb. ſignific.

Falſum, nõ eſt iniuriæ verbũ, ſi ad ius referatur, non ad factum. ſic Iauolenus ſententiã Labeonis, quaſi iniuſtam reiiciẽs, Quod falſum, inquit, puto, in l. pen. D. de iniur.

Falſum cõmittitur, quod ad leg. Iuliam attinet, ſiquis chirographum, aut libellũ, vel rationes intercidat, vel deſcribat, nõ etiamſi aliàs in computatione, vel ratione mẽtiatur, l.23. D. de falſ. Falſum autem ea lege coërcetur, quod in teſtamentis admittitur. Eadem tamẽ pœna etiã vindicantur cætera falſa ex Senatuſconſultis, principumq́; conſtitutionibus. Nam & qui in rationibus, tabulis, cereíſve inſtrumentis, vel aliqua re, ſiue cõſignatione falſum fecerint, perinde atq; falſarij puniuntur, & hoc quaſi falſum dicitur, l. fi. §. fi. D. de falſ.

Falſus procurator, vide Procurator falſus.

Falſus rumor non ſolet obeſſe, l. fi. D. de hæred. inſtit.

Falſa ſententia, vide Sententia falſa.

Falſum teſtamentũ eſt, quod teſtamentum nõ eſt, l.221. D. de verb. ſignific. Falſum, Africanus ait, teſtamẽtum id demum rectè dicitur, quod ſi adulterinum non eſſet, verum teſtamentum rectè diceretur, l.6. D. de falſ.

Falſus tutor eſt, qui tutor non eſt, ſiue habẽti tutor datus eſt, ſiue

eſt,ſiue non.l.221.D.de verb.ſignif.l.j.D.quod falſ.tut.

Falſi,vel quaſi falſi pœna, deportatio eſt, & omnium bonorum publicatio.

F A L S I T A S verbis,an facto committatur, nihil refert: vtrobique enim dolus eſt proximum lædens contra veritatem. Quod diligenter nota, l.ſi ſeruus non ſit vnius.D.de interroga.in iure faciend.

F A L S I T A T I adeſſe tria requirũtur,ſcilicet mutatio veritatis,dolus,& ꝙ alteri ſit nocitũ.Quorũ ſi alterũ deficit,falſitas non eſt punibilis,iuxta not. per Hoſt.Azo. & Tancre.in ſuis Sũmis.& per tex.in l.quid ſit falſum. D.ad l.Corn.de fal.& l.nec exemplũ.eo.tit. C.& l.damus.C.eo.Pet.de Anch.cõſi.23. & Paul.de caſt.cõſi.49.

F A L L A C I A à fando dicta,vt & fallo,vt vult Varro li.5. de Ling.Lati.quod propriè ſit cũ quis fando aliũ decipit,ac cõtra quã dixit facit. Itaq; ſiquis re fallit,in hoc nõ proprio nomine fallacia,ſed trãſlatione.Eſt autem ſimulationi adnexa:calliditas ad ingeniũ refertur:machinatio,ex præcogitata aliqua inuẽtione, manúq; & arte conficitur:impoſtura ab impoſtoribus, id eſt, deceptoribus,quos & Planos vocat.Alciat. de verb.ſign. Fallacia etiam pro cauillatione,ſiue pro ſophiſtico argumento accipitur.

F A M A, inquit Bar.eſt cõmunis opinio, voce manifeſtata,ex ſuſpicione proueniẽs. Rumorẽ verò cõmunẽ nõ eſſe opinionẽ,ſed variam quandã ſuſurrationẽ, minùs ipſa fama efficacem, ferè apud noſtrates receptius eſt. Sed veteres non ideò multum differre famã à rumore exiſtimarũt.Arch.35.q.6 ſi duo.Sũt autẽ idẽ,præter quã quòd alterum Latinũ eſt, alterũ è Græco tractũ, teſte Valla.Calliſtr.in l.3.de teſtib.Aliàs,inquit,numerus teſtiũ,aliàs dignitas & auctoritas, aliàs veluti cõſentiẽs fama cõfirmat rei de qua quæritur fidẽ.Itaq; incõſtans fama,improbíſq;, vel etiã ignotis auctoribus exorta, nullã adiicit fidẽ,quãtumuis inuulgata:quãuis cõiecturam facit,quia fallax eſt rumor. Paul.in l.fin.de hæred. inſtit. Quia falſus rumor nõ ſolet obeſſe. Noſtri famã inter ſpecies nõ plenæ probationis retulerũt. Plura de ea cõmentatus eſt Bar.in l.de minore.§.& pluriũ.D.de quæſt. Sed & fama pro exiſtimatione vſurpatur, & nomine.Sic incolumi eũ fama dicimus, cui integrum eſt nomẽ, & illæſa exiſtimatio: quã qui negligit,Decreta Põtificia crudelẽ pronũciãt,12.q.j.c.nolo. Sũt autẽ qui, Famã diſtinguãt à rumore:quia rumor fit ab incerto,fama autẽ à certo procedat auctore.Itẽ quod fama procedat à maiori parte viciniæ,rumor à minori, no.Io.And.ca. noſtra.verſi.ad gradum.de coha.cler.& plus eſt fama, quã clamor.quia plurimorũ eſt fama, clamor paucorum,no. Feli.in c.qualiter & quãdo.2.in princ.de accu.

F A M O S V S,adiectiuũ,mediũ eſt vocabulũ: in malã tamẽ partẽ frequẽtius ſumitur.Imp.cũ laude vtitur in §.iura quoq;.Auth.Iuſiur.q̃d præſt.ab his qui admi.ſuſc.Secus Iuriſcõſ.Nã apud eos legimus,famoſos fures,latrones, mulieres:pro infamibus,improbioribus,impudicis,l.3. §.j.de offi.præf.vig.l.neq; famoſi.Ad l.Iul.maieſta.l.capitaliũ.§.famoſos,& l.fi.de pœnis. Vide Alberic.in l.ſacrilegi pœnã.§.fi.peculatus itẽ, famoſũ crimẽ dicitur.

Famoſæ actiones dicuntur,quæ iuſtã ignominiã irrogant iuſtè condemnatis:ſunt hæ,furti, bonorũ raptorũ, iniuriarũ, de dolo malo:item tutelæ, mandati, depoſiti, ſcilicet Directa,non contraria.Itẽ pro ſocio, quæ cùm vtrinque directa ſit, vltro citróq; damnatum infamia notat. Et generaliter omnium publicorum iudiciorũ accuſationes, §.ex quibuſdam. Inſtit.de pœnis tem.litig.l.j.de his qui not.infam. Famoſum carmen,quod in alterius iniuriã conſcribitur,proponitur, cantatur, l.21. D.de teſtibus l.15.§.generaliter. D.de iniuriis.

Famoſa cauſſa,l.7.D.de ſolut.

Famoſi homines dicuntur,infamia notati,l.2.§.fi.D.de iis, qui not.infam.

Famoſa iudicia,quæ infamiam irrogant damnatis,l.7. D. de iniur.l.1.& 12. D.de dolo.

Famoſi libelli,qui alicuius famam ſugillant, honorémque vellicant maledictis,libri ad infamiam pertinentes, l. 16.D.de pœnis.§.j.Inſtit.de iniuri. Paul.lib.5. Sent.tit.4. & imponitur ei pœna capitis, qui famoſum libellũ inuentum nõ corrupit,ſed alij manifeſtauit. Et qui eum dictauerit, ſi non probauerit de calumnia, capitaliter punietur,ſecundum Azo.C.eo.tit. hæc & plura ibi vide.Et hoc eſt verum, ſi reo conuicto capitalis pœna eſſet impoſita,aliter non:vt no.in l.vnica. C.eo.titul.

F A M I L I A,inquit Feſtus, in liberis hominibus dicebatur, quorũ Dux & Princeps generis vocabatur pater & mater familiæ. Vnde familiæ nobiliũ Pompiliorũ, Valeriorum,Corneliorũ: & Familiares ex eadẽ familia. At familiæ appellatio cum rebus ipſis & perſonarum circũſtantia tandem variata eſt. Primũ enim ſerui tantùm ſignificabãtur per familiã, nempe à famulãdo i cum u litera mutata. Quò reſpexiſſe nõnihil videtur Vlp.in l.j.D.de vi & vi arma. Deinde liberi quoq;, vxor,& omnes qui ſub vnius poteſtate in eadẽ domo, natura vel iure viuũt, cõprehendi cœperũt. Vnde paterfamilias dictus eſt,l.deteſtatio.§.familiæ. D.de verbo.ſignif.Tandẽ tranſlata eſt familiæ ſignificatio, vel porrecta ad totã cognationẽ ſanguinis. Et quoniã adgnatis tãtũ priſco iure debebatur hereditas: Lex x i i. Tab.proprietati deſeruiẽs, familiã pro hæreditate, id eſt re vel pecunia hæreditaria,accepit:ſicut etiã in tit. D.fami.erciſ.intelligẽda eſt. Paulus elegãter id declarat in l.pronũtiatio.D.de verb.ſig. Familiæ igitur appellatio & perſonas,& res cõtinet. Hinc Familiæ emptor, Vlp.in Inſt.tit.20.§.teſtamen.genera. Quintil.declam.308.Hinc patresfamil.& matresfa.Quod autẽ ad perſonas attinet, vide l.25.§.j. & l.31. D.de ædil.edict.

Familiæ nomen in edicto,vi bonorum raptorum, eos qui in miniſterio ſunt cõtinere dicitur, etiamſi liberi eſſe proponantur, vel alieni bona fide nobis ſeruiẽtes.l.2. §.familiæ. D.vi bono.rapt.l.j.§.familiæ. D.de vi, & vi arma.vbi etiã familiæ appellatione ſeruos duos contineri Paulus lib.5.Sentent.tit.7.ſcribit.

Familia à Gente differt ſignificatione:quoniã Gens latius accipitur,vt cõprehẽdat omnes eiuſdẽ ſtipitis & nominis, etiã milleſimo gradu diſiũctos:Familia magis ad agnationẽ refertur:diducitúrq; in res, & in perſonas: In res,vt in x i i.Tab. *Agnatus proximus familiã habeto*, id eſt,hæreditatẽ.In pſonas autẽ,aut natura, id eſt, æquitate naturali,vt vxor marito,gener nurúſq; ſocero,deniq; quilibet familiaris dño: aut iure naturæ ſub vnius poteſtate ſubiectas,vti filios & nepotes, ceteróſq; deinceps q in poteſtate ſunt,l.in ſuis. D.de lib.& poſthu.

Familia legata, ſinguli homines continentur, auctor Iuriſconſ.in l.ſi chorus. D.de lega.3.item familiæ appellatione continentur etiam, qui à teſtatore non ſunt nominati.iuxta Bart.Extat elegans thema apud eundẽ Iuriſconſ.in l.is qui. D.de leg.3.

Familia deiecit,& ſi vnus ſeruus deiecit.l.j. D.de vi, & vi arm.atqui hoc nomine ſeruus vnus cõtineri negatur: ac ne duo quidẽ familiam faciunt,l.40.§.fi. D.de verb. ſig.Quæ ἀντινομία ita cõciliabitur. Vi Latini ſermonis verũ eſt familiã de vno ſeruo non dici:ita enim Cice. in Orat.pro Cæcinna:Quid enim facilius eſt,quã probari iis qui Latinè ſciant, in vno ſeruulo Familiæ nomen non valere?Et paulo poſt.Neque dubiũ eſt, quin ſi ad rem iudicandam verbo ducimur, nõ re,familiam intelligamus quæ conſtat ex ſeruis pluribus cum vnus homo familia non fit. Sed ſi rationẽ iuris, interdictíq; vim, & Prætorum voluntatem inſpiciamus, ſi vnus ſeruus deiecit,tota familia deieciſſe intelligenda eſt.

Familia in edicto de Publicanis,corpus quoddam ſignificat vectigalis cauſſa paratum,l.195.D.de verb.ſign.nec

ad ſeruos modò publicanorum pertinet, verum etiam ad quoſcunque, qui publicanis in eo vectigali miniſtrant, l.j.§.familiæ.l.12.D.de publica.

Familiam ſeruilem accipimus in titul. D.ſi familia furt.feciſ.dicat.l.9.D.de iuriſdict.& alibi ſæpiſſimè. Familiam publicam, in l.j.D.de offic.præfec.vigilum.interpretamur ſeruos publicos, qui præſto ædibus aderant. Familiam in vrbanam, & ruſticam diuidimus, l.3.D.de penu.lega.l.67.D.de leg.3.l.166.D.de verb.ſignifi.

Familiæ appellatione & ipſe princeps familiæ cõtinetur. Fœminarũ liberos in familia earum non eſſe, palã eſt: quia qui naſcuntur, patris non matris familiam ſequũtur, l.196.D.de verb.ſignif.

Familiam communi iure dicimus omnium agnatorũ qui ex eadẽ domo, & gente proditi ſunt, l.195.D.de verb. ſign.vt eiuſdem familiæ rectè dicantur, qui eiuſdem nominis ſunt. Ac proinde patroni & liberti, & omnes propinqui, ad fideicommiſſum, quod familiæ relinquitur, inuitati intelliguntur.

Familiam ducere, pro præcipuum eſſe aliquid, & principem in re aliqua obtinere locum. Cic.ad C.Trebatiũ: Accedit etiam quod familiam ducit, in iure ciuili ſingularis memoria, ſumma ſcientia: quibus ſignificat, hanc primam eſſe Trebatij laudem, & veluti propriã. Item lib.3.de Finib. Sententia quæ familiam ducit.

F A M I L I A R E funus, domeſticum interpretantur quidam, l.2.in fi.D.de in ius voc.l.4.D.ſi quis caut. Familiaria ſepulchra, quæ quis ſibi, familiæque conſtituit, l. 5.D.de relig.& ſumptibus funerum.

F A M I L I A R E S in conſtitutionibus principum ſeruilia miniſteria præſtantes intelligũtur, l.vlti.ad fi. C.de iis, qui ad eccleſ.confug.l.pen.C.qui accuſ.poſ.

Familiaris res publicæ opponitur, l.7.§.ſi paciſcar.D.de pact.& alibi. Priuatã enim, & familiarẽ pro eodẽ dici liquidò conſtat, d.§.ſi paciſcar.cũ l.77.§.pacta. D.eodẽ.

F A M I L I A R I C A veſtimenta, quæ ad veſtiendam familiam parata ſunt, l.23.D.de auro & arg.leg. Sic Familiaricas ſellas dixit Varro lib.j.de re ruſt.c.13.

F A M I L I A R I T A S, amicitia, vel domeſticitas, l.qui iure familiaritatis.D.de acquir.poſſ. Quandoque accipitur pro ſimilitudine.§.adeò.Inſt.de locat.& l.2.locati.D.

F A M V L V S, à familia deducitur, vt vult Feſtus, i in u litera permutata. Atq; à ſeruo hoc diſtat, quòd hic in domino noſtro eſt, ille verò minime, & vide Arch.ca.patrem.22.q.3. Famulus aliquando pro ſeruo accipitur, l.j. C.de comm.ſer.man.& de hoc verbo vide Bar, l.iubemus.C.de præpoſ.ſacr.cub.

F A N A T I C I olim dicti ſunt homines numine afflati, qui verbo Græco ἔνθεοι dicuntur, & θεοφορούμενοι, quod non ſua ſponte, ſed diuino numine ferantur: à fanis ſcilicet, quòd circa fana, hoc eſt, tẽpla baccharentur, & caput iactantes per furorem, vaticinarentur. Hodie dæmoniacos dicere poſſumus. Quos enim deos gentes putabant, dæmones erant. Huiuſmodi à Virgilio Sibylla deſcribitur Æneid.6.

- cui talia fanti

Ante fores ſubito non uultus non color unus.&c.

Liu.lib.39.de Bacchanalibus loquẽs: Viros velut mente captos cum iactatione fanatica corporis vaticinari. Quintil.lib.2.c.3. Frequens etiam capitis nutus non caret vitio: adeo caput iactare, & comas excutiente rotare, fanaticum eſt. Ex quo qui atræ bilis abundantia caput iactant; Fanatici quoque appellantur ab Vlpiano l.j.§.5.D.de ædil.edict. Si ſeruus, inquit, inter fanaticos non ſemper caput iactaret, & aliqua profatus eſſet, an nihilominus ſanus videretur. Quod paulo poſt appellat, Circa fana bacchari.

F A R apud Vlpian.in Inſtit.tit.9. ſignificat frumenti genus, vt admonuit Seruius apud Virgilium lib.j.Georg.

F A R I nihil aliud eſt, quàm ferre, id eſt, loqui. Vlpi.l.2.D. rem pupil.ſal.for. Et tamen propriè de pueris hoc verbum intelligi vult Varro de Ling.Lat.lib.5. Fatur enim is, inquit, qui primum homo ſignificabilem ore emittit vocem.

F A R R A G O propriè eſt, inquit Feſtus, id quod ex multis ſatis, vt hordeo, vicia, & leguminibus fit, pabuli cauſſa: μεταφορικῶς, pro quacunque commixtione ſumitur. Iuuenal.Satyr.1.

Quicquid agunt homines uotum, timor, ira, uoluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.

F A S C E S numero plurali per tranſlationem ſignificant inſignia magiſtratus. Nam lictores cum faſcibus, hoc eſt, congerie virgarum, cui ſecuris erat adligata, præcedere ſolebant Conſules, ac alios magiſtratus maiores, ad terrorem malorum. Sicut nunc Imperatori gladius præfertur, ſupremæ poteſtatis ſymbolum, Bud.in l.pro conſules.D.de offic.proconſu.

F A S C I Æ crurales, peduléſque, l.27.in fi. D.de aur.& argen.leg.inter ornamenta muliebria ponuntur, vbi probanda eſt lectio Florentina, & vide Plinium lib.6. c.2.& Quintilia.lib.2.cap.3. Quinetiam faſciis puellarum, matronarúmque pectus tegi, papilláſque comprimi conſueuiſſe Iſidorus lib.20.cap.32.ſcribit.

F A S ad Deum, Iuſtum ad hominem referri voluit Maro lib.j.Georg. *Fas, & iura ſinunt*, id eſt diuina, & humana iura permittunt.

F A S T I dies, vide ſuprà Dies.

F A S T I G I V M attollere, eſt augere nomen, exiſtimationémque gentis ſuæ: vulgus Statum appellat.§.vnic.C. de nou.Codi.compo.

F A T V M Græcis εἱμαρμένη, à fando dictum vult Varro lib. 5.de Ling.Lati.ab eo ſcilicet tẽpore quod Parcæ pueris conſtituant fando. Quid ſit notum eſt. Sumitur autem pro caſu l.2. D.de condit.& demonſtr.& pro fine cauſſæ, l.properandum.C.de iudic.

Fatum, diuinationis genus, c.non obſeruetis.27.q.fi.

F A T A L E damnum, quod imprudentibus accidit: pro fortuito, & maiore caſu, l.3.§.j.D.naut.caup.ſtabul. Dãna quæ imprudẽtibus accidunt, hoc eſt damna fatalia, ſocij non cogentur præſtare, Sic l.3 D.de inſtr.vel inſt. l.2.C.de condict.furt.l.5.§.quod vero.D.commod.

Fatalis dies, vide Az.in Sum.C.de tem.appel. Vide item Dies Fatalis.

F A T A L I T A S, in l.j.C.de iur.emphy.pro fortuito caſu.

F A T A L I T E R, l.135.de verb.ſig.Paul.lib.3. Sent.tit.7.in l. 21.D.de euict.factum in Pand. Piſanis contra quàm in cæteris legitur; & in l.16.D.de rei vindic.

F A T I D I C I à fato & dico, vt dicuntur: Ita à fando quoq; Vates appellati ſunt, quaſi Fates. nam vtrique decreta deorum exponebant, quæ rurſus ſacerdotes enarrare conſueuerant craſſius, vt rectè intelligerentur, pro re nata, cùm Senatus faciendum aliquid aut intermittendum decreuiſſet.

F A T V V S, ſimplex, inſipiens, l.2.D.de poſtul. Tractum à ſapore ciborum, qui cum non ſapiunt, fatui dicuntur. Quidam ab inſulſo diſtinguunt, vt illud ſit verbis & dictis, hoc corde, & animo inſipientem eſſe.

F A T V I T A S, id eſt, ſimplicitas, ſtoliditas, cap.pen.extra, quod met.cauſſa. Cic.lib.11.ad Attic. Ego huius miſerrima fatuitate conflictor.

F A T V A R I I, qui inſpirati futura ariolantur, vt Iuſtinus ſcribit: ſic dicti à Fatua Fauni vxore, quæ furore correpta futura præcinebat mulieribus, vt Faunus viris, vt refert Lactantius lib.j.cap.22.

F A V E R E, eſt bene precari, l.ſi poſt mortem. § liberi.D. de bon.poſſ.cont.tab. Sic Terent.Eunuch.5.3.

Bene ædepol narras: nam illi faueo uirgini.

Hinc Fauere linguis, quod non ſolum eſt tacere, quod & paſcere linguam dicebatur, verumetiam εὐφημεῖν, id eſt fauſta loqui. Quare Fauere faucibus cantu, pro

canere,

canere, Ennius de gallis gallinaceis dixit: Qui ſilētio, inquit, noctis fauent faucibus ruſſis cantu, plauſúque premunt alas.

FAVORIS quoties mentionem facit lex, non oportet accipere vagum aliquem atque procliuem hominis affectum, qui ſæpe ſolet errare in delectu honeſti: ſed intelligenda eſt vtilitas quædam adeò coniuncta iuſtitiæ, vt fauor nihil aliud cenſeri poſſit, quàm ipſum ius. Siquidem ius à cauſſa finali inſpectum, nihil aliud eſt, niſi honeſtæ vtilitatis diſpenſatio, ad tranſigēdam hanc vitam ciuiliter ſecundum voluntatem Dei. Vtilitas rurſus fauorem in ſe complectitur. Nam fauere, eſt commodum, ſeu vtilitatem alicuius tueri ex animo. Idque grauiſſimè tradit Vlpianus in l. j. §. D. de iuſtit. & iur. Sunt enim, inquit, quædam publicè vtilia, quædam priuatim: ac ſi diceret, Cùm duplex ſit honeſta vtilitas in hominum ſocietate, conſequitur duplex eſſe ius eam diſpenſans.

FAVORABILIORES rei potius, quàm actores habentur. l. 125. D. de diuerſ. reg. iur. quod in dubio Accurſius accipit, & hoc probare mihi viſus eſt & in pari cauſſa turpitudinis & in dilationibus. Petrus Faber V. C. in d. l. 125. hoc accipit non ex mero ſtrictóque iure, ſed ex bono & æquo humanitate quadam, miſericordia, fauore, benignitate, & vt Ariſtides loquitur in Panathenaico, διὰ τῶν δικαίων τινα φιλανθρωπίαν.

FAVIA lex, Fabia dicenda eſt, vbicunque in Pandectis. C. & inſtit. reperies. Hinc Fabiana actio, Fabiana formula in lib. 18. iuris. Paul. lib. 3. Sentent. tit. 3.

FAX accuſationis, id eſt, auctor, incitamentum & ſuſcitabulum. Vide apud Nonium. Plin. epiſt. 74. Fax accuſationis & origo.

FE

FEBRIS definitur à Iuriſcoſ. l. quæſitum. D. de re iud. motus corporis contra naturam.

FEBRIS TERTIANA ſub nomine morbi ſontici cōtinetur. l. qui tertiana. D. de ædilit. edict.

FETIALES, Græcis, φητιάλεις, & εἰρηνοδίκαι, ſeu εἰρηνοποιοί, vel σπονδοφόροι appellati ſunt, vt vult Feſtus, ſacri ſacerdotes, pacis vel belli auctores: à feriendo dicti quod belli, pacíſque faciendæ apud eos ius erat. Nonius: Feciales apud veteres Romanos erant qui ſancta legatorum officio, ab his qui aduerſum Pop. Rom. aut rapinis, aut iniuriis hoſtili mente commouerant pignora facto fœdere iure repetebant: nec bella indicebantur, quæ tamen pia vocabant, priusquam fuiſſet quid fecialibus denuntiatum. Dionyſius libr. 2. eorum procurationem ſeptem in partes deſcribit. j. Vt viderent ne Pop. Rom. vlli fœderatæ ciuitati bellum inferret. II. Vt ab exteris nationibus res iniuria ademptas, peterent. III. Vt poſtulata facere recuſantibus, bellū indicerent. IIII. De iniuria contra fœdus illata cognoſcerent, & qui noxam nocuiſſet, dederent. V. De legatorum iniuriis cognoſcerent, & vt fœderum conditiones ſeruarentur, viderent. VI. Pacem facerent: eā quæ minus rectè facta eſſet reſcinderent. VII. De eo quod Imperator contra iuſiurandum feciſſet, cognoſcerent. Varro de Vita Pop. Rom. lib. 2. Itaque bella & tardè & nulla licentia ſuſcipiebant: & quòd bellum nullum, niſi pium, putabant geri oportere: priuſquam indicerent bellum iis, à quibus iniurias factas ſciebāt, Feciales legatos repetitum mittebant quatuor, quos Oratores vocabant. Illa autem repetitio, clarigatio appellabatur. Idem lib. 3. Si cuius legati violati eſſent, qui id feciſſent, quamuis nobiles eſſent, vt dederentur ciuitati ſtatuerunt: fecialéſque viginti, qui de his rebus cognoſcerent, iudicarent, & ſtatuerent, conſtituerūt.

FELINVS, Iuriſconſultus nobilis, Ferrariæ natus, ius ciuile tum in patria, tum etiam Piſis complures annos magna auditorum celebritate docuit: monimentiſque ingenij ſui compluribus relictis, circiter annum. 1500. vita exceſſit.

FELONIA, non præciſe contumaciam vaſſalli in dominum, huiúſve in vaſſallum perfidiam ſignificat: verum quoduis capitale facinus, lib. feud. 2. tit. 26. §. domino. 23. Domino committente feloniam (vt ita dicam) proprietas feudi ad vaſſallum pertinet, ſiue peccauerit in vaſſallum, ſiue in alium. Et rurſus tit. 37. & tit. 47. Si fratrem interfecerit, vel aliam feloniam commiſerit. Denique Felonia Gotthis & Langobardis dicitur, quod Germanis hodie *Schelmerey*: Latinis Scelus. Contumaciam & rebellionem inferioris erga ſuperiorem non ſignificat. Domino enim æquè in vaſſallum, vt huic in illum tribuitur. d. l. lib. 2. tit. 26. §. domino. Feloniam autem quidam dictā volunt à Græco φήλωμα, vel φήλωσις, id eſt fraus, deceptio, impoſtura.

FENVS dictum eſt, inquit Varro lib. 3. de Ling. Lat. à fetu & quaſi à fetura quadam pecuniæ parientis atque increſcentis. & idcirco & M. Cato, & cæteri ætatis eius ſine litera pronunciarunt, ſicuti fetus ipſe & fecunditas appellata. Græci eadem ratione τόκον appellant, ἀπὸ τοῦ τίκτειν, quod eſt parere. Alij malunt (vt ſcribit Valla lib. 4.) à fundo deduci, hac maximè ratione nitentes, prouentum eſſe à naturali terræ fructu: poſtea verò ad vſuram tranſlatum, non aliter ac ſi pecunia ex ſe fructum, ſicut terra producat. Eraſmus in prouerbio, A mortuo tributum petere, Fenus deductum exiſtimat ἀπὸ τοῦ φέρειν, quod eſt ferre: ſcilicet quod Veteres non vterentur hac voce niſi in terræ prouentu. Eſt igitur proprie fenus lucrum quod ex conuentione accedit ad ſortem mutuo acceptam. Atque differt ab vſura, quæ propriè eſt cum ad alium cōtractum accedit præter ſortem aliquid officio iudicis, non lucri cauſa, ſed ne in damno verſetur creditor propter moram debitoris.

Fenus nauticū eſt, quod pro pecunia traiectitia: id eſt quæ trans mare creditoris periculo deportatur, ſoluitur: vt patet ex tit. de naut. fen. lib. Pād. 2. Vnde etiā maritima vſura nominatur in l. 6. eod. tit. Vide Nautica pecunia.

FENEBRIS pecunia. §. cæterum. Inſtit. quod cum eo ex qua quis fenus exigit: vel quæ in nominibus conſiſtit, & quam quis quibuſdam mutuam dedit.

FENERARE pecuniam, apud Paul. l. ſi vnus. §. j. D. pro ſocio. eſt ita collocare, vt quaſi à re fecunda, ita ab ea aliquam inſuper pecuniā, quaſi fetum eius exigamus. Si vnus ex ſociis, inquit, qui non totorum bonorum ſocij erūt, communem pecuniam fenerauerit, vſuráſque perceperit, ita demum vſuras partiri debet ſi ſocietatis nomine fenerauerit. Idem in l. Caius. D. de vſuris. Caius Seius qui Remp. gerebat, fenerauit pecuniam publicam ſub vſuris ſolitis, &c. Dicitur & Fenerari, lib. 31. D. ſed ſumitur pro ad vſuram accipere: & ſuper eo verbo vide Vallam lib. 5. c. 25.

FENERATIO, eſt occupatio pecuniæ, ad quæſtum aliquem ex nummis creditis, ſine vllo creditoris vel impendio vel labore, vel periculo exigendum, inſtituta: quæ ob eam cauſſam à Platone, Ariſtotele, cæteríſque magnis viris damnata eſt: quia fructus quæritur ex re, quæ natura ſua ſterilis eſt. Præterea iuris ciuilis axioma eſt, non alteri quanque rem quæſtui eſſe debere, quàm cuius periculo eſt. l. ſi is qui. §. j. D. commod. Inter vſuram autem propriè & ſpeciatim ſumptam, & Fenerationem hoc intereſt, quòd illa non ad quæſtum faciendum, ſed ad id quod intereſt compenſandum, inſtituta eſt: quoniam, vt Paulus ſcribit, vſuræ non propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentium inſtituuntur. l. cum quidam. §. ſi pupillo. D. de vſur. At feneratio ad lucrum ex nudis nummorum corporibus ſine vllo labore & periculo faciendum, excogitata eſt.

Ferculum, vas ad ferendum opſonium, vel pulmentarium, ex Plinio lib.22. Baifius in l.vxori. D. de aur.& arg. F. Marius lib.2.c.3. ſcribit ferculorum nomine ſimpliciter dapes ſignificari.

Fere, nota eſt modeſtè loquendi, qua Iuriſconſulti frequenter vtuntur, quoniam omnis definitio in iure periculoſa eſt. l.j. D. de reg.iur.

Feræ beſtiæ manſuetis contrariæ ſunt. l.j. §. beſtias. D. de poſtul. l.3. §. item feras. D. de acquirenda poſſeſſione. Cuiuſmodi ſunt vrſi, leones, pantheræ, tigrides, elephanti. Sed & camelorum fera natura eſt. l.2. D. ad leg. Aquil. & vide. §. apiũ. Inſtit. de rer. diuiſ. Nec tamẽ de iis in iure præciſe hoc verbum intelligendum eſt: ſed generaliter de iis omnibus quibus immenſa atque infinita libere vagandi vis à natura inſita eſt: quales ſunt lepores, damæ, cerui: quorũ feram eſſe naturam nemo negat, inquit Caius in l.5. D. de acq. rer. dom. l.3. §. item feras. de acq. poſſ. Itaque apes, pauones, columbæque agreſtes, Feræ appellãtur. d.l.5. de acq. rer. dom. Manſuetas autem intelligimus, oues, capras, boues, equos, mulos, aſinos. l.2. D. ad leg. Aquil. item gallinas, anſerẽſue chortales. l.5. de acq. rer. dom.

Feriæ à feriendis victimis Feſto appellabãtur: ſuntque dies ceſſationis ab opere, vel ab epulis ferendis: in his enim epulæ fiebant ex pecorum frugũmque prouentibus: vel ſunt tempus illud, quo forenſibus negotiis, & iure dicundo ceſſabant. l.fin. C. eo. excepta pietate, & charitate: quod poſtremum Iudæi non intellexerunt, reprehenſi à Chriſto apud Lucam. Pulchrè reſpondet dictum Scæuolæ: Is enim conſultus, quidnam feriis agi liceret: reſpondit, Quod prætermiſſum noceret. Antiqui Feſtas vocabant, vt ait idem Feſtus. Antiquorum nomen Gallia retinuit. Pontificij pro feſtis Ferias dicunt, toto. tit. extra de Feriis.

Feriæ quædam ſunt in honorem Dei conſtitutæ: quædam verò hominum vtilitati tribuuntur. Diuinæ maieſtati dedicati erant, dies dominicus, dies paſchatis, dies natalis Domini, & Epiphaniæ: præterea ſeptem dies, qui præcedunt, & ſeptem qui ſequuntur: idem dies ſanctorum Apoſtolorum. Et hiſce diebus quicquid, nolentibus, aut inuitis litigatoribus factum eſſet apud iudices vel arbitros: id omnibus modis irritum erat & infirmum. l.2. l. omnes dies. 7. & l. vlt. C. de feriis. Hominum verò cauſſa conſtitutum eſt: Ne quis meſſium, vindemiarũmque tempore aduerſarium cogat ad iudicium venire. Quia occupati circa rem ruſticã in forum venire compellendi non ſunt. l.j. in prin. D. de feriis. Et hæ feriæ pro conſuetudine cuiuſque loci moderandæ ſunt, cùm non vbique vna ſit meſſis vindemiarũmque ratio. l. præſides prouinciarum. D. eod. tit.

Feriarum publicarum apud antiquos quatuor erant genera. j. Statæ, omnibus populis certæ, Varroni libr.5. de Ling. Lat. vel, vt inquit Feſtus, quod certo, ſtatutóque die obſeruarẽtur: ſicut nunc feſta immobilia dicimus. II. Conceptiuæ, quæ quotãnis à magiſtratibus, vel ſacerdotibus concipiebantur, in dies vel certos, vel etiã incertos: vt ſunt Latinæ, Paganalia, Sementiuæ, Compitalia. III. Imperatiuæ, quas Conſules vel Prætores pro arbitrio poteſtatis & pro re nata indicebãt. IIII. Nundinæ, in quibus pagani & ruſtici ad negotia & merces conueniebant. Sunt præterea propriæ feriæ familiarũ, vt Claudiæ, vel Æmiliæ; ſeu Iuliæ, ſiue Corneliæ, & ſiquas ferias proprias quæque familia ex vſu domeſticæ celebritatis obſeruat. Vide Macrob. libr.j. Saturn. c.16.

Feriarum aliæ ſolennes, aliæ repentinæ, & quæ extra ordinem indicebãtur, quæ eſſe videntur, quas ſuprà Imperatiuas vocauit Macrob. quarum fit mentio. l.26. §. ſi feriæ. D. ex quibus cauſ. maio. l.3. C. de dilat. & vide l.j. C. eod.

Feriarum Latinarum à Latinis Populis dictarum, quæ nũdinis expediri ſolebant, celebritatibúſq; maximis, tanta erat cura, vt præfectus crearetur perpetuus. Idque in memoriam eius temporis, quo Latini in ſocietatem Romanorum perſuaſi eſſent, Tarquinio Superbo regnante. Hac de re vide Halicarnaſ. lib.4. l.j. §. deinde cùm Cornelius. D. de orig. iur.

Feriatici dies, id eſt feriati, vel feſti. Vlpia. l.2. D. de feriis: Diuus Marcus effecit, de aliis ſpeciebus Prætorem adiri etiam dieb. feriaticis. Alij eo in loco Feriatis legunt.

Ferri propriè dicuntur, quæ quis proprio corpore baiulat: portari verò ea quæ quis iumento ſecum ducit agi ea quæ animalia ſunt. l.235. D. de verb. ſignific.

Ferre ad populum, Ferre in concionem, quaſi in medium adferre. Vnde ferre legẽ, vel rogare, Legiſlator dicitur, & populus dicitur iubere. Plebs autem ſciſcere legem, hoc eſt, ſtatuere, decernere, verbo ſcilicet ſubmiſſiore, quàm ſit iuſſio, denotans imperium. Vnde lex aliquanto pluris æſtimabatur, quàm plebis ſcitum.

Ferre pro accipere. Inde ferre puncta, & tribum, pro eo, quod eſt, accipere ſuffragia: & Ferre fructum, id eſt, accipere, vel percipere, apud Ciceronem: vt Græcis φέρειν. Pro auferre vſurpatur in l.j. D. de furt.

Ferre quæſtionem, eſt vindicandum facinus iudicibus præbere, & mandare, vel potius ad ſenatum referre, vt de vindicando ſcelere extra ordinem S C. fiat, & in iudicium res reducatur.

Ferre iudicem, antiqua iudiciaria locutio Ciceroni lib.2. de Orat. & in oratione pro Q. Roſcio, ſignificat iudicio aliquem laceſſere, & iudicem offerre. Quem ego, ait, ſi ferrem iudicem, &c. Eo dicendi genere vſus eſt Liuius lib.3. Proinde vt ille iterum ac ſæpius prouocet, ſic ſe iterum ac ſæpiùs iudicem illi ferre.

Ferentarii, milites leuis armaturæ, auxiliarij: ſic dicti à ferendo auxilio, vt quicquid opus eſſet, auxilio ferrent, excurſu leues, armis grauibus non impediti, ſed enſe & telis tantum inſtructi. Vel dicti ſunt Ferentarij, teſte Varrone, quod fundis lapidibúſque pugnabant: quæ tela feruntur, non tenentur. Salluſt. in Catil. Poſtquam eò ventum eſt vnde à ferentariis prœlium committi poſſet. Cato eos ferentarios dixit, qui tela ac potiones militibus pugnantibus ferebant.

Ferro damnati, vel ad Ferrum in l.8. D. de teſtam. & apud Vlpian. in Epito. tit.2. dicebantur, qui vt cum gladiatoribus pugnarent damnabantur. Sueton. in Nerone, Exhibuit, ait, ad ferrum etiam. 400. Senatores. Dicitur hæc pœna, & Ad gladiũ. l. ſiquis filio. §. irritũ. D. de iniuſt. rupt. l. ſiquis mihi. §. ſi quis plane. D. de acq. hæred. Hoc ſupplicij genus à Cõſtãtino abrogatũ eſt.

Ferrum Indicum. l.fi. §. ſpecies. D. de publican. de quo Plinius lib.34. c.14.

Ferrarii, in l.fi. C. de excuſ. artif. & apud Vegetium lib.2. c.11. qui in legionibus habebantur fabricæ ferrariæ cauſſa.

Ferruminare conglutinare, quãdo conglutinatio ſcilicet fit ex ipſa materia quæ conglutinatur, Pomp. l.27. de acquir. rer. dom. Si tuum ſcyphum alieno plũbo plumbaueris, alienóve argento ferruminaueris.

Ferruminatio eſt eiuſdem generis materiarum ſolidatio, & coniunctio, vt ſi ſcypho argenteo fundus ferreus apponatur. De hoc notat. in l. in rem. D. de rei vindicatione. Ferruminatio autem hoc differt à plumbatura, quòd hac, plumbo maſſa maſſæ iungitur, ita vt iunctura plumbea cohæreat. Illa verò, per eandẽ materiam maſſa maſſæ confunditur. Vide l. in rem actio. §. item quæcunque. D. de rei vind. & Baifium in l. vxori quis legauit. D. de aur. & arg. leg.

Ferrumen, d.l.27. pro ferruminatione. Propriè autẽ ferrumen eſt iunctura ſeu ligatura, quæ ex ferri excrementis

mentis vel ramẽtis,vel quauis alia materia fieri ſolet, Plin.lib.36.c.23.Ruinarum vrbis ea maxima cauſſa, quòd furto calcis ſine ferrumine ſuo cæmenta componuntur.Ferrumen in auro,chryſocolla vocatur agglutinando auro,inquit Plin.lib.33.

FESTA conuiuia.l.4.D.de ſacrif.pag.ſolemniter læta.

FESTINATIONEM præcipitem & ſubitã.§.j.de oblig. ex quaſi contra.opponit Iuriſcoſ. moratoriæ cunctationi,in l.tutor qui repertorium.§.j.in fi.de adminiſt. tutor.Secundum Catonem: Qui vnum quid maturè tranſigit,is properat: qui multa ſimul incipit, neque perficit,is feſtinat.Verùm vtrorumque verborum ratio ſub hac ſignificãtia proxima eſt vèritati,vt ſit ſæpe animi properare ſtudioſè ad res aliquas contendentis:Feſtinare,corpore neceſſitatibus obſequendi.

FESTVCA,virga Prætoria,qua quis fiebat liber: aliàs vindicta dicebatur.Vide Plutarch.in lib.de iis qui ſero puniuntur à deo.

φεύγων,in l.properandum.C.de iud.& aliis plurimis conſtitutionibus,ſignificat eum,à quo petitur, G.Budæo interprete,apud Anto.Aug.lib.2.Emend.c.1. Sic pars fugiens,pro reo.

FEVDVM vocabulum eſt Gotthicum & Langobardicũ: deductum fortaſſe ab illa notatione Germanicæ vocis FEED,quo bellum ſignificant: vnde in Conſtitutionibus Caroli magni Fœdoſus dicitur qui hoſtis eſt publicus.Prædia igitur bello occupata, quæ victor ea lege colenda & fruenda militibus ſuis tradebat, vt eũ perpetuò dominum agnoſcerent, ſéque illius homines,hoc eſt quaſi clientes profiterentur, Feuda dicebantur.Qui vero accipiebat,Vaſſus & Vaſſallus(quaſi dicas Famulus) appellabatur.quanquam qui latiniſſare voluerunt,nomine paullo honeſtiore quàm famuli aut ſerui,homines appellarunt. Vnde illa ſolemnis in feudis accipiendis formula, VT FIDES & hominium præſtetur:quod etiam poſtea barbarius, Homagium dictum eſt.Ac feuda quidem ab initio,quaſi precariò tantum dabantur, vt ea dominus quoties ei cõmodum eſſet repeteret:poſtea verò inſtitutum eſt, vt etiam in perpetuum tempus,ſub fidei & hominij conditione traderẽtur.Annotat Hotom.Obſer.lib.2.feudorum originem ad Pop.Rom.mores referri non debere,tum Feudum à fide non deduci,vt voluerũt quidam,his Gerardi verbis adducti: Antiquiſſimo tempore ſic erat in dominorum poteſtate connexum, vt quando vellent poſſent auferre: poſtea verò eò ventum eſt,vt per annum tantum firmitatem haberent. deinde ſtatutum eſt vt vſque ad vitam, &c. Nec enim verbum illud Antiquiſſimum ad ea tempora eſt referendum,cum nihil ſit abſurdi antiquiſſima tempora numerare illa, quibus primũ Gotthi Italiam occuparunt,prout ea ſunt quibus Gerardus & Obertus ſcripſere.Franciſcus Connanus tamẽ & à fide deductum vult,quam hi qui vaſſalli appellantur, hoc eſt quaſi coloni,ei à quo prædium accipiunt, dant:tum ab antiquis Gallis deductam hanc conſuetudinem exiſtimat, de quibus Cæſar lib.3.ſcribens dicit, eos qui opibus valerent,multos habuiſſe deuotos,quos ſecum in bellum ducerent,Soldurios ſua lingua nuncupatos: quorum hæc erat conditio,vt omnibus in vita commodis vnà cum his fruerẽtur, quorũ ſe amicitiæ dedidiſſent. Quod ſiquid his per vim accidiſſet,aut eũdem caſum ferrent ipſi,aut mortem ſibi conſciſcerent. Gregorius verò Haloander in Nouellarum præfatione admonet Feudorum conſuetudines à veteribus appellatas fuiſſe Iura militiarum, quæ Iuſtinianus στρατείας vocat. Feudum ergo genus eſt clientelæ, quo vel dignitas, vel vectigal,vel prædium aliquod ea lege alicui datur,vt & ipſe,& ipſius poſteri atque hæredes beneficij auctorem perpetuò agnoſcant,& quaſi pro patrono colant:eiúſque caput,exiſtimationem & fortunas tueantur.Illius enim cauſſa & origo hæc fuit,vt victores cum gratiam ſuis ducibus, præfectis ac militibus pro opera in bellis ac prœliis egregiè nauata referrẽt, honoribus & fortunis Italorum in illos transferendis tum etiam certos ſibi deuinctos,& tanquam deuotos clientes haberent,quorum opera bello partam regionem in poſterum,ſi opus eſſet,tueri poſſent: quos ſua lingua modò Valuaſores,modo Vaſſallos appellarũt. Vnde tres Feudorum gradus facti ſunt,ſummus, medius,infimus,regalis ſcilicet,nobilis,& ignobilis,quos paulo poſt exponemus vna cum aliis aliquot feudi gradibus.Angli verò,vt refertur ab Hotom.ex Anglica hiſtoria de iure Anglicano,Feudum aliud appellãt Simplex,aliud Talicum.Simplex quidem, id eſt legitimum vel purũ,vt nihil illis ſit Feudum ſimplex, quàm hæreditas pura & legitima.Hinc Feudatarius ſimplex, qui prædia perpetuario iure poſſidet. Talicum verò, cum prædia donata ſunt alicui viro & ipſius hæredibus ab ipſo naſcituris.At Feudũ quotuplex ſit,Iuriſperiti feudiſtæ inconſtanter tractant. Nam ex ſingulis qualitatibus ſicubi paulò maiores aut minores videãtur,proprias ſtatim diuiſiones cõnſtituunt: quaſi verò circunſtantiæ faciant nouam ſpeciem, contra leg.fin. D.de fund.inſtruct.& ſic pergunt, adeò vt arborem faciãt,non minus ridiculè,quàm ſi ex ſingulis pactionibus nouas contractuum ſpecies reducas in arborẽ. Nos aliquot ad vſum fori delineabimus feudorum diuiſiones.

Feudum,aut propriè,aut impropriè cenſetur. Feudum propriè eſt, quod ſimpliciter, purè, directò conceditur,nulla temporis aut ſeruitiorum determinatione.§. pen.& vlt.Quid ſit inueſtitura. Et de cõceſ.recti feud. Item c.j.quibus mod.feud.conſtitu.poteſt:Feudũ impropriè cenſetur, quod conditionibus, vel obſequiis nominatim definitis eſt alligatum.c.j.De not.feud.& §.fi.De capita.qui curi.vendi.

Feudum aliud eſt regale,aliud non regale.Feudum regale eſt,quod ab Imperatore,vel à Rege conceditur,habẽs præter ſimplicem iuriſdictionem, dignitatis titulum, vt Ducatus, Marchionatus, Comitatus, & cætera id genus honoris beneficia.c.j.quis dicat.dux.Feudum non Regale,quod nihil dignitatis vel eminentiæ adfert,ſiue à Principe ipſo,ſiue ab inferioribus (vt communiter)concedatur.capite vnic.qui feudar. poſſunt.

Feudum,aut nobile eſt,aut ignobile.Feudum nobile cenſetur, quod accipientis perſonam nobilitat, vel ſi prius fuit,nobilem oſtendit. Vt cùm ab Imperatore, vel rege cõceditur.c.j.quis dicat.dux. Feudum ignobile eſt,quod à plebe vel priuatis perſonis dari ſolet: nonnulli Burgenſe vocant.Item,conceſſum à minoribus,& minimis valuaſoribus, hoc eſt,plebeis, quaſi ad valuas ſtantibus: vt interim cognoſcas vmbram iſtius vocis.c.j.de his qui feud.dar.poſ.

Feudum,aut Eccleſiaſticum eſt,aut ſeculare. Feudum Eccleſiaſticum dicitur,quod vel Eccleſia dat alij,vel ipſa accipit ab alio:vel quod clerico cõceditur.c.j.de cler. qui inueſt.accep.c.j.de his qui feud.dar.poſ.& §.fin.de capi.Conradi. Feudum ſeculare, quod à principe, vel ab alio quouis ciuili homine accipitur.c.j.§.Marchio.de his qui feud.da poſ.

Feudum,vel reale eſt, vel perſonale. Feudum reale ad hæredes regulariter eſt trãſitorium, tam reſpectu domini,quàm beneficiarij,vt in c.j.§.cùm verò Conradus.de iis qui feu.dar.poſſ.c.j.de duobus fratri.à capita.inueſtit.& c.j.§.fi.quibus mo.feud.amitt.Nam quilibet cenſetur ſuis hæredibus proſpicere.l.pactum.D. de probat. Feudum perſonale æſtimatur bifariam: vno modo,quia non porrigitur ad hæredes accipientis,quanquam dantis ſucceſſores teneantur:vt eſt feu-

dum Guardiæ, quod arcis tuendæ, aut territorij cuſtodiendi gratia conceſſum fuerit, ſicut initiò haud dubiè feuda concedi ſolebant. Eſt enim Italica vox *Guarda la gamba*. Item tale eſt feudum habitationis. c. feud. habita. de c. Conra. c. vnic. de feud. guar. Altero modo cenſetur feudum perſonale, quod neque ad dantis, neque ad accipientis hæredes porrigitur, vt ſoldata. c. j. quis dicat. dux.

Feudum plerunque eſt maſculinum, quod ad maſculos tantùm pertinet. Quandoque tamē fœmininum eſt ex pacto. §. filia. de ſucceſſio. feud. & §. hoc quoque. de iis qui feud. dar. poſſ. c. j. de feud. fœm. §. quin etiam Epiſc. vel Abbat.

Feudum autē eſt antiquum, aut paternum, aut nouum. Feudū antiquum eſt, quod maiores adgnationis alicuius ſupra quartum gradum habuerunt. Paternum, quod parentes vſque ad quartum gradum tenuerunt: veluti, auus, proauus, abauus, atauus. Nouum verò, quod cœpit in perſona beneficiarij, nec peruenit ad eum ex ſucceſſione. c. j. de ſucceſſio. feud. c. j. de ſucceſſ. fratr. & grad. ſucceden. in feud. c. j. de natu. ſucceſſ. feud. c. j. §. nouam. Quot teſtes ſint neceſſa. & c. j. de fratr. de nou. benefici. inueſti. Eſt prætereà feudum maternū, quod à fœmina cognationis capite deſcendit, vt in tit. de benef. fœm.

Feudum aliàs diuidi poteſt, vt regulariter; aliàs diuidi non poteſt. Feudi quod diuiſionē non admittit (nam ſic ſimul etiam intelligemus exempla reliquorum beneficiorum, quæ diuidi poſſunt) exempla ſunt: Regnum, Marchia, Ducatus, Comitatus, & cætera, quæ dignitatem habent. c. j. §. omnes. Si de feud. defunct. controu. fue. int. domi. & adgnat. Vaſal. Conſtit. Imperia. §. prætereа ducatus. De prohibit. feud. alienat. per Frider. Bar. in l. inter tutores. D. de adminiſtr. tut. l. & ideo. D. de cond. furt. Panorm. in c. prudentiam. de offi. deleg.

Feuda domino aperta, item bona mobilia in feudis apertis, quæ non debebantur hæredibus, quoniam dominus olim ſemper recipiebat. Cuius iuris ſunt iam nunc veſtigia in pleriſque locis. Feudum quod domino aperietur, & ſit in diem mortis eius, qui nunc habet, fuerit alij cōceſſum, vt poſt mortē poſſeſſor is habeat.

Feudum Epiſcopale, quod Cæſar concedit Eccleſiaſticis principibus.

Feudum emptum. In feudo empto filia non ſuccedit, præſertim extantibus adgnatis, ſecundum communē doctorum ſententiam, vt probat Andreas de Iſernia. c. vnic. §. hoc autem. qui feud. dar. poſſ. Niſi ſit nominatim actū. c. vnic. §. filia. de ſucceſſio. feud. & c. j. de gradibus ſucceſ. in feud. Franciſ. Curtius conſi. 49. incipiē. Recolendæ memoriæ. Quod ſequitur Albertus Brunus. conſi. 16. incipi. Omnipotentis Dei, &c. Et quanquam in hoc ſunt opiniones variæ: tamen nemo diſſentit, quin feudum emptum vt omnia præſtentur quæ præſtari ſolebant, pro eodem feudo nondum empto, ſicut in præſenti caſu, non tranſeat in fœmineam ſucceſſionem. Quia ibi inueſtitura præponderat emptioni, & ſemper eſt attendenda, vt tractat Bald. in præfatio. feudor. Vbicūque enim fit mentio feudorum ſimpliciter, vel hæredis: ibi intelligitur feudum rectum & verum, hoc eſt, maſculinum, cuius fœminæ non ſint capaces. Quinimò in feudis hæreditariis, hoc eſt conceſſis alicui, & hæredibus ſuis, non ſuccedunt fœminæ, vt Bald. & alij notāt in c. vnic. in princ. An adgnat. vel fili. defunct. Bart. in l. vt iuſiurādi. §. ſi liberi. D. de oper. liberto. Sicut enim nulla ordinatio teſtamenti valet in beneficiis militaribus, ſeu feudis, vt eſt textus in c. vnic. in princ. de ſucceſſio. feud. & in c. j. in princ. de prohibit. feud. alien. per Frideric. c. j. §. donare, Qualit. olim feud. poter. alienar. Et vtrobique Bal. etiā conſenſu domini Alexand. conſi. 15. libr. 5. incipi. Viſis narratis in themate. Ita dominus feudi nō poteſt confirmare feudum in filiam, præiudicio adgnatorum nō cōſentientium, iuxta text. in c. j. de aliena. feud. patern. c. j. §. hoc quoque. de ſucceſſio. feud. & Bald. ſecundum Aluarottum vtrobique notat, quòd dominus nullam gratiam poſſit facere fœminis de ſucceſſione, per quā adgnati excludantur. Adeò quòd Imperator non vult habere poteſtatem infringendi iuris beneficiarij. Adducunt interpretes ſecundum Bald. duas potiſſimùm rationes. Altera, quoniam bonæ & naturales conſuetudines, quales ſunt beneficiariæ, ligant Principem, c. vnic. in fi. qui feud. dar. poſſ. & ibi gl. l. fi. C. ſi cont. ius vel vtili. publ. Altera, quia feudum eſt contractus nominatus, auctore Bart. in l. iuriſgentium. §. quinimò. D. de pact. Ang. Nouel. vt ſpōſali. largi. in princ. Sed contractus non vult Princeps in ſua poteſtate eſſe. l. fin. D. de conſtit. Princip. l. fi. C. ſi contra ius vel vtil. public. c. quæ in Eccleſiarum. de conſtitutio. Ergo Princeps nec feudi conſuetudines vult poſſe infringere.

Feudum conditionale, quomodo ſub pacto aliquo conceditur. c. j. §. fi. de inueſtit. feud. in vſib. feud.

FORMVLÆ.

FEVDVM dare, concedere feudum vaſallo, noſtri nunc dicunt. Romani, Dare mancipio fundum, in fidem ſuā accipere clientem.

Feudū auferre, Aperiri feudū, Noſtri. Romani, Iniicere manus prædio clientelario.

Feudum accipere, inueſtiri de feudo, Noſtri. Romani, Mancipio accipere, Fidem patroni ſequi, in fidem ſe conferre.

Feudum vendere, Noſtri. Romani, Obſequium vel clientelam exuere, alienato prædio.

Feudum paternum, Feudum antiquum, Noſtri. Romani, Ius gentilitium, quaſi ad gentiles adgnatóſque tranſiens. Cicero in Verrem actio. 5. Itaque nunc, ait, Siculorū Marcelli non ſunt patroni? Verres in eorū locum ſubſtitus eſt. Quam in te tantam virtutem aut dignitatem arbitratus es, vt conarere clientelam tam illuſtrem, tam ſplendidæ prouinciæ abducere, & auferre à certiſſimis antiquiſſimíſque patronis?

Feudum improprium, & feudum temporale vocant noſtri, quod ad annum vel quinquennium conceditur. Romani, precarium clientelare dixerunt.

Feudum à Gallis *Fief* dicitur: & is, qui feudum conceſſit vocatur *le Seigneur Feodal*. Eſt & in Gallia aliud feudi genus quod vocant *rierefief*, quale eſt, quod à feudatario alicui conceditur aut emitur.

FEVDATARIVS, qui feudum à Patrono ſibi commiſſum accepit, Latina conſuetudine, vt Beneficiarius, libr. Feud. 3. tit. 2. §. 3. Feudatarius Parium laudatione damnum reſarciat. Aliàs Feudalis dicitur, & Vaſallus.

FIBVLAM imponere dixit Seneca in moralibus, vt citat Lactantius lib. j. c. 16. de ſalaciſſimo Ioue loquens, pro eo quod eſt coërcere & reprimere: atque id ex lege Pappia Poppæa, qua ſcilicet minor annis ſexaginta ſexagenario nubere non poterat, vt hoc pacto Senatores docerentur continenter viuere. Huius contrarium eſt Laxare fibulam, id eſt anſam miniſtrare, aut feneſtram aperire. Tertullian. de Corona militis: Vt etiam volūtariis delictis fibulam laxet. Natum autem videtur vtrunque à fibula cinguli qua veſtis adſtringitur ſi fluxior ſit, aut remittitur ſi fuerit adſtrictior. Niſi etiam ad fibulæ adſtrigmentum mauis referre, qua adoleſcentulorum prurientium genitalia traiiciebant tum valetudinis, tum conſeruandæ vocis gratia: quod Infibulare vocabant: cuius rationem deſcribit Corn. Celſ. lib. 7. de qua Martialis lib. 7.

Menophili penem tam grandis fibula nectit. & lib.14.
Dic mihi ſimpliciter Comœdis & Citharœdis
Fibula quid præſtas?ut carius futuant.

Fictvs apud Bald.tit.de pact.Conſtant.verb.perſoluere. Barbaro vocabulo pro emphyteutica penſione, mercedéque meliorationis accipitur: videtúrque Alciato Latinè dici poſſe,Colonatium.

Fictum,fragile.c.charitas.de pœnit.diſtinct.3.

Fictio, eſt legis aduerſus veritatem in re poſſibili ex iuſta cauſſa diſpoſitio:etenim conſtat nũquam extendi fictionem ad ea quæ impoſſibilia ſint, gl.l.talis. de leg.j.§.minorem.Inſtit.de adopt.ſiue de iure, ſiue de facto id fieri nequeat.imitatur enim fictio naturam, nec facilè lex fictionẽ aduerſus fictionem inducit.l.3. §.è contrario.D.de acqui.poſſeſſ.Hæc ex primo.c.libr. 6.Parergon Alciati.Bart.verò in l.ſi is qui pro emptore.verſi.quæro ergo.D.de vſucap.ſic fictionẽ definit, Eſt in re certum,eius quod eſt poſſibile contra veritatem pro veritate à iure facta adſumptio. Eſt autem magna differentia inter fictionem & præſumptionẽ. Quia fictio iuris tantum operatur,quantum veritas: vnde nunquam ei dicitur eſſe contraria. ſiquidem ius facis ens de non ente. Præſumptio autem in dubio ſtat: tametſi eatenus veritatis habetur comes, quatenus in contrarium nulla adparet probatio. Vide gl. Bart.& Iaſonẽ in l.ſi is qui pro emptore.D.de vſucap. Itaque fictio ad ſolam legem pertinet.Nec enim contrahentes fingere poſſunt,niſi lege permittente:vt in Aquiliana ſtipulatione, & quibuſdam aliis item caſibus,in quibus lex ſtipulationem fingit,vel hypothecã. Eſtque Iure ciuili inuenta.Sic Iuriſconſultus in l.2.pro ſocio:Dominium ſocietate omnium bonorum acquiri,ſine traditione, per quandam fictionem affirmat: cùm textus dicat,creditur.Non autem ob aliud inducitur,niſi vt ſuppleat id,in quo deſideratur facti veritas,ad hoc vt ex ea veri producantur iuris effectus:vt declarat Bar.in l.ſi is qui pro emptore. D.de vſuc.Imitatur autem fictio legis,naturam ipſam.l.adoptio.D. de adopt.Vnde ſicut naturaliter quis filium ad tempus habere non poteſt,nec ſub conditione:ita nec emancipare eum,nec adoptare in diem vel ſub conditione licet.l.ſi tibi.eod.tit. Fictio autem priuata in perniciem alterius,nihil diſtat à fraudulenta ſimulatione. Vlpian.in l.cum hi.§.ſi cùm lis. D.de tranſact. Fingi enim,inquit,lites poterunt,vt tranſactio etiam citra prætoris fiat auctoritatem. Fictio habet locum in omnibus prædicamentis,vt refert Albericus in Dictionario in hac ipſa dictione,qui dicit etiã pro compoſitione accipi.

Fictio de iis qui apud hoſtes ſunt duplex eſt: altera Poſtliminij,altera legis Corneliæ. Poſtliminij fictioni locus eſt,cum captus ab hoſtibus in ciuitatem reuertitur.tum enim nunquam à ciuitate abſuiſſe fingitur.l. retro.l.in bello.§.j.& l.bona.D. de captiuis. §.4. Inſtit. Quib.mod.ius pat. Corneliæ autem fictionis locus eſt,cum captiuus apud hoſtes moritur, vt in ciuitate deceſſiſſe fingatur.vide l.lege Cornelia.D.de teſtam.l. lex Cornelia.D.de vulg.ſubſt.

de Fictione cannonis,ponit Archidiaconus.c. ferrum.50. diſtinctione.

Fictilia, vaſa ex terra facta.l.3.§. vitrea. D.de ſupellect.legat. Et Fictilis ſuppellex.l.7.D.eod.

Fides propriè diffinitur,vt ſit dictorum,conuentorúmve conſtantia,& veritas:dicta,quòd fiat quod dictum eſt,vt Cicero tradidit.Et in lib.de Repub.vt citat Nonius:Fides nomen ipſum mihi videtur habere,cum ſit quod dicitur.Hinc Vlp. in l.exempto. 11. D. de act. empt.Nihil magis,inquit,bonæ fidei congruit, quam id præſtari,quod inter contrahentes actum eſt.Ergo.

Fides bona eſt,cum id quod dictum ac promiſſum eſt,bene ac rectè fit,l. cum venderem. D.locat.vnde illud Auguſti apud Sueton.qui populo promiſſum congiarium repoſcenti,Bonæ fidei ſe eſſe reſpondit. Vnde fidem appellarunt veteres Chriſtiani,quòd ea, quæ de Chriſto commentariis Euangeliſtarum prodita erãt, veriſſima ducerẽt.Inde Rub.de ſum. Trin.& fid. cath. Fides etiam quandoque accipitur pro fidei ſacramento,quandoque pro habitu mentis.c.nihil.de conſecra. dictinctio.4. Fides,tuitionem etiam, auxilium,tutelam ſignificat:vnde in fide alicuius eſſe dicebãt olim, quod nunc vocant feudum ab aliquo tenere.

quod non eſt ex Fide,peccatum eſt,apud Apoſtolum, & in c.omnes.§.illud.28.q.j.& c.fin. de præſc.in antiq. ita accipias,quicquid fit contra conſcientiam,ædificat ad gehennam.

Fides quandoque ſumitur pro promiſſione. Fides ſyncera quid,vide gl.c.2.de elect. Fides teſtium ex quibus colligatur,Iuriſcoſ.docet.l.2.D.de teſtib.

FORMVLÆ.

Fidem ſuam adſtringere,eſt vinculũ obligationis ſuſcipere.l.procurator,qui pro.D.de euict. Fidem bonam præſtare,eſt ſine dolo,& fraude verſari,l.3.D.pro ſocio.

Fides pro cautione.in l.ſacris.C.de prox.ſacr. ſcrin.lib.12. Sic dicimus, fide alicuius ſumere, id eſt,non ſua, ſed aliena cautione. Hinc etiam dixit Cicer.fide alterius pecuniam ſumere,id eſt dato fideiuſſore. Fide ſua iubere,id eſt,ſponſorem ſe conſtituere, & periculum in ſe recipere.Paul.Si filiusfamilias ita ſtipulatus fuerit:Quantam pecuniam Titio credidero,fide tua eſſe iubes? Vlpianus.l.vbi autem.de verb.oblig.

Fides in tit.de ſumma Trini.& fid.cathol.c.& in Decreta. eſt (vt definit Paulus Apoſt.c. 11.epiſt.ad Hebræos) ἐλπιζομένων ὑπόςασις πραγμάτων, καὶ ἔλεγχος ὀ βλεπομένων.

Fides publica,in l.24.§.in bonis.D. de reb. auct.iudic. poſſid.*Credit* à Gallis appellatur. Cic. pro leg. Mani. Hæc fides atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, &c.& alibi,Scimus Romæ,ſolutione impedita, fidem concidiſſe.

Fides tacita,clàm & tacitè in fraudem legis, fiſcíve accommodata.l.13.§.cum ante. D. de iur,fiſci.l.15.§.pen. D.ad municip.Vlpia.Epito.tit.25. Et dicitur.

Fides accommodari,& interponi.l.43.§. vlt. D. de vulg.l. 10.D.de iis quæ vt indig.& cõmodari.l.pen.D. ſi quid in fraud.patr.

Fides emptori haberi dicitur etiam ſine ſatisfactione. §. vendita.Inſtit.de rerum diuiſione.l.19. D. de contrah. emptione.

Fide dominica agros colunt, qui non penſiones certa quãtitate,neque mercede,ſed arbitrio domini rationes reddituri colunt,l.18.§.cùm de villico.l.20.§.j.D. de inſtr.inſtrumentóque leg.

Fideles interdum generaliter dicuntur, qui in Principis alicuius poteſtate ac ditione ſunt,qui vulgo ſubiecti appellantur.Greg.Turon.lib.10. c.3. Nos, piiſſime Rex,ſubiecti atque fideles vobis gentique veſtræ eſſe deſideramus. Interdum verò ſpecialiter dicuntur iidẽ qui Vaſſalli,qui feudo accepto,in patroni fide & cliẽtela ſunt:viciſsímque ſuam ei certi obſequij nomine fidem adſtrinxerunt.Cicer.in Orat.pro Sexto Roſcio: Quære in cuius fide ſint & clientela.Lib. feud.j. tit.14. §.3.Si ergo domino & fideli placuit,vt paciſcantur de filia,&c.Et lib.j,tit.4.§.6. Tunc oportebit fidelem incrementi inueſtituram probare.

Fidelitas generaliter interdum pro fide & obediẽtia omnium ſubiectorum. Duplex enim fidelitas eſt: vna quæ à vaſſallis,& quaſi vaſſallis:altera quæ à ciuibus præſtatur, vt in leg. Frideric.de pace Conſt. libr.

Feud.2.tit.61. Vaſſalli noſtri à nobis inueſtituram recipiant, & fidelitatem faciant, ſicuti vaſſalli: cæteri omnes ſicut ciues à 16.annis vſque ad 70. Item apud Radeu.lib.2.c.30.Epiſcopos Italiæ ſolum ſacramentũ fidelitatis ſine hominio facere debere domino Imperatori.Hinc iuſiurãdum fidelitatis vaſſaliticæ, quod ab Imperatore Papa Clemens contendit in c. j. de iureiur.in Clement. Fidelitatem dicimus (inquit Obertus) iuſiurandum quod vaſſallus præſtat domino, lib.2. tit.3.§.4.& tit.26.§.9. vbi quod hæredes ſunt, tot fidelitatem debent: hoc eſt, tot debent ſe domino exhibere, vt ei ſuam fidem & obſequium interpoſito iureiurando adſtringant. Iuſiurandum fidelitatis videtur Latine non incommode dici Execratio poſſe. Cic. Verr.7. Vbi fides, vbi execrationes, vbi dextræ complexúſque? Vide Vaſſalitium.

FIDEICOMMISSVM eſt liberalitas qua verbis precariis, vel alio quocunque indicio precariæ voluntatis, teſtamento, vel codicillis, vel epiſtola, vel quo alio genere vltimi iudicij confertur in aliquem. Ideo autem ſic appellatur, quia nullo vinculo, ſed tantùm pudore eorum, qui rogabantur continebatur: vt Inſtit. de fideicom. hæred. in princ. Vlpianus autem ſic definit.

Fideicommiſſum eſt, quod non ciuilibus verbis, ſed precatiuè relinquitur, nec ex rigore iuris Ciuilis proficiſcitur, ſed ex voluntate datur relinquentis, Epitom. tit.25.

Fideicommiſſa dicebantur, olim quæ fidei hæredis alteri reſtituenda demandantur, quæ ab fide duntaxat hæredum licet penderent, vnde & nomen accepere. D. tamen Auguſtus, Vide Duar.in tit. de pact. ne perfidiæ humanæ locus eſſet, primus ad neceſſitatem iuris ea retraxit. Vide in princ. Inſtit. de fideicommiſſ. hære. & Theophil. item in princ. tit. de codic. ibid. vbi & ex Lucij Lent. perſona fideicõmiſſa cæpiſſe refertur. Vide etiam l.j,& 2.commun.de legat. Nec ignorandum, fideicommiſſa non eſſe (vt vulgò putant) legatis exæquata. Nam licet Vlpian. l.j. de leg. j. ſcribat, quòd per omnia exæquata ſint legata fideicommiſſis, non tamẽ è cõuerſo dicit, fideicommiſſa legatis exæquari. Vnde Zaſius colligebat, quod & ab Alciato pòſt legimus probatum, minimè ſequi neceſſariò, vt vtraque eodẽ iure petantur. Fiunt autem fideicommiſſa verbis precariis erga grauatum: qualia ſunt, rogo, peto, volo, mando, deprecor, cupio, iniungo, deſidero, impero. Vnde & nomen illud ſumpſerunt, quòd in ſola fide, pudoréque hæredis conſiſterent. §.fi. Inſtit. de ſingulis rebus per fideicom. relict. Accedit Vlpianus, inquiens; Etiam hoc modo, cupio vt des: credo te daturũ: fideicommiſſum eſt, de legat. l.j. l. etiam.

Fideicõmmiſſorum alia ſunt vniuerſalia, hoc eſt, ad hæreditatem ſpectantia, quibus totum patrimonium, hæres alij reſtituere rogatur: veluti, Peto à te vt illi hæreditatem meam reſtituas. Alia ſingularia, quæ rerum ſingularum ſunt: veluti, Rogo te hæres, vt Sempronio fundum illum reddas, reſtituas.

Fideicommiſſi appellatione & ſingulare, & vniuerſale continetur. l.j.D.ad S C.Treb.

Fideicõmiſſum generale, vniuerſale, & particulare, quid diſtent, docet Alex. l. grege. D. de leg. j.

Fideicommiſſaria hæreditas, quam alij reſtituere hæres rogatus eſt: & Fideicommiſſarius is, cui ea hæreditas reſtituitur, qui Trebellianus fideicommiſſarius appellatur. l.15.§.j.D.vt leg. ſeu fideicom. nomi.c. Quo nomine interdum hæres quoque fideicommiſſo oneratus adpellatur. l.51.D.de iud. vt & Nouel.107. Et qui de fideicommiſſis Romæ ius diceret conſtitutus prætor, Fideicommiſſarius dicebatur. l.4.ad fi.D.qui & à quib. l.78.§.pen.D.de leg.3.& l.92.D.de condit.& demonſt.

Fideicommiſſaria verba. l.29.D.ad S C.Trebell. quæ & fideicommiſſi verba dicuntur. l.69.§.fi.D.de leg.2. l.12.§. fi.D.de iniuſt.rupt.D.de leg.2.&, Precaria, vide infrà Precaria.

FIDEIVBERE, eſt ſuo periculo fore id de quo agitur, recipere, quod per ſtipulationem fit: vel fidem ſuam pro alio obligare, in fidem ſuam recipere, quod idem valet. l.27.in fi.D.ad S C.Velleia. l.29.§.legatum.D.de lib.leg. Quod & fide promittere dixit Paulus libr.j. Sẽtent.tit.9.

FIDEIVBERE pro condemnato, nihil aliud eſt, quàm promittere iudicatum cõdemnationis ſolui. l. ſi verò. in princ. D. qui ſatiſda.cog. Nam ſi non condemnatus, ſed abſolutus fuerit, & victor litis, nõ eſt opus aliquid ſoluere ex cautione iudicatum ſolui.

Fideiubens ob euictionem rei alienatæ, Auctor ſecundus tempore Iuſtiniani appellabatur. Nouell. Vt credito. primùm aggredian.§.neque hoc tantùm.Conſt.4.

FIDEIVSSOR, eſt qui fide ac periculo ſuo ſuadet, vt id de quo agitur fiat: quoniam eius euentum præſtat: vel qui alieno nomine obligatur. l.j.§. verbis. D. de oblig. & actio. Eorum autem, qui pro alio obligantur genera & differentias recenſet Accurſius in Authen. de fideiuſſor. Bart. in rub. D. de fideiuſſo. Mãdatoris autem ratio longe alia eſt quàm creditoris. Mandator enim conuentus à creditore nullam habet actionem propriam contra debitorem, niſi cædatur. Cædat ergo ei creditor ſuas actiones, & eas quidem nõ inanes oportet. proinde ſi non habeat efficaces quás cedat, ſi non poſſit à reo petere, non poterit etiam à mandatore. Fideiuſſor ſine ceſſione propriam actionẽ habet aduerſus debitorem mandati, vel negot. geſt. nec vſquã legitur cogi creditorem fideiuſſori cedere actionibus ſortis, licet ſi hypothecarias cedat, id fideiuſſori inutile futurum non ſit. Itaque rectè petet creditor à fideiuſſore, quamuis à reo petere non poſſit.

Fideiuſſor, pro expromiſſore, quod fortaſſe alibi nuſquã. l.in perſona.D.de pact.

Fideiuſſor, ſiue interceſſor non eſt conueniendus, niſi priùs debitore principali conuento, Nouel. Vt creditor. primùm aggredian.§.j.Conſt.4. Abſente tamen debitore, poteſt primùm fideiuſſor cõueniri. Ib.§.cæterum ſi fideiuſſ. Aduerſus poſſeſſores bonorum debitoris, non eſt antea agendum hypothecaria, quàm apparuerit, bona debitoris ac fideiuſſorum non ſufficere. ibid.§.enimuerò neque. Cui non poteſt ex venditione bonorum debitoris ſatisfieri, quia nemo velit eas emere: ei debent bona in ſolutum (æſtimatione diligenter facta) auctoritate iudicis addici. ibid.§.certè ſi nemo. Cæterùm lex apud veteres erat, prohibens fideiuſſorem conueniri priùs, quàm debitor principalis eſſet conuentus, vt colligitur Nouell. Vt creditores prim. in princ. Eam legem vſus aboleuit, ad tempora vſque Iuſtin. ib. l. non rectè. C. de fideiuſſ. & manda. Iuſtinianus reduxit, adauxítque legem antiquam. ib.

Fideiuſſor exercitationis litis à fideiuſſore iudicati actionis ſeparatur. l.8.§.& poſt litem. D. de fideiuſſ. Illi ſunt qui fideiuſſores ad litem, & pro lite dati adpellantur. l.41.D.de pet.hæred. l.10.D.iudicat.ſol. qui ſcilicet, vel iudicio ſiſti, vel rem defendi, & iudicatum ſolui promittunt.

Fideiuſſor ob euictionem datus, in l.4.D. de euicti. vulgò auctor ſecundus. d.l.4.

Fideiuſſor in omnem cauſſam accipi dicitur, qui in id omne, quod ex ea obligatione, cui accedit, naſci poteſt, ſe obligat. l.56.D.de ædil.edict. l.54.D.loca. l.36.§. pen.D.de fideiuſſ.

FIDEIVBENDI FORMVLÆ.

Centum, quæ mihi L.Titius debet, eadem mihi dare ſpõdes? ſpondeo.

Stichum

Stichum aut centum fide tua iubes? fide iubeo.
Quantam pecuniam credidero, fide tua iubes? iubeo.
Mille modios tritici fide tua iubes? iubeo.
Si reus 100. aureos, quos mihi debet, non ſoluerit, fide tua iubes? iubeo. ex tit. D. de fideiuſſorib.

Fidiculæ, in l. j. & 2. C. Th. de quæſtionib. tormenti genus ab eo dictum Iſidorus lib. 5. Etymolog. ca. 27. tradit, quòd eo rei in eculeo ad fidem inueniendam, & eruendam torquentur.

Fiducia, præter vulgatam ſignificationem pro pignore accipitur propriè, quod creditori mancipatur, aut in iure ceditur, ea lege vt ſoluta ad diem pecunia remancipetur, non ſoluta, creditori pleno iure committatur, id eſt lege commiſſoria: aliàs vero pignoris dominium in creditorem non transfertur, l. cum ſortis. §. vlt. D. de pign. act. ſicque ſumitur apud I. Paulum lib. j. Sent. tit. 9. & lib. 2. tit. 13. & lib. 3. tit. 8. Vnde & Fiduciarius ſeruus, id eſt pignori obligatus, apud eundem lib. 2. Sent. tit. 12. & res fiduciaria, quæ loco pignoris apud creditorem, vtpote ſpe redimendi, depoſita ſit. & ita non rarò vtitur Paul. tit. de depoſ. Cicer. pro Flacco: Pecuniam adoleſcentulo grandi fœnore, fiducia tamē accepta occupaſti. Hanc fiduciam commiſſam tibi tenes hodie ac poſſides. Pecuniam (inquit) fœneraticiam à te ſumpſit adoleſcens, ob eámque fundum fiduciarium dedit, id eſt fiduciaria mancipatione. Hæc Budæus. Inter Fiduciam verò & pignus hoc interfuiſſe Iſidorus libr. 5. Etymolog. cap. 21. ſignificat, quòd pignus, manente apud debitorem dominio nudam poſſeſſionem transferret: per Fiduciam verò res aliqua mutuæ pecuniæ gratia vel mancipabatur, vel in iure cedebatur: Cum tamen, vt verbum conueniat, ſub ea lege factam fuiſſe mancipationem neceſſe ſit, vt ſoluta pecunia redderetur, & reſtitueretur. eáque ratione pignus à fiducia ſeparatur apud Ciceronem lib. 3. Offi. & aliàs Tertulianus in libro de Idololatr. pignoribus fiduciari dixit.

Fiducia item, eſt redhibendi, aut reuendēdi lex venditioni appoſita. Vt in emancipatione, cum interpoſita reuendendi aut remancipandi fide, pater filium venderet: atque ea re quidem is qui ea conditione emebat, pater dicebatur fiduciarius. Hanc vero legem pater naturalis interponit, vt ſibi ex ea filius reuendatur, atque ita à ſe manumittatur, & per manumiſſionē vt ſibi iura legitimæ ſucceſſionis acquirantur, auctore Caio lib. j. Inſtit. Vide Emācipatio. Fiduciam tamen non pactum eſſe, ſed verum principalémque contractum contendit Hoto. tum illud ſi admittatur, emancipationes non contracta fiducia fieri non poſſe: quas tamen Iuſtin. apertè teſtatur in Inſtitut. fieri poſſe, §. vlt. de legit. agn. ſucceſ.

Fiduciam accipere, apud Cicer. in Topic. Si tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Boëtius in 4. comment. Topic. Fiduciam (inquit) accepiſſe dicitur cuicunque res aliqua ea lege mancipatur, vt mancipanti aliquando remancipet. Veluti ſi quis dubium tempus timens, amico potentiori fundum mancipet, redditurо cum tempus illud dubium præterierit.

Fiduciam interponere, & fiduciam contrahere differre quidam volunt. Fiducia enim aiunt interponitur, cum ſemel tantum atque ab vno accipitur, vt in exemplo illo Boëtij: & cum pater filium ſuum emptori adumbrato vendit, confiſus ab eo cōtinuò filium ſuum manumiſſum iri: vel cum teſtator ſuam hæreditatem alicui ad tempus credit, confiſus illam ab eo alteri nominato reſtitutum iri. At contrahi fiducia dicitur, cum viciſſim ac mutuo interponitur: veluti cum poſt tertiam venditionem adumbrans emptor ita patri ſuum filium reuendit, vt eum pater continuò manumittat, vt l. 2. §. obiicitur. D. ad Tertulli. Hotom. in Comment. iuris.

Fiduciaria hæreditas, id eſt, fideicommiſſaria, quæ fidei alicuius cōmittitur, vt eam alteri reſtituat, apud Vlpia. in l. certi condict. Si cert. pet. & fideicōmiſſaria poſſeſſio quaſi fide data accepta, à fiducia tamen dicta.

Fiduciarius hæres propriè dicitur, qui inſtitutus eſt contemplatione non verè præteriti, ſed quodammodo inſtituti, l. 46. & l. 67. D. ad S. C. Trebel. Et dicitur fiduciarius, tanquam fideicommiſſarius, de quo teſtator ſpem concipit reſtituendæ hæreditatis poſt mortem ſuam. Quia non ſui contemplatione inſtituitur, ſed vt alij reſtituat, l. Seius Saturni. ad Trebel. l. dotem dedit. de colla. bonorum.

Fiduciarius pater, antiquo iure nominabatur, qui præter naturalem patrem alius adhibebatur, qui ſcilicet emptum filium, patri naturali reuendebat emancipandum. Quibus id fiebat ſolennitatibus, antiquitatis ſtudioſus (nam illæ ſublatæ nunc ſunt) petere poteſt ex primo Gaij Inſtit. lib.

Fiduciaria tutela, fiducia tutel. Fiduciarij tutores, appellantur fratres, aut alij quib. poſt mortem parentis ſingulari fide defertur auctoritate iuris, fratrum & ſororum in pupillari ætate adminiſtratio atque tuitio. Inſtitu. de fiduciaria tutela, in princ. & vide l. 4. D. de legit. tuto. & Vlpianum tit. 11. in Epitome.

Fiduciaria opera dicitur eſſe legati Imper. apud Cæſar. lib. 2. de bello ciuili: quia eius fidei abſente Imperatore prouinciæ adminiſtratio committitur.

Fieri, id eſt, eſſe & manere, l. ſi rem. D. de acquir. poſſeſ. & alibi ſæpiſſimè. Quandoque ſignificat eligi, in Auth. de adopt. in princ. Interdum morari, §. ſancimus. in Auth. de lenonib. Aliquando colligi, l. partis. D. de præſcrip. verb. ſignif. Fieri dicitur extra iudicium agere in iudicio, l. j. §. quibus. D. quod cuiuſque vniuerſ. fieri quid per aliquem qui dicatur, l. quod te. D. ſi certum pet. l. ſi cum dies. D. de arbit. Fieri in continenti dicitur, quando quid fit vno contextu, non diuertendo ad extraneos actus, contrariúmve actum interponendo. Vide cap quia propter. extrà, de elect. & hoc. iudicis arbitrio committi poteſt. glo. in cap. an ſit. de appel. & l. continuus. D. de verb. obligat. Fieri non videtur, quod iure non fit, l. 3. §. ſi liber homo. D. de condi. cauſ. data.

Figlina & Figulina, figuli officina, l. 6. D. de ſerui. ruſt.

Figlinum opus, arte figuli perfectum, l. 19. D. de ſeruitut. vrba. præd.

Figura, pro ſpecie, & forma accipitur, l. j. D. de obliga. & actio. l. 69. D. de hæred. inſtit. l. 31. D. de mor. cau. do. l. 30. §. tametſi. D. ad leg. Falcid. & Inſtit. de leg. in prin. Aliter planè Figura verborum, l. 116. D. de verb. ſign. & figura literarum, l. 38. D. de obliga. & action. & Figuratio, l. 124. D. de verb. ſignific. quæ verba per ſe patent.

Filii appellatione omnes liberos intelligimus, ait Paul. in l. 84. D. de verb. ſignif. nec ex proprietate ſermonis, nepos continetur, l. 6. D. de teſta. tutel. §. fin. Inſtit. qui teſta. tut. dar. ſed ex interpretatione. qua de re Bartol. & Baldus in l. Gallus. §. inſtituens. D. de liberis & poſthumis. præconio Salomonij vtiliter diſſerunt. Attingit item aliquot locis Alciatus in elegantiſſi. Comment. ſuis. de verb. ſign. Et Zaſius in tractatu ſubſtitutionum indicat, conſueſſe ætatem noſtram, cùm nominat filios, vel liberos, addere nepotes, ad tollēdas cauillationes. Benigna tamen interpretatione, & cùm voluntas aliud ſuadet, filiorum appellatione, & nepotes continētur, l. 84. l. 201. & l. 220. D. de verbo. ſign. l. 59. D. de ritu nupt. l. 4. §. concubinæ. D. de leg. 3. Filiorum autem nomine, etiam filiæ continentur. l. 16. D. de teſta. tut. l. 122. D. de verb. ſign. Sed non è contrario. veniúntque propriè primi gradus. text. eſt in l.

quod ſi nepotes.in fin.de teſtam.tut.diſcrimen inter filios & liberos ſecundum communem vſum & intellectum in idiotam & laicum illiteratum & indoctum venire & cadere non poteſt. Quod gloſſæ dictum in d.l.quòd ſi nepotes Bart.ibidem agnoſcit, & in l.liberorum.circa.fi.D.de verbo.ſignific.Tametſi in ordinationib.in quibus mens,& voluntas ordinatoris euidenter & manifeſtè deprehendi,aut declarari non poteſt,filiorum appellatione veniant etiam nepotes: vt ſentit Bart.in d.l.liberorum. & expreſſius Alexander in Addit.ad Bart.in l.Lucius Titius, qui fratrem habebat teſtamento.de hæred.inſtitut. Filiorum tamen nomen in poſthumos, poſthumáſque cadit,l.16. D.de teſta.tut,l.15.&l.17.de leg.1.l.164.D.de verb.ſign. Filius autem is definitur,qui ex viro & vxore naſcitur, l.filium.D.de iis qui ſunt ſui,vel alie.iur.

Filium cùm dicimus, non conditionem eius oſtendimus, qui in alterius ſit poteſtate,vt cùm filiumfamiliâs dicimus,ſed alicuius filium eſſe ſignificamus, A.Auguſt.ad l.j.D.de excuſ.tut.ad finem.

Filij ideò liberi dicti ſunt,vt parentes meminerint, ſe illis non perpetuò imperaturos. Itaque cùm pater filiam natam 25.annos negligit dare nuptui, abſque graui cauſſa,poteſt ipſa liberè,hoc eſt, ſine conſenſu paterno,matrimonium cōtrahere: & oportet nihilominus patrem ſuppeditare pro facultatibus dotem. Authen. Sed ſi poſt.C.de inoffi.teſta.

Filiorum hæ ſunt differentiæ, iuſti, legitimi, naturales, adoptiui.

Filij naturales ſecundum Azonem in Sum. C.eodem titul. ſunt multiplices. Aliqui ſunt naturales & legitimi, vt qui naſcuntur per legitimum torum. Alij ſunt legitimi tantùm,vt adoptiui.Alij naturales tantùm, vt nati ex concubina vnica, & in domo indubitato affectu coniuncta.Alij neque naturales,neque legitimi,vt qui ex illicito, & damnato coitu nati ſunt. De his omnibus eſt gloſſ.Inſtitut.de adopt.in princip. & gloſſ. in cap.per venerabilem. qui fil.ſint legi.Et quot modis naturales de ſoluto cum ſoluta efficiantur legitimi, patet in c.tanta.qui fil.ſint legi. Vbi etiam dicitur, quòd filij vulgò nati vel concepti ſunt, qui non habent patrem determinatum. Sed(vt Azo dicit) hæc diſtinctio ſecundum iura ciuilia Imperatorum datur, & non ſecundum iura naturalia: quia fortè ſecundum theologos non eſt vſquequaque verum, ſecundum quos matrimonia,ſeu indiuidua maris & fœminæ coniunctio, eſt de lege naturæ,quia ſecundum Ariſtotel. & Philoſophos 1.Politicorum, Naturalis videtur coniunctio vnius ad vnam,& vagus concubitus contra naturam.

Filius regis poteſt dici Rex viuēte patre.argumen.§ cùm quidam Cælius. l.cùm verò is. D.de fideicommiſ.libertat.adiuncto textu in l.in ſuis.& ibid.Bald. D.de liber.& poſthum.

Filium ſpurium,reſcripto Principis legitimum effectum, verè legitimum cenſuerūnt Socinus, Decius, Curtiúſque, vt atteſtatur Alciatus. Nam & aliquem mihi ait, iuſtum filium cenſeri, agnatis verò meis non cenſeri, haudquaquam naturæ repugnat:cùm ſatis ſit mihi integrè cenſeri filium, nihilq; obſtat,reſpectu aliorum, qui non conſenſerunt, fictionem legis nihil operari: huiuſmodi enim varietas magis aliorum perſonas, quàm ipſius filij reſpicit, l.in ſtipulationibus. §.j.de verb.oblig. Filij ſpurij ex ingenua muliere nati vtique ſunt ingenui, l.3.in fi.C.ſolu.matri. Filij ſpurij, vel ſacerdotum, poſſunt tantùm de bonis parentum accipere, quantum eis ſufficit ad alimenta iure naturali debita: etiam iure Canonico,ca.cùm haberet,De eo qui duxit in vxorem, quam poll.per adult. Et ibi tractatur. Angelus in l.fi.§.ſi à ſocero. D.quæ in fraud. creditor.& l.ignoti.C.eod.tit.Bald.in Authen.ex complexu. C.de inceſt.nupt. Vide conſi. Bartol.119.incip. Dominus Dominicus. Et conſil.194.incip. Cechus de Spoleto.

Filiifamilias filiæque familias dicuntur,qui quæve ex iuſto matrimonio procreati ſunt,& in patris poteſtate ſunt,l.4.D.de iis qui ſunt ſui, vel alie. Alij enim S.P.id eſt ſine patre,vel Spurij dicuntur, & in eum locum adoptantur.

Filium Senatoris accipere debemus,non tantum eum qui naturalis eſt,verum adoptiuum quoque. neque intererit à quo vel qualiter adoptatus fuerit, an in ſenatoria dignitate cōſtitutus eum ſuſceperit, an ante dignitatem ſenatoriam,l.5.& l.6.D.de ſenator.

Filiaster, Filiaſtra, eſt filius vel filia ex alio coniuge genitus vel genita, non ex eo, quem modò habet mulier,30.quæſt.j.ſi quis filiaſtrum.

Filiatio, vt per doctores in l.j.D.de condit.& demonſtra. per communem nominationem parentum, & quòd natus eſt in domo mariti commorantis vxori,l.filium.D.de iis qui ſunt ſui.c.Michaël. de fil.preſb.

Finis tam maſculino genere, quàm fœminino dicitur. Aliàs itē fini,aliàs fine.Nouel.de teſtib.§.ſi verò ignoti.Conſtit.90. Vt hac ſaltem fini (ait Iuſtinianus) nihil de veritate occultent. Sæpe vero finem accipiunt Iuriſcoſs.pro modo, vt eſt à F.Duareno lib.j.diſputat. Anniuerſ.obſeruatum. Vide locum.ca.12. Itaque Fini, pro vſque ad finem: ad finem verò, pro ad modum & quantitatem ſignificat,l.19. D.de compenſ.l.j.§.pacto. D.de vſur.l.5.D.de colla.dot.l.15.D.ad leg.Falc.l.25.D. de adi.leg.l.4.§.fin.D.de naut.fœn.l.4.l.42.§.j. D.ſolut. matrimo.l.17.de caſtrenſ.pecul.l.26.D.quando dies lega.ced.Sic & in l.66.in fin.D.de euict.l.33.§.ſi inter.D. de donatio.inter virum.

Finis pro definitione quandoque accipitur, eóque redditur verbum Græcum ὅρος. Sic in l.223.D.de verbo.ſignific. Prætereà Fines appellant Iuriſcoſs. quos Dialectici terminos,l.124.D.de verbo.ſignifi.

Fines agrorum termini,& limites appellantur,l.16.§.j.D. de vſu & hab.l.18.§.pen.& fin.D.de acquir.poſſeſ.l.2.§. cum Stichum.D.pro empto.l.21. D.quæ in fraud.credit.Sic apud Terentium in Heautontimorum.

Vicini noſtri hic ambigunt de finibus.

Eadem eſt & huius verbi vis in finium regundorum actione, qua inter eos agitur qui confines agros habent,§.quædam.Inſtitu.de actio.Iſidorus lib.5.Etymolog.c.25.Regi enim Boëtio interprete in Topic.fines dicuntur, quoties vnuſquiſque ager propriis finibus terminatur.Ergo Actio,

Finium regundorum, id eſt, diſcriminādorum, ſeu ſtatuendorum.Regere enim antiqua, & decemuirali ſignificatione, eſt ſuis finibus terminatum habere. Ad agros enim pertinet,non ad ædificia vrbana, iuxta §.fi.l.4. D.fin.regund. Nec inconcinnè dicitur finalis quæſtio,in l.11.D.fin.regund.In finalibus quęſtionibus, vetera monumenta, cenſus auctoritas ſequenda eſt. vide Ferra.in §.ſi finium regund.Inſtit.de offic.iud.

Finitor, qui fines determinat: ſic vtitur Plautus in Prologo Pœnuli.

Finitimus, vicinus,c.per tuas.de ſenten.excom.

Firmum, & ratum differunt: Firmum de facto, ratum de iure Bart.in l.id quod pauperibus.iuncta gloſ.C.de epiſcopis & clericis.

Fisci, fiſcinæ, fiſcellæ, ſpartea ſunt vtenſilia ad maioris ſummæ pecunias capiendas: vnde quia maior ſumma eſt pecuniæ publicæ quàm priuatæ, vt pro cenſu priuato loculos & arcam & ſacellos dicimus, ſic pro publico theſauro ærarij, dicitur Fiſcus. Hæc Aſconius: quæ Cicer.hic locus ex Verrina 5.confirmat: Quatuor HS.quos mihi Senatus decreuit, & ex ærario dedit, ego habebo, & in ciſtam trāsferam ex fiſco. Item tradunt Feſt

dunt Feſtus lib.15. & Iſidor.libr. Etymo.vlt.cap.9. Propriè autem.

FISCVS, dicitur Principis, vt ærarium populi. Plin. in Panegyr. At fortaſſe non eadem ſeueritate fiſcum qua ærarium cohibes? imo tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo quàm de publico credis. Vlpian. l.2.§.2.D. ne quid in loc.publ. Hoc interdictum ad ea loca quæ ſunt in fiſci patrimonio nõ pertinet. Res enim Fiſcales quaſi propriæ & priuatæ principis ſunt. Poſterioribus autem temporibus Ærarium principis dictum eſt propriè pro priuatis rebus Auguſti, vel Auguſtæ: Fiſcus autem generaliter pro ſacris theſauris, vt in l.2. & l.3.C.de quadrienn.præſc. Fiſcus autem his verbis à Græcis definitur: φίσκος κόφφινός ἐν ᾧ τὰ τῶν λημμάτων ἐτίθετο χρήματα. μετὰ ταῦτα δὲ ταμεῖον γέγονε καὶ σακκος, ἐν ᾧ παραφυλάττεται τὰ φισκάλια χρήματα, καὶ ἐγένοιτο ταμιακὰ, ἅτινα τὸ παλαιὸν ὄντα τῶν δήμων μετῆλθ χθονὸν ἐν τῇ τοῦ βασιλέως οἰκίᾳ. Continetur etiam fiſci appellatione arca præfectoria, l.6. C.de exact.trib. Eodem nomine & pleraque alia ſignificantur, veluti princeps, procurator fiſcalis, officium fiſcale, ſtatio fiſcalis. Differentia eſt autem inter fiſcum & rempub. ſicut inter ſpeciem & genus. Fiſcus enim eſt burſa ſolùm de cõmodo pecuniario: ſed reſpublica pecunias, honores, præmia, alia conſiderat. not.in l.mancipia. C.de ſer. fugi.& colligitur ex rub.C.ne fiſcus, vel reſpub.putroci. Alberic.in l.reſpublica.C.ex quib.cauſ.maio.

Fiſci etiam nomine Eccleſiam intelligi notat Innocent. in c.cùm pro cauſa.de ſentent.excommu. vnde & ipſa fiſcum habet, ca.quia diuerſitatem.de conceſ.præben. & ibi gloſ.

FISCI etiam dicuntur, fiſcellæ iunceæ quibus olea premitur, l.19.§.j.D.locati.

FISCALES res, quæ fiſci patrimonio ſunt quaſi propriæ, & priuatæ principis eſſe dicũtur, l.2.§.hoc interdictum.D.ne quid in loc.pub. His autem tuendis conſtituebantur procuratores, qui & fiſci procuratores & aduocati fiſci dicebantur, in variis iuris Ciuilis articulis. Quæ nomina paſſim Gallia noſtra retinuit, *Aduocat, & procureur fiſcal.* de Procuratore fiſci accipienda eſt Antonini Imp.conſtitutio l.j.C.de fiſca.vſur.

FISTVLÆ, tubuli, vel canales, per quos aqua ducitur, l. 47.& l.49. D.de cõtrahend.emptio.l.38.§.fin. D.de act. empt.l.17.D.de ſer.vrb. Dictas autem inde ſcribit Iſidorus lib.19.cap.10.quòd aquas emitterent, ἀπὸ τοῦ στέλλειν, quod mittere eſt: additq; earum formas pro magnitudine aquæ, & capacitæ fieri, per quas aquæ modulis certis diuiduntur. Fiſtularum differentias conſtituit Frontinus libr.j. de Aquæductibus. Fiſtulæ interdum fictiles, vt plurimum verò plumbeę fiebant, l.15. D.de ſeruit. ruſtic.l.6.de aqu.duc.lib.11. C.Vitruui. lib.8.c.7.Pallad.lib.9.c.11.Collocabantur in riuis, l.3.§. fi.D.de aqua quotid.l.3.§.ſi quis nouum. D.de riuis. Et ſalientibus aquis iungebantur, l.15.D.de act.empt. Vel caſtellis, l.78.D.de contrahen.empt.l.17.§.epitonia. de act.empti.

FLAGELLARE annonam, l.6. D.de extraord. criminib.horreis fruges clauſas tenere: atque hoc in annona qui faciunt, eam duriorem reddunt, & onerant vndique coemptis frugibus, & in horreis reconditis: atq; hi Dardanij vocantur. Cicero Epiſt.ad Atticum lib.5. epiſt.21.Comprimere frumentum dixit. Eadem forma flagellare diuitias dicuntur, qui magnas arcis clauſas opes tenent.Papinius ſtrangulare dixit, nempe quod, occluſæ cum reſpirare nequeant, ſtrangulentur.

Non tibi ſuppoſitas, inquit, *infelix ſtrangulat arca, Diuitias.*

FLAGITARE, propriè eſt vehementer, & veluti quadam inflammatione animi petere. Significat etiam de ſtupro vehementius inſtantiúſque appellare. Vlpia.in l.nunquam. de priu.del. Si quis, inquit, alienam ancillam ſurripuerit, & flagitauerit. vtraque actione tenebitur. Sic apud Cice.reperitur, annotante hîc Bud.

FLAGRANS crimen dicitur, veterum Iuriſconſultorum verbo, in quo quis deprehenditur. adnotauit Hegendor.in l.ictus fuſtium. D.de his qui notan.infam. quo verbo vſus eſt etiam Iuſtinianus l. vnica. C.de raptu virg.

FLAGRVM, flagellum, l. Pedius. D.de incend.ruin.& naufrag.

FLAMINES ex eo dicti ſunt, ꝙ filo laneo caput cinctũ haberent, quaſi Filamines. Hinc à Dionyſio στεφανηφόροι vocantur: Flaminéſque, dictos vult ἐπὶ τῆς φορήσεως τῶν πιλωτῶν τεχῶ στεμμάτων, id eſt, quod geſtarent galeros & infulas. στέμματα enim dicit, filum quod apici circundabatur. Hinc Lanigeros apices Virgilius ſcripſit. Seruius dicit eos habuiſſe pileum, quem cum per æſtum ferre non poſſent, nec capite intecto eos eſſe liceret, capita filo religare ſoliti ſint. Nec verò tantum apex dicebatur flaminis pileus, verumetiam oleagina in eo virgula. Cognominabantur autem à diis quibus ſacra faciebant, vt Flamen Martialis, id eſt, Martis: Flamen Dialis, hoc eſt, Iouialis: qualis Iulius Cæſar adoleſcens adhuc fuit. Eſt & flamen deorum omnium, vt in hac antiqua inſcriptione: Patron. Col. Flamini Diuor. omnium: & in iſta, 11. Vir Quinq. Flam.diuor.omn. Erant Flamines in magna veneratione, primúmque locum poſt Regem ſacrificulum in conuiuiis tenebant. Flaminis item matrimonium ſola morte ſoluebatur, non alio diuortij genere. de Flaminibus 21. diſtinct.capitul.cleros.

FLATOR, fabricator, l.2.D.de origin.iur.

FLAVIANVM ius ciuile: liber eſt qui actiones continet. Nec verò Cneus Flauius de ſuo quidquam adiecit illi libro: ſed cùm Appius Claudius propoſuiſſet, & ad formam redegiſſet has actiones, Cneus Flauius eius ſcriba, libertini filius, ſubreptum librum populo tradidit. Pomp.l.neceſſarium.§.3.de orig.iur.

FLAVISSÆ, ab antiquis Latinis dicebantur, quos theſauros Græco nomine appellamus, quod in eos non rude æs, argentúmque, ſed flata ſignatáque pecunia conderetur, Gellio lib.2.cap.10.

FLVMEN Varroni lib.4.Ling.Lat.quòd fluat: à quo lege prædiorum vrbanorum, ita ſcribitur, STILLICIDIA, FLVMINAQVE VT ITA FLVANT, CADANTQVE. Inter hæc autem hoc intereſt, quòd ſtillicidium dicitur eò quòd ſtillatim cadat: flumen quòd fluat continuè. Flumina autem à riuis magnitudine diſcernenda ſunt, aut æſtimatione circum colentium. At Flumina quædam ſunt perennia, quædam torrentia. Perenne eſt, quod ſemper fluit, ὁ ἀέναος. Torrens eſt, quod tantum hyeme fluit, ὁ χειμάῤῥους. Si tamen aliquo tempore ex ſpeciali cauſſa ſuperueniente exaruit, quod alioqui perenne fluebat, non ideò minus perenne eſt. Et contrà, ſi vna forte aut altera æſtate fluit, quod alioqui nonniſi hyeme fluere ſolebat: vtiq; torrens cenſebitur, l.j.D.de fluminib.

Flumen publicũ, inquit Caſſius, eſt quod perẽne eſt, d.l.j.

Flumen priuatum, cui opponitur ſtillicidium, accipiendum eſt pro curſu vel fluxu aquæ, quicquid Accurſius comminiſcatur. nam vtrumq3, tam ſtillicidium, quàm flumen, pro re priuata accipitur, vt in l.vltima. D.de ſeruitutibus.

FLOCCI nomine intelligitur habitus habens manicas longas & amplas: Cucullæ verò nomine habitus longus & amplus ſine manicis, vt in clemen.ne in agro. §.verùm.de ſtatu monaſt.

FLVCTVARE, id eſt, dubitare, 12.diſt. c.illa autem nauicula.j.q.4.§.his ita.

Φλυαρίας nomine, quidam tumultuoſam petulantiam, alij ſeditionem. & turbulentas ineptias ſignificari aiunt: I.Cuiacius

I.Cuiacius lib.6.cap.6. Obſeruatio. carmen famoſum interpretatur.

Focarii l.j.§.caupones.D.nautæ caupo. ſtabu. mediaſtini qui focum curant.

Focaria, quæ focum colit,& culinaria eſt, l.112.§.Trebatius.cum.§.ſequen.& l.15. D.de inſtruct. inſtrum.legat.& l.2.C.de condit.inſert. certè μαγειρίσσας, Diuus Hieronymus Latinè Focarias reddidit. Focariæ etiam dicuntur concubinæ militum, quaſi fuco adſidentes, l.2.C.de dona.inter vir.& vxo.

Fodinæ dicuntur loca, in quibus quid offoditur, cap. cleros.21. diſtinctione. Argentifodinæ, aurifodinæ, cretifodinæ, paſſim in libris iuris Ciuilis.

Fodrum, Germanica vox eſt, quæ paſſim hodiéque in cauponis Germaniæ pro pabulo equorum vſurpatur. In legib.Franc. Tempore hyemis, quando mareſchalcos illarum ad fodrum dirigunt. Paſſim verò vſurpatur pro annona militari: vt lib.Feud.3.tit.1. Fodrum autem de caſtellis, quod noſtri Anteceſſores habuerunt, habere volumus. Item lib.2.tit.56. Extraordinaria collatio ad feliciſſimam regalis numinis expeditionem. Et tit.62. Nobis intrantibus Lombardiam Fodrũ conſuetum,& regale præſtabunt. Otto Friſing.lib. Frid.2. cap.13. Mos enim antiquus, ex quo Imperium Romanum ad Francos deriuatum eſt, ad noſtra vſque deductus eſt tempora, vt quotieſcunque Reges Italiam ingredi deſtinauerint, gnaros quoſlibet de familiaribus ſuis præmittant, qui ſingulas ciuitates, ſeu oppida peragrando, ea quæ ad fiſcum regalem ſpectant, quæ ab accolis fodrum dicuntur, exquirant. Huius collationis quæ ob tranſitum exercitus imponitur, mentio fit in l.ſi pendentes.12.§.ſi quid.D.de vſufruct.& apud Petrum de Vineis Epiſt.lib.2.cap.29. vbi Fodrum interpretatur frumentum, hordeum,& res alias victui opportunas, ad exercitum Imperatorium. Sicul. Flaccus de cond.agror. Nam & quoties militi prætereunti, aliíve cui comitatui annona publica præſtanda eſt, ſi ligna aut ſtramenta deportanda, quærendum quæ ciuitates quibus pagis huiuſmodi munera præbere ſolitæ ſint. Appendix Aymoini lib.5. cap.3. Inhibent à plebeijs vlterius annonas militares (quas vulgò Fodrum vocant) dari. Fuit autem hoc antiquioris quoq; conſuetudinis. Ammianus Marc.in fi.lib.21. Eique vehiculo inſidenti (de Iouiano Imperatore loquitur) vt Principibus ſolet, annonæ militaris offerebantur indicia, vt ipſi nominant proba. Quod ſanè cuiuſmodi ſit, non intelligo. Illud conſtat, annonas illas militares plerunque æſtimari,& pecuniam pro iis pendi ſolere. quod inſtitutum ex antiquis magiſtratuum Romanorum moribus fluxit: qui cùm frumentum in cellam ab aratoribus exigendi ius haberent, ſæpe pro frumento pecuniam, quanti frumentum erat, accipiebant. Qua de cauſſa genus illud frumenti Æſtimatum appellabant, vt in Verrinas Ciceronis Orationes multis locis docet Hot. Seruius Honoratus in 1.Æneid. Cellarium (inquit) dicitur paucorum dierum. vnde & in cellam dicitur imperatum frumẽtum. Penus verò dicitur longi temporis. Otto Friſig.lib.Friderici 2.ca.23. Peractis ibi aliquot diebus, cùm Fodrum à vicinis ciuitatibus & caſtellis & oppidis exquireretur, Spoletani indignationem Principis incurrunt. Dupliciter enim peccauerant, cùm octingentarum librarum facti eſſent obnoxij, partim defraudãdo, partim falſam monetam dando. Præclarum eſt autem, quod Cicero de ſuo Fodro & annonis ſcribit in Epiſt.ad Atticum: Nos Aſia excepit mirabiliter. Aduentus noſter ne minimo quidem ſumptui fuit. Scito non modò nos fœnum, aut quod lege Iulia dari ſolet, non accipere: ſed ne ligna quidem: nec præter quatuor lectos,& tectum quicquam: multis locis ne tectum quidem,& in tabernaculo manere plerunq;. Sic in prouincia nos gerimus, quod ad abſtinẽtiam attinet, vt nullus terror inſumatur in quenquam. Id fit etiam & legatorum & tribunorum & præfectorũ diligentia. Vide Mareſchalcus.

Foeciales, vide Fœciales.

Foedus Grammatici ex eo dictũ putãt, quia paciſcendo victimæ fœdè & crudeliter necabãtur, eiúſq; mors optabatur ei, qui à pace reſiliſſet. Hinc Virgil.9.Æn.

Et cæſa iungebant fœdera porca. Eſt autem,

Fœdus pactio quædam ſocietatis populi Rom.iuſſu ritè per Fœcialem certis legibus facta,& iureiurando firmata. Duo fœderis genera, notat Proculus l.7.D.de capt.& poſtlim. vt & Liu.lib.34. cum ſcilicet pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venerunt,& quibus bello victis data eſt lex, vt alterius populi maieſtatem comiter cõſeruarent. Tertium genus fœderum eſt, cum qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe iungendam coierunt.

Fœdus, pro fœditas, l.3.D.de ritu nupt. Nec enim honos ei ſeruatur, quæ ſe in tantum fœdus deduxit. vulgati Codices scelus, ſed hoc modo ſcripſiſſe Paulum facilè crederem. Hæc F.Hotom.in Commen.verb.iuris. Tu rem,& textum expende.

Foederati populi, qui dicantur, exponitur in l,7.D. de captiuis & poſtlim. Fœderati militum genus ex fœderatis populis conſcriptorum, in l.fi.C.de loca. Iuſtinia. Nouel.117. τῶν ἐν στρατείαις καταλεγομένων εἴτε στρατιῶται εἶεν φοιδεράτοι, εἴτε σχολάριοι, εἴτε ἄλλοι τινὲς ὑφ' ἑτέραν οἱανοῦν στρατείαν ἔνοπλον καταλεγόμενοι. Sudas, φοιδεράτοι, ait, οὕτω καλοῦσι Ρωμαῖοι τοὺς ὑποσπόνδους τῶν σκυθῶν.

Foeminæ ab omnibus officiis ciuilibus vel publicis remotæ ſunt. Et ideò nec iudices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio interuenire, nec curatores exiſtere, l.fœminæ. D.de reg.iuris. adeò autem fœminæ non admmittuntur in republica ad functionem virilium officiorum: vt Deus in pœnam reputet, ſi quando det effœminatos dominatores. Eſaiæ 3. Et Vlp.l.obſeruare. D.de offic.Proconſul. Proficiſci autem, inquit, proconſulem melius quidem eſt ſine vxore. Plerunque etiam ipſius fœminæ aduerſus commoda propria inuenitur laborare conſilium, l.ſi pater.C.de ſponſalibus.

Foeminino vocabulo maſculos contineri, exemplo turpiſſimum eſt, inquit Iuriſconſ.in l.ſi ita ſcriptum.de lega.2. Veteres enim, cùm aliquem tanquam mollem & effœminatum carpere vellent: fœminino eum vocabulo, irriſionis cauſſa appellabant. Quod iam nunc quoque fieri videmus.

Foenum, herbæ appellatione non continetur.

Foeniſecæ, qui fœnariis falcibus fœnum in pratis ſecant. Fœnum autem à fœtu dictum ſcribit Feſtus.

Foenus, Fœnerare,& Fœnerator, vide Fœnus.

Follis, in l.82. D.de condit.& demonſtr.& l.j.C.Th.ſi quis pecu.conflau.eſt crumena, marſupium, ſeu ſacculus pecuniæ, vt & Vegetius lib.2.cap.20. probat. Denique, ait, decem folles, hoc eſt, decem ſacci per cohortes ſingulas ponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur etiam ſaccus vndecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, ſepulturæ ſcilicet cauſſa. Hinc, In folle reliqua offerre, d.l.82. id eſt vt exponit Eraſm.Chil.4.cent.9. Prouerb.37. inexploratè, inexplicatè & confuſè: ſicut qui ſyngraphas & pecuniam ſacculo incluſas offert. Opponit enim Calliſtratus, In folle reliqua offerre, ei quod eſt, Rationes reddere, id eſt legendas offerre rationes primum, deinde computandas, vt explorari poſſit, imputationes probè an improbè referantur, accepta rectè relata, an non rectè: ita vt à facto res incipiat perueniat autem ad pecuniam.

Follis nummi aurei genus eſt, l.2.& 3.C.Th.quo appella-

non rec

non recip.& l.2.C.de præt.lib.12. ſic accipitur apud C. Harmenopulum, vel potius Iuſtinianũ in lib. περὶ νόμων γεωργικ. tit.2. ἀφ᾽ ἧς τὸ κλέμμα ἐγένετο κατ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ιβ φόλλας. vbi legendum φόλλεις. vbi etiam, ait ſingulos facere ſiliquæ partem.12. Sicq; Folles accipiendos cenſet in l.3.C.Th.de ſuar.B.Briſſonius. φόλλεις verbo vſus eſt Euſebius lib.10.Eccleſ.hiſt. φόλλεις planè ὀβολοὺς interpretatur Sudas & Moſchopulus. Inter glebam autem ſenatoriam & follem nihil intereſſe putat Cuiac. ad l.2.C.de præt.lib.12. Vide Gleba.

FOLLERALES dicti ſunt Græcis, qui Romanis Terentiani. ij ſunt auctore Marcellino in Chronico, quibus ſuo nomine figuratis placabilem plebi commutationem Anaſtaſius diſtraxit. I. Cuiacius ad l.2. C. de præto.& hon.præt.lib.12.

FOLIVM PENTASPHÆRVM, Folium Barbaricum & Malabathrum, l.fi.§.ſpecies. D.de public.& vectig. pro eodem ſumi debere videntur, diſtinguíque hac ratione, cognomine à regionibus in quibus prouenit folium, aut à foliorum latitudine, anguſtiáve ſibi comparato. Barbaricum enim à folio Indico exiſtimo cognomine tantum differre: vt & Pentaſphærum (pro quo tamen Hadroſphærum malim) à Meſoſphæro & Microſphæro, quod (vt iam dictum) à foliorum latitudine hoc ſibi nomen comparauit. Arrianus enim in Periplo ſic inquit, de Malabathri differentiis loquens: Hinc tria genera efficiuntur. E maiore enim folio, quod Hadroſphærum Malabathrum dicitur: è minore Meſophærum, ex minimo verò Microſphærum. Horum ſane Plin. meminit lib.& cap.12. vbi de Nardi foliis loquitur, amplitudine tantum & anguſtia foliorum, quæ in vna & eadem planta, alia maiora, alia minora, alia minima habeantur, differre ſcribens: ſed videtur perperam eo in loco vt & alibi confudiſſe Malabathrũ cum Nardi folio, falſus odoris cognatione, quod & quibuſdam ſuo tempore contigiſſe annotauit Dioſc. Nec tamen caret mendo d.Pand.locus.

FOLIIS in l.plenum.D.de vſu & habit. videtur pro oleis ſumptum, vt Obſeruat.lib.10.ca.37. ſcribit Cuiac. cùm ait Vlpian. Vſuarium neque foliis, neque oleo, neque frumento, &c. vſurum.

FOMES carnis, eſt languor naturæ, qui appellatur cõcupiſcentia carnis, 15.q.j.§.itaque.& non eſt peccatum, ſed peccati pœna, & dicitur animæ infirmitas, quia accidit animæ ex coniunctione carnis, d.§.itaque.

FOMITEM frumentarij tituli dicunt Imppp.l.fin. C.de frum. vrb.Conſtant. tametſi in corruptis exemplaribus paſſim legatur, firmiter, pro fomitem, ex C.Th.

FONS à fundendo dicitur, quòd inde aqua fundatur, quam Vlpia.l.j.D.de fonte, viuam vocat, ex perpetua quadam cauſſa. Quare primùm à ciſterna in hoc differt, quę aquam imbribus collectam continet Deinde à puteo diſtat, quòd cùm aqua de terra manat, & vſui ſeſe haurientibus præbet, fons dicitur: Vbi verò in alto & profundo eſt, ibi puteus appellatur. Vt tamen fontis nomen nõ amittat. Nam omnis puteus, fons eſt: non autem omnis fons puteus. Vnde Columella, fontem putealem dixit lib.D. re ruſt.11.cap.3.

FORBANVM, pro relegatione vel certarum regionum interdictione. Et Forbanniti, interdicti. Legis Franci. cap.50. Vt Comes qui latronem in Forbannum miſerit, vicinis ſuis, & aliis Comitibus notum faciat, eundem latronem à ſe forbannitum, vt illi eum non recipiant.

FORESTA eſt locus vbi feræ inhabitant, vel includuntur, Glo.in c.cùm dilecti.De donat.aliàs dicitur latum nemus. de his ponit Felin.in c.Rodulphus.verſi. Quid autẽ ſit Foreſta.de reſcript. Et vbi quis habet vſum venandi, ſecundum Ber.de donat.cum dilectus.in gloſſ.1.

FORINSECVS, id eſt, foris, §.fin.in Auth.de eccle.rer. immob.alien. vtitur & hoc verbo Plinius maior.

FORISFACTA, c.ad audientiã.extra de præſcript. ſunt pecuniariæ pœnæ delinquentium, vt exponit gloſſ. vide c.preſbyteri.extra de pœnis.

FORMA dicitur, quæ eſſentiam rei præſtat, vt eſt in l.Iulianus.§.ſi quis rem.ad exhiben. quod & de ſubſtantia dicimus, vt ſi in teſtamento deſit voluntas, vt quia furioſus aut impubes teſtatus eſt.l.generali.C.de ſacroſanct.Eccleſ.aut in contractibus deficiat conſenſus, l. cùm Aquiliana. de tranſact. Quod & ad materiã protrahendum eſt. Nam & ea contractui perficiendo neceſſaria eſt, vt res ex venditoris, pretium ex emptoris parte, l.in venditionibus.de contrahen.empt.§.pretiũ. Inſtitut.de empt. Alioqui actus ipſi, ſi horũ aliquid deficiat, omnino pereunt. Formæ, pro ordinibus, & decuriis quibuſdam intelliguntur, l.ſcriniis. de palat.12.

Forma modus, lex, conditio, l.10.D.de pollicit. Quo caſu certaminis editio licita eſt, forma pollicitationi data ſeruanda eſt. Sic Vlpia.l.2.§.2.D.ad munic. Quo ſenſu accipitur Forma iuriſdictionis, pro modo ſiue poteſtate qua ius alicui dicere permittitur.l.31.D.de falſis.

Forma iuris, legis, edicti, S.C.l.7.§.ſi paciſcar.l.42.D.de pact.l.22.D.de minor.l.j.de vend.rer.fiſc. l.j.in fin.l.15. C.ſi cert.pet.l.14.D.ſi cert.pet.l.j.C.de rei vendic. Forma contractus, l.7.§.ex contrario.D.ſolu.matri.l.52.D. de verb.ſign. Forma prouinciæ, id eſt fines & contributa loca.Vlpia.in l.7.§.j.D.de interd.& releg.

Forma cenſualis, regula qua cauebatur vt agri in cenſum referrentur, l.4.D.de cenſibus.

Forma agrorum, l.8.D.ad leg.Iul.pecul.apud Sicul.Flac.& Hygen.ſæpè. Formæ aquæductus, id eſt conceptacula quælibet, quibus diſtinguitur aquæductus, quæ Græci δοχεῖα, l.27.§.ſi quid cloacarij. D.de vſufructu. Sic, l.39. §.hæres.D.de leg.1.& l.3.& l.6.C.de aquæduct.lib.11.& apud Iulium Frontinum lib.de aquæductib.

Formarum aqua apud Caſſiod.lib.3. Varr.Epiſt.ad Senat. vrb.Rom. Formarum cura, apud eundem lib.5. Formarũ Comes in Notitia Imperij: vbi de præfecto vrbi Romæ agit, & apud Caſſiodorum lib.7.Variarum.

Formarum meatus, non forinarum, l.j. C.de aquæductibus. Nam & Formas per agros tranſeuntes Vlp.dicit d.§.ſi quid cloacarij. & tam ſulcum publicatum aquarum per agros meantium maceriis quibuſdam incluſum, quàm ipſam fabricam aquæductus formam veteres appellant. Forma calcei, in l.5.in fin.D.ad legem Aquil.l.13.§.item Iulianus.D.loca. Formas, in quibus æra fundantur, dixit Plinius lib.36.cap.22.

FORMALE pretium, l.63.in fin. D.ad legem Falcidiam. alij formatum, & præſcriptum à cõtrahentibus interpretantur: alij forma cenſuali definitum, in qua exactiſſima rerum æſtimatio inibatur.

FORMALIA iuſtificari dicuntur, quando examinatur, an ſit ritè appellatum. de quo D.de appel.recip. & C. eod.titu. Hodie, Zaſius ait, in bonis conſiſtoriis primò iuſtificantur formalia, antequam audiatur cauſa appellationis. in l.Præſes prouinciæ. D.de re iudic.

FORMARE actionem dicit Iuriſcoſ.l.7. §.quinimò. D. de pact.& l.15.D.de nego.geſtis. Formari dicitur contractus pacto, quod ineſt, formámque ac legẽ, & modum dat, l.10. C.de iure dotium. ſic & l.iuriſgentiũ.§. quinimo.D.de pact. formari dicitur actio, Græcis τυποῦσθαι καὶ μετατυποῦσθαι.

Eormare inſtrumentũ, eſt cõcipere, l.9.§.ſolẽt. D.de pœn.

Formare punctum vocat Bartol. cùm in concluſione ſcopum iuris in vnam aut paucas theſes reducerent, vel conſenſu partium, vel auctoritate iudicis, vt ad principem referretur, ſi magna & dubia admodum eſſet cauſſa: ſi leuior, ad aliquem Iuriſperitum. Inde eſt titulus, C.de relationibus. Ex quo multa præclara vetuſtatis veſtigia relucent, ad colligendam æquitatem.

FORMVLA, à Forma diminutum eſt, prorſus tamen à corpore abhorret, & accipitur pro præſcripto, norma, vel nota: Item pro actione apud Paulum, de furt. l. ſi ſeruus nauem exerceat, non volũtate domini, de eo, quod ibi periit, vulgaris formula in dominum danda eſt: hoc eſt, actio in factum, Ex edicto, naut. caupo. ſtabul. quæ oritur ex recepto, vt hîc monuit Glo. Hinc,

Formulam intendere, pro dictare actionem, ſeu dictare iudicium. & formula excidere, pro cadere cauſſa, apud Suetonium, Vide Cadere.

Formulæ iuris, id eſt, ſolennitates antiquæ circa actiones, ſublatæ ſunt tantum ab Impp. Conſtantio, Theodoſio, & Valentiniano, nõ ipſa actionis formula, vt quidam exiſtimarunt, & magno quidem ſuo errore, & litigantium incommodo. Nam ſi ex facti ſerie, quantumuis bene narrata, aut nullam, aut ineptam colligas concluſionem, quæ haud rectè, quam à ſpeciali actionis inueſtigatione proficiſcitur, totus libellus corruit, vt probat Iaſon multorum teſtimoniis, in l. j. D. de edend. Formulas Latini auctores pro actionibus accipiunt: quas, ne populus, prout vellet, inſtitueret, certas ſolennéſque eſſe Romani prudentes voluerunt, l. 2. §. his legibus. D. de orig. iur. & Cicero pro Roſc. Comœd. Vulgus hodie ſtylum, formulariúmve appellat. Formulæ familiæ erciſc. comm. diuid. finiũ regund. dicuntur Vlpiano in Inſtit. tit. 19. Formula vulgaris, pro actione de peculio, l. 42. D. de furtis. Eodem ſenſu Formula damni infecti. Plin. lib. 9. ca. 59. Formula Fabiana Paul. lib. 3. Sent. tit. 3. Formula iniuriarum. Sueto. in Vitell. cap. 7. & Seneca, de cõtrouerſ. lib. 6. Formula ad exhibendum, Plin. lib. 5. Epiſt. ad Traian. Et Formula hypothecaria, ad quam Marcianus librum ſingularẽ ſcripſit, vt legum inſcriptiones teſtantur. Et Formula de dolo malo: Ciceroni lib. 3. Offi. Sic Formulæ apud Quintilianum lib. 7. ca. 4. accipiuntur, & Tacit. lib. de Orato. Dicuntur & ſtipulationum & teſtamentorum formulæ. Sub Formula iudicare dicebantur iudices à Prætore dati, qui formulæ cancellis adſtringebantur. Formularum cautores, M. Ciceroni lib. j. de Orator.

FORMVLARII, qui formulas prætorias concipiebant M. Fabio lib. 12 cap. 3. vt Leguleij.

FORMITEA iuratur, quando cum cauſſa adiecta, vel cum expreſſione contractus iuratur. Informiter verò, cùm cauſſa iuramenti non exprimitur, Zaſio de acti. §. item ſi quis poſtulat. Inſtit. de actio.

FORMIDOLOSVS, qui formidat, & qui formidatur, §. ſi quis. Inſtit. de pupil. ſubſtit. l. fi. C. de iur. delib.

FORNACARIVS ſeruus eſt, qui fornacem balnei, caminúmque ſuccendit. dicitur & fornacator. Nonius: Fornum & fornaces dicuntur à forno, quod eſt calido. vnde Forcipes, quod candẽs teneant ferrum. Varro de vita Popul. Rom. Cocula quæ coquebat panem primum ſub cinere, poſtea in forno: cuius vtriuſq; vocabulum à forno ductum, id eſt calore. Vlpian. l. 27. §. 5. D. ad leg. Aquil. Si fornacarius ſeruus coloni ad fornacem obdormiſſet, & villa fuerit exuſta. Paul. l. 13. & 14. D. de inſtr. vel inſtr. Inſtrumento balneario legato continetur & fornacator. Vtrobique tamen fornicarius & Fornicator legitur, non rectè: cum à fornice Fornicator: à fornace Fornacator formetur.

FORNICATIO eſt cuiuſlibet illiciti coitus genus, qui fit extra vxorem legitimam, ſpecialiter in vſu viduarum, meretricum, vel concubinarum. Fornicatio cum meretrice vel concubina, eſt mortale peccatum, & à iure diuino prohibita: licet quidam vulgares & ignorantes credant oppoſitum: quod eſt falſum, vt not. Panormit. in cap. inter opera. ad fi. de ſponſa.

FORNICARII l. 17. §. fiſcus. D. de vſuris. dicuntur opifices & propolæ, ſiue inſtitores, qui tabernas à fiſco conducunt ſub fornicibus, & ibi merces ſuas venales habent. Florentini libri habent, Foricarij: quod ſi rectum eſt, B. Briſſonius putat eos ſignificari, qui foricarum vectigal à fiſco conducebant: de quibus Iuuenalis Satyra 3. commeminit:

— & uerſo pollice uulgi
Quemlibet occidunt populariter. Inde reuerſi
Conducunt foricas. —

Conſtat autem vrinæ vectigal à Veſpaſiano Romæ impoſitum fuiſſe.

FORPICEM, cuius meminit cap. vnic. §. ſiquis quinque. de pac. ten. & eius violat. in vſibus feud. qui accipias docet Archidiaconus ca. in ſcriptis. 8. q. j.

FORTVNA, vocabulum medium eſt: ſed cùm fortunam ſolam dicimus, intelligendus eſt inopinatus proſperæ cuiuſpiam rei euentus. Sic theſaurum, fortunæ donum appellamus, l. ſi is qui in aliena. §. communis. D. de acquir. rer. dom. & §. quòd ſi ſeruus. ibidẽ. Fortuna aliud dedit, quàm cui operam dabat.

Fortuna ſingulari numero pro facultatibus & opibus, l. 40, §. j. D. de ſtatu lib. Argentarius coactor cum pene totam fortunam in nominibus haberet, ſeruis actoribus libertatem ita dedit.

FORTVITVS caſus, vide ſuprà Caſus, & vide P. Fabrum in l. contractus. D. de diuerſ. reg. iur. antiq.

FORTIVS, pro multò magis, l. 2. in fin. D. ne quis eum. l. pe. D. ſi quis caut. & alibi ſæpè.

FORVM dictum eſſe à ferendo, Varro tradit, quòd in eum locum controuerſiæ deferantur, ſicut negotiatores exponunt res ſuas venales ibidem. Baſilica olim dictum Græca imitatione. Sic enim Baſilica ſolebat ædificari, vt in ſuperiore parte iudicia, in inferiore negotia exercerentur, teſte Vitruuio. Et hodie quoque hæc forma fori ſeruatur multis in locis. Forum autem appellat Quintilianus, in quo iudicia publica exercebantur: idque Iſidorus probat in libris Etymol. cuius tranſcripſere verba Pontifices. in cap. forus. de verborum ſignifi. in antiq. Vnde Fori ius, l. 8. qui ſatiſd. cogan. Et fori præſcriptiones, quibus iudicis tribunal declinatur. hæ principio litis opponi debent, l. fin, C. de exceptionibus. Forum ſex modis intelligitur. Primo negotiationis locus, vt forum Flaminium, forum Iulium, ab eorum nominibus, qui ea fora conſtituenda curarunt, quod etiam locis priuatis, & in agris & in viis fieri ſolet. Alio, in quo iudicia fieri, cum populo agi, conciones haberi ſolent. Tertio, cum is qui prouinciæ præeſt, forum agere dicitur, cum ciuitates vocat, & de controuerſiis eorum cognoſcit. Quarto, cum id forum antiqui appellabant, quod nunc veſtibulum ſepulchri dici ſolet. Quinto, locus in naui, ſed tunc maſculini generis eſt, & plurale. Sexto, fori ſignificãt circenſia ſpectacula, ex quibus etiam minores forulos dicimus. Inde & forare, & foras dare, & fores, & foras & forecula, id eſt, oſtiola dicuntur. Hæc Feſtus.

Forum agere, dicebatur, inquit Feſtus, qui prouinciæ præerat, cum ciuitates vocabat, & de controuerſiis eorum cognoſcebat. Cicer. lib. Famil. epiſt. 3. Maleuoli homines qui te forum Tarſi agere, ſtatuere, multa decernere, iudicare dicerent. Vide Indicere forum.

Fori appellatione interdum ſubſellia intelliguntur, hoc eſt, iudicia publica, quæ exercebantur ſub dio, aut certè ex eo loco, vnde cœlum facilè perſpici poſſit: quod vel Cicer. ſatis indicat pro rege Deiotaro. Id obſeruant etiamnum apud Germanos pleraque municipia, præcipue quæ imperialis iuris cenſentur, dum in criminoſis cauſis cognoſcendum eſt. Apud meos Marchianos in pagis, & municipiolis iudicia exercentur ſub dio.

Fori diſputationem Pomponius in nobili illa l. 2. de orig.

iur.accipit,pro applicatione legum ad commoditatē Reip.cuius negotia in foro tractari ſolent. Dicimus enim,in foro diſputare,ſicut vti foro, deſeruire foro.

Foro interdicere,plus eſt quàm aduocationibus,vt ait Iuriſconſ.l.moris eſt §.j.D.de pœn.

Forum competens, cui parere neceſſe habemus, eóque cogi poſſumus,toto tit.extra de foro compet.vbi vide Fel.& Panor.

Forum diadematicum apud Varronem videtur eſſe appellatum illud Piſæum iudicium, quo victoribus diademata & coronæ tribuebantur: Piſis, inquit, diadematico foro præſtatur virtuti laus.

Foro cedere argentarij,& menſularij dicūtur, qui actum ſuum deſerebāt,Galli *faire banqueroute*:ab eo, quòd circa forum eorū tabernæ depoſitæ eſſent.l. 7. §. quoties. D.depoſiti.l.fi.D.de cura.bo.dand.Seneca lib. 4. de benefic.c.25.

FORENSES, cauſſidici,qui ſe in foro exercent.

FORENSES actiones,quæ alibi ciuiles, ſiue rei familiaris,priuatæ,aut pecuniariæ.l.j.D.de incend.ru.& naufrag.

Forenſes diſceptationes.l.repetita.C.de Epiſc.& cleric.

Forenſia inſtrumenta, quæ dicantur, & quanta eis fides adhibēda not.l.pen.C.de fid.inſt. & per Azo.in Sūma. C.eod.ἀγοραῖα Iuſtiniano in Nouel.de Tabell.dicūtur.

Forenſis iudex,ſecularis.c.ſi clericus laicum. de for.compet.lib.6.inde forū ſori,pro foro ſeculari paſſim apud interpretes Iuris ciuilis,& pontificij reperias.

FORANEVS, forenſis ſubſtantiuè,pro extraneo, & peregrino.

Foraneus,qui forum tenet,vel de foro venit.3.q.6.c.peregrina:& vide infra,Officialis foraneus.

FOSSA, eſt receptaculum aquæ, manufacta.l. vnic. D.vt in flum.publ.& alibi ſæpiſſimè. Foſſæ agrorum ſiccandorum cauſſa factæ.l.j.§.ſed & foſſas.& §.fi.l.2.§.j. l.24.D.de aqua & aqua plu.

FOSSATVM, pro foſſa & vallo quo caſtra cingebantur: vel (vt alij volunt) pro ipſis caſtris: quia foſſa cingi ſolebant.l.3.§.is qui in exploratione.D.de re milit.Vegetius lib.4.c.16.Sudas σιδήρῳ τῷ φοσσάτῳ,C.Harmenop. lib.6.tit.5.ἀνὴρ ἐν τῷ φοσσάτῳ κληρωθεὶς, ἃ μὲν ὅπλα, στρατιώτῃ ... τύπτεσθαι. In libello etiam variorum auctorum delimitibus ita ſcriptum eſt, Foſſatum decīſum paruum in fine pro termino poſuimus.

FOTINIANI. l. 5. C. de hæret. à Fotino Gallogræcæ Smyrnæ epiſcopo,de quibus in catalogo hæreſeōn,& Iſido.lib.8.Etym.c.5.

FRACTVM, interdum diſſolutum ſignificat, continetúrque ſub verbo,Rupiſſe.l. Marcel.de verb. ſign. l.ſi ſeruus ſeruum.§.inquit lex ad l.Aquil.

FRAGMENTVM, pars rei fractæ.l.ſi autem.§. Ariſto.D. ſi ſeruit.vindic.

FRAMEA pen.correpta accipitur pro rhomphæa, lancea ſeu haſta:de qua meminit Iuuenalis ſatyr. 13. dum dicit:

Et Martis frameam,& Tyrtæi ſpicula uatis.

Atque in lectione Zachariæ Prophetæ. c. 13. Framea, inquit,ſuſcitare ſuper paſtorem meum,& ſuper virum cohærentem mihi.Et ita debet intelligi locus Vlpiani in l.3.§.armis.D. de vi & vi armata.licet aliqui aliter intelligant.

FRANCISCVS ACCVRSIVS nobilis Iuriſconſultus Florentiæ natus,ius Ciuile Bononiæ, anno à Chriſto nato M. CCXXV. magna cū ingenij atque induſtriæ laude profeſſus eſt.Gloſſas in omnes Iuris ciuilis libros ſcripſit, magnopere adiutus iis,quas ſuperiores Iuriſperiti Irnerius,Bulgarus, Martinus, Placentinus, Ioannes Azo multifariam adſcripſerant. Præceptoribus vſus eſt Ioanne,qui Gloſſator vulgo nominatur, & Azone.Filium reliquit Franc.Accurſium, qui eodē in loco Ius ciuile interpretatus eſt, patriſque gloſſas locupletauit.

FRATER & ſoror in tranſuerſali linea ſunt in ſecundo gradu,iuxta leges Cæſareas: ſecundū pontificias Conſtitutiones in primo.Quæ ſit huius differentiæ cauſſa, exponunt interpretes.Iuris Cæſarei ſupputatio valet adhuc in hæreditatibus ac tutelis: Pontificij iuris, in matrimonio.

Frater per vtrunque parentem accipitur, id eſt,aut per matrem tantùm,aut per patrem, aut per vtrunque id eſt,ex vtroque eodem parente.Sed hic numerum non auget.Paulus in l.Iuriſconſultus. D. de gradibus & adfinibus. At Fratres germani dicuntur, ex vtroque parente, conſanguinei,ex eodem tantùm patre, non etiam eadem matre: vterini contrà, ex eadem matre, & duobus patribus.

Fratres ARVALES dicebantur,qui de finibus & terminis motis cognoſcebant.Sic enim vetus Gloſſa, Aruales ſodales, οἱ περὶ ὅρων διαγινώσκοντες ἱερεῖς.ſancti enim habebantur & inuiolati termini.Seneca in Hippol.

nullus in campo ſacer,

Diuiſit agros arbiter populis lapis.

De his Pli.l.18.c.3.M.autem Varro lib.j.de re ruſtica, appellat tātum pinos,cupreſſos, vlmos,quibus notis, vt docet, multi, tunc vti ſolerent,ne confunderentur prædia,& lites orirentur de finibus agrorum.reliquit autem oleas veteres enim illi Græci & Latini ordinibus quoque olearum idem præſtare ſoliti erant. Cic. pro A.Cæcina:Eius autem fundi extremam partē oleæ directo ordine definiunt & paulo poſt: Et clara voce imperat,vt eum,qui illum olearum ordinem intraſſet, occideret. Nec inſulſè arbitrabitur quiſpiam Ariſtophanem in Batrachis huc reſpexiſſe,cùm inducit chorum monentem Æſchylum poëtam qui erat acer & vehemens,μήποτ᾽ ὀργῆς ὕπο ... ἀγρότας ... Vide Feneſt.c.3. Varro lib.4.Ling.Lat.Fratres aruales dictos ait,qui ſacra publica facerēt propterea vt fruges ferrent arua:à ferendo & aruis.

Frater patruelis,filius patrui.Fratres patrueles, ſororéſque patrueles dicuntur, qui, quæve duobus ex fratribus progenerantur:vt apud Paulum traditum eſt in l. iuriſconſultus.§.eod.gradu.D.de grad.

Fratris appellatione, Iuriſconſ.complectitur ſororem.l. Lucius & Titia.D.famil.erciſc.l.Luci.Tit. §. quæſitum. de legat.3.Sed obſeruatu dignum, quòd Iacob.Butrigarius monuit,communem loquendi vſum aduerſari. Quanquam fratrum nomen interpretatione extenſiua nepotes complectitur:vt annotatum eſt ab Ioanne Andrea ad Speculat.de ſucceſſion. ab inteſtat.refragatur tamen communis vſus laicorum,ſecundū quem diſponentes regulantur.l.omnibus.de verb. ſigniſ.& l.fundi.eod.tit.l.Labeo.de ſupel.leg.cum concordibus legibus.Sic apud Modeſtinum de pact. Tres, inquit, fratres,Titius,Mæuius,& Seia,communem hæreditatem inter ſe diuiſerunt.& paulò pòſt:Sed poſtea duo de fratribus,id eſt,Mæuius & Seia.

FRATRIÆ, duorum inter ſe fratrum vxores dicuntur. Græcè ἐνατέρες.l.nō facile. D.de grad. Alc.in l.ſi ſuper. C.de tranſact.Feſtus lib.6.Fratriē etiā apud Athenienſ. tertia pars tribus erat.Alias etiam ſodalitium eſt.

FRATRVELIS, matertere filius, Iſidoro.Fratrueles etiā conſobrini.l.Cuiacio lib.6.Obſer.c.17.

FRAVS, à ferendo,deceptio, quæ alicui infertur. Apud Veteres pro pœna ſumebatur,vt ſcribit Seruius in 11. Æn.& Vlp.l.13.§.2.D.de ædil.edict.at in l.aliud.131.D. de verb.ſig.differre à Pœna vult, quòd fraus ſine pœna eſſe poſſit: Pœna non ſine fraude. Pœna enim eſt noxæ vindicta:Fraus & ipſa noxa dicitur, & quaſi pœnæ quædam præparatio,id eſt vt exponit Hotom.noxæ imputatio, & pœnæ periculum.Itaque ſumitur. l.j.

D.ad leg.Falc.Eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto.& in l.25.D.de adult. Viro adulterum in vxore ſua deprehenſum retinere horas viginti teſtandæ eius rei cauſſa,ſine fraude ſuo iure liceto. Sic l.8.D. de accuſ.Quando,& per quæ fieri fraus dicatur, differit fuſius Zaſi.in §.item ſi quis.Inſtit.de act.

Fraudis interpretatio, vt Papinianus ait, ſemper in iure ciuili,non ex euentu duntaxat,ſed ex conſilio quoque deſideratur.Obſerua autem Papinianum eodē reſpexiſſe, quò reſpexit naturalis lex, dum dicit, NON CONCVPISCES, NON DESIDERABIS ALIENA.

Fraudi opponitur Fides,apud Cic.in Catilin.& l.aliud eſt fraus.in princ.D.de verb.ſignifi. Fraus,pro fruſtratione malitioſa.l.fraudi,D.de origine iuris.

Fraus dolum ſignificat.l.25.D.de inoffi.teſt.l.63.D.de rei vind.ideóque hæc duo coniungi ſolent.l.3.in fi.D.pro ſocio.l.10.C.de procur. Fraudis (vt ait Tertullianus in libr.de idololat.) conditio ea eſt,ſi alienum rapiat aut debitum deneget.

Fraus capitalis,pro crimine ſumitur à Iuriſcoſſ.in l.23.§. excipitur.D.de ædil.edict.propter quam quis puniendus ſit,Sicque vſurpatur à M.Cicerone lib.j.de Oratore,& in Rabiriana.

Fraudem pro damno accipi quidam putant in l.33.D.ex quibus cauſ.maio.l.j.D.de alien.iud.mut.l.18.in fi.D.de iud. Fraus,pro incommodo,& periculo,in Fœdere antiquo apud Liuium lib.j.Rex,facíſne metu Regium nuncium Pop.Rom.Quiritū?Quod ſine fraude mea, Populíque Rom.Q.V.fiat,facio.Sic paſſim, Ne ea res fraudi ſit. Hinc Sine Fraude,id eſt ſine pœna,& periculo,vel impunè.l.j.§.j.D. ad legem Falc.l.26.§. hæc clauſula.D.ex quibus cauſ.maio.

Fraus fit legi,Senatuſconſulto,edicto,cōſtitutioni. Fraudem autem legi facit,qui ſaluis legis verbis, ſententiam eius circunuenit:id eſt,vbi quod fieri noluit, fieri autē non vetuit,id fit:nam quod diſtat ῥητὸν ἀπὸ τῆς διανοίας, hoc fraus ab eo quod contra legem fit.l.29,& 30.D.de legibus,Exempla ſunt.l.7.D. qui & à quibus.& alibi ſæpiſſimè in libris Iuris ciuilis. Hinc in Fraudem legis,iuríſque accommodaſſe quis dicitur.l.10.D. de iis quibus vt indig.l.103.D.de leg.3.l.3.D.de iure fiſc. Hinc etiam Fraudis cauſſa adſcripta conditio.l.27. D.ad l. Fal.quæ fraudandæ legis Falcid.gratia adſcribitur. Sic in Fraudem leg.l.Miſcellæ.l.64.D.de cond.& demōſt.

In Fraudem fiſci alienat,qui iam eo crimine damnatus,ex quo publicatio bonorum ſequitur, vel futurum proſpiciens vt damnetur,alienat.l.4.5.D. de iure fiſc. contrà in ſpecie.l.26.D.eod. In Fraude fiſci adoptio quādo fiat,l.fi.D.de bon.damna.

Fraus fit conuentioni.l.fi.C.ſi manc.ita venier.

Fraus in alienationibus,manumiſſionibúſve,quæ in creditorum,patroníve fraudem fiunt,in damno pecuniario accipitur.l.j.§.& aliàs.D.ſi quid in frau.patro.eámque,quod ad libertatum præſtitarum cauſſam attinet, & conſilio,& euentu ſimul æſtimamus.l.15.D. quæ in fraud.credit.Vtrobique verò in fraudem Theophilus inſtitution.quibus manumit.licet.& in §.item ſi quis in fraud.Inſtitution.de actio. interpretatur, πρὸς βλάβην,καὶ ἀπάτην,καὶ περιγραφὴν τῶν χρεωστῶν.

Fraudē facit,ſi quis quod facere debet,non facit.l.in fraudem facere.&l.ſequenti. D. quæ in fraudē creditorū.

FRAVDATIONIS cauſſa latitat,qui hoc animo latitat, vt fraudet creditores.l.50.D.de pec.& alibi ſæpiſſime.

FRAVDATOR,tam qui fraude alienat, quàm qui fraude accipit.l.ait prætor.§.pen.l.vlt.§.fi.D.quæ in fraud. creditorum. Variè hanc vocem accipi,Gloſſematarius declarat in l.imperatores,de curatores bon.dand.

Fraudator.l.vlt,C.de reu.his quæ in fraud.is eſt qui fraudandorum ſuorum creditorū cauſſa debitorem ſuum acceptilatione liberauit donandi animo, non debitor qui liberatus eſt,qui etiam ſiue fraudem ſciſſet teneretur creditoribus in ſolidum, ſiue neſciſſet,non inquantum facere poſſet, ſed inquantum locupletior factus eſſet.l.6.§.in hoc.D.quæ in fraud.cred.

FRAVDARE hæreditate,pro priuare,excludere ab hæreditate,ſemel ſcriptum.l.2.D.de his quæ in teſtam.

Fraudare nemo videtur eos, qui ſciunt, & conſentiunt.l. 188.D.de reg.iur.Nec fraudantur creditores,cum quid non acquiritur à debitoribus, ſed cum deminuitur de bonis.l.177.de diuerſ.reg.iur.l.6.D.quæ in frau.credit.

Fraudat vectigal,qui merces non profitetur, & Fraudati vectigalis crimen.l.8.D.de public. Hinc & Fraudare annonam.l.j.D.ad leg.Iul.de anno. Fraudati cenſus crimen.l.j.C.de quæſtio.

FRAVDVLENTVS vſurpator, idē qui malæ fidei poſſeſſor,nihil repetit impēſarum,nihil retinet, imputaturus ſibi,quare non abſtinuerit ab alieno. l.adeò quidem.§.ex diuerſo.l.qua ratione.§.ſed non vt litera.D. de acqui.rer.dom.

FRAVDATORIVM interdictum, quo in fraudem creditorum geſta reuocantur.l.67.in prin.D.ad SC. Trebell.& alibi ſæpè.cuius verba quædam referri videntur in l.60.D.pro ſocio.

FREQVENTES ire in alia omnia, pro frequētes diſſentire.Neque ſolùm ire in alia omnia, ſed & diſcedere & tranſire,eodem ſenſu veteres dicebant.

FREQVENTER fieri dicitur,quod aſſiduè fit.D.de inoffic.teſt.l.nam & his.de mino.l.& ſi ſine. Quandoque dicitur fieri frequenter,quod bis fit, in Auth.de defen. ciuit.ad fi.& ibi not. Quandoque multoties exponitur,in prooem.decretalium.§.ſanè. Quādoque voluntariè.C.de vſur.pupil.l.j.Quandoque ſæpius.18.q.2.nō ſemel habetur hæc dictio extrà vt lit.non conteſtat. quoniam frequenter.

FRIGIDARIVM, vide ſuprà Caldarium.

FRIBVSCVLVM in l.32.§.ſi diuortium.D.de don.inter virum & vxo.à diuortio ſeparatur:& leue iurgium ſignificat.l.31.D.de iur.dot.l.27.D. de pact. dot.Iſidorus Friuolum legiſſe videtur.Sic enim lib.9.Etymol.c.fin. Friuolum eſt,ait,cùm eo animo ſeparantur coniuges, vt ad ſe inuicem reuertantur.Nam friuolum eſt velut quaſſæ mentis,& fluxæ,nec ſtabilis.Feri autem poteſt vt à Friuoluſculum deducto à Friuolum,per contractionem factum ſit Friuuſculum,inde u,in b mutatione,Fribuſculum. Propriè autem

FRIVOLA vocātur fictilia vaſa minimi pretij: vnde pro leuis pretij ſupellectile hoc verbum vſurpatur.l.11.§. pen.D.de pig.actio.Seneca lib.3.Controuerſ.Ego illos in friuola inuitaui noſtra,&c.Pet.Faber.in l.48.de reg. iur.Fribuſculū apud Iſidorū vbi ſuprà, legiſſe videtur.

FRONS agri,in l.30.D.de acq.rer.dom. μεταφορικῶς dicitur.Quod verò antiquitus monumentis inſcribi ſolebat,In Frontem pedes tot,in latitudinem pedes tot ſepulchrum patere ſignificabat,interprete Acro.in Horatium.

FRVI plus eſt,quàm vti:nam vti eſt ad vſum, & neceſſitatem vti.Frui eſt omnem rei fructum, commoditatémque & vtilitatem percipere.Itaque qui fruitur, nō ad vſum modò quotidianum,ſed & ad abuſum,& ad compendium,& quæſtum vti poteſt. Dicimus autem locum fruendum locari, & conduci.l.j.D.de loc.publ. fruend.l.j.in fi.D.ſi ag.vect.l.7.§. Papinianus.D.ſolut. matr.Vitruuius lib.7.c.8.Feſtus lib.6.

FRVCTVS à ferendo dicitur,& generis nomen eſt,quo ea omnia quæ terra gignuntur propriè comprehendimus:atque eius duæ ſunt ſpecies, quarum altera Frugum nomine appellatur:nimirum quæ minutæ fruges dicuntur, hoc eſt quæ ariſta & ſiliqua continentur.l. frugem.77.D.de verb.ſignific. Altera verò generis ſui nomen

nomen obtinet,& quicquid præterea ex terra natum ad hominum alimentum pertinet, cōplectitur, vt vinum,oleum,& arborum baccæ,item fœnum, arundo, cædua ſylua.l.48.D.de vſufruct.l.40. D. de contrahen. empt.Poſtea verò fructuum appellatio generaliter ad omnem rei corporalis,& incorporalis prouentum relata eſt.Vnde mercedes rerum, quæ locari ſolent, & omnes res ex quibus commodum vel emolumentum aliquod percipitur,fructuum vocem obtinēt. l. videamus.D.de vſur.Iauolenus in l.fi. D. eod.tit. Fructus rei eſt,inquit,vel pignori dare licere.Et amicitiæ fructum dicimus.Cicero eleganter, Et amicos, ait, tanquam pecudes,eos potiſſimùm diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos.

Fructus communiter eſſe naturales, & induſtriales ſiue elaborati diſtinguuntur.Naturales fructus ſunt,qui vi, & beneficio naturæ principaliter, non diligentia, & opera hominis proueniunt:vt arbores,poma, lac, pilus,lana,agni,hœdi,vituli,equuli, ſucculi.l.fructus.D. de vſur.§.is verò ad quem.Inſtit.de rer. diuiſ. Fructus induſtriales ſunt,qui principaliter requirunt diligentiam,culturámque hominis,quæ niſi continuò interueniat,natura nihil operatur.l.bonæ fidei.in princ.D. de acq.rer.domi.Quando igitur nulli fructus contingant,ſine aliqua hominis cura,& ſine aliquibus impēſis,iuxta illud,Labores manuum tuarum manducabis: ſemper meminiſſe oportet,omnes fructus in hæreditatis petitione definiendos eſſe,deductis impēſis,quæ quærendorum,cogendorum, conſeruādorum eorum gratia fiunt.l.ſi à parte.§.fi.D.de petit.hæred.l. fructus. D.ſol.mat.

Fructus appellatione intereſſe quoque continetur.D.ſi ſeruit.vendic.l.loci corpus.§.in confeſſoria.& l. ſi fortè.§.fi.eod.tit.Obſeruādum etiam,cùm agitur in rem, fructuum nomine contineri vtilitatem,tam ex fructu, quàm vſu prouenientem.l.cùm in rem.D.de rei vind.

Fructus fructuum qui ſint, vide l.cùm autem redhibitio.§. cùm redhibetur mancipium.de ædil.edict.

Fructus hominis in operis eſt,& operæ in fructu ſunt.l. fructus.& l.præcedente.D.de oper.ſer.

Fructus verbum interdum ius,interdum corpus ſignificat.l.43.D.de euictio.Ad ius cum refertur, ius vtendi fruendi ſignificat.Vſusfructus itaque,an fructus legetur,nihil intereſt.Nā & fructui vſus ineſt, at vſui fructus deeſt.l.14.§.j.D.de vſu. & habit.l.41.D.de vſufr. legat.Fructus quandoque ſinè vſu cōſtituitur.l.5. §.ſed & ſi vſus.D.vſufr.quemad.cau.Cum autem ad corpus refertur,eos propriè qui ex re ipſa naturaliter enaſcūtur,fructus complectitur:& ab vſuris, pēſionibus,cæteriſque obuentionibus ſeparantur.l.19.D.de hæred. petit.l.34.D.de vſur.l.39.§.fructus.D.de leg.3.l.11.D.de donat.Hæc enim omnia nō fructus eſſe,ſed fructuum vicem obtinere dicuntur,di.l.34.& l.83.D.de leg.3.cum non natura proueniant,neque ex ipſo corpore,ſed iure percipiantur,& ex obligatione.l.62.D.de rei vind.

Fructus & vſus hoc differunt,quod fructui & vſus ineſt, vſui fructus deeſt:& fructus quidem ſine vſu eſſe non poteſt:vſus ſine fructu poteſt. vt ſi tibi fructus deducto vſu legatus ſit,inutile ſit legatum: & ſi vſufructu legato fructus adimatur, totum ademptum ſit.ſed ſi fructus ſine vſu,videatur conſtitutus qui & ab initio conſtitui poteſt.ſed ſi fructu legato vſus adimatur, nulla ſit adēptio.l.14.§.j.D.de vſu & habit.Vide Vſus à fructu.

Fructus fundi venatio non eſt,niſi fructus fundi ex venatione conſtet.l.26.D.de vſur.

in pecudum Fructu fœtus eſt,& lac, & pilus & lana.l. 28. D.de vſuris.§.in pecudum.Inſtit.de rer.diuiſ.

Fructuum alij pendentes,alij percepti.Pendentes, adhuc terra continentur & terræ cohærent.l.44.D.de rei vind.& alibi ſæpè. qui & pars fundi cenſentur.l.fructus.D.de rei vind.& res mobiles, propter futuram mox perceptionem:de quo Bart.in l.vlt.de requi.reis. Appellantur,& ſtantes.l.7.§.interdum.D.ſol.mat.l.26. D.de fur.His opponuntur percepti,qui à ſolo ſeparati ſunt.§.is verò.Inſtit. de rer.diuiſ.At Fructus percipiendi ſunt,quos tam petitor percipere potuiſſet,quā poſſeſſor.l.ſi nauis.§.fi.de rei vend. Duobus autē modis dicuntur fructus tam percepti, quàm percipiendi. De quibus latè Speculat. tit. de Fruct.& intereſſe. §.j. per tot.adde Bart.in d.l.& ex diuerſo.§.ſi petitor.D.de rei vendic.

Fructus aridi ſunt qui adinuicem commixti non confunduntur,vt meſſes.l.vlt.§.vlt.D.de iur.fiſci.l.is.C.Th.de ſuſcept.l.j.C.Th.de vſur.Liquidi verò qui confunduntur,vt vinum, mel, & ſimilia, inſtit.de rer.diuiſ. §. ſi duorum.& §.quod ſi frumentum.vide in auth.nullum creden.agricol.tenere illius terram.

Fructum percipi ſpica,aut fœno cæſo, aut vua adempta, aut excuſſa olea,quamuis nondum tritum frumētum, aut oleum factum,vel vindemia coacta ſit, Labeo ait, teſte Paul.in l.ſi vſusfructuarius.D. quib.mod. vſuſfructus amit.

Fructuum euſque habenda ratio,quouſque haberetur,ſi res petita non periſſet:id eſt,ad rei iudicandæ tempus. Vide l.fructus.D.de rei vendic.

Fructuum autem fundo cohærentium alij maturi, alij immaturi dicuntur: tametſi vni ſint,non diuerſi,hoc eſt,eadem res.l.fi.§.pen.D.quæ in fraud.cred. adde gl. in l.fructus.D.de rei vend.

FRVCTVARIVS,& Vſufructuarius, quibuſdam iidem videntur.Nam vtroque ſignificatur is,qui ius vtendi fruendi habet.vide l.vti frui.& l.fructuario.D.ſi vſufr. pen.Fructuarius fundus, ſeruúſve, in quibus vſumfructum habemus.

Fructuarius ager,idem qui vectigalis intelligi poteſt,Inſulano teſte Barbari vnà cum Italis vulgò vocāt cenſalem agrum, veluti ſi diceres,cenſualem. Niſi fortè quis velit fructuarium haberi pro agro culto, & fertili.Videtur tamen priori interpretationi citiùs accedendum.

Fructuarius, cuius eſt fructus. Vide Florentinum in l.ſi alij vſus.D.de vſufructu.qui vſuarium, à fructuario ſeparat.

FRVGES, inquit Varro,Donatus,& Seruius, inde dictæ quòd his fruamur.Harum vero duo genera prima facit Plin.lib.18.c.7.Frumenta,vt triticum,hordeum: & legumina,vt faba, & cicer.Itaque Paulus lib. Sent.3. Frugibus legatis,inquit,tam legumina,quam triticum & hordeū continentur.Atque ita ab aliis rebus omnibus quæ terra gignuntur,diſtinguebantur, veluti, vinum,oleum,& baccæ glandéſque arborum, quæ propriè Fructus appellata ſunt:ſicque videtur Cic. diſtinxiſſe Verrina.5.Senatus Cōſulibus permiſit, vt vini & olei decumas, & frugum minutarum Romæ venderent:legémque his rebus, quæ ipſis videretur, edicerent.Poſtea tamen conſuetudo loquendi eo progreſſa eſt,vt etiam ad omnes fructus terræ,quos in alimoniam vertimus,hoc nomen pertineret: vnde Frugiferæ arbores dictæ,& Priſcianus ſcribit: vnde Frugum copia,& Frugum inopia, pro iis omnibus quæ terra giguntur.At Paulus pro reditu Frugem accipi ait non ſolum qui ex frumentis,aut leguminibus, verū etiam, qui ex vino,vel ex ſyluis cæduis,vel cretifodinis, lapidicinis capitur.l.77.D.de verb.ſigni.ſed cur id dixerit, parum conſtat.

FRVMENTA in herbis eſſe cenſentur,cùm ſpicis adhuc carent,quæ niues poſſint corrumpere. Labeo in l.fiſtulas.§.fi.D.de contrahen.empt.Vlpia.in l.frugem.D. de verb.ſign.Frumentum id eſſe, quod ariſta in ſe te-

neat, rectè Gallum definiſſe ait. Frumenti autem nomen generale eſt l.frugem.D.de verb. ſignifi.non tritici, vt ſcribit Accurſius. Interdum tamen pro tritico tantum per eminentiam, vt in l.ſi is qui negotia. §.vlt. D.mand.quo modo frumētum Galli accipiunt vulgò, non generaliter.

FRVMENTARIA teſſera, ſignum frumentarium, quo exhibito, frumentum dabatur. Vide l.mortuo. D. de leg.2.

FRVMENTATORES Latinè dicuntur quos Græci σιτώνας, hoc eſt, coëmendo frumento curatores præpoſitos. Hæc enim numera erant apud Athenienſes, aliáſque ciuitates, quæ frumento importato vtebātur. l.munerum ciuilium. §.j. D. de muneribus & honoribus. Hinc Sitonia, munus dicitur publicæ frumentationis. l.2. in prin. D.de vacatio.& excuſa. mune. Et Sitonæ adminiſtratores ipſi frumentarij, in l.fi.D. de adminiſt.rer.ad ciuitat.pertinen. Debitorū ex huiuſmodi publicis cōtractibus fit mētio in l.3.C. de cōpenſat.

FRVMENTATIO labor militum in frumento intra caſtra præſidiáve congerendo. Macer l.12.§.2.D. de re milit. Officium Tribunorum eſt, vel eorū qui exercitu præſunt, frumentationibus commilitonum intereſſe.

FRVMENTARII apud Spartianum ij ſunt, qui frumētum portabant in horrea publica, & qui inde etiam, cum viritim dabatur, in ædes ciuium portabant. Scribit enim Spartianus exploraſſe Adrianū Imp. omnia domorum arcana per frumentarios. idque eò exiſtimo quòd in eas domos crebro ventitare ſolebant, in quas frumentum portabant.

FRVSTRARI ſignificat morari, tergiuerſari, cūctari. l.24.& 25.D, ex quib.cauſſ.maio.l.2.§.quod ſi pater.D.ad Tertyllian. Fruſtrari ergo dicuntur, qui qualibet tergiuerſatione, & ſolertia efficiunt, ne ſecum agi, vel ad exitum controuerſia deduci poſſit. l.fi.D.de procur.l.3. D.de iudiciis. Fruſtrari tempus. l.26.§.actio.ex quib. cauſſ.maior. Hinc:

FRVSTRATIO, pro mora. l.89.D.ad legē.Falcid.§.ſi ad exhibendum.inſtit.de officio iudicis. Et:

FRVSTRATOR, qui in iudicio deeſt, l.31.§.litem. D. de neg.geſt.item qui tergiuerſationibus executionē rei iudicatæ remoratur. l.7.C.de execu.rei iud.

Fruſtrator, moroſus debitor. l.fi.D.de vi & vi arma.

FVCI appellatione.l.fi.§.ſpecies.D.de publican.non ſatis ſcio, an frutex in Creta naſcens, ſignificetur, quē Græci φύκον θαλάσσιον, Latini, Fucum marinum appellant: cuius meminere Dioſcorides lib.4. Plin. libr.13. c.23. & lib.26.c.10.

FVCINVM, vide Buccinum.

FVCVS color additus arte. Hinc Fucus muliebris, capit. fucare.de conſecr.diſtinct.5.

Fucum facere, impoſturam facere, & artificioſa diſſimulatione illudere.

FVCARE, eſt colorem arte addere, & tingere.l.j, C.quæ res vend.non poſſ.quo ſenſu.accipitur.d. c.fucare. l.fi. C.Th.de murileg.l.3.C.de veſtib.holoue.

FVERIT. Hoc verbum ſcriptum in teſtamentis (cum & præteritum & futurum tempus reſpiciat.l. ſi fuerit. D. de reb.dub.l.ſi non fuerint.D.pro ſocio) quomodo accipiendum ſit, declarat Bart.in l.hoc art. D. de hæred. inſtit.

FVGA, eſt abſceſſus cum celeritate. Eam Bald. (vt noſtri dicunt interpretes) magiſtraliter diuidit in voluntariam, cauſſariam, & ignominioſam. Prior grauat fugientem ſuſpicione magna, non tamen quæ iuſtā fidē mereatur, nondum cognita re ipſa. Auth. ſi verò. C.vt omn.iud.tam ciuil. quàm milit. Altera excuſationem habet. Non enim omnis qui de loco recedit, pro fugiente habetur. Siquidem cauſſa faciendi, non factum inſpicitur.l.verū.in prin.D.de furt. huic cōtraria, quòd cauſſam nō habeat quæ excuſet, Ignominioſa dicitur.

Fuga quandoque pro exilio.l.4.§.ad tempus.D.de re mili. l.5.D.de interd.& releg. Scribit autem Seruius veteres properantium iter, fugam appellaſſe. Inde fugitiuus.

FVGAM VENDERE dicebantur qui fugitiuos vendebant, quod S.conſulto vetitum erat, ne ſerui ad fugam inuitarentur. vide.l.2.D.ad leg.Fab. l.6.C. eod.l.35.§.ſi quis amico.D.de contrah.empt.

Fugam facere, fugere.l.4.D.de re milit.

FVGIENTES ad Græcorum exemplum, qui eos φεύγοντας vocant, in iure noſtro dicuntur rei, tametſi non ſemper fugiant.l.properandum.C.de iudic.l. fi. C.de bon. mat.l.2.C.de iur.calum.quemadmodum litigantes, ſcilicet habitu & qualitate. Natus eſt modus, quo Grammatici tradunt, Participia abſolui à tempore, qui confert pro teſtium dictis ſuſtinendis: vt Zaſius monuit, in admodum vtili illa ad practicam.l.ſi ſe non obtulit. §.ſi ex conuentione.D.de re iud.

FVGITIVI appellatione Labeoni ex fugitiua natus non continetur, teſte Vlpian.in l.j.in fi.de fug.

Fugitiuus non eſt, qui ad amicum domini confugit. l. bouem.§.qui ad amicum.§.qui perſuadet.§.ſi ſeruus.eod. tit. Obſeruandum, quòd Fugitiuus ſeruus etiam dicitur, qui à domino ea mente recedit, ne ad eum redeat, etiamſi mutato conſilio ad eum reuertatur. Vide Vlpianum in elegantiſſima.l.quis ſit fugitiuus.D.de ædil. edict.& vide l.225.D.de verb. ſign. Diuiditur autē Fugitiuus, vt ex ead.l.patet, in Erronem & Fugitiuum. rurſus Erro in fugitiuum & Erronem. Sanè Tryphoninus oſtendit, ſolam mentem propoſitúmque fugiēdi nō ſufficere, vt fugitiuus quis dicatur, niſi & aliquis actus fugæ acceſſerit.l.fugitiuus.de verb.ſign.

Fugitiuus pro perfuga, Saturninus in l.aut facta. 16. D.de pœn. Tempus diſcernit emanſorem à fugitiuo, & effractorem vel furem diurnum à nocturno.

FVGITIVVS quis ſit, definit O filius: Fugitiuus eſt, qui extra domini domum fugæ cauſſa, quo ſe à domino celaret, manſit. Caſſius ſcribit, fugitiuum eſſe, qui certo propoſito dominum relinquat. Item apud Viuia.relatum eſt, fugitiuum ferè ab effectu animi intelligendum eſſe, non vtique à fuga. Vlp. in l.quis ſit. de ædil. edict.

FVGITIVARII, qui fugitiuos mercede reducunt.l.18. D.de præſcript.verb.vel qui dominis indicant, vbi fugitiui celantur.l.13.D. eo. vel (vt quidam ex Floro admonuit) qui fugitiuos perſequuntur.

FVLCIRE eſt veteri operi reſtituendo remedium adhibere.l.j.§.ſi quis ædificium.D.de ope.no. nunt.l.ſicuti. D.ſi ſeruit.vend.

FVLCIMENTVM, & fultura, ſuſtentaculum.l.quæſitum. D.de fund.inſtruc.

FVLCRA ſunt (vt docet Seruius) lectorum ſpōdæ, quæ legato lecto cōtineri ait Vlpia.in fi.l.librorū. de leg.3.

FVLLO, qui veſtimēta polienda, curanda, lauanda mercede accipit.l.2.D.de cond. ſine cauſ.l.13. §.ſi fullo.D. loca.l.12.& l.82.D.de fur.l.vnic.D.de via pub.Theoph. dicitur κναφεὺς, λευκαντεὺς ſiue πλύτης, in §. vlt.mand.& §.item ſi fullo.de oblig.quæ ex delict.naſc.

FVLLONICA meritoria.l.13.§.fi.D.de vſufru.

Fullonicas inſtituere.l.3.D.de aqua & aqua plu. pro officinis.

FVNDVS integrum aliquid eſt, agrum cum villa & ædificio ſignificans. Sed in vſu, vrbana ædificia, ædes: ruſtica, villæ dicuntur. Locus verò ſine ædificio in vrbe, area: rure autē ager appellatur.l.60.& l.111.D.de verb. ſig. Fundus autem dictus eſt ager, vt ſcribit Varro lib. 4.de Ling.Lat.quòd pecudum & pecuniæ videbatur fundamentum: aut quòd quotannis fundat multa. At vt vult Feſtus, lib.6. quod planus ſit ad ſimilitudinem fundi vaſorum. Villa ergo fundi eſt pars, atque acceſſio,

ſio.l.6. D. quib. mod. vſusfruct. amittat. Porro vel modicus locus Fundus appellari poteſt. Conſtitutione enim,& deſtinatione noſtra fundi efficiuntur. l.60. D.de verb.ſig.l.24.§.fi.D.de leg.j. Fundi etiam pars fundus appellari poteſt.l.34.D.de legat.j. Ac Fundi diuiduntur regionib.& locis.l.23.§.fi.de ſeruit. ruſti.Latifundia,& poſſeſſiones Græci appellant, συγκτήσεις.l. 34.§.j.de leg.2.D.

FVNDVS eſt omne,quidquid ſolo tenetur.l.q. D.eod.tit.

Fundi appellatione etiam populus, ciuitas, communitas, monaſterium,vicus,caſtrum,villa,& alia continentur, Zaſio in §.æquè.Inſtit.de actio.

Fundi agonothetici,qui deputati erant ſumptibus certaminum ſacrorum.l.iubemus.C.de fund.patri.

Fundi vectigales ſunt, qui ciuitatum ſunt,& mancipibus ita locantur, vt certum vectigal reipub. pendant. Alciato de verb.ſign.& in diſpunct.lib.3.c.3.

Fundorum Principis, de quibus tractatur ſub rub. C. de fund.patrim.lib. 11.alij dicuntur Patrimoniales, alij diuinæ domus.Patrimoniales ſunt qui locari tantum & in principis patrimonio conſeruari ſolent, vnde & rei priuatæ appellantur.Diuinæ domus ſunt;qui ſacrarum largitionum ſunt,hoc eſt in quibus Princeps ſuas largitiones exercet.

Fundi Saltuenſes,vide Saltus.

Fundi Limitanei,& Limitrophi,vide Limitanei.

Fundus fieri vel eſſe dicitur (auctore Feſto) populus eius rei quam alienat, hoc eſt auctor.quod genus dicendi frequenter vſurpat Cicero in Orat. pro Cornel. Balbo.Nec verò ad populos duntaxat, verumetiam ad quemuis auctorem referri ſolere, argumento eſt illud Lyſitelis adoleſcentis apud Plautum: Nunc mihi is propere conueniendus eſt,vt quæ cum eius filio egi,ei rei fundus pater ſit,potior eo,vide Hotom. Obſer.lib. 2.c.5.& Turneb.lib.4.Aduerſ.c.12.

FVNGI eſt id quod debetur dare.nam propriè fungi ſtipendiarij aut vectigales dicuntur,qui quod debebant pendebant.Cic.Verrina.5.Quis non maximo ſe affectum beneficio putauit cum tribus decumis pro vna defungeretur.Et eod.lib.Tamen hoc vobis eſt ſtatuẽdum,quid aratorem ipſum arationis nomine muneris in Remp.fungi ac ſuſtinere velitis. Hinc Fungi officio ſuo eſt,vt vulgus loquitur,facere ſuum debitum.l.iudex.de re iud.D.Sic & Fungi res dicuntur quæ officiũ ſuum præſtant. Vlpianus in Inſtit. tit.6. dotem Fungi dicit,quæ in matrimonium datur.& fungi monumentum.l.43.D.de rei vind.in quod corpus infertur.Hinc Defungi pretio, æſtimationéque, pro æſtimationem præſtare, & exoluere Iuriſconſulti dixere.l.11. D. de act.empt.l.j.D.ſi famil.furt.feciſ.dic.l.37.in fi. D.ad leg. Aquil.& dotis collatione, noxæ deditione, litis æſtimatione,tributione fungi, pro eo quod eſt noxæ dedere,litis æſtimationem ſoluere, & dotem, tributáve conferre.l.3.D.de colla.dot.l.22. D.ad muni. Ex quo fit vt intributiones, collationeſque & penſitationes publicæ functiones vocentur.l.4. C. de dona.l. 3. C. de apoch.pub.l.2.C.de iure empt.l.9.& l.13.C.de act.emp. l.vnic.C.in quib.cauſ.

Fungi pignoribus in vicem ſatiſdationis,eſt loco fideiuſſorum pignora præſtare.l.7. D. de prætor.ſtip. Fungi muneribus legatorum,eſt legata præſtare.l.35.de leg.2. l.2.D.ad S C.Trebel. Et Fungi munere Falcidiæ,dicitur fideicommiſſum quod Falcidiam patitur.l.77.de leg.2.hic fungi pœna dicitur, qui pœnam patitur. l.in metallum. D. de pœn.Et pretia rerum communiter funguntur.l.63.D.ad leg.Falcid.& l.33.D.ad leg.Aquil. id eſt tanti res æſtimantur,ſtatuuntur, quãti ſunt apud omnes defunctoriè.l.2.§.non ſolùm.D.ad S C.Tertul. 21.§.fi.D.ad Sillan.

FVNCTIO noſtris eſt vſus,vtilitatíſve ipſius effectus & æſtimatio, quæ pro alia re fit, vt creditori ſatisfiat. Paulus in l.2.§.mutui datio.de reb.cred.Quia, inquit, in genere ſuo functionem recipiunt.Idem in l.pretia. ad legem Falcidiam.Pretia rerum non eſt affectu,nec vtilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur, id eſt,mutua vtilitate penſantur.Sic idem in l.ſi ſeruum meum.Ad legem Aquiliam,& in l.certum.Si cert.pet. Quatenus mutua vice res fungantur, quæ tantundem præſtent.

Functio publica,quòd ratione ſoli præſtetur.l.j.§. hic tit. D.de public.& vectig.Perſonalis,quæ ob munus ſoluitur.l.j.C.de excuſat.mun.

FVNGIBILES res dicimus,quæ conſiſtunt in numero, pondere,& menſura:vt pecunia,frumentum, vinum, oleum.Cæterũ corpora in vniuerſum omnia omnéſque aliæ ſpecies,dicuntur res non fungibiles. Zaſ.in §. in perſonam.Inſt.de act.

FVNVS aliquantò generalius eſt, quàm exequiæ. Nam funus tota pompa eſt ſepeliendi:exequiæ tantùm viarum eſt ſolennitas,dum funus procedit. Funus publicum erat,cùm quis propter ſua im rempublicam beneficia, publicis ſumptibus ſèpeliebatur. Ceremonias illius Plutar.oſtendit in Publicola.

FVNERIS ſumptus pro facultatibus, vel dignitate defuncti arbitramur. Vlpianus ait in l.ſi quis ſepulchrũ. de relig.& ſumpt.fun. Funeris impenſam accipimus, quicquid corporis cauſſa erogatum eſt: veluti vnguẽtum,& pretium loci,in quo defunctus humatus eſt,& ſi qua vectigalia (ſic enim legendum oſtendunt Flor. Pand.& Baſilica quæ τέλος habent:ſuntque ea quæ in itinere præſtantur dum corpus ex vno loco in alium perfertur) ſunt, vel ſarcophagi,& vectura (vbi tamen Græci veſtiaria legiſſe videntur;ϛολὴν enim exponũt) & quicquid corporis cauſſa, antè, quàm ſepeliatur, cõſumptum eſt.l.funeris.D.de relig.& ſump.fun.

Funeris cauſſa ſumptus factus qui accipiendus, docet text. l.14.§.funeris & l.37.D.eod.

FVNERARIA actio dicitur, quæ de impenſis funeris cauſſa factis datur.l.14.§.hæc actio.l.16.l.20.D. de religio.& ſumpt.fun. Dicitur & Funeraticia actio.l.30. in fin.D.eod.

Funerarium priuilegium.l.fi.D.eod.

FVNERARE, pro ſepelire, frequens apud Vlpianum.

FVNESTA familia.l.ſi ex.§.illud quæſitũ.D.de ſtip.ſeru. hæredis dicebatur ex mortis teſtatoris tempore: qui locus ex veteri iure Pontificio eſt,quo familia non deſinebat eſſe funeſta,niſi certo ſacrificio,certíſque piaculis expletis.nam his confectis pura dicebatur. Scribit autem Varro libr. 4.Ling. quandiu in ſepulchrum defuncti gleba abiecta nòn eſſet,aut os mortui ad familiam expurgandam exceptum eſſet tandiu funeſtã eam manſiſſe.Hinc M.Cicero lib.2.de legibus.Neque neceſſe eſt ediſſeri à nobis quis finis ſit funeſtæ familiæ,&c.Eæque erant feriæ denicales, de quibus idem M.Cicero,& Feſtus lib.4.Notandum ante nouendiale ſacrum dici eſſe ſuper terram:vbi vrerentur, locus ille, Vſtrina:cum conditũ eſſet,funus:poſt denicale ſacrum.humata, vbi humata, locus ille ſepulchrum, & τύμβος.

FVR ex eo dictus quod furuum atrum veteres Romani appellarunt,& fures per atras & obſcuras noctes facilius furentur. Homerus,

—Κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω.

Hæc Nonius Marcellus ex Varrone libro rerum diuin.14.Hoc tamen Gellius reprehendit libr.j.c.18.nam quod à Græcis,inquit,nunc κλέπτης dicitur, antiquiore Græca lingua φὼρ eſt dictum. hinc per affinitatem literarum, quæ φὼρ Græcè eſt, Latinè Fur.Furem autem

ſic deffinit Sabinus apud Gellium lib. 11.c.18. Qui alienam rem attrectauit, cum id ſe inuito domino facere iudicare deberet, furti tenetur. Et paulo poſt: Qui alienum tacens lucri faciundi cauſſa ſuſtulit, facti obſtringitur: ſiue ſcit cuius ſit, ſiue neſcit. Meminiſſe debemus tamen, inquit Gellius loco ſupracitato, furtum ſine vlla quoque rei attrectatione fieri poſſe, ſola mente atque animo, vt furtum fiat, annitente.

Furem ab abigeo quantitas diſcernit. Nam qui vnum ſuem ſubripuerit, vt fur coërcebitur: qui gregem, vt abigeus. l. aut facta. D. de pœn.

Fur manifeſtus, quem Græci ἐπ' αὐτοφώρῳ appellant, hoc eſt, qui deprehenditur, priuſquàm eò loci peruenerit, vbi deſtinauerat eo die manere cum furto. Nec refert à quo deprehendatur, vtrum ab eo, cuius res fuit, an ab alio. l. 2. & 3. & l. ſi quis in ſeruitute. D. de furt.

Fur improbior, qui vi rapuit. l. prætor. D. vi bon. raptor. & Inſtit. eod. tit.

Fures balnearij, vide Balnearij fures.

Furem non eſſe qui dicit, quod in venditionibus ſeruorũ ſæpe dicitur, de animo hominis, propoſitóque loquitur: at qui furto, noxáque ſolutum dicit, nemini furti obligatum promittit. l. 174. D. de verb. ſign. Furem ait Tryphoninus quis poſſit dicere etiã eum, qui nunquã rem alienam, inuito domino, ſubtraxerit, ſi modo eius mentis ſit, vt occaſione data, id commiſſurus ſit. l. 225. D. de verb. ſign.

FVRTVM (vt iam dictum) eſt contrectatio fraudulóſa lucri faciendi gratia vel ipſius rei, vel etiam vſus eius, poſſeſſioníſve, ait Paul. l. j. de furtis, & Imp. §. j. de obli. quæ ex delict. Vnde ducatur docent Iuriſcoſſ. l. j. D. de furt. Gellius lib. 11. c. 18. Furta autẽ apud veteres Ægyptios omnia fuiſſe licita & impunita: Apud Lacedæmonios laudata, refert Gellius lib. 11. c. 18. Atque,

Furtorum genera quatuor recenſet Paulus lib. 2. Sentent. tit. 31. manifeſtum nec manifeſtum, cõceptum & oblatum. quæ ad duo Iuſtinianus Imp. reduxit. §. j. Inſtit. de oblig. quæ ex malef. naſc. manifeſtum, & nec manifeſtum.

Furtum manifeſtum, inquit Maſſurius, apud Gell. lib. 11. c. 18. eſt quod deprehenditur dum fit. faciendi autem finis eſt, cum perlatum eſt, quo fieri cœperat. Furtum nec manifeſtum eſt, quod poſtea quandocunque deprehenditur, id eſt, cum fur in faciendo quidem deprehenſus non eſt, ſed eum furtum feciſſe negari non poteſt. Nam quod manifeſtum non eſt, hoc ſcilicet nec manifeſtum eſt, auctore Gaio in l. nec manifeſtum. D. de furt. Dicitur autem nec manifeſtum, ad imitationem legis duodecim tabularum. Olim enim nec pro non dicebãt. Vide §. Furtorum. Inſtit. de obli. quæ ex delict.

Furta domeſtica vocantur, quæ ſerui dominis, vel liberti patronis, vel mercenarij apud quos degunt, ſurripiũt, vt ſcribit Marcian. l. 11. §. j. D. de pœn.

Furto abeſſe rem dicunt Iuriſcoſſ. quæ ſubrepta eſt & furto periit. l. 35. D. de contrah. empt. l. 14. D. de pericul. & comm. rei vend.

Furta per LANCEM LICIVM Q. concepta quæ dicantur, variè ab XII. Tab. interpretibus traditur. Feſtus: Lance & licio dicebatur apud antiquos: quia qui furtum ibat quærere in domum alienam, licio cinctus intrabat, lacémque ante oculos tenebat, propter matrum familiæ, aut virginum præſentiam. Omiſſis igitur quæ ab aliis adferuntur, Furtum conceptum dicemus tunc, cum quis conqueſtus rem ſibi à quopiam furto ablatam, & in alicuius ædes deportatam, ſi ingreſſu nõ prohibitus, eam ibi forte repererit & comprehenderit. Si verò eam in atrio non repererit, & in interioribus ædibus collocatam eſſe dixerit: vt in gynæconitide, vbi mulieres manebant, quò non admitteretur, aut poſtremò ingreſſu etiam atrij prohiberetur: Lex concedebat ei qui furtiuam rem quærebat, vt ſe accingeret licio, quo expeditior ad quærendum eſſet: & lancem oculis opponeret. Atque tum ſi rem furtiuam conciperet, & comprehenderet, furtum illud conceptum & comprehenſum pro manifeſto vindicari ſanxerunt, parémque ac manifeſto ei pœnam irrogari voluerunt, vt ſcribit Gell. libr. 11. c. vlt. Atque hinc manarunt illæ actiones, furti concepti, oblati, prohibiti, non exhibiti, quarum meminit Imp. §. conceptum. de oblig. quæ ex delict. Conſtat autem hoc ab vltimo Athenienſium iure petitum: nam qui concipiebant in aliqua domo furtum, nudi cinticulo amicti, quod vocatur hîc licium, ædes ſuſpectas ingrediebantur. Ariſtophanes νεφέλαις.

> Κατάθου θοιμάτιον. ἠδίκηκά τί;
> Οὐκ, ἀλλὰ γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται.
> Ἀλλ' οὐχὶ φωράσων ἔγωγ' εἰσέρχομαι.

Plato etiã de legibus lib. 12. φωρᾶν δ' ἂν ἐθέλῃ τὶς τι παρ' ὁτῳοῦν, γυμνὸς ἢ χιτωνίσκον ἔχων, ἄζωστος προομόσας τοὺς νομίμους θεοὺς ἦ μὴν ἐλπίζων εὑρήσειν, οὕτω φωρᾶν. Ac χιτωνίσκον quidẽ licium interpretamur, quo conquiſitor pudenda tegeret. Propter matrẽ familias autem & virgines opponebat lãcem ante oculus, quia etiam, vt diximus, in γυναικωνίτιδα intrabat quod non licebat apud Græcos viro externo, ne corrumpendi fœminas potius, quàm furti concipiendi cauſſa ingreſſus videretur, vt colligi poteſt ex loco Gellij ſuprà citato, & vide Ioſ. Scalig. in locum illum Feſti.

FVRTIM arbores cædit, qui clàm cædit, licet earum arborum furtum non fecerit. l. furtim. D. arbo. furtim cæſar.

FVRCA patibulum ex eo dictum putat Iſid. lib. 5. cap. 18. quod ferat caput, ſuſpenſumque & ſtrangulatum ſtatim exanimet.

Furcam illam, quam circumferre ſerui pro pœna cogebantur, belle depingunt Plutarchus in Coriolan. & Halicar. lib. 7.

Furcæ ſupplicij fit mentio in l. 28. §. famoſos. D. de pœnis. l. 38. §. auctores. in Pand. Flor. actores. D. eod. l. 6. D. ad leg. Iul. pecul. l. 3. de re milit.

FVROREM definit M. Cicero libr. 3. Tuſcula. mentis ad omnia cæcitatem, & maius quid eſſe quàm inſaniam: ideóque in XII. Tabulis non eſſe ſcriptũ, SI INSANVS, ſed, SI FVRIOSVS. Itaque:

FVRIOSVM Iuriſconſulti appellãt, qui mẽtis ad omnia lumine, id eſt ſenſu communi caret, quales fabulæ memorant Athamantem, Alcmeonem, Aiacem, Oreſtẽ, &c. Dementem verò, qui non vſquequaque, ſed ex parte tantum mentis errore ducitur, vt is de quo. D. Pius loquitur in l. is qui. D. de tut. & curat. dat. Furioſorum autem alij continua mentis abalienatione omni intellectu carẽt. l. 14. D. de offic. præſid. & hi ſunt, quos perpetuò furioſos, vel perpetuò mente captos vocat. l. 12. §. natura. D. de iud. l. 9. C. de impub. quorum morbus perpetuus eſt l. 22. §. ſi maritus. D. ſol. mat. Alij interuallis quibuſdam ſenſu ſaniore ſunt, eorúmque furor interuallum habere dicitur. d. §. ſi maritus. Huiuſmodi ſunt quos Vlpianus intermiſſionem, Gaius interualla habere inſaniæ dicunt. l. 20. D. de teſta. Gaius lib. 2. Inſt. tit. 2. l. 6. C. de cura. furio. & ita furioſi inducias, & interualla accipimus. l. 9. C. qui teſta. fac.

Furioſus, vt interpretes docent. §. j. Inſtitut. de curat. hoc diſtat à mente capto, quòd ille rabie quadam animi agitur: at mente captus magis in quiete eſt, nullaque extrinſecus ſigna oſtendit: idémque eſt qui & demẽs: ideóque ſeparantur in iure ciuili. l. 2. D. de inoffic. & alibi ſæpiſſimè.

Furioſus in conſpectu inumbratæ quietis conſtitutus,l.18. D.de acq.poſ.

Furioſi, cum mentis compotes non ſint, nihil velle, ſcirève intelliguntur:ac neq; conſentire videntur.ideóq; abſentibus,ignorantibúſve comparantur, l.17. §.filio. D.de iniur.l.2.§.fi. D.de iur.codic.

FVRNARIVS,qui furno exercendo,& coquendo quæſtum facit. Vlp.l.24.§ 6.D.de dam.infect. Si furni nomine damni infecti fuerit cautū, deinde furnarij culpa damnum datum fuerit.

FVSIA CANINIA lex quæ vulgo dicitur, Fuſia Caninia appellanda videtur, idque ex inſcriptionibus l.37. C.de condit.& demonſtr,& l.215.D.de verbo.ſignific. Furiam tamen vocat Vlpian.lib.j.Inſtit.Eſt autem r,& s, mutua enallage.Huius legis capita recenſet Paulus lib.4.Sent.tit.vlt. Hæc lex ſublata fuit.C. & Inſtitut.de leg. Fu.Can.toll.

FVSIONES,l.27.D.de vſufr.functiones publicæ, & illationes, quæ ſignificatio indicatur ex Lexico B.Germani ad Vrbem Lutetiam.Fuſio, ὑλισμὸς, ἀποφορὰ δημοσίων. Fuſiones,ὑλισμοὶ,συντέλειαι,ἀποφοραί. Et vide l.vlti.de indulgenti.debit.C.Th.

FVSTES Iſidorus lib.5.Etymol.cap.27.dictos vult ab eo, quod præfixi in foſſis ſtent, quos palos ruſtici vocant: & conſtat ligneos baculos fuiſſe: cùm inter arma, & tela numerentur, l.54.§.furem. D.de fur.l.3.§.armis. D. de vi,& vi arm.Eutropius lib.11.de Geſt.Roman. Tarquinium ſuperbum fuſtes excogitaſſe ſcribit, quod & Sudas ait in verbo, Σόπορος. Fuſtibus & lignis equos publico curſui deputatos agitari vetant Impp. l.j. C.de curſ.pub.lib.11. Fuſtium autem ictus à flagellorum, quæ atrociora ſunt verbera, caſtigatione ſeparatur,l.7.D.de pœn.pleniórque multò eſt fuſtium, quàm flagellorum pœna, l.fin.D.de iniur.Itaque liberorum hæc hominum pœna poſteriorum Imperatorum tempore fuit: cum ſerui flagellis cæderentur.Macer l.10.D.de pœn.Ex quibus cauſſis liber fuſtibus cæditur,ex his ſeruus flagellis cædi, & domino reddi iubetur. Calliſtratus l.28.§.j.D.eod.Non omnes fuſtibus cædi ſolent,ſed hi duntaxat,qui liberi ſunt.

Fuſte percuti,occidi,animaduerti,l.7.§.j. D.ad leg.Aquil.l. j.D.ad Silla. Fuſtibus caſtigari, cædi admoneri Iuriſcoſs.dicunt, l.j. D,de offic.præf.vrb.l.3. D.de offic. præf.vig.l.5.C.de iis qui no.infa.

G

GABELLA apud vulgus interpretū, tributi genus.

GALEOTÆ, in Sicilia dicebātur portentorum interpretes, teſte Cicerone,lib.j.de diuinat.Rubr. C.de mendicant.valid.lib.11.indicat,tales Spanaldos & Galiotas vulgò ab Italis appellari.

GALLICANAM linguam accipere debemus, l.11.fideicommiſſo.D.de leg.3. antiquum Gallorum idioma.

GALLICINIVM, ſecundum diei ciuilis diuiſionem, poſt mediam noctem à galli cantu dictum eſt, quem tamen Interpres in l.non minorem. C.de tranſaction. ſecundam noctis horam intelligit.

GALLINARVM Iuſtinianus duo facit genera: vt aliæ manſuetæ ſint,aliæ autem natura feræ, §.gallinarum. 12.Inſt.de rer.diuiſ.& l.5.in fi.D.de acqu.rer.dom. Varro autem tria lib.3.cap.9.conſtituit,villaticas, ruſticas, & Africanas.Colum.lib.7.cap.2.chortales,ruſticas, & Africanas. Villaticas vterque & chortales appellat, quas ali tum vbiq; tum in villa videmus. Ruſticas autē & ſylueſtres eas vocant, quas Iuſtinianus feras nominat: quæ ab aucupibus capiuntur, & in ſeruitute non fetant. Atque huius generis fortaſſe erunt aquaticæ, quæ plurimis in locis viſuntur.

GARYOPHYLLVM, haud ſcio, an Iuriſconſult. in l.fi. de publican.numeret inter ſpecies ad vectigal pertinentes:vt etiam quidam dubitant.Nam Volaterranus ſcribit,quem nunc Garyophyllon vocant, poſt Plinij tempora à Damaſco in Italiam veniſſe: cum nec ipſe, nec alij mentionem eius faciant. Vnde apparet Hoaloandri lectionem eſſe veriorē,qui pro Garyophyllo, Folium Barbaricū habet. ſed Cariophyllū legi debet.

GARVM, l.3. D.de penu.leg.liquor piſcium ſalſus, quo olim piſces condiebant,Iſid.lib.10.cap.3.

GAZOPHYLACIVM, locus vbi chartæ reponuntur, c. j.& ibi glo.extr.de proba.

GEMMA, vocabulum generale, compræhendit propriè quæcunque nec oblonga,nec perforata ſunt. Gemmas Pomponius in l.& ſi non.de aur.&arg.leg. à lapillis margaritis diſtinguit: pariter Curtius: ſic vterq; Plinius.Apud Seniorem multa de gemmis diſſerūtur. & vide l.j.de acqui.poſſeſ.& l.3.D.de rer.diuiſ.Hæc autem differentia intercedit ex locis ſupra citatis: Gemmæ perlucidæ ſunt materiæ,veluti ſmaragdi, chryſolithi,amethuſti.Lapilli verò ſuperioribus naturæ contrariæ ſunt,vt obſiani, vejentani (fortaſſis Veientani) Margaritæ,conchæ ſunt, quæ in rubro mari creſcunt, & coaleſcunt, l.19.§.pen. D.de aur.& arg.leg.

GEMMATOS lectos,id eſt.gemmis diſtinctos, & ornatos,dixit Paulus,in l.3.de ſupel.leg.

GENEAGHICA prædia, γενεαρχικά, & γενεάρχαι χωρία dicuntur in Nouella 21.quæ princeps atque auctor generis familiæ ſuæ reliquerat,ea lege,vt in ea perpetuo manerent,neque ad alios transferri poſſent: vſque eo vt etiam fœminæ ab iis excluderētur. quod Armeniorum inſtitutum à Feudorum ratione nō omnino alienum Iuſtinianus ea Nouella ſuſtulit.

GENER,Gens,Gentilitas,vide Genus.

GENO,genis,genui:idem quod gignere, generare. Varro in Andabata,vt citat Priſcianus: Sed quod hæc loca aliquid genunt. Idem lib.de re ruſt.1.cap.40. Quædam enim ad genendum, &c. Sic Vlpianus l.17.§.j. D. de legat.j. Si qua filia mihi genitur,ei hæres meus centum dato.Idem l.13. §.vlti. D.de reb.dub. Siquis mihi filius,aut filia genitur,hæres mihi eſto.

GENICVLVS,in quibuſdā Feudorum libris dicitur, pro generatio,ſiue gradus generationis:vt lib.j,tit.j.§.3.Licet moderno tempore vſq; ad ſeptimum geniculum ſit vſurpatum. Item in Lombard.lib.2.tit.14. Omnis parentela vſque in ſeptimum geniculum numeretur.

GENITALIS feritas,id eſt,genuina,natiua.Iuſtinia. Inſtitut.ſi quadr.paup.Cæterùm,inquit,ſi genitalis ſit feritas,ceſſat actio.

GENITIVOS pro ablatiuis nō raro Iuriſc.poſuit.vt l.4. §.j.D.de adop.plenę pubertatis pro plena, l.11.§.fi.D.de euic.noxæ ſolutū, pro noxa. Pœnæ adficere, pro pœna,l.13.D.de ſicariis.Contentus partis,pro parte, l.57.§. nuptura.de leg.3.Tutelæ liberari, l.50. D.eo. Plus quartæ.l.11.§.quod vulgò.in fi.D.ad l.Falc.Mortis cauſſæ tacitā,l.15.D.de manumiſ.Bonę fidei, ꝓ bona, l.95.§.quod vulgò.D.de ſolut.Super pecuniæ, l.53.D.de verb.ſignif.

Genitiuo dominium & proprietatem ſignificari liquet, l. locum.D.de religioſ.c.quia Gu.de iudic.ext.vide Bart. & alios,in rubr.D.de oper.no.nun.Aliquando tamen nudam detentationem ſonat,glo.in l.2.de orig.iur.

GENIVM principis iurare l.13.§.fi.D.de iureiuran. cuius iuriſiurandi meminit Tertullianus in lib.ad Scap. & in Apologe.cap.28. & 35.Cæterum quod in d.§.fin.per genium principis, hoc per principis Græco dicendi genere effertur in l.2.C.eod.vbi ſuppleri oportet Genium vel ſalutem,vt in l.41.in fi.C.de tranſac.vide Feſtum libr. 7.in dict.Genium. Genij verò non ſolum

erant hominum, ſed & vrbium: hinc Virgil.

Incerti genium ne loci, famulúmne parentis, Eſſe putent.

GENVINA pietas (quamuis corruptè legatur in vulgatis codicibus gemina) pro inſita, ſiue ingenita patris in filium affectione, viq́; amoris, vſurpatur ab Vlp. in l.3. de li.hom.exhib. Vnde ſcholium interpretis, alioqui ineptum, huc minimè pertinet. Nam ex eo liquet, ipſum non intellexiſſe, quid verè pietas, quid item officium ſignificent. Certè affectum nullum, paternum vincere iure noſtro euidentiſſimum eſt. Hanc lectionem etiam probat Alciatus in Parergis, vt & Norica, & Pand.Flor. indicátque Alciatus hanc vocem genuinum apud Ciceronem duobus locis hoc ſenſu legi, vt in oratione in L.Piſon. & in Partitionibus Orator.

GENVS appellatum eſſe vniuſcuiuſque generationis principium, cōſtat: vt ſi dicamus Titium à Sempronio genus habere. Ad huius itaque ſimilitudinem dictum eſt Genus, quod de pluribus ſpecie differentib. in eo, quod quid eſt, prædicatur: vt animal, corpus, actio, poſſeſſio. Sicut enim vnus eſt principium multis procreatis, qui continentur vno nomine: ita genus eſt principium ſuis ſpeciebus, quas vno verbo comprehendit, & addita differentia, ſic conſtituit, quomodo æs accepta forma tranſit in ſtatuam, vel in aliam rem. Vt ecce, ſi dicas, animal eſt, non intelligitur, an hominem vel equum aſſerere volueris. genus enim eſt, & vtrunque cum pluribus aliis ſpeciebus complectitur. Verum ſi differētiam addas, putà rationem, facies ſpeciem: veluti animal rationale. Ad dignoſcendū autē, vtrum id quod proponitur, genus: an verò ſpecies ſit: ſemper reſpice an de pluribus dici poſſit: deinde an horum plurium ſingula rurſus de multis aliis rectè prædicētur, vel non. Tunc enim, ſi plures ſunt gradus, genus eſt: ſi duntaxat vnus, ſpecies, quæ de multis indiuiduis, & numero diſcretis prædicatur. Porrò indiuidua vnam tantum, neque vlteriorem ſui partitionem admittunt. Sic actio perſonalis, habet ſub ſe actionem ex contractu. Et quoniam hæc actio ex contractu rurſus de multis aliis dici poteſt: agnoſcis actionem perſonalem eſſe genus. Verum actio ex contractu, indiuidua ſub ſe continet, quæ amplius de nullo prædicari poſſunt: vt eſt actio ex contractu Gaij, actio ex cōtractu Titij, & cætera. Quam naturam generis & ſpeciei oſtendit Iuriſconſult. in l.2. in princ. D. ſi cert.pet. Genus ergo id Iuriſconſulti appellant, quod Dialectici ſecundam ſubſtantiā, id eſt (vt ait Ariſtoteles) id quod de ſubiecto dicitur, nec tamē in eo ineſt: veluti equus, homo. hinc ſtipulatio vel legatum generis. Singulas vero res intelligimus, quas Dialectici indiuiduas, Iuriſconſulti ſpecies vocant, l. cum res. D. de legat.1. ſpecies enim ſenſu, genus notione percipitur: ſpecies cerni, tangíque poteſt, genus non poteſt. Species ſunt de quibus res contrahi dicuntur, quæ abalienantur, quæ præſtantur: genera autem ſolui & præſtari non poſſunt. Inutiliter itaque fundus generaliter legatur, l. cum poſt. §. gener. D. de iure dot. l. ita ſtipulatus.115. D. de verbo.obligat. Quod cum ita ſit, videri poſſit Paulus in l.2. D. ſi cert. pet. impropriè & audaci locutione dixiſſe, eas res quibus mutuum conſtat, functionem, id eſt ſolutionem recipere in genere, potius quàm in ſpecie, genus enim quod ſola intelligentia conſtat, ſolui non poteſt, vt diximus.

Generis voce abutitur Tribonianus, & collige in §. plebs, Inſtit. de iur.natur. & gent. appellans illud totum, & ſpeciem partem: id quod teſte Apello, primus deprehendit Alciatus. Idem accidit paſſim Ciceroni, præſertim verò lib.j. de Oratore.

Genera pro frugibus ſumi vult Hotom. apud Vlp. l.8. §. 16. D. de tranſact. Sicui non nummus ad alimenta, ſed frumentum atque oleum, & cætera quæ ad victum neceſſaria ſunt, fuerint relicta. Et paulo poſt: Et neque diem neque modum permutauit, ſed tantum genus: vel ex contrario, ſi pactus fuerit vt in generibus alimenta reciperet, quæ in nummis ei relicta fuiſſent.

GENERE QVODAM, pro ratione, & ſpecie, vel quodam modo, l.36. D. de ſtip.ſer. Nam & hęc genere quodam donatio eſt. Et l.29. §. qui quæſtum. D. de adult. l.51. de acquir.poſ. Vtrobique animi quodam genere poſſeſſio erit æſtimanda. Sic l.44. D. de acq.rer.domin. Et l.10. D. pro emp. Eo genere, eo modo, ea ratione, l.23. D. de vſucap. Et quaſi genus locati l.j. §. ſi quis ſeruum. D. depoſ.

GENERALE omne obſcurum eſt: vt omne multiplex dubium, Bald. in l.j. C. de ſeru.fugit.

Generale delictum, ineptè accipiunt pro delicto nominato. Nam generale dicitur, quia plura eiuſdem naturæ crimina poteſt complecti, cùm ſignificatio variis modis expenditur: vt furtum, homicidium, falſum.

Generalis confirmatio, non confirmat niſi iuſta, Bald. in l.3. C. de precib. Imp. offer. idem cap. vnic. per quos fiat inueſt. in vſib.feud.

Generalis LEX appellatur, quæ omnes eiuſdem qualitatis ſpecies facti, ſeu caſus compræhēdit: exceptis ſemper illicitis, & iniuſtis. Etenim nihil abſurdius eſt, quā legem iuſtam ad interpretationem iniuſtam trahere, l.pen. D. ad exhibend. l. ſi poſſeſſor ex hæreditate. D. de petitio.hæred. l. cùm hi. D. de tranſact.

Generalia iudicia, veluti tutelæ, negotiorum geſtorum, pro ſocio, l.38. D. pro ſocio.

Generalem locutionem generaliter accipi, regulariter definitur, l. præſes. D. de offic.præſid. Diuerſum tamen eſt in variis ſpeciebus, de quibus per An. Alciatum in Tracta. de verbor.ſignific. & vide c. ad noſtram. & ibi gloſ. de iureiur. Generali autem locutione loquentis perſonam exceptam intelligi, regulare eſt, c. petitio. extr. de iureiur. Hæc tamen regula reſtringitur variè. vide in cap. de forma 22.q.5. Quandoque loquentis familia continetur.

Generalis allegatio, quando, an non, ſufficiat, not. in cap. veſtra. de cohab.cler.

GENERALITER dicitur, quòd etiam indefinitè intelligendum eſt, gloſ. in verb. generali. c. quoniam. de cōiug.leproſ. cap. ſi Romanorum. 19. diſtinct. vulga. l. de pretio. D. de publicia. in rem act.

GENER, maritus eſt filiæ meæ, l. non facilè. D. de grad. affinit. continetúrque eius appellatione ſponſus, l. in legibus. D. de teſtibus, & l. ſeruus. de gradibus. Porrigitúrque Generi appellatio, ad progenerum, l. Gallus. §. forſitan. de libe. & poſth. Præterea habetur filij loco, l.3. in fi. C. de nat.liber. Iuſtinus lib.18. generum pro ſororis marito ponit, Pygmalionem ſcribēs, Didus maritum Sichæum, generum appellaſſe. Generi quoq; nomine & neptis, & proneptis tam ex filio, quàm filia editarum, cæterarúmque mariti continentur, l.136. D. de verb.ſig. & hanc in edicto de poſtulando interpretationem faciendam admonuit Vlpianus l.3. D. de poſtu. In edicto verò de infam. notatis, de ſolo filiæ viro accipi debet, l.j. & 8. D. de iis qui not.infa.

GENS & Genus quibuſdam idem videntur eſſe, cum vtrunque ab antiquo verbo genu deductum videatur. Itaque l.j. D. de probat. cum ita legitur: Cum quæritur, gentem vel genus quis haberet, nécne. Vel volunt poſitum eſſe pro Siue. Sunt tamen qui diſtinguāt, vt gens quidem ad patricios: genus verò generaliter quidem & ad illos & plebeios, ſpeciatim verò ad hos duntaxat pertineat: atque hac ratione dictos patres maiorum & minorum gentium, qui à Romulo & Tarquinio Priſco è patriciorum numero lecti in ſenatū fuerant, vt Liu. lib.j. teſtatur. At mihi genus hoc non ſolum videtur ſignificare, ſed etiam ipſius gentis initium & origin

& originem. Virgil. *& mi genus ab Ioue ſummo.* quod paulo poſt plenius patebit. Inter gentem autem & familiam illud intereſt, quòd gens ad nomen, familia ad cognomen refertur. itaque illa tanquam totum continere videtur, hæc quodammodo partem. Exempli gratia: Valerij omnes vnius eſſe gentis dicuntur, quia vno nomine continentur omnes. at verò partes gentis huius ſunt plures, quæ ex cognominum varietate diſtinctæ ſunt, eæque familiæ nominantur, vt in gente Valeria Maximi, Meſſallæ, Flacci, Leuini, Faltones. at verò Valerij omnes vnius ſunt gentis: itaque rectè Feſtus gentem definit eam quæ ex multis familiis conficeretur. Quod autem intereſt inter gentem & familiam, idem intereſt inter genus & ſtirpē. Atque hæc ita eſſe ex his veterum hiſtoriarum locis intelligitur. Suetonius in Galba: Imagines vniuerſi generis exequi longum eſt, familiæ breuiter attingam. Liuius lib.38. Scipio Naſica orationem habuit plenam veris decoribus non communiter Corneliæ gētis, ſed propriè familiæ ſuæ. Cic.lib.j.de Orat. Quid, qua de re inter Marcellos, & Claudios patricios centumuiri iudicarunt? Cum Marcelli à liberti filio ſtirpe, Claudij patricij eiuſdem hominis hæreditatem gente ad ſe rediſſe dicerent: nónne in ea cauſſa fuit de toto ſtirpis & gentilitatis iure dicendum? Quæ autem eſt ratio inter gentem & familiam, eadem eſt inter gentiles & agnatos. Vt enim familia aut ſtirps non propius attingit, quā gens, aut genus: ſic agnati, quā gentiles. ſiquidem, GENTILIS, auctore Feſto, dicitur qui eodē ex genere natus: & is, qui ſimili nomine appellatur, rectè. quatenus enim ait, Ex eodem genere natus, eos intelligit, qui eiuſdem gentis eundem principem habent: quatenus ſimili nomine, eos qui quanquam vno gentis nomine omnes vtuntur, tamen alium atque alium ſui generis auctorem nuncupabant. quo modo Cic.in 1. Tuſculana, ſe gentilem eſſe ait Ser. Tullij regis, quòd vterque ſimili gentilitio nomine vteretur, cum tamen è diuerſo vterque fonte manaret. Cum autem ad Herennium ſcriptum ſit: Si furioſus exiſtat, agnatorum gentiliúmque in eo, pecuniáque eius ius eſto. Item: Si paterfamilias inteſtato moritur, familia, pecuniáque eius agnatorum gentiliúmque eſto. agnati profectò videntur eſſe, qui ex eadem familia ſint: quibus deficientibus gentiles ſubeant. nam Cic. dixit 1. de Orat. Iura gentilitatum & agnationum. item ius gentilitatis & ſtirpis. & de legibus, 1. Homines deorum agnatione & gente tenentur: cum vtranque cōiunctionem complecti vellet. Nec audiendi, qui familiam & gentem: gentiles & agnatos eadem eſſe cēſent: falſo moti Cic. auctoritate in Topicis, qui gentiles eos definit, qui inter ſe eodem nomine ſunt, id eſt ex eadem gente: familiæ verò aut agnatorum non meminit. Eſt prætereà intelligendum, Plinium gentiles nouo quodam modo appellare. ſiquidem ſeruos gentiles eſſe dominorum ait, quia eodem prænomine appellarentur quo dominus, vt Marcipor, Quintipor, id eſt Marci & Quinti puer. Hæc fere ex Carol. Sigonij libro de nominibus Romanis.

Gens & Natio, inquit Cornel. Fronto, ſic differunt. Natio ſolum patrium quęrit: Gens ſeriem maiorum. Hinc Cicero in Orat. pro Sextio: Vnus me abſente deflu- xit, qui cognomen ſibi ex Æliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis eius eſſe, quàm generis videretur. Loquitur de L. Ælio Trib. pleb. qui cum videret Ælios Ligurum cognomen habere, Ligus dici voluit: quo cognomento magis viſus eſt Liguria patria natus, quàm ex Æliorum familia prognatus.

GENTILES cœperunt dici pro barbaris, qui Romano imperio non erant ſubditi, viuentes inculto iure gentium, l.j. Codice Theodoſiano tit. de nupt. gentil.

GENTILITAS dictum ius quod patritij inter ſe habebant, quod ab agnationum iure diuerſum fuit: & à Centumuiris diſceptari ſolitum, Cice. lib.j. de Orato. & in Topi. ait.

Gentilitas nobilium fuit, ſcilicet eorum qui ſui generis imagines proferre poterant. Imaginibus enim ob inſignem virtutem ac rerum præclarè geſtarum decora, donari ſolebant. Qua ratione antiquiſſimum generis ſtemma, fumoſas imagines vocat Cicero in Piſonem. Contrà, qui nullis maiorum imaginibus & nobilitate commendabantur, hi Terræ filij, à ſeſe orti, ac noui homines nuncupabantur: quemadmodum Cicero de Lege Agraria loquens, ſeipſum appellat nouum hominem. Id quod magna laude cōtingebat, ſi quis virtute faceret ſe nobilem ac imaginibus donandis dignum. Quare Tranquil. in Veſpa. Flauia gens, inquit, obſcura illa quidem, ac ſine vllis maiorum imaginibus: ſed tamen Reipublicæ nequaquam pœnitenda. Accedebat & hoc cum primis ad nobilitatis cōmendationem, quòd gentiles ab ingenuis (vt ait M. Cicero in Topicis) oriundi erant, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, qui capite non fuerunt deminuti, vt à libertis, vel adſcriptitiis, vel alia conditione obnoxiis, diſtinguerentur. Hæc non ſunt contemnenda, quoniam & noſtri temporis gentiles ſeu nobiles (vt vulgò dicimus) cùm agnationis iure de feudis controuertunt inter ſe, vel cum domino, non habent ferè digniora probandi argumenta ad oſtendendam gentem ſuam, quàm ea, quæ ex imaginibus, ac cognomine mutuantur. Nunc enim pro imaginibus, inſignia gentilia habemus, eadem tamen ſignificatione qua olim. Verùm nonnulli fumoſis imaginibus maiorum ſuorum diſſimiles planè ſunt. Gentilitas autem non pertinebat ab vinculum ſanguinis, ſed ad ius quoddam patriciis proprium. Reliqua promiſcuè de patriciis & plebeiis dicebantur. Cicero, Erat enim, inquit, duplex Claudiorum familia: Altera patricia, altera plebeia, nec potentia minor, nec dignitate.

GENTILITIVM ius erat, quod Patriciis competebat: vt liceret eis vindicare hęreditatem cuiuſlibet, qui habuiſſet idem cognomen, quocunque gradu conſanguinitatis, excluſo fiſco. Quemadmodum nunc dicimus, habere aliquos idem ius nobilitatis, & ſuccedendi in beneficiis militaribus, quia habent idem nomen, eadémque inſignia.

GERERE polyſemum eſt: primùm facere ſignificat. Inter Geſtum, & factum ſubtilis quædam differentia ſtatuitur l.19. D. de verbo. ſignific. l.2. D. de cu. bo. dan. qua tamen neglecta, Geſtū, & factum pro eodem ponimus l.58. D. de verb. ſigni. & ita Geſtum latiſſimè accipitur, l.2. §. geſtum. D. ad mun. in edicto de MINORIBVS, Geſtum accipitur qualiter l.7. D. de minor. & quid ſignificet in Edicto Fraud. Cred. vide l.j. D. quæ in frau. cred. Geſtum tamen ad teſtandi ius non pertinet l.20. D. de verbor. ſignifi. Gerere, pro adſerere, exiſtimare. Gerit ſe pro ciue, hoc eſt, iure ciuitatis vtitur, & talem ſe exhibet. Gerit ſe pro hærede, adſerit ſe hæredem, etiamſi non ſit, l. pro hærede. D. de acquirend. hæred. §. pro hærede autem. Inſtit. de hæredum qual. & differ. Eleganter ſcribit Iulianus, Pro hærede gerere, non tam facti, quàm animi eſſe: nam vt quis pro hærede gerere dicatur, non hoc exigimus vt attingat quid hæreditariū: ſed tamē hoc animo eſſe debet, vt velit hæres eſſe. Veluti ſi quis res hæreditarias vēdiderit, creditoribus pecuniam diſſoluerit, prædia coluerit, vel inhabitarit, vel locarit, & dubium ſit vtrum fecerit tanquā hæres, an vt extraneus, vel inquilinus, vel animo gerendi negotium alterius hæredis. nam hæc omnia argumēta ſunt gerere ſe aliquem pro hærede, niſi contrarium probetur, l. Iulianus. §. ſi

nus.§.ſi ſeruum D.de acquiren.hæred.l.2.C.de poſtul. hæred.inſtit.Sunt & alia exempla in l.ſi ergo.l.ſeruus. l.ſi ex ſua.D.eod.& l.ſi is qui bonis.eod. Gerere non pro hærede dicitur, qui ea geſſit quæ propria hæredis non ſunt:veluti ſi egit ſepulchri violati.vel pecuniam à ſtatu libero implendæ cōditionis cauſſa accepit,cum haberet cohæredem.etenim ſi hæredem haberet, pro hærede geſſiſſe videretur: quoniam aliter hæreditas valere non poſſet,pro cuius implenda conditione pecuniam accepit.Cum enim pecuniam acceperit, videtur hæres eſſe voluiſſe, l.pro hærede.§.Papinianus.& §.vlt.D.de acq.hæred. Gerere patrimonium, l.6.C. ad Velleian. Gerere negotia, id eſt res abſentis curare,D.de neg.geſt.tot.tit.Itaq; negotia geſſiſſe, pro codicem accepti & expenſi conſcripſiſſe dixit Paulus l. quædam.D.de edend. Geſſiſſe tutelam videtur tutor qui negotia attigit,licet modicum, l.5.§.geſſiſſe. D.de admi.tut. Geſſit & qui per alium adminiſtrauit l.5. §.quòd ſi quis.& l.56.D.eod.

GESTORIA ſella,à gerēdo dicta, cuius in iure fit mentio.Geſtamen militare:geſtamen prætoriū,quod milites,vel prætores gererent.Réſque tam forenſes,quàm extraiudiciales complectitur: vt patet toto titulo de negotiis geſt.& l.vel ei.§.geſtis. D.quæ in fraud.cred, & l.geſta.de re iud.

GESTVM, inquit Labeo, ſignificat rem ſine verbis factam,l.19.D.de verbo.ſigni.Itaque quicquid priuatus agit ad rem familiarem pertinens,nec agere,nec contrahere dicitur,ſed gerere:vt cum pro hærede aliquid facit, aut pro tutore, aut pro domino. Varro lib.de Ling.Latin.5.Imperator dicitur res gerere, id eſt ſuſtinere.Gloſ.in l.2.D.de cur.bon.dando.ſentit. Acta eſſe iudicij,hoc eſt quæ quoquo modo in iudicio fiunt: facta, verbales reſpicere contractus factos extra iudicium:geſta verò,quæ ſine verbis fiunt, eſſe cenſenda. Sed hæc Alciatus non recipit, ex ſubiecto argumento geſtum etiam accipi contendens, ſiue ex contractu,ſiue aliter quid factum ſit.D.de min.tum & id Bart.adnotauit,l.j.de offi.Procurator.Cæſar.

Geſtum in repub.municipium, l.2.D.ad municip.accipit Hutom.pro pecuniam publicam tractare, ſiue erogandam decernere.

Geſta fraudationis cauſſa quæ dicantur,indicat Vlpian.l.j. & ſeqq.quæ in fraud.cred.

GESTORES negotiorum triplicis ſunt differentiæ, videlicet,voluntarij, qui vltrò abſentis res gerunt: Neceſſarij,qui obligatione officij adminiſtrant, ſicut Curatores:Et quaſi neceſſarij (vt ſic dicam) qui ſuſpicione obligationis inani ad gerendum accedunt: quales ſunt liberi homines bona fide ſeruientes, quibus aliquid agendum mandatur,l.at qui natura.§.ſi libero.D. de negot.geſt.item tutores à patre in teſtamento dati poſthumo,qui interim adminiſtrant,& tandem naſcitur poſthumus, l.cùm pater. D.eod.tit.item hi, qui ſe procuratores opinantur falsò,aut curatores, cum non ſint,eorúmque ſucceſſores,l.3.§.etſi furioſi.D.negotio. geſto.l.curatoris,C.eod.tit.l.quicquid,C.arbit.tutel.

GESTARI dicebantur veteres cùm ſuccolantibus ſeruis valetudinis,voluptatiſve cauſſa ferebantur,l.12.D. de vſu.& habi.l.7.D.de manu.vindict. Inde,

GESTATIO,l.16.§.j.D.quod vi,aut clam.Vlp.l.13.§.4.D. de vſufr.Et ſi forte voluptate(vel voluptati, vel voluptarium)fuit prædium,viridaria, vel geſtationes, vel deambulationes arboribus infructuoſis opacas atque amœnas habens. Plin.lib.26.ca.3. Quinq; res maximè communium auxiliorum,profeſſus:abſtinentiam cibi, fricationem corporis,ambulationem,geſtationē.Ipſa etiam loca arboribus denſis opaca,per quæ geſtari ſolebant,geſtationes appellabantur. Sic apud Plin.lib.j. Epiſt.ad Caninium Ruf.& lib.2.ad Gallum.

GESTIRE, pro cupere,in l.j.C.de inoffi.donatio.Eſt tamen propriè,lætitiam animi promere, cum quodam corporis motu.

GIBEROSVS, pro gibbere, & gibboſo, l.3.D.de ædil. edict.

GIEZI lepra,cuius eſt mentio, ceu ſpeciei diræ imprecationis, in Nouel.iuſiurand. quod præſtar.ſol. denotat auaritiam parentum inficere prolem, & malè acquiſita à maioribus,non ſine culpa poſſideri à ſucceſſoribus.vide D.Ambroſium in cap.4.Euangel.ſecundum Lucam. Fuit autem ſeruus Eliſæi Prophetæ, de quo lege cap.5.Reg.4.

GILDONIS meminit l.19.C.Th.de pœnis.& Claudianus in lib.de bello Gildonico. Oroſius lib.vlti.l.16.& 19.C.de bonis proſcrip.C.Th.& vide in Notit.ſub diſpoſitione Comit.Rer.Priu.per Occidentem.

GLADII pœna,l.j.C.de abige.cum gladio,& enſe in aliquem animaduertitur. quanquam alij Gladij pœnam exponunt,damnationem ludi, vt Cuiac.Obſ.lib.13.ca. 10.Aliud eſt gladio,aliud ſecuri vel telo animaduertere,vel fuſte,l.7.§.j.D.de pœn.itaque gladij poteſtas ab aliis coercitionibus ſeparatur,l.6.D.de offic.Proconſ. l.70.D.de reg.iur. Gladij poteſtas ius animaduertendi gladio in facinoroſos homines, l.3.D.de iuriſdict. Sic accipi debet ius gladij l.6.§.qui vniuerſas.D.de offic.præſid.in qua ius gladij omnes prouinciarum rectores habere ſcribitur, quos deportandi ius non habuiſſe conſtat,l.6. D.de interd.& releg.l.j.C.Th.ne ſine iuſſu princip.Firmic.lib.3.Matheſ.cap.5.

ad Gladium damnari dicuntur, qui ad ludum gladiatorium damnantur,l.25.§.ſi quis planè.D.de acqu.hæred. l.6.§.irritum. D.de iniuſt.rupt. Paul.lib.5.Senten.tit.17. Capitol.in Macrino. Seruos qui à dominis fugiſſent, repertos ad gladium ludi deputabat. Idem quod ſuperius ad ferrum.

GLADIATOR, vt Quintil.Declamat.302. definit, eſt, qui in arena, populo ſpectante, pugnat. Cuiuſmodi ſpectacula ſublata ſunt l.vni.C.de glad.lib.10. Niceph. lib.7.cap.46.

GLANDIS appellatione, inquit Iuriſconſult.in tit.qui eſt de Gland.legen. l.j. omnes fructus continentur, exemplo Græci ſermonis,apud quos omnes arborum ſpecies ἀκρόδρυα appellantur.Item de verbo.ſignific.l. qui venenum. Item l.ſylua. Plinius tamen lib.17.cap.5. videtur diſſentire à Iuriſconſultorum opinione, de hac voce ſic ſcribens:Cautum eſt,inquit, præterea lege duodecim tabul. vt glandem in alienum fundum procidentē liceret colligere.Ac forſan hæc mens fuerit legis XII. quam poſtea iuris periti longius extendere voluerint, & cum glandis lex tantum meminiſſet, in omnibus aliis fructibus eandem valere auctoritatem.

Glandem caducam, quæ ex arbore cecidit, in l.ſylux. de verb.ſign. Gaius finit: ſed non,vt adnotauit Alciatus, ex ſermonis proprietate, quoniam caducus, non qui cecidit,ſed qui facilè caſurus eſt, ruinámque minatur, ſignificat. Vnde & paries caducus.

GLAVCINA, l.23. D.de aur.& arg.inter vnguenta numerantur. Planè Gleucini Olei factitij meminit Plinius lib.15.cap.7.& lib.23.ca.4.Dioſcorides lib.j. Gleucinum conſtare ex omphacino oleo, iunco odorato, calamo, Celtica nardo, ſertula Campana, coſto, & muſto ſcribit.Huius etiam conficiendi rationem docet Columella lib.12.cap.51. Itaque ſuperius pro Glaucina,Gleucinum legendum exiſtimarem.

GLAREA, terra eſt lapillis permixta. Paul.de aqua plu. arcen.l.ſupra iter glarea iniecta. Item de via publ.l.j. in viam terrenam glaream immittere.

GLEBAM accipimus ceſpitem terræ:ſic dictam,quòd ſit quaſi globus. l.certo generi.D.de ſeruit.ruſtic.præd.

GLEBA, & Gleba ſenatoria, & Glebale aurum in Codice Iuſtiniani, appellatur genus penſitationis, quod Senatores poſſeſſionum ſuarum cauſſa principi præſtabant, l.2.C.de prætorib.& honorib.præſtat. Dicitur & aurum oblatitium, quòd non canonis vel indictionis, ſed oblationis genere quodam à ſenatoribus exigatur: ſicut aurum coronarium à decurionibus, aut argentum à negotiatoribus. Follis ſenatorius etiam appellatur. Martianus in No.de indul.reliq. Quidquid ex titulo ſenatorij follis debetur. Sed tamen etiam illi ſenatores quibus nulla erat poſſeſſio, duos folles in ærarium inferebant: vt conſtat ex conſtit.quadam Gratiani ad Hypatium in C.Th.lib.6. Inter ſenatores autem qui illuſtres recēſentur onus glebale non agnoſcunt, cum proprium ſit ſenatorum tantùm.

Glebæ adſcriptitij dicuntur à Iuriſconſultis ij qui cum agro vna ſeruiebant domino, & cum fundis mancipabantur, alienabantùrque. Eorum conditio facilè ex auctore Græco Zozomeno intelligi poteſt ſcribente: ἐπετρόπευε δὲ ταύτην καλήμερός τις ὁμόδουλος τῷ ἀγρῷ: illius, inquit, curam gerebat Calemerus quidam vnà cum agro ſeruus.

Glebæ profeſſio, l.12.C.Th.de anno. & trib.

Glebæ Canon apud Sidon. Apollinarem lib.6.Epiſtolarum ad Cenſorium Pap. Gleba, id eſt, glebalis functio.

GLEBALIS penſio, l.4.C.de indulg. deb.

GLICIA lex ex vna inſcriptione, l.4. D.de inoffic.teſta. nota eſt. Vide Legum indicem.

GLORIA viuere dicitur, qui pro rep.cecidit. Inſtitut.de excuſ.tut. §.ſi in bello. D.eod. l.bello amiſſi. & ad l. Aquil.l.qua actione.§.ſi quis.

GLOS viri ſoror dicitur, à Græco γάλως, l.4.§.gradus. D. de grad.& adfin. Feſtus lib.7. N.Marcellus lib.de propriet.ſermo.cap.vlti. Sed & in Lexico B.Germani ad Lutetiam ita eſt, referente B.Briſſonio, Glos, ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφὴ, γάλως παρὰ Παύλῳ. Vnde ab Auſonio in Monoſyllab. Polyxena, quæ ad Achillis tumulum mactata fuit, Andromachæ glos περιφραστικῶς appellatur, quòd ſoror eſſet Hectoris, cui Andromacha nupſerat.

Γλῶσσα lingua interpretatio. Hinc Gloſſema expoſitio, ſiue interpretatio. M.tamen Fabius pro vocibus, quæ interpretatione indigent accepiſſe videtur.

GLOSSÆ auctoritatem eam eſſe ſcribunt Iacob.Butrig. & Bald.l.hæreditas.C.de acq.poſſeſ. vt communi opinioni præferenda ſit: quod recipiendum eſt, ſi legibus, & ratione confirmetur. Nam neceſſitatem non imponit, ſed probabilis tantùm eſt, auctore Bar.l.j.D.ſi cert. peta. Cæterum, ſi textus definit, gloſſæ auctoritas contemnenda non eſt.

GONATICI ſaltus l.vlt. C.de præd.tam.meminit, quæ verba interpretatur Cuiac.de cuiuſdam ſaltus dominici proprio nomine. Alij aliter legūt gunathetici, vel Agonathetici ſaltus, vide Alc. Græci tamen, vt idem refert Cuiac.ibidem habent γονατικοῦ δρυμῶνος.

GRABATVS, vide ſuprà Grabatus.

GRADVS menſuræ genus pedes duos, & ſemis continēs, vt & Iſidorus ſcribit, & vetus quidā auctor ita cēſuit, cuius libellus auctoribus de limitibus agrorū ſubiectus eſt. At apud C.Harmenopulum lib.2.Epitom. βῆμα traditur habere πήχεις β. ἤτοι πόδας γ. παλαιστὰς ιβ.

extra Gradum moti fines dicuntur, qui loco ſuo moti ſunt, l.fi. D.de termin.mot.

Gradus ætatum, iuxta ſententiam Iuriſcoſ. explicat Alciatus l.pueri D.de verb.ſign.

GRADVS, vt ait Hoſtienſ.in Summa, eſt vnius perſonæ diſtantis ad aliam in linea conſanguinitatis, vel affinitatis facta collatio ad cōmunem parentem, l.j.cum ſeq.§.vſque ad §.affinitatis. D.de grad. conciſius ſic: Gradus eſt interuallum quo cognoſcitur, quæ perſona ſtipiti propior ſit, vel breuius. Sunt ordines cognationum. Sic autem ſunt dicti ad ſimilitudinem ſcalarum, locorúmve procliuium, quos ita ingredimur, vt à proximo in proximum, id eſt, in eum, qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus, vt ait Paul.l.fi.§.gradus. D.de grad. & affinib. Atque horum alij ſunt ſuperiores, alij inferiores, alij collaterales. Hinc Ouid.Metamorph.13.

Noſtri quoque ſanguinis auctor Iupiter eſt,
Totidémque gradus diſtamus ab illo.

Gradus arctiſſimi dicuntur eſſe, primus, & ſecūdus, & tertius. Nāque in primo ſunt ſuprà, pater & mater: infrà, filius & filia. Secūdo ſunt gradu ſuprà, auus, auia: infrà, nepos, & neptis: ex tranſuerſo, frater & ſoror. Tertio gradu ſunt ſuprà, proauus, proauia: infrà, pronepos, proneptis: ex trāſuerſo, fratris, ſororíſq; filius & filia, & cōuenienter patruus & amita, auūculus & matertera.

Gradus etiam ordinē ſucceſſionem ſignificat, l.5. D.vnd. cog.l.j.D.ſi tab.teſta.l.15.D.de S.C.Sila. Gradus quoque in teſtamentis inſtitutorum & ſubſtitutorum dicuntur, l.3.§.filius.& §.ſed &.D.de lib.& poſthu.l.37.D. de hær.inſtit. Sic primo, ſecundo, tertióque gradu inſtitutos hæredes ſcriptos legimus, qui & primo loco hæredes ſcripti ſunt, vel aliis ſubſtituti, l.3.§.fi.l.4.l.5.D. de iniuſt. rup.l.2. §.deſert. D.de ſecun. tab. Hæredes enim inſtituti dicuntur, aut ſubſtituti. Inſtituti, primo gradu: ſubſtituti, ſecundo vel tertio. Gradus autem ex ordine ſucceſſionis: locus ex ordine ſcripturæ numeratur, l.ſi is qui 55.D.de hæred.inſt.

Graduum conſanguinitatis computatio diſſimiliter numeratur iure ciuili & canonico. Inſtitut.de gradibus cognatio.& 35.quæſtio.5.ca.ad apoſtolicam. cap.quod dilectio.& cap.vltim.de conſanguin.& affinit.in eam rem libellum edidit B.Fernandus.

Gradum, pro exiſtimatione, & honoris loco vſurpatur. Hinc in gradum reponere, eſt deiectum reſtituere.

GRADILIS panis, vide Panis gradilis.

GRÆCA FIDE mercari, apud Plautum, id eſt numerata, & præſente pecunia. quod quidam ad leuitatē Græcorum referri exiſtimant, quibus nullo pacto eſſet fidendum: ſed locus ille Plauti videtur refragari, cum id ſit dictum in Attica comœdia, in qua veriſimile eſt decore ſeruato Græcos Gręcis fauiſſe, & bene de gente ſua exiſtimaſſe, & prædicaſſe. Pro optima itaque & repræſentata pecunia exponendum cenſerem. Hinc Græciola cautio in epiſt.quadam Cic.ad Cæſarem, id eſt certa firmáque.

GRÆCA RELIGIO, paganiſmus: & Græci, pagani quando dici cœperint, docet Alciatus ἐν παρεργ. declarans loca aliquot Nouel.131.de Eccleſ.titul.

GRÆCITAS in l.vnic. C.de ſtud.lib.vrb.Ro. & Conſtant.lib.11.pro Græcarum literarum & facundiæ ſtudio ponitur, vbi falsò antea legebatur grauitas.

GRÆCVM VINVM inter dulcia numerat Iuriſcoſ.l. vlti.D.de trit.& vin.le.de iis vide poſt Plin.li.11.Steph. Nigrū, multa & varia vini genera referentem in opere, quod de nimio vitæ luxu inſcripſit. Alex.Neapol.ca. 21.li.5.adnotauit quòd veteres vinū Græcū ſemel tantùm etiam in lautiſſimis conuiuiis apponere ſolebant: primúſque diuus Cæſar triumphalibus cœnis, quatuor vini genera propter inſtituta maiorum dicitur appoſuiſſe, Falernum, Chium, Leſbium, & Mamertinum.

GRAMMATICI, hoc eſt, qui Grammaticam docent, an à muneribus excuſentur, vide l.ſi duas.§.Grammatici. D.de excuſ.tut.& l.ſextum decimum.§.fi.de vac.mun.

GRAMMATOPHYLACIVM, vbi tabulæ & inſtrumenta publica, monumentáq; rerum geſtarum, actorúmque aſſeruantur, quod Tabularium Latinè appellatur. Vlpian.in l.moris de pœnis.

GRANARIA, l.93.§.penult. D. de lega.3. quæ ex tabulis fieri oſtendit, l.18.D.de act.empt. ſtipitibus vel in terra defixis, vel ſupra terrā poſitis & collocatis: hoc eſt,

quod horreum frumentarium mobile ex tabulis ligneis factum dicit, l.60.D.de acq.rer.dom.

GRANDÆVVM accipit Albericus, qui annum 29. vel 30. attigit, not. c. quicunque. 77. diſtinct. per cap. Epiſcopus. ead. diſtinct.

GRANDE beneficium, pro incomparabili, apud Vlpianum in l.j. de bon. libert. Scilicet ad remunerandum tam grande beneficium, quod in libertos confertur, cùm ex ſeruitute ad ciuitatem Romanam perducuntur. Indicat vulgatus verſiculus:

Non bene pro magno libertas uenditur auro:

libertatem pretio nummario non æſtimandam. Grandis commodi. l.4.D. ex quib. cauſ. maio.

GRANDIS NATV, quinquagenario paulò minor eſt, Pomponio in l. ſecunda. de orig. iur. ergo Sabino conceſſum eſt à Tiberio Cæſare, vt populo reſponderet, qui in equeſtri ordine iam grandis natu, & ferè quinquaginta annorum receptus eſt.

GRANDICVLI pueri, Canonniſtis ſunt doli capaces, ca.j. extr. de delict. puero. Plau. Grandiculi voce in Pœnulo vſus eſt:

In fundas infundebam grandiculos globos.

GRASSARI dicuntur, qui ex inſidiis viatores impetu gradiendi adoriuntur. Item qui gerendo negotia ſenſim ſub aliquo prætextu contrectant res alienas, vt in l.3. de ſuſpec. tut. & Inſt. eo. tit. §. nouiſſimè autem. Sed diutius graſſandi in re familiari facultatem præſtat.

GRASSATORES, vt ait Calliſt. de pœnis, in l. capitaliũ. §. omnia admiſſa. ſunt, qui prędę cauſſa id faciunt, proximi latronibus habentur: & ſi cum ferro aggredi & ſpoliare inſtituerunt, capite puniuntur, vtique ſi ſæpius, atque in itineribus hoc admiſerunt. cæteri in metallum dãnantur, vel in inſulas relegantur. Porrò graſſaturam Iuuen. Satyr. 3. deſcribit dilucidè. Saturnius in l. aut facta. de pœnis. in §. qualitate, Cum factum vel atrocius, vel leuius eſt: vt rixæ à graſſaturis, expilatio- nes à furtis. Vide adnotata in hunc §. per Budæ.

GRATIA pro fauore accipitur in l.7.§. quæſitum. D. de mino. l.3. C. de iur. fiſc. & alibi ſæpius. Gratia, id eſt ius patronatus, c. quia. de iure patro. Gratia, beneficium gratis conceſſum. Gratia, pro cauſſa, vt gratia decipiendi, l. quod ſi. D. quod met. cauſ.

Gratiam iuriſiurãdi facere, l.6. & 32. & 41. D. de iureiur. eſt ſoluere iuriſiurãdi neceſſitate, & (vt Paulus lib.2. Sent. tit. j. loquitur) remittere neceſſitatem iuriſiurãdi. At in l. fin. D. ad municipa. ſignificat ſoluere religionẽ iuriſiurandi, & (vt vulgò loquimur) diſpenſare. Et Gratiam facere edicti, apud Suetonium in Domitian. cap. 14. id eſt cum permittitur id quod eo edicto erat vetitum. & Gratiam coniurandi, in Auguſt. c.16. Sicq; Gratiam canonis, legiſque facere, pro diſpenſare dici poſſe, Budæus monuit in adnot. prio. quod & ſoluere legibus dicitur. Vlpianus tamen, ſolutum eſſe legibus, accepit pro eo, quod eſt, non teneri, l. Princeps. de legibus. & Iulianus l. ſequenti. Quomodo & antiqui ſæpe vſi ſunt, vt Budæus ibidem citatis oſtendit exemplis.

GRATIOSI dicuntur Latinis, quib. fauetur propenſo quodam animi ſtudio. Vlpi. in l.j. de cenſib. Sed & Berytienſis, inquit, colonia eſt in eadem prouincia, Auguſti beneficiis gratioſa. Hebræis Iochanam, vel (vt nos loquimur) Ioannes, gratioſum ſignificat. Gratioſus item, qui apud multos valet gratia. Cui tenues opes ſunt, gratioſus non eſt. Nam amor & gratia, mouetur opinione & fama liberalitatis: auctor Cicero libro de offic. ſecundo.

Gratioſa ſententia, l.5. C. de calumniator. Gratioſa emptio, l.2. C. de fid. inſt. & iur. haſt. lib. 10. Gratioſa actio, l.16. C. de reſcindend. venditiõn.

GRATIOSE, per gratiam, & fauorem, l.9. D. de admin. rer. ad ciuita. petin. Hinc Gratioſe expunctæ rationes dicũtur in l.9. D. de adm. rer. ad ciuit. quæ bona vtriuſq; partis gratia, & ſine vlla contentione expunctæ ſunt.

GRATIS, & pretio contraria indicat M. Cicero pro Roſcio Comœd.

GRATITVDO naturalis, eadem quæ & obligatio, Græcè ἀντίδωρον. Quo verbo Vlpianus vtitur in l. ſed etſi. §. conſuluit. de pet. hæred. vide Alex. Neapolit. à principioli. 5. pulchrè differentem, de naturaliter inſita homini gratitudine: pro quo faciunt hæc verba Iuriſc. in d. §. Quamuis ad remunerandum ſibi aliquem naturaliter obligauerunt.

GRATVS, qui gratiam pro beneficio refert. Gratũ eum eſſe M. Cicero indicat, ſi omnia, quæ facit, grata ſint. Gratus quilibet cenſendus, niſi ingratus probetur, l. ſeruus. l. Centurio. D. de manu. teſtam.

GRATVITA libertas, quæ gratis, & ſine præmio datur, l.j, C. de libe. & eor. libe.

Gratuitũ officiũ in Authen. Iuſiurand. quod præſta. ab iis.

GRAVES perſonæ ſunt noſtris, quib. adeſt firmitas ac conſtantia animi, & in vultu, moribus, verbis, rebus agendis quædam ſeueritas. Hoſtiẽſis generaliter finit, quæ non ſunt infames, l. cùm pater. §. rogo. & l. cum quidam. D. de lega. j. c. vnico. extr. de ſcrutin. vide Panormi. in c. licet. de teſtib.

Graues controuerſiæ cenſentur præiudiciales, reſpectu minorum, Paul. l. per minorem. D. de iudiciis. Per minorem cauſſam, ait, maiori cognitioni præiudicium fieri non oportet, &c. Sic vniuerſalis actio præcedit particularem, criminalis ciuilem, l. vlti. C. de petit. hæredita. & l. vlti. C. de ord. cognition.

Grauia delicta quæ ſint, not. in cap. at ſi clerici. de iudic. in vol. Gregor. quid diſtent ab enormibus notat. in Authen. ſed nouo. C. de cuſto. reo.

GRAVIO, vel GRAPHIO, apud auctores barbaricos, iudicem ſignificat: & inde Landgrauij, id eſt prouinciæ comites, ſiue iudices: & Marchgrauij, limitis comites: & Pſaltzgrauij, palatij comites, qui & maiores domus, & præfecti, rectoréſque palatij dicuntur, vt Eginhartus, Iornandes, Annonius ſcribunt: Burgrauij, arcis præſidiíve comites: & Centgrauij, qui in antiquis Germanorum legibus Centenarij dicuntur: & Gograuij & Diuggrauij iudices pedanei.

GREMIA, & Gremiales arbores, vide Cremia.

GREX, inquit, Feſtus lib.7. ex Græco dicitur, quem illi ἀγέλην vocant. Eſt autem quorumlibet animalium congregatio. Cicero in Philip. Fudit apothecas, cæcidit greges armentorum. quod & ſignificantiſſimè expreſſit iuriſcoſ. l.2. D. ad leg. Aq. qui ait, oues, capras, boues, equos, mulos, aſinos gregatim paſci. Vlpianus tamen gregem, armenta, & equitia ſeparat, l.j. §. per hanc. D. de rei vindic. Per hanc, inquit, actionem non ſolum ſingulæ res vindicabãtur, ſed & grex vindicari poteſt: idem de armento, & de equitio, cæteriſque quæ gregatim habentur, dicendum eſt.

Grex, μεταφορικῶς, pro populo Chriſtiano, cap. quamuis. 7. quæſt. 1.

Grex cohortalium, l.j. §. ſi quis ex grege. C. de cohort. lib. 12. idq; propter vtilitatem, vt Albericus ſcribit. Hinc,

Gregarij milites, l. fin. C. de milit. veſte. id eſt viliores.

GVADIA, eſt pignus. vnde Inguadiare, verbum de quo poſterius ſuo loco dicemus. In Lombarda lib. j. tit. 15. Si non habuerit vnde ſummam perſoluat, ſemetipſum per guadiam in ſeruitio Principis tradat. Item lib.2. tit. 21. Si quis alij guadiam & fideiuſſorem dederit, omne quod per guadiam & fideiuſſorem obligauit, adimpleat. Item: Si quis alij guadiam dederit, & eam recipere neglexerit, &c.

GVARDIA, pro cuſtodia, vetus vox Germanica, VVarden. qua ſermo quoque Gallicus hodie vtitur: vnde feudum Guardiæ, cùm quis prædio cuſtos imponitur.

Hinc

Hinc tenere pro feudo; & tenere per Guardiam opponuntur, lib. Feud. j. tit. 2. & tit. 11.

GVARENTARE, vel (vt eſt in aliis libris) Guarentiſare, pro cauſſam alterius ſuſcipere, defenſorem ſe profiteri. Priſcum Francorum verbum, quod in Francogalliam inuectum eſt, *Guarent*: quo ſignificatur is, qui Latinis Auctor dicitur, & euictionẽ præſtat, lib. Feud. 2. tit. 34. §. 2. In Lombard. tamen lib. 2. tit. 36. de euict. appellatur Auctor. At in Speculo Saxon. dicitur VVarandator, artic. 9. Quiſquis alteri ante reſignationem & infeudationem, bonorum poſſeſſionem tradiderit, ipſe eiuſdem debebit eſſe vvarandator, quotieſcunque emptorem ipſius vvarandatione indigere contigerit. Item art. 15. Aut vvarandam emptionis ſuæ producere potuerit, &c. Item: Niſi per defectum in teſtibus aut vvaranda ſuccubuerit. Aliis autem locis vvaranda pro ſatiſdatione paſſim vſurpatur.

GVASTALDVS, præfectus, ſiue cuſtos curtis, qui & Actor dicitur. Lombard. lib. 2. tit. 17. Si guaſtaldus, aut quilibet actor Regis, poſt ſuſceptas & commiſſas ſibi ad gubernandum curtes, aut caſas Regis, aliquid per donationem conquiſierit. Et mox: Concedimus etiam guaſtaldis noſtris curtes noſtras prouidentibus. Item Lombard lib. j. tit. 32. Et Lãgobard. leg. tit. 39. §. 3. Siquis guaſtaldus, vel actor Regis, curtem regiam habens ad gubernandum, ex ipſa curte alicui ſine iuſſione caſam tributariam, vel terram, ſyluam, vites, vel prata auſus fuerit donare. Sic libr. Feud. j. tit. 10. Niſi vaſſallus ſit guaſtaldus, vel actor Domini. Itẽ leg. Langobard. tit. 101. §. 27. Si mancipium cuiuſcunque in curte Regis confugium fecerit, & Guaſtaldus, aut actor Regis poſt ſecundam & tertiam conteſtationem reddere dilatauerit. Guaſtaldorum quoque munus aliquod erat in re militari: vti patet ex Lombard. lib. j. tit. 15. Si Dux exercitalem ſuum moleſteuerit iniuſtè, guaſtaldus eum ſolaciet, vſque dum ad præſentiam Regis eum perducat. Item: Si guaſtaldus exercitalem ſuum contra rationem moleſtauerit, Dux eum ſolaciet, quouſque veritatem ſuam inueniat. Paulus Diaconus de geſt. Langobard. lib. 5. c. 11. Ipſúmque Alzeconem mutato dignitatis nomine, pro Duce guaſtaldũ vocitari præcepit. De guaſtaldo Vitus Amerbachius in Capit. Carol. Mag. ſic ſcribit: Guaſtaldus ſignificat œconomum, id eſt procuratorem domus, & rei familiaris. Puto factum nomen à *Guaſt*, id eſt, hoſpitium, veteri Germanica & Gallica lingua, & *Halden*, id eſt tenere. Sic enim in quibuſdam Germaniæ locis adhuc verbum pronũtiatur. Feudi guaſtaldiæ exemplum extat apud Petrum de Vin. lib. Epiſtola. 6. c. 25. Ita tamen (inquit Fridericus) quòd caſtrum ipſum à nobis & hæredibus noſtris in capitaniam teneat, & immediatè à noſtra curia recognoſcat: viuens iure Francorum, in eo videlicet, quòd maior natu in ipſo ſuccedat.

GVERRA, ſiue VVerra, non tantùm dicitur bellum, quod Imperatoris nomine publicè geritur: verumetiam quod priuatus aliquis ſuſcepit, cùm ſuas inimicitias perſequitur: vt lib. Feudorũ. 2. tit. 28. §. j. & §. 2. Et apud Veſpergenſ. Abbatem in leg. Friderici Imper. Si liber homo, ingenuus, miniſterialis, incendium commiſerit, pro vverra propria, pro amico, pro parente.

GVIDAGIA, quaſi pedagia. c. ſuper quibuſdam. de verb. ſig. Io. And. c. quanquam. de cenſib. lib. 6.

Guidagium eſt, quod datur alicui pro ſecuro conducto tranſeundi per terram alicuius. c. de raptoribus. 36. q. 3.

GVNDVLÆ nauigij genus: vide. C. Harmenop. libr. 2. Epit. c. 10. & libell. legum Naualium. l. 14. in adnotat.

GVMMI, in l. fi. D. de publican. vide Plinium lib. 13. c. 11.

GVTTVRNIVM Feſto lib. 7. vas ex quo aqua in manus datur: abeo quòd propter oris anguſtiã guttatim fluat.

GVTTVROSVS cuius guttur intumeſcit. l. qui clauum. D. de ædil. edict.

GYMNASIA Antonio Auguſti. ad l. ἐὰν δύο. § ὁμοίως δέ. D. de excuſ. ſpatia quædã ampla, quibus Græci aut palæſtra aut cæteris corporis exercitationibus ſe exercebant.

Γυμνασιαρχίας, in d. § ὁμοίως. Gymnaſiorũm præfecturas rectè ibidem vertit A. Auguſt.

Γυμνασιαρχης. Heſychio, ἄρχων τοῦ ξυστοῦ.

Γυμνασιαρχὸν, definiiſſe viſus eſt M. Cicero qui Gymnaſiis præerat. Vlpian. tamen Demoſthenis interpres ita ait: Γυμνασιαρχός ἐστι ὁ παρέχων ἔλαιον τοῖς γυμναζομένοις. Hæc in oratione Contra Leptinem: quo loco Gymnaſion ita definit, Γυμνάσιον γὰρ παλαίστραν ἐκάλουν.

GYNÆCIVM, ſiue Gyneçæum, vt in C. Theo. & in Notitia Imp. Rom. eſt textrinum ad veſtes principis conficiendas conſtitutum. l. 3. C. ad leg. Iul. repetund. l. S C. de murileg. libr. 11. nam quod in d. l. 5. dicitur, gynæcij, hoc in l. ſeq. dicitur textrini. Sic in l. j. C. de veſtib. holob. vbi vulgò gynæcariis, pro gynæciis legitur, vt patet ex l. j. C. The. eod.

Gynæciorum procuratores. d. l. 2. & in Notitia imperij: Iidem procuratores textrinorum vocantur. l. pen. de murilegul. lib. 11. C. Et Gyneaceiariorum procuratores, in l. 3. C. de indulgent. debito.

GYNÆCIARII. l. 3. & 13. de murileg. lib. 11. C. & l. fin. C. de mil. veſte. lib. 12. ij ſunt qui addicebantur contexendis conficiendiſque veſtibus imperialibus & miniſteriorum imperialium. atque horum nulla eſt adminiſtratio, ſed ſeruitus publica, vel conditio, vt exponit I. Cuiacius in l. 2. C. de murileg.

GYPSVS, in Nouell. 142. § κακῶς. Ægypti inſula, de qua vide Stephanum.

H

HABE, & Haue cum aſpiratione, pro Aue, frequentiſſimum verbum in inſcriptionibus conſtitutionum. C. Th. & Iuſtinianei, ſalutandi verbũ: Habe Marcelline K. N. B. Huius generis ſalutationis meminere Euſebius, & Nicephorus, Χαῖρε Αὐρηλῖνε τιμιώτατέ ἡμῖν. Sic Veteres Habe, aut Haue pro Aue dicebãt. Seneca libr. 6. de Benefic. c. 34. Huic peruenire vſque ad diſtringẽdam libertatem licet, cuius vulgare, & publicum verbum promiſcuum ignotis, Habe, non, niſi ſuo ordine, emittitur. Hanc ſcribendi rationem probat M. Fabius lib. j. c. 10. Multùm eſt, ait, literatus qui ſine aſpiratione, & producta ſyllaba ſalutauit, Auete. Recta eſt hæc via; quis negat? ſed alia eſt melior, & magis trita in ἐπιγραφῇ. l. dominus. C. de adpel. Habe Heraclida cariſſima nobis. & in inſcriptione. l. ſi quis. 11. C. de accuſat. Habe Criſpine cariſſime nobis: vbi pro Habe, falſo legitur liberis. & l. fin. C. The. ne quid publ. lætit. vbi pro Habetatiano, legendum, Habe Tatiane.

HABENAM ſcitum eſt pro loro accipi. Ea ſeruos impuberes cædi ſolidos liquet ex l. j. §. impuberi. D. de S C. Silan & Hora. lib. 2. Epiſtul. In ſchalis, inquit, latuit, metuens pendentis habenæ.

HABERE, inquit Paulus, duobus modis dicitur: Altero, iure dominij: altero, obtinere ſine interpellatione id quod quis emerit. l. 118. D. de verb. ſign. Eum etiam habere dicimus, inquit Vlpia. qui rei dominus eſt: & eũ, qui dominus quidem non eſt, ſed tenet. Denique habere rem apud nos depoſitam ſolemus dicere. Vlp. in l. ſtipulatio iſta. §. habere. D. de verb. oblig. Habere item eum dicimus, qui vtitur, & iure poſſeſſionis fruitur, ſiue ipſe opus fecit, ſiue ex cauſſa cõductionis, vel emptionis, vel legato, vel hæreditate, vel quo alio

modo adquiſiuit.Vlpian.in l. Prætor ait. D. ne quid in loco.

Habere & poſſidere, inquit Corn.Fronto, ſic differunt. Habere poteſt etiam fur nequam.Poſſidet nemo, niſi qui aut relictæ, aut donatæ rei, aut emptæ dominus eſt. Ita in habente dñus, in poſſidente vſus eſt.Habere autem & poſſidere ciuilis poſſeſſionis ſunt:tenere, naturalis.vnde, Sibi habere poſſidere, ſæpe coniunctè legimus:vt l.patet.38.§.quindecim.D.de legat.3. Hinc Habere ad res incorporales refertur: Tenere ad corporales:Poſſidere, ad vtraque.

Habere, pro continere, in l.ait lex.D.ad l. Aquil.& l.ex duob.de negot.geſt.

Habere pro derelicto, eſt ea mente abiicere, quæ in numero quis rerum ſuarum eſſet nolit.§.qua ratione.Inſtit.de rer.diuiſ.

Habere intentionem dicitur in præiudiciis, qui ius habet præferendum in iudicãdo, modò probauerit id, quod intendit & allegat, ſiue ſit actor, ſiue reus conuentus. Vnde Vlpianus in l.ſed & hæ. §.non ſolum autem.de Procur.videtur diſtinguere Præiudicium ab actione.

Habere rem aliquis, eleganti figura loquendi dicitur, ad quam recuperandam habet actionẽ: vt cum dicimus, iſte habet centum ex hæreditate, & adhuc ne obulum quidem accepit, vt tradit Zaſius in l.ait Prætor.§.ſi iudex.D.de re iud.Vide item l.15.D. de diuerſ. reg. iur.Et contra habere actionem non videtur, cui propter debitoris inopiam inanis eſt.l.nam is.D.de dolo malo.

Habere in ſinu meo, Iuriſconſ. in l.qui teſtamentum. de probat.dixit, pro, in occulto, & penitus apud me, & in poteſtate mea.

Habet quis per alium, quod per ſe habere non poteſt, gl. l.Imperator.D.de ſtat.hom.& gl.fi.in l.petendæ.C.de tempor.in integ. reſtit. Habetur & id quod peti poteſt.l.143.D.de verb.ſig.

Habere filium mortis tempore creditur, quæ, exciſo vtero, edere poſſit.l.141.D.de verb.ſig.

Habere contractum, cõuentionem, & obligationem frequentiſſimè pro contrahere.l.j.C. ne vxor pro mari.l. 10.C.ſi cert.pet.l.21.D.de don.int.vir.& vx.l.4.C.de re. permut. l.2.C. ſine cenſu, vel relig.l.6. & 7. C.ſi quis alteri vel ſibi. l.fin. C. de inſtit. l.8.C. de pact. inter empt.Eodem ſenſu Habere tractatum.l. 32.D. pro ſocio.Et Habita ſententia, pro lata, & dicta.l.21.D.de iis, qui not.infa.

Habeat, habere poſſit.l.ſi quis ſub cond.D.de teſtam.tut. quandoque habere poterat.l.ſi quis filium.C.de inoffi. teſtam.

Habere in matrimonio, eſt habere vxorem, Ciceroni, & pontificij iuris interpretibus.Hinc Habeo te pro legitima vxore, an his verbis ſit contractũ matrimonium not.in c.ex literis.de matri.contra interd.eccleſ. c. neque illud.§.ſed obiicitur.in gl.30.q.5.

Habetur, & intelligitur, verba, fictionẽ ſignificant.l. vni. in prin.C.de rei vxor.act.l.Prætor.§.ſiue autẽ.de oper. nou.nun.

HABVIT, quandoque pro habiturus erat.Inſt.de act.§.ſi quis agens.Quomodo hoc verbum ad futurum referatur, differit Bart.in l.exterarum.C.de teſtam.tut.

HABERE LICERE ſtipulatio eſt, qua ſignificatur, facultatem ſemper fore poſſidendi rem quietè, neminémque ſuperuenturum, qui impediat poſſidentem, vel moleſtia adficiat. Quorſum enim pertinerent inter mortales vniuerſæ omnium contractuum tranſlationes, in rebus ipſis, niſi accipiens poſſet eas retinere, atque ſine moleſtia in commodum ſuum conuertere? Cum igitur quis futurã ſibi moleſtiã timet de re promiſſa, conſultũ atque frequens eſt in vſu forenſi, vt caueat ſibi per hanc ſtipulationẽ.l.11.§.fi.D.de act.empt.

HABETO RES TVAS. Verba hæc diuortium ac repudium notant.Vide titulum.D.de diuort.& repud. quæ formula ex Plauto in Amphitruo ſumpta videtur.

HABILITER, id eſt, aptè, commodè. l. 20. D. de aur.& argen.lega.Si vt habiliter gemmæ geri poſſint, incluſæ auro fuerint, tum aurum dicimus gemmis cedere.

HABITARE, perpetuum: commorari, ad tempus eſſe, quidam volunt.M.quoque Cicero hæc ſeparat in lib. de Senect.Commorãdi enim, ait, natura diuerſorium nobis, non habitandi dedit. Habitare autem dicimus quempiam vel in ſuo, vel in conducto, vel gratuito. Vnde habitaſſe non dicitur, qui obiter manſit: hoſpes verò pauliſper hoſpitari dicitur. Dubium tamen non eſt, eum quoque habitare dici, qui ad tempus habitat, l.lex Corn.elia.§.domum.de iniur. Vide Bart.in l.j.& in l.cum de lanionis.§.Sabinus.D.de fund.inſtr.

HABITATIO eſt ius in ædibus alienis commorandi, cũ perſonis & rebus quoquo modo ad ſe pertinentibus, ſalua ædium ſubſtãtia.Probatur hæc definitio in leg. 2.§.domus.cum ſequentibus.D.de vſu.& habi.Neque verò Habitatio vſusfructus eſt neque vſus, ſed quaſi proprium aliquod ius.§.ſed ſi cui habitatio. Inſtit. de vſu, & habit.Nam in facto potius, quàm in iure habitationis legatum conſiſtit.l.pen.D.de cap.min.Effectu tamen idem pene eſt legatum vſus & habitationis.l. 10.D.de vſu & habitat.Habitationis itaque exceptione, ſiue temporalis, ſiue vſque ad mortem, vſum videri exceptum Pomponius ſcribit.l.31.D. de vſufr. Habitatio pro ædificio.l.20.§.Gaio. D.de inſtr.inſt.le.

Habitationis feudum degener dicitur, quia perſonale eſt, & ad hæredes non tranſit regulariter.Nec mirum, cũ & habitationis legatum ad hæredes non tranſeat.l.ſi habitatio.§.ad hæredem.de vſu & habitat.

HABITATOR ab hoſpite tantum differt, quantum intereſt inter domicilium habentẽ & peregrinantẽ.l.j. §.7.D.de iis qui deiecer. Habitatorum nomine intelliguntur quandoque inquilini.l.habitatores.D.loca.

HACTENVS, (vel vt in Pand.Flor.actenus, ſine aſpiratione) antecedens relatiui quatenus.Vlpia.in l.ſi quis. D.de pact.Nec enim improbũ, ait, & ſi quis hactenus deſideret conueniri, quatenus facultates patiuntur.& de in rem verſ.l.ſi pro patre: Si domini debitor ſit ſeruus, & ab alio mutuatus ei ſoluerit, hactenus non verterit, quatenus domino debet.

HÆRES, HÆREDITAS, vide infra Hæres.

HÆRESIS quanquàm ferè in malam partem accipi ſoleat, pro ſingulari quadam obſtinacia contra verbum Chriſti & Apoſtolorum eius, tamen in bonam quoque partem accipi Eraſmus rectè annotauit, Acto.26. Hæreſis autem quid à ſchiſmate diſtet, docet Hieronymus in Epiſtol.ad Tit.c.3.& c.inter.24.q.3. Hæreſis vnde ducatur, docet idem in epiſtola ad Galat. c. 5.& c.hæreſis.ead.cauſſa & quæſt.

HÆRETICVS eſt (definitore B. Auguſt.lib.de vtilitate cred.c.hæreticus.24.q.3.) qui alicuius temporalis commodi, & maximè vanæ gloriæ, principatúſque ſui gratia, falſas vel nouas opiniones vel gignit, vel ſequitur. Ille autem, qui huiuſmodi hominibus credit, imagine quadam veritatis illuſus eſt. Hæreticorum ſectas varias recenſet Iſidorus lib.8.Etym.c.5. c.quidam autem. 24.q.3.

Hæreticus eſt priuatus omnibus iuribus & bonis, & eſt excommunicatus, vt in c.excommunicamus. de hæret. Panor.in c.cùm non liceat.in 2. col. verſic. & hæc eſt ratio.de præſcript.

Hæreticorum libri omnino comburendi ſunt, quoniam blaſphemia contra Deum non debet ad alia prorepere ſecula.Nouell.vt Antonius, Seuerus, Petrus. §. vnde in vniuerſum.Conſt.42.

Hæreticos melius eſt latitare, quàm in publica luce ante omnium oculos verſari.Nam ſi latitent, ſibiipſis tan-

tummo

tummodo erunt incommodi:ſi verò dogmata ſua publicent,& in vulgus proferant,multis ſimplicioribus occaſionem præbebunt ad interitum. Ibidem.§.ac neque illi permittimus.

HAMA,alij,Ama,à veteribus Gloſſis ἀρπάνη, id eſt falx, exponitur,grandior illa quidem,& qua diſturbantur ædificia,incendij compeſcēdi aut extinguendi cauſſa: confixa autem erat longiſſimis contis,id eſt longuriis. Paul.l.3.§.3.D.de offic.præf. vigil. Sciendum eſt autem præfectum vigilum per totam noctem vigilare debere,& coërrare calciatum cum hamis & dolabris.Vlp. quoque in l.12.D.de fund.inſt.hamas inter incendiorum remedia bis anumerat.Turneb.Aduerſ.libr.19.c. 23.hamam his locis ſumi vult pro vaſis aquariis rotundioris formæ,& ventris globoſioris,quibus ad extinguenda incendia vti ſolerent.Hama quidē apud Plautum in Milite glorioſo pro vaſe aquario: *Bacchabatur hama*,inquit,*caſſabant cadi*, vbi corrupte *auia* legitur.Et de hoc illud Iuuenalis intelligi vult: *Diſpoſitis prædiues hamis*.

HARENA,ea pars theatri,in qua beſtiarum,gladiatorúmque pugnæ exhibebantur,edebantúrque.l.36.§.fi. D.de rei vindi.l.j.§.ad beſtias.D. de poſtul.l.j. D.de ædil.edict.l.4.D.de leg.Sic apud Tryphoninū.l.fi.D.de fugit.Quoniā interdū, inquit, aut pecunia interuerſa aut cōmiſſo aliquo maiore maleficio, ad fugiendā inquiſitionem,vel iuſtitiam animaduerſionis, in harenam ſe dare mallent.

Harena aliquando metaphoricè forum dicitur:quoniam illic hodie nihilò modeſtius depugnant actores cauſſarum, quàm in harena olim ſolebant ſeſe dilaniare gladiatores.Seneca:Hoc ita,inquit, habitum eſt,ſcholam quaſi ludum eſſe,forum, harenam.Et Plinius, harenam ſuam adpellat,centumuirale iudicium; & profectò rectiſſimè.

HARENARII, in harenā deſcendentes, vt cum beſtiis gladiatoribúſve pugnent.Calliſtratus in l.hę demum. D.de oper.liberto.& l.21.§. ſi ea. D. de teſtib.l.5.D. ad Treb.Firmic.lib.8. Matheſ. c. 10. Vocantur etiam Beſtiarij,& à Gręcis θηριομάχοι.Sic Harena miſſum accipe. l.4. D.de legat.

HARENOSVS locus.l.24.§.adiicitur.D.de dāno infect.

HARENIFODINÆ.l.13.§.inde eſt quæſitum. de vſufru. ex quibus harena effoditur.l.7.§.ſi vir. D. ſolut. mat. Harenarias vocāt Varro lib.j.de re Ruſtica.c.2. Gaius. l.13.D.de publica.M.Cicero in Oratione pro Cluent. Harenæ fodiendæ ius.l.6.§.j.D.de ſeruit.ruſtic.

HARIOLVS quis,not gl.in l.nemo.C.de mal.& math.

HARPAGONES,adunca ferramenta, quibus quid extrahitur,vt ſi quid in puteum deciderit.l.12.§.12.D.de inſtrum.inſtr.leg.

HARVNDO cædua.l.59.§.fi.D.de vſuf.l.7.quod vi aut clàm.l.3.D.arb.fur.cæſ.ſcribitur ſine,H l.40.D.de cōt. empt. Harundine autem Ægyptios pro ligno vti,& illic arundines cōburi traditur in l.55.§.lignorum.D. de leg.3.

HARVNDINETVM, vnde harundo vitibus fulciendis ſumitur, l.9.§.6.D.de vſuf.nam aliorum pedamentorum inopia, ſubſidio arundo capitur, vt ait Varr.li.1. de re Ruſt.ca.8.

Haſta dicta,inquit Varr.libr. 4. quòd aſtans ſoleat ferri: nam ſine aſpiratione olim ſcribebatur. Haſtæ autem ſignum præcipuum eſt:nam & Carthaginenſes,cum bellum Romanis indicerēt,haſtam mittebant: & Romani viros ſtrenuos ſæpe haſta donabant. Notandum etiam ab origine rerum pro diis immortalibus veteres haſtas coluiſſe.Hinc & reges Rom.pro diademate haſtas habuere,quas Græci σκῆπτρα dixere, vt teſtatur Iuſtinus lib.43.Itaque vel has ob cauſas, vel in vnius Romuli honorem, qui ab haſta Quirinus vocatus eſt, vt nulli non notum,haſtis ſubiiciebāt veteres ea, quæ publicè vænundabant,vt Feſtus lib.8.ſcribit,& indicat Cic.lib.2.Offic.Sic par eſt agere cum ciuibus, non (vt iam bis vidimus)haſtam in foro ponere, & bona ciuium voci ſubiicere præconis.Ita ſub haſta diſtracta prædia.l.fi.C.ſi propter pub.penſita.Subhaſtatæ res in l.3.C.de execu.rei iud.Itē Subhaſtatio.l.16.C.de reſcin. vend.Et Haſta fiſcalis.l.8.C.de remiſ.pign. & rubr.C. de fide & iur.haſt.fiſc.lib.10. de hac Tertullia. in Apologetico.Haſtarum enim ſolēnitate à fiſco res diſtrahebantur.l.j.& 2.C.The.de admi.rer.pupill.

Haſtam,pro auctione poſuiſſe videntur Impp.l.ſi tempora.C.de fid.& iu.haſt. Quæ enim ſub haſta vænibant res, præconibus proclamantibus vænibant. quod & Acron in Saty.6. libr.j. Sermo. Hor. ſcribit.& Haſta etiamnum in quibuſdam Galliæ partibus vti ſolent præcones,& oblata pretia nuntiare.

Haſtæ præeſſe,hoc eſt,forenſibus ac priuatis diſceptationibus,quod eſt,centumuirali iudicio, apud Pomp.l.2. §.deinde cùm placuiſſet.D.de orig.iuris. Hinc,

Haſta centumuiralis,idcirco dicta,quòd Cētumuiri haſta in foro poſita,iudicabant.

HAVBERTICVM feudum Gallicā lingua vulgo dicitur,pro Loricatum: id eſt datum vaſallo ea conditione, vt ad edictum loricatus, ſiue cataphractus præſtò ſit.Nam vt Lorica Latinis propriè & minus vſitatè eſt tegmen de loro factum,quo maiores in bellis vtebantur:quemadmodum Seruius ſcribit in 11. Æneid.frequētiſſime autem pro ærea armatura integra vſurpatur:ſic apud Gallos *Haubert* proprie loricā annulis cōtextam ſignificat,quam vulgus *Cotte de maille* appellat. vnde vetus prouerbium Gallicum, *De maille à maille on fait le haubergeon*.Poſt verò integra equitis armatura eo nomine appellata eſt:videtúrque Nortmānicum verbum fuiſſe,cum in ea Galliæ parte frequentius illud verbum vſurpetur:vnde *Fiefs de haubert*, Feuda loricæ. Sigebertus in Chron.ann.1160. In Nortmannia de feudo vniuſcuiuſque loricæ, & de reliquis omnibus tam in Nortmannia, quàm in Anglia, & reliquis ſuis terris.Helmodus in hiſtor.Slauor.libr.j.c.88. In hunc modum rebus compoſitis,profectus eſt dux in Lāgobardiam,cum mille(vt aiunt) loricis, habens in comitatu ſuo Adolphum Comitem,&c.Feudum igitur Loricæ,eſt quod militi aſſignatur,ea lege, vt ad edictum præſto in armis ſit.Landulphus lib.hiſt.Miſcell.20.Miſit tria millia loricatorum ad circundandum eum, ne fugeret.Antonius Florentinus tit.17.c.8.§.3.In ſolo domini Imperatoris comitatu equitum loricatorum erāt ad LXX. millia, abſque peditum copiis Helmodus in hiſtor.Slauor.cap.52.Elegit de exercitu mille loricatos,abiítque in occurſum exercitus.Sic Liuius libr. 37. Latinè loricatos interpretatur, quos Græci καταφράκτους appellant.His,inquit, tria millia peditum loricatorum(cataphractos ipſi appellant)adiunxit.

HAVSTVM, eſſe ius hauriēdi aquam è puteo vicini, Iuriſconſ.indicat in l.j. de ſeruit.ruſt.præd. Porrò hauriendi ius,non hominis,ſed prædij eſt, auctore Pomponio in l.ſi mihi.in fi.de ſeruit.ruſtic.præd. adſtipulatur Paulus in l.cùm fundus.D.commu.prædior.

HEBDOMADÆ, quas Latini ſeptimanas adpellant, ſeptem dierum intelliguntur, ſecundum communem vſum. Aliàs tamē de ſeptenario numero quarumcunque rerum dicuntur.Hinc libri M.Varronis qui inſcribūtur Hebdomades,vel de imaginibus ſeptenarij numeri,vt eſt apud Gell.lib.3.c.10.Et Leuit.25.Numerabis quoque tibi inquit Dominus ad Moſen, ſeptē hebdomadas annorum,id eſt, ſepties ſeptem annos. Quòd autem Iuſtinianus in l.2.§.quod cœleſti. C. de vet. iur. enuclean.de numero ſeptenario ſcribit, quaſi naturā, & artem numerorum in ſe contineat, nihil moror,

multò minus quod Accurſius ibi adiicit de S.Trinitate,& numero quaternario.Vnde credo ſumptā diſtinctionem inter naturalem,& artificialem diem: quam cùm anxiè tractent plerique,nihil planè ad vſum forenſem reſpiciunt,quorſum pertineat, nec admodum probari poteſt.

HELIOCAMINVS, ſolis euaporatio, ſeu æſtuarium dicitur,ἀπὸ τοῦ ἡλίου καὶ καμίνου,id eſt ſole,& camino, quaſi dicat ſolaris caminus.Locus ad quem ſol hibernus accedens,ipſum euaporat & calefacit: quo veteres ſolis excipiendi cauſſa vtebantur.Extat dictio apud Vlpia in l.arborem.De ſeruitut.vrbanor.præd.& vide Alex. Neap.lib.5.Geni.c.5.

HEPATICVS,qui hepatis morbo laborat.is inter moroſos recenſetur.l.qui clauum.D.de ædil.edict.

HÆRES maſc.& fœminini gen. contra quam Soſipater credat, eſt.nam in gen.fœminino vſurpauit Tryph.l. vlt.de collat.dot. Ab hæreditate dicitur, quaſi hærus, hoc eſt,dominus bonorū defuncti.Vnde hæredem inſtituere nihil aliud eſt,quàm deſignare aliquē bonorū ſuorū poſt mortem futurum dominum. §.item extraneus.Inſtit.de hære.qualit.& diffe. Veteres enim hæredes pro dominis adpellabant.Plaut.Menæch:*Abſtuli hanc,cuius hæres nunquam erit poſt hunc diem.* Sic Triphoninus.l.hæreditate.§.pater.D.de caſtr.pec.Si pater vt hæres viuo filio vindictam ſeruo caſtrenſi impoſuit. Quidam autem hoc nomen deduci volunt ab hero, quos tamē prioris ſyllabæ ratio refellit:alij ab hæreo, & ſcribi debere per æ,quia proprium hoc nomen nō extraneorū,ſed ſuorum.Hotom.ab Era, quod terram ſignificat:hinc Hæredium apud Varronem libr.j.D de ruſt.agellus qui hæredem ſequebatur. Non abſurdum etiam fuerit ab erciſco deducere,quod eſt diuido:nam & ſæpiſſime in Pand. Flor.æres & ereditas ſcribitur. Addam Iſidor.libr.9.Etym.c.5.ab ære deducere.Hæres verò in omne ius mortui, nō tautum ſingularū rerum dominium ſuccedit:cum & ea quæ in nominibus ſunt ad hæredem tranſeant,paſſ.D.de adqui.hæred.

Hæres in iure Feudiſtico propriè filius intelligitur.Itaque ſine hærede deceſſiſſe dicitur, qui ſine filio deceſſit lib.j.tit.13.& lib.2.tit.34.Hæredis autem adpellatio etiā vltra proximum hæredem extenditur.l.fi.C.de hæred. inſtit.vnde ſolemus dicere hæredis hæredem,teſtatoris hæredem eſſe.l.fi.C.de hæred.inſtit.Itaque Hæredis adpellatione,omnes ſignificari ſucceſſores, credēdum eſt.l.hæredis. De verb.ſign.nam & hæres ſingulariter nominatus,ad pòſt natos porrigitur hæredes.l. tale.§.vlt.D.de pact.

HÆREDIS INSTITVENDI FORMVLÆ.

*Titius hæres.Titius hæres ſit.Titium hæredem eſſe iubeo.*Illa autem inſtitutio,*hæredem inſtituo*, *Hæredem facio*, pleriſque improbatur.Ex Epitome Vlp.tit.21. Has formulas te docebunt Iuriſcoſſ.& Imppp. D.& C.& Inſtit.de hæredib.inſtit. Hæredis ſubſtituendi formulas ſubminiſtrat l.j.& tot.tit.D.de vulg.& pupil.

Hæredes, alij neceſſarij dicuntur,alij ſui & neceſſarij,alij extranei.Neceſſarius hæres eſt ſeruus hæres inſtitutus:ſicque appellantur,quia ſiue velit,ſiue nolit,òmnino poſt mortem teſtatoris protinus liber & neceſſarius hæres fit.Sui autem & neceſſarij hæredes ſunt qui in poteſtate teſtatoris morientis modo fuerint:veluti filius,filia,nepos,neptiſue ex filio, & deinceps cæteri liberi.Sed ſui quidem dicuntur, quia domeſtici hæredes ſunt,& viuo quoque patre quodammodo domini exiſtimātur:neceſſarij vero,quia omnino, ſiue velint, ſiue nolint,tam ab inteſtato, quam ex teſtamento, ex lege XII.Tab.hæredes fiunt.At extranei ij ſunt qui teſtatoris iuri ſubiecti non ſunt. Vide Inſtit.de hæred. qual.& diff.Alij etiam teſtamentarij dicuntur, & legitimi.Prætoris verò ſucceſſores,hæredes non appellantur,quia non facit hæredes.§.quos autem.Inſtit.de bon.poſſeſſ.itaque fideicommiſſarij & bonorum poſſeſſores ab hæredibus ſeparantur, ſed velut hæredes, & hæredibus ſimiles appellantur paſſim in iure.l.j.D. de bon.poſſ.Vlp.tit.28.Theo.Inſti.de perpet.& temp. actio.ad fi.princ.

Hæres anomalus, ſiue ſucceſſor,is dicitur, qui inuenitur ſine certa qualitate.Zaſ.in intell.citat gl.in verbo,ſucceſſor.§.pen.Inſt.de eo cui libert.cauſ.

Hæres omnino ab adita hæreditate intra annum,& legata ſoluere,& à teſtatore relicta pro cuiuſque rei natura præſtare debet.Alioquin ſi poſt admonitionem iudiciario decreto factam, culpa hæredis annus prætereat,relictis excidet.Nouell.de hæred.& Falcid.

Hæredum multi gradus in teſtamento fieri poſſunt,inſtituendo & ſubſtituendo.l.ſi poſthumus. D.de liber.& poſthu. Hæredes enim primi dicuntur,hæredes ſecundi, pro hæredibus primùm nuncupatis, ſecundò pronunciatis.l.ſi quis cùm teſtamentum. D.qui teſtament.facer.poſſ.Sic hæredes aut inſtituti dicuntur,aut ſubſtituti.Inſtituti primo gradu:ſubſtituti,ſecundo vel tertio.l.j.D.de vulg.& pup.ſubſt.

Hæredis nomen ſi quis non dixerit quidem, ſed indubitabili ſigno eum demonſtrauerit, quod penè nihil à nomine diſtat(non tamen eo,quod contumeliæ cauſſa ſolet addi)valet inſtitutio.l.quoties volens.§.ſiquis. D.de hæredib.inſtit:

Hæres Orcinus,vide Orcinus.

Hæres ſiquis ex parte dimidia inſtitutus ſit, nec prætereà quiſquam alius,ipſe ex aſſe hæres inſtitutus eſſe videtur.l.ſi quis ita ſcripſerit.D.de hæred.inſtit.

Hæredi adiectus nō poteſt efficere,vt qui ſemel hæres extitit,deſinat eſſe hæres.l.& qui ſoluēdo.D.de hær.inſt.

Hæredis inſtitutio aut duplex eſt, aut ſimplex. Simplex, veluti,Lucius Titius hæres eſto.Si mihi Lucius Titius hæres non erit,tunc Gaius Seius hæres eſto. Duplex, veluti,Filius mihi hæres eſto.Si hæres nō erit,ſiue erit, & intra pubertatem deceſſerit, tunc Gaius Seius hæres eſto.ibi.l.j.de vulg.& pup.ſubſt.

Hæres laudandus eſt magis,quā accuſandus, qui reliquias teſtatoris non in mare,ſecundum ipſius voluntatem, abiecit, ſed memor humanæ conditionis, ſepulturæ tradidit.l.pen.D.de condit.iuſtitu.

Hæres eius, qui Titio hæres fuit, Titio quoque hæres videtur eſſe,nec poteſt Titij omittere hæreditatem.l.ſi quis filius familias.in fi.D.de adquir.hæred.

Hæres volens vti beneficio legis Falcidiæ,debet inuentarium conficere in præſentia tabellionis, teſtium,creditorum(ſi æs alienum metuit) & legatariorum.Nouell.de hæred.& Falcid.§.ſancimus igitur.& §.ſeq.

pro Hærede gerere,vide Gerere ſe pro hærede.

pro Hærede geritionem dixit,Iuriſc.l.14.D.de religioſ.Et prò Hærede geſtio.l.19.C.de iur.delib.& Iuſtinia.Nouell.j.aditionem adpellat,pro hærede geſtionem.

Hæredes ACCELERANTES, Gahnerben in Speculo Saxon.art.17.appellari videntur, quos Francogallica Lingua nominamus,*Habiles à ſucceder.* Quando, inquit, hæreditatem neque ſoror,neque frater adeat, omnes qui ſe in pari gradu cognationis exiſtere probauerint,æquam hæreditatis percipiant portionem. Et cū in his ſexum non diſcernamus, hæredes accelerantes eos appellamus.

HÆREDITAS nihil aliud eſt, quàm ſucceſſio in vniuerſum ius,quod defunctus habuit.l. nihil aliud. D.de verb.ſignific. Hæreditas enim vniuerſitatem quandam,ac ius ſucceſſionis demonſtrat.l.208.de verb.ſig. Iuris quoque nomen eſt.l.3. D.de bon.poſſ.l.17.§.j.de verb.ſig.D.& in iure conſiſtere dicitur,l.j.D.de rer.diuiſ.Proinde abſque vllo tempore iuris intellectū habet.

bet.l.30.D.de hæred.pet. Hæreditatis itaque adpellatione etiam damnoſa continetur. Hæreditatis verbū interdum pro rebus ipſis & corporibus hæreditariis vſurpatur. Sic Hæreditatem explere, & hæreditati furtum fieri dicimus. Inde M. Cicero in Topic. Hæreditas inquit, pecunia eſt, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure, ne ea aut legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta. Aliud verò (inquit Iuſtin. ſub tit. de reb. corporal.) eſt hæreditas, aliud res quæ per eam acquiruntur. Hæc corpora ſunt, illa verò ius: hæc certa ſunt, illa incerta eſt: hæc per ſe ſemper vtiles ſunt, illa nonnunquam damnoſa. Quod haud animaduertens Seneca lib. de Benefic. 6. c. 5. Iuriſconſultorum, inquit, iſtæ argutæ ineptiæ ſunt, qui hæreditatem negant vſucapi poſſe, ſed ea quæ in hæreditate ſunt: tanquam quicquam aliud ſit hæreditas, quàm ea quæ in hæreditate ſunt.

Hæreditatis adpellatione neque legata, neque fideicommiſſa continentur. l. ſi Titius. D. de leg. 3.

Hæreditatis adpellatio ſine dubio continet etiam damnoſam hæreditatem. Iuris enim nomen eſt, ſicuti bonorum poſſeſſio, quæ ipſa quoque hæreditatis adpellatione continetur. l. hæreditatis. D. de verb. ſig.

Hæreditas plerunque diuiditur in duodecim vncias, quæ aſſis adpellatione continentur. l. ſeruum meum. §. fin. de hæred. inſtit.

Hæreditas defuncti locum obtinet. l. non minus. in fin. D. de hæred. inſtit. Quia creditum eſt, inquit, hæreditatē dominam eſſe, & defuncti locum obtinere.

Hæreditas ex die, vel ad diem non rectè datur: ſed vitio tēporis ſublato manet inſtitutio. D. de hæredib. inſtitu.

Hæreditas legitima dicitur, cùm fit ſucceſſio ab inteſtato lege XII. Tab. Honoraria prætoria, cùm bonorū poſſeſſionem accipimus. Teſtamentaria verò, ex ſe nota, Zaſ. in tit. Inſt. de acti. §. item ſi quis. Hæc nōnunquam etiam lege deferri dicitur, vt l. j. D. de hæred. pet. l. lege. 130. D. de verb. ſignific.

Hæreditas obligat nos æri alieno, etiam ſi non ſit ſoluendo. De ea autem hæreditate loquimur, in qua non ſuccedunt huiuſmodi perſonæ, quaſi neceſſariæ. Vlpia. in in l. lex more. D. de acquir. vel amit. hæred.

Hæreditas dicitur iacere, deferri, adimi, adiri, agnoſci, repudiari, omitti. Iacet nō adita. l. 13. §. quæſitum. D. quod vi, aut clàm. Defertur, quando adire poſſumus. l. 131. D. de verb. ſignifi. Defertur autem ex teſtamento, vel ab inteſtato. 12. aliis legib. & Senatuſconſultis. l. 23. D. de pet. hæred. l. j. D. ad Tertul. l. 8. D. de capit. minu. Adimitur, cū hæres inſtitutus, exheres poſtea ſcribitur, quod non modo in alio, ſed & eodem in teſtamento fieri poteſt. l. j. §. pen. D. de his quæ in teſt. veluti Titius hæres eſto, Titius quem ſupra ſcripſi exheres eſto. l. paterf. D. de hæred. inſtit. Aditur hæreditas, cum quis hæredem ſe eſſe dicto, factóque demōſtrat. Repudiatur, cum repellitur. Omittitur, cùm quis ab ea tempore excludi ſe putat. Hæreditas verò codicillis neque dari neque adimi poteſt. l. pen. de condit. inſtitut.

Hæreditatem paternam filius poteſt recuſare, fraternam autem retinere. l. ſi filius qui patri. D. de vulg. & pupil. ſubſt. etenim ius diceti propoſitum eſt, liberos oneribus hæreditariis non ſponte ſuſceptis liberare, nō inuitos ab hæreditate remouere. ibid.

Hæreditatem repudiando nihil agit, qui dubitat, viuat teſtator, necne. l. is qui hæres. D. de adquiren. hære. Is autem qui putat ſe neceſſarium, cùm ſit voluntarius, non poterit repudiare. Nam plus eſt in opinione, quàm in veritate. D. eod. tit. Ei qui ſe non immiſcuit hæreditati paternæ, ſiue maior ſit, ſiue minor, nō eſt neceſſe prætorem adire, ſed ſufficit ſe non immiſcuiſſe hæreditati, ibi, Qui hæreditatem adire, vel bonorum poſſeſſionem petere volet, certus eſſe debet defunctum eſſe teſtatorem. D. de adquir. hæred.

Hæreditati nemo alligatur, neque exheredari poteſt, ex alterius facto. l. paterfamiliâs. D. de hæredibus inſtit.

Hæreditas defuncti non adita, caduca fit, Nouella de hæred. & Falcid. §. ſi vero inſtitutio. Quandiu verò poteſt ex teſtamento adiri, ab inteſtato non defertur, vt paſſim. D. de acq. hæred.

Hæreditatem ad nos pertinere: hæredem effici. l. j. & l. 2. D. de pet. hæred. Ad hæreditatem vocari: hæredem fieri. l. 3 in fi. ibid.

Hæreditas plerunque allodia ſignificat, vt in ſpecul. Saxō. art. 5. Quæcūque bona defunctus poſt ſe relinquit, vocabulo vniuerſali hæreditatis complectimur, niſi feudum fuerit.

HÆREDITARIÆ actiones, in tit. de hæred. act. C. accipiēdæ ſunt, quæ ex negotiis cum defuncto geſtis, vel ex delictis in hæredes dantur: quo in numero & legatorum actiones haberi placet, quáuis ab hærede cœperint. l. 39. D. de oblig. & actio. Hæreditariæ quoque actiones adpellantur quæ in hæreditate, & in bonis ſunt defuncti. l. j. §. hæc actio. D. ſi quid in fraud. patr. l. 59. D. ad S C. Trebel. Quæ etiam ex defuncti perſona, etiam ſi defuncto nunquam competierint. l. 48. D. ad leg. Falc. Planè quæ patrono ad reuocanda ea, quæ in fraudem eius alienata ſunt, datur actio, hæreditaria non eſt, id eſt ex bonis liberti, ſed patroni propria. l. j. §. hæc actio. D. ſi quid in frau. pat.

Hæreditarius creditor, aut debitor dicitur, cui hæreditas obſtricta eſt, & qui hæreditati, non defuncto obſtringitur. l. 14. l. 15. l. 16. D. de hæred. pet.

Hæreditaria ſepulchra, quæ quis ſibi hæredibúſque ſuis conſtituit, vel quæ paterfamiliâs iure hæreditario adquiſiuit. l. 5. & 6. D. de relig.

Hæreditario iure capi dicuntur. l. 91. D. ad leg. Falcid. quæ quis eo ipſo, quod eſt hæres, capit.

Hæreditaria onera ſunt funeris, æris alieni, & legatorum ſumptus. l. 20. §. j. D. de acq. hæred. l. 2. §. illud tenendum. & §. ſi quid publici. D. de hære. ven.

Hæreditarium æs alienum intelligitur (inquit Caius) etiā id de quo cum defuncto agi non potuit: veluti quod is cum moreretur, daturum ſe promiſiſſet: item quod is qui pro defuncto fideiuſſit, poſt mortem eius ſoluit. l. j. D. de reb. aut iud.

Hæreditarium feudum, quod à patre & auo procedit.

HÆREDIVM, vt Feſtus lib. 8. ſcribit, eſt prædiū paruulū. In XII. Tab. ortum ſignificare ſcribit Plin. libr. 19. c. 4. vnde Hærediolum ὑποκοριστικῶς à Latinis quoque auctoribus ducitur. Varro. j. de Re. ruſt. ſcribit Romulum bina iugera viritim diuiſiſſe, quæ quod hæredem ſequerentur, Hæredium appellarunt.

HEREMITA, ἀπὸ τοῦ ἐρήμου, qui in deſertis locis ſeruiendi DEO cauſſa inhabitat, diciturque religioſa perſona, gl. & Doct. in l. 2. D. de in ius voc. gl. & Doct. in c. qui verè. 16. q. j. ſed legendum eſt Eremita.

HERI ſeruus, hodie liber, vicem habere prouerbij volunt interpr. in eo liberto qui aduerſus patronum arrogantius inſolentius ſe gerit. Vlp. l. 7. §. 2. D. de iniur. Nec enim ferre prætor debet heri ſeruum, hodie liberum conquirentem, quòd dominus ei conuicium dixerit, vel quòd leuiter pulſauerit. Sic Cedrenus, χθὲς δοῦλος ἐπὶ ὀρκῳ, σήμερον δὲ τύραννος. Eadem loquendi figura vſus Ariſtophanes, cum ait, O νῦν μὲν οὐδείς, αὔριον δὲ ὑπερμέγας. Et nouel. 137. χθὲς ἱερόσυλοι, καὶ σήμερον ἱερεῖς. χθὲς τῶν ἁγίων ἔξω καὶ μυσταγωγοὶ σήμερον. Itaque Hieronymus ad Oceanum. Heri, inquit, cathecumenus, hodie Pontifex: heri in amphitheatro, hodie in eccleſia: veſpere in circo, mane in altari: dudum fautor hiſtrionū, nunc virginum conſecrator.

HERIBANNVM, edictū, quo feudatarij ad militiam in diem certum euocantur; vt in voce Bannus expoſui-

mus.Hinc Reſpondere ad edictum apud Liuium lib.j. Qui vbi ad edictum Romani regis ex omnibus populis conuenere,&c.Idem lib.10. Vt qui iuniorum nō conueniſſent ad Imperatorum edictum, quíque iniuſſu abiiſſet,caput Ioui ſacratum erat.

Herislitivm,pœna deſertæ,ſiue detrectatæ militiæ Leg.Franc.lib.4.c.72. Quicunque abſque licentia vel permiſſione principis de hoſte reuerſus fuerit: quod factum Franci & Allemanni *Herislitz*, dicunt volumus vt antiqua conſtitutio, id eſt capitalis ſententia erga illum cuſtodiatur.Item in capit.Caroli,& in Lombarda lib.j.tit.15. Siquis dimiſſo exercitu abſque licentia regis domum reuertatur,& quod nos Theudiſca lingua dicimus *Herislitz* fecerit.Item ex ea die ſit bānum reſciſſum, quod Theudiſca lingua *Herislitz*, id eſt armorum depoſitio vocatur. vbi depoſitio pro deſertio poſitum videtur.B.tamen Rhenanus Ger.lib.3.Deſeruiſſe inquit exercitum inter capitalia numerabatur.Id flagitium Franci vocant *Herislitz*, quaſi dicant exercitus ſciſſionem.Alias Hoſtenditiæ vocantur.

Hermophroditvs, vtriuſque ſexus homo.l.10.D. de ſtat.hom.l.15.D. de teſtib. Plinius lib.11.c.49. Tertul.lib. aduerſ.Valēt.I.Firmic lib.3.Matheſ.c.6.Androſinus rectè Græcis dictus eſt. Proprie autem Mercurij & Veneris filius fuit:de quo ſic Auſonius:

Mercurio genitore ſatus genitrice Cythere,
Nominis ut mixti ſic corporis Hermaphroditus
Concretus ſexu,ſed non perfectus utroque.

Hermogeniani equi.l.vn. C. de grege dom.ab agitatore ſic dicti,vt vult(Alciatus ex græco interprete:) vel quaſi Hermogeni,id eſt ſub Mercurio geniti.

Heronibvs, vide Ero.

Hetrvria Italiæ prouincia eſt, ad alteram ripam Tiberis,cùm Roma in altera ſit, Plinio teſte. Huius populi cæteris omnibus obſeruantiores erant ſyderum, & quid quæque prodigia vel portenta ſignificarent, interpretari diligenter ſolebant. Proinde Aruſpices ex illis peritiſſimi reputabantur, hoc eſt, qui aues ſeu victimas in ara diligenter inſpicientes, vaticinari ſolebant,& futura prædicere,à quibus Romani fatidici diſcere ſolebant.

HI

Hiacynthvs,& flos eſt,& gemma: huius fit mentio in l.vnica.C.non lic.in fre.equ.lib.11.in ea fulgor violaceus dilutus eſt,auctor Plin.

Hierophylax, ἱεροφύλαξ, ſacrorum cuſtos, l. annua. D.de annu.leg.ab ἱερὸς ſacer,& φυλάττω,cuſtodio.

Hierapolis.l.j.§.idem Labeo. D. de aqua quotid. & æſtiua.

Hinc, pro ex hac parte.l. Fulcinius. D. quib. ex cauſ.in poſſ.eat. Hinc,ex hac cauſſa,Terentio in And.

Hinc illæ lacrymæ.

Hincinde pro vndecūque,circunquaque, vox Canoniſtis familiaris.c. cum tempore. de arbit.c. cum dilecta.de reſcript.& alibi ſæpe.

Hippagivs, idem quod armiger Alciato, vel potius qui equos agit,& educit,ab ἵππος & ἄγω.

Hippo,cuius meminit Iuriſcoſſ. l. nauis aduerſa. D. ad leg.Rhod.de iac.Locrorum eſt colonia, quam Plinius lib.3.c.5.ſub fi.ait ſuis temporibus Vibonem Valentiā adpellatam.vrbs etiam hodie extat.

Hippocomi,ſtabularij ſunt, qui equos curant.ἵππος enim equum ſignificat, κομέω nutrio, curo.Alciat.in l. quoniam.C.de curſu.pub.lib.12.

Hippodromvs,vbi equi ad curſum incitantur.

Hircosvs is eſt cui os ex fœda & deteſtabili libidine olet.Martialis lib.12.

Hircoſo premit oſculo.

& Plautus in Mercatore,

Iam plenus ætatis,animáque fœtida ſenex hircoſus.

Vlpian.l.qui clauum.D.de ædil.edic.Is cui os oleat, an ſanus ſit quæſitum eſt. Trebatius ait non eſſe morboſum,os alicui olere, veluti hircoſum, ſcabronem. hoc enim ex illuuie oris accidere.Sunt qui eo in loco, pro hircoſum,lucroſum legi velint:ſed ex ſola voracitate oris grauis odor non gignitur:quam etiam in leone Ariſtoteles nō ex voracitate manare,ſed ἐκ τῆς ἔσω. Budæus hunc locū aliter explicare conatur,ſed perperā.

Historia propria earum rerum, quibus gerendis interfuit is,qui enarrat. Tradunt Iuris Ciuilis interpretes,libros & ſcripturas in publicam cuſtodiam rerum geſtarum gratia repoſitos, integram fidem habere.l. cenſus.D.de probat.Vide doctores in l.j.D.ſi cert.pet. Hiſtorias autem rerum geſtarum ab initio mundi, Deus Optimus maximus eam ob rem deſcribi voluit, vt exemplis tandem omnium ſeculorum ob oculos nobis formam exponeret, ſecundum quam de labaſcente Reipublicæ ſtatu feliciter reparando deliberaremus.

HO

Hoc amplivs, locutio eſt etiam ea quæ ſuperius dicta ſunt complectens,aut potius repetens. l. 54.de leg. & fideicom.3.

Hoc, ſimilitudinis nota.l. qui legatorum. §. ſi filium. D.pro hære. Hoc, hoc modo. l.qui ſeruum. D.de inter.act.

Hodie, id eſt poſt eam legem S. ve Conſ.l.ſi hæres.D. ad S C.Treb.l.j.§.hodie. D. ſi cui plus, quàm per leg. Falc.Iuris igitur noui ſignificatiua eſt.& vide B.Briſſonium lib.j.Select.antiquit.

Holoberæ, ſeu **holoveræ** veſtes,in l.4.C.de veſtib. holober.lib.11. ſic enim ibi legendum Turneb. Aduer.lib.j.c.17.Cuiacius ad illum C.locum, & Zonaras & Balſamon docuerūt in 12.can.conc. Gang.ſunt veſtes totæ ſericeæ.ſerica enim veteres dixere *βῆρας*. Hinc Zonaras & Balſamon *βήρας* interpretantur σηρικὰ ὑφάσματα. Vide Bervs.

Holographvm, apud Feſtum appellatur teſtamentum totum manu teſtatoris ſcriptum.

Holophanta, eadem forma dictum qua ſycophanta.nam vt hic propriè is dicebatur,qui ob ficus calumniam faceret:ſic ille,qui ob omnia homines deferret. Poſtea tamen immutata ſycophantæ ſignificatione, vbi pro calmuniatore vel impoſtore vſurpari cœpit: Holophanta pro omni in re impoſtore, vel(vt ait Feſtus)pro eo qui omnia mentitur.Plautus:

Holophantam an ſycophantam hunc magis dicam neſcio.

Alij Halophanta legunt,alij Halopanta, leue coniectura moti,cum ea etiam in Holophanta ſit.

Homagivm ſeu **Hominivm** (vox enim cōmunior eſt) veneratio eſt(ſi vim verbi propriè ſtrictéque conſiderabimus) quam vaſallus patrono propter beneficium acceptum tribuit,cum ſe eo nomine hominem id eſt clientem ipſius fore profitetur: quæ veneratio planè ſeruilis fuit.Itaque quod in li.Feud.2.tit.5.ſic cōcipitur:Ego iuro quòd ero fidelis ei, vt vaſallus domino.Apud Aimonum lib.5.c.24.ita cōcipitur, Ego Hirmannus à modò & deinceps domino ſeniori meo Carolo Regi ſic fidelis & obediens ero, ſicut homo ſuo ſeniori. Admonendi autem ſumus,hominium plerunque generaliter accipi pro fœdere: tréſque ipſius ſpecies cōſtitui,Obſequiale,Feudale,& Sociale: quod pragmatici veteres Galli dicere ſolebant, *Hommage de ſeruice, hommage de fief, ſimple hommage de paix*:quemadmodū ſcribit auctor ſummæ Ruralis & Cōſuet.Norman.Obſequiale eſt,veneratio cū promiſſione obſequij & operæ militaris.Feudale eſt veneratio, cū promiſſione fidelis & grati animi ob beneficiū acceptū, ſine vllius operæ obligatione: cuiuſmodi pleraque

ſunt quæ Francogalliæ moribus præſtantur. Sociale verò non veneratio eſt, ſed fœdus, quo quis ſe alterius beneuolentiam comiter obſeruaturum promittit. Itaque impropriè & abuſiue hominium appellatur: cùm is qui neceſſitudinem illam contrahit, non ſe hominem & clientem, ſed amicum ſimpliciter fore profiteatur. Ex quibus intelligi poteſt, primum duas illas ſuperiores ſpecies commodius ita nominari poſſe, vt aliud dicatur militare, quoniam operæ militaris obligationem continet: aliud priuatum, quoniam à cuiuſuis ordinis & conditionis hominibus præſtatur: tertiam autem illam hominij ſpeciem, iuſiurandum dicemus eſſe fidelitatis, quod ſine hominio fit. Horum hæc ſunt exempla: Radeuicus lib.2.in cap.Adriani papæ, de concordia inter ipſum & Imperatorem Fridericum 1. Epiſcopos Italiæ, inquit, ſolum ſacramentum fidelitatis ſine hominio facere debere domino Imperatori, id eſt ſine perſonarum ſubiectione. Sigeber. in Chron.ann.1176. Rex Scotiæ pacificatus eſt cum rege Angliæ, hoc modo: Fecit homagium ei de omni terra ſua. Et mox, Et conceſſit ei, vt omnes Epiſcopi & Abbates hoc idem facerent. Epiſcopi verò & Abbates homagium non fecerunt: ſed ſacramento ſe conſtrinxerunt hoc obſeruaturos, &c. Homini autem vel iuriſiurandi fidelitatis formulam habes quibem lib. Feud.2.tit.5. ſed ita ſtolidè atque barbaricè à Feudiſtis concepta eſt, vt eius lectores pudeat. Iurat enim Vaſallus ſe domino ita fidelem fore, vt vaſalli ſuis dominis eſſe ſolent. Quid igitur ſi iura clientelæ Vaſallus ignoret? quæ tam multa ſunt, vt amplius viginti amittendi feudi cauſſæ numerentur. Itaque quam Carolus Magnus imperio ſuo ſubiectis formulam impoſuit, vide lib.Franc.legis 4.tit.46. Item aliam Imp. Friderici 1. quam Italiæ ciuitatibus, cum Romam in feſtis ſignis proficiſceretur, præſcripſit. Nota autem hæc erat hominij, vt dextras tanquam in fœderibus iungerent: plerunque etiam vt dextris auerſis oſculum præberent: interdum vt ambas manus vinctas patrono contrectandas præberent, ſupplicum & dedititiorum more, qui velatas manus porrigebant ex Hotom.cap. 24. Diſp.feud. Sunt qui triplici illi diuiſioni, quartum aliquod hominium Vadicum addant: Gallis, *Hommage de pleiure*, cum quis Patrono ab hoſtibus capto, tenetur ſe vadem & obſidem ipſius præſtare: velut (inquit Butelerius) cùm Rege Iohanne ab Anglis capto, Barones Franciæ complures coacti ſunt vades ſe pro eo præbere. Cicero. tamen Philipp.12. Quòd ſi in bello (inquit) dari vicarij ſolerent, libenter me, vt Domitius Brutus emitteretur, pro illo includi paterer. Verum autem, propriúmque feudum eſt, cuius cauſſa fidelitas iuratur, & militaris opera obligatur, vt idem Hotom. obſeruauit in tract.de verb.feudal. Addam autem ex Specul.de homagio quædam, etſi ad feudum referri poſſint.

Homagium ſecundum Specul.in tit.de homag. quoddam eſt ligium, quoddam eſt non ligium, quoddam edictale, quoddam decretale, &c. quanquam hæc ad feudum potius referri debeant.

Homagium DECRETALE eſt, cum hæres hominis mei, qui illo feudo ex conſuetudine poſſet infeudari, & per conſequens in homagio ſuccedere, debet intra certum tempus me in dominum agnoſcere, & fidelitatem mihi præſtare: & ego teneor eum ratione talis feudi in hominem recipere: & in recipiendo videor ſibi ius feudi decernere: propter quod dici poteſt Homagium decretale: ſicut etiam bonorum poſſeſſio decretalis: & quòd ius mihi tribuit, ſicut talis bonorum poſſeſſio, id eſt, Si nullus ſit proximior, & ideò in curia Franciæ ſemper recipiuntur fidelitates, & homagia alterius ſaluo iure. Quod autem in Italia & alibi vocatur Vaſallitium, in Francia vocatur Homagium, &c. etiam dicitur Homagium ca.Veritatis.de iureiur. Differunt tamen, quia homagium eſt, quando iuratur alicui fidelitas, nemine excepto: ſed Vaſſallitium ſuperiore excepto, ſcilicet imperatore, vel Rege Galliarum potentiſſimo, & inuictiſſimo. De hoc opt.gloſ. in verbo homóque ligius. Cle.paſtoralis.de re iud. vbi etiam dicitur, quòd quis non poteſt eſſe ligius duorum, ſed bene ligius vnius, & vaſſallus alterius, vel vaſſallus plurium. & ſic homagium dici poteſt hominis ligium.

Homagium EDICTALE eſt, ſicut poſſeſſio bonorum edictalis. Vnde ſecundum Spec.ibi. homagium edictale ſiue hæreditariū eſt, quod quis habet eo ipſo, quòd adit hæreditatem hominis mei, perſonam eius repræſentat, & videtur hominis homagium ſubiiſſe: & tale homagium poteſt finiri tempore, ſi domino placebit. quia ſi domino non placeret, non finiretur, etiam ſi vaſallus vellet bonis feudalibus cedere: imò ageret contra ipſum, vt eum in dominum agnoſceret: & hoc ex contumelia ſua, vnde puniri debet, ne inuitus conſequatur immunitatem, quod eſſe non debet. pro quo D.de neg.geſt.l.ſine hæreditaria. Et ideò poſſum eum cogere, vt ſubeat homagium decretale, & etiam quod plus tribuat ei in effectu, quàm edictale.

Homagium LIGIVM, & non Ligium, vide Ligius homo.

HOMERVS, omnis doctrinæ parens appellatur, Iuſt. §.fi.in procem.D. Vnde non immeritò ſententias ſuas confirmant Iuriſcõſulti eius auctoritate in variis Digeſtorum locis, l.j.D.de contrahend.empt.l.65.§.pecoribus.D.de lega.3.l.4.§.gradus.D.de gradibus & affi.l. 16.§.vlti.D.de pœnis.l.236.D.de verb.ſignific.l.9.§.j. D. de ſuppellect.leg.

HOMO cenſetur, ſi nõ integrum animal editum ſit, cum ſpiritu tamen, l.quod dicitur. D.de lib.& poſthu.

Hominis legatum, orationis compendio ſingulos homines complectitur, l.Meuius.§.duorum.de leg.2.

Hominum noſtrorum appellatione in Pand.& Cod. continentur procuratores prædiorum, actores, clientes cuſtodes, coloni, emphyteuticarij, chartularij, à Græcis προσήκοντες & διαφέροντες dicti, l.4. C.de dign.lib.12. l.2.C.de condu.& pro ca.præd.fiſc.l.2.C.de Epiſco. & cler.l.j.C.de comm. Sed & vaſſalli continentur: quo ſignificatu eam vocem accipe apud conſuetudinũ Galliæ ſcriptores in rub. *Des hommes ſerfz & mortaillables.*

Homo leugius, vel homo ligius ſecundum Specul. dicitur quaſi domino ſuo ligatus, vel quaſi legalitatẽ cõtinẽs. Vnde rex Siciliæ eſt homo ligius Romani iudicis, vt in Cle.Paſtoralis.de re iud.præal.poſt medium. in §.rurſus. Vide Ligius homo.

HOMOLOGVS colonus, l.vlt.C.Th.de patroc.vic. id eſt dedititius. Hinc Homologum quidam eundem eſſe volunt quem & vaſſallum ligium. ineptè autem quia à dictione homo compoſitum volunt. neque enim dubium quin ὁμολογίᾳ χρῆσθαι, & ὁμολογίᾳ προσχωρεῖν, pro deditionem facere vſurpetur. Alij volunt Homologos pro dedititiis poni, qui apud Romanos non modo in fide, verumetiam in ditione ac poteſtate populi Romani eſſent.

HOMOLOGARE, hoc eſt, confiteri, adſentire. Homologia, confeſſio, adſenſus, l.ne in arbitris. D.de arbit. corruptè enim emologare legitur, pro eo, quod eſt ſubſcribere arbitri ſententiæ, ſcilicet eam placere ſubſcribenti.

HOMICIDIVM propriè cum homo cæditur, id eſt occiditur, à cæde, vt Albericus indicat, tria homicidiorum genera conſtituens, ca.homicidiorum. de pœnit. diſtinc.j. At Pontifices duo conſtituiſſe videntur, Voluntarium, & caſuale, extra de homicid.

Homovsios, ὁμόσιος, id eſt conſubſtantialis, l.2. C.de ſum.Trinit.& fid.cathol.

Honestvs, qui nihil turpitudinis habet Iſidor. Honeſtus quandoque pro diuite accipi obſeruatur, vt teſtatur Aſconius in Verrinæ tertiæ commentariis. Vlpia.l. 52.§.15.D.de furt. Cum Titio honeſto viro pecuniam credere vellem, ſubiecisti alium Titium egenum, &c Sic l.cum hi.§.ſi in annos.de tranſact.& l.38.§.qui nondum.D.de pœn. His inferiores vocantur humiliores, d.l.38.& l.j.C.de deſert.mediocris loci.

Honeſta ea interpretatur Bartolus l.j.C.de dignita.lib.12. quæ ab honeſtis perſonis gerũtur. Hinc Honeſtæ matresf, matronęve intelligũtur, quę nullo vnquã probro ſe cõmacularunt, l.41.D.de ritu nupt.l.j.§.& notãdum. D.de vent.inſpic. Honeſtum à licito ſeparatur, l.j.D. de iuſt.& iur.l.42.D.de ritu nupt. nõ enim omne quod licet honeſtum eſt, l.144.D.de reg.iur.

Honestas iuſtitiæ publicæ, id eſt, conſtitutiones Eccleſiæ factæ propter honeſtatem publicam, ca.ad audientiam.& ca.ſponſam.de ſponſa.& matrimo.

Honos, inquit Varro lib.4.de Ling.Latin.ab honeſto onere, Itaque honeſtus dicitur quòd oneratus, & dictũ onus eſt honos, qui ſuſtinet remp. Hæc ille. Honos igitur magiſtratus eſt: quod idem Iuſtin.in §.7.de iure nat.demonſtrat. Hoc etiam ius honorarium ſolemus appellare, inquit; quòd qui honores gerunt (id eſt magiſtratus, auctoritatem huic iuri dederunt. Cico. Verrina 6. Vt iſta præclara nobilitas deſinat quæri, popul. Roman. hominibus nouis atque induſtriis honores mandare, ſempérque mandaſſe. Sunt tamen qui deducunt à priſco ὄνη, vnde, ὀνίνημι, vt ab ὠνὴ factũ ὠνεῖσθαι, & veteres Onor ſcripſiſſe teſtantur. Onus autem ab ὄνος Græcorum tractum, qui ab aliqua ratione ærumnoſum illud animal ita vocarunt.

Honor municipalis, eſt adminiſtratio Reip.cum dignitatis gradu, ſiue cum ſumptu, ſiue ſine erogatione contingens, l.14. D.de mun.& hon. Erant in hoc genere Decurionatus, Duumuiratus, Ædilitas, & cæteræ dignitates, l.17.§.is qui. D.de decurio.l.12. D.de mu.& hon.l.5.de vacat.mune.l.2.C.de iis, qui ſponte mun. pub.lib.10.

Honor aliquando ſumitur pro dignitate, l.nuper. D.de donat.inter vir.& vxor. Interdum pro honorario dono, & remuneratione, l.ſi remunerandi.D.mand. Si remunerandi gratia honor interuenerit, erit mandati actio. Id eſt, & ſi honorarium aliquod datum fuerit. Hinc apud Cic. Honos alit artes. & Virg.lib.5.

Ipſis præcipuè ductoribus addit honores.

Honorari, eſt præmio aliquo adfici: honos enim plerumque præmium eſt. Apud Vlpianum l.j.§.5. D.de poſtulando. Niſi in arena paſſi ſunt ſe honorari. Nec audiendus Accurſius, hæſitans hic, an onerari legendum ſit.

Honoraria ſunt mercedes quæ aduocatis, Iuriſcõſultis, medicis, liberalium artium profeſſoribus, menſoribus, & cæteris qui operam beneficij loco præſtabant, dabantur. Mercedes eas dicere diſplicuit, cum non crederent inter huiuſmodi perſonas locationem & conductionem contrahi, l.j. D.ſi menſ. fal.mo.l.j. D.de extraor.cog.l.38.loc.l.3.C.de poſtul.l.2.D.de leg. l.13.C.de iudic. Honorarium autem, quod patrocinij nomine datur, συνηγορικὸν ab Ariſtophane in Veſpis dicitur. Honorariũ etiam dicitur id quod olim Conſulibus in prouincias aduenientibus honoris loco dabatur, non tanquam debitum. Cic.in Piſonem: Qui modus tibi fuit frumenti æſtimandi? qui honorarij? ſi quidem poteſt vi & metu extortum honorarium nominari. Inde Honorarium dictum id quod à Decurionibus pro curiæ introitu dari ſolitum. Plin.lib.10. epiſt.116. Supereſt ergo vt ipſe deſpicias an in omnibus ciuitatibus certum aliquid omnes, qui deinde buleutæ leguntur, debeant pro introitu dare. Ad quam epiſt.reſcribens Traianus: Honorarium, inquit, Decurionatus omnes qui in quaque ciuitate Decuriones fiunt, inferre debeant néċne, in vniuerſum à me non poteſt ſtatui. Huius etiam fit mentio l.æſtimationem. D.de muner.& honor.

Honorarium ius antiqui appellarũt quod ex edictis prætorum deſcendit: ſicque, vt Papinianus ſcribit, ad honorem Prætorum nominatum: Pomponius, quod ab honore prætoris venerat, l.7.in fi.D.de iuſt.& iur.l.2.§. eodem tempore. D.de ori.iur. Vel, vt inquit Iuſt. quòd qui honores gerunt, id eſt magiſtratus, honorem huic iuri dederunt, §.prætorius.de iur.nat. Inde,

Honoraria iudicia, honorariæque actiones prætoris edicto conſtitutæ, l.28.D.de legat.1.l.25.ad S.C.Velleian.l. 39.D.de noxa.actio. Honorariæ obligationes, quas Prætor edicto ſuo inſtituit, l.obligamur.52. D.de obligat. vbi Modeſtinus ait iure honorario nos obligari ex his quæ edicto perpetuo vel magiſtratu fieri præcipiuntur, vel vetantur.

Honorarij ſucceſſores dicuntur, qui & bonorum poſſeſſores, Inſtit. §.j.de bon.poſſeſſ. Per legem enim tantùm, vel ſimilem iuris conſtitutionem, hæredes fiunt, veluti per Senatuſconſ.& Conſtit. Principum: ſed cum eis Prætor dat bonor.poſſeſſionem, loco hæredum conſtituuntur, & vocantur bonorum poſſeſſores. Vlpian.l.9.§.5.De inter.act. Quæ obtinere debent non ſolum in hæredibus, ſed etiam in honorariis ſucceſſoribus. Sic in l.j.§.non ſolum. D.vt legat.nom.l.10. D.ad S.C.Velleian.l.7.D.de publ.iud.

Honorarius tutor curatórve, quem teſtator adminiſtratione pupilli bonorum aliis data, tutorem tamen curatorémve eſſe vult. Vlp.l.3.§.j.D.de admini.tut. Si parens declarauit quem velit tutelam adminiſtrare, ille ſolus adminiſtret, cæteri igitur tutores non adminiſtrabunt, ſed erunt hi quos vulgò honorarios appellamus. Nec quiſquam putet ad hos periculum nullum redundare. conſtat enim hos quoque excuſſis prius facultatibus eius qui geſſerit, conueniri oportere. Dati ſunt enim quaſi obſeruatores actus eius, & cuſtodes: imputabitur eis quandoque, cur ſi malè eum conuerſari videbant, ſuſpectum non fecerunt. Papin.l.26.§.j. de teſt.tut. Honoris cauſſa tutor datus non videtur, quem pater à cæteris tutoribus, quibus negotia gerenda mandauit, rationes accipere voluit. Horum etiam meminit Vlp.l.14.§.j.D.de ſolut. Honorarius curator alio ſenſu ſumitur tit.12.Inſt. Vlp.pro eo ſcilicet qui à prætore conſtituitur libertinis, prodigis, itémque ingenuis, qui ex teſtamento patris hæredes facti, malè diſſipant bona. Honorarius etiam Arbiter dicitur, qui à Prætore datur: cuius videtur meminiſſe Proculus l.76.D.pro ſocio.is ſcilicet, cui ſiue æquum, ſiue iniquum ſit, parere debeamus. Sic Honoraria pœna, §.6.Inſtit.de iniur.ea eſt quam Prætor introduxit, atque inſtituit.

Honorarii ij erant (inquit Nouel.70.) quibus ſolis à maieſtate Imperatoria præbebantur codicilli: ſic vocati quòd qui hac præfecturæ ſpecie digni exiſtimarentur, his præter nudum honorem ac titulum nihil conferretur, qui ſanè ipſos curiali fortuna non liberaret, niſi aliquis ipſo actu hanc adminiſtraſſet. Hi nullum cingulum geſtabant, l.j. C.vt dignit.ord.ſeruet.li. 12.quòd nullo merito ante geſtæ adminiſtrationis hũc honorem cõſequerentur, ſed ſolo codicillorum principalium beneficio, l.3.C.vbi ſenat.vel cla.l.j.C.Th.qui à præb.tyr.ideóque Græcis ἄζωστοι dicebantur, vt Vacantes ζωστοί. Hos &c.

Honoratos appellatos putem, in Rub.de honorato vehicul.lib.11.C.& l.j.C.de offi.ciui.iud.l.18. C.de epiſc.& cleric.l.j.

cleric.l.j.C.Th.quib. equo.vſus. Horum hoc hemiſtichio commeminit & Auſonius:

Muneris exortes nomine participes.

Hopia in l.fin.§.ſpecies.D.de publi.quid hoc verbo ſignificetur planè ignoro. Pharmaci quidē genus Opij nomine inuenitur, quod ex inciſis papauerum capitibus ſucco expreſſo conficitur, de quo Dioſcorid.lib. 4.Plinius lib.20.cap.18.& lib.25.cap.10. ſed an illud ſit, addubito.

Horæ, vocantur partes in quas diſtinguitur dies. Hæ principiò duodecim inſtitutæ ſunt, qui numerus longo tempore cuſtoditus eſt, donec in vigintiquatuor horas dies apud Romanos diuideretur. C.Scipio Naſica à Senatu optimus appellatus, diem in horas primus diſcreuiſſe dicitur Sabellico. At horas pro diebus dixit Cicer.Verr.3. Vt cum horis noſtris nos eſſemus vſi, tu binis ludis interpoſitis, quadrageſimo poſt die reſponderes. Horas ſuas vocat (inquit Aſconius) viginti dies, qui accuſatori dabantur ad accuſandum legitimi, totidémque defenſori. Idem tu fortaſſis eris diligens, nequam ego horam de meis legitimis horis remittam. Horis, inquit idem Aſconius, mirè dixit, cùm ſint dies plurimi, vt oſtenderet nimiam diligentiam. Legitimi autem hodie dies dici debent, quas dilationes ordinarias vocant. Nec mirum horas pro diebus ſumi, cum dies vſurpentur pro tempore, vt alias annotauimus.

Horrevm, Varro lib.4.Ling. Latin.non improbabiliter exiſtimat ab hordeo tractum, quòd hordeum in eo ſeruari ſoleret. quanquam in aliis exempl.ab horrendo legatur, quòd ſcilicet priſci fruges in ſuis ſpicis, cum ariſtis in granaria conderent. Galenus mauult à dictione ὡραῖα deduci, quo omnes fructus, atque adeo prouentus omnes denotabant Græci. Accipitur tamen etiam in iure pro repoſitorio mercium, rationum, & rerum pretioſarum, l.3. D.ex quibus cauſſis pig.vel hypot.tacit.contrah.& l.3.D.de offic.præfe. vigi. & l.6. D.de edendo.l.10. D.de iudic. Horreum frumentarium l.60. D.de acquir.rer.domin. Horreum vinarium, l.7. D.de fun.inſtru. Horreum penuarium l. 3.D.de pen.leg.

Horrearivs, horrei conductor, l.5.§.ſi horrearius. D.de iis qui deiecer. vel effuder.l.5. D.ad exhi.l.60.§. fin.D.loc.

Hortvs in xii.Tab.idē valebat quod villa, vt Plinius lib.19.cap.4.eſt auctor.vide Feſtum lib.8.

Horti Salluſtiani Romæ Auguſti erant, l.39.§.ſi.D.de leg.j. & in Panegyrico Conſtantino, Conſtantij filio dicato, cuius incertus eſt auctor. Nam in Salluſtianos hortos ire peregrinatio, & expeditio putabatur. Vopiſcus in Aureliano: Diſplicebat ei cum eſſet Romæ, habitare in Palatio, ac magis placebat in hortis Salludij, vel Domitiæ viuere.

Horti amœni, vrbani prædij appellatione continentur, auctore Vlpian.l.vrbana prædia.de verb.ſign.niſi plurimùm in reditu ſint, id eſt, principaliter propter ruſticos reditus conſtituti.

Horti olitorij, ab olere, non ab oliuis dicti, vt Accurſius, exiſtimauit, l.13.D.de vſufruct.& vide l.198.D.de verb. ſignific.Vlpian.in l.ſi cuius. §.fructuar. D.de vſufruct. Vt fortè, ait, hortos olitorios faciat, vel aliud quid, quod ad reditum ſpectat.

Hospitii neceſſitudo olim non ſolum inter priuatos, ſed etiam inter populos contrahebatur: neque id quidem modò, ſed etiam inter ſingulos priuatóſq; homines & ciuitates: quod genus amicitiæ Græci προξενίαν, Latini hoſpitium publicum vocauerunt. nam quod hoſpitiū inter priuatos contrahebatur, Græcè ἰδιοξενία, Latinè priuatum hoſpitium dicebatur, cuius erat nota pignúſque teſſera hoſpitalis: vt ille apud Plautum ait in Pœnulo:

– deum hoſpitalem & teſſeram Mecum fero.

Cic.in Verrem act.vlt.de Senatu Syracuſano loquens: Decernūt ſtatim, vt fratri meo hoſpitium publicè fieret. Sic Demoſthenes in illa nobili oratione pro Cteſiphonte obiicit Æſchini quòd legatos quoſdam Philippi hoſpitio exceperit, & quòd hoſpitij ius cum eis contraxerit, καὶ σὺ προξένας αὐτῶν. Itáque ſumitur hoc verbum l.poſtliminij.D.de cap.& poſtlim. & apud auctores claſſicos ſæpiſſimè. Arctum autem fuit neceſſitudinis huius vinculum, atque etiā diuini numinis reuerentia ſanctum, quod iuris huius diſceptationi præfecit antiquitas Iouem, hoſpitalem appellans & inuocans, quaſi hoſpitij præſidē & vindicē. Ab hac hoſpitij ſignificatione, frequenter pro amicitia ſumitur. Hinc,

Hospitiola l.5.§.j. D.de iis qui deiec.loca ea quibus excipiebantur hoſpites. Habebant autem veteres (vt Vitruuius lib.6.ca.10.indicat) propria quædam triclinia, & cubicula, quibus aduenientes hoſpites recipiebant: quæ & hoſpitalia dicebantur, d.l.5.

Hospitia etiam priſcis temporibus publicè dari ſolebant, erántque quibus hoc munus hoſpitū recipiendorum à rep. imponebatur. Eſt autem patrimonij onus, non perſonæ, l.3.§.eos.l.fin.§.penult.& fin.D.de mun.& honorib.l.16.§.angariarum.D.de vac.mun.l. j. C.de Epiſcop.& cleric. Modeſtinus l.6.de excuſat. ἐπισταθμείας hoc munus vocat, deducto vocabulo ἀπὸ τοῦ ἐπισταθμεύειν id eſt diuerſari: vt & Cicero lib.13.ad Attic.epiſt.vlt. Habes hoſpitium, ſiue ἐπισταθμείαν, quam odioſam mihi duxi, non moleſtam. Quin & id in prouinciis fiebat, in militibus & præſidum officialibus per municipia itantibus hoſpitio excipiendis, vt colligere eſt ex d.l.3.§.eos.milites. & l.5.§.ne tenues. D.de offic.præſid.

Hostia in l.nauis.2. D.ad legem Rhodiam de iact. vrbs eſt Latij, ab Anco Martio extructa, teſte Liuio: militiæ, omniúmque munerum vacationem habuit, præter dies 20.in aduentu Hannibalis quò Reipubl. ſubueniretur.

Hostiensis, iuriſconſultus nobilis, nomen habuit Henrici Seguſiani: ſed cum iuris ſcientia floreret, & Bononiæ circiter annum M.CCL V. profeſſus, complures de ea re libros ſcripſiſſet, tandem Cardinalis Hoſtienſis factus, nomen hoc retinuit.

Hostiarii ſerui, in l.12.§.idem reſpondit. D.de inſtru.inſtr.que le.quós more vetere in catena fuiſſe Sueton.in lib.de claris Grammatic.ſcribit.

Hostiarii Eccleſiaſticum officium, l.6.C.de Epiſco. & cler.quod & B.Ignatius in Epiſtola ad Antiochenſes oſtendit, ſic ſcribens, ἀσπάζομαι ὑποδιακόνους, ἀναγνώστας, ψάλτας, πυλωροὺς, &c. Dicti ab eo, vt Iſidor.lib.8. cap.12.ſcribit, quòd hoſtiis templi præeſſent. Tenent claues templi, omnïa intus extráque cuſtodiunt, atq; inter bonos & malos habentes iudicium, fideles recipiunt, infideles reſpuunt.

Hoſtilianas actiones dixit M.Cicero lib.j.de Orator.ab Hoſtilia lege, quam vide in Indice legum.

Hostes hi ſunt, qui nobis, aut quibus nos publicè bellum decernimus cæteri latrones, aut prædones ſunt, l.hoſtes.D.de verb.ſignif. Hoſtis autem ab hoſtiendo, id eſt æquando: quoniam æquali cauſſa ad bellum procedit, & par nobis videtur.

Hoſtis, pro aduerſario in xii. Tabul.accipitur. Si ſtatus dies ſit cum hoſte, venito. At, vt ſcribit Feſtus, Hoſtis apud antiquos Peregrinus dicebatur, & qui nunc hoſtis, perduellis. Hinc Cicero lib.Officior.1. Equidem illud etiam, inquit, animaduerto, quòd qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigāte. Hoſtis enim apud maiores noſtros is dicebatur, quē nūc peregrinum dicimus.

Appellatus

Appellatus eſt autem hoſtis, ab hoſtio, quod eſt æquo, quoniam peregrini ſuis, vt nos noſtris veteres legibus, pares nobis videntur. Et quia in conflictu, ex æqua cauſſa pugnam adire ſolent, ideò concinna eſt translatio ad litigatores, qui pari iure de eadem cõtendunt cauſſa, vt victoriam conſequantur: ideóque victos, & victores nuncupamus.

Hoſtium potitus, vide Potitus hoſtium.

in Hoſtico abſolutè, pro hoſtico loco dixit Vlpian. l. fin. D. de mili. teſt. ſicque in l. vni. D. de bon. poſſ. ex teſta. mili. legendum. Itaque hanc phraſim Liui. vſurpat lib. 6. Romano contrà etiam in hoſtico morãdi erat cauſſa, vt hoſtes alliceret. Sic lib. 8. Sine commeatu milites vagi in hoſtico errent. Et alibi apud eundem & alios ſæpiſſime. Eadem autem forma dictum, qua apud alios, In barbarico, & paganico. Sic Latini auctores loquuntur Græcorum exemplo, qui πολεμίαν ſimpliciter, γῆν ſupplentes, dicunt. Herodotus lib. j. ἀπαλλάγειν μὲν τῆς ἐν τῇ πολεμίᾳ διαιτῆς.

HOSTIS in libris Feudiſticis pro exercitu, caſtris & militia ſumitur. Vnde vox Francogallica L'hoſt. li. Feud. j. tit. 7. Si ſimul ſteterint, vel in hoſtem Regis acquiſierint. Item lib. j. tit. 7. Tunc enim poſſunt deueſtiri, niſi fecerint hoſtem Romæ: id eſt in exercitu & comitatu Imperatoris Romam profecti ſint. Hinc,

HOSTENDITIÆ dicuntur (vt Feudiſta ſcribit lib. 2. tit. 40. §. 2.) adiutorium, quod faciunt dominis vaſalli Romam cum Rege in hoſtem pergentibus: verbi gratia: In Lombardia de modio, XII. denarios: in Teuthonica terra, tertiam partem fructuum, facta computatione fructuum ſolummodo eius anni, quo hoſtẽ faciunt. Fictum vocabulum ab hoſte, quod exercitum & caſtra, vt iam diximus, ſignificat. Quidam corruptum vocabulum eſſe ſcribunt, & pro Hoſtelitiæ vſurpatũ, dictúmque eadem forma qua Heriſlitium effertur: diſtinguunt tamẽ ab Heriſlitium, quod Heriſlitium capite plectatur: Hoſtelitiæ verò pecuniaria multa ſit, etiam Friderici conſt. lib. Feud. 2. tit. 55. quia edictũ non belli, ſed honorarij comitatus cauſſa factum ſit: cum Imp. Romam ad petendam coronam proficiſcente, euocantur Itali feuda imperij tenentes, vt in faucibus Italiæ Imperatori præſto ſint, cum equis & armis.

HVGOLINVS Iuriſconſultus nobilis homo Italus, inter antiquiſſimos iuris interpretes floruit, circiter annum M. C X C. gloſſulaſque ad librorum iuris marginem adiecit: quibus magnopere Accurſius, qui plerumque eius honorificam facit mentionem, adiutus fuiſſe creditur.

HVMANA lex, pro ciuili, in c. pen. de hæretic. lib. 6. Humanum eſt, hoc eſt benignum, ſecundum æquitatem deſeruiens humanæ ſocietati, l. humanum. C. de legib.

Humaniores domini, pro lenioribus, §. eodemque. Inſtit. ex quibus cauſ. manu. lic.

HVMANITAS propriè naturam humanam ſignificat: ſic accipitur in l. non tantùm. D. de appellat.

Humanitas eſt epitheton æquitatis egregium. Æquitas enim nuncupatur humanum ius: quia nihil eſt quod in humanam ſocietatem plus vtilitatis conferat, quam vſus boni & æqui. Et contrà, iniquitas dicitur ius inhumanum, auctore Vlpian. in l. furti. §. pactúſne. D. de his, qui notant. infam. Nouell. nullum credent. agrico. in princi. Inde ſunt iſtæ appellationes paſſim in iure: Humanius eſt: Benignius eſt, & cæteræ id genus. Iuſti. Nouel. de releuatio. tributo. Conſtit. 163. Præſtãtiſſima, inquit, inter homines bona ſunt iuſtitia, & benignitas: quarum altera æquabiliter ſuum cuique tribuit, neque appetit aliena; altera ad miſericordiam decurrit Vlpi. in l. j. §. qui operas. D. ad S. C. Tertull. Sed humana ait, interpretatione placuit eum admitti. Aliàs humanum ius appellant, ad differẽtiam naturalis iuris. Illi valde aberrant, qui humanas leges opponunt Canonibus Pontificiis, quaſi hi nihil debeant humanitatis.

HYACINTHVS gemma, l. 6. D. de aur. arg. leg. l. fi. §. ſpecies. D. de publica. l. vnic. C. nulli. lice. in frc.

HYDRAVLOS, nomen eſt nobiliſſimi inſtrumẽti muſici, cuius Cteſibius Alexandrinus repertor fuiſſe traditur: ita appellati, quòd eius fiſtulæ ab aqua flatum acciperent. nam in aquam ima parte verſæ erant: qua commota & perturbata ab adoleſcentulo quopiam, in illa ſpiritus effundebatur, qui ſuauiſſimum ſonum reddebat. Deſcribitur hoc accuratiſſime à Vitruuio: & omnino valde ſimile fuiſſe perſpicitur ei, quod nunc nos communi omnium muſicorum inſtrumentorum genere, Organum appellamus: niſi quòd in noſtro nullus aquæ eſt vſus. Huius etiam meminit Athenæus lib. 4. Δειπνοσοφιστῶν. Plinius lib. 7. cap. 37. & Hero quidam. Hinc,

HYDRAVLÆ, l. 4. C. de excuſat. muner. organarij, qui eiuſmodi inſtrumenta tractabant: quos ita Græci definierunt: Ὑδραῦλαι εἰσὶν οἱ αὐλοῦντες ἐν τοῖς ὀργάνοις τοῖς οὐκ ἀπὸ ἀσκῶν, ἀλλ' ἀπὸ ὕδατος κατά τινα μηχανὴν τὸ πνεῦμα δεχομένοις.

HYDROMELI, l. 9. D. de tritic. vino, aqua eſt mulſita, id eſt potio ex aqua & melle confecta, Plin. lib. 14. cap. 17. Dioſcorid. lib. 5. cap. 13.

HYPÆTHRIVM locus eſt ſic dictus, quòd ſubdio eſſet, id eſt cælo & aëri expoſitus. Latinè Subdialia, vel Subdiualia: vnde Subdiuales deambulationes dicuntur, l. 242. D. de verb. ſig. Vitruu. lib. 3. c. j. horum meminit.

HYPASPISTÆ Græcis ſunt Cornicularij. vide CORNICVLARII.

HYPEROCHA ὑπεροχὴ, l. quærebatur. D. qui potiores in pign. hab. eſt id quod poſt venditionem fundi verbi gratia L X. quod erat L X X X. plus in eius pretio relinquitur, ſcilicet X X. Hoc enim eſt quod eo in loco ſignificatur, quendam duobus creditoribus nõ quidem eundem fundum, ſed priori fundum, poſteriori ὑπεροχὴν eiuſdem fundi (id eſt quod plus erat in pretio fundi, quàm in prioris credito) pignori obligaſſe. Non inſulſe fortaſſe quis Superfluum vocarit, vt l. fenerator. D. de nautico fœnore. Galli dicunt, *plus ualue*. Hunc locum ita reſtituit ex Pandect. Flor. Iac. Cuiac. Obſer. libr. 4. cap. 25. cum perperam antea hypotheca legeretur. Idem tamen prius Alciatus notarat lib. 11. Parerg. cap. j.

HYPOBOLON, dotis eſt incrementum, vel quod mortuo marito vxori ſuperſtiti redditur ſupra dotem, quod inſtar aut vicem habet donationis propter nuptias: ſic dictum ἀπὸ τοῦ ὑποβάλλειν, quod eſt maiori rei vel ſummæ minorem adiicere. Græci alias reddidere dimidiam, alias tertiam, niſi aliud conuentum eſſet: Langobard. autem iure quartam partem redditam videre eſt l. j. Lang. de iis quæ à viro in mul. dan. quam & Morgengabe vocabant. Latinorum verò tertiam, lib. 2. feud. tit. 19. §. quamuis. Conſtantin. Harmenopulus lib. 4. titul. 10. ὑπόβολον ſcribit eſſe, τὸ ἐπὶ τῷ ποσότητι τῆς προικὸς, ὅταν ἀποθανόντος τοῦ ἀνδρὸς ἡ προὶξ ἀπαιτῆται παρὰ γυναικὸς, ταύτῃ ὑποβαλλόμενον, ἤγουν ὑποτιθέμενον. Sic enim legendum eſt, non vt in vulg. corruptè legitur: ὅταν ἀποθανούσης τῆς γυναικὸς ἡ προὶξ ἀπαιτῆται παρὰ τοῦ ἀνδρός. non enim mortua vxore, ſed mortuo marito hypobulo locus eſt. Dotalitiũ dicitur cap. plerumque. de donat. inter vir. & vxor. Noſtro idiomate vocamus *accroiſt*. Nec verò datur ὑπόβολον vxori, niſi in cubiculum mariti venerit: & hoc eſt quod dicitur: *Au coucher gaigne la femme ſon douaire*. Virgini autem θεώρετρον dabatur, quod erat pars duodecima: de quo vide ſuo loco. Hinc.

HYPOBOLICA inſtrumenta, apud Sidon. Apoll. lib. 7. Epiſto. quanquam ſunt qui legant Hyperbolica: alij

quidam Paraphernica, omnino male.

Hypocavston, ὑπόκαυςον, locus eſt, qui ſuccenſo ſub pauimento igne calefieri ſolet l.16.D.manda. l.55. §.2.D.de leg.3. Deducitur ἀπὸ τοῦ ὑποκαίειν, id eſt ſuccendere. Hinc conclauia & cellæ, in quibus ſunt opera for nicata, vbi frigoris vitandi cauſſa ignis accenditur.

Hypodia, apud Paulum lib. Sentent.3.tit.6. ſunt quæ ſub pedem ſedentibus ponuntur, quæ interdum etiam ſcamna vocantur, l.3 D.de ſup.leg. ab ὑπὸ, id eſt ſub, & ποῦς ποδὸς, pes.

Hypomnematographis, in l.ſi quos. 59. C.de decurio. Alciat. & Cuiac. commentarienſes exponit, id eſt eos qui commentaria ſcribunt.

Hypotheca, eſt pactio nuda qua iure honorario à debitore obligatur aliquid in crediti vicem: deducto nomine à verbo ὑποτίθεσθαι, quaſi dicas res ſuppoſita, ſubiecta obligationi, & obſtricta: & idem videtur eſſe quod pignus: niſi quod huius appellatio ad res mobiles, hypothecæ ad immobiles refertur, vt l.j.& l.ſi rem.9.§.2.D.de pign.act. §.item Seruiana. Inſtitut.de actio. l.4.D.de pignorib. vbi traditur Hypothecā propriè eius rei dici quæ conuentione ſola obligatur: pignus traditione. In actione tamen hypothecaria his nominib. abutimur: & ideo Marcianus de hypothecaria formula tractans, l.5. in fin. D.de pignorib. dixit pignus ac hypotheca ſono tantum differre. quod eſt ac ſi diceret ſignificatione non differre. Hotomanus teſtatur aliam ſe etiam inter hypothecam & pignus obſeruaſſe differentiam, vt hoc pro rebus obligatis, & ipſo obligationis contractu vſurpetur: illa verò pro rebus ſuppoſitis tantùm. Cic. lib.13. ad Memmium, epiſtola ad Thermum Proprӕt. Præterea Philotes Alabandenſis ὑποθήκας Cluuio dedit: hæ commiſſæ ſunt: velim cures, vt aut de hypothecis decedat, eáſq; procuratoribus Cluuij tradat, aut pecuniam ſoluat.

Hypotheca diuiditur in tacitam, & expreſſam. Tacita conſtituitur à lege, l.j.§.& vt plenius. C.de rei vxor. act. Expreſſa ab homine, toto titul.D. & C.de pign.& hypoth.

Hypothecaria actio, quæ & quaſi Seruiana dicitur, in rem actio eſt, quæ creditori pignoris perſequendi cauſſa datur. Vnde & pignoris vindicatio, petitio, perſecutióque appellatur, l. 9. in fin. C. de pign. action. l. 2. C. ſi vnus ex pluribus. l. 59. D. ad S.C. Trebellia.

Hypothecaria formula, formula eius pacti, quo de pignore nuda conuentione obligando agebatur, l.3.4. 11.& alibi perſæpe. D.de pignorib.

Hypothecarii creditores, qui ſub hypotheca pecuniam crediderunt, l.j.§.ſciendum. D.de ſeparat.bon. l.j.C.de iis, qui in priorum cred.

Hypothesis eſt, quod priſci Iuriſconſulti Speciem appellant recentiores, legis Caſum. Vlpian. in l. ſed interim. de donation. inter vir. & vxor. Quando igitur retrò non agitur, emergunt vitia, vt Marcel. animaduertit, in ſpecie huiuſmodi. Paulus in l. Latinus Largus. de legat. j. proximè ex facto incidit ſpecies talis. Alciat. in l.edita. C.de eden. Hypotheſis, ait, determinata facti aſſertio eſt, quæſtionis, ſeu cauſſæ modum complectens. Vide eundem cap.8. lib.j Parerg.

Hypotheſin ad theſin transferre, eſt cauſſam ad communem locum, & ſpeciem ad genus transferre, l.pen.D. de iuriſdict.

Hysginvm, color, vt volunt quidam, ſimilis eſt coccineo: vnde Græci veſtes ὑσγινοβαφεῖς appellant, hoc eſt hyſgino tinctas. Hermolaus Barbarus exiſtimat idem eſſe quod vacinium, id eſt rubi humilis morum: vide Ruellium, Maſurium, & Bayfium. Turnebus Aduerſ. lib.19. cap.25. hoc nomine & tincturam & herbam notari putat, cum ex ea herba color purpureus fucetur, atque tingatur. Heſychius ſcribit, ὕσγινον, βάμματι. neque aliud quicquam. Interp. Nicand. τὸ ὕσγινον, inquit, φυτόν ἐστι ξανθὸν τῷ χρώματι, ὅθεν καὶ ὑσγινοβαφῆ, τὰ ὑπ' αὐτοῦ βεβαμμένα. nec enim quid vetat eſſe plantam & tincturam cognomines. Sudas hyſgen herbam eſſe dicit, vnde & hyſginum tingatur. Fiunt, inquit Vitruuius, etiam purpurei colores infecta creta rubiæ radice & hyſgino, non minus vt ex floribus alij colores. Apud Pauſaniam in Phocicis, videtur eſſe coccus: at apud Plin. lib.21. cap.26. hyacinthus, vnde factitius color fucabatur, hyſginum dictum. Hyacinthus, inquit, in Gallia eximiè prouenit. hoc ibi hyſginum tingunt. Vtitur hoc verbo Paulus l.78.§.5.D.de legat.lib.3. (quanquam in Pand.Flor. Iſginum legitur) à cocco illud ſeparans: Quin minus porro coracinum, aut Syſginum, aut melinum ſuo nomine, quam coccum purpurave deſignatur?

I

I, & V, literæ medium quendam eſſe ſonum M. Fabius lib.j. Inſtit. Orat. cap.4. admonuit, vt non immeritò nec fortè ineptè in Pandect. Flor. V, pro, I, ſcriptum reperias. Vt duploma, pro diploma maritumo, pro maritimo: decumo, pro decimo: adſimulatur, pro adſimilatur. & plane adſimulare antiquos dixiſſe, ex Diomede admonet Briſſonius. E diuerſo I, pro V, poſitum, reciperare pro recuperare paſſim in illis libris, & antiquorum monumentis. Sic I, pro, E, vt petitioni, pro petitione, l. 8.D.de rei vindic. & Ferruminationi, pro Ferruminatione, l.23. §. item quæcunque. D.eod.titul. & Affinitati, pro affinitate, l. 39.D.de iniur. E contrario E, pro, I, defenſione pro defenſioni, l.39.§.j D.de noxalib. & Exceptione, pro exceptioni, d.l.39.§.penult. Literarum enim affinitas huic commutationi locum dedit: qua de re, vide Fabium lib.j.cap.4.

Iacere dicitur hæreditas, quandiu ſine domino eſt, l.5. §.ſatisfactionis. D.vt in poſſeſſ.legat. l.13. §. quæſitum. D.quòd vi, aut clàm. Eodem ſenſu Iacere bona hæreditaria dixere Vlpianus & Papinianus l. j. D.de bon. poſſeſ. l.j. D. de ſucceſs. edict. Sic Iacens ea res dicitur, cuius dominus ignoratur, Vlpian. l.43.§.4. D.de furt. Qui alienum quid iacens, lucri faciendi cauſſa ſuſtulit, furti obſtringitur. Iacere pretia prædiorum, quæ vili veneunt, dicuntur Ciceroni, in Orat. pro Roſcio Comœdo: Accepit enim agrum temporibus iis, cum iacerent pretia prædiorum,

Iacere proſtratus dicitur, qui ad dignitatem eligi iure non poteſt, veluti infamis, Clem. in pleriſque. §.quòd ſi licentiatus. de Electio. in Clement.

Iactas res accipimus nonnunquam, quæ tempeſtate maris nauis leuandæ cauſſa eiiciuntur, l. 21.§.j. D.de acquir.poſſeſſio. l.penult. D.pro derelict. l.9.§.fin. D.de acq.rer.domi. & ita Iactus in tit. ad leg. Rhod. de iactu. l.4.§.ſi iactu. D.de furt. Seneca lib.4. Declama. Neceſſitas eſt, quæ nauigia iactu exonerat. Dicitur &,

Iactvra eodem ſenſu, l.2.& 4.D.de lega.Rhod.de iact. & apud Cicero. lib.3. Offic. vnde μεταφορικῶς, pro damno, ea locupletari. de reg.iuris libr.6. Hinc & pro amiſſione accipitur, vt ea.ex parte.de alienat.mutand. iud.cauſ.fact. ibi, pro amiſſione cauſſæ. Et,

Iacturam debiti, pro amiſſione, dixere Impp. l.2. C.ne liceat potentio. Et,

Iactare, pro concutere, fatigare, vexare. Vlpian. l.j. de ædil.

de ædil.edict.§.apud Iulianum. Si ſeruus inter fanaticos non ſemper caput iactaret.

IACTVM retis dicimus, l.12.D.de act.empt. & iactum, ſimpliciter, eodem ſenſu. Valerius lib.4.cap.j. Suetonius in lib. de clar. Rhetoribus, βόλον appellat, vbi pro bolou, bolum falsò legitur. Donatus Bolonas. Hinc bolonas exercere dicuntur cetarij.

IACVLVM rete quoddam piſcatorium eſt appellatum, Iſidoro teſte lib.18.Etymol.cap.21.

IACHINVM, vide Ianthinus.

IAM quandoque ſignificat perfectionem actus, & continuationem Bart.l.Celſus.D.de vſucap.& in j.C.conſtitut.aliquando retro tempus, & continuum ſonat, l. nunquam.D.de acq.rer.domi. Sumitur interdum pro futuro & præterito.pro re, id eſt, ſecundum materiam ſubiectam, l.quamuis. D.de furt.& ibi.not. Iam pro præterea & pro poſthac ſæpe ponitur.

IAMNVNC, l.ſi mortis.D.de donat.cauſ.mort, præſens tempus indicat.

IAMTVM vna voce, l.pater. D.de capt.& poſtlimi. vbi Zaſius temperamentum tractus facit.& vide M.Ciceronem pro A.Cluentio.

IANITRICES, Latinis duorum fratrum vxores, Græci ἐνατέρας vocant, l.4.§.adfines in fin.D.de gradibus.in Lexico B.Germani, Ianitrices, δύο ἀδελφῶν γυναῖκες, σύνυμφοι. quæ etiam ἐνατέρων interpretatio apud Heſychium eſt.

IANTHINVS, violaceus: nam ἴον violam, ἄνθος florem ſignificat: ſicque accipitur apud Plinium lib.20.ca.6. apud Perſ.Satyra 2.Ianthina lena.& l. ſicui lana.70.§. fin.D.de legat.lib.3. Purpuræ, inquit Vlpi. appellatione omnis generis purpuram contineri puto, ſed coccum non continebitur: fucinum & ianthinum continebitur. Itaque legendum l.j.C.quæ res vendi non poſſ. vbi perperam hyacinthina legitur.

IANVAM in publico aperire, in l.vlti.§.vlt. D.de ſeru. vrb. quidam dici volunt pro ianuam in publicum reiicere, ita vt fores in viam publicam aperiantur, vt mos erat Græciæ: vnde illud apud Comicos, Crepuere fores. Sed hic mos nunquam Romæ inualuit, & præter Plinium, Plutarchum, Aſconium, etiam Dionyſius è publicis vel priuatis ædibus ſolas M.Valerij Publicolæ fratris ædes Romæ ſcribit habuiſſe ianuam reiectam in publicum, his verbis, Ταύτης τῆς οἰκίας αἱ κλισιάδες θύραι μόναι τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ δημοσίων τε καὶ ἰδιωτικῶν οἴκων εἰς τὸ ἔξω μέρος ἀνοίγονται. Igitur hæc eſt huius loci ſententia & ſpecies: L.Titius aperto pariete domus ſuæ, ianuam in publico aperuit, quatenus ſtillicidij rigor, & tignorum proiectus competebat, quatenus ambitum ædium Scæuola definiebat, auctore Cicerone. non eſt igitur egreſſus ambitum ædium in aperiunda ianua: neque verò potuit.& aduerſum ſe tamen aperiri ianuam quæ non fuit ante, vicinus æquo animo non fert motus inuidentia quædam, qua etiam moti quidam ſæpe non ferunt è regione ædium ſuarum conſtrui ædes nouas, è quibus ſit conſpectus in ſuas. Ex Cuiacij Obſeruationum lib.decimotertio, cap.vigeſimoſeptimo.

IASON Maynus, Iuriſconſultus nobilis, Mediolani natus, Catonis Saccipapienſis auditor fuit. Papiæ ius ciuile annos amplius viginti interpretatus eſt: magnóſque in eo iure ſcriptis ſuis illuſtrando, labores ſuſtulit. Obiit ibidem anno M. D. decimonono, menſe Aprili.

IBI Feſto lib.9. dicitur, cùm locus ſemet demonſtratur. Ibidem, cum ſæpius, Ibi, in interdicto de vi, quemadmodum accipiendum ſit, exponitur in l.j.§.ibi autem. D.de vi,& vi arma. Appellatione eorum quæ ibi ſunt, neque ea, quæ ad tempus, vel caſu eo in loco ſunt, neque nummi & nomina continentur, ſed ea demum quæ, vt perpetuò ibi ſint, poſita ſunt, quæ quanquam ad tempus vel caſu abſint, non eo tamen minus continentur, l.quadrageſimaquarta.67.78.89.D.de leg.3.

Ibi pro illic, & opponitur particulæ hic, l.4.§.ſi quis aduentu.D.vi bo.rapt.

ICTVS, percuſſio ipſa. Vlpianus ad legem Aquil. Et ſi quidem apparet, cuius ictu perierit. Item, ictu vno occidit vtrunque.l.quod ait.§.fin.de adulter. Adde l.j.de iis, qui deiece.

ID EST, non definiendi gratia, ſed exempli loco, & παραδειγματικῶς ponitur, id eſt pro veluti, vel ſcilicet, l.7.§.pactorũ.D.de pact.l.8.D.de vulg.& apud Gaium lib.2.tit.8. verſic.agnati. Sic l.4.D.de vſucap. Nec de via quis, id eſt mero iure detruditur. Aliàs hoc verbum διασαφητικὸν eſt, & explicatiuum, l.9.D.de minoribus.l. 3.§.ſaltus.D.de acq.poſſeſ.l.43.D.de iniur.

IDEM non eſt, quod ab alio ſeparari poteſt, l.ſi dominus. D.de ſeruit. vrb. pro ſimili ponitur, l.ſi non ſortem.§.libertis.D.de condi.indeb. Idem dicitur, etiam priſtina qualitate, vel quantitate non ſeruata, l.& an eadem.D.de excepti.rei iud.l.proponebatur.D.de iudic.l.ſeruitutes.D.de ſerui.vrba.

Ἰδιόχειρα Græcè appellantur (inquit Imp.Leo) ſcripturæ quæ ſolent à quibuſdam ſecretò fieri, interuenientibus amicis, rerum contrahendarum cauſſa, l.ſcripturas. 11.C.qui potiores in pig.hab. Et (vt apinor) ἰδιόχειρα, & ἀγοραῖα opponuntur, quæ tabellionum publica inſtrumenta ſunt, Nouella 49.73.& 142. quæ etiam Forenſia appellantur, l.comparationes.19. C.de fid.inſtrum. qua de cauſſa in d.l.ſcripturas. ἰδιόχειρα iis quæ publicè à tabulariis ſcripta ſunt opponuntur.

Ἰδιοκτήτορες, vt aiunt Græci interpretes in l.4.de agric.& cenſit.lib.11. ſunt, propriorum bonorum poſſeſſores, ab ἴδιος, id eſt proprius, & κτάω, poſſideo. vide in Baſilicis eodem titulo.

IDIOTA, non tantum indoctus & illiteratus, ſed etiam priuatus, & plebeius dicitur, Auth.quomo.oport.Epiſ. §.quandoque.

IDONEVS accipitur pro locuplete, & qui ſoluendo eſt. Ita idoneum debitorem, tutorem, hæredem, fideiuſſorem interpretamur, l.14.27.D de mino. l.2.manda. D.l. 2.D.de fun.do.l.9.D.de tutel. l.9.14.39.45. D.de admin. tuto.l.46.47.D.de iur.fiſc.l.5. D.de ſepara.l.antepen.D. de condit. & demonſt.l.14.D.de in diem addict.l.3.D. de fideiuſſo. Itaque apud Cicer.lib.3.Offic. Idoneus pro diuite & locuplete. Et ſæpe idoneis, inquit, hominibus indigentibus de re familiari impertiendum, ſed diligenter & moderatè. Quod & in eo obſeruauit Lactantius. Eodem ſenſu Idonea hæreditas, l.51.§.j.D. de acquir.hæred. Et Idonea nomina, l.13.§.j.l.35.& 45.D.de adminiſtrat.tut. Non diſſimiliter Idoneum, vel non idoneum pignus dicimus, l.28.D.ſi cert.petat. Et Idonea cautio, & ſatiſdatio, l.4.§.j.D.de admi.rerum.l.j.§.ſi pecunia.D.depoſiti. Idonea cautio non intelligitur, ſi neque fideiuſſor, neque pignora interceſſerint, l.59.in fi.D.manda. Ita Idoneè cauere, l.41. D.de petit.hæredit. Et Idoneè ſatiſdare, [illegible] C.de poſtlimi.reuerſ.

Idoneus largè dicitur, aptus ad omnia & bona & mala, Donato auctore. Cui adſtipulatur Vlpianus in l.2.§. idoneos autem.ad S.C.Tertullian. Quilibet autem præſumitur idoneus, ſicut & quęlibet res bona, niſi diuerſum doceatur. Idem in l.cùm quidam ita fideicommiſſum. Papinianus in l.cùm pater.§.rogo.de legat.2. l.vlti.de liberis agnoſcendis.l.ſi creditores.in fi.de priuile.credit. Idonior, aptior, accommodatior, Calliſtrato l.18.D.de teſt.tut. Quòd ſi plures ſatiſdare parati ſint, tunc idonior præferendus erit.Paul.l.2.D.de pop.act. Si plures ſimul agant populari actione, Prætor eliget idoniorem.

Idoneus

Idoneus alienæ litis defenſor, nemo ſine ſatiſdatione habetur. l. 46. §. qui aliũ. D. de procurat. Porrò neque fœmina, neque miles abſénſve Reipu. cauſſa, aut morbo impeditus perpetuo, aut magiſtratum initurus, aut qui inuitus iudicium pati non poteſt, idoneus eſt defenſor. l. 54. D. de procura. Sic idoneè defendere. l. j. D. de diuerſ. temp.

Idonei promiſſores, non tam ex patrimonio, quàm ex fide plerunque accipiuntur. l. 112. D. de verb. oblig.

Idonei tutores, facultatibus non moribus dicuntur. l. 2. §. idoneis. D. ad Tertyllia.

Idoneus homo, integræ exiſtimationis, miniméque probroſus. l. fi. D. de tab. exhib.

Idoneus paries, oneri ferendo aptus. l. 7. D. ſi ſer. vind. & integer & minimè vitiatus. l. 45. D. ad leg. Aquil.

IDONEE, aptè, commodè. Pomponius l. in reficiendo. D. de damno infect. In reficiendo communi pariete ei potius facultas ædificandi præſtatur, qui magis idoneè reficere parietem velit. Sic & alibi perſæpe reperies: vt & apud Ciceronem. In iure autem idoneè cauere dicitur, ſi quis pigneratitia, vel fideiuſſoria cautione, aut (ſi illas præſtare nequeat) ſaltem iuratoria cauet, c. j. de dolo & contumac. lib. 6. iuncta gl. ſuper verbo, Sufficienter.

IDVARE, diuidere. Hinc:

IDVS Macrobio, & vide Alcia. l. malum. §. viduam. D. de verb. ſig. Idus dicuntur diuiſiones. diuidunt enim menſem, præcipuè Nonas à Kalendis. vide Io. And. in fi. lib. 6. ſuper verb. Data.

IDVARIVM, vide KALENDARIVM.

IEIVNIVM, cuiuſlibet cibi priuationem, ſiue abſtenſionem definit Archidia. c. ſolent. pro quo vide extrà de obſeruat. ieiunio. & de pœnit. diſtinct. 3.

IESVS ſeruator & redemptor noſter: ſacroſanctiſſimi huius nominis ἐτυμολογίαν, vim, poteſtatẽ, & acceptiones explicant Theologi.

IGITVR, illatione ſuprà dicta colligit, hoc eſt ratione confirmat. l. ſi procuratores. §. ſi ignorantes. D. manda. l. diuus. D. de cuſto. reo. Interdum pro deinde accipitur, Inſtit. de tutel. in princ. ideóque continuationis notam eſſe rectè cenſet Albericus.

IGNAVIAM Iuriſcoſſ. quæ non eſt ſtultitia, vt Interpretes putarunt, diligentiæ opponunt: ſi quidem naui homines, impigri, & diligentes appellantur. Scio tamen ignauiam vulgò pro puſillanimitate accipi. Porrò, ignauiæ culpam contrahunt, qui ex qualibet leui, vana, iniuſtáve cauſſa ad res improuidas, temerariáſve, aut noxias mouentur, dum dolus abſit: exempla ſunt in l. 2. §. ſi publicanus. D. vi bon. rapt. l. j. in fi. iunct. gl. D. de abig. & fortè in l. qui rei. §. j. §. ſi quis. D. de bonis eor. qui mort. ſibi conſciu. cum ſimil. Ex Zaſio.

IGNAVITER, ſegniter. l. ſi. C. de epiſc. & cleric. M. Tullio in 2. Tuſcula.

IGNI & AQVA accipere id eſt nuptias celebrare. l. pen. D. de don. int. vir. & vxor. Aqua & ignis (inquit Feſtus) interdici ſolet damnatis: quam accipiunt nouæ nuptæ: videlicet quia hæ duæ res humanam maximè vitam continent. Itaque funus proſecuti, redeuntes ignem ſupergrediebantur, aqua aſperſi: quod purgationis genus vocabant ſuffitionem. De aqua & igni Lactantius lib. 2. inſtit. ita inquit: Alterum enim quaſi maſculinum elementum eſt, alterum quaſi fœmininum: alterum actiuum, alterũ patibile. Ideóque à veteribus inſtitutum eſt, vt ſacramento ignis & aquæ nuptiarum fœdera ſanciantur, quod fœtus animantium calore & humore corporentur & animentur ad vitam. Cum enim conſtet omne animal ex anima & corpore, materia corporis in humore eſt, animæ in calore. quod ex auium fœtibus datur ſcire, quos craſſi humoris plenos, niſi opifex calor fouerit, nec humor poteſt corporare, nec corpus animare. Plutarchus ἐν ῥωμαϊκοῖς de aquæ & ignis in nuptiis Rom. more, hoc etiam addit, fortè ad inſtitutum vt iubeatur ſponſa aquam & ignem tangere, quod ignis luſtret, aqua purget: debeat autem quæ nubit puritatem & caſtimoniam conſeruare. Aut etiam ſignificatum, alterum ab altero deſeri non debere, ſed eas in ſocietate qualiſcunque fortunæ perſiſtere, etiam ita rebus ferentibus, vt præter ignem & aquam nihil boni vna frui detur.

IGNOMINIA, nominis nota eſt Ciceroni lib. 4. de Repub. apud Nonium: Cenſoris iudicium, inquit, nihil fere damnato affert niſi ruborem. Itaque quòd omnis ea iudicatio verſatur tantummodo in nomine, animaduerſio illa, Ignominia dicta eſt. Iſidorus lib. 5. c. 25. Ignominiam etiam dictam vult, quaſi ſine nomine, eò quòd deſinat habere honeſtatis nomen is, qui in aliquo crimine deprehẽditur. Vide Infamia. Feſtus Ignominiam inter militares animaduerſiones recenſet lib. quarto.

IGNOMINIOSA miſſio, Vlpiano dicitur quoties is, qui militem è caſtris mittit, addit nominatim, ſe ignominiæ cauſſa mittere, leg. 2. D. qui not. infa. Vide Miſſio.

IGNORANTIA iuris naturalis, quod ad prima religionis erga Deum, & charitatis erga proximum, principia pertinet: neminem prorſus excuſat, ætatis, & mentis compotem: qualia ſunt in l. j. l. 2. & l. Iuſtitia eſt. §. j. D. de iuſt. & iur. l. j. in prin. D. quod quiſque iur. l. iure naturæ. D. de reg. iur.

Ignorantia, vt Paulus inquit, vel iuris, vel facti eſt. l. j. itẽ, in l. regula eſt. de iur. & facti ignor. Idem tradidit, Iuris quidem ignorantiam cuique nocere, facti verò ignorantiam non nocere. Exemplum pete ex iam citata. l. j. & vide Philippum lib. 2. Philoſoph. Moral. tit. quando excuſat erratum ignorantia. l. 55. D. de ædil. edict. Vide Error.

IGNORARE dicimur, quod ſcire debemus. l. 2. C. per quas perſ. nob. acqiu. itẽ l. vnic. §. j. C. de rei vxor. actio.

IGNOTVS, hoc eſt, incognitus, non viſus. Iuſtinianus, Non eſſe autem admittendam excuſationem eius, qui hoc ſolo vtitur, quòd ignotus patri pupillorum ſit, diui fratres reſcripſerunt. §. item propter inimicitias, Inſtitutionib. de excuſat. tutor. Sic ignoti domini, in l. vnic. C. de theſaur. lib. 10.

ILICET per ſyncopem dicitur. Sic iudices de cõſilio dimittebantur, ſuprema dicta, cum præco pronuntiaſſet, Ilicet: quod ſignificat, Ire licet. Hæc Donat. in Adelph. Ter. Dicebatur etiam in funerib. conſumpto cadauere, & collectis cineribus: vnde Virg. li. 6. Æneid. —*dixitque nouiſſima uerba*: id eſt, Ilicet inquit Seruius. nam Vale dicebatur poſt tumuli quoque per acta ſollemnia. Idem: Varro dicit pyras ideo cupreſſo circundari, propter grauem vſtrinæ odorem: ne offendatur pop. circunſtantis corona, quæ tandiu ſtabat reſpondens fletibus præficæ, id eſt principi planctuum, quandiu cõſumpto cadauere, & collectis cineribus, diceretur nouiſſimum verbũ Ilicet, quod ire licet ſignificat.

ILIENSIS Minerua in fragmẽtis Vlpiani, (pro quo perperam in v. c. Melieſis legitur) ab Ilio ciuitate ſic dicta, cuius meminit Plinius lib. 5. c. 30. immunem eam fuiſſe dicens, & ab ea omnium rerum effulſiſſe claritatem. Cum enim Romani originem ſuam Troianam eſſe cenſerent, & ab illis ſe oriundos agnoſcerent, maximam illi ciuitati immunitatem conceſſerunt, vt videre eſt l. nõ ſolum. D. de excuſat. Hinc & Ilienſi Mineruæ hoc quoque ius tribuerunt, vt ei legari poſſet.

ILLACRYMARI, Calliſtratus. l. obſeruandum. de offic. præſ. Neque precibus calamitoſorũ illacrymari oportet: id enim non eſt conſtantis, & recti iudicis.

ILLECEBRA, omne blanditiarum genus, leg. quidam ignauiæ. de decur. lib. 10. C.

ILLEGITIMORVM (vt vtamur verbo apud noſtros doctores recepto) alij inceſtuoſi vocantur: putà ex cognatis procreati: alij nefarij ex deſcẽdentibus ſuſcepti: alij ſpurij, qui & adulterini, ex adulterio nati. Hi niſi à Principe, aut huius auctoritate, legitimationis (vt vulgò dicitur) beneficium impetrauerint, à ſucceſſione parentum non tantùm excluduntur. l. ſi adulterium. in princ. D. ad leg. Iul. de adult. l. quinetiam. D. de ritu. nupt. & §. ergo omnes. Inſtitut. eod. tit. ſed alimentis etiam non cenſentur digni iure ciuili. Auth. quibus mod. nat. effic. ſui. §. vlt. At hæc, Romani Pontific. iniquum cenſentes infantem à Deo creatum fame necari, præſtanda conſtituerunt. c. cùm haberet. de eo, qui dux. in matri. quam per adulterium pollu.

ILLEXIT, in ſententiam pertraxit, & perſuaſit. l. j. §. ſi omnes. D. de vent. inſpic.

ILLIBATVS, apud Vlp. in l. ſi filia. §. Papin. ait. D. famil. erciſc. id eſt integer. Interpres, illibata ab intactis, in l. ſi qua per calumniam. C. de epiſc. & cler. hoc putat diſtare: vt illibata partem, intancta rem totam reſpiciat. Apparet tamen pro eodem poni, leg. fi. C. in quibus cauſſis reſtitutio in integrum non eſt neceſſaria.

ILLICITE ædificare, id eſt, hoc quod dirui conſtitutiones iubent, auctore Vlpiano.

ILLICO, vel (vt quidam ſcribunt) Ilico fieri dicitur, quod fit antè, quàm diuertatur ad alia facienda. l. litigatoribus. C. de appella. quod nomen retinuit forenſis Gallorum vſus, quod Pragmaticis Gallis notiſſimum eſt. Sic in l. j. §. cùm adiicitur. D. de verb. oblig.

ILLOTIS manibus prouerbiali figura dicitur, pro imparatè, & non ſatis inſtructò quid aggredi: tractum ex Deorum ſacris, ad quæ ſine præparatione (cuius pars erat manuum ablutio) nefas fuiſſet accedere. Heſiod. ἔργ. καὶ ἡμέρ. Μηδέποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον χέρσιν ἀνίπτοισιν, &c. Sic l. j. D. de orig. iur. illotis manibus, ſine præparatione.

ILLVSTRIS, dignitatis titulus. l. 60. 61. de decu. lib. 10. C. l. fi. C. de iniur. Tribuitur hic titulus præfectis prætorio, præfectis vrbi, quæſtoribus, magiſtris officiorum, & militum, comitibus rerum priuatarum, & domeſticorum, & principibus agentium in rebus: vt patet ex variis Codicis Iuſtiniani & Theodoſiani articulis. Illuſtris dignitas, & adminiſtratio. l. 32. 36. C. de appel. Illuſtratus gradum ponit. l. 11. §. ſi autem vtraque. C. de iudiciis. Illuſtres perſonæ. l. 26. §. j. C. de vſur. & Illuſtris mulier. l. 5. C. ad Orfit. Illuſtrium dignitas omnibus antecellit, Nouel. de appell. & intra quæ tẽp. vlt. de ſportul. c. j. vbi ſenat. C. Vide Dignitatum gradus.

ILLVVIES, propriè ſordium eſt, à lauando ducto vocabulo: Itaque Illuuie legendum apud Vlpian. l. 12. §. vlt. D. de ædil. ed. non ingluuie, vt volunt quidam: hoc enim ventris eſt, ductum (vt vult Agrætius) ab ingluuiendo, Cuia. Obſ. lib. 11. c. 10.

IMAGO iuris Liuio lib. 59. Emancipatio, quæ venditionis inſtar obtinet.

IMAGINARIA dicuntur in iure, quæ non verè, ſed ſimulatò & dicis cauſſa fiunt. Vlpian. in l. 16. de reg. iur. Imaginaria, inquit, venditio non eſt pretio accedẽte. Et ſi enim in hac nummorũ aliquid pretij ſpecie numeretur, re vera tamen aliud agitur, quàm vt emptio contrahatur, vt in emancipationibus εἰκονικὴν πρᾶσιν. Harmenopulus lib. 3. vocat. eam ſic definiens, εἰκονικὴ ἐστὶ πρᾶσις ἡ ἐσχηματισμένη, καὶ οὐκ ἀληθῶς γινομένη. Nec diſſimili ratione. l. 46. D. locat. imaginarias locationes vocauit: & l. 2. C. Th. de annon. & tribut. imaginariã apocham, quæ ſpeciem veri habeat. Sic imaginarius emptor. l. 4. §. ſi ab ignoto. D. de act. empt. qui nomen alienæ emptioni accommodat, nihil de ſuo impendens. Hinc & imaginaria coemptio, apud Nonium, quæ fiebat cum mulier ad maritum veniens, aſſes tres, & vnum, quem manutenebat ei dabat, veluti emendi cauſſa. Et Imaginaria ſolutio, id eſt acceptilatio. §. j. Inſtit. quib. mod. toll. oblig. Imaginarij contractus. l. contractus. 54. de oblig. & act. D. in quibus fides facti ſimulatur, veritate non intercedente, ideóque iuris vinculum non obtinent, vt dicit ibi Iuriſconſ. & vide Gaium lib. j. Inſtit. tit. 6. & l. fi. C. de adoptio. Imaginarius colonus, qui ſubdititius eſt, & non verus colonus. l. 49. D. de act. empti. Imaginarius nuntius, repudium non verè, ſed fictè & ſimulatè miſſum. l. 3. C. de repud. Imaginarium repudium ibidem. Sic Diuortium imaginarium, quod interueniebat olim, quando mulier marito ad inopiam redacto ſuis rebus proſpiciebat, apocháſque exercebat ſuas, quod conſtante matrimonio non licebat. l. in rebus, in fi. C. de iur. dot.

IMAGINARII, in Lexico antiquo εἰκονικοί, exponuntur, id eſt imaginum artifices.

IMBVERE Nonio initiare. Hinc Imbuti, initiati. l. 25. D. de pign. act. Cicero pro Milo. Imbutos inſtitutis opponit.

IMITARI, hoc eſt, effingere, adulterare: Cicero Aſſimilare vocat. l. quid ſit falſum. D. ad leg. Cornel. de falſ. Siquis alienum chirographum imitetur.

IMMATVRA virgo. l. 25. D. de iniuriis, & alibi. Paul. lib. j. Sent. tit. 14. Sueto. in Tibe. c. 61. quæ nondum viri potẽs eſt, ſcilicet ante annum. 12. Acerbam vocat Varro Agathone, apud Nonium: Maiores noſtri, inquit, aures virginis acerbæ venereis vocabulis imbui noluerunt. Huic opponitur Matura, viripotens. Virgil.

Iam matura uiro, iam plenis nubilis annis.

Horatius in 3. Odar.

Motus doceri gaudet Ionios
Matura uirgo.

Hanc ὡραίαν Græci vocant; Gellius vertit tempeſtiuã, lib. 6. c. 8.

Immaturam quoque ſyluam, & oleam dicimus, quæ intẽpeſtiuè cæditur. l. 18. D. quod vi, aut clam. l. 17. §. ſi oliuã. D. ad leg. Aquil. l. 48. in fi. D. de vſufru.

IMMINERE litibus. l. 12. C. de prox. ſacr. ſcript. dicuntur viatores, quibus iniungebatur à magiſtratib. ſolicitudo in ius vocandi, & iudicata exigẽdi. Vel executores, quibus imminẽdi litibus ſolicitudo iniuncta eſt. Malè autem quidam minuendi legunt.

IMMISCERE ſe hæreditati propriè ſui hæredes dicuntur, vel neceſſarij, quemadmodum extranei adire. Cũ enim non aliunde accedant, ſed in familia ſint, adire non poſſunt dici, ſed ſe immiſcere. §. extraneis. Inſtitu. de hæred. qual. l. 3. §. ſuo. l. 7. §. non ſolùm. D. de minoribus. Ideóque miſcere & adire ſeparantur. l. 7. §. reſtitutus. D. de minorib. leg. 6. §. ſi filius. D. de bonis liber.

IMMITTI dicitur, quod ita prouehitur, vt in aliquo loco requieſcat, velut ligna, trabes, quæ immittuntur. l. 242. §. j. D. de verb. ſignif. l. 3. D. de preca. Hinc:

Immittendi ligni ſeruitus, vel immittendi ſimpliciter. l. j. & 2. D. de ſeruit. vrb. l. 8. §. fi. D. ſi ſer. vindic. Ita Immiſſa & Immittere accipimus. l. 5. §. meminiſſe. D. de noui oper. nunc. l. 15. §. precario. D. de precariis.

Immittere etiam dicimus cloacam, ſtillicidium, flumen, lumina, fumum, & aquam in variis Iuris partibus.

IMMISSVM, vide Proiectum.

Immò ſeu Imo quot modis accipiatur, docet Bart. §. quibus in j. Conſtit. de no. Co. fac. Notandum tamen. l. 47. D. de hær. inſt. Immo pro ademptione vel emendatione accipi. Si ita ſcriptũ fuerit, inquit Africanus, Titius, immo Seius hæres eſto, Seium ſolum hæredem fore reſpondit.

IMMODICA, ſeu (vt vocant) immenſa donatio viſa eſt olim vltra ducentos aureos, deinde vſque ad trecentos permiſſa: tandem ad quingẽtorum aureorũ quantitatem extenditur. l. ſancimus. in prin. l. data. l. ſecundum.

dum.& l.ſi quis.in fi.C.de donation.

IMMOLITVS, inædificatus. Verbum hoc vſurpatur in lege Peducea de limitibus: Nequis eos limites decumanos obſepito, nève quid in eis immolitum, nève quid ibi poſitum habeto. Item apud Liuium libr. 39. Aquam publicam omnem in priuatum ædificium aut agrum fluentem ademerunt, & quæ in loca publica inædificata immolitáve priuati habebant, intra dies triginta demoliti ſunt.

IMMVNITAS, munerũ vacatio, eſt priuilegium quoddam, vel remiſſio, à iure ad non ſubeunda munera vel honores conceſſa, qualia enumerantur in tit. D. de iure immun.

IMMVNIS, qui nullo fungitur officio. Munis enim, vt Feſtus ſcribit, ſignificat certum & officioſum. Vide Munus.

Immunes, qui nullum vectigal pendunt, quique muneribus vacant. l.3. D.de cenſib.

IMPAR matrimonium Vlpiano Inſtit. tit. 16. cum maior quinquagenario minori quinquagenario nubit. Eo alludens Apuleius lib. 6. Aſini aur. Iam faxo, ait, nuptias non impares, ſed legi ſimul, & Iuri ciuili congruas. At Boëtius in Topicis impar matrimonium vocat, cum ciuis Romana peregrino, vel ſeruo nubit.

IMPENDIVM, Varroni lib. 4. vſura eſt, ſic dicta quod in ſortem accedebat. Et lib. 5. Impendium pecunia eſt quæ in fœnore ſors eſt: ſic dicta quòd inter ſe iungat. Cicero de Clar. Orat. Seremus igitur aliquid tanquam in inculto & derelicto ſolo, quod ita diligenter colemus, vt impendiis etiam augere poſſimus largitatem tui muneris. Id eſt, vt munus tuum vſura maius efficere, & ita tibi reddere poſſimus. Idem ad Attic. libr. 6. epiſt. j. Nihil illo regno ſpoliatius, nihil rege egentius. itaque aut tutela cogito me abdicare, aut (vt pro Glabrione Scæuola) fenus & impendium recuſare. Hinc non malè ad l. Titium. §. altero. D.de adminiſt. tut. cum vſura non compendium dicitur pupillo præſtandum, dixerit quis, Impendium igitur præſtandum, nõ compendium. Significatur etiam eo nomine munus, licet perſonale ſit, non patrimoniale, id eſt ſine vlla gerentis impenſa. l.6. D.de legation. In impendiis legationũ quæ ſolo miniſterio obeuntur. Martialis.

Impenſis uitam Principis adnumeres.

Impendium etiam pro impenſis ſumitur. Vnde Impẽdia litis, ſumptus in litem facti. l.46. §. litis. D.de procu. ſic l.inter coheredes. §.fi. D.fam. erc. Impendia valetudinis, cibariorum in curationem ægri exhibitionẽmve ſerui factæ expenſæ. l.45. D.de vſuf. l.18. D. cõmod.

IMPENSÆ neceſſariæ ſunt, inquit Paulus, quæ ſi factæ non ſint, res aut peritura, aut deterior futura ſit. Impẽſas vtiles eſſe Fulcinius ait, quæ meliorem dotem faciant, deteriorem eſſe non ſinant, ex quibus reditus mulieri adquiratur: ſicuti arbuſti paſtinationem vltrà quàm neceſſe fuerat, item doctrinam puerorum: quorum nomine onerari mulierem ignorantem vel inuitam non oportet: ne cogatur fundo aut mãcipiis carere. In his impenſis & piſtrinũ, & horreũ inſulæ dotali adiectũ plerunque dicimus. Impenſæ voluptariæ ſunt, quæ ſpeciem duntaxat ornant etiam fructum augent vt ſunt viridaria, aquæ ſalientes, incruſtationes, loricationes, picturæ. l.impenſæ. D.de verb. ſig. De impenſis vide etiam tit. D.de impen. in res dot. fact.

Impenſæ neceſſariæ ſunt, inquit Vlpian. c. Inſtit. 6. quibus non factis dos deterior futura eſt: veluti ſiquis ruinoſas ædes refecerit. Vtiles ſunt, quibus non factis quidẽ, deterior dos non fuerit: factis autem, fructuoſior dos effecta eſt: veluti ſi vineta & oliueta fecerit. Voluptuoſæ ſunt, quibus neque omiſſis deterior dos fieret, neque factis fructuoſior effecta eſt. quod euenit in viridariis, & pictoriis, ſimilibúſque rebus.

Impenſæ funebres, omne æs alienum excedunt. l. penult. D.de relig. cum ſimil.

IMPERARE medicis etiã ægroti dici poſſunt, quòd ipſa merces, cuius gratia medici circumambulant, & ægrotos inuiſunt, auctoramentum quoddam ſeruitutis eſt, vt ait Cicero. Hinc illud Alfeni. l.26. D. de oper. libert. Medicus patronus, quòd putaret ſi liberti ſui medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum, poſtulabat vt ſequerentur ſe, neque opus facerent. Sícque Seneca lib. 6. de benefic. cpa. 16. Medico nihil amplius debeo: quia me non tanquam amicum vidit, ſed tãquam imperatorem. Alij illud Facere medicinam ad pharmacopolas referũt, quorũ proprium hoc ſit, quorum etiam tabernæ Romæ medicinæ (vt ex Plauto conſtat) appellabantur. Nec audiendus Alciatus lib. Pareg. c.14. qui Imperare hoc in loco pro parere ſumi vult, genere loquendi prorſus inuſitato.

IMPERATORIS nomen, ſtante Repub. iis ſolis tribui ſolebat, qui cum ſuis auſpiciis exercitum ducerent, aliquot hoſtium millia in acie ceciderant. tum enim repente acclamatione militum eo nomine decorabantur, laureámque tum in faſcibus, tum in literis, quas Romam mittebant, vſurpabant. Vt autem perpetuum Imperatoris nomen alicui tribueretur, primum Iulij Cæſaris exemplo factum, quem Suetonius ſcribit Imperatoris prænomen perpetuum, & cognomen patris patriæ à Senatu accepiſſe. Ex quo intelligi poteſt, veterũ conſuetudinem eo immutatam fuiſſe, quòd cum illi cognominis loco Imperat. titulum adſcriberent, veluti Cn. Pompeius Imp. C. Cæſar primo loco tanquam prænomẽ illud ſic vſurpauit, IMP. C. IVLIVS CÆSAR. Qua de re vide Hotom. initio Inſtit. & vide Alcia. in lib. de Magiſtrat. Romanis.

Imperatorem nõ pudet ſuam ipſius legem corrigere, nec expectare dũ ab aliis corrigatur. Noue. de iis qui nup. iter. §. vetuſtas planè. Conſt.22. & Nouella. vt frat. fil. ſuccedant. in prin. Conſti.127. Imperatoris non eſt liberorum conditionem in ſeruilem cõmutare ſtatum, ibid. §. illud etiam quod. Imperatorem, nemo tantæ eſt auctoritatis, vt nolentem poſſit ad conuocandos Patres, ceteróſque proceres coarctare. Nou. de app. §. ad hæc ſancimus. Conſti.23. moueri tamen poteſt. ibid.

Imperator patrum loco eſt iis, qui ſibiipſis opem ferre nequeunt, Nouel. vt qui ſe res minor. obl. §. fi. conſtit. 62. Imperatorem Deus propterea inſtituit, vt difficilibus ſe rebus interponeret, & poſſet omnia quæ nouiter contingunt & emendare & componere, tum leges ad naturæ varietatẽ adtẽperaret, modis ac regulis competentibus. 3. Conſtit. procem. D. §. ſed quæ diuinæ. & Nouell. 73 §. quoniam verò. Imperatorem litis cauſſa hæredem inſtitui, inuidioſum eſt. nec enim calumniæ facultatem ex principali maieſtate capi oportet. Imperatorem noſtrum cùm dicit Vlpianus, Antoninum Caracallam intellige, vt ex collatione. l. j. & vlt. D.de cenſib. liquet: ſic in l.4. D. de iu. fiſ. & aliis plurimis locis. Alias verò vbi Vlpianus ait, Imperator noſter cum patre ſuo, Seuerum & Caracallam ſemper accipe.

IMPERIA iuſta vetus lex ſtatuit, hoc eſt ſecundum naturalem rationem vera, & in omnibus Reip. partibus abſoluta, receptáque à ſapientiſſimis hominibus communi conſenſu: quibus proinde velut bonorum morũ ac inſtituendæ vitæ parentibus, ciues libẽter pareant, nõ tam metu pœnarum, quàm honeſtatis amore. Hæc omnia enim ſub appellatione huius verbi, Iuſta, comprehendit Lex. Interim reiiciens plenè tyrannidem, quæ neque diuturna eſt, neque felicem habet exitum. veteris illius legis verba hæc ſunt apud Ciceronem: IMPERIA IVSTA SVNTO. Hæc lex ad varios articulos porrigi poteſt.

Imperium populare eſt, cùm ſumma poteſtas penes po-

pulum ſeu plebem cenſetur, nihilque niſi eorum ſcitu & nomine fieri poteſt: qualis ſæpe fuit Romæ, abdicata prorſus omni patrum auctoritate. Et eo tempore facta fuerunt plebiſcita. Hæc ſpecies politiæ ferè ſemper degenerare ſolet, vt vulgus auctoritatem ſuā conferat ad augendam potentiam tenuiorum ciuium cōtra optimates, ſub prætextu defendendi: vnde tandem ſeditiones naſcuntur, & multa mala. Non ita pridem in ruſticis horribile vidimus exemplum. Ariſtoteles appellat talem ambitionem imperandi, & corruptum ſtatum, *Δημοκρατίαν*.

Imperij fines nullo modo commodius poſſunt propagari, quàm ſi defendantur ſubditi in libertate iuris ſui, ſi non grauentur contra moderatam politiæ ordinationem. Contrà quoque nulla eſt amittendi imperij perniciosior occaſio, quā premere ſubditos, eripere fortunas eorum commentitio pretextu, miſcere fas, & nefas. Exemplum nobis ob oculos poſuit Deus Romanam rempub. Illa enim principatum orbis liberalitate magis, quàm armorum vi partum, tantiſper obtinuit, donec à ſubditis amari, quàm metui maluit. Cùm autem libertatem eorum nouis expilationibus grauare cœpiſſet, conſiliis Senatus extra iuris formam ad priuatas ambitiones diſtractis, ſublata eſt maieſtas, decúſque eius imperij.

IMPERIVM eſt poteſtas à populo, ſtante Repub. pòſt vero ab Imperatore, nominatim alicui ſic data, vt ipſe pro ſuo iure, ſi commiſſum quid ſit, animaduertat. Itaque Imperium habere magiſtratus dicuntur, qui & coërcere aliquem poſſunt, & iubere in carcerem duci: quales ſunt Conſules, Præfecti, Prætores, Proconſules. l. 2. D. de in ius voc. minores enim magiſtratus dicuntur, qui nec imperium nec poteſtatem habent. l. nec magiſtratib. 32. D. de iniur. vide PRIVATVS.

IMPERIVM autem aut merum eſt, aut mixtum. Merum eſt imperium, habere gladij poteſtatem ad animaduertēdum in facinoroſos homines: quod etiam Poteſtas appellatur. Mixtum eſt imperium, cui etiam Iuriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit. Iuriſdictio eſt etiam iudicis dandi licentia. l. 3. D. de Iuriſd. quem locum ſic interpretatur Hotomanus: Imperium aliud merum dicitur, aliud mixtum. Merum Vlp. appellat, quod ad publica iudicia pertinet, ac proinde proprium eorum eſt, qui ea iudicia exercere poſſunt, ſiue in vrbe, ſiue in prouincia: vt Quæſitorū, in vrbe, & præfecti vrbi, ac Præfecti prætorio: in prouinciis Præſidum, Proconſulum, Proprætorum. Merū autem idcirco nominatur, quod à iuriſdictione ſecretum, purum, & vacuum ſit: non quòd nemo quimerum imperium habeat, iuris etiam dicendi poteſtatem habere poſſit. nam in prouinciis quicunque merum habet imperium, is etiam iuriſdictionem habet. In vrbe verò Quæſitores rerum capitalium merum habent duntaxat, omníſque iuriſdictionis expers. Sed cùm de imperio diſputatur, ſiue de vno aliquo magiſtratu agatur, ſiue de diuerſis, id quod ad capitalium rerum adminiſtrationem pertinet, ab ea quod rerum priuatarum proprium eſt, ſecernendum eſt. Mixtum autem dicitur, quod ad vtraſque res & capitales ſcilicet, & priuatas pertinet. hinc Vlpia. Mixtum eſt, inquit, cui etiam iuriſdictio ineſt: quæ, vt in l. j. dixerat, ad bonorum poſſeſſiones dandas, tutores pupillis, iudices litigatoribus conſtituendos pertinet. Quapropter intelligitur vſque adeò aliud eſſe Imperium, aliud Iuriſdictionem, vt neque quicunque imperium habet, iuriſdictionem habeat, neque rurſus quicunque iuriſdictionem habet, imperium habeat: nam Quæſitores qui merum in vrbe imperium habent, id eſt rerum capitalium quæſtiones exercent, ius de priuatis rebus nō dicunt. Quæſtores autem, Magiſtratuum in prouinciis comites (de quorum officio Vlpianus in l. imperium diſputat, vt ex inſcriptione licet intelligere) item legati Proconſulum, iuriſdictionem rerum priuatarum habent, imperium autem propriè non habent: cùm enim quid imperant, veluti cùm poſſideri iubent, aut pignora capi, alieni potius, quàm ſui imperij vi ac poteſtate hoc faciunt: nimirum eius cui ſummum imperium in prouincia tributum eſt. Atque hæc quidem ita ſe habent. Verùm illud ſimul intelligendum eſt, Iuriſdictionis verbum ab Vlpiano in d. l. imperium, ſtrictè & anguſte vſurpari, pro ea quę ad priuatas res dūtaxat pertinet: cùm ſatis conſtet, etiam ad rerum capitalium iudicia, & omnia denique Magiſtratuum acta ac decreta pertinere. quòd ex vno Aſconij loco licebit intelligi. nam vbi de Scauri iudicio repetundarum loquitur, ita ſcribit: Cato Prætor iudicium, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuit, campeſtri ſub toga cinctus, in forum quoque ſic deſcenderat, iúſque dicebat. Item Colum. lib. 12. Quod nunc ſcilicet faciunt magiſtratus, aſſidua iuriſdictione vim legum cuſtodientes.

IMPERIA toralia. l. 3. D. de ſupelect. leg. Vide Toralia imperia.

IMPERFECTVM pro nullo, inualido, & inutili. l. 9. l. 35. §. j. D. de contrah. emp. & alibi ſæpiſſimé. Planè, Imperfecta res dicitur, ſi ſtipulationem numeratio ſecuta non ſit. l. 9. §. ſed quod prætor. D. quod met. cauſ.

IMPERITOS appellat M. Cicero eos, quos vulgus ſimplices, noſtri doli expertes. l. ſi quis id quod. D. de iuriſ.

IMPERITIA, ruſticitas, caſus inopinatus, ferè ſolent æquiparari, Vlp. in l. ſi quis id. §. doli mali. D. de iuriſd.

IMPERTINENTES poſitiones (aliàs. Articuli, aliàs Aſſertiones, alàs Capitula, aliàs denique Poſitionales articuli. ſic enim id genus ſcriptum dicitur) c. vlt. in princ. c. præſentium. §. teſtes. de teſtibus libr. 6. c. cauſſam. q. 2. & c. ex parte. de teſtibus: dicuntur, quorū probatio nihil adiutura ſit intentionem actoris. Dominicus in d. c. vlt.. Impertinentes articulos definit eos eſſe qui ad cauſſam prorſus nihil faciunt: aut ſi prima fronte vtcunque aliquid facere videantur, ad ius tamen relati, nullum habent probationis effectum. l. ampliorē. C. de appel.

IMPETIGINES, puſtulæ pruritu corpus infeſtantes. quarum genera quatuor recenſet Celſus lib. 5. Hinc:

IMPEGINOSVS impetigine adfectus. l. 6. §. j. D. de ædil. edict. Trebatius ait, impetiginoſum morbū non eſſe, ſi eo mēbro vbi impetigo eſſet, æquè rectè vtatur.

IMPILIA veſtis loco eſſe, ſcribit Vlpian. l. argumento. D. de aur. & ar. leg. In Baſilicis, vt refert Cuiacius Obſer. lib. 10. c. 13. Impilia *προσκεφαλαῖα*, id eſt puluini. ſunt, adeóque etiam Impelia legi poſſe cenſet. Non tantùm igitur Impilia *πόδια* ſunt, id eſt ſocculi pedibus calceādis, inuoluendíſque apti, ſic dicti quia ſine pilis ex lana coacta fierēt: ſed & *προσκεφαλαῖα*. Plinius lib. 19. c. 2. ſcribit eſſe laneam naturā, ex qua impilia, veſtéſque quædam conficiuntur. ſed perperam in impreſſis mapalia. Impilia enim vocat quæ Theophraſtus. 8. *περὶ φυτῶν*, vnde illa ſumpſit, *πόδια*, vel *ποδεῖα* potius. Heſychius, *πονκτὰ* eſſe refert *τοὺς πίλους καὶ τὰ ἐμπίλια*. Vide PODIA.

IMPLERE intentionem, petitionem, exceptionem Iuriſconſ. eſt probare quòd intendimus, petimus, excipimus. l. 21. C. de rei. vind. l. pen. §. pen. §. j. D. de excep. rei iud. l. 19. in princ. D. de exceptio. & Implere probationes. d. l. 19. Quinetiam præciſè plerunque, & imminutè Implere dicitur, pro quòd poſitū eſt probare. l. j. & 23. C. de probat. l. 5. C. de non nu. pecu. Sic Implere cautionem. l. 24. D. de vſufr. leg. Impleri quoque vſucapio dicitur, quæ perficitur. l. 12. §. factæ. D. de captiuis. l. 7. D. de vſucap.

IMPLICITVM libertatis caſum. l. fin. D. ſi ex nox. cauſ. aga. adnexum interpretatur illic Accurſ. vide ibi reli-

quos

quos interpretes.

IMPLORARI iudicium,& cognitio dicitur, id eſt,deſiderari.l.7.verſ.planè.D. de hæred.pet. Implorari edictũ,id eſt beneficiũ edicti,l.j.§.fi.D.vt in poſſ.lega.

IMPORTARE, irrogare, infligere.l.ictus fuſtium.D.de iis qui not.infa.Ictus fuſtium infamiam non importat.

IMPORTATA, inuecta,illata.l.j.D.de migrando.

IMPOSSIBILIS verbũ Labeo & Iulianus vitaſſe videntur,cum Græcum vſurparunt.hic quidem in l.104.§.j. D.de leg.& fideic.lib.30. ἀδύνατος conditio pro non ſcripta habetur.ille in l.20.D.de cond.Inſtit.ἀδύνατος conditio,inquit,pro non ſcripta accipienda eſt.

IMPOSSIBILIS conditio,inquit Imp.§.14.de inut.ſtip. eſt cui natura impedimento eſt,quominus exiſtat.Itaque Paul.lib.3.Senten.tit.3.§.ſi impoſſibilis. Inſtit.de milit.ſtip. Interdum Græco verbo ἀδύνατος dicitur, vt l.20.D.de cond. inſtit. cui contraria Poſſibilis.l.16. D.de iniuſt.rup.pro Impoſſibilibus habentur, quæ factu difficilia ſunt.Cicero in Partition.& probatur.l.4. §.puto.D.vt hæred.inſtit.

Impoſſibile præceptum, cui natura parere non ſinit.l.fi. D.quæ ſent.ſine appel.

IMPOSSIBILITAS duplex eſt.altera naturæ,altera verò legis.l.ſi ſtipuler,vt id fiat.D.de verb.obli.

IMPOSTORES,in Antiquo Lexico ἐπιθέται: itáque pro deceptoribus.l.ob quæ.D.de ædil.edict.

IMPOSTVRA fallacia eſt,ab eo dicta,quòd adulterinas merces pro veris ſupponat.Vlp.l.3.§.item ſi quis.D.de crim.ſtell.Si quis impoſturam fecerit,aut colluſionem in necem alterius,ſtellionatus poteſt appellari.

IMPOTENS plerunque in malam partẽ ſumitur,vt non ſit idem quod debilis,& imbecillis,ſed nõ potens ſui, nec ſuæ poteſtatis,impos ſui apud priſcos dictus. Sic Impotens poſtulatum, pro improbo, & violento. Et Impotentiſſimus apud Cicer.Philip.5. Aduolabat ad vrbem à Brundiſio homo impotentiſſimus, ardens odio,animo hoſtili in omnes bonos Antonius.

Impotens,in §.per occaſionem.nouel.conſtit.22.pro eo, qui ad res Venereas aptus non eſt.

IMPRÆSENTIARVM,Aduerbium, ἐν τῷ παρόντι, de tempore quod fuit,quod eſt,quod erit dicitur. Rarius tamen de præſenti.Vlp.l.j.de tabul.exhib. Siquis fortè confiteatur penes ſe eſſe teſtamentum, iubendus eſt exhibere:& tempus ei dandum eſt vt exhibeat, ſi non poteſt impræſentiarum exhibere.

IMPRESSIONEM facere,id eſt,impetum, & incurſionem.l.ſi per impreſſionem.C.de iis quæ vi,vel metu.

IMPROBVS,qui bonam fidem non agnoſcit, vt is qui bis idem petit.l.51.D.de re iud.

Improbalis.l.10.D.de iudic.& Improbus litigator.§.hæc autem.Inſtit.de pœn.temere.litig.

Improbus eſt & qui de viui hæreditate ſolicitus eſt.l.2.§. interdum.D.de vulg.At Improbus non eſt, qui ignorat,quantum ſoluere debeat.l.100.D.de diuerſ.reg.iur.

IMPROBE, contra bonam fidem.l.12. de tranſact. D.& alibi ſæpè. Improbe,mala mente.l.6.§.ſed ſi quis.D. de neg.geſt.

IMPROLES,veteribus gloſſis, ἀφῆλιξ, μήπω πολίτης νόμιμος. Id eſt,vt ait Theoph. ὁ τὴν ἥβην μὲν ὑπερβὰς, ἥττων δὲ τῶν εἰκοσιπέντε ἐνιαυτῶν, ᾧ προΐςανται οἱ κουράτωρες.

Imprudens etiam emit,qui bona fide emit.l.24.D.de act. Imprudens,ignorans.l.pen.D.ad Velleian.Imprudentibus,id eſt,nihil opinantibus & præter ſpem. l.52.§.damna.D.pro ſocio.

IMPRVDENTIA,id eſt,ignorãtia, & impertinentia.l. 51.D.de euict.

IMPRVDENTER, minus conſideratè.l.21.in fin.D.de neg.geſt.

IMPVBES dicitur mas minor annis XIIII.fœmina verò minor XII.l.vlt.C. quand.tut. eſſe deſin.§.j. Quib. mod.tut.fi.Macrob.lib.Satur.j.c.VI.Poſt annos bis ſeptem,ipſa ætas neceſſitate pubeſcit.tunc enim moueri incipit vis generationis in maſculis, & purgatio fœminarum. Tertul.lib. De virgin. veland. Tempus etiam Ethnici obſeruant, vt ex lege naturæ iura ſua ætatibus reddant.nam fœminas quidem à XII.annis: maſculum verò à duobus amplius ad negocia mittunt: pubertatem in annis,non ſponſalibus aut nuptiis decernentes.Maſculus impubes S.C.Sillaniano torqueri non debet,ſed terreri tantùm. Veruntamen impuberes ab anno ſeptimo, vſque ad annum vndecimum, proximi cenſentur infantiæ,ſimiles planè furioſo, & infanti,quantum ad delinquẽdi affectum attinet.Quia huius ætatis pueri,bonum & malum non adhuc poſſunt diſcernere, adeóque intellectu carent. §.pupil. Inſt.de inutil.ſtip.Ab anno vndecimo vſque ad annũ 14. impuberes cenſentur proximi pubertati, & doli capaces:ideóque & furtum & iniuriam admittere poſſunt.l.pupillum.in princ.D.de reg.iur.l.impuberẽ.D. de furt.cum ſimil. Et hæc ita ſe habent in maſculis. Nam fœminæ minores duodecim annis cenſentur impuberes,vt iam diximus, nec matrimonium rectè contrahere poſſunt,Inſtit.de nuptiis, in princ.neoteſtamentum rectè facere.§.præterea. Inſtitutio. quibus non eſt permiſſ.fac.teſtam.attamen impuberis eſt miniſterium,ſi fortè vel librarius, vel nomenclator, vel calculator ſit, vel hiſtrio, vel alterius voluptatis artifex.l.vt iuriſiurandi.§.dabitur.D.de oper.libert.

IMPVTANDI verbum duobus modis accipitur in tit. ad leg.Falc.Imputari enim primum eſt, in quadrantis computationem venire:& ita in Falcidiam imputari id dicimus quod hæredi ad quartam explendam computatur.l.19.& l.91.& aliis leg.D.ad leg.Falc. Imputatur interdum in Falcidiam, quod Falcidiam patitur.l.j.§.item ſi ita legatum.D.eod. Imputare,pro ſupputare,numerare & ſubducere rationem. Vlpianus in l.j.§.de ſeruis quoque. D. de tut.& rat.diſtrahendi.& vtil.cur.cauſ.act.Præterea, ſi matrem aluit pupilli tutor,putat Labeo imputare eum poſſe: ſed eſt verius, non,niſi perquam egenti dedit, imputare eum oportere de largis facultatibus pupilli.Hoc eſt, quòd vulgò dicitur,deducere in ſuis rationibus.Sicque vſurpàuit Seneca epiſt.8.Hoc non imputo in ſolutum de tuo tibi. Alias Imputare,attribuere eſt,tribuere & aſſignare.Vlp.l.j.§.item quæritur. de ſeparat.Sibi imputent cur minus idoneum fideiuſſorem acceperint.

IN

IN dictione vti ſolent Iuriſconſulti,cum nihil in ſpeciem determinant,vt,iurare in litem:agere in factum: vertere in rem.Sicut ex diuerſo,cum determinatam ſignificare volunt formam, vti ſolent dictione EX, vt: Ex eo facto actionem naſci.l.j.D.de actio.& obligat. Ex lite aliquid probare, vel iuramento adſerere. Hæc omnia euidenter adparent,ſi bene perpendas,ex l.videamus.in fin.& l. ſeq. item ex l.tutorem.D. de in lit. iurand.

IN annos ſingulos quid ſit,explanat Iuſtinianus. l.ambiguitatem.C.de vſufr.Iuriſconſ.l.Iulianus. §. cum quoque.D.ex quibus cauſ.maio.Differt autem, in decem annos liber eſſe iubeatur, & intra annos decem: hoc enim ſignificatur, vt liber eſſe ſtatim iubeatur: ſuperiore verò,nouiſſimus decennij dies ſpectatur.

IN ANTEA, pro deinceps,poſthac, in poſterum: quaſi futurum tempus non à tergo ſequatur, ſed ante nos cedat,lib.Feud.2.tit.5.Iuro quòd à modo in antea ero fidelis ei.Et tit.7.Honorem quem nunc habes, vel in antea habebis:id eſt deinceps.

IN acceptum ferre opus publicum faciendum.l.7.D.ad

legem Iul.repetun.eſt perſcribere in codice operum locatorum opus illud eſſe ex lege, id eſt, pactione redemptionis locationiſque perfectum.Id quod lex Iulia fieri prius vetabat,quàm opus perfectũ ac probatum eſſet.

In aſſem vendere,idem quod in ſolidum vendere.Modeſt.l.9.D.quib.mod.pig. Titius Sempronio fundum pignori dedit, & eundem fundum poſtea.C. Seio pignori dedit.atque ita idem Titius Sempronio & Seio fundum eundem in aſſem vendidit, quibus pignori antè dederat in ſolidum ſingulis. Sic rem ſoli ex aſſe poſſidere,cui opponitur Pro parte,apud Macrum in l. pen.D.qui ſatiſd.cog.Et in aſſem creditoribus ſatisfacere,cui opponitur In aliquid.l.j.D.de ſeparat.

In bello admiſſum dicimus,quod propter belli cauſſam admittitur.l.j.§.ex incendio.D.de incen.rui.naufra.

In bonis eſſe dicebantur ea propriè, quæ Quiritium iure aliquo quæſita non erant.Itaque inter ſe illa duo opponebantur,vti docet Iuſtin.in l.vni. C.de nudo iur. Quir.toll.& Vlpianus.c.Inſt.j.his verbis:In bonis tantùm alicuius ſeruus eſt, velut hoc modo, Si ciuis Romanus à ciue R.ſeruum emerit, iſque traditus ei ſit, neque tamen mancipatus ei,neque in iure ceſſus, neque ab ipſo anno poſſeſſus ſit.nam quandiu horum quid fiat,is ſeruus in bonis quidem emptoris eſt, ex iure Quiritium autem venditoris eſt.

In bonis eſt,quod ſupereſt deducto ære alieno. l. j. D. de ceſſ.bon.

In bonis meis eſſe dicuntur.etiam iam raptæ res,text.in l. 2.§.2.l. in hac actione. verſ.ſi fugitiuus. D.vi bonor. rapt.& ex hac l. colligitur diſcrimen inter Ex bonis, &,In bonis.de quo vide Ex bonis.

In capillo puella dicitur, quæ nupta non eſt:quia comatæ ſine vllo capitis tegmine incedebant: nuptæ capite velato erant.lib. Feud.2.tit.24. §.3. Rurſus ſi dominæ vel filiæ,aut ſorori in domo adhuc manẽti, quæ in capillo dicitur,ſeſe immiſcuerit, &c. In Lombard. lib.2.c.29.Qui filiam in caſa habuerit in capillo, & filium non reliquerit,&c.Et Neap.conſtit.lib.3.tit.27.Et ſorores in capillo ſuccedunt. Coniugatæ autem & dotatæ à fratrum ſucceſſionibus excluduntur. Obiter etiam notandum,apud antiquos fuiſſe hanc conſuetudinem,vt nouæ nuptæ crines ſoluerent: quod in ſecundis nuptiis non fiebat.Optatus Afer contra Donatiſtas ſcribens:Inueniſtis(ait)huiuſmodi virgines,quæ iam ſpiritualiter nupſerant:quaſi ſecundò coegiſtis ad nuptias: vt crines iterum ſoluerent imperaſtis. Hoc nec mulieres patiuntur,quæ carnaliter nubunt:ex quibus ſi alicui maritum mutare contigerit, non repetitur illa temporalis feſtiuitas.Hæc ille.Fuit hoc quoque luctus & mœroris argumentum, vt multis ex locis conſtat.Ouid. Triſt.j.

Illa etiam ante lares ſparſis proſtrata capillis
Contigit extructos ore tremente focos.

Liuius lib.j.Soluit crines,& flebiliter nomine ſpõſum mortuum appellat.Notatu etiam dignum eſt,moris fuiſſe Francorum regibus,vt filios exephebos Principi alicui vicino tondendos mitterent, qui eorum poſtea quaſi patronus eſſet.Seruos enim Romano more cum libertatem acciperent,tonderi ſolitos,nemini nõ notum.Paul. Diaconus de geſtis Langob.libr.6.c.37. Circa hæc tempora,Carolus Francorum Princeps,filium ſuum ad Luitprandum miſit,vt eius (iuxta morẽ) capillum ſuſciperet:qui eius cæſariem incidens, ei pater effectus eſt:multiſque regiis muneribus donatum genitori remiſit.

In Capitolium aſcendere,formula eſt conditionis apud Iuriſconſultos peruulgata,quæ vel ex triumphantium more traducta eſt: quaſi quis dicat, Si triumphans in Capitolium aſcenderit.Vel etiam ex quotidiana Capitolij aſcenſione.

In Capita, aut In ſtirpes diuiſionem fieri plerunque in iure legimus.vt in l.2.& l.3.C.de ſuis & legit.l. Papinia.8.D.de inoffi.teſt.& §.6.Inſt.de hær.quæ ab inteſt. In capita autẽ diuidi dicitur hæreditas, quæ tot in partes quot ſuccedentium capita ſunt(id eſt, perſonæ)diuiditur:vt ſingulis perſonis ſingulæ partes attribuantur.In ſtirpes verò,cùm tot in partes diuiditur, quot ſuorum naturalium, ex quibus ſuccedanei extant, capita fuere.Id eſt in cognationis latera & partes.

In caput alterius torqueri, eſt in alterius diſcrimen, vel alterius periculo torqueri.Vlp. in l.j. D. de quæſtionibus.Neque ſerui in dominorum, neque liberti in patronorum caput torqueri debent. quod idem ſcribit in l.2.l.3.& l.10.§.poteſt.Cicero autem planè In dominum dixit & in Miloniana, & Cœliana, & in Partit. De noſtrorum,inquit,maiorum inſtitutis: qui cùm de ſeruis in dominos quæri noluiſſent,&c.

In continenti,locutio aſt Iuriſconſultis familiaris, idem ſignificans,quod ſine vlla temporis intermiſſione, è veſtigio, extemplò,cõtinuò.Vlp.l.23.§.2.Quod ait lex, In continenti filiam occidat,ſic erit accipiendum,&c. Scæuola l.135.§.2.D. de verb.oblig. Deinde in continenti inter vtrumque conuenit, vt intra Calend. &c. Aliquando tamen in continenti,cum aliquo moderato ſpatio interpretamur.l.j.§.in rem ſi ita legatum.D. ad leg.Aquil.At in leg.Iulia de adulteriis, In cõtinenti filiam dicitur occidiſſe pater,dum eam ἐν τῷ ἔργῳ deprehenſam,vna cum adultero,vno ictu atque impetu occidit:& ſi profugerit filia, dum adulterum occidit, interpoſitis tum horis apprehenſam, in continẽti occidiſſe etiam dicetur.l.23.§.fin.D. eod. Incontinenti quod ad pacta quæ inſunt, exponunt Iureconſulti & Impp.In ingreſſu contractus,vel ante cõtractum, aut ſtatim poſt.l.7.§.quin imo.D.de pact.l.3.C.de ædil.act. l.21.C.de vſur.l.27.C.de pact.Cui opponitur Poſtea,& ex interuallo.l.72.D.de contrahen.empt.

In diem, pro ex die.l.9.D.de hæred.inſt.ſic.l.teſtamẽto manumiſſus.§.vlt.D.de man.teſt.Alias pro Ad diem.

In dibus illud facito,ita conditione data,ſi nihil præterea ſit adiectum,in biduo conditionẽ impleri oportet.l.217.D.de verb.ſign.

In duplum ire,Cicero in ea pro Flacco dixit,vt opinatur Hotom.pro ſponſionem facere alterius tanti, quanti lis eſſet.Frater meus,inquit,decreuit, vt, ſi iudicatum negaret,in duplum iret.

In ea cauſſa eſt,hoc eſt, ſi cum eo habet.l.3. D.de iniur.In ea cauſſa eſt,id eſt, in ea ratione iuris verſatur. l. j.§.ſi quis ita.D.de verb.obl.In ea cauſſa eſt, hoc eſt, in ea conditione negotiorum verſatur.l. de ætate.§.qui tacuit.D.de interrogat.

In facili,& In difficili eſſe,pro facile vel difficile cognitu atque explicatu.Tryphon. l. in confirmando.8.D.de cõſ.tut.Quod in facili eſt ſi pater proximo mortis tẽpore non iure tutores ſcripſerit. Scæuola.l.Gallus.29. §.vlt.D.de lib.& poſth.Ille caſus in difficili eſt, ſi filiũ habeas & nepotem,&c.

In familiam nubere dicebatur mulier,vt ſcribit Hot.cùm id matrimonij genus contrahebat,quo materfamilias fiebat:hoc eſt, quo in viri manum conueniebat.l.cui fuerit.15.D.de cond.& demonſt.& l.ſi dies.21. D.quando dies legat.l.qui filiũ.4.D.vbi pupil.educ.deb.l.vxorem.41.§.teſtamento.D.de legat.tert.Cicero in ea pro Cœlio: Cui cùm ex ampliſſimo genere in familiam clariſſimam nupſiſſes,cur tibi Cœlius tam coniunctus fuit?

In familia retentus, qui in poteſtate manſit.l. ventre.D. de acquir.vel omit.hæred.

In factum agere ferè dicimus eum,qui in totã facti ſeriẽ experitur, nulla ſpecialiter introducta ex facto perſequendi formula.Hinc Actiones In factũ dicuntur generales perſequẽdi formulæ,quaſi conceptæ in totam ſeriẽ facti,quod ſpecialem nõ habet nuncupationem.

In facto poſitam eſſe quæſtionem iuris,id eſt, ius definiendum eſſe ſecundum circunſtantias facti,l.ex plagis.§.in cliuo.D.ad legem Aquiliam.

In fide alicuius eſſe idem eſt,quod feudum tenere ab aliquo. Fides enim auxilium,& tuitionem ſignificat, Budæo in l.Herennius.de euict.

In folle offerri pecunia dicitur,quæ ſine numeratione & vlla ratiocinatione tanquam in marſupio incluſa offertur.Calliſtratus l.82.D.de condit.& demonſtr. Qui ſi reliqua reddiderit,liber eſſe iuſſus eſt, non vtique ſi in folle reliqua obtulerit, liber erit.non enim teſtator hoc ſenſit: ſed illud,vt rationes reddat, quomodo ſeruus reddere ſolet. Eraſmus in Adag.cent.9.Chil. 4. In folle, exponit, imploratè, inexplicatè, & confuſè: ſicut qui ſyngraphas, & pecunias ſacculo incluſas offert.

In fraudem legis facit,qui ſaluis verbis legis,ſententiam eius circumuenit, l.28.D.de leg.ſenat.

In gradu eſſe, vox eſt ad dignitatem pertinens, l.ſacro ſancta.C.de Epiſc.& cler.

In hypothecis vendicare,eſt per hypothecariã actionem petere,l.fideiuſſor.§.Lucius Titius. D.de rebus dub.

In Iulij . pro In ædib.Iulij: figura è Græci ſermonis conſuetudine deriuata. Vlp.l.8.in fin.D.ſi ſeruit.vind.cum Quintilla cuniculum per gentem in Vrſi Iulij inſtruxiſſet,id eſt,in hortos Iulij: vt aliis in libris legitur.

In libertate fuiſſe,ſic eſt accipiendum,vt non ſe liberum doceat is,qui liberale iudiciũ patitur, ſed in poſſeſſione libertatis ſine dolo malo fuiſſe,l.quod autem. D.de liberali cauſſa.Porrò in Libertate eſſe, & liberum eſſe diuerſa ſunt:item vt,In ſeruitute, & ſeruum eſſe. In libertate enim ſunt, aut ſeruitute qui ſe liberos ſeruóſve eſſe putãt,ſeq; pro liberis ſeruiſve gerũt, cũ tamen aliter ſe res habeat,l.7.10.11.12.D.de li.cauſ.quod explicat Quintil.Declã.340.& 342.Sicut diuerſa ſunt in poſſeſſione eſſe, & poſſidere. In poſſeſſione enim ſunt vſusfructuarius,colonus: & tamen non poſſident.

In litem iurare,ad litigatores refertur,& reſpondet æſtimationi litis. Nam iurat actor in litem , quando per iuramentum declarat & adſerit, quanta pecunia non tantùm ſumptus litis, ſed etiam totam cauſſam æſtimet, cum omnibus damnis, l.videamus.§.iurare autem.& l.ſequen.D.de in lit.iurand.

In locum ſucceſſiſſe accipimus , ſiue per vniuerſitatem, ſiue in rem ſit ſucceſſum,l.j.D.quod bonorum.

In metallum,& in miniſteriũ metallorum damnati,ſerui efficiuntur,ſcilicet pœnæ,l.in metallum. D.de pœnis.

In obligatione eſſe aliquid dicitur,cùm vinculo obligationis innectitur.In ſolutione eſſe dicitur,quod poteſt pro re obligata ſolui,licet iudicialiter non poſſit peti.

In poteſtate habere, & Alienare , tanquàm aduerſa opponuntur.Liuius lib.VIII. Minutia Veſtalis cùm decreto Pontificũ iuſſa eſſet ſacris abſtinere,familiámq; in poteſtate habere:facto indicio viua defoſſa eſt.

In poteſtate,manu, mancipióve. Vlpi.c.Inſtit.XXVI. Ei qui in poteſtate,manu, mancipióve eſt ſcripti hæredis,ſub conditione legari poteſt.Item: Ei cuius in poteſtate,manu,mancipióve eſt hæres ſcriptus,legari nõ poteſt.Poteſtatem de filiofa.manum de matrefa.quæ in manum conuenit:mancipium de ſeruo intelligit.

In poteſtate conſiſtere exiſtimatur,quod in actu non eſt, ſed eſſe poteſt,l.aduerſus ſententiam.D.de arb.

In procinctu, vide PROCINCTVM.

In publicum deduci intelliguntur, & qui magiſtratibus municipalibus traditi ſunt, vel publicis miniſteriis, l. j.D.de fugitiuis.

In re diſceptare,pro iuſtè iudicare,c.fraus.§.iudex. extra. de verb.ſignific.

In re præſenti,in ipſo opere,hoc eſt,in re ipſa,l.de pupillo.D.de nou.ope.nunc.Alias pro In præſentia vſurpatur ab Vlp.l.j. D.de ſolut. Sed conſtituere in re præſenti,hoc eſt ſtatim atque ſolutum eſt.

In REM & in perſonam, locutiones ſunt Iuriſconſultis familiares, quarum illa tum vtuntur , cum indefinitè ac ſine perſonæ vllius notatione aliquid factũ eſſe ſignificant: hac verò,cum certa perſona definita: veluti in l.5.§.2.D.de conſtitut.pec.Quod exigimus , vt ſit debitum quod conſtituitur,in rem exactum eſt: non vtique vt is cui conſtituitur,creditor ſit. Item cum Vlpianus ait, actionem metus cauſſa in rem eſſe ſcriptam, nec perſonam vim facientis coërcere, ſed aduerſus omnes reſtitui,l.9.in fi.D.quod met.cauſ.& alibi; hoc eſt in l.7.§.3.D.de pact.Pactorum quædam in rem eſſe, quædam in perſonam:illa , quoties quis generaliter paciſcitur ne petat hæc,quoties ne à perſona petat. Itẽ in l.10.D.de operis nou.nunc. Operis noui nunciationem in rem fieri, non in perſonam. Cicero lib.de Inuentione 2.Sin autem non in hominem certum,ſed in rem aliquam cauſſa dimouebitur,vt in eadem re, &c. Item apud Vlp.in l.4.§.29.D.de dol.excep.l.j.§.vlt.D. de interdic.Seneca in Ludo: Ne videar in perſonam, non in rem dicere ſententiam.

In rem verſum,vide VERSVM in rem.

In ſolutum dare , pro ſoluere , apud Paulum in l.60.D. de ſolut.

In ſortito eſſe,id eſt,in incerto, & ambiguo , vt inueniri non poſſit. Iure noſtro rarum eſt,vt iudicium per ſortes admittatur,niſi cùm res adeò perplexa, incertáque eſt,vt alium exitum non habeat, l.ſi duobus. C.communia de legat.vide Alciat.lib.5. Parerg.c.22.

In vtero qui eſt,non eſt pupillus,l.non eſt.D.de verb.ſig. tametſi animal eſſe videatur, l.j.§.proximus. D.vnde cognati.l.negat.de mort.inf. Attamẽ qui in vtero eſt, perinde ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur , quoties de commodis ipſius partus quæritur , l.qui in vtero.D.de ſtatu hominum.

In ſtirpes,vide In capita.

In TVTELAM ſuam venire mas dicitur, qui ephebus, id eſt pubes eſſe incipit, anno ſcilicet ætatis decimoquarto:fœmina verò viri potens appellatur. hoc enim in fœmina,illud in mare ponitur ab Vlpiano in l.5.§.2. D.quib.ex cau.in poſſ.Ait prætor , Si is pupillus in ſuã tutelam venerit,eáve pupilla viripotens fuerit, & rectè defendetur,&c.Idem l.50.D.de leg.& fid.li.32. Cc. filiofam.ita legatur,CVM IS IN tutelam ſuam peruenerit,pubertatis tempus ſignificatur.Cic.li.de Orat. 1.Negarétque niſi poſthumus & natus,& antequam in ſuam tutelam veniſſet, mortuus eſſet, hæredem eum eſſe poſſe.Idem in Bruto : Cum is hoc probare vellet M.Curium , cum ita hæres inſtitutus eſſet , ſi pupillus antè mortuus eſſet, quàm in ſuam tutelam veniſſet pupillo non nato hæredem eſſe non poſſe.

In ÆDIFICATA, l.cum fundus.D.de inſtr.vel inſtr.leg. vide Ruta Cæſa.

Inane vacuum propriè ſignificat, μεταφορικῶς ſine vi,ſine effectu,l.19.D.de cont.tab.Inanis actio, quã inopia debitoris excludit, l.6.D.de dolo. vel quæ exceptione eluditur,l.24.D.de libe.cauſ.l.22.D.mand. Inanis reus, qui ſoluendo non eſt, Paul.lib.2.Sent.tit.15. Inanis ſtipulatio, inefficax,l.pen.D.de cond.ob turp.cauſ. Inanis ſtipulatio,nullius momenti,l.39. D.de donat.inter vir.& vxor. Eodem ſenſu Inanis obligatio,l.8.§.Marcellus.D.ad S.C.Vell.

Inanes tabulæ quarum iam pecunia in illis perſcripta diſſoluta eſt. Vlpia.l.27.D.de furt. Quòd ſi iam erant

inanes,quia ſolutum proponebatur: nunquid ipſarum tantùm tabularum pretij videatur eſſe æſtimatio facienda? Sic in l.vlti.D.ad exhib.

Inane nomẽ hæredis,nudũ & ſine re,l.3.C.de inoffi.dona.

INAVDITVS, ἄκριτος, non auditus,qui cauſſam nõ dixit:cuius audita non eſt defenſio. Vlp.l.2.D.ad l.Corn. de ſicar. Inauditum filium pater occidere non poteſt. Sueton.in Galba: Quoſdam claros ex vtroque ordine viros ſuſpicione criminis inauditos condemnauit.

INAVGERI cauſſam, in l.diui.ad finem. D.de lib.cauſſ. qui accipiendum ſit nullus interpretum (quod ſciam) explicauit. Accurſius id intactum reliquit. qui hoc non intellexerunt, lectionem immutarunt, & agi cauſſam, repoſuerunt. Ia.Cuiacius lib.Obſeruat.6.c.27. inaudiri cenſet legendum. Florentina lectio, quæ temere immutanda non eſt, mihi non inepta videtur: vt ſit ſenſus, Differendam eſſe cauſſam, & ſententiam ob abſentiam eius, qui de libertate ſua litigabat: & vox, Enim, aduerſatiuæ nota erit, vt & alibi paſſim.

INAVRES,l.25.§.4.& Paulus l.32.§.vlti.D.de arg.leg. ab aurium foraminibus ſic nuncupatæ ex quibus lapilli pretioſi pendebant. Iſidor.lib.19. Etym.cap.30. de quibus vide Tertullianum lib.de habit.mul.& in lib.de pallio.& Plinium lib.9. Antiquum Lexicon, Inaures, ἐνώτια,& hæc Pollux in mundo muliebri recenſet.

INCAPAX ab indigno ita à quibuſdam diſtinguitur, vt Incapax is ſit,cui capiendi ius non ſit, ideóque ei relicta ab initio inutilia ſint,& apud hæredem remaneant ſine onere, veluti ſpurius. Indignus autem, cui quæ relinquuntur, ipſo iure valent, ſed ad fiſcum plerunque transferuntur, vel ad hæredem, vel ad aliam perſonã cum onere, tot.tit.D.de his qui vt indign. Vide Bartol. ad l.fin.D.eod.

INCANTATIONES an ſint prohibitæ & punibiles, Bart.in l.j.C.de mal.& mathæ.

INCAVSTO, hoc eſt, atramento, falſum deprætenditur, Auth.de fid.inſtru.§.j.

INCENDIARIVS, l.10. D.ad leg.Cornel. de ſica. Gallis, *Boute feu* qui ignem immittit incendij cauſſa.

INCERTA in iure appellantur, in quibus non apparet quid quale, quantum, l.vbi autẽ.75. D.de verb.obli. Itẽ, Incerta dicuntur, quæ non in ſpecie, ſed in genere profetuntur: veluti, Fundus, Homo, Triticum, l.hæredes.25. §.ſi incerto.D.famil.erciſ.l.cùm incertus.13.D.de leg.j. l.in ratione.30.§.incertæ.D.ad leg.Falcidiam.

Incerta actio, ſiue (quod vſitatius eſt) Incerti actio dicitur, per quam nulla certa ſumma petitur. veluti ex ſtipulatione incerta: Quod mihi ex ſtipulatu dari fieri oportet, l.4.D.de vſur.l.3. C.de inutil.ſtip.l.diem proferre.27.in fi.D.de arb. Ex omnibus bonæ fidei actionibus, Quod te mihi ex bona fide dare facere oportet. Sic l.j.D.de vſufr.leg.l.3. D.de condict.fin.cauſ.l.2. §.aliud.D.de donat.l.vlt. D.ſi quis in ius voc.

Incerti actio dicitur, quæ & Præſcriptis verbis actio, l.6. & l.16.D.de præſcr.ver.l.6.C.de re perm.l.7.D.pact.

Incertus contractus, qui certũ ac propriũ nomen non habet, l.9.D.ſi cert.pet.l.j.§.debitum.D.de conſti.pecun.

Incerta perſona videtur, quam incerta opinione animo ſuo teſtator ſubiicit. veluti ſi quis ita dicit, Quicunque filio meo filiam ſuam in matrimonium dederit, ei hæres meus illum fundum dato, ait Imp.§.27.De legat.

Incerta pars, quæ quota ſit, non apparet, veluti quicquid mei iuris in eo fundo eſt, l.3.§.incertum. D.de acquir.poſſ. Incertus poſſeſſor, quem ignoramus, l.39.§.fi.D.de verb.ſignif.

INCERTVM confitetur, qui ſe illud, aut illud debere confitetur, l.6.§.j.D.de confeſſis.

Incertum abſolutè à Iuriſconſ.vſurpatur pro ipſa incertitudine. Sic Incertum conditionis, l.11.de ſecun.tab. l.j.C.de pact. Incertum cautionis, l.16.D.ad S.C.Treb. pro incerto euentu, vt l.6.D.quod falſ.tut.auct. Incertum rei, l.11.D.de hæred.vend. Incertum ſucceſſionis l.14.D.de tranſact. Incertum litis, l.20.C.man. Incertum ætatis, l.49.D.de fideiuſ. Incertum antiquitatis, l.j.C.The.de reſponſ.pruden. Incertum contentionis, l.j. C.The.de equis curulibus. Incertum maris, & belli apud C.Tacitum libro 3.& 4.

INCERTITVDO legiſlatoribus nũquam placet, ſed reprobatur. Primùm, in contractibus, l.inter ſtipulantẽ. §.ſi Stichum.D.de verb.obli.l.cùm duo. D.de in diem addict. Deinde in vltimis voluntatibus, l.duo ſunt Titij.D.de teſtamenta.tutela.l.quæſitum.§.ſiquis eo. D.de fund.inſtr.l.ſi quis de pluribus.& l.ſi fuerit.D.de rebus dub. Denique in iudiciis nullo modo admittenda eſt, l.3. C.de ſenten.quæ ſine cert.quanti.profe.l. quid tamen.§.Pomponius ait. D.de recept. l.idem Pomponius ſcribit.D.de rei vend.

INCESTVM committit, qui eam, quam leges, moréſque vetant, vxorem accipit: putà priuiginam, nurum, nouercam, l.ſi adulterium.38.in princip.D.de adult.nec enim inter parentes & liberos tantum ſunt inceſtæ nuptiæ. Inceſti iudicium in virgines ſacratas, vel ſanguine propinquas conſtitutum ait Iſidorus lib.5.Etymol.c.26.ad fin.ſubiiciens, Qui enim cum talibus miſcentur, inceſti, id eſt, incaſti habentur.& vide l.ſororis.39.D.de ritu.nup.l.ſi.D.de condict.ſine cauſ.

INCESTVM iure gentium cõmittit, qui ex gradu aſcendentium vel deſcendentium vxorem duxerit: iure ciuili, qui ex latere eam duxerit, quam vetatur: vel affinem, quam impeditur, l.vlt.D.de rit.nup.& d.l.ſi adulterium, 38.l.vlt.D.de condic.ſin.cauſ. Vide Nouell.12. & Iac.Cuiac.expoſitionem.

INCIENTES, apud Varr.lib.2.de re Ruſt.cap.2.de ouibus loquens, pro ouibus, partui propinquis, vt exponit Feſtus.

INCILE, & Incilia, inquit Feſtus ſunt foſſæ, quæ fiunt in viis ad deducendam aquam: ſiue deriuationes de riuo communi factæ. Sic Vlp. Incile, eſt locus depreſſus ad latus fluminis: ex eo dictus, quòd incidatur. Inciditur enim vel lapis vel terra, vnde primùm aqua ex flumine agi poſſit.l.j.D.de riuis. Incile ducere, l.j.§.2.ne quid in flum.pub. Et incilia prima foſſarum.l.j.§.caput.D. de aqua quot.& æſti.

INCIVILE, iniquum, inuſitatum, inconueniens, contra ius, mores, & inſtituta ciuitatis, l.fin.§.penult.D.quod met.cauſ.& alib.ſæpe in libris Digeſtorũ & Codicis.

Inciuiles pœnæ, l.9.§.ſunt autem.D.de pœnis.

INCOLA eſt, qui in aliquam regionẽ domiciliũ ſuũ contulit, quẽ Græci πάροικον appellãt. Nec tantùm hi, qui in oppido morãtur, incolæ ſunt: ſed etiam qui in alicuius oppidi finibus ita agrũ habẽt, vt intra eum ſe quaſi in aliquã ſedẽ recipiãt, l.pupillus.§.incola. D.de verb.ſig. Incolã autem nõ domus, aut poſſeſſio facit, ſed domiciliũ, l.7.& paſſ.de incol.lib.10.Cod. Cic.in Offi. Peregrini autẽ, inquit, & incolæ officiũ eſt, nihil præter ſuũ negociũ agere, nihil de alieno inquirere, minimeq; in aliena Rep. curioſum eſſe.& vide l.25. D.ad municip.

INCOLATVS vrbs, cuius quis non ciuis, ſed incola eſt, l.34.de muner.& hon.D. Incola iam muneribus publicis deſtinatus, niſi perfecto munere, incolatui renunciare non poteſt.

Incolatus ius facit, vt muneribus ciuitatis obligemur, l.5. D.de incolis.

INCOLORATE, id eſt ſine cauſſa, ſine iuſta occaſione, aut prætextu, ſine colore, l.minor.18.De minorib. Glabrionem Acilium diuus Seuerus, & Imperator Antoninus nõ audierunt, incoloratè reſtitui deſiderantem aduerſus fratrem.

INCONDITVS, a, um, abſurdus, abſonus, Pap.l.Stichũ.§. aditio.D.de ſol. Etenim inconditũ eſt, ſubuenire ſexui mulieris

mulieris

mulieris, quæ ſuo nomine non periclitetur.

INCONSVLTVS, & eum à quo conſilium non eſt petitum, & eum, qui cùm quæreret conſilium, non accepit tamen, ſed quaſi pro indigno habitus eſt, ſignificat. Hinc Inconſultus fecit. Oppo. Optimo conſilio vſus eſt, l.pen.§.fi.D.de rit.nupt. Sic Vlpian.l.verum.§. ſciendum. de minorib. Inconſulta facilitas damni reſtitutionem indulget, non euentum damni.

Inconſultus calor, temerarius & præceps, D.ad Turpil. l.j.in fin.

INCONSVLTO hæredis nomen deletum, l.j.D.ſi tab. teſt.ext.l.j.de his quæ inteſt.del.l.ſi vnus.§.j. C.de teſt. Alber.exponit, Inconſultò, id eſt, non ſtudio.

INCONCVSSA, inuiolata. Inconcuſsè, quiete, & ſine interpellatione, c.illud.& ca.auditis.de præſcript. & pacificè, ca.cum veniſſent.extra de in inte.reſtit.

INCORPORALES res ſunt quæ tangi demonſtrarive non poſſunt, cerni tamen animo atque intelligi poſſunt: quarum rerum nullum ſubeſt quaſi corpus: eſt quædam tamen conformatio inſignita & impreſſa in intelligentia, quam notionem voco, inquit Cicero in Top. Et in eandem ſententiam Caius l.j.D.de rer.diuiſ. Eiuſmodi ſunt, Hæreditas, vſusfructus, vſus, obligationes, &c.

INCORPORATIO, in Rub.C.de bon.vac.& incorporat. vſurpatur, pro cõfiſcatione, ſiue in fiſcum relatione: cùm damnati alicuius bona in fiſcum rediguntur: quod quemadmodum fiat, declarat l.ſi quis. 7. C.de bon.dam.

INCRVSTARE, cruſtam, illinimentum, & quaſi pauimẽtum quoddam inducere, ſiue ex lapide, ſiue ex calce, ſiue ex argilla id fiat. Hinc Incruſtatio, tectorium, & pauimentum illud. Proculus l.13.§.j. D.de ſeruit. vrb.præb. Parietem communem incruſtare licet, ſicut licet mihi pretioſiſſimas picturas habere in pariete communi. Et paulo pòſt: Quod obſeruari & in incruſtatione oportet. Item apud Vlpian.l.79.de verb.ſign. Varro de re ruſt.lib.3. cap.14. de cocleis loquens: Has quoque ſaginare ſolent ita, vt ollam cum foraminibus incruſtent ſapa & farre.

INCVBARE poſſeſſionis eſt tam naturalis, quam ciuilis, vt & habere: ſed in malam partem Incubare ſumitur, pro mala fide poſſidere. Hinc,

INCVBATIO, l.vlt.C.ne rei dom.vel templ. pro poſſeſſione malæ fidei. Et,

INCVBATOR imperij, Seruio, pro tyranno, qui alias Subſeſſor dicitur. Hinc illud Acroteleution Virgil.

- deuicta Aſia ſubſedit adulter.

INCVLPATVS, pro culpatus, accuſatus, lib.Feud.1.tit. 19.§.j. Si vnus inculpatus fuerit vna de his nominatis culpis. Sic leg.Salic.tit.43. Si cuius ſeruus in futurum fuerit inculpatus, &c. Item leg.Burg.tit.8. de ingenuis inculpatis.

INCVMBERE, pro incubare, id eſt, obtinere, poſſidere, conſeruare, ſolidè (vt ij qui rei alicui incubant) tenere. Hinc creditor dicitur Incumbere ſuo pignori, qui acriter illud conſeruat: vt apud Vlpia.l.55.D.de furt. Hinc Incumbere poſſeſſioni apud Impp.l.8.C. quom.& quand.iud.

INCVNABVLA, ſeu cunabula, initia, primordia diſciplinæ tradendæ: quo verbo vſus eſt Tertullianus lib. de patientia, his verbis, Per hæc impatientiæ tunc infantis quodam modo incunabula. Cunabula legitur in proœmio Inſtit.§.cúmq; hoc. quod exponit Theoph. τὰ πρῶτα τῶν νόμων προοίμια. Hoc verb. vſus etiã eſt Cicer.lib.j.de Diuin. Qui cum eſſet incunabilis, inquit de Roſcio loquens, educaretúrque in Selonio, &c.

INDAGARE Ant.Lex, eſt ἐξιχνιάζειν. Hinc metaphoricῶs Indagare crimen, eſt patefacere: cuiuſmodi eſt illud Cic.pro Milone, Cum illa indicia communis exitij indagaui & patefeci, protuli, extinxi, &c. Hinc fortaſſis.

INDAGABILIS ex ambitu, apud Varronem li.4.Ling. Lat. ἐξεταστέος, ὑπεύθυνος, ἔνοχος. Qui aliter faxit, indagabilis ex ambitu cauſſam dicit. huiuſmodi illud eſt in legib. ſcribendis familiare: Qui aliter faxit capitale eſto. Item illud in Numæ regis legib. Siqui aliuta faxit, ipſus Ioui ſacer eſt. Niſi mendum ſit in verbo Indagabili, quod eſt apud Varronem.

INDAGO, venatio quæ fit plagis circum ſaltum extenſis. Vlp.l.11.§.11.de actio. emp. Veluti cum futurum iactum retis à piſcatore emimus: aut indaginem plagis poſitis à venatore, vel pantheram ab aucupe.

INDEBITVM trifariam accipimus. I. Quod neque naturali, neq; ciuili iure debetur, hoc eſt, quod planè nõ eſt debitum: aut fuit quandoque vtroq; iure debitum, ſed nunc ſolutione, vel acceptilatione ſublata eſt omnis obligatio: vt tractatur in titul.Inſtit.quibus mod. toll.obligat. Ad hoc genus indebiti pertinet id, quod pendet ſub conditione, quæ an impleatur, incertum eſt: vt, ſi nauis ex Aſia venerit. Secus eſt, ſi talis fuerit conditio, quæ omni modo exitura ſit, vt in l.ſub cõditione, & l.ſequenti. D. de condi.indeb. Ratio eſt, quia priore caſu, propter incertitudinem, ante conditionis euentum nullo modo debetur, l.grege.§.vlt. D.de pignoribus.l.ſi quis reum.§.huic.D.de libera.lega. Accedit.l.ſufficit. D.de condi.indeb. In poſteriore verò ſpecie, certitudo euẽtus efficit obligationem puram cenſeri, l.ſi pupillus.§.qui ſub conditione. D.de nouat. Sic & in diem debitor, ſi ante diem ſoluat, non poteſt repetere, quia certum eſt diem futurum quo debebitur, l.in diem.D.de condic.indeb. Huc item pertinet indebitum quod pupillus, furioſus, vel is cui bonis interdictum eſt, ſine tutoris vel curatoris auctoritate ſoluerit, cùm non ſit factus locupletior euidenter. Nam his perſonis iudicio planè carentibus, regulariter quidem locus eſt repetitioni, cùm nec natura debeant, l.interdum.l.quod pupillus.D.eo.tit.l.pupillus.D.de oblig & actio.l.more noſtro. D.de acqui.hæred.§.nunc admonendi.Inſt.quibus alie.lic.vel non. Verùm ſi locupletiores acti ſint, & in pubertate ſoluant, non repetunt, quoniam tunc naturaliter obligantur, l.naturaliter.§. vlt.& l.ſeq.D.de condi.indeb. ſecundum iſtam diſtinctionem, vt non obſtet, quod Vlpianus dicit, Pupillũ ſine tutoris auctoritate promittentẽ, naturaliter obligari, l.j.in fi.D.de nouationibus. II. Indebitũ eſt, quod ciuiliter quidem debetur, ſed non naturaliter: veluti, cùm quis ſcribit ſe debere. ſcilicet ſpe futuræ numerationis, quæ ſecuta non eſt: aut ſi quis pacto vel iureiurando ſe liberet, iuxta tit.de litera.oblig. & l.vltim. in princip.D.de iureiur.l.Stichum.§.naturalis.D.de ſolutio. Et huc referendæ ſunt omnes ſpecies exceptionũ, quæ ad elidendas ſummi iuris actiones perpetuò obſtant ex naturali æquitate. Vlpia.in l.ſi non ſortem.D. de condi.indeb. Indebitum autem, inquit, ſolutum accipitur, non ſolùm ſi omnino non debetur, ſed & ſi per aliquam exceptionem perpetuam peti non poterat III. Indebitum accipitur, quod naturaliter quidẽ, ſed iure ciuili non debetur: vt inter patrem, & filium, ac inter fratres ſub eadem paterna poteſtate, in l.frater à fratre.D.de condict.indeb. Item inter dominum, & ſeruum, l.naturaliter.& l.ſi id quod.D.eodẽ titu. Eodem modo verus debitor in iudicio abſolutus, obligatur adhuc, l.Iulianus.D.eo.tit. Licet enim abſolutus ſit, inquit Paulus, natura tamen debitor permanet. Itẽ legatum minus ſolenne, aut ſolẽne quidem, ſed quod per legem Falcidiam minuendum eſt, naturaliter debetur. Martianus D.de condict.indeb. Fideicommiſſum, inquit, in ſtipulatione deductum, tametſi non debitum fuiſſet, quia tamen à ſciente fidei explẽdæ cauſſa promiſſum eſſet, debetur. Vel ſic:

INDEBITVM aliud eſt natura, aliud iure gentium, aliud iure ciuili, aliud iure honorario, l.j.& l.3.D.de conſt. pecu.l.47.de condict.indeb.

INDEBITVM accipimus, non ſolùm ſi omnino non debeatur, ſed etſi per aliquam exceptionem perpetuã peti non poterat, l.26.§.3.D.de condi.ind.

INDEBITVM eſt, non tantùm quod omnino non debetur, ſed & quod alij debetur, ſi alij ſoluatur: aut ſi id quod alius ſoluebat, alius quaſi ipſe debeat ſoluat, l.in ſumma, 65.D.de cond.indeb.

INDEMNITATEM alicui repromittere, & de Indẽnitate cauere dicunt Iuriſcoſ. pro eo, quod eſt ſatis dato, vel ſimplici, & nuda promiſſione cauere alicui indẽnem eum futurum ex eo negotio, quo de agitur, l.16.§.idem quæri. D.ad S.C.Trebell. Inde Indemnitatis cautio, l.14.D.ad Trebell. Et indemnitatem præſtare l.penul.D.de mag.conueni.

INDICARE, eſt precium rei vendendæ ſtatuere, l.Iulianus.D.de actio.emp. Mercari verò & liceri eſt aliquid minus offerre, quàm indicatum ſit, donec in precium conſentiant emptor & venditor. Itaque indicare, venditoris eſt: Liceri & mercari, emptoris. Cicero lib.3. Officiorum: Scæuola cum poſtulaſſet vt ſibi fundus, cuius emptor erat, ſemel indicaretur.

INDICATIO, verboſa illa ac ſcurrilis propemodum venalium rerum commendatio, qua vẽditores vti ſolent emptoribus alliciendis, apud Vlp.l.13.de act.emp. vbi de emptore loquitur: Hic non debuit facilis eſſe ad temerariam indicationem.

INDEX, eſt breuis quædam ſubnotatio ex latiori ſcriptura, nec idem quod exemplum. exemplum enim ex integrò deſcribitur totum. Hinc l.2. D.de fide inſtr. Quicunque à fiſco cõuenitur, non ex indice & exemplo alicuius ſcripturæ, ſed ex Authentico conueniendus eſt. Cicer.Philip.1.de lege loquens, quam tulit Antonius de tertia Decuria indicum. Hic enim eſt legis index, vt ij res in tertia Decuria iudicent, qui libere iudicare non audeant. Hinc per indicem exponere prouerbiali ſermone vſurpatur, pro ſummatim, & παχυμερῶς. Aſconius in 3.Verr. Antequã, inquit, cauſſa ageretur, quaſi per indicem rem exponebant. & Iuſtinian.in l.j.§.noſtram. C.de vet.iur. enucl.& §.vltim. de publ.iudic. Vt vobis, inquit, poſſibile ſit quaſi per indicem ea tetigiſſe. quod ita Græcè Theophylus interpretatus eſt, διὰ συντόμου παραδόσεως. Dicitur etiam periculum, vt Græcis στήλη. ita enim Plutarch.in Apophtheg. ἐπιγράψαι τῇ στήλῃ τὴν καταδίκην, de iudicibus loquens: quod Æmilius Probus in Epaminonda periculum vocat.

INDEX, ab indicio, olim dicebatur, qui crimen aliquod indicaſſet, detuliſſet, vt Pedianus ait: & ita ſæpiſſimè à T.Liuio, Salluſtio, Cicerone, Tranquillo, & aliis claſſicis accipitur. Indicaſſe enim, interprete Vlpiano, eſt, detuliſſe, arguiſſe, accuſaſſe, & conuiciſſe, l.197.D.de verb.ſign. quæ referenda eſt ad l.3. & ſi ex ſtipulatu. & §.vtrum id.D.ad S.C.Silla. Græci in eundem ſenſum ἐνδείκνυσθαι dicunt, vt patet ex l.3.D.de via publi. Hinc,

INDICES res dicuntur, à quibus crimina nunciantur, & ad magiſtratus deferuntur, l.j.l.3.§.item qui. D.de ſica. & l.3.§.nunciatores.D.ad Turpill. Atq; vt de indicum officio aliquid dicamus, Charondas ille Catanæus, cuius Ariſtoteles & Cicero pluribus locis mentionem fecerũnt, ſtatuit ne indicare homines etiam ſanguine maximè coniunctos affines alicui culpæ, haberet in ſe dedecus ac turpitudinem vllam. Eius hæc ſunt verba apud Stobæum: Καλὸν δ' ἔστω καὶ μηνύειν τῷ συνειδότι ἀδικοῦντι, ἵνα ἡ πολιτεία σώζηται, πολλοὺς ἔχουσα τῆς εὐκοσμίας φύλακας. ὁ δὲ μηνύων εὐσεβὴς ἔστω καὶ κατὰ τῶν οἰκειοτάτων ἐξαγγέλλων, οὐδὲν γὰρ οἰκειότερον πατρίδος. Sic Cicero in eos qui cum accuſarentur, quod peſſimum ciuem & inutilem reip. defenderent, ita ſe purgabant: Meus cognatus eſt. An poteſt, inquit Cicero, cognatio propior vlla eſſe quàm patriæ?

INDICIVM, ipſe delationis actus: atque hoc ſenſu Pompon.l.2.§.initium. D.de orig.iur.ait, Vindicem Vitelliorum ſeruum coniurationem indicio ſuo detexiſſe. Sic indiciũ profiteri, l.j.D.ad leg.Corn.de ſicar. Quíve cum magiſtratus eſſet, publicóve iudicio præeſſet, operam dediſſet quo quis falſum indicium profiteretur, vt quis innocens conueniretur, condemnaretur. Et aliis locis quamplurimis. Indicia etiam ſunt indicis præmia, Græcè μήνυτρα, cuius verbi fit mentio in l.falſus.§.4. D.de furt. & ab Vlp.in l.idem ſi ob ſtuprum.§.3.D.de condict.ob turp.cauſ. Si tibi, inquit, indicium dedero, vt fugitiuum meum indices, vel furem rerum mearum, non poterit repeti quod datum eſt. Et paulo poſt: Sed ſi ipſe fur indicium à me accepit, &c. Apuleius lib.7. Aſin.aur. Indicinæ præmia vocat. Indicia pro argumentis, l.j.C.de teſtibus, l.19.C.de rei vind.

INDICERE forum dicitur Magiſtratus in prouinciis cùm & locum & tempus deſignat, quo cauſſæ in conuentu agantur. Virgil.Æneid.

Indicitque forum, & patribus dat iura uocatis.

vbi Seruius, Id eſt tempus & locum deſignat agendorùm negociorum, qui Cõuentus vocatur. Indicit autẽ verbum iuris eſt, & per hoc potentem vult ſignificare ciuitatem. vide ſuprà, Forum agere, item ſuprà Conuentus. Alias Indicere iubere eſt. Hinc,

Indicere operas, l.13.§.indicium.l.23.§.j.& l.24. D.de oper. lib.eod.ſenſu. Indicere munus, l.5.D.de iur.immu. Et Indictæ collationes, l.8.cui muneris. D.de va.mun.

INDICTIONES, nihil aliud ſunt quam annonæ vel tributa, id eſt annonaria & tributaria functio, rebus, non perſonis indictæ, id eſt impoſitæ, l.3. C.de annon.& trib. qui titulus à tit.de indict.hoc tantùm differt, quòd ille eſt de iis quæ indicuntur, hic verò de indictionum ratione & forma. Plinius ad Traianum: Nec nouis indictionibus preſſi ad vetera tributa deficiũt. Indictiones extraordinariæ, l.10.C.de mun. patrim. ſunt quæ ad tempus præter morem indicuntur: veluti angariæ belli tempore, aut equi, muli, veredi. Porro Indictiones cum eſſent anniuerſariæ, inde cœperunt anni per indictiones numerari, quas vocant ἐπινεμήσεις, ita vt earum numerus non excederet XV. Sed idem ſemper reuoluerunt. Cœpit hic mos Theodoſij magni temporibus, vt Cedre.ſcribit, vel Conſtant.potius, vt ex Faſtis quibuſdam Græcis Onuphrius vir doctus & diligens prodidit, in quibus ſub Conſtantini II.& Licinij II.ita eſt: Ἰνδικτιώνων Κωνσταντινιανῶν ἐντεῦθεν ἀρχή. Eas verò incipere menſe Septembri indicat l.vlt. C.de ann.& trib.& l.j.de mil.veſt.& No.128.& ſpecies quam Græci ponunt ad l.13. D.de iuriſd.omn.iud.de Gaio magno Drungario, cui Princeps Titium ſucceſſorem dedit, vt ab initio menſis Septembris ſexta indictione magiſtratũ inchoaret: Non poſſe Gaium Sempronium iubere iudicare poſt menſem Auguſtũ quintæ indictionis? ſi tamen iuſſus iudicare menſe Aprili quintæ indictionis cœperit, necdum veniente Septembri pronunciauerit, iudicium non ſolui. Hæc tria ſunt paria, anno quinto, indictione quinta, fuſione quinta, l.6.C. Th.de indul.deb. ex quo apparet ratio nominis. Onuphrij etymologia non mihi probatur, vt nec ea quam adfert Cedrenus in Theodoſio, cuius verba hæc ſunt, ἀπὸ δὲ ἀρχῆς τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου ἤρξαντο ἀριθμεῖσθαι αἱ ἰνδικτοι, ἀρξάμεναι ἀπὸ Αὐγούστου καίσαρος ἐν ἔτει ιε' τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ. καλεῖται δὲ ἰνδικτιών, τουτέστιν ἰνακτιών ἡ περὶ τὸ Ἄκτιον νίκη, Sciendum potius ab eo die quo victus eſt Maxentius, ſcilicet anno Chriſti CCCXIII. ante diem VIII. Calen. Octob. quod tunc demum religio Chriſtiana,

in libertatem vindicata ſit, quaſi ab ipſius primordiis libertatis, Niceni conuentus auctoritate inſtitutum eſſe, vt ſublatis Olympiadibus annorum ratio ab eo tempore iniretur.

INDIGNVS quis in iure dicatur, vide INCAPAX.

INDIPISCI, pro adipiſci, vel gerere, l.vlt. C.de profeſs. & med. indepta adminiſtratione, id eſt geſta adminiſtratione. Perperam enim quidam eo in loco indempta legunt, ſeu ademptæ ſic l.vlt.C.de fund.patrim. indepto canone, id eſt adepto.

INDIVIDVVM quod Dialectici appellant, id eſt, quod nec de ſubiecto vllo dicitur, nec in ſubiecto vllo ineſt, veluti Stichus aut Pamphilus: id Iuriſconſulti vitandæ ambiguitatis cauſſa, ſpeciem appellant. quo nomine ferè ſpeciem infimam intelligunt. nam indiuiduũ nomen in iis rebus ponunt, quæ neque naturales, neque intellectas partes recipiunt, veluti ſeruitutes: vt cõſtat ex l.4.& l.72.D.de verb.oblig. Stichũ igitur indiuidui nomine non intelligemus: quia diuidi in partes intellectas poteſt: at viam, iter, aquæductum, nauem, equũ, indiuidua dicimus. ex quo illud Caſcelianũ, Nauẽ ſi diuidis, nec tu nec ſocius habebitis: apud Macro.li.Sat.2.

INDVCIÆ ſunt, inquit Varro, pax caſtrenſis paucorum dierum. Item, induciæ ſunt belli feriæ. Hæc Gellius lib. j.c.25. Vbi etiam has Varronis definitiones tanquam haud plenas, & probas repræhendit. nec enim paucorum dierum ſunt induciæ, & teſtatur C.Pontium Sannitem à dictatore Ro. ſex horarum inducias poſtulaſſe. Græci, vt idem inquit, ceſſationem iſtam pugnæ pactitiam ἐκεχειρίαν dixerũt, quaſi dicat, manus cohibitionem. Inibi hoc quoq; adſcribit, Inducias ſe dictas arbitramur, quaſi tu dicas, inde vti iam. Pactum induciarum eiuſmodi eſt, vt in diẽ certũ nõ pugnetur, nihilq; incommodi detur: ſed ex eo die poſtea vti iam omnia belli iure agãtur. Quod dicitur dies certus præfinitus, pactúmq; fit, vt ante eum diem ne pugnetur, atque is dies vbi venit, inde vti iam pugnetur: idcirco ex iis quibus dixi vocibus, quaſi per quendã coitũ & copulã, nomen Induciarũ connexũ eſt. Aurelius autẽ Opilius in primo lib. quos Muſarum inſcripſit, Induciæ, inquit, dicuntur, cum hoſtes inter ſeſe vtrinque alteri ad alteros impunè, & ſine pugna ineunt. Inde ab eo, inquit, nomen eſſe factum videtur, quaſi initus atq; introitus.

Induciæ ſunt, inquit Paulus, cum in breue & in præſens tempus conuenit, ne inuicem ſe laceſſant, l.19.§.j.D. de cap.& poſtli.

Induciæ ſecundum glo.ſum.3.q.2.ſunt quintuplices, ſcilicet reſtitutoriæ, præparatoriæ, citatoriæ, deliberatoriæ, iudicatoriæ, ſiue executoriæ. Et ibi ponitur tempus omnium.

INDVCERE præter alia ſignificata, eſt etiam delere, & cancellare calamo tranſuerſo. Vlpia. de iis quæ in teſt. delentur, l.2. Cancellauerat autẽ quis teſtamẽtum, vel induxerat. Item ſi nomina omnia induxerat, vt proponitur. Item, Quæ in teſtamento legi poſſunt, ea inconſultò deleta, vel nihilominus valent: conſultò inducta non valent. Hinc Inductio pro abolitione, & litura ponitur. Et inducere ſententiam, aut decretum, vulgò eſt, ad nihilum ponere. Eſt enim Inducere propriè, ducto per ceras ſtylo tegere, interlinere, & memoriam ſcriptorum obliterare. Budæus in l.vltim.de Senatoribus. Induci cognitio dicitur, quæ ex actis tollitur & aboletur, l.9.D.de iu.fiſc. Dicitur & circunduci eodem ſenſu, l.27.D.de lib.cauſ.l.73. D.de iudic. Vtuntur & Iuriſcoſ. perducendi verbo eodem ſignificatu, l.18.D.de iis quæ in teſta.delent.l.8.§.ſed & cum. D.de ſecun.tab.l.20.§.vlt.D.de teſt.milit.

INESSE dicuntur pacta quæ contractu continentur, §. quinimo l.7. D.de pact. Sic pacti & doli exceptiones bonæ fidei iudiciis ineſſe, id eſt, contineri dicuntur, l.3. D.de reſcin.vend.per l.74.§.qui ſeruum. D.de leg.1. Sic doli præſtatio, & bona fides ineſt contractibus, l.152. D.de regul.iur.

INFAMIS generaliter is dicitur quem lex, vel S.C. vel decretum principis, vel edictum prætoris ex cauſſa aliqua turpi notauit vt ignominioſum: quam pœnam Varro ita deſcribit eleganter: Tertia pœnarum infamia, ſtans nexa in vulgi pectore, fluctuanti intonſa coma, ſordido veſtitu, ore ſeuero. Vide Iulianum l.j.D.de iis qui not.infa.& Iuriſcoſ.tot.tit.D.eo.

INFAMIA & ignominia, inquit Cornel.Front. ſic differunt: Ignominia, imponitur ab eo, qui poteſt animaduerſione notare: Infamia ex multorum ſermone naſcitur. Quid autem infamia differat à Nota, vide Notati.

Infamia duplex eſt, Iuris & facti. Infamia iuris, ſola auctoritate legis nominatim infligitur. Vnde ex famoſis actionibus condemnatus iuſtam contrahit nominis maculam. Infamia facti, ex ipſa rei indignitate ſecundum cenſuram bonorum virorum eſt, l.2. D.de obſeq. à liber. & libert. parentibus & patro. præſtan. Licet enim (inquit Paulus) verbis edicti non habeantur infames ita condemnati, re tamen ipſa & opinione hominum non effugiunt infamiæ notam.

Infamia notari, Nota laborare, Notari, Exiſtimationem lædere, Famoſum eſſe. Vlpianus in l.2. D.de his qui notant. infa.

INFANS dicitur quaſi fandi impos, qui ſeptem nõ compleuit annos. Impp. l.18.C.de iur.delib. Si infanti, id eſt minori ſeptem annis, in poteſtate patris conſtituto, &c. Vlpian. l.j.§.2.D.de adminiſt.tuto. Licentia igitur erit, vtrum malint ipſi ſuſcipere iudicium, an pupillum exhibere, vt ipſis auctoribus iudicium ſuſcipiatur: ita tamen vt pro his qui fari non poſſunt, vel abſint, ipſi tutores iudicium ſuſcipiant: pro his autem qui ſupra ſeptimum annum ætatis ſunt, & præſtò fuerint, auctoritatem præſtent. Hunc [illegible] interpretatur Harmenopulus libr.6.tit.6. Infantiæ proximos exponit Theophylus Inſtit.de inuti.ſtipu.

Infantilis veſtis, l.25.§.muliebri.D.de aur. & arg.leg.

INFECTA, corrupta, l.2. C.de condi. in publ. horreis. lib.10.

INFECTVM, id eſt, non factum. Hinc,

INFECTI argenti appellatio rudem materiam continet, id eſt, non factam, l.cum autem. de auro argento, mundo, l.6. D.de rei vindicat. Græci ἄσημον dicitur. Eodem ſenſu Infectum æs, quod ſignato opponit Feſtus, in voce Raudus. Sic Infecta lana, infectúmque linum dicitur, l.20.D.de legat.3.& Infecta purpura, l.j.§. quis argentum. D.depoſiti.

Infectum damnum, nondum factum, ſed quod futurum veremur, l.2.D.de damn.infect.l.3.§.penult. D.de riuis. Alias Infectum apud Salluſtium in Iugurtha, quod fieri non poteſt. Sed Rex nihil iam infectum Metello credens. Id eſt nihil eſſe putans, quod non efficere Metellus poſſet.

INFERRE pœnam, l.12.D.de manumiſſ. Reliqua, l.4.C. de ma.teſta. Penſiones, l.37. D.de vſufr. Pecuniam rationibus, l.38.D.de neg.geſt. Portionem virilem, l.101. D.de ſolut. Vectigal, l.7.D.de publ.

Inferre mortuum, pro ſepelire, vulgò notũ eſt. Quod fit, cùm terra conditur corpus, l.diui fratres. D.de relig. & ſumpt.fune.

INFINITVM, pro indefinitum, nullo certo termino circumſcriptum. Cicer.in Partit. Quid quæſtio quaſnam habet partes: Infinitam, quam Conſultationem appello: & definitam, quam Controuerſiam nomino. Item alibi locis innumeris. Celſus l.9. D.de ſerui. Si cui ſimplicius via per fundum cuiuſpiam cedatur, vel relinquatur, in infinito, videlicet per quamlibet

eius par

eius partem ire agere licebit. Vlpian.l.13. in fin. D.de dam.infect. Neque enim in infinitum obligatus eſſe debet ſtipulatione. Mæcianus l.91.D.de condit.& demonſtra. Tempus autem vel certum, vel infinitum comprehendatur.

Infinitum, immenſum, immodicum, l.61.D.ad leg. Falc.in Infinitum iurare, id eſt, in immẽſum, l.68.D.de rei vin.

INFICIARI, l.2.D.de except.& alibi, creditum & depoſitum abnegare. Hinc Inficiatio, l.16.D.iud.ſol.Feſtus Inficiari creditum fraudare.

INFICIATIO, Iſidor.lib.5.Etymol.cap.26. rei debitæ negatio cum poſcitur. Inficiatione cauſſa creſcit, ſcilicet in duplum, l.7. D.de ſolut.iuncta l.26.§.fin. D.ad leg. Aquil.

INFIXA, l.cum fundus.D.de inſtr.leg. ſunt ea quæ adfixa, inædificata.& alligata ſunt ædibus, quæ & alias fixa iunctáque dicuntur, l.38.§.vlt.D.de act.empt.ſecundum vulg.ſcriptu. Vide ſupra Adfixa. Obiter tamen notandum pro infixa poſſe etiam inficta legi, cum & Varr.3.de Re ruſtic.dixerit, Ficta, Afficta, Deficta.& Diomedes Scaurúſque probarint, & in l.nequid. D.de incend.ruin.naufr.Pand.Florent.eodem ſenſu legant, Nauis inficta. Caper Grammaticus, Fictum, inquit, rationis: fixum voluntatis. Vide RVTA CÆSA.

INFLIGERE alicui precium rei, hoc eſt, inferre. Iulianus l.30.D.de nego.geſt. Ex facto quærebatur, inquit, quendam ad ſiliginem emendam curatorem decreto ordinis conſtitutum: eidémque alium ſubcuratorem conſtitutum, ſiliginem miſcendo corrupiſſe, atque ita precium ſiliginis, quę in publicum empta erat, curatori inflictum eſſe.

INGENIVM naturam ſignificat, & ad ea, quæ anima & ſenſu carent, transfertur, l.6. C.de bon.proſcript. Ingenium aruorum apud Virgilium, 2.Georg. Nunc locus aruorum ingeniis. Sic Plin.lib.14.ca.1. Ingenium ſoli, ſiue terræ. Tacit.lib.5. Locorúmque ingenio ſeſe contra imbelles regias copias tutabantur. Salluſt. lib. 3.Hiſt. Caſtriſque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebantur.

INGENVI ſunt, qui ex matre libera nati ſunt, l.5.§.2.D. de ſtatu hom.verùm.

Ingenui dicebantur antiquitùs, qui patrem ciere poſſent, hoc eſt ex legitimo matrimonio ſuſcepti, qui iidem & Patricij dicebãtur. Liuius lib.x. An Romæ vnquam fando audiſtis, Patricios primò eſſe factos, non de cælo demiſſos, ſed qui patrem ciere poſſent, id eſt, nihil vltrà quàm ingenuos. Hæc Liuius, qui non obſcurè ingenuos iis opponit, quos poſterior ætas Spurios, recentior Vulgò conceptos appellauit, l.vulgò.24.D.de ſtatu ho. Liberi ergo non Ingenui dicebantur. Cic.lib. De natur.deorum III. Vt enim in iure ciuili, qui eſt de matre libera, liber eſt: item iure naturæ, qui de Dea matre eſt, Deus fit neceſſe eſt. Feſtus autem ſub voce Patricios, locum illum Liuij dilucidè confirmat: Patricios, inquit, Cincius ait in libr. De comitiis, eos appellari ſolitos, qui nunc ingenui vocantur.

Ingenuus eſt is, ait Imp. qui ſtatim vt natus eſt, liber eſt: ſiue ex duobus liberis matrimonio editus eſt, ſiue ex libertinis duobus, ſiue ex altero libertino, & altero ingenuo. De ingen.in princ. Vel ſic, Ingenui ſunt, qui ex matre aliquo grauiditatis tempore libera, ſiue illa ex marito, ſiue ex alio conceperit, procreati ſunt. nam libertas vno tantum iſtorum trium temporum ſufficit.

INGLVVIES, vide Illuuies.

INGRATVS libertus eſt, qui patrono obſequium non præſtat, vel res eius, filiorúmve tutelam adminiſtrare detrectat, l.19. D.de iur.patr.l.6.§.vlti. D.de lib.agno. Moris autem erat, vt domini ſeruos manumittentes, iis gratiæ alicuius exigendæ cauſſa imponerent donum, munus, operas, l.penult. D.de obſeq.par.præſ.& alibi perſæpe.

Ingrata non eſt liberta, quæ arte ſua contra patronæ voluntatem vtitur, l.fi.D.de obſeq.alib.præſt.

Ingrata teſtamenta ſunt ea in quibus de nobis bene meritis nihil relinquimus, ſiue liberi ſint, ſiue extranei. Suetonius in Caligula: Teſtamenta primipilarium vt ingrata reſcidit.

INGRATI actio, vide Actio ingrati.

INGRATITVDINEM vitium cęteri longè peſſimum, vulgò quidem, ſed veriſimile dici ſolet. Nam cætera delicta aduerſus proximum quidem malè cõmittuntur, ſed fortaſſis nec bene nec male meritum. Ingratus autem contemnit eum, à quo beneficiis adfectus eſt. Quid hoc facto committi poteſt fœdius? Si quæ igitur actio iure propoſita eſt vnquam, certè actionem ingrati iuſtiſſima ratione introductam eſſe, fateri oportet. Vide Actio Ingrati.

INGREDI conſulatum, pro inire, l.36. D.de condit.& demonſtrat.

INGRESSVS contractus, apud Vlpian.in l.iuris gent. de pactis. non ex vulgari ſententia, pro principio intelligendus eſt: ſed, vt Alciatus admonuit in Parerg. propoſita ipſius contractus materia. Vide eum lib.5. cap.24.

INIICERE manum propriè fit verbo antiqui iuris, quoties nulla iudicis expectata auctoritate, rem nobis debitam, aut etiam noſtram vindicamus, l.ſed ſi hac. D. de in ius voc.l.pen.de ſeru.expor. Iniicitur etiam manus in aliquem, vel in eius bona, vel merces aliquas, quando ille inde abire, vel res inde moueri, auctoritate aliqua vetantur, quod nos Arreſtare dicimus. Budæus in l.vlti.D.de Senat. Hinc illud Virgilij, Iniecere manum Parcæ. Sermone, inquit Seruius, vſus eſt iuris, pro traxerunt debitum ſibi.

INIECTIO manus, ius præhendendi, abducendique: verbum ex XII.Tab. Aëris confeſſis, rebúſq; iudicatis XXX.dies iuſti ſunto: poſt deinde manus iniectio eſto. Vlp.l.10.§.j.D.de in ius voc. At ſi venditor qui manus iniectionem excepit, ipſe proſtituit.

INIRE verbum non iungitur fere, niſi rebus aliquid momenti habentibus, grauibus & non minutis: vt, Ineo rationem, fœdus, pacem, ſocietatem, bellum, cõſilium, vt apud Iuriſcoſ. Inire conſilium diuortij, l.ſi concubina.§ j.D.rer.amot. Inire furti conſilium, l.meritò. D.pro ſoc. Inire cubile alicuius, pro cum eius vxore dormire, apud Ciceronem legitur.

INIVRIA ex eo dicta eſt, quòd non iure fiat. Nam generaliter iniuria dicitur omne, quod non iure fit, l.j.D.de iniur. Specialiter autem iniuria, alias contumelia dicta eſt, Græcis ὕβρις: aliàs damnum culpa datum, vt in l.Aquilia dicimus damnum iniuria datum: Græco verbo ἀδίκημα, l.j.& l.5.D.ad leg.Aquil. Vt ſi quis iniuria, id eſt, culpa occiderit. aliàs iniquitatem iniuriam vocamus & iniuſtitiam. Nam cum iudex iniquè vel iniuſtè dixerit ſententiam: ex eo dicimus iniuriam, quod iure & iuſtitia caret, quaſi non iuriam, l.j.in princip. D.de iniur.& fam.libel.l.45.§.procurator. D.de procurat.& alibi ſæpe.

Iniuria minus eſt quàm contumelia, inquit Nonius, Pacuuius Periboea: Patior facile iniuriam, ſi eſt vacua à contumelia. Iniuriæ ſunt, quæ aut pulſatione corpus, aut conuitio aures, aut aliqua turpitudine vitam cuiuſpiam violant. ait auctor Rhet.ad Heren.lib.4.

Iniuria ex affectu fit, damnum ex culpa, l.qui ſeruum. D. de action.& oblig.

Iniuria & ius aduerſa ſunt. Vnde & iniuriam facere bruta negantur, quia nec iure quicquam facere poſſunt, l. j.§.j.D.ſi quadr.paup.fec.dic.

Iniuria atrox, vide ſupra Atrox iniuria.

Iniuria ſecundum Labeonem, aut re fit, aut verbis. Re quoties

quoties manus inferuntur, verbis verò, quoties non inferuntur manus, vt cum conuitium fit.l.j.§.j.de iniu. ad infamiam fit iniuria, cum pudicitia attentatur, ibid.

Iniurias actione exequi, hoc eſt, actionem iniuriarum dictare, vt ſequatur executio.l.non ſolum.§.ego autem. D.de iniur.

Iniuriæ ſcriptæ, vel pictæ, dicuntur perpetuæ: quia in eis annus non tranſit. Zaſius in l. cum lex.D.de legibus.

INIVRIOSVS, qui infert iniuriam apud Iuriſcoſ.in l. vlt.D.de offic.procur. Cæſ.Si tamen, inquit, quaſi tumultuoſum, vel iniurioſum aduerſus colonos Cæſaris prohibuerunt.

INIVSTVM teſtamentum, non iure factum, puta in quo ſolemnia defuerunt.l.j.D.de iniuſt.rupt.l.6.D.de falſ. Appellatur & non iuſtum.l.j.D.de except.rei iud.l.3. D.de confir.tut.l.22.de acq.hær.Iniuſtum teſtamẽtum dicitur & illud, quod inutile, & nullius momenti eſt, puta ob præteritionem eius qui in poteſtate eſt.l.3.§. ex his.l.6.§.ſi pater.D.de iniuſt.rupt.teſtam.

Iniuſtum matrimonium, contra leges contractum.l.j.D. vnde vir & vxor.Et Iniuſta vxor.l.13.§.j.D.de adult.

INLEX in Lexico antiquo, ἀφῆλιξ, παράνομος, ἄνομος.

INLICERE, apud Varr.libr.5.de ling.Lat.pro vocare. Quare non dubium eſt, inquit, cum hoc inlicium ſit, cum circum muros itur, vt populus inliciatur ad magiſtratus conſpectum.

INLICIVM cum populus per accenſos vocabatur, apud eũdem, ab alliciendo dictum Dicitur & Illicium: hinc Pompeius: Illicium dicitur cum populus ad concionẽ elicitur, id eſt vocatur. Et alio loco: Illicium vocare antiqui dicebant, ad concionem vocare.Huius autem hæc erat formula: Quod bonum fortunatum, felixque ſiet Pop.Rom.Quiritiũ, reique publ.Pop.Rom. Quiritiũ, mihíque collegæque meo, fidei, magiſtratuíque noſtro: omnes Quirites, pedites, armatos, priuatóſque curatores omnium tribuum, ſi quis pro ſe, ſiue pro altero dari rationem volet, voca inlicium huc ad me. Ex Varr.libr.de ling.Lat.5.& Liuio libr.40.

INOFFICIOSVM hominem conſtat eum dici, qui quod alteri officium debebat, prætermittit.quare.

INOFFICIOSVM teſtamentum eſſe illud oportet, in quo teſtator contra officium ſuum, quod alteri debebat, fecit.Sed quanquam hoc modo multa inofficioſa teſtamenta futura ſunt, veluti quib.amicis & benemerentibus nihil relinquitur, quod olim inhoneſtum putabatur: (vt ex Philippicis, & Suetonio conſtat) tamen per excellentiam ea demum inofficioſa dicta ſunt, quibus officium in liberos, parentes, & fratres neglectum eſt.nam qui erga eos inofficioſus eſt, in ſemetipſum quodammodo inofficioſus & inhumanus videtur. quapropter iis ſolis poteſtas permiſſa eſt, petendi à Centumuiris, vt ſi officium violatum cognoſcãt, illud reſciſſum & irritum factum velint.quod cum impetrant, tum illud ſimul impetrant, vt ſibi hæreditas adiudicetur: cum huius iudicij exitus hic ſit, vt ab inſtituto in exheredatum hæreditas transferatur: qua de cauſſa hæreditatis petitio appellatur in l. ſi quis.34. C.de inoffic.teſt.l.qui repudiantis.17.l.mater.19.D.eo. l.pen.§.ſed quemadmodum.D.de bon.poſſ. cont.tab. Vel ſic: Inofficioſum dicitur teſtamentum, quod liberis fruſtra exheredatis, non ex officio pietatis videtur eſſe conſcriptum.Paul.lib.Sent.4.c.5.Itaque Iſidorus lib.5.c.24. verbis aliquot additis: Inofficioſum teſtamentum eſt, inquit, quod fruſtra liberis exheredatis ſine officio naturalis pietatis in extraneas perſonas redactum eſt. Vel ſic, Inofficioſum teſtamentum dicitur, in quo officij religio violata eſt: veluti pietas erga parentes, aut caritas erga liberos.non enim liberis tantum permiſſum eſt teſtamentum parẽtum inofficioſum accuſare, verum etiam liberorum parentibus, ait Iuſtin.tit.de inoff.teſt.in princ.Vel ſic, Inofficioſum teſtamentum dicere, hoc eſt, allegare quare exheredari vel præteriri quis non debuerit.l.3.D.de inoff.teſt.item docere immerentem ſe, & ideo indigne præteritum, vel etiam exheredatione ſummotũ.l. 5.eod.tit.

Inofficioſa donatio ad exemplum inofficioſi teſtamenti dicta eſt, quæ cõtra rationem officij facta eſt: cum ſcilicet liberi debito bonorum ſubſidio, id eſt legitima ſua excluduntur.l.j.& paſſ.C.de inoffic.dona. Itaque actio aduerſus eam inſtituta eſt, quæ querela inofficioſæ donationis adpellatur: quæ à Querela teſtamẽti inofficioſi hoc differt, quòd hæc non niſi aduerſus teſtamentum factum, & iure factum conceditur: illa verò & ex teſtati & ex inteſtati cauſſa permittitur.l.precibus.3.C:eod.

Inofficioſa dos dicitur, cum mater in fraudem liberorum, id eſt vt eos debitis emolumentis ſpoliet, omnia ſua bona, vel magnam eorum partem ſecundo marito dono dat: pactum cum eo de dote lucranda faciens.l. j.C.de inoff.dotib.

Inofficioſus libertus, irreuerens.l.j.D.de iur.pa.& alibi.

INOPS dicitur is qui ſolus eſt, qui nec amicos, nec propinquos habet, quorũ ope, id eſt, auxilio tutari ſe poſſit.Cicero inopiam, & ſolitudinem ferè in eandem rem dicit.Reus inopia, hoc eſt, egeſtate, laborans in corpore puniendus eſt.l.ſi quis id quod.§. in ſeruos.D. de iuriſd.Porrò quo diſtet à penuria, docet gl.in Auth. vt iud.ſine quoquo ſuffr.

INQVILINVS eſt, qui in conductis ædibus ſolus habitat: & propriè vrbani prædij conductorem ſignificat. l.37.D.de acquir.poſſeſſ.l.fi.D.de migrand.& alibi ſæpius, quàm quod referri debeat.Labeonem igitur rectè notauit Proculus, qui inquilinum ab ædium vſuario, qui modò ipſe habitaret, poſſe recipi dixerat.l.2.l. 4.D.de vſu & habi.Appianus lib.ἐμφυλ.β.ἐγκωιλῖνοι, ait, ὧ ῥήματι καλοῦσι τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν ἀλλοτρίαις οἰκίαις.Colonus autem is eſt qui rure prædium alienum incolit.

INQVISITIO eſt merum officium iudicis, quod exercere debet ad inueſtiganda delicta, vt boni mores cõſeruentur.Putant autem nonnulli, regulariter inquiſitionem prohiberi, per l.vlt.C.de accuſat. Ego nihil dubito, eam regulariter permitti, iuxta.l.congruit.D. de offi.præſid.Nam quod ipſi diſtinguunt inter generalem inquiſitionem, ſomnium eſt. Quomodo enim in genere aliquid perueſtigabit magiſtratus, quod fructum adferat Reipublicæ, niſi perueniat tandem ad ſpecialem inquiſitionem aduerſus hunc, vel illum? Quod item dicunt, ſine legitimis indiciis ſpecialem inquiſitionem non procedere, id obſeruandum eſt etiam in illa, quam ipſi vocant generalem.Nam nullus omnino poteſt in ſuſpicionem adduci, niſi ex cauſſa ſecundum iuris definitionem veriſimili: quæ cum adeſt, quilibet iudex poteſt, ſiue dicas generaliter, ſiue ſpecialiter inquirere veritatem. Solum id obſerua, quid requiratur ad legitimam inquirendi cauſſam, ne credas aniles rumores ſufficere ad lædendam hominis famam, conditionem, vel vitam. Multò minus ſatis eſt illa, quam nunc videmus frequentari, malorum hominum diffamatio, qui vel inuidia, vel quauis fraude proximum necare conantur falſis delationibus.

Inquiſitione dari, confirmaríve tutor curatórve dicitur, qui cauſſa cognita, & moribus, fide, facultatibus eius æſtimatis, magiſtratus decreto datur & confirmatur. l.2.l.7.§.fi.D.de confir.tuto.

INSCIENS pro ſciẽte.l.ſi ſeruus.34.D.de vſuca. Si ſeruus inſciẽte domino rem peculiarẽ vẽdidiſſet, emptorem vſucapere poſſe. Eſt enim hic In, articulus προσθετικός. nam ignorante domino ſi vendiderit ſeruus, vſucapioni obſtat lex XII.Tab.& lex Atinia. Sic & in capi-

tulo legis Mamiliæ in condit.agror. Qui termini hac lege ſtatuti erunt, nequis quem eorum eiicito, néve loco moueto inſciens dolo malo: ſi quis aduerſus ea fecerit, is in terminos, quos eiecerit, locóve mouerit, inſciens dolo malo. ſic enim Heruetij liber habet.

INSCIENTIA l.28.D.de iud. alio ſenſu.

INSCRIBERE, pro ſubſcribere accuſationi, id eſt, ſuum nomen accuſationis libello adſcribere: quæ res ſimilitudine ſupplicij accuſatores obligabat.l.vlt.C.de iniu. Vnde libelli inſcriptionum.l.3.§.j.D.de accuſ.l.2.§.vlt. D.eod.l.3.C.qui accuſ.poſſ.

Inſcriptio, libellus eſt accuſatorius, ſuper crimine ab aliquo commiſſo: quod vbi accuſans non probauerit, ad talionē tenebitur.l.pen.C.de accuſ.l.2.§.fi.D. de adul. Inſcriptionum Pagina.l.3.C.qui accuſ.poſ.

INSCRIPTI malefici j actio, apud Declamatores vſitata, vt apud Senecam libr.5.Declamationum, Inſcripti maleficij ſit actio. Ea autem (vt opinatur Turneb.Aduerſ.lib.10. c. 6. & iam ſuprà annotauimus) maleficij erat legibus nominatim, diſertéque non comprehenſi, neque cauti, cuius tamen actio dabatur. Quæ quidē moribus Græcorum videtur comparata fuiſſe, non Romanorum: apud quos ſcholaſticum hoc & declamatorium erat, non in Rep. vſitatum. Huius rei mentio eſt apud Heſychium & Suidam. ſic enim ſcribunt, ἄγραφα ἀδικήματα, περὶ ὧν νόμος οὐ γέγραπται. Hinc ille Senecæ iocus, Ceſtum declamatorem irridentis: Deinde libuit, inquit, Ciceroni de Ceſtio in foro ſatisfacere: ſubinde nactus eum, in ius ad prætorem voco, & cum quantum volebam iocorum conuitiorumque effudiſſem, poſtulaui, vt Prætor nomen eius reciperet lege inſcripti maleficij. Tanta illi perturbatio fuit, vt aduocationem peteret. Deinde adultum Prætori dixi, & ingrati poſtulaui. Sed ecce apud Ciceronē in Oratio. pro domo: vbi Inſcriptum contrariam habere ſententiā videtur: L.Cotta dixit nihil de meo capite potuiſſe ferri, nihil eſſe inſcriptum, aut poſſe valere. omnia cōtra leges, morémque maiorum temere, turbulēte, per vim, per furorem eſſe geſta. Locus difficilis videtur: & fortaſſe mendoſus eſt: vt IVRE SCRIPTVM potius legendum ſit, inquit Hoto. de quo tamē nihil affirmat.

INSIDIARE, pro Inſidiari. Calliſtratus.l.28.§. 9. D. de pœn. Igni cremantur plerunque ſerui, qui ſaluti dominorum ſuorum inſidiauerint.

INSITÆ picturæ, quas Vlp. in l.23.§.j.D.de aur.& arg. veſtis legato contineri ait, effigies eſſe videntur certarū rerum, vt florum, veſtibus intertextæ. Vnde pictæ togæ, quibus triumphantes amicti vrbem inibant. Acu facere id Phryges inuenerunt, ideóque Phrygiones appellati ſunt: ait Plinius lib.8. c.48. Cuiacius Inſtitæ legit, pro Inſitæ. Vide Inſtitæ.

INSIGNIA magiſtratuum.l.j.§.caſum.D. de poſtul. Inſignia Proconſularia.l.j.D.de offi.Procoſ. Inſignia militaria.l.2.§.ſed ſi.D.de iis qui not.infa. vide in ſingulis locis interpretes.

INSISTERE rei. Secundum naturam, quæ ſemper eſt ſimpliciſſima, non eſt niſi vnus poſſidendi modus, puta inſiſtere rei: ſicut ſedibus ad hoc vtimur, vt nos in aliquo loco ponamus. Quemadmodum ſolent multis in locis hæredes, quò magis ius ſuum ſuccedendi declarent, ſedem ponere in domum hæreditariam.

INSOLIDVM, alias eſt in integrum, vulgò *un ſeul & pour le tout*. Alias Inſolidū opponitur ei, quod ad hæredem peruenit.l.157.D.de reg.iur. In contractibus ſucceſſores ex dolo eorum quibus ſucceſſerunt, non tantum in id quod peruenit, verumetiam inſolidum tenentur: hoc eſt vnuſquiſque pro ea parte qua hæres eſt.

INSPICERE eſt penitus rem conſiderare. Vnde Inſpicere hominem penitus, Plin.lib.10.epiſt.99. id eſt pernoſcere. Et inſpicere agrum quem velis mercari. Cicero ad Var. Illud enim adhuc prædium ſuum non inſpexit. Sic vſurpauit Gaius.l.9. de peric. & comm.rei vend. Si poſt inſpectum prædium, antequam emptio contraheretur, arbores ventorū vi deiectæ ſunt. Hinc:

INSPECTIO, apud Cic. Phil.2. Nos enim augures ob nuntiationem ſolùm habemus: conſules & reliqui magiſtratus etiam inſpectionē. Id eſt, ἐπισκοπήν. Aliàs inſpectio etiam lectionem indicat.l.2.§.ſi dubitetur. D.quemadm.teſtam.aper. Eſt etiā inſpectio, diſputatio, diſquiſitio, conſideratio, viſio, vt alibi appellatur. Paulus.l.91.§.3.D.de verbo. obliga. Nunc videamus in quibus perſonis hæc conſtitutio locum habeat, quæ inſpectio duplex eſt. Idem l.44.D.de obli.& act. Circa diem duplex inſpectio eſt. Sic in l.63.§.quod ſi.D.de acquir.rer.dom.l.3.§.j.D.de poſ.

INSPECTOR, cui res inſpicienda datur antequam ematur.l.17.§.Pap.D.de præſc.verb. Inſpectores alio ſenſu in Rub.de cenſibus & peræqu. & inſpe.lib.11.C. qui ad inſpiciēda prouincialiū prædia releuandáque mittebantur. Sic inſpectio.l.6.C.de aduo.diuer.iudic.

INSTANTIAM aſſiduam flagitationem ſignificare liquet.l.32.& 33.D. de vſur. Quandoque litem pendentem ſignificat.l.73.D.de iud. Inſtanter & ſæpius.l.vnic. D.de lib.dimiſſ.

Inſtantia eſt exercitatio iudicij, à litis conteſtatione ad ſentētiam vſque, vel ad vltimum diem triennij, ſi diutius differatur ſentētia. Vlpianus in l.& poſt edictum. §.pen.D.de iud. Circunducto, inquit, edicto, videamus an amplius reus conueniri poſſit: an verò ſalua quidē lis ſit, verùm inſtantia tantum edicti perierit. Hoc eſt, tempus illud circumducti, ſeu deleti edicti, quo iudex peremptoriè citauit reum.

INSTIPVLARI, pro ſtipulari.l.aditio.§.vlt.D. de acq. hæred. Sicut, inquit Iulianus, in ſtipulando, & per traditionem accipiendo.

INSTITÆ ſegmenta ſunt & limbi, id eſt oræ vel ornaturæ, vt Iſidorus ait, ſiue ſint veſtibus aſſuti: vt fortè in l. veſtis.§.j.D.de auro & arg.leg. ſcribendum, Quæ veſtibus acceſſionis vice cedunt, inſtitæ, picturæ, clauíque, qui veſtibus inſuuntur. Vt Paulus Diaconus, Veſtimenta ornata inſtitis latioribus. Siue non ſint aſſuti veſtibus, vt Scribonius Largus dixit ventrem conſtringendum inſtita longa. Et Petronius arbiter: Duas inſtitas ancilla protulit de ſinu, alteráque pedes noſtros alligauit, altera manus. Acro inſtitam περιπόδιον interpretatur, quòd extrema ea parte veſtis inſuatur, quæ pertingit pedes.

INSITOR (Antiq.Lex. πραγματευτής) eſt ille qui tabernis, vinis vendendis, vel alicui alteri negotio eſt præpoſitus.l.inſtitor.j.D.de inſtit.act. vbi dicitur, Inſtitor appellatus eſt ex eo, quòd negotio gerendo inſtat, ſiue tabernæ, ſiue alij negotiationi ſit præpoſitus. Diſpenſator calendario præpoſitus dicitur etiam inſtitor.l.5. §.j.l.in eum.§.vlt.D. de inſtit. act.l.57.D.de admi.tut. Differt autem à Procuratore. nam ille quæſtuariæ negotiationi præfectus eſt: hic verò negocio cuipiā non quæſtuario.l.5.§.3.D. inſtit. actio. Item in eod.tit. in l. Inſtitor.2. dicitur is, qui tabernæ, locóve ad emendum, vendendúmve præponitur, quíque ſine loco ad eundem actum præponitur, & vide toto tit.D.& C.eod.

INSTITORIA actio, vide ſuprà Actio inſtitoria.

INSTITVERE, eſt quaſi hæredes domini intus ſtatuere, ac defuncti locum ſubintrare, ſuccedereque. Vigl.in tit. Inſtit.de hær.inſtit. Ita tamē vt id non cōtinuò fiat. in hoc enim inſtituere differt à ponere, ſcilicet quòd in illo iter eſt, in hoc meta. nec enim cum aliquem nobis hæredem inſtituimus, eum in ſede noſtra cōtinuò collocamus. nam non ſemper, olim certè perraro, teſtamenta à moribūdis fiebant. paramus ergo & reſeruamus, vt cū vſus venerit, ſucceſſor nobis ne deſit. Eſt

etiam

etiam Budæo inſtituere aliquid, auctorē, quaſique cōditorē alicuius rei fieri, exemplúmque poſteritati relinquere. Porrò inſtituere & inueſtire, iuxta traditionē Feudiſtarū, idem ſonant, niſi quòd quis inſtitui dicitur præſentialiter, inueſtiri autē etiam abſens hoc eſt, in poſſeſſionem ſtatui vel poni. Vnde inſtitui dicuntur hæredes, ab aliquo in hæreditatem ducti, & hoc in primo gradu. D. de vulg. ſubſt. l. j. in prin. Subſtitui verò, qui in locum inſtitutorū deficientiū, id eſt, morientiū, ad hæreditatē inſtituuntur: vt in ſubſtitutione pupillari, Inſtit. de pupil. ſubſti. in princ. Obſeruandum quòd non tantū inſtituere hæredē, ſed etiam creare & facere dicimus. Nihil enim refert, quibus verbis deſignetur inſtitutio, vtrū dicatur, Hæredē facio, vel volo, vel mando, vel cupio: an, Hæres eſto, vel erit. l. quoniam indignū. C. de teſt. Quinimo & parentes ſi dicāt, Relinquo liberis meis omnia bona mea: ſatis eſſe videtur ad inſtitutionē: qui niſi hoc titulo relinquant liberis legitimam, adeò corruit teſtamētum, vt non ſit opus expugnare per querelā inofficioſi. §. ad hæc aliud quoque capitulū. Nouel. Vt cum de appel. cog. nā hoc titulo & honeſtius, & cōmodius tribui ſolent hæreditates: quippe quòd magis honorari cenſentur inſtituti, quàm legatarij. l. ſi portio. D. de leg. præſtan. Inſtituere & Subſtituere hoc differunt. Hæredes enim aut inſtituti, aut ſubſtituti dicūtur. inſtituitur primo gradu, ſubſtituitur ſecundo vel tertio ſcriptus. Paul. libr. Sent. 3. c. 6. & l. j. D. vul. & pup. Vide SVBSTITVERE.

Inſtituere, alias eſt incipere. Cicero pro Cluentio: Quæſo inquit, vt me, iudices, ſicut facere inſtituiſtis, benigne attentéque audiatis. Aliàs, & propriè, Inſtituere, eſt aliquid grauiter decernere: vt Inſtituta maiorū. Aliàs denique accipitur pro docere: vnde Inſtitutiones iuris appellantur.

Inſtituere vineas, in fundo ponere, & plantare ſignificat l. pen. D. loc. l. j. C. de rei vind. Sic Cicer. in Rullum Vtrum hæc lex, eſt an tabula Neratianæ auctionis? in qua ſcriptum fuiſſe aiunt: Iugera cl. in quibus oliuetum fieri poteſt. Iugera ccc. vbi inſtitui vineæ poſſunt. Aliàs abſolute ponitur, vt hoc loco; In conducto fundo ſi conductor ſua opera aliquid neceſſariò, vel vtiliter auxerit, vel ædificarit, vel inſtituerit.

INSTITVTIONES, in omnibus ſtudiis primum ſibi vendicare locum dubio procul neceſſe eſt, vtpote prima veſtigia cuiuſque ſcientiæ mediocriter tradentes. Conſtitu. D. 2. §. itaque cum dubio. Loquitur autem de inſtitutionibus non tantum iuris, verum etiam aliarū diſciplinarum. Inſtitutiones iuris ſimpliciter proponendæ ſunt tyronibus, Conſtit. D. j.

Inſtitutiones hæ, quæ vocantur (inquit Politianus. c. 84. Miſc.) in iure ciuili, Iuſtiniani principis nomine editæ, ſed à Triboniano tamen, doctiſque aliis viris compoſitæ, etiam Græcè ſcriptæ ſub eodem prorſus intellectu reperiuntur: niſi quia ritus quidam, conſuetudinéſque Rom. veteres vberius aliquanto & latius in Græco ipſo, quàm in Latino Codice referuntur: vt peregrinis hominibus, atque à Rom. more conſuetudinéque alienis res tota penitus innoteſceret.

INSTITVTVS dicitur, qui in ipſo ſuccedendi gradu & capite conſtitutus eſt. Subſtitutus verò, qui ſubiungitur, & ſubtus, hoc, eſt, in ima cera ſcribitur. Vigl. in Inſti. de vulg. ſubſt. Hinc ab inſtitutis exheredatus, à ſubſtitutis præteritus. Item per contrarium, Ab inſtitutis præteritus, A ſubſtitutis exheredatus, legimus. Vt ſi teſtator ſcripſit, Titius & Seius hæredes ſunto, Sempronius autem filius meus exheres eſto, hoc eſt, exheredatus ab inſtitutis, id eſt, à patre, quatenus ad inſtitutos attinet. Si verò dixerit: Titius & Seius ſi hæredes non fuerint, Gaius hæres eſto, vel Gaium ſubſtituo: hîc nulla fit mētio Sempronij filij. Ergo à ſubſtitutis, hoc eſt, quantum pertinet ad ſecundum gradum ſubſtitutionis, præteritus eſt à patre. l. j. §. ſi venter. D. de ventr. in poſſ. mitten. Inſtitutum hæredem eum quoque dicimus, qui ſcriptus non eſt, ſed ſolummodo nuncupatus. l. j. §. D. de hæred. inſtit.

INSTRVERE accuſationem, vel actionem, vel litem, eſt literis, ac teſtibus, ceteríſque ad probandum neceſſariis eam adornare. Vnde inſtrumentum litis vocat Quintilianus, quicquid ad inſtruendam litem, id eſt, cauſſam pertinet: quod nos Productionem dicimus.

INSTRVCTVM ab Inſtrumento ſic differt, vt ſcribit Hotom. vt totum à parte. nam inſtructi nomine, non modò quæ fundo neceſſaria ſunt, cōtinentur: verùmetiam quæ præterea teſtator habuit, quibus ſuū fundū inſtruxit. Inſtrumenti verò, ea duntaxat ſine quibus fundus dici inſtructus non poteſt. Vlp. l. 12. §. 15. D. de inſtr. vel inſt. Sed ſi fundus non ſit cum inſtrumento legatus, ſed ita vt inſtructus ſit: quæſitū eſt an plus contineatur, quam ſi cum inſtrumento legatus eſſet. & Sabinus ſcribit fatendū eſſe plus eſſe cū inſtructus fundus legetur, quā ſi cum inſtrumento. Item: Omnia quæ eo collocata ſunt, vt inſtructior eſſet paterfamiliàs, inſtructo cōtinebūtur, id eſt, quæ ibi habuit, vt inſtructor eſſet. Hoc ergo legato non agri inſtrumētum, ſed proprium ſuum inſtrumentum reliquiſſe videtur. Vide cætera, & ſimul coniunge. l. j. & l. 2. C. de verb. ſig.

Inſtructam tabernam ſic accipiemus, inquit Vlpianus, quæ & rebus & hominibus ad negociationem paratis conſtat. l. 185. D. de verb. ſig. l. 3. D. de inſt. vel inſt.

INSTRVMENTORVM nomine ea omnia accipienda ſunt, quibus cauſſa inſtrui poteſt: & ideo tam teſtimonia quam perſonæ inſtrumentorum loco habentur. l. j. D. de fid. inſtr.

INSTRVMENTA Iuſtinianus à literis ſeparat in l. j. C. de iuram. propt. cal. In omnibus cauſſis, ſiue propter literas fuerit certatum, ſiue propter inſtrumenta, ſiue propter quicquam aliud, &c. Inſtrumenta ergo ſunt quas Cicero literas publicas appellat: hoc eſt, quæ vel à perſona publica, veluti ſcriba magiſtratus, vel tabellione ſcripta ſunt. Literæ verò hic appellantur, priuatæ: veluti Rationes, breuiaria, codex accepti & expenſi, ſyngraphæ, & cautiones à patrefa. conſcriptæ.

Inſtrumenti cauponij nomine ſerui & ancillæ continentur. Vlp. l. 43. §. 3. D. de ritu nuptiarum. Multæ adſolent ſub prætextu inſtrumenti cauponij proſtitutas mulieres habere.

Inſtrumentum eſt apparatus rerum diutius manſurarum, ſine quibus exerceri poſſeſſio nequiret. Caſſius dicebat inſtrumenti ea eſſe, quæ ad tutelam domus pertinerent. l. quæſitum. D. de inſtruct. vel inſtrum. leg.

INSVLÆ (Antiq. Lex συνοικίαι) adpellatæ ſunt, vt Feſtus ait, quæ communibus parietibus non iunguntur cum vicinis, ſed circuitu publico aut priuato cinguntur, à ſimilitudine videlicet earum terrarum quæ vndique aquis circundantur. Vel ſic: Inſulæ erant ædificia, quæ proprio ambitu conſtabant. Harum fit mentio in innumeris Digeſtorum locis, cui adde quod Tacitus lib. 15. refert. Neronem conſtituiſſe, vt ne communione parietum, ſed propriis quæque domus muris ambirētur. Hinc

INSVLARII, Inſularum cuſtodes. l. fi. D. de inoffic. præfect. vig. l. 203. de verb. ſig. D. l. 16. §. j. D. de vſu & hab. Dominus proprietatis etiam inuito vſufructuario, vel vſuario, fundum vel ædes per ſaltuarium vel inſulariū cuſtodire poteſt.

INSVLARVM in mari, vel flumine enatarum meminere. l. 17. D. de leg. 3. l. 26. D. de except. rei iud. Plinius lib. 2. c. 86. Inſulas in l. 33. C. de appel. in mari Ægeo & Ionio & circa Aſianum tractum intelligi oportet, veluti Cycladas, Rhodum, Cyprum. eodē modo præſidē In-

ſularum intellige.l.pen.C.vbi de cauſſ.ſtat.& Nouell. 8.& l.4.de naucicul.lib.11.C.

INSVPERHABERE, eſt omittere, aut ſúſque déque habere, Pap.in l.ſunt perſonæ.D.de relig.& ſumpt. funt. Nam propter publicam vtilitatem, ne inſepulta cadauera iacerent, ſtrictam rationem inſuperhabemus, quæ nonnunquam in ambiguis religionum quæſtionibus omitti ſolet. Idem Pap.in l.hæredem.D.de his quæ vt indig.Hæredem, inquit, qui ſciés defuncti vindictam inſuperhabuit, fructus omnes reſtituere cogédum exiſtimaui. Sicque.l.2.C.ſi omiſſ.cauſ.teſt. legendum, Quod ſi cum neque adiri ex teſtamento hæreditas, neque bonorum poſſeſſio peti poſſet, iudicium defuncti non inſuperhabitū, ſed ad irritum iuris ratione vocatum eſt. Apuleius lib.4.de aſino aur. Quod ſi pergas vlterius, iam faxo lacrymis iſtis, quas paruipédere latrones cóſueuere, inſuper habitis, viua exurare.

INTEGRI reſtitutio eſt, redintegrandæ rei, vel cauſſæ actio, inquit Paul.lib.Sent.j.c.VII.vel ſic, Integri reſtitutio eſt actio Prætoria, qua rem certá, aut ius, aliámve quamlibet cauſſam redintegrari poſtulamus: cū quid per metum, vel dolum, vel ſtatus permutationem, vel iuſtum errorem, vel abſentiam neceſſariam, vel ætatis infirmitatem geſtum eſſe dicitur.l.j.& l.2.D.de in integrum reſtitut. Vide Reſtituere in integrum.

INTENDERE hi dicuntur, qui rei diligenter incumbūt. Vnde cum actor multa opera intendere & incumbere ſuæ petitioni debeat, Intentio pro Actione vſurpata eſt.l.ſi quis intentione ambigua.D.de iud.item l.2.in princ.vbi eſt text.elegans.l.generaliter.D.de except. cum ſimi.per Zaſ.citatis in l.qui ſe debere.de condit. cauſ.data, cauſ.non ſecuta. Sic Cicero docet, ſtatum cauſſæ, & controuerſiam conſiſtere in intentione & reſponſione, id eſt, in actione & defenſione.

Intendere præciſè, pro actionem intendere, id eſt agere, & vt vulgò loquimur concludere.l.8.D.ſi ſerui.vind. l.5.D.ſi vſusfr.pet.l.139.D.de verb.oblig. Sic Cicero in Quintiana: Sibi eum nuper edidit ſocium, quem, quomodo nunc intendit, ne in viuorum quidem numero tum demonſtrat fuiſſe. Hinc:

INTENTIO paſſim pro Actione, quæ in iudicio intenditur, inſtituitúrve: aut certè pro libello actionis, vt l. 9.§.proinde.D.ad exhib.l.66.D.de iudiciis.§.ſi quis agens, Inſtit.de actionib.

Intentio, eſt prima pars, cum ſcilicet actor proponit, & facit litem: formatúrque hæc actio ex αἰτίᾳ, id eſt, ex cauſſa. Depulſio eſt reſponſio rei, quæ ex contineti ad refutandam cauſſam accipitur, iuxta Rhetorū doctrinam: à quibus, Alciato indicante, accepta videri poteſt continentia cauſſæ. Nulli, inquit lex, audientia præbeatur, qui cauſſæ continentiam diuidit. C.de iudic.l. nulli. Doctores intentioné quandoque pro Exceptione, aduerſus ſermonis proprietatem accipiunt, quamuis etiam alia ſignificet. Sciendum etiam, quod intentio vel actio edita potius eſt iuriſconſultis veteribus (qui non ſecundum Pontificum, aut Iuſtiniani in Authenticis idioma, ſed ex ea lingua intelligendi ſunt, quæ apud doctos tempore ſuo in vſu erat) qui libellus Conuentionalis vulgò dicitur. Rubrica extra.de libel. oblation. Authen.offeratur.C.de lit.conteſt.

Intentio pro voluntate, & mente.l.10.D.de ali.lega. Intentio voluntatis.l.77.§.donationis.D.de leg.3.

INTER cæteros exheredare, & Nominatim exheredare, de quo ſuo loco dicemus, contraria ſunt. Cæterorum appellatio in hac formula inde fluxit, quòd iure antiquo filij præteritio teſtamentum faciebat nullum: filia autem ceteríſque liber.id eſt nepotibus, neptibus, &c. præteritis, teſtamentum valebat. Item filij ſi non inſtituebantur, nominatim exheredandi erant: filiæ: ceteríque liberi etiá inter cæteros exheredari poterát, his verbis: CÆTERI exheredes ſunto. qua vulgari formula non tantum liberi, ſed & parētes, conſanguinei, agnati, cognati, affines, amici exheredari poterant.l. Luc.53.D.de hæred.inſt. Hæc ex Vlp.Inſt.c.22.& l.vlt. C.de lib.præt.§.nominatim.§.poſthumorum.Inſt.de exhered.lib.

Inter ſicarios vſitata loquēdi formula apud auctores Latinos, pro de ſicariis. Cicero.li.j.de finib. Inter ſicarios quæſtioné exercere. Idē in Cluētiana, In Q.Sergij Senatoris eius qui inter ſicarios damnatus eſt, manus incidit.

INTERCALARE, interſerere. Hinc dies Intercalaris, quem quarto quoque anno.C.Cæſar, vt anni ratio cum Solis curſu cōgrueret, inſtituit inter calari ad VI. Kal.Mart. qui & inde Biſſextus dictus eſt, quòd bis ſextus dies ante Kalen.Martias numeraretur. Vlp.l.3.§. minorem.D.de minorib. Proinde & ſi biſſexto natus eſt, ſiue priore, ſiue poſteriore die, Celſus ſcripſit nihil referre: nam id biduum pro vno die habetur.& poſterior dies Kalendarum intercalatur. vide Macrob.lib.j. c.13.& 14.& l.98.D.de verb.ſig.& Plin.lib.II.c.VIII. vide ſuprà BISSEXTVS.

Intercalaris Menſis, is erat qui ante Iulium Cæſarem interponebatur, vt annus ad curſum ſolis quadraret, vt refert Suetonius. Conſtabat autem. XXVIII. diebus, nec ex XXIX. vt alij volunt, aut XXII. aut XXIII. eiúſque erat initium pridie Kal.Mart. vt ex Q.Mutio Celſus refert.l.cum biſſextum.D.de verb.ſignifi.

INTERCEDERE, eſt interponi & interſeri.l.3.§.minoré.D.de minorib. aliàs pro interuenire.l.fructus eſſe.§. diuortio facto.D.ſol.mat. Sumitur & pro contradicere, impedire. Papinianus in l.ſi.D.famil.erciſc. Si non intercedat, inquit, ætatis auxilium.

INTERCEDERE, fideiubere, id eſt fidé ſuam pro alio obligare, vt in S.C.Velleiano.l.2.D.ad S.C.Velle. De ea re ita cenſuerunt, Quod ad fideiuſſiones & mutuationes pro aliis quibus interceſſerint fœminæ, pertinet. Sic enim legendum eſſe non auté CONSVLVERVNT, & MVTVI DATIONES, in Obſeruation. ſuis oſtendit Hotom. ann. Cicero. quoque hoc verbo in hac re vſus eſt, Epiſt.14.lib. Ad Att.j. Accerſiuit ad ſe, promiſit, interceſſit, dedit.& in Philipp.2. Orabat, vt te cōtra ſuū patré, ſi ſeſtertiū ſexagies peteret, defenderé. tantū enim ſe pro te interceſſiſſe dicebat. Hinc:

INTERCESSORES, pro fideiuſſoribus.l.3.§.ſi filius.D. de pecul.l.23.D.de hæred.vend.

INTERCEDERE propriè fuerat Tribunorum plebis, quibus ius intercedendi concedebatur. Nam in hoc creatos dicit Gellius, non vt ius dicerent, ſed vt intercederent opponeréntque ſeſe iniuriis ac violentiis. Intercedere enim poſt alia ſignificata, accipitur pro inhibere, coërcere, vetare. Vnde interceſſionem vulgò oppoſitionem dicimus. Cæſar bel.ciu.j. Refertur ſtatim (ait) interceſſione Tribunorum.

INTERCIDERE ædes, aquæductus.l.7.D.quod vi aut clam. Rationes, codicillos.l.j.§.fi.D.de fer.cor.l.4.l.13. D.de falſ.

INTERCIPERE lucri faciendi cauſſa, id eſt ea mente vt lucretur interuertere, & contrectare.l.j.l.44.D.de furt.l.pen.D.lib.cauſ. Hinc: Interceptarum pecuniarum reus, apud Suetonium in Domitiano. vtuntur & in eadem ſignificatione, & ſenſu Iuriſconſulti verbo Interuertendi.l.20.l.29.D.de furt.l.18.D.de ſolut.

INTERDICERE antique dicitur pro vehementius & imperioſius decernere. nam vox Inter nōnunquá vim augendi obtinet, vt in verbis interficere, interimere, interturbare, & aliis huiuſmodi. Prætor enim his in rebus vel maximè ac diligētiſſimè decernebat. Cicero in Orat.pro Cecinna: Prætor interdixit, vt vnde deiectus eſſet reſtitueretur. Id eſt edixit. Alias prohibere

ſonat.

ſonat.Hinc Interdici bonorum adminiſtratio à Prætore dicitur iis qui malè rem gerũt. Cicero de Seneċt. Vt quemadmodum noſtro more malè rem gerẽtibus patribus bonis interdici ſolet.Hinc illa interdictionis formula apud Paul.lib.3.Sent.tit.4. Quando tua bona paterna auitaque nequitia tua diſperdis, liberóſque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re, commerciόque interdico.

Interdicere aqua & igni, formula legitimi exilij priſcis temporibus vſitata.Quoties enim quis exilij pœna dignus videbatur,ei nulla exilij facta mentione, tecto, aqua,igni interdicebatur.ita earũ rerum quæ maximè ſunt ad vitã ſubſtentandã neceſſariæ,vſu priuatus, cũ vno aëris alimento cõtentus eſſe non poſſet,abire cogebatur, Ex quo exulare ciues Romani dicebantur. patet hoc in Orat.Cic.pro Domo ſua, vbi ita ſcriptum eſt:Qui erant rerũ capitalium condemnati,non prius hanc ciuitatẽ amittebant,quàm erãt in eã recepti,quò vertendi,hoc eſt mutãdi ſoli cauſſa, venerant. Id autẽ vt eſſet faciundũ,nõ ademptione ciuitatis,ſed tecti,& aquæ & ignis interdictione faciebãt.Ac ne ciues quidẽ omniũ improbiſſimi atque audaciſſimi,cum in ſuos inimicos acerrimo incitati odio,non leges, ſed priuilegia ferrent,exiliũ nominabãt,ſed iis aqua & igni interdicebant.Huc adiunge quod ſcribit Lactãtius lib.2. Inſtitutionũ diuinarũ.c.10. & illud Serui in lib.12. Æn. Ad facienda fœdera,inquit,aqua & ignis adhibentur. vnde econtra,quos arcere volumus à noſtro conſortio,eis aqua & igni interdicimus, id eſt rebus quibus cõſortia copulãtur.Sic de ipſo Cicerone, quod in iam citata Orat.legimus.P. Clodius trib. pleb.cui nihil in tota vita modeſtiæ fuit,qui in tribunatu pro ſua libidine,neglecto more maiorũ,abiectis legibus:cũcta geſſit,ita populum rogauit,Velitis,iubeatis, vt M. Tullio aqua & igni interdicatur.Neque ſolũ Clodius,ſed antea quotquot homines maximè ſeditioſi.C.Gracchus, & L.Apuleius Saturninus,de ſuis inimicis eodem modo tulerũt,vt ex eadẽ Oratione colligi poteſt. Et minorẽ ſiue mediã capitis deminutionẽ,cum ciuitas etſi non verbo,re tamen adimebatur,ita fieri ſolitã tradit Iuſtin.Inſtit.de c.deminu.§.j.Minor ſiue media capitis deminutio eſt,cum ciuitas quidem amittitur, libertas verò retinetur:quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit,vel ei qui in inſulã deportatus eſt. Erat autẽ,vt neque flagitia ſunt paria,ſic hoc pœnæ genus, neque loci ſpatio, neque tẽporis æquale. quibuſdam enim tãtum intra vrbem,hoc eſt intra pomœrij fines, aliis longius aqua & igni interdicebatur:quod vt exẽplis non indiget,ita per ſe ſatis notũ eſt. Vide Manut. lib.de legib.Rom.

Interdicere præciſa locutione dicimus, pro Per Prætorẽ interdicere, vel Interdicto agere.Iulianus. l. 6.D. ne quid in loc.publ. Et qui hoc interdicto experitur, ne quid in loco publico interdicat,nihilominus procuratoris dandi facultas eſt.Vlp.l.3.§.5.D. vti poſſidetis.Labeo quoque ſcribit,Ex ædibus meis in ædes tuas proiectum habeo.interdicis mecũ ſi eum locũ poſſideamus,qui proiecto tegetur.an quo facilius poſſim retinere poſſeſſionem,eius poſſeſſionis interdico tecum, ſicuti nunc poſſidetis ædes eas,&c.Item in l.j.§.22. D. de aqu.quot.& æſti.Item.l.3.§.4.D.quod vi aut clàm,& aliis locis innumeris.Fab.lib.3.c.6.Non debuiſti interdicere,ſed petere:an rectè interdictum ſit ambigitur. id eſt.Non debuiſti interdicto vti,ſed actione: an rectè actum ſit interdicto,ambigitur.

Interdicti in tit.D.de interd.& releg.ſunt quibus, vrbis,patriæ, religioníſve alicuius interdictũ eſt aditu:veluti ſi quis Roma abeſſe iubeatur à Conſule:vt L. Lamia eques Romanus,quẽ P.Gabinius Conſul iuſſerat ab vrbe abeſſe millia paſſuum ducenta. Item ſi cui à Præſide Prouinciæ,veluti Siciliæ, aditu ſuæ prouinciæ interdicatur.Cuius rei exempla ſuppeditant.l.7.§. 4.l.5.l.6.D.eod.& l.8.D.de teſtam.

Interdictvm pro prohibitione dixit Paulus lib.2. Sent.tit.10.Qui filiofam.contra interdictum ampliſſimi ordinis pecuniã mutuam crediderit.Sic apud Horatiũ in Sermonibus:Interdicto huic adimat ius Prætor,id eſt,interdictione bonorum.

Interdicta formulæ ſunt, quibus Prætor iubet aut vetat aliquid fieri,quæ dantur illi ad quem ea res pertinet,aduerſus eum cum quo ille de poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione,vel iure aliquo ſuo aut publico contendit.Eadẽ dicta rectè dixeris,vt l.81.D.de verb.ſign. Cum Prætor dicat vt opus factum reſtituatur, id eſt interdicat,interdicto puta,De operis noui nuntiatione,vel Quod vi aut clam,& Quod in loco ſacro,ſancto,religioſóve,& Quod in flumine publico ripáve publica,&c.Et in l.videamus.D.de vſuris,Verbum reſtituas,quod in hac re Prætor dixit, id eſt interdixit, interdicto fraudatario ſcilicet.& l.vlt.D. de precario, Rectéque dici,Quod precariò habes.Iuſtin. §.ſunt tamen.de interdict.Interdictum dici vult, quòd inter duos dicatur.At illud ſcitè magis quam vere: verius enim,vt interlocutiones, quod interim rogentur, vt loquitur.l.3.§.vlt.D.de hom.lib.exhib.vbi Græci etiam ipſi verbo ἐξωτὲρ vtuntur,quódque dicantur interim à Prætore,quaſi momento valitura, niſi ſecundum eum iudicetur qui vtitur interdicto.qui ordo in actionibus non obſeruatur. nihil ante actionem interim quod obtineat dicitur,decernitúrve.Idem videtur Iſid.ſenſiſſe lib.5.c.24.Alij Interdictum à prohibitione deduci volunt,quæ Prætorum edictis plerunque inerat.Porrò interdicta dicuntur ferè omnia à primis verbis vnde incipiunt,vt Vti poſſidetis,de quo.l.j. D.eo.& Feſt. Pompeius lib.10. Vnde vi,de quo item.l.j. D. eod. & Cicero in Orat.pro Cecinna.Sic Quorum bonorum, Quod legatorum, Vtrubi, Quod vi aut clam, Quod precario,&c.Sunt & Interdicta,quæ ab inuentoribus nomen ſortiantur,vt Saluianum:alia etiam quæ à materia de qua in iis tractatur,vt,Ne quid in loco publico fiat,De locis & itineribus publicis,&c.

Interdictum inter & Decretum tantundem intereſt quãtum inter ſpeciem & genus.nam decreta alia perpetuæ,alia temporalis iuriſdictionis cauſſa interponuntur.illa ſuum nomen retinent, hæc Interdicta nominantur:quia inter illa duo tempora interiiciuntur.Niſi etiã dicamus ſic,illa decreta eo magis interdicta nominata eſſe,quia magna ex parte prohibitoria ſunt: ſi minus verbis & formula:vi quidem ipſa & effectu ac facultate.Tribus autem de cauſſis inſtituta ſcribit Hotomanus.Prima eſt,ad vim vlciſcendam & coërcendam.nam qui vi quid fecit,vſque eò coërcetur,vt quãuis id iure fecerit, tamen interdictum aduerſus eum detur:vt l.j.§.2.D.de iti.actúque pri. l.j. D. de fonte.l.j. de cloac.& alibi perſæpe.item qui vi de ſuo deiectus eſt,vel prohibitus ad ſuum accedere, ſi in rem actionem inſtituerit, tametſi ea ratione aduerſarium poſſeſſorem conſtituat,tamen interdicto vti, & per illud poſſeſſionem perſequi non prohibetur.quod ſanè ius quoddam ſingulare eſſe conſtat, in odium vis illatæ comparatum.l.cum fundũ.18.§. vlt.D. vnde vi,& de vi ar.& l.naturaliter.§.j.D.de acq. poſſ.vbi is qui egit in rem, poteſt tamen interdicto Vti poſſidetis vti.quia non videtur vti possid. renuntiaſſe, qui in rem egit.quomodo eo in loco legi vult idem Hotom. Altera cauſſa eſt,propter commodum poſſeſſionis: veluti vt is cui colonus res ſuas obligauit, poſſeſſionem adipiſcatur:quamuis Seruiana, vel certi condictione agere poſſet.ſic ſuperficiarius ciuiles habet actiones. ſed quia melius eſt poſſidere potius, quàm in perſo-

nam experiri,propterea interdictum proponitur.l.j.§.j.D.de ſuperfic. Tertia cauſſa eſt, propter proprietatem,vti docet Paul.in l.2. §. quædam.D.de interd. vbi ait ea interdicta quæ rei perſecutionem continent, proprietatis cauſſam continere, & ea quæ ad rem familiarem pertinent, proprietatis, non poſſeſſionis, cauſſam habere.

Interdictum eſt decretum Prætoris, quo quid,præſertim in poſſeſſionum controuerſiis, fieri iubet, aut vetat. Alia autem exhibitoria ſunt,per quæ Prætor iubet exhiberi:ait Imp.§.j.D.de interd.alia noxalia ſunt, quibus noxæ ſeruum dedere permittitur.l.5.D.de interd. alia prohibitoria ſunt, quibus Prætor vetat aliquid fieri,ait Imper.§.j. D.de interd.alia reſtitutoria ſunt, quibus Prætor reſtitui aliquid iubet:ait Imp. §.j.D. de interd.alia ſimplicia ſunt,in quibus vter actor aut reus ſit conſtat:duplicia verò,vbi non conſtat.l.2. D. de interdict.

Interdictum FRAVDATORIVM dicitur, quo Prætor ea quæ in fraudem cuiuſpiam geſta erãt reſcindit, veluti pupilli aut creditorum.Papin.l.96. D. de ſol.Sed & interdicto fraudatorio tutoris creditor pupillo tenebitur.Valens.l.67.D.ad S.C.Treb.Etiam eo tempore, quo creditorum fraudandorum conſilium inibis,citra periculum interdicti fraudatorij hæreditatem ſuſpectam adibis.Itẽ,Vix fraudatorio interdicto locus erit.

Interdictum DE AQVA quotidiana & æſtiua ei datur, qui aquam quam anno proximo duxit, ducere prohibetur:dummodo iure vti ſe putet, aut ſine vitio eodem anno duxerit.Eſt prohibitorium, & reſtitutoriũ, pertinétque ad aquam non modò quæ agris, verumetiam quæ nobis,vrbaníſque prædiis vſui ſit.l.j.& paſſ. D.de aqua quot.& æſtiu.Sed adiungitur his aliud hoc titulo interdictum prohibitorium, de aqua publica, quæ ex caſtello,id eſt diuidiculo aquarum publico ducitur permiſſu Principis:quod tamen non ad poſſeſſionem, ſed ad tuendum ius aquæ pertinet magis, quam Princeps adſignauit, atque de iure non de facto eſt.

Interdictum DE ARBORIBVS CÆDENDIS, prohibitorium eſt,& de arboribus vicini,ſiue is in ſolidum, aut ex parte dominus,ſiue fructuarius ſit, per quas fit ne prædium meum,qualiter velim poſſideam, conlucandis,vel ſublucandis,vt dicebant veteres, vt dicunt recentes,de adimendis,ſi ex ædibus tuis in ædes meas impendeant,vel coërcendis,ſi ex agro tuo in agrum meum,quo nomine etiam eſt actio ciuilis.Vide l.j. D. de arb. cædend.

Interdictum DE CLOACIS, ad vrbanas referri debet, nec ad retinendam poſſeſſionem datur,qua de re Prætor interdicere dedignatur. l. j. D. vti.poſſ.ſed quod maxime pertinet ad publicã ſalutem, ſecuritatémque, ad reficiendas & purgnandas cloacas:in quo hoc proprium eſt,vt detur etiam ei qui ab aduerſario vitioſe poſſidet.Eſt autem prohibitorium, & de cloaca priuata.Sed eſt & aliud prohibitorium, & reſtitutorium de publica,Ne quid fiat in cloaca publica:& ſi quid in ea re factum erit,quo vſus eius deterior ſit, fiat, vt reſtituatur.Vide l.j.de Cloacis.

Interdictum DE FLVMINIBVS prohibitorium & reſtitutorium eſt,& aduerſus eum competit qui quid in flumine publico,ripáve eius facit, aut immittit, quo ſtatio iterve nauigio deterior ſit.l.j. D. de fluminib. Quod & de mari intelligendum eſt, ſi quid in eo fiat, vel litore, quo portus,ſtatio, nauigatióque deterior ſit,fiat,& in flumine non nauigabili, ſi quid fiat, quo exareſcat,vel aquæ curſus impediatur: non ſi in torrente,id eſt quod flumen hibernum dixit Horatius.

Interdictum DE FONTE,eſt quo is qui fonte, alióve loco vnde aqua viua naſcitur, quo anno proximo ſine vitio vſus eſt,vti prohibetur,adiuuatur.l.j.D.de fonte.

Interdictum DE GLANDE LEGENDA prohibitoriũ eſt,& cõpetit ei cuius ex agro glans, id eſt fructus cuiuſuis arboris,in alienum decidit, vt ei tertio quoque die legere auferre glandẽ ſuam liceat. l. j. D. de gland. leg.Frontinus maluit fructum quam glandem dicere.

Interdictum DE IN POSSESSIONEM MISSO, datur ei qui dolo malo fecerit, quo minus quis permiſſu Prætoris,eiúſve cuius ea iuriſdictio fuit, in poſſeſsionem bonorum ſit.l.j.D.ne vis fiat ei.

Interdictum DE ITINERE ACTVQVE PRIVATO ei redditur,qui proximo anno itinere. actúve, ſiue iure, ſiue iniuria, dies non minus triginta nec vi, nec clàm,nec precariò eſt vſus, ſi eo vſu nunc prohibeatur:item ei qui iter, actúmve, quo anno proximo eſt vſus,reficere prohibetur:ſi ſe vſum hoc anno, & iure ſeruitutem illam habere doceat.l.j.& l.3.D.de itin.act. Cæterum in vtroque interdicto,& in hoc titul. oratio coniuncta pro diſiuncta accipitur. nam ſufficit alterutrum probare, vel iter vel actum hoc anno in vſu habuiſſe.

Interdictum DE HOMINE LIBERO exhibendo, populare & pœnale eſt, quod in eum datur qui ſupprimit liberum hominem, id eſt eum qui pro certo liber eſt.nam ſi de libertate agatur,ceſſat hoc interdictum: ſed inſtitutiones dant aliud quaſi præparatorium adſertionis,ſicut & ad exhibendum actionem eo nomine dari conſtat.l.de eo.ad exhib. Vide l.j. D. de hom. lib.exhib.

Interdictum DE LIBERIS EXHIBENDIS & ducendis exhibitorium,aliud ſimul ac prohibitorium, vt filium vel nepotem exhibeas,qui eſt in poteſtate mea, etiam ſi bona fide eum retineas:& ne vim mihi facias quominus exhibitũ eum ducere poſſim. quo reddito, non vtique ſtatim ius ductionis eſt.nec,vt cætera,hoc interdictum momenti beneficium appellari poteſt.nã redditur ſub condicione,ſi in poteſtate eſt:quod actorem hoc interdicto prius quã ducat implere oportet: ideóque interim fœminam & prætextatũ prætor apud matremfamilias deponi iubet.& ex eo apparet hoc interdictum quaſi proprietatis cauſſam continere. Vt eſt quaſi poſſeſſio,ita quaſi proprietas: & quaſi proprietas,veluti ius patriæ poteſtatis.l. j. §.j. De rei vind. & ius patronatus.l.talem.§.j.de hær.inſt.propter quod etiam dabitur interdictum de liberto exhibendo & ducendo.l.2.de interd.nam & propter ius mariti eſt interdictum de vxore exhibenda & ducenda. l. 2. hoc tit.etiam aduerſus ſocerum,non etiam aduerſus generum,De filiaf.exhibenda & ducẽda, ne bene concordantia matrimonia turbentur iure patriæ poteſtatis, vt eleganter ait.l.j.& ſimiliter Afranius Diuortio, qui tamen locus apud Nonium nondum emendatus eſt:

O dignum facinus adoleſcentis,optimas,
Bene conuenientes,concordes cum uiris,
Repente uiduas faciat ſpurcitia patris?

Interdictum DE LOCO PVBLICO,prohibitorium eſt, ne publicanis,puta qui conduxerunt areas,inſulas,aut balneas publicas,aut porticus,lacus,aut ſtagna, vel his quas in ea conductione ſocios ſibi adiunxerunt, vis fiat,quominus ex lege locationis publicis locis fruantur;extra quam ſi quis,cui id conceſſum eſt, ſtatuam, vel imaginem in publico loco ponere velit.hoc enim poteſt inuitis conductoribus, ſi Senatus aut princeps permiſerit.Permiſſu opus eſt ex edicto Claudij, quod refert Dio L VIII.niſi quis publicum opus ædificet, vel reficiat.

Interdictum DE LOCO SACRO aduerſum eum datur, qui in ſacro loco aliquid fecit,immiſit,vt id reſtituat. l.j.D.ne quid in loc.ſacr.

Interdictum DE MIGRANDO competit inquilino,qui

rem ſuam domino prædij pro mercede nō obligatam, auferre vult: vel obligatam quidē, ſed cum aut mercedem ſoluiſſet, aut eo nomine ſatisfactum eſſet, aut per dominum ſtaret, quominus ſolueretur, l.j.D.de migr.

Interdictum DE MORTVO INFERENDO habet locum, vt quis nō prohibeatur mortuū inferre, & ſepelire quò licet ei inferre & ſepelire, vt D.eo.tit.l.j.in prin. vt ſi in via prohibeatur vel ſepulchrū ædificare, vel lapides ad ædificandū per fundum ducere, vt D.eo.tit.l.j.§.Prætor ait.& §.ſi iter mihi.§.vim habere.& §.fi.&c.

Interdictum NE QVID in loco publico vel itinere fiat, aduerſus eum redditur, qui quid in loco publico fecit, ínve eum locum immiſit, qua ex re quid illi damni detur, præterquam quod lege, ſenatuſconſulto, edicto, decretóve principum ei conceſſum erit, l.j.D.ne quid in loco pub.

Interdictū DE NOVI OPERIS nunciatione, datur ei, qui prohibetur ædificare, poſtquam ſatiſdederit: vt D.eo.tit.l.Prætor ait.§.hoc autem interdictum. Nam hoc interdictum competit, ſi in ſolo ſuo ædificat, aut locum habet remiſſio, vt D.eo.tit.l.non ſolùm.§.ſciendum. Et tunc non poteſt vltrà ædificare, niſi conſtet eum habere ius ædificandi, vt in §.præalleg. Hoc interdictum etiam datur in eum, qui non ſatiſdedit vt ædificet, vt D.eodem titu.l.de pupillo.§.ſi plurium.& §.meminiſſe.& tenetur denunciare, etiam ſi ius ædificandi habet, vt ea l.§.j.& §.ſi is cui. Et ſi poſt ædificauit, totum ſuis ſumptibus tenetur demoliri, vt D.eod. tit.l.ſtipulatio.§.ſiue autem. Et interdictum de noui oper.nunt. imperator nominat edictum, l.j. D.eo.tit. vbi dicit: Hoc edictum, remediúmque operis noui nunciationis aduerſus futura opera inductum eſt, non aduerſus præterita, hoc eſt, aduerſus ea quæ nondum ſunt facta. Nam ſi quid operis factum fuerit, quod fieri non debuit, ceſſat edictum de noui ope.nuntia.& erit tranſeundum ad interdictum, Quod vi, aut clàm factū erit, vt reſtituatur. Et hæc nunciatio non habet neceſſariam aditionem prætoris: poteſt enim quis nunciare nouū opus, etſi prætorē non adierit. Item poteſt fieri proprio & alieno nomine, & omnibus diebus etiā aduerſus abſentes, inuitos & ignorantes, vt hæc clarè ponit text.l.j.poſt princ.D.eod.tit.vbi ſubditur: Opus nouum facere videtur, propter quod locū habet nunciatio, qui aut ædificando de nouo, aut detrahēdo aliquid, priſtinam faciem operis mutat. Et hoc interdictum non omnia opera complectitur, ſed ea ſola quæ ſolo coniuncta ſunt, quorum ædificatio vel demolitio videtur opus nouum continere. Ergo non pertinet ad hoc edictum, ſi quis in fundo alterius meteret, vel arborem ſucciderer, vel vineam putaret, licet opus faceret: quia ſolùm ad ea opera, quæ in ſolo fiunt, pertinet. nec locum habet, ſi quis vetus ædificium fulciat. quia non opus nouum facit, ſed veteri ſuſtinēdo remedium adhibet, vt l.j.præalleg.§.opus nouum. cum ſequentibus. Subdit. Nunc videamus quibus ex cauſis fiat hæc nunciatio, & quæ perſonæ nuncient, & quibus nuncietur, & ſic quibus locis nunciatio fiat, & quis ſit effectus nunciationis, quæ per ordinem vide ibidē in d.l.j.

Interdictum NE QVID IN FLVMINE PVBLICO FIAT, quo aliter, &c.aduerſus eum datur qui in flumine publico ínve ripa eius facere, aut in id flumen ripámve eius immittere, quo aliter fluat, quàm priore æſtate fluxerit, inſtituit, l.j.D.ne quid in flumin.

Interdictum DE PRECARIO datur ei qui quod precariò conceſſit, reuocare vult, aduerſus eum qui precario quid impetrauit: ſiue ipſe ſibi impetrauit, ſiue procurator, aut negociorum geſtor, aut ſeruus: dominus autem rogationem ratam habuerit. veniúntq; in hoc interdictum res, partus, dolus, lata culpa: & poſt litem conteſtatam, leuis: quanti actoris intereſt rem interdicti tempore non reſtitui, l.j.& paſſ.D.& Cod. de precario.

Interdictum QVOD VI AVT CLAM, aduerſus eum datur, qui vi aut clàm opus in alieno ſiue iure ſiue iniuria fecerit, cuiúſve iuſſu aut nomine cauſsáque factum erit. Vi autem facit qui prohibitus facit, ſiue à domino ſiue ab alio ipſius nomine prohibeatur. Clàm verò facere id dicimur, quod eo inſciente facimus, quem id prohibiturum eſſe ſuſpicamur, l.j.& paſſ.D. quod vi aut clam. Concurrit autem hoc interdictum cum interdicto de noui ope.nunci.inter quæ tamen hæc intercedit differentia, quod hoc latius pertineat quàm illud De ope.noui.nun. nam & poſſeſſori hoc datur, & non poſſeſſori: illud non poſſeſſori, & de arbore ſucciſa, vel de fracto ſurculo, non etiam illud.

Interdictum QVORVM BONORVM datur ei qui bonorum poſſeſſor eſt, aduerſus eum qui pro hærede, vel pro poſſeſſore poſſidet: cauſſa apiſcendæ vel apprehendendæ poſſeſſionis omnium corporalium rerum, l.j.& paſſ.D.quor.bon. Differtque à petitione hæreditatis, quod hæc de iure eſt, illud de poſſeſſione: tamen & hoc non datur in creditorem hæreditarium illa datur.

Interdictum QVOD LEGATORVM competit hæredi, aut bonorum poſſeſſori, qui paratus eſt ſatiſdare legatorum nomine, aduerſus legatarium vel fideicommiſſarium, qui occupauit vacuam poſſeſſionem rei legatæ ſine voluntate hæredis, vt ſcilicet adepta poſſeſſione ſibi Falcidiam ſeruet per retentionem. nec enim hæredi erat Falcidiæ vindicatio, ſed retentio tantum, Et ex eo intelligitur ceſſante Falcidia huic interdicto locum non eſſe. Vide l.j.D.quod legat.

Interdictum DE REMISSIONIBVS tunc valet, cùm operis noui nunciandi ius nullū fuit. nam operis nunciatio eatenus duntaxat valet, quatenus nūciandi ius fuit. Prætor enim vbi ius non fuit, nunciationem ipſo iure miſſam facit. Remiſſio enim eſt abolitio nunciationis operis noui à prætore facta, l.j.D.de remiſſ.

Interdictum DE RIPA MVNIENDA, datur ei qui in flumine publico, ripáve eius opus facere vult, ripæ agríve qui circa ripam eſt tuendi cauſſa: dum ne ob id nauigatio deterior fiat. ſiquidem damni infecti in annos decem viri boni arbitratu, vel cautum vel ſatiſdatum eſt: aut per illum non ſtat, quo minus hoc fiat. l.j. D.de rip.mun.

Interdictum DE RIVIS eis conceditur, qui ea quibus aquarum ductiones continentur, reficere pugaréve prohibetur, ſi modò eodem anno ſine vitio aquam, etiam ſine ſeruitute, duxerit.l.j.D.de riuis.

Interdictum SALVIANVM ſuſpicatur Cuiacius à Iuliano inuentum conditore edicti perpetui, éſtque quod domino fundi aduerſus colonum redditur, vt rerum ſibi mercedis nomine oppigneratarum poſſeſſionem apiſcatur: his verbis: Quod tu illi mercedis cauſſa oppignerasti, qua de re agitur. id illi reſtituas. Differt autem ab interdicto de migrando, quod etiam eſt de pignoribus, quòd hoc debitori detur ad retinendam poſſeſſionem: Saluianum verò creditori, ad apiſcendam: illud exhibitorium & prohibitorium, hoc reſtitutorium: illud de rebus inquilini pignoris nomine illatis inhabitationē, hoc de rebus coloni natis in agro conducto, vel nominatim pignori obligatis, imo vtiliter & de rebus cuiuſcunque debitoris pignori obligatis, l.j D.de Saluia.l.j. C.de precar.

Interdictum de SVPERFICIIS ei redditur. qui ſuperficium alieno in ſolo poſſidet, ſi frui ſuo iure prohibeatur: quamuis enim ciuiles habeat actiones, tamen propter poſſeſſionis commodum, hoc interdictum vtile eſt, l.j.D.de ſuperfic. Dixi autem de ſuperficiis ex Cuiacio, cui ea indicis ſcriptura placet, & ſuperfi-

cium vt ædificium effertur. Vide Superficies.

Interdictum DE TABVLIS EXHIBENDIS his datur, quibus aliquid in tabulis teſtamenti adſcriptum eſt, vel purè, vel in diem, vel ſub conditione, ſiue hæredes ſint, ſiue legatarij, ſiue fideicommiſſarij: aduerſus eum qui tabulas habet, vel ſupprimit, dolóve fecit quo minus haberent: ſiquidē neget ſe poſſe, vel oportere exhibere. l.j.& paſſ.D.& C.de tab.exhiben.

Interdictum DE VIA PVBLICA, & itinere publico prohibitorium, & populare eſt, ne vis fiat ei, qui viam publicam itérve publicum aperire & reficere velit, dum tamen ne ea via idve iter deterius fiat. l.j.D.de via publ.& itin.

Interdictum DE VI, duplex eſt, vnum, De vi armata, aliud Vnde vi, quotidianum dictum, quod & vi ſimpliciter dicitur à Græcis ſæpe, & ab Vlpiano in l.ſi quis vi. de acquirend.poſſeſſio. & in titul. De vi & vi arma. niſi mauis legere, Vnde vi & de vi armata, ſicut, vi bonorum raptorum, & de turba. In genere autem competunt hæc duo interdicta ei qui vi deiectus eſt: ſed hoc differunt, quòd quotidiano tunc locus eſt, cum quis ſine coactis armatiſve hominibus poſſeſſione deiectus eſt, nullique datur, niſi ei qui tunc cum deiiceretur poſſidebat, vel vſum, aut vſumfruct.quaſi poſſidebat, l.j.D.vnde vi. eáque exceptio nominatim interdicto addi ſolet, auctore M.Cicerone. At interdicto de vi armata, cum quis oppreſſu & vi multitudinis, id eſt coactis hominibus & armatis deiicitur. Hæc enim ſunt verba interdicti, hominibus coactis, armatiſve, auctore M.Tullio. Addit Paulus libr.5.ſentent. titul.6. huic etiam interdicto locum eſſe, ſi quis violentiæ opinione comparata, poſſeſſione ceſſerit, ſi tamen aduerſarius eam ingreſſus ſit. Datur autem ſine vlla exceptione, ideóque & creditori datur in poſſeſſionem miſſo & colono. Item Quotidianum datur ei qui ab eo qui deiecit nec vi, nec clam, nec precariò poſſidebat: hoc etiam ei qui ab eo his rationibus poſſidebat: illúd intra annum, hoc verò perpetuò: ac præterea illo patronis & parentibus parcimus, non iſto. Vide Ciceronis Orat.pro Cecinna, & lib.15.Epiſtol.in ea quæ incipit: Puto te iam, &c. & l.j. & l.ſed ſi vi.D. eodem. Græci pro his interdictis habebant actionem ἐξούλης, ſic dictam, auctore Libanio, quòd ἐξίλλειν ſit, ἐξωθεῖν καὶ ἐκβάλλειν βίᾳ. Vide Cuiac.in libr.5. de Sentent. Pauli. titu.6.

Interdictum VT IN FLVMINE PVBLICO nauigare liceat, eſt populare, ſed prohibitorium, non reſtitutorium, Ne vis fiat ei qui nauigat in flumine, lacu, foſſa, ſtagno publico, vel qui in flumine publico piſcatur, vel qui alias quàm eo vti oportet vtitur ripáve fluminis: quod exemplo tituli de fluminibus, produceret quis etiam ad eum qui in mari vel in littore nauigare, piſcari aut ædificare prohibetur. Iure enim gentium cuilibet in mari & in litore ædificare licet, dum ne nauigationem, portum aut ſtationem deteriorem faciat, non in flumine publico ripáve eius. Et quod ſcribitur, interdictum non dari ei qui in mari piſcari aut nauigare prohibetur, forſitan acciperet non malè de directo interdicto, non etiam de vtili, idem ſi in mari vel littore ædificare prohibeatur.

Interdictum VTI POSSIDETIS eſt prohibitorium, ad poſſeſſionem vindicandam ſeu retinendam. namque eo poſſeſſores, quam ſibi nulla actione vindicare poſſunt, poſſeſſionem ſuam eſſe adſerunt, vindicántq;, & ne eis vis fiat, quominus vt nunc poſſident, ita poſſideant, interdicunt: vincítq; hoc interdicto is qui redditi interdicti tempore nec vi nec clam nec precario ab aduerſario poſſidet rem ſoli. eſt enim de poſſeſſione rerū ſoli. Et belliſſimè Vlpianus poſt interdictum. Vnde vi, conſequenter proponit interdictum Vti poſſidetis. illud enim reſtituere vi amiſſam poſſeſſionem, hoc interdictum tueri ne amittatur.

Interdictum VTRVBI prohibitorium eſt, & de ſeruo exhibendo & ducendo fuiſſe crediderim: nec de ſeruo tantum, ſed de rebus omnibus mobilibus olim ad retinendam, aut vindicandam poſſeſſionem, quam poſſedit actor maiore parte animi: hodie, ſicut vti poſſidetis, de poſſeſſione rerum immobilium, ad retinendam poſſeſſionem quam habuit redditi interdicti tempore. vt propterea meritò videatur omiſſa pars exhibitoria. nam & ea ratione hodie interdicturus Vtrubi fruſtra agit ad exhibendum, qui agebat tamen olim, l.3.§.ſed & ſi quis interdicturus.D. ad exhib. Vtrubi Gloſſæ παρ' ὁπότερον, Theophylus παρ' ὁποτέρῳ. Hoc interdictum, celerem reformationem vocant Impp.l.13.C.de agrico.cenſ. Bonæ fidei poſſeſſori primum oportet celeri reformatione ſuccurri.

Interdictum DE VXORE DVCENDA à marito, datur marito aduerſus eum, qui dolo eam obtinet, ſine voluntate mariti, licet ipſa volente. D. eodem titulo.l.j. Alia interdicta patent, & exponuntur ſuis verbis incluſis.

Ad interdictum venire, eſt venire in ius ad Prætorem. Petronius: Vt ſi nollet alienam rem domino reddere, ad interdictum veniret.

Interdictum, & Ceſſatio quomodo differant, patet: quia per interdicta prohibetur adminiſtratio ſacramentorum, paucis exceptis: quod tamen non fit per ceſſationem, in qua ſolum ceſſatur à diuinorum ſolennitate.

Interdictum eccleſiaſticum quid ſit, & quid ab excommunicatione diſtet, vide capitul.ex parte.de verbor. ſignificat.& vide extra, de ſent.excommunicatio.in antiq. & 6.

INTERDIV, in die, l.ſi communem. §.is qui noct.D. quemad.ſer.amit. quādoquidem in diem, l.ſi interdiu. D.de furt.balnea. Hinc,

INTERDIARIVS in XII.Tabul.pro fure diurno. Antiquo enim Gloſſematorum ſcriptori, Interdiarius eſt ἡμεροκλέπτης, cui contrarius ἡμερόκοιτος, dormitator, fur nocturnus.

INTERDVM oſtendit regulam eſſe in contrarium. nam quod interdum fit, non ſemper fit, l.ſeruitutes.§.ſi ſtillicidium. D.de ſeruitut.vrban. quandoque ſignificat accidentiam facti, non miniſterium iuris, Accurſius in l.metum. §.ſed quod prætor. D.quod metus cauſ.

INTERESSE tam priuatim quàm publicè dicitur Publicè intereſt, quod in commune expedit & ad totius reipublic. vtilitatem pertinet, veluti, auctoritatem rerum iudicatarum ſeruari, partus non ſubiici, dotes mulieribus ſaluas eſſe, & alia id genus, quæ publicè vtilia ſunt, l.65.§.cum prætor. D.ad Trebell.l.j.§.ſed & ſi.D.de ventre inſpiciend.l.j. D.ſolut.matrimon.l. 18. D.de reb.aucto.iudicum poſſid.l.16. D.de appell. & alibi ſæpiſſimè. Priuatim verò intereſt, quod ad ſingulorum vtilitatem ſpectat, l.71.D.de euict.l.8.§. mandati.l.penult. D.ad exhibend. l.penult.§.fin.D.ne quis eum, qui in ius vo: & alibi. In his omnibus pecuniariter intereſſe accipimus: & ita in eo iure, quo dicitur in rem pacta omnibus prodeſſe, quorum obligationem diſſolutam eſſe, eius qui paciſcebatur, intereſt, l.21.§.fi.D.de pact. non quoquo modo cuiuſcunque intereſt, ſed ita, ſi alioqui pecuniarum damnum immineat, l.23.D.de pact. Sed nec quod dicitur furti actionem dari ei, cuius intereſt, ita accipiendum eſt, vt cuiuſcunque interſit rem non perire, ei actio detur: ſed qui ob eam rem teneatur, quòd eius culpa ea perierit, l.14.§.an pater.D.de fur. niſi mala fide eam rem poſſideat, l.12.D.de furt.

Intereſſe definiri poteſt id, quod alicui debetur, vel quia damno adfectus eſt, vel quia lucrum aliquod impeditum eſt, l.ſi commiſſa. D. ratam rem haberi. In tantum (inquit Paulus) competit, in quantum mea intereſuit, id eſt, quantum mihi abeſt, quantúmque lucrari potui. Obſeruabis igitur diligenter, quòd cũ quæritur, quid interſit actoris, duplex eſt cõſideratio. Altera de dãnis & diſpendiis rerum, quas amiſit: altera, de lucris & vtilitatibus non adquiſitis. Qua ratione interdum vtilitas amiſſa maioris erit, quàm res ipſa, l. Iulianus ſcribit. §. vlt. D. ad exhib. Sabinus autem l. ſi is. D. de furtis. Intereſſe, inquit, eius videtur, qui damnum paſſurus eſt: non eius, qui lucrum facturus eſt. Vel ſic:

Intereſſe, ſiue id quod intereſt, genere ſummo ſic definiri poteſt: Æſtimatio eius damni, quod in re alicuius familiari per alterius culpam contigit. Eius duæ ſunt ſpecies, quarum vna in generis ſui nomine conſiſtit, quæ ſcilicet omnibus in rebus, præter quam ſpeciebus ſiue frugibus verſatur: altera verò in pecunia numerata, quæ propriè Vſura dicitur. Intereſſe igitur ſpecialiter ſumptum, eſt diſcrimen, quod inter eam conditionem quæ in re familiari alicuius, vel antea fuit, vel omnino futura erat, & eam quæ nunc eſt, per alterius culpam contigit. Huius autem Intereſſe duæ ſunt partes: nam interdum in ſola re principali conſiſtit: interdum & multo frequentius in eius acceſſione, l.j. D. de act. empt.

Id quod Intereſt, à re, reíque æſtimatione ſeparatur, l.j. §. conſiderandum. D. de tuto. & cur. da. ab. l.j. D. de act. emp. & proinde id quod intereſt, & quanti ea res eſt, diuerſa faciunt auctores iuris, l. vni. in fin. D. ſi quis ius dic. non obtemp. l.4. §. in eum. D. de dam. infect. l.55. D. ad leg. Aquil. His enim verbis verum rei pretium, illis omnis vtilitas continetur, l.193. D. de verbo. ſignifi. Inquantum interfuit, ſic accipit Paulus l.13. D. rem rat. hab. quantum mihi abeſt, & quantum lucrari potui. Exempla eius quod intereſt pete ex l.21. §. fin. & l. ſequen. D. ad leg. Aquil. l.3. D. de condi. furt. & alibi ſæpius, quam vt referri ferè poſſit.

quorum Intereſt, pro, ad quorum officium ſpectat, l.56. D. loca. l.3. C. de confir. tut. l.7. C. de aduo. diuer. iud. l.2. C. Theo. ad leg. Iul. de amb. Sic Iuſtinianus in παρ. ἐξέσται τῇ σῇ ὑπεροχῇ, id eſt ſpectabit ad celſitudinis tuæ officium.

INTEREVNT homines morte, vel capitis minutione, cum res nullæ relinquuntur, aut conditionẽ mutant, l. 63. §. fi. D. pro ſoc. Sic in l.10. D. de peric. & com. rei vẽd. vt & perire, l.49. §. fin. D. de leg. j. Interiiſſe tabulæ dicuntur, quæ interciderunt, l.j. D. ſi tabulæ null. extab.

INTERGERINVS paries, idẽ qui Papiniano (in §. item ſi communem. in l. ſi fratres, pro ſocio) Cõcratitius eſt. De quo latius in poſter. Annot. Bapt. Pius. cap.83. Alciat. item qui ſit oſtendit, interpretans l. maiore parte. de verb. ſign. vbi varia exponit parietum genera. Vulgus medianum appellat: cum Medianus Latinè aliter accipiatur, quod & Budæus monuit. Intergeries vocatur in Ant. Lex. & exponitur, τοῖχος ὁ δύο κλίματα διορίζων.

INTERIM, l.37. D. de nox. act. eſt, quandiu res apud eos manet. Interim pro donec, l.12. D. de diſtr. pign. Interim, id eſt, pendente die vel conditione, l.46. D. famil. erciſcun. Sic Interim, l.91. §. vlt. D. de lega.3. id eſt pendente iudicio.

INTERLOQVI dicitur Prætor vel Iudex, cùm quid interea dum principalis cauſſa plenè diſceptetur, pronunciat, l.j. §. hunc conſequenter. D. de appellat. l.15. §. in venditione. D. de re iudicata. l.j. §. quæro. D. ad Turpill. Hinc,

INTERLOCVTORIA ſententia, quæ non principalem cauſſam definit, ſed intermedium aliquod negocium dirimit. vide infrà, Sententia.

Interlocutorias varias recenſet Bartol. l. quod iuſſit. D. de re iudic.

INTERLEVERIT, id eſt, deleuerit, l.11. §.j. D. de ſeru. corrupt. Sic, Interleuiſſe rationes, l.67. D. de leg.j.

INTERNECIO, inquit Feſtus, vitæ priuatio appellatur.

INTERNECINVM teſtamentum eſt falſum teſtamentum, propter quod, vt ſcilicet ex eo acquiri hæreditas poſſit, dominus occiditur. Hinc eſt accuſatio internecini, de qua in l. qui vel internecini. C. Th. de accuſat. cuius præmium eſt bonorum poſſeſſio: vt apertè Iſidorus ex aliquo auctore bono ſignificat his verbis libr.5. Etymol. Internecini (ſic legit Cuiac. non Interneciei) iudicium in eum dabatur, qui falſum teſtamentum fecerat, & ob id hominem occiderat, & accuſatorem eius bonorum poſſeſſio ſequebatur. Sextus quoque Pompeius lib.9. Internecinum, inquit, teſtamentum, propter quod dominus interemptus eſt. Sic Internecina certamina, apud Ammianum, lib.23. in princ. in quibus multi homines occiſi ſunt.

INTERNECIDA, inquit Iſidorus lib.10. qui falſum teſtamentum fecit, & ob id hominem occidit.

INTERNVNDINIVM, inquit Victorinus Afer, ſcribendum, vt Interlunium, & Trinoctiũ. Ita Internundinium, quod nouem dies inter ſe continuos habeat, non quòd nono die fit. Hæc ille in lib. de orthograph. Alij tamen Internundinum malunt. Eſt autem ſpacium quod inter nundinas eſt: vt Intermenſtruum quod inter menſes.

INTERPELLARE, ponitur aliàs pro poſtulare iuſtitiam, & inuocare officium iudicis, & extra iudicium petere. Interpellare aliàs ſignificat rogare quadam inſtantia. Valerius lib.3. Cato rogatus, vt ſocios apud auunculum iuuaret: conſtanti vultu, non facturum ſe reſpondit. Iterum deinde ac ſæpius interpellatus, in propoſito perſtitit. Interpellare eſt interrumpere, vt poſſeſſionem, & vſucapionem, l.14. D. de ſeruit. Interpellare aliàs, eſt loquentem, vel aliquid agentem interrumpere, vide in ca. potuit. de loca. l.14. D. de ſeruit. l.31. D. de ſer. vrb. Vnde INTERPELLATORES dicti ſunt, Paulo in l.j. D. de extraor. cri. Sollicitatores, inquit, alienarum nuptiarum, itémque matrimoniorum interpellatores, etſi effectu ſceleris potiri non poſſunt: propter voluntatem pernicioſæ libidinis extra ordinem puniuntur.

INTERPELLATIO, eſt iudicialis conuentio vel admonitio, quæ fit teſtatò, ſoluendi vel accipiendi eius quod debetur. Mora autem contemptio huius admonitionis, l.23. D. de iudic.

INTERPOLVM, poliendo propemodum renouatum, in alteram formam è vetere mutatum. Marcian. l.45. D. de contrahend. emption. Si veſtimenta interpola quis pro nouis emerit, Trebatio placere, ita emptori præſtandum quod intereſt, ſi ignorans interpola emerit. Sic Interpola veſtis Iſidoro lib.19. c.17.

INTERPOLARE, eſt in aliam formam mutare. Vlpianus de Ædi. edict. l. præcipiunt. Interpolant, inquit veteratores, & pro nouitiis vendunt, id eſt, in habitum nouitiorum mutant.

INTERPRES, cuius miniſterio ad alienam, & extraneam linguam intelligendam vtimur, vulgo *Truchement* appellatus, l.1. §. fin. D. de verb. oblig. l.5. in fin. D. de captiuis. Liuius lib.7. Prouocabat per interpretem vnum ex Romanis. Plin. lib.25. cap.2. de Mithridate loquens: Illum ſolum mortalium viginti duabus linguis locutum certum eſt, nec de ſubiectis gentibus vllum hominem per interpretem appellâſſe.

Interpres is etiam eſt qui inter aliquos vel conditionis, vel amicitiæ, vel adſeſſuræ, vel cuius alterius huiuſmodi proxeneta eſt, cuius præmium ἑρμηνευτικὸν Græci appellant,

appellant, quaſi æs interpretitium & pararium dicas, l. 3. D. de proxenet.

Interpretari, eſt rem obſcuram vel ambiguam explanare.

Interpretatio legum ab initiis repetenda eſt. Quia cuiuſque rei potiſſima pars principium eſt. Gaius in l. j. D. de orig. iur. repetit autem ille ius ab incunabulis Romanæ vrbis. Sed nos, qui verum iuris fontem Deum ipſum cognoſcimus, exordium iuris longè altius oportet repetere, hoc eſt, à prima inſtitutione.

Interpretatio deſiderat prudētiam, & auctoritatem: Prudentiam, hoc eſt, multarum rerū memoriam, & vſum plurium negociorum, teſte Cicerone. Auctoritatem, id eſt, venerationem, per quam à maioribus declaretur in aliquo prudentia, ne ambitione quadam, & φιλαυτίᾳ vindicetur priuatim.

Interpretatio omnis in iure, niſi deſeruiat foro, hoc eſt, vſui rerum quotidianarum, inutilis eſt & pernicioſa. Vnde Pomponius interpretationem Decemuirorum eleganter vocat diſputationem fori, in l. 2. §. his legibus latis. D. de orig. iur. Interpretatio autem nimium ſubtilis, & à facti conſideratione prorſus recedens fugienda eſt. Sic Nerua Iuriſconſultus olim deriſus eſt, qui per feneſtram monſtrauerat ſeruos detentos ob penſionem liberari poſſe, quaſi tunc ſcilicet non viderentur alienati ex ædibus, quia non eſſent egreſſi ianuam. Vlpian. in l. eſt differentia. D. in quibus cauſ. pignus vel hypothe. tacit. contrah.

Interpretationem benigniorem in re dubia ſequi, non minus iuſtum eſt quàm tutum, l. proximè. D. de iis, quæ in teſtam. delen.

Interpretatio ſemper ex lege, & æquitate producēda eſt. Quocirca quod dicunt, cōmunem opinionem in iudicio ſemper eſſe præferendam: id ego ſimpliciter intellectum (ſicut ipſi certè non diſtinguunt) non modò falſum, verumetiam pernicioſum in Republica iudico. Nam ſi conſentanea fuerit legib. aut rationi naturali, iam non quia communis eſt, ſed magis quia iuris eſt, obtinebit: quanquam certè aliquid ſit, cum multis ſentire. Sin autem repugnet iuri & æquitati, omnibus modis repudianda eſt: vt rectiſſimè ſentit Zaſius in l. 2. D. de orig. iur. probatur pulchrè in l. j. §. cúmque hæc materia. C. de vet. iur. enu. Sed neque (inquit Imp.) ex multitudine auctorum, quod melius & æquius eſt, iudicato te: cum poſſit vnius forſan, & deterioris ſententia & multos & maiores in aliqua parte ſuperare. Accedit l. ob carmen. in fi. D. de teſtib. vnde ſcriptum eſt, Turbam ne ſequaris. Falſum igitur & hoc eſt, quòd iudex recedens à cōmuni opinione, faciat litem ſuam, niſi prædicto condimento accipias, vt in l. vlti. C. de pœn. iud. qui mal. iudic. Itaque Interpretando neq; lex torquenda eſt, vt facto deſeruiat, neq; factum variare oportet, vt legi reſpondeat. Nam in torquendo iure, committes fraudem: in variando facto, mendacium. Vtrobique ergo ſeruanda eſt ſimplex veritas. Reſponſa enim & traditiones Iuriſconſultorum ſic oportet interpretari, vt potius conueniant, quàm diſcrepent, l. ſi quis cum teſtam. D. qui teſtam. fac. poſſ.

Interpretatio benigna, l. 2. D. de lib. & poſthu. humanitas. opponitur ſubtilis iuris regula, l. ſi ita ſcriptum. D. de lib. & poſthu.

Interrex, magiſtratus Romæ, qui à defuncto Rege vſque ad creationem ſequentis, cum regia poteſtate, & inſignibus præerat. Hinc,

Interregnum, quod primum inſtitutum eſt mortuo Romulo: vt Liu. & Dionyſ. & Plutar. ſcribunt: Patres rem inter ſe decem decuriis factis, ſinguliſque in ſingulas decurias creatis, qui ſummæ rerū præeſſent, conſociarunt: decem imperitabant, vnus cum inſignibus imperij & lictoribus erat: quinque dierum ſpatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat: annúmque interuallum regni fuit. Id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, Interregnum appellatum. Hæc ille. Inde autem mos fluxit, vt cum ſine ſummo imperio ciuitas eſſet, tum & Patricius & à Patriciis Interrex proderetur. qui dies duntaxat quinque imperium obtineret, à quo alius deinde creabatur, in dies alteros quinque, itémque alius atque alius eodem modo: dum Conſules creari poſſent: vt ex Ciceronis Orat. pro domo, Aſconio in Milon. & Liuij locis innumeris intelligitur: qui etiam libro VII. ſcribit ad vndecimum peruentum eſſe, dum per dies quinquagintaquinque ſine ſummo imperio ciuitas eſſet. Infeſtam, inquit, Patribus plebem Interreges cum accepiſſent, ad vndecimum Interregem ſeditionibus certatum eſt.

Interrogare, ex Inter, & Rogo, eſt petere aliquid ab aliquo noſcendæ veritatis gratia. Hinc,

Interrogare legibus. eſt legis alicuius auctoritate aliquē interrogare, nūquid facinus aliquod admiſerit. Aſconius: Quid eſt, inquit, reum fieri, niſi apud Prætorē legibus interrogari? Cum enim in ius ventū eſſet, dicebat accuſator apud Prætorem reo, Aio te Siculos ſpoliaſſe. ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur vt victo: ſi negaſſet, petebatur à magiſtratu dies inquirendorum eius criminum, & inſtituebatur accuſatio. Cicero pro domo ſua, Eſto: non fuit in me pœna vlla peccati: at fuit iudicij. cuius? quis me vnquam vlla lege interrogauit? quis poſtulauit? quis diem dixit? Liuius libro VIII. belli Maced. Neminem vnum tantum eminere ciuem debere, vt legibus interrogari non poſſit.

Interrogationes, ſeu Interrogatoriæ actiones, in iure (de quibus tractatus eſt lib. Pand. XI.) ad rei pecuniariæ cauſſas pertinebant: erántque olim inſtitutæ, vt ne malè agēdo cauſſa perderetur, liceret apud eum qui ius dicebat, aduerſarium certis de rebus, antequā actio inſtitueretur, interrogare. Sed hoc tempore (inquit lex) interrogatoriis actionibus non vtimur: quia nemo cogitur ante iudicium de ſuo iure aliquid reſpondere, l. j. D. de interroga. & inter. actionibus.

Interrogationes, cum explorandæ veritatis gratia fiant, duplicem habent effectum: alterum, quia ſuccedūt loco probationum ipſis litigatoribus deſeruientes: alterum, quia iuſtruunt animum iudicis de qualitate rerum, perſonarum, vel tēporis ſæpè dubitantē, vt non poſſit dicere ſententiam antè, quàm certior reddatur.

Interrogatio iudicis vna plus confert ad cognoſcendā in iudicio cauſſam, quā 20. poſitiones (vt vocant) & articuli litigatorū. Nā iudex interrogādo, ſcopū intentionis, vel defenſionis ſtatim poteſt attingere. At partes euitāt rerū, cauſſæ ſcopū, & ſolū id nitūtur, quomodo digreſſionib. mendaciis, & multitudine articulorū imponāt iudici. Quocirca errāt noſtri iudices, qui putant loco interrogationū ſucceſſiſſe poſitiones & articulos partiū: ipſi interim ſedentariā exercētes functionem, prorſus obmūteſcūt, tantū recipiētes ſcripta, & decernentes (ſicut formularij dicūt) copias, productorum.

Interrogatoria ſunt quę pars facit teſtibus productis, & dantur ſuper articulis, de quibus præmiſſum eſt: & formantur per circunſtantias cauſſarū, & perſonarum, gloſſa in c. præſentiam. de teſtib. lib. 6.

INTERROGANDI FORMVLA CENSORIA.

ET TV EX ANIMI SENTENTIA VXOREM HABES? Hanc ex Cenſoriis ſeueritatibus recenſet Gellius lib. 4. cap. 20. quem in hanc rem tibi videndum relinquo. Hoc commemorat & M. Cic. lib. 2. de Orato.

Interrumpitur aduerſus omnes, hoc eſt, omnes vti poſſunt beneficio interruptionis, l. naturaliter. D. de vſucap.

Interruptio vſucapionis, eſt vſurpatio, l. 2. D. de vſucap.

vſucap.vide Barto.in l.vt perfectius. C.de ann.except. Eſt autem duplex interruptio,naturalis,& ciuilis. Naturalis contingit,extinctis his,quæ ad ſubſtantiã vſucapionis naturalem requiruntur: vt ſunt,poſſeſſio,titulus,bona fides,& res ipſa non vitioſa. Hæc tam latè patet,vt exinde nulla præſcriptio,ſiue aduerſus interrumpentem,ſiue aduerſus quemcunque alium, procedat,niſi denuò cœpta, & continuata, l.naturaliter. D. de vſucapio. Ciuilis interruptio eſt,quæ per auctoritatem iuris impedit vſucapionem, etiamſi prædicta ad naturam eius requiſita non deficiunt. Veluti per vocationem in ius, per litis conteſtationem: vel ſi facto aliquo interpelletur præſcriptio,vt ſi debitor præſcripturus iamiam actioni tradat pignus,vel aliã cautionem,vel ſoluat vſuras creditori. Ipſe enim aduerſus ſe vſurpat præſcriptionem ciuiliter, l.cum notiſſimi.§.imò & illud. C.de præſcript.30.ann. Hæc autem ſoli interpellanti prodeſt aduerſus alios, interim nihilominus procedente præſcriptione, l.intra quatuor. D.de diuerſis & tempor.præſcript.

INTERTRIMENTVM, Vet.Gloſſ. ἀπουσία Varro ſic explicat:Detrimentum,inquit,à detritu:quòd ea quæ trita minoris ſunt precij. ab eadem mente Intertrimentum, ab eo quòd duo quæ inter ſe trita,etiam deminuta ſunt.Aſconius autem ſic:Detrimentum, inquit, vel vnius partis eſſe poteſt: Intertrimentum vero dantis & accipientis. Dicitur etiam Intertritura. Eſt itaque Intertrimentum, deminutio, ſiue detrimentum, quæ ex duorum corporum vſu & attritu accidit. Scæuola l.vlt.§.11. D.de pigno.act. Quæro intertrituram quæ ex operis culleorum facta eſt, vtrum Titius debitor, an Seius creditor agnoſcere debeat.reſpondit, ſecundum ea quæ proponerentur, ob id quod eo nomine intertrimenti accidiſſet, non teneri. Intertrimentum alias ſumitur pro euanida argenti parte, quæ in excoctione deperit.Liuius lib.42. Carthaginenſes eo anno argentum in ſtipendium primum impoſitum aduexerunt:id quia probum non eſſe Quæſtores renuntiauerunt, experientibúſque pars quarta decocta erat, pecunia Romæ mutua ſumpta,intertrimentũ argẽti ſuppleuerunt.Sic lib.44.In auro verò, in quo præter manus pretium nihil intertrimẽti fit, quæ malignitas eſt?

INTERVALLA honorum, l.16. D.de legatio.& alibi ſunt vacationum cõceſſa tempora iis, qui ad eoſdem, vel alios honores, eadémque vel alia munera denuò vocantur, l.j.C.de muner.lib.10. C.eáque eſt temporũ præſcriptio,de qua l.17.§.præſcriptio.D.ad municip.

INTERVENIRE, intercedere, & acceſſionis nomine promittere, vel etiam nouandi animo alienam obligationem ſuſcipere l.fin.D.de mino.l.6.§.ſi paſſus.D. mandati.Hinc Interuentiones,eodem ſenſu,l.7.§.non ſolum.1. D.de mino. Interuenire etiam dicuntur, qui pro aliis in iudicio conſiſtunt,l.11.§.agere. D.de iudic. Interuenire & ij dicũtur qui litibus, cauſſíſve ſeſe immiſcent,cum ſua intereſſe putant: quo ſenſu vtuntur & Pragmatici Galli,retento eo verbo. Interuenire auctoritatem perperã,vel non interuenire,paria ſunt, l.2.D.de auct.tut.

INTERVENTOR propriè,qui interuenit & impedit agentem aliquid. Vlpia.pro fideiuſſore, id eſt eo qui alieno nomine obligatur,in l.licet.de obſeq.à liber.& libert.præſtan. Vtitur & Lampridius in Commodo. Sic l.3.§ ſed ſi.D.de peculio.

INTERVERTERE, modò callidè eſt ſurripere: quod plerumque fit,cùm rem commodatam aut creditam, dolo,ne reſtituatur domino, efficimus. Vide Vallam lib.5.Tryphon.l.fin.de ſeru.fugit. Quoniam interdum aut pecunia interuerſa eſt.Modò ſubuertere & euertere,Paul.l.5.de cap.demin. Et primo de ea capitis deminutione,quæ ſalua ciuitate accidit. per quam publica iura non interuerti conſtat. Idem l.7.Legitimæ tutelæ interuertũtur eadem ratione, qua & hæreditates. Scæuola: Cui per fundum aquæductus debetur, quacunque vult, in eo riuum facere licet, dum ne aquæductum interuerterit. Vtitur & Imp. C.de Iuſtinian. Cod.confirm.& l.2.de iudic. Hinc colonus poſſeſſionem interuertere dicitur,vt refert Cynus ad l.j. C.cõmun.de ſucceſſ. qui dominum ad fundum reuertẽtem non admittat:vt & cenſuarius ex quo domino petenti ſolutionem denegat.

INTERVERSORES l.8.C.de iu.fiſci. ſunt adminiſtratores, qui dolo malo dilapidant rem pecuniámve fiſcalem.Euerſores in l.2.C.de palat.ſacr.larg. l.j.C.Th. de ſuſcept. eadem ratione qua & in ſchola rhetorum quidam olim Euerſores dicebantur,auctore Auguſtino 3.Confeſ.c.3.& libr.5.cap.12. Decoctores in l.quilibet.C.de decur.l.ſi aliquid. C.de ſuſcept.

INTERVSVRIVM, vſus medij temporis. Paulus l.debitor.82.D.de legat.2.Alioquin ſecundum illam ſententiam ſi interuſurium tantùm eſt in legato, quid dicemus ſi fundus legatus ſit ex die debitus? Vlpian. l.circa.66.D.ad leg.Falci. Interuallum temporis & interuſurium huius ſpacij minorem facit quantitatem decem: id eſt,vſus & emolumentum eius pecuniæ, quod interea percipit hæres, legatarius autem amittit. Vlpi. l.9.§.7. D.de pecul. Vt medij temporis interuſurium magis creditor conſequatur.

INTESTABILIS Vet.Gloſ. μὴ προσδεκτὸς εἰς μαρτυρίαν, ἀμάρτυρος, ἀπηγορευμένος, ἄτιμος. Propriè autẽ dicitur, cui ius teſtimonij dicendi non eſt. nam Teſtabilis eſt, cui ius hoc datũ eſt: vt ex lege Horatia Gellius li.6.ca.7. demonſtrat.Eſt autem XII. tabula.verbum,vt idem eodem capite teſtatur,& libro 15.cap.13. IMPROBVS INTESTABILISQVE ESTO. Poſtea autem Inteſtabiles etiam in patiendi ſignificatione dicti ſunt, quibus teſtimoniũ non dicitur. Caius l.26. D.de teſta. Cum lege quis inteſtabilis iubetur eſſe, eò pertinet,ne eius teſtimonium recipiatur,& eo amplius,vt quidam putant,néve ipſi dicatur teſtimoniũ. Hinc Plautus in Curcul. Inteſtabilẽ dixit, pro eo cui teſtes non adſunt.

Semper curato,ne ſis inteſtabilis.
Quod amas ama teſtibus præſentibus.

Vlpianus l.is cui.18.§.j.D.de teſtamẽtis: Si quis ob carmen famoſum damnetur, Senatuſconſulto expreſſum eſt,vt inteſtabilis ſit.ergo nec teſtamentum facere poterit,nec ad teſtamentum adhiberi. Sic l.5.§.pen. D.de iniur.l.ob carmen.21. D.de teſti. Hinc & Inteſtabilis, pro inuiſo,ſcelerato,flagitioſo, & execrabili ſumitur, ἄτιμος Græcis, hoc eſt præſidij legum exors. Horat. lib.2.Satyr.3. *- inteſtabilis & ſacer eſto.* Et ſic fortaſſe Plautus in Milite Glorioſo: PE. *Quid ſi id non facis?* PY. *ut uiuam ſemper inteſtabilis.* Tacitus lib.25. Inteſtabilis & conſceleratus. Idem lib.20. Cum interim inteſtabilior & ſæuior exortus eſt. Plin. de arte magica loquens lib.30.cap.2. Proinde ita perſuaſum ſit, inteſtabilem,irritam,inanem eſſe,habentem tamen quaſdam veritatis vmbras.

INTESTATVS quatuor modis dicitur,teſtamento non facto,non iure facto,rupto irritóve facto,& ab hærede deſtituto,l.j. D.de ſuis & legit. INTESTATVS decedit, qui aut omnino teſtamentum non fecit, aut non iure fecit, aut id quod fecerat, ruptum irritúmve factum eſt:aut ſi ex eo nemo hæres extiterit. ait Impe. tit.De hæreditat. quæ ab inteſtato. in princip. INTESTATVS eſt, ait Paulus, non tantum qui teſtamentum non fecit, ſed etiam cuius ex teſtamento hæreditas adita non eſt, l.64.D.de verb.ſignif.

Inteſtati (inquit Vlpian.) propriè appellantur, qui cum poſſent teſtamentum facere,teſtati non ſunt; ſed & is qui teſtamentum fecit, ſi eius hæreditas adita non eſt, vel ruptum

vel ruptum vel irritum eſt teſtamentum: inteſtatus non propriè dicetur deceſſiſſe. vide cætera l.j. D.de ſuis & legit.

Inteſtatus, quantum ad tutelam attinet, deceſſiſſe dicitur, qui teſtamento liberis ſuis tutores non dedit, l.6. D.de leg.tutor.

Inteſtatus is quoque dicitur cuius verbis non adhibetur fides, quíve teſtis eſſe non poteſt. Pomponius Pictoribus: Ipſus cum vno ſeruo ſenex inteſtato proficiſcitur. Nonius. Eſt & Inteſtatus teſtatò non conuentus, cui opponitur Anteſtatus. Plautus in Curcul.

Hoccine pacto indemnatum atque inteſtatum me arripi.

Alij aliter exponunt, ſed perperam.

INTIMARE, denunciare, in l.2. C.de iud. Inſulanus obſeruauit, hoc verbo vſum eſſe Plinium, ante Apulei.& Gellium.& vide Clem. cauſſam. de elect.

INTOLERABILIA ſeruitia, §.ſed & maior. Inſtitu.de iis qui ſunt ſui vel alien.

INTRA, incluſionis nota, l.ſi quis ſic. D.de verbo.ſignif. variè tamen pro re propoſita accipitur. Quandoque ſignificat citra, l.fin. vbi Accurſ. C.de poſtula.hæred. Aliquando per, vt in leg.b.Longobard.l.ſi quis caballum.de furt. Quandoque ſonat iuxta, l.vxorem. §.legauerat.D.de lega.3. Intra excludere videtur in caſu l. qui Romæ.§.Callimachus.D.de verbo.obliga. Quandoque accipitur pro coram.§.ex his.in Authen. de hæreditate ab inteſtato venient.

Intra Kalendas quid ſit, dubitat Gellius lib.12.cap.13. Id tamen declarant Iuriſconſ. l.j.§.ſi intra. D.de ſucceſ.edic. Quod dicimus, inquit, intra dies centum bonorum poſſeſſionem peti poſſe, ita intelligendum eſt, vt & ipſo die centeſimo peti poſſit: quemadmodum intra Kalendas, etiam ipſæ Kalendæ ſunt. Alter eſt locus, l. 133. D.de verb.ſignif.

INTRIBVERE, cõtribuere, l.9.§.fi.D.de tributo. Traianus Imp. Plinio, Ne quid, ait, ideo intribuant.

INTRIBVTIO, collatio, contributio, l.6.§.fi. D.de muri. & hon. Vlp.de verb.ſig.l.ager. Tributum ſanè appellatur ab intributione. & in l.4.D.de vete. Nam nec ab intributionibus, quæ in poſſeſſionibus fiunt, veteranos eſſe excuſatos, palàm eſt.

INTRICARE peculium dicitur ſeruus, qui in ære alieno eſt, & res quaſdam pignori oppoſuit. Vlp.l.j.§.4. de ſer.corrupt. Is quoque deteriorem fecit, qui perſuadet, vt peculium intricaret. Idem l.21. D.de pecul. Sed & ſi eum intricare peculium in necem creditorum paſſus eſt, &c. Intricationem eiuſmodi Cicero in Sextiana implicationem appellat: Magna, inquit, multitudo eſt eorum, qui aut propter metum pœnæ, &c. aut qui propter implicationem rei familiaris, communi incendio malint, quàm ſuo, deflagrare.

INTRVSVS eſt, qui obtinuit dignitatem à non habente poteſtatem conferendi, ca.cum veniſſent. de in integ. reſtit. Vel ſic, Intruſi dicuntur, qui non per electionem canonicam, ſed per violentiam occupant honores, officia, vel Eccleſiaſtica beneficia, c.venient.

INTVERI, attẽdere, l.promittẽdo.in princ. D.de iur.do.

INVADIARE pecuniam, eſt, vel ex commiſſo, vel ex condemnatione debere, libr. Feud.2.tit.27.§.4. Quicunque iudici ſuo pro exceſſu viginti libras inuadiauerit, prædium ſuum pro pignore illi tradat: & intra quatuordecim ſeptimanas inuadiatam pecuniam perſoluat. Sumitur etiã pro oppignerare. Sigeb.in Chro. ann.110. Vvilhelmus Comes Pictauienſis inuadiauit eandem ciuitatem Raymondo Comiti, propter pecuniam quam idem Vvilhelmus in expeditione exponit. Hinc,

Inuadiare hominem, pro obſidem dare. In Lombard.lib. j.titu.15.l.ſi quis liber. Semetipſum inuadiare ſtudeat, vſquedum plenum compoſitionem adimpleat.

INVALIDITAS inter remedia iuris numeratur, quæ aduerſus iniquitatem iudicum introducta ſunt: de quo latè Bartolus in l.ſi expreſſim. D.de appellat. & in l.cum quærebatur. D.de re iudic.l.j.C.quand.prouoc. non eſt nec.

Inuecta illata coniunctim appellantur, quæ ab inquilinis in ædes conductas inducuntur, vt ea ſecum habeat, importantúrve, l.4. D.de pact.l.2.3.4. & l.7.in qui. cauſ.pig.

INVENTARIVM, pro repertorio & deſcriptione bonorum, l.7.D.de admi.tutor. vbi de pœna eius qui inuentarium non fecit agitur. Sic l.j.§.officio.D.de tuto. & rat.diſt. Alias Synopſis vocatur, l.magis puto.§.in primis.D.de reb.eor. alias etiam ἀναγραφή.

INVENTARII beneficium hæredibus à Iuſtiniano datum eſt in locum ſpacij ad deliberandum petendi, l. vlt.C.de iur.delib. Eſt autem huiuſmodi: vt hæres inſtitutus intra nonaginta dies, quibus ſe inſtitutũ ſcierit, ſi res propinquæ ſint, vel intra annum, ſi longè abſint, inuentarium omnium hæreditariarum rerum, tabellariis teſtibúſque præſentibus conficiat: ipſe manu ſua id ſubſcribat: vel à certo tabellario adhibitis teſtibus ſubſcribendum curet: atque hoc modo pro earum rerum ratione tantùm creditoribus teneatur, quátamque Falcidiam retinere poſſit.

INVENTARIVM inſtrumentorum debitoris faciunt creditores in poſſeſſionem miſſi, l.cum plures.15.D.de reb.aucto.iud.poſſid. Ne corrumpantur, inquit, rationes, vni hoc negocium à creditoribus dandum eſt, quem maior pars creditorum elegerit: vt inſtrumentorum ἀναγραφὴν faciat.

Inuentarium rerum pupilli, quod tutor: rerum adulti, quod curator facit: vt adminiſtrationis ratio conſtet, l.tutor qui repertorium, D.de admini.tut.l.tutores. C.eodem.

Inuẽtarium confiſcationis, quod in bonis proſcriptorum fieri ſolet, vt fiſco ſua ratio conſtet, l.ſi quis poſthac.l.ſi quis intra.C.de bon.proſcript.l.vlt.C.de bon.vacant.

Inuentarium rerum quarum in poſſeſſionem venter miſſus eſt, quod à ventris curatore fieri ſolet, l.j.§.penult. D.de vent.in poſſ.mitt.l.j.de cur.bon.dand.

INVENTIO theſauri ea eſt accipienda: quæ fortuitu tingat, non data opera, de quo tractatur in l.3.§.vlt.D. de iur.fiſc.l.j.C.de theſaur.lib.10.

Inueſtigare rationem non ſolùm dicimus: verumetiam inueſtigare eum, qui ſeſe celare tentauerit, l.non diſtinguemus.§.ſi arbiter. D.de recep.

INVESTITVRA, vt quidam volunt, à veſtimento & veſtitura dicitur, vel inueſtimento: qua dictione vſus eſt Liuius li.4. Legem promulgat, inquit, ne cui album inueſtimentum addere petitionis liceret cauſſa. Alij barbaricum nomẽ eſſe volunt, tum barbaricam quoque notationem habere. Itaque in Legibus Barbaricis Veſtitura, & veſtitu ſæpe legitur, pro poſſeſſione & poſſeſſus: vt Leg. Franc.lib.4.cap.4.21. Hincque in Francogallia, *Veſt, & Deueſt*, ficta vocabula: & ueſten apud Germanos pro confirmare & ſtabilire. Dicitur autem propriè Inueſtitura (inquit Feudiſta lib.2.tit.2) poſſeſſio: abuſiuo autem modo dicitur, quando haſta, vel aliud corporeum traditur à domino: id eſt ceſſio feudi, quæ fit à domino porrecta haſta, aut vexillo, vel qua alia re coram paribus curiæ, vel aliis teſtibus. Quemadmodum enim Romani iuris inſtituto nullæ alienationis ſola conuentione fiebant, ſed vel ſolenni mancipatione: vel naturali traditione: nihilominus tamen vt iidem certam verborum formulam (quam ſtipulationem appellabant) firmandi & ſtabiliendi cauſſa inſuper adhibebant, l.j. D.de præt.ſtip. ſic Langobardi ritum aliquem vexilli, gladij, præter conuentionem adhiberi voluerunt, præcipuè au

cipuè autem haſtæ:cuius inſtituti originem quidam ad illud Iuſtini lib.43.referunt:Per ea,inquit,tempora reges haſtas pro diademate habebãt,quas Græci σκῆπτρα dixere.nam & ab origine rerum pro diis immortalibus veteres haſtas coluere:ob cuius religionis memoriam adhuc deorum ſimulachris haſtæ adduntur.tum ad illud Dionyſ.Halicar. Liuij, Appiani, & Taciti,vbi teſtantur populi Rom.inſtitutum hoc fuiſſe, vt Regibus appellatis Senatus auream coronam, auream pateram, ſellam eburneam,ſcipioné eburneum,togam pictam,& palmatam tunicam mitteret.Igitur vt varia erant feudorum genera, ſic etiam varij infeudationis ritus fuerunt.Nam alia in Imperatoribus deſignandis, alia in Regibus,alia in Epiſcopis,alia in Ducibus,Comitibus,Marchionibus,alia item in minoribus vaſſallis adhiberi inſignia ſolebãt.Imperatori quidem Germanico primum gladius accingitur, tum armillæ humeris imponuntur,poſt ſceptrum in manus datur, ad extremum capiti corona imponitur: quemadmodum Ioh.Tritemius in Othonis.j. hiſt. commemorat.cap. Chron.6.qui alio loco.cap. 20.in Regis Romanorum inauguratione,globum & anulum adiungit. Helmodus in hiſt. Slauorum lib.j. c.32. Fac nobis reddi coronam,anulum & purpuram,ceteráque ad inueſtituram Imperialem pertinentia.Iam verò in cæteris Regnis interdum haſta tantùm adhibetur, interdum gladius tantùm,nonnunquã vtrunque.Gregorius Turonenſis lib.7.c.33.Poſt hæc Rex Guntchrannus data in manus Regis Childeberti haſta,ait, Hoc eſt indicium, quòd tibi omne Regnum meum tradidi. Aimoinus libr.3.c. 68.Tunc demum, inquit, Guntchrannus Rex haſtam quam manu gerebat,nepoti tradidit, inquiens: Hoc, amantiſſime nepos,indicio noueris te mihi ſucceſſurum.Et lib.5.c.17.Vbi Dominus Imperator filium ſuum Carolum armis virilibus,id eſt enſe cinxit,corona regali caput inſigniuit.Gladij quidem traditione ius vitæ & necis permiſſum intelligi, ſcribunt Tacitus, & Suetonius in Vitellio. Addam ex Q. Curtij libr.10.& Suetonio in Caligula, anulum à iam morituro Imp. cuipiam traditum,imperium illi portendiſſe. Epiſcopatuum autem infeudatorum inſigne, fuit ſceptrum: Ducatus autem & Comitatus & Marchiæ, vexillum. Specul.Saxon.lib.3.art.60.Imperator cum ſceptro cõfert feuda ſpiritualibus:cum vexillo autem ſecularibus cõfert omnia feuda illuſtris dignitatis, &c.Hoc etiam Otho.Friſing.lib.Frid.2.c.5.& plurimi alij authores teſtantur.In Ducali tamen inueſtitura ſceptrum adhiberi ſolitum oſtendit Sigeb.in Chron.ſub ann.1180.Filia Henrici Regis Anglorum peperit ei filium: quem pater inueſtiuit Ducatu Apuliæ per aureum ſceptrum, quod in manu gerebat.De Papalis autem inueſtituræ ornamentis atque inſignibus, operæpretium eſt volumen Pontificalium ceremoniarum legere. Mantum quidé,quod eſt togæ Papalis genus, earum caput fuiſſe,intelligitur ex Alexandri Papæ verbis in epiſtola contra Octauianum Antipapam, apud Radeuic. lib.2. c.51.& 66.In Epiſtola Canonicorum pro parte Victoriæ Papæ:Accepto manto voluerunt immantare Dominum Rolandum. Cætera inueſtituræ Papalis inſignia Platina Cremonenſis in Paſchali II.his deſcribit verbis:Indutus deinde coccineam chlamidé, tiaráque capiti eius impoſita,comitante populo & clero, equo albo ad Lateranũ perducitur:vbi cum in ſede ad eam rem de more parata aliquandiu quieuiſſet,balteo ſuccingitur,vnde ſeptem claues, ſeptémque ſigilla pendebant:deinde atriũ Lateranenſe inuiſit,ſceptrũ Pontificium manibus gerens.Hæc ille. De reliquis autem regalibus ſacerdotiis, illud ſcire oportet,interdũ ſceptrum aureum notæ cauſſa,interdum verò anulum & virgam adhiberi ſolitam, quemadmodũ intelligi poteſt ex c.de feud.eccleſ.item ex Sigebert.in Chron.an. 1111.& an.1097.Atque hæc quidem de vaſſorum maiorum inueſtituris.Minores autem,ſiue vaſſalli,modo haſta,modo anulo,modo fuſte inueſtiuntur, vt libr. Feud.2.tit.2.Quando haſta,vel aliud corporeum quiddam porrigitur à domino,ſe inueſtiturã facere dicente.Id autem domini inueſtitura appellatur, quod vaſſallus cum ei de inueſtitura cõtrouerſia mouetur, proferre atque oſtentare ſolet,lib.2.tit. 27.§.7.Hinc illud apud Gallos,*Par rain & par baſton.*Rain pro anulo, vt hodie Germanis Reing.tum hoc:*Le vaſſal ſe peut iouer de ſon fief,iuſques à mettre la main au baſton.*id eſt modo ſe nõ in alterius domini fidem clientelámque conferat.Non diſſimilis autem fuit iuris Romani ratio, cum claues, aut anulus ſignatorius dabatur, quaſi alienationis teſtificandæ cauſſa.l.cum pater.77.§.pater. D.de legat.2. Nam vt in feudis poſt inſigne traditionis, inductio in poſſeſſionem neceſſaria eſt:ita poſt claues aut anulum tradenda erat poſſeſſio: niſi forte ad ipſum horreum, aut cellam,& in re præſenti traderentur: vt nominatim ſcribit Papinianus, in l.clauibus. 74. D. de contr. empt.& Paulus in l.j.§.pen.D.de acq.poſſ.Plurima huc pertinẽtia qui legere volet,cõſulat Iac. Cuiacij Cõm. in tit.3.lib.2.Feud.& Hotom.c.23.Diſput.Feud.Oldendorpius Inueſtituram duplicem facit,Impropriam vel ceremonialem,& propriam ſeu naturalem.Ac impropriam quidem quæ his verbis ſolebat fieri:Inueſtio te hoc anulo,enſe,vel haſta,aut alia re pro conſuetudine loci porrecta.Idque præſentibus ſaltem duobus curialibus,quos Pares curiæ vocãt,vt iam ſuperius diximus. Aut ſi pares non habeat,coram duobus bonis viris,vt breue teſtatum ſcribatur.c.j.in princip.quid ſit inueſt. Neque verò in re tanti momẽti otioſæ ſunt huiuſmodi externæ ceremoniæ,quarum ſit mentio in c.ex ore. De iis,quæ fiunt à maio.part.c.& in c.ex literis. de cõſuetud.Hac autem Cæremoniali inueſtitura non traditur vera beneficij poſſeſſio,ſicut nec per præparatoria cuiuſlibet rei fit res ipſa, ſed præparatur. Veruntamen hunc habet effectũ,ne dominus pœnitentià fortè ductus,poſſit mutare volũtatem:ſed omnibus modis teneatur poſſeſſionem rei corporalem, & vacuam tradere:non audiendus etiam ſi velit ſoluere beneficiario id,quod eius intereſt.c.vnic.§.ſi facta.Si de feud. defunct.contr.ſit inter dom.& adgnat.vaſſal.ſiquidem impropria inueſtitura,aliquo modo, inſtar bonorum poſſeſſionis per iudicem decretæ (ſi perpendas) obtinet, quæ & ipſa non dat poſſeſſionem corporalem. At(vt idẽ vult)Inueſtitura vera eſt, cùm traditur poſſeſſio rei beneficiariæ,idque multis modis.j. Si præcedens ceremonialis inueſtitura fiat in ipſo feudo, vel oculis ſubiecto.Arg.l.clauibus.D.de contrah. empt.& l.quod meo.§.ſi per venditor. D. de acquir. poſſeſſ. II. Si dominus propriè inueſtiẽdo vtatur verbo tradendi; poteſt Vaſſallus propria auctoritate ingredi poſſeſſionem vacuam, vt tradit Aluarottus in c.j.quid ſit inueſtit. Argu.l.prædia.D.de adquirend.poſſeſſ. III. Si dominus coram Paribus curiæ, aut aliis honeſtis viris iuberet beneficiarium ingredi poſſeſſionem feudi:alioquin non ſollennis iuſſus nihil efficeret. Sic conciliabis.c.j.in princip.de conſuetud.rect.feud. & c.j.quib. mod.feud.conſti.accedit.c.j.§. j.de natu.feud.c.j.§.fin, quid ſit inueſtitur. IIII.Si beneficiarius per dominum ipſum,aut iuſſu eius per alium introducatur in poſſeſſionem feudi.

INVESTITA res dicitur,de qua inueſtitura facta eſt,ſiue infeudationis tit.ſiue alio quouis,lib. feud.2.titul.8. Rei per beneficium inueſtitæ. Et tit.35.Rei pro beneficio inueſtitæ.Sic INVESTITVS dicitur, cui quid ſollemniter traditum,& quaſi mancipatum eſt, quanuis id feudum non ſit:vt in formula conuentionis Lugdu-

nenſis apud Guil. Paradinum in Annal.Burg.lib.2.ſub anu.1215. Et clauibus vniuerſarum munitionum, & portarũ.d.Archiepiſcopus fuit inueſtitus. Sic REVESTITVS, cui res aliqua reddita, cuiuſcunque generis illa ſit: vt in Concilio Carolomanni Imperio coacto, apud Naucl. Gener.25. Eccleſia cum propria pecunia reueſtita ſit: & iterum ſi Princeps iubeat, precarium remouetur.

INVETERARE, id eſt, ad vetuſtatem ſeruare, inquit Budæus.

INVITARE, prouocare ad bonorum poſſeſſionẽ, apud Vlpian.in l.j.vnde cognati.

INVITATORES erant in officio ſacri palatij, qui eos qui vocari iubebãtur vocabãt.l.fi.C.de diuerſ.of.li.12.

INVITVS, non tantùm qui contradicit, ſed & qui conſenſiſſe non probatur. l.8.D.de proc. Inuitus & qui ignorat.l.40.D.de ritu nupt. Inuitus.l.6. §.ſi paſſus. D. manda.qui vetat & prohibet. Inuita, quæ contradicit. l.dotalem.D.ſol.mat. Si ſeruos dotales inuita vxore maritus manumiſerit.

INVOCATIO brachij ſecularis dicitur, cùm iudex eccleſiaſticus inuocat gladiũ ciuilis magiſtratus, vt ſententiam eius exequatur. l.Epiſcopale.C.de Epiſc.audien.c.j.de offic.ord. vide Bart.in l.vnic.D.ſi quis ius dicen.non obtemp.

INVOLARE, eripere, & ſecum auferre.l.6.D.de incend. rui.& naufr. Aut vela conſcinduntur, aut anchoræ inuolantur de mari.& vide.C.Th.de iis qui pueros inuolant.

INVMBRATA quies, falſa, opinata tantum, ſed falsò credita. Celſus.l.18.§.j.D.de acquir.poſſeſſ. Si furioſo, quem ſuæ mentis eſſe exiſtimas, eo quòd fortè in conſpectu inumbratæ quietis fuit conſtitutus, rem tradideris: id eſt, quia tum erat eo ſtatu & figura, vt mente conſtare videretur. ſed falſò.

INVNDARI dicitur prædium, cum vno, eodémque impetu aqua cooperitur.l.7.§.aliud.l.30.§.alluuio.D.de acq.re.dom.

INVTILE, pro pernicioſum, & ab vtilitate cõmuni alienum. Vlpia.l.j.§.3.D.de poſſ. Eſt enim inutile in cauſſis huiuſmodi fidem frangere. Loquitur de iis quæ incendij & ruinæ cauſſa deponũtur. Paulus.l.12.§.j.D.de admin.tut. Nam & inutile eſt pupillis, ſi adminiſtratio eorum non ſeruatur: nemine ſcilicet emente. Cicero in Part.orat. Quærenda etiam ratio, ſi qua poterit inueniri, quare non ſit exceptum: aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur. Itaque hoc nomen vſurparunt veteres auctores qui de medicina ſcripſerunt.

IOANNES Andreas Iuriſconſultus nobilis, Bononiæ natus ibidem ius ciuile publicè docuit, gloſſaſque ad Iuris Pontificij libros, multóſque præterea de iure cõmentarios conſcripſit: tandem peſte oppreſſus anno M. CCCXLVIII. vita exceſſit.

IOANNES Blenaſcus Iuriſconſultus nobilis, Burgundus, Bononiæ circiter annum CCL. ius ciuile profeſſus eſt: ſcripſitque De actionibus, & alia nonnulla, quæ ad ius ciuile omnia pertinent.

IOANNES Imolenſis Iuriſconſultus nobilis, Patauij iura publicè interpretatus eſt: compluribúſque de ea diſciplina editis commentarijs, Anno M. CCCC. XXXV. vita eſt functus.

IOANNES Odofredus Iuriſconſultus nobilis, Azonis & Accurſij præceptor, circiter annum M. CIX. in Italia docuit, ſummámque Pandectarum ſcripſit. Eius perſæpe Accurſius in gloſſis mentionem facit.

IOCVM vocamus, quod eſt contrarium ſerio. Hinc ioci gratia facta obligatio, non valet, l.obligationum ſubſtantia.D.de act.& obliga. differt autem iocus à ludo, quòd ludus factis, iocus præcipuè verbis fieri dicatur.

IOCVLATOR, c.cum decorem.de vita & hon.cler.c.j. eod.tit.in 6.pro luſore, vox parum Latina.

Iocalator cap.cum decorem. de vit. & honeſta. cleric.in antiq.c.vnic.eo.tit.lib.6. Ioci in publicum lator. vt exponit gl.in d.c.vnic.

IPSI, pro integri, antiqua conſuetudine. Paulus. l.66.D. de verb.oblig. Sed ſi ipſorum viginti annorum erit, non impedietur manumiſſio. Cicero ad Att.lib.3.Ep.21. Triginta dies erant ipſi, cum has dabam literas, per quos nullas à vobis acceperam.

IPSO iure conſiſtere dicitur id, quod ex ſola legum poteſtate & auctoritate, ſine magiſtratus opera conſiſtit. Vlp.l.9.§.j.D.de vſuf. quem.cau. Illud ſciendũ eſt, ſiue iure ipſo quis vſumfructum habet, ſiue etiam per tuitionem Prætoris, &c. Paulus.l.9.§.j.D.de diſtract. pign. Quod in pignoribus dandis adiici ſolet, vt quo minus pignus veniſſet, reliquum debitor redderet, ſuperuacuum eſt: quia ipſo iure ita ſe res habet, etiã nõ adiecto eo. Caius.l.29.D. de vſu & vſuf. Licet iure ciuili morte, & capitis diminutione ex perſona legatarij pereat vſusfructus, quòd huic ipſo iure acquiſitus eſt: tamen Prætor iuriſdictione ſua id agere debet, &c. Vlp.l.j.in fi.D. quod falſ.tut.auct. Tunc enim valebit per Prætoris tuitionem, non ipſo iure. Item apud eundem in l.j.in fi.D.de exercit.act. & l.17.in fi.D.pro ſocio.l.j.§.vlt.D.de ſuperfic. Papinianus.l.49.§.j.D.de fideiuſſ. Habeat quidem decem, quæ ipſo iure non debuit, condictionem. Opponuntur igitur hæc, Ipſo iure, & Iure Prætorio, vel per tuitionem Prætoris.l.j.D. quib.mod.vſufr.amitt.l.j.in fi.D.de ſuperficiis, & alibi. Item hæc, Ipſo iure, & Per exceptionem.l.4.D. de ſeruit.l.34.§.is cui.D.de oblig.& act.l.38.§.j.D.de ſolut. Sed & Ipſo iure, & Per fideicõmiſſum oppoſuit Vlp. l.19.D.de mil.teſt. Ipſo enim iure directò & imperatiuè valent inſtitutiones & legata, quæ lege XII.Tab. confirmantur: cum fideicommiſſa ſola Prætoris fideicommiſſarij tuitione cõſiſtant. ſic etiã Legitimè & ex cauſſa fideicõmiſſi opponuntur.l.3.D.ſi vſufr.pet. Itaque in eo quod ipſo iure fit, partes Prętoris ceſſant.l.4. & l.vlt.C.in quib.cauſſ.in integr.l.3.C.ſi aduerſ.libert.

Ipſa re.l.fin.D.de edendo, & §.in fraudem. Inſti.quib.ex cauſ.man.lic.

Ipſo facto, id eſt, abſque ſententia.l.fi.C.loca. vide Bart. l.j.D.de iis, qui not.infa.

IPSVM, pro re ipſa qua de agitur, apud Cice. plerunque emphaſin habet demonſtratiuã. Sic.l.2.§.deinde quia. D.de orig.iur.

IRAM de cauſſa, Iracũdiam de vitio eſſe Donatus ait de Ira.l.in ipſius.C.fam.erciſc.& de Iracundia.l.j.§.fin.D. de ædilit.edict.

IRE agere, coniunctim in libris noſtris crebrò legimus, pro diſiunctim: aliud enim eſt Ire, aliud Agere. Ire, hominis eſt: Agere iumenti. Qui actum habet iter habet at nõn contrà. Ergo Ire Agere, paſſim coniunguntur, vt tres ſeruitutes compendio ſermonis comprehendantur, Iter, Via & Actus. nam ſub verbo AGERE, tacitè quoque VEHERE comprehenditur. cuius rei ratio hæc eſt: quia qui vehiculum ducit, iumentum, id eſt vel equum vel bouem qui vehem trahit, agit. vnde lex XII. Si via ſit immunita, qua volet iumentum agito. Quare cui agendi ius abſolutè cõceſſum eſt, ei non modò armentum aut gregem, verum etiam vehiculũ agendi facultas permiſſa intelligitur. vide Actus & Iter. Ire etiam & Ambulare ſeiunguntur.l.j.D.de ſer.ruſt.& vide l.7.D.eod. Iter eſt ius eundi, ambulandi hominis.l.j.D.eod.l.12.C.eod.

Ire in bona alterius dicitur, qui à Prætore in eius bonorũ poſſeſſionem miſſus eſt.l.3.§.vlt.& l.vlt.in fi.D.de lib. hom.exhib.

Ire ad iudicem, ob reuerentiam dicitur is, qui adminiſtrationem iuſtitiæ deſiderat humiliter à iudice, tanquam

à viua lege & ſacroſancta iuſtitia. Sic accipe titul.de quib.reb.ad eund.iud.catur.

Iter, vide infra.

Irenarchæ olim erant, qui diſciplinæ publicæ, & corrigendis moribus, præſertim verò vt itinerantibus pax & ſecuritas cōſeruaretur, inuigilabant. Martianus in l.Diuus Hadrianus.D.de cuſtod.& exhib.reor.& l. munerum.D.de muneribus & honoribus. & vide. C. Theodo.in rub.de Irenarchis.l.j.Ad prouinciarum tutelā quietis & pacis per ſingula territoria ſtare faciebant concordiam. Hinc B. Auguſtinus Epiſt.159. Illorū, ait, notoria, ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat. quare nomen εἰρηνάρχαι ſortiti ſunt. Paci tuendæ præerant. A Græcis definiuntur Irenarchæ, οἱ τ̃ τοῦ δήμου εὐταξίας ἐπιστατοῦντες. Vocabantur & φύλακες τῆς εἰρήνης. Leges Gotthorum Pacis adſertores vocant. Dicuntur autem Irenarchæ, ἀπὸ τοῦ ἄρχειν τῆς εἰρήνης.

Irnerius Iuriſconſultus nobilis Bononiæ Anno à Chriſto nato Milleſimo octogeſimo floruit. Cùm ibi primùm bonas artes publicè profiteretur, & eo tēpore Pandectarum libri ex Malfitanæ vrbis direptione à Piſanis victoribus Piſas deportati eſſent: captus eorū lectione, iuris ſtudio nauare operam, tandémque illos libros publicè interpretari cœpit. Gloſſas etiam multis in locis eorum librorum adſcripſit: & ex Nouellis Iuſtiniani, quæ ad Codicis conſtitutionum quarundam argumentum pertinerent, decerpſit, ſuóque loco appendiculam quanque attexuit. De eo abbas Vrſpergēſis ita ſcribit: Eiſdem quoque temporibus dominus Vuernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerāt, nec quiſquam in eis ſtuduerat, ad petitionem Mathildæ Comitiſſæ renouauit, & ſecundum quod olim à diuæ recordationis Imperatore Iuſtiniano cōpilati fuerant, paucis forte verbis interpoſitis eos diſiunxit. in quibus continentur inſtituta præfati imperatoris, quaſi principium & introductio iuris ciuilis. Edicta quoque prætorum & ædilium curulium, videlicet in digeſtis continentur. Additur quoque his liber Codicis, in quo Imperatorum ſtatuta deſcribuntur. Quartus quoque liber eſt Authenticorum, quem præfatus Iuſtinianus ad ſuppletionem & correctionem legum imperialium ſuperaddidit. Hæc Vrſpergenſis. Auentinus autem lib. VI. Annal. Boiorum: Vvernherus quoque, inquit, Iureconſultus, rogante atque iubente hoc Mathilda, Vvelphonis ſecundi ducis Boiorum vxore, leges populi Romani, à Iuſtiniano Imperatore inuulgatas, hactenúſque neglectas, ſitu & carie obſoletas, cū tineis & blattis depugnātes, recognouit, atque publicauit, continēti ſcriptura expoſitas, in libros capitáque diuiſit, ſententiam paucis ſummatim præſcript, legēdo, cōmentādo, interpretādo, eaſdē etiā cæteris notas fecit, parū adhuc diuulgatas diligētius retractauit.

Irritare, non ratum eſſe velle, vel oſtendere, vel facere. l.j.C.de feriis. Ab irruo frequentatiuum, incitare, prouocaréque ſignificat: vt irritare canem, in l.item Mela.§.item cum eod.D.ad l.Aquil.

Irritum fieri teſtamētum dicitur, quoties ſtatu teſtatoris mutato ipſo iure teſtamentum concidit. l. ſi quis. 6.D.de iniuſt.rupt. veluti ſi capite deminutus fuerit. Iſidorus lib.5.Etym.c.24. Irritū fit teſtamentū, quoties teſtatori quid teſtamento facto accidit: vel quando ex eo adita non eſt hæreditas. l.j.D.eo. Vel eorum qui ſibi mortem conſciuerunt.d.l.6.§.eius qui. Itaque Rumpi & Irritum fieri ſic differunt, quòd irritum ſtatus teſtatoris immutatus facit: rumpit autē caſus extrinſecus contingens, vt agnationis, adoptionis, teſtamenti noui. Rurſus inter Irritum eſſe & Irritum fieri hoc intereſt, quòd irrita fieri ea demum dicuntur, quæ cùm antea iure conſtarent, euerſa ſunt. Irrita verò vel iniuſta eſſe dicuntur, quæ nunquam conſtiterunt, ſed infirma ſemper ſua ſponte fuerunt. l.j.D.eod.

Irritum fieri teſtamentum dicitur, cum id quod iure factū erat, infirmatur, ait Imp.§.5. Quib.mod. teſt. inf.

Irrogare, pro infligere. Vlp.in fin.l.pen.de calū. Pro modo, ait, delicti pœnam irroget. Sic dicitur irrogata deportatio, in l.ſi debitori. D. de fideiuſſ. Irrogare mulctam, idem quod dicere mulctam, auctore Budæo. C.de vſur.fiſca.l.lib.10.Inſt.de pub.iud.& pen.

I S.

Iſauri. l.fin.C.de feriis.l.fi.C. de vi pub.famoſi & inſignes latrones, quod Diō lib.55.indicat his verbis, Ἴσαυροί.τε γὰρ ἐκ λῃστείας ἀρξάμενοι, &c. Græci βασιλικῶν interpretes exponunt illis locis Iſauros, ἅρπαγας, φονεῖς. καὶ οὓς κουρσαρίους φασίν. De his Marcellinus li.14. Zonaras ἔθνος κάκιστον vocat.

ΙΣΑΖΟΝ, paritas, par vtriuſque ratio. Vlp.l.13.D.de ſtipu.ſer. At hic τὸ ἰσάζον corrumpit ſtipulationē. Loquitur de duobus dominis, quorum ſeruus ſub diſiunctione iis ſtipulatus erat: quos pares eſſe ait inter ſe, quia vterque capax erat obligationis: cum vnus dominus & extraneus adiectus pares non ſint.

Iſginus, vide Hyſginus.

Iſitium farciminis genus eſt, quod vulgus ſalſitiā vocat, vt docet Iul.Scal.in Comm.in Hippocratis libr.de inſomniis. Hanc vocem quidem Latinam eſſe volunt, putantque dici Iſitium, quaſi inſitium, quod fiat inſitis in inteſtinum minutis ſuillæ fruſtulis. ſed minus hoc mihi probabile videtur quod id Alexander in Problematis ἴσικον, Ithenæus ἰσίκιον nominat, vt vel Iſicum, vel Iſicium ſcribi debeat. Idem tamen Scaliger fieri poſſe dixit vt hyſicium ſcribatur, vt à ſuilla nomē ductum putetur.

Iſthmus, ἰσθμός, terra anguſta inter duo maria, oblonga, ceruicis inſtar obtinēs. Paulus.l.37.D.de ſeruit.ruſt. εἰς τὴν οἰκίαν σου τὴν ἐν τῷ ἰσθμῷ. In domum tuam quæ eſt Iſthmo. Gallis destroit.

Italicum ius, vide Ius Italicum.

Iter, eſt ius eundi, ambulandi homini, non etiam iumentum agendi. l.j.D. de ſeruit.præd.ruſt. Iter, eſt ius eundi, ambulandi, non etiam iumētum agendi vel vehiculum: ait Imperator, tit. De ſeruit. præd.in princ.

Iter & actus quid differant, vide Actus & iter.

Iter agentes, viatores. l.vnic.in fin. D. de furt.aduer.naut.

Iter aquæ. l.pen.D.ſi ſer.vind.

Itineri vnius diei 20.millia paſſuum computantur, ex edicto Prætoris, in cautionibus in iudicio ſiſtendi cauſſa factis. l.j.D.ſi quis caut.

Item nota adiectionis, coniunctionis, ſeu repetitionis Bart.l.j.D.de publica. Repetitionis. l.cum de lanionis. §.aſinam.verſ.item.D.de inſtru.inſtru.leg. Iaſon in §. item ſi quis in fraudem. Inſtit.de actio.

Iterum duas res ſignificat: alteram, qua demonſtretur tempus ſecundum, quod Græci δεύτερον dicunt: alterā, quæ ad inſequentia quoque tempora pertinet, quæ Græcè dicitur πάλιν: quod ita accipitur, quoties opus erit: itaque Iterum pro ſæpius accipitur. l.7.D.de edēd. Iterum Conſul, pro ſecundo Conſul, ſæpe apud optimos auctores.

Iteratione, inquit Vlp.Inſt.tit.3. fit ciuis Romanus, qui poſt Latinitatē, quā acceperat maior triginta annorū, iterum iuſtè manumiſſus eſt ab eo cuius ex iure Quiritiū ſeruus fuit. Sed huic cōceſſum eſt ex ſenatuſcōſulto etiā liberis ius Quiritiū conſequi. Iterationum harū meminit Iuſt. Nouell.78. καὶ τὰς λατινικὰς, inquit, ὡς ἀτελεῖς ἐξεβάλομεν, καὶ τὰς ἰτερατίωνας περιττὰς ἀπεφήναμεν.

Iterato quid ſignificet, docet Archidiaconus. c. ſi quis verò. 11.q.3.

Iubere, nonnunquam decernere, inquit Feſtus. hinc illud apud Imper.§.2.D.de teſtam. Neque ij quos leges iubent improbos inteſtabiléſque eſſe, poſſunt in nu-

merum teſtium adhiberi:id eſt quos ſtatuunt ac decernunt.Caius.l.26.D.de teſtam. Cum lege quis inteſtabilis iubetur eſſe,eo pertinet,&c.

IVBERI poſſidere,vide Poſſidere iuberi.

IVDEX adpellatur,qui de re aliqua,vel iure ſuo, vel magiſtratus, qui iubendi poteſtatem habet, auctoritate cognoſcit & iudicat. Prætor olim iudex adpellari cœptus eſt,vel Liuio auctore.Et ita magiſtratus, qui tribunali,& iuriſdictioni præſunt,iudices adpellantur rub.D.de iuriſdict.& de reb.auct.iud.poſſid.l.j.D. de iudic.l.22.§.eo autem tempore.D.ſol.mat. Separantur tamen iudices à magiſtratibus.l.2.D.de diuerſ.reg.iur. Iudicúmque nomine accipiuntur, qui & iudices dati, & ſpeciales iudices,& pedanei & delegati,adpellãtur. l.46.D.de iud.l.pen.iud.ſolui.D.l.fi.D.de offic.præſid.l. 4.D.de tut.ab iis.l.3.D.ne quis eum. & ita iudiciales ſtipulationes à prætoriis ſeparantur.D. de verb.oblig. Iudicialéſque eas accipimus,quæ ex mero iudicis, qui actioni addictus eſt,officio proficiſcuntur:quanquam & prætoriarum ſtipulationum quædam iudiciales eſſe dicantur,quæ ſcilicet propter iudiciũ interponuntur, veluti de rato,& iudicatum ſolui.l.j.§.j.D. de præt.ſtip. Varro lib.4.de Ling.Lat.Iudicẽ à dico ducit, quod ius dicat accepta poteſtate,id eſt quibuſdam verbis dicẽdo finiat,itaque definitur.l.j. in princ.D. de iuriſd.Iudex igitur in priuatis cauſſis dicitur,ciuis aliquis priuatus,cui Prætor ex reorũ conſenſu de lite cognoſcendi, ſentẽtiámque ex formulæ præſcripto pronũciandi poteſtatem dedit.Cicero in Orat.pro Cluentio:Neminẽ voluerunt maiores noſtri non modò de exiſtimatione cuiuſquam,ſed ne pecuniaria quidẽ de re minima eſſe iudicem,niſi qui inter aduerſarios conueniſſet. Hæc plenius vide explicata apud Hoto.in Com. verb.iuris.

Iudex compromiſſarius,id eſt arbiter.l.41.D. de recep.ab.

Iudices locorum.l.2.C.de exhib.reis,quos τοποτηρητὰς Iuſtinianus adpellauit,conſtit.134.

Iudex,animatum ius eſt, μεσόδικος Græcè dictus à quibuſdam,inquit Ariſt.quaſi Mediiurius Latinè quis dicat,à Medio, & Iure, compoſito vocabulo: quoniam inter vtranque partem medius, Iuſtitiæ miniſter eſt, cuius etiam Antiſtes ſolet dici.Ideo etiã(inquit idem)δίκαιον dicitur,quaſi δίχαιον,hoc eſt bipertitum,& Iudex,δικαστὴς,quaſi διχαστὴς,hoc eſt bipertiens.Iudices autem nõ temere olim legebantur. Primùm enim in iis cenſus ſpectabatur.Hinc Cicer.in Antonium: In iudice ſpectari debet & fortuna & dignitas. Itẽ lege Pompeia, vt ampliſſimo ex cenſu legerentur iudices, ſancitum, vt teſtatur Aſconius.Hinc illud Plinij li.14.in Proœm. Poſteris,inquit, laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit,poſtquam ſenator cenſu legi cœptus, iudex fieri cenſu.Seneca; Cenſu ex foro iudex legitur. Deinde verò ætas.nam vigintiquinque annos natum iudicem oportuit.Auguſtus tamen, teſte Suetonio, à triceſimo ætatis anno iudices allegit.

Iudex LIMITANEVS eſt, qui iuriſdictionem habet vſque ad certam pecuniarum ſummam,puta, ducentorũ florenorum limitatam.

Iudex,aliàs Iuriſdictione per legem, vel longam conſuetudinem,vel per indultum principale propria vtitur: qui Ordinarius eſt.Aliàs exercet iuriſdictionem alterius,delegatam ſibi vel commiſſam, qui extraordinarius vocatur.l.j.C.vt in poſſeſſ.legator. Iudex etiam Ordinarius,aliquando incompetens cẽſetur, cùm alibi ſit competens rei conuenti,vt in tit.C.ſi à nõ compet.iud.iudica.eſſe dicat.

Iudex boni,& innocentis viri officio fungi debet, cuius primæ partes ſunt curare,vt lites ſine calumnia procedant.Vlpianus in l.ceteræ.D.famil.erciſcund.& in l.ſi extraneus.D.de iur.dot.

Iudicis officium varij variè definierunt. F.Martinus Accurſij coætaneus ita definiebat, vt ſit poteſtas iudicis adſumpta Bart.ſic, Eſt, inquit,ius faciendi quæ iudici facienda incumbunt.Alciatus in c.quod ſedem.de offic.ord.nu.3.hoc modo: Eſt,inquit, quid extraordinarium, & non datur,niſi vbi non eſt aliquod nomen ſpeciale petitionis. Bartoli definitio cæteris verior, perfecta tamen non eſt.Tentabam igitur ſic definire, Vt ſit id,quod iudex cognoſcens,definiens,& exequẽs facere debet. Iudicis officium doctores variè diuidunt.Bart.putat triplex eſſe officium iudicis:videlicet, nobile,mercenarium,& aduerſarium. Alij communiter ſtatuunt duplex genus officij iudicialis:ſcilicet,nobile & mercenarium.Et quoniam hæ voces ſunt vulgo notæ,docẽdi gratia ſequemur eas. Iudicis officium nobile(quod tamen rectius dixeris merum officium) dicit Bart.id eſſe,quod per ſe ſtat.Explica ſic apertius: Officium nobile eſt, quod iudex ſua, hoc eſt, iuriſdictionis auctoritate exercet,etiam ſi nulla proponatur actio,& interdum motu proprio,nemine petente.Siquidẽ iudex ſeu magiſtratus eſt animata lex. Ius enim cùm mortua litera deſcriptum ſit, producitur in forũ viua quadã iudicis exercitatione,cùm iuſtitiam adminiſtrat,cùm diſtribuit vnicuique ſuũ. Quare Iuſtinianus exẽplo Iuriſconſultorũ,tractans de officio iudicis lib.4.Inſtit.tit.pen.rectiſſimè ſic incipit: Et quidem in primis illud obſeruare debet iudex, ne aliter iudicet, quàm quod legibus, aut conſtitutionibus, moribúſve proditũ eſt.Quæ verba Accurſius frigidiſſimè diſputat:quaſi iudex non etiã cognoſcendo cauſſam,adhibere debeat iuris ſanctiones eò pertinentes. Iudicis officium Mercenarium eſt,quod actioni deſeruit,metaphora ab obſequio famulitio ducta. Quemadmodũ enim is,qui operam ſuam locat,bona fide,& libens eã præſtat nec alio modo quàm dominus præſcribit: ita iudex actionibus in iudiciũ perductis, aut perducendis,impertit officium ſuum vltrò quidem, ſed non niſi ad normã actionis:eáque ceſſante, ceſſat.l. Ædil.§.itẽ ſciendum.D.de ædilit.edict.In quibus autem verſetur officium iudicis, vtrunque doctiſſimè & latiſſimè tractat(vt ait Oldẽdorpius) D.præceptor noſter in Præfationibus Claſſium ſuarum,De officio iudicis.Cæteroquin hæc Doctorum diuiſio nullo iure probatur. Equidem ita diſtinguendum putem (quod & docui ad Iuſtinianũ Imp.lib.4.Inſtit.tit.pen.)in duo ſumma genera.Vnum eſt generale & latè patẽns, quod Vlp.latiſſimũ adpellauit.l.j.D.de iuriſdict.Alterum ſpeciale, cũ nulla obligatio,actióve data eſt, nec oritur ex negotio,quod tamen dari fieri æquum eſt: quo de accipiendus eſt Pomponius.l. Quintus.D.de ann.lega.idque Bernardus gloſſematarius rectè ſenſit in c. 2.de offic.ord.Quod ad primum articulum diuiſionis adtinet,Vlp.l.j.D.de iuriſdict.ita ſcribit, Iudicis officium latiſſimum eſt.Nam & bonorum poſſeſſionem dare poteſt, & in poſſeſſionem mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere, & iudices litigantibus dare.Quod ait bonorum poſſeſſionem dare, hoc iuriſdictionis eſſe C.Harmenopulus lib.j.tit.4.credidit. Sic enim apud eum ſcriptum eſt,τὸ γὰρ διδόναι δικαστὰς καὶ διακατόχους ἐστίν.quod ex nouiſſimis quidam probauerunt,cum tamen miſti imperij eſſe Vlp.dixerit.l.j. & l.4.D.de iuriſdict.omn.iud.

Iudex conſcientiam ſuã ex manifeſta rei veritate natam, ſequi debet: imò non habet quod tutius ſequatur in omni re.Et medius fidius qui tradunt duplicem in Iudice conſcientiam,nihil aliud docẽt,quàm ipſam fallendi artem,& æquitatis euerſionem. Sic autẽ eã Accurſius cum ſuis diſtinguit:Alterã, quã velut iudex habet,hoc eſt,eorum quæ videt, aut intelligit tẽpore iudicij.Alteram,quam habet de iis,quæ priuatim ſcit:ſed hoc eſt contra naturam,ius,& æquitatem. Nam conſcientia

ſcientia eſt tacitũ animi iudiciũ, per quod aut accuſatur falſitas, turpitudo: aut defenditur veritas honeſtáſque, ſecundũ infallibilẽ iuſtitiæ à Deo nobis inſculptæ formulã. Vnde dici rectè ſolet: Conſciẽtia mille teſtes. Si quidẽ res eſt ſimpliciſſima, nec diuidi poteſt in vno eodémque homine. Quicquid enim fit cõtra conſciẽtiam, cõtra veritatem fit, & ædificat ad gehennam, vt rectiſſimè dicit Innocentius poſt Apoſtolum, in capi. Literas de reſtitut. ſpoliato. Veriſſimum igitur eſt ſecundum ſententiam Martini gloſſatoris, quòd iudex velut vnus homo, non habet niſi vnam conſcientiam, quam ſemper debet ſequi, adhibitis legum formulis. Nam primarium officium Iudicis eſt, in iudiciis amplecti veritatem facti, eámque ad æquitatem exigere. Non poteſt autem id fieri, niſi cõſcientiæ iudicio. Hæc eleganter, & latè probãtur in libello, De iure & æquitate, Oldendorpij. Et de formula inueſtigandæ actionis. Huc adde illud Ciceronis lib. 3. Offic. Cum iudici dicenda eſt ſententia, meminerit ſe Deum habere teſtem. Itémque illud Agapeti ad Iuſtin. Imp. νουνεχῶς ἀκροᾶσθαι δεῖ τοὺς τῶν πραγμάτων κριτάς.

Iudicis religio & diligentia, cuius fit mentio in l. eum quẽ temerè. & in l. 3. §. idem Diuus. D. de teſtib. eſt ſollicita, & anxia cõſcientiæ cura, quæ propter iuſtam muneris functionem ſuſcipitur: quam grauiter depingit Papinianus in l. quæſitum eſt. D. de teſtib. Vt vel hinc appareat ſole clarius quàm longè commentatores abſint à veritate, & quantam attulerint humanæ ſocietati peſtem tradentes Iudicem debere ſemper ſecundũ acta, & probata, non autem ſecundum conſcientiam pronunciare. Nam ſi actionum ſeries aduerſus cognitam veritatem eſt obſeruanda, quid aliunde poteſt iudex rimari, aut quid interrogare?

Iudicis præſentis iuſta cognitio, cum primis eſt de ſubſtãtia iudicij: quam tamẽ formularij non dignantur inter partes iudicij adnumerare. Siquidẽ meminiſſe oportet, omnem iudiciorum vim, & poteſtatem, ſtatim atque lis eſt conteſtata, iudicum humeris incũbere corã Deo, & hominibus. Iuſte autẽ cognitionis duæ ſunt partes. Altera, vt perſpectã habeat iudex cauſſam circunſtantiis. Altera, vt celeriter eam deffiniat: quia ad officium eius pertinet lites dirimere, vt dicit Iulianus in l. quidam exiſtimauerunt. D. ſi cert. pet. & cert. cond. Priorẽ autem cognitionis partem feliciter abſoluet, ſi vtatur ſæpe interrogationibus de his, quæ neſcit Cognoſcere enim id dicimur, quod anteà non ſciuimus. Proinde alieni facti circunſtãtias neque citius, neque cõmodius inueſtigare licet, quã interrogãdo. Quamobrem ſapientiſſimi legiſlatores interrogationes adeò frequentes eſſe voluerũt, vt apud omnes æquè magiſtratus fierẽt. l. voluit Prætor. l. vbicunque. D. de interrogatio. Poſteriorem verò partẽ officij ſui iudex rectè expediet tribus modis: videlicet, iureiurando, tranſactione, ſententia.

Iudicis officium apud Romanos tribus verbis in tria iuris capita digeſtum fuit eleganter: ſcilicet, DO, DICO, ADDICO. Aliàs enim iudex dat actionem, dat alium iudicem. l. 3. §. mixtum. D. de iuriſdict. Alias cognoſcit de controuerſiis, & dicit ius. Aliàs denique addicit & transfert poſſeſſionem rerum ab vno ad alium.

Iudicem arbitrúmve, qui ob rem dicendam accepiſſe pecuniã conuictus eſt, Lex XII. Tab. capite punit. Peſſimũ enim delictũ eſt venalẽ habere iuſtitiam, fónſque omnium malorum rectè vocatur à Iuſtiniano Nouell. vt iud. ſine quo. ſuffr. Igitur lex tam ſeueram conſtituit pœnam, nempe capitis. Vult enim iudicem & arbitrũ puras habere manus, ne quid ob rem dicendã, hoc eſt, ob adminiſtrandam iuſtitiam, & veritatem tuendam, pecuniæ accipiat. Nã qui ius dicit, nihil magis curare debet, quàm vt rẽ ipſam dicat ſine vllo fuco iniquitatis, aut calumniæ. Inſtitution. de offic. iudic. in princ.

Iudicis quale arbitrium ſit, hoc eſt, quid oporteat iudicem ex iure arbitrari ac pronunciare, videamus. Vlp. in l. j. §. ſi quis in fraudem. D. ſi quid in fraud. patro. Iudicis arbitrium, boni viri arbitrium cẽſetur. Vnde Religionem iudicantis, Papin. dixit in l. quæſitum. D. de teſtib. Iudicis arbitrio reſtituere (vnde actiones arbitrariæ vocantur) eſt tantum reſtituere, quanti iudex ſecundũ conſcientiam boni viri, quicquid partes allegauerint ſua intereſſe, duxerit, condemnandum. Paulus in l. arbitrio. §. dolo cuius. D. de dol. mal. Trebatius ait: De dolo dandum iudicium, non vt arbitrio iudicis res reſtituatur, ſed vt tantum actor conſequatur, quanti eius interfuit, id non eſſe factum.

Iudex & arbiter inter ſe multis in rebus & ſimiles, & diſſimiles ſunt. nam vt ex vtriuſque conſenſu iudex dandus eſt, ſic etiã arbiter. l. litigatores. 11. §. 3. D. de arbitr. Vterque minor annis XX. eſſe nõ poteſt. l. cũ leg. 4. eod. Vterque præterea de re ſola de qua lis cõteſtata erat, cognoſcebat. l. vt fundus. 18. Comm. diuid. l. non diſtinguemus. 32. in fin. l. de his rebus. 46. De arbit. vterque ſententia dicta vel iudex, vel arbiter eſſe deſinebat. l. qualẽ. 19. D. de arbit. vtriuſque ſententiã Prætores exequebantur. l. à diuo Pio. 15. D. de re iudic. ſi tres dati ſint, duorũ conſenſus abſente tertio non valet. l. itẽ ſi. 17. in fi. & l. ſeq. D. de arbit. Vterque incertã ſententiã inutiliter pronunciat. l. quid tamen. 21. eod. Vtriuſque ſentẽtiæ quamuis iniuſtæ parẽdum eſt. l. diem. 27. eod. Differũt autem in eo quòd is qui propriè iudex appellatur, ad certam Prætoris formulam aſtrictus eſt: in eáque ipſa verba quibus Prætor vſus eſt, proferre ſentẽtiam debet. Arbiter autẽ eſt, qui totius rei habet arbitrium & facultatem: vt Feſtus & Donatus ſcribũt itaque qualem ſententiã ferat, Prætoris nihil intereſt. d. l. qualem. De arbit. Iudex, ſi conuenerit inter litigatores quid pronuncietur, eiuſmodi ſententiã proferre poteſt. l. ſi conuenerit. 26. De re iud. at ſi ſic fuit in arbitrum cõpromiſſum vt certam ſententiam dicat, nullum eſt arbitrium. d. l. qualem. De arbi. Iudex (vt antea dicebamus) priuatus eſſe debet: arbiter autem etiam qui cum imperio eſt dari poteſt. l. 2. & 3. De arbit. Ignominioſus iudex eſſe non poteſt. l. cùm Prætor. 12. De iudic. Arbiter poteſt. l. Pedius. 7. De arbit. Iudicis ſententiæ propter Prætoris imperium parendum eſt: arbitri verò propter compromiſſum. l. j. & paſſ. eod.

IVDEX QVÆSTIONIS is erat qui quæſtionibus præerat, id eſt publicis iudiciis, iudicũque decurias cogebat. Præcone nãque Iudices teſtéſve citãte, ipſe reſpõdẽtes obſeruabat, eorúmque quaſi cuſtos erat. iuratus ſententiã vnã cũ aliis ferebat: &, vt ex eo coniicere libet, quòd iudicũ princeps ab Aſconio vocatur, primus omnium ferebat. Vide Cicer. in Præturã vrbana, & in Orat. pro Cluẽtio. Quintilianus eum à Prætore diſtinguit, húncque dicit impeditum fuiſſe in iis rebus quæ imperij erãt: illũ in iis quæ ad cauſſæ cognitionẽ pertinebãt. Quæri autẽ poſſet, cùm Prætor vrbanus iudices rerũ capitalium ſortiretur ac ſubſortiretur, quẽadmodum Cic. in Cluent. & Pedian. Verr. III. teſtãtur, quid ſit, quod idem Aſconius ſcribit, iudicẽ quæſtionis Iunium ſubſortitum fuiſſe in locum non reiectorum. ſic enim apud Aſconium legendũ Cluentiana oratio demonſtrat. Huic obiectioni reſpondet Hotom. Aſconium ſubſortiri dixiſſe, pro ſubſortitorũ citationi & reſponſioni præeſſe, nam paulo ſuperius ſic loquitur: Princeps illorũ iudicum dãnatus eſt. Iunius, quòd diceretur alios ſuppoſuiſſe, qui reum dãnarent, non eos quos Prætor fuerat ſubſortitus. Cum autẽ Iudex quæſtionis alius à Quæſitore qui capitali iudicio præerat ſit, vt ex Verrina. 3. cõſtat, & alibi dicemus, legimus tamẽ & Quæſitorẽ ipſum Iudicẽ quæſtionis dici, & viciſ

ſim Iudicē quæſtionis,Quæſitore.nā Cicero in Cluēt. de Prætore Q.Voconio Naſone loquēs:Iubet, inquit, ea lex,qua lege hæc quæſtio conſtituta eſt,iudicē quæſtionis,hoc eſt Q.Voconium, cum iis iudicibus qui ei obuenerant,quærere de veneno. Pedianus autē Verrina II.Iunius,inquit, Quæſitor fuit in Cluētij cauſſa Verre Prætore.Marcianus.l.j.§.j.D.ad l. Cornel.De ſicar.Quíve magiſtratus,iudéxve quæſtionis ob capitalem cauſſam pecuniam acceperit,vt publica lege reus fieret.Nam paulo antè dixerat: Quíve cum magiſtratus eſſet,publicóve iudicio præeſſet.

Iudex compromiſſarius,id eſt arbiter, in l.41.D.de recep. qui arb.Græcis διαιτητὴς αἱρετὸς.

Iudicem collocare apud Feſtū.eſt inter iudices ponere. Sic apud diuum Vigilium,Arbitrum collocare. Iudicē autem ſumere & accipere dicuntur litigatores.l.j.C. de in lit.iur.l.j.D.de quib.reb.ad eun.iud. l. pen. D. de iūd.& alibi ſæpiſſimè.

IVDICARE à verbo Dico,dicas,ductum putat Varro lib.5.Ling.quòd tunc ius dicatur. Iudicare apud veteres accipiebatur pro conſulere. Vnde Conſultum dicebant iudicium, quod ex animi conſilio prodiiſſet. Eámque ob rem Senatuſconſulta, verbo ſcilicet maieſtatis pleno,adpellata ſunt,quaſi iudicia, ſeu ſtatuta. Quid enim inter iudicium & conſilium animi refert?

Iudicare alias in Feudiſticis libris,pro teſtamēto legare. In leg.Aſtulphi regis Langob.tit.4. Siquis Langobardus decedēs voluerit vxori ſuæ vſumfructum de rebus ſuis iudicare,nō amplius iudicare poſſit.Iudicare feudū pro anima,id eſt Eccleſiæ addicere, vel legare ſub cōditione prętationū quę,pro domini cōſtituētis anima fieri debeāt,lib.Feud.2.tit.9.§.2.& tit.55.§.Langob.

Iudicādi munus graue olim detrectandúmque fuiſſe probat Cicero in prætura vrbana.Hoc ſi vobis (inquit ad iudices) ideo leuius videtur, quòd putatis onus eſſe graue & incōmodū,iudicare: intelligere debetis, primum intereſſe,vtrū id onus voſmetipſi reieceritis,an, quòd probare populo Romano fidē veſtrā,& religionē non potueritis,ideò vobis iudicādi poteſtas erepta ſit. Auguſtus decurias iudicum nonnihil immutatas, reducta Tribunitia poteſtate, diſtinxit, vt ſinguli Senatores,Tribuni,& Equites, ex ſingulis decuriis iudicarent,rurſúſque immunitate potirentur, ſuccedentibus ordinibus ſeu decuriis in orbē. Neque enim vniuerſæ decuriæ ſigillatim ad iudicandum ſedebant, ſed ex ea decuria,cuius vices tum erant, iudicandi certus ac conſtitutus numerus aſſumebatur, ſortibus ex vrna ductis,ſcilicet cùm res aliqua nata iudicium poſcebat. Idque officio Prætoris expediebatur. Prætor enim ſummā poteſtatē habebat iudiciorū, præerátque ſortitioni,& reiectioni,ſeu (vt nunc dicimus)recuſationi ſuſpectorum iudicum, rurſúſque ſubſortitioni in locū reiectorum, per actorem ſcilicet, vel reum. Proinde ipſe Prætor pro tribunali ſedebat,cùm interim Iudices in ſubſelliis eſſent.Ab hac cōſuetudine retinemus vocabulum iudiciale,Sortiri forum,ſortiri iuriſdictionem,adeóque rem quamlibet ſortiri effectum. Cùm verò ante Auguſti tempora equeſtres propriè dicerētur,qui equo publico merebant:poſteà dici cœperunt omnes quibus vti anulo aureo liceret: vt Senatores dicebantur,qui lato clauo vterentur. Ex ſuperioribus apparet quid ſit quod Arcadius in l.vlt. §.iudicandi.D. de muneribus & honoribus, dicit, Iudicādi neceſſitatem publicū munus eſſe: nō quaſi iudex cogi poſſit iudicare(vnde ducunt Iuriſperiti multa argumenta) ſed quod Senatores, Equites ac alij in quatuor decurias diſtributi,quorū nomina in albo Decuriarū ſcripta,& ad ærarium delata erāt,parere prætori conciliū agenti ad iudiciū publicū exercendū,aſtringerentur, ſicut ad alia munera publica.Vide pleniſſime Budæum.ad d.§.

IVDICATVM,ſeu res iudicata,dicitur quæ ſinē controuerſiarum pronuntiatione iudicis accepit. Quod vel cōdemnatione,vel abſolutione cōtingit, videlicet iuſta ac valida.Alioqui ſi nullius momenti ſit,non poteſt tenere cōdemnatio vel abſolutio.l.j.& l.3.§.cōdemnatum.D.de re iud. Inde nuncupatur actio iudicati, ſeu rei iudicatæ, non in factum, vt Accurſius putat.Non enim quia factum,agitur:ſed quia iudicatum eſt. Eadem ratione adpellatur exceptio rei iudicatæ. De qua eſt tit.D.de except.rei iud.Rem iudicatam, nūc vulgò dicimus ſententiam definitiuam.Cice.lib.2.de Inuentione, Iudicatum diffinit de quo iam ante ſententia alicuius,vel aliquorum conſtitutum eſt.

Iudicatum facere,hoc eſt,ſoluere id, quod ſententia continet,obtemperando ei.l.5.D.de feriis.inter alia enim Facere,ſignificat Soluere,vt & in l.vlt.C.de reb.credi. & in l.ſunt qui.D.de re iud.vide Gellium lib. decimo nono.Formula autem IVDICATVM FACERE, ex XII. Tab.dimanauit: in quibus ita ſcriptum erat, NI IVDICATVM FAXIT, SECVM DVCITO. Qua vſus eſt M.Cicero in Oratione pro Flacco. Differt autem Iudicatum facere à Iudicium facere, nā Iudicium facere,idem eſt,quod iudicare.in titul.de fer.& ſi cert. pet. Iudicatis autem ſatisfacere Papinianus dicit,pro, Iudicatum facere,in l.tale pactum.§.j.D.de pact.

Iudicatum ſolui, pro ſatiſdatione, quæ de ſoluendo per reum præſtabatur olim.l.iudicatum.D. iudicatum ſolui.Iudicatum autem ſolui ſtipulatio tres clauſulas in vnum collatas habet.l.6.D.iudic.ſolui,puta de re iudicata,de re defendenda,de dolo malo.

Iudicati actio, quæ ex ſententia deſcendit.l. 28.§. igitur. D.de iureiuran. Et alibi, Iudicati agere.l. 28. D. de procurat.

IVDICATIO.l.51.D.de furtis.l.4.§. non omnis.D. de re milit.& alibi ſæpè.At l.aliud fraus eſt. 131. D. de verbo. ſignific. Iudicatio ſumitur pro propria iuriſdictione. Mulctam is dicere poteſt,inquit Vlpi.cui iudicatio data eſt. magiſtratus ſolos & præſides prouinciarum poſſe mulctam dicere mandatis permiſſum eſt. Similiter in l.2.in fi.D.de iud.His datur mulctæ dicendæ ius, quibus publicè iudicium eſt.id eſt qui magiſtratus ſui iure,quem à populo vel à principe acceperunt, iudicium exercent.

IVDICATVS, addictus.Plautus Menæch.

Nam ego ad Menæchmum non eo,quo iamdiu
Sum iudicatus:vltrò eo ut me uinciat.

IVDICIVM, decretum eſt eorum qui pro poteſtate, quam à lege acceperunt, cauſſa cognita de re ad ſe delata,ſententiam pronuntiarunt. Vel (vt inquit Aſconius) Iudicium dicitur res quæ cauſſam litémque determinat.Atque ita huc pertinent tria illa verba, DO, DICO, ADDICO. DO iudicium poſtulantibus:Dico ſententiam poſt litem conteſtatam & cognitam: Addico rem victori,& exequor ſententiam, transferēdo rerum dominia.Alij ſic:Iudicium eſt actus legitimus, quo mediante,iudex de cauſſa propoſita cognoſcit, & ſecundum æquitatem pronunciat.In iis enim verſatur omnium iudiciorum, inquiſitionum, adeóque conſiliorum vis,atque poteſtas.Et ceſſabunt omnes diſputationes,ſi rectè intelligas.Siquidem in nullo controuerſiarum genere prodeſt cauſſam deferri ad iudicem, niſi cognoſcatur de ea.Sic nihil profuerit eſſe cognitum,niſi pronuntietur. Denique pronuntiatum quoque inutile erit,niſi ex bono,& æquo procedat.

IVDICIVM priuatū,pro iudicio ex contractu & obligatione pecuniaria nato,apud Vlp.l.3.D. de crimin. ſtellio. Quos enim, ait, in priuatis iudiciis eſt de dolo actio,hoc in criminibus ſtellionatus perſecutio. Crimen à priuato iudicio ſeparat: cum tamen hoc publicum non ſit iudicium.

Iudicia aut ordinaria ſunt,aut extraordinaria:de extraordinariis prius dictum in voce Extraordinaria. Ordinaria vocamus ab ordine procedendi: & hæc aut publica ſunt,aut priuata,aut centumuiralia. Publicorum cognitio eſt principis, vel ſenatus, vel prætoris, aut præſidis,qui legibus quærit, eiuſque iniuriæ cauſſa ſuſcipitur,quam Reſpub.lege aliqua ad ſe pertinere ſtatuit.& ſemper in crimine aliquo cognoſcendo verſatur.Plato li.6.de leg.Publicum iudicium exponit, cum Rempub. à quopiam ciuium læſam eſſe aliquis exiſtimat,& vult Reip.perſequi iniuriam:ideóque hæc Cic. Reip.appellat. Priuatorum autem cognitio eſt iudicũ datorum,& hæc rei priuatæ cauſſa inſtituuntur,neque ad Remp.directò pertinẽt: veluti cum de re pecuniaria, aut priuati hominis iniuria quæritur. Plato loco præcitato ſcribit iudicium priuatum eſſe cum quis priuatus à priuato quopiam iniuria ſe affectum quæritur, cúmque in ius educens:de ea diſceptari poſtulat: ideóque rei priuatæ à Cicerone appellatur. Sic pro Cæcinna rectè: Omnia iudicia aut diſtrahendarum controuerſiarum, aut puniendorum maleficiorum cauſſa reperta ſunt. Quæ verò ſint iniuriæ,quibus Reſpubl. ſiue populus vniuerſus lædatur, in ipſius arbitrio ac voluntate poſitum eſt, quod ex lege Lætoria planiſſimè intelligitur. Hinc tituli D.de iud.& de iudic.publ. Falſa igitur eſt Iuſtiniani ſententia, qui Iudicia publica ex eo dicta putauit,quod cuiuis de populo agere liceat. non enim quò cuiuis de populo agere liceat, publica dicuntur, ſed contra, quia cauſſæ publicæ ſunt, id eſt quia quiuis de populo læſus eſt. De centumuiralibus dictum eſt ſuo loco.

Iudicia contraria quæ ſint, vide apud Cuiac. Obſeru.lib. 9.cap.2.

Iudicia populi, & iudicia publica differunt. nam illa dicuntur,quæ populus in foro per tribus, in campo per centurias diſtributus exercebat: hæc verò, quibus Prætores,qui & Quæſitores dicuntur,ſella in foro poſita cum conſilio iudicum præerant. Illiuſmodi fuerunt illa, quibus quis ius ciuitatis ac libertatis imminuiſſe dicebatur,vt ex Verrina III.cognoſcitur.Erant autem hæc vehementiſſima grauiſſimáque iudicia.Solus enim populus in ciuem R.verberibus & ſecuri animaduertendi poteſtatem habebat.Repetundarũ verò & aliorum criminum quæſtionem ad populum non pertinuiſſe, idem Verrina V.demonſtrat. Præter hæc autem populi iudicia lege lata conſtituta, illud ſcire oportet, licuiſſe Tribunis pl.ædilib. Quæſtorib. iudicium populi omnibus de rebus conſtituere, & cuiuis ciui diem ad populum dicere,vt de eo quæſtio exerceretur: cuius rei cum alibi pleráque exempla ſuppeditant, tum verò apud Val.Max.lib.4.cap.De pudicit.& apud Cic.in Verrinis, vbi ſæpe populi iudicium Verri minitatur. Quæ ſanè populi iudicia, ſi quis publica quoque nominanda cõtendat, duntaxat ob eam cauſſam,quia non intra domeſticos parietes, ſed palàm ac ſub dio (item vt alia) exercerentur, non magnopere luctabor: præſertim cum ita Liuius quoque lib.II.ea nominet. Horum autem populi iudiciorum quadripartitam rationem fuiſſe Cicero in Orat.pro domo, demonſtrat: primum,vt ne pœna capitis cum pecunia coniungatur:deinde,ne niſi producta die quis accuſetur:tertio,vt ter ante magiſtratus accuſet, intermiſſa die,quam mulctã irroget: quarto, vt ſit accuſatio trinum nundinum,producta die,qua die iudicium ſit futurum.hoc eſt, vt ea iudicia tribus actionibus cõſtent, & per trinundini ſpacium producantur. Has vt exiſtimo,populares actiones Paul.vocat,l.32.D.de arbit.

IVDICIORVM publicorum quædam, inquit Paulus, capitalia ſunt, quædam non capitalia. Capitalia ſunt in quibus pœna mors, aut exilium eſt, hoc eſt aqua: & ignis interdictio. per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate. nam cætera non exilia, ſed relegationes propriè dicuntur.tunc enim ciuitas retinetur. Non capitalia ſunt,ex quibus pecuniaria,aut in corpus aliqua coërcitio pœna eſt.l.2.D.de pub.iud.

Iudiciorum alia criminalia dicuntur, alia ciuilia. Criminalia ſunt, quibus iniuriam Reip.factam vlciſcimur. Ciuilia, quibus ſuam quiſque ciuis priuatam ac propriam iniuriam perſequitur. nam ex eo Ciuilia dicuntur, quòd ciuibus priuatíſque hominibus vlciſcendis dantur,l.9.D.de public.& vect.Itaque cum hæc, De re familiari appellentur à Paulo, l.4. D.de pub.iudi.illa fortaſſe non malè De re publica nominarentur. Vnde criminaliter & pecuniariter agere opponuntur, l.vlti. D.de priuat.delic.& l.j.D.de teſtib.quod ciuiliter alibi dicitur in l.vn.C.quand.ciuil.act.crim.præ.& l.vlti. D. de furt. Criminalia autem iudicia generaliter dicuntur,tum quæ lege lata exercentur (quæ publica Macer nominat, l.j. D.de public.iudi.) tum quæ nulla lege, ſed extra ordinem dicuntur:qualia furti, rapinæ, & ſimilia,l.vlti.D.de furt.& l.9.§.5. D.de public. & vectig. Hinc Impp.in l.vni.C.quando ciuil.act.iudicia publica legibus conſtituta manifeſtò criminalium appellatione complectuntur. Ex quidus omnibus illud conſtat,Criminalia ſpecialiter ac propriè ea dici,quæ non lege aliqua publicorum iudiciorũ, ſed extra ordinem magiſtratus imperio ac poteſtate exercentur.

Iudicia omnia ſunt abſolutoria: id eſt, Iudici à Prætore dato tacitè permittitur reum qui ante ſententiam actori ſatisfacere paratus eſt, liberatum ab actione dimittere: ne in infamiam, quæ ex quibuſdam iudiciis contrahitur,incurrat:vti docet Imp.§.vlti. De perpet. & temp.& patet ex l.73.D.de procurat.

Iudicium duplex,vide Quadruplex.

Iudicium DE MORIBVS dicebatur, quod diuortio facto inter coniuges exercebatur,vt cuius culpa factum diuortium iudicaretur, is legitimam mulctam ſubiret. nam Mores honeſtiore vocabulo coniugum vitia nominabant:vt teſtatur Vlpian.cap.Inſt.6. vbi adſcribit maritum, propter maiores mores,præſentem dotem reddere:propter minores,ſenum menſium die. Eæque pœnæ diſſidij appellantur à Paulo in l.non vt à patre. 8.D.de captiu.De hoc Papinianus.in l.viro.39. D.ſolu. matri.Conſtant.l.4.C.Th.de inceſt.nupt.Paul.l.5.D.de pact.dotal. Hoc autem de moribus iudicium à Iuſtiniano ſublatum eſt,tit.Cod.de repud.& iudic.de morib.ſubl.& l.vnic.§.taceat.C.de rei vxor.act.

Iudicij ſubſtantialia (vt appellant) tractant Doctores, argutè quidem ac ſummo iure, ſed inutiliter: quia nõ ſecundum æquitatem, nempe quòd optimam iuris partem prætermittant circa perſonam iudicis,vnde tamẽ tota vis dependet.Pomponius in l.2. §.poſt originem. D.de origin.iur. Per eos,inquit, qui iuri dicundo præſunt, effectus rei accipitur. Parum eſt enim ius in ciuitate eſſe,niſi ſint qui iura reddere poſſint. Itaq; exiſtimo,ad iudicij formam ſubſtãtialem pertinere perpetuò,& immutabiliter hæc, quaſi pricipia naturæ.I. Vt in ius vocetur ille, qui iudicari debet. In ius enim vocare eſt, iuris experiundi cauſſa vocare,l.j. D.de in ius vocan. II.Editio actionis,hoc eſt, talis intentio actoris ad iudiciũ exigitur, quæ ſi vera ſit,cõſequatur iure. condemnandum eſſe reum,ſiue ex ſcripto,ſiue ex non ſcripto tractetur cauſſa.III.Litis conteſtatio neceſſaria eſt in iudicio. Nam ratio naturalis dictat, vt nemo violenter aut tumultuariè obruatur iuriſdictione, quæ ordinatio Dei eſt, Romanorum 13. IIII.Iuſta præſentis iudicis cognitio, cum primis eſt de ſubſtantia iudicij:ſiquidem meminiſſe oportet, omnem iudiciorum vim,& poteſtatem,ſtatim atq; lis eſt cõteſtata, iudicũ humeris incumbere corã Deo & hominibus. V.Con-

cluſio in cauſſa pertinet ſemper ad formam iudicij, nec poteſt omitti: non ea ratione, quam formularij comminiſcuntur, ſed ideò, quia humanus adfectus ex natura corrupta, procliuis eſt ad controuertendum, l. item ſi vnus. §. vlti. D. de recep. arbi. vi. Sententia ad iudicij cõſtitutionem haut dubiè pertinet neceſſario, vbi cauſſa non poteſt aliter tranſigi: quãdoquidem tota iudicis cognitio manca eſt, niſi ſequatur res iudicata, quæ finem controuerſiis imponat. Pulchrè itaque cohærent iſtæ partes. Citatio enim vocat iudicandum: Editio actionis inſtruit: Litis conteſtatio cõfirmat iudicium: Cognitio aperit negocium: Concluſio interrumpit diſceptationem: Sententia finit totam litem. Hæc omnia latius tractantur in libello, De iure & æquitate Io. Oldendorpij, qua ratione Iudiciũ in ſex partes diuidit. Bartolus in tractatu Iudiciorum in decem tempora diſtribuit. Equidem Iudicij tres partes verius putem. vt docui in libello qui Forẽſis diſpoſitio inſcribitur cap. j. per Nouellã illud, quod probat Alex. conſil. 182. nẽpe has litis cõteſtatio, cognitio cauſſæ, ſentẽtia.

Iudicium proluſorium, quod præiudiciale dicitur, Græcis προαγωνιστικόν.

Iudicium reſcindens, cùm læſus, ob legitimam cauſſam reſtituitur in integrum. Tollit enim & reſcindit obſtacula quæ impediebant læſum. Sic,

Iudicium reſciſſorium, quod ſublato iam obſtaculo permittitur, perinde ac ſi nunquam aliquid impediuiſſet læſum ad perſequendum ius ſuum.

Iudicium ſuum, vocant vltimam voluntatem, l. 3. D. de teſtamen. milit. vnde & pro noſtræ voluntatis ſententia ponitur in l. 22. in fine. D. de adopt. l. 8. in fi. D. de vulga.

Iudicium turpe, quo damnatus infamia notatur, M. Ciceroni in Orat. pro Flac. Iratus Flacco dixit M. Lurco, quòd (vt ipſe aiebat) libertus erat eius turpi iudicio condemnatus, &c. Huius etiam meminit in Orat. pro S. Roſcio, & pro Cæcin.

Iudicium Centumuirale, vide Centumuirale iudicium.

Iudicium contradictum, vide Contradictum iudicium.

FORMVLA IVDICII RECVPERATORII.

Si paret eam ſe, & ſua. Cicero in Diuinat.
Si paret iugera huius fundi eſſe, &c.
Si paret aduerſus edictum feciſſe. Ex Verrina 3.
Si paret H-S I Ↄ Ↄ Ↄ dari oportere, Cicer. pro Roſcio.
Si paret eum dare oportere, §. ſic itaque. Inſti. de actio.

IVDICII BONÆ FIDEI.

Quantum ex bona fide illum dare facere oportet, Cicero in 2. Offic. & in Top.

EX PRAXI.

Viſis actitatis, & probationibus, & conſiderandis, adhibito prudentum conſilio, definitiuè pronunciauimus & pronuntiamus, &c.

Iudicium profiteri, eſt vtrò ſeſe, conſortéſque criminis deferre, Budæ. ad l. Cornel. de ſicar. l. j.

Iudicio ſiſti, In iudicium exhibere, idem ſignificant, l. ſi eum iudicio. D. ſi quis cautioni. Aliud autem eſt Stare in iudicio, aliud ſiſtere. Vlpian. in l. ſi quis. in fine. D. ſi quis cautioni.

Iudicium dare, reddere, conſtituere Prætor dicebatur, cum certum litigatoribus diem attribuebat, apud quẽ ſua iuſta exponerent, quíque cauſſa cognita, réque vtrinque perorata, ſententiam pronuntiaret. Hinc,

Iudicium accipere, ſumere, ſuſcipere dicebantur litigatores, cum poteſtatem cauſſæ ſuæ apud illum diſceptatorem agendæ à Prætore impetrarant, l. 3. & l. penult. D. de iudic. l. j. §. j. D. de vſur.

IVDICIALE forum, locus in quo iudicatur, l. vlti. D. de iuſt. & iur. elegãter appellatur ius quod in eo redditur.

IVGATIO agrorum, poſſeſſionúmque menſuram ſignificat. pro cuius modo certa Cæſaribus penſitatio præſtabatur, l. j. C. de quib. mun. vel præſta. lib. 10. l. 10. de ſuſcep. C. eod. li. l. 4. C. Th. de indul. debit. à iugis animalium quibus poſſeſſiones exercebantur, quæ & Capita vocabantur, pro quorum numero ea præſtatio inferebatur, l. 6. C. Th. de extraord. mun. & l. j. de imp. luc. deſcript. eo lib. Ita iuga & iugationem, & iugorum capitationem accipe in l. 3. C. de Epiſcop. & cleric. in l. j. & 2. de immunita. conceſſ. C. Th. l. j. l. 2. l. 3. ne conlatio tranſla. poſtul. l. j. de proteſta. l. j. de priuil. dom. Auguſt. C. Th. & alibi ſæpiſſime in eod. Cod. Sic l. j. de impon. lucrat. deſcript. lib. 10. Cod. l. 9. de agricol. & cenſit. lib. 11. C. Iuſtinianus Nouel. 17. Ἀναγκάσεις δὲ τοὺς δημοσίους πράκτορας, ἤτοι τοὺς ἀπαιτητὰς ἐν ταῖς ἑαυτῶν ἀποχαῖς φανερὰ ποιεῖν ἅπαντα ἐφ' οἷς αὐτὰς δεδώκασιν, τουτέστιν τότε τόπον τῶν ζυγοκεφαλῶν, ἢ ἰούγων, ἢ ἰουγαλίων, ἢ ὅπως δήποτε ἂν αὐτὰ κατὰ χώραν καλοῖεν, &c. Iugatio autem eadem ratione dicitur, qua veteres id agri ſpacium, quod iuncti boues vno die exarare poterant, Iugum appellaſſe accepimus, ex Varrone lib. j. de Re Ruſt. cap. 10. Cicer. 5. Verrina: Quid qui in ſingulis iugis arant, qui ab opere ipſi non recedunt. Vtitur & hoc verbo Caſſiod. lib. 4. Varia. Epiſtol. ad Geberichum.

IVGERVM dictum, inquit Varro, iunctis duobus actibus quadratis. Eſt autem menſura agreſtis, quæ eſt in longitudinem pedum 240. in latitudinem 120. Galli Arpennium vocant, deducta, vt credo, voce ab Aruipennium, funeſc. quo Romani agros metiebantur, qui etiã ab antiquo Gloſſario σχοῖνος γεωμετρικὸς vocatur. Teſtatur etiam Ioſ. Scal. in peroptimo Gloſſario, Arpendium legi, non Arpennium, & exponi πλέθρον, vt & aliæ Gloſſæ, Aruipendium, πλέθρον interpretantur.

IVLIÆ leges referuntur à Iuliis, id eſt, C. I. Cæſare, & Octau. Auguſto, quas recẽſent Zaſius in catalogo Legum antiquarum, & Hotomãnus in tract. de Legibus.

IVLIÆ Kalendæ, vide Kalendæ Iuliæ.

IVMENTA à iungendo appellari Nonius putat, quòd currui iungerentur, vt equi & muli, & cætera dorſuaria animalia, quæ Græci νωτοφόρα vocãt. Boues verò armenta potius dicebantur, ab arando, quòd is ſit principalis eorum vſus. Vnde Iumentis legatis nõ debentur boues, l. legatis ſeruis. §. iumentis. D. de legat. 3. Vlpian. in l. Ædiles aiunt. D. de ædilit. edict. oſtendit, quæ iumentorum appellatione contineantur. Quidam à iuuando ducunt Iumentorum nomen.

IVNCTA fixáque, l. 38. §. vlti. De act. emp. & de RVTA cæſa.

IVNCTORES, in l. in lege Cenſoria. 203. D. de verbor. ſignific. ij erant, (vt teſtatur Cuiac. Obſer. lib. 14. cap. 3.) qui iungebant mulas ad redam, vel carrucam, qua vehebatur paterfam. quos eſſe de vrbano miniſterio cõſtat ex l. ſeruis. §. muliones. D. de legat. 3. & quos carrucam cum iunctura legatam non ſequi prodidit Paulus 3. Sent. Itaq; vet. Gloſſæ Iunctorem ζεύκτην exponunt. Alij d. l. 203. Vnctores legunt, alij Actores, Alciatus Vectores. Vide Vnctores.

IVRARE quoties iubetur hæres, daturum ſe aliquid vel facturum, quod non improbum eſt: actiones hæreditarias non aliàs habebit, quàm ſi dederit, vel fecerit id, quod erat iuſſus iurare, l. quæ ſub conditione. §. quoties. D. de condit. inſtitu.

Iurare corporaliter, vide Corporaliter.

Iurare in litem, eſt religionem iuriſiurandi declarare, quanti æſtimetur tota res cõtrouerſa ab actore. Cùm enim iudex in hoc iuramento adfectum actoris, & fidem ſequatur in litis æſtimatione, propter contumaciam non obtemperantis, meritò dicitur iuſiurandum in litem, quaſi in vniuerſam æſtimationem litis, nulla certa conſideratione in vnam aut alteram rem facta.

facta. Quemadmodum ferè in factum agere dicimus eum, qui in totam facti ſeriem experitur, nulla ſpecialiter introducta ex facto perſequendi formula. Quare aliàs in litem, aliàs adfectionis iuramentum dicitur, Vlpian. in l. ſi per alium. §. j. D. ne quis cum qui in ius vocat. l. j. & l. ſecun. D. de in litem iurand. & vide l. videamus. D. eo. vbi Bart. Bald. & F. Duarenus.

Iurare per Genium principis, in l. 13. in fi. D. de iureiu. Accurſius interpretatur, Deum principis: Bartolus Genium, principē ipſum exponit. Accurſius fortè ineptè interpretatus non eſt. Nam & ridicula antiquitas deos ſibi quos volebat fingebat, eóſque geniales, idque ex Alex. ab Alex. lib. 6. ca. 4. liquet. Huiuſmodi iuſiurandum commemorat Tertullianus li. ad Scapulam: Sed, ait, iidem ipſi, qui per genios eorum in pridie vſque iurauerant. Alij eum genium volunt intelligi, qui eius ſaluti præeſſe credebatur.

Iurare per ſalutem ſuam, l. qui per ſalutem. 33. D. de iureiurand. Et Iurare per Salutem principis.

IVRAMENTVM in litem, vide Iuſiurandum in litem.

Iuramentum aliquando non tam abſolutionem, quàm interpretationem requirit, ca. quantò perſonam. De iureiurand. Iuramentum non eſt inſtitutum, vt ſit vinculum iniquitatis, dicto iam capite.

Iuramentum calumniæ dicebatur olim, quod litigatorib. ita deferebatur, vt actores quidem iurarent ſe non calumniæ cauſſa litem intendere: rei verò, nō calumniæ cauſſa ad inficias ire, l. inter. 44. §. 4. D. famil. erciſ. idq; Cicer. Iurare in litem dixit in ea pro Q. Roſcio: Proh dij immortales, eſſéne quenquam tanta audacia præditum, qui quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicem iniuratus referre noluit, id iurare in litem non dubitet? Iuſtiniani autem inſtituto & rei, & actores, & aduocati iurare coguntur, ſe non calumniādi animo, ſed bona fide & ex animi ſui ſententia litigare, l. 2. C. de iureiuran. propt. cal. dand. § 2. de pœn. tem. litig. l. rem non nouam. 12. §. patroni, C. de iudic.

Iuramentum ſolenne vocatur, quod Barbari iuramentum corporale dicunt.

Iuramentum ſemper habet hanc in ſe clauſulam iuris: Salua ſuperioris Magiſtratus iuriſdictione. Ideò qui iurarunt ſeruare ſtatuta ſua, & conſuetudines: hi poſſunt nihilominus & debent admittere cognitionem ſuperioris iudicis. Item qui iuramenta promiſit ſtare iuri apud aliquem, is vtique nō renunciat iudicio maioris magiſtratus, c. veniens. De iureiuran. l. is cui bonis. D. de verb. oblig. & De pac. iurament. firman. §. ſacramenta. c. conſtitutus. De reſcrip. l. Imperatores. D. ad municipa. Et Fridericus in ſua Conſtit. de feud. §. vlt. adde c. cùm te. De iureiuran. lib. 6.

IVRATORES, inquit Turneb. Adu. lib. 19. cap. 12. propriè Cenſores erant, qui eum, quem cenſebāt, iureiurando adigebant: vt ex ea intelligi poteſt formula, Et tu ex animi tui ſententia vxorem habes. Nam qui iurauit, iuratus dicitur: qui ad iurandū adigit, iurator dici videtur. Hinc per tranſlationē iuratores dicti, veluti arbitri & cēſores fabulæ. Plaut. in Prologo Pœnuli:

Vos iuratores eſtis, quæſo operam date.

Item in Trinummo:

Cenſus cum iuratori, ſi recte, rationem dedi,
Leſbonicum hic adoleſcentem quæro.

IVRGARE, quaſi de iure agere, & contendere. Iurgare enim, inquit Varro lib. 6. de Ling. Latin. ab iure dictum eſt, cum quis iure litigaret. à quo Obiurgat, qui id facit iniuſte. Hinc,

IVRGIVM, quaſi iuris agium, c. Forus. § iurgiū. de verb. ſign. quò pertinet, quod ait Feſtus lib. 9. Iurgium, iuris actio. Cic. de Repub. 4. Admiror nec rerum ſolum, ſed verborum elegantiam. Si iurgant, inquit. Beneuolorū concertatio non lis, ſed iurgium: Inimicorum lis dicitur. Et in ſequenti: Iurgare igitur lex putat inter ſe vicinos, non litigare.

IVRGIVM à diuortio ſeparat Iuriſcoſ. l. quod ſi non diuortium. D. de iur. dot. pro iracundia non durante.

IVS idem eſt quod lex, à iuſſu per apocopen dictum, quoniam propriè nihil aliud eſt, quàm quod natura iubet ſequi aut vitari: quanquam vulgò, ſicut & Lex, Ius etiā appelletur, quicquid vel gens, vel populus, vel conſuetudo iubet. tametſi non ſit negandum iuris nomen generale, legis ſpeciale: tum etiam ius ad nō ſcripta pertinere, legem ad ius ſcriptum. Alij Ius à iubendo dici volunt, quia iubet in foro exequitur id, quod iuſtitia dictat in animo ſeu voluntate.

Iuri operam daturum prius noſſe oportet, vnde nomen iuris deſcendat: videlicet reſpecta ciuiliter rei ſignificatione, non autem grammaticè verborum ſtructura. Vlp. in l. j. in princ. D. de iuſtit. & iur. l. 3. in fin. D. de iur. dot. Ius autem à iuſtitia appellatum, d. l. j. ſicut effectus à ſua efficiente cauſſa dicitur. Nam (vt eleganter Celſus definit) Ius eſt ars boni & æqui.

Ius pluribus modis dicitur, hoc eſt, multa ſignificat. I. Id quod ſemper bonum & æquum eſt: vt eſt ius naturale immutabile. II. Quod omnibus, aut pluribus in quaq; ciuitate vtile eſt: vt eſt ius ciuile. III. Prætorum edicta dicuntur ius honorarium. IIII. Prætoris & cuiuſlibet iudiciis ſententia ius vocatur, etiam cùm ius reddens iniquè decernit: relatione ſcilicet facta nō ad id quod Prætor ita fecit, ſed ad illud quod Prætorē facere conuenit. Accipe autem iniquitatem quæ nominatim in decreto, vel ſententia non apparet. V. Ius dicitur in tit. De inter. in iure fac. locus vbi magiſtratus, vel alius iudex conſiſtit iuris dicendi, aut iudicandi gratia, etiam ſi domi, aut in itinere, ſiue de plano hoc agat, vt iudex pedaneus, vt magiſtratus ſæpe etiam de plano ius dicit, data bonorum poſſeſſione, vel quo alio iure & in aliis cauſſis innumeris, quæ è ſolo expediuntur, & plano pede appellatione collata ab eo quod fit, in eo vbi fit. VI. Ius pro neceſſitudine dicimus: veluti eſt ius cognationis, vel affinitatis. Vlpia. in l. penult. & vlt. D. de iuſtit. & iure.

Ius eſt auctoritas ſeu facultas agendi ſecundum legem.

Ius eſt ars boni & æqui. Vlpian. in l. j. D. de iuſtit. & iur. Si ars: ergo conſtat ex præceptis. Sed præcepta oportet eſſe certa: igitur non ex opinione hominum vaga, quę neque bonum neque malū facere, poteſt eum, qui non eſt: ſed ex præſcripta diuinitus ratione naturalis colligenda ſunt. Nam vbi id factum fuerit, tūc per ſe conſequitur bonum, & æquum. Natura enim non poteſt nō eſſe bona lex, quæ ad honeſtatem accedit: nec poteſt non eſſe iniqua, quæ cum honeſtate pugnat.

Iuris origo duplex eſt: naturalis & ciuilis. Ergo cauſſa efficiens iuris, Natura & magiſtratus. Iuris cauſſa materialis verſatur in tribus, In perſonis, rebus, & actionibus, l. j. D. de ſtat. hominum. §. omne autem. Inſtit. de iur. natu. gent. & ciuil. Iuris cauſſa formalis, per quam cognoſcimus quid vnaqueque lex in vnoquoque negotio, de quo loquimur, ordinet. Iuris finis eſt, vt pacificè tranſigamus hanc vitam vmbratilem, & perducamus ad Chriſtum, & æternam vitam.

Iuris præcepta tria ſunt, ſcilicet honeſtè viuere, alterum non lædere, & ius ſuum vnicuique tribuere. Inſtit. de iuſt. & iur. §. iuris præcepta. & l. Iuſtitia eſt. §. primo. D. eodem titulo.

Ius nihil reſpicit, niſi vtilitatem hominum honeſtam: in primis publicè, deinde priuatim. Hinc duæ ſunt iuris poſitiones, hoc eſt, duæ ſunt ponēdæ partes, circa quas totius ſtudij ſeu diſciplinæ ciuilis tractatio verſatur: videlicet, Publicum & Priuatum, l. j. D. de iuſtit. & iur.

Ius PVBLICVM conſiſtit in Sacerdotibus, Magiſtratibus, in

bus,in ſacris,& toto Reipublicæ ſtatu; l.j.§.ius publicum.D.de iuſtit.& iur.Publicum: quia ad ſalutem non vnius vel alterius,ſed totius populi, omniúmque gentium pertinet. Quanto igitur maior eſt omnium hominum æſtimatio,aliis rebus,tantò diligentiùs publici iuris habenda eſt ratio, cùm in ſcholis, tum in foro. Hoc tempore rem planè inuertimus. De iure priuato, de ſtillicidiis (vt Cicero ſuos illos deriſit lib.j.de legib.) & cæteris obularibus commodis curioſè diſputamus: de iure publico,hoc eſt,de magiſtratibus,nemo curat quales ſint. Ius PRIVATVM eſt,quod ad ſingulorum vtilitatem pertinet generaliter, l.j.§.huius ſtudij.D.de iuſti.& iur. hoc trifariam diſtinguitur: videlicet,in Naturale,Gentium & Ciuile.

Ius NATVRALE eſt(inquit Vlpianus in l.j.D.de iuſt.& iur.) quod natura omnia animalia docuit. Nam ius iſtud non ſolum humani generis proprium eſt, ſed omnium animalium quæ in terra,quæ in cælo, quæ in mari naſcuntur.Hunc ſequitur Iuſtinianus Inſti.de iur. natu.gent. & ciuil.Sed valde abutuntur ibi vocabulo Iuris: Cum in brutis nulla ſit ratio, Igitur nullum ius. Magis autem diffinitur adfectus,& inclinatio naturalis, quàm Ius aut Lex. Ius igitur naturale definio eſſe prima illa pręcepta & formulas honeſtatis,quas natura omnes homines docuit. Deus enim à natura nõ diſtat. Itaque ex tot generibus,inquit Cice.1.de legibus, nullum eſt animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei.Et paulò ſuperius:Solum eſt enim, ait,ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis & cogitationis, cum cætera ſint omnia expertia.Proinde,niſi hanc diffinitionem ſic accipias, tota via errabis,& nunquam iuris cognitionem rectè adſequeris.Neque verò rarum eſt, vt verba aliquantò craſſius accipiantur in iure Ciuili,l.cum vnus. in prin. D.de aliment.& ciba.legat. Cæterum Ius vel Lex naturæ,ſecundum Ciceronem lib.j. de legib. propriè ſic rectè diffinitur:Eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea,quæ facienda ſunt,prohibétq; contraria.Huc accedit,& veram adfert iuris naturalis deſcriptionem id quod Iuſtinianus dicit in §.penult.Inſtitut. De iur. natur.gent.& ciuil.Sed naturalia quidẽ iura, inquiens, quæ apud omnes Gentes peræquè obſeruantur, diuina quadam prouidentia conſtituta, ſemper firma atq; immutabilia permanent. Vbinam ſunt talia iura per diuinam prouidentiam conſtituta? Certè in corde, & mente hominis, velut in quibuſdam viuis tabulis ad imaginem Dei creatis. Prouidebat enim clementiſſimus pater, nihil æquè in hoc mũdo homini opus eſſe, quàm regulis, atq; principiis quibuſdam rectè viuendi, quæ præter eum nemo dare poſſet.Hinc Vlpianus l. 6.D.de iuſt.& iur. Hoc igitur ius noſtrum conſtat aut ex ſcripto,aut ſine ſcripto,vt apud Græcos, τῶν νόμων, οἱ μὲν ἔγγραφοι οἱ δὲ, ἄγραφοι. Ex ſuperiorib. apparet euidenter,Iuriſcõſultos appellatione iuris naturalis multum abuſos fuiſſe. Alioqui,ſi brutis animalibus legẽ aut ius tribuas,neceſſariò tribuitur etiam ratio:ac per conſequens ex brutis homines, ex hominibus bruta facies animalia. Et hoc quidem Doctores noſtri non diiudicant, cum ineptiſſime diſtinguunt inter ius naturale primarium,& ſecundarium: volentes vtiq; vt aliquod ius habeamus cum brutis commune: ſcilicet, vt egregiè obruteſcamus. Adeò cæcus eſt per omnia captus humanus, niſi diuino præſcripto tenaciter adhæreat. Semper igitur memento, cùm audis hæc verba, Lex, Ius,Iuſtitia,Iuriſprudentia:erigendam eſſe cogitationem ad excelſam quandam ſoli homini à Deo donatã virtutẽ:cętera verò animalia hominis cauſſa eſſe creata:in quibus tametſi inclinationes quædã ſunt & ſenſus cũ hominibus cõmunes:nulla tamen ratione prædita ſunt, nulla honeſtatis formula, nihil deniq; iuris habent.Cicero eleganter:Quibus enim,inquit,ratio à natura data eſt,iiſdem etiam recta ratio data eſt.Ergo & lex,quæ eſt recta ratio in iubendo & vetãdo. Si lex, ius quoq;. At omnibus ratio: ius igitur datũ eſt omnibus.Iuriſcõſultis verò, quod aliquantò in hac materia licentius ſint locuti: fortè vt deſeruirẽt teneris ſtudioſorum ingeniis,& populariter rem explicarent, facilè condonandũ eſt: præſertim, quòd hanc ſermonis inconcinnitatem & abuſum aliis reſponſis grauiter reſarciunt,& ad verũ ſenſum reformant.Sicut ipſe Paulus longè aliter ſentit de iure naturali, in l.ũ vnus.§. pactus. D.de pact. qua in re cùm ſuperioris temporis interpretes nullam phraſis certam rationem obſeruarẽt,infinitis erroribus inuoluti ſunt,ſicut ferè ex ignoratione principij tota ſeries materiæ ſolet obſcurari.

Ius GENTIVM (inquit Vlpianus in l.j.§.vlt.D.de iuſti.& iur.) eſt,quo gentes humanæ vtuntur: quod à naturali recedere, facilè intelligere licet: quia omnibus illud animalibus, hoc ſolis hominibus inter ſe cõmune ſit. Pomponius in l.2.D.de iuſt.& iur.adiicit exempla: veluti erga Deum religio: vt parẽtibus,& patriæ pareamus.Iuſtinianus Inſtit.eo.tit.rectiſſimè ſentit,Ius gentium eadem ratione generaliter dici,qua ius Ciuile in ſpeciem nũcupatur.Nam ſicut à populo alicuius ciuitatis tractum eſt nomen iuris Ciuilis: ita ius Gentium ab omnibus populis vocatur.Quod verò naturalis ratio,ait,inter omnes Gentes conſtituit, id apud omnes populos peræquè cuſtoditur: vocatúrq; ius Gentium: quaſi quo iure omnes gentes vtuntur.Illud diligẽtiſſimè obſeruandum eſt,quod multis errandi cauſſam dedit, ius gentium aliàs accipi apud Iuriſconſultos pro vero naturæ iure:aliàs pro eo iure, quod plurima hominum pars vbiq; recepit. Quod niſi rectè diſcernas, nunquam peruenies ad veram iuris cognitionem.Veteres enim rati ſunt, quicquid ab omnibus Gentibus pro iure ſeruaretur, id quoq; ex naturali ratione productum fuiſſe:cum non crederent,omnes homines in diligendo iure,prorſus erraſſe.Hoc modo loquitur de iure Gentium Vlp.in loco citato, iuxta exempla Pomponij.& quidem rectè, in l.veluti.l.vt vim.& l.ex hoc iure.D.de iuſti.& iur.Iuſtin.in §.vẽditæ.Inſti de rer.diuiſ.Religio enim erga Deum, pietas in parentes, cognatio inter omnes homines, vere ſunt iuris Naturalis:quod quia ſolis hominibus commune eſt, ius Gentium vocat.Cæterum in l.manumiſſiones. D.eod.quatenus loquitur de effectibus,& prædura ſeruitutis forma.ſi accipias ius Gentium naturali ratione conſtitutum eſſe, errabis tota via. Nam ea ſeruitus pugnat cũ iure naturali,rectèq; fuit emendata. Quanquam tolerabilis ſeruitus,quali nunc vtimur. ſecũdum naturam eſt: vt grauiter probat Ariſtoteles in Politicis: nec id negat Vlpianus in eadem l.manumiſſiones. ſi ex æquo & bono intelligatur, collatis aliunde ſententiis ſuis. Neque enim ex vno ſtatim dicto, totus Vlpia.iudicari poteſt,quid ſentiat de iure Naturali: videndum enim etiam eſt, quid alio in loco dicat. Accipitur ergo ibi ius Gentium, pro iure, quod omnium gentium auctoritate paſſim receptum fuit. Quare cũ audis hanc vocem,Ius Gentiũ,non ſemper exaudiendum eſt ius Naturale,ſed plerumq; ius humanum,vt Liuius rectè appellat.Neq; enim ſequitur:Gentes id conſtituerũt,aut in vſum admiſerũt:Ergo eſt ius Naturale aut æquum, imò ſæpe iniquiſſimum eſt. Ego ſane multum tribuo humanæ auctoritati,ſed non præfero eam naturæ.

Ius PROPRIVM,quod quiſq; populus ipſe ſibi ius conſtituit,quoniam ipſius ciuitatis proprium eſt:vocatúrque ius ciuile,quaſi ius propriũ ipſius ciuitatis, Gaius l.omnes populi.D.de iuſti.& iur.

Ius CIVILE quid ſit, & quatenus valeat, nemo grauius deſcripſit, quàm Vlpi.D.de iuſti.& iur. Ius Ciuile, inquiens,

quiens, eſt quod neque in totum à naturali iure, vel gentium recedit, neq; per omnia ei ſeruit. Itaq; cum aliquid addimus vel detrahimus iuri cōmuni: ius proprium, id eſt, Ciuile efficimus. Rectè quidem ille. Nam ius Ciuile nihil aliud eſt quam determinatio iuris Naturalis. Si igitur recedat in totum à naturali ratione, non determinat, ſed magis adfingit aliquid incognitū natura, hoc eſt (vt Ariſtotelis verbo vtar) quod nullam cauſſam in natura habet. Ergo non lex, verum tyrannis eſt cēſenda. Ex diuerſo, ſi per omnia deſeruiat naturæ, ſi idem dictet quod cōmunis ſenſus & formula, iam non Ciuilis, ſed Naturalis lex eſt. Hoc modo ſi omnes titulos iuris, & ſub titulis leges (loquendū enim nunc populariter eſt de legibus) expendas diligenter, comperies nullam propemodū ſanctionem eſſe, quæ non aliquo modo ad naturæ perpendiculū reſpōdeat, quæ non aliquam radicem ex naturalibus notitiis trahat. Et hæc eſt vis, & poteſtas legis ciuilis, de qua admonet nos Celſus in l. ſcire leges. D. de legibus. Ius Ciuile, æquitatem conſtitutam iis, qui eiuſdem ſunt ciuitatis ad res ſuas obtinendas, M. Cicero in Topicis definit. Ius autem Ciuile, inquit Papinianus l. ius autem. D. de iuſt. & iur. ex legibus, plebis ſcitis, ſenatuſcōſultis, decretis principum, auctoritate prudētium venit.

Ius ciuile tres habet communiſſimos locos. Omne enim ius, ſcriptum & non ſcriptum, quo vtimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, §. vlti. Inſtit. de iur. natur. gent. & ciuil. l. j. D. de ſtatu homin. In perſonis conſiderantur ſtatus, ordines, officia. Inſtitu. de iure perſona. & D. de ſtat. ho. & toto lib. j. Hic locus oritur ex quarto præcepto Diuinarum tabularum. In rebus verſatur acquiſitio, conſeruatio, alienatio, l. vlti. D. de legib. Colligitur hic locus ſecundus ex ſeptimo præcepto, & ſequentibus. In actionibus perpenduntur auctoritas, materia, forma, exitus. Harum fons eſt octauum præceptum. Vt interim intelligas ius Naturale eodem pertinere, quò pertinet ius ciuile: ſcilicet aut ad perſonas, aut ad res, aut ad actiones. Pauci autē id animaduerterunt: quia relegatæ prorſus erant à ſcholis Iuriſperitorū tabulæ diuinæ decem præceptorum, admiſſis potiùs immenſis Baldi & aliorum commentariis. Videbatur enim ad Theologos pertinere, nec quicquam conferre ad Iuriſprudentiam Decalogus. Verùm ſi præcepta Decalogi diligenter excutias, ex his ius noſtrum Ciuile dimanaſſe perpendes. Qui igitur libros iuris Ciuilis tollere volunt, iura quoque diuina eos tollere, voluiſſe neceſſariò fatendum eſt.

Ius Ciuile diuiditur in quatuor libros principales, ſcilicet Digeſta, Codicem, Inſtitutiones, & Nouellas conſtitutiones, quas vulgus vocat Authenticas: quibus adduntur libri Feudorum. Digeſta continent leges, & ſtatuta Romanorum, libris quinquaginta diuiſa. Diſtinguuntur autem in ſeptem partes, vt docet Iuſtinianus Imperator l. 2. C. de veter. iure enucl. quæ inſcribitur de confirmatione Digeſtorū. Codex continet ſtatuta, ſanctiones & præcepta Imperatorum. Fuere autem tempore Iuſtiniani tres codices, Gregorianus, Hermogenianus & Theodoſianus, qui etiam hodie extant, ex quibus diuus Iuſtinianus vnum fecit, vt ex rubri. proœmij Codicis conſtat. Hic in duodecim libros diuiditur. Tertius liber principalis dicitur Nouellarum conſtitutionum, qui diuiſus eſt à veteri interprete in nouem Collationes, quarum quælibet ſubdiuiditur in titulos, & tituli non in leges, ſed in paragraphos. Et differunt (vt more interpretum Bart. & ſequacium loquar) Authenticum & Authentica: quia Authenticum volumen eſt per ſe, ſed Authentica eſt lex vna vel paragraphus incorporatus libro Codicis, & antiquo iuri ſuperadditus, & allegatur ſic. C. de Epiſc. & cler. Authen. Generaliter. C. de ſan. Eccl. Auth. multò magis. Sed in Authentico ſimpliciter allegatur titulus & θεμάτιον (vulgus vocat paragraphum, vt, In Auth. Vt iudices ſine quoquo ſuffragio. §. tali, vel tali. & ſufficit. Item decima Collatio intitulatur liber feudorum, & habet duos libros partiales, quorum quilibet ſubdiuiditur in titulos, & iſti in capitula & paragraphos. Hic interpretum vulgatiorum citandi modus eſt, quem propemodum Baſilicorum interpr. ſecuti ſunt. Veteres Iuriſcoſ. qui citarētur & præciderentur eorum capita, ex eorū libris diſces. Quartus liber principalis legum, dicitur Inſtitutiones, non Inſtituta. Et iſte diuiditur in quatuor libros partiales, & eſt introductorius in ius ciuile: maximè quòd ad declarationem terminorum, qui tanquam oſtium in domū præbet introitū in ſapientiā iuris. Porrò libros IIII. Inſti. μαθητικῶς ſcripſit Imperator: quorum fideliſſimos Interpretes habet Theophylum, Io. Fabrum, Angelum, & Vigilium. De libris Feudorum, vide Iac. Cuiacium & Franc. Hotomanum: aliam enim quàm ſuperiores eos citandi rationem docuerunt.

Ius omne (quantum ad mores hominum formandos attinet) diuiditur in ius naturale ſeu diuinum: & ius poſitiuum ſiue humanum. Ius naturæ, quod alias ius gentium vocant, conſiſtit in notitiis illis à natura, hoc eſt, à Deo mentibus hominum inditis, §. ſed naturalia. Inſtit. de iur. nat. gent. & ciu. Eſt enim proditū cum ipſo humano genere, l. j. D. de acqui. rer. do. & §. ſingulorū. Inſtit. eo. tit. hoc autē ius Naturale, cum eſſet ſimplex, & paucis præceptionibus contentum (quas tamen vt rectè perciperemus, Deus ipſe viua voce renouauit in Decalogo) certè nō videbatur omnibus humanis negociis, propter corruptos adfectus quos ex Adæ lapſu contraximus, ſufficere, niſi latius determinaretur. & per ſingulorum circunſtantias diſtribueretur. Ius itaq; POSITIVVM huiuſmodi naturales notitias latius extendit, format, diſtribuit, applicat ad humanas functiones: obſeruans ſemper eas veluti Theſei filum in maximo Labyrintho. Poſitiuum quippe ius dicitur, quaſi ab hominibus poſitum, ciuili quadam & politica argumentatione, ad extendendum ius naturæ: vt eſt pulcherrimum exemplum in l. bona fides. D. depoſiti. & in omnibus humanorum negociorum aut formis, aut pœnis obſeruare licet. Quid igitur dicemus de iure Gentium? Eſt ne tertia ſpecies? Reſpondeo, Si propriè loquamur, aliàs referetur ad ius Naturale, alias ad ius humanum: per ſe autem ſpeciem non facit. Verum craſſius & populariter loquentes, nihil obſtat quò minus docendi gratia quaſi tertiam ſpeciem eam proponamus ſtudioſis, ſicut Iuriſconſulti faciunt.

Ivs à iudicio diſtinguitur à Paulo manifeſtiſſimè, in l. amplius. 15. D. rat. rem hab. illud enim ad Prætorem, hoc ad iudicem ab ipſo datum pertinet. Amplius, inquit, non peti verbum Labeo ita accipiebat, ſi iudicio petitum eſſet: ſi autem in ius eum vocauerit, & ſatis iudicio ſiſtendi cauſſa acceperit, iudicium tamen cœptum non fuerit, ego puto non committi ſtipulationem amplius non peti. hic enim non petit, ſed petere vult. Cicero lib. de Inuent. 2. Tranſlationes, inquit, in iure plerunq; verſantur. ibi enim & exceptiones poſtulantur, & quodammodo agendi poteſtas datur. In ipſis autem iudiciis rarius incidunt.

Ius ACCRESCENDI, eſt ius quo portio deficiens vel quæ repudiata eſt, alij qui partem agnouit acquiritur, de quo apud Iuriſconſultos frequens eſt mentio: Vel eſt augmentum partis vacantis. per repudiationem, vel mortem vnius coniuncti, quod alteri coniuncto aduoluitur: quod locum habet quando pars vacat antequam ſit alteri quæſita: vtpote cum cōiunctus ſuam partem repudiat, vel illa deficit: tunc enim alteri coniuncto accreſcit: de quo §. his ita definitis. l. vni. C. de caduc.

caduc.toll. Hoc ius Theophylus in Inſtic.tit.de exhæred.liber. προσαύξησιν vocat, ait eſſe μερίδος ἀφαίρεσιν. Hoc autem ius inter coniunctos verbis,& re & verbis locũ habet: in quibus præfertur qui re & verbis coniunctus eſt,l.re coniuncti.89. D.de leg.3.l.triplici.142. D.de verb.ſignif.niſi ſine parte ſit inſtitutus, alij verò partes habeant ex verbis teſtatoris,l.item quod Sabinus.§.j.D.de hæred.inſtit. Eſt &,

Ius NON DECRESCENDI, eſt ius quo duobus re aliqua legata non petente vno ſolida res apud alterum remanet,non quaſi accreſcens ei, vt legatum augeri videatur,ſed quaſi nullius concurſu diminuta, d.l.vni. §.vbi autem legatarij.verſ.ſin verò nemo. C.de caduc. tollend. Quod quidem ius inter coniunctos re locum tantum habet,ex diſtinctione Iuſtiniani,d.verſ.ſin verò nemo. quanquam & veteres hîc etiam dicunt partem deficientem accreſcere, magis quam non decreſcere,nec tam ſubtiliter hæc diſtinguunt quàm à Iuſtiniano factum eſt,l.j.§.interdum. D.de vſufruct.accreſ. l.hæc ſcriptura.l.ſi ſeparatim.D.de condi. & demonſt.

Ius ÆLIANVM, liber erat in quo Sex.Ælius noua quædam actionum genera præter legis actiones perſcripſerat : quem librum populo tradidit, l.2.§.3. D.de orig.iur.

IVS AVREORVM ANVLORVM erat, quod libertis hominibus concedebatur à Principe, vt ſcilicet eodẽ iure eſſent quo equites ij quibus aureum anulum geſtare licebat. Nam etſi aureus anulus inſigne ordinis equeſtris erat(vt teſtatur Plinius lib.33.ca.j.vbi de anulorum origine fuſiſſimè ſcribit) non omnibus tamen equitibus, ſed iis tantum qui quingenta ſeſtertium in cenſu habebant,eum licuiſſe geſtare, vel ex eo intelligi poteſt,quod Suetonius in Cæſare cap.39.& Macrobius lib.11.Sat.c.7.de Laberio ſcripſerunt:qui cum Cæſaris poſtulatu mimum egiſſet, ab eo aureo anulo, & H-S.quingentis donatus,ſeſſum in quatuordecim ſcena per ſolium orcheſtram tranſiit. Porro notandum aliud eſſe ius anulorum, aliud anulos habere: item vt ius liberorum & liberos. nec enim qui ius anulorum obtinebant,ſtatim equites fiebant: cum ſcribat Vlpi. l.4.D.de iur.aur.anul.etiam fœminas ius illud impetrare potuiſſe. At quibus anulus dabatur, ij continuò equites fiebant, & in quatuordecim conſidebant. vt de Q.Roſcio Comœdo memoriæ proditum eſt, qui anulo aureo, & quingentis ſeſtertiis à victore Sylla donatus,eques factus eſt.In eo igitur poſitum hoc ius eſt,vt idem liceat ei qui hoc impetrauit, quod ei licet qui reuera aureo anulo donatus eſt,id eſt,vt pro ingenuo habeatur, neque patrono vllum officium (excepta reuerentia) obſequium,operámve debeat, duntaxat quandiu in vita manebit.Nam (vt ait Vlpia.) quaſi ingenuus viuit,tãquam libertus moritur,l.3.D.de hon. lib.l.4.de iur.aur.anul. id eſt aduerſus eius tabulas patronus præteritus bonorum poſſeſſionem obtinet. Item Vlpian.l.10.§.2.D.de in ius voc. Sed ſi ius anulorum accepit,puto eum reuerentiam patrono exhibere debere, quãuis omnia ingenuitatis munia habeat. De Mena id tradit Tranquillus, vt de Muſa Zonaras. videtur itaque vt refert Bud. ius aureorum anulorum dare,apud antiquos fermè aliud nihil fuiſſe, quã equitem facere dicimus:accipere verò,equitem fieri.

IVS ANTIQVVM, quid ſit, iam explicauimus in voce Antiquum. Hoc tamen ex Cuiacio in Paratitl.addam. Ius antiquum in tit. D.de diuerſis regulis iuris antiqui, vocatur ius quo iamdiu populus vſus eſt, minimè abrogatum Conſtitutionibus Iuſtiniani:item illud quod nec leges,nec conſtitutiones induxerunt, ſed antiqua prudentia iuris auctorum, vt eſt in l.21. C.de furt.& conſona Iuriſconſultorum definitio,in l.vltim.C.Th. de diu.reſ.qualis eſt regula Catoniana, & quæ certiſſima iuris regulà,§.non autem. Inſtit.de per. & temp. act.Ex delicto pœnalibus actionibus hæredes non teneri,& aliæ,quæ à Cuiacio ibidem recitantur.

Ius CANONICVM diuiditur in Decretum, & Decretales.Decretales autem in quinque libris, maximè reſpectu iuris ciuilis. Quilibet autem liber habet plures rubricas ſiue titulos. Sub qualibet autem rubrica ſunt vnum aut plura capitula,& canones,quæ dicuntur decretales epiſtolæ, vel conſtitutiones, & aliquando in capitulis ſunt duo §. Quando igitur ex decretalibus aliquid allegabis,non librum, ſed titulum & capitulũ allegabis:& ſi caput ſit longũ, dices ca.tali, circa principium,medium,vel finem,vel ſint θεμάτια,vel (vt nũc loquimur)Paragraphi.§.j.vel 2.Atq; hi quidem quinq; libri compoſiti ſunt à Raymundo Capellano Gregorij 9.Papæ, circa annum domini M.CCXXI. ipſius Papæ iuſſu idque ex quinque compilationibus prioribus,Bernardi, ſcilicet, Ioannis Gallenſis, Petri Beneuentani ſubdiaconi & notarij Innocentij tertij, Tancredi, & Honorij.His poſtea anno M.CCXCVIII. Pontificatus Bonifacij 8.anno quarto acceſſit liber ſextus, continens etiam quinq; partes, ſupplens defectus caſuum emergentium, in libris decretalium non comprehenſorũ.Clemẽtis conſtitutiones à Clemente 5.Papa anno M.CCCXI. in concilio Viennenſi conceptæ ſunt,& à Ioanne Papa 22.promulgatæ anno M.CCCXXIX. Vide gl.in Procemio Clem.ſuper verbo Nouembris,& verbo Pontificatus. Hic liber non dicitur ſeptimus, ſed Clementinæ conſtitutiones vocantur. Decretum autem à Gratiano circa annum M.CXIX. compilatum,diuiditur in tres partes:Prima dicitur Diſtinctiones:diſtincta enim eſt per c.1.partes, quæ in canones,qui in paragraphos & verſiculos ſubdiuiduntur.Secunda pars vocatur Cauſſæ, quia continet XXXVI. cauſſas:eæ in quæſtiones, hæ in canones, qui in thematia,& paragraphos & verſiculos ſubdiuiduntur.Tractatus autem de pœnitentia inſeritur cauſſæ 33.q.3.Et habet ſeptem diſtinctiones,quę item in canones cum paragraphis & verſiculis diuiduntur. Tertia pars decreti,de conſecratione,habet ſub ſe quinq; diſtinctiones cum canonibus vel capitulis, cum paragraphis vel verſiculis.Hactenus de libris Canoniſtarũ ex I. Oldendorpio. Eſt autem Ius Canonicum eccleſiaſtica conſtitutio 3.Diſtinct.in Summa.

Ius ciuile FLAVIANVM, liber erat in quo Appius Claudius legis actiones compoſuerat, & ad formam redegerat, inde dictum quòd Cn.Flauius eius ſcriba ſurreptum librum populo tradidit,l.2.§.3.D.de orig.iur.

Ius ciuile PAPIRIANVM, liber erat in quo Sex.Papirius leges omnes curiatas à Regibus latas conſcripſerat : non quia Papirius de ſuo quicquam ibi adiecit: ſed quòd leges ſine ordine latas in vnum compoſuit,l. 2.D.de orig.iur.

Ius ciuile, pro Iuriſdictione prætoris. Cicero Verrina III.Petere auxilium à Chelidone, quæ iſto Prætore non modò in iure ciuili, priuatorúmq; omnium controuerſiis populo R.præfuit,&c.

Ius commune vocat Paulus ad differentiam Senatuſconſulti,quod in ſpeciem factum eſt de ſcripturis famoſis ſcilicet editis nullo nomine adiecto:Cæterum(inquit) ſi nomen adiectum: & iure communi iniuriarum agi poteſt.l.quod Senatuſconſultum. D.de iniu.

Ius commune, pro iure naturali. Vlpianus in l.ius ciuile eſt.D.de iuſtit.& iur.Vide Merum ius.

Ius COMMENTITIVM, dicitur id, quod nouè & recens excogitatum eſt, quaſi fictitiũ:vt pote, non aliunde tranſlatum,ſed ſine vllo prorſus exemplo introductum, Paul.l.ſi pœna alicui.D.de pœn.Si pœna alicui irrogatur, receptum eſt cõmentitio iure, ne ad hæredes tranſeat.

Ius CONSTITVTVM, pro ſingulari accipit Iuriſcoſ. in l. ſi peculium. D. de ſtatu lib. Ius enim conſtitutum eſt, quod placito quodam, & conſenſu recipitur communiter, Paulus. l. j. in fi. D. rer. amot. l. j. §. item cum cōtra. D. quæ ſent. ſine adpel. reſcind.

Ius CONSVETVDINIS eſſe putatur id, quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobarit. quod in genere & alia ſunt multa, & eorum multo maxima pars, quæ Prætores edicere conſueuerunt, ait Cicer. libr. de Inuen. 11. quibus verbis edicta tranſlatitia ſignificat.

Ius dicere tranſlatè, pro Prætoris Imperium ſibi vſurpare. Vlp. l. j. D. Quod legator. Æquiſſimum Prætori viſum eſt, vnumquemque non ſibi ipſum ius dicere occupatis legatis, ſed ab hærede petere. Calliſt. l. pen. D. de vi priu. Quiſquis probatus fuerit, rem vllam debitoris temerè poſſidere, ſibíque ius in eam rem dixiſſe, ius crediti non habebit. Alias proprie ius cuipiam dicitur, cum ei per ſententiam quid adiudicatur, aduerſum eum cui quid adiudicatur: quòd vulgò dicunt, Cauſſam obtinere, & ſuccumbere in cauſſa. Vlp. Eſt, inquit, receptum vt poſſit ei & aduerſus eum ius dici, De iuriſd. om. iud.

Ius docendi leuis & ſimplex via, cuius meminit Iuſtinianus, Inſt. de iuſt. & iur. hæc eſt: Primùm incipere à naturalibus & diuinis præceptis. Deinde progredi ad capita humanarum legum, & demum ad propagatas, Gentium, & Magiſtratuum conſtitutiones.

Ius FISCALE. l. inter debitorē. D. de pact. ius non commune, ſed principis proprium.

Ius GLADII, poteſtas eſt animaduertendi in facinoroſos, quæ meri imperij eſt. Tractum autem illud videtur ex ea conſuetudine, quod Principes Romani præſidibus & Præfectis Prætorio, iiſque quibus hoc imperium eſſe volebāt, gladium dabāt. Id facile conijcitur ex verbis Papinij ſic ſcribentis:

Felix, qui magno iam nunc ſub præſide iuras,
Cuique ſacer primum tribuit Germanicus enſem.

Sed & Imperatoris gladius vnius erat curæ commiſſus, præfecti ſcilicet prætorio, cum Imperator multo magis etiam merum imperium teneret, quàm quibus eam poteſtatem in prouinciam euntibus mandabat.

Ius HONORARIVM, id eſt prætorium, ait Iuſtin. idcirco quòd qui honores gerūt, id eſt, magiſtratus, auctoritatem huic iuri dederunt. §. 6. D. de iur. nat. Ius honorariū, idem quod Prætorium: ab honore Prætorum ſic nominatum. l. 7. D. de iuſtit. & iur. vel, quod ab honore Prætoris venerat. l. 2. §. 5. D. de origine iuris.

Ius ITALICVM, quidam nihil aliud eſſe volunt, quàm à tributis immunitatem: tributorum duo genera conſtituentes, vnū agris impoſitum, alterū capitibus. Cuiacius Obſer. libr. 11. c. 35. id falſiſſimum opinatur. Nam inquit, & quæ ius Italicum non habent quædam coloniæ prouinciales, immunes ſunt: vt Cæſarienſis Colonia prima Flauia, quam Veſpaſianus deduxit, auctore Plinio. 5. c. 13. & Nou. 103. immunis eſt. l. vlt. D. de cenſib. remiſit enim ei Veſpaſianus tributum capitis primum: & quia non ideo etiam remiſſum videbatur tributum ſoli, poſtea Titus etiam ſolum Cæſariēſis coloniæ immune factum interpretatus eſt. Nec ideo tamen Cæſarienſis colonia ius Italicum habet. l. j. D. eo. Et ita rectè plin. lib. 3. c. 3. & 21. ciuitates aut colonias immunes ſeparat ab iis quæ ius Italicum habent. Poſſit quidem vna eadémque ius Italicū habere, & eſſe immunis; ſed non quòd immunis, veluti Barcino. d. l. vlt. aut Illium, ideo & iuris Italici: idémque ex diuerſo dicendum eſt. Plus eſt eſſe immunem ciuitatem vel coloniam, quam habere ius Italicum. Nam ius Italicum leuatio tantum cenſitionis eſt, puta vt idem in cenſitione ius experiantur quod Italicæ coloniæ. nec id tantum, ſi colonia non ſit immunis, ſed etſi ſit immunis, facit vt in reliquis eodem iure ſit eius coloniæ reſpub. quo ipſa Italia, puta in traditionibus nexi, in vſucapionibus, in annali exceptione, itémque in iure capiendi. Nam hac de cauſſa cum tractaret Celſus de fideicommiſſo relicto coloniæ Philippenſium. l. Balliſta. D. ad Trebell. adieciſſe eum opinor coloniam Philippenſem eſſe iuris Italici. l. 6. de cenſib. cuius inſcriptio emendanda eſt ex d. l. Balliſta. Atque ita multo plura conferebat ius Italicum quam immunitas: ſed in cauſſa tributorum (vt diximus) plus certè erat immunem eſſe, quàm habere ius Italiæ.

Ius MERVM pro communi & vſitato, ſiue quod nullo ſingulari ac præcipuo iure mixtum eſt. Vlp. l. 16. D. de minorib. Nam ſi minor communi auxilio & mero iure munitus ſit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium.

Ius MEVM, quod mihi competit ex iure communi, pactóve, vel conſuetudine. c. conſtitutus. de religio. ius tuum quid ſit docent doctores in l. inſtrumenta. C. ad exhib.

Ius MILITARE, quo milites ſoli adſtricti ſunt, tit. de teſtam. mil. C. & D. de re milit. C. & D.

Ius PATRONATVS, ius omne & commodum quod patronis competit: de quo vide tit. de iure patron. D. & C. & Cuiac. Obſ. lib. 11. 33. & in iure Canon. ex tit. eodem extra in antiq. Ius patronatus eſt, quod alicui in eccleſia acquiritur, eo quod ipſe, vel eius anctores eccleſiam poſuerint, vel ædificauerint, vel ſuis opibus auxerint, conſentiente Epiſcopo: ex quo iure cum vtilitate honor & onus reſultant.

Ius PRÆDII, eſt poteſtas in alieno prædio aliquid agendi, quod alteri agere non licet, ab ipſius domino data & permiſſa. hinc Iura prædiorum vrbanorum & ruſticorum, quæ etiam ſeruitutes appellantur: inquit Imp. §. vlt. D. de reb. corpor.

Ius PRÆTORIVM eſt, quod Prætores introduxerunt, adiuuandi, vel ſupplendi, vel corrigendi iuris ciuilis gratia, propter vtilitatem publicam: quod & honorarium dicitur, ad honorem Prætorum ſic nominatum. l. 7. D. de iuſt. & iur.

Ius προτιμήσεως, vide Προτίμησις.

Ius QVIRITIVM, vide QVIRITIVM ius, infrà.

Ius SACRATVM, apud Virgil. & alios, eſt ſacramentum militare, cuius religione olim tenebantur. nam ſacrabatur iureiurando, id eſt fide.

inter Ius IN re, & ius AD REM hoc intereſt. Ius in re nō poteſt quæri conceſſione beneficij, vt res collatario quæſita dici queat. c. ſi tibi abſenti. de præb. in 6. fallit (vt ibi dicit Romanus Pontifex) ſi collatarius ratam conceſſionem habuerit. Ius in re is habere intelligendus, qui ius proprietatis habet. Ius ad rem habet is, cui pignori oppoſita eſt, vſufructuarius, colonus, & cæteri huiuſmodi.

Ius SINGVLARE eſt, quod contra tenorem rationis, propter aliquam vtilitatem, auctoritate conſtituentium introductum eſt. l. ius ſingulare. D. de legib. Vel ſic: Ius ſingulare appoſitiſſimè dicitur, quod conſtitutum eſt ſeorſum & ſigillatim. Et contradicit quidem in ſpeciem rationi communis iuris: cæterum generaliter conſideratum, vniuerſo iuri non contradicit, ſed conuenientiſſimum eſt. Alio autem & antiquiore verbo Priuilegium dicitur, quaſi priuata lex: quæ cum diuerſos habeat effectus beneficiendi eximendi, iuuandi, relaxandi: diuerſis quidem appellationibus eam nuncupare potes, res tamen eadem eſt: nec aliter differt priuilegium à priuilegio, quàm lex generalior à lege ſpecialiore.

Ius SOLENNE, ius legum populi Rom. Pomp. l. 27. D. de reg. iur. Nec ex prætorio nec ex ſolenni iure priuatorum conuentione quicquam immutandum eſt.

Ius STRICTVM, id eſt, ius ſummum. Paulus.l.30.D.de pecun.conſtit.Si quis duob.pecuniam conſtituerit,Tibi aut Titio,etſi ſtricto iure propria actione pecuniæ conſtitutæ manet obligatus.etiam ſi Titio ſoluerit,tamen per exceptionem adiuuabitur.

Iuris ſui vel alieni eſſe,quaſi ſuæ poteſtatis, facultatis, liberi arbitrij in perſona & rebus externis. Sic ſui mancipij eſſe,id eſt non alieni mancipij vel dominij. Hinc Brutus in epiſtola ad Cic. de libertate Reip.dixit, An vt eſſet ſui iuris & mancipij Reſpub. Homo ergo ſui iuris eſt, qui alteri non paret, nec morem gerit, nec ſeruit,nec in alterius poteſtate eſt,ſed ſuus eſt, & ſententiam ſequitur ſuam,non alienam,nec precibus flecti poteſt.Cic.in Verr.Act.3.Quod inquit, eos in iudicando nimium ſui iuris ſententiæque cognoſceret.

Ius SVI,pro eo quod vulgus Suitatem adpellat. Vlp.l.j.§.vlt.D.de lib.agnoſ. Nihil præiudicaret filio, non tantum in iure ſui, verum ne in alimentis quidem.Idem in l.9.§.ſi filium. D. de lib.& poſthu.Rumpit enim his caſibus nepos teſtamentum, quod moriente auo ſui ius pependerit.vbi tamen FILII IVS legitur,ſed mendoſe,vt in comment.docet Hotom.

Ius SVMMVM, vulgò ſtrictum ius. Ius ſummum vocatur id,quod ſupra ſe nullum habet: quia in ſuo genere conſideratum abſolutè, non eſt vllis cauſſarum circunſtãtiis attemperatum deflexúmque, vt foro deſeruiat.Errant ergo,qui ſummum ius intelligunt paſſim pro iniquo iure.Nam omnes regulæ, omnes leges, omnes denique hominũ traditiones de moribus, poſſunt dici ſummum ius, aliquo reſpectu, quæ ſi eſſent ſumma iniuria,quid haberemus pro iure? Multis autẽ modis appellatur. Alias ius ſimpliciter dicitur: alias apex iuris:ius inflexibile:generalis definitio:ſubtilitas verborum:prædurum ius: ſtrictum ius: nonnunquam ſumma iniuria,ſed impropriè,& reſpectu alieno, Budæo,l.j.D.de iuſtit.& iur.

Ius ſummum bifariam accipitur,propriè & impropriè.

Ius ſummum propriè dicitur, certa honeſtatis ſententia, quæ ſuo generaliter officio in republica fungi poteſt, ſiue à naturali, ſiue à ciuili ratione petatur. Exempla eſſe poſſunt omnes regulæ & theſes iuris.Nam hæ in ſuo genere rem,de qua tractant, ſuprema atque ſtrictiſſima ratione diffiniunt quidem, ſed ſimpliciter, ac ſine vlla circunſtantiarum conſideratione futuri facti.

Ius ſummum impropriè appellatur, quod prædura interpretatione trahitur ad ſpecies factorum incõuenientes,vel quod ſimulatis quibuſdam argumentis colligitur ſophiſticàs in fraudem legis.l. inciuile.Et l.ſeq. D.de legib.Reliqua quæ ad hanc rem pertinent, vide apud Bud.in Prior.adnot.in l.j.D.de iuſt.& iur.

Ius TOGÆ dicebatur,quod Principes peregrinis dabant, vt iis veſtitu ciuium Rom. proprio vti liceret. Plin. libr. Epiſt. III. Idem cum Græco pallio amictus intraſſet, (carent enim iure togæ quibus aqua & igni interdictum eſt) poſtquam ſe compoſuit,&c.Marcianus.l.diuus.31.D. de iur.fiſc. Obſidum bona in fiſcum cogenda ſunt.ſed ſi accepto vſu togæ Romanæ vt ciues Romani ſemper egerint,&c.vide infrà, TOGA.

Ius TRIVM LIBERORVM inſtitutũ eſt, vt qui quæve tres liberos ex iuſto matrimonio ſuſcepiſſent, iis plurima præcipuo quodam & ſingulari iure præter cæteros concederentur.veluti, vt mulieres viuo patre teſtamentum condere,& rem ſuam ſine tutorum auctoritate adminiſtrare poſſent: quod Plutarchus in vita Numæ teſtatur. Vt viri excuſarentur ab omnibus ciuilibus muneribus,quæ patrimonij non eſſent.l. 2. D.de vacat.mun. Vt qui Romæ tres liberos ſuperſtites haberet,à tutelis & curationibus excuſaretur. §.j. Inſt.de excuſa.tut.Id autem ius etiam iis qui tres liberos non habebant,concedit ur.aliud enim eſt Tres liberos habere:aliud Ius trium liberorum. Extátque Plinij Iun. ad Traianum epiſtola,qua Suetonio ſuo ius illud petens:Huic,inquit,ius trium liberorum neceſſarium faciunt duæ cauſſæ.nam & iudicia amicorum promeretur,& parum felix matrimonium expertus eſt: impetrandúmque à bonitate tua per nos habet, quod illi fortunæ malignitas denegauit. De hoc iure Imp.tit. De S.C.Tertyll.in princ.& l.j.C.de legat.

IVRE, pro ipſo iure Pap. l.95.§.j.D.de ſolut. Aditio hæreditatis nonnunquam iure confundit obligationem.

Ius VETVS appellatur,quòd ab vrbe Roma cõdita, & à Romuli tempore,ad ſeculum vſque Iuſtiniani, fermè per M. CCCC. annos confuſiſſimè ſparſum erat. Alij aliter exponunt:Vide Vetus ius, & Hegend. in tit.C. de vet.iur.enuc. Ius NOVVM autem,eod. teſte,in l. j.D.quod quiſque iuris appellatur,quod nec in ſcripta redactum eſt,nec corroboratum conſuetudine. Videtur tamen in iam citata.l.j. ius nouum accipi pro iure iniquo,& ab vſu forenſi abhorrente.

IVRIDICVS,qui ius in aliquo loco reddit.l.Thais. §.Lucia.D.de fideic.lib.& vide. C. & D. de officio Iuridici. Firmic.lib.3.Matheſeos.c.11. talis erat qui Alexandriæ præficiebatur.Hunc δικαιοδότην,Srabo appellat.Iuridicos Italiæ à M. Antonino philoſopho datos tradit I. Capitolinus.Hinc.

IVRIDICINÆ, quo verbo vſus eſt Tertull.lib.de Pall.

IVRISCONSVLTVS, ſic enim ſcribi debet, non Iureconſultus:licet Cicero pro Muræna ita dixerit, & Lucilius ſecundo,& iure peritus, vt not.Chariſius libr.j. Eſt(inquit Antonius apud Ciceronem libr.de Orat.j.) qui legum & conſuetudinis eius,qua priuati in ciuitate vtuntur,& ad reſpondendum,& ad agendum,& ad cauendum peritus eſt.Imperfecta tamen hæc eſt definitio,cùm pragmaticis hæc eadem quadrare poſſint. Iuriſconſulti enim ius in ciuitate conſtituunt, de iis negociis de quibus ius certum eſt nullum,conſulti.Itaque eorum reſponſa, iuris ciuilis in parte numerantur.Conſulebantur autem (vt Fab.ait) aut de verborum proprietate, veluti ſi de teſtamenti ſtipulationiſve verbis eſſet controuerſia,vel de æqui diſputatione, vt in Sergij & Oratæ cauſſa illa nobili:aut de voluntatis coniectura, vt cum teſtatorem aliquid amplius voluiſſe,quàm dixiſſe contenditur. Cice. pro Plancio: Quæris num Iuriſconſultus?quaſi quiſquam ſit,qui ſibi hunc falſum de iure reſpondiſſe dicat. Omnes enim iſtiuſmodi artes in iis reprehenduntur, qui cùm profeſſi fuerint,ſatisfacere non poſſunt:non in iis,qui abſuiſſe ab iſtis ſtudiis confitentur. Verior itaque hæc fuerit Hotom. definitio: Iuriſconſultus eſt, qui tum iuris ciuilis, tum æqui boníque peritus, populo ſe ad reſpondendum, interpretandum, cauendum, atque agendum dedit.his enim omnibus in rebus Iuriſconſulti officium verſari, in Iuriſconſulto ſuo copioſè oſtendit.

Iuriſconſultorum vel prudentium triplex eſt differentia, quam obſcurè confundit Tribonianus Inſt.de iur.natur.gent.& ciuil.j.Fuerunt prudentes, qui leges XII. Tab. interpretabantur, quorum diſputationes fori, dicuntur ius Ciuile.l. 2. §. his legibus latis. D.de orig. iur. II. Fuerunt prudentes,qui priuatim reſpondebant conſulentibus,auctoritate probabili, non autem neceſſaria. III. Cœperunt publicè Imperatoris auctoritate ſignatis ſcriptis reſpondere ſub Auguſto, à quorum reſponſis non licebat recedere.d.l.2.§. Primus Diuus Auguſtus.

DESCRIPTIO IVRISCONſultorum, qui à Pomponio ſub titulo De orig. iur. enumerantur, ex Hotomano.

S. PAPYRIVS Iuriſconſultus, Tarquinio Superbo regnante floruit. Is leges omnes à Regibus latas in ordinem redegit, vnúmque in librum coegit, qui liber idcirco Ius ciuile Papyrianum appellatus eſt. Pomp. l. 2. §. j. & §. 18. De orig. iur. Videtur is fuiſſe Papyrius, quẽ Dionyſ. Halicarn. ſcribit primum Regem ſacrificulũ creatum fuiſſe, quem Manium adpellat, Superbum autem non Demarati filium, vt Pomponius: ſed nepotem, Liuius: pro nepotem Dionyſius appellant.

AP. CLAVDIVS, Decemuir Iuriſconſultus, Anno CCCIII. quo leges XII. tabularum cõſcriptæ & conſtitutæ fuerunt. Eius maximum in iis legibus conſcribendis conſilium extitiſſe Pompon. tradit. l. 2. §. 18. De orig. iur.

HERMODORVS Epheſius Iuriſconſultus, legum quæ à legatis Romanis ex Græciæ ciuitatibus allatæ ſunt, cum in Italia tum fortè exularet, interpres fuit: ob eámque cauſſam ſtatua ei in Comitio dicata eſt. Plin. lib. 34. cap. 5. & Pompon. l. 2. §. j. D. de orig. iur. vbi tamẽ Auctorem ſcribit, pro Adiutorem, ſocium, interpretẽ. Strabo lib. 14. de Epheſiis commemorans, Ἄνδρες δ' ἀξιόλογοι γε γόνασιν ἐν αὐτῇ. τῶν μὲν παλαιῶν Ἡράκλειτός τε ὁ σκοτεινὸς καλούμενος, καὶ Ἑρμόδωρος. περὶ οὗ ὁ αὐτὸς οὗτος φησὶν, ἄξιον Ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀπάγξασθαι, οἵτινες Ἑρμόδωρον ἄνδρα ἑωυτῶν ὀνήϊστον ἐξέβαλον, φάντες, ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνήϊστος ἔστω. εἰ δέ τις τοιοῦτος, ἄλλῃ τε καὶ μετ' ἄλλων. δοκεῖ δ' οὗτος ὁ ἀνὴρ νόμους τινὰς Ῥωμαίοις συγγράψαι. id eſt, In ea viri fuere memorabiles. è veteribus quidem Heraclitus cognomento Obſcurus, & Hermodorus. de quo ille ipſe loquens, Digni ſunt, inquit, omnes ad vnum Epheſij, quibus laqueo gula frangatur: qui Hermodotum virum inter ipſos vtilem exilio multarunt. dicentes Nemo de nobis vnus excellat: ſed ſiquis extiterit, alio in loco, & apud alios ſit. Fertur etiam is leges quaſdam Romanis conſcripſiſſe. Hoc idem extat apud Diogenẽ Laërtiũ.

AP. CLAVDIVS Cæcus Iuriſconſultus, Cẽſor fuit Sulpitio, Sempronio Coſſ. Anno ab V. C. CDXLIX: Primus actiones, id eſt formulas de vſurpationib. ſcripſit: ſcribæ ſuo Cn. Flauio ſuaſit, vt faſtorum tabulam exſcriberet, eámque promulgaret. Plin. libr. 33. c. j. & Põp. l. 2. §. 18. de orig. iur. Tribonianus autem in eadem. l. §. 3. ſcribit eum legis actiones propoſuiſſe, & ad formam redegiſſe, quarum librum ſurreptum poſtea Cn. Fla. populo tradiderit.

CN. FLAVIVS, Cn. F. ſcriba Iuriſconſultus, Sulpitio, Sempronio Coſſ. Anno ab V. condita CDXLIX. Is patre libertino, humili fortuna ortus, cæterum callidus vir & facundus. Ædilis curulis fuit. Ciuile ius repoſitum in penetralibus Pontificum euulgauit, faſtóſque circa forum in albo propoſuit: vt quãdo lege agi poſſet, ſciretur. Ob id munus Ædilis curulis, & Tribunus plebis creatus eſt. Liuius libr. 9. extremo, Cicero pro Muræna, Gell. lib. 6. c. 9. Plin. lib. 33. c. 3. Pomp. l. 2. §. 3. de orig. iur.

P. SEMPRONIVS Sophus Iuriſconſultus Coſſ. cum P. Sulpitio Sauerrione, anno ab V. condita CDXLIX. Pomponius ſcribit in l. 2. §. 18. hunc à populo Rom. Sophum eſſe appellatum, nec quenquam ante hunc, aut poſt hunc hoc nomine cognominatum eſſe: cum tamẽ plures in Cõſultum tabulis hoc cognomine afficiantur, & conſtet Atilium, Lælium & Catonem Sapiẽtes cognominatos fuiſſe.

TI. CORNVNCANIVS Iuriſconſultus, Conſul cum P. Valerio, anno ab Vrbe condita, CDLXXII. Primus ius ciuile docere ac profiteri cœpit, cum priores id in latenti retinere cogitarent, ſolúmque cõſultatoribus vacare. Põp. l. 2. §. 18. de orig. iur. Cicero in Bruto ſcribit, ex Pontificum commentariis intelligi eum longè plurimum ingenio valuiſſe. Idem in lib. de Orat. 3. Põtificẽ Maximũ eum fuiſſe tradit, ad eum, eiúſque ſimiles de omnib. diuinis atque humanis rebus referri ſolitum: eundem & in ſenatu, & apud populum, & in cauſſis amicorũ, & domi & militiæ conſilium ſuum fidémque probaſſe. Eadẽ ferè in Epitome Liuiana XVIII.

Q. FABIVS Iuriſconſultus, cuius ad Carthaginenſes legatio celebratur: Cornelio, Sempronio Coſſ. anno. DXXXII. nam cũ eſſent duæ teſſeræ poſitæ, vna pacis, altera belli, arbitrio ſibi dato, vtram mallet referre Romã, vtranque ſuſtulit, & ait: Carthaginenſes petere debere vtram mallent accipere. Hæc Pomp. Aliter tamen Gellius lib. 10. c. 27. aliter etiã Polyb. libr. 3. Liuius lib. 21. & Appianus lib. de bello Hiſpan.

SEX. ÆLIVS Pætus Catus Iuriſconſultus, Conſul fuit cum T. Quinctio Flaminio, anno DLII. qui propter Iuris ciuilis ſciẽtiam ſic appellatus ab Ennio eſt, Egregiè cordatus homo catus Ælius Sextus: vt ait Cicero lib. de Orat. j. qui in Bruto hunc quoque ait iuris quidem ciuilis peritiſſimum, ſed etiam ad dicẽdum paratum: & Tuſc. prima hunc eundem verſum profert. Varro autem in lib. de ling. 6. Cata, inquit, acuta. Hoc enim verbo Sabini dicunt. quare Catus Ælius Sextus, non (vt aiunt) ſapiens: ſed acutus. Pomponius autẽ his verbis, Sextum Ælium etiam Ennius laudauit, & extat illius liber, qui inſcribitur Tripartita: qui liber veluti cunabula iuris continet. Tripartita autem dicitur, quoniam lege XII. Tab. præpoſita, iungitur interpretatio, de in ſubtexitur legis actio. eiuſdem eſſe tres alij libri referuntur: quos tamen quidam negant eiuſdem eſſe. Plin. vero lib. 33. c. 2. L. Pauli qui Perſeum deuicit, generum ait fuiſſe: & cum legati Ætolorum in Conſulatu prandentem in fictilibus adiſſent, miſſa ab his vaſa argentea non accepiſſe: neque aliud habuiſſe argenti ad ſupremum vitæ diem, quàm duo pocula, quæ L. Paulus ſocer ei ob virtutem donaſſet.

P. ÆLIVS PÆTVS Iuriſc. Conſul fuit cum Cn. Cornelio, anno DXLIX. apud Liuium lib. 32. & Põponium. Plin. lib. 18. c. 18. Plutarchum in Africano.

P. ACILIVS Iuriſconſultus Cicero in Lælio: Scimus L. Acilium apud patres noſtros appellatum eſſe Sapientem, quia prudens eſſe in iure ciuili putabatur. Hunc quoque primum à populo ſapientem appellatum fuiſſe, Pomponius ſcribit. Meminit Cicero in Catone, lib. De offic. 2. De diuin. j. Epitome Liuiana 49. Nonnullis tamen in libris Attilius nominatur.

P. CORNELIVS Scipio Naſica Iuriſconſultus Conſul fuit cum M. Glabrione, Anno DLIX. adoleſcens nondum Quæſtorius optimus in ciuitate iudicatus eſt, eidémque publice domus in ſacra via data, quo facilius conſuli poſſet. Liuius lib. 29. & Põp. l. 2. §. 18. de Ori. iur.

M. PORCIVS Cato, Iuriſconſ. Conſul fuit cum L. Valerio, Anno DLV. Iuris ciuilis peritiſſimus fuit, vt Cicero ait lib. De oratore primo: libros etiam de iure reliquit, vt ſcribit Pompon. d. l. 2. Eius res geſtas Plutarchus in Vitis exponit, & Liuius lib. 33. & 34. ſed maximè lib. 39. ex quo elogium hoc Catonis noſtri quin deſcribam, facere non poſſum: In hoc viro tanta vis animi ingeniíque fuit, vt quocũque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus fuiſſe videretur. nulla ars neque priuatæ, neque publicæ rei gerendæ ei defuit. Vrbanas ruſticáſque res pariter callebat. ad ſummos honores alios ſcientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit: huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuit, vt natum ad id vnum diceres, quodcũque ageret. in bello manu fortiſſimus, multíſque inſignibus clarus pugnis: idẽ poſteaquam ad magnos ho-

nores peruenit, ſummus imperator: idem in pace, ſi ius conſuleres, peritiſſimus: ſi cauſſa orāda eſſet, eloquentiſſimus. nec is tantum, cuius lingua viuo eo viguerit, monumentum eloquentiæ nullum extet. viuit imò vigétque eloquētia eius, ſacrata ſcriptis omnis generis. Orationes & pro ſe multæ, & pro aliis, & in alios. nam non ſolùm accuſando, ſed etiam cauſſam dicendo fatigauit inimicos. ſimultates nimio plures & exercuerunt eum, & ipſe exercuit eas. nec facilè dixeris, vtrum magis preſſerit eum nobilitas, an ille agitauerit nobilitatem. Aſperi proculdubio animi, & linguæ acerbæ, & immodicè liberæ fuit: ſed inuicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ. contemptor gratiæ, diuitiarum: in parſimonia, in patientia laboris periculíque ferrei propè corporis animíque quē ne ſenectus quidē, quæ ſoluit omnia, fregerit: qui ſextū & octogeſimū annum agēs, cauſſam dixerit, ipſe pro ſe orauerit, ſcripſerítque. LXXX. anno Ser. Galbā adduxerit in iudiciū.

M. PORCIVS Cato Iuriſconſultus, Marci ſuperioris filius. Is Prætor deſignatus patre viuo mortuus eſt. Plurimos in iure ciuili libros reliquit. Gellius libr. 13. c. 18. Pompo. De orig. iur. Cicero de Orat. ſecundo. Huius ea creditur fuiſſe regula, quæ Catoniana in noſtris libris appellatur, quā ſupra lib. 3. expoſuimus. Celebratur etiā eius de diuiduis & indiuiduis ſtipulationibus diſputatio, in l. 4. D. de verb. oblig. Citatur & Iuſtin. lib. j. Inſt. tit. De adopt. Paulo l. 44. ſol. mat. Vlp. l. 10. De ædil. edict. Celſo l. 18. D. de verb. ſign.

P. MVTIVS Scæuola Iuriſconſultus, Conſul fuit cum L. Calpurnio, anno DCXVII. & Pontifex Maximus fuit, quo anno Tib. Gracchus interfectus eſt. Decē de iure libellos reliquit, Pompo. d. l. 2. Cicero de Orat. 2. & pro Cæcina, De legib. j. De nat. deor. 3. Pompo. l. vlt. De iur. immunit. Aſcon. Verrin. 2. Interiit eo morbo quem phthiriaſin appellant. Plutarchus in Sylla.

M. IVNIVS Brutus Iuriſconſultus, vir Prætorius fuit, ſeptémque, vt ait Pōponius, reliquit libros. Cæſar tamē apud Ciceronē lib. de Orat. 2. audiſſe ſe ait ex Scæuola cū diceret, tres duntaxat veros Bruti libros fuiſſe. In eodē libro Bruti in iure deſcribendo ratio improbatur, quòd hypotheſes nō theſes exponeret. Eius meminit Cic. in Cluētiana, lib. Epiſt. fam. 7. Gell. lib. 18. c. 7.

M. MANILIVS Iuriſconſultus, Conſul fuit cū L. Marcio Cēſorino, Anno DCI. Tres in iure reliquit libros, extabant etiam Pomponij ætate volumina inſcripta Manilij monumenta. Hunc Craſſus lib. de Orat. 3. ſcribit ſe vidiſſe tranſuerſo ambulantem foro: quod erat inſigne eū qui id faceret, facere ciuibus omnibus conſilij ſui copiam. Conſulatus etiam in Bruto meminit. Gell. etiā Doctrinæ lib. 18. c. 7. Cic. eius librorū de mancipiis vendendis, de Orat. j. Varro de re ruſt. perſæpe.

P. RVTILIVS Rufus Iuriſconſultus, Conſul fuit cum M. Manilio, an. DCXLV. M. Manilij, de quo diximus, diſcipulus, vt Pomponius teſtatur. Cic. in Bruto ſcribit eum magnum de iure reſpondendi munus ſuſtinuiſſe, eiúſque operam atque induſtriam propterea gratiorē fuiſſe. Memoratur eius iniuſta damnatio, quòd cū ambitus à Scauro accuſatus eſſet, noluerit ſuam cauſſam ornatius dici, quàm ſimplex veritatis ratio poſtularet. qua de re li. de Orat. j. in Bruto, de nat. deor. 3. de finib. 2. Tuſc. 4. offic. 2. pro Plancio, pro Balbo, in Piſonem, pro Fonteio, pro Poſthumo, pro Cluentio. Valer. lib. 2.

PAVLVS VERGINIVS Iuriſconſultus, Hic apud Pōp. numeratur: corruptè, mea ſententia, cum iſto modo nominetur nemo. Paulus præterea Æmiliorum eſt cognomen. Cum autem Cic. in Brut. Scaurum Rutilio adiungat, Panætij diſcipulum & conuictorem in 3. de Oratore appellet, & Pomponius hoc loco Panætij auditores enumeret, haud ſcio an pro SCAVRVS VIGELLIVS, repoſuerit aliquis PAVLVS VERGINIVS.

Q. ÆLIVS Tubero L. Pauli nepos, P. Africani ſororis filius Iuriſconſultus, Triumuir agris, opinor, ex lege Sempronia diuidundis fuit. Hunc in Brut. Cic. Stoicū & doctiſſimum in diſputando fuiſſe ſcribit. Craſſus autem in libr. de Orat. 3. Dies, inquit, & noctes virum ſumma virtute & prudentia videbamus philoſopho cum operam daret, Qu. Tuberonem. Pomp. autem Panætij auditorem adpellat. vbi tamen PANSÆ deprauatè legitur: vt quod ſequitur QVI ET IPSE CONSVL. nam in Conſulum recenſione Tubero non nominatur hoc tempore. videntúrque hæc verba potius ad Scaurū pertinere. Cic. in lib. qui inſcriptus eſt, De iure ciuili in artem redigendo, verba hæc poſuit: Nec verò ſcientia iuris maioribus ſuis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam ſuperfuit. Hoc ex Gell. lib. j. c. 22. Hiſtoria de eo inſignis refertur à Cic. in ea pro Muræna.

SEX. POMPEIVS Iuriſconſultus, Cn. Pompeij Magni patruus fuit. Hic (vt ait in Bruto Cicero) præſtantiſſimum ingenium contulit ad ſummam iuris ciuilis, & ad perfectam Geometriæ & rerum Stoicarum ſcientiam. Hunc eundem in libr. de Orat. 3. Stoicum appellat, & lib. j. eruditum hominem in philoſophia.

L. CÆLIVS Antipater Iuriſconſultus, ſcriptor, vt ait in Bruto Cic. vt tēporibus illis luculentus, fuit iuris valde peritus, multorum etiā, vt L. Craſſi, magiſter. Pomponius eum ſcribit maiorem eloquentiæ quàm ſcientiæ iuris operam dediſſe. nam ad hiſtoriam ſcribēdam animum appulit, cui maiorē quàm ſuperiores ſonum vocis addidit, vt ait Cic. lib. de Orat. 2. & de leg. j.

P. LICINIVS Craſſus Muſſianus Iuriſconſultus, Conſul fuit cum L. Valerio, an. DCXIX. cognomento Diues, P. Mutij filius, & P. Mutij Scæuolæ Iuriſcōſultorū frater germanus, à P. Licinio Craſſo adoptatus, domi à patre & fratre ius ciuile didicit: in eo induſtriā conſtat ſummam fuiſſe, maximámque gratiā, cum & conſuleretur plurimum & diceret. Eloquens etiā fuit. Hæc ex Cic. Brut. & primo de Orat. Gellius autē libr. j. c. 13. auctor eſt, Hiſtoricos pleroſque ſcripſiſſe. habuiſſe illum quinque rerū bonarū maxima & præcipua, quòd eſſet ditiſſimus, quòd nobiliſſimus, quòd eloquentiſſimus, quòd iuriſconſultiſſimus, quòd Pontifex Maximus. Pomponius autem hunc ſcribit à Cicerone dici Iuriſconſultorum deſertiſſimum falſò. nam de L. Craſſo M. Antonij æquali loquitur in Bruto his verbis, Vt eloquentiū iuriſperitiſſimus Craſſus, iuriſperitorum eloquētiſſimus Scæuola putaretur. Meminit Velleius libr. 2. Cic. in Catone, ad atti. li. 5. Phil. 11. Val. li. 8. c. 6. Epitome Liu. 59. Strabo lib. 13. Eutrop. lib. 4. Florus lib. 2. c. 21.

Q. MVTIVS Scæuola Iuriſcōſultus Conſul fuit cum L. Cæcilio, an. DCXXIII. Scæuolæ filius, Pontifex Maximus, item vt pater: iuriſconſultiſſimus, vt idem. Sic enim Cic. in lib. de Legib. 2. ſcribit. Pomponius autem hunc ait primum ius ciuile conſtituiſſe, generatim in lib. 18. redigendo. Cic. in Lælio tradit eum primū Augurem, deinde Ædilem cum L. Craſſo fuiſſe: item libro Offic. ſecundo, & de Conſulatu lib. de Orat. j. meminit. Appianus autem lib. ἐμφυλ. α. ſcribit eum C. Marij iuſſu occiſum in Tiberim proiectum eſſe, itémque Lucanus lib. 2. Velleius lib. 2. Florus lib. 3. c. 23. Valerius lib. 9. & lib. 8. Cicero de Natura deor. 3.

C. AQVILIVS GALLVS Iuriſconſultus Prætor, de ambitu quæſtionē exercuit, cum eius collega Cicero eſſet; vt ipſe in Cluentiana teſtatur. Hunc Qu. Mutij Pont. Max auditorē fuiſſe Pōponius tradit. Cicero autē in Bruto, Ser. Sulpitij præceptorē in iure, hominem acutum & exercitatū, prompta in agēdo & in reſpondendo celeritate præditum fuiſſe. ab eo ipſo prolata eſt, de dolo malo formula, quam idem libr. de Natura Deor. 3. & de Offi. 3. euerriculum malitiarum omnium appellat.

appellat.Eius extat laudatio in Orat. pro Cæcina, his verbis:Hoc loco percõmodè accidit,quòd nõ adeſt is qui paulò ante affuit,& adeſſe nobis frequẽter in hac cauſſa ſolet, vir ornatiſſimus C. Aquilius. Nam ipſo præſente,de virtute eius & prudentia timidius dicerem,quòd & ipſe pudore quodã afficeretur ex ſua laude,& me ſimilis ratio pudoris à præſentis laude tardaret.cuius auctoritati dictum eſt ab illa cauſſa concedi nimium non oportere. Vereor de tali viro ne plus dicam,quàm vos aut ſentiatis,aut apud vos commemorari velitis.Quapropter hoc dicam,nunquam eius auctoritatem nimium valere,cuius prudentiã pop.Rom. in cauendo,non in decipiendo perſpexerit: qui iuris ciuilis rationem nunquam ab æquitate ſeiunxerit: qui tot annos ingenium,laborẽ,fidem ſuam populo Ro. promptam expoſitámque præbuerit:qui ita iuſtus & bonus vir eſt,vt natura non diſciplina conſultus eſſe videatur:ita peritus ac prudens, vt ex iure ciuili, non ſcientia ſolùm quædam,verum etiam bonitas nata videatur:cuius tãtum eſt ingenium,ita prompta fides,vt quicquid inde haurias,purum, liquidúmque te haurire ſentias.Eiuſdem iudicium ſingulare Valerius libr. 8.c.2.commemorat fuiſſe,rem tamen non aperit.Is eſt de quo Cic.in Topicis memoriæ prodidit ſi quis ad eum quid tale retulerat,vt de facto quæreretur,ad Ciceronem,inquibat. ſignificans Iuriſconſultos non de facto,ſed de iure conſuli oportere.

L. Lvcilivs Balbus Iuriſc.L.Mutij auditor à Põponio nominatur:à Cic.autem in Brut.Ser.Sulpitij cum C. Aquilio in iure præceptor.vbi hunc doctum & eruditum hominem appellat,& tum in agendo, tum in reſpondendo conſiderata tarditate præditum. Meminit idem lib.ad Attic.8.Sed qui in libris de Natura Deo. diſputat Qu.Balb.eſt huiuſce,vt videtur,frater.

Sex. Papyrivs Iuriſconſultus, inter Seruij Sulpitij præceptores à Pomponio numeratur.

C. Ivventivs Iuriſconſ.à Pomponio inter Ser.Sulpitij præceptores numeratur. Cic. autem in Bruto T. Iuuentium Iuriſc.nominat:quẽ alium ab hoc fuiſſe ratio temporum declarat. Multis enim poſt hanc Seruij iuuentutem annis numeratur.In eodẽ genere,inquit, cauſſarum multum erat T.Iuuentius,nimis ille quidem lentus in dicendo,& penè frigidus, ſed & callidus, & in capiendo aduerſario verſutus, & præterea nec indoctus,& magna cum iuris ciuilis intelligentia.

Ser.Svlpitivs Iuriſcõ.Conſul fuit cum M. Marcello,anno dccii. Hic præceptores adoleſcens habuit in iure,Aquiliũ,Balbũ,Papyrium,& Iuuentiũ:vt Pomponius teſtatur, cuius hæc verba ſubſcribemus:Seruius cum in cauſſis orandis primum locum, aut pro certo poſt M.Tullium obtineret,traditur ad conſulẽdum Quintum Mutium de re amici ſui perueniſſe. cúmque eum ſibi reſpondentẽ de iure, Seruius parum intellexiſſet,iterũ Quintum interrogaſſe,& à Quinto Mutio reſpõſum eſſe, nec tamen percepiſſe:& ita obiurgatum eſſe à Quinto Mutio.Nãque eũ dixiſſe, turpe eſſe Patricio,& nobili,& cauſſas oranti,ius in quo verſaretur,ignorare.ea velut contumelia Seruius tractatus,operã dedit iuri ciuili:& plurimum eos de quibus locuti ſumus,audiit.Inſtitutus à Balbo Lucilio,inſtructus autem maximè à Gallo Aquilio,qui fuit Cercinæ.Itaque libri cõplures eius extant Cercinæ confecti.Hic cũ in legatione periſſet,ſtatuam ei pop. Rom. pro Roſtris poſuit,hodiéque extat pro Roſtris Augu. huius volumina complura extant.reliquit autẽ propè centum & octoginta libros.Cic.autẽ in Brut.eũ ſcribit eloquẽtiæ tantũ aſſumpſiſſe,vt ius ciuile facilè tueri poſſet.Nec facilè, inquit,quem dixerim plus ſtudij quam illum & ad dicendũ, & ad omnes bonarũ artiũ diſciplinas adhibuiſſe. Item, Atque haud ſcio an par principibus eſſe potuiſſet,ſed fortaſſe maluit id quod eſt deptus,longè omniũ non eiuſdẽ modò ætatis, ſed eorum etiã qui fuiſſent,in iure ciuili eſſe princeps. Sic enim exiſtimo,iuris ciuilis magnũ vſum & apud Scæuolã & apud multos fuiſſe,artem in hoc vno quod nũquã effeciſſet ipſius iuris ſciẽtia,niſi eam præterea didiciſſet artẽ, quæ doceret rem vniuerſam tribuere in partes,latentẽ explicare definiendo,obſcurã explanare interpretando,ambiguã primum videre,deinde diſtinguere,poſtremò habere regulam,qua vera & falſa iudicarentur,& quæ quibus propoſitis eſſent.quæque non eſſent conſequẽtia.Hic enim attulit hanc artem, artium omniũ maximã,quaſi lucem ad ea quæ confuſè ab aliis aut reſpondebãtur,aut agebãtur. Dialecticam mihi videris dicere,inquit. Rectè, inquam, intelligis, ſed adiunxit etiã & literarũ ſcientiã, & loquẽdi elegãtiam,quæ ex ſcriptis eius,quorũ ſimilia nulla ſunt, facillimè perſpici poteſt.Cúmque dicẽdi cauſſa duobus peritiſſimis operã dediſſet, L.Lucilio Balbo, C.Aquilio Gallo,Galli hominis acuti & exercitati promptam & paratã in agẽdo & in reſpõdendo celeritatẽ ſubtilitate diligentiáque ſuperauit. Balbi docti & eruditi hominis in vtraque inconſideratam tarditatem vicit expediendis conficiendíſque rebus.ſic & habet quod vterque eorum habuit, & expleuit quod vtrique defuit.Hæc Cic.Idem præterea in Muræniana oſtendit, Sulpitium Quæſturam Præturámque geſſiſſe:quæſtionémque peculatus ei in Prætura obtigiſſe. Aſconius autẽ in argumẽto Milonianæ ſcribit eum anno dcci. v.Cal.Martias,mẽſe intercalario Interregem factũ,vt Cn.Pompeium ſolum cõſulẽ crearet:anno verò inſequẽti ipſe cum M.Marcello Conſul(vt diximus)factus eſt.Cúmque oppreſſa à Iulio Cæſare ciuitate Athenas ſe cõtuliſſet,tandémque ab illo reſtitutus, Græciæque præfectus fuiſſet,Romã reuerſus eſt, legatúſque à Senatu ad M.Antoniũ Triumuirum,qui Mutinæ D.Brutum obſidebat,miſſus: vt eum à perditis cõſiliis ad ſanitatem pacémque reuocaret.Qua in legatione interiit,vt ex eius legatione apud Ciceronem intelligitur, quæ Philippica ix.legitur.Meminit ibidem libr.Epiſt. fam.7.ad Attic.5.Gellius lib.2.c.10.& lib.6.c.8.

P. Alfenvs Varus Iuriſconſultus,Conſul fuit cum P. Vinutio,anno dccliiii. vt Pomponius ſignificat, qui Seruij Sulpitij diſcipulum hũc fuiſſe adſcribit,plurimúmque ex ipſius auditoribus auctoritatis habuiſſe. Gellius quoque lib.6.c.5.eiuſdem diſcipulum appellat, eiúſque librum Digeſtorum 34. & Collectaneorum ſecundum citat.Et eodem pertinet.l.cum ſcriptum.6. D.de dot.releg.Horatius Sermonum.j.

—Vt Alfenus Vafer omni
Abiecto inſtrumento artis,clauſáque taberna Sutor erat.

Vbi Acron:Vrbane,inquit,Alfenum Vafrum Cremonenſem deridet,qui abiecta ſutrina,quam in municipio ſuo exercuerat, Romam venit:magiſtróque vſus Sulpitio iuriſconſulto,ad tantam peruenit ſcientiam, vt & cõſulatum gereret, & publico funere afferretur. Aliter.Alfenus ſutoris filius,qui ita iuris ſtudio intendit,vt beneficio artis huius latum clauum ſumeret,& ad conſularem conſurgeret dignitatem.ſunt qui dicãt hunc Cremonenſem fuiſſe.Vafer autem,aſtutus, cordatus.Antiqui etiam pro bono hoc dicebant.Alfenum item alterũ ab hoc Lampridius inter Alexandri Imp. conſiliarios numerat,Vlpiani,Pauli,Pomponij,aliorũ multorum æqualem.

A. Ofilivs Iuriſconſultus Ser.Sulpitij auditor numeratur à Pompon.qui eundem in equeſtri ordine permanſiſſet tradit:Cæſarique familiariſſimũ fuiſſe,& libros de iure ciuili plurimos,& qui omnẽ partem operis fundarent,reliquiſſe.primúmque de legibus Viceſimæ conſcripſiſſe,item de iuriſdictione, eundem edi-

ctum prætoris diligenter compoſuiſſe. Huius Ofilij vxor ea fuiſſe videtur Clodia, quam Plin. lib. 7. cap. 48. centū & xv. annos vixiſſe, quindecies autē enixam eſſe tradit. Meminit Cic. lib. Epiſt. fam. 7. & 16. Ad Att. 13.

T. Cæcivs Iuriſconſultus Seruij Sulpitij auditor numeratur à Pompon. Apud Cicer. Marcum & Sextum Cæſium reperio. ſed nihil ad noſtrum.

Avfidivs Tucca Iuriſconſultus Seruij Sulpitij auditor numeratur à Pompon. Cic. T. Aufidij in Bruto meminit, qui vixit ad ſummam ſenectutē, erátque & bonus vir & innocens. ſed dicebat parum. Fuit & T. Aufidius Aſiæ prætor, in Orat. pro Flacco.

Avfidivs Namuſa Iuriſc. Ser. Sulpitij auditor numeratur à Pomponio, traditúrque condiſcipulorum ſuorum ſcripta in centum quadraginta libros digeſſiſſe.

Flavivs Priſcus Iuriſconſultus Seruij Sulpitij auditor numeratur à Pomponio.

C. Ateivs Pacuuius Iuriſconſultus Seruij Sulpitij auditor à Pomponio numeratur.

Labeo Antiſtius Cinna Iuriſconſulti Ser. Sulpitij auditor à Pōpon. numeratur. Tribunus plebis fuit, Sylla & Pōpeio Coſſ. De quo Cicer. in Bruto, Rabula, inquit, ſanè probabilis: qui multos cū tacuiſſet annos, neque contemni ſolū, ſed irrideri etiā ſolitus eſſet, in Tribunatu primùm contra C. Iulij illā Conſulatus petitionem extraordinariā verā cauſſam agens eſt probatus. Itaque poſt Tribunatū primò multæ ad eū cauſſæ, deinde omnes, maximæ quæcūque erāt, deferebātur. Hæc Cicero. Plutarchus autē & Oroſius, Appianus itē & Velleius tradūt hūc cùm Pōpeij ſocer eſſet, vt Syllanum à Marianis interfectū fuiſſe. Appianus autē. li. bel. ciuil. quarti extremo factū eius memorabile prodit, quod ſubiiciā: Λαβεὼν δὲ ἐπὶ σοφίᾳ γνώριμος, ὁ πατὴρ Λαβεῶνος τοῦ κατ' ἐμπειρίαν νόμων ἔτι νῦν περιωνύμου, βόθρον ἐν τῇ σκηνῇ τὸ μέγεθος αὐταρκῆ σώματι ὀρυξάμενος, καὶ τὰ λοιπὰ τοῖς θεράπουσιν ἐντειλάμενος ἐπέσκηψε τῇ γυναικὶ, καὶ τοῖς παισὶ περὶ ὧν ἐβούλετο, καὶ τὰ γράμματα φέρειν ἔδωκε ταῖς οἰκέταις. τοῦ δὲ πιστοτάτου τῆς δεξιᾶς λαβόμενος, καὶ περιστρέψας αὐτὸν ὡς ἔθος ἐστὶ ῥωμαίοις ἐλευθεροῦν, ἐπιστρεφομένῳ ξίφος ἔδωκε, καὶ τὴν σφαγὴν ὑπέσχε. καὶ τῷδε μὲν ἡ σκηνὴ τάφος ἐγένετο.

Pvblicivs Gell. Iuriſcon. Ser. Sulpitij auditor à Pompon. numeratur in lib. Florent. corrupte duarū nāque familiarū hæc nomina ſunt. In vulgatis lib. Publ. Cæcilius. Legendū opinor, Publicola Gellius, pro Pomp. & ipſius ætatis conſuetudine. vt ſit L. Gell. Publicola, de quo Cic. in Bruto, Non tam vendibilis orator, quàm vt neſcires quid ei deeſſet. nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitādū, nec Romanarū rerū immemor, & verbis ſolutus ſatis, ſed in magnos oratores inciderat eius ętas. multā tamē operā amicis & vtilē prębuit: atque ita diu vixit, vt multarum ætatum oratoribus implicaretur, multum etiā in cauſis verſaretur. Hunc Valer. Max. lib. 5. c. 9. omnibus honoribus ad Cenſuram vſque functum fuiſſe tradit.

C. Trebativs Iuriſconſultus, eques R. Ciceronis familiariſſimus, ad quem extant ſcripta ab eodem Topica, & epiſtolæ complures, omnes propè feſtiuè & iucundæ. Hunc Pomponius Cornelij Maximi auditorem fuiſſe tradit, compluréſque reliquiſſe libros, ſed qui parum frequententur. Eiuſdem autē tantam apud Auguſtum auctoritatē fuiſſe Iuſtin. ſub tit. de codicillis, tradit, vt eius ſuaſu atque conſilio codicillorū vſum receperit. Extat etiam Horatij Satyra lib. Sermonum. II. ad Trebatium Iuriſconſultum, quem, niſi Porphyrionis me moueret auctoritas, vix hunc eundem fuiſſe putarem: cum etiam Acron eum iuriſperitum quendam nominet. Porphyrio vero ſcribit eum locum obtinuiſſe inter Poetas, & aliquot libros de iure ciuili compoſuiſſe, & de religione nouem. Citantur autem de religione libri eius à Macrob. lib. 3. c. 4.

A. Cascelivs Iuriſcōſultus, Quæſtorius fuit: nec vltra, inquit Pōponius, proficere voluit, cū illi etiam Auguſtus Conſulatū offerret. Quod autē apud eundē ſic legitur, Fuit Aulus Caſcelius Quintus Mutius Voluſij auditor, denique in illius honorē teſtamento Publium Mutiū nepotē eius reliquit hæredē: corruptū videtur. Primū enim qvinti Mutij in ſecūdo caſu poſtulat, quod ſtatim de P. Mutio eius nepote infert. At verò Voluſius nō cognomē, ſed nomē familiæ fuit. Plin. autē Volcatiū nominat huiuſce præceptorem lib. 8. c. 40. Remediū igitur aut ab antiquo libro, aut ab eruditiore aliquo expectemus. nunc illud quod Macrobius refert lib. 2. c. 16. adiiciemus: Caſcelius Iuriſconſultus vrbanitatis. Quod autē de Furio & Caſcelio prædiatoribus Cice. pro Balbo, & Valerius Max. li. 8. c. 13. cōmemorāt, quos Qu. Scæuolæ æquales faciūt, nihil ad hūc noſtrū pertinere conſtat. Huius autem noſtri ſcripta præter vnum librū Benedictorum, Pomponius ſuo tempore non extitiſſe affirmat. Benedicta autem facetas & acutas reſponſiones, quales ſuperius protulimus, interpretamur.

Q. Ælivs Tubero Iuriſc. patritius, vt ait Pomp. fuit, & à cauſſis agendis ad ius ciuile tranſiit. maximè poſtquā Q. Ligarium accuſauit, nec obtinuit apud Caium Cæſarem. Is eſt Q. Ligarius, qui cum Africæ oram teneret, infirmum Tuberonem applicare nō permiſit, nec aquam haurire: quo nomine eum accuſauit, & Cic. defendit. Tuberonem autem cum dicit, patrē intelligit. Nam vt ex huius Oratore intelligitur, Q. Ligarius à C. Conſidio pro conſule prouinciæ præfectus fuerat. Cum autem Actius Varus in eam, pulſus à C. Cæſare, veniſſet, Qu. Tuberonem huiuſce patrem, cui ea prouincia obuenerat portu prohibuit. De filio igitur illa Pomp. quibus hæc addit, Tubero doctiſſimus quidem habitus eſt iuris publici & priuati, & cōplures vtriuſque operis libros reliquit. ſermone etiā antiquo vſus affectauit ſcribere, & ideo parum libri eius grati habentur. Meminit Cæſar lib. De bello ciuili. j.

Fvfidivs. Iuriſcōſultus de quo fit mētio. l. Fufidius. D. de bon. auct. iud. poſſ. & apud Africanū. l. 5. de auro & arg. leg. videtur ille eſſe L. Fufidius quem M. Tullius in Bruto, in aliquo patronorum numero fuiſſe ſcribit: ad quem etiam M. Scaurus tres libros de vita ſua ſcripſit, vt & Plin. teſtatur lib. 33. c. j. cuius & memoriam videtur primus renouaſſe Cuiac. obſ. lib. j. c. 9.

Cartilivs Iuriſconſultus etiam fuit, cuius fit mentio. l. 5. D. commod. & l. Cornel. de hæred. inſtit. & eius meminit Ant. Auguſt. lib. 3. Emend. c. 6.

Ateivs Capito Iuriſc. quem Pompon. & Tacitus Conſulem fuiſſe produnt, vt valde mirer, Caſſiodorum, & Dionem ſcriptum habere anno dcclIIII. C. Fonteium cum Germanico Cæſare. Hunc Tacitus principem in ciuitate locum ſtudiis ciuilibus aſſecutum tradit libr. 3. extremo, principíque ac dominantibus obſequentiorem fuiſſe. Pomponius autem Ofilio præceptori operam dediſſe, inque iis quæ ab eo acceperat perſeueraſſe. In eundem M. Pomponij Grāmatici memorabile dictum celebratur ab auctore libelli de Grammaticis illuſtribus. Nam cum Pomponium ex oratione reprehendiſſet, affirmante Ateio Capitone, & eſſe illud Latinum, & ſi non eſſet, futurum certè iam inde: Mentitur, inquit, Capito. Tu enim Cæſar ciuitatem dare potes hominibus, verba non potes. Meminit Gellius lib. 13. c. 12. lib. 4. c. 14. lib. 10. c. 20. Macrob. lib. Satur. 7. c. 13.

Antistivs Labeo Iuriſc. ſuperioris filius, à Pōp. Trebatij diſcipulus fuiſſe traditur, conſulatúmque ſibi ab Auguſto delatum recuſaſſe: ſed plurimam ſtudiis operam dediſſe, totúmque annum ita diuiſiſſe, vt Romæ ſex menſibus cum ſtudioſis eſſet, ſex menſibus ſecederet,

deret, & conſcribendis libris operam daret. itaque quadraginta volumina reliquiſſe, ex quibus plurima inter manus ſuo tempore verſabantur. Eundem præterea ingenij qualitate, & fiducia doctrinæ, qui & cæteris operis ſapientiæ operam dederat, plurima innouare inſtituiſſe. Hunc Tacitus lib.3. extremo iuris ciuilis ſcientia Capitonem Ateium antecelluiſſe ſcribit, & incorrupta libertate, atque idcirco fama celebratiorem fuiſſe, Præturámque eum geſſiſſe tantum: aditum enim ad Conſulatum iniuria illi præcluſum fuiſſe. Lubet etiam locum Gellij ex lib.13.cap.12. de hoc noſtro ſubſcribere. In quadam epiſtola Ateij Capitonis ſcriptum legimus, Labeonem Antiſtium, legum atq; morum populi Ro. iuriſque ciuilis doctum apprime fuiſſe. Sed agitabat, inquit, hominem libertas quædam nimia atque vecors: vſque eò, vt D. Auguſto iam principe, & Remp. obtinente, ratum tamen penſúmque haberet, niſi quod iuſtum ſanctúmque eſſe in Rom. Antiquitatibus legiſſet. Ac deinde narrat, quid idem Labeo per viatorem à Trib. plebis vocatus reſponderit: Cum à muliere, inquit, quadam Tribuni plebis aduerſum eum aditi, Gellianum ad eum miſiſſent, vt veniret, & mulieri reſponderet: iuſſit eum qui miſſus erat, redire, & Tribunis dicere, ius eos non habere, neque ſe, neq; alium quenquam vocandi: cum moribus maiorum Trib. pleb. prehenſionem haberent, vocationem non haberent. poſſe igitur eos venire, & prehendi ſe iubere, ſed vocandi abſentem ius non habere. Meminit idem lib.20.cap.1. De eodem Suetonius in Auguſto his verbis, Antiſtius Labeo, ſenatus lectione, cum Triumuirum legeret Marcum Lepidum hoſtem olim eius, & tunc exulantem, interrogatus ab eo, an non eſſent alij digniores, ſuum quenque iudicium habere reſpondit. Nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit.

Masvrivs Sabinus, Iuriſc. Ateio Capitoni ſucceſſiſſe traditur à Pomp. equeſtrémque in ordinem iam natu grandem ac prope quinquagenarium receptum fuiſſe, & publicè primum de iure reſpondendo ſcripſiſſe. poſt eum enim hoc beneficium à Tib. Cæſare cœpit. Huic, inquit idem, nec amplæ facultates fuerunt, ſed plurimum à ſuis auditoribus ſuſtentatus eſt. Citantur autem eius libri à Gellio & Macrobio multis locis.

Cocceivs Nerua Iuriſconſ. Antiſtio Labeoni ſucceſſiſſe traditur à Pomp. Cæſarique Tiberio familiariſſimus fuiſſe: quod idem Tacitus lib.5. confirmat. Cum enim lib.4. ſcripſiſſet, Cocceium Neruam ſenatorem Conſulatu functum, cui legum peritia, à Tiberio in Campaniam proficiſcente deductum eſſe. tum libr.5. Nerua, inquit, continuus principis, omnis diuini humaníque iuris ſciens, integro ſtatu, corpore inlæſo, moriendi conſilium cepit. Quod vt Tiberio cognitũ, adſidere, cauſſas requirere, addere preces, fateri poſtremò graue cõſcientiæ, graue famæ ſuæ, ſi proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret. aduerſatus ſermonem Nerua, abſtinentiam cibi coniunxit. ferebant gnari cogitationum eius quanto propius Reip. viſeret, ira & metu, dum integer, dum intentatus, honeſtum voluiſſe.

Cocceivs Nerua Iuriſc. ſuperioris filius, traditur ab Vlpiano anno ætatis XVII. aut paulo grandior publicè de iure reſponſitaſſe, l.1. D. de poſtul.

C. Cassivs Longinus, Iuriſconſultus, Maſurio Sabino ſucceſſiſſe traditur à Pomponio, natúſque ex filia Tuberonis quæ fuit neptis Ser. Sulpitij: & ideo proauũ ſuum Ser. Sulpitium appellaſſe, Conſulque fuiſſe cum Quartino temporibus Tiberij: ſed plurimum in ciuitate auctoritatis habuiſſe, eouſque donec eum Cæſar ciuitate pelleret. expulſus ab eo in Sardiniam, reuocatus à Veſpaſiano diem ſuum obiit. Hæc Pomponius. Tacitus autem lib.12. ſcribit hunc imperante Claudio Syriæ præfuiſſe, eáque tempeſtate cæteris præcelluiſſe peritia legum. nam militares artes per otium ignotæ, induſtrióſque ac ignauos pax in æquo tenet. attamen quantum ſine bello dabatur, reuocare priſcum morẽ, exercere legiones, cura prouiſum, agere perinde ac ſi hoſtis ingrueret. ita dignum maioribus ſuis, & familia Caſſia ratus, per illas quoque gentes celebrata. Et libr. 14. orationem eius commemorat in Senatu habitam, cùm quæreretur, an vetere ex more familiam omnem Pedanij Secundi præfecti vrbis, quæ ſub eodem tecto fuerat, cum ille à ſeruo vno interfectus fuiſſet, ad ſupplicium agi oporteret. qua oratione maiorũ morem retinendum imitandúmque diſſeruit. At lib.16. Neronem miſſa ad Senatum oratione remouendum à Republ. Caſſium diſſeruiſſe, obieciſſéque Caſſio, quòd inter imaginem maiorum etiam C. Caſſij effigiem coluiſſet, ita inſcriptam: Dvci partivm. quod idem Suetonius in Nerone ſcriptum reliquit, adiicitq; eundem Caſſium tunc luminibus orbatum fuiſſe, nec ita multo poſt, Idem Nero appoſuit qui quaſi indices lepidam Caſſij vxorẽ, Syllani amitam, inceſtum cum fratris filio, & diros ſacrorum ritus facere denunciarent: túmque Senatuſconſulto Caſſio exilia decernuntur, deportatúſque in inſulam Sardiniam.

Cassivs Longinus Iuriſconſ. alter à ſuperiore, numeratur à Pomp. qui ex equeſtri ordine ad Præturam peruenit.

Proculus Iuriſc. à Pomp. traditur Neruæ patri ſucceſſiſſe, tantáque auctoritate fuiſſe, vt cùm acceptam à Labeone & Nerua quaſi ſectam acerrime tueretur, qui in eam partem ſtudioſi ſe dabant, Proculeiani vocitati ſint. Quo tempore autem, quóque vitæ genere fuerit, non conſtat. Tacitus lib.18. ſub Othone Proculum Prætorij præfectum nominat. Vlp. autem in l. diui. D. de iure patron. non leuem iuris auctorem hunc appellat. Duos autem patrem ſcilicet & filium fuiſſe, confirmari ex l. & Proculo. 30. D. de legat. & fid. 2. non poteſt. nam de patre ſuo Celſus, non Proculi perſpicuè loquitur.

Cælivs Sabinus Iuriſc. Caſſio Longino in iuris diſciplina ſucceſſiſſe traditur à Pomponio, plurimúmque Veſpaſiani temporibus potuiſſe. Cornelius autem Tacitus lib.17. ab Othone deſtinatum ei bimeſtrem Conſulatum cum Flauio Sabino ſcribit: à Calendis Maij ad Cal. Iulias. Eiuſdem Gell. lib.7.c.4. meminit, quem ait ſcriptum reliquiſſe pileatos ſeruos venum ſolitos ire, quorum nomine venditor nihil præſtaret.

Pegasvs Iuriſc. Proculo in iuris ciuilis diſſenſione ſucceſſiſſe traditur à Pomp. præfectúſque vrbis Veſpaſiani tẽporibus fuiſſe. Creditur is eſſe Pegaſus quo Conſulatum cum Pruſione gerente s.c. factum eſt, quod vulgo Pegaſianum vocatur, vt ei qui rogatus eſſet hæreditatem reſtituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere cõceditur, vt Iuſtin. lib. Inſt.2. ſub titu. de fideicom. hær. teſtatur. De hoc illud eſt Iuuenalis Satyra 4.

Pegaſus attonitæ poſitus modò uillicus urbi
An ne aliud tunc præfecti? quorum optimus, atque
Interpres legum ſanctiſſimus.

Priscvs Iauolenus Iuriſc. Cælio Sabino in iuris ciuilis diſſenſione ſucceſſiſſe traditur à Pomp. vixit autem Adriani & Antonini Pij tẽporibus. Capitolinus enim in huius vita ſcribit Iauolenum in iure conſtituendo magno huic Imperatori vſui fuiſſe. Hunc Iulianus præceptorem ſuum fuiſſe ſcribit in l. an apud ſe. 5. de manumiſſ. vind. & in Africa & Syria cum imperio fuiſſe, iuriſdictionémque exercuiſſe teſtatur. Plin. autem ſecundus Epiſtolar. lib.6. hiſtoriam de eo commemorat, quam propter iucunditatẽ adſcribere eſt me-

lius: Mirificæ rei non interfuiſti, ne ego quidem, ſed me recens fabula excepit. Paſſienus Paulus, ſplendidus eques Romanus, & in primis eruditus, ſcripſit elegos: gentilitium hoc illi: eſt enim municeps Propertij, atq; etiam inter maiores ſuos Propertium numerat. Is cum recitaret, ita cœpit dicere, Priſce iubes? Ad hoc Iauolenus Priſcus. Ego verò non iubeo. Cogita qui riſus hominum, qui ioci, quod eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis. Intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atque etiam ius ciuile publicè reſpondet: quo magis, quod tunc fecit & ridiculum, & notabile fuit. Interim Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. Tam ſolicitè recitaturis prouidendum eſt, non ſolum vt ſint ipſi ſani, verumetiam vt ſanos adhibeant.

CELSI duo Iuriſc. pater & filius, à Pomp. memorantur, Pegaſianámque ſectam ſecuti traduntur. Spartianus autem in Adriano de altero ſcribit his verbis: Cum iudicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos, aut comites ſolum, ſed Iuriſconſultos, ac præcipuè Iulium Celſum, Sabinum, Iulianum, &c. Filium autem bis Conſulem fuiſſe Pomponius teſtatur. Eius autem reſponſum extat in l. pater. 29. D. de leg. 2. in quo patrem ſuum in conſilio Diui Veri Conſulis, qui de fideicommiſſo ius dicebat, fuiſſe teſtatur. Hunc Iuuentium Celſum fuiſſe lex proxima declarat.

PRISCVS Neratius Iuriſc. à Pomp. numeratur, traditúrque Pegaſianam ſectā cum Iulio Celſo filio tenuiſſe, & cum eo Conſulatum geſſiſſe. Spartianus autem in Adriano de eo ſic ſcribit: Frequens ſanè opinio fuit Traiano id animi fuiſſe, vt Neratium Priſcum non Adrianum ſucceſſorem relinqueret, multis amicis in hoc conſentientibus, vſque eò vt Priſco aliquando dixerit: Commendo tibi prouincias, ſi quid mihi fatale contigerit. Item aliquanto poſt: Cùm Adrianus iudicaret, in conſilio ſuo habuit non amicos ſuos, aut comites ſolùm, ſed Iuriſconſultos, & præcipuè Iulium Celſum, Neratium Priſcum, alióſque, quos tamen Senatus omnis probaſſet.

ABVRNIVS Valens Iuriſconſultus, nominatur à Pomponio, & Iauoleno Priſco in Iuris ciuilis diſciplina ſucceſſiſſe. Capitolinus autem in Antonino Pio Saluium Valentem inter eos Iuriſconſultos numerat, quibus Antoninum Pium vſum tradit: vt hunc noſtrum Saluium Valentem Aburnium appellatum fuiſſe veriſimile ſit. Aburnius enim non Aburnus in Florentinis libris ſcriptum reperio.

TVSCIANVS Iuriſconſultus nominatur à Pomponio, & Iauoleno Priſco in Iuris ciuilis diſciplina ſucceſſiſſe traditur. Eius tamē nuſquam mentionem reperio, vereórque ne pro T. Metiano ſcriptum ſit Tuſciano. Nam T. Voluſium Metianum vnà cum Valente Capitolinus in Antonino coniungit: cui Valenti Tuſcianum Pomponius ſocium attribuit.

SALVIVS Iulianus Iuriſc. nominatur à Pomp. traditúrque Pegaſianorum ſectam ſecutus fuiſſe. Hunc Didij Iuliani, qui poſt Pertinacem Imperium R. adeptus eſt, proauum fuiſſe Spartianus ſcribit: quem aſcribit bis Conſulem, præfectum Vrbi, & Iuriſconſultum fuiſſe: quod magis, inquit, eum nobilē fecit. In Adriano verò idem ſcribit, Iulianum hūc ſemper ab eodem Imperatore in conſilio adhibitum fuiſſe cum res iudicaret. Eutropius autem lib. 9. hunc ipſum ſub eodem Imperatore Adriano perpetuum edictum compóſuiſſe ſcribit, quod ipſum Iuſt. confirmauit in l. 2. C. de vet. iur. enu. vbi Iulianum legum & edicti perpetui ſubtiliſſimum conditorem appellat. Itémque in l. penult. C. de cond. indeb. vbi Saluium Iulianum ſublimiſſimū teſtem ſummæque auctoritatis hominem, & Prætoriani edicti ordinatorem fuiſſe ſcribit, & in l. antequā. C. de vſufru. ſummum Iuris ſcientiæ auctorem nominat. Ipſe autem in l. an apud ſe. 5. D. de manumiſ. vindi. teſtatur ſe Iauoleni auditorem ac diſcipulum fuiſſe. Hactenus Pomp.

VOLVSIVS Metianus Iuriſconſultus in Pādectarum libris celebratur, intérque iuris auctores præcipuos numeratur. Eo conſiliario Antoninum Pium, magiſtro Antoninum Philoſophum vſos eſſe, Iulius Capitolinus tradit. Metianum item alterum, huius fortaſſe filium Lampridius Alexandri Imper. in conſilio cum Africano, Florentino, Pomponio, Paulo cōmemorat.

MARTIANVM Iuriſconſultum Lampridius inter Alexandri Imp. conſiliarios numerat, & Vlpiani, Pauli, Pomponiíque, aliorúmque cōplurium æqualem facit.

L. CERVIDIVS Scæuola Iuriſconſultus, M. Antonini Philoſophi conſiliarius fuiſſe traditur à Iulio Capitolino; maximóque vſui ſuo Imperatori fuiſſe. Hunc inter principes & coryphæos Iuriſconſultorum numerat Modeſtinus in lib. de excuſation. Quin & Theodoſius Imp. libr. Theodoſiani Codicis 4. ſub titulo, de teſta. l. 3. prudentiſſimum Iuriſconſultorum appellat.

ÆMILIVS Papinianus Iuriſconſultus præfectus Prætorio, Septimio Seuero imperante fuiſſe traditur à Spartiano in Ant. Caracalla, qui eum iuris aſylum, & doctrinæ legalis theſaurum appellat. Item aliquanto poſt, Papinianum amiciſſimum fuiſſe Imperatoris Seuero, & vt aliqui loquūtur, affinē etiam per ſecundam vxorem, memoriæ traditur: & huic præcipuè vtrumq; filium à Seuero commendatum, eúmque cum Seuero profeſſum ſub Scæuola, & Seuero in aduocatione fiſci ſucceſſiſſe, atque ad hoc concordiam fratrum Antoninorum Baſſiani & Getæ fouiſſe: egiſſe quinetiam ne occideretur, cum iam de inſidiis eius Baſſianus quereretur: atque ideò vnà cum his qui fautores fuerunt Getæ, à militibus, non ſolùm permittente, ſed etiam ſuadente Caracalla, occiſum. Multi dicunt, Baſſianum, occiſo fratre, illi mandaſſe, vt & in ſenatu per ſe & apud populum, facinus dilueret: illum autem reſpondiſſe, Non tam facilè parricidium excuſari poſſe, quàm fieri. Fertur etiam Papinianum, cum raptus à militibus ad Palatium traheretur occidendus, prædiuinaſſe dicentem, ſtultiſſimum fore, qui in ſuum ſubrogaretur locum, niſi appetitam crudeliter præfecturam vindicaret. Eius diſcipulos Lampridius in Alexandro numerat, Pomponium, Alfenum, Africanum, Florētinum, Marcianum, Calliſtratum, Hermogenem, Venuleium, Tryphonium, Medianum, Celſum, Proculum, Modeſtinum. Aſſeſſores autem eiuſdem Paulum & Vlpianum. Tryphoninus in l. reſcriptum, 12. D. de diſtr. pign. de eo ita ſcribit, Reſcriptum eſt ab imperatore, libellos agente Papiniano: id eſt, cum libellorum magiſter eſſet. Eundem Spartianus ab Antonino Caracalla qui fratrem interfecerat, quòd ab illo factum hoc improbaretur, necari iuſſum ſcribit. Papinianus, inquit, ſecuri percuſſus eſt, & à militibus occiſus. quo facto Imperator percuſſori dixit: Gladio te exequi oportuit meum iuſſum. Eius hoc Epitaphium in lib. Antiquorum Epigrammatum reperi, D. M. Æmylio Paulo Papiniano præfect. prætor. Iuriſconſ. qui vixit annis XXXVI. diebus X. M. IIII. Papinianus Hoſtilius Eugenia Gracilis turbato ordine in ſenio heu parentes fecerunt filio opt.

FABRI Sabini Iuriſconſulti pater & filius memorantur. Filius à Lampridio Cato ſui temporis appellatur, & inter Alexādri Seueri conſiliarios cum Vlpiano, Paulo, aliiſque compluribus numeratur.

DOMITIVS Vlpianus Iuriſconſultus, Phœnice Syriæ vrbe natus, quemadmodum ipſe in l. 1. D. de cenſib. teſtatur, cōſiliarius Alexandri Seueri, & magiſter ſcrinij, Papinianíque præfecti Prætorio aſſeſſor cum Paulo

fuiſſe

fuiſſe traditur à Lampridio, magnóq; in honore apud ſuum Imperatorem, & primum doctiſſimorum Iuriſperitorum,& principi fidelium fuiſſe. neque vnquam Alexandrum ſolum niſi Vlpianum præfectum ſuũ vidiſſe,ex aſſeſſore ſemper ſuo,cauſſa iuſtitiæ ſingularis. cum autem alterum adhibuit, & Vlpianum rogari iuſſiſſe. Et aliquanto poſt:Vlpianum, inquit, Alexander pro tutore habuit,primum repugnante matre, deinde gratias agente,quem ſæpe à militum ira obiectu purpuræ ſummè defendit:atque ideo ſummus Imperator fuit,quòd eius conſiliis præcipuè Rempub.rexit. Itaq; idem Imperator in l.4.C.loc.præfectum prætorio & parentem ſuum appellat.& in l.4.C.de contrah.ſtip. reſcriptum ſuum ſic exorditur, Secundum reſponſum Domitij Vlpiani præfecti annonæ, Iuriſcõſulti, amici mei,ea quæ ſtipulata eſt, &c.Xiphilinus è Dione ſcribit, ei ab Alexandro Imp.præfecturam Prætorianorũ datam, cæteraque quæ ad Imperij adminiſtrationem pertinent,ei permiſiſſe. Cùm autẽ Vlp.multa quæ non rectè à Sardanapalo facta erant emẽdaſſet,ipſum non multo poſt à Prætorianis,qui de nocte eum inuaſerũt, interfectum eſſe: quanquam in Palatium ad Imperatorem eiúſq; matrem confugiſſet.Hunc eundem Modeſtinus in lib.de excuſationibus,præſtantiſſimum, & cum Paulo ac Scæuola Iuriſconſultorum coryphæum ac principem appellat. Diocletianus autem in l.Diuo Marco.C.de quæſt.prudentiſſimum. Iuſtin.in l.vlt.C. de inſt.& ſubſt.diſertiſſimum: in l.vni.§.ne autem.C. de cad.toll.ſummi ingenij virum.

Ivlivs Paulus Iuriſconſultus, conſiliarius Alexandri Seueri, & Papiniani præfecti prætorio aſſeſſor vna cum Vlpiano fuiſſe traditur à Lampridio: qui eundem præfectum vel ab Heliogabalo,vel ab eodem Alexandro fuiſſe adſcribit. Etiam de aſſeſſione ſua mentionem facit in l.lecta.D.de reb.cred.Libros in iure ciuili tam multos ſcripſit, vt facile in eo genere ſuperiores omnes vicerit.

Herennivs Modeſtinus, Vlpiani fuiſſe diſcipulus videtur.Hic enim ſic ſcribit in l.ſi quis.52.D.de furt. Si quis aſinum meum coëgiſſet,furti non tenetur, niſi furandi animum habuit. quod & Herennio Modeſtino ſtudioſo meo de Dalmatia conſulenti reſcripſi, &c. Gordiano Imperatore floruit, vt conſtat ex l.5.C.ad exhib. vbi Imperator eum non contemnendæ auctoritatis Iuriſconſultum vocat. Arcadius Chariſius in l. vlt. D.de muner.& hono.ſcribit eum & notando & diſputando bene & optima ratione quædã decreuiſſe.

ATQVE HACTENVS QVIDEM
de ueteribus Iuriſconſultis.

Ivrisdictio,nomen generis ac ſpeciei eſt,ſicut adoptio,l.j.D.de adopt. Generaliter accipitur pro omni natione quæ magiſtratus iure competit, vel cognitione,pronuntiatione,decreto in quacunque cauſa, ſiue ea ſit ciuilis,ſiue criminalis: quo ſenſu non diſtinguitur ab imperio: quinimo imperio vtens magiſtratus, iuriſdictionem exercere dicitur,l.j D.de offi.eius.Nec item à cognitione. nam cognoſcens etiam Prætor dicitur ius dicere, aut iuriſdictionẽ exercere. Pomp.l.2. de orig.iur.Decem,inquit,& octo Prætores in ciuitate ius dicunt.Sic Vlp.l.j.de extraord.cogn. Sed & Suetonius in Claudio, cognitionem extraordinariam de fideicommiſſis,iuriſdictionem vocat, cum tamen Prætor fideicommiſſarius iudices non daret. Quoties igitur quis auctoritate publica aliquid ſtatuit, quod ad ius & iuſtitiam pertineat,ius dicit.Nec refert, iuſtè an ſecus:quandoquidem hæc conſuetudo loquendi ad id refertur,quod magiſtratum facere conuenit,l.pen. D. de iuſt.& iur. Hinc actus legitimi manumiſſio, emancipatio,adoptio ad iuriſdictionem pertinere dicuntur, l. 2.D.de offi.proc.& leg.Altera ſignificatio huius vocabuli ſpecialis eſt, ſecũdum quam iuriſdictio diſtinguitur ab imperio,l.imperium.l.iubere. D.de iuriſd.nam poteſtas animaduertendi in facinoroſos homines,imperium dicitur, non iuriſdictio, l.imperium. Ex quo apparet, iuriſdictionem tantum in cauſſis priuatis & pecuniariis verſari.

Iuriſdictio itaque ſolorum magiſtratuum eſt, non iudicum datorum.l.5.l.57. D.de re iud.& alibi. Iuriſdictionem,Vlp.l.3.in fin. D.de iuriſdi.omn.iud. in bonorum poſſeſſione danda conſiſtere ſcribit: quod ſequitur C. Harmenopulus lib.j.tit.4. τὸ γ̃, ait, *Δίδοναι διακατοχὴν δικαιοδοσίας ἐστίν.*

Iuriſdictio,pro Iuris ratio,æquitas,recta ſententiæ ferendæ ratio. Vlpianus l.20. D.famil.erciſc. Nam imperitia,inquit, cohæredum iuriſdictionis formam mutare non potuit. Alias Iuriſdictionis forma, pro iudiciorum ordine, apud Imp. l.j.vbi in rem actio.ex. Nec enim iuriſdictionis forma in eadem prouincia conſtitutis, tam petitore, quam poſſeſſore, ob auctoris perſonam,quem in alia prouincia dicis conſiſtere, debet commutari.

Iuriſdictio, pro iudiciali cognitione, ſed quam exercet magiſtratus. Scæuola l.88. D.de ſolut. Claudius,ſubeſt enim illa ex iuriſdictione pendens quæſtio, an pretia rerum quæ ſciebant eſſe pupillæ, bona fide matri ſoluerint. Sumitur & pro ſimplici notione,l.5. D. de re iud.l.8.§.ſed nec.D.de tranſact.

Iuriſdictio, pro vniuerſo Prætoris officio & munere. Gellius: Verba Prætoris ex edicto perpetuo adſcripſi, Sacerdotem Veſtalem, & Flaminem Dialem in omni mea iuriſdictione iurare non cogam. Hæc lib. 10.cap.15.

Iuriſdictio libera,quæ maiori poteſtate impediri non poteſt quin exerceatur, Budæo.

Iuriſdictio reſtitui, vel abrogari vnde dicatur, docet Alciatus lib.3.Parerg.cap.3.

Iuriſdictio quædam eſt contentioſa, quædam voluntaria. hæc inter volentes locum habet, eáque explicantur emancipationes,adoptiones, manumiſſiones. Illa vel in nolentes imperij vi exercetur. Vide l.2. D.de officio Procon.& ibi doctores.

Iuriſdictionem Accurſius definit l.j. D.de iuriſd.omn.iud. poteſtatem de publico introductam, cum neceſſitate iuris dicendi,& æquitatis ſtatuendæ.Quæ definitio ſatis eſt bona,ſi quis eam rectè intelligat.Diuiditur autẽ Iuriſdictio à Zaſio in tres ſpecies:imperiũ merũ, mixtum,& ſimplicem iuriſdictionem,quæ eſt iuris dicendi poteſtas,ad vtilitatem priuatam,officio ſuo actioni deſeruiens.Hanc in ſex gradus ſecat Bart. quos Zaſius doctè cõtrahit in tres,in l.cui iuriſdictio data ſit. eo.ti.

Iuriſdictio Anomala, quæ & Extraordinaria dici poteſt, quæ conſuetudine, non iure ſubſiſtit: cuiuſmodi eſt iudicum curiarũ dominicalium, qui circa Feuda tantùm, Emphyteuſes, & pacta curialia cognoſcunt.

Ivrisprvdentia eſt diuinarum & humanarũ rerum notitia:iuſti atque iniuſti ſcientia.vel: Eſt ars boni & æqui. A partibus ſumpta definitio. Inſtit.de iuſt. & iur.in princ.l.10.D.eo.

Ivrisivrandi religio expediendarum litium maximũ remediũ in vſum venit, qua vel ex pactione ipſorum litigatorum,vel ex auctoritate iudicis, deciduntur controuerſiæ,vt dicit Gaius in l.j. D.de iureiu. Et profecto his verbis magnam vtilitatem iuramentorũ explicat.Nam ad dirimendas lites,quarum alioquin nullus inueniri poſſet finis,deſeruiũt.Et ſanè prodeſt Reipublicæ, ſi controuerſiæ hominũ celeriter expediantur,ad retinendã ſalutarẽ concordiã. Quamobrem nõ ſolum vtilis, verumetiam neceſſarius eſt iuriſiurandi

vſus,

vſus,velut vltimum inter mortales præſidium tuendæ veritatis,quoties omnia probationũ genera deficiunt. Credendũ enim eſt, homines, qui aliquid frontis habent,diuini numinis teſtimoniũ nõ falsò inuocaturos.

Iuſiurandum autem,& iuramentum dicitur à iuro: quod propriè ſignificat, promitto me,adhibitis etiam teſtibus,ita ſeruaturum,ac ſi ius eſſet. Iam cum nullum ſit præſentius:teſtimonium, quàm diuini numinis, fit,vt tum iurare dicamur,cum Deum inuocamus teſtem.

Iuſiurandum eſt, vt definit Ariſtoteles, *μετὰ θέας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος*. vt Clemens Alexandrinus, *ὁμολογία καθοριστικὴ μετὰ προσπαραλήψεως θέας*. Vel vt Cicero lib.3.Offic.adfirmatio religioſa,quoties quid quaſi Deo teſte adſeritur. Vnde & ſacramentum dici ſolet, quaſi ſacræ rei arctiſſimum vinculum,quod nullo modo ſit ludendum, teſte Cicerone ibidem, ſic dicente, Nullum etiam vinculum ad adſtringendam fidem iureiurando maiores arctius eſſe voluerunt: id indicant leges in XII.Tab.indicant ſacra,indicant fœdera,quibus etiam cum hoſte deuincitur fides:indicant notationes,animaduerſionéſq; Cenſorum, qui nulla de re diligentiùs,quàm de iureiurando iudicabant. Ideóque etiam tanta erat apud priſcos iuriſiurandi religio, vt ſi quis quem re aut verbo læſiſſet,interpoſitione iuriſiurandi,quo eum qui læſus erat adiurabat indignum ea iniuria eſſe,& ei nolle factam, ſatisfaciebat atq; purgabat. Plaut. Amphitruone:

> *Aut ſatisfaciat mihi,atque adiuret inſuper*
> *Nolle eſſe dicta,quæ in me inſontem protulit.*

Itáq; apud Terentiũ in Adelph. *Ego veſtra hæc noui,nollẽ factum: Iuſiurandum dabitur,eſſe te indignum iniuria hac.*

Iuriſiurandi autem per Iouem, quod maximum erat, talis apud Romanos olim adhibebatur ſolennitas: Lapidẽ ſilicem tenebat iurans, ſic dicens: Si ſciens fallo: me Dieſpiter(ſalua vrbe arcéq;)bonis eiiciat,vt ego hunc lapidem. Hoc autem ſeculo,ſicut iuramenta temerè in cauſſis obularibus,ac nullius momenti deferuntur: ita penè non habetur vlla ſolennitatis ratio, quæ vtique malorum hominum læſam conſcientiam terrere poſſet à periuriis faciliter admittendis.

Iuriſiurandi vſus triplex eſt, ex quo tria iuramentorũ genera. Alias enim iuratur extra iudicium ad cõfirmandum contractus, & quæcunque negotia: videlicet, vt promiſſa ſeruentur: & hoc iuſiurandum dicitur Extraiudiciale,& Voluntarium,quia dependet planè ex arbitrio inuicem negotiantium, quatenus ſit dandum & concipiendum. De quo tamen non loquitur Paul.in l. iuſiurandum,quod ex conuentione.in prin. D.de iureiu.vt quidam falsò putant, ſed l.j.& Conſtit.Frideric. Imperatoris. Aliàs exiguntur iuramenta ad præparationem, vel etiam cognitionem iudiciorũ rectè exercendam, ne quid per fraudem eorũ qui in iudicio verſentur, incidat,quod euertat veritatem:vt ſunt ea quæ dantur,vel calumniæ,vel teſtimonij dicendi, vel cautionis,vel æſtimandę rei gratia,iuxta l.ſi tutor.D.de in lit.iur.item iuſiurandum iudicis vel aduocati, l.rem nõ nouam.C.de iud.& quæ ſunt his ſimilia. Hoc autẽ iuramẽtorum genus Iudiciale & Neceſſarium rectè poteſt appellari: quoniam non vt præcedens relinquitur prorſus priuatorum arbitrio,quatenus dandum ſit,vel non ſit,cum ex iure certam formã habeat,ac plerunq; neceſſariò ſuſcipiatur in iudiciis. Aliàs denique iuramentis vtimur deferente iudice: vel etiã litigatoribus ipſis conſentientibus in iurandi conditionem(ſemper tamen approbante iudice)ad explicandã ſemel totam litem. Vnde nũcupantur deciſoria, quòd finem imponunt controuerſiæ,vt actori decernatur,quod intẽdit, aut reo, quod excipit. Paul.eleganter dicit, eo modo propter rem iurari, in l.quoties. D.de iureiur. Propter rem autem(inquiens) iuſiurandum exigitur (veluti de pecunia credita) cũ iurat actor ſibi dari oportere, vel reus ſe dare non oportere. Idem eſt cum de pecunia conſtituta iuſiurãdum exigitur. Hæc Oldendorp. Hotomanus Iuſiurandum duplex tantum eſſe vult, Conuentionale ſcilicet & Iudiciale: illúdque ex pactione aduerſariorum ſiue extra iudicium, ſiue in iudicio interponi:hoc ex iudicis vſu & auctoritate, arg.l.j. D.de iureiur. Alij, & id melius, eius hæc tria genera conſtituunt,Iudiciale ſcilicet,quod à iudice defertur:Voluntarium,quod à parte defertur in iudicio vel extra iudicium,l.j.l.17.D.de iureiu.l.j. C.eo.tit. Neceſſariũ, quod pars cui delatum eſt refert delatori.

Iuſiurandum turpe,vel illicitum,non eſt ſeruandum. Nouel.ne à mulieribus quæ ſe proſti.§.j.Conſt.51. Euidentiſſimũ peccatũ eſt,id iuſiurãdum inferre, quod ſtatim atque præſtitum eſt,violandum ſit. Nouel. Vt ſine vllo impedimẽto.§.quia verò magna verſamur.Conſt.94.

Iuriſiurandi illiciti abſolutionem petere vanum eſt. Vlpianus:De hoc iureiurando, ait, remittendo, nec eſt neceſſe adire Prætorem. Semel enim in perpetuum à Prætore remiſſum eſt,nec per ſingulos remittendum.

Iuſiurandum calumniæ,vide Iuramentum calumniæ.

Iuſiurandum in litẽ eſt quòd à iudice defertur actori eius rei quæ in iudicium deducta eſt æſtimãdæ cauſa. Et defertur plerunque ob dolum vel contumaciam aduerſarij,ne in poteſtate eius ſit per fraudem ab inuito domino rem iuſto pretio comparare,l.2.& 7. D.de in lit. iur. Actori enim licet pretium facere iniuſtum: nec in omnibus iudiciis paſſim,ſed vt lex,prętórve aut Princeps permiſerit, l. videamus. §.iurare. D.eod. & l.in actionibus eod.

Iuſiurandum defert,qui aduerſario ſuo iurandi conditionem fert. Delatum verò iuſiurandum dari,præſtari,ſuſcipi,remitti,recuſari,referri dicitur. Iuſiurandum autem remittit,qui cum paratus eſſet aduerſarius iurare, gratiam ei facit,contentus voluntate ſuſcepti iuriſiurandi,l.6.D.de iureiur.l.j.C.eo. Refert, qui delatam ſibi iuriſiurandi conditionem in aduerſarium transfert.

Iuſiurandum in libris Feudiſticis aliud eſt ſimplex,ſiue ſolitarium,quod ſolus litigator ſiue dominus,ſiue vaſſallus præſtat: aliud coniunctum, ſiue commune, quod quidam ſacramentalitium diſtinguendi cauſſa nominant, propterea quòd cõiuratores certo numero vnà id præſtant, qui Sacramentales (vt ſuo loco dicemus) appellantur,lib.Feud.j.tit.4.§.2. & tit.26.& lib.2.tit.33. §.2. Rurſus aliud eſt liquidum,quod Feudalitij ſcriptores appellant,ſine mentione conſcientiæ: cum quis liquido factum, aut non factum iurat: de ſuo videlicet facto affirmans. Aliud fortaſſis Arbitrarium dici poteſt:quia per verbum antiquæ Romanorum formulæ, ARBITROR, concipitur: cum quis iurat ſe arbitrari non factum. quod iidem ſcriptores, Iuramento conſcientiam ſolam apponere, lib.Feud.2.tit.33.§.2.& tit. 58.§.6. Ex Hotomano.

IVRISIVRANDI FORMVLÆ.

Iuriſiurandi formulas varias concepit antiquitas. Ex animi ſententia. Cicero 2.Acade.& 3.Offic.& Leui. lib.22. & 23. Per Iouem lapidem, Feſtus lib.10. Cicero lib.7. Epiſt.ad Familia.& hoc explicat Polybius lib.3.hiſto. Formulam iuriſiurandi militaris doctiſſimè explicat A.Gell.Noct.Atti. lib.16.cap.4.quem perpendas. Sed hæc ad ius,quo vtimur,non pertinent: ſecũdum quod quî concipi debeat, ex iis, quos indicabimus, locis, diſces:quos notaſſe ſat erit.

IVDICIIS.

l.rem non nouam.in princ.C.de iudic.& Nouel.8.in fine. *Ὅρκος διδόμενος παρὰ τῶν τὰς ἀρχὰς λαμβανόντων.*

ADVOCAT

ADVOCATORVM.

d.l.rem non nouam. §.patroni.

TESTIVM.

c.præſentiam.ibi,veritate dicenda,de teſtib.in 6.

FIDELIS, SIVE FEVDATARII.

cap.j.de forma fidelit. in vſib.feud. Ego iuro ad hæc ſancta Dei Euangelia, quòd à modo in anteà erò fidelis ei, vt Vaſſallus Domino: nec id quod mihi ſub nomine fidelitatis commiſerit, pandam alij ad eius detrimentum me ſciente. & c.de forma.22.q.5. Vide Cuiac. ſuper his titu.tum & quæ diximus ex Hotoman.ſuper hac formula, in voce Homagium.

Sed audi, quid de improborum iuramento dicat ſenarius Græcorum:

Ἀνδρῶν δὲ φαυλῶν ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε.

Attamen audiat falsò iurans:

Θεὸν ἐπιορκῶν μὴ δόκει λελήθεναι.

IVSSVS, vel Iuſſum, in quibuſdam ab auctoritate diſtat. Iuſſus enim negotium præcedere debet. Auctoritas verò etiam perfecto negotio interponi poteſt, l.25.§.iuſſum. D.de acquiren.hæred. §.tutor.Inſtit. de auct.tuto. l.25.de legat.j.

Iuſſus ſolo nutu ſine verbo vel ſcriptura fieri poteſt, l.92. §.j.de acquir.hæred.

Iuſſus pro permiſſu & voluntate accipitur in l.ſi ſuſpecta. §.quoniam.de inoffic.teſta.& Inſtit.de nupt.in princ.

Iuſſum in rubr. quod iuſſu, accipiendum eſt, ſiue teſtato quis, ſiue per epiſtolam, ſiue verbis, aut per nuntium, ſiue ſpecialiter in vno contractu iuſſerit, ſiue generaliter: ſed & ſi mandauerit pater dominúſve, item ſi ſerui chirographo ſubſcripſerit dominus, ratúmve habuerit quod geſſerit, vel alias eius voluntate contractum ſit, tenetur quod iuſſu, l.j. D.quod iuſſ.l.5. D.de in rem verſo.

IVSTA quæ neque legibus, boniſve moribus repugnant, nec ab æquitate abhorrēt, vt l.95.§.naturalis. D.de ſolut.l.7.§.ait.D.de pact. Eodem ſenſu, Iuſtæ exceptiones l.67.de reg.iur. Iuſta cauſſa conuentionis l.56. D.de pact. Iuſta obligatio, l.j.C.ſi in cauſſa iud.pig.

Iuſta hæreditas ea propriè dicitur, quæ iure legitimo, id eſt agnato proximo obuenit: ait Paul.l.3.§.2. D.pro ſocio. Varro autem lib.2. De re Ruſt.latius accepit pro ea quæ iure, & quouis modo alicui obuenit. Iuſta ætas dicitur, pro cuiuſque quæſtionis ratione, ea quam leges in ea cauſſa exquirunt: veluti, in nuptiis duodecim & quatuordecim annorum: vt eſt apud Neratium in l.quod Seruius.8.D.de cond.cauſ.dat. Sic Iuſta ætas cui pupillaris opponitur: pro pubertate, apud Vlp.l.16. D.de iur.fiſ. Nec non illud æquè non intererit, cuius ætatis ſit is qui ſe defert, vtrum iuſtæ an pupillaris. nam pupillis etiam permittitur deferre. Iuſta poſſeſſio, poſſeſſio bonæ fidei, Iauolen.l.quod ſeruus.24. D. de acqui.poſſ. Is qui in tua poteſtate eſt, ignoranti tibi non corporalem poſſeſſionem, ſed iuſtam poteſt acquirere. Iuſtin.§.penult.per quas perſ.cuique acq. Item per alienos ſeruos, in quibus neque vſumfructum habetis, neque poſſeſſionem iuſtam. Sic iuſtus poſſeſſor, l.13.§.iuſtus.D.de hæred.pet. Hinc,

Iuſtè poſſident, qui ex cauſſa titulóve poſſident, l.3.& ll. ſeqq.D.de publicia.& vide l.11.D.de acquir.hæred.& l. 22.§.j.D.de noxal. Iniuſtè poſſidet, qui vi, aut clam, l.3. D.vti poſſid.

Iuſtus error probabilis & excuſabilis, l.2.de minor.l.4. de vſuc. Iuſta ignorantia, l.76.in fin. D.de rei vind.

Iuſtum pretium, æquum, & verum, l.3.§.diui. D.de iur.fiſc. l.2.C.de reſcind.vend. Huic contrarium Iniuſtum.

Iuſtum teſtamentum, iure factum, & in quo ſolennia interuenerunt, l.22.D.de acqui.hæred. Iuſtus tutor, iure datus, l.27.D.de teſtam.tutel.

Iuſta ſepultura dicitur, cum terra corpus eſt conditum, l.39.D.de relig. At l 43.D.eod.iuſtum ſepulchrum eſt, quod religione tenetur. Sic Lucanus lib.9.

Iuſto date tura ſepulchro.

Iuſta ſeruitus, pro, ſeruitus bona fide vſurpata, id eſt iure gentium, vel ciuili: Africanus l.& generaliter.28.D. de nox.act. Et generaliter ſi alieni ſerui nomine, qui tibi iuſtam ſeruitutem ſeruiret, noxali tecum egerim. Alias iuſta ſeruitus, apud Terent.in Andr.ſcen.1. act.1. clemens & benigna.

Iuſta libertas, plena, abſoluta, perfecta. Cicer.in Topic. Vlpian.in Epito.titu.1.Theoph.§.fin. Inſtitu.de libert. ſic in l.29.D.qui & à quibus.

Iuſta vxor, legitima. Vlpia.l.ſi ſenatori.31.D.de rit.nup. Si ſenatori indulgētia principis fuerit permiſſum libertinam iuſtam vxorem habere, poteſt iuſta vxor eſſe. Suet.in Galig. Mox L.Caſſio Longino Conſulari collocatam abduxit, & in modum iuſtæ vxoris propalam habuit. Et in Veſpaſ. Antoniam libertam quondā dilectam reuocauit in contuberniū, habuítq; etiā Imperator penè iuſtæ vxoris loco. Vide, Vxor alia iuſta, infrà.

Iuſtum matrimonium eſt, ſi inter eos qui nuptias contrahunt, connubium ſit, & tam maſculus pubes quàm fœmina potens ſit: & vtrique conſentiant, ſi ſui iuris ſunt: aut etiam parentes eorum, ſi in poteſtate ſunt. Vlpia.cap.Inſtit.5. Sic iuſti liberi, legitimi ex iuſto matrimonio, l.25. D.de capti. Iuſtus pater, & iuſtus filius dicitur, qui ex legitimis nuptiis pater filiúſve eſt, l. 25.D.de capt.l.44. D.de rit.nupt.l.11.& l.12. D.de ſtatu hom.

Iuſtus hæres dicitur, qui pleniſſimo titulo & legitimo, hoc eſt, cognationis nomine accipit hæreditatem inteſtatò, quaſi omnibus iuris partibus plenè hæres, l.3.§. de illo. D.pro ſocio. Iuſta perſona in litibus dicitur idonea, legitima ad agendum cauſam, l.in vniuerſis. C.qui da.tut.poſſ.

Iuſti dies, Vide DIES iuſti.

Iuſtus dolor, qui ex magna cauſſa ortus eſt, & excuſationem meretur, l.ſi adulterium. §. Imperatores. D.de adulter.

Iuſtum & honeſtum ſicut non ſeparantur: ita nec vtile & honeſtum, aut vtile & iuſtum, l.quamuis mulier. D.ſolut.matrim.l.ſemper in coniunctionibus. D. de rit.nupt.

Iuſtum vadem, idoneum ſponſorem interpretatur Feſtus lib.9.

IVSTA, operæ debitæ.Cic.Offic.j.Eſt autem infima conditio & fortuna ſeruorum: quibus, non malè præcipiunt, qui ita iubent vti, vt mercenariis ad operam exigendam, & iuſta præbenda.

IVSTA, ſacra & ceremoniæ quæ placandis manibus fiebant, id eſt, operationes denicales. Vlpianus l.2.D.de in ius voc. Iuſtáve mortuo facientem in ius vocare non oportet. Vlpianus l.20. D.de acq.vel amit. Vtputa patrem ſepeliuit, vel iuſta ei fecit. Fictum inde vocabulum quaſi manibus debeantur. itaque *νομιζόμενα* Græci appellant. Cicer.pro Sext.Roſcio: Hunc miſerum luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri iuſta ſoluiſſet, nudum eiicit domo. Feſtus: Membrum abſcindi, inquit, mortuo dicebatur, cum digitus eius decidebatur, ad quod ſeruatum iuſta fierent reliquo corpore combuſto. Idem, Porca quæ Cereri mactabatur, ab eo qui mortuo iuſta non feciſſet, id eſt, glebam non obieciſſet, quia mos erat eis id facere, prius quàm nouas fruges guſtarent. Dicitur & Iuſta ferre, Ouid.

Illa quæ poſitis iuſta feruntur auis.

IVSTINIANVS Imperator. Vide illius vitam initio Hotom.Comment.in Inſtit.

Iuſtiniani noui, primum nomen fuit iuris ciuilis ſtudioſorum, quo anno ſuorum ſtudiorū primò decorabantur.

IVSTITIA eſt habitus animi, communi vtilitate conſeruata, ſuam cuique tribuens dignitatem: ait Cic.lib. De inuent.2. Quo ſanè pertinet illa Tryphonini diſputatio nobilis in l.31.D.depoſ.Et probo, inquit, hanc eſſe iuſtitiam, quæ ſuū cuique ita tribuit, vt non diſtrahatur ab vllius perſonæ iuſtiore repetitione. Vel ſic: Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi, l.10. D.de iuſt.& iur.& Inſtitu.in princ. Hanc veram eſſe virtutis definitionem, ipſa verbi notatio declarat.Iuſtitia enim ex eo dicta eſt, quòd cuiq; ius ſiſtat.Itaque negat Cotta lib. De nat.deorum 1.ibi Iuſtitiam eſſe, vbi ius eſt nullum.Eſt enim, inquit pietas, iuſtitia aduerſus deos: cum quibus quid poteſt nobis eſſe iuris, cum homini nulla cum Deo ſit communitas? Vlpianum autem illo in loco cenſet Hotom. non virtutem habitúmque humanum, ſed eam quam veteres Deam, Iouiſque filiam faciebant, definiſſe primùm quoniam eodem in loco ſcribit Iuriſconſultos eſſe ſacerdotes Iuſtitiæ ſic enim locum illum interpretatur idem Hotom.vt verba hæc(nam vt eleganter Celſus definit, Ius eſt ars æqui & boni) parétheſi concludantur, & relatiuum E I V S, non ad ius, ſed ad Iuſtitiam referatur. non enim artis iuris, quæ illic definitur, vlli ſunt ſacerdotes, ſed illius Deæ Iouis filiæ. Quare cùm Iuriſconſulti Iuſtitiæ ſint ſacerdotes, ſacerdotes autem non virtutum humanarum dicantur, ſed deorum: eo loco Deam illam deſcribi eſt veriſimile. Præterea Ius quod conſtat æqui & boni præceptionibus, à Iuſtitia deſcendere, atque appellari ſcribit ibidem Vlpianus: de iuris diſciplina, libriſque his noſtris intelligens. Sicuti Scipio quoque apud Ciceronem in lib. de Rep. diſputauit, auctore Auguſt.lib.de Ciuit.Dei 19.cap.21.Cùm illud etiam, inquit, ius eſſe dicant, quod de iuſtitiæ fonte manauerit: quod ſi ita eſt, aut ab humana, aut à diuina Iuſtitia deſcendat neceſſe eſt.ab humana autem non poteſt, quia nunquam in hac vita perfecta eſt. Voluntas enim illa quæ ſi perficeretur, habitus, ac proinde virtus appellaretur, ſemper manet in ſua, vt ita dicam, adoleſcentia; neq; vnquam perficitur.Regula autem iuſti & iniuſti tradi ab illa imperfecta & imbecilla natura non poteſt. quod etiam Horatius his verſib.ſignificat.

Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum,
Diuidat ut bona diuerſis, fugienda petendis.

Sequitur ergo vt à diuina Iuſtitia quæ perfecta & abſoluta eſt, ius hoc noſtrum deſcendat, quo præceptiones ſuum cuique tribuendi, & regulæ iuſti atque iniuſti continentur.Eò accedit quòd iuſtitia, quæ humana virtus eſt, non præceptio, ſed obſeruatio iuris eſt: vt Cicer.lib.De legib.1.declarat: vbi ait Iuſtitiam eſſe obtemperationem ſcriptis legibus, inſtitutiſque populorum: qua de cauſſa Fabricius & Ariſtides iuſti nominati ſunt.

Iuſtitia eſt duplex: Diſtributiua, quæ vnicuique ſuum tribuit meritum, & pœnam, habita perſonarum ratione: Commutatiua, quæ rerum cōmunicationem per formas conſtituit, æqualiter ab omnibus ſeruandas, non diſtinguens perſonas. Quod tyro iuris diligenter obſeruabit.

IVSTITIARII hodie ſunt vmbra quædam illorum, qui olim *νομοφύλακες* apud Græcos dicebantur, deſignati ad cuſtodiam iuris & æquitatis, cap.ex literis. De pignoribus.

IVSTITIVM, iuriſdictionis intermiſſio, vulgò *Vacations de Cour*. Cicer.ad Att.lib.4.epiſt.86. Fauere iuſtitio, & omnium rerum licentiæ. Gellius lib.20.capi.j. Velut quoddam iuſtitium, id eſt iuris inter eos quaſi interſtitionem quandam & ceſſationem. Tertullianus lib.de reſurre.carnis, Vbique, ait, iuſtitium eſt, quies rerum.

IVVENES, vide Ætas.

K

K, QVORVNDAM nominum notam eſſe M.Fabius ſcribit lib.j.ca.4.inter redundantes collocans.Eodem lib.c.7.idem in hæc verba, K. quidem, ait, in nullis verbis vtendum puto, niſi quæ ſignificat, etiam vt ſola ponatur. Hoc eò non omiſi, quod quidam eam, quoties A ſequatur, neceſſariam credunt: cùm ſit C litera, quæ ad omnes vocales vim ſuam perferat. Verùm orthographia quoque conſuetudini ſeruit: ideóque ſæpe mutata eſt.Hæc ille.Priſcianus lib.j.K, inquit, & q, quamuis figura & nomine aliquam videantur habere differentiam cum c, tamen eandem tam in ſono vocum, quàm in metro continent poteſtatem: & K quidem ſuperuacua eſt.

K, ſola litera, in ſubſcriptionibus Conſtitutionum Cod. Theod.& Iuſtiniani, ſignificat Kalendas, vt refert Magno in Notis iuris. Significat etiam cariſſime, in earundem inſcriptionibus geminata, K K. cariſſimi eodem interprete.

Κακοξενίας apud Lucanos tenebatur, qui occaſo ſole, diuertentes homines notos, ignotóſque domo non exciperet (vt ſcribit Alexand.Neapolitanus lib.4.cap.11.) mulctámque eo nomine pendere cogebatur.

Καδδίσκος, vrna ſuffragiorum. Iulius Pollux lib.8.cap.j. *περὶ σκευῶν δικαστικῶν, καδδίσκος μὲν ἦν*, ait, *ἐς ὃν ἀνέφερον τὰς ψήφους ἐγκαθίεσαν.*

KALENDÆ, inquit Varro lib.5.de Ling. Lat.primi dies menſium nominati, ab eo quòd his diebus Kalentur eius menſis Nonæ à Pontificibus, quintanæ, an ſeptimanæ ſint futuræ in Capitolio in curia Kalabra, ſic, Dies te quinque Kalo Iuno Nouella.Septem dies te Kalo Iuno Nouella.Hæc ille.Macrob.autē in 1.Saturn. ſic:Priſcis temporibus antequā faſti à Cn.Flauio ſcriba inuitis patribus in omnium notitiam proderentur, pontifici minori hæc prouincia delegabatur, vt nouæ lunæ primum obſeruaret aſpectum: viſumq; Regi ſacrificulo nunciaret.Itaque ſacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pōtifex, Kalata, id eſt vocata in Capitolium plebe, quot numero dies à Kalendis ad Nonas ſupereſſent, pronunciabat: & quintanas quidem, quinquies dicto verbo Kalo: ſeptimanas, repetito ſepties prædicebat.Et hūc diē qui ex his diebus qui Kalarentur primus eſſet, placuit Kalendas vocari.

Kalendæ primæ, ſecundæ, tertiæ, quintæ, dici putantur à Iuriſconſultis pro vno, duobus, tribus, & quinq; menſibus.Celſus l.liber.59.§.ſi ita. De hære.inſt.Titius ſi intra tertias Kalen.nauis ex Aſia venerit, hæres eſto. Vlp.l.j.§.ſi qui.D.de verbor.oblig. Si ita interrogatus, intra Kalend.quintas, reſponderit, Dabo idibus: non obligatur. Martia.lib.j.

Atque intra, puto, ſeptimas Kalendas,
Mortes hæc tibi quatuor dederunt.

Video tamen Catonem in re Ruſtica primas Kal.dicere, pro primo die cuiuſque menſis.

Kalend.Ianuar. primum anni diem factum Plutarchus ſcribit in Problem.quòd eo die primi Conſules Regibus exactis creati ſunt. Vnde etiam inſtitutum cōſtat, vt Conſules deinceps omnes eo die magiſtratum inirent. Eundem Kal.diem feſtum ac religioſum fuiſſe, ſolennémque ſtrenis dandis, Sueton.in Auguſto his verbis ſignificat:Item Kalen.Ian.ſtrenam in Capitolio etiam abſenti mittebant.Et in Tiberio: Item ſtrenarum cōmercium prohibuit edicto, ne vltra Kalend. Ian.exerceretur. Conſueuerat quadruplam ſtrenam, & de manu reddere: ſed offenſus interpellari ſe toto menſe ab iis qui poteſtatē ſui die feſto nō habuiſſent, vltra

vltrà non reddidit. Item, Nullus à pœna ominum ceſſauit dies, ne religioſus quidem ac ſacer: animaduerſum in quoſdam ineunte anno nouo Zonaras li. 11. de Auguſto loquens, Καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ αὐτῷ ἐκείνῳ προσιόντες, οἱ μὲν πλεῖον, οἱ δ᾽ ἧττον ἐδίδοσαν· καὶ ὃς προσθεὶς ἕτερον τοσοῦτον καὶ πλέον ἀντεδίδου, οὐ μόνοις τοῖς βουλευταῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις. Scribit etiam Dio lib. LVII, moris fuiſſe inde ab Auguſti temporib. vt Kal. Ian. in acta Imperatoris iuraretur. Poſt Kal. autem Ian. die tertio, pro ſalute Principis vota ſuſcipi ſolita ſcribit Caius in l. ſi caluitur. 233. D. de verb. ſig. & Plutarch. qui Ciceronem ſcribit natum eſſe ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν, ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος.

KALENDÆ, Martij primus olim dies fuit. Itaque ignem nouum Veſtæ aris incendebant, vt incipiente anno cura denuò ſeruandi noui ignis occiperet. Eodem menſe mercedes exoluebant magiſtris, quas completus annus deberi fecit. Comitia auſpicabantur, vectigalia locabant. Hæc Macrobius primo Saturnal. c. 12. Conſtat etiam munera quæ ſtrenæ dicebātur, olim eo die mitti ſolita. Vnde illud apud Pompon. l. ſed ſi. 31. §. ſi vir. D. de donat. inter virum & vxorem. Si vir vxori munus immodicum Kalendis Martiis, aut natali die dediſſet, donatio eſt. Tibull. lib. III.

Martis Romani feſtæ uenere Kalendæ,
Exoriens noſtris hic fuit annus auis.
Et uaga tunc certa diſcurrunt undique pompa,
Perque uias urbis munera, perque domos.

Plaut. in Milit. glorioſ.

Da mihi uir Kalendis quæ mittam cum Martiæ uenerint.

Martias Kalēdas, inquit Feſtus, celebrāt, quòd eo die Iunonis Lucinæ ædes coli cœpta eſt. Vnde Tibull. li. 4.

Sulpitia eſt tibi culta tuis Mars magne Kalendis,
Spectatum è cælo, ſi ſapis ipſe ueni.

Seruius autem in VIII. Æn. Martiæ, inquit, Kalendæ, fœminis dicatæ ſunt. Horat.

Martiis cœlebs quid agam Kalendis? Iuuenal.
Munera fœmineis tractat ſecreta Kalendis.

Hæc Seruius. Iiſdem etiam Kalendis penſiones agrorum præſtari ſolitas patet ex l. defuncta. 58. D. de vſufr. & l. tertiam. 19. C. Th. de exactionib. quippe cùm anni initium apud antiquos fuiſſet.

KALENDÆ Quintiles, ſiue Iuliæ olim dies erat ſollemnis migrandi, id eſt ex habitatione cum ſuis rebus diſcedendi, tum etiam conductionibus prædiorum. l. qui balneum. 9. D. qui pot. in pig. hab. Qui balneū ex Kalē. proximis conduxerat, pactus erat, vt homo Eros pignori locatori eſſet, donec mercedes ſolueretur. Idē ante Kal. Iulias eundem Erotem alij ob pecuniā creditam pignori dedit. & paulo poſt: Licet eo tempore homo pignori datus eſſet, quo nōdum quicquam pro conductione deberetur. Id eſt ante proximas Kalēdas Iulias. Item in l. cùm in plures. 60. D. locati. & l. cum ab eo. 41. de cont. empt. l. cum precario. 12. D. de preca. Martial. XII. epigram.

O Iuliarum dedecus Kalendarum.
Vidi Vacerra, ſarcinas tuas uidi,
Quas non retentas penſione pro bina
Portabat uxor.

Cic. II. epiſt. ad Qu. Frat. Domus tibi ad lucum Piſonis Luciniana conducta eſt: ſed, vt ſpero, paucis menſibus poſt Kal. Quintiles in tuam commigrabis. Sueton. in Tiberio: Senatori latum clauum ademit, quem cognouiſſet ſub Kal. Iulij demigraſſe in hortos, quò vilius poſt diem ædes in vrbe conducere.

KALENDARIVM, dictus codex pecuniarum occupatarum, id eſt fenori collocatarum: quia Kalendis fenori dabantur: & patresfa. Kalendarum nomine præſcripto, debitorū nomina perſcribebant. Seneca lib. XIII. epiſt. Diuitem illum putas, quia in omnibus prouinciis erat, quia magnus ei Kalendarij liber voluitur. Horat. Epo. II.

Omnem relegit Idibus pecuniam:
Quærit Kalendis ponere. Mart. VIII. Epig.
Superbia denſis arca palleat nummis,
Centum explicetur pagina Kalendarum.

Quemadmodum autem collocabantur Kalendis pecuniæ, ſic etiam exigebātur. qua de cauſa triſtes & celeres appellantur. Horat. Sat. III. lib. j.

Qui niſi cum triſtes miſero uenêre Kalendæ.

Ouid. lib. II. De remed. amor.

Qui puteal, Ianúmque timent, celeréſque Kalendas,
Torqueat hunc æris mutua ſumma ſui.

Plutarch. in lib. περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι· Οὐδ᾽ ἀναμνήσει τῶν Καλενδῶν, καὶ τὰς νουμηνίας, ἣν ἱερωτάτην ἡμερῶν οὖσαν, ἀποφράδα ποιοῦσιν οἱ δανεισταί, καὶ στυγνήν. Hinc:

Kalendario præpoſitus ſeruus, in l. pen. D. de reb. credit. pro fenerandis exigendíſque pecuniis. Et:

Kalendarium exercere. l. vxorem. 41. §. legauerat. D. de legat. 3. Hinc;

Kalendario deſtinatæ pecuniæ, id eſt fenerationi. l. 62. D. de leg. tertio. In Kalendarium cōuerſa pecunia, id eſt, fenerationi. l. 39. §. negligentiæ. D. de admin. tut. Sic accipitur Kalendarij nomen in l. vlt. D. de pecul. l. 6. D. de inſt. vel inſt. l. 3. C. de compenſat. l. vlt. D. de munerib. & honorib. & alibi perſæpe.

Κατὰ πόδα. l. 2. C. de vete. iur. enuclean. id eſt ad pedes iiſdémque veſtigiis. Vide lib. 3.

Κηδεμὼν, & tutorem, & curatorem ſignificat, quo verbo vſus eſt Iuriſcoſ. l. 2. D. qui petant tuto.

Κύκλος, annorū XV. reuolutio, Nouell. 142. Euagrius lib. 4. τὸν κύκλον τῶν ἐπινεμήσεων.

L

LABES in agris hiatum, & diſceſſionē terræ ac χάσμα ſonat. l. 15. §. Seruius. & l. fi. D. locat. Cicero lib. j. de Diuinat. Delata etiā ad Senatum labes agri Priuernatis, cùm ad infinitam altitudinem terra deſediſſet, &c. Item alio eiuſdem libri loco: Tantoſque terræ motus in Liguribus, Gallia, compluribúſque inſulis, totaque in Italia factos eſſe, vt multa oppida corruerint, multis locis labes facta ſit, terræque deſederint. Sic apud Liu. lib. 42. Dextra pars labe terræ in aliquantum altitudinis diruta erat. Quintil. Non enim vulgaris illa labes frumenti fuit, nec qualis alias accuſari ab agricolis ſolet perfidia terrarum.

LABI dicuntur facultatibus, qui ad inopiam rediguntur, ſiue caſu id acciderit, ſiue bona prodegerint. ſic vt ſoluendo non ſint. l. 2. §. ſi eodem. D. de admi. rer. ad ciuita. perti. l. 9. §. j. D. de admi. tuto. & vide. l. 4. D. vt in poſſeſſ. leg.

LABORVM, ſeu Labarum, magnum erat vexillum, vulgò etiam laborū ſolutio, ſiue καμάτων λυτήριον dictum, vt Nazianzenus ſcribit in j. Steliteutica: & Sozomenus ib. j. c. 4. λάβωρον vocat. Vnde. Vnde in actis Nicenæ II. vt teſtatur Iac. Cuiacius, ſignum quod Sozomenus hiſtoriographus Conſtantinum in crucis vſum conuertiſſe memorat, dicens: Iuſſit viros eruditos ex auro & lapidibus pretioſis in vexillum crucis transformare, quod laborum vocatur. Hermias huius verbi meminit his verbis, βάτρορον δὲ τὸ σκῆπτρον, ὃ ῥωμαῖοι λάβωρον καλοῦσιν. Quidam volūt Laborum fuiſſe exercitus ſummum vexillum, quod Imperatori præferri, & à militibus adorari ſolebat, & circiter Adriani tempora vſurpari cœptum. Labara in plurali nominat Tertullianus in Apologet. Sipara illa vexillorum & cādes laba-

rorum ſtolæ crucium ſunt ita enim legendum vult Ioſ.Scal.in Feſt.in voce Stipatores.Vetth. cod.labarorum,cantabrorũ.quod & extulit Arnobius his verbis: Nam & ſigna ipſa & cãtabra & vexilla caſtrorũ quid aliud quàm inauratæ cruces ſunt & ornatæ? Prudentius in carmine,de Conſtantino, qui crucis ſigno Labarum ornauit:

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro Signabat Labarum. Hinc tamen Græcorum illorum opinio, refutari videtur,qui Laborum præciſe dici putant,pro ſolutio Laborũ, καμάτων λυτήριον, vt ſupra oſtendimus. Formam eius copioſe deſcribit Euſebius lib. j.de vita Conſtant. vim autem effectus, eiúſque cuſtodes libro II. Hinc

Laborum præpoſiti,rub.C.de præpoſ.labor.lib.12.qui laborum,vt quæque pars in acie laborabat,in eam quaſi auxilij & liberationis vice inferebant: huicque rei, Euſebio teſte,iam olim à Conſtantino præpoſiti erãt milites L.qui vt ex C. Th.liquet, ex protectoribus & domeſticis erant:& ob id poſt tit.de domeſt. & protect.datur tit.de præpoſ.labor.

LABRA ſunt crateres lapidei,quibus aqua ſaliens ex ſiphunculis concipitur.D.de action.empt.& vend.

LABRATVM,oſculum appellatur principis,ab antiquo Gloſſematorum ſcriptore,his verbis:Labratum, φίλημα βασιλικὸν, ἀσπαστικὸν βασιλέως.ſed patiendi ſenſu accipiendum eſt,vt id accipiat princeps,non det. Dicitur autem à labris,vt oſculum ab ore.Id in conſtitutionibus Codicis appellatur adoratio, & veneratio principis,purpuræ & imperij.l.3.C.de conſulib.l.j.C. de app. præf.præt.vrb.l.j.C.de app.præf.vrb.l.j.C.de præp.ſac. cub.& aliis pleriſque locis.

LABORARE, pro angi,ſolicitum eſſe.Vlpianus in l.j.§. idem Pomponius.D.de dol.mal.Veluti (inquit) ſi ſtipulatio tam turpis dolo malo facta ſit,vt nemo daturus ſit ex ea actionem:non debere laborare me vt habeam de dolo malo actionem.

LAC dicitur fructus induſtrialis,Bart.l.& ex diuerſo.D. de rei vindicatio.éſtque in pecoris fructu.§.in pecudũ. Inſtit.de rerum diuiſione.l.in pecudum.D.de vſuris.

LACCARII,in l.j.C.de excuſ.artif.qui foſſas,vel puteos effodiunt, οἱ τὰ λάκκια ποιοῦντες, vt interpretantur Baſilici interpretes,lib.54.tit.6.

LAICVS,popularis,vulgò ſecularis.c.j.de procur.libr.6. c.duo ſunt.12.q.2.

LACVM à ſtagno in edicti prætorij interpretatione Vlpianus eò ſeparat,quòd lacus perpetuã habeat aquã, ſtagnum temporalem ibidem ſtagnantem.l. vnica. D. vt in flu.public.l.vnic.D.de ripa muni. Vnde Lacum perpetuum meritò dixit iuriſcoſ.l. 23.§.j.D. de ſeruit. ruſt.Planè lacus dicitur etſi aquam perpetuam nõ habeat,ſed quæ aliquando areſcat.l.12.D.de acquirendo rerum dominio.l.24.de aqua & aqua plu.l. 28.D. de ſerui.vrb.

Lacus piſcatorij.l.4.§.lacus.D.de cẽſibus. Huiuſmodi erat lacus Lucrinus,qui publicè fruendus dabatur, auctore Feſto lib.10.ad fin.

LACCVS, pro vaſe torculario, vt exiſtimat Budæus ad l. 27.§.vlt.D.ad leg.Aquil.Item ſi tectori, inquit Vlpianus,locaueris laccum vino plenum curandum, & ille eum pertudit,vt vinum ſit effuſum. Iac.Cuiacius Obſer.lib.10.c.9.labitur eo vt exiſtimet Laccum eo in loco aliud nihil eſſe,quã quæ vini ciſterna dicitur l.vulgaris.§.ſed ſi de naui.D.de furtis:quam in terra defoſſam tectorio inducere & incruſtare intus foriſque ſolebant:quod his Sudæ verbis confirmat: Ἀθηναῖοι καὶ ἄλλοι τῶν ἐλαιῶν ὀρύγματα ὑπὸ τὴν γῆν ποιοῦντες εὐρύχωρα, καὶ στρογγύλα καὶ τετράγωνα, καὶ ταῦτα κονιῶντες, οἶνον ὑπεδέχοντο καὶ ἔλαιον εἰς αὐτά. καὶ ταῦτα λάκκους ἐκάλουν.

LACERTVS, piſcis.Meminit eius Iuriſconſultus in leg. qui penus.De pen.legat. Lacertos (Pand. Flor. lacertus) inquit cum iniuria ſua contineri.

LAMPADARII,in l.fi.C.de diuerſ.offic.lib.12. deputabantur ſacris ſcriniis,vt in eis faces ſiue lampadas accendi curarent.Alij fuerũt Lampadarij in officio præfecti Prætorio,& quæſtoris exercitus, vt refert Iulianus Patritius in Epitome Nouell.38.& vide Iuſtinianũ in Edictis.

LANA à Græco λῆνος deducitur,vt vult Ioſ.Scal.in Var. ſeu λᾶνος,vt Doribus,quod & lanam ſignificat, vt ex Polybio & Callimacho probat Varro ling.Lat.lib.4. Addam & ex Æſchylo in Eumenidib.his verbis: λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον, ἀργῆτι μαλλῷ. τῇδε γὰρ ξαρὼς ὁρῶ. Hinc & λανισταί, οἱ κτενισταὶ apud veteres dicebantur,qui carebant,id eſt carminabant lanam. Lanæ autẽ apellatione (inquit Vlp.l.70.D.de leg.3.) id cõtinetur quod tinctũ non eſt,ſed αὐτοφυὲς,ſiue ea facta ſit,ſiue infecta: ſed & ea quæ neta eſt,hoc nomine cõprehẽditur.Itaque lanæ appellationem eatenus extendi idem Vlpianus vult,quo ad telam perueniſſet,ſiue ſuccida ſit,ſiue lota,modò tincta nõ ſit.Vide etiã Paul.lib.3.Sent.tit.6.

Lana legata, veſtis ex ea facta nõ debetur.l.88.D. de leg.3.

Lana de ligno,Græcis ἐριόξυλον,vt ſcribit Vlp.l. 70. §.2.de legat.3.alias βαμβάκιον,& βάμβαξ, ſeu πάκμαξ.Eſt autem lanugo quæ ex fructu interiore bombyce goſſipij ſeu xyli,fruticis cuiuſdam apud Arabas,& eos qui ſub cynoſura ſunt,netur,qui inſtar barbatæ nucis, aut cotonei mali eſt:vnde & nonnulli Cotoneum vocant.Huius meminit Plinius lib.19.c.j.& Pollux libr.7.cap.17. Theophraſtus quoque apud Indos & in Arabia arbores ἐριοφόρους,id eſt laniferas eſſe ſcribit,lib.4. cap.9. hiſtoriæ.

Lana tingendæ purpuræ deſtinata,purpuræ appellatione non cotinetur,authore Vlpiano in fi.l.ſi cui lana.§.vlt. de legat.3.

LANEA veſtimenta.l. 23. §.j. D.de aur.& arg.leg. Laneum corpus.l.26.D.de acq.rer.dom.

LANIFICÆ mulieres,quæ lanæ artem exercẽt.l.12.§.ſed an.de fund.inſtr.l.villæ.Conſultus, ait, de mulieribus lanificis,an inſtrumento continerentur.

LANIPENDIA mulier,Paulo in l. ſed ſi vir ex lana.D. de don.inter vir.& vx. non eſt quæ lanam pectit,aut carpit,ſed quæ lanificis lanã præbet,totiúſque lanificij curã gerit.Sic enim in veteribus gloſſis legitur, Lanipendius, σταθμοῦχος ὀθονίων. Ob idque adiecit Paulus, tanquam.eſt enim non niſi improprie lanipẽdia, quæ non de ſua,ſed de viri lana veſtimenta curat fieri.

LANISTÆ,magiſtri atque inſtitores gladiatorum dicebantur,teſte Budæo. Horum genera,cùm in Iure ciuili fiat eorum mentio haud infrequens,idem diligentiſſimè explicauit in prioribus Anno.ad l. athletas.de iis qui not.infam.

LANDGRAVII, vide GRAVIO.

LANX in XII. Tab.vas eſcarium, duciturque à latitudine.Hanc legem ampliſſimè interpretor libr. veter.Iuriſpruden.4.

LANCE & LICIO, vide Furta per lancem,liciumque.

LAPIS, præter vulgatam ſignificationem ſumitur etiam pro loco eminenti & tanquam ſuggeſto, vnde præco prædicabat atque vendebat. Pollux.ὁ δὲ τόπος πρατὴρ λίθος, καὶ πωλητήριον.Inde emptos de lapide Tribunos, vt ſeruos vænales dixit contumelioſiſſime Cicero, & Plaut.

In eo ipſo aſtas lapide ubi præco prædicat.

Sic Columella lib.3.ſeruum de lapide noxium appellat,id eſt non frugi bona,ſed qui noxæ deditus ſit. Vel de lapide noxium,inquit,poſſe cõparari putat Athenienſes ſic interdum ſuggeſtum vocabãt,vt apud Ariſtophanem, τῷ λίθῳ προσέστάμεν.

Lapis ſtratus,quadratus, ſtructilis.l.6.§.modus.D.ſi ſeruit. vind.

vind.& alibi ſæpè.

Lapis,pro miliario,hoc eſt,mille paſſibus, aliquando accipitur.Martianus de excuſ.l.propter litẽ. Ne vltra cẽteſimum lapidẽ tutelã gerat.Sic.§.qui excuſare. Inſtit. eo.Huius cauſſam explicat Briſſonius lib.3.Antiq.

Lapilli,quo diſtent à gemmis, & quo ab his margaritæ, Paulus oſtẽdit in l.& ſi non ſunt.§. perueniamus. verſ. Gammæ autem.De aur.& arg.lega.Vide Vallam ad finem lib.Elegant.ſexti.Bart.annotauit in l.fi.§.ſpecies. D.de publ.lapillos non venire lapidum appellatione. Vide Gemmæ.

Lapilli iactus prohibendi gratia, inhibendíque operis cauſſa fiebat.l.5.§.meminiſſe.D.de op.no.nunt.

LAPIDARII in l.5.§.ſed interdum.D.commod.l.fi.D.de iur.immu.l.2.de excuſ.artif.C.The.qui lapidibus excidendis operam ſuam locant.

LAPIDICINÆ, aut lapicædinæ, loca cæſis lapidibus execta.Græci λατομίας,& λιθοτομίας appellant:vnde vocabulũ fictum apparet.vt corruptè legi vulgò videatur Lapidicinæ,cum apud alios auctores,tum apud Iuriſconſultos in l.9.§.2.& l.13.§.5. D. de vſufr.l. 32.D.de iur.dot.

Lapidicinæ marmoreæ.l.fin.D. de pact.dot.l.7.§.ſi vir.D. ſol.mat.Nam & marmorum lapides dicuntur.l.fin.§.fi. D.qui pot.in pign.

LAPSA hæreditas quæ ſit,interpretatur Vlp.in §.ſi locupleti,& in l.verum.de mino.

LARDVM appellatione carnis an veniat,docet Bart.l.j. C.de erogat.milit.anno.per illum text.

LARES à Lare Nympha,reputabantur apud cæcas Gentes,gemini dij familiares,alter bonus,alter malus,vnicuique homini deſignati,vt curam eius peculiarẽ haberent:ideò Genij,& Penates appellati. Hos enim domi quiſque paterf.colebat,quaſi peculiares Deos in Larario,hoc eſt,loco & ſacrario domeſtico.His ara & focus conſecratus erat. ex quo illud, Pro aris & focis pugnare.item illud Celſi.l.38.D.de rei vind.Finge pauperem,qui ſi reddere id cogatur,laribus,ſepulcris auitis carendum habeat.Refert autem Lampridius, Alexandrum Seuerum Imperatorem, primùm in Larario ſuo coluiſſe Abrahamum,& Chriſtum.

LARGIANVM Senatuſconſultum,vide Senatuſconſultum Largianum.

LARGIRI, pro ſufficere.l.11.§.ſi filio.D.ad leg.Falcidiã. Alter autem qui non eſt oneratus, vt ſubſtitutus, licet portio largiatur eius, non in inſolidum conueniatur propter calculi confuſionem.Sic l.14.§.poſt annum.D. quod metus cauſſa.l.3.D.de minorib.l.35. D. de adult.l. 2.C.de in integ.reſtit.l.j.C.ſi aduerſ.rem iudic.

Largiri annuam præſtationem dicitur reditus.l.25.in fi.D. ad leg.Falcid.l.21.§.j.de annu.legat.ex quo annua præſtatio redigi poteſt. Hinc:

LARGITIONES ſacræ,pro theſauris munerationum, &(vt vulgo loquitur) financiis.l.fi.C.de iis,qui ex public.ratiocin.l.j.C.de cano.larg. tit.hæc interpretatio probatur.ex l.10.C.de palat.ſacra.larg. Nam qui in ea rubr.palatini ſacrarum largitionum vocantur,hi in d. l.10.palatini ſacrarum munerationum rationem tractantes appellantur, vt man. cod.habent. Symmach. lib.j.epiſt.29.Palatini ſacrarum munerationũ Amicus & Caſtor quæſtus publicos ementes,&c.Sed.& munerationum ſacrarum comites in l.2.C. de commeatu,lib.12.appellantur, qui alias Comites largitionum vocantur.

LARGITIONALES tituli.l.12.C. de vectig. Et Largitionale aurum.l.3.de ſuſcept.lib.10.C.

Largitiones principis.l.21. C. de adpella.l.11. §.ſin autem vtraque.C.de iudic. Hinc:

LARGITIONALES, Comitum apparitores,Cuiacio in Rubri.de palati.ſacr.largitio.lib.12.C.Hi etiam Priuatiani dicuntur, vt idem refert.

LASCIVIA, incontinentia,petulantia quædam hominis alacritate nimia intemperantis.Vlp.l.4.§.j.D. ad leg. Cornel.de ſicar. Cum quidam per laſciuiam cauſſam mortis prębuiſſet:quod Cuiac.trac.de Afric.8.c.& hæc diſtinctio.refert ad id quod de Othone ſcribit Sueton. c.2.eum vagari ſolitum noctib.atque inualidum quemque obuiorum, vel potulentum corripere atque diſtento ſago impoſitum in ſublime iactare, quod Italis eſt *Sbalzar* Gallis *Berner*:de quo illud Mart.lib.j.

Ibis ab extenſo miſſus in aſtra ſago.

De hácque ſpecie laſciuiæ diuum Hadrianum intellexiſſe illo reſcripto, quod d.l.4.continetur. Alij ita exponunt, veluti ſi quis cantharidas alicui veneris excitandæ cauſſa dederit.Idem Vlp.l.15.§.j.D:locati. Idémque dicendum ſi exercitus præteriens per laſciuiam aliquid abſtulit.

LASER, cuius Paulus meminit in l.5.D.de pen.legat.ſuccus eſt caudicis,vel radicum virgulti eius,quod Latini laſerpitium,Græci σίλφιον vocãt:magnificus in vſu medicamentíſque,& ad pôdus argentei denarij penſum: vt Plin.ſcribit lib.19.c. 3. Laſeris meminit etiam Marcian.in l.16.§.6.D.de publican.& Colum.lib.6.c.17.Iſidor.lib.17.c.9. Quidam Laſer ad nos afferri contendunt,& in primis Guarchias ab Ortho Indiæ Proregis medicus,in libello quem de aromatibus in India naſcentibus ſcripſit,inibi etiam aſſerens nihil à laſerpitio Aſam fœtidam noſtrã differre, imo prorſus hæc eadem eſſe.Sed de his amplius eſſe pronuntiandum cẽſeo, præſertim cum apud Strabonẽ lib. vlt. Georg. & Plin.lib.19.c.3.legamus,illorum iam tẽporibus hoc aromatis genus rariſſimum fuiſſe, nec omnibus tritũ, imò Romæ penes vnum Neronem fuiſſe.

LATA culpa eſt,quæ minimæ diligentiæ eſt (vt Latini Dialectici loquuntur)repugnans: vt Græci, μαχομένη: quippe quæ ſummæ diligentiæ, cui minima diligentia opponitur, ſit conſequens.Itaque qui minimam diligentiam debebat, eam ſi non adhibuit,in culpa lata eſſe dicitur:quæ doli finitima eſt:quod & Celſus in l. quod Nerua. D. depoſit.demonſtrat: vbi ait, eum qui minimam diligentiam non adhibet,fraude nõ carere. Atque hoc nimirum illud eſt,quod ait Paulus in l. 226. D.de verb.ſign.Magna negligentia, culpa eſt:magna culpa,dolus eſt.Quod ſic accipiendum,vt minima negligentia pro nulla numeretur:ſed magna negligentia duntaxat,quæ ſiue ſumma,ſiue mediocris, ſiue minima diligentia prætermiſſa ſit,culpa eſt:magna autẽ culpa,doli ſpeciem habeat:vt l.j.D.ſi menſ.falſ.& l.ſi fideiuſſor.29.D.mandati:vbi Vlpian.ait, diſſolutã negligentiam prope dolum eſſe.Itémque.l.j.§.is quoque. 3.De obligat.& act.& l.quæſitũ.8.§.3. D. de precar.vbi idem ſcribit,eum qui precariò rogauit, nullius culpæ nomine teneri,niſi eius quæ dolo proxima eſt: quod nemo non videt ad latiſſimam culpam & minimam diligentiam pertinere. & item in l.213.& l. 223. D. de verb.ſig.Lata culpa eſt nõ intelligere,id quod omnes intelligunt.veluti,meum frumentum aut vinum apud te depoſitum,corrumpi:niſi illud interdũ moueatur, hoc repleatur.Si tamen ne hanc quidem diligentiam in tuo adhiberes, extra culpam eſſes. quoniam (vt Iuſtinianus ait)qui negligenti amico rem cuſtodiendam tradit,nõ ei,ſed ſuæ facilitati id imputare debet.§.pen. eod.infrà,eod.Item, ſi cum tibi mandaſſem, vt mihi certum hominẽ emeres, & tu gratia ductus, paſſus ſis alium emere.Vlp.in l. ſi procurator.8.in fin.D.mand. ſcribit hanc latam eſſe culpam:aut cum fideiuſſor pro debitore ſoluiſſet,neque eum, cum poſſet, certiorem redderet.l.ſi fideiuſſor.29.D.eod.

LATA FVGA,ſpecies eſt exilij,cuius meminit Marcianus in l.exilium.D.de interdict.& releg.Qui autẽ exi

lio damnabantur, aut certus iis locus à iudicibus deſtinabatur, quo exultaret: quod eſt relegatio. In eum locum cum veniebant, fiebant eius ciuitatis ciues, & tum demum Romanam ciuitatem amittebant. Aut locorum omnium, præter certum quendam, aditus permittebatur: quod erat Aquæ & ignis interdictio. Ammia. Marcellinus: In corpore, inquit, immaculato, lata fuga damnatus eſt. Quod relegationi diuerſum videtur: quam intelligunt Iuriſconſulti, cùm in inſulam aliquis, vel locum alium mittitur ad tẽpus, ſicut in quinquennium. Vide Vlp. in l. relegatorum. eo. tit.

LATERES, ſimpliciter non ſignificant lapides, vt Interpres exponit in l. ſi venditor hominis. §. firmius. de action. empt. Nam hi ex terra albida, & cretoſa fiebant, ſiue etiam rubrica, aut maſculo Sabulone. Vide poſt Vitruuiũ lib. 2. c. 3. quod eſt de lateribus, Budæum in l. ſi fratres. pro ſocio.

LATERE hoc, & Latere contrario Iuriſconſulti vſurpant, cum duæ contrariæ ſunt certi generis ſpecies, quarum contraria ratio eſt: veluti in l. 118. D. de verb. obli. & l. 11. D. de damn. inf. & l. 49. §. 2. D. de fideiuſſ. & mand.

ex LATERE, ſiue ex tranſuerſo coniungi veniréque nobis dicuntur fratres, ſorores, liberíque eorum, necnon & patrui, amitæ, auunculi & materteræ, & qui ex his procreantur. l. j. D. de gradib. Inſtit. de gradib. cogn. l. j. D. de rit. nupt. §. inter eas. Inſtit. de nupt. Hos ex lateribus cognatos vocat Paulus. l. vlt. §. ſunt & ex later. D. de grabib. & ex tranſuerſa linea venientes, Imp. in l. 21. C. de inoffic. Hinc & trãſuerſos gradus idem Paul. vocat in d. l. vlt. §. idem in tranſuerſis. Conſt. Harmenop. lib. 4. τοὺς ἐκ πλαγίου vocat, hóſque ita definit, οἱ μήτε ἡμᾶς γεγεννηκότες, μήτε ἐξ ἡμῶν γεννώμενοι, τῆς δὲ αὐτῆς γονῆς καὶ ῥίζης ἡμῶν κεκοινωνηκότες· οἷον ἀδελφὸς ἀδελφή, θεῖος θεῖα, ἀνεψιὸς ἀνεψιά, ἐξάδελφος ἐξαδέλφη, καὶ οἱ ἐκ τούτων καταγόμενοι. quod videtur ſumpſiſſe ex Nouel. 89. & 118. Theophilus eos etiam τοὺς ἀπὸ λοξότητος ἐρχομένους vocat.

LATERALIA (non Lateraria) viatoria, capſulæ videntur eſſe, in quib. ad ephippium vtrinque loro ſuſpẽſis, ea quæ nobis in itinere neceſſaria ſunt, recondimus. Scæuola. l. 102. D. de legat. & fid. 32. Vxori meæ lateralia mea viatoria, & quicquid in his conditum erit, quæ membranulis mea manu ſcriptis cõtinebantur. Item, Hic chirographa debitorum & pecuniam cum eſſet profecturus in vrbem, in lateralibus condidit. Item; Alia chirographa prædiorum & pecuniam in lateralia condidit.

LATERCVLVM, codex in quo ciuilium & militarium dignitatum adminiſtrationúmque ratio, item mandatorum principalium, & promotionum, & conſuetudinum notitia perſcripta eſt: ſic dictum quòd in eo laterent arcana, vt volunt quidam. Hinc etiam Græci ad l. 5. C. qui mil. poſſ. & l. vlt. C. de off. mag. off. οἰκειακὸν videntur interpretari. Alij tamen dictum volunt quaſi πλινθίον, id eſt quadrũ, quod ſacri laterculi fuerint ſcrinia quatuor, vt conſtat ex Nouell. 8. Huc adde hæc Cedreni verba, ἡ παρὰ Ἕλλησιν ὀλίγη πλίνθος, laterculum παρὰ ῥωμαίοις λέγεται). ἦν δὲ πλίνθος δημοσία, ἐφ' ἧς τά τε τῶν βουλευτῶν καὶ τὰ τῶν στρατηλατῶν ὀνόματα ἀπεγράφετο. Duplex autem memoratur laterculum: Maius, quod apud Principem ſeruabatur ſub cura primicerij notariorum. l. j. C. de offi. præf. præt. Afric. Minus, quod ſub cura & ſollicitudine Quæſtoris erat. l. j. & l. 2. C. de off. quæſt. vbi Theodoſius: Totius minoris laterculi dignitates, hoc eſt, inquit, præfecturæ, tribunatus omnes, & præpoſituræ caſtrorum. Laterculi ſcrinium ſacrum memoratur in l. vlt. C. de off. magiſt. offic. Et hoc ſenſu Tertullianus aduerſus Valent. Ex eorum laterculo, id eſt ex eorum albo, & in reges & in ſacerdotes allegere conſueuerunt. Teſtatur etiam Iac. Cuiacius habere ſe librum Victurij de ratione Paſchali, in cuius extremo per indicem cõſulum dies Paſchalis ſubnotatur, íſque Index Laterculus Paſchalis inſcribitur, quem Sigibertus Theophilo Alexandrino tribuit. Laterculum autẽ vet. Gloſſ. eſt βήσαλον καὶ στρατικά.

LATERCVLENSES, qui præerant eis codicibus edendis & ſeruandis. l. 13. C. de præpoſ. ſacro. ſcrin. lib. 12.

LATICLAVIVS, is eſt qui πλατύσημον, id eſt latum clauum gerit, ad diſtinctionem Anguſticlauij: ſicque vſurpatur à Gaio in l. nuper. 42. D. de donat. int. vir. & vxor. & Imp. Alexand. in l. ſi Rufinus. C. de teſtam. mil. Quid autem ſit latum clauum gerere, vide in dictione CLAVVS.

LATINÆ feriæ. Pompon. l. 2. §. 17. D. de orig. iur. Quoties autem (magiſtratus extra vrbem) proficiſcuntur, vnus relinquitur, qui ius dicat. is vocatur Præfectus vrbi. qui præfectus olim conſtituebatur: poſtea ferè Latinarum feriarum cauſſa introductus eſt, & quotannis obſeruatur. hæc ille. Celebrabantur hæ feriæ à Latinis ciuitatib. ſeptem & quadraginta, quæ cum populo Rom. in Albanum montem quotannis conueniebãt ad taurum Ioui Latiali ſacrificandum: ex Tarquinij Superbi inſtituto, vt Diony. Halicar. tradit lib. 4.

LATINI Iuniani liberti dicebantur olim, qui medium libertatis gradum erant adepti: vt ait Iuſtin. ſub tit. De libert. Quod vt intelligamus, illud ſcire oportet, olim in Latium deduci ſolitas colonias, partim eorum qui nomina dabant, partim eorum quibus aqua & igni interdicebatur: auctore Cicero. in ea pro Cæcina, & pro domo ſua: vbi hoc adſcribit, eos qui deducebãtur, cùm eſſent in eas ciuitates recepti, Romanam ciuitatem amiſiſſe. Et hoc eſt quod ait Boetius in Topica Ciceronis, iſta in Latinas colonias profectione, mediam capitis diminutionem contingere. Quæ cùm ita ſint, apparet eos neque connubij, neque teſtamenti, aut mãcipij, aut nexus, aut patriæ poteſtatis ius, quod proprium erat ciuium R. habuiſſe. Cùm enim Romana ciuitas eis adimeretur, ea quæ ciuitatis illius erant propria (vt hæc quæ diximus) amittebant. Hi dicebantur Latini colonarij, itáque ab Vlpiano. c. 19. appellantur. Auguſtus autem cùm ciuitatem Romanam ſeruis cõtaminari videret (quod etiam Dionyſ. Halicarnaſſæus lib. 4. conqueritur) eos multis difficultatibus à libertate iuſta remouit. nam & de numero, & de conditione, & differentia eorum qui manumitterentur, curioſè cauit: vt Suetonius in eius vita teſtatur. Hinc nata lex Ælia Sentia, hinc Furia Caninia, de quibus ſuo loco diximus. hinc Iunia Norbana quatuor poſt eius mortem annis, imperante Tiberio, à Marco Iunio Silano, Luc. Norbano Balbo COSS. lata: quos æuo ſuo Conſules fuiſſe Plin. lib. 11. c. 87. teſtatur. qua lege conſtitutum eſt, vt ij ſerui qui neque cenſu, neque vindicta, neque teſtamento, ſed aut per epiſtolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione liberi fierent, non ciues Romani, ſed eodem iure quo Latini coloni eſſent. Vlpianus autem in Inſtitutionibus diſperſe variis in locis declarat eos neque teſtamenti faciendi, neque connubij, neque patriæ poteſtatis, neque tutulæ recipiendæ ius habuiſſe: eóſque Latinos Iunianos ad Colonorum ſimilitudinem appellat. nam & Iuſtin. in l. j. C. de Lat. lib. Latinos libertos ad ſimilitudinem antiquæ Latinitatis, quæ in Colonias miſſa eſt, inductos ſcribit. De his etiam vide Iſidorum lib. 9. c. 5.

Latinam libertatem ſuſtulit Iuſtinianus. l. vnica. C. de Latin. lib. toll. vbi de eius origine.

LATIA duo in iure legi ſcribit Seruius in illud Virgilij:

Quis Latio antiquo fuerit ſtatus.

Vetus & nouum: ſic ſane vt duo ciuium genera, veteres & noui. Et noui ſunt qui per Latium, aut beneficio principis in ciuitatem venerunt, vt Plinius definit in Panegy

Panegyrico.Hi cognationum iura non habebant, illi habebant:& hac ratione illis quidem hæreditatum viceſima remittebatur, his irrogabatur quaſi extraneis hæredibus, ante conſtitutionem Traiani, quæ onere viceſimæ etiã nouos ciues liberari voluit, quibus beneficio Principis, aut per Latium ciuitas obueniſſet. Latium antiquum definit Plinius lib.3.c.5.Latium antiquum à Tiberi Circeios ſeruatum eſt mille paſſuum quinquaginta longitudine.

LATITARE eſt,ait Vlpianus,nõ vt Cicero definit, turpis occultatio ſui. poteſt enim quis latitare non turpi de cauſſa:veluti qui tyranni crudelitatem timet, aut vim hoſtium, aut domeſticas ſeditiones.l.7. §.3. D. Quib.ex cau.in poſſ.& §.4.Latitare autem eſt, cum tractu aliquo latere: quemadmodum factitare, frequenter facere.Pro latitante etiam habitus eſt qui ſe in Romano foro circa columnas occultaſſet euitandi creditoris cauſſa.l.eũ qui.D.de reb.auct.iud.poſſ.quod & notauit D.Ambroſius in lib.de Tobia.c.7.his verbis:Ille, inquit, greſſus debitoris ſingulos enumerat, aucupat deflexus. Iſte continuo poſt columnas caput obumbrat.Sicque Baſilius in Pſal.14. Ὁ δανεισάμενος τοῦ χρήστου τὰς συντυχίας, ὑποφεύγει πρὸς κίονας καὶ τοίχους, ἀποσκιάζων τὴν κεφαλήν.Et Lucianus Lapithis: Πρὸς κίονά τινα, ἢ πρὸς ἀνδριάντα ἠλέως ἂν προσελθών. Sic d.l.7.§.illud ſciendum. dicitur is latitare qui in eodem foro agit, ſi circa ſtationes ſe occultet. vbi tamen ſtatuas legerim, ex ſuperioribus.Notandum etiam ex d.l.eum qui.eum latitare dici, qui vrbe profugit, fraudandi cauſſa, qui honeſtus eſt ſeceſſus & honeſta latitatio.Hint Afranius Diuortio:Qui coneris noctu clanculum rus ire, dotem ne repromittas vafer,honeſtè vt latites,& nos eludas diutius.Quidam duas latitationis ſpecies eſſe ſcribunt:vnam quidem quæ fraudationis cauſſa fiat, quæ edicto,quib.ex cauſ.in poſſ.eat. continetur, quæ eo animo fit vt fraudentur creditores.d.l.7.§.quid ſit latitare,& §.ſeq.D.ex quib.cauſ.in poſſ.eat.l.50.D.de pecul.Alia fruſtrandæ actionis cauſſa.l.3.D.de iud.& alibi,cum quis ne ſecum aliqua actio moueatur,vel vt actio eximatur,latet.

LATOMIÆ,inquit Aſconius,lingua Siculorum Lapidicinæ dicuntur,id eſt loca cæſis lapidibus exeſa,in quæ malefici damnari ſolebant.Id etiam verbi notatio demonſtat:vnde & Latomi vocabulum.In Pandectis tamen Florentinis,& compluribus vetuſtis libris legitur LAVTVMIÆ.Erat autem Carcer Romæ ſic dictus,cuius meminit Liuius lib.26.Calliſtratus.l.9. D.ex quib.cau.maior.Nam etiam incluſos veluti latomiis vinctorum numero haberi placet:quia nihil interſit, parietibus an compedibus teneatur. Vlpia.l.j.D.de aleator. Hæc clauſula pertinet ad animaduerſionem eius qui compulit ludere,vt aut mulcta mulctetur, aut in latomias vel in vincula publica ducatur, De Latomiis autem Syracuſanorum,Cicero in prætura vrbana hæc ſcribit:Latomias Syracuſanas, ait omnes audiſtis:plerique noſtis.Opus eſt ingens,magnificum regum ac tyrannorum:totum eſt ex ſaxo in miram altitudinem depreſſo,& multorum operis penitus exciſo. Nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſeptum vndique,nihil tam tutum ad cuſtodiam nec fieri nec cogitari poteſt. Hunc carcerem à Dionyſio tyranno factum ibidem ſcribit Cicero.

LATRONES, ſiue Latrunculi dicebantur,inuidioſo verbo,quibus publicè decretum indictúmque bellum nõ fuerat,cum tamen hoſtiliter graſſarẽtur.Hoſtes enim dicebantur,quibus bellum indictum fuerat.l.118. D.de verb.ſign.l.6.& l.24.D.de capitu.l.3.§.2.D. de incend. nauf.qua de cauſſa qui ciues R.ab iis capiebantur, neque in hoſtium poteſtatem veniſſe, neque libertatem amiſiſſe dicebantur.l.19.§.à piratis.D.de cap.l.13. D.qui teſt.fac.poſſ. Cic.lib.de Offic. III. Si prædonibus captum pro capite precium nõ attuleris, nulla fraus eſt: niſi iuratus quidem id non feceris.nam pirata non eſt ex perduellium numero definitus,ſed cõmunis hoſtis omnium.cum hoc non fides eſſe debet, nec iuſiurandum commune.Dicuntur etiam Latrones qui ex inſidiis viatores aggrediuntur ac ſpoliant.l.capitalium.28. §.graſſatores.D.de pœn.quo in numero ſunt qui ædes alienas,aut villas expilauerunt,effregerunt, expugnauerunt.l.pen.D.de vi publ.

LATRVNCVLATOR, qui latronibus conquirendis & ſupplicio afficiendis præeſt.Vlpia.l.61.D. de iudic.Latrunculator de re pecuniaria iudicare nõ poteſt.Quos enim Iuſtinianus ληστοδιώκτας appellat Nouell. VIII. eos Iulianus Latine Latrunculatores dixit.Gallis, *Preuoſt des mareſchaux.*

LATROCINIVM à furto ſeparatur.l.52.§.dãna.D.pro ſocio.

Latus clauus,Senatorij ordinis inſigne erat:& calceus lunatus,qui tum communis etiam nobilitati fuiſſe putatur.Aliàs Laticlauium dictũ.Budæus in l.vlt.de Senat. Vocatur & alio nomine Clauus, vide l.43. D. de don. int.vir.l.9.C.de teſtamen.milit.Vide CLAVVS

LAVATIO Vlpiano in l.25.§.4.D.de aur.arg. recenſetur inter ea quæ mundi ſunt muliebris, quibuſque mulieres mundiores fiunt:veluti, inquit,lauatio, riſcus. Arculam fuiſſe ſuſpicatur Hotom.lauandæ faciei aut alteri corporis parti paratam: in qua ſpongia, aut tale quippiam immergeretur,quam λουτρίδα non diſſimili ratione Græci nonnunquam appellant.Alciatus autẽ, Bayfius, & alij aut Alabaſter, aut Alabaſtriſcus, aut Alabaſtrites reponunt.

LAVDARE, antiquo verbo iuris,citare ſignificat,& nominatim appellare, & nominare, hoc eſt iudicio dictato interpellare Gel.lib.2.c.6.& Feſto lib.10.Pomponius in l. tenetur. de act.empt.Si tibi,inquit, iter vẽdidero,ita demum auctorem me laudare poteris, ſi tuus fuerit fundus,cui acquirere ſeruitutem volueris. ſic l.Heremius.§.j.& quæſtione mota fiſci nomine auctorem laudauerat,& euictione ſecuta fundus ablatus &c.Bud.in Anno.prior.Alc.quoque in Parerg.ſcribit, pro nominatim approbare, in iure vſurpari: & ſimul adnotat,ab hoc verbo commentatores dixiſſe Laudũ, pro arbitri ſententia:cuius ſubſtantiuæ vocis exemplũ apud Latinos nullum eſt: de quo vide Bart. l. quod ſi Epheſi.D.de eo quod certo loco.& an veniat ſentẽtiæ appellatione, Bart.in authentica, ſi verò.C.de iudiciis.

Laudare teſtem,in Nouellis Marciani;pro,vocare teſtem vt rei veritatem dicat.quod inde ductum credit Turnebus Aduerſ.lib.2.c.11.quod quem quis teſtem nominabat,vna & laudem quoque eius commemorabat, ne indignus cuius audiretur teſtimonium videretur. Hinc Fabius in Declamationib.Si ab vniuerſis ad ſingulos vocamur,& tyrannum teſtem dabo:illum quidẽ neque ego laudo,ſed ipſa vitia, ipſa ſcelera facient huic rei auctoritatem.

Laudare auctoritatem, eſt in iudicio dicere titulum ſuæ poſſeſſionis:& eſt antiquus ſermo Iuriſcoſſ.

LAVDIMIVM,quidam accipiunt præmium illud, nempe quinquageſimam, quod præſtatur iuxta ſanctionẽ Iuſtiniani in l.3.C.de iur.emphy.pro renouatione emphyteutica.A verbo Laudo deducentes:cùm Latinius eſſet Laudatium,ſicut Donatium.

LAVDVM pro arbitrorum definitione, barbara vox eſt, & inepta:qui cùm ius cognoſcendi habeant, propriè dici poſſunt pronuntiaſſe vel ſtatuiſſe:quod & in arbitratoribus Alciatus admittendum putat. Tametſi negent Doctores,in l.j.de re iud.ſententiam propriè dici,quod ab arbitro pronunciatum eſt:quod tamen ipſi Alciato non ſit veriſimile,cùm id quod vnuſquiſque

etiam priuatus ſentit, Latinè & eleganter Sententia dicatur:nec aliter ſoleant Iuriſcoſſ.arbitrorum definitiones quàm ſententias appellare. l. litigatores.l. qualē.de arb.Adde quæ idem adnotauit.c.45.lib.j. Parerg.

Laudum,Bart.d.l.quòd ſi Epheſi.eſt propriè tranſactio.

Lavtia,lautiorũ,& lautia etiam fœmininè, munera dicebantur,quæ Romani per quæſtores legatis exterarum nationum mittebant.Itaque Lautiæ appellatione,teſte Budæo,cōtinetur ea pecunia, quæ in legationes ſuſcipiendas quouis modo cōſumitur.ſicque vſurpauit Liuius lib.35.Et ædes,inquit,libera Attalo ac lautia decreta.

Lautica,Iuriſcoſ.de aur.& argen.leg. l,argumento, vide Calautica.

Lavtvmiæ, vide Latomiæ.

Laxamentvm vocat lex inducias duorum mēſium, qui dantur tutoribus ad pecunias collocandas, in Authen.vt hi qui obliga.ſe ha.perhi. res min. §.quoniam autem videmus. Laxamentum temporis ſpatium & temperamentum,l.7.§.vſuræ.De admi.tut. Laxamentum itineris.l.4.D.de vaca.mun.

Lectica, lectulus erat ſtratus ſeu puluinar, in qua ditiores ferebantur extra vrbem, ſex ſeruis deferētibus, qui inde Lecticatij vocabantur. l. item. D.de legat. Vtuntur & hodie principes rhedis, & vectabulis admodum commodis.

Lectica conſularis, Cor.Tacito.Græcis δίφρον κατάστεγον, ſella opertum,& eruditè obſeruat P.Faber ad l.2.D.de orig.iur.

Lecticarii ſerui,qui lecticam geſtabāt, eam humeris ſubeuntes.l.8.§.fi.D.de leg.j.l.65.D.de leg. 2. Senec. lib.4.Epiſt.29.Non turba ſeruorum lecticam tuam per itinera vrbana ac peregrina portantium. & vide Tertul.in lib.ad vxorem.

Lectarii, qui fabricant lectos,l.j.C. de excuſat.artific.κραββατοποιοί.

Legare, alias ſignificat relinquere aliquid in teſtamēto ex hæreditate ſua.Alias legatum mittere eſt.

Legare ab aliquo,vide Ab.

Legati, inquit Varro libr.4.de Ling. Lat. qui lecti publicè,quorum opera cōſilióque vteretur peregre magiſtratus,quíve nūtij ſenatus,aut populi eſſent. Et lib. 5.Legati quòd vt publicè mittantur, leguntur. De his ſic Cicero in Vatiniana:Adeone tibi ſordidum conſilium publicum viſum eſt,adeo afflictus Senatus,vt nō nuncios pacis ac belli,non curatores, nō interpretes, non bellici conſilij auctores, non miniſtros conſilij prouincialis Senatus more maiorum diligere poſſet? Quis legatos vnquam audiuit ſine Senatuſconſulto?

Legatorvm tria genera in libris noſtris reperiuntur.Legati enim plerunque dicuntur ij, qui à Senatu lecti in prouinciam vnà cum Proconſule negociorum publicorum adminiſtri mittuntur; qui tamen iuriſdictionem,niſi à Proconſule mandatam,non habent.Iis autem Proconſul etiam criminum cognitionem, non tamen gladij poteſtatem mandare poteſt.denique Legati qui mandatam iuriſdictionem ſuſceperunt, proprium nihil habent,ſed eius qui mandauit iuriſdictione vtuntur.l.4.& l.6.D.de offic.Proconſ.l.j.D.de offic. eius cui.Legati verò etiam alij dicuntur,qui à municipio vel prouincia ad Principem cum mandatis publicè mittuntur.l.2.§.j.l.8.& l.24. D. de iudic. l. 8. ex quib. cauſ.maior.Poſtremò Legati Cæſaris dicūtur ipſi præſides vel correctores prouinciæ,qui à Cæſare cum imperio & poteſtate miſſi ſunt,l.pen.D.de off.præſid.l.4. D.de offic.aſſeſſ.l.12.D. de accuſat. Sicque Aquitaniæ legatū accipio,l.12.D.de cuſtod.reor.& apud Plinium lib.26.c.j.Et legatū Numidiæ ac Ciliciæ.l.7.D. de lega. præſt.l.3.D.de teſtib.l.2.in fi.D. de iure imm. Et Galliæ Lyciæque legatum apud Plin.libr.9.c.5.& 12.c. j. Et legatum Lugdunenſem in l.15.§.vlt. D. de excuſat.tutor.

Legatus in tit.de offic.legat.ext.eſt iudex miſſus, datúſve à Romano pontifice.patet ex c.j.iunct.gl.extrà eo.Legatorum genera recenſet Spec.tit.de offic.deleg.tit.6. §.3.& vide nota.in c.excommunicatis.de offic.deleg.

Legatio,legatorum munus.Hinc Legatio libera, qua quis ſui commodi, non Reipub.cauſſa abeſt. Hoc ita Vlpianus rectè in l. qui libera. D. de legation. Donabantur enim à ſenatu vel imperatore clariſſimi viri honorario titulo liberæ legationis, etiam ſi ſuorum non publicorum negotiorum cauſſa in prouinciā aliquam proficiſcerentur, veluti delatarum ſibi hæreditatum adeundarum cauſſa, vt Cicero ait in Rullum: vel ſub ſpecie delatarum:& idem 3. de legibus: Legatione,inquit,hæreditates aut ſyngraphas ſuas perſequuntur.Libera autem dicitur,quòd nullo ſit finita tēpore,ſed redire & abire ei qui impetrauerit, quandocunque liceat: qua forma & cretionem liberam dixit Cicero 13.ad Atticum, epiſt. 45. Hotomanus tribus de cauſſis liberas legationes poſtulari ſcribit. Voti ſoluendi,cuius meminit Cicero lib. 2. & 3. epiſt. ad Atticum,vnde etiam votiuæ plerunque appellantur: periculi vitandi,cuius exemplum Plutarchus in Gracchis prodit:alterius ſupra meminimus.Memorabile eſt autem quod ex Ciceronis ad Cornificum epiſt. 21. lib.12. obſeruatur, eos qui cum libera legatione ſenatores mittebantur,lictores à prouincialibus magiſtratibus, & cæterorum legatorum inſignia accepiſſe.

Legativvm, eſt viaticum quod legatis attribuebatur à Decurionibus,qui legati ad Imperatorem mittebātur.Arcadius.l. 18. §. j.D.de muner.& honor. Legati quoque qui ad ſacrarium principis mittuntur, quia viaticum,quod legatiuum dicitur,interdum ſolent accipere.Vlpian.l.2.D.de legat.His qui non gratuitam legationem ſuſceperunt,legatiuum ex forma reſtituatur.De hoc ipſo viatico Modeſtinus loquitur in l. 36. D.ad municip.

Legatum generale verbum in xii. Tab.quo hæredum inſtitutiones,legatorum,libertatum,& tutelarum dationes ſignificabantur.l.verbis.120.D.de verb.ſig. Sed hoc interpretatione coanguſtatum eſt, vel legum vel iura conſtituentium auctoritate.

Legatvm, eſt donatio teſtamento relicta, inquit Modeſt.l.36.D.de legat.& fid.lib.31.cui definitioni addebant veteris,ab hærede præſtanda.Vel ſic,Legatū, eſt delibatio hæreditatis, qua teſtator ex eo quod vniuerſum hæredis foret,alicui quid collatum velit.l. 116. D.de leg.& fid.libr.30. Qui locus ſignificare videtur, Florentinum hoc legati nomen à legendo, id eſt deligendo ductum putaſſe: quemadmodum Varro Legatos appellatos tradit,quòd publicè lecti mitterentur. namque delibantur & decerpuntur,leguntur.Vlp.autem Inſtit.c. xxvi.ex eo deducere videtur, quòd legis modo,id eſt imperatiuè & verbis ciuilibus relinquatur.Legatum eſt, inquit, quod legis modo, id eſt imperatiuè,teſtamento relinquitur. nam ea quæ precatiuo modo relinquuntur, fideicommiſſa vocantur. Iuſtin.autem legatum definit. Donationem à defuncto relictam ab hærede præſtandam.Inſtit.de legat.in princ.

Legatum cadvcvm variè dicitur: Primò ſi defuncto ſit relictum,quem tamen teſtator in viuis eſſe credebat:aut ei,qui priuſquam teſtator deceſſerit.Secundò, quando res quæ relicta eſt atque legata, non inuenitur.Tertiò,ſi graues inimicitiæ inter vtrunque oboriantur.Quartò,ſi legatarius legatum reſpuat. Quintò,ſi conditio ſub qua ſit relictum,deſit.vide.l.vnic.C. de caduc.tol. & Vlpiani Epitomen. tit. de cadu. Vide Caducum.

Legatum INVTILE in ſex caſibus locum obtinet. Primò, cùm deficit legatum ex perſona legantis, puta, ſi eſt ſeruus. Secundò, propter rem quæ legatur, qualis eſt ſacra, vel ædibus iuncta. Tertiò: ob perſonam cui legatur, præſertim ſi proprius eſt ſeruus. Quartò, quãdo vterque, &, qui legat, & cui legatur, inhabilis cognoſcitur. Quintò, inutile eſt legatum in re propria eius cui relinquitur, cùm æſtimatio rei potuiſſet legari. Sextò, ſi cui legatur, qui eius minus eſt capax: cuiuſmodi eſt deportatus, pœnæ ſeruus, & id genus homines, quibus neque teſtamenti actio relicta eſt.

Legatum præceptionis, non niſi vni ex hæredibus dari poteſt, vt aliquid ex hæreditate præcipuum habeat: quod ſi cõiunctim multis, aut diſiũctim ſingulis relinquatur, omnibus vna tantũ res quæ nominata eſt, ſicut & in legato vẽdicationis, debetur. l.ſi pluribus de leg. j. non vni res, & alij æſtimatio. Lege c. j. li. 3. Parer. Alc.

Legatorum genera recenſet Paulus lib. 3. Sent. tit. 6. & Vlpianus in Epito. titu. 23. Legamus (ait hic) quatuor modis, per vindicationem, damnationem, ſinendi modo, per præceptionem. Horum formulas refert Vlpianus: quæ non refero, quia Iuſtinianus vnam legatorum naturam eſſe voluerit, §. ſed olim. 2. Inſtitut. de lega. & eo iure vtimur. Ob idque Legatorum formulas, quas quidam recitant, prudens prætereo: quæ tamen iure noſtro receptæ ſunt, extant in tit. 1. 2. 3. & aliquot ſeq. & C. de legat.

LEGIO à legendo, hoc eſt, eligendo dicta eſt, vario ſemper numero. Nam talis exercitus delectiſſimis conſtabat militibus. Vnde miles legionarius, qui ad legionem pertinebat: vt miles auxiliarius qui ex auxiliis erat: & vide gl. l. 2. D. de iis qui notantur infamia. Legio autem diuidebatur in decem cohortes, cohors in quinquaginta maniplos: maniplus vigintiquinque milites continebat. Totum quoque exercitum in cohortes diuidebant vt ſingulis centuriis ſinguli præficerentur centuriones. Primam autem centuriam, quæ & numero militum, & dignitate præcedebat, Primipilum vocabant: vnde Centurio primipilaris appellari cœpit. Gubernabat autem quatuor centurias, hoc eſt, quadringentos milites in prima acie, habebátque præcipuum Romani imperij ſignum Aquilam. Plura de his vide apud Vegetium.

LEGVLEIVS, in legibus verſatus. Cicero: Ita & tibi Iuriſconſultus per ſe nil niſi leguleius quidam cautus, & acutus, præco actionum, cautus formularum, anceps ſyllabarum. Leguleios retulit Quintilianus ad leges XII. Tab. vt formularios, ad prætorias formulas: Quorum alij, inquit, ſe ad album ac rubricas tranſtulerunt, & formularij, ac (vt Cicero ait) Legulei quidam eſſe maluerunt. Leguleius autem diminutionis formam habet. vt equuleus, & hinnuleus.

LEGVLVS Varroni lib. 4. de Ling. Lat. propriè olearum collector: vt vindemiator vuarum. Idem etiam ſentit Cato. Sunt tamen qui vindemiator illo Varronis loco non legant, legulum in vua etiam probent, ex veteri lege: itáque videtur vſurpaſſe Vlpian. l. ſi cuius. §. Si tamen. D. de vſufr. & quem. Si tamen, inquit, quæ inſtituit vſufructuarius magnum apparatum ſint deſideratura, opificum fortè vel legulorũ (corruptè autẽ quidam, figulorum legunt) quæ non poteſt ſuſtinere proprietarius, non videbitur boni viri arbitratu vti frui. Propriè autem legulus eſt, qui manu legit caducam, & verberando decuſſam, vt & olea legi debet, quam Cato ſtringi vetat, id eſt ex arbore nuda manu detrahi, vel cũ digitabulis preſſam detrahi, quia læditur: hinc, Strictores, qui propterea à legulis ſeparãtur.

Λιπομαρτύριον Athenienſibus actio eſt aduerſus eos qui teſtimonij dictionem defugiunt: qualem in teſtamentorum cauſſa à XII. Tab. introductam oſtendit Ia. Cuiacius, his verbis: Qui ſe ſierit teſtarier: vel potius, Qui ſe ſirit teſtarier, in teſtimonium fatiatur, improbus inteſtabiliſque eſto. Sirit autem pro ſiuerit, vt alibi ſæpè apud veteres.

LENES, vaſis eſt genus, relatum ab Alfeno l. 17. §. j. D. ſi ſeruit. vind. Et Seius in eo ſyluam ſeuiſſet, in qua labra & lenes, cucumellas poſitas haberet. quanquã in Pandectis Florent. pro lenes, tenes legatur. nec enim ſunt quas Tinas Nonius nominat. Illius meminit Martialis lib. 1.

Tepida natabis lene Congedi uada.

Vlpianus l. 15. D. de actio. empt. Lines, & labra, ſalientes, fiſtulæ quæ ſalientibus iunguntur, &c. Sunt qui indifferenter ſcribi debere, lenes, lines, aut lenis, exiſtiment: illam tamen ſuperiorem ſcripturam potiorem exiſtimo, vt deducatur à Græco ληνὸς, quod torcular & lacum ſignificat, ſiue vas quo aqua recipitur.

LENITVDO, l. vnic. C. de mend. val. inertia eſt & ignauia. Quiſquis huiuſmodi lenitudinem prodiderit & probauerit. Sic l. hi quos. C. Th. de accuſ. Huius autem fuit olim propria actio quædam, quæ dicitur τῆς ἀργίας γραφή Nouel. 80. Pollux lib. 8. τῆς ἀργίας ἐπὶ μὲν Δράκοντος ἀτιμία ἦν τὸ τίμημα, ἐπὶ δὲ Σόλωνος, εἰ τρὶς τις ἁλῷη ἠτιμοῦτο. Nicolaus apud Stobæum: Ἀθήνησι τῆς ἀργίας εἰσὶ δίκαι. Plutarchus de Dracone, Μία δ' ὀλίγου δεῖν ἅπασιν ὥριστο τοῖς ἁμαρτάνουσι ζημία θάνατος, ὥστε καὶ τοὺς ἀργίας ἁλόντας ἀποθνήσκειν.

LENO eſt, qui mancipia proſtituta habet quæſtuaria. Senec. lib. 6. de benefic. Lenas verò dicimus quæ mulieres quæſtuarias proſtituunt. Lenam accipimus & eam quæ alterius nomine hoc vitæ genus exercet, l. 43. §. 3. D. de rit. nupt.

LENOCINIVM facit, qui quæſtuarias mulieres habet, aliíſque proſtituit: ſiue principaliter hoc negotium exerceat, ſiue alterius negotiationis acceſſione vtatur: vt puta ſi caupo fuerit, vel ſtabularius, & tales admittat mulieres. Vlpianus in l. athletas. §. j. de his, qui notan. infam.

LENTVM debitorem Cicero vocat eum qui libenter ſubterfugit & tergiuerſatur, & diem ex die ducit, neque promptus eſt ad diſſoluendum quod debet: Teucris, inquit, illa lentum ſane negotium. At contra Lucillius lentum ſoluere accepit pro eo qui facile ſolueret, bonúmque nomen eſſet. Credo quod lenta quæ ſunt facile ſequuntur quo velis: lentum quoque vocauit eum, qui facile ad ſoluẽdum adduceretur. Eius hæc ſunt verba Satyrar. lib. 9. apud Nonium ex Mureti caſtigatione:

Lucius Cotta ſenex Craßi pater huius peracer
Magnus fuit trico nummarius, ſoluere nulli.
Lentus. id eſt facilis.

LEVAMENTVM, l. quoties. in fi. D. ſi famil. furt. fec. pro auxilio. Huius edicti leuamentum, non tantum ei qui ſeruos poſſidens condemnatus præſtitit tantum, &c. Sic & pro beneficio vel excuſatione, l. j. C. qui morbo ſe exc. lib. 10. Atque ita, l. cum duobus. §. ſi incoeunda. D. pro ſocio. Alij tamen Velamentum legunt. Vide Velamentum.

LEVIDENSE munus, prouerbialiter, vile, & minimi precij vocat Cicero, vt Eraſ. in Chiliad. tradidit: cuiuſmodi magiſtratibus acciperet licet, Nam illis, vt admonet adagium vetus ab Vlpiano Græcè citatum, de offic. Proconſ. in l. ſolet etiam. §. non verò, nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus, niſi verecundè, atque quodam cum delectu accipere non licet.

Leuir in l. non facile. D. de gradibus, eſt viri frater, apud Græcos δαὴρ appellatus, vt eſt apud Homerum relatum. Sic enim Helena ad Hectorem dicit:

Δᾶερ ἐμεῖο κυνὸς, κακομηχάνου, ὀκρυοέσσης, Hoc eſt,
Leuir mei canis, omnis mali cauſatricis, horridæ.

Levem culpam præſtat qui rebus ſuis conſuetam diligentiam non præſtat, l.20.C.de neg.geſt. Vide Culpa.

Leuis caſtigatio, duntaxat conceſſa eſt docenti, l.ſed & ſi quæcunque.§.fi.D.ad l.Aquil.

Leuiſſima libertatis conditio intelligenda eſt, quæ ad libertatem perducit, quamuis natura grauior, & durior, l.35.D.de condi.& demon.

Lex naturæ, inquit Cicero de leg.1. ratio eſt ſumma inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibétque contraria: à legendo ducto vocabulo, quoniam delectus vis in lege eſt. iubet enim rectè facere, vetat delinquere. Græcis νόμος vocatur ἀπὸ τοῦ νέμειν, à ſuum cuique tribuendo. Et eodem libro: Ea mens ratióq; prudentis, ea iuris, atque iniuriæ regula. Apoſtolus Rom.2. hoc modo colligit: Eſt in Gentibus conſcientia factum accuſans vel defendens: eſt igitur Lex. Quaſi dicat: Conſcientia cuilibet indicat, num bene, an malè fecerit, etiam homini planè agreſti, & indocto. Sed tale iudicium non poteſt fieri in cõſcientia ſine aliqua formula legis, quæ indicet in corde hominis eſſe iuſtum aut iniquum quod fecit. Ergo eſt in homine Lex, quam etſi nuſquam ex ſcripto legit, habet tamen à Deo inſculptam ad formandos mores.

Lex eſt creatura & ordinatio Dei, id eſt, conſeruatio ciuilis iuſtitiæ. Nam politicus ſtatus eſt Dei opus, etiam ſi perſonæ ſint impiæ, & abutantur tali ordinatione. Roman.13. Non eſt poteſtas niſi à Deo. Et Pſal 81. Ego dixi, dij eſtis, hoc eſt, gerentes officia diuina: quæ ſunt, conſeruare iuſtitiam & iudicia, defendere innocentes, punire delicta, militiam legitimam exercere ad defendendum bonos.

Legum tabulas Moſen à Deo accepiſſe nemo eſt, qui neſciat, à quo tota iuris ſcripti ſeges proſeritur. Quicquid enim poſteri legum ſcriptores in monumentis reliquêre, id totam tanquam ſimiæ à Moſe, primùm Græci, deinde à Græcis Romani mutuati ſunt, Ficino & Euſebio adſtipulantibus. Ex Legibus Moſis multas in ſuas leges tranſtulit Solon: quod & Diodorus Siculus ſcribit.

Leges XII. Tab. à quibus petitæ tranſlatæq;, & quo loco præſcriptæ fuerint, docet Pomponius l.2. D. de orig.iur. Liuius lib.3. Vide Tabulæ duodecim.

Lex βασιλικὴ, id eſt Regia, vel imperialis, Xenophonti in Oeconomico, quæ iniuſtos punit, & iuſtos adiuuat. Sic enim ait, οἱ δὲ βασιλικοὶ νόμοι οὐ μόνον ζημιοῦσι τοὺς ἀδικοῦντας, ἀλλὰ καὶ ὠφελοῦσι τοὺς δικαίους.

Lege antiqua, quæ Regia nuncupabatur, omne ius omníſque poteſtas populi Romani in imperatoriã tranſlata eſt poteſtatem, l.j.D.de conſtit.princ. Certè dici id ſolet potius modeſtiæ cauſſa, quàm quòd vlla vnquam lex liberè fuerit lata de conſtituendo imperio, quod diuina potius voluntate proceſſit, ſub natiuitatem Chriſti Saluatoris noſtri.

Lex eſt generale iuſſum populi, aut plebis, rogante magiſtratu, ait Capito apud Gell.lib.10.cap.20. Vel ſic, Lex eſt, quod populus Rom. ſenatorio magiſtratu interrogante, veluti Conſule, conſtituebat: ait Iuſtin.§.4. De iur.natu. Vel ſic, Lex eſt ius, quod populus R. comitiis, vel centuriatis, vel tributis, vel curiatis, vno aliquo è magiſtratib. maioribus, vel minoribus rogãte, nimirũ Prætore, Cõſule, Dictatore, Interrege, trib. pl. cõſtituebat. Vel ſic, Lex eſt cõmune præceptũ, virorum prudentiũ conſultũ, delictorũ quæ ſponte vel ignorantia contrahuntur, coërcitio, communis Reip. ſponſio, Papinianus l.1.D.de legib.ſenat. quod vt dilucidius intelligatur, colligamus ex hac definitione ſubiecta ἀξιώματα, quæ priuatim iura repetens collegi.

1 Lex communis eſſe debet.
2 Ergo de vno ferenda non eſt.
3 Lex præceptum eſt.
4 Virorum prudentium decretum.
5 Ergo à mulieribus ferenda non eſt.
6 Sed nec ſine Iuriſconſultis,
7 Delicta legibus coërcenda ſunt.
8 Ergo non aliter iudicanda, expiandáve ſunt, quàm legibus.
9 Delicta conſulto, ſpontéque admiſſa puniuntur.
10 Sed & ſi quid ignorantia admiſſum ſit, plectitur. Igitur ignorantia punibilis.
11 Rogante magiſtratu, populus ſpondebat ſe ratam legem habere, túmque conſtituebat.
12 Ergo à populo ſciſcebatur lex.

Primi axiomatis ea poteſtas eſt, vt lex ab omnibus obſeruanda ſit, l.3.C.de legibus. Nam lex (vt ait Chryſippus apud Marcianum l.2.D.eo.) πάντων ἐστὶ βασιλεύς. Igitur omnes tenet, vt Iuſtinianus paſſim in nouellis conſtituit. Hinc à contrario ſenſu axiomate ſecundo colligimus, Legem de vno homine ferendã non eſſe, quod & antè lege cauerat Solon apud Demoſthen. καὶ τιμοκράτ. μηδὲ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ ἐξεῖναι θεῖναι. Ait Papinianus Legem eſſe præceptum. Strictior & anguſtior videtur definitio re definita, contra definitionum regulas, de quo Barto.l.j.D.de dolo. Nam legis virtus eſt imperare, vetare, permittere, & punire, l.7.D.de legibus, ſed & tribuere, & adimere, M.Fabio li.6.c.6. Verbo, Præceptum, omnes legis virtutes contineri rectè animaduertit Accurſius in d.l.j.D.de legibus. & Bartolus eum ſequutus. Hinc elicitur pronuntiatum diſputabile: Legis vnicam vim eſſe, putà præceptum. Lex eſt decretum. hoc enim ſignificat verbum Conſultum, quo vſus eſt Papinianus hoc loco, quo ſenſu & Horatius lib.2.Epiſtol.ad Quintium.1. vſurpauit,

Vir bonus quis eſt?
Qui conſulta patrum, qui leges iuráque ſeruat.

Conſultum igitur ſignificat decretum & ſtatutum. Ait Virorum. Hinc colligimus mulieres in ferendis legibus adeſſe non debere; quod & rectè Bartolus adnotauit d.l.j.D.de legib. ad leges municipales producens, quod & P.Decius probat d.l.2. D.de diuerſ.reg. iur. Cur igitur Theodoram vxorem ſuam conſilio ferendæ conſtitutionis Nouell.8. adhibuit Iuſtin. Conciliet hæc pugnantia qui volet. Quod ait Papinianus, Prudentum, hoc probari poteſt ex l.8.C.de legi. Delicta Legibus expianda eſſe ex legis definitione conſtat, Huc videtur reſpexiſſe Horatius lib.2. Epiſtol.ad Octauium,

Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes.

meritò, Nam, vt lege iuſſit Solon apud Æſchinem, καὶ κτησιφ. δικαστὰς ὅρκῳ ψηφίσασθαι κατὰ τοὺς νόμους. Delicta conſultò admiſſa puniri vult Papinianus hoc loco. quod & Marcianus probat l.11.§.pen.D.de pœnis. Rectè autem adiecit Papinianus, Cõtrahuntur: qui enim delinquit, obligatur, quod Bartolus tradidit l. ex hoc iure. de iuſtit.& iur. Accurſium ſecutus, qui & in ea eſt ſententia, l.omnem. D.de iudic. Non ſolum autem conſultò delinquentes puniri vult Papinianus, ſed & qui ignorantia deliquerunt. Ignorantia igitur punibilis. Quod mirum videri poſſet, cùm ignorans deliquiſſe intelligi non poſſet, vt ſcribit Gaius l.5.§.longè magis.D.de obliga.& actio. non eſt igitur ignorantia punibilis. Hîc varias ἀντινομίας adferunt Accurſius & Bartolus, quas conciliare nituntur. Sed de ignorantia inexcuſabili quod dicit Papinianus accipiendum eſt idque Baldus rectè exiſtimat, in d.l.j.verſ.vlterius noto. D.de legibus. Cum Papiniano ignorantiam puniendam aiente, pugnat l.53.D.de furt.& l.7. D.de iuriſdict. omn.iudic.& l.8. D.de iis qui not.infam. Horum contrariorum conciliatio latiſſimam exigit tractationem. Tu in illis locis interpretes conſule,

Legem

Legem Græci olim, Demoſthene teſte, ſic ferebant ad populum: In primis à Legiſlatore palàm recitabatur: deinde in loco maximè conſpicuo proſcribebatur ad tertiam concionem vſque. Tum à ſcriba legebatur, vt quiſque ſi quid non è Republica exiſtimaret, liberè proferret. Poſtremò nomothetis, qui ex iudicibus iurati deligebantur, dabatur, vt eam denuò perpendentes vel exequerentur, vel antiquarent. At apud Romanos ſic: Primùm, deliberabatur à ſenatu conſultante, num vtilis eſſet Lex tum ferenda: deinde ſi è Republica videbatur, proponi ſolebat populo tribus nundinis: tertio autem nundinarum foro rogabatur populus à conſule, hoc eſt, interrogabatur, an id placeret, quod patres ſtatuiſſent? Cicero pro Flacco: O morem, inquit, præclarum diſciplinámque, quam à maioribus accepimus, ſiquidem teneremus: ſed neſcio quo pacto iam de manibus elabitur. Nullam illi noſtri ſapientiſſimi, & ſanctiſſimi viri vim concionis eſſe voluerunt. Quæ ſciſceret plebs, aut quæ populus iuberet: ſummota concione, diſtributis partibus, tributim & cẽturiatim deſcriptis ordinibus, claſſibus, ætatibus, auditis auctoribus, re multos dies promulgata & cognita, iuberi vetaríq; voluerunt. Hæc ille. Atq; hinc apparet differẽtia inter promulgationem, & rogationem. Promulgatio fiebat binis nundinis: rogatio in tertiis nundinis. Promulgationi item intercedere licebat: rogationi nullo modo. Inde Rogatio pro lege accipitur. Cicero Philip. 1. Hodie vocem hanc, PROMVLGARE, tenemus quidem, quanquam non ſatis intellectam: rei verò ipſius ne vmbram quidem ſequimur. Vide M. Fabium lib. 2. cap. 4. in fin. De his autem, quoniam doctiſſime & fuſiſſime tradidit Manutius li. de legibus Romanis, & eum prolegomenωn vice noſtro legum Catalogo ſumus præpoſituri, non pluribus agemus, de Locris hoc tantùm addentes ex Demoſthene, lege apud eos ſancitum fuiſſe, vt ſi quis nouam legem laturus eſſet, exponeret eam prius populo, inſerto collo in laqueum: qui, ſi lex diſplicuiſſet, ſtatim conſtrictus auctorem nouæ Legis ſtrangularet.

Legum vſus ad formandos hominum mores pertinet: non ad oſtentationem aut quæſtum, vt quidam abutuntur, non aliter quàm Anacharſis dixit: Athenienſes ad nihil vti nummis niſi ad numerandum. Proinde cùm Hebræos Deus inter ſe quàm coniunctiſſimos, rectiſſiméque conſentire vellet, certas leges tulit, vt ex præſcripto res iudicarent, ne quando ius controuerſum diſſidium pareret.

Leges aranearum telis non oportet eſſe ſimiles, vt potentioribus facilè cedant, tenuiores autem retineant.

Leges cancellos eleganter Iſocrates appellat, flagitiis hominum circundatos, ne tranſiliant mali, quibus ſolis lex eſt poſita. Roma. 13.

Legum correctio magnopere fugiẽda eſt: quia mutationem iuris ſequitur mutatio morum: mutationem morum comitatur nouitas quædam ſubita hæc autem ſolet mouere & conquaſſare Rempublicam. Quare Ariſtoteles lib. Politico. 2. dicit: Receptas leges non eſſe mutandas, etiamſi quid incommodi habeant. Thucydides lib. 3. *χείροσι νόμοις ἀκινήτοις χρωμένη πόλις κρείσσων ἐστὶν, ἢ καλῶς ἔχουσιν, ἀκύροις. ἀμαθία τε μετὰ σωφροσύνης ὠφελιμώτερον ἢ δεξιότης μετὰ ἀκολασίας.* Et Vlpianus in l. 2. D. de conſtit. princ. In rebus, inquit, nouis conſtituendis, euidens eſſe vtilitas debet. Euidentem autem vtilitatem ſic intellige: vt ſi lex, aut conſuetudo, niſi corrigeretur, paulatim eſſet corruptura ius naturæ, quod immutabiliter retinere oportet.

Legem dominari vult Ariſtoteles, non hominem. Qui legem, ait, volunt ciuitati dominari: hi vidẽtur Deum ac leges dominari velle. Qui verò hominem dominari volunt, hi beluam præficiunt. Legem accipi vult, pro naturali ratione diuinitus indita, ex qua ducatur certa viuẽdi forma. Per hominem intelligi ſolam auctoritatem humanam, quia ſic placeat, ſic receptum ſit. Non verò quòd Magiſtratum damnare velit, quem mirum in modum extollit vbique.

Leges explicantem ſemper rationem dubitandi (ſic enim vocant) & decidendi oſtendere oportet, nedũ ponere ſimpliciter caſum, vt vulgò faciunt. Hoc eſt, oportet primùm regulam ſummi iuris vnam aut plures indicare, quarum ductu diuerſum videretur dicendum. Deinde demonſtranda eſt æquitas ex qualitatibus facti, quæ talem diffinitionem poſtulauerint. Sic enim totũ apparebit legiſlatoris conſiliũ, quod Celſus vim & poteſtatẽ legis appellat, in l. ſcire leges. D. de legib.

Leges neceſſariæ in Republica: quia impoſſibile eſt ciuitatem ſine legibus diu conſtare: nec magis, quàm ædificium ſine fundamento. Et populus Romanus viginti vix annis potuit ſine certo iure viuere, quin leges à Græcis peterentur. Videbant enim futurum, niſi certis vterentur legibus, extremam Reipublicæ calamitatẽ, l. 2. §. exactis deinde regibus. D. de orig. iur.

Legum obſeruatio, & compoſita bene viuendi ratio in Republica, ſolet augere populum: & frequentia populi ſolet amplificare imperia. Incipiendum ergo eſt in omni Republica conſilium à recta traditione iuris.

Legis virtus eſt imperare, vetare, permittere, punire. Modeſtinus in l. legis. D. de leg.

Legis officium & natura eſt, vt generaliter ſtatuat de negotiis hominum & in commune. Quod elegãter probat Ariſtoteles in Polit. Celſus. D. de legibus. Nam ad ea, inquit, potius debet aptari ius, quę & frequenter & facilè, quàm ad ea quæ perrarò eueniunt. Vnde Papinianus in l. j. ibidem, Lex eſt, ait, commune præceptum, virorum prudentum conſultum.

Leges ſcriptæ ſunt propterea, ne quis ab eis diſcedens, arbitrio ſuo figat atque refigat æquitatem, vt Virgilius dixit. Quamobrem Athenienſes, qui certas habebant intra mediocritatem deſcriptas legum formulas, ad quas exigerent æquitatem incidentium negotiorum, præferendi ſunt Lacedæmoniis, qui committebant omnia non ſcriptis moribus: quibus ſæpenumero gliſcentibus, perniciosè admodum errabant.

Leges ſcriptas habere neceſſarium, quia non poſſet politia feliciter conſeruari, niſi ſcriptæ eſſent. Idq; conſtat multis rationibus. 1. Homo eſt fragilis, poteſt falli, & propter corruptam Adæ lapſu naturam, omnes (vt Dauid dixit) ſumus mendaces. Igitur non eſſet tutum Magiſtratui committere omnia pro arbitrio ſtatuere ſine ſcripto. Quò pertinet, quod Ariſtoteles lib. Ethic. 5. dixit: Non homo imperet, ſed ratio. 11. Exemplum nobis edidit Deus in veteri teſtamento. Nam cùm vellet Hebræos rectiſſimè inter ſe conſentire, certas leges tulit, vt ex præſcripto res iudicarent. Qua de re Moſes gloriatur coram toto populo, Deutero. 4. 111. Tam magiſtratuum, quàm ſubditorum intereſt, vt habeant ſcriptas leges: Magiſtratuum, quò ſciant, quid imperandum: Subditorum, vt intelligant, quatenus obtemperandum ſit, cum ſciant eum iuxta legem imperare. Nam & ipſum ius honorarium, viua vox eſt iuris ciuilis ſcripti, inquit Martianus. D. de iuſti. & iur. loquens de iure Prætoris Romani magiſtratus.

LEX pro forma contractus frequenter vſurpatur: hoc eſt, pro pactionibus, & conditionibus quæ contractui formam dant. Vnde illud vſitatum, Ea lege & conditione. Hinc, lex contractus dicitur in l. ſi dominus. 8. D. de præſcript. verb. Hinc, legem Locationis Paulus dicit in l. ſi. in lege. 24. D. locat. Vlpianus autem formam locationis, in l. fructus. 8. §. item ſi. D. ſolut. mat. & Varro lib. De re ruſt. 11. cap. 111. Ob hoc in lege locationis fundi excipi ſolet, &c. Et c. 11. in emptionibus iu

nibus iure vtimur eo, quod lex præſcripſit, in ea enim alij plura, alij pauciora excipiunt. Hinc apud Catonem, Lex oleæ legendæ, Lex oleæ faciundæ: Lex vini pendentis,&c. Et ſic in edicto De ſuperficiis, l.j. Vti ex lege locationis ſiue conductionis ſuperficie qua de agitur,&c. Hinc lex venditionis, paſſ.ſub tit.de cont. empt.l.29. D.de ſeruit.ruſticor.l.6. commun.præd. Iuſtin.§.vlti. De locat.& cond. Conductor, inquit, omnia ſecundum legem conductionis facere debet: & ſi quid in lege prętermiſſum fuerit,id ex bono & ęquo præſtare. Propterea autem Legis nomine Conuentiones appellantur,quoniam ad legum exemplum imperandi modo concipiebantur:vt Verrina III. Operæ pretium eſt ipſam legem cognoſcere. Qui de Cenſoribus redemerit, eum ſociū ne admittito, néve ei partem dato, néve ei redimito. Et in marmore antiquo: Qui redemerit, prædes dato, prædiáque ſubſignato:&c. Hinc,

Lex commiſſoria, vide Commissoria lex.

Lex Cenſoria eſt conditio illa pactúmque quo Cenſores agros publicos, vel vectigalia fruenda locabant. Huius meminit l.203.D.de verbo.ſignific. atque etiam M. Cicero 5.Verrina. Varro lib.2.rei ruſtic.ca j.Feſt.Pompeius lib.17.hæc & vectigalis dicitur l.2.§.ſi publicanus.D.vi bonor.rap. Et Lex mancipij,apud Tullium lib.de Orat.1.& 3.Offic.& Varron.lib.5.Ling. Et Lex Ædium,l.33.D.de ſeruit.vrb.Vitruuius lib.j.ca.j. Lex vrbanorum prædiorum, Varroni lib.4.Ling. Lex ſaltui dicta, l.2. C.de noxal. Et Leges Colonicæ, Varro lib.j.Rei ruſtic.cap.2. Lex familiarum, l.195. D.de verbo.ſignif. Leges agris dicuntur de eorum conditionibus l.j.§.fin.D.de aqua quotidian.ab iis, qui agros conſtituerunt,& finierunt, vt Hygenus lib.de limitibus agrorum ſignificat.

Lex publica, vide Publica lex.

Lex aut rogatur,id eſt fertur:aut abrogatur,id eſt tollitur:aut derogatur,id eſt pars prima tollitur:aut ſubrogatur,id eſt adiicitur aliquid primæ legi: aut abrogatur,id eſt mutatur aliquid ex prima lege. Vlpianus ca. Inſtit.j. Vel ſic:Lex rogatur, cùm populus rogatur vt nouam legē accipiat:derogatur legi, cùm rogatur, vt capita quædam è lege vetere detrahat: abrogatur, cùm rogatur vt legem veterem omnino tollat:prorogatur, cùm differtur: irrogatur, cùm in aliquem propriè fertur: vt cū mulcta alicui à magiſtratu dicebatur.

Legem dici,dari,conſcribi,inſeri,conſignari iuris auctores dixerunt,l.15.§.fi.D.de ſtat.lib.l.14.D.comm. præd. l.13.§.idem Iulianus. D.de actio.emp.l.40.de pactis.l.16.D.de manu.vindict.l.15.§.ſi quid.de damn.infect.l.42.D.de mor.cauſ.dona.

Legibus ſolutum eſſe, Legibus non teneri.Oppo. Legibus alligatum eſſe, Legibus teneri, Submittere legibus, l.princeps.& l.ſeq.D.de legibus. l.digna. vox.C. eodem titu.

Legis actio, formula perſequendi, quæ ex lege Ciuili componitur, l.2.§.deinde ex his legibus. D.de orig. iur. Et appellabatur,inquit Pomponius, hæc pars iuris Legis actiones.

Lege agere, eſt quod lege aliqua inſtitutum eſt ritè & ſolenniter peragere. Itaque legis actiones ſunt formulæ agendi in iure apud eum qui iure dicundo præeſt,veluti:Emancipatio,adoptio,manumiſſio per vindictam, in iure ceſſio,tutoris in iure datio,poſtulatio iudicij recuperatorij, poſtulatio bonorum ex edicto, ſtipulationes & ſatiſdationes quæ in iure fiunt. Vopiſcus in Aureliano:Iube igitur vt lege agatur, ſitq; Aurelianus hæres ſacrorum,nominis,& bonorū, totiúſq; iuris. Lege agatur, dixit, pro Adoptio ex lege celebretur.Cice.lib.de Orat.j. Agerent enim tecum lege,primum Pythagorei omnes,atq; Democritici,&c. vindicarentque ornati homines, &c. Hinc, Magiſtratus apud quem legis actio eſt,dicitur is apud quem aliquid eorum agere ius eſt. Modeſt.l.4. D.de adop. Magiſtratus apud quem legis actio eſt,& emancipare filios ſuos, & in adoptionem dare poteſt. Marcia.l.2. D.de offic.proconſ. Apud legatum verò proconſulis nemo manumittere poteſt, quia non habent iuriſdictionem talē.Vlpi.Nec adoptare poteſt.omnino enim non eſt apud eum legis actio.Idem l.j.D de offi.iurid. Adoptare quis apud iuridicum poteſt: quia data eſt ei legis actio. Paulus Sent.lib.2.Apud magiſtratus municipales,ſi habent legis actionem, emācipari & manumitti poteſt. Sed de legato quæſitū eſt, propter l.apud proconſulem.D.de manu.vind.Ego rem ſic diſtinguerem, vt ciuis R.ciuem Romanum facere apud legatum non poſſet: peregrinus verò liberum è ſeruo facere etiam apud Proconſulis legatum poſſet. Legati enim proconſulum ius dicebant, vt ex Pandectis patet.&c.ex Epiſt.Ciceronis li.13.& Oratione pro Flacco.Legis autem actionem ciuium Romanorum propriam fuiſſe, locus ex eadem Oratione quē ſubiiciam demonſtrat:Qu.Naſo iudex ſumitur, qui cum ſententiam ſecundum Plotium ſe dicturum oſtenderet,& ab eo iudice abiit,& quòd iudicium lege non erat, cauſſam totam reliquit.Sic enim vetus codex legit, cum in vulgatis Abiret nullo ſenſu ſcriptum ſit.loquitur autem de Heraclide peregrino qui cum ciue,ſenatore, C.Plotio agebat. Patet etiam ex Fabij lib.3.cap.6.infames lege agere non potuiſſe.Non habes ius abdicandi: quia ignominioſo non eſt actio. habeo ius, quia abdicato actio non eſt. quæritur quid ſit actio: id eſt,quid ſit legis actio.

Legitima generaliter dicuntur omnia quæ ex lege aliqua inſtituta ſunt: plerunque tamen de lege XII. Tab.intelliguntur. Hinc,

Legitimi hæredes paſſim appellantur, quos lex XII. Tab. inteſtatis attribuit, hoc eſt proximos agnatos, quanquàm eius legis exemplo etiam nouæ leges & Senatuſconſulta ſignificētur;l.2.§.vlt.D.vnd.legit.Sic,

Legitima hæreditas eodem modo, in l.1.l.2.& l.3.D. de hæred. petit.l.7. D.de cap.minut. Item Legitima tutela dicitur, quæ lege defertur. Legem autem excellentiæ cauſſa legem XII.Tab.intelligimus. Vlp.l.j D.de legi.tut.Legitimæ tutelæ lege XII.Tabu. agnatis delatæ ſunt,& conſanguineis: item patronis, id eſt his,qui ad legitimam hæreditatem admitti poſſint.hoc ſumma prouidētia, vt qui ſepararēt hanc ſucceſſionē,iidem tuerentur bona,ne dilapidarentur.hæc ille.Legitimam tamē Patronorum tutelam dici tradit in l.3,non quòd nominatim id lex cauerit, ſed quòd legis id ratio flagitare viſa eſt:vt vbi hæreditas, ibi tutela eſſet.Item legitima tutela dicitur parentum, qui filiorum quos impuberes emanciparunt, tutores fiunt: qui verè legitimi nō ſunt,ſed legitimorum vicem obtinēt:vt ait Vlp.d.l.3.§.vlt.D.eo.legitimæ, inquam, illæ tutelæ præſtantia quadam legis veteris dicuntur: quod hinc licet intelligatur,quia tutelæ quæ lege Attilia, Iulia & Titia mādantur,legitimarum nomine non intelliguntur,vt apparet ex l.7.D.de cap.minut.

Legitima vxor, quæ ritè ex præſcripto legum in matrimonium conuenit,l.4. D.de rit.nupt. Legitimæ nuptiæ, quæ ſecundum Romanæ ciuitatis iura contractæ ſunt,§.j.Inſt.de nupt.

Legitima crimina, de quibus lege aliqua quæſtio conſtituta eſt,l.3.§.pœna.D.de crim.ſtellion.

Legitima ætas, quæ lege aliqua præſcripta & præſtituta eſt:veluti in maribus annorum XIIII.in fœminis XII. nuptiarum cauſſa. item ad res adminiſtrandas XXV.l. vlt.§.Diuus. D.de public. l.vlti.in fin.D.de appella.l.j. C.de cur.fur.l.4. C.de tranſact.

Legitima verba dicuntur, quæ formularum ſunt, quæ & concepta, & directa, & ciuilia & ſolennia quoque appellantur. Cicero Philip. I. Cedo illa legitima. CONSVLES populum iure rogauerunt, populúſque iure ſciuit. Legitima verba dicuntur Latina in l. fi. C. de teſtam. tutel. vide Vlp. Inſt. tit. 25.

Legitimum tempus, legibus præfinitum, l. 5. D. de vſufr. l. 3. D. de vſucap. l. 19. D. de mino. l. 8. l. 10. D. de infamib. l. j. C. ſi minor. ſe maio. Sic, Legitimæ actiones, legibus inſtitutæ, §. ſed iſtæ. Inſtit. de actio. Legitimi tutores, qui ad legitimam hæreditatem admitti poſſunt. Vlpianus in l. j. D. de legit. tut.

Legitimi dies, vide Dies legitimi.

Legitimi actus qui ſint, docet text. in l. actus. vbi glo. Bart. Albericus. P. Decius. D. de regul. iur. opponitur, Illegitimè natus.

Legitimum ſpacium l. 14. D. de ſer. vrb. Legitima latitudo, l. 3. D. de ſer. ruſti. quæ leg. XII. Tab. comprehenſa eſt. Legitimus modus, l. 3. §. j. D. de mor. infer. quo abeſſe ab ædificiis buſta monumentáq; lex XII. Tab. conſtituit. Cic. lib. 3. de Legib. At l. 21. D. de donat. Legitimus modus eſt, qui donationibus lege præſtitutus eſt, cuius meminêre l. 24. D. eod.

Legitimus honorarij modus 100. aurei in ſingulis cauſſis l. j. D. de extraordi. cognitione, quem S. C. conſtitutum Tacit. lib. 10. auctor eſt.

Legitimus numerus Paul. lib. 4. Senten. tit. j. lege Caninia præſcriptus.

Legitimè ordinati libelli, ſecundum legis præſcriptum concepti. l. 3. §. j. D. de accuſat.

Legitimi teſtes, qui ex legibus teſtamento adhibendi ſunt, l. 16. D. de vulg.

Legitimæ cognationes, quæ agnatorum ius habent, quod iure ciuili & lege XII. Tab. introductum eſt, l. 12. §. fin. D. de ritu nupt. §. fi. Inſtit. de cap. minu. & vide l. 4. §. cognationis. D. de gradibus.

Legitima quantitas, in l. 25. C. de do. inter vir. quæ legibus conſtitutionibúſve definita eſt, l. 34. C. de donat.

Legitimæ vſuræ, centeſimæ, l. tutor qui repertorium. §. pecunia. & §. ſeq. D. de admi. tut.

LEGITIMA liberorum dicebatur olim pars hæreditatis quarta: quam conſuetudinem ex legis Falcidiæ ratione manaſſe, Paulus lib. Senten. 4. cap. 5. non obſcurè demonſtrat. Cùm enim inſtituti partem nũquam minorem quarta iuſſiſſet eſſe, ſi filius minus ex patris teſtamento cõſecutus erat, quod ei deerat ſupplebatur. Hinc pars illa, quia non ex teſtamẽto, ſed ex lege manabat, Legitima dicta eſt: quomodo Legitima hæreditas dicitur, quam lex, non teſtamentum, defert. Atq; hæc quidem olim: poſt verò Iuſtinianus duas Conſtitutiones edidit, quarum priore ſtatuit, vt idem in exhæredatis iuris eſſet, quod in inſtitutis: nimirum vt ſi exhæredato filio vel minima res, veluti ſolidus vnus legatus eſſet, inofficioſi agere non poſſet. ſed quod legitimæ parti, hoc eſt quartæ deeſſet, ſuppleretur. idque etiam ſi teſtamẽto cautum non eſſet, l. omnimodo. 30. C. de inoffic. teſtam. ex quo intelligi poteſt, quàm falſa ſit eorum opinio, qui ius hoc ſuppletionis tam in inſtitutis, quàm in exhæredatis à Iuſtiniano inductum exiſtimant. Poſteriore autem Conſtitutione, quæ Nouellarum eſt XVIII. modum hunc legitimæ adauxit, vt ſi vnus, duo, tres, quatuórve liberi eſſent, triens illis relinqueretur: ſin plures quatuor, ſemis. Hotom. Vel ſic,

Legitima liberorum olim erat quarta pars bonorũ, quæ pater tempore mortis reliquiſſet, deducto ære alieno & impenſa funeris. l. Papinianus. §. quarta autem. D. de inofficioſ. teſtament. l. cùm quæritur. C. eodem titu. Hodie verò, cùm quatuor ſunt filij, vel pauciores, tertia pars eſt: cùm plures extant, dimidia pars paternæ ſubſtantiæ legitima cenſetur. §. frequenter igitur. Nouell. de trient. & ſemiſ. & §. porrò hanc particulam. Nouell. Conſtitutio. 22.

Legitima nepotũ ſic colligenda eſt. Aliàs enim ſoli ſunt, non cum mortuorum fratrum filiis, ſuccedúntque in capita. Eodem modo ex numero eorum colligenda eſt triens, hoc eſt, tertia, ſi quatuor, vel pauciores fuerint: aut ſemis, id eſt, dimidia pars bonorum auitorum, ſi plures ſint. Nouel. de trien. & ſemiſſ. in prin. Cùm dicit: Hoc obſeruando in omnibus, in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioſo, lege decreta eſt. Aliàs, cùm permixti ſunt mortuorum nepotum filij, & ſic pronepotes, aut deinceps: hi in ſtirpes ſuccedunt, & tantam partem accipiunt pro legitima, quantam pater eorum fuiſſet accepturus, quotquot fuerint. Nouel. de trient. & ſemiſſ. §. neq; illo. Conſtit. 18. Aliàs deniq; nepotibus ſupereſt filius vnus vel plures defuncti. Quo caſu omnes nepotes in ſtirpes ſuccedunt: ideóq; perſonam patris ſui repræſentãt omnes in percipienda legitima. Nouell. De hæred. ab inteſt. §. ſi tamen.

Legitima aſcendentium ſeu parentum, hoc eſt, quam liberi debent parentibus, eodem modo aucta eſt hodie, ſicut de legitima liberorum diximus, vt communiter probant Doctores, per l. nam etſi, D. de inofficioſ. teſtam. Nam etſi, inquit Imperator, parentibus non debeatur filiorum hæreditas, propter votum parentum, & naturalem erga filios caritatem: turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus, quàm liberis piè relinqui debet.

Legitima tranſuerſalium, hoc eſt, fratrum ab inteſtato ſuccedentium, & olim & nunc eſt quarta bonorum pars. argu. l. Papinianus. §. quarta. D. de inofficioſ. teſtam. Et quanquã huius quartæ non fiat expreſſa mentio in iure Ciuili: non tamen fuerit abſonum, per naturalem æquitatem interpretando, ſic colligere: quoniam frater debet fratri alimenta, per l. non omni. & l. cùm plures. §. in ſoluendis. C. de admini. tut. arguendo ab alimentis ad quartam. Sed & quæ ex teſtamento defertur, legitima quoque, non impropriè, latiore tamen ſenſu, dicetur: ea enim à lege XII. Tabularum confirmatur, dum in illa conſtitutum eſt: Vti quis rei ſuæ legaſſet, ita ius eſto, l. verbis. De verborum ſignificationibus.

Ληξίαρχοι, Magiſtratus quidam Athenis, qui tum alios, tum eos qui iam ſuæ tutelæ facti erant, & iam poterant ἄρχειν τῶν λήξεων, id eſt, hæreditatis paternæ, in album ciuitatis inſcribebant. Vide Poll. Hinc, Ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, quod & γραμματεῖον ſimpliciter, & ληξιαρχικὸν, liber, in quem puerorum nomina referebantur, qui iam tutelæ ſuæ facti erant. παρὰ τὸ λήξεων ἄρχειν, hoc eſt τῶν κλήρων τῶν ἰδίων. erant enim tum αὐτεξούσιοι, hoc eſt ſui iuris, & ſtatuere de facultatibus ſuis poterant.

LIBARE, eſt ſacrificare. Lactan. lib. j. Nihil enim ſancta & ſingularis illa maieſtas aliud ab homine deſiderat, quàm ſolam innocentiam, quam ſi quis obtulerit Deo, ſatis piè, ſatis religioſè libabit.

LIBELLA in l. iudices. 9. C. de Epiſcop. aud. dimidia eſt chœnicis pars, vt exponit Alciat. lib. Parerg. cap. 17. Eſt autem Chœnix demenſum & cibus diurnus, vt apud Homer. Odyſſ. τ. -Οὐ γὰρ ἀεργὸν ἀνέξομαι, ὅς κεν ἐμοῖσγε χοίνικος ἅπτηται). Et illud Pythagoræ ſymbolum Chœnici ne inſideas. Iubet igitur lex duas libellas, id eſt, chœnicem victualis ſubſtantiæ cuſtoditis præſtari. A. Gellius lib. 20. cap. j. legis XII. Tab. verba de addictis hæc refert: Si volet, ſuo viuito: ni ſuo viuit, qui cum vinctum habebit, libras farris in dies dato. Alias Libella eſt fabrile inſtrumentum: alias etiam nummi minuti Romani genus.

LIBER. Hinc libri librorum, quorum appellatione continentur omnia volumina, ſiue in charta, ſiue in membrana ſint, ſiue in quauis alia materia, l. 52. D. de legat. 3.

LIBELLVS pro tabella fideicommiſſaria, hoc eſt, in qua fideicommiſſum ſcribit teſtator, accipitur in l.j.in prin.D.de tabul.exhiben.Itẽ ſi libellus,inquit, aliúdve relictum eſſe dicetur,decreto comprehendam.Et in l. & in Epiſtola.C.de fideicommiſ. Et in Epiſtola (dicit Imperator) vel breui libello, vel ſine ſcriptura, imò etiam nutu,fideicommiſſum relinqui poſſe, adhibitis teſtibus,nulla dubitatio eſt.

Libellus,appellatur commentarius in ſacris literis, cap.2. in princ.De ſum.trinit.& fid.cathol. Damnamus ergo (inquit Innocentius) & reprobamus libellũ ſeu tractatum,quem Abbas Ioachim edidit.

Libellus appellatur ſcheda ſupplex, quam vulgò ſupplicationem dicimus, qua populares poſtulata ſua principibus exponere ſolent, in titul. C.quan.libel.princi. dat.litis conteſta.fa.& in l.non diſtinguemus. §.cùm quidam.D.de arbit.Libello,inquit, cuiuſdam id quærentis Antoninus ſubſcripſit.Hac ſignificatione Iuriſconſultus in l.nec quicquam.§.vbi decretum.D.de offic.procon.& legat.& in l.omnia. D.de regul.iur:ſic tradit: Quòd omnia quæcunque cauſſæ cognitionem deſiderant,per libellum expediri nõ poſſunt, hoc eſt, per ſolam ſupplicationem præſtari nequeunt,non audita parte aduerſa. Quas leges alioqui non obſcuras, Accurſius inuoluit ignorantia huius ſignificationis. Adde l.ſemper. §.demonſtratur. D.de iur.immunita. Sicque vſurpauit Suetonius in Auguſto: Promiſcuis ſalutationibus admittebat & plebem, tanta comitate adeuntium deſideria excipiens,vt quendam corripuerit, quòd ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, quaſi elephanto ſtipem. Hinc; Libellorum magiſtri, de quibus vide in voce Magiſtri.

Libellus rerũ, l.ſi ego Seiæ,§.plane.D.de iur.dot.in quem conferebat mulier ea quæ præter dotem in domũ mariti inferebat:quem & ideò marito offerebat, vt is eũ ſubſcriberet, vt certum eſſet in domum eius ea fuiſſe illata,& ne ſiquando ſeparatio fieret,negaret.

Libellus familiæ, l.99. D.de legat.3.l.8. C.The. de cuſto. reorum.

Libellus, pro aſſertoria epiſtola accipitur, quam vulgò credentiam vel certificationem vocamus: cùm ſuperior Magiſtratus fidem facit pro ſubdito, vel etiã pro alio,l.ſi publicanus.§.de rebus.D.de public.& vectiga. Hanc aſſertoriam epiſtolam ab Epiſcopo clerici habere ſolent, l.ſi qua per calumniam. §.præterea iubemus.C.de Epiſco.& cler.& in l.j. C.de mandat.princi. Omnes, inquit, ſciant, nemini quicquam, niſi quod ſcriptis probauerit, eſſe credendum.

Libellus dicitur, qui iudicis recuſandi cauſſa porrigitur à litigatoribus,l.apertiſſimi.C.de iudici. Liceat, inquit, ei,qui ſuſpectum iudicem putat,antequam lis inchoëtur,eum recuſare,vt ad alium recurratur,libello recuſationis ei porrecto.

Libelli appellatorij vocantur porrecti ab eo qui appellat ei à quo appellabat,in l.j.§.vlt.D.de appellatio. Libelli,inquit,qui dantur appellatorij,ita ſunt concipiendi, vt habeant ſcriptum, & à quo dati ſunt, hoc eſt, quis appellet,& aduerſus quem,& à qua ſententia. Et alibi ſæpe in eodem titulo, ſic dicuntur libelli. Vel ſic: Libelli vocantur literæ dimiſſoriæ ſiue Apoſtoli, in titu. D.de libell.dimiſſo. Poſt appellationem enim interpoſitam,literæ dandæ ſunt ab eo à quo appellatũ eſt, ad eum qui de appellatione cogniturus eſt,quarũ ſenſus talis eſt: appellaſſe puta Lucium Titium à ſententia illius,quæ inter illos dicta eſt,l.j.D.d.titu.

Libellus appellatur,quem maritus vxori,aut contra vxor marito repudij cauſſa mittit, cuius fit mentio in l.ſi pœnituit.D.de diuort.his verbis: Si pœnituit eum qui libellum tradendum diuortij dedit. & Chriſtus Matthæi 5. Quicunque,inquit,repudiauerit vxorem ſuam, det illi libellum diuortij.

Libelli famoſi dicuntur ſcripturæ famoſæ,hoc eſt,in contumeliam alterius editæ,in tit. D.& C.de fam.libellis.

Libellus appellatur ſcheda intimatoria, videlicet quæ in foro aut valuis Eccleſiarum proponitur: inueniſſe puta Sempronium anulum aureum, eíque cuius eſt redditurum,vt dicit l.falſus.§.pleriſque.D.de furt.

Libellus dicitur oratio conſultoria, qua boni Imperatores olim complecti ſolebant ea, quæ de rebus arduis ad Senatum Romanum cenſenda referebant, vt in l. item veniunt.§.præter hæc. D.de petit.hæredi. Pridie Idus Martias, inquit, Quintus Iulius Balbus, & Publius Iubentius Celſus, Titius Aufidius, Onerius Seuerianus Conſules,verba fecere de his, quæ Imperator Cæſar Traiani Parthici filius, Diui Neruæ nepos, Adrianus Auguſtus Imperator, maximúſque princeps, propoſuit quinto nonas Martij, quæ proximæ fuerũt, libello complexus eſt quid fieri placeat. De qua re ita cenſuerunt.Huius orationis in eo tit.fit mentio,l.illud quoque.in princ.Illud quoque, ait, quod in oratione Diui Adriani eſt.

Libellus dicitur ſcriptum continens intentionem actoris aduerſus reum conuentum in iudicio,l.16.§.fin.& l.ſeq. D.de inoffic.teſta.l.j.§.j. D.de eden. tot.tit.de li. oblat.qui & Libellus conuentionis appellatur, §.tripli.Inſtitut.de action. Et Libellum hoc modo rectè diffinias: Eſt formula ſcripti, complectens actionem & futuræ litis ſpeciem in iudicio, l.j.C.de edend.neque verò tam curioſè laborandum hîc eſt, vt plerique faciunt.Nam libellus nihil aliud facit, quàm quòd ius illud perſequendi exhibet iudici cognituro de cauſſa. Siquidem non poteſt cognoſcere,niſi intelligat actionem.Et intelligere nõ poteſt,niſi aut dicatur, aut ſcribatur.Ex ſcripto conſtat libellus:ex non ſcripto, cauſſæ nudis verbis controuertentium tractantur. Vide Specul.de libel.conceptione.

Libellus eſt duplex: Conuentionalis, & accuſationis ſeu inſcriptionis. De libello conuentionis loquitur l.j.D. de edend. & l.j.C.eo.tit. De inſcriptione verò tractatur in l.libellorum.D.de accuſatio.

Libellum hunc nihil aliud eſſe,quàm Syllogiſmum, optima ratione Doctores iuris tradunt. Vt ecce, cùm ita dicimus:Iure ſtatutum eſt,poſſeſſorem iniuſtũ rei alienæ teneri ad reſtitutionem eius, domino rectè vindicanti. Sed Titius poſſidet me inuito & iniuſtè rem meam,nec vult reſtituere. Quare peto Titiũ condemnari,& cõpelli,vt mihi eandem rem reſtituat. Hîc vides maiorem propoſitionem,minorem, & concluſionẽ. Vides itẽ nomen rei vindicationis ſatis expreſſum.

Libellus abſolutus eſt, quando caſum ſeu factum ſummatim vno orationis contextu complectimur.

Libellus articulatus ſeu poſitionalis dicitur, cùm ſingulis articulis ſingulas cauſſæ circumſtantias in ſpeciem deſcribimus.

Libellus cenſetur ineptus, ſiue inutilis duobus modis: altero propter defectum formæ, cuius maxima pars eſt petitio ſeu concluſio: altero,ob materiam vel cauſſam petendi, quæ in narratione verſatur, nec eſt talis vt producat ius agendi. Et hoc eſt, quòd excipientes aduerſus tenorem libelli, dicunt eum peccare in materia & forma. his quippe verbis vtũtur ex vſu magis,quàm quòd res ita habeat plerunque.

Libellos agere, id eſt libellis principi datis ſubſignandis aut recitandis præeſſe, l.12. D.de diſtra.pign. Libellos agente Papiniano.

Libellos deiicere, apud Senecam, is dicebatur qui creditoribus ſe obligare paratus erat, vel ſoluere parabat vel denique eum cuius bona proſcribebantur, defendere parabat. Et ſuſpenſis, inquit, amici bonis, libellum deiicio, creditoribus eius me obligaturus. Sic Cic.pro

Cic.pro Quintio:Libellos Sex. Alphenus procurator P.Quintij familiaris & propinquus,Sex.Neuij deiicit.

Libellenses, ſunt qui libellis aut ſuſcipiẽdis,aut recitandis præerant.l.32.C. de appel. Noſtri verò libellenſes,(inquit)quæ apud arbitros geſta ſunt ſuſcipiãt, cognitiones inducant, & ea quæ geruntur excipiant, ſcribant,ſcriptáque litigatoribus edãt:qui etiam apud arbitros(licet illuſtres ſint)ex delegatione noſtra cognoſcentes,excipiunt, ſi in ſacratiſſimo noſtri numinis comitatu cauſſæ dicantur.His etiam vocantur Libellenſes ſacri ſcrinij.l.fi.C.vbi ſenato.

Libellus pro breui,vt loquuntur Impp.l.9.§.dotis.D.de iu, dot.l.4.§.j.D.de publican.l.44.§.ſolent.D.de furtis.

Libellarius,à Libello,id eſt breui ſcriptura deductum:Hinc.

Libellarius contractus,id eſt venditio(alij tamen conuentionem eſſe volunt)quæ fit ſcriptura, interueniente certo pretio, & hoc amplius certa penſione, conſtituta in annos ſingulos;& hac plerunque lege,vt ſtato,condictóque tempore cõtractus renouetur,rurſus numerato pretio certo,vel arbitrario. Venditionẽ autem dicimus,vt tit.9.§.2.lib.2.Alij Locationem eſſe exiſtimant:alij etiam emphyteuſim ex Nouel. Leonis 13. tum & Lombardos pro emphyteuſi libellarium contractum dixiſſe.Sed in hoc eſt differentia (ait Cuia.)quod non ſoleat emphyteuſis renouari non mutato poſſeſſore:Libellaria renouatur ſtatis certíſque tẽporibus,etiam non mutato poſſeſſore,data certa pecunia,vel quam bonus vir arbitratus fuerit,ſecundum qualitatem rei in libellum datæ:quod quidem renouationis pretium Leo εἰς δευτικὸν Et emphyteuſis contrahitur ſub lege meliorandæ rei,puta ædificij in area ponendi,vel reficiendi,vel agri excolendi & recreandi:libellaria hanc legem non habet. Et libellaria in perpetuum fit ſemper,vt infrà tit.8.lib.j.Feud.C.Emphyteuſis nõnunquam ad tempus.Et ſi credamus antiquis Feudorum conditoribus,in libellaria eſt commiſſo locus poſt biennium, ſicut in locatione,cum in emphyteuſi triennij ceſſatio exigatur: & is qui per libellum à domino poſſidet, vendere poteſt ſine conſenſu domini:emphyteuticarius non item.Fit libelli huius,ſiue libellariæ mentio ſæpe his libris, vt Feud,j. tit.8.& 2.tit.9.& 4.tit.3.53.57. C.& in Conſtit.de pace Conſtantiæ,& in Langobardis, & in aliis etiam auctoribus.Caſſiodorus.5.Variar. Cõperimus patrimonij noſtri prædia te Thomati libellario titulo commiſiſſe.Gregorius.8.Epiſt.c.61.Voluerat poſſeſſiones ſub ſpecie libellorum tenere.Hinc etiam Libellum facere,id eſt,leui libellarum ,ſiue denariorum annuorum pretio vẽdere,Feud.lib.2.tit.39.§.j.H.Si libellum vnus alteri fecerit de feudo paterno,nõ eſt libellus,ſed quaſi refutatio.

Libellaria, pro allode, ſiue allodio vſurpatur: verum(vt opinantur quidam)pro eo tantum quod ſub illa leuicula penſione annua locatum eſt.vt libr.Feud.2. tit.26.§.3.H. vbi feudum & libellaria opponuntur. Agnatis feudum,filia verò allodium , ſiue libellariam eſſe aſſerentibus.Item,Domino feudum, filia allodiũ, ſiue libellariam eſſe allegante.Et lib.j.tit.5.§.2.H. Si fidelis feudum libellario nomine dederit.Item,Poſtquã ad libellariam dederit.

Libellarium,apud Ciceronem in Orat.pro M.Milone,ciſta,in qua conditi ſeruantur libelli.Exhibe , inquit,libellarium illud legum veſtrarum.

Liber is dicitur in poteſtate cuius eſt arbitrio ſuo viuere,eatenus tamen vt lege & inſtituto permiſſum fuerit.Idcirco enim(inquit Cicero in Orat.pro Cluentio) omnes legum ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus. At pro ingenuo liber dicitur ab Imp.in l.diui.& l.cũ quis. C.de nat.lib.Cum quis à muliere libera , & cuius matrimonium non eſt legibus interdictum, &c. Hinc:

Liberi populi,qui ſuis legibus erant relicti, quales Ætoli apud Liuium:populi tamen Romani maieſtatem comiter obſeruare tenebantur.Hinc illud Proculi.l.7.D. de capt.& poſtl.Liber populus eſt is qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubiectus , ſiue is fœderatus eſt:item ſiue æquo fœdere in amicitiam venit:ſiue fœdere comprehenſum eſt,vt is populus alterius populi maieſtatem comiter conſeruaret.Alias liberi populi & liberæ ciuitates Cicer. de legib. Agrar.contra Rullum,qui nec tributa,nec vectigalia ſoluunt.

Libera legatio,vide Legatio libera.

Libertas (ex qua etiam liberi vocantur)eſt naturalis facultas eius quod cuique facere libet:niſi ſi quid vi aut iure prohibetur.Florẽtinus in l.libertas. D. de ſtat. hom.& §.j.Inſt.de iure perſ.Libertatem definit Cicero in Paradox.poteſtatem viuendi,vt velis : quod expreſſit ita Perſius:

Vindicta poſtquam meus à Prætore receſſi,
Cur mihi non liceat iuſſit quodcunque voluntas?

Alias Libertas de rebus etiam dicitur. Hinc Liberæ ædes.l.ſi quis ædes.D.de ſeru.vrb.eadem forma qua libera ruſtica prædia dicuntur quæ ſeruitutem non debẽt,& nulli ſunt obligata.Libera prædia,nexu pignoris liberata,quod nõ ſint obligata.l.8.l.51. §.j. D. de act. empt.l.6.D.com.præd.

Libertas opponitur Seruituti. Vndè conuenire non poſſunt.C.de Lati.lib.tollend.l.ergo.D. de fideicommiſſ. libertat.Porrò ſub appellatione libertatis non ſolùm accipienda eſt,quæ ſeruili conditioni opponitur , ſed omnis conditio alieno iuri non ſubiecta.Cõtra quoque ſub ſeruitutis appellatione omnes omnino ſpecies ſubiectionis ſunt intelligendæ,quæ iuris ac poteſtatis aliquid in perſonam producunt.

Libertas,pro ingenuitas,Hermog.l.cum pacto.40. D.de liber.cauſſ.Cum pacto partitionis precij maior viginti annis venalem ſe præbuit, nec poſt manumiſſionẽ ad libertatẽ proclamare poteſt.nam, vt ait Modeſt.l. 21.D.de ſtat.homin.Homo liber qui ſe vẽdiderit , manumiſſus,non ad ſuum ſtatum reuertitur , ſed efficitur libertinæ conditionis.

Libertas directa, vide Directum.

Libertas non priuata,ſed publica res eſt. Martianus in l.ſi quis.D.de fideicom.libert.

Libertas pleniſſima,ex qua ciuitas Romana competit. l.j. §.ſin autem.C.de comm.ſer.manu.

Libertatem naturalem recipiunt aues,& feræ,cum in naturalem laxitatem peruenerint.l.44. l.55.D. de acquir. rerum dom.

de Libertate iudicium,vide Iudicium de libertate.

in Libertatem eripi.l.vlt.ad fin.C.de pet.hæredit.ſerui dicuntur,quibus lex libertatem quæ præſtari debuit,repræſentat.

Liberalis cauſſa dicitur quæ in ſe actionem continet libertatis,ait Donatus in illud Terentij in Adelph.2.1.

Neque uendendam cenſeo Quæ libera eſt:
Nam ego illam liberali aſſero cauſſa manu.

Sic Plautus in Curculione.

Si quiſquam hanc liberali aſſeruiſſet manu.

Id autem fiebat quoties quis liberum hominem iniuſta ſeruitute oppreſſum in libertatem vindicabat, id eſt liberum eſſe decernebat,vel(vt Liuius lib.3.)dabat vindicias ab ſeruitute ſecũdum libertatem. Hinc rub. De liberali cauſſa,D.& C.& paſſim,Liberalis cauſſa, & Liberale iudicium.l.3.§.ſi ſeruus. D. de acquir. poſſ. l.23.§.de liberali.D.de arbit.l.42.§.j.D.ſolut.mat.l.7.§.j. D.de pet.hæred.Cauſſa autẽ hîc pro iudicio ponitur.

Liberorum appellatione nepotes & pronepotes,ceteríque ex his deſcendentes, continentur: primùm, quòd Lex XII.Tabularum hos omnes appellat libe-

ros:deinde, quòd natura nos hanc interpretationem docet:cum videamur pios parentes, liberorum procreandorum animo & voto vxores ducere, vt non filios ſolum, ſed etiam nepotes, & deinceps alios concipientes atque edentes, ex prole vtriuſque ſexus, diuturnitatis memoriam in æuum relinquant. Et inde in communem vſum receptum eſſe, quod filiorum appellatione omnes, qui ex nobis deſcendunt, comprehendantur. Neque enim dulciori nomine poſſumus nepotes noſtros, quàm filij, appellare. Interim tamen non fruſtrà ſunt inuẽta ſingularum cognationum nomina, vt aliter filij, aliter nepotes, pronepotes, & cæteri ex his deſcendentes, appellentur. Nam toties his vtendum eſt neceſſariò, quoties lex non omnibus deſcendentibus præſtitum aliquid voluerit, ſed ſolis his qui nominatim enumerãtur. At vbi non perſonis certis, ſed omnibus qui ex eodem genere orti ſunt, præſtatur: conuenit, liberorum appellatione generaliter intelligi nepotes, pronepotes, & cæteros qui ex his deſcendunt. Calliſtratus in l. liberorum. Vlp. in l. cognoſcere. §. vlt. Paulus in l. filij. D. de verb. ſignifi. §. vlt. Inſtit. qui teſtament. tutọ. da. póſſ. Eadem iuris Naturalis ratione receptum eſt, vt patris nomine auus quoque demonſtrari intelligatur. l. iuſta. de verb. ſignific. Nec refert an virilis an fœminei ſexus ſint. l. 56. D. de verb. ſignific. Paulus. l. 10. §. 2. D. de grad. & adfin. Liberi, inquit, vſque ad trinepotes dicuntur; vltra autem poſteriores vocantur.

Liberi non ſunt qui contra formam humani generis procreati ſunt. l. 14. D. de ſtatu. hom. Paul. lib. 4. Sentent. tit. 9. hos partus monſtroſos appellat Romulus primus Romanorum rex lege lata, cuius hæc verba ſunt: Mõſtroſos partus ſine fraude necanto.

LIBER ſingulari numero pro nato, apud Iuſtinianum in l. ſi quis ſuo. 33. C. de inoffic. teſtam. Si quis ſuo teſtamẽto, inquit, maximam quidem portionem libero relinquat: minuſculam autẽ alij, vel aliis de ſtirpe ſua progenitis. Alias Liberos in multitudinis numero etiam vnũ filium, filiámve veteres dixiſſe, docet Gellius lib. 2. c. 13. ex Sempronij Aſellionis rerum geſtarum libris, vbi de Tiberio Graccho loquitur, Orare, inquit, cœpit vt ſe defenderent, liberóſque ſuos, eum quem virilis ſexus tum in eo tempore habebat, produci iuſſit, populóque commendauit prope flens. Hinc non eſſe ſine liberis dicũt Iuriſconſ. eum cui vel vnus filius, vel vna filia eſt. liberorum enim nomen multitudinis numero tantum ponitur. l. 148. D. de verb. ſignific. ſicut pugillares & codicilli.

LIBERTI ſunt qui deſierunt eſſe ſerui. l. 4. de iuſtitia & iure. Vel ſic: Liberti ſunt quos domini ex iuſta ſeruitute ſoluerunt, ac manumiſerunt. vnde etiam illorum patroni, quaſi patres, qui à morte in vitam illos reuocarunt, appellabantur. Eorum autem tria genera fuere, vt refert Vlpianus Inſtit. tit. j. nam alij ciues Romani, alij Latini Iuniani, alij Deditiorũ numero erant. Et ciues Romani quidem ſunt (vt idem ſcribit) liberti, qui vindicta, cenſu, aut teſtamento, nullo iure impediente manumiſſi ſunt. Latini Iuniani, qui ex lege Iunia inter amicos manumiſſi ſunt. Deditiorum numero ſunt, qui pœnæ cauſſa vincti ſunt à domino: quibus veſtigia (al. quibúſve ſtigmata) ſcripta fuerunt: qui propter noxam torti, nocentéſque inuenti ſunt: quíve traditi ſunt vt ferro, aut cum beſtiis depugnarent: vel in cuſtodiam coniecti fuerunt; deinde quoquo modo manumiſſi ſunt. Vide Manumiſſi. Notandum autem in patronorũ libertis (vt obſeruat Turn. Aduerſ. lib. 18. c. 3. ordinẽ quendam fuiſſe, & quoſdam primos quoſdã ſecundos vocatos fuiſſe, quod alteri apud patronum priorẽ locum obtinerent, alteri proximum. Martialis,

Libertum docti Lucenſis quære ſecundum.

Ergo primi & ſecundi dicebantur, vt aliis omnibus potiores. Ac fortaſſe inde factum eſt vt apud Iuriſconſultos tam ſæpe nomen primi & ſecundi legatur. Teſtantur id veteres inſcriptiones, quarum in vna ſic reperitur: *Sofronia* Ↄ *L. tertia ſibi & P. Sextilio primo aruſpici.* & in illa: *Se viuo fecit ſibi & Petiæ* C *L. primæ uxori.*

Liberti admiſſionum, apud Plinium lib. 33. c. 3. gratioſi ſunt liberti, qui homines ad Principem admittebant, admiſſionibúſque præerant. Fuit, inquit, & alia Claudij principatu differentia inſolens his quibus admiſſionum liberti ius dediſſent imaginem principis in anulo ex auro gerendi. ſic enim legi vult Turneb. Aduerſ. lib. 13. c. 12: quanquam ſenſus aliquis ex vulgata lectione elici poſſit.

LIBERTINVS eſt, qui ex manumiſſione libertatem eſt conſecutus. Ingenuus verò, qui ſtatim, vt natus eſt, liber eſt. Vel ſic: Libertini ſunt, qui ex iuſta ſeruitute manumiſſi ſunt. Inſtit. de libertin. in princ. Eſtque libertinus relatiuum Ingenui: ſicut libertus Patroni. Olim autem, id eſt Appij Cæci cenſoris temporibus, & deinceps aliquandiu, libertini dicebantur non ipſi qui manumittebantur, ſed ingenui ex his procreati: vt ſcribit Suetonius in Claudio. c. 24. quam differentiam obſeruare Modeſtinus videtur in l. j. D. de excuſ. inter ἀπελευθέρους, & ἀπελευθερικοὺς, hoc modo: ἀπελευθερικοῖς ὀρφανοῖς οἱ γενεῖς ἢ οἱ ἀποστάσιμοι ἄρχοντες ἐπιτρόπους. Et paulo poſt ἀπελευθερικοῖς γὰρ ἀπελευθέρους μόνους δεῖν δίδοσθαι. ſc. ἐπιτρόπους. Libertus autem idem quod libertinus: hoc tantùm differentes, quòd libertus ſemper refertur ad eum cuius eſt libertus, puta patroni. Libertinus verò, nomen eſt abſolutum, denotans conditionem eius qui nec ſeruus, nec liber eſt. Notus eſt tamẽ Iuſtiniani in j. lib. inſtit. tit. de ingen. & libert. vbi nihil agitur niſi de cõditione, nullo reſpectu habito ad patronos.

Liberare, libertate donare: liberari, libertatem conſequi. l. 12. §. manumittendo. D. de captiuis. l. pen. D. in quib. cauſ. Liberare eſt luere, & nexum pignoris diſſoluere. l. 57. D. de leg. j. Liberare prædia, ſeruitutem debitã remittere. l. j. D. ſi vſuf. pet.

Liberationis verbum eandem vim habet, quàm ſolutionis. l. 47. D. de verb. ſignifica. Plane in Rub. D. & C. de ſolution. Liberatio, & ſolutio ſeparantur. Nam ſolutio naturalem obligationem tollit & pecuniaria eſt: Liberatio cæteros omnes modos, quibus obligationis nexu quis dimittitur, continet: vt confuſionem, & cõpenſationem. Liberatio igitur ad obligationem pertinet: ſolutio ad obligationem vel ad nummos.

LIBITINARII, qui funerum curam mercede pacta recipiebãt: à Libitina Dea, cuius in æde (vt ſcribit Acrõ) conſtituti, qui efferenda corpora conducebant, & funeribus neceſſaria præbenda. Vlpianus. l. 5. §. j. D. de inſtitut. act. Idem ait: Si Libitinarius, quos Græcè νεκροθάπτας vocant, ſeruum pollinctorem habuerit, iſque mortuum ſpoliauerit. De Libitina Dea vide Plutar. in Probl. Hinc Libitinenſis porta apud Lamprid. in commodo, auphitheatri porta, per quam cadauera interfectorum gladiatorum efferebantur.

LIBONIANVM ſenatuſconſultum, Vide Senatuſconſultum Libonianum.

LIBRA quæ & pondo dicitur, in duodecim vncias diuiditur. Eius partes ſunt, Vncia j. Sextans 2. Quadrans 3. Triens 4. Quincunx 5. Semis quæ & ſelibra 6. Septunx 7. Bes 8. Dodrans 9. Dextans 10. Deunx 11. As 12. vide ſuprà AS.

LIBRAM argenti conſtituunt quinque ſolidi ſiue aurei: dicente Imperatore, Iubemus, vt pro argenti ſumma, quam quis theſauris fuerat illaturus, inferendi auri accipiat facultatem: ita vt pro ſingulis libris argenti, quinos ſolidos inferat. l. vn. C. de argent. pretio. quod theſaur. infert. lib. 10. Argentei verò LX. eam conſtituunt,

l. j.

.C.Th.de exp.lud.

Libram auri, ſeptuagintaduo aurei conſtituunt.l.quotieſcunque.C.de ſuſcept.præpoſit.& arch.lib.10. Vide Iaſonem in l.fi.D.de in ius voc.

LIBRARIVS, Vet.Gl.Liberarius, γραφεὺς, ſubſtantiuum, qui libros, contractus, pactiones, inſtrumētáque conſcribebat.l.93.D.de reg.iur.l.29.D.de rei vind. Hieronymus ad Niciam: Nam & rudes illi Italiæ homines, quos Caſcos Ennius appellat, qui ſibi ritu fermo victū requirebant, ante chartæ & membranarum vſum, aut in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuò epiſtolarum alloquia miſſitabāt. Vnde & portitores earum, tabellarios, & ſcriptores à libris arborum librarios vocauere. Vlpian.in l.vt iuriſiurandi. §.dabitur. Gaius in l.duorum libertus.D.de oper.liberto. Veluti, ait, ſi librarius ſit, & alij patronó librorum ſcribendorum operas edat. Adde.l.ſed etſi.§.j.D.de vſufruct.

LIBRARII in caſtris fuere Vegetio lib.2.c.7.qui rationes ad milites pertinentes in libros referebant. Hinc Librarij depoſitorum apud Tarruntenum in l.vlt.D. de iur.immunit.ij.erant, inquit Budæus, qui perſcribebant quid quiſque apud ſigna depoſuiſſet: cuius inſtituti morem & rationem docet idem Vegetius lib.2.c.20. Antiquitus enim (inquit Vegetius) inſtitutum eſt, vt ex donatiuo quod milites conſequuntur, dimidia pars ſequeſtraretur apud ſigna, ibidémque militibus ſeruaretur, ne à cōtubernalibus per luxum aſſumi poſſet, inaniúmque rerum comparationem. Sepoſitio autem ipſa pecuniæ primum ipſis contubernalibus docebatur accommoda. nam cum publica ſuſtententur annona, ex omnibus donatiuis augetur eorum pro medietate caſtrenſe peculium. Miles deinde qui ſumptus ſuos ſcit apud ſigna depoſitos, de deſerendo nihil cogitat: magis diligit ſigna: pro illis in acie fortius dimicat, more humani ingenij, vt pro illis habeat maximam curam, in quibus ſuam videt eſſe poſitam ſubſtantiam. Denique decem folles, hoc eſt decem ſacci per cohortes ſingulas exponebantur, in quibus hæc ratio cōdebatur. Addebatur etiam ſaccus vndecimus, in quo tota legio particulam aliquam conferebat, ſepulturæ ſcilicet cauſſa. Hæc ratio apud ſigniferos (vt nunc dicunt) in cophino ſeruabatur. Et ideo ſignifieri, non ſolum fideles, ſed etiam literati homines eligebantur, qui & ſeruarent depoſita, & ſcirent ſingulis reddere rationem. Huius etiam meminit Tranquillus in Domitiano.c.7. Germinari legionum caſtra prohibuit: nec plus quam mille nummos à quoquam ad ſigna deponi paſſus eſt. Sed & d.l.vlt.ſunt librarij horreorum, & librarij caducorum.

LIBRARIVS, librorum & contractuum pactionúmque ſcriptor. Scæuola.l.92.D.de reg.iur. Si librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet, &c. Vlp.l.6.§.2.D.de oper.lib. Nam huius quoque eſt miniſterium, ſi fortè vel librarius, vel nomenculator, vel calculator ſit. vide Notarius.

LIBRATORES aquæ, in l.j.C. de excu.artif. qui aquarum inuentos ductus, & modos docili libratione oſtēdunt, vel qui peritiam habent librandi aquam ad libellam. vocātur à Græcis ζυγοστάται.d.l.j. quāquam alio ſenſu. Plinius lib.10.ad Traianum. Supereſt vt tu libratorem, vel architectum, ſi tibi videbitur, mittas, qui diligenter exploret, ſítne lacus altior mari. Frontinus lib.j.de aquæ ductibus: Procuratorem, ait, oportet calicem eius moduli, qui fuerit impetratus, adhibitis libratoribus ſignare. Sunt & Libratores apud Tacitum lib.13. qui (inquit Turneb.) ex tormentis miſſilia excutiunt. Alij volunt ſignificari eos qui lapides in bello emittebant. Hæc ſunt verba Taciti Remotiſque paulatim legionibus, funditores, libratoréſque excutere tela; & proturbare hoſtem iubet: miſſæ è tormentis haſtæ.

LIBRIPENS, Gl.vet. ζυγοστάτης, qui in mancipationibus ſtaterā tenebat, Caio lib.j.Inſt.tit.6.apud quem, deeſt vox æneam. Priſcianus libr.6.ducit à pendendo. Propriè autem dicitur militum ſtipendiorum, hoc eſt, ſtipis ponderandæ penſator. Qua conſuetudine in his emptionibus quæ mancipi ſunt etiam nunc libra interponitur, inquit Plin.lib.33.c.3. & Boet.lib.3.in Topic. Ciceronis. Vtitur hoc verbo Iuſtinianus in §.acceſſit. vide Vigl.Inſtit.de teſtam.& Tertullianus lib.2.aduerſus Marcionem.

LICENTIATI vulgò in ſchôlis dicūtur, qui annis quatuor in legum ſtudio conſumptis, ab illa præſcripta & definita ſtudiorū lege quā Iuſtinianus ſtatuit, ſoluuntur: quaſi qui licentiam ac miſſionem à magiſtrorum caſtris impetrarunt. Vide Prolytæ.

LICERE id dicimus, quod legibus, quod more maiorū, inſtitutíſque conceditur. neque enim quod quiſque poteſt, id ei licet: nec, ſi non obſtatur, propterea etiam permittitur: ait Cicero Philipp.13. In eámque ſententiam Vlpianus clauſulam illam edicti, QVOD eius licebit, ſic interpretatur: Quæ clauſula non illud pollicetur, reſtiturum ſi leges permittant: ſed ſi leges non prohibeant.l.necnon.28.D. ex quibus cauſ.maior. Et ita in l.7.§.ſi paciſcar.D.quod met.cauſ. Licere dicitur quod lex XII. Tabularum & lex Iulia permittunt.

LICITVM eſt quod per leges permittitur. cui opponitur illicitum.l.j.D.de iuſt.& iur. nam illicitè fit quod contra leges, conſtitutiones, decreta, edicta principum fit, vt in l.vlt.in fi.D.de his quæ vt indig.l.11.§.ſi quis illicitè, D.de legatis lib.3.& aliis locis.

LICERE IRE, AGERE, ex natura & origine non eſſe ita perſonale quod ad hæredes non tranſeat, ſed iuris præſumptione non eſſe tranſitorium, niſi hæres exprimatur. Quod obſeruatu dignū eſt, vt lic.ire, ager.per viam publ. vide l.11.§.vlt.D.ne quid fiat in loc.publ. Eſt autem hæc formula loquendi frequens apud Iuriſc.in conſtituendis ſeruitutib.prædiorum.

LICITANI coloni.l.vlt.D.de cenſib. Sed vide num legendum ſit, Illicitani, ab Illicitano ſine, colonia immunis Plinio lib.j.c.3. an Acitani, eidem eodem in loco colonia iuris Italici. Acitania enim in Plinio legendū ex vet.lib.non Accitana. Acitani autem, inquit Macrob.Satur.j.Hiſpana gens.

LICEOR, ceris, citus ſignificat precium defero in auctione, hoc eſt venditione publica, quæ ſic fit, vt plus offerenti detur res. Gallicè, *mettre à l'encbere*. Licitari, eſt ſæpe augere precium. Inde.

LICITATIO, precij auctio: ſicut ſolent emptores oblato precio aliquid addere. Licitatio de aliis quoque rebus intelligi poteſt, quàm pecuniariis emptionū preciis: vt ſi alius coheres alio maiorem offerat cautionē, ob cuſtodiam inſtrumentorum. Vlpianus.l.6.D.famil. erciſcun. Nam ad licitationem, inquit, rem deducere, vt qui licitatione vicerit, hic habeat inſtrumenta hæreditaria: non placet neque mihi, neque Pomponio.

LICTOR, ῥαβδοῦχος, ſeruus erat publicus ex collegio viatorum, officium ligandi habens, vnde etiam dictus eſt. Cum enim magiſtratus populi Rom. virgis quempiam verberari iuſſiſſent, crura eius & manus ligari ab hoc, vincirique ſolebant. Hinc illud Ciceronis in Orat. pro C. Rabirio perduellionis reo: I LICTOR, COLLIGA MANVS, CAPVT OBNVBILA, ARBORI INFELICI RESTE SVSPENDITO. Tiro autem Tullius, M.Ciceronis libertus, Lictorem, vt refert Gellius libro duodecimo.c.3. vel à limo, vel à licio dictum ſcripſit. Licio enim tranſuerſo, quod li-

mum appellatur (de quo vide infrà) qui magiſtratibus præminiſtrabant, cincti erant. In officio autem magiſtratuum lictores quidam dicebantur proximi, qui quam alij cariores magiſtratui erant, eique ſemper præſto erant, & apparebant ante alios ſui ordinis: vt in inſcriptione peruetuſta. L. *Valerius Achilleus lictor proximus laurens.* Cicero etiam lictorem primum ad Q. Fratrem ſcribens vocauit, de Octauio loquens: Apud quem, inquit, primus lictor quieuit, tacuit accenſus. niſi ſiquis proximum primo adiunctum putet, & ſecúdum, quod non probatur Turnebo Aduerſ. 11. c. 9. Salluſtius eodem quoque locutus eſt modo in bello Iugurthino: Sed Hiempſal in oppido Thumida forte eius domo vtebatur, qui proximus lictor Iugurthæ, carus acceptúſque ei ſemper fuerat. Eſt & in veteribus Gloſſis, Lictor ſummus, Græcis ἀρχιραβδοῦχος dictus. Notandum etiam eſt, poſterioribus temporibus manumiſſionem per lictorem ſolitam fieri, vt videre eſt l. 8. & 23. D. de manumiſſ. vind.

L I G A T I videntur, qui domi ſemper manere coguntur, Auth. Quo oport. epiſc. §. Si verò nemo.

L I G A, fœdus, ſocietas. Albert. Argent. in Chron. Inter Principem & Francum interpoſitis iuramentis, & cófectis literis, Liga perpetuo eſt confirmata. Marchio cum Maſtino Veronenſi ligam contraxit, eiúſque filio ſuam filiam deſponſauit. Hinc:

L I G I V S homo, ſeu Vaſallus, is dicitur in ſcholis qui contra omnes, ne Rege quidem excepto vel antiquiori domino, fidem & operam omnem ſuam promiſit: non Ligius, qui nominatim aliquem excipit: ſic vt vnus duorum Vaſallus ligius eſſe non poſſit, duorum Vaſallus non ligius eſſe poſſit: aut verò vnius ligius, alterius non ligius. gl. in c. paſtoralis. de ſentent. & re iud. in Clement. Hinc nomen, Homoleugius. Hotom. in ſuis Feud. Diſp. hoc totum commentitium eſſe arbitratur: neque alium eſſe ligium, niſi qui idem vetere Germanica lingua Vaſſius, aut Vaſallus, aut Valuaſor dicebatur, dummodo verus ac proprius Vaſallus ſit: hoc eſt, qui beneficio alicuius feudum verum, rectum ac proprium ſit adeptus. Ac primum omnium, inquit, Albert. Krant. libr. Nortm. 4. c. 7. Italicum eſſe hoc vocabulum ſignificat, quaſi à Liga, & quaſi obligatum dicamus. Et Guiſcardus (inquit) ſeſe conſtituens Romanæ Eccleſiæ Vaſallum, vel (quod eius regionis verbum eſt) ligium, Romano Pontifici quæcunque peterentur præſidia mittere, ac quando opus videretur, cum omnibus copiis afferre præſidium ſpopondit. Item c. 9. Quo in conuentu Robertus ligium ſe (quod eius regionis verbum totalem ſignat ſubiectionem) Pontifici & Eccleſiæ iterum fecit, & B. Petri vexillo à Pontifice donatus eſt. Albert. Argét. in Chron. Quamuis etiam Principes ipſum Francum ipſis grauem & exoſum haberent: cuius cauſſa omnes quaſi eius eſſent Vaſalli, non ab imperatore mouerentur, cuius eſſent Ligij, inuadendi eum occaſionem aliquam non habebant. Quo in loco Ligium & Vaſallum pro eodem vſurpari perſpicuum eſt. Hinc pro homo Ligius, fictum nomen, Homoleugius, coniunctè: vel ſeparatim homo & Leugius. Ant. Florent. hiſt. part. 2. tit. 17. c. 6. §. j. Factus eſt autem ibidem Comes Bertrandus Regis Hieroſolymitani Homoleugius. Item c. 9. Eodem anno Rex Philippus cum Rege Angliæ colloquium habuit, ſubmouens illum tanquam ſuum hominem leugium, vt pro comitatu, &c. Et mox: Hi tres erant ipſius regis Angliæ Leugij homines. Hinc fictum nomen Homoleugia, vt apud eundem. c. 8. §. 3. Tunc viſum eſt arbitris, quod dominus princeps ad Imp. accederet, atque cum debita ſollemnitate debitam homoleugiam exhiberet, & fidelitatem. Et alio loco Fidelitas ligia, part. 3. tit. tit. 19. c. j. §. 2. Ex his concedi poſſet Homoleugij nomen ab ὁμολόγος Græco dedici: præſertim cum Coloni homologi mentio fiat in l. vlt. C. Th. de patroc. vic. & ὁμολογίᾳ χρῆσθαι, & ὁμολογίᾳ προσχωρεῖν, pro deditionem facere; apud Græcos vſurpetur: niſi etiam multis in locis ab Hotom. vbi ſuprà addictis, Ligij nomen in patroni perſona ſumeretur. Itaque à Liga verbum hoc ab Italis hominibus cóſictum eſt: quaſi ligius ſit idem qui ligatus, id eſt proximè, & (vt vulgo loquimur) immediatè iunctus.

L I G N V M & materia hoc differút: quòd materia eſt, quæ ad ædificandum, fulciendum neceſſaria eſt: lignum, quicquid comburendi cauſſa paratum eſt, quamuis nondum conciſum. l. 55. D. de legat. 3. Itaque. l. 12. de excuſat. mun. lib. 10. C. ſic diſiunctim legendum eſt, Materiam, lignum, tabulata, vt & l. 15. C. Th. de extraord. mun.

Ligna cocta dicuntur, quibus ignis vi humiditas exempta eſt, vt fumare nequeant. Vlpianus. l. 55. §. 4. D. de legat. 3. Sed & titiones, inquit, & alia ligna cocta ne fumum faciant, vtrum ligno, an carboni, an ſuo generi adnumerabimus? Item in l. 167. D. de verb. ſignific. vbi hæc ipſa verba inculcantur. Martialis epigramma quod inſcribitur Ligna acapna, in Xeniis ad hæc ipſa ligna pertinens, hoc eſt:

Si uicina tibi momento rura coluntur,
Ad uillam moneo, ruſtice, ligna feras.

Lignum, tabulæ ligneæ. Tryphon. l. 19. D. de bon. poſſ. cót. tab. Quod vulgò dicitur, liberis datam bonorum poſſeſſionem contra lignum eſſe, ſic intelligendum eſt, &c. Id enim ſignificat contra teſtamentum, quod ligneis tabulis deſcribi ſolebat, vt teſtatur Vlpian. l. j. de bon. poſſ. ſec. tab. Paulo poſt d. l. 19. idem Tryphon. dixit, Contra tabulas. In eadem ſignificatione vſurpatur ab Apuleio.

L I G N A R I I fabri. l. 235. D. de verb. ſig. Paul. libr. 3. Senten. tit. 6. Iſid. lib. 19. c. 19. Lignarius, ligni opifex. Veget. lib. 2. c. 11.

L I G V S T I C V M. l. 5. D. de penu lega. olus eſſe ait Iſidorus lib. 17. c. fi. odore aromatico, guſtu acre: à regione nomen accepit. Naſcitur enim in Liguriæ montibus, Plinio lib. 19. c. 7. teſte, & Dioſcor. lib. 3. c. 51.

L I M E N. Adnotarunt quidam ab Vlpiano hanc vocem, pro interiore domus parte, vt etiam à Marone vſurpatam, in l. Illicitas. §. nec potentiores. de offic. præſid. cú ait, Ne tenuis vitæ homines ſub prætextu aduentus officiorum vel militum, limine vnico, vel breui ſupellectili ad aliorum vſus tráſlatis, iniuriis vexentur. Malim tamen ſumi συνενδοχμὰς pro domo, aut exiguo cubiculo potius. Vide Lumen.

L I M E N A R C H Æ, λιμενάρχαι, qui portuum præſidiis præſunt, vel portus cuſtodiæ cauſſa creati. l. 3. De fer. fugi. Limenarchæ & ſtationarij fugitiuos deprehenſos rectè in cuſtodia retinent. Sic l. 38. C. de lib. cauſſ. & l. vlt. §. j. D. de mu. & ho. Dictio eſt merè Græca λιμὴν enim portus eſt. Hos Ariſtot. lib. 6. Politic. circa finem, Limenophylacas vocat, quaſi portuum cuſtodes.

L I M I T E S, Sicul. Flac. libr. de condit. agr. à liminibus. quemadmodum enim limina introitus exitúſque locis præſtant, ſimiliter introitus exitúſque qui in agris diuiſis & adſignatis peruij ſemper eſſe debent, tam itineribus, quàm menſuris agendis, limites appellantur. Hygenus à Limo, verbo antiquo, quod tranſuerſum, & obliquum ſignificat, Limites dici vult. Vnde Feſtus lib. 10. ait, Limites nunc terminos, nunc vias tranſuerſas ſignificare. Denique quicquid ad obſeruationem finium in agro opera manuum factum eſt, Limes, auctore Aggeno Vrbico, adpellatur. Horum autem duo maximi dicuntur, Cardo, & Decumanus, vt Plin. libr. 18. c.

18.c.33.Feſtus lib.4.Iſidor.lib.15 Etym. c.14.Sicul.Flaccus,& Hygenus tradunt. Et Cardo quidem eſt, qui à Septētrione in Meridiem dirigitur, ab eo quòd à cardine cæli ſit.Nam in ſeptentrionali axe nobis cælum vertitur.Decumanus verò,qui ab Oriente in Occidētem per tranſuerſum dirigitur, qui ex eo quòd formā denarij numeri faciat,Decumanus eſt appellatus. Limites autem,ſeu termini territoriorum, qui vocantur à Iuriſcoſſ.in l.5.de iuſt.& iur.teſte Zaſio, originem acceperunt à iure Gentium:nam quo tempore diſtincta ſunt dominia,cœpit eſſe Meum, & Tuum. Obſeruandum verò,quòd limites faciunt res certas in genere, tribus modis:aut natura, aut hominis facto, aut adiectione qualitatum fungibilium. A natura res prope omnes natæ accipiunt limitationem. Homo limitatur per ſuam naturam,equus pariter,& ſic de aliis. Quicquid manu hominis fabricatur,erigitur,perficitur,hoc dicitur limites accipere facto hominis. Sic domus limites accipit,ſecūdum quod ædificata eſt.Sic fundus, ſic nauis limites accipiunt ex opere. Quòd fundus eſt latus,vel arctus,modicus,vel ingens,hoc eſt facto hominis.l.quod in rerum.de leg.j.Tertiò aliquæ res accipiunt limites per numerum,pondus, & per mēſuram, vt ſunt omnes res fungibiles.Vide Zaſium in lege mutuum.§.mutui.D.ſi cert.pet.

LIMITATI agri appellabantur qui propriis limitibus & finibus circunſcripti, & in centurias diuiſi erant vt Feſtus eodem libro ait.Limitatus enim ager Decumanis,& cardinibus continetur, vt Frontinus ait.Sic accipe Limitatum agrum in l.6.D. de acquir. rerum dominio.& lege prima.§.ſi inſula.D.de fluminibus.Hunc metatum vocat Horatius Satyra.2. Hotomanus. LIMITATVM agrum definit, qui ab hoſtibus captus, vel coloniæ alicui totus, vel ciuibus ipſis ac militibus per partes aſſignatus eſt.Iulius Frontinus: Agrorum qualitates ſunt tres:vna agri diuiſi & aſſignati: altera menſura per extremitates comprehenſi;tertia Arcifinij, qui nulla menſura continetur. Ager ergo diuiſus aſſignatus,eſt coloniarum:hic habet cōditiones duas: vnam,qua plerunque limitibus continetur: alterā qua per proximos poſſeſſionum rigores aſſignatus eſt. Ager eſt menſura comprehenſus, cuius modus vniuerſus ciuitati eſt aſſignatus. Tributarius ſolus per vniuerſitatem populis eſt definitus.eadem ratione & priuatorum agrorum menſuræ aguntur. Hunc agrum multis modis menſores,quamuis extremum menſura comprehenderint,in formam,in modum limitū condiderunt.

LIMITES etiam Rom. Imperij fines dicuntur.l.5. C.de anno.lib.10.Vnde Illyricianum,Ægyptiacum, Rheticum limitem legimus.l.j.C.quib.mu.l.13.C. de aduoc. diuerſ.iud.l.13.C.de excu.mu. Hinc;

LIMITANEI & LIMITOTROPHI fundi ſub Rub. C.de fund.limit.lib. XI. ſic diſtinguendi ſunt:vt illi dicātur ad milites limitaneos pertinere, id eſt eorū domini & proprietarij eſſe:vt paludes & paſcua.l.3. eodē tit.& fundi caſtellorum,ad milites caſtellanos.l. 2. eodē.Limitotrophi verò, quòd ex eorū fructibus Limitanei milites alantur,non quòd ad limitaneos milites pertineat.Limitotrophi enim verbū ἀπὸ τοῦ τρέφειν deducitur,quod alere ſignificat.Nec aliter hoc verbum vſurpatur.l.nulli.C.de fund.patr.Limitanei autem milites erant,qui in imperij finibus excubabant, eorúmque defenſioni operam nauabant.l.vlt.C.de officio præfect.prætorio.Afric.l. fi. de offic.milit.iudic.quorū etiam meminit Spartianus in Peſcenino Nigro, & Lampridius in Alexandro,itémque Sudas his verbis, οἱ ῥωμαίων βασιλεῖς ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις πανταχόσε τῆς πολιτείας ἐσχατιῶν πάμπολυ κατεστήσαντο στρατιωτῶν πλῆθος ἐπὶ φυλακῇ τῶν ὁρίων τῆς τῶν ῥωμαίων ἀρχῆς, καὶ μάλιστα τὴν ἑῴαν μάλιστα μοῖραν. ταύτης τὰς ἐφόδους τῶν περσῶν καὶ σαρακηνῶν ἀνασέλλοντες, οὓς ἀπὸ λιμιταρίους ἐκάλουν.

LIMITARE iter apud Varronem lib. 4. ling. Lat. eſt ſemita modica,quæ relinquitur inter duo confinia, lata pedes.5.ex duodecim Tab.præſcripto. Perperam verò eo in loco Vertranius putat legendum militare iter.

LIMITOTROPHI, vide Limitanei.

LIMVS, apud Gellium libro duodecimo. c.3. ex Tirone Tull.M. Ciceronis liberto, veſtis eſt (vt ſcribit Iſidorus)quæ ab vmbilico vſque ad pedes producitur.Item: Limus, cingulum eſt,quo ſerui publici cingebantur, obliqua purpura.Item;Limus eſt cinctus, quem publici habent ſerui,dictus quòd tranſuerſas habet purpuras.Item:Hæc autem veſtis habet in extremo ſui purpuram limam,id eſt flexuoſam.Hinc vet.Gl.Limis,flexuoſis oculis.

LINEA, funiculus.Vlpianus.l.27.§.19.D.ad legem Aquiliam.Si cum maritus vxori margaritas extricatas dediſſet in vſu,eáque inuito vel inſcio viro perforaſſet, vt pertuſis in linea vteretur.Plinius lib.32.c.2.Murenæ amplius deuorant quàm humanum,admouéntque dētibus lineas,atque ita erodunt.Columella libr.3.c.15. Hæc in quinquincunçem vinearum metatio expeditiſſima ratione conficitur: quippe linea per totidem pedes inſuitur.Et lib.8.c.11.Et emiſſa ligato pede longa linea gallina cuſtoditur.Sic & Scæuola.l. 26. D. ad legem.Falc.Et Vlpianus de linea margaritarum.l.52.§. 18.de furt.Hoc eſt,funiculo qui per margaritas pertuſas traiiciebatur:quod mulierum ornamentum eſt, & τραχηλιαίων κόσμων appellant.

LINEA ſanguinis dicitur qua cognati inter ſe cohærēt. Paulus.l.ſtemmata.9.D. de gradib. Stemmata cognationum directo limite in duas lineas ſeparantur.Item in l.iuriſconſultus.§.ſed & ex lateribus, eod.l. vacantia.C.de bon.vacāt.l.ſi quis.§.in illo.C. de ſecun.nupt. Statius lib.Syl. III.

Non tibi clara quidem, ſenior placidiſſime, gentis
Linea, nec proauis demiſſum ſtemma,&c.

LINES, vide Lenes.

LINELLVS differt à Feudo,primò, quia in feudo iuratur ſecus quàm in linello.Item feudum datur amore, linellus verò pro mercede.Item in feudo non ſuccedunt fœminæ,in linello ſecus. Et de multis aliis differentiis vide Felinum in c.cæterum.col.5.& ſequent.in verſicu.9.fall.de iud.fortè legendum Liuellus, vel potius libellus.

LINO legato,factum infectúmque continetur, quódque netum,quódque in tela eſt, quódque nondum eſt detextum.Tinctum planè non continetur.l.70.§. lino.D. de leg.3.Meminere autem.l.3. §.ſi quis tabulas. D. de S. C.Silan.l.j.§.ſi linum.& §.vlt.D.de ſecund.tabul.l.20. C.de teſtamen.l.28 §.teſtamento.D.de liber.legat.lini quo teſtamentorū tabulæ traiici ſolebant:vt & Tranquillus in Nerone,& Quintil.lib.12.c.8.Denique ruptū linum,aut turbata cera, aut ſine agnitione ſigna frequenter inuenies.

LINIFICIA, textrina lineæ veſtis.l. 16.C.Th. de muri leg. qualia multa in partibus orientis, & occidentis Impp.habebant, vt ex Notitia Imp.Rom.liquet.

LINTEONES. l. 8.C.Th. de murileg.ſunt qui opifices linteæ,id eſt,lino contextæ veſtis appellantur.l.6.C.de murileg.quo modo & in C.Theo. Linteæ (ſic enim legendum)veſtis magiſtros interpretatur B. Briſſonius. l.pen.C.de murileg.libr. 11. & Linteatum apud Sidonium Apol.lib.8.ad Leonem,linea veſte indutum. Inuenitur autem Linteonum nomen apud Lampridium in Alexand.& apud Firmicum lib. 2. Matheſeos. Seruius quoque ſeptimo Æneid. Aut quia, ait, maiores

ſtantes texebant,vt hodie linteones videmus.Hi etiã appellantur. LINTEARII.l.5.D.de inſtito.actio.& l.16.C.de murileg.

LINYFARII, linifices.l.13.C.de murileg.vbi tamen falſo limphariorum legitur.Græci enim, vt teſtatur Cuiac.ad l.4.C.eod. τῶν *βαφέων καὶ λινυφαρίων* habent, pro baphiorum & textrinorum procuratores. Eſt autem *ἀπὸ τοῦ ὑφαίνειν*,id eſt texere.

LIQVAMEN in l.j.C.quæ res exp.non deb.Græci interpretantur Garum:& id rectè.Cælius enim Aurelianus 11.Chronicω̃n:Garum,inquit,quod appellamus liquamen ex piſce ſiluro confectum.Et paulo poſt:Ex garo, quod vulgo liquamẽ appellant. Hinc Cælius Apitius, Oxygarum, liquamen acetoſum interpretatur. Acro teſtatur muriam antiquos dixiſſe liquamen, & Syrorum lingua ſic dici.

ad LIQVIDVM rem exiquere,id eſt exactè.l.ſecunda.§. idem Labeo.8.D.de aqu.& aq.plu.Idem Labeo ait,cũ quæritur an memoria extet facto opere, non diem & conſulem ad liquidum exquirendum, ſed ſufficere, ſi quis ſciat factum. vide legem 28.D. de probationib. Velleius Pater c.lib. j.Nequeo mihi temperare, quin rem ſæpe agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam ſignem ſtylo.

LIQVIDO iurare, eſt de re liquida & perſpicua iurare, Hinc Liquidò iurare apud Vlpianum in l.18. D. de iureiurand.pro vere iurare, opponitúrque verbo peierare.Siue enim dominus petat,inquit,cogetur docere reus liquidò ſe iuraſſe,poſita ſcilicet exceptione: ſiue ex ſtipulatione de rato agat, neceſſe habebit ipſe de periurio ſuo docere.Sic apud Terent.in Adria:D,

Quia ſi fortè opus ſit ad herum iurandum mihi,
Non appoſuiſſe,ut liquidò poßim.

Vbi Donatus:Liquidò,inquit,id eſt purè & manifeſtè, Sic Ouid.lib.3.de Ponto epiſt.3.ad Maximum;

Scis tamen,& liquidò iuratus dicere poſces,
Non me legitimos ſollicitaſſe toros.

Demoſthenes Orat.2.in Aphobum *σαφῶς* dixit *ἣν μηδεὶς*,inquit,*ὑμῶν νομιζέτω καθ' ὑμῶν ποτ' ἂν ὀμόσαι ταῦτ' ἐθέλειν, εἰ μὴ σαφῶς.*

LIQVERE impersonale dicitur quod conſtat, manifeſtum ac certum eſt:Teren.in Eunuch.2.3.

Illum liquet mihi deierare his menſibus, &c.

Sícque vſurpatur.l.5.§.j.D.quib.ex cauſ.in poſſeſſ.eat. Non defendi pupillum conſtare debet, liqueréque prætori,vt ſic permittat bonorum poſſeſſionem.Et l. 7.D.de ſuppel.leg.l.2.§.ſi dubitetur.D.quemadmodum teſtam.ape.& aliis multis locis.At Nõ liquere de cauſſa dicebant veteres,quãdo probationes & argumenta non ſatis erant idonea ad diiudicandam cauſſam. Cic.in Cluentiana,Deinde homines ſapientes ex vetere illa diſciplina iudiciorum, qui neque abſoluere hominem nocentiſſimum poſſent, neque eum de quo eſſet orta ſuſpicio,pecunia oppugnatum, re illa incognita,primò condemnare vellent, non liquere dixerunt.Hinc Vlpianus.l.idem Põponius.de arbit.Proinde ſi fortè vrgeatur à Prætore ad ſententiam; æquiſſimum erit ſi iuret ſibi de cauſſa non liquere, ſpatium ei ad pronunciandum dari.Sic Paul.in l.Pomponius. de iudic.

Λείψανα, reliquiæ,ſuperamenta, vt loquitur Vlpianus: Si animal legatum occiderit,puto teneri,non vt carnem præſtet,vel cætera *λείψανα*:id eſt cornua, corium,&c. Locus eſt apud Vlpianum.l.53.§. 2.D, de leg. & fideic. libr.30.

LIS, eſt iurgium,de re quapiam inter aliquos apud iudicem inſtitutum. non enim omne iurgium lis eſt: ſed illud demum,quod apud iudicem exercetur, quo verbo & magiſtratus & arbitros pinguiore Minerua cõplectimur.Vel ſic ex Varrone lib.6.linguæ Lat. Quibus res erat in controuerſia, ea vocabatur Lis.Ideo in actionibus videmus dici,Quam rem ſiue litem dicere oportet. Hæc Varr.quibus ex verbis intelligi poteſt quod ait Cicero in Orat. pro Muræna.Tot homines tam ingenioſos,ſtatuere nõ potuiſſe vtrum diem tertium an perendinum:iudicem,in arbitrum: rem,an litem dici oporteret.Hinc coniunctim legimus in l.ſi defunctus.9.C.de ſuis & legit. Res vel Lis.Et quæ lis inofficioſi vocatur in l.pater. D.de collat.dot.eadem dicitur res inofficioſi in l.Papinianus.8.§.j.D.de inoffi. Si quis,inquit, poſt rem inofficioſi ordinatam,litem dereliquerit, poſtea non audietur.Hinc & LITEM petere,pro rem,apud Plautum in Rudent.

Qui falſas lites falſis teſtimoniis petunt,
Quíque in iure abiurant pecuniam. Et mox:
Qui hic litem adipiſci poſtulant periurio.
Mali res falſas qui impetrant apud iudicem. Iterum:
Ille eam rem iudicatam iudicat.
Maiore mulcta mulctat,quàm litem auferunt. Hinc

LITIS æſtimatio,propriè rei æſtimatio,ſiue quanti quæque res eſt,quæ in controuerſiam deducta eſt.Itaque Litis æſtimationem ſoluere eſt tantum ſoluere quanti controuerſa res eſt. Caius.l. vlt. D. de cond. tritic. Si merx aliqua quæ certo die dari debebat,petita ſit: veluti vinum,oleum,frumentum,tanti litem æſtimãdam Caſſius ait,quanti fuiſſet eo die quo dari debuit. Vlp. l.21.D.de euict.Si emptor hominis mota ſibi controuerſia vẽditorem dederit procuratorem, iſque victus litis æſtimationem ſuſtulerit, ſtipulationem duplæ nõ committi.Paulus.l.2.§.vlt.D.pro empt.Si rem alienam emero,& cum vſucaperem, eandem rem dominus à me petierit:non interpellari vſucapionem meam litis conteſtatione: ſed ſi litis æſtimationem ſufferre maluerim,ait Iulianus cauſſam poſſeſſionis mutari ei qui litis æſtimationem ſuſtulerit. Vel ſic: Litis æſtimatio, eſt rei quæ in controuerſiam adducta eſt, vnà cum eo quod propter eam actoris interfuit, in certam pecuniæ ſummam redactio.Eius autem duæ ſunt partes: æſtimatur enim primum,quanti res eſt, deinde quanti actoris intereſt.l.vlt.D. de condict. tritic. Quanti autem res eſt,ſic æſtimatur,vt verum rei precium exquiratur.l.inter.179.D.de verb.ſign.l.4.§.hæc autem.D.vi bono.rapt.l.arbitro.D.de dol.mal. Id autem quod intereſt,duabus conſtat rebus:nam & damni propter rei culpam,dolúmve accepti,& lucri amiſſi ratio ducitur. l.j.C.de ſentent.quæ pro eod.l.ſi commiſſa.13.D.rem rat.hab.l.ſi fundus.33.D.locat.Litis autem æſtimatio ad iudicem pertinet, qui de damnis & intereſſe actoris taxatione facta pronuntiat.

Lis,eſt grauior quædam controuerſia & diſſenſio, quam iurgium,quod inter beneuolos quoque contingit.

Litis verbo actio in rem vel in perſonam ſignificatur,inquit Vlp.l.36.D.de verb.ſigni.Huic verbo S.literam à veteribus præpoſitam ſcribit lib.17. Feſtus.Inde in inſcriptionibus antiquis ſcriptum reperias, DECEMVIRIS SLITIBVS IVDICANDIS

Lis,inquit Corne.Front. naſcitur: Controuerſiam pertinacia efficit: & litigant homines.Res in controuerſiam deducitur,ita Cõtrouerſia partis eſt, Lis ſummæ.

Lis conteſtata dicitur, cum accepto à Prætore iudicio vtraque pars teſtibus pręſentibus pronũciat, TESTES ESTOTE. Gallus Ælius,Reos tum demum dici putauit,cum lis conteſtata eſt.Hæc Feſtus.Sed poſtea Lis conteſtata, formulis ordinariiſque iudicis ſublatis, dicta eſt,quæ apud iudicem agi cœpta erat. Impp.Seuerus & Anton.l.j.C. de litis conteſt. Res in iudicium deducta non videtur,ſi tantum poſtulatio ſimplex celebrata ſit,vel actionis ſpecies ante iudicium reo cognita.

gnita.Inter litem enim conteſtatam & editam actionem permultum intereſt.Lis enim tunc conteſtata videtur, cum iudex per narrationem negocij cauſſam audire cœperit.hoc eſt, nec flagitatio, nec actionis editio,niſi cauſſa in iure agi cœperit, litis conteſtationem efficit. Lites conteſtatæ, vt eſt in veter.gloſſ. αἱ ἀρχὴν λαβοῦσαι ἐν δικαστηρίῳ δίκαι δὲ ἀντικαθεστώτων. Videtur autem litis cõteſtatio originem traxiſſe à libertate Romana,videlicet ne quid per iudicia violentum introduci videretur in ciuilibus negotiis (crimina autem nullam habent libertatem) ſed omnia volentibus partibus fierent,& ſolenniter ſecundum ius.

in Litem iuſiurandum,vide ſuprà Iuſiurandum.

Lis in iudicium deduci dicitur, l.32.§.litem. D.de nego. geſt.l.2.C.de peti.hæred.Et res in litem, l.31.§.ſi duo.D. de nouat.

Lis moritur, cum legitimis tranſactis temporibus perit, l.3.§.j.quæ in fraud.cred.& alibi: E contrario Lis viuit, l.fin.C.de fide inſtrum. Lis perit,amittitur, l.j.§.qui autem.D.de calumnia.

Litem præparaſſe dicitur, in quæſtione inofficioſi teſtamenti,qui vſque ad denunciationem,vel libelli dationem proceſſit, l.7.l.15.D.de inoffic.teſta.l.7.D.de lib. cauſſa.

Litem addicere,pro ſecundum aliquem iudicare, ex XII. Tabulis interpretatur Gellius lib.7.cap.2.

Litem facere lex dicitur, qua iudicium conſtitutum eſt, M.Fabius lib.7.cap.1.

Litem in rem ſuam vertere, id eſt, rem inter duos controuerſam, quodammodo adiudicare ſibi: quod fit, cum iudex ita cũ litigantibus agit, vt ei iure ſuo cedãt.

Litem ſuam facere,hoc eſt, litis alienæ cauſſam ita ſuſcipere,vt propriam defendere videatur. Vnde iudex dicitur litem ſuam facere(vt iam diximus) qui plus æquo in alterum litigatorum propenſus, malè iudicat. Inſtitutio. De oblig.quæ quaſi ex delict.naſcun. l.fin. C.de pœn.iudic.qui mal.iudic. Græcis καθ' ἑαυτοῦ δίκην ἐγείρειν. Vide Facere litem.

Lite cecidiſſe dicitur, qui eius rei de qua agebat cauſſam amiſit.Feſtus.Vide Cauſſa cadere.

LITIGIOSA res intelligitur, ſiue mobilis, ſiue immobilis,ſiue ſeipſam mouens, de qua lis conteſtata, iudiciúmq; acceptum eſt,ſiue citatione ad magiſtratus facta,ſiue precibus Imperatori oblatis,& iudici inſinuatis, & per ipſum aduerſario eius qui principem adiit cognitis.Nouell.de litig.& de caut.§.j.conſtitu.112. vide D.& C.de litig. Litigioſam autem rem non facit, inquit, Vlpi.l.j. D.eod.denuntiatio, quæ impediendæ venditionis cauſſa ſit.

LITANIA, λιτανεία, in l.3 C.de hæret.ſolennis precatio, ſupplicatio,litatio, vt eſt in veter.Gloſſ. Prohibentur enim hæretici conuentus & litanias facere. vnde λιτανεύω,εὔχομαι, ſupplico, precationem adhibeo. Iuſtinianus etiam λιτὰς appellat Nouell.de Eccleſ.diu.capit.§.πᾶσι δὲ τοῖς, vbi vetat litanias fieri ſine Epiſcopo & cleric.& ſine ſacris crucibus: quas dum in pompa inceditur,deferri iubet.

LITERÆ elementa ſignificant, à notíſque ſeparantur, l. 5.§.ludi.D.de extr.cog.l.6.§.fin.D.de bon.poſſeſ.

Literarum ſtudia quantis laudibus & præmiis apud Romanos honorata ſint,inter innumerabilia ferè exempla,hoc mihi præclarum in mentem venit, quòd in laudem Taciti Imperatoris olim acclamare ſolebant: Quis melius, quàm literatus imperat?quaſi verò hanc omnium maximam eius virtutem (ſicut certè erat) exiſtimarent. Et profectò habent bonæ literæ naturalem quandam & præpotentem in rebus mortalibus vim atque energiam, vt Cicero eas rectiſſimè conſueuerit appellare,Diuinæ virtutis ſempiternas teſtes. Literæ autem & humanitas apud veteres idem erat. quippe qui παιδείαν ſemper ſint humanitatem interpretati. Varro de re Ruſt.lib.j.c.17. Qui præſint, eſſe oportet qui ſint aliqua humanitate imbuti. nam illud literis, quod eſt in vulgar. cod.gloſſema eſt. Cicero de finib.5. Sed animi cultus ille erat ei quaſi quidã humanitatis cibus.Sic Varro apud Gellium: Praxiteles, qui propter egregium artificiũ nemini eſt paulũ modo humaniori incognitus.Humaniori,πεπαιδευμένῳ.

Literæ, pro inſtrumentis, documentis, monumentíſque accipiuntur, vt not.in l.ſi procurator abſentem. D.de procur. Literis pro ſcriptis ſimpliciter Papinianus accepit in l.qui mutuam. D.mandati. Vnde iterum diuinat interpres,literis,id eſt,pacto,intelligens. Sic Cicero ad Atticum: Quòd meis omnibus literis in Pompeiana laude eſſet perſtrictus. Quanquam & pro epiſtolio,& mandato non abſurdè accipi poteſt.

Literas neſcire dicuntur,qui neque legere, neq; ſcribere queunt, l.3.D.de accuſ.l.10.l.pen. D.de teſta.§.ſimiliter. D.de excuſ.tut.Inſtit. Literarum autem imperitum eſſe aliud eſt, vt ex locis ſuperioribus liquet. Sic,

Literarum ignorantia, l.92.§.j.D.de acqui.hæred.l.fi. §.ſin autem dubius.C.du iure delib.

LITERATI, periti ſcribendi, & legendi, l.fin. C.de teſtam.Literatus tamen plerunque literis inuſtum ſignificat.Et Literarum ſeruum pro ſtigmatico dixit Plautus & Literatũ Cilicem Seneca in lib.de mort.Claud.

LITVS ſolebat Aquil. Gallus per tranſlationem definire,quà fluctus eluderet, vt ait Cicer.in Top.& Quintil.lib.5. cap.vltim. Etiam ipſi Iuciſcoſ. quorum ſummus circa proprietatem verborum labor, litus audent dicere, quà fluctus alludit. Celſus litus eſſe ſcribit quouſque maximus fluctus à mari peruenit, idque M. Tullium aiunt:cum arbiter eſſet primò, conſtituiſſe, l. 96.D.de verborum ſignif.Vlpianus litus publicum eſſe eatenus,quatenus maximus fluctus æſtuat & effluit, l,112. D.eod.tit.Inſtit.§.2.de re.diuiſ. quatenus hibernus fluctus maximus excurrit.

Λιθοξόοι in βασιλικοῖς, ſunt qui lapides poliunt, pro quo in l.j.C.de excuſ.artif.libro 10. eſt quadratarij, οἱ τοὺς διαφανεῖς λίθους ἀκονοῦντες.

LOCARE ſe vt ad beſtias depugnet, l.3. §.lege. D.de teſtibus. Locare operas, vt cum beſtiis pugnet, l.j.§. qui operas.D.ad S.C.Tertul.

LOCARIVM, apud Varronem lib 4.Ling.Latin. dicitur merces quæ datur ab eo qui locum quo conſiſteret conduxit in taberna vel in ſtabulo: adde vel in naui, vt l.2.§.j.ad leg.Rhod. Græci τοπιάτικον vocant ad Nouell.56. Leonis, interpretantes προέδρειαν κέρδος. Vide Cuiac.Obſ.lib.14.cap.1. Hinc,

LOCARII, apud Martialem ſunt qui in ſpectaculis loca populo locant. *Hermes*, inquit, *diuitiæ locariorum*.

LOCATIO & conductio eſt contractus bonæ fidei, de re aliqua certa mercede vel faciunda, vel ad tempus vtenda, inter quos iure ciuili licet, factus. Emptioni autem & venditioni iis in rebus eſt ſimilis. nam vt venditor & emptor rei cõmercium habere debet, ſic locator & conductor: vt res certa, certúmq; precium, ſic res, opúſve certum, item certa merces hic exquiritur: quemadmodum conſenſum vtriuſque in emendo, ſic in conducendo certam vtriuſque voluntatem interuenire oportet: vt illic, ſimiliter etiam hic, ex bona fide omnia exiguntur. denique tanta inter vtrunque contractum ſimilitudo eſt, vt interdum internoſci alter ab altero non poſſit. l.2.D.locati.

Locationis & conductionis verba bifariam vſurpantur in rebus vtendis, & operibus faciundis. Locare namque eſt, vtendum vel faciundum aliquid dare: Conducere, rem vtendam, opúſve faciundum mercede accipere. Sic inquilinus qui domum vtendam accepit, conductor dicitur: dominus qui dedit, Loca-

tor. Sed in opere faciundo communis vtriuſque huius verbi vis & ſignificatio eſt. nam quatenus ſuam operam quis vendit Locator dicitur: (vnde Locare operas vulgò dicimus,) quatenus opus faciundum ſuſcipit, Conductor, lege vigeſimaſecunda, §.primo. & §.cum inſulam, lege trigeſimaſexta, & lege quinquageſimaprima. D.locat. lege trigeſimaſeptima. D. de auro & argento: lege ſecunda, C.locat. lege vigeſimaſeptima, in fin. D. ad legem Aquiliam. Hinc Vlpianus in lege prima. D. de æſtimat. ſcribit, dubitatum fuiſſe, cum res æſtimata vendenda daretur, vtrum ex locato eſſet actio, quaſi rem vendendam locaſſe videar: an ex conducto, quaſi operas conduxiſſe. Hinc Paulus in lege ſecunda, D. ad legem Rhodiam, ita Locati & conducti actionum appellationes permiſcet, vt nullam ſtatuere inter eas differentiam videatur. Sicq; multis aliis in locis videas veteres Locationis & conductionis nominibus promiſcuè vſos lege vigeſima, D. de actione empt. lege prima. D. de ſuperfi. Hinc illud l.5.§.nunc videndum.9.D.commod. locato conducto agere, vt apud Varronem lib. ſecundi capitulo ſecundo, de re Ruſt. Necnon emptor poteſt ex empto vendito illum damnare.

LOCATOR regulariter dicitur, qui mercedem accipit: conductor, qui dat. Nonnunquam tamen hæc figura loquendi conuertitur apud Latinos, quatenus ad opus aliquod parandum attinet, vt iam diximus in Locationis & Conductionis verbis. Nam qui operatur; is dicitur conduxiſſe opus. Et contra dominus, qui dat mercedem, cenſetur id faciendum locaſſe: vt in l.2.C.loc. Vbi Bartolus, alioqui iuris peritiſſimus, ſi in melioza tempora incidiſſet, hallucinatus eſt, ſicut & Accurſius in l.2.§.ſi conſeruatis. D. ad legem Rhod. de iact. & l.j. D. de æſtimat.

LOCVS eſt, ait Varr. lib.4. Ling. Lat. vbi quid locatum eſſe poteſt. Et paulo poſt: Vbi quicquam conſiſtit locus: ab eo præco dicitur locare, quoadusque id emitur, quoad in aliquo cõſiſtit precium. Loquitur de redemptionibus. Locus in l.aut facta. D. de pœn. pro ſua cuiusque rei quam obtinet ſede accipitur.

Locus eſt non fundus, ait Vlpianus, ſed portio aliqua fundi: fundus autem integrum aliquid eſt. & plerunque ſine villa locum accipimus. cæterum adeo opinio noſtra & conſtitutio locum à fundo ſeparat, vt & modicus locus poſſit fundus dici, ſi fundi animo eum habuimus. non etiam magnitudo locum à fundo ſeparat, ſed noſtra affectio: & quælibet portio fundi poterit fundus dici, ſi iam hoc conſtituerimus: nacnon & fundus locus conſtitui poteſt. nam ſi eum alij adiunxerimus fundo, locus fundi efficietur. Loci appellationem non ſolum ad ruſtica, verum ad vrbana quoque prædia pertinere, Labeo ſcribit. Sed fundus quidem ſuos habet fines, locus verò latere poteſt, quatenus determinetur & definiatur. l.60. D. de verborum ſignificat. l.26. & l.4. D. de acquiren. poſſeſ. Atque ita fundus à loco ſeparatur l.64. in fi. D. de euict. l.38. in fin. D. de vſucap.

Locus, vide Fundus.

Locus, pro prouincia, l.omnes.§.j.C.de Epiſc.& cler.

Loci adiectio ſignificat diuerſimodè diſponi, l.quidam teſtamento. D. de legat.j.l.Lucius. D. de aliment.& cibar.legat.

LOCVS, eſt argumenti ſedes, vnde ducitur argumẽtum. M.Tul.in Topic. Nam locus nihil aliud eſt, quàm communis quædam rei nota, cuius admonitu, quid, & quomodo in quaque re probabile ſit, poteſt inueniri, vel in ipſa cauſa, vel extra cauſſam, de qua quæritur. Locus autem eſt duplex: Intraneus, ſeu artificialis: in ipſa hærens cauſſa, & artificio quodam excutiendus: vt apud Papinianum in l.j.D. de officio eius, cui manda. eſt iuriſdictio. Huius rei, inquit, fortiſſimum argumentum eſt, quòd lege Iulia de vi nominatim cauetur. Extraneus, qui ex aliis rerum adminiculus, ſine vlla arte ſuggerit probationẽ: vt ſunt, rumor, ſeu fama, Tormentum, Tabulæ ſiue inſtrumenta ſcriptorum, Iuſiurandum, Teſtes. vide Ciceronem in Topic.

LOCVPLES Gaio interprete habetur is, qui ſatis, & idoneè habet pro magnitudine rei, quam actor reſtituendam petit eſſe. l.234.§.j. de verb.ſig. l.fi. D. ſi cert. pet. l.3. de manum. Alias pro eo ſumitur qui multas habet poſſeſſiones, & à Loco deducitur, quaſi dicas locorum (id eſt agri ſeu poſſeſſionum) plenum, vt ſcribit Cicero in Catone Maiore, & Plin. lib.18. cap.3. & Gellius li. 10. cap.5. & Quintil. lib.5. cap.10. nam in locorum poſſeſſionibus (ait Nonius) veterum diuitiæ erant.

Locuples fideiuſſor iudicio ſiſtendi cauſſa, pro rei, quæ petitur, qualitate accipiendus eſt: nec ex facultatibus modo, ſed & ex conueniendi facilitate locuples æſtimatur, l.j. in ius vocati vt eant. & l.2. & l.5.§.j. D. qui ſatiſd. cog. præterquam in neceſſarius perſonis, in quibus quilibet fideiuſſor pro locuplete habetur, l.3. D. in ius vo. vt eant. Pro locupletibus certè habentur ab arbitro ad eos probandos dato approbati fideiuſſores, l.10. D. qui ſatiſd. cog.

Locuples reus intelligitur, qui ſoluendo eſt, l.fin.§.fin. D. ſi certum petatur, l.3. D. de manumiſſion. & alibi. Nec vnquam rei alienæ defenſor locuples videtur: quia ſemper neceſſe habet ſatiſdare, l.127. D. de diuer. regul. iuris.

Locupletior factus videtur, tam qui penes ſe rem habet, quàm qui in corpus patrimonij quoquo modo conuertit, aut cuius in rem verſum eſt, licet malo euentu perierit, l.18. D. quod met. cauſ. l.47. D. de ſol. Locupletior vtique factus intelligitur, qui debito liberatus eſt, l.50. D. de donat. inter vir. & vxor. l.66. D. de ſolutionibus. Locupletior non eſt, qui liberum hominem acquiſiuit, vel rem quandam donauit, nec ἀντίδωρα accepit, l.25.§.conſuluit. D. de petitione hæreditatis, l.169. D. de diuerſ. reg. iur. atque hæc interpretatio locum habet in pupillis, bonæ fidei poſſeſſoribus, maritis hæredibus, qui in quantum locupletes facti ſunt, tenentur. quod tunc diſpicitur, cum iudicium accipitur, id eſt, lis conteſtatur, l.47. D. de ſolutionibus. l.34. D. de minor. l.39. D. de neg. geſt. Planè in bona fide poſſeſſore tempus rei iudicatæ ſpectatur, l.36.§.quo tempore. D. de hæred. pet.

Locuples hæreditas, quæ opes adfert, vel oneri, vel incommoditati, ſeu vt vulgo dicunt, vexationibus coniuncta. Opulenta verò dicitur, quæ his caret, l.ſi quis mihi bona.§.2. D. de acquir. hæred. Azo locupletem hæreditatem accipit, quæ maior eſt centum aureis, in Rubr. C. de bon. libert.

Locupletem lex Papia definiit, qui centum millia ſeſtertium poſſideret, §.2. D. de ſucceſ. libert.

LOCVLI, in l.53. in fin. D. de leg.3. l.23.§.j. D. de pecul. leg. ſacculum pecuniæ, & crumenam ſignificat.

LOGARIVM, λογάριον, deminutum verbum à λόγος, quod rationem ſignificat. quare rationes ex videntur ſignificari, quas Scæuola in l.vltim. D. de pecul. legat. breuiarias appellat. Vlpian. l.3.§.6. D. de penu. leg. Sed chartas, inquit, ad ratiunculam, vel ad logarium paratas contineri.

Λόγος ἀσυλίας Nouello 17.128. ius aſyli, Gallis *Franchiſe.*

Λογιστής Reipubl. curator, l.Boethos. C. de tabul. ſcribis, & logograph. lib.10. qui adiuuas habebant dict. l. Boethos. & vide ibidem Alciat. Hinc λογιστεία, rationes, l.15. D. de excuſ. tut.

LOGOGRAPHI, rationarij, qui rationes publicas, hoc eſt, tributorum, perſcribunt. Arcad. l.vltim.§.j. D. de mun. & hon. Hi quoque qui cuſtodes ædium, vel archaotæ,

chœotæ, vel logographi, vel tabularij. Sic in Rubric. Cod.lib.10. De tabulariis, ſcribis, logographis. Vide etiam Nouellam 128.

LONGVM tempus eſt decennij inter præſentes, vicennij inter abſentes: ait Paulus lib.Sentent.5. cap.2. & 5. Atque ita in omnibus propè iuris articulis longum tempus accipiendum eſt. Vide titu.D.de long.temp. præſcr.& Inſtit. de vſucap.in princ. Nec verò mirum cuipiam videatur paſſim in Pandectis huius longi temporis fieri mentionem, vt l.2.§.cum Stichum.& l.4.pro ſocio.l.76.in fin.D.de contrahen.emptio. l.3.l.11. in fin.D.de diuerſ.& temp.præſcript.& alibi, cum dicat Iuſtin.in princ.de vſucap.olim iure ciuili in rebus mobilibus anno vbique vno vſucapere licuiſſe, in immobilibus biennio tantum in Italico ſolo. Hoc enim fuit à Triboniano correctum, vt Pandectis cum conſtit.Iuſtiniani conueniret, vbi id emendauit, l.j. C.de vſucap.transfor.

LONGISSIMVM autem tempus eſt XXX. vel XL. annorum.C.de longi temp.præſcript.

Longa manu, vide Manu longa.

LONGE, quandoque in infinitum, l.à diuo. §.ſi poſt. D.de re iud. quandoque longiſſimè, l.apparet. D.de itiner. actúque priu. quandoque magis, aut valde, l.j.§.qui ſuperficiem.D.de ſuperfic.

Longum ſilentium, id eſt, quinquennij, l.non tenetur.§. præſcripto.D.de ſta.defun.poſt princ.

LORICÆ Feudum, vide Hauberticum feudum.

LORICATIO, tectorium eſt, parieti in modum loricæ inductum: idem ferè quod incruſtatio. Paulus de verborum ſignificationibus. l.impenſæ. Incruſtatio, inquit, loricationes, & picturæ. Hanc explicans leg. Alciatus, Loricationes, ait, ſunt ſuperficies integendi cauſſa: quæ ad pauimenta maximè pertinent, fiuntque ex calce & arena. Varro lib.j.de re ruſt.ca.57. Parietes & ſolum opere tectorio marmoreo loricandi, ſi minus ex argilla, &c. id eſt tegendi, incruſtandi.

LVBRICVM ætatis, id eſt leuitas, mobilitas, inconſiderata ratio, temeritas. Vlpianus l.11.§.4. D.de minorib. Neque enim ætatis lubrico captus eſt adeundo locupletem hæreditatem.

LVCRVM ab luendo, inquit Varro li.4.Ling.Lat.ſi amplius ex eo luerit quàm quanti eſſet cœptum. Eſt autē Lucrum nomen generali, l.coiri. & l, ſequenti. D.pro ſocio. Nam generaliter lucrum accipitur, pro omni acceſſione gratuita, vel onerosa, l.actionum genera.§. actionum autem. D.de obligationibus & actionibus. l.ſi cum dotem.§.ſi pater. D,ſolut.matrīm. Lucrum ex circunſtantiis variè accipi conſtat ex iis quæ refert Alciatus l.continuis.§.cum ita.nu.17.& 18. D.de verbo. obligatio. primò ſi ad tempus præſens referatur probatio: cum variatione temporum varietur rerum conditio. Secundò cum non de communi æſtimatione tractaretur, ſed de eo caſu, in quo, ad id quod particulariter intereſt, haberetur reſpectus.

Lucrum ceſſans, appellatione damni venire, Alciatus putat: quod tamen ſubſiſtere non poteſt, niſi latiſſimè acceperis damni ſignificationem. Siquidem in damni definitione lucrum ceſſans non comprehenditur. Sic enim Vlpianus in l, Proculus. D. de damno infecto. Longè intereſt, inquit, an quis ex alieno facto damnum patiatur, an lucro, quod adhuc faciebat, vti prohibeatur. Sed lucrum ceſſans poſt moram, hoc aſt, cum debitor non ſoluit conſtituto die, cadit in rationem damni emergentis poſt moram. nam & hoc eſt, non ſoluere conſtituto die. Vide Philippum libro ſecundo Philoſophiæ Moralis.

LVCRATIVA cauſſa, ex qua accipienti nihil abeſt, l.82. §.fundus. D.de legat.1.Paul.lib.4.Sentent.titul.1. Iuſtinian.l.vnica. C. de impo. lucrat.deſcriptio. lib.10. Ex promiſſione planè dotis lucratiua cauſſa non eſt, ſed quodammodo creditor aut emptor intelligitur, qui dotem petit, l.19.D.de obliga.& action. Vide Cauſſa lucratiua.

Lucratiua poſſeſſio, quam ex lucratiua cauſſa quis adeptus eſt, l, 2.D.ſi quis omiſ.cauſ.teſta.

LVCROSVM, fructuoſum, quæſtuoſum, vtile. Caius in l.obligari. 9.§.2. D.de auct.tutorum. Hæreditatem adire pupillus ſine tutoris auctoritate non poteſt, quamuis lucroſa ſit. Idem l.ſi quis.17.D.ſi quis omiſſa. Liberum cuique eſſe debet etiam lucroſam hæreditatem omittere.

LVDOVICVS Romanus Iuriſconſultus nobilis nomen habuit Pōtani: ſed quia Senis ius ciuile profeſſus, Romam commigrarat, cognomen ex eo deportauit. Baſileæ mortuus eſt, cum eo publicè ad comitia Eccleſiaſtica veniſſet, anno M.CCCC. XXXIX. Æneas Syluius eum tanta memoria fuiſſe tradit, vt nulli veterū ceſſiſſe putetur: quippe qui memor eſſet omnium quæ ipſe vnquam aut legiſſet, aut audiſſet: nec oblitus eſſet eorum aliquid, quæ vnquam vidiſſet.

LVDVS pœnæ mediocris genus, Paul.lib.5.Senten.tit.17. cuius meminit l, 2.C.Theo.de pœn. Tertulli.in lib.de ſpectan. Atq; is ludus duplex intelligi debet, Venatorius, & Gladiatorius. In vtrunque autem damnati ſerui pœnæ efficiuntur. Et Paulus loco præcitato, damnatos in gladiatorium ait eſſe intra annum conſumendos. Huius etiam meminit l.j.C.Theod.ad leg.Falcid. Iſidor.lib.18.Etymol.cap.52.vt & ludi Venatorij, l.8.§. penul.& vlt.D.de pœn.

LVDI Circenſes (de quibus mentio fit in l.12.§.equitij. D.de vſu.& habit.l.j.D.de mun.& hon.l.122.D.de leg. j.) iidem erant, qui & Magni dicebantur: quòd (vt ſcribit Pedianus) magnis impēſis dati ſunt. Inſtituti autem ſunt à Tarquinio Priſco, & propterea Circenſes dicti ſunt, quòd primi in circo qui Maximus dictus eſt, dati ſunt. ſolennes deinde annui manſerunt: & Ioui, Iunoni ac Mineruæ ab Ædilibus curabantur, vti patet ex lib.j.Liuij, & Verrina 7.

Ludi PALATINI, apud Suetonium in Caligula: Cum placuiſſet Palatinis ludis ſpectaculo egreſſum meridie aggredi. Sunt autem ludi qui in Palatio fiebant in honorem Cæſaris, qui primus Romæ imperauit, vt à Ioſepho ſcribitur lib.19. tum tamen, vt idem ſcribit, cum occiſus eſt Caligula in honorem Auguſti celebrabantur.

LVDIFICATIO, apud Imperatores in l.cum te. C.de pactis inter emptorem & venditorem, pro friuola dilatione. Et ideo (inquientes) addictus cōpetens iudex, fundum, cuius mentionē facis, reſtitui tibi cū fructibus ſuis, ſine vlla ludificatione, ſua auctoritate perficiet.

LVERE, ſoluta pecunia liberare. Imper.§.6.de legat. Sed etſi rem obligatam creditori aliquis legauerit, neceſſe habet hæres eam luere. Si tamen defunctus voluerit legatarium luere, & hoc expreſſerit, non debet hæres eam luere. Sic l.6.C.de fideicommiſ.l.25. D.de pign.actio. l.7.§.inter D.commun.diuid.l.52.§.j. D.de action.empt. Eſt & Luere, pretium redemptionis redemptori offerre. Vlpian.in l.qui ſtatus. D. de re milit. Qui ſtatus controuerſiam patiuntur, licet reuera liberi ſunt, non debent per id tempus militiæ dare, &c. ſed nec qui ab hoſtibus redempti ſunt, prius quam ſe luant.

Luere, alias punire ſignificat. Hinc Luere pœnas, quod & dare pœnas dicitur, ferre ſupplicium eſt. Hinc illud, Aëre luo pignus, cruce pœnas, luce tenebras. Seruius autem in li. Æn.10. Lui pœna, inquit, ſed melius lui peccatum dicitur. nam peccatum ſoluitur pœna: qui enim crimine tenetur obnoxius, pœna eum liberat à priſtina obligatione. Cōtrà, Luo pœnā ſi dixeris,

non

non procedit quare pœna ſoluatur: tamen auctoritas iſta licenter cõfunditur more, quo ſolet poni, vel à ſequenti quod præcedit, vel à præcedenti quod ſequitur.

Luere etiam purgare eſt & abluere. Cicero Verr.3. Verréſne tibi tanti fuit, vt eius libidinem hominum innocentum ſanguine lui velles? Hinc, Lua dea apud veteres, quæ præerat luſtrationibus & luſtris. Liu.lib.8. Armorum vis magna tum inter cæſa corpora hoſtium, tum in caſtris inuenta eſt, Ea Luæ matri dare ſe Conſul dixit.

LVITIO, nexus ſolutio, l.j.§.ſi filius.D.de ſuis & leg. Sic l.ſi patre.D.de capt.& poſtlim. Si patre redempto & ante luitionem defuncto, filius poſt mortem eius redemptionis quantitatem offerat, dicendum eſt ſuum ei poſſe hæredem exiſtere. Sic & Paulus lib.4. Sent.tit. 6. Si res obligata creditori, cuius cauſam teſtator non ignorat, per damnationem legata ſit, Luitio ad hæredis ſolicitudinem ſpectat. In quibuſdam tamen exemplarib. ſolutio legitur. Hinc, lib.8.eod.titu. de luitione pignoris, id eſt liberatione.

LVGVBRIA, in l.8.D.de iis qui not.infa. pro veſte lugubri, & cæteri luctus inſignibus. Sic l.15.C.ex quib.cauſ. infa.irrog.l.15.§.generaliter. D.de iniur. Paul.li.1.Sent. titu.vltimo.

Lugubria ſumere, & deponere lugubria opponuntur. Exempla patent. Eodem modo, in luctu eſſe, Lugere. Oppo. Luctum ponere, Elugere. Romanæ matronæ Brutum tempus annuum luxere. Cicero: Patriam eluxi iam, id eſt luctum, quem pro patria ſumpſerá depoſui. Vlpianus in l.genero. D.de his qui notan.infam. Sed cùm tempus luctus, inquit, continuum eſt, meritò & ignoranti cedit ex die mortis mariti. Et ideò ſi poſt legitimum tẽpus cognouit: Labeo ait, & ſumere ipſam lugubria, & deponere.

LVMEN, id eſt, vt cœlum videretur. & intereſt inter lumen & proſpectum. nam proſpectus etiam ex inferioribus locis eſt: lumen ex inferiore loco eſſe non poteſt, l.16.D.de ſeruit.præd.vrb. Hinc,

Lumina immittere, l.13.D.de vſufructu & vſu.l.pen. D.de ſer.vrba. Luminibus officere, obſtruere, obſcurare, l.25.D.locat.l.23.D.de ſeruit.vrb.

LVMINVM ſeruitute conſtituta, id acquiſitum videtur, vt vicinus lumina noſtra excipiat. Cùm autem ſeruitus imponitur, ne luminibus officiatur, hoc maximè adepti videmur, ne ius ſit vicino inuitis nobis altius ædificare, atque ita minuere lumina noſtrorum ædificiorum. l.4.D.de ſer.vrb.

LVMEN vnicum σωυεκδοχικῶς, pro exiguo cubiculo, quod vnica feneſtra tenuiter illuſtratur, quale tenues & inopes homines habere conſueuerunt. Vlpian.l.6. §.5.D.de offic.præſ. Ne tenuis vitæ homines ſub prætextu aduentus officiorum vel militum, lumine vnico vel breui ſupellectili ad aliorum vſum tranſlatis, iniuriis vexentur, Præſes prouinciæ prouidebit. Haud ſcio tamen an Limine vnico verius legeretur, vt ſuprà annotauimus. Alij Homine vnico magis probant. Malim tamen aut Lumine, aut limine, & vtrunque σωυεκδοχικῶς.

LVPANARIA dicuntur loca vbi meretrices corpore quæſtum faciunt. Lactant.lib.Inſti.1. Fuit, inquit, Acca Laurentia Fauſtuli vxor, & propter vulgati corporis vtilitatem, lupa inter paſtores, id eſt meretrix nuncupata eſt: vnde etiam Lupanar dicitur. Et Hieron. in Chronic.Euſeb. Paruulos prope ripam Tiberis expoſitos Fauſtulus regij paſtor armenti ad Accam Laurentiam vxorem ſuam detulit, quæ propter pulchritudinem & rapacitatem corporis quæſtuoſi, Lupa à vicinis appellatur. Vnde ad noſtram vſque memoriam meretricum cellulæ, Lupanaria dicuntur. Vlpian.l.palam.43. D.de rit.nupt. Palam quæſtum facere dicemus, non tantum eam quæ in lupanario ſe proſtituit verum etiam ſi qua, vt adſolet, in taberna cauponi pudori ſuo non parcit.

LVPINVM inter fruges numeratur, l.frugem.D.de verbor.ſignific.

LVSCITIO dicitur, inquit Vlpian. vbi lumine adhibito, homo nihil videt, l.10.§.penul.D.de ædil.edict. Græcis νυκταλωπία. Huic Nonius conſentit, Luſcitioſos ſeu Luſcioſos dictos notans, qui ad lucernam non vident, Græci μύωπας vocant, citans hoc Varronis lib.7. Diſciplin. Veſperi non videre quos appellant luſcioſos. Feſtus Luſcionem definit vitium oculorum, cum quis clarius veſpertino tempore, quàm meridiè cernit: quo morbo laboraſſe Tiberium Cæſarem Trãquillus ſcribit, & Dio lib.57. his verbis: καὶ διὰ τὴν ἀμβλυωπίαν πλεῖστον μὲν τοῦ σκότους βλέπων, ἐλάχιστα δὲ ἡμέρας ἑώρα. Plautus in Mercatore hoc fere ſignificatu videtur vſurpaſſe. Mirum, inquit, lolio victitare te tam vili tritico, quia luſcitioſus. Ferunt eniem lolio victitantibus oculos obſcurari.

LVSORIVM edictum, inane, ludibrio habitum, omnium irriſione deluſum, l.75. D.de iudic. Alioquin luſoria erunt huiuſmodi edicta & decreta Prætorum. Sic l.vltima. D.ne quid in loc.public.& l.50. §.j.De legat.j.

Luſoriè agit, qui cum aduerſario colludit, l.50. D.de legat.j.

Luſoriæ naues, vide infrà Nauis Luſoria.

LVSTRVM tempus quinquennale. Feſtus. Dicitur autem à luendo, vt ſcribit Varro libr.5.Ling.Latin. quod quinto quoque anno vectigalia, & vltra tributa, per Cenſores perſoluebantur. Hinc, etiam factum cum veteres fere ſolerent locare prædia tum vrbana, tum ruſtica in quinquennium, vt apparet ex l.ſi in lege locationis.§.ſi domus vel fundus.& §.ſeq. D.locati, aliiſque locis: & apud Hygen.lib.de limit. vt hoc tempus locationis vocauerint luſtrum: cuius ſit mentio à Iuriſconſult.in l.4.§.res pignori. Si cert.petat. Nam & ſi colonus, inquit, poſt luſtrum completum fructus perceperit, condici eos conſtat. Item l.30.D.de lega.3. Qui hortos publicos à Repub. conductos habebat, eorum hortorum fructus vſque ad luſtrum quo conducti eſſent, Aufidio legauerat. Et l.67.§.vlti.D.de furt. Nunc autem in ter ternos, id eſt, nouenos, in Emphyteuticis. Prædia autem vrbana ferè nunc ſolemus locare in annum: Ruſtica verò in triennium. Notandum autem, cum luſtrum quinquennale tempus eſſe dicimus, de quinquennio integro non intelligere, vt nec ij qui ita definierunt, ſed de quadriennio exacto, & quinto anno ineunte: quod & in Olympiadibus intelligi volumus, quas nihilominus πενταετηρίδας Græci, à quinquẽnij ſpatio vocitarunt, cum ſatis cõſtet quinto quoque anno nõ exacto, ſed ineunte celebrari ſolitas. Plinius libr.2.cap.47. Omnium quidem (ſi libeat obſeruare minimos ambitus) redire eaſdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum modo, verum & reliquarum tempeſtatum magna ex parte. Et eſt principium luſtri eius ſemper intercalari anno Caniculæ ortu. Hinc, & Olympiada refert Sudas eſſe certamen quod quinto quoque anno ineunte celebraretur, διὰ τὴν μετὰ τετραετίαν, inquit, τοῦ τοῦ ἡλίου δρόμου ἐκ τῶν κατ' ἔτος ὡρῶν τριῶν συντελουμένην ἡμέραν.

Luſtrum igitur à Latinis vocatur, quod Olympias apud Græcos dicitur. Vide Budæum in prioribus Annot.ad d.l.4. ſi cert.per.

LVSTRALE aurum, de quo tit.de luſtr.auri collat.lib. 11.Cod. χρυσάργυρον dicebatur. Id Euagrius & Zonaras deſcribunt eleganter, & quarto quoque anno pendi ſolitum narrant, id eſt ſingulo luſtrò. Onus erat negotiatorum & mercatorum (ob idque aurum negotiatorium

ciatorum à Lampridio dicitur in Alexandro)quorum appellatione etiam tenuiores continebantur,qui quid corrogata ſtipe ſibi comparabant,meritoriæ puellæ & feneratores:non tamen qui vernacula diſtrahebãt, vel qui manu ſibi victum adquirebant, veluti figuli & fabri,non veterani,clerici,copiatę intra certum pecuniarum numerum. Erant & res quædam huic muneri obnoxiæ ex lege teſtatoris vel fiſci,vt conſtat ex l.vlti. C.Th.de luſtrat.conlat.Erant & propria quædam eius penſitationis ſcrinia. De ea accipienda eſt l.3.C.de epiſcop.& cleric.& l.j. C.de comm.& mercat.quæ ſumpta eſt ex l.5.C.Th.de luſtrat.conlat. ſicut & l.j.C. de epiſcop.audien.quæ tamen ita à Triboniano compoſita & concinnata eſt, vt ad aurariam penſionem referri nullo modo poſſit. Hanc aurariam collationem ſuſtulit Anaſtaſius Imperator, vt ſcribunt Euagrius & Zonaras,& multi alij auctores.

Luſtralis cenſus Vlpian.in Epit.tit.1. quòd vnoquoque luſtro fieret dictus.

LVSTRAMENTVM Hotom.intemperans & effrenata rei Venereæ cupiditas. Luſtrari enim apud Plautum in Pſeudolo 20.& Caſina 6.ſcortari ſignificat,& in luſtris meretricum ac lupanaribus verſari.Marcian.l 3.§.j.D.ad legem Corneliam, de ſicar. Pigmentarij ſi cui temerè cicutam, ſalamandram, aconitum, pytiocampas, bupreſtim, mandragoram,& id quod luſtramenti cauſſa dederint cantharidas, pœna teneantur huius legis.Cantharidum quidem hæc vis eſt, vt ad rem veneream incendant.Sunt tamen qui Luſtramẽtum hoc in loco fumi velint pro purgatione facta per veneficium,maleficij ſcilicet gratia, cum luſtrare nonnunquam ſumatur,pro carmine malefico afficere. Alij eo in loco Vlceramenti legunt.

LVXVRIA propriè profuſio ſumptuũ.Imper.§.9. Quod cum eo,&c.Quia ſæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum,quas in luxuriam conſumebant, vitæ parentum inſidiabantur. Hinc,

LVXVRIOSVS apud Iul.idem qui & Nepos dicitur, in l.8.D.pro empt. Quomodo enim mala fide emiſſe videtur,qui à domino emit?niſi forte & iis qui à luxurioſo, & protinus ſcorto daturo pecuniam, ſeruos emit,non vſucapiet.

Luxuria,pro petulantia,incontinentia, effuſa quadam & intemperanti inſolẽtia.Vlpianus l.j.in fine.D.de ædil. edict.Cæterum ſi nihilominus permaneret in eo vitio,vt circa fana bacchari ſoleret, & quaſi demens reſponſa daret,etiamſi per luxuriam id factum eſt, vitium tamen eſſe,ſed vitium animi, non corporis.Marcian.l.penult.D.de incend.nauf. Si fortuitò incẽdium factum ſit,venia indiget:niſi tam lata culpa fuit, vt luxuria aut dolo ſit proxima. Vbi tamen VT, pro AVT legendum videtur.

LYCIARCHIÆ,in l.vnica.C.de officio Comit.Orientis.Vide Λυκιάρχης.

LYCHNVS in l.ſtatuæ.245.D.de verbo.ſignific.(ſic enim ibi legendum videtur, non lignis) ſignificat Lucernam.Alij Tignis legi malunt.

LYCIA, eius Papinianus meminit in §.dulciſſimis.l. cum pater filios. Quæcunque, inquiens, mihi ſuperſunt in Pamphylia, Lycia, vel vbicunque.de legat.2. clariſſima quodam Aſiæ minoris regionum, & ſexaginta oppida complexa:è quibus tamen, Vadiano teſte, Pauli Apoſtoli ætate trigintaſex tantũ extiterunt: reliquis partim bello,partim terræ motu diſiectis.

LYTÆ dicebantur,qui triennium in legum ſtudio verſati, quartum etiam adiungebant. Imperat.ad Anteceſſores, §.5.Sed quia ſolitum eſt anni quarti ſtudioſos Græco & conſueto quodam vocabulo λύτας appellari: habeant quidem, ſi maluerint, hoc cognomen,&c.λύται autem dicti videntur,vt λυτοὶ, id eſt ſolubiles:quaſi iamiam à certa illa & præſcripta ſtudiorum ratione ſoluendi,& legendi libertate, ac licentia donandi:quaſique miſſionem à magiſtrorum ſuorum caſtris,id eſt ſcholis impetraturi. nam cum ad finem libri Pandectarum trigeſimiſexti peruentum eſſet,qui poſtremus anni quarti liber erat, ſtatuit Imperator, vt reliquos quatuordecim libros ſtudioſè per ſe domi legerent, neque ex præceptoribus interpretantibus eos audirent. Ex libris autem quinquaginta, inquit, noſtrorum Digeſtorum ſex & triginta tantummodo ſufficere tam ad veſtram expoſitionem (Anteceſſores alloquitur) quàm ad iuuentutis eruditionem iudicamus. Et §.5. Vt ex trigintaſex librorum recitatione fiant iuuenes perfecti,& ad omne opus legitimum inſtructi. Duabus aliis partibus, id eſt, ſexta & ſeptima noſtrorum Digeſtorum,quæ in quatuordecim libros compoſitæ ſunt, eiſdem poſitis, vt poſſint poſtea eos & legere,& in iudiciis oſtendere.Turneb.λύτας interpretari mauult, quaſi Solutores, & interpretes quæſtionum iuris,de quibus Iuuenalis dixerit:

Qui iuris nodos,legúmque ænigmata ſoluat.

Sed id parum attentè, cum eiuſdem honoris nomen tyronibus præberi non poſſit, qui ſummis Iuriſconſultis.

M

M, LITERA ex duobus AA, conſtare B.Irenæus iam olim Lugdunenſis Epiſcopus ſcriptũ reliquit: id quod verum animaduerti ex vetuſtiſſimo C.Theo.manu ſcripto ante annos 1130.quẽ aliquando penes me habui.

M. M. P. NOTÆ ſunt apud Paulum Diaconum, pro manu,mancipio,poteſtate.Vlp.cap.Inſtit.24. Ei cuius in poteſtate,manu,mancipióve eſt hæres ſcriptus, legari non poteſt. Idem autem cap.9.& 10.oſtenderat in manu eſſe vxores matresfa.in poteſtate liberos filiosfam. in mancipio ſeruos. Ergo apud Paulum Diaconum Malo mancipio,poteſtatẽ corruptè legitur.

MACEDONIANVM Senatuſconſultum, vide Senatuſconſultum Macedonianum.

MACERIAM M.Varro docet in fundo eſſe facile fabrile ſepimentum, cuius ſpecies ſunt quatuor: quod fit è lapide,quod è lateribus coctilibus, quod è lateribus crudis,quod ex terra & lapillis compoſitis informe.libro De re ruſt.1.cap.14. Hinc Maceriam ducere apud Caium l.17.D.commu.prædior. Si precariò vicinus in tuo maceriam duxerit, &c.id eſt, impoſuerit, vt paulò poſt loquitur. Virg.Æneid.lib.1.

- pars ducere muros, Molirique arcem.

Μάκελλα autem interpretantur τὰ δρύφακτα καὶ φραγμοὺς, hincque Maceriæ nomen deductum. quod videtur ſubindicare idem Varro lib.4.Ling.Lat. Macellúmq; in quem contracta eſſent quæ ad victum pertinent, ſic eſſe vocatum caſu, quod ibi fuerit domus, cui cognomen fuit Macellus, quæ ibi publicè diruta.

MACHINA Vlpiano dicitur, vbi non tam materiæ ratio quàm manus, atque ingenij ducitur. Hinc in l.ſi vt certo. §.ſed interdum. D.commod. in machina operari, eleganter opponit,de plano opus facere:inibique pro inſtrumento, quo commodius moles impellitur, aut in altitudinem attollitur, machinam accipit. Sic l.j. D. de mortinfer. Videntur & machinæ quædam fuiſſe,quibus ſerui in ergaſtulo,aut alibi continerentur, & coërcerentur, etiam liberi interdum. Plinius: Paucis diei horis pingebat,id quoque cum grauitate, quod ſemper togatus, quanquam in machinis.Carcer eius artis domus aurea fuit.

Machina

Machina frumentaria,apud Vlpianum in l.quæſitum. §.2. de fun.inſtru.mola eſt,qua in piſtrino frumenta terun-tur:ſic dicta,quod machina quadam includeretur.

MACHINARIVS faber, qui tractoria machina onera in altitudinem ſublata collocat. Paul.l.31.ad leg.Aquil. Si putator ex arbore ramum cum deiiceret,vel machi-narius hominem prætereuntem occidit.

Machinarius aſinus, Alfeno l.60.§.3.D.de lega.3.& Vlpia. l.12.§.7.D de fund.inſtr.eſt,vt vult Turneb.Aduerſ.lib. 8.capit.9. molendarius, qui molit, id eſt qui molam machina quadam incluſam voluit & torquet. Hincq; machinam frumẽtariam molam ipſam vocari, ab eo-dem Vlpi.vbi ſupra,& ab Auſonio, machinalia pon-dera, piſtrinalia. *Qui*,inquit, *machinali ſaxa voluunt pon-dere*. Alij tamen Machinarium aſinum in duobus ſupe-rioribus Iuriſcon. locis intelligi volunt, cum quo ad omnis generis machinas vti poſſumus, ſiue tractorias vt molæ frumentariæ: ſiue vectorias, vt plauſtrorum & ſarracorum.

Machinarius menſor,qui norma in metiendo vtitur, vt ii qui probant opera à fabris materariis facta. Vlpian. l.7.D.ſi menſ.falſ.mod. Et ſi mẽſor machinarius feſel-lerit,hæc actio dabitur.nam μηχανῆς verbo hanc nor-mam expreſſit, vt artificioſam à decempedali diſtin-gueret.Illius formam cognoſce ex Vitruuij lib.9.ca.2.

MACHINATIO,dolus,techna.Vlpian.l.36. D.de verb. obligatio. Si quis,cum aliter eum conueniſſet obliga-ri,aliter per machinationem obligatus,&c. Nam pau-lo poſt infert,Quia enim per dolum obligatus eſt,&c.

MÆNIANA, Vide Meniana.

MACVLA propriè eſt ſordes, & turpitudo, qua pannus infici poſſit, vt apud Plin.Fullones,inquit, ea maculas è veſtibus tollunt. Tranſlata autem ſignificatione,po-nitur pro turpitudine, infamia, ignominia, & dede-core.Hinc apud Ciceronem,aſpergere maculis & af-ficere macula & ſimilia legimus. Et macula infamiæ, pro nota in l.j. C.de nat.lib. Modeſtinus per tranſla-tionem dixit Maculam ſeruitutis ſuſtinere, in l.fin.de nat.reſtit. Libertinus,qui natalibus reſtitutus eſt, per-inde habetur,atque ſi ingenuus natus,medio tempore maculam ſeruitutis non ſuſtinuiſſet.

MAGIA quædam improbatur,Græcis γοητεία dicta, quæ-dam philoſophica ſeu naturalis eſt, quæ ab antiquis ſanctiſſima,ſummáque ſcientia habita eſt. Vnde apud Perſas Magus dicitur, quem Græci Philoſophum ap-pellant:ſicut in Euangelio Magi illi quoque accipiun-tur.Sed de altera Magia,quæ dæmonum inuocatione fit,loquitur Vlp.in l.cætera.§.j.D.famil.erciſ. Tantun-dem,inquiẽs,debebit facere in libris improbatis, ma-gicis fortè, vel ſimilibus. Hæc enim omnia protinus corrumpenda ſunt.De his duabus Magiæ ſpeciebus, vide Cælium Rhodiginum lib.9.cap.23.

Magicam ſuperſtitionem, hoc eſt,eas præſtigias,quæ ex-tra publicum ritum certis quibuſdam incantationi-bus,& neſcio quibus ineptiis fiebant, damnãdas eſſe, Gentes tametſi veram religionẽ ignorarent,ac in ido-lolatria prorſus eſſent demerſi, attamen lumine quo-dam naturali intelligebant. Vnde Auguſtinus de ciui-tate Dei ſcribit in XII.Tab.fuiſſe legem, quæ magicas impoſturas prohibebat:cum & Ciceroni vehementer diſpliceant. Et Dido apud Virg.Æneid.4.ſic dicit,

Teſtor cara deos, & te germana,tuúmque
Dulce caput,magicas inuitam accingier artes.

De his hæc intelligi vult Vlpia.in l.j.§.medicos. D.de var.& extr.cogn.Non tamen,inquiens, ſi incãtauerit, ſi imprecatus eſt, ſi(vt vulgari verbo in poſterũ vtar) exorciſauit.Non ſunt enim iſta Medicinæ genera: ta-metſi ſint qui hos ſibi profuiſſe cum prædicatione adfirment.

MAGIS, μαγίς.Iul.Pollux lib.6.ca.12. hoc verbum ex So-phocle ſic exponit, Αἱ δὲ ἐπιτιθέμεναι καὶ αἰρόμεναι τράπε-ζαι, ἃς νῦν μαγίδας καλοῦσιν.Id eſt,Menſæ autem quæ im-ponuntur,& tollũtur,quas nunc magidas vocãt. Hoc verbo etiam vſus eſt Epicharm.κύλικα μαγίδα λύχνον. At lib.6.c.10. μαγίδα eſſe ſcribit Feſt. ἀγγεῖον ἐν ᾧ τὰ ἄλφιτα μάττε), id eſt,vas ſeu alueus in quo farinæ ſubiguntur: quod & μάκτρα appellatur. In eo etiam quæ ad ſa-crificium pertinebant portabantur. De Magidæ autẽ Paul.l.36.D.de cõdict.indeb.Seruus cuiuſdam inſcien-te domino magidem commodauit,&c.Plin.lib.33.cap. 11.pro lance eiuſdem formæ vſurpaſſe videtur. Fene-ſtella,inquit,tradit tympana ſe iuuene appellata ſtate-ras,& lances, quas antiqui magidas appellauerũt.Var-ro lib.4.Ling.Lat.Magida, æ inflectens, vas eſcarium eſſe vult,cui aſſa imponebantur,& à magnitudine de-duci. Budæus hac voce ſignificari poſſe ait orbiculatũ inſtrumentũ,quo panifices, & dulciarij piſtores ſubi-gendis farinis opificij ſui gratia vtuntur, quam Ron-delam vulgò vocant.*Rondeau de patiſſier.*

MAGIS, aduerbium interdum ſubauditur.Vlp.l.7. D.de poſſ.Cum poſſet non ſuſcipere talem cauſſam, quàm decipere. Idem in l.2.§.6.D.de iudic. Alioquin com-pelletur iudicium accipere, quàm inuenire eos qui ſa-tis pro eo dent. Paul.in l.2.§.j.D de rebus cred. Quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie.Et hoc quidem Hebræorũ more, qui ſæ-pe hanc particulam ſubaudiunt. Vide Ant.Augu.lib. Emend.4.c.8.

Magis,& electiuè (vt in l.iubere cauere.D.de iuriſd.om-nium iudi.& alibi ſæpiſſimè in iure noſtro occurrit) & comparatiuè ponitur: vt in l.2.§.mutui datio.D.ſi cert.pet. ſecundum vulgatam lectionem: Haloandri nanque variat.Zaſius oſtendit in comment. Feud.Ma-gis,& Minus,diuerſas ſpecies non facere.

MAGIS EST,apud Paulum ſæpe in Sententiis,pro præ-ſtat,vel receptius eſt. Vxores eorum qui operãtur,ma-gis eſt vt inſtrumento cedant.

MAGISTER populi, Dictator. Hinc Magiſtratus à Ma-giſtro dictus,vt ab albo albatus. Magiſter autem po-puli Dictator appellatus, quod ſumma eius poteſtas in populum: vnde relinqui quidem minores quàm hi magiſtri dicti magiſtratus. Hæc Varro libr.4.Ling. Lat.Sic Paulus,Magiſtratus,inquit,per deriuationem à magiſtris cognominatur,l.57.D.de verb.ſign.

Magiſter equitum dicebatur, inquit, Varro lib.4.Linguæ Lat.quòd ſumma poteſtas huius in equites, & accen-ſos,vt eſt ſumma in populum Roman.Dictatoris: vn-de is quoque Magiſter populi appellatus eſt. Moris autem erat,vt à Dictatore diceretur noctu, ſimulátq; creatus Dictator fuerat. Liuius libro quarto, Dictator à Conſule dicitur; ipſe deinde C.Seruilium Ahalam magiſtrum Equitum dicit. Item, Et Senatus Dictato-rem dici Mamercum Æmilium iuſſit. Is magiſtrum Equitum L.Quintium Cincinnatum dixit.Item, Vir-ginius dum collegam conſuleret,moratus,permitten-te eo,nocte Dictatorem dixit. is ſibi magiſtrum equi-tum Poſthumium dixit.Pomponius l.2.de orig.iur.Et his Dictatoribus Magiſtri equitum iungebantur, ſic quomodo Regibus Tribuni celerum, quod officium ferè tale erat,quale hodie Præfectorum prætorio. Au-relius l.j.D.de offic.præfect.prætor.Cum apud veteres Dictatoribus ad tempus ſumma poteſtas crederetur, & magiſtros equitum ſibi eligerent, qui aſſociati par-ticipes curæ militiæ gratia ſecundam poſt eos poteſta-tem gererent.

MAGISTRI CENSVS ij erant apud quos profeſſio-nes, teſtamenta, & tabellionum inſtrumenta edi ac publicari ſolebant.Nouel.de tabel.44.l.teſtamenta.18. l.conſulta.23. C.de teſtam.l.orphanotrophos.30. C.de epiſc.& cleric.l.ſecundum.32.C.de donatio.l.vlti.C.de iure

iure emphyteut.Hic magiſtratus erat in vrbe,quẽ poſterior ætas γενικὸν appellauit,auctore Leone Nou. 44. & Suda in Artemio,& locum etiam ipſum,quo acta & inſinuationes fiebant,quod & Cedreno eſt ταξεώδιον.In prouinciis partes eius ſuſtinebant defenſores ciuitatũ.

Magiſter in auctionibus dicebatur vnus aliquis è creditoribus,qui debitoris bonis auctione diuendendis ita præeſſet, vt ei qui plurimo liceretur, rem addiceret. Cicero epiſt.ad Att.j.Vnà,inquit, agebant cæteri creditores,in quibus erat Lucullus & P.Scipio, & is quẽ putabant magiſtrum fore,ſi bona venirẽt, L.Pontius. Hunc Magiſtrum exiſtimat Hotom. in libris noſtris Curatorem bonorum appellari: vt in l.cuius.9.D. de curat.fur.vbi Neratius ita ſcribit:Cuius bonis diſtrahendis curatores facere Senatus permiſit, eius bona creditoribus vendere non permiſit:quamuis creditores poſt id beneficium bona vendere mallent. Et in l. fi.D.de curato.bon.dan.Si debitor foro ceſſerit,& creditores elegerint vnum per quem bona diſtrahantur, mox extiterit alius quiſe creditorem dicat,bona debitoris vnà cum curatore vendere poterit. Cicero in Orat.pro Quintio.Cui magiſtri fiunt,& domini conſtituuntur,qui qua lege,& qua cõditione pereat, pronunciẽt,&c.Magiſtrum enim auctionis ſignificat, qui cum bona proſcripta eſſent,rerum omnium vendendarum curationem ſuſciperet.Solebat autẽ is in compitis celebribus, & frequentibus vrbis locis tabulam proponere ſe debitoris bona vẽditurum, his ferè verbis:Titius debitor noſter incidit in cauſſam venditionis bonorum:nos creditores eius bona vendimus: qui volet emptor accedat. Hancque proſcriptionem opinatur Turneb.Aduerſ.lib.23.c. vlt.carmen à Cicerone vocari lib.j.de Orat.his verbis: Vt totum illud, vt lingua nuncupaſſit,non in XII. Tab.quas tu omnibus bibliothecis anteponis, ſed in magiſtri (ſic enim legi vult) carmine ſcriptum videretur.

Magiſtri EPISTOLARVM,qui ciuitatum legationibus & poſtulatis, & precibus audiendis, & ad principem referendis præerant. Horum meminit Spartianus in Hadriano,& Sidonius Appol.lib.9.Epiſtol.Erant etiã Magiſtri Epiſtolarum Græcarũ,qui, vt eſt in Notitia, eas epiſtolas,quæ Græcè ſolebãt emitti, aut ipſi dictabant,aut Latinè dictatas transferebant in Græcum.

Magiſtri LIBELLORVM,qui ſupplices libellos à priuatis oblatos tractabant: quo in honore fuiſſe Papinianum apud Imper.Seuerum Pertinacem licet cognoſcere ex l.reſcriptum.12. D. de diſtr.pign. Libellos, inquit Tryphoninus,agente Papiniano. Vocãtur etiam Chartophylaces,& Gallis,Magiſtri requeſtarũ. Præter hos reperiuntur &:

Magiſtri MEMORIÆ, qui reſcripta quæ ad preces dabantur,concipiebant,id eſt,perſcribebant, vel, vt eſt in Notitia,qui adnotationes omnes dictabãt & emittebant.l.vlt.C.de diuerſ.reſcript.vnde in l.vltim.C.de petit.bon. Memoriales verò, inquit, qui excipienda reſcripta vel implenda curauerint,&c.

Magiſtri MILITVM, ςρατηλάται in Nouellis dicti ſæpe in Conſtit.nominantur.hiſque honorũ titulis inſigniuntur,eminentiſſimi,magnifici,illuſtres,excelſi. l.8.C.de modo mult.l.2.de offic.præf.præt.Erant autem Magiſtri & equitum & peditum,numero quatuor in re præſenti,duo in Occidente, totidem in Oriente : quibus etiam Impp.Honorius & Theodoſ.inter militares viros,vel priuatum actorem, vel reum militarem,atque etiam ciuilium actionum audiendi facultatem cõceſſerunt.l.6.C.de iuriſdict.Vegetius libr.2.c. 9. in locum imperatoris legatorum,qui ex conſularibus ad exercitus mittebantur,hos ſubſtitutos fuiſſe ſcribit. Vide Notitiam.

Magiſter NAVIS accipitur,cui totius nauis cura mandata eſt.l.j.D.de exercit.act.Item.§.3.Magiſtrum accipimus,nõ ſolum quem exercitor præpoſuit, ſed & eum quem magiſter.

Magiſtri OFFICIORVM, qui aulicorũ officialiũ cauſſas diſceptabant,& inter eos ius dicebant.l.4.C.de ſilent.l.3.C.de præpoſ.ſacr. cub.l. vlt. C. de caſtr.& miniſt.l.in ſacris.12.C.de prox.ſacr. ſcrin.l.2. & l.3. C. vbi ſenat.Horum etiam meminere Ammian.lib. 20.Ambroſ.epiſt.53.lib.7.Notitia,& Niceph.lib.7.Eccleſ.hiſt. c.10.Itaque ſub horum diſpoſitione erãt fabricæ,ideóque iudex eſt fabricenſium.l.fin. C.de fabricenſ.item ſcrinia memoriæ,ſcilicet libellorum, epiſtolarum, & diſpoſitionum.Scholæ item ſcutariorum,armaturarũ, ſeniorum,agẽtium in rebus, & deputatorum eiuſdem ſcholæ:admiſſionales item & cancellarij: item curſus publici poteſtas,vt apparet ex l.9.de curſu public.lib. 11.C.Denique totius palatij diſciplina ad eos ſpectabat.Theodoritus lib.5.c.20.ἡγέμενον τῶ βασιλείων vocat. Non diſſimilis huic videtur eſſe, qui in Gallia dicitur, *Le Preuoſt de l'hoſtel.*

Magiſter SOCIETATIS, vnus aliquis è ſociis dicebatur,qui Romæ ſocietati alicui,id eſt, aut ſcripturæ,aut portorij,aut vectigalium, ita præerat, vt & decumanos quaſi ſenatum cogendi,& ad eos de ſocietatis negociis referendi poteſtatem haberet:curámque omnẽ gereret tabularum, & rationum, quæ vndique ab iis qui operas dabant, Romam mitterentur: denique is eſt cui earum rerum quæ ad ſocietatem pertinent præcipua cura incumbit.Hic Promagiſtrum in prouincia habebat,ſui quaſi muneris vicarium, & ſocietati præfectum,qui etiam Magiſter interdum appellatur. Vlpianus.l.14. D. de pact.Item magiſtri ſocietatum pactum & prodeſſe & obeſſe cõſtat.M. Tullius ad Craſſipedem:P.Rupilius qui eſt magiſter in ea ſocietate & in 4.Ver.ſæpe.Hinc Paulus.l.57.D.de verb.ſignific.Cui præcipua cura rerum incũbit,& qui magis quàm cæteri diligentiam & ſolicitudinem rebus quibus præſunt,debent,hi Magiſtri appellantur.quin etiam ipſi Magiſtratus per deriuationem à magiſtris cognominantur.vnde etiam cuiuſlibet diſciplinæ præceptores magiſtros appellari à monendo,vel monſtrando.

Magiſtri SCRINIORVM dicebãtur,qui capſulis in quibus Principum reſcripta conſeruabantur, præfecti erant:quo in honore Vlpianũ Iuriſcõſ.apud Imp.Alexandrum fuiſſe,Lãpridius teſtatur.Vt autẽ Scriniorum (quemadmodum ſuo loco dictum eſt)ſic magiſtrorum varia genera fuerunt:comitúmque & ſpectabiliũ nomine dignabantur:Imperatoriæ maieſtatis aſſeſſores erãt:eóque honore defuncti,ciuilium munerũ omniũ vocationẽ obtinebant,l.vnic.C.de magiſt.ſacr.ſcrin.l. eos qui.11.C.de excuſat.mun. qua in l.itẽ vt alibi perſæpe tres hi memorãtur.Hos ſimiles quidã eſſe dicant Prothonotariis:alij verò magiſtris computorum.

Magiſter VNIVERSITATIS ab Vlpiano dicitur in l.D. rat.rem.hab.pro eo quem magiſtrũ ſocietatis in l.14. D.de pact.idem appellat.

Magiſter CVRIÆ apud Plautũ in Aulularia videtur eſſe qui Græcis Φατρίαρχος dicitur. Vt enim Curia pars eſt tribus Romanis,ſic Φατρίς.Græca ad conſuetudinem Romanam traducta ſunt:& vt pagorum erant magiſtri, ſic curiarum. Vide Φατρίς. Sumitur & Magiſter Curiæ in libris Feudiſticis pro eo qui in domo & familia princis,aut nobilis,ſecundum dominum primas tenet:qua in re differt à paribus Curiæ, qui parem & æquabilem conuaſſalorum dignitatẽ obtinent,vt ſuo loco diximus.Albertus Krantz lib.Daniæ.9.c.j. Grauis ſimultas inter militem quendam Regis proximum, qui magiſter Curiæ illius dicebatur,& alium quẽdam militem,&c.Idem appellatur ab aliis Maior domus, quemadmodum & Pares domus dicuntur.Vide Fran-

E

cogalliam Hotom.

Magiſtri inter agentes.§.ad iſtum.C.de Iuſtinia.C.confir. Magiſtri rei priuatæ.l.5. C. vbi cauſſas ſtat.Magiſtri æris.l.vni.C.de anno.&c.

Magiſtri veſtium.l.pen.C.de murilegulis.

Magiſtri admiſſionum.l.vnic.C.Theodo. qui à præbitio. Tiron.

MAGISTERIANI, ſunt agentes in rebus, vt eſt in ver. Lexico.Sic autem videntur dicti,quod ex eorum ſchola executores litis magiſtro officiorum attribuerentur vt Marianus Scotus teſtatur. Sic vocantur Nouell.17. & 124.Itaque Iulianus Nouella.86.Magiſterianum doctè Agentem in rebus vertit.

MAGISTERIA poteſtas.l.6.C.de iuriſdi.l.3.C. vbi ſenat.l.vlt.C.de fid.inſtrum. Sudas μαγιστερίαν ἀρχὴν vocat.Eſt autem magiſtrorum dignitas. Magiſteriæ autem dignitatis formulam vide apud Caſſiodorū lib.6.

Magiſterium militare.l.25.C.de procurat.

MAGISTRATVS, inquit Varro lib.4.Ling.Lat.à magiſtro dicitur:ſicut Albatus.ab albo. Idémque ſentit Feſtus lib. Dicebatur autem olim Magiſtratus, is qui iudicium auſpiciúmque haberet:quemadmodum Cicero in Legibus ſcribit Magiſtratus omnes iudicium auſpiciúmque habento. Poſtea verò dicti ſunt Magiſtratus,quibus Reſpublic.vel omnino, vel ex parte à Populo vel Principe commiſſa eſſet. Omnino, vt Dictatores:item primis temporibus Conſules, qui regio imperio erant,aut cum s.c.extremæ neceſſitatis factū eſſet.Ex parte verò,vt Conſules,poſteaquam alij magiſtratus creati ſunt,qui partem iis ſuæ poteſtatis ademerunt:item Prætores,aliique inferiores omnes.

Magiſtratus qui maiores, item qui minores dicerentur, Gellius(exponens hæc verba,Ne quis magiſtratus minor de cælo ſeruaſſe velit)ex his M.Meſſalę verbis docuit,lib.13.c.14.Patriciorum auſpicia in duas ſunt poteſtates diuiſa. Maxima ſunt Conſulum, Prætorum, Cenſorum.Neque tamen eorum omnium inter ſe eadem,aut eiuſdem poteſtatis; ideo quòd collegæ non ſunt Cenſores Conſulum, aut Prætorum, Prætores Conſulum ſunt.Ideo neque Conſules aut Prætores Cenſoribus,neque Cenſores Conſulibus, aut Prætoribus turbant, aut retinent auſpicia.At Cenſores inter ſe,rurſus Prætores Conſuléſque inter ſe & vitiant & obtinent.Prætor etſi collega Conſulis eſt, neque Prætorem neque Cōſulem iure rogare poteſt,vt quidem nos à ſuperioribus accepimus,aut ante hæc tempora ſeruatum eſt.Et vt in commentario.13.C.Tuditani patet,quia imperium minus Prætor, maius habet Conſul:& à minore imperio maius,aut à maiore collega rogare iure non poteſt.Nos his temporibus Prætores Prætore creante veterum auctoritatem ſumus ſecuti:neque his comitiis in auſpicio fuimus.Cenſores æquè non eodem rogantur auſpicio atque Conſules & Prætores.Reliquorum magiſtratuum minora ſunt auſpicia.Ideo illi minores,hi maiores magiſtratus appellantur. Minorib. creandis magiſtratibus, Tributis comitiis magiſtratus, ſed iuſtius curiata datur lege: Maiores Cēturiatis comitiis fiunt. Quod autem Collega Conſulis Prætor dicitur, id eo dictum eſt, quod eodem auſpicio crearentur, vt ibidem ſcribit Gellius.

Magiſtratuum multiplex diuiſio eſt. Alij erant maiores, alij minores.Maiores dicebantur,qui imperium poteſtatémque habebant:id eſt qui nec obedientes & noxios ciues mulcta & vinculis coërcendi poteſtatem habebant:vt Cic.lib.de legib.3.declarat.& intelligitur ex l.2.D.de in ius vocād.l.32.D.de iniur.l.131.D.de verb. ſignif.quales ſunt in vrbe Conſul, & Prætor, & Præfectus vrbi:in Prouinciis Proconſules, aut Proprætores,item Præſides.Minores dicebantur, quibus neque imperium neque poteſtas data erat, ſed minor aliqua Reip.procuratio.itáque apertè deſcribuntur in d.l.32. D.de iniur.qua de cauſſa de ſe Cicero Ædile(qui minor magiſtratus eſt)Verrina II. loquens: Erit,inquit, tum Conſul Hortenſius cum ſummo imperio ac poteſtate:ego autem Ædilis,hoc eſt paulo amplius quàm priuatus.Itaque in ius Ædiles vocari potuiſſe, conſtat ex Gell.lib.& c.13.& l.cúmque.13.D.de peric.& commod.In his numerantur à Cicerone Tribuni ærarij, Quæſtores,Triumuiri capitales,item Procurator Cæſaris,ex l.non licet.46.D.de cont.empt.Rurſus.

Magiſtratus alij vrbani ſunt, alij prouinciales, alij municipales.Prouinciales propriè poteſtates dicuntur.l.eū qui.13.de iuriſd. vbi pro PRÆTOR legendum putat Hotom.vel PRÆSES,vel Proprætor.Itaque ſępè Imperium à poteſtate diſtinguitur,vt l.3.D.de arbit.l.j.D. quod quiſq.iur.l.8.D.de accuſat.& in voce Iuriſdictio annotauimus.Municipales autem ſunt veluti Duumuiri,magiſtratuúmque nomine ſæpe municipales intelliguntur:vt in Rubric.De magiſtrat.conueniend.& l.27.l.31. D. de negot.geſt.l. 11.& l.13.D.ad municip. Municipalium autem nomine Coloniarum quoque magiſtratus intelligo. De ſummis autem magiſtratibus duntaxat diſſeremus: quorum varia nomina fuerunt.nam in pleriſque,vt diximus,fuerunt Duumuiri: in aliis,veluti Frexellis, Quatuoruiri,vt apud Cic.lib. Fam.13. CICERO S. D. QVATVORVIRIS,& Decurionibus.item Larini,vt apud eundem in Cluentiana.aliis etiam in locis,vt patet ex l.j.de ſolut.& lib. deb.lib.C.11.In aliis,vt Arpini,Ædiles erant. Cicero lib.Fam.13.Ædilem filium meum fieri volui, & M.Cæſium.is enim magiſtratus in noſtro municipio, nec alius vllus creari ſolet.Et in l.qui inſulam.30.§.ædilis. D.locat.In aliis,veluti Lanuuij, Dictator. Cicero in Milon.Cùm ſciret Clodius iter ſollemne Miloni eſſe Lanuuium, ad Flaminem prodendum, quòd erat dictator Lanuuij Milo,&c.Pedianus quoque: Milo Lanuuium,ex quo erat municipio, & ibi tum Dictator, profectus eſt ad Flaminem prodendum.Capuæ autem quo primum tempore colonia facta eſt,Prætores vocati ſunt.Cicero 2.in Rullum: Nam primum cùm cæteris in coloniis Duumuiri appellentur,hi ſe Prætores appellari volebant.Pòſt autem cùm C.Cæſar in conſulatu ſuo iterum eam coloniam feciſſet, Duumuiri dicti ſunt.itaque L.Piſo,& Cn.Pompeius, quibus Cæſar Capuæ magiſtratum illum mandauit, ſæpe & in Sextiana,in Piſoniana,& in ea poſt red.in ſenatu appellantur.De hiſce autem ſummis coloniarum municipiorúmque magiſtratibus illud ſingulare ac notandum eſt,prætextis eis vti ius fuiſſe quemadmodū multis ex Liuij locis intelligitur. Item:

Magiſtratum alij ordinarij ſunt,alij extraordinarij. Ordinarij dicuntur, qui ordine legibus inſtituto ſollemni more creantur, & perpetuò vſurpantur: vt Conſul, Prætor, Ædilis, Quæſtor. Extraordinarij verò, qui, cùm vſus Reipub.poſtulat. præter vſitatum ordinem conſtituuntur:quales erant Dictatores, item Præfecti annonæ,& Præfecti vigilum: vt ait Pomp.l. 2.D.de orig.iur.Item qui in Prouincias Proconſulari aut Proprætorio imperio,aut antequam Conſules Prætoréſve fuiſſent,aut non ſtatim poſtquam vrbanum illum magiſtratum in vrbe geſſiſſent,mittebantur. Prouinciarum autem adminiſtrationes omnes extraordinariæne fuerint an ſecus, vide Hotoman. in Commentariis Manilianæ orationis.

Magiſtratus populi Rom.poſt prouinciarum diuiſionem ab Auguſto factam,dicti ſunt,qui tum in vrbe,tum in populi prouinciis,quò proconſules mittebantur, ius dicebant.ob eámque cauſſam à Præſidibus prouinciarum diſtinguuntur in Pandectis.nam hoc nomen ad prouinciarum Cæſaris rectores conſtringitur.Vlpian. l.4.§.

l.4.§.j.D.de inter.in iur.Quod ait Prætor IN IVRE, ſic accipiendum eſt apud magiſtratus populi Rom.vel præſides prouinciarum, vel alios iudices. Niſi fortè populum R.qui in vrbe Romana eſt ſignificet.

Magiſtratum & ciuilem ordinationem Deus inſtituit ſub ipſum ſtatim creationis tempus, quando poteſtatem tradidit Adæ in ea omnia,quæ in terra & mari ſunt.

Magiſtratuum gradus omnes & publica imperia ex fonte quarti præcepti, HONORA PATREM ET MATREM, promanarunt,& Deo placent.

Magiſtratus honeſta ſemper debent præcipere : omnes ſubditi obtẽperare debent magiſtratibus. Sicut enim magiſtratuum eſt,rectè imperare : ita ſubditorum eſt, humiliter obſequi. Parentum & liberorum exempla vtrique verſare debent ob oculos.

Magiſtratus imperiáque approbat Deus, ſine quibus nec domus vlla,nec ciuitas,nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare,nec rerum natura omnis,nec ipſe mundus poteſt,vt Cicero dicit. Porrò non magis ſine magiſtratu ciuitas,quàm nauis ſine gubernatore,ſalua eſſe poteſt. Magiſtratuum itaque hæc eſt vis, vt præſint,& præſcribant quæ ſunt recta,& vtilia, & cõiuncta legibus. Vt enim (ait Cicero) Magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus : veréque dici poteſt, magiſtratum. Et profectò quid profuerit multas habere leges, niſi ſint qui moderentur ac rectè diſtribuant? Quocirca Pomponius in l. 2.§. poſt originem. D.de origin.iur. loquens de magiſtratibus : Quia, inquit,vt expoſuimus,per eos qui iuri dicundo præſunt, effectus rei accipitur. Parum eſt enim ius in ciuitate eſſe,niſi ſint qui iura reddere poſſint. Vide quàm pulchrè accedant hæc ſententiæ Apoſtoli Roman. 13.qui tradit:Poteſtatem, ordinationẽ Dei eſſe. Quis igitur non obtemperet ius dicenti, auctoritate omnipotentis Dei? Nec verò ſolum vt obtemperent obediántque magiſtratibus,ſed etiam vt eos colant diligántque requiritur, teſte Cicerone. Nam,ait,& qui imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt:& qui modeſtè paret, videtur,qui aliquãdo imperet, dignus eſſe. Vetus autem inter ſapientes quæſtio fuit,vtrum magiſtratus præeſſe legibus,an leges magiſtratibus deberent? quam totam ſedat Stoicæ ſummæ ſapientiæ Chryſippus, cuius verba recitat Martianus in l.2.de legib. Ὁ νόμος,inquit, πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην τε εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα,&c. Ex illis autẽ manifeſtũ fit, magiſtratus ciuitatis ſubeſſe legibus oportere. Nec mirũ, quia legum miniſtri ſunt,vt docet Cicero. Nec aliud ſenſit Pomponius in l.2.de orig.iur. dùm dixit:Parum eſt in ciuitate ius eſſe,niſi ſint,qui iura reddere poſſint.

Magiſtratus in adeundo ſe exhibere debet facilem,in reſpondendo grauem, Calliſtratus in l. obſeruandum. D.de offic.præſ. Magiſtratus audientiam præbere debet,& rectè ſecundum leges, & abſque omni adfectu iudicare. Nouell.de prætore Thraciæ.§.oportet inſuper. Conſtitutione.26. Magiſtratum iudicando debere conſcientiam ſuam ſequi, tradit Bald.in l. vbi cœptum.D.de iud.

Magiſtratus qui ciuilia adminiſtrant officia,puris vti manibus,& omni præda abſtinere debent, contenti ordinario tributo. Nouell.vt præſid.absque vlla datio.§. ſubiit igitur. Conſtit.8. Si enim magiſtratus lucro intenti ſint,multos reos ſontes, accepta pro delicto pecunia,abſoluunt,multos rurſus inſontes condemnant. Nam omnium flagitiorum principium & finis eſt, pecunias ex officiis conquirere. Auaritia quippe omniũ malorum mater exiſtit:& maximè cùm in animis magiſtratuum innaſcitur. Siquidem magiſtratus, omnia auro habens venalia,delinquendi anſam præbet. ibidem. Magiſtratui nulli licet habere loci ſeruatorem,per quem officium ſuum expediat, Ibidẽ.§. Nulli quoque iudici. Magiſtratus vtens malis aſſeſſoribus officialibúſque,per illos delinquere,& maleficiorũ ſibi ſocios adſciſcere videtur, Ibid. §. neque vt ipſi. Magiſtratus non debet velle videri humanior, quàm lex,vbi aliquid conſtitutum eſt Nouel.de iudicibus.§. vt autem omni modo. Conſtit.82. Omnis enim iudex, ſiue magiſtratum gerat, ſiue aliter iudicet, leges obſeruare,& ſecundum illas proferre ſententias debet, Et quamuis in medio litis Imperatoriam accipiat iuſſionem,aut ſacram formam, licet pragmaticam : lex tamen præferenda eſt,ibi.§.fi.

Magiſtratus plurimum debet proſpicere fœminis, pupillis,vel aliàs debilibus perſonis, etiam ſi nemo petat. Vlpianus in l.nec quicquam. §. obſeruare. D.de offic. proconſ.

Magiſtratum probandum eſſe ex adminiſtratione domeſtica, Apoſtolus eleganter oſtendens, Quòd ſi quis,inquit,propriæ domui præeſſe non nouit : quomodo eccleſiam Dei curabit? j.Timoth.3.

Magiſtratus virum oſtendit,vt veriſſimè dicit Ariſtoteles. Et profectò,quemadmodum vas integrum ſit nec ne,niſi infuſa aqua cognoſcere non poſſis : ita qualis quiſque ſit, ſine magiſtratu nullo modo perſpicitur. Exemplum eſt Appius Claudius. Is primùm & eruditione & moribus vir inſignis erat:ideóque inter Decemuiros princeps reputabatur:ſed cùm ad ſummum perueniſſet magiſtratum, altero ſtatim anno libidine imperandi corruptus fuit, l.2.§.& cùm placuiſſet, D.de orig.iur.

MAGNA cauſſa,quæ ſit apud Iuriſconſultos, nec Gl.nec interpretes certò tradidiſſe, Zaſ.ex eo docet, quòd exempla ab eis poſita, ſint improba. Vnde ipſe dici vult ſuo periculo,& quidem nouè,quòd magna cauſſa poteſt verti in eo,qui eſt condemnatus, vt pecuniam ſoluat:cæterùm,quia confeſtim cogitur proficiſci in neceſſitatem Reipu.hic ceſſare ordinem executionis contra eum:modò paratus ſit dare fideiuſſores, vel pignora,ne neceſſitas reipub.impediatur. Cæterùm, inter magni ponderis,ſiue grauiores cauſſas, in Iure ciuili referuntur ab idoneis interpretibus, cauſſa matrimonij,item ſtatus,atque famæ, & quales ſunt omnes cauſſæ criminales. vide Bart.l. admonendi. D.de iureiuran. Specul.tit.de aduoc.verſi.cum autem.

Magna dos,ſecundum quantitatem perſonæ intelligitur. C.de collat. Auth.quod locum.& ibi not.

Magnæ facultates,recipiunt æſtimationem,partim ab arbitrio iudicis,partim à vulgi opinione,partim à qualitate perſonæ. Vide quæ not.in §.ſed hoc iure vtimur. Inſtit.de Attil.tut.

Magna mora,ſex menſium dicitur.l.vlt.C.de cenſibus.

Magna negligentia, culpa eſt : magna culpa, dolus eſt. Paul.in l.magna.D.de verb.ſig. Vide Lata culpa.

Magnum tempus, quadriennium accipitur. l. vxor. C.de repub.

MAGNI, id eſt,Imperatores, apud Martianum in l.j.D. de requir.reis.

MAGNIFACERE, non eſt vt Interpres exponit apud Vlpian.in l.j.§.fi.quod vi aut clam. valdè diligere, ſed in pretio habere,vulgò dicunt,reputare. Idem in l.obſeruare.§.ingreſſus.de offic.Proconſ. Magni enim faciunt, ait, Prouinciales, ſeruari ſibi conſuetudinem iſtam.

MAGNIFICVS, quis ſit,docet gloſſ.in c.nouit.de offic. deleg. Magnificorum titulus tribuitur Præfectis prætorio, magiſtris militum,magiſtris officiorum, magiſtris inter agentes, quæſtoribus, comitibus domeſticorum.l.16.C.de teſta.milit.l.33.C. de appel.l. 8.C.de

mod.mult.l.fi.C. de aduoc. diuer.iudic. Hinc Magnifici iudices.l.32.C.de appella. & Magnifici viri.l.32.in fin.C.eod.

MAIESTAS à magnitudine dicta eſt, inquit Feſtus. Eſt autem amplitudo ac dignitas ciuitatis, inquit Cicer. lib.de Orat.II. Item in Partitiono. Maieſtas eſt in imperij atque in omni populi Rom. dignitate, quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad ſeditionem vocauit.

MAIESTATEM minuere, eſt de dignitate, aut amplitudine, aut poteſtate populi, aut eorum quib. populus poteſtatem dedit, aliquid derogare: inquit idem lib.de Inuen.II. Maieſtatis crimen illud eſt, quod aduerſus populum Ro. eiúſve ſecuritatem committitur.l.j.D.ad legem Iul.maieſt. Quid autem à Perduellionatu differat, vide infrà ſub voce PERDVELLIS.

MAIOR patruus, aui & auiæ patruus. Maior amita, aui & auiæ amita. Maior auunculus, aui & auiæ auunculus. Hæc Feſtus: cui adſtipulatur.l.vlt.D.de grad.

Maior ſocer, vxoris meæ proauus. Maior ſocrus, vxoris meæ proauia. Idem Feſt.

MAIORES generaliter appellantur omnes, ex quibus orti ſumus: propriè autem ij, qui ſunt ſupra Tritauum, neque aliud nomen habent: Minores verò qui ab illis deſcenderunt.l.4.D.de in ius voc.& l. vlt.§. parentes. D.de gradib. Cic.in j.de Off. propriè eſt vſus: Quorum parẽtes aut maiores in aliqua gloria præſtiterunt, eorum plerique in hoc genere laudis ſtudent excellere.

Maiores aliàs generaliter appellantur omnes, qui ante nos fuerunt. & contrà Poſteriores vel poſteri, qui ſequuntur. Vt in titulo.D.de iure immunita. Semper in ciuitate noſtra (ait Calliſtratus) ſenectus venerabilis fuit. Nanque maiores noſtri pene eundem honorem ſenibus, quem magiſtratibus tribuebant. Maiores aliàs cenſentur, qui annum ſeptuageſimum egreſſi ſunt: vt in l.maiores.D.de iur.immunitat. Maiores aliàs denique cùm nihil additur, ſolent ſignificari extra minores, hoc eſt, legitimæ ætatis, id eſt 25.ann. homines, qui annum vigeſimumquintum ſunt egreſſi. Vt in tit.D.ex quib.cauſ.ma.in integ.reſtit.

Maior cauſſa, criminalis: Minor, ciuilis dicitur. Imperator in Authen.vt omnes obedi.iudic.prouincial.§.ſi igitur ambo.

Maiore anni parte poſſediſſe dicitur, qui duobus tantùm menſibus poſſederit, modo aduerſarius paucioribus, aut nullis poſſederit.l.156.D. de verbo.ſignificat. quod pertinet ad declarationem.l.j.D. vtrubi. & §.quorum ius.Inſtit.de interdict.

Maiorem cauſſam facit infamia, non ſumma pecuniæ. l.ſi in duabus.D.de reg.iur.

Maior pars, quando potior habenda ſit, Bart.declarat in l. quod maior.D.ad municip. item quando minori obſit, in l.reſcriptum.D.de pact. quæ verò maior pars iudicum dicatur, notat.in l.Pomponius.D.de re iud.

à Maiore parte curiæ factum intelligitur, cum duæ partes adfuerunt, aut amplius.l.19.D.ad municip.

Maior pars non hæredum, ſed portionum intelligitur in depoſiti repetitione.l.14.D.depoſit.

Maior pars explicatur à Quintil.declamat.365. in qua plures idem cenſent.

Maior quæſtio minorem cauſſam ad ſe trahit, Paul.l.per minorem.D.de iudic.

Maior ſumma, propriè minorem continet.l.3.§.ſi plus.D. de ſtatuliber.l.j.§.ſi ſtipulandi.de verb.oblig.

MAIORITAS vox à pontificibus & interpretibus vſu recepta, à maiore more Græco ducta. extrà de maiori. & obed. quam in pluribus cõſiſtere ſcribit Ioan.And. c.ſi pluribus de præbend. lib. 6. & vide not. in c.ſuper eo.2.de præben. In quibus ſpectetur, indicat latius Albericus in Alphabeto.

MAIVMAM Ludi genus fuiſſe quoddam, ſatis patet ex l.j.C.de Maiuma. Sudas ſcribit à Maio menſe fictum vocabulum, quòd ciues R.certo eius menſis die, Hoſtiam maritimam vrbem ludibundi oppugnarent, ſeſéque in aquas marinas deiicerent. Eius enim hæc ſunt verba: Πανήγυρις ἐγένετο ἐν τῇ ῥώμῃ κατὰ τὸν μάϊον μῆνα, τὴν παράλιον καταλαμβάνοντες πόλιν τὴν λεγομένην ὀστίαν, οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες ἐκλυπαθεῖν ἠνείχοντο ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν, ἀλλήλους ἐμβάλλοντες· ὅθεν καὶ Μαϊουμᾶς ὁ τῆς τοιαύτης ἑορτῆς καιρὸς ὠνομάζετο. Mirum autem, hoc ſi verum ſit, nullam eius ludi in Ouidij Faſtis mentionem fieri: vt omittam quod Arcadius & Honorius Impp.non ſe ciuibus R.ſed prouincialibus eius ludi licentiam reddere ſcripſerunt. Maiumam verò nobilem Gazæorum portum dici apud Nicephorum, lib. 8.c.33.lib.10.c.4.lib.12.c.47. obſeruauit Hotom. ſed cùm Chriſtianam religionem recepiſſet, Conſtantiam ab Imp.Conſtantino ex filij ipſius nomine appellatum eſſe. Enimundus Bonæfidius Maimam Syriacum vocabulum eſſe credidit, à Maiim, quod aquam nobis ſignificat. Gazeos enim in Syria collocatur, & portus ille Maimam apud Sozomen.2.lib.c.5.appellatur.

MALABATHRVM.l. fin.§. ſpecies. D. de publicanis. quod & folium Indum vocatur. Dioſcorides lib.j.c.11. folium id eſſe ſui generis ſcribit, quod Indicæ gignũt paludes, &c. vide Plinium libr.12. c. 26.& libr.14.c.16. Guarchias ab orto hoc negat, & in procera arbore procul ab aquis Malabathrum naſci ſcribit mali Medicæ folio ſimile, anguſtius tamen, per extremum colore viridi, tribus per longitudinem excurrentibus coſtis (qua nota facile dignoſcitur) odoratum, garyophyllos redolens quodammodo, non tam vehementis odoris vt nardus & macis, neque tam ſubtilis aut acuti vt eſt Canella.

MALA manſio genus videtur fuiſſe tormenti. Vlp.l.7.D. depoſ. Si hominem apud ſe depoſitum, vt quæſtio de eo haberetur ac propterea vinctum, vel ad malam manſionem extenſum, ſequeſter ſoluerit. Idem in l.15. §.3.D.de iniur. Quæſtionis verbo etiam ea, quam malam maſionem dicunt, cõtinebitur. Quidam eculeum hac periphraſi ſignificari volunt. Alij tamen metaphoricõs intelligi volunt arcas, in quas coniiciebantur ſerui & alij malefici, de quibus erat quæſtio habẽda: quarum meminit Cicero in Miloniana: Subitò, inquit, arrepti in quæſtionem, tamen ſeparantur à cæteris, & in arcas coniiciuntur, nequis cum his colloqui poſſit. Robur has videntur Valerius & Feſtus appellaſſe, quoniam erant ex robore. Robur, inquit hic, in carcere dicitur locus is in quo præcipitatur maleficorum genus, quod antè robuſteis arcis includebatur. Valerius: Quinetiam familiares eorum, nequis Reipu. inimicis amicus eſſe vellet, de robore præcipitati ſunt.

Mala fide quis emiſſe dicatur, collige ex text.& gl.l.ſi quis cùm ſciret.D.pro empt. Mala autem fides, eſt læſa conſcientia, quæ accuſat & conuincit aliquem non ignorare rem alienam eſſe, quam per fraudem vel tradit, vel accipit.

Malum, delictum.l.3.D.de offic.præſ.

MALI homines, quo nomine vulgò appellantur, & Paulus in l.3.de offic.præſid. accepiſſe videtur, pro improbis, perditis, ſceleratis, rarò dicuntur.

Malum venenum, vide Venenum.

MALVS, arbor nauis, & eius pars eſt.l.malum. 242. D.de verb.ſignific. In l.3.legũm Naualium appellatur κατάρτια, παρὰ τὸ καταίρειν.

Male mereri, pro nocere & incommodare. Tryphoninus in l.bona fides.D.depoſiti. Malè meritus publicè etiam egeſtate laborare debet.

MALE

MALEDICTVM hoc à contumelia diſtat, quòd hæc hæredis inſtitutionem vitiat, circumſcribitque: idque Vlpianus indicat in §.ſi quis nomen. l. quoties.de hæredibus inſtitu. Illud verò nihil impedit, quò minus eadem recipiatur, conſtetque, vt etiam diſertè ponit Marcianus in l.his verbis.§.j.eo.

MALEFICI, ob magnitudinem facinorum dicti ſunt, qui magicis artibus vtebantur.l.5.& l.7. C. de malefic. Hieronym.in Dan.c. 2. Maleficos ait eſſe qui ſanguine vtuntur & victimis, & corpora ſæpe contingunt mortuorum. A magis diſtinguuntur ab Impp. Conſt.& Iul.l.5.& 7. Vide item Auguſt.lib.de Ciuitate Dei, cuius verba referuntur.c.nec mirum.26.q.5.

MALEFICIVM propriè vocari ſolet delictum, quod ex dolo malo ad lædendum proximum proficiſcitur: Id eſt priuata noxia, qua priuatim quiſque læditur, veluti furtum iniuria, &c. Vide.l.dolum.C.de dolo. Quid autem à crimine differat, vide Crimen.

MALEFICIATVS quid ſit, diſces ex tit.de frigi. & maleficiatis.extra, & ex ſum.Hoſtienſ.eod.tit.

MALITATIS verbũ legitur apud Vlpian.in l.5.D.quod met.cauſ.eodem modo vt Bonitatis dicimus. Metum, inquit, accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, ſed maioris malitatis, quod Græci ſic exponunt, μεγάλης κακοθελείας. In vulgatis legitur Mali: & cenſent quidam eo in loco legendum, Calamitatis: In vulgatis tamen, Mali. Legimus tamen Sceleritatis verbum in l.3.D.de bon.eorum qui ant.ſent.

MALLEATVS, malleis contuſus. Vlpian.l. 52.§.5. D.de leg.& fid.lib.32. Sed perſcripti libri nondum malleati vel ornati continebuntur.

MAMBVRGVS, Feudiſtis idem fere qui iiſdem Aduocatus, videlicet procuratore alicuius negotij. Itaque qui curator Reipublicæ in libris Pandect. dicitur. Mãburgus Feudiſticis temporibus appellatus eſt. Hinc:

MAMBVRGIVM, curatio. In formula regni accepti à Boſone apud Gulielmum Paradinum Annal.Burg.lib. j. Omnibus, vt monuiſtis, legem, iuſtitiam, & rectum mamburgium, auxiliante Deo, conſeruabo. Dicebatur & Mandiburgium: vt paulò ſuprà, in formula regni delati: Defenſionem & mandiburgium ſingulis exhibentes. Et apud Ioannem Tritemium pag.88. Vnus aureus Romæ perſoluatur quotannis, vt cœnobium ſub Romanæ Eccleſię mandiburgio & maieſtate ſecurum ſemper ſtabiliatur & defendatur.

MANCEPS, inquit Feſtus, dicitur qui manu capit: qui quid à populo emit conducítve, quia manu ſublata ſignificat ſe auctorem emptionis eſſe: qui idem præs dicitur, qui tam debet præſtare populo quod promiſit, quàm qui pro eo præs factus eſt. At, vt inquit Aſconius, Mancipes ſunt publicanorum principes, Romani homines, qui quæſtus ſui cauſſa, ſi decumas redimunt, Decumani appellantur: ſi portum, aut paſcua publica, Portitores, aut Pecuarij, quorum ratio Scriptura dicitur. Dicuntur & hi qui quinto quoque anno à Cenſoribus publica, id eſt populi vectigalia redimebant: hi verò ſi vectigales agros, vt Decumani, redimebant, eos poſtea colonis & aratoribus elocabant. Papinianus.l.53.D.locati: Qui fideiuſſor extiterit apud mancipem pro colono publicorum prædiorum, quæ manceps ei colono locauit, Reip.non tenetur.

Mancipes ſalinarum, harum conductores.l. 11. C.de vect. & vide.l.3.C.Th.de colla.bon.poſſeſſ.

Mancipes thermarum, qui earum exhibitionem curabãt. l.j.C.Th.de mancip.therm.

Mancipes etiam Romanis adpellatos τοὺς προϊσταμένους τοῖς οἴκοις, ἐν οἷς ὁ τῇ πόλει χορηγούμενος ἄρτος ἐγίγνετο, Socrates lib.5.hiſt.eccle.ſcribit: quo ſenſu in l.vnic. C. de piſtorib.lib. 11.l.j.& 2.C.de fru.vrb.Conſtantinop.

Mancipes mutationum, apud Caſſiod.libr.4. Var.ad Godiſcal. qui equorum ad celeritatem commutari ſolitorum curam gerebant de quibus etiam tractat Zeno.l. 19.D.de curſ.publ.

MANCIPARE, à manu & capio, pro vendere, adpropriare. Idem eſt emancipare. Nam omnis alienatio ſic fit, vt aliquid per manum capiatur vel adquiratur. Itẽ mancipio dare, Ciceroni in Topic. & mancipio accipere Tacito lib.3. Mancipium, cuiuſlibet rei dominiũ, quod per nexum adquiſitum eſſet, adpellabatur. Item poſſeſſio libera. Hinc Mancipatus venditus, apud Paulum lib.j.Sen.§.ſeruus per metum.de integ.reſt. Seruus per metum mancipatus, quicquid adquiſierit, vel ſtipulatus ſit, ei adquirit qui vim paſſus eſt.

MANCIPATIO, inquit Vlpianus Inſtit.c.19. propria eſt ſpecies alienationis, & rerum mancipi: eáque fit certis verbis, libripende & quinque teſtibus præſentibus. Bœtius ex Caio ita ſcribit: Mancipatio eſt imaginaria quædam venditio, quod ipſum ius Romanorum eſt ciuium: eáque res ita agitur: Adhibitis non minus quinque teſtibus, ciuibus Rom. puberibus, & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur Libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio, iſque mihi emptus eſt hoc ære atque ænea libra: idque æs dat ei, à quo mãcipium accipit quaſi pretij loco. Cuiacius Obſ.lib. 11.c.37.ſeſtertium vnum fuiſſe dicit. Hæc autem imaginaria vẽditio locum tantum habebat, vt annotat Turnebus Adu.lib.20.c.19. inter ciues Romanos, Latinos colonarios, & Latinos Iunianos, eóſque peregrinos, quibus datum erat commercium.

MANCIPIVM, inquit Iſidorus eſt quicquid manu capi, ſubdíque poteſt, vt homo, equus ouis. hæc enim animalia ſtatim vt nata ſunt, mancipium eſſe putantur nam & ea quæ in veſtiarum numero ſunt, tunc videntur mancipium eſſe quando domari, ſiue capi cœperint. Sic Florentinus, Mancipia dicta ſunt, quòd ab hoſtibus manu capiuntur, in l.libertas. D. de ſtatu hom. Mancipia autem veteres appellabant quæ poſteriores mobilia, prædia verò quæ iidem immobilia. Modeſtinus.l.3.D.de diuerſ.temp.præſcr. Longæ poſſeſſionis præſcriptionem tam in prædiis, quàm in mancipiis locum habere, manifeſtum eſt Cic.lib.3. Offic. Nec verò in prædiis ſolum ius ciuile ductum à natura, malitiam fraudémve vindicat: ſed & in mancipiorum venditione venditorum fraus omnis excluditur.

MANCIPI res ſunt, inquit Vlpian. c. Inſtit.19. prædia in Italico ſolo quæ adquirebantur mancipatione traditione, vſucapione, in iure ceſſione, adiudicatione, lege (prouincialia enim quæ ſtipendiaria & tributaria erãt nec mancipi habebantur, quia propria non erant eorum qui ea poſſidebant, propter ſtipem & tributum quod pendebant principi & populo, quaſi non manciparentur eorum dominio & traditione alienabantur) tam ruſtica, qualis eſt fundus: quàm vrbana, qualis eſt domus. Item iura prædiorum ruſticorũ velut via, iter, actus, & aquæductus. Item ſerui & quadrupedes, quæ dorſo collóve domantur, velut boues, muli, equi, aſini: cæteræ res nec mancipi ſunt. Elephanti, & cameli, quanuis collo dorſóve domentur, nec mancipi ſunt: quoniam beſtiarum numero ſunt. vide rub. C.de vſuc. transfor. vbi hæc rerum differẽtia tollitur: & Th. §.per traditionem. Inſtit.de rer.diuiſ.

Mancipio vendere, eſt eas res quæ mancipi ſunt, ita venderelibra & ære adhibitis, vt euictionis periculum præſtetur: Auctor, id eſt venditor ſe obligat nexu dicis cauſſa ad rem mancipi perpetuò præſtandam. Cic. pro Muræna: Quod ſi in iis rebus repetendis quæ mancipi

ſunt,is periculum iudicij præſtare debet, qui ſe nexu obligauit:profectò etiam rectius, &c. Hoc etiam ex Plauto intelligi poteſt in Perſa:

Ac ſuo periculo is emat,qui eam mercabitur
Mancipio,neque promittet,neque quiſquam dabit.
Et paulò poſt,
Nihil mihi opus eſt litibus.
Niſi mancipio accipio,quid eo mihi opus
Mercimonio? TOX. nihil periculi uidetur,ne metuas
Ne quis uerò ex Arabia penitiſsima perſequatur eam.
Item, Dorpalus,
Age,iudica propugnariter.
Segar. *Prius dico,hanc mācupio nemo tibi dabit,iam ſcis.*
Item,
Tuo periculo ſexaginta hæc datur argenti minis.
Item,
Ille quidem iam ſcit quid negocij geſſerit,
Qui mihi furtiuam meo periculo uendidit,
Argentum accepit:abiit:qui nunc ego ſcio.
An iam aſſeratur hæc manu? quò illum ſequar?
In Perſas? nugas.

His ex locis facile perſpicitur, cùm res mancipio non dabatur,periculo emptoris eam fuiſſe neque euictionem à venditore præſtari ſolitàm. Quòd ſi mancipatio adhiberetur,& res poſtea euinceretur,Paulus libr. Sent.2.c.16.ſcribit,venditorē auctoritatis nomine duplo tenus obligari,Ex quo conſuetudo illa fluxit,iure poſtea confirmata,vt etiam in aliis emptionibus ſtipulatio duplæ interponeretur,ſiquidem pretij alicuius res eſſet.Sin minus ſimplæ. l. ex empto.37. D.de euict. Quæ conſuetudo ita quotidiana & vſitata fuit, atque (vt Vlpianus ait)aſſidua,vt etiam ſi forte amiſſa fuiſſet,nihilominus,in actionem ex empto,propter bonæ fidei naturam,tacitè veniret.Ea enim,inquit,quæ ſunt moris & conſuetudinis, in bonæ fidei iudiciis debent venire.l.quod ſi.31.§.quia aſſidua.D. de ædil. edict. l.2. D.de euict.l.exempto. 11. §. Caſſius. D. de actio.empt. Mancipationis igitur & vulgaris Emptionis illa fuit differentia:quòd in illa euictionis periculum præſtabatur,in hac non præſtabatur,in illa dupla ipſo iure auctoritatis nomine debebatur; in hac primum non niſi ſtipulata fuiſſet:poſtea tamen propter conſuetudinis aſſiduitatem,in empti vēditi iudicium etiam tacitè & vi bonæ fidei actionis veniebat. Dicitur autem & Mancipio accipere,& Mancipio promittere.

Mancipij ſui eſt. Oppoſi.mancipij ſui non eſt: pro ſui iuris,ſuæ poteſtatis,non ſui iuris.

MANCVS, propriè ſignificat eum,qui ſine manu eſt.Iuriſc.tamen eſt in l.qui clauum.§.pen.& l.item O filius. & l.quæritur.§.ſi quis digitis.de Ædil. edict. qui imbecillitate dextræ ſiniſtra vtitur.

MANDARE, à manu danda compoſitum eſt; quòd in mandatis dandis accipiendíſque, manus ſibi inuicem dari mos erat,quem iam nunc in mutuis promiſſionibus vulgò videmus obſeruari. Sunt autem pleraque verba ſimili modo ab vſu porrigendæ manus producta. Mandare itaque generaliter ſignificat,alicui perſonæ gerendum aliquid,exequendúmque committere.l.j.D.mandat.ſicut verbis Quintiliani refert Laurentius Vallēſis lib.5. Hoc autem aliàs fit publicè, aliàs priuatim. Publica mandata vocātur propriè præcepta magiſtratuum,quæ ſunt neceſſitatis. Inde dicimus,mādare. Sic accipiendum eſt in tit.C.& Nouel.de mādat. Princip.Conſtit.17. Priuata verò mandata vulgò dicūtur commiſſiones:quæ cùm latè pateant, multa comprehendunt. Mandare igitur ſolemus ei,cui negotium aliquod in iudicio,vel extra iudicium, noſtro nomine conficiendum amicè & bona fide commendamus. Nam & commendare à mando fit. Vnde mandatarius dicitur Procurator,à Pro & Curo. Non enim eſt otioſum iſtud, PRO, ſed diligentiam quandam,& prudēs amici officium ſignificat.

Mandare eſt præſtare,& exhibere actiones.l.25. D. de adminiſt.tut.l.j.§.planè.D.de tut.& rat.diſtrah. Hinc Mandatum actionum.l.76.D.de ſolut. Mādare tamen actiones,& cedere differūt.l.data.C.de oblig.& actio. & vide ſup.lib.3.in dict.Cædere.

Mādare eſt delegare,vt in rub.D. de officio eius cui mād. eſt iuriſdict.l.8.§.ſed nec. D. de tranſact. Et Mandata iuriſdictione,totum iuris dicundi officium tranſit.l.j. §.damus.D.de ſuſpect.tuto.

Mandare,pro iubere accipit Vlpianus in l.j. D.quod iuſ. ſolet tamen differentia quædam colligi in l.ſæpe.D.de offic.præf.poſt gloſſ.

Mandare & ille intelligendus eſt, qui patitur pro ſe fideiuberi,vel ratum habet.l.qui patitur.D.mandati.

Mandare magiſtratum,pro decernere,M.Tul. Cicero lib. de legib.2.

Mandare cædem, vel aliud delictum, Paulus D. de S C. Silan.Etſi(inquit)certus ſit percuſſor: tamen habenda eſt quæſtio,vt cædis mandator inueniatur.

Mādare delationem,pro impellere aliquē vt deferat.l.ex quibuſdam.D.de iur.fiſc.& delator mādatorem edere debet.

Mandare inſuper de rebus inanimatis eleganter dicimus. Mandare literis,pro ſcribere. Mandare terræ, pro ſeminare. Mandare fugæ,pro fugere.

MANDATAM rē,adiectiuè nonnunquā dicimus:ſicut rem cōmiſſam,rem depoſitā, vt apud Ciceronē. Qua locutione generaliter ſignificatur, quicquid vllo modo mandatum fuerit. Quod nō percipiēs Accurſ.malè torquet ad ſpeciē empti.l.vlt.§.vlt.D. de cōd. ob turp.

MANDATOR is dicitur qui alicui auctor eſt, vt ſuam pecuniam alteri credat,quod & mandare dicitur:hi ſimiles ſunt fideiuſſoribus:niſi quod illud præcedit obligationem debitoris:hoc eſt mandator nihil tale cogitātem ſua fide mouet,inducit ad contrahendum cum alio:fideiuſſor verò ſequitur obligationem, & accedit ei quæ iam contracta eſt: vti intelligitur ex l.ſi fideiuſſores,& paſſ.D.de fideiuſſ.& mand.

Mandator cauſſæ, qui mandat alicui, & inſtruit eum ad accuſationem,dando probationes, allegando accuſationes.l.2.§.diuus.l.22.23.24. D. de iure fiſci. & Tranquil.in Tito. Huius commeminit Harmenopulus lib. j.tit.5. Μανδάτορ λέγεται ὁ τῷ μηνυτῇ ὑπουργήσας εἰς τὴν τοῦ πράγματος καταμήνυσιν.

Mandatorum differentiam vt exactius ſignificarent veteres,ſolebant dicere, Mandatu,in ablatiuo, cùm mandatum priuatum intelligi vellent:mandatum verò publicum,per ablatiuum(Mandato,denotabant frequēter. Inde eſt illa locutio,quam D.Haloander, de nobis optimè meritus, diligenter obſeruauit in Pandectis vbique, MANDATV MEO, MANDATV TITII, vt & in Pandect.Florent.ſæpe legimus.

MANDATA appellabantur præcepta principum, quæ præſidibus in prouincias proficiſcentibus dabantur, quibus omnis eorum poteſtas,omnéque munus continebatur. l. 3.& l.19. D. de offic. præſid.l. 27. l.33.D.de pœn.l.7.§.j.D.de iur. patro.l.131.D.de verb. ſign.Plin. lib.10.ad Traianum.& Iuſtinianus Nouella. 17. verſic. εἰς τὰς ἀρχάς. Hæc plerunque à præſidibus in prouinciis ſub edicto proponebantur.l.6.§.j. D. de cuſto.reo. Sic eodem ſenſu mandata eccleſiaſtica.c. mandata.extra de præſumpt. Alias,

MANDATVM definit Accurſius Inſtit.de mandat. officium gratuitum ab eo qui ſuſcepit exhibendum. Vel eſt (vt definit Hotom.) contractus bonæ fidei, de eo quod fieri ſine mercede vlla conuenit, periculo mandatoris

datoris exequendo, inter quos iure ciuili licet, factus: cuius definitionis ratione vide apud eundem in Com. verb.iuris. Mandati verò iudicium quam turpe olim fuerit conſtitutum, Cicero elegantiſſime declarat in orat.pro Roſcio Amerino: In priuatis rebus ſiqui rem mandatam non modo malitioſius geſſiſſet ſui quæſtus aut commodi cauſſa, verumetiam negligentius: eum maiores ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimabant. Itaque mandati conſtitutum eſt iudicium non minus quam furti. Credo propterea, quod quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in iis operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur. quam qui lædit, oppugnat omnium commune præſidium: & quantum in ipſo eſt, diſturbat vitæ ſocietatem. non enim poſſumus omnia per nos agere: alius in alia eſt re magis vtilis. Idcirco amicitiæ comparantur, vt commune commodum mutuis officiis gubernetur. Paulò pòſt: Ergo idcirco turpis hæc culpa eſt, quòd duas res ſanctiſſimas violat, amicitiam & fidem: nam neque mandat quiſquam fere niſi amico: neq; credit, niſi ei quem fidelem putat. Item aliquanto poſt idem tractat. De forma autem mandati ſeruāda, vide Cuiacium Obſer. lib.12.c.34. Hinc,

Mandator dicitur ille qui aliquid mandat alicui, vt ſibi vel alij aliquid faciat. At verò,

MANDATARIVS eſt, qui mandatum ſuſcipit adimplendum. Et quando mandatarius accuſatus de crimine conueniri poſſit ex ſua perſona, vide l.non ideò minus.C.de accu.& inſcript.& not.in cap.mulieres.& ca.vt fame. de ſentent.excom. Et inter iſtos oriuntur actiones hincinde: quia illi qui ſic mandat alteri, contra illum, qui mandatum ſuſcipit adimplendum, cùm prius cogi non poſſet, quòd reciperet mādatum, competit actio mandati directa, in quantum eius interfuit factum fuiſſe quod mandabatur. Rurſus ipſi mandatario, qui mandatum ſuſcipit, competit actio mandati contraria, ſiquas expenſas fecit, vel impenſas ratione mandati ſuſcepti, in quantum non exceſſit fines mandati. Si verò mandatū̃ exceſſit in impenſis factis, ipſas non repetet per actionem mandati contrariam. Sed in quantum vtiliter expendit, per actionem negotiorum geſtorum repetet. Placet igitur quæ mandatario datur lex in Tragœdia Sophoclis: Ἕρπε καὶ φύλασσε πρῶτα μὲν μόνον τὸ μὴ ἐπιθυμεῖν πομπὸς ὢν περισσὰ δρᾶν.

Mandatum etiam quandoque dicitur in vltima voluntate, ca.fi.extr.de teſtam.

Mandata res, mandato empta, l.fina.§.j.D.de condict.ob turp.cauſ.

MANDRAGORA, herba ſoporifera, & venenata Plinio lib.25.ca.13. Itaque hanc inter venena adnumerat Marcianus l.3.§.j. D.de ſicar.

MANEBANT TVI NVMMI, elegans dicendi formula, quid ſignificet, ipſe diſpice in l.j.D.de ſtip.ſeruo.

Manebant promiſſis, illis ſtare.

Manere rem apud aliquem, eſt ſibi ſolui, l.tale.§.fina.D. de pact.

Manet, tenet, vel adſtringit, cap.cum laicis. de reb.Eccleſ. alien.vel non.

MANES olim, hoc eſt, animas è corpore volantes, quòd vbique manerent, quaſi Deos colebant. Ideò iura eorum voluerunt eſſe ſancta, id eſt, ab iniuria hominum defenſa atque munita. Hinc eſt in lege vetere, DEORVM MANIVM IVRA SANCTA SVNTO.

MANGONES appellatione vænalitiariorum veniunt, quoniam vænalitia, id eſt, ſeruos vænales expoſitos, ipſi emere præoccupant. vt carius vēdant. Cùm enim mercis nomen in huiuſmodi ſeruis locum non habeat, l.ſeruos.in fin.de lega.3. conſequens eſt, vt ſaltem venalitij appellatione cenſeantur, teſte Alciat. tametſi mango, non modò ſeruorum venditor ſit, ſed aliarum quoque rerum. Seneca in Epiſtolis: Mangones ſi quid eſt quod diſplicеat aliquo lenocinio abſcondunt. Sic Plin.lib.37. gemmarum politores, Mãgones vocantur.

MANGONIZARE, componere rem aliquam ad alliciendos emptores, quemadmodum videmus equos vænire mangonizatos.

MANGONIVM, artificium, quod ad res facilius vendendas adhibetur.

MANIFESTVM eſt publica, vel clamoſa proclamatio ex certa ſcientia, & certis auctoribus proueniens. vide Specul.in titul.de noto.crimini.§.ſequitur de manifeſto. vbi quid à notorio diſtet. & vide Bartol.l.hæredes palam.D.de teſtam.

Manifeſtus fur, cum furto depræhenſus, l.3.4.5.& ſeq.D.de fur. vide ſuprà Fur.

Manifeſtos rerum capitalium dixit Salluſtius in Catilina.

Manifeſtum crimen, in quo quis depræhenditur, Bartol.l. hæredes palam.D.de teſtam.

MANIFESTE conſtare dicitur, quod etiam ex cōiecturis probabilibus conſtat, l.j.C.de teſtam. vbi Iaſon.

MANIFESTARIVM pignus, pro manifeſtò & diſertè obligatum. Paulus l.9.D.in quib.cau.pign. Eſt differentia obligatorum propter penſionem, & eorum quæ ex conuentione manifeſtarij pignoris nomine tenentur.

MANIPVLVS leuis, ex 20. militibus, & turbis ſcutatorum fit. Huic Centurio præerat, qui Manipularis vocabatur. Dictus autem leuis, quòd haſtis miles, gæſiſq; non armis grauioribus muniretur. Alex.Genial.dier. libro j.cap.5.

MANSER, eſt illegitimus, propriè de ſcorto natus, ſecundum Hoſtienſ. quaſi vulgo quæſitus. Vnde ſecundum Abba.

Manſeribus ſcortum, ſed mœcha nothis dedit ortum,
Vt ſeges à ſpica, ſic ſpurius eſt ab amica,
Dant naturales, quæ nobis ſunt ſpeciales.

c.Niſi cùm pridem. de remun.in §.perſonæ. in fi. vbi gl.

MANSIO, & in pl. Manſiones, Græcis, ἀπλῆκτα, ſunt diuerſoria in quæ ſe recipiebant milites expeditionis tempore, vel ſacer comitatus, quæ annonis & pabulis inſtruebantur ex collatione vicinorum; à manendo ſic dictæ. Vſurpatur autem hoc verbum l.fin.§.hi quoque. D.de munerib.& honor.l.7.C.de annonis lib.10.l.9. C. Th.eo. Sueton.in Tito Veſpaſ. Spectaculis abſolutis, Sabinos petit: deinde ad primam ſtatim manſionem febrim nactis, &c. Lamprid.in Alex. Ita vt edictū penderet ante menſes duos, in quo ſcriptum eſſet: Illa die, illa hora ab vrbe ſum exiturus; & ſi dij voluerint, in prima manſione manſurus. deinde per ordinem manſiones, per ordinem ſtatiuæ. Villæ ſic poſſunt appellari, & συστήματα, vt à Clemente in Petro: προοδεύειν κατὰ δύο συστήματα. Hinc manentes in Hiſtoria Helmodij, & Gallis, *Maiſons*. Hinc & Manſio pro domo & ædibus ſumitur in lib.Feudiſticis Greg. Turon.lib.3. At ille ingreſſus manſionem domini ſui, apprehendit ſcutum eius & frameam. Helmodus in hiſt. Slauon. cap.50. Occupauit montem, qui antiquitus Alberg dicitur: impoſuitque illic manſiunculas, intendens ibidem communire caſtellum.

MANSIONATICI, ſunt manſiones, apud Scriptores barbaricos: cuius verbi duplicem vſum oſtendit Hotom.in Comm.ver.feud. pro manſione hoſpitali. ſiue diuerſorio & pro munere ac ſumptu recipiendorum hoſpitum. Illius ſignificationis exemplum eſt apud Aymoinum lib. 5.cap.31. Indéque (de Carolo Caluo Francorum rege loquitur) per Attiniacum, & conſuetos manſionaticos Compendium adiit. Et apud Carolum in Conſtitutionibus; Cæteri per ſingula territoria habitātes, & diſcurrentes mãſionaticos. Et apud alios paſſim. Huius autem, apud eundem lib.5.cap.34. in priuilegio Abbatiæ S.Germani Pratēſis: Sed neque

ſeruitia ex iis exactis, vel parauere dos, aut expenſas ad ſuas, vel ad hoſpitum ſuſceptiones recipiat, ſiue manſionaticos inde exigat: ſicut nec conſuetudinis vnquam fuit, Id eſt ſumptus pro diuerſorio & hoſpitibus recipiendis.

MANSVS, vel Manſum, ſeu Maſſa, Caſſiodoro, & Gregorio, neque domus eſt, neque area, neque hortus: ſed ager certi modi ac menſuræ: qui propterea Metatus ab antiquis dicebatur; quoniam in agrorum diuiſionibus & aſſignationibus menſores adhibebantur, qui & Finitores à Cicerone in Agrar. orat. appellantur. quanquam in ſecunda mendum eſt in illo loco. Ianitores ex illo ordine ducentos conſtituit, legendum enim eſt, Finitores. Val. Cato in Diris: *Pertica quæ noſtros metata eſt impia agellos.* Metabantur enim antiquitus in Italia agros perticis: vt apud Barbaros funibus, vt eſt apud Herodorum lib. j. Siculus Flaccus lib. j de condit. agror. Nominibus (ait) agrorum diuiſorum, qui inſtitutis limitibus diuiſi ſunt, & formæ varias appellationes accipiunt, quidam arbores finales, alij in venis, alij in membris ſcripſerunt: & quamuis vna res ſit forma, alij dicunt perticam, alij centuriationem, alij metationem, alij limitationem, alij cancellationem, alij typon, quòd (vt ſuprà diximus) vna res eſt forma. Dicebantur etiam agri limitati, de quibus mentio eſt, l. in agris. 16. D. de acqui. rer. domi. & l. j. §. ſi inſula. D. de fluminib. Manſus autem vel in priuati hominis patrimonio eſt, vel Eccleſiæ, ad clerici victum cultúmque attributus. Leg. Franc. lib. j. cap. 85. Sancitum eſt, vt vnicuique Eccleſiæ vnus manſus integer, abſque alio ſeruitio attribuatur; & presbyteri in iis conſtituti non de domibus, neque de areis, vel hortis iuxta Eccleſiam poſitis, neque de præſcripto manſo aliquod ſeruitium faciant, præter Eccleſiaſticum. Albertus Krantzius in Vvandalia lib. 4. cap. 15. Aſſignauitque trecentos manſos Eccleſiæ in perpetuum ſeruituros. Item: Adolphus trecẽtos quoque manſos permiſit duci: vt per manum eius aſſignentur in dotem Eccleſiæ. Et cap. 25. Eat Epiſcopus in Vagriam: adhibitis viris induſtriis, æſtimari faciat prædia: quod defuerit de trecentis manſis, ego ſupplebo. Veniens Epiſcopus, depræhendit prædia vix centum implere manſos. Quamobrem Comes volens redarguere agrimenſores, adhibuit menſuram ſuam funiculo breui, & hominibus in comperto. Helmodus in hiſtor. Slau. cap. 10. Pauperibus ortus natalibus, primò ſeptem manſis, totidémque manentibus ex hæreditate patrum fuit contentus. Et mox: Dicitur manentes ſuos pro furto delatos damnaſſe ad mortem, nec enim eo in loco Manſum pro villa poni, quod docti quidam Germani ad marginem annotarunt, ſed pro iugero, cenſet Hotom. in Comm. verb. Feud. à quo hæc ferè ſunt omnia deſumpta: qui etiam addit, placere ſibi eorum ſententiam, qui manſum à menſura duci volunt: quia ſi ager, inquit, eſt certo modo præſcriptus (vt illa lex oſtendit) neceſſe eſt certæ menſuræ fuiſſe. Lib. Feud. j. tit. 4. §. 4. Si quis de manſo vno feudi nomine inueſtituram acceperit. Nam cum manſum vnum, duo, tria numerantur, certi agrorum modi perſpicuè ſignificantur. Manſum Baldus definit prædium in quo manent homines. Aluarottus, fundum, qui duobus bobus ad laborandum ſufficit. Hinc fortaſſe oritur (inquit Zaſius) quòd nos Germani prata dimenſa nominauimus *Manſmat.* Iaco. Cuiac. Manſus eſt, inquit, fundus vnde quis ſe & familiam ſuam tueri ſatis commodè poteſt, ac prætereà vectigal, ſiue cenſum domino referre, & quod veteres dixêre hæredium. nam hæreditates Carolus magnus interpretatur manſa, in ſuis Conſtitut. à manendo ſcilicet. Childebertus in quodã Pragmatico apud Annonium: Cum manſis, & cum manentibus meis. De his iudicent lectores.

Manſum aliud eſt Dominicatum, ſeu Indominicatum, quod in Principis, aut Eccleſiæ, aut nobilis alicuius dominio eſt: neque vel in feudum, vel in precariam, vel alio titulo alteri conceſſum: aliud Ingenuum, quod eſt nobilium, & colono alicui locatum eſt, qui Manſuarius vocatur; aliud Seruile, quod in feudum datum eſt ſub certi ſeruitij conditione. Apud Annonium, vbi ſcribit Carolum Caluum in Francia & Burgundia tributum exegiſſe ad hunc modum: E manſis dominicatis, ſolidus vnus: de vnoquoque manſo ingenuo, denarij quatuor: de cenſu dominico, de facultate manſuarij, totidem: è manſo ſeruili denarios duos de cenſu dominico, de facultate manſuarij totidem. Quæ diſtinctio manſorum inuenitur etiam XII. Epiſt. Gregor. ad finem.

MANSVARII, iidem qui manentes, ſeu commanentes, vel villici: Græci *παραμοναρίους* vocant, vt Synodi Chalcedonenſis cap. 2. à *μονὴ*, villa. Alij Maſſarios. nam & manſum dixêre maſſam Caſſiodorus, Gregorius, & alij: pro quo Gloſſ. vete. *συγκλήρῳ* reddunt.

MANSVETÆ feræ, quatenus intelligendæ, Iuſti. declarat. Inſtitut. de rer. diuiſ. §. pauonum quoque. Vide Feræ.

Manſuetum dictum putat Paulus apud Feſtum lib. 11. quaſi ad manum venire ſuetum, vel (vt aliis placet) neque ex miſericordia mœſtum, neque ex crudelitate ſæuum, ſed modeſtia temperatum.

Mantellum à tegendis manibus dictum quidam putant. vide inf. Reuoluto mantello.

MANVBIÆ, pro ſpoliis. Hinc manubias facere, ſpoliare, l. eos. C. de modo mulctarum. Gell. lib. 13. cap. 23. hanc inter Manubias & prædam differentiam ponit, vt prædam dicat eſſe corpora ipſa rerum quæ capta ſunt: Manubias verò, pecuniam à Quæſtore ex venditione prædæ redactam, quanquam tropica quadam figura alterum pro altero nõnunquam ſumptum à quibuſdam annotat. Manubiæ in vet. Gloſſ. *σκῦλα ἀπὸ ζώντων ἀφαιρούμενα.*

MANVS, pro multitudine & turba: vt manus militum. Vlpianus in l. metum autem præſentem. in princ. D. quod metus cauſſa. Idem ait, etſi fortè adhibita manu in meo ſolo per vim ædifices. Et pro coactis hominibus, l. 9. §. idem ait. quod met. cauſ. & fortè in l. 3. D. de offi. præſid. Sic Manu facta, id eſt collecta, l. 6. D. ad leg. Iul. pecul. Paul. lib. 5. Sent. tit. 19. & 20.

Manus, pro arte. Vnde & Caio manus precium, in l. mulieris. de verb. ſignifi. ſignificat autem mercedem, quæ non tam materiæ, quàm manus & artis nomine debetur architecto, l. 30. §. qui ædem. D. loca. Dicitur & Manuprecium Alfeno l. 30. §. 3. D. locat. Qui ædem faciendam locauerat, in lege dixerat, Quod in opus lapidis opus erit, pro lapide & manuprecio dominus redemptori in pedes ſingulos ſeptem dabit.

Manus, eſt poteſtas, non tyrannis, vt nonnulli comminiſcuntur. Inde manumiſſio, à poteſtate liberatio. Pompon. in l. 2. in princip. D. de orig. iur. Et quidem, inquit, initio ciuitatis noſtræ populus ſine certa lege, ſine certo iure primum agere inſtituit, omniaque manu Regis gubernabantur. Manu, hoc eſt, poteſtate, arbitrio, iure tantum naturali inſtructo. Erant enim boni viri pleriq; reges. Manum igitur ibi oportet intelligere, non tyrannicam violentiam, cùm plerique Reges inter optimos principes numerentur: ſed ſupremam Regis poteſtatem, ſeu auctoritatem, qua iubebat, aut vetabat aliquid, ſecutus tantùm naturalem rationem. Hinc,

IN MANV eſſe dicebãtur vxores, & In manũ cõuenire, cum per

cum per coëmptionem matresfamilias factæ eſſent: quemadmodum Vlpia.ſcribit cap.Inſtit.9.& 22.

Manus nõnunquàm pro violenta actione accipitur: quoniam manu ſolet expediri quicquid fit ab homine. Inde manu committere, pro delinquere violenter, Paulus dicit in l.3.D.de offic.præſid.

Manus, pro cautione, chirographo, & ſcriptura manu ſubſignata, l.15.D.de probat. An cum eo poſſint, propter emiſſam manum ab eis, quaſi filio, agere. Sic l.j. C.de metat.& epide.lib.12.

Manus armata, l.3.§.aduerſus.D.de ſepul.viola.

Manu BREVI pro directo, & per compendium, & vitata circuitione: quoties, ſcilicet celeritate coniungendarum inter ſe actionum vna actio occultatur, vt loquitur Vlpi.l.3.§.ſed ſi debitorem. de don.int.vir.& vxor. Hac phraſi vſus eſt idem Vlp.l.43.§.j.de iur.dot. Quoties, inquit, extraneus accepto fert debitori dotis conſtituendæ cauſſa, ſiquidem nuptiæ inſecutæ non fuerint, liberatio non ſequetur: niſi forte ſic accepto tulit, vt velit mulieri in totum donatum. tunc enim credendum eſt, breui manu acceptum à muliere, & marito datum. Nec inconcinnè id quod Iuriſconſulti, Directò libertatem dare dicunt, non per fideicommiſſum: dixerit quis, Manu breui libertatem dare. Huic opponitur.

Manu LONGA, quod Iauolenus l.79. D.de ſolut.accepit pro obliquè & quaſi per alium: Pecuniam, inquit, quam mihi debes, aut aliam rem, ſi in conſpectu meo ponere te iubeam: efficitur vt & tu ſtatim libereris, & mea eſſe incipiat. nam tum quòd à nullo corporaliter eius rei poſſeſſio detineretur, adquiſita mihi, & quodammodo manu longa tradita exiſtimanda ſunt. Sic Cicero Verrina quarta: Cum ob tua decreta, ob impetrata, ob iudicata pecuniæ dabátur, non erat quærendum cuius manu numerarentur, ſed cuius iniuria cogerentur. comites illi tui delecti, manus erant tua: præfecti, ſcribæ, medici, accenſi, aruſpices, præcones, manus erant tuæ, &c.

Manus communes, non lotas interpretatur Albericus.

Manum conſerere dicimur cum hoſte: inde tracta eſt appellatio iudicialis, Manu conſertum: quoniam & in iudiciis digladiari videmur. Vide Conſerere.

Manum iniicere, vide Iniicere manum.

Manum mittere, manum porrigere μεταφορικῶς, l.15.§.ſed ſi emptor.D.de re iud.l.14.§.j.D.de religio. Galli efferunt, *mettre la main deſſus.*

Manus militaris, l.68. D.de rei vindic.& l.penult. D.ne vis fiat ei, qui in poſſ. id eſt, manus viatorum, vel ſeruientium, *main de Sergens.*

MANVS MORTVA, locuto eſt Gallis vſitata de iis quorum poſſeſſio (vt ita dicam) immortalis eſt, quia nunquam hæredem habere deſinunt: vt de Eccleſia dicitur lib.Feud.1.tit.13. Qua de cauſſa res nunquam ad priorem dominum reuertitur. nam Manus pro poſſeſſione dicitur, & Mortua, pro immortali. Sic municipium dicitur non mori, l. an vſusfructus.56.D.de vſufruct.l.ſi vſufruct.8.D.de vſufruct.legat. quoniam hominibus aliis ſuccreſcentibus idem populi corpus videtur, l.proponebatur.76. D.de iudic. Ciuitas autem mori dicitur, vrbe diruta, & inducto aratro, l.ſi vſufruct.21.D.quib.mod. vſusfruct.amitt. nam quæ prius fuit ſpecies, interiit: alia autem exorta eſt: vt de domo dicitur, l. qui vſumfruct.39. D. de vſufruct. l.quid tamen.10. §.pen. D.quib.mod. vſusfruct. amitt. Theod. Nihem.in Nemore vnion.tract.6.cap.33. Et ſic ad manum mortuam regnum & principatus huiuſmodi deuenerunt: quia ipſi Reges Francorum dicti Auguſti, conſanguinei & propinqui fuerunt. Et in cap.Caroli magni, & leg.Franc.lib.4. Vbi verò mortua manus interiacet, aut alia quælibet cauſſa irrationabilis inuenta fuerit, &c. Vſurpatur autem hæc locutio primùm in corporibus & collegiis quæ immortalia ſunt, vt ciuitates, cœnobia, l.ſicut.§.in decurionibus. D.quod cuiuſq. vniuerſ. l.proponebatur. D.de iudic. Polyd. Virgilius lib.hiſt.17. Legibus magnæ chartæ ſancitum eſt, vt nemini liceret dare prædia collegiis monachorum. & legem hanc. Ad manum mortuam vocarunt: quòd res ſemel datæ collegiis ſacerdotum, non vtique rurſus venderentur, velut mortuæ, hoc eſt vſui aliorum mortuorum in perpetuum ademptæ eſſent. Et aliquanto pòſt: Epiſcopi capto inter ſe conſilio poſtularunt, vt legem Ad manum mortuam, quam ordini ſuo valde nocere perſpexerunt, antiquaret. Vſurpatur quoque locutio hæc in Gallia, cum reuera manus, id eſt poſſeſſio, mortua eſt: vt cum quibuſdam Galliæ locis conſuetudo eſt, vt poſſeſſore ſine liberis mortuo, poſſeſſio ad territorij dominum reuertatur.

Manum prohibere in l.5.§.meminiſſe. D.de ope.no.nunt. & l.6.§.j.D.ſi ſeruit.vindi.id eſt lapilli iactum.

Manu ſata excipi intelliguntur l.80. D.de contrah.empt. non quæ in perpetuum ſata ſunt, ſed quæ ſingulis annis ſeri ſolent, ita vt fructus eorum tollatur.

ad Manus venire, l.11.§.penult.D.de pœnis.

MANIBVS PEDIBVS, prouerbio, extremum conatum ſignificamus; Sic vſurpauit Terentius in Andr. Act.1.1.

MANVMITTI Feſto dicebatur ſeruus cum dominus eius, aut caput eiuſdem ſerui, aut aliud membrum tenens diceba, HVNC HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO, & emittebat eum è manu. Alij ex eo dictum putant, quòd qui emancipabantur, manu dicis cauſſa cædebantur ab emptoribus, quæ ῥαπίσματα vocat Iuſtin.l.vlt.C.de emancip.lib.8. Manumitti tamen etiam dicuntur filij, filiæque familias, pro emancipari: propterea quod dicis cauſſa ter à patre venduntur, & in imaginariam quandam ſeruitutis conditionem rediguntur, vt in verbo Emancipatio docuimus.

MANVMISSI ciues Romani dicebantur, qui teſtamento, vindicta, aut cenſu (ſic enim apud Gaium libro priore titu.1.non Eccleſia legendum, ex Vlpiani Inſtit. titul.j.animaduerti) vel ante conſulem, aut prætorem erant manumiſſi. Latini autem Iuniani, qui aut per epiſtolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione, ex lege Iunia Norbana, quæ conditionem eorum prima reperit, manumittebantur: Dedititij, qui poſt admiſſa crimina, ſuppliciis ſubditi, & publicè pro criminibus cæſi eſſent: aut in quorum facie, vel corpore, quæcunque notæ, ſeu ſtigmata, igne, aut ferro impreſſæ erant, ita vt deleri non poſſent: hi poſtquàm à dominis ſuis manumittebantur, Dedititij vocabantur, ex lege Ælia Sentia, vt quorũ turpitudo cõmunis erat, eorum & nomen cõmune eſſet. vide Vlpi.epitomen tit.j.

MANVMISSIO eſt de manu miſſio, id eſt datio libertatis, l.manumiſſiones. D.de iuſti.& iur. Nam quàm diu quis in ſeruitute eſt, manui & poteſtati ſuppoſitus eſt, & manumiſſus liberatur poteſtate, Vlpian.l.j.D.eod. Atque in manumiſſionibus hoc nominatim adſcribi moris erat, vt ex antiquo manumiſſionis exemplo citat Cuiacius Obſ.lib.14.c.27. Ille ciuis Romanus eſto, ita vt ab hodierna die ingenuus, atque ab omni ſeruitutis vinculo ſecurus permaneat, tanquam ſi ab ingenuis fuiſſet parentibus procreatus. Eam denique pergat partem quamcunq; elegerit, vt deinceps nec nobis nec ſucceſſoribus noſtris vllũ debeat noxiæ conditionis ſeruitium: ſed omnibus diebus vitæ ſuæ ſub certa pleniſſimáque ingenuitate, ſicut alij ciues Romani, per hunc manumiſſionis atque ingenuitatis titulum, ſemper ingenuus & ſecurus exiſtat. Hinc à Suda ἐλεύθερος, id eſt liber, definitur, ἐλεύθερος ὄντως.

Manumiſſi

Manumiſſionis inſignia recenſet Tertullianus lib. de reſurrect. carn. putà albam veſtem, aureum anulum, patroni nomen, tribum, menſam.

Manumiſſionis verbum etiam in liberis legimus, l. 2. D. de offic. procoſ. l. 28. D. de adopt. l. 107. D. de verb. obli. & D ſi à parent. quis manu. fu.

MAPPA eſt ornamentum equi, & ſunt linteamina alba, quibus cooperiuntur equi Cardinalium, cùm faciunt proceſſionem. no. in Auth. de conſu. §. quantumcunq;. & vide c. nonnulli. 103. diſt.

MARCHIA, ſeu Marcha, Gallis *Marche*, apud barbaricos ſcriptores limitem ſignificat: deducto vocabulo à March Germanico verbo, quod & limes eſt: vt leg. Franc. lib. 4. tit. De vaſſis dominicis ad marcham cuſtodiendam conſtitutis. Sic Rhegino lib. Chron. 2. ſub anno 788. Poſt hæc Carolus Ratisbonam venit, ibique marchas & fines Baioariorum diſpoſuit. Aymoinus lib. 5. Ludouicus Neuſtriam cum marchiis ſuis haberet: & Carolomannus Burgundiam & Aquitaniam cum marchiis ſuis obtineret. Albertus Krantzius in VVandalia lib. 3. cap. 16. hoc vocabulum deduci exiſtimat è vulgari Saxonum lingua, apud quos Marchia diſtrictum vnius villicationis aut ditionis ſignificat. Inde Veltmarke nomen duxere: vt tum marchiam dicerent Saxones, eam prouinciam, quam, cum ſui iuris eſſet, per arma ſunt conſecuti. Baioariorum lingua & Alamannorum, & antiqua Gallorum (quod obſeruauit Pet. Rhenanus & Ioan. Brodæus Miſcellan. lib. 2. cap. 23.) March equum militarem ſignificabat. Scribit enim Pauſanias lib. 10. Ita Gallos equeſtrem pugnam inſtituiſſe, vt ſingulos equites selectos, equis ſequerentur alij duo, qui domini equo occiſo ſuum ſubmitterent, quiq; domino, & ſibi inuicem auxilio vel ſupplemento eſſent (quo modo, aut ſimili etiam hodie lanceas componimus) & hanc quidem equeſtris pugnæ inſtitutionem eos vernacula lingua vocaſſe *Trimarchiſiam*, quòd ſinguli equites conſtarent ex tribus. equum enim eos marcham appellaſſe. Et ita hodiéq; vocitant Britones, quos priſcam linguam Gallicam retinuiſſe, ſimul & Britannos, ſiue Anglos montanos, quos VValos appellant, idem Rhenanus comprobauit. nec enim fuit eadem prorſus cum Germanica, cum Ariouiſtum Germanum Cæſar ſub fin. lib. 1. de bell. Gall. ſcribat longinqua in Galliis conſuetudine, Gallicam linguam didiciſſe. Et Tacitus lib. ſingulari de morib. Germanorum, Gothinos non eſſe Germanos Gallicam linguam coarguere. Commune tamen illud fuit March pro equo: vt in lege Baioariorum: Si equus eſt, quem March dicimus. Et alio capite: Siquis aliquē de equo ſuo depoſuerit, quod March falli vocant. Et in lege Alamannorum: Si talem equum inuolauerit, quem Alamanni March dicunt.

MARCHIO, inquit Obertus lib. 2. Feud. tit. 10. eſt is qui limiti certo regni cum imperio præeſt. Ineptè autem vocabulum à mari deducit, quòd plerique limites ſint maritimi. nota eſt Francorum, vel Germanorum vox *March*, ſiue *Marche* pro limite, vt diximus. Annonius 5. ca. 11. Reliquit marchiones, qui fines regni tuerentur, & hoſtium arcerent incurſus. Aymoinus lib. 5. Robertus Comes Pariſiorum, frater Odonis regni, Marchio Francorum vocabatur. A Germanis etiam Marchgraph dicuntur, quaſi limiti comites, ſiue Limiti præfecti. Et Comites Marchiæ ab Aymoino lib. 4. Cuſtodes limitis ab eodem ibidem. Et Comites & Præfecti limitis, ibidem. Albertus Krantzius in Vvandalia vbi ſupra pleniſſime de origine huius vocabuli diſputans, Saxonum eſſe vocabulum exiſtimat, atque pro præſide apud eos vſurpari, qui prouinciæ, quam cum ſui iuris eſſet, per arma eſſent conſecuti, præeſſet, quique illi ius diceret. Sic in Dania (inquit) ad Sleuicum Marchionem conſtitutum per Henricum regem ita in Vvandalia per eundem Marchiā illam ſuo Marchioni deputatam: indéque fluxiſſe nomen, vt deinceps aliæ quoque prouinciæ hoc vocabulo in ſimili principatu vterentur: diceretúrque Marchio Miſnenſis, Badenſis, Styriæ, Morauiæ, in Germania & in Italia Teruiſina, Aconitana, Mantuana, Ferrarienſis, & ſi quæ ſint aliæ ibi Marchiæ. Hinc verò intelligi poteſt quam diſſimilis huius dignitatis ratio fuerit apud Italos, de qua Nicephor. Grægoras, lib. 7. ita ſcribit: ἡ δὲ τοῦ μαρχεσίου τάξις οὐ τῶν ἐπισήμων ἐστὶ παρὰ Λατίνοις, ἀλλ' ὅπερ ἐν τοῖς Ῥωμαίων στρατεύμασιν, ὁ τὴν βασιλικὴν κατέχων σημαίαν, τοῦτο παρὰ λατίνοις μαρχεσίος. vt is ſcilicet eſſet, qui vexillum Imperatori præferret. Brodæus vbi ſuprà, & Alciatus Marchionem interpretantur Præfectum equitum, deducto vocabulo ab antiqua verbi March apud Gallos ſignificatione: quod viris doctiſſimis non probatur.

MARCHGRAVII, vide GRAVIO.

MARCHOMANNI, apud Helmodum in hiſt. Slau. cap. 68. ſunt gentes vndecunque collectæ quæ marcham incolunt.

MARSCHALCVS, vetus vox Germanica, pro equitum magiſtro. March enim vetere illorum lingua, equum ſignificat, & Schalc potentem, vt Beatus Rhenan. obſeruat rer. Ger. lib. 2. Leg. Alemann. tit. 80. Si Marſchalcus, qui ſuper duodecim caballos eſt, occidit, 40. ſol. componat. vbi de ſeneſchalco etiā fit mentio: quæ vox in Francogallia vſurpata aſt. Albert. Krantzius lib. Sue. 5. cap. 41. Gubernatorem appellauere, ex optimis militem, qui conuocandis regni cœtibus, & omnia vice Principis gerendi habeat poteſtatem: Marſchalcū noſtri vocant, Galli Conneſtabulum, Magiſtrum equitum dixere Romani, armorū ductorem interpretantes, qui & equeſtris militiæ Princeps arbitriū habeat educendi armatum regni exercitum. Latini autē eum qui ſub regis imperio exercitui præeſt, Magiſtrum rei militaris appellant. Liuius lib. 24. de Syphace Numidarum rege loquens: Orauit, inquit, vt duo legationem referrent ad Imperatores ſuos: vnus apud ſeſe magiſter rei militaris remaneret.

MARGARITAS & margarita promiſcuè Latini auctores dicunt: ſed eas à gemmis & lapillis ſeparant (nam alij auctores refragantur) Iuriſconſulti, vt Vlp. l. 19. §. penulti. & l. 25. §. pen. D. de au. & arg. leg. Quia concha, inquit, apud rubrum mare & creſcit & coaleſcit. quod ſic accipit Cuiac. quia margarita conchæ pars eſt, potius quā gemmæ aut lapilli, vel conchæ partus, vt Plinius voluit lib. 9. cap. 35. De eorum ortu A. Marcellinus lib. 23. Plin. lib. & cap. præcitatis. Athenæus lib. 4. Iſidor. li. 16. c. 10. Etymol. De his etiam ſic Tertullianus lib. de habitu muliebri, cum antea de lapillis egiſſet: Sed ſiquid de mari Britannico aut Indico ambitio piſcatur, conchæ genus eſt, non dico conchylio, aut oſtreo, ſed nec peloride gratius de ſapore. ad hoc enim conchas nouerim maris poma. Quod ſi concha illa aliquid intrinſecus poſtulat, vitium eius magis eſſe debet, quàm gloria: & licet margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendum, quàm conchæ illius aliqua dura & rotunda verruca. Hieronym. rubri maris grana vocat. Martialis verò, Erythræos lapillos, & gemmas Erythræis erutas vadis. De his Solinus hæc ſcripſit: Conchæ ſunt, inquit, in quibus hoc genus lapidum requiritur, quæ certo anni tempore luxuriante conceptu, ſitiunt rorem velut maritū, cuius deſiderio hiant: & cùm lunares maximè liquuntur aſpergines, oſcitatione quadam hauriunt humorem concupitū. Sic concipiunt, grauidæque fiunt: & de ſaginæ qualitate reddunt halitus vnionum.

Margaritæ extricatæ, pro mundatis & purgatis, in l. ſi ſer-

uus ſer

uus ſeruum.D.ad leg.Aquil.

MARITIMÆ vſuræ, nauticæ, l.fenerator.D.de nautico fenore.

Maritimi mores, pro variis & inconſtantibus. Quemadmodum enim mare, vt inquit Eraſmus, nunquam conquieſcit, & ſubinde mutat faciem: ita ferunt homines maritimos nonnihil ex maris ingenio referre.

MARITVS, contractis nuptiis, dicitur. Eo tamen nomine & ſponſus continetur, l.3. D.de fund.dota. Sed hoc ex cauſſa, non perpetuo verum eſt.

Mariti, pro coniuges l.52.in fin.D.de donatio.inter vir.& vxor.

Maritus & vxor vnum corpus cenſentur, l.j.§.ſeruum mariti.D.de quæſt.Domeſtici vocantur, & ſocij vitæ, diuini, atque humani iuris conſortes, l.j.D.ad S.C. Silania.l.j.D.de rit.nupt.l.aduerſus. de crimin. expilat. hæredita.

Marito incumbit onus alendi vxorem cum liberis, & tota familia.l.dotis fructus.D.de iur.dot.l.pro oneribus. C.eo.tit.l.ſi filia.D.famil.erciſcund.

Maritis, ad exemplum propinquorum, conceditur quidam ius emendandæ vxoris: ſed certè non adeò eſt extendendum, vt domeſticam correctionem excedat, & in atrocitatem vertatur, l.j. C.de emendatio. propinquo. Neque verò bonus vir, aut vlli homini in foro profuturus exiſtimari poteſt, qui domi tam moroſus eſt, vt nec vitæ ſociam ferre poſſit fortè per imprudentiam leuiter peccantem. Leuiorum autem vitiorum, propter quæ fuerit vxor emendanda, non poteſt certa tradi definitio. Caritas multa condonabit, quatenus fieri poteſt, ſexus fragilitati. cætera iudicabit ſobrium mariti ingenium.

Mariti affectio dicitur in vxorem, vxoris verò in maritum animus, teſte Vlpiano in l.5.D.de bon.damnat.

Mariti lenocinium ipſum onerat, non vxorem excuſat, l. j.§.ſi publico.D.de adult.

MARMORIS appellatione rudem tantum materiam contineri, docet Iuriſconſul. in l.quæſitum.§.illud. de leg.3. Hinc, Marmoreũ, quod ex marmore eſt: & Marmoratum, quod ſuperficiem tantùm ex marmore habet: & Marmorariæ laudes, apud Ciceronem pro Archia, pro ſtatuis marmoreis in alicuius honorem decretis. Marmoroſum autem, quod marmoream formam vel duritiem habet.

MARMOREVM metallum, l.13.C.Th.de metall.

Marmoreæ lapidicinæ l.7.§.ſi vir. D.ſolut.mat.

MARMORARII, qui marmorum in cruſtas ſecandorum artem tenent, l.j. C.de excuſ.arti, l.1. C. Th.eo. Caſſio.lib.j.Variarum ad Agapet.

MARTE ſuo litem decurrere, Tribonianus dicit, pro ad exitum fine vllo impedimento perduci. Si neque per alterutram litigantium partem, nec per iudicem ſteterit, quo minus lis ſuo Marte decurrat, &c.in l. properandum.2.§.illud proculdubio.5.C.de iudic.

MARTINVS Iuriſconſultus nobilis, Italus, æqualis eorum ętatis qui primi gloſſulas ad ius ciuile ſcripſerunt, circiter annum M.C.XC. vixit, iuriſque diſciplinam magna cum laude exercuit. Eius perſæpe Accurſius mentionem in gloſſis interpoſuit.

MARTYREIVM, templnm martyribus dicatum, apud Impp.l.generali.13.C.de ſacroſanct.Eccleſ. & l.decernimus, 15.eod.

MASCVLINVM an concipiat fœmininum, hoc eſt, verbo maſculini generis contineatur fœmina, vide l.j.& ibi glo. Bartol. Albericum, Cæpolam, And.Alciat. D. de verb.ſignific.

MASSA rudem materiam auri, argẽti, æriſve ſignificat, l.10.§.ſi maſſæ.D.quib.mod.vſusfru. amitt.l.52.§.ſiquis maſſam.D.de furt.

Maſſa, id eſt, pila argenti legata, ſcyphi ex ea facti debentur. Eius cauſſam habes in l.lana.in fin.& l.quæſitum.§. illud. de leg.3.

MASSA apud Caſſiodorum, Gregorium & alios idem quod manſus: hinc maſſarij, vt manſuarij. Gloſſ.vet. maſſam exponunt.συγκτῆσιν.Vide Manſus.

MASSARITIÆ verbum ex vulgi triuio ſumptum dicuntur Bartolo ſupellectilia ad domum pertinentia, quo verbo in eundem ſenſum paſſim vtitur vulgus interpretum: hoc & aliquando Zaſius indicauit.

MASTI, fiſtulæ ſunt Vitruuio lib 12.Varro in lib. de re Ruſtica papillas vertit. Caſſiodo.vbera. vide Alciat.l. eos qui aquæ.C.de aquæduct.

MASTIGOPHORI, lictores qui virgas in ſacris certaminibus ferebant, quibus inſolentiam certatorum ſpectatorúmque coërcerent: de quibus Arcadius l.vlt. §.j.D.de munerib.& hon. Maſtigophori quoq; qui Agonotethas in certaminib.comitãtur, & ſcribæ magiſtratus perſonali muneri ſeruiunt. Iulius Pollux ad fin. lib.3. μαστιγονόμους ferè, à Xonophonte quodam loco μαστιγοφόρους appellari tradit. Horum etiam meminit Xiphilin.in Nerone. Sed & Sudas ſcribit fuiſſe, ἐπὶ δὲ θυμέλης ῥαβδοφόρους τινὰς πρὸς εὐταξίαν τῶν θεατῶν.

MATER, quæ quoduis animal partu edit, auctor Nonius. Noſtri interdum hoc nomine etiam auiam accipiunt, licet impropriè. Vide Bartol.in l.liberorum. D.de verb.ſignif.

Mater matrima dicitur illa, quæ cum mater ſit, adhuc habet matrem viuentem: ſicut patrimi, & patrimes, quorum partes viuunt. Vide Matrimus.

MATERFAMILIAS apud Iuriſconſultos quamlibet mulierem honeſtam ſignificat, l.3.in fi.D.de lib.exhib. l.pronunciatum.46.D.de verbor.ſignifica.l.probrum. D. de ritu nupt. l.quæ adulterium. C.ad leg.Iul. de adult.idque generaliter tradunt, honeſtatem non aut nuptias, aut natales facere matremfamilias: viduam, non etiam virginem eſſe matremfamilias: eam quæ obſcuriore loco nata eſt, ſi honeſte viuat, eſſe matrem familias. Concubina autem materfamilias non eſt, niſi patroni concubina ſit, d.l.probrum.l.item legato.§.patui.D.de legat.3.Meretrix quoque materfamil. nõ eſt, licet vxor ſit, & adulterij accuſari poſſit, exemplo Viſtiliæ vxoris Titidij Labeonis, de qua Cornel. Tacit.li.2.l.ſi vxor.§.ſed & in ea. D.ad leg.Iul.de adult. Nihil autem differt à matrona materfamilias, l.j.§. omnem.l.item apud.§.ſiquis virgines. D.de iniur.l.j.§. & notandum.D.de ventr.inſp. & quæ materfamilias in l.probrum. dicitur matrona in d.l.ſi vxor. Cicero pro Cœlio: Petulanter facimus, ſi matremfamilias ſecus, quàm matronarum dignitas poſtulet, nominemus. Propriè autem Materfamilias ea dicitur quæ in familiam mariti & ſui hæredis locum venit, & à Matrona differt: & ſic ex iure antiquo accipienda eſt l.pronunciatio.§.familiæ.D.de verbor.ſignific.dum in familia mariti numerat matremfamilias. Hinc etiam Feſtus: Materfamilias, inquit, non ante dicebatur quàm vir eius paterfamilias dictus eſſet: nec poſſunt hoc nomine plures in vna familia præter vnam appellari. Sed nec vidua hoc nomine, nec quæ ſine filiis eſt appellari poteſt. Huc accedit quod ſcribit Gellius lib.18.cap.6.Matremfamilias appellatam eſſe eam ſolam quæ eſſet in mariti manu mancipióque: aut in eius in cuius maritus manu mancipióque eſſet, quoniam non in matrimonium tantùm, ſed in familiam quoque mariti, & in ſui hæredis locum veniſſet. Seruius in lib.Æn.11. Materfamilias, inquit, illa dicitur, quæ in matrimonium conuenit per conuentionem. nam per quandam iuris ſolennitatem in familiam migrat mariti. Quod autem ſcribit Vlpian.l.4. De his qui ſunt ſui, vel al.iur.matresfamiliarum eodem modo dici quo patresfam. hoc eſt quæ ſuæ poteſtatis ſunt, ſiue ſint

puberes,

puberes,ſiue impuberes,hoc ad inſtituti ſermonis, & rubricæ rationem reuocandum eſt: vt qui alterius in familia non ſunt, patres & matresfamiliarum appellentur.Plura etiam de his vide in voce Vxor.

Materiæ infectæ,pondus: ſignatæ, numerus: factæ, ſpecies appellatur.l.6.D.de rei vind.

Materia ſic à ligno diſtinguitur,vt hoc ad ea quæ comburendi cauſſa parata ſunt,pertineat:illa verò quæ ædificandi fulciendíve cauſſa.l.12.D.de vſufr.l.47.D.de act. empt.l.55.D.de legat.j.l.167.D.de verb.ſignif.

Matertera eſt matris ſoror:ait Paulus, l.10. §.7.de gradibus.

Matertera magna eſt auiæ ſoror,ait Paul.l.10.§.8. D.eod.

Matertera maior,ait Paulus,eſt ſoror proauiæ, patris, vel matris matertera magna,l.10.§.9.D.de gradib.

Matertera maxima eſt,ait Paulus,abauiæ ſoror, patris vel matris matertera maior,l.10.§.10.D.de gradib.

Matrimus ac patrimus dicuntur, quibus patres & matres adhuc viuunt:ait Feſtus.

Matrix Eccleſia dicitur,cathedralis c.cùm venerabilis.de verb.ſignific.eadem forma qua Metropolim vocamus vrbem,quæ caput eſt prouinciæ, vnde ſunt deductæ coloniæ, quæ & dicitur vrbis matrix & mater vrbium à Solino & Marcellino.Inde Ortygometra, coturnicum matrix, & Tettigometra, cicadarum, & ſimilia nomina,apud Plinium,& alios.

Matrices aquarum pro fiſtulis ponuntur in l.eos.C. de aquæduct. lib.12.Maſtos appellat Vitruuius lib.12. Caſſiodorus vbera. Varro in lib. de re Ruſtic.papillas. Erant etiam Matrices libelli,in quibus Cæſareo fiſco penſitantes deſcripti continebantur.Habebant & nomina militum inſcripta matrices. Hinc,

Matricula,catalogus, deſcriptio, index, l.3. C.de agen.in reb.lib.12.l.pen.& fin.C.de commeatu.Matriculæ militares,numeri,l.16.C.de teſta.milit. Notæ publicæ vocantur, l.5. C.qui milit.poſſ. Patriculæ l.5. C. Th.de domeſt.& prot.Carthaginenſis concilij, ca.120. *μὴ προχειρισθῇ τῇ μάτρικι*, Zonaras ita interpretatur, *οὐ βλαβήσεται ἐκ τοῦ καταγραφῆναι ἐν τῇ ἀπογραφῇ τῶν διαφερόντων τῇ ἐκκλησίᾳ.*

Matricarii in Nouell.13.quæ eſt de Prætore plebis, in notis quibuſdam vetuſtis ad Iuliani Patritij Epitomen,ſic inueniuntur exponi; Matricarij dicuntur illi quorum opera ſpongiis, hamis, dolabris, ſifonibus & aliis ferramentis incendia extinguuntur,perfodiuntur parietes, diruuntur ædificia. Sic dicti quod in matriculam, ſiue commentarium prætoris plebis relati erant.

Matricularii Eccleſiarum œconomi, nunc *Marguiliers* dicti, Aimoino in lib.4.de geſtis Franc. cap.33. Et in lib.veteri formularum:Nos in Dei nomine matricularij S.Martini, dum manè ad oſtia ipſius Eccleſiæ obſeruanda conueniſſemus,&c.

Matrimonium eſt diuini & humani iuris communicatio,l.j.D.de ritu nuptia. Per diuinum ius accipiuntur ſacra, quæ cuiuſlibet familiæ propria olim fuerant.Nos autem veram pietatem & ius naturæ,per ſacra intelligere poſſumus in foro Chriſtiano.

Matrimonium, eſt maris atque fœminæ coniunctio,l.j.§.2.D.de iuſt.& iur. Matrimonium à matris nomine,non adepto iam,ſed cum ſpe & omine mox adipiſcendi. Gellius libro 18.cap.6.

Matrimonium & Nuptiæ ſæpe promiſcue vſurpantur: proprie tamen differentia reperitur: vt in l. pen.D.de don.int.vir.& vxor.vbi Scæuola Matrimonium eſſe oſtendit, conuentionem inter virū & vxorem:eamque conuentionem ſolo conſenſu contrahi: hoc eſt, neque rei interuentum, neque certa & concepta verba,neque literas.l.licet.8. C.de inceſt. nupt.l. nuptias,de reg.iur.l.3. D.de ſponſal.l.neq; ſine.13.C.de nupt. Nuptias autem ibidem Scæuola eſſe oſtendit, ritum illum qui pro cuiuſque gentis inſtitutis palam & publicè adhiberi ſolet. veluti apud Romanos, deductione in mariti domum: item aquæ & ignis interuentu. Similiter Paulus Matrimonium à nuptiis diſtinguit in l.ſi ita.10. & l.Iulianus in l.ſeq.D.de ritu nuptiarum, & Iuſtinianus in §.ſi aduerſus ea. De nupt.& in l.inter eos.27. D.de donation.inter vir.& vxor. l.13. C.de nupt. Sumitur etiam Matrimonium pro bonis maternis. Seneca lib.j. de benefic.cap.3. Quia latè patentis matrimonij ſit.itáque apud Tranquillum, & Val.Maximum Matrimonij nomen vſurpari quidam obſeruarunt.

FORMVLÆ MATRIMONII CONTRAHENDI,

Ex Plauto in Curculione 5.2. PH. *Spondéſne miles mihi hanc uxorem?* M. *Spondeo.* At in Decretal.

Vir Ego accipio te in meam. Et

Mulier. Ego te accipio in meum. Sic in Pœnulo Agoraſtocles: *Audin' tu Patrue, dico, ne dictum neges: Tuam mihi maiorem filiam deſpondeas.* P. *Pactam rem habeto,* A. *ſpondéſne igitur?* P. *ſpondeo.* Hanc contrahendi formulam docet text.c.ſi inter virum.de ſponſal.& matri.in antiq.

TESTIFICANDI MATRIMONII.

Cos. Avgv. Pvbl. Clavd. QVÆST. ÆRAR. ANTONINAM VOLVMNIAM, VIRG. VOLENT. AVSPIC. E PARENTIB. SV. COEMIT, ET IIII. FAC. IN DOM. DVX. id eſt, Conſule Auguſto Publius Claudius Quæſtor ærarius Antoninam Volumniam virginem volentem auſpicato è parentibus ſuis coëmit, & quatuor facibus in domum duxit. Ex lapide Patauino.

Matrimonia ſecundum naturam eſſe, oſtendit Lex, Non moechaberis, vt vnuſquiſque habeat ſuam, retineatúrq; in voluptatibus modeſtia quædam, & certitudo. Vagi enim concubitus, incertam facerent de ſobole opinionem, eleuaréntque curam alendi partus.

Mattrimonium inuito patre vel matre, neque iure naturali & diuino, neque ciuili, neque Pontificio valet, quanquam Doctores communiter diuerſum tradant. Iuſtinianus, Inſtitu.de nupt.in princ. Paulus in l.2. D.de rit. nuptia. Romanus Pontifex Euariſtus, 30.q.5.ca.1. Apoſtolus ad Corinth.

Matrimonium, Dos, & dotis actio poteſt eſſe ſine copula carnali, vt vxor virgo ſit, l.denique Cinna.& l.ſeq.D. de rit.nupt. Accedit hoc ad religionem noſtram.

Matrona, in Clementis libro de actis diui Petri, exponitur *τῶν εὐγενῶν γυναικῶν ἢ περιφανεστέρων*. Id eſt, nobilium mulierum magnis inſignis. Et hæc quidem videtur eſſe huius verbi propria ſignificatio: augetur tamen hæc ſignificatio ab Iuriſconſultis, vt ſuprà oſtendimus in voce Materfamilias, & infra in voce Vxor. Gellius tamen lib.18.cap.6. Matronam propriè dictam vult quæ in matrimonium cum viro conueniſſet, quoad in matrimonio maneret, etiamſi ſibi liberi nondū nati forent: dictámque eſſe ita à matris nomine, non adepto iam, ſed cum ſpe & omine mox adipiſcendi. Porro Matronæ dicuntur etiam dominæ, non reſpectu maritorum duntaxat, quomodo ipſi quoque mariti ab vxoribus domini appellantur, ſed etiam per ſe, vt in l.pater.§.Iulius.D.de legat.lib.3. Iuliam domnam: niſi dicas Domnam ſupereſſe ex l.Lucius Titius, eodem titul.

Matrvelis, ex matris meæ fratre natus. Marcianus, l.j.D.de leg.Pomp.de parricid. Si quis patrē, matrem, auum,

auum,auiam,fratrem,ſororem,patruelem,matruelem occiderit,&c.

Matvrare, non eſt abbreuiare,ſed accelerare,ita vt adhibeatur induſtriæ celeritas, & diligentiæ tarditas. Cætera apud Ferrariũ in §.his igit.Inſti. de iuſt. & iur.

Matvrvs quis tripliciter oſtenditur,vultu,geſtu,voce. Spe.in tit.de aduo.§.5.ver.cùm autem.

Matvre fit quod non citiùs, aut ſerius fit, Bald. l. 2.§. ſiquis tamen.C.ſi quis caut.

Maxime idem ſignificat,quod vtique.l.9.D.de vſucap. Vſucapiuntur res maximè corporales.Id eſt quaſi corporales ſolæ. Maximè,pro demum.l.5.D.de concubi.Ingenuam in concubinatu eſſe poſſe traditur, maximè eã quæ obſcuro loco nata eſt, vel corpore quæſtum fecerit.Sic.l.2.C.an ſeruus ex ſuo fac.& l.12.D.de fund.inſt.Paul.libr.3.Sentent.tit.5. Maximè dictio implicatiua caſus etiam non expreſſi, vt in l.ſunt qui. & l.cum ex cauſſa.D.de re iud. De eius efficacia cum Alb.tum interpretes multa,quæ Grammaticos latent: vt vocum magis,quam rerum ſignificationis peritos. Porrò Gl.in l.mox citanda, indicat hoc verbum Maximè,aliquando abundare in Iure; allegátque bonum text.in l.fin.§.fin. C. de manu. teſta. cum dicit, Maximè propter libertates,quoniam propter nullum alium caſum,quàm libertatis ea Imperatoris prouiſio inuenta eſt.Vide Zaſium in l.j.§.quæſitũ eſt.D.quod legator.

M E

Mechanicvs, μηχανικὸς,is eſt cuius ingenio & inſtitutione fiunt organa mechanica, pneumatica, automato poëtica.l.2.C.de excuſat.artific.Mechanicos, & geometras & architectos,&c.Suetonius in Veſpaſiano.c.18.vtitur etiam hoc verbo: Mechanico quoque, inquit,grandes columnas exigua impenſa perducturũ in Capitolium pollicenti,&c.

Medianvs in l.ſi verò.D. de his, qui deiecerunt.accipitur pro medio,eſtque architectonicum verbũ.nam apud Vitruuium medianæ columnæ ab angularibus diſtinguuntur, & medianæ teſtudines. Medianum autem cœnaculum, pro mediano cœnaculi cubiculo. Cœnaculum quid ſit,diximus ſuo loco.

Mediatinvs, mancipium viliſſimum, quod mediis in ædibus ſtat,vt ad cuiuſuis iuſſa atque imperata præſtò ſit.Vlpianus.l.15.§.31.D.de iniur. Etenim multũ intereſt,qualis ſeruus ſit bonæ frugi,ordinarius, diſpenſator: an verò vulgaris, vel mediaſtinus, aut qualis qualis.Idem.l.j.§.4. D. naut. caupo. ſtab. Si qui opera mediaſtini fungitur, non continetur: vt puta atriarij, & focarij, & his ſimiles.item in l. 6.D.de op.ſer.Columell.lib.j.c.9.Mediaſtinus qualiſcunque ſtatus poteſt eſſe,dummodo percipiendo labori ſit idoneus. Nonnulli per Mediaſtinum ſeruum balneatoris ſignificari putant. Cato, Ille imperator: tu illi ac cæteris mediaſtinus.Nonius,Mediaſtinos, nõ ſolum balnearum, ſed ædium quoque miniſtros & curatores legimus. Lucill.17. Villicum Ariſtocratem mediaſtinum atque bubulcum,Commanducatus corrupit, ad incita adegit.Eſt autem hæc vox compoſita à medio & ſtando, non à Græco ἄστυ,vt nonnulli vaticinantur;quanquàm alij in hoc verbo, vocem medium tantum notandam volunt,reliqua productionem eſſe verbi.

Medivm dicitur,quicquid inter duo extrema eſt,etiam ſi non æqualiter diſtet.§.adiectio.in l.3.D.ad l.Cornel. de ſic.Seneca Epiſtol.118.Id medium atque indifferẽs, ait,vocamus quod tam malo contingere, quàm bono poteſt:tanquam pecunia, forma, nobilitas. Medium quoque vſurpatur pro manifeſto & certo. Vnde dicimus rem in medio relictam,ſuper qua nondum conſtitutum eſt.Sed & medium pro tertio, quod quædam contraria habet, etiam in iure noſtro intelligitur:vt inter eſſe meum,& eſſe tuum,eſſe Gaij,vel Titij. l. ſed & ſi poſſeſſori.in princip.de iureiur.l.ſi inter me & te. de except.rei iud.inter aſſenſum, & contradictionem, patientia.l.j.§.ſcientiam. de tribut. act.Inter delicatè progredi,& diplomate vti, eſt maturare.l. continuus. §.2.de verb.obligat.inter donatum & commodatum, precarium,arg.l.j.de prec.inter ſacrum & prophanũ, ſanctum.l.ſacra.D.de re.diuiſ.inter liberum,ſiue ingenuum,& ſeruum,libertinus.l.manumiſſiones.de iuſti. & iur.Inter venenum bonum, & venenum malum, amatorium.l.eiuſdem.§.j.vbi Bart.de ſicar.Inter negligentiam craſſam,ſiue nimiam ſecuritatem, & delatoriam curioſitatem,ſcientia.l.nec ſupina.de iur.& fact. ignor.Inter bonam fidem,& malam fidem, dubietas, gl.§.genera.l.3.de adquirend.poſſeſſio.

Medium tempus interpretatur Iuſtinianus.§.ſi ad exhibendum.Inſtitut.de offic.iudic.tempus illud, quod eſt inter litem conteſtatam & ſententiam, Vlpianus ſequutus,qui medium tempus appellat quod eſt inter initium,& finẽ actus.l.ſi libertinus.D. de colluſ.deteg.

Medij actus homo appellatur ab Imp.in §.6.de iniur. ſeruus neque magnæ alicui curationi præpoſitus,qualis eſt diſpenſator, vel atrienſis, neque viliſſimo muneri deputatus,qualis eſt mediaſtinus, aut ſcoparius, ſed mediæ inter illas functionis.

Mediæ iuriſprudentiæ appellatione Viglio videntur potius ſignificari prudentium interpretationes, quas communi nomine ius Ciuile nominamus. Accurſius autem mediam Iuriſprudentiam id ius intellexiſſe arbitratur quodcunque fuit,quod poſt XII. Tab.& ante Principum conſtitutiones eſt editum.§.& hæc quidẽ. Inſt.de legit.ag.ſucc.

Mediocritas tenue patrimonium.l.6.in fin.D.de excuſ.tutor.

Medicinæ tres ſunt partes,inquit Corn.Celſus in præfat.primi libri.nam vna eſt quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu medetur. primam διαιτητικὴν,ſecũdam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν Græci nominarunt. Itaque Medici nomen apud Iuriſconſultos ſumitur pro iis qui medicamenta conficiunt,vulnera curant,cucurbitas admouent, item qui circũcidunt,aut caſtrant.Pro chirurgis apud Paul.lib. 3.ſent.& 5.tit.23.Item apud Vlpian.in l.4.in fi.D.ad leg. Cornel.de ſicar. Medico, inquit, qui virilia exciderit, capitale erit.idem in l. qua actione. 7.§. vlt.D.ad leg. Aquil.Si medicus ſeruũ imperitè ſecuerit.φαρμακευτικὴ verò ſignificatur in l.inſequenti. vbi Caius de medico loquens,Idem iuris eſt,inquit,ſi medicamento perperam vſus fuerit.Vlpianus in l.3. D.de extraord. cognit. Si medicus cui curandos ſuos oculos commiſerat.

Medogrammatei.l.4.C.de tab.ſcrib.& log.libr. 10.corruptè pro Demogrammatei. Sunt autem δημογραμματεῖς plebis ſcribæ.

Melancholici ſunt, qui morbis Melancholiæ, id eſt,atræ bilis vexantur.Melãcholici item dicũtur manici & maniaci:quem enim nos furorẽ dicimus,Græci Melancholiam vocant.Cicero Tuſcul.3. Græci autem maniam vnde adpellent, non facilè dixerim: eam tamen ipſam diſtinguimus nos melius, quàm illi. Hanc enim inſaniam,quæ iuncta ſtultitiæ patet latius, à furore diſtinguimus.

Melienſis Minerua, vide Ilienſis Minerua.

Melinvm, genus coloris candidi.Plin.lib.35.c.6. Melinum candidum & ipſum eſt,optimum in Melo inſula. Paulus.l.78.§.5.D.de legat.3. Quin minus porrò coracinum, aut hyſginum, aut melinũ, ſuo nomine quàm coccum,purpuráve deſignatur.

Melior conditio quod ad pactum addictionis in diem attinet, dicitur ſi pretio quid addatur,vel facilior pretij vel maturior ſolutio.l.4.§.fin. D. de.in diem addict.& omnino quidquid ad vtilitatem venditoris pertinet,

pro meliore conditione haberi debet.

Melius æquius, formula erat iudicij rei vxoriæ, quæ ſoluto matrimonio repetebatur. Cicero lib. de Offi. III. Reliquorum autem iudiciorum hæc verba maximè excellũt: in arbitrio rei vxoriæ, melius æquius. In Top. In primiſque in arbitrio rei vxoriæ, in quo eſt quod æquius melius. Iauolenus l. pen. §. vlt. ſolut. matr. Quia nec melius nec æquius eſſet, quod exigere vir ab vxore non potuiſſet, &c. Proculus l. 82. D. de ſolutionibus. Nec melius nec æquius eſſe exiſtimarem cum fundum Seiæ reddi.

Meliores, pro Proceribus ſiue primariis eadem ratione qua Seniores. Tacitus lib. 13. Et commotus his Auitus, patienda meliorum imperia. Otto Friſing. lib. j. c. 20. Gladio exerto in meliorẽ & nobiliorem omniũ Rauennatenſium manum miſit. Apud Radeuicum lib. 2. c. 39. Dominus Imperator magna eſt in gloria, quoſdam de melioribus ex Mediolano, & Brixia in vinculis retinet. Et alibi ſæpiſſime apud auctores barbaricos.

Meliorare, pro meliorem & fructuoſiorem efficere. Vlp. l. 13. §. 5. D. de vſuf. Si quidem vſufructuario permittitur meliorare proprietatem.

Melioramenta & meliorationes dicuntur ea, quæ emphyteuta in re ipſa habet, & percipit pro ſuo iure emphyteutico, vt in l. vlt. C. de iure emphyteut. Inde, quòd agri vectigales ſolebant ſumptu ac opera cõductorum ad meliorem frugem reduci, ea ſpe, quòd ad vtilitatem ſuam & ſuorum ſemper eſſent illis vſuri.

Meloproximus, in poſterior. Iuſtiniani libris eſt inquit Alc. qui ſe cum proximo ſcrinij ſacri exercebat, curámque cum eo gerebat, velut ſubadiuua. Huius fit mentio in l. peculiari. & l. vnicuique. C. de prox. ſacr. ſcri. libr. 12. deducit autem à verbo μελετάω quod exercere ſignificat: vel à μέλει, quod curæ eſſe denotat. Sic dicitur primarius à ſecretis, hoc eſt, ſummo Cancellario proximus. Cuiacius verius putat Melloproximum dici, qui ſequenti anno futurus eſt proximus, ἀπὸ τοῦ μέλλειν. Sic:

Mellephebum pubertati proximum Cenſorinus vocat.

Membrum in XII. Tab. pro corporis parte accipitur, pro manu, pede, & verba legis hæc ſunt, MEMBRVM SI RAPSERIT, (aliàs rupit) NI PACIT, TALIO ESTO. vide Gellium lib. 20. c. j.

Membrum, pro cubiculo, ſiue parte ædificij, apud Vlpia. de manumiſſ. teſtamen. l. ſi ita fuerit. §. Idem quæri poteſt, inquit, & ſi fabris duobus, vel pictoribus, ſi membrum depinxiſſet, vel fabricaſſent nauem. Vulgati codices corrupti, non membrum, ſed templum habent. Græci κοιτῶνα exponunt. Vtranque vocem retinuit lingua Gallica. Quin & partem domus Columella, cum Plinio Iuniore, & Apuleio membrum nominant.

Memoria mortuorum damnata, qui maieſtatis & perduellionis criminibus poſt mortem damnantur. l. 31. D. de dona. inter vir. l. 6. D. de iniuſt. rup. l. 78. in fi. D. de leg. 2. l. 2. C. de teſtam.

Memoriam retractare l. 2. D. ne de ſtat. defun. eſt de ſtatu defuncti quærere.

Memoria Principis, genus eſt procurationis eorum qui adnotationes omnes dictabant, & emittebant, ſed & precibus reſpondebant: vt eſt in Notitia Rom. Imp.

Memoriales adiutores erant quæſtoris ex diuerſis ſcriniis aſſumpti, qui leges & reſcripta excipiebant, & implenda curabãt, id eſt perſcribebant, aut perſcribi curabant. vide l. vlt. C. de prox. ſacr. ſcrin. Græci ad l. 2. C. de pet. bo. ſubl. hos interpretãtur τοὺς ἐν τοῖς ὑπομνήμασι. & ad l. eos. C. de excuſ. mun. τοὺς τῶν ὑπομνημάτων πάντων. & ad l. 5. C. qui mil. poſſ. τοὺς τῶν κελεύσεων φύλακας. Vide Nouel. Valent. tit. 3.

Mendacium tribus modis ſolet ab interrogato committi, diſſimulata veritate: non aliter ferè atque temeritas accuſatorum trifariam detegitur. l. j. in princ. & §. j. D. ad S C. Turpillia. Aliàs enim imprudenter negatur veritas fallaci quadam fiducia non probandi contrarium ab aduerſario. Aliàs tacetur, callido ſcilicet conſilio, vt liberum ſit poſtea effugere ignominiam, detecta veritate. Sunt & qui tam reſpondendo mẽdacium, quàm tacendo contumaciam puniri verentur: hi deligunt mediam obſcuritatis viam: vt ſub verborum inuolucro ſaluam habeant interpretandi libertatem, ſi opus fuerit. l. de ætate. §. nihil intereſt. D. de interrogatio. Qua igitur impoſtura celetur veritas ad detrimentum proximi, nihil prorſus intereſt: quod diligentiſſimè nota.

Mendicantes validi qui accipiendi ſint in rub. C. de mendican. valid. lib. 11. res ipſa docet. Porrò mendicos eos intelligimus, qui vt (Ariſtophanica Penia in Pluto ait) viuendo nihil habent.

Πτωχοῦ μὲν γὰρ βίος, ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐστι μηδὲν ἔχοντα.

atque à pauperibus ſeparantur ab eadem. Validos autem interpretari videtur Nouell. 80. robuſtos, ex interpretatione Iuliani Patricij.

Mendicitas incerta in l. vnic. de mendi. valid. quia inquit Accurſ. ibi. ignoratur an vere egeant.

Meniana, inquit Feſtus, appellata ſunt à Menio Cenſore, qui primus in foro vltra columnas tigna proiecit, quo ampliarentur ſuperiora ſpectacula. Idem tradidit Iſidorus libr. 15. Etym. c. 3. Menium illum Craſſi fuiſſe collegam addens: tum & Solaria, vocari poſſe, quod ſoli pateant: quod confirmari poteſt Zenonis conſtitutione περὶ καινοτομιῶν, in qua hoc nomine bis vtitur. μηδὲ ἐπιχειρεῖν, ait, ἐκ μηδ' ἑτέρου μέρους σολάρια, ἤτοι ἐξώστας κατασκευάζειν. Et alio loco, Θεσπίζομεν τὰ καλούμενα σολάρια μὴ ἐκ μόνων ξύλων τε καὶ σανίδων γίνεσθαι, ἀλλὰ τῷ τῶν λεγομένων ῥωμανισίων οἰκοδομεῖσθαι σχήματι. Hinc:

Menianum opus, pergulis extra ædificium proiectis factum. Aſconius verbi originem ſic explicat: Menius cum domum ſuam venderet Catoni & Flacco Cenſoribus, vt ibi Baſilica ædificaretur, exceperat ius ſibi vnius columnæ, ſuper quam tectũ proiiceret ex prouolantibus tabulatis, vnde ipſe & poſteri eius ſpectare munus gladiatorium poſſent. Ex illo Menia columna vocitata eſt. Idem tradunt Feſtus, & Porphyrio. Paulus. l. 20. D. de ſeruit. vrb. Idem eueniet & ſi Menianum in tuum emiſſum habuero, aut ſtillicidium in tuum proiecero. Item Iauolen. l. 242. D. de verb. ſignifi. Vlpian. l. 2. §. 3. D. ne quid in loc. publ. Impp. l. pen. C. de ædif. priu. Meniana, quæ Græci ὄψας appellant. Nonnulli tamen κρόσσας, alij σκιστὰς legunt. Cuiacius ἐξώστας legi vult, vt & vocantur in iam citata Zenonis conſtitutione. Vide Ἐξῶσται.

Mens, voluntas, ſentẽtia, & quam vulgus Intentionem vocat. Quando verò mens legis certa dicatur, exactè tradidit Alciatus in Commen. de verb. ſign. Cæterum, eadem videtur eſſe mens, ſeu ſententia, & ratio legis: aliqua tamen eſt differentia. Sententia enim legis eſt, quam verba oſtendunt. l. proſpexit. D. qui & à quibus. Ratio autem eius per coniecturas conſtat. Bald. in l. ſi quis ſeruo. C. de fur. mentem, rationémque legis haud abſurdè animam legis appellat: atque ob id cenſuit eã magis attendendam, quam verba, quæ illi corpus ſint. Maximè verò in Iuriſperitorum ore verſatur, CVM mens patet, de verbis curandum non eſt. Gl. l. ſi in venditione. ſub fi. D. comm. præd. Bald. l. quamuis. C. de fideicom. l. j. C. plus val. fac. l. 3. §. cõditio. D. de adim. leg. c. intelligentia. de verb. ſig. text. in l. ſi vno. in princ. D. loc. l. inſulam. D. de præſcri. ver. cum vul.

Mente capti dicuntur, qui quomodocunque mente carẽt. Videtur tamẽ aliquando dubitaſſe Vlpianus. an quod de mente

de mente capto ſtatutum eſſet, in furioſo obtineret. Poſt Bart.in l.ſi furioſi.C. de nupt.vide Viglium in §. item furioſi. Inſtitutio. quibus non eſt permiſſ. fac. teſt.Mente autem captus dicitur (auctore Feſto) cum mens ex hominum poteſtate abiit. Hinc quibus non deeſt omnino mens,ſed qui tamen ſunt ſubſtupidi,nõ minus poſſe facere teſtamenta credũtur,quàm fœminæ poſt duodecimum annum,in qua ætate ſcimus nõdum eſſe plenum animi robur.Alciat. arbitratur mente captum dici,qui morbo oppreſſus eſt,quod vitium Græci *μώρωσιν* dicunt:cui *λογιστικὸν*,id eſt,rationalis animæ pars labefactata eſt:prouenítque vt Gal.definit,ex ſolo humenti, malóque temperamento in capite hærente.

Mensarvm genera diſces ex l.12.D.de fund.inſtru.l. 21.D.de act.empt.l.4.D.de edend.l.47.D.de pact.l.27. D.de furt.obſerua in d.l.27.locum videri deprauatum ibi,menſǽque ſcripturam:quem Baſilici ita verterunt, *καὶ τοῦ τραπεζίτου δι' οὗ ἐδάνεισεν ἐγγραφήν.*

Mensa,pro tabula qua argentarij vtuntur,apud Pap. l.pater filios.§.menſæ negotium.de leg.2.

Mensarii, qui nummariam negociationem exercent.Liuius lib.7. Solutiones æris alieni in publicam curam verterunt,quinque viris creatis,quos Menſarios ab diſpenſatione pecuniæ appellarunt. Cicero pro Flacco:Cum ciuitate mihi res eſt acerrima & conficientiſſima literarum,in qua nummus moueri nullus poteſt,ſine quinque Prætoribus,tribus Quæſtoribus, quatuor Menſariis, qui apud illos à populo creantur.Sic & apud Sueton.in Auguſto:Nerulonenſis menſarius.& apud Capitolinum in M.Ant.Philoſ. Leges de menſariis & auctoribus tulit. Vocantur & hi Menſarum præpoſiti à Iulio Firm.lib.3.Matheſ.c.8. Hinc:

Mensvlarii,iidem qui nummularij,vt patet ex l. 47.D.de pact.vbi Gaius Seius modo mẽſularius,modò nummularius appellatur.alios autem nummularios fuiſſe ab Argentariis patet ex l.9.§.2.D.de edend. cum tamen Græcè *τραπεζῖται*,id eſt Menſarij,iidem ſint qui Latinè Argentarij:vt conſtat ex Plaut.locis innumeris.De Menſulariis quoque mentio fit apud Vlp.in l.24.§.2.D. de reb.auct.iud. Menſularij autem & Argentarij propriè ij eſſe videntur qui non tam pecuniarum permutationem,quàm maiorem negociationem exercent,quib.olim moris fuit pecunias cuſtodiendas dari feneratò interdum,interdum gratuito. Nummularij verò,campſores vulgò dicti.quos Græci *ἀργυρογνώμονας* vocant.Donat.Tunc,inquit,in foro & de menſæ ſcriptura,magis quam ex arca domóque vel ciſta pecunia numerabatur.

Mensia lex quid iubeat docet Vlp.tit.de iis qui ſunt in alien.poteſtate,quam referemus in leg.Catalogo.

Mensivm duo ſunt genera:nam alij naturales ſunt,alij ciuiles.naturalium ſpecies duæ,quòd partim ſolis,partim lunæ eſſe dicuntur.ſecundum ſolem fit menſis, dum ſol vnumquodque in zodiaco orbe ſignum percurrit.Lunaris autem,eſt temporis quoddam ſpacium à noua luna.Ciuiles menſes ſunt numeri quidam dierum,quas vnaquæque ciuitas ſuo inſtituto obſeruat: vt nunc Romæ à Calendis in Calendas. Naturales & antiquiores,& omnium gentium communes ſunt:Ciuiles & poſterius inſtituti,& ad vnamquamque pertinẽt ciuitatem. Hæc Cenſorinus libro De die nat.c.17. Menſem in l.12.D.de ſtatu hom.vt & paſſ.apud Iuriſc.accipe 30.dies.

Mensor machinarius dicitur,qui machinula vtitur,ad deſignandum agrum quadratum aut trigonum: ſicut menſor decempedator nuncupatur,quòd decempeda ad hoc vti ſoleat,ſeu pertica. Nam geometræ & geodætæ, hoc eſt, terræ diuiſores & agrimenſores,aliàs pertica & decempeda,aliàs machina ſiue norma (quã vulgò quadram vocant) vtuntur. Menſor autem non ſolùm is eſt,qui agros metitur ſed & qui pronunciat: & non de menſuris tantum ſed etiam de ſeruitutibus. Vide Aggen.Vrbic.lib. de Conſt. agrorum. & Cuiac. Obſ.lib.10. c. 2. Menſor etiam ſignificat agrimenſorem tot.tit. D.ſi menſ.fal.mo. Menſores operum, Plin.lib.10.Epiſto. ad Traia. Menſores frumenti. l. 10.D.de iur.immu.quorum Romæ erat certum corpus. Sic l.menſores. D.de excuſat. menſores frumentarij. Hi verò ſunt qui annonam publicam admetiuntur.In l.j.C.de cond.in pub.horr.Menſor (inquit) qui frumẽta modio metiatur.Lucillius apud Nonium : Frumentarius eſt,modium hic ſecum ac rutellũ vnũm habet.

Mensores ſunt Veget.lib. 11.c.7.& Modeſt.qui in caſtris ad podiſmum dimetiuntur loca, in quibus tentoria milites figant. De his ſic Leo Imp. de bell.app. *Μενσῶρες δὲ λέγονται τὰ φοσσᾶτα μετροῦντες, καὶ καθεστήκοντες, ὡς μινσωράτωρας νῦν καλοῦσι.* Hinc Menſores vocantur qui hoſpitia in ciuitatibus præſtant & notant, qui & metatores vocantur.Alciat. in tit.C.de menſor.lib. 12.Vide l.j.& l.2.& l.5.de metatis.

Mensvrarvm nomina apud veteres hæc ſunt ferè: Digitus minima menſurarum eſt, quorum.4. palmum efficiunt.16.pedem. Pes autem tanquam as in numeris:atque ideò dimidius pes, Semis vulgò adpellatur, quantum ſcilicet pugno , extenſóque pollice metimur,Sicut & Spithama,vox Græca, quæ & ipſa vulgò ſeruat nomen,quantum extenſis articulis, à minimo ad pollicem amplecti poſſumus:Latinè Dodrans dicitur,& Palmus maior quibuſdam. At cubitus ſeſquipedalis eſt.Greſſus verò.2.pedes & ſemiſſem continet. Paſſus.5.pedes, ſic dictus, quod paſſis,id eſt, dilatatis brachiis & manibus,hanc dimenſionem conficiamus. Vlna ſex pedibus conſtat.Pertica duos paſſus in ſe habet,hoc eſt,pedes decem:vnde & decempeda dicitur: Plethrum pedes centum.Iugerum longitudine pedibus. 240. in latitudinem dimidio minus conficitur, duóſque in ſe actus cõtinet. Stadium,paſſus.125.habet: qui ſunt plus paulò pedes DC.Diaulus,duo ſunt ſtadia. Milliarium, ſunt mille paſſus, hoc eſt ſtadia.8.Dolichus,ſtadiorum eſt 12.Leuca,dictio eſt Gallica, mille & quingentos etiam ipſa paſſus habet:licet alibi amplior ſit.Paraſanga,vocabulum Perſicum.30.cenſetur, ſtadiis , quæ menſura paulò minor eſt milliario Germanico.Schœnus apud Ægyptios 60. eſt ſtadiorum. Stathmus,id eſt,mãſio , milliaria habet vigintiduo ſemis.Huius mentio habetur in Nouell. vt om.obed.iudicibus.§.ſi igitur.Eſt & vulgaris vox Manſum,qua tãtum agri ſignificatur,quantum ſingulis annis par boum arare,coleréque poteſt. Vide Alciatum in l.mille paſſus.D.de verb.ſig.Budæ.in l.vlt.ſi menſ.fal.mod.dix.& Oldend.Action.2.Claſſ.3.

Mentiri, hoc eſt mendacium dicere: & non dicere verum differunt.c.cum contingat. extrà de iureiuran. Porrò mentitur non ſolum qui falſum dicit, verumetiam qui ſimulat:vt, *Faciem mentita Creuſæ, &c, Aes mentitur aurum.*

Mercatores, non,vt quidam volunt,à merce,ſed à verbo mercari,quod eſt emere , deducitur. ſunt enim hi,qui res emunt,quas in eadem ſpecie carius vẽdant, vt ait Alciatus.qui etiam inter ſordidos, mercatores tenues cenſet:contra, copioſi mercatores, non viles habentur. Fenerator mercatoris nomine non venit, per l.quæſitum.§.ſed & ipſe Pap. paulò ante fin. D. de fund.inſtr.Proprie enim Mercatores dicebantur , qui cùm Romæ domicilium haberent, interdum tamen exportandarum vel importandarum mercium cauſſa

in prouincias ad aliquod tempus excurrebāt. Sabinus autem in l.4.D.de penu.leg. tempus illud vt longiſſimum definit eſſe non plus annuum. Negociatores verò ciues quidem erant Romani,ſed in prouinciis ſedē fortunarum ſuarum conſtituerant, ſic, vt raro in vrbem,nec ferè niſi cenſendi cauſſa redirent:quales erāt aratores,pecuarij,argentarij, &c. Cicero in Verrina. III. Ciues,inquit, habent propinquam fructuoſamque prouinciam,quò facilè excurrant, vbi libēter negocium gerant:quos illa partim mercib. ſuppeditandis,cum quæſtu compendióque dimittit: partim retinet,vt arare,vt paſcere, vt negociari libeat, vt denique ſedes ac domicilium collocare. Quid etiam Mercatores à negociatoribus differant, vide infra ſub voce Negotiatores.

MERCES ferè dicitur pecunia quæ ex prædiorum ruſticorum locatione percipitur;quæ verò ex vrbanorum, Penſio,vide l.27.& l.29.D.de hæred.pet.& l.2.§.j.D.locat. Mercis appellatio, inquit Vlpia. ad res mobiles tantum pertinet.l.66.D.de verb.ſign.

Mercis appellatione,inquit Africanus,homines non contineri Mela ait,& ob eam rem mangones non mercatores,ſed venalitiarios appellari ait,& rectè. l.207. D. de verb.ſign. Mercis autem nomen etiam de operis intelligitur, vt & Pretium. Mercedem habitationis Græci proprio nomine ἐνοίκειον appellant, mercedem operæ μισθόν. Clemens Alexand.lib.j.Strom. τῷ μὲν ναυκλήρῳ δοθείσης λέγεσθαι ναῦλον· τῷ δὲ τελώνῃ τέλος· καὶ ἐνοίκειον μὲν τῷ σταθμούχῳ μισθὸν δὲ τῷ διδασκάλῳ, καὶ τῷ πιπράσκοντι ἀῤῥαβῶνα. Sed & στεγονόμιον mercedem habitationis quæ ab inquilino datur, appellat Iuſtinianus Nouell.43.& 88.& 120.& Harmenop.lib.3. Ἐνοίκειον autem in eadem ſignificatione apud Theoph. & Plutarch.obſeruauit Victorius lib.16.c. 11. Merces autem quæ doctori datur,Minerual etiam dicitur.

Merces eximij laboris à Iuriſconſulto eleganter interpretatur, quæ pro ſalute alicuius datur. l.ſi pater.§.ſi quis.de donat. veruntamen & pro penſione accipi ſolet,atque annuo reditu, apud Ciceronem, ſicut & in iure accipitur.

MERX peculiaris dicitur res, in qua dominus permittit ſeruum ſuo proprio nomine negotiari, etiā ſi nihil ſit in peculio. Merx dominica autem,in qua nomine alieno,hoc eſt,domini vice gerit negotia.

MERCALEM vxorem,id eſt,Meretricem Albericus exponit.

MERCENARII, qui operas ſuas mercede locabant.l.j. §.ſi filiusf.D.de vi & vi ar. Plerique eo nomine ſeruos alienos, quorum conductis operis vtebantur, vocabant.Valer.lib.5.c.4. Villicum ait,in agello,quem ſeptē iugerum in Papinia habebat, mortuum eſſe,occaſionémque nactum mercenarium, amoto inde ruſtico inſtrumento diſceſſiſſe. Liberi quoque qui operas ſuas locabant eo nomine appellabantur, Varroni libr.j. de re Ruſtic.cap.17. Mercenarius opponitur gratuito. Eſtque is,qui alicui operas ſuas locat. l. reſpiciendum. §.pen.D.de pœn.vbi Marcellus tradit, domeſtica furta vocari,quæ ſerui dominis, vel liberti patronis, vel mercenarij his apud quos degunt,ſurripiunt.

MERERE, ſtipendia merere.l.16.§.fi.D. de caſt. pecu. At merere quid ex iudicio patris dicuntur,qui quid ex teſtamento eius acceperunt.l.13.D. de do. exce. Merere legatum dicitur,cui id relinquitur.l.21. C.ad leg.Falc. Meruit deportationis ſententiam, qui eam excepit.l.3. C.de inſtit.

MERITA militiæ,commoda præmiorum, quæ emeritis & impletis ſtipendiis,veteranis dantur.l.18.§. veterani.D.de iure fiſc.

MERITORIVM, ſiue meritoria taberna. ſtabulum eſt, vel fullonica ſiue caupona,vel quæ alia loca quæ mercede locantur,à merendo dicta. Vlpian. de iniur.l.lex Cornelia. Ad meritoria,inquit, vel ſtabula non pertinebit. Idem l.ſi cuius.§.fi.D.de vſufr. Quòd autem dicitur,inquit,meritoria non facturum.accipe quæ diuerſoria,vel fullonica vulgo appellantur. Vopiſcus in Tacito:Meritoria intra vrbem ſtare vetuit.

MERITORIA cœnacula adiectiuè dixit Suetonius in Vitellio.c.4. Et Meritoria balnea, Plinius lib.2.Epiſtol.ad Gallum. vt Meritorium puerum Cicero Philipp.2.

MERETRIX à merendo dicta eſt, quòd mercede ſuam exerceat militiam,vt Valla ait. Cum hac etiam ſtupro cognita adulterium non committi ſcribunt Impp.l.ſi ea quæ.C.ad leg.Iul.de adult. At ei minimè ignoſcendum,quæ paupertatis obtentu turpiſſimam vitam elegit.l.palam.D.de ritu nupt. Porrò elegantem meretricum deteſtationem habes apud Salomonem.c.5. Prouerb.& de earum natura Camertes in Comm.in tab. Cebetis. Obſeruandum tamen quòd meretrix nō eſt, quæ cum vno, aut altero, etiam pecunia accepta, ſe commiſcet, ſed ea quæ palam,& pluribus ſe proſtituit.c.viduam.35.Diſtin.c.meretrices.32.q.4. Quis verò primus meretrices publicitus inſtituerit, vide apud Cœlium Rhodiginum libr.8. c. 4.& Alc.in Comm.de verb.ſign.

MERVM, inquit Feſtus,antiqui dicebant ſolum, at nunc Merum purum appellamus. Hinc Merū factum, quod ab omni datione ſeiunctum eſt, in l.98.§.mihi.D.de ſolut. Merum officium Prætoris,quòd à iudicis officio ſecretum eſt.l.5. D.de verb. obl. Theophilus Inſtit.de diuiſ.ſtip.interpretatur τὸ ἐκ μόνης δικαιοδοσίας τοῦ πραίτωρος. Mera pœna,quę à rei perſecutione ſeiuncta eſt. l.j.D.de eo per quem fact.l.j.D.ſi quis ius dic. Merum imperium, quod in rerum capitalium quæſtionibus verſatur, & à priuatarum rerum iuriſdictione purum eſt.l.3.D.de iuriſd.l.j. §. vlt. D. de offic.eius cui mand. Merum ius gentium,quòd à ciuilibus inſtitutis ſeiunctum eſt.l.31.D.depoſ. Merum ius, ſtricta iuris ratio. l.16.D.de minorib.l.pen.§.vlt.D. de contr. tab.l.4.§.ſi viam.D.de vſuc.l.37.D.de adminiſt.tut.

Meram actionem negociorum geſtorum ſequi, in l.etſi. 14.§.idem Labeo.D.de relig. poſt ſtrictam eius actionis naturam & conditionem.

Mera voluntas,nuda,ſoluta,libera.l.75.D.de leg.j.

Merum mixto opponitur.l.82. D. de cond. & demonſtr. Martialis,

Cum peterem mixtum, uendidit ille merum.

Merum principium.l.12.D.de capt. Mera æſtimatio l.63. D.de iur.do. Mera donatio l.28.D.de pact.dot.

Mero iure munito,non debet tribui extraordinarium auxilium,in l.in cauſſæ cognitione.2.D.de minor.

MESONAVTA, qui medium inter nautas locum obtinet,id eſt inter ſummos & imos;ſummos,vt gubernatores & proretas:imos,vt remiges:& reliquis remigādi ſignum præbet:eodem,opinor,modo dictus, vt μεσόχορος. Vlp.l.j.§.j.D.naut.caup.ſtab. Sed de exercitore ſolummodo Prætor ſentit.nec enim debet:inquit Pōponius, per remigem aut meſonautam obligari: ſed per ſe,vel per nauis magiſtrum.

MESSIS à metendo:Aliàs pro tempore accipitur,quo frumenta ſcinduntur: ſicut vindemia: pro tempore, quo colliguntur vuæ,vt in l.j.in princ.& l.Præſides.D. de feriis. Aliàs pro re,hoc eſt,pro ſegete ipſa iam matura,idque dupliciter:aliquando ſolùm pro frugibus: nonnunquam verò laxius tam pro fruge, quàm pro vua.l.fructus eſſe.§.item ſi meſſes.D.ſol.mat.

META, eſt inferior pars molæ;ait Paulus in l.18.§.3.D.de inſtruct.& inſt.

METALLVM, genus pœnæ mediocris numeratur à Paulo lib. Sent. v. c. 17. cum nocentes ad eruendas metallorum venas damnabantur: vel, vt eſt in Baſil. libr. 60. tit. περὶ μεταλλιζομένων, eſt τὸ καταδικασθῆναι τινὰ ἀσβεστοποιεῖν, ἢ θεῖον ὀρύττειν. Huius etiam pœnæ mentio fit. l. 24. §. quid ergo. D. de fideicom. libr. l. 46. D. de manu teſta. quam à Tarquinio Superbo excogitatam Eutropius lib. j. c. 10. & Sudas in verbo Σισύφειος ſcribunt. Idem tamen Sudas in voce Semiramis, & Diodorus Siculus, teſtantur Semiramin metalla inueniſſe, eáque per captiuos exercuiſſe. Habebant autē Romani metalla multa. l. 6. §. vlt. D. ad leg. Iul. pecul. vt in Macedonia, Epheſi, in Hiſpania, vt Liuius & Vitruuius libr. 7. c. 9. teſtantur. Alia etiam refert Iuſt. Nouel. 22. Inter eos autem qui in metallū, & eos qui in opus metalli damnantur, differentia in vinculis tantum eſt: quòd qui in metallum damnantur, grauioribus vinculis premūtur: qui in opus metalli, leuioribus. quódque refugæ ex opere metalli in metallum dantur, ex metallo grauius coërcentur. l. 8. §. 4. D. de pœn.

METALLICI, qui ea pœna damnati ſunt apud Macrum l. in ſeruorum. 10. §. j. & l. in metallum. 36. D. de pœn.

METALLARII, qui metallum effodiunt: quorum tamē alij ſponte ſua, alij conditione tales ſunt; vt ſub Rubr. C. de metallar. & metall.

METATA diuerſoria quæ prouinciales præbere ſolebant militibus ſuperuenientibus, vel aliis perſonis. ſub rub. C. de metatis & epidemet. & l. vlt. in fi. D. de mun. & hon. l. 6. C. de profeſſ. & medic.

METATORES, deſignatores hoſpitiorum, qui præparandi & enotandi diuerſorij cauſſa præcurrunt. Μετάτωρ, inquit Suidas, ὁ προαποστελλόμενος ἄγγελος πρὸς τοῦ ἄρχοντος. Appellantur & menſores in l. j. C. de metat. Si quis menſorum noſtrorum manum, qua deputatas ſingulis quibuſque domus enotant, & poſtibus hoſpitaturi nomen adſcribunt: &c. Galli *Mareſchaux des logis.* Videtur etiam hoc nomen pro hoſpitibus ſumi. l. 9. C. eod. Omnes, inquit, qui metata in ſuis domibus præſtant, ſiue hoſpitia præbuerint metatoribus, ſeu quolibet pacto ſatis eis fecerint.

METAXA non eſt ſericum quoduis, ſed rude & αὐτοφυές, nondum neque tinctum neque in fila deductum: & ideo ſeparatur à nemate ſerico. l. vlt. D. de public. & l. 10. C. de murileg. à ſerico blatta, id eſt à ſerico in purpureum colorem cōuerſo. Huius verbi meminit Moſchopulus, σηρὸ σκώληξ ὁ τὴν μετάξαν ἐργαζόμενος, ἀφ᾽ οὗ σηρικὰ ἱμάτια τὰ μεταξωτά. Zonaras in Nicen. 2. ἐκ μετάξης ἐσθῆτας πεποικιλμένας· αὗται γὰρ αἱ σηρικαί. Sudas, Σῆρες ἔθνος ἔνθα ἡ μετάξα γίνεται, ἐξ οὗ καὶ σηρικὰ τὰ ἐκ μετάξης ὑφασμένα λέγονται; Iſidorus lib. 20. Etymol. c. 29. Metaxam dici vult à circuitu filorum, aut quod transferatur, ἀπὸ τοῦ μετάγεσθαι. Lini metaxam dixit Lucillius apud Noniū, quo modo etiam Vaſcores Pyrenæi loquuntur: ſed de ſerico dicitur frequentius. Hinc:

METAXARII. l. vlt. C. de pigno. Super hypothecis, quas argenti diſtractores vel metaxarij, vel aliquarumcunque ſpecierum negotiatores, &c.

METICVLOSVS eſt, qui fruſtra aliquid timet. l. nec timorem. §. j. D. de eo quod metus cauſ.

Μέτοικοι. l. 4. C. de iur. fiſc. lib. 10. coloni ſunt qui ex vna ciuitate in aliam migrant: quod non fit niſi iuſſu principis. l. idem Vlpian. §. vlt. D. de excuſ. tut. Auctor Panegyrici Flauienſium ad Conſtantin. Impp. Diuus pater tuus Flauiam ciuitatem Heduorū voluit erigere metœcis vndique transferendis. Apollonius Tyaneus in Epiſt. ἅπαντες ἄστοικοι καὶ οἱ μέτοικοι. alij enim ſunt in eadem ciuitate originarij, alij μέτοικοι, qui & incolæ dicuntur. Poſterior ætas Aduenas quoque eos appellaſſe videtur: vnde vox Gallica orta eſt, *Aubanois*, & in Baſilicis Gallicis, *Auenage*. Sed non ita Latini, quibus Aduena is eſt qui in aliena ciuitate moratur ad tēpus, l. hæres. §. proinde. D. de iud. l. pupil. D. de verb. ſignif.

METRETES, ὁ μετρητής, vaſis genus, quod cadus Latinè dicitur: decem congiorum capax. Caius. l. 35. D. de contrahen. empt. Quòd ſi vinum ita venierit, vt in ſingulas amphoras: item oleum, vt in ſingulos metretas. Itē: Quia venditio quaſi ſub hac conditione videtur fieri, vt in ſingulos metretas, &c. Et Scæuola. l. pen. §. j. D. locati, de naue loquitur, in quam olei metretum tria millia, frumenti modium octo millia imponebantur. Eſt & Metretes menſuræ genus, Agric. lib. j. de menſuris.

METROCOMIA. l. 8. C. de exact. tribut. vicorum caput, aut mater: eadē forma qua caput materve prouinciæ Metropolis dicitur.

METROPOLIS μητρόπολις ex μήτηρ & πόλις, id eſt matrix & vrbs iuncto nomine, dicitur ea ciuitas vnde colonia deducta eſt. Thucydides lib. 4 ἀποικίαν μὲν πάντες σαφῶς τιμᾷ τὴν μητρόπολιν ἀδικούμενοι δὲ ἀλλοτριοῦνται. Itaque Vlp. l. 4. §. 4. D. de offic. procōſ. Epheſ. metropolim appellat: Proconſuli, inquit, neceſſitatem impoſitam per mare Aſiam applicare, καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον primam attingere, id eſt, Epheſum priuſquàm alias metropoles accedere. Modeſt. l. 6. D. de excuſa. tut. εἰκὸς δὲ τὰς μὲν μεγίστῳ ἀριθμῷ χρῆσθαι τὰς μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν τὰς δευτέρῳ τὰς ἐχούσας ἀγορὰς δικῶν, τὰς δὲ τρίτῳ τὰς λοιπάς; id eſt, Decet maximo quidem numero vti nationum metropoles, ſecundo eas quæ forum iudiciorum habent: tertio verò, cæteras. Iſidorus ἐκ τοῦ μέτρου, id eſt, ex menſura, fictum vocabulum tradit, quòd & 21. Diſt. n. aſſeritur: ſed falſo. Denique Metropoles ad extremum dictæ ſunt, matres vrbium, ſiue capita prouinciæ, vt l. j. C. de metrop. Bery. & apud Solin. & Marcellinum. Propter multas iuſtáſque cauſſas metropolitano nomine ac dignitate Berytum decernimus exornandam, iam ſuis virtutibus coronatā. Igitur hæc quoque metropolitanam habeat dignitatem. Hinc;

METROPOLITANI epiſcopi, qui in illis ciuitatibus Epiſcopatum gerebāt: quorum hæc fuit ratio, vt vnus illorum aliquis de collegarū ſententia, quaſi Magiſter collegij cōſtitueretur, qui quoties res poſtularet, collegas quaſi ſenatum cogēdi, & ad eos de Eccleſiarum negociis referendi poteſtatē haberet, ita plane, vt neque illi ſine huius, neque hic ſine illorū cōſenſu atque auctoritate grauius quicquā gereret: itē vt ſi creandus eſſet aliquis epiſcopus, eo preſente atque actore crearetur: ſin ipſe creandus, ab ipſa Synodo duntaxat: ſin abdicādus, de cōmuni totius ſenatus ſententia remoueretur. vide Antiocheni Cōcilij κεφαλ. θ. κεφ. ιϛ. Niceni κεφ. ζ. Conſtātinopolitani β. Epheſienſis vltimum: quibus in locis Metropolitani modo ἀρχιεπίσκοποι appellantur, modò πρῶτοι modò πρωτεύοντες, modò προεστῶτες, modò πατριάρχαι. Vide infrà PATRIARCHÆ.

METVIRI, pro metui, ſcribitur in Pand. Florent. l. 26. §. pater. D. de pigno.

METVS, eſt inſtantis vel futuri periculi cauſſa mentis trepidatio. l. j. §. j. D. quod met. cauſ. Vel ſic; Demiſſio animi propter expectationem futuri mali. Ariſtot. lib. 3. Et hic κακοῦ προσδοκίαν definit. Et paulo poſt: φρικτὴν ἢ μέλλοντος κακοῦ προσδοκίαν, & tam actiuè, quàm paſſiuè ſumitur. Nam metus hoſtium rectè dicitur, & cum timent hoſtes, & cum timentur. Eſt autem quintuplex. Primus minarum, qui non parit actionem: quòd minæ non incutiunt terrorem. Secundus facti, quando præuerſatur periculum ſalutis, vel cruciatus corporis: & is cadit in conſtantem virum. Tertius potētiæ, qui ſcilicet incutitur à principe, magiſtratu, ſuperiore, &c. ſubditis. Quartus reuerentiæ, vt libertus habet erga patronum filius erga patrem, vxor erga maritum, &c. Quintus eſt perfidiæ, vt cum aliquis promouetur ab alio, quia timet eius perfidiam. Zaſius in tit. Inſtit. de

actio.§.quadrupli.Rectè igitur Iulius Scaliger Metum παρὰ τὸ μέλλειν deduxit,quod ex eo amittatur conſtantia,& omne conſilium abiiciatur.

Metus cauſſa abeſſe videtur, qui iuſto timore mortis, vel cruciatus corporis cõterritus abeſt.Auctor Vlp.l.3.D. ex quib.cauſ.maio.

Mevm rectè nomino,in quo ius habeo: ſic ruſtici agrũ quem colunt,ſuum eſſe dicunt.l.cum aliquis.C.de iure deliberan. Meus ager accipitur,etſi in eo vſumfructum,vel partem alienauero.l.2.D.de conditionibus inſtit. Meum etiam rectè dicitur, quod commune mihi cum alio eſt.l.illud dubitationis.D.de rit. nupt.l.ſerui electione.§.j.D.de lega.l.j.& ibi Bart.interdum refert inter meũ & cõmune.l.legatis vxoris. D.de legatis.2.Meum eſſe, quòd ex re mea ſupereſt, cuius vindicandi ius habeo, Celſus ait.l.ſolum.D.de rei vind.Meum id dicere poſſum, in quo mea vtilitas conſiſtit.Vide gloſſ.in l.prætor.D.de edend. Meum quandoque demonſtrat, quãdoque taxat, quandoque conditionem facit.l.nuper.de leg.3. Meum,& Tuum, duo pronomina, ſi è medio tollerẽtur,homines quietiſſimè viuerẽt,iuxta Senecã.Denique Meum, Tuum, Suum,regulariter denotant non ſolũ directum dominium,ſed etiã quaſi dominium.l.ſeruos autem ſuos.D. de leg.3.l.Q.Mutius.§.argento.D.de aur.& argen.leg. Itaque.

Meorum,Tuorum, Suorum appellatione non ſolum intelliguntur quæ noſtra ſunt,ſed etiam ea in quibus ius aliquod habemus.

Meorum & tuorum appellatione continentur actiones: quia & hæ in bonis ſunt.l.30.§.j.D.ad Treb.l.49.in fi.l. 91.D.de verb.ſign.

Mea veſtis intelligẽda eſt,quam in vſus meos habui.l.27. §.ſi quis addiderit.D.de aur.& arg.leg.

Migrare inquilini dicuntur, cum exacto locationis tempore & habitatione cum ſuis rebus illatis inductis,diſcedunt,vnde Rubrica.D.de migrando.Notat tamen in Comment.Verrinæ III.Hotom.Ciceronis & Plauti locos,in quibus Migrare vſurpatur pro vaſis relictis ad tẽpus diſcedere. Exire verò pro vaſa efferre.Itaque(ait Cicero)iſte hoſpiti infenſus, hoſpitium ei renuntiat,domo eius emigrat,atque adeo exit.nam iam ante migrarat.Quando autem migrare ſolerent inquilini,vide ſuprà Kalendæ Iuliæ.

Miles appellatur vel à militia, id eſt, duritia quam pro nobis ſuſtinent:aut à multitudine:aut à malo quod arcere milites ſolent:aut à numero mille hominum;ductum à Græco verbo,tractum à tagmate. nam Græci mille hominum multitudinem τάγμα appellant: quaſi milleſimum quenque dictum: vnde ipſum ducem χιλίαρχον appellant.l.j.§.j.D.de teſtam.mil. Hinc Milites dicebantur, qui ſacramento militiæ obſtricti, cincti, & in numeros relati eſſent.l.milites.§.miſſionum.& l. vlt.D.de re militari.l.miles.D.de adul.l.2.de vet.l.filiusfamilias.l.Titius.D.de milit.teſtam. Sed quod in l. vn.in fi.de bon.poſſ.ex teſt.mil.ſcribitur, Militem eſſe quanuis in numeris non ſit, ad eum pertinet, qui ex vno numero vt in alium reponeretur exemptus, eò nondum peruenerit, interim enim miles eſt. quanuis non ſit in aliquo numero.

Militum appellatio poſtremis temporibus quaſi pro ſingulari Imperatorum beneficio ad eos tranſlata eſt, qui in pace & ocio, procuratione aliqua Reipub. fungerentur.quod tamen non omnibus,ſed certis duntaxat honorib.tribuebatur.vnde Inſt.l.3.de numerariis, libro Codicis.12.Numerarios,inquit, ampliſſimæ tuæ ſedis cingulum habere, & militiæ ordinem tenere iubemus.Idem eod.tit.Nemini licere deinceps iubemus in quacunque militia connumerato, ſolicitudinem actuarij ſubire,vel poſt depoſitam eandem curam ad militiã aſpirare:quatenus inter priuatos agens, omníque militari priuilegio denudatus, nihil nundinationis vel fraudis circa commendata ratiocinia, quibus obnoxius eſt,attentare valeat. Harum autem militiarum aliæ Palatinæ dicũtur,eorum ſcilicet qui in Principis palatio muneri alicui præfecti erant:aliæ Comitatenſes,eorum qui in eiuſdem erant comitatu: aliæ Prouinciales,eorum qui prouinciarum magiſtratibus apparebant.quibus omnibus aditus etiam mercatoribus atque negotiatoribus patebat:duntaxat,qui ſordidorum opificum numero nõ eſſent:quales ſunt fabri, & alij omnes qui in ergaſteriis,id eſt officinis operariis exercentur, aut merces venales quotidiani quæſtus cauſſa proſtituunt:vti patet ex l.antepen.C.de cohortal. Hinc Milites,inquit Iuſtinianus, appellamus eam eos, qui ſub excelſis magiſtris militum tolerare noſcuntur militiam,quàm qui in vndecim deuotiſſimis ſcholis taxati ſunt, necnon eos, qui ſub diuerſis optionibus fœderatorum nomine ſunt decorati.l.vlt. D.de loc.& conducto. Itaque:

Militia duplex in libris noſtris reperitur: vna Armata,quæ belli cauſſa ſuſcipitur:de qua mentio fit in l.j. C.de iuris & facti ignorantia.l.18.D.de re iud.l.4.C. qui dar.tut. altera verò Ciuilis, quàm ſic deſcribere poſſumus: Miniſterium in obeundis Principis negociis,cuius cauſſa ſalaria & cõmoda ab ipſo tribuuntur.

Militiam vrbanam Cicero,patronorum, qui poſt Aduocati dicti ſunt, labores & aſſiduitatem appellat: non affirmans,vt quidam putant, ſed eos eludens potius, cum ita res & tempus poſtularet. In Murænianа enim ſic loquitur:Seruius hic,inquit, nobiſcum hanc vrbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cauendi, plenam ſolicitudinis & ſtomachi ſecutus eſt,ius ciuile didicit,multum laborauit, præſto multis fuit Sed Imperatores quidam poſtea nihil ſimulantes, in l.14.C.de aduocatis diuerſorum iud.ſic locuti ſunt: Nec enim ſolos noſtro imperio militare credimus illos, qui gladiis,clypeis & thoracibus nituntur,ſed etiam aduocatos.militant nanque cauſſarum patroni, qui glorioſæ vocis confiſi munimine laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt.

Militiæ caſus, cum alicuius militia, hoc eſt munus alicuius eorum qui publica Principis negocia gerunt, per eius mortem cecidit: quaſi dicas caducam militiam. Conſtitutum igitur fuit, vt milite aliquo mortuo, liberi vel vxor, vel hæredes eius, de commilitonum ſententia (vel vt vſitatis verbis vtamur, ex communi eorum qui in eadem ſchola, id eſt ordine, ſtatuti ſunt, placito) beneficium aliquod à principe impetrarent:vel eis à ſubrogato aliqua numeraretur pecunia.Hoc beneficium ſeu commodum Caſus militiæ dicebatur præciſè, pro Commodum caducæ militiæ:quod non hæreditatis iure, ſed priuilegio & beneficio Principis tribuebatur. Vide l.ſi quis.11. C.de prox.ſacr.ſcrin.cæteríſque qui in ſacris ſcrin.militant.lib.12.l.vlt. C.de pignor.l.omnimodo.30.§.vlt. C.de inoffic.teſt.

Miles in libris Feudiſticis & Vaſſallus ſynonyma ſunt. Itaque miles & ſenior tanquam relata opponuntur:vt lib.3.tit.j.§.j.Ad reconciliandos animos ſeniorum & militum.Et §.2.Si contentio emerſerit inter ſeniorem & militem.Feudum quippe clientela militaris eſt:qua de cauſſa beneficia feudalia propriè dicuntur ea, quæ militibus attribuuntur.Albert.Krantz.lib.Dan.6.c.19. Omnis inter regem Daniæ, & Adulphum Holſatiæ comitem controuerſia ſuſtollitur:& primum amicus, deinde miles etiam Regis cõſcribitur. Porro qui Romanorum mos fuit in militari cingulo certis attribuẽdo,cæteríſque qui euincti non eſſent, à militia prohibẽdis,eundẽ à Barbaricis retentũ atque vſurpatũ fuiſſe docet

docet Hotom.diſp.Feud.ca.23. Tantum in cinguli iure Romani poſuere, vt ſi quis in caſtris diſcinctus verſaretur, aut vallum ſubiret, piaculi inſtar haberetur: cuius rei exemplum extat apud Corn.Tacit.lib.11. qua de cauſſa qui ſub iugũ mittebãtur diſcincti erãt, vt Feſtus lib.9.demonſtrat. Amm.Marcellinus lib.22. Proſequere, ait, mulier, ſi quid te læſam æſtimas. hic enim ſic cinctus eſt, vt expeditius per lutũ incedat. Neque illud prætermittendum eſt, quod Frid.11.conſtit.ſancitum eſt, ne cui militare liceat, niſi quis vel de militari genere ſit, vel militarem ordinem ab Imperatore impetrarit. Neapol.conſtit.lib.3.tit.59.& tit.60. Itaq; Petrus de Vin.lib.Epiſt.6.c.17. Quanquam (inquit) pater ſuus miles non fuerit, & noſtris conſtitutionibus caueatur, quòd milites fieri nequeant, qui de genere militũ non naſcuntur: ipſe tamen de culminis noſtri licentia decorari valeat cingulo militari mandamus. Vide & Neapol.conſtit.lib.2. tit.32.

Miles caligatus, à caliga, hoc eſt, tibiarum tegumento, quo crura ſolebant armare milites infimæ conditionis, l.8.D.de cuſtod.& exh.reor. Sunt qui Caligatorum nomine omne militum genus, à militari caliga accipi contendant: ſed eo potius crediderim cenſeri eos qui promotionem in exercitu nullam haberent. Caliga verò fuit calceamentum, quod ferreis clauis multiplicibus muniebatur.

MILITIÆ nomen videtur etiã pro annonis ſalariiſque ſumi, quæ armatam vel inermẽ militiam exercentibus publicè præſtabantur, vt l.22.D.de leg.2. Lucius Titius in teſtamento ſuo Publio Mæuio militiam ſuam reliquit, ſiue pecuniam eius quæcunque redigi ex venditione eius potuerit. Sic l.49.§.j. D.eod.l.11. §.ſi ſeruo.l. penul.& vlt.D.de legat.3.& aliis multis locis.

Militiæ genera tria, videlicet, ſacramentum, coniurationem, & euocationem, Seruius in octauo Æneidos declarat. & Bud.in annot.ad l.j.depoſiti.

Militia armata ad differentiam palatinæ, l.6.18.D.de re iudica.l.j. C.de iur.& facti ignor.

MILITARE ius, Iſidoro lib.5.cap.7. belli inferendi ſolennitas, fœderis faciendi nexus, ſigno dato cõgreſſio in hoſtem, vel commiſſio, item ſigno dato receptio, flagitij militaris diſciplina, & id genus alia quæ ad rem diſciplinámque militarem pertinent. At militare ius in tit.de mil.teſtam.ius eſt militum proprium, quo eis teſtari prout libuerit, Impp.conſtitutionibus conceſſum eſt.

Militare delictum, quòd quis vt miles admittit, l.6.D.de iniuſto, rupt.& alibi ſæpe, & in legibus militaribus, quas Iuſtinianus Græcè edidit, qui libellus etiamnum extat.

Militares viæ, id eſt publicæ, apud Paulum declarantur in l.vlti.de loc.& itin.publ.

MILITARITER, id eſt, militari modo, l.4.§.qui poſt. D.de re milit. Et Militariter ornatum dixit Tacitus lib.16.Annal.

MILIARENSES, nummorum genus, qui militibus erogari ſolebant, l.fin.C.de palat.ſacr.larg. & Nouell.105. Epiphanius, *τὸ ἄργυρον τοῦτό ἐστιν, ὃ οἱ ῥωμαῖοι μιλιαρίσιον καλοῦσιν, ὃ ἑρμηνεύεται στρατιωτικὸν δόμα.*

MILIARIVM, columna aurea in capite Romani fori ſtatuta: de qua Plinius lib.3.cap.5.ſic ſcribit: Roma diuiditur in regiones quatuordecim, compita larium CCLXV. paſſ.eiuſdẽ ſpacij menſura currẽte à miliario in capite Romani fori ſtatuto ad ſingulas portas, quæ ſunt hodie num.37. Cornel.Tacitus lib.17. Otho innixus liberto per Tiberianam domum in velabrũ, inde ad miliarium aureum ſub ædem Saturni pergit. Huius meminit Macer l.154.D.de verbor.ſignificat. Mille paſſus non à miliario vrbis, ſed à continentibus ædificiis numerandi ſunt. Hanc columnam Dio lib.54.ab Auguſto primum erectam tradit. Ab hac autẽ omnes Italiæ viæ initium & finem capiebant.

MILIARIVM vas aquæ calfaciendæ paratũ, vti docet Athenæus lib.3. *τὸ μιλιάριον*, inquit, *καλούμενον ὑπὸ ῥωμαίων τὸ εἰς θερμοῦ ὕδατος κατεργασίαν κατεσκευαζόμενον.* Hinc Miliarium cõcinnatorium, quod nihil eſt aliud, quam aenum in quo aqua ad potandum calefit, l.cum de lanionis. §.item cacabos. D.de inſtr.vel inſtr.leg. Sed in balneatorio inſtrumento Paulus miliaria etiã numerat, in quibus ad lauandũ aqua calefit. lib.3.Sent. tit.9. Aenum etiam id in quo aqua calida lauatur olea, l.ſed addes.§.item aenum.D.locat. miliarium appellari poteſt. De miliario argenteo meminit Vlpia.l.19.§.5. D.de aur.arg.& mund. Perperam autẽ & ſine vllo auctore Beroaldus, Nebriſſenſis & Accurſius Miliarium vas eſſe tradunt ad milium coquendum.

MILLIARIVM, vel milliare, à mille paſſibus, dicitur ſpacium itineris: quod quia lapidibus diſtingui ſolet, ſæpe dicimus ad vigeſimum lapidem, hoc eſt, ad vigeſimum milliare, l.154.D.de verbor.ſignif.

MINÆ, id eſt, comminationes, & metus incuſſiones per verba, aut ſigna, non rarò iuſtum metum faciunt. De quo vide Bart.in l.j.§.quæ onerandæ.in fi.quar.rer.act. non dat.

MINERA. Hæc maiore conſenſu, ſiue cõmuni, vt aiunt, opinione interpretum, in regalibus, terræq; fructibus numeratur. c.j.in verbo Argentariæ.in vſib.Feud. l.diuortio.§.ſi via.ſolut.matrimon.l.3.§.fin.cum ſeq.de rebus eorum, qui ſub tut.non alien.

MINARE, verbum frequens apud D.Hiero. & in legib. antiquis Lãgob. Burgundionũ, Alamannorũ, & in lege Salica, agere, & ante ſe pellere ſignificat: Hinc Anianus: Actus, qua pecora minare conſueuimus. Apuleius lib.3. Nos duos aſinos minãtes, baculis exigũt. Sic Auſonius de Myronis bucula; *Ageret iuuencas cũ domum paſtor ſuas, Suam relinquens me minabat ut ſuam.* Ita enim legẽdum. Dicitur & Prominare, lib.5. apud Apul. & li. 7. Comminare. Hinc Gallis, *Mener & Proumener.* Hæc adſcripſi, quoniam in Lexicis non reperias.

MINICVLATOR, vel minicularius, Corporiſta vulgo eſt, qui capitales literas, id eſt, maiuſculas ſcriptis libris minio aut rubrica præponit, minióque inficit: Vlpia.de oper.liber.l.vt iuriſiurãdi. Si fortè, inquit, librarius, vel miniculator, vel calculator, &c. ita enim eo in loco legendum eſt. & vide l.3.C.Th.de indulg.debit.

MINISTER nudus, merus executor eſt, vt Bart.docet in l.ſi quis Titio.de leg.2. Quamuis Iuriſconſ.ſimpliciter miniſtrum legatario oppoſuiſſe videtur. Quod minimè interpres animaduertit, quíve ſecuti ſunt eum.

MINISTERIA municipalia, militaria, publica, prætoria, dicimus pro ipſis miniſtris, l.7.D.de offi.Proconſ. l.6.§.illicita. D.de offic.præſid.& paſſim in Digeſt.& ſæpe apud Tertullianum. Miniſteria etiam pro mancipiis & ſeruis, l.6.8.D.de pign.l.21.D.de don.& alibi.

MINISTERIALES interdum dicuntur ſerui domeſtici, qui ſuas operas & miniſteria dominis præbent: vt in Spec.Saxon.lib.9.artic.18. Miniſteriales hæreditant, & hæreditatem accipiunt, ſicut liberi, ſecundum ius prouinciale: excepto quòd extra dominium ſuorũ dominorum nemini ſuccedunt, nec habent ſucceſſorem: vt in Lombard.lib.j.tit.8. De aldis & ſeruis miniſterialibus dicimus, qui docti domi & nutriti, aut probati ſunt. Item lib.j.tit.12. Si quis ſeruum miniſterialem probatum (vt ſupra) & doctum domi occiderit, componat ſolid.50. de alio vero ſeruo miniſteriali, quòd ſecundus eius inuenitur eſſe, tantum nomen miniſteriale habet, ſi quis occiderit, componat ſol.25. Interdũ dicuntur homines liberi, qui in potentiorum familia munere & procuratione aliqua funguntur, vt lib.Fud. 2.tit.27.§.pen. Si miniſteriales alicuius domini inter ſe

guerram habuerint, comes ſiue iudex in cuius regimine eam fecerint, per leges & iudicia ex ordine proſequatur. Item lib. Feud. 3. l. Fridericus: Si liber homo, ingenuus, miniſterialis, vel cuiuſcunque cōditionis fuerit, &c. Otto Friſing. lib. Chron. 7. cap. 8. Orta ſeditione Sigehardus comes à familia principum, qui Miniſteriales dicuntur, eò quòd iuſtitiam eorum infringere diceretur, occiſus eſt.

MINIMA cauſſa, quæ duum aureorum tantū eſt, quæve iudiciales ſumptus ferre non poteſt, l. j. D. de dolo. 2. q. 7. Anteriorum. §. illud. Sed & quæ decem libras auri non excedit, hoc nomine venit: de qua in nouiſſimis iuribus tractatur, quæ etiam duos aureos non excedit Alberico. & vide Specul. tit. de dolo. §. j.

MINOR Latinè loquentibus res dicitur quæ mediæ magnitudinis eſt. Hinc minore lance legata in l. qui lancem. D. de aur. & arg. legat. rectè reſpondetur hæredis electionem non eſſe, cum conſtet de lance legata. Sic minorem libertatem dicimus, quæ eſt inter iuſtam & dedititiam. Eodem quoque ſenſu minorem capitis deminutionem appellamus mediam, minorem ordinem equeſtrem. Martial. lib. 4.

Cum plebs & minor ordo, maximúſque.

Th. Hermopolites in l. 150. D. de verbo. ſignific. Minus tria ſignificare ait, τὸ βραδέως, τὸ μὴ παντελῶς, τὸ μηδὲν ὅλως. Si à te, inquit Gaius, ſtipulatus fuero, QVANTO MINVS A TITIO CONSECVTVS FVERO, TANTVM DARE SPONDES?

Minor Langobardico iure dicitur is demum qui decem & octo annis minor eſt. nam poſt eum annum ætas legitima dicitur. In Lombard. de prohibi. alien. min. l. j. §. j. & l. ſi in fratris. & l. de puero.

Minores annorum, vetus locutio, ſæpe à Iuriſc. vſurpata. Varr. lib. De re ruſtic. 1. c. 17. Operarios parandos eſſe, qui laborem ferre poſſint, nec minores annorū XXII.

Minor annis XXV. dicitur in lege Iulia de adult. & in edicto de minorib. is qui agit annum ætatis vigeſimumquintum, vel eius anni extremū diem, momentis quoque temporum ſubductis, l. ſi maritus, 15. §. 3. D. de adul. l. 3. §. minorem. D. de minoribus. At in honoribus fauoris cauſſa inductum eſt, vt minor non ſit XXV. annis, qui XXV. annum agit. l. ad Remp. 8. D. de mun. & honor. l. non tantum. D. de decur. Minor XX. annis in lege Ælia Sentia non dicitur, qui ſupremum diem anni vigeſimi agit, l. j. D. de manumiſſ.

Minores & pupilli damno adfecti, duplex habent remedium: videlicet, vt aut reſtitutionem petant, aut curatores, tutoréſque negligentiæ accuſent. Nouell. de hæredib. & Falcid. §. pupillus ſanè. Conſtit.

Minores magiſtratus dicuntur, l. nec magiſtratibus. D. de iniur. qui ſine imperio aut poteſtate ſunt. vide ſuprà Magiſtratus.

MINVS, vim cōparatiui non ſemper retinet: vnde quod non recepi, rectè dixero minus recepiſſe: & minus tribuere videtur, qui nihil tribuit, l. illud. §. j. D. de trib.

MINTVRNENSES. Ariſto. apud Vlpia. D. ſi ſerui. vind. dicit eum qui tabernam caſeariam à Minturnenſibus cōduxit, ad ſuperiora prohiberi poſſe fumum immittere. Minturnæ oppidum in Campania, habēs propinquas paludes, in quibus Marius delituit, fugiens perſecutionem Syllæ. nunc Taietum caſtellum eſſe dicunt.

MINVERE, pro commutare dicitur. ſunt enim gradus quidam commutandi ſtatum, per quos aliquid de conditione hominis minuitur. Inſtit. de cap. demin. Minui legata l. in quantitate. §. vlti. D. ad leg. Falcid. dicuntur detrahi, quod eſt retineri, deduci, recidi: quod aliud nihil eſt quàm ex lege Falcidia quartæ retentionem eſſe, l. ſeruus quem. D. de action. emptio.

MINVSCVLARII aquæductus, l. decernimus. 10. C. de aquæduct. id eſt min uti & tenuiores, vt in l. j. C. de de-ſenſ. ciuit. l. 3. C. Th. de inde. deb. Auguſt. 7. de ciuit. Dei, cap. 8. Tanquam minuſcularios vectigalium conductores. Paulo poſt in d. l. 10. hi minuſcularij aquæductus, Paragogi vocantur, id eſt, traductiui. Alciatus Muſcularios legit. ſed perperam.

MINVTA alimenta Vlp. interpretatur eſſe decē aureorū annuorū, in l. 3. §. quāuis. Si cui plus quam per leg. Falc.

MINVTATIM, id eſt, per minutas partes non ſunt alimenta legata præſtāda, l. 3. D. de ali. & cib. leg. cū ſimi.

MIRABILEM partū Imp. appellat, qui à maiore quinquaginta annorum editur, l. ſi maior. C. de leg. hæred.

MISCERE contractū, pro facere contractum, & cōtractu cum aliquo implicari. Paul. l. 9. D. de confir. tut. Vel cum fiſco aliquem contractū damnoſum miſcuiſſent.

MISERABILIVM perſonarū nomine, etiamſi opulenti ſint, propter fortunæ iniuriam, veniunt perpetuo morbo detenti, ſenes, valetudinarij, furioſi, mente capti, viduæ, pupilli, orphani, & quæ perſonæ his debent cenſeri ſimiles: quod relinquitur arbitrio iudicis: ex ſententia Bart. in l. j. C. quan. Imp. int. pupill. & vid. ca. ex tenor. de for. comp. Ægroti autem quorum hîc fit mentio, accipiūtur, qui morbo graui ſunt adfecti, propter quem cuilibet rei agendæ ſunt impares, l. 2. §. ſi quis in iudicio. D. ſi quis caut. l. morbus. de verbo. ſign.

MISSA pro ἱερᾷ μυσταγωγίᾳ dicitur à Iuliano Anteceſſore, Nouell. VIII. & LVIII. & Miſſam ſacram facere, vel agere, non canere, quod Iuſtinianus dixerat, τὰ ἱερώτατα πράττειν· & τὴν ἱερὰν ἐπιτελεῖν μυσταγωγίαν. Notatu autem dignū eſt, quod Iuſtinianus ſcribit Nouell. VII. ne res Eccleſ. alien. vt ab eruditis viris obſeruatū eſt, §. ἐπειδὴ δὲ. cultum Dei in Eccleſiis Chriſtianorum duabus rebus conſtitiſſe: recitatione ſacrarum literarum, & cōmunicatione cœnæ dominicæ. ἐν οἷς, inquit, μοναστήριόν τε καθιδρύθη, καὶ ἱερὰ γέγονε λειτουργία ὁποίαν εἰωθός ἐστιν ἐν ταῖς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις γίνεσθαι, τῶν τε θείων ἀναγινωσκομένων γραφῶν, τῆς τε ἱερᾶς καὶ ἀρρήτου μεταδιδομένης κοινωνίας, μοναχικὴ τε ἐκεῖσε γέγονεν οἴκησις. Miſſa autem dicebatur ab antiquis Latinis Theologis pro miſſione: vt remiſſa, pro remiſſione apud Cyp. epiſt. 14. li. 3. Qui blaſphemat in ſpiritum ſanctum, remiſſam peccatorum non habet. Item apud Tertullianum lib. cont. Marcionem: Diximus de remiſſa peccatorum. Namq; veteris Eccleſiæ Chriſtianæ inſtitutū hoc fuit, vt cum in populi conuentu, peractis precibus, habitáque concione, Epulatio ſacra, hoc eſt, Cœna corporis dominici celebranda eſſet, quoniam prophani ad eam nō admittebantur, Diaconus quaſi præconis officio fungēs, pronuntiaret: Si quis nō cōmunicat, det locum. vel ſic Catechumeni exeunto. quod ex Gregorij dialog. lib. 2. c. 2. obſeruatū eſt: & ex Cyril. in Io. li. 12. c. 50. erant autem Catechumeni qui ante baptiſmū, religionis myſteriis initiabantur: vt rectè inſtituti tandē die ſolenni Paſchæ ad baptiſmum admitterentur. Excludebantur etiā Reiecti, ſiue interdicti, quos excommunicatos appellabāt, cū diris, hoc eſt diabolo ad tempus dediti eſſent, itémq; Pœnitētes Itaq; cū illi omnes tanquā profani è ſacro cōuentu remoti eſſent, cæteris Dominica cœna diſtribuebatur. Cæterū de huiuſmodi catechumenis multa paſſim apud veteres theologos, Auguſtinum, Cyprianū, Tertullianū, & alios, quos omnes videre cuilibet licet. Hoc autē vocabulū Miſſa, apud Auguſtinū duobus præſertim locis repertū eſt: nimirū in Serm. de tēpore, 237. Accedendū eſt ad miſſam catechumenorū: vbi orabitur: Remittas nobis debita noſtra, &c. Item altero eiuſdē arg. 91. In hiſtoria, quę ad miſſas legenda eſt. Item apud Ambroſium aliquot locis. Quibus ex locis intelligitur, veteres eum hoc Cœnæ myſterium occultiſſimum, & ab oculis profanorum hominū remotiſſimū eſſe vellent (quod etiā ex illo μυσταγωγίας vocabulo, & ex Theodoreto aliiſq; veteribus

intelligitur

intelligitur)inſtitutum hoc tenuiſſe,vt conſequentem actionem ex antecedenti deſignarent:vt qui recte inſtituti eſſent,hoc quaſi ſymbolo intelligerent ſi quãdo miſſam factum iri diceretur, fore vt eo die μυςαγωγία, id eſt Cœna celebraretur.vnde vetus illa formula, *Ite, miſſa eſt*: hoc eſt.Exite, qui communicaturi non eſtis. Hodie miſſio vobis indicta eſt. Hinc in Laodicena ſynodo,μετὰ τὸ ἐξελθεῖν verbis,Miſſa auditorum ſignificatur:& his,καὶ τούτων προσελθόντων καὶ ὑποχωρησάντων,miſſa pœnitentium,quam ſequebatur fidelium admiſſio atque dimiſſio. Non abſimilem porro miſſionis formulam paſſim tota Græcia vſurpari ſolitam, in iis ſacris quæ Eleuſinia vocabantur, Suetonius in Nerone teſtatur,vbi ſcribit, Præconis voce impios & ſceleratos ſummoueri ſolitos fuiſſe: eáque territum Neronẽ, intereſſe iis ſacris auſum non eſſe. Apuleius lib.vlt. Vnus quem cuncti Grammatea dicebant, renuntiat ſermone ritúque Græcienſi, λαοῖς ἄφεσις.quã vocẽ feliciter cũctis euenire,ſignauit populi clamor inſecutus.

ΜΙΣΘΩΤΗΣ, qui aliquid conductum habet.Modeſt. in l.49.D.locat. οἱ ἐπίτροποι γινόμενοι μισθοῦσθαι καίσαρος γήδιον κωλύονται:id eſt,Curatores creati prohibentur aliquid à Cæſare conductum habere.Et paulo poſt, ἀλλὰ κωλυόμενοι μισθοῦσθαι καὶ παρὰ τοῦ ταμίου χωρία. Sunt prohibiti fiſci poſſeſſiones conducere.

MITRA, muliebre capitis tegumentum. nam Vlpianus mitras magis capitis tegendi quàm ornandi cauſſa comparatas ſcribit,l.23.§.j. D.de aur.arg. ſed eiuſmodi tamen tegmen erat,vt ornatum quoque afferret. nam idem Vlpian.in l.25.§.4.eiuſdem titu.inter ornamenta muliebria mitram & ſemimitram recenſet.

MITTENDARII, l.3.7.& 8.C.de palat.ſacr.largit.& apud Caſſiod.lib.11. Variar.dicebantur, qui iuſſu Comitum ſoli vſu exigente in prouincias mittebantur.

MITTERE in poſſeſſionẽ Prætor dicitur, cùm ſeruandi crediti cauſſa,vel dotis,legatorúmve,nomine, dãnive infecti cauſſa rerum cuſtodiam alicui mandat: non vt poſſideat,ſed vt in poſſeſſione ſit,l.j.D.quib.ex cauſ.in poſſeſ.l.3.§.vlt.& l.10.D.de acqui.hære.l.26.& 27.D.de iudic.l.j.D.de fund.dotal. Verbi gratia, cõtendiſti mecum, fundum Caſtellanum eſſe tuum, & probaſti. Iudex per executorem mitti te in poſſeſſionem,id eſt,facit te poſſeſſorem.Item,volui agere cum Titio,qui citatus noluit venire ad iudicium: Iudex me mittere debet in poſſeſſionem fundi,quem petebam,non vt poſſideam,ſed vt cuſtodiam rem,& maneam in fundo: vt ipſe Titius tandem tædio affectus veniat, & litẽ ſuſcipiat,donec probauero illam rem eſſe meam. Vide gl. fi.in c.contingit.de dol.& cont.quod operatur miſſio in poſſeſſionẽ in actione reali & perſonali ex primo & ſecundo decreto. Et nota quòd Prætor miſſionem in poſſeſſionem ex ſecũdo decreto ſibi ſpecialiter reſeruauit, & ſic legatis aut ſubdelegatis non eſt cõceſſum dare vel confirmare miſſionẽ in poſſeſſionem, vt no.in gl.fi.ca.quod tranſlationem.de offi.deleg.de hac materia vide in c.quoniam frequẽter. vt lit.non cont. circa med.vel poſt.& glo.in c.contingit.præal.vide tit. D.quib.ex cauſ.in poſ.eatur.Sic Mittere in poſſeſſionẽ nomine ventris,eſt mittere in poſſeſſionem nomine eius,qui eſt in ventre:vt cũ mulier prægnãs mittitur in poſſeſſionem nomine filij vel filiæ hæredis, quem vel quam habet in vtero ex marito præmortuo. Et nota, Ad hoc,quòd iudex actorẽ mittat in poſſeſſionem, vel bona vendat,vel eum ſoluat,requiruntur quatuor neceſſaria. Primò, ꝙ citet reum abſentẽ trina citatione vel vna peremptoria ad demũ.Si nõ reperitur, citẽtur amici vel affines generali interdicto. Et ſi nõ cõparet aliquis procurator vel defenſor,ex primo decreto,ſeu mãdato,mittitur actor in poſſeſſionẽ cauſſa rei ſeruãdæ:quæ miſſio nõ tribuit ius,ſed ſolũ detentionem, vt reus tædio affectus veniat reſponſurus. Quare dicitur poſſeſſio tædialis ex primo decreto. Secundò requiritur congruũ tẽpus inter primã & ſecundã miſſionem, quod eſt arbitrarium,poſtquàm in iure non inuenitur determinatũ,vel annale,&c. Tertiò,quòd abſens malitioſè noluit cõparere, & animo fraudãdi creditores. Secus ſi malitioſè tantũ,videlicet propter maleficium aliquod,nõ tamẽ animo fraudãdi. Quartò, ꝙ cõſtet de debito legitimè per veras & plures probationes. Nec ſufficit iuramentũ calũniæ,cũ agitur de magno præiudicio rei abſentis. quibus omnibus habitis, mittitur actor in poſſeſſionẽ verè ex ſecũdò decreto. Et ſic miſſus in poſſeſſionẽ,habebit omne ius dominij vel quaſi, quod habuit reus:imò reus poſtea nõ eſt audiẽdus, niſi nõ fuiſſet per cõtumaciã abſens,vt in c.cõſultationib. de offic.deleg.cuius eſt hæc materia.& ibi glo.bona.

Mitti ad iudicem,l.8.l.9.D.de lib.cauſſ.l.2. D.de quib.reb. ad eund.iud. Mitti ad arbitrum, l.j.§.cum dicitur. D. ſicui plus. Mitti ad actionem,l.26. D.de ædil.ædict. & remitti ad interdictum, l.j.§.ſed ſi. D.vti poſſid.& remitti ad ius ordinarium, l.j.§.j.D.ſi mul.vent.nom.

MISSI qui ſunt ad gratulandum principi,reipubli.cauſſa abeſſe dicuntur, teſte Paulo in l.qui mittuntur. D.ex quib.cauſ.maio. Miſſos pro vocatis in l.vltim. D.de muner. Accurſ.intellexit, cùm Bud.teſte, ſignificet tranſmiſſos & præteritos.

MISSIONIS pro dimiſſione tria reperiuntur genera apud Iuriſc. Honeſta, quæ emeritis ſtipendiis, legitimóq; militiæ impleto tempore indulgetur ab Imperatore, quã alij auctores iuſtam appellãt. Cauſſaria, cum quis animi vitio, vel corporis minus idoneus militiæ renuntiatur,& militiæ laboribus ſoluitur. Hinc Cauſſarij milites. Ignominioſa, cum quis propter delictum ſacramento ſoluitur, & in qua qui mittit addit nominatim ſe ignominiæ cauſſa mittere, Vide l.13 §.2. D.de re milit.& l.2.§.2.D.de his qui mitt.

MISSILIA, munera quæ in vulgus iactãtur à magiſtratibus, principibúſve ludos edentibus, vtputa bellaria, linea,odores,vnguenta,l.9.§.pen. D.de acq.rer. do.l.8. D.de contra. emp.§.pe.Inſtit.de re.diuiſ.de quibus ſic Martialis lib.Epigram.8.

Omnis habet ſua dona dies,nec linea diues
Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.

Notandum autem hæc olim à Conſulibus ſolita ſpargi: ob idque quancumque ſparſionem, poſteriores ὑπατείαν dixerunt. Vide Nouel.

MISSIBILIA Iuſt.in Nouell. de armis quæ manu mittuntur,& procul iaciuntur. Sic apud Vegetium legendum variis locis.

MIXTÆ actiones, duorum ſunt generum. quædã enim tam in rem,quàm in perſonam ſunt, vt familiæ erciſcundæ, &c.§.quædam.Inſtit.de act. Item quæ partim rem,partim pœnam perſequuntur.§.ſequens. Inſt.eo.

Mixtum imperium,vide ſup.Imperium.

Mixta interdicta, quæ & prohibitoria & exhibitoria, l.j. D.de interd.

Mixta conditio, Vide CONDITIO.

MIXTVRA,l.82.D de cond.& demon.l.30.D.de vſucap.

Μνηςὴρ ſponſus, qui matrimonio vinctus eſt, l.j.D.de excuſ. artif.

MOBILES res, propriè ac præcipuè appellantur, quæ anima carẽt,vt vaſa,veſtes,& alia id genus: Mouentes verò,quæ per ſe mouentur, nimirum animalia, ſerui, quadrupedes,pecudes:& ita hæc duo ſeparantur l.j.D. de ædil.edict.l.4.C.famil.erciſ.l.pen.C.de iure dot. l.2. & l.3.C.de quadr.præſcri. Interdum tamen promiſcue vſurpãtur,& Mobilium nomine animalia intelliguntur,l.j.D.de rei vindic.l.3.§.Nerua. D.de acquir.poſſeſ. Mouentium verò idem quod mobiliũ appellatione, continetur, ſi non appareat teſtatorẽ animalia duntaxat, quæ per

quæ per ſeipſa mouentur, mouentia vocaſſe, l.93. D.de verb.ſig.l.15.§.in venditione.D.de re iud.l 22. §.vlti. D. de vſufruct.leg.& alibi.

MODERAMEN inculpatæ tutelæ, l.j, C.vnde vi, vt vulgò dicitur, tunc fieri intelligitur, quando quis illatam vim ita propulſare cogitur, vt periculum rerum ſuarũ aliter effugere non poſſit. Quæ defenſio vſqueadeò permiſſa eſt, vt is qui vim inferre non veretur, etiam impunè occidi poterit, ſi nulla alia ratione fugæ ſit locus.

MODERATA caſtigatio, hoc eſt, correctio, emendatio, extra ſæuitiam, conceſſa eſt patrifamilias, l.reſpiciendum.§.furta.D.de pœn. Docenti leuis caſtigatio permittitur.l.ſed & ſi quemcunque.in fi.& l.ſeq.D.ad leg. Aquil. Adde l.3.C.de patr.poteſt. l.cum oportet. §.non autẽ.C.de bonis quæ liberis.l.j.C.de emend.propinq.

MODERATOR, prouinciæ rector, quem Græci ἁρμοστὴν vocant, de quo in C.& vide Nouel.28.& 102.

MODIATIO tritici menſuram ſignificat, l.cum non frumentum.C.de vſur.& l.emptionem. C.de rer.permut, & l.11.C.de naufrag.& l.j.C.de annon. & aliis multis locis. eadem forma qua ponderatio in l.ſi olei.C.loc. Caſſiodorus lib.4. Modiationem tritici, quam ſub hac ſorte periiſſe probauerint, proſecutoribus ſine aliqua faciat cunctatione reputari. Male autem quidam Modiationem penſitationem eſſe frumenti: rurſus malè hanc penſitationem eſſe quinquageſimam, ex l.9.C.de ſuſcept. hæc enim quinquageſima ἐπίμετρον eſt. Malè etiam modiationem alij ad æſtimationem numerariam referunt in lege Rhodia, εἶναι τὴν χολάδα τ̃ μοδισμοῦ χρυσίνων πεντήκοντα, quæ manifeſto nauem capacem modiorum mille, æſtimat aureis L.

MODICA coërcitio leuis caſtigatio, l.final. D.de offic. eius cui manda. veluti fuſtium admonitio. Flagellorũ certè atrox animaduerſio caſtigatióque habetur, l.24. §.vlt. D.de vſufru.l.15.§.ſi commun. D.de iniur.l.11. D. officio proconſ.

Modica ſumma in iure, quandocunque duo aurei accipiuntur, l.idem.10.D.de dolo. Quandoque quarta pars eius de quo agitur, l.ſi quis in ſuo.1. D.de inoffic,teſta, quandoq; quod intra ſextam eſt, l.ſocietatem. §.arbitrorum.D.pro ſocio. Quandoq; quod minus centum aureis eſt. Quandoque quod 10.libras non excedit, l. ſed & ſic.§.j.de iudi. Modicam ſummã item accipimus, quam ex qualitate perſonarum ius dicentis religio cõſtituit. Nam & pauperi viro maximũ erit, quod locupleti & aſſiduo modicum, l.legitimos. D.de legit.tut, vide Bart.in l.ſed & ſi ſuſceperit.§.j.in fi.D.de iud,

Modicum tempus quandoque 10.dierum eſt, vt l.promiſſor.D.de conſtit.pecu.quandoque xxx.l.j.§.hoc interdicto.D.de itin.act.pr.quandoq; quatuor menſium, l, ſi debitori.D.de iud.quandoque trium, aut quinq; dierum, l.& ſi plures.D.ſi quis caut. quandoque quinquenium, l.j.D.de ſepar.quandoque duorum menſium, l. ſancimus.C.de fideiuſ.quandoque trium, l.de operis. C.de oper.priuat.quandoque relinquitur arbitrio iudicis, l.ab hoſtibus. §.ſed quod ſimpliciter. D.ex quibus cauſis maio.

MODVS, aliàs certam menſuram, & ſpacium agri ſignificat, vt in tit.ſi mẽſ.falſ.mod.dixe.l.40.D.de cõtr.emp,

Modus, aliàs denotat formam quandam certa ratione determinatam. Vt modus legati: modus vſurarum: modus manumittendi, l.demonſtratio.§.fin. D.de condit. & demonſtr.l.j.& 2.C.de iis quæ ſub mo.l.placuit.D. de vſur.& §.cum ergo.Inſtit.quib.ex cauſ.manumi. nõ lic.& hac ſignificatione modus propriè eſt ratio, quæ iubet, Ne quid nimis. Item, Feſtina lentè.

Modus olei & aquæ, l.32.de act.emp.l.j.D.de aqua quotid.

Modus lege Falcidia conſtitutus legatis, l.j.l.81. D.ad leg. Falcid.quæ ita cuique legare permiſit, dum ne minus quarta parte hæreditatis apud hæredem remaneat. & vide Paul.in libris recep.Sent.

Modus l.4.§.j. D.de ſerui.adiici dicitur ſeruitutibus, cum definitur quo genere vehiculi per quam partem eatur fundi agatur, qua hora, quibus temporibus, qua parte aqua ducatur, l.13.§.j.D.de ſeruitut.ruſtic.l.11. D.quemadm.ſeruit.amit. Itaque apud Iuſtin.Inſtit.de vſuf. §.finitur.non vtendo per modum, id eſt, ſecundum legem quæ dicta eſt in conſtitutione vſusfructus.

Modus pro fine. Hinc ad modum exilij, pro ad finem dixit Papinianus, l.cui neceſſitas.de liber.cauſ.

MODVLI, menſuræ operis admetiendi cauſſa paratæ, quibus ſolent vti architecti. Paul.l.non ſolum.8.§.pen. D.de op.nunt. Sed vt probari poſſit quid poſtea ædificatum ſit, modulos ſumere debet is qui nuntiat. Vide Vitruu. lib.j.cap.2.libro 3. cap.2.lib.4.cap.3. Modulos lingua vernacula poſſumus exponere, *Toiſes*.

Moduli aquarij, menſuræ ad quas aquæ deducebantur: apud Vlpian. l.damni.30.§.j. D.de damn.infect. Frontinus lib.j.de aquæduct. Aquarum moduli aut ad digitorum, aut ad vnciarum menſuram inſtituti ſunt.

MOLÆ multiplices ſunt, puta manuariæ ſeu manuales, quæ manu verſantur: Truſatiles etiam dictæ: ſunt & iumentariæ, aſinariæ, & aquariæ, Iauolen.de fund. inſtru. l.dolia. Molas, inquit, manuarias ſupellectilis, iumentarias autem inſtrumenti eſſe, Offilius ait, Molas aquarias, hoc eſt, aqua verſatiles, ante Iuſtiniani tempora fuiſſe, nondum legi. Is autem in titul.de aquęduct.l.decernimus.molæ aquarię meminit. Quod molis caret, non eſt molendinum, Bald.ait in cap.j.§.ſi quid.de cont.inter dom.& vaſal.de inueſt. De molis, Cato ca,11, rei Ruſtic.

Molæ ſuperior pars, catillus: inferior, meta dicitur, l.18.§. idem conſultus, D.de fund.inſtruct.

MOLES dicuntur ſtructuræ in mare, vel in flumen proiectæ, l.j.D.de impenſ.in reb.dotalib.l.52.§.ante. D.de action.empt. Molem ſingulari numero dixit Vlpia. l.j.§.aduerſus. D.ne quid in loc.public. Idem in l.j.de impenſ.in re.dot.fact. Inter neceſſarias impenſas eſſe, Labeo ait, moles in mare, vel flumen proiectas. Velleius Paterculus lib.2.de Lucullo: Quem ob iniectas moles mari, & receptum ſuffoſſis montibus in terras mare, haud infacete Pompeius Xerxem togatum vocare conſueuerat.

MOLIRI, propriè eſt, quid cum difficultate conari operari, vel facere, ſiue ingenio, ſiue corpore. Macer tamen in l.Diuus.D.de offic.præ.pro perpetrare vſurpaſſe videtur. Item, moliri, eſt moles ad ædificium aliquod coaptare. Vlpian.l.j.de nou. oper.nuncia. Qui fortè in publico, vel in priuato quid molitur. Inde Molitio, ipſe apparatus ædificandi, vt infrà eod.titul. l.ſtipulatio. Molitio, inquit, non impeditur. His, contraria ſunt, Demoliri, id eſt, diruere: & Demolitio, Dirutio.

MOMENTVM propriè eſt punctum, ſiue indiuidua pars temporis: vt cum dicimus hæreditatem ne momento quidem ſubſiſtere in perſona eius per quem acquiritur, l.placet, 79. D.de acquirenda hæreditate. Obſeruatum eſt autem plerunque apud auctores noſtros, Momentum pro hora vſurpari, l.3. §.minorem. D.de minoribus. Vide Cuiac. lib.de diuerſ.temp. præſc.cap.j.

MOMENTI beneficium, ſeu actio apud Iuriſc.eſt celeris reformatio & reſtitutio poſſeſſionis per vim, aut alio iniquo modo ablatæ aut interpellatæ, quia confeſtim & ipſo momento facienda eſt, dilata dominij quæſtione, l.vnic. C.ſi de mom.poſſ.l.j. C.ſi per vim vel al.mod.l.momentaneæ. C.vnde vi. Itaq; Celerem reformationẽ appellant Impp.l.ſi coloni.C.de agric. & cenſ. Rectè igitur momentaria poſſeſſio dicta eſt.

Hinc

Hinc Iſidorus lib.5. Momentum, inquit, dictum eſt à temporis breuitate, vt tam citò quàm ſtatim ſaluo negocio reformetur, nec in vllam partem produci debeat quod repetitur. Hoc autem momenti beneficium per quancunque perſonam poſtulari poteſt, etiam per ſeruum, l.vlt.C.qui legit.perſon.in iud.hab.l.j. C.ſi per vim, vel alio mod.abſ.poſſ.l.4. C.Theo. Vnde vi, & poſtulatur ab eius loci iudice, in quo ſtatus poſſeſſionis perturbatus eſt, l.j.C.vbi de poſſ.agi oport. Eſt verò vſque adeo celeris hæc reformatio (ſic enim appellatur in l.ſi coloni. C.de agri. & cenſ.) vt nec eam appellatio remorari poſſit, d.l.vnic.C.ſi de mom.poſſ. Symmach.li.j.Epiſt.In cauſſis, inquit, quibus momenti reformatio poſtulatur, appellationes recipi nō oportet. Sed nec compenſationes, l.vltim. C.de compenſ. Huius autem actionis alia eſt principalis, alia momenti cauſſa. In hac de erepta poſſeſſione agitur: in illa de proprietate. Vtraque autem ab vno eodémque iudice definienda eſt, vt eſt conſtitutum in l.nulli. C.de iudic. Gregorius li.7.c.100.ſic exponit: Legali prouiſione decretū eſt tam momēti quā proprietatis cauſſam in vno eodémque iudicio debere cognoſci. Cæterū prius de momento, quàm de proprietate cognoſcendū eſt, l.ſi de vi.C.de iudic.& an hæ duæ quæſtiones à iudice ſimul diſceptari & diffiniri poſſint, vide Sym.lib.j.Epi.

Momentaria poſſeſſio, l.1.C.ſi per vim. quæ deiecto ſtatim reddenda eſt. Momentariæ poſſeſſionis interdictum, pro interdicto vnde vi, l.fin.C.qui legi. perſo.l.8.C.vnde vi.

Μονάζοντες, l.quidam ignauiæ.26.C.de decurio.libro 10.qui vitam ducunt ſolitariam.

Monachvs (cui feudum adimi propter monachatum dicitur in lib.Feud.frequentiſſimè) Latine ſingularis, vel ſolitarius dici poteſt, c.placuit.16.q.1. Monachorū, inquit, conuerſatio & vita ſecundum etymologiam nominis ab omnibus diſcrepat. Μόναχος enim Græcè, Latinè ſingularis dicitur. vnde monachum per omnia ſingulariter agere oportet. Hierony.ad Paulinum: Si cupis eſſe quod diceris, monachus, id eſt ſolus, quid facies in vrbibus, quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum? Itaq; memorabile eſt quod ſcribit Theodoritus Eccleſ.Hiſtoriar.lib.4.cap.28. Monachum fuiſſe, qui totos ſexaginta annos neque à quoquam viſus ſit, neque cum quodam collocutus. Monachum Etymol. deducit παρὰ τῷ μόνῳ θεῷ προσεύχεσθαι. quaſi dicat, μόνευχος: vel παρὰ τὸ μόνον ἀρχὴν ἔχειν. ſed ἐκ παραγωγῆς crediderim illam eſſe terminationem, vt μοναχικὸς, μοναχῶ, μοναχόθεν, &c. Monachorum autem initia, qui verè ſint, & ſtatus eorum quis ſit, vide Nouell.3. Nouell.115.Nouel.133.cap.ſi clericus, 16.q.j.Mouachum 20.q.4.tit.extra de ſtat.monach. Hoſtienſem in ſumma: & Hieronymum in vita Pauli eremitæ.

Μοναχεῖον, Monacheon, monachorum conuentus, l.13.C.de ſac.ſanct.Eccleſ.

Monarchia eſt principatus vnius, adminiſtrantis Rempublicam ad vtilitatem communem. Hac politia vſi ſunt Romani primo, & poſtremo tempore. Inde factæ ſunt conſtitutiones, decreta, ſeu placita principum, quæ ſunt in C.& in lib.Nouel. Hæc politia cùm degenerat, hoc eſt, cum ad propriam vtilitatem tendit, nihilque adminiſtrans quærit aliud, quàm ſuis adfectibus deſeruire, tunc conuertitur in tyrannidē, non tam regni quàm regis vitio, vt dixit Cic. Tales aliquādo Deus orbi dedit, vt interim re ipſa agnoſcerentur boni principes. Quid enim animaduertiſſent Romani, & quid poſteritas recordaretur, Octauium Auguſtum fuiſſe optimum moderatorem: niſi Neronem quoque peſſimum experti fuiſſent?

Moneta (vt C.Harmenopulus lib.5. titul.13. definit) καλεῖται τὸ ἀρχέτυπον σφραγιστήριον, ἢ βουλλωτήριον μεθ' ὧν ὁ τῶν ν. τύπος διαχαράττεται). Suidas Iunonem Monetam cultam à Romanis ſcribit quaſi σύμβουλον, quod in bello aduerſus Pyrrhum & Tarentinos de pecunia laborantes ope conſilióque iuuiſſet. In cuius templo nummum cudi inſtitutum fuit.

Moneta vſualis, cap.2.de maledic. Galli vocant Monetam currentem.

Monetarii, qui in moneta publica operantur, l.6.§.j. D.ad leg.Iul.pec.l.2. C.quib.ex cauſ.ſer. pro præmio lib.l.6.C.de digni.lib.12.& apud Vopiſcum in Aurel. Sudas Μονητάριοι.ait, οἱ περὶ τὸ νόμισμα τεχνῖται, vbi etiam ait eos duce Feliciſſimum bellum Imperatore Aureliano excitaſſe: quos tandem ſubiugans, inauditis affecit ſuppliciis. Græci χαράκτας vocant, & falſos monetarios παραχαράκτας.

Monetales triumuiri dicti ſunt, æris, argenti, atque auri conflatores, vt ait Pomp.in l.2 de orig.iur. Obſeruatu dignum eſt, quòd Zaſ.hæc Pomponij verba explanans, indicat, cur æs pro auro dari non erat inſuetum, vt intelligas, l.quid tamen.D.de contrah.emp. & l.ſi id quod aurum.de verbor.oblig. cum ſimil. Vide Triumuiri auro, argento, ære.

Monitio fit ante commiſſum, & eſt neceſſaria, apud Iuriſcoſ.in l.j.§.magiſtratibus.D.de magiſtra.conuen. obiurgatio verò poſt turpe factum.Cic.in lib.de Amicitia. Primùm vt monitio acerbitate, deinde vt obiurgatio contumelia careat.

Monitores, ſerui à colono præfecti, vt operariorum, veluti vinitorum, & aratorum turbam obeuntes, vnumquemque moneant, & ſegniores caſtigent. Vlp.l.8.D.de inſt.vel inſtr.leg. Quæren di veluti homines qui agrum colunt, & qui eos exercent, præpoſitíve ſunt his: quorum in numero ſunt villici, & monitores. Columella lib.j.cap.vlti. Et in turba, inquit, & ſub monitore vinitor opus facere debet. Item, Decurias appellauerunt antiqui, & maximè probauerunt, quòd is numeri modus in opere commodiſſimè cuſtodiretur, nec præeuntis monitoris diligentiam multitudo confunderet. Erant etiam Monitores in ſcena, qui, vt inquit Feſtus, actoribus ſuggerebant, quæ dicturi eſſent. Itémq; Monitores Quint.lib.6.cap.5.ſunt, quos Græci Pragmaticos vocant, qui iura ac fori conſuetudines oratoribus ſummiſſa voce ſuppeditant. Cic.Verr.1. Video mihi non te, ſed hunc librum eſſe reſponſurum, quem monitor tuus hic tenet.

Μονομερὴς condictio dicitur, l.ſi duo. §.idem Iulianus. D.de iureiur. quòd ex hac ſolum parte reo condicatur, qua furis hæres eſt, non & ex illa, qua & fur eſt ipſe, rémque dolo malo contrectauit. Cum enim ita dixiſſet Vlpianus, Et quaſi μονομερὴς condictio dari debet aduerſus furis hæredem. adiecit hæc verba, Nec pati eum iudex debet, ſi cœperit tentare probare furem. non alia de cauſſa quam vt cur dixiſſet quaſi μονομερῆ condictionem furtiuam dari. nobis explicaret.

ΜΟΝΟΜΕΡΩΣ agere, dicitur is, cuius aduerſarius in iudicio non adfuit, id eſt, abſente altera parte: ex quo eremodicium contingit. nam (vt ait Heſychius) ἐρήμοι, μονομερὴς δίκη. Paul.l.vlt. D.ad S.C.Treb. Polycrates fideicommiſſum petierat, & obtinuerat apud Aurelium Proculum Procōſulem Achaiæ. appellatione facta, cum ſolùm Phœbus egiſſet μονομερῶς, victus eſt, ſubaudi Polycrat. Alio tamen ſenſu Μονομερὴς interdū à Rhetoribus vſurpatur, vt cum Fortunac. lib.j. ſic loquitur: Materia μονομερὴς quæ non conſiſtit, eſt eiuſmodi: veluti, cū ex prima tantū parte conſtat. nec quicquam ex ſecunda afferri poteſt: vt ſunt loci cōmunes, verbi gratia: Leno qua parte venturos ad ſe adoleſcētes, ſciebat, nocte foueam fecit occultam, ea iuuenes perierunt: accuſatur quòd cauſſam mortis præſtiterit. hic enim lenoni nulla defenſio eſt. μονομερὴς autē etiam appellatur

appellatur ἑτερημερὴς, & καθ' ἑτερημερίαν.

Monomachiæ genus ſanguinolentum omni modo canonica ſanctio vetat, cap.monomachiam,2.q.4.vbi in fine dicitur,quòd hanc ſectantes,Deum ſolummodò tentare videantur,& in ca.1.extr.de purg. aliquatenus duella tolerari non debere, diffinitur. Monomachiæ meminit Nicolaus Papa in cap.monomachiã. 2.q.4.quam in lege non aſſumendam ſuadet.

Monopoliorvm negociationem naturæ contrariã & damnandam eſſe, optimi legiſlatores probarunt, quòd ſecundum naturam ſemper conati ſunt vt eſſet facilis rerum communicatio. Eſt enim monopolium (quod ἀπὸ τοῦ μόνου καὶ πωλέομαι ducitur) quando penes vnum eſt vendendi poteſtas,hoc eſt,cum vnus,vel (vt fieri ſolet)cum paucis ſecum admiſſis, exercet ac emit aliquod mercaturæ genus,vt ſolus pro arbitrio pretiũ ſtatuat & vẽdat.Is enim augens pretia rerum, ſuæ deſeruit auaritiæ, ac aliis nocet omnibus: tollit verum permutationis, & ſuccedentis contractus emptionis & venditionis vſum. Idcirco rectè prohibentur monopolia,in tit.C.de monop. Hoc verbo etiam Plinius vtitur lib.8.cap.37.de echini cute loquens: Magnum fraus & ibi lucrum monopolio inuenit,&c. Erat & Monopolium oneris vel penſionis genus, quod ab eo exigebatur qui monopolium beneficio principis exercebat.Caſſiodorus lib.2. Qui ita commercium negociationis exerceat, quatenus nec monopolij, nec ſiliquatici,nec aurariæ aliquid penſionis impendat.

Μονξοόνιον, eremus,locus vbi monachi congregantur.

Mons sacer, in l.2.D.de orig.iu.via Tiburtina vltra Anienem,dictus ſacer,quòd Ioui conſecratus eſſet.

Monstrare, probare,l.actor.C.de probat.

Monstrvm, eſt aliquid præter naturam editum, aut procreatum,apud Iuſtinianum,vt Cantiuncula venuſtè explicat, Inſtit.de adoptio.§.minorem natu.inſtar monſtri eſſe cenſuit, qui natu maiores à minoribus adoptantur:cum adoptio naturam imitari debeat.

Monstrosi partus qui ſint in Romuli lege, diſces ex l.quæret.D.de verb.ſig.& l.3. C.de poſtu.hær.& G.Bened.rep.c.Rainutius parte 3.verb.qui cum ad.nu.20.21. & c.de teſtament.

Monvmentvm (vt l.2.§.prætor.& l.42. D.de reli.) generaliter eſt res memoriæ cauſſa prodita: in qua ſi corpus,vel reliquiæ inferantur, fiet ſepulcrum: ſi verò nihil eorum inferatur, erit monumẽtum memoriæ cauſſa factum,quod κενοτάφιον appellatur. Poteſt ergo monumentum purum eſſe: quod probatur l.5. §.conceſſam.D.de don.inter vir,l.6.in fine.D.de relig. Hinc Feſt.lib.11.Quamuis, ait,monumentum mortui cauſſa factum ſit,non tamen ſignificat ibi ſepultum. Cice.ad Atti.Sed ego,ait,quæ monumẽti ratio ſit nomine ipſo admoneor. Ad memoriam magis ſpectare debet poſteritatis, quam ad præſentis temporis gratiam. quod & probatur l.2.§.monumentum. D.de religio.

Mora, eſt culpa prætermittendi officij in ſoluendo recipiendóve debito,quæ alteri damnoſa eſt. Vel ſic: Mora eſt fruſtratio debitoris non ſoluentis, vel creditoris non accipientis. Eius enim duæ ſunt ſpecies:quarum vna in debito non præſtando,altera in non recipiendo quod oblatum eſt verſatur. Mora non præſtandi debiti, eſt culpa debitoris prætermittentis ſoluere,quòd ſoluere & debuit & potuit:cum aliquo creditoris incommodo coniuncta. Mora non recipiendi debiti, eſt culpa creditoris non recipientis ſolutionem, quæ à debitore idoneè oblata eſt, vnde aliquid incommodi ad debitorem peruenit.

Moram videri fieri definit Paulus lib.3.Sent.titu.fin. cum poſtulanti non datur. Itaque vbi nulla petitio eſt, ibi mora committi non intelligitur,l.89.D.de diuerſ.reg. iur. Quod ſic accipiendum videtur,vt à quo exceptione aliqua pecunia peti non poteſt,is moram facere nõ videatur, vt Paulus tradit in l.40.in fin. D.ſi cert.pet. quanquam id alij aliter exponant. Sed planè moram feciſſe videtur. qui litigare maluit, quàm reſtituere,l. 82.in fin.D.de verbor.oblig. niſi ſi ſine dolo malo fruſtrationéque ad iudicium prouocauit.l.64.D.de diuerſ.reg.iur.

Mora dupliciter fit,Ex re,& ex perſona. Ex perſona æſtimari dicitur. cum debitor opportuno loco ac tempore à creditore appellatus,ſoluere tamen prætermiſit,l. mora.32.D.de vſur. Ex re verò,cum ipſo iure ac ſolo temporis decurſu ſine vlla creditoris appellatione, prætermiſſio illius officij repræhenditur,quaſi res ipſa interpellet,l.ſed etſi.23. D.eod.& l.ſi tamen. D.de minor,& l.cum verò.§.apparet. D.de fideicom.lib.

Moram purgare, eſt re integra contractam ex mora culpam ſic eluere, vt eius omnis pœna vitetur.nam oblatione ſolutionis omne periculum futurorum caſuum à debitore in creditorem transfertur. l.interdum. 73.§.j. D. de verbor. obligat. l.cum decem.72. §.j.D.de ſolut. Quod idem etiam creditori conceſſum eſt, vt ei moræ purgandæ facultas, vt agere poſſit, permittatur, l.ſi ita quis. 135.§.j.D. de verbor. obligation.

Mora abuſiua quæ ſit,tradunt doctores in l.minorum.C. in quib.cauſ. Porrò quomodo mora debitoris,& creditoris,emptoris item & venditoris conſideretur,tradit Zaſius in l.vnum.D.ſi cert.pet.

Moræ litis,l.26.C.de rei vind.

Moratoria præſcriptio,interprete Auiano in 1.lib. C.Th.tit.2.eſt quæ cauſſam prolongat, hoc eſt quando inducias litigatores petunt à iudice. Sic in l.2.C.de precib.Imp.offe.

Moratoria cautio. Paulus: Quò minus prædium iure pignoris diſtrahatur, oblata moratoria cautio non admittitur; hoc eſt, cautio quæ datur, vt quis differat & expectet.

Morari, pro retardare, differre, in l.ſi ea.C.de accuſ. item pro habitare inuenitur, & pro expectare: tamen magis Poëticè,quàm oratoriè.

Morbvm Sabinus ſic diffinit, Habitum cuiuſque corporis contra naturam, qui vſum eius ad id facit deteriorem, cuius cauſſa natura nobis eius corporis ſanitatem dedit. hæc Vlpianus l.j.§.4. D.de ædil.edict.vbi vitium à morbo multum differre ait: quod ex Ciceronis verbis conſtabit, lib.Tuſcul, quæſt.4. Morbum, inquit, appellãt totius corporis corruptionem: Ægrotationem, morbum cum imbecillitate: Vitium, cùm partes corporis inter ſe diſſident. ex quo prauitas membrorum, diſtortio, deformitas. Itaque illa duo, morbus & ægrotatio, ex totius valetudinis corporis conquaſſatione & perturbatione gignuntur: vitium autem integra valetudine ipſum ex ſe cernitur. ſed in animo tantummodo cogitatione poſſumus morbum ab ægrotatione ſeiungere. Hactenus Cicero.Gellius quoque libro 4.cap.2.locum Sabini, ſed non integrum retulit. Morbum,inquit,Modeſt.verum eſt eſſe temporalem corporis imbecillitatem: vitium verò perpetuum corporis impedimentum; veluti ſi talum excuſſit,nam & luſcus vtique vitioſus eſt, l.101.§.2. D. de verbo.ſignific.vbi tamen oculum excuſſit, legendum fortaſſis. Furor morbus dicitur, l.14. D.de offic. præſid.l.22. §.ſi maritus.D.ſolut.matrimon.l.2.§.ſi non propter.D.ſi quis caut.

Morbvs sonticvs, ait Feſtus lib.9.ex Ælio Stilone,in XII.Tabu.ſignificabat certum, cum iuſta cauſſa: quem nonnulli putant eſſe qui noceat, quod Sontes ſignificat nocentes. Næuius ait, Sonticam eſſe oportet cauſſam, quamobrem perdas mulierem. Venuleius l.vlti.D.de ædil.edict. Quoties morbus ſonticus, inquit,

inquit,nominatur,eum ſignificari Caſſius ait,qui noceat(quod & à Iauoleno citatur ex eod.l.111.de verb. ſig.) nocere autem intelligi qui perpetuus, non qui tempore finiatur.ſed & morbum Sonticum eum videri,qui inciderit in hominem poſtquam is natus ſit, ſontes enim nocentes dici.Gell.lib.20.cap.j. Sonticum morbum vocat,qui vim grauiter nocendi habeat, & ita vſurpatum à ſcriptoribus XII. Tab.Vlp. l.2.§.ſi quis iudicio.ſi quis caut.in iud.ſonticum morbum, aduerſam valetudinẽ ſimpliciter exponit,hæc citãs XII.Tab. verba: SI IVDEX VEL LITIGATOR MORBO SONTICO IMPEDIATOR, DIES IVDICII DIFFISVS ESTO. Iulia.l.60. de re iud. Sonticum morbum exponit,qui cuiuſque rei agendæ impedimento eſt.nec de leuiſſima febri,aut quartana inueterata,in qua omnibus negotiis ſupereſſe ſoleat,intelligi vult. Plinius tamen lib.36.c.19. de Gagate lapide loquens eo nomine intelligit comitialem, cum ita ſcripſit,Deprehẽdit ſonticum morbum.nam Dioſcorides ſcripſit ἐλεγχοι ἐπιληπτικῶν.

MORBOSI qui dicantur,cognoſce ex tractatu de ædil, edicto.

MORES Vlpianus definit in Epitome titul.de legibus,& moribus,tacitum conſenſum populi longa conſuetudine inueteratum.Idẽ Varronem ſenſiſſe teſtatur Seruius in 6.Æneid.

Mores bonos cum dicimus,non vnius hominis,ſed totius ciuitatis intelligimus.l.15.§.item ait ait. D.de iniur. Paul.lib.5.Sent.titul.4.l.j.§.j.D.de extraord.crimin.Sic Iniuria facta contra bonos mores.d.§.item. Conditio contra bonos mores.l.9.& 14.D.de cond.& demonſt, & Stipulatio contra bonos mores.l.5. C.de condi.ob turp. cauſ. Pacta contra bonos mores. l. 6. C. de pact. vt pactum de futura ſucceſſione.l.fi. C.de pact. Stipulatio quæ obſtringit libertatem matrimonij ſecundum mores interpoſita non videtur.l.134.D.de verbo, oblig.

More malo & improbato,ſignificat aſtutè, callidè, malitioſè.dolo malo, improbè & inciuiliter.l.19.§.j. D. de neg.geſt.l.8.D.quod met.cauſ.l.j.§.litis.D. de extraord. cog.aliàs ſonat mala ratione.l.40.D.de ſtatulib.

Moribus Hæc dictio & ad rationem naturalem, iúſque gentium,& ad ius Ciuile etiam referri plerunque poteſt,quod poſt l. XII.Tab. prudentum conſuetudine introductum eſt.l.2.§.iis legibus.D. de orig.iur. vnde pupillaris ſubſtitutio moribus inducta dicitur.l.2.D. de vulg.& more noſtræ ciuitatis pupillus abſque tutoris auctoritate obligare ſe non poteſt.l. more.D.de acquir.hæred.

Moribus pro more & conſuetudine, vt apud Ciceronẽ. Iuriſcoſſ.etiam familiare eſt,vt in l.moribus introductum eſt.de vulg.& pup.Item,Moribus inter virum & vxorem donationes prohibitæ.l. j. D. de dona. inter vir.& vxor.Moribus prodigo bonorum adminiſtratione interdicitur.l.j.D. de curat.fur. Moribus ciuilia officia fœminis adempta.l.j.D.ad Velleia.l.12. ad fi.D. de iud.Moribus quoque tutor datur mulieri pupillóve,qui aduerſus tutores ſuos aliquam actionẽ habent. Vlp.in Inſtit.tit.11. Sunt & alia multa. Hinc in mores, pro,in conſuetudinem inducere accipimus.

Moribus inductum cum quid Iuriſc.dicunt,eos ſignificare velle arbitratur Vigl.id ius ante XII.Tab.fuiſſe, vnà cum vrbis primordiis obſeruatum,vel poſtea vſu & conſuetudine receptum:cuius interpretationis teſtem citat Theophilum,ſcitè refellens veterem interpretationem,id ſcilicet quod moribus dicatur eſſe introductum, illico Lacedæmoniis acceptum ferẽdum, quod ſolis moribus Lacones,vt Athenienſes ſolis legibus rempub.gubernarint.§.& non ineleganter.Inſtit.de iure nat.gẽt.& ciuil.adſtipulatur in Parerg.Alc. indicans & Accurſium quædam in iure noſtro prodita referre ad Spartanorum conſuetudines,quæ tamen minimè ad ius noſtrum pertinent.Nam ſi aliquid, vt idem ait.ab eis Decemuiri acceperunt:id in XII. Tab, relatũ iuris ſcripti pars apud nos eſſe cœperit,li.4.c.21.

Moribus pleraque non legibus conſtare ſcribit M.Fabius lib.5.c.10. Hinc; Moribus conſtitutum ius.l.31.& l.32.D.de legib.§.ex non ſcripto.Inſtit.de iur.nat.gent. & ciuil.Vide Conſuetudo.

More MAIORVM quod fit,rectè ac decenter fit.nã populus R.maiorum inſtituta atque exempla pro legibus ducebat.Cicero de legib. II. Ergo adeò expectatæ leges,quæ genus illud optimum Reip. contineant, & ſi quæ forte à me hodie rogabuntur, quæ non ſint in noſtra Repub.nec fuerint,tamen erant ferè in more maiorũ,qui tum vt lex valebat.Paulus.l. 11.D. de iuſt. & iur.Vbicunque prætor ſalua maieſtate imperij ſui, ſaluóque more maiorum ius dicere conſtituit,is locus rectè ius appellatur.Iulian.l.5.D.de iuriſdi. More maiorum ita comparatum eſt,vt is demum iuriſdictionẽ mandare poſſit,qui eam ſuo iure,nõ alieno beneficio haberet.Vlp.l.1 1. D.de his qui not.infa.Si talis ſit maritus,quem more maiorum lugeri non oportet,&c.

More maiorum puniri,quid ſit explicat Sueton.in Nerone his verbis,Legitque ſe hoſtem à Senatu iudicatum, & quæri vt puniatur more maiorum, interrogauitque quale eſſet id genus pœnæ,& cum comperiſſet, nudi hominis ceruicem inſeri furcæ,corpus virgis ad necẽ cædi,conterritus,duos pugiones quos ſecum extulerat,arripuit.

MORES honeſto vocabulo Iuriſconſulti coniugum vitia,& minus honeſtas actiones appellant.Vlp.c.Inſtit. 6.Mores grauiores ſunt, adulteria tantum; leuiores, omnes reliqui.Maritus propter maiores mores, præſentem dotem reddit;propter minores, ſenum menſium die.Hinc morum nomine vel ob mores fieri retentio dicebatur,cum propter malos, & improbatos vxoris ſuæ mores, qui diſſidij cauſſam præſtitiſſent, maritus ex dote quid retinebat.l.vnica.§.taceat.C.de rei vxor.act.Vnde & de moribus actio.l.vnic.C.quãd. crim.actio.l.fi.C.de inceſt.nupt.l.5.D.de pact.dot.Vide Iudicium de moribus.

MORGANATICA vulgo corruptè (inquit Hotom.in diction.verb.Feud.) pro Morgengabe, quod Germanica vulgari lingua matutinũ munus ſignificat:à Morgin,quod eſt mane,& Gab,donum. Munus autẽ erat, quod ſponſus die nuptiarum manè ſponſam ſalutans, ei coram propinquis & amicis, ante nuptiale conuiuium donabat,de quo mentio fit in lib.Feud.2.titul.39. Latini munus nuptiale illud appellant.Liuius libr.30. Hunc nuntium ac ſimul venenum ferens miniſter, cũ ad Sophonisbam veniſſet: Accipio, inquit, nuptiale munus,nec ingratum:ſi nihil maius vir vxori præſtare potuit.Hoc tamen nuntia,melius me morituram fuiſſe, ſi non in funere meo nupſiſſem. Tacitus in lib.de morib.Germ.videtur dotem appellare, dum ſic ſcribit: Dotem non vxor marito,ſed vxori maritus offert.Interſunt parentes & propinqui, ac munera probant, Morgengabe vocabulo vtitur Gregorius Turonenſis lib.9.Tam in dote,quàm in morgengabe, hoc eſt matutinali dono, certum eſt acquiſiſſe.Leg. Lango.tit.4. & in Lomb,lib.2.tit.4. Si quis Langobardus morgincap vxori ſuæ dari voluerit,quando eam ſibi in coniugio ſociauerit,ita decernimus.vt alia die ante parentes & amicos ſuos oſtendat per ſcriptum cum teſtibus roboratum, & dicat: Quia ecce quod coniugi meo morgincap.dedi Morgengabe itaque idem eſt quod Dotalitium quidam vocant,alij Vitalia, alij Doarium, Hræci ὑπόβολον.hoc eſt vnde ſe tueri mulier mortuo marito poſſit:& quicquid nuptiali conuentione cõce-

ditur vxori, vel liberis naſcituris ex eo matrimonio.

MORGANATICVM ius, apud Albertum Argentin. in Chron. Ioannes autem aſſerens dominium ad ſe ſpectare, tanquã matri ſuæ per Rodolphum regem olim morganatico iure donatum. Hoc etiam ius lex Salica comprobabat.

MORTONES ſunt fatui, quos in delitiis Principum eſſe videmus. l.4.§.idem Pomponius. D. de Ædilit. edict.

MORS propriè eſt σώματος καὶ ψυχῆς διάλυσις, vt Gellius libr.2.c.8. tradit, id eſt, vt M. Cicero. j. Tuſcul. exponit, diſceſſus animæ à corpore.

Mors alia naturalis dicitur, animæ ſcilicet à corpore diſceſſus: alia ciuilis, hoc eſt, cum iuris ciuilis ratione aliquis pro mortuo numeratur. Intereunt enim homines media & maxima capitis deminutione, æquè vt morte. l.64.§.vlt. D. pro ſoc. qua de cauſa & aqua & igni Interdicti, & Deportati mortuorum loco habentur. l.4. D. de bon. libert. l.j.§.vlt. D. de cont. tab. MORTIS tamen nomine, in re dubia, ſola naturalis intelligitur. l.48.§.vlt. D. de iur. fiſc. l.121.§.vlt. D. de verb. oblig. l.77. §. hæreditatem. D. de legat.2.

Mortis cauſſa capio generis nomen eſt, quod omnes ſpecies complectitur, quibus quid propter alicuius mortem capitur: veluti hæreditatis, legati, fideicommiſſi, mortis cauſſa donationis. ſed cum illarum quæque proprium nomen haberet, factum eſt, vt quæ ſpeciale nomen non habet, ea ſcilicet de qua nunc dicemus, communi nomine appellata ſit. l. mortis cauſſa. 31. D. de mort. cauſſ. donat. Eſt autem mortis cauſſa capio, acquiſitio propter alterius mortem obueniens: vel cũ quid propter mortis alicuius cauſſam, ſed non ex patrimonio ipſius accipitur: vt ſi moriẽs legauerit Titio fundum ſub conditione ſi dederit Gaio decem, eam pecuniam capit Gaius mortis cauſſa, non iure legati, vel fideicommiſſi, vel donationis mortis cauſſa: hæc enim peti poſſunt, mortis cauſſa capionis petitio non eſt. Vel cum quid inſtituto hæredi vt adeat, aut non adeat, datur. quod à ſtatulibero conditionis implendæ cauſſa capitur, vel à legatario. l. qui pretio. 8. l. ſi mulier. 12. l. mortis cauſſa. 18. l. mortis cauſſa. 31. in princ. & §.2. l. inter mortis. 38. D. eod. quibus locis ſpecies enumeratæ omnes aliunde quàm ex defuncti patrimonio proficiſcuntur: hoc eſt extra donationis cauſſa mortis, & teſtamenti cauſſam: vt l. Meuius. 55. D. de condit. & demonſtr. l. ſi quis. 8. D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſt. & l. id autẽ. 76. D. ad leg. Falcid. vbi Mortis cauſſa capere, & Hæreditario iure capere opponuntur. Mortis autem cauſſa donatio à Capione hoc differt, quòd illa ſemper à defuncto proficiſcitur, hæc ab aliis: illa ſemper de patrimonio defuncti, hæc ſemper aliunde. Azonis autem definitio eſt hæc: Quod à defuncti liberalitate proficiſcitur, nec vt debitum peti poteſt. ſic enim legitur in eius ſumma in tit. C. ad leg. Falc. cùm apud Accur. l. ſi mortis. 5. C. ad leg. Falc. legatur cum negatione: Non proficiſcitur. Neutra autem ſatis idonea videtur, quia neque ſemper, neque nunquam ex eius liberalitate proficiſcitur: cum interdum alter ſine ipſius voluntate det: interdum autem ipſe dari iubeat, & dandi conditionem imponat.

Mortis cauſſa ſtipulatio exiſtimatur fieri, vt Feſtus lib. 11. & Antiſtius Labeo tradit, quæ ita fit vt morte promiſſoris cõfirmetur, vt in l.34. D. de donat. cauſſ. mort. aut (vt quidam dixerunt) cui ſtipulationi mors fuit cauſſa.

Mortis aut verberum terrore pecuniam alicui extorquere. in fi. l.2. quod met. cauſſ.

Mors ſignificatur etiam per illa verba, Si quid accidit filio meo. l. in vulgari. D. de verb. ſignificat. l. Publia. D. depoſ.

Mortem exequi, pro inſtituere actionem de parricidio perpetrato apud Pomponium in l.j. de accuſat.

MORI, eſt actus inſtantaneus, quia mox explicatur, vſque adeò vt nec moriendi tempus conſideretur. Vnde cum teſtator dicit: Eſto liber, cum moriar: intelligitur, poſt mortem. l. qui duos. §.j. D. de manumiſſ. teſt.

Moritur viuens, & viuit moriens. l. qui duos. §.j. de manumiſſ. teſt. l. peculium. §. fi. de leg.2. Ratio nondum mortuus eſt qui moritur, ergo viuit. arg. l. hæc verba ille, aut ille. de verb. ſig.

MORTVA res dicitur, qua quis locupletior non eſt, vel quæ amiſſa reſtitui non poteſt, eadem forma qua mortualis. l. quod autem ſpectatur tempus. l. ſi maritus. D. de donat. int. vir. & vxo. l. properandum. C. de iud. l.2. D. iudic. ſol. l.3. D. quæ in fraud. cred. Plautus, & rem mortuam & rem occiſam dixit, pro fracta & perdita. Idem vocat Mortuaria, res inanes & nugatorias, quæ Græci eodem ſenſu σκύλεθρα.

Mortui qui naſcuntur, non videri vnquam natos, Pauli ſententia receptum eſt: & ideò teſtamentum eorum præteritione non rumpi certum eſt. Sed magis dubiũ de iis, qui tametſi viui naſcuntur, ſecundum naturam tamẽ viuere non poſſunt: cuiuſmodi habentur ante ſeptimum menſem nati, per l. quod dicitur. D. de lib. & poſthum. & crebrius receptum eſt, non rumpere, quia abortiuorum nomine continẽtur. l. vxoris. C. de poſt. hæred.

Morticinum, pro exangui, corrupto, & per ſe mortuo: vocabulum ſacræ ſcripturæ familiare. Vnde morticinam carnem dicimus, animalium quæ non ſunt mactata, ſed per ſe mortua. Holoander in in l. pen. à ſe tranſlata. D. de via pub. in fin. Sed neque rixari in itineribus, neque ſtercora proiicere, neque morticina aut pelles iactare permittant.

MORTIFERVM vulnus. Celſus ſcribit: Si alius mortifero vulnere percuſſerit, alius poſtea exanimauerit, priorem quidem non teneri quaſi occiderit, ſed quaſi vulnerauerit, quia ex alio vulnere periit, &c.

MORTALITAS, pro morte & naturali fato, apud Iuſtin. Inſtit. quibus mod. teſta. infirm. Et aut. mortalitate præuentus. Sic apud Suetonium in Claudio reperitur: & Tryphoninus in l. pen. D. de vi & vi armat. ſubtractos mortalitate ſeruos, dixit.

MOVERE, id eſt agere. l.4. C. de præp. ſacr. cub. Vt ſi medio tempore mouere diſtulerint. Sic l.3. C. de præſcr. 30. Nulli mouendi vlterius facultatem patere. Et in l.4. C. de quadr. præſcr. Omnis motus, id eſt omnis actio, πᾶσα κίνησις.

MOVEMVS controuerſiam & agendo & reſiſtendo. l. non ſolùm. §. ſi ſtatus. D. de procur. iuncta gl.

MOVENTIA, Vide Mobiles.

MOTVS in l.20. D. comm. diuid. pro indignatione ſumitur. Si is, inquit Pompon. cum quo fundum communẽ habes. ad delectum non reſpondit, & ob id motu iudicis villa diruta eſt, aut arbuſta ſucciſa ſunt, &c. Alij pro motu iudicis, reponunt Magiſtratus imperio: ſed perperàm, vt vult Cuiac. Obſ. lib.13. c.29. Motus aliter ſumitur. l. ob carmen. 21. D. de teſtib. Si teſtes inquit Arcadius, eiuſdem honeſtatis, & exiſtimationis ſint, & negotij qualitas ac iudicis motus cum his concurrit, ſequenda ſunt omnia teſtimonia. Et paulo poſt: Confirmabitque iudex motum animi ſui ex argumentis & teſtimoniis, &c.

MOTV PROPRIO ex certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis. Lege, Prægnãtes clauſulæ. Porrò docent interpretes, tantam vim habere Motus proprij clauſulã, vt in contrariũ nemo audiatur. Bal. nihil vnquam rectius dixit, quàm hoc, quòd hæ voces (motu proprio, ex certa ſcientia) omnibus modis relegandæ eſſent ex curiis principũ. Quanquã motus proprius principis aliquo modo colligi poteſt ex repetita eius conceſſione. Arg. Nouel. vt null. iud. lic. hab. loc. ſeru. §. præterea hoc quoque.

quoque.& vide.c.ſi motu proprio.de præben. in 6.& ibidem Archid.Geminianum,& alios pontificios.

Mox ſignificat paululum temporis, cuius diffinitionem non ex certis regulis,ſed ex ſubiecta materia oportet metiri.l.ſi tibi habitationem.D. locat.& condu. l. fructus eſſe conſtat.in princ.D.ſolut.mat.

Mvcor.l.4.§.pen.D.de pet.& com. rei vend. lanuginẽ ſignificat,quę ex nimia vetuſtate vino accedit,aut quę alio vitio contrahitur. Columell.lib. 12.c. 43.Ne ſitu penora mucorem contrahant.

Mvlctam (ait Feſtus lib. 11.) Oſcè dici putāt pœnam quandam.M.Varro ait pœnam eſſe, ſed pecuniariam. Mulcta Varroni libr.4.Linguæ Latinæ pecunia à magiſtratu dicta, vt exigi poſſit ob peccatū. Addit deinde,quo ſingulæ dicuntur appellatæ eſſe multæ, quòd olim vnum dicebāt multa. Itaque cum in dolium, aut culeum vinum addunt ruſtici,prima vrna addita, dicant etiam nunc multa. At idem.19.rerum humanarū, apud Gellium lib. 11.c.j.Vocabulū ipſum mulctæ non Latinum,ſed Sabinum eſſe dicit idque ad ſuam memoriam manſiſſe ait in lingua Samnitium, qui ſunt à Sabinis orti.Sed turba Grammaticorum nouitia (addit ibidem Gellius) eam κατ' ἀντίφρασιν, vt quædam alia, ita hoc quoque dici tradiderunt. Sed vereor ne hoc ſuperioribus Varronis dictis repugnet,nimis enim tenuis & λεπτολόγος eſt in illa etymologia Varro. Illud enim multa,quod veteres vſurparunt, cum plures culeos in vnum dolium indituri eſſent, ſignificat numera, ἐξηρίθμησα. Sic Plautus in Sticho: *Cum quo multas una multaui miſ.rias.* Pro eo Galli dicunt,Enprun.Mulcta eſt ſpecialis peccati,cuius animaduerſio hodie pecuniaria eſt,ſic Vlpianus.l.aliud.131.§.j.D.de verb. ſig. qua in re Varroni, & Feſto conſentit:qui & alibi de ratione mulctandi antiquis vſurpata: Ouibus duabus, inquit, mulctabantur apud antiquos in minoribus criminibus:in maioribus autem triginta bubus, nec vltra hūc numerum excedebat mulctatio,quæ,poſteaquam ære ſignato vti ciuitas cœpit,pecoráque mulctatitia in curia corrumpebantur (vnde etiam Peculatus nomen vſurpari cœptū eſt) facta eſt æſtimatio pecoralis mulctæ,& boues cētenis aſſibus,oues denis æſtimatæ, Inde ſuprema mulcta,id eſt maxima, appellata tria millia æris.item viceſſis minoribus delictis.Idem fere A. Gellius lib. 11. c.j.Veterē pecudibus mulctādi morē attigit M.Tullius in libris de Rep.his verbis:Mulctæque dictione,ouiū & boum.ſic legēdū, nō mulcta ditione.

Mulcta differt à pœna,quòd pœna quælibet coërcitio eſt, mulcta ſolius pecuniæ:quòd pœna à quocūque iudice infligi poteſt,cui criminis executio demādata:ſit mulcta ab ordinariis tantūmodo,iiſque,qui pro tribunali ſedent:quòd mulcta fiſco datur,pœna etiam parti applicari poteſt:quòd mulcta infamiā nō irrogat, pœna quandoque irrogat. Ex Alciat.in l. aliud eſt fraus de verb.ſig.quibus iunge quæ refert ipſe in l.pen.eod.Labeonis ſententiam,qui ſcripſerat pœnam & mulctam idem eſſe,Paulus refellit, tres differentias adducens, quas tute in ead.l.videre poteris.Mulcta autē non ante debetur,quam ſi aut non eſt prouocatū,aut prouocator victus eſt: nec aliter, quàm ſi is dixit cui dicere licet.l.aliud.12.& l.ſi qua.244.D.de verb.ſign.

Mulcta modica,quæ eſt ſex ſollidorū aureorū, minorum eſt iudicum.l.2.C.de ſport.& l.eos.C.de modo mulct.

Mulctam dicere,antiqui tum dicebant, cum ad populum, & in comitio mulcta diſceptanda irrogabatur: quod ipſi mulctam certare dicebant. Liuius lib.25.Sp. & L. Caruilij cum rem inuiſam infamémque cernerēt, ducētum milliū æris mulctā Marco Poſthumo dixerunt. Cuius certandæ cum dies aduenifſet,cōciliúmque frequens plebis adeſſet,&c.Cato lib.4.Originum, vt refert Gellius lib. 11. c.j.Mulctam facere dixit, Imperator,inquit noſter,ſi quis extra ordinē depugnatū iuit, ei mulctam facit.Poteſt autem videri cōſulta elegātia vitaſſe verbum,cum in caſtris & in exercitu mulcta fieret,nòn in comitio nec ad populum diceretur.

Mulctam grauiſſimam,pro morte accipi, Alberi. indicauit:ſed id minimè ex lege, quam citat,colligi poteſt. Præterea mulcta damnū famæ non irrogat, vt Impp. cēſuerunt.C.de modo mulcta.l.j. hæc autem iam planè periit vltimo ſupplicio plectendis.

Mulctam irrogare,Budæ.inquit, hodie forenſi noſtrorū vocabulo dicitur,concludere ad mulctam, & concluſiones mulctatitias aſſumere:quod & pœnaliter intēdere dici poteſt Latinè loquentibus.

Mulctam iudicare dici poſſe ſcribit Iac.Cuiac.Obſ.lib.11. c.9.Solum enim ei mulctæ dictio eſt, qui iudicare poteſt,cuíve iudicatio data eſt,id eſt qui publicè iudiciū exercet.l.2.§.vlt.D.de iudic.l.aliud eſt.§.vlt.D.de verb. ſig.& ita lege Sillana de ponderib. Eum quis volet magiſtratus mulctare,tantum minorè, patriſfamilias taxat liceto:Siue quis in ſacrum iudicare voluerit,liceto.Iudicari enim mulctam minorem etiam in ſacrum poſſe ſignificat,id eſt,vt ſacro applicetur,nòn ærario. Atque in hoc M.Tullij de legib.loco: Cum magiſtratus iudicaſſit,irrogaſsítve, per populum mulctæ. pœnæ certatio eſto.iudicandi verbum ad mulctam, irrogandi æd pœnam,idem Cuiac.referri vult.

Mvlieres dicuntur omnes quæcunque ſexus fœminini ſunt,cuiuſcunque ſint ætatis.l.argumento.25. §.2.D. de aur.& arg.itaque mulieris appellatione virgo viripotens continetur.l.mulieris.13.D.de verb.ſig. & mulierib.legatis etiam virgines debentur.l.ſeruis.81.D.de leg.3.Conſuetudo tamen tulit,vt nuptæ mulieres: innuptæ,virgines appellentur.Itaque Cic.Verrin.3. Negocium,inquit,dat illis ſuis comitibus, vt videant & inueſtigēt, quæ virgo ſit,aut mulier digna, quàobrem iſte Lampſaci diutius commoretur.Et paulo pòſt:Eius eſſe filiam,quæ cum patre habitaret, propterea quòd virum non haberet,mulierem eximia pulchritudine. Significat enim illam à viro ſuo diuertiſſe.Itē aliquanto pòſt:Qui lege ſua hæreditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri. Sanxit in poſterum, ne quis hæredem virginē,néve mulierē faceret.Hinc & Mulier,pro vxor apud Scæuolā in l.83.§.j. De legat. & fid. lib.32.Sēproniæ mulieri meæ reddi iubeo ab hæredibus,&c.De Græcis fontibus deriuata locutio videtur.

Mulier iteratis nuptiis poteſt res donationis propter nuptias mariti immobiles poſſidere, illiſque vti,frui. Si verò mobiles ſint,aut mixtæ,habet electionē, vtrum reditus ex bonis, an ipſas res cum cautione de reſtituendo poſt mortē accipere maluerit. Nouel. Ne mulier.quæ nupt.ite.§.aliud verò.Conſt.2.

Mulier,quæ ſecundum pactum non adfert dotem per ſe, vel per alium,ea ſoluto matrimonio nihil lucratur ex donatione propter nuptias.Si autem aliquid attulerit, tunc quatenus dedit, eatenus accipiet lucrum. ibid.§. illud quoque dudum.Conſt.2.& Nouell.vt prin. & ſecun.doc.exactio.§.ſed & illud quod.Conſt.91.

Mulier ſubintroducta(cuius fit mentio diſtinct.32.c. Interdixit per omnia.) quid ſit,diligenter explicat Rhenan.inſigni ſcholio,quod adiectum eſt c.26.lib.7.Hiſtor.Eccleſ.quòd & Gloſſematarius ſileat, & Lexicon Sudæ vocabulum tantùm annotet.

Mulierum genus auariſſimum,gl.ſuper verbo,donat.in l. ſed ſi ego.D.ad S C.Velleian.

Mulieres ſuæ pudicitiæ memores,& operum quæ eis natura permiſit,arbitrium ſuſcipere, vel alio modo iudicium exercere nō poſſunt.l.ſi.C.de recept.arb. Et hoc iuſtius eſt,quicquid diſtinguat.c.dilecti filij.de arbit.

Mulieres lanificæ an villæ inſtrumento cōtineantur, vide Alphenum in l.villæ inſtrumento.D.de fund.inſtr.

Mvliercvla, & pro impudica & libidinoſa, & pro muliere deſtituta auxilio, inope ſcilicet, & imbecilli accipitur. Exemplum prioris ſignificatus habes in l. pen. D. de ſeru. corr. poſterioris apud Cicer.

Mvliebria paſſim Prætor remouet à poſtulando. l. j. D. de poſt. Huic ſceleri, quod non proficit ſcire, Impp. in l. cùm vir. C. de adult. gladium vltorem conſtituunt Huius infandæ rei inuentum quidam in Orpheum referunt. Sunt tamen qui exiſtiment, ad liberalem magis honorem referendum, quo etiam Socrates adoleſcentes ingenioſos complexus eſt.

Mvliebria veſtimenta ſunt, quæ matris familiàs cauſſa pæparata ſunt, quibus vir non facilè vti poteſt ſine vituperatione: veluti ſtolæ, pallia, tunicæ, capitia, zonæ, mitræ, plagulæ, penulæ, ait Vlpianus in l. veſtis. D. de auro, arg. mund. ornament.

Mvlorvm appellatione etiam multæ: quemadmodum appellatione ſeruorum, & ſeruæ plerunque continentur. Id autem eò venit, quòd ſemper ſexus maſculinus fœmininum continet, ait Iulia. in l. qui duos mulos. de leg. 3. l. 38. D. de ædil. edic.

Mulæ carruchariæ. l. 38. §. quæſitum. D. de edili. ædict.

Mulus clitellarius, qui fert onera. Clitellæ enim ſunt, quibus onera imponuntur, ſicut in equis ſellæ.

Mvlio, qui & mulius dicitur, qui mulos curabat, & agebat. Bart. in l. cum quæritur. §. ſeruus. de leg. 3. hunc ſeruorum appellatione rectè comprehendit. Siquidem veteres ſolebant vel lecticis deuehi, vel curribus: inde ſerui iunctores dicti: quo genere lecticarij, agaſones, mulionéſque ſunt: vide l. idem iuris. D. ad leg. Aq.

Mvlsvm, potio eſt ex vino & melle concinnata. Vlpia. de trit. & vin. leg. l. ſi quis. Si mulſum, inquit, ſit factum, vini appellatione non continebitur. Idem de rei vindic. l. idē. Si ex melle meo, & vino tuo mulſum factum ſit. Græcis οἰνόμελι, & μελίκρατον, vt Pollux lib. 6. tradit. Legimus autem, multos ſenectam longam mulſi tantùm intinctu toleraſſe, nec præterea cibo aliquo celebri, Pollionis Romuli exemplo, quem cēteſimum annum excedentem, cum interrogaret Auguſtus, quanā ratione maximè vigorem illum animi corporíſque cuſtodiſſet, reſpondit: Intus mulſo, foris oleo.

Mvlti qui dicantur, docet Bart. in l. prætor. D. vi bon. rapt. An duo multi dici poſſint, diſſerit Abb. in cap. ad nos. de rebus eccleſ. non alien. vide §. fin. Inſtit. de iur. perſ. iuncta gl.

Mvlto post, triennio alij, quinquēnio alij claudunt. Vide quæ not. in §. ſi multò. in l. ſi vnus. D. de arbitr.

Mvltitvdinem conſtituunt mille viri, per l. 3. §. j. D. de excuſ. tut. l. j. §. fi. de teſta. milit. Interdū quòd turbationi plerunque obnoxia ſit, nec ſerena tranquilláque mente polleat, quaſi ad contemptum turba ſolet appellari: rē ſignificatā nomine ipſo, vt pulchrè dicit Inſulanicus Huttenus, veriſſimè tuente, cōprobantéque.

Mvndvs muliebris, eſt quo mulier mundior fit: inquit Vlpian. l. 25. §. 4. D. de aur. argent. Cato apud Liuium: Munditiæ, ornatus & cultus fœminarum indicia ſunt: his gaudent & gloriantur. Hinc Mundum muliebrem appellarunt noſtri maiores. Sic Varro lib. De ling. 4. Mundus muliebris, dictus à mundicia. Hinc enim maximè ſumitur, quòd eam deceat. Poſtea Ornatum à Mundo diſtinguit. quod idem Iuriſconſulti faciunt, nam in mundo muliebri hæc numerant, ſpeculum, vnguenta, vaſa vnguentaria, argentū balneare: nō etiam ornamenta, veſtes, monilia, anulos. l. 27. §. mundus, & l. 34. §. Titia. D. de aur. & arg. Sic Paulus lib. Sentent. 3. c. 6. Mundo, inquit, muliebri legato ea cedunt, per quæ mundior mulier, lautiórque efficitur: velut ſpeculum, conchæ, ſituli, item buxides, vnguenta, & vaſa in quibus ea ſunt. Ornamentis legatis ea cedūt, per quæ ornatior efficitur mulier: veluti anuli, catenæ, reticuli, & cætera quibus collo, vel capite, vel manibus mulieres ornantur. Sic Tertullia. in lib. De habitu mulieb. Habitus, inquit, fœminæ duplicē ſpeciem circunfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant. Ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Iſte in auro, & argēto, & gemmis, & veſtibus deputatur ille in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis quæ oculos trahunt. Mundum neutro genere dixit Lucillius apud Gell. lib. 4. c. j.

Mvndvm, in quod contractus ex ſcheda redigitur. l. 16. C. de fid. inſtr. χάρτην καθαρὸν Iuſtin. appellat Nouel. 44.

Mvnem ſignificare certum eſt officioſum. vnde è contrario Immunis dicitur, qui nullo fungitur officio: inquit Feſtus.

Mvnem rem. l. fraudati. D. de publ. & vect. exponunt, quidam, rem obligatam, fiſco, contra Baſilicorum interpretationem. nam Munem rem vertunt τὸ κοινὸν πρᾶγμα, vt teſtatur Cuiacius Obſ. libr. 9. c. 24. Hinc & Municare dixere Latini, pro Communicare, auctore Feſto, & Mentum, pro Commento.

Mvnimenta probationes & inſtrumenta quæ cauſſam muniunt, gl. fi. in c. quanuis. de elect. in 6.

Munimētum, omne quo quis inſtruitur & munitur. c. eum qui de probat. Archid. in d. c. quamuis.

Mvnvs tribus modis dicitur: vno donum, & inde munera dici dari, mittíve: altero onus, quod cum remittatur, vacationem militiæ muneríſque præſtat, inde immunitatē appellari. tertio officium, vnde munera militaria, & quoſdam milites munificos vocari igitur municipes dici, quod munera ciuilia capiant. Paul. l. 18. de verb. ſignific.

Munus, inquit Vlpianus, propriè eſt, quod neceſſariò obimus, lege, more, imperióve eius qui iubendi habet poteſtatem. Dona autem propriè ſunt, quæ nulla neceſſitate iuris, officij, ſed ſponte præſtantur. quæ ſi non præſtentur, nulla reprehenſio eſt: & ſi præſtentur, plerunque laus ineſt. ſed in ſumma in hoc ventum eſt, vt non quodcunque munus, id & donum accipiatur: at quod donum fuerit, id munus rectè dicatur. l. 214. D. de verb. Sic Munus à dono ſeparatur. l. 6. D. de offic. Proconſ. l. 18. de offic. præſ.

Munus, ſpectaculum gladiatorum Cicero Varroni: Etſi munus flagitare, quamuis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus. Paulus l. 122. D. de leg. & fid. lib. 30. Ciuitatibus ad honorem legari poteſt, puta, quod ad munus edendum, venationémve, ludos ſcenicos, ludos Circenſes relictum fuerit. Quibus verbis Paulus ludorum genera manifeſtò diſtinguit. Marcellus. l. 36. D. de condit. & demonſtr. Viuo Mæuio Seius Cōſul deſignatus eſt, & munus edidit Paulus. l. 49. in fi. D. de lega. & fid. Si teſtator dari quid iuſſiſſet, aut opus fieri, aut munus dari: pro portione ſua, &c. Quibus omnibus ex locis apparet, Munus generale nomen eſſe, quo genera omnia ludorum complectūtur, tametſi Lactantius lib. De vero cultu. 6. c. 20. ſcribat, Muneris nomine propriè venationes intelligi. nam Cicero de offi. 2. ita ſcribit: Craſſus functus eſt Ædilitio maximo munere. non enim ſolam, vt opinor, venationē Craſſus præbuit. Quinetiam Paulus in d. l. 122. apertiſſimè munus à venatione diſtinguit. Seneca autem lib. De benefic. j. & gladiatores & venationes eo verbo comprehendit Nemo, inquit, tam ſtultus eſt, vt monendus ſit, ne cui gladiatores aut venationē iam munere edito mittat. Suetonius autem in Nerone, Veſpaſiano, Domitiano, & alibi perſæpe, munus perſpicuè dixit, cùm de gladiatoribus ſentiret. Hinc Mvnerarii apud Senecam lib. Declamat. 4. qui eiuſmodi munera populo exhibebant. Quod, inquit, Munerarij ſolent facere ad expectationem populi detinendam, noua paria

paria per omnes dies diſpenſant, vt ſi quod populum & delectet,& reuocet:hoc ego facio,&c.

Munus perſonale, inquit Hermogenianus, illud eſt,quod corporibus,labore, cum ſollicitudine animi ac vigilantia ſolemniter extitit:patrimonij verò in quo ſumptus maximè poſtulatur.l.j.D.de mun.& honor.

Munus inquit Calliſtratus, aut publicũ, aut priuatum eſt. publicum munus dicitur,quod in adminiſtrãda re publica cum ſumptu ſine titulo dignitatis ſubimus.l.14. D.de munerib.

Munus & Donum,inquit Cornelius Fronto,ſic differunt. Munus eſt,quod amicus vel cliens vel libertus officij cauſſa mittunt,vel munus gladiatorium.Donum quod diis datur.Inde vbi dona ponuntur, Donariũ appellatur.Poſſunt & illa nihilominus Dona dici, quæ donãt pauperibus diuites vel potentes.Illud quoque Donum putandum eſt,quod militibus donatur in caſtris.

Munus in officium priuati hominis, ex quo commodum ad ſingulos vniuerſóſque ciues, rémque eorum imperio magiſtratus extraordinario peruenit, Pompon.l. 139.de verb. ſign.Priuati hominis dixit, quòd munus obeatur ſine vllo honoris dignitatíſve gradu, nec honorem gerenti indicatur.l.honorem. D.de muner. & honor. Imperio autem magiſtratus extraordinario, quod extra ordinem iure ſuæ poteſtatis id magiſtratus iniungat,alias ex lege aut more, alias præter morẽ: id eſt alias ordinarium,alias extraordinarium: rurſúſque alias patrimonio cum ſumptu vel periculo, alias perſonæ ſolo miniſterio ſine ſumptu. Ad hæc patrimoniale vel poſſeſſionibus vel perſonis,hoc ſolis municipibus vel incolis:illud etiã poſſeſſoribus, qui nec ciues ſunt,nec incolæ.eſt & miſtũ tam patrimonij quàm perſonæ.Hermogen.in l.j.D.de munerib.& honor.

Munera, ſunt procurationes quædam Reipub. quæ ſine imperio poteſtatéve alicui mandantur: quarum aliæ induſtria & opera, aliæ ſumptibus faciendis adminiſtrantur,aliæ communiter.vide l.j.& vlt.D. de muneribus & honoribus.

Munera ciuilia,inquit Arcadius,aut perſonalia ſunt,quædam patrimoniorum dicuntur,alia mixta. Perſonalia ſunt,quæ animi prouiſione & corporalis laboris intentione ſine aliquo gerentis detrimento perpetrantur,veluti tutela, vel cura.Patrimoniorum ſunt munera,quæ ſumptibus patrimonij,& damnis adminiſtrantis expediuntur.l.18.D.de mun.& honoribus.

Munera Solemni in l.cum plures.§.cum tutor.D.de admin.tutor.videntur eſſe ſecundum Varronis, Feſti & Seruij interpretationem, anniuerſaria, eáque munera quæ quot annis more recepto ſibi inuicem cognati natali cuiuſque die miſſitabant.De quib. Mart. lib.9.Epigr. *Cara claret ſolemne tibi cognatio munus.* Et alio loco: *Lucæ propinquorum qua plurima mittitur ales, Dum ſtellæ turdos, dum tibi Flacco paro.* Tertull.in lib.de Idololat.Etiam ſtrenæ captandæ, & ſeptimontium, & bruma,& charæ cognationis honoraria exigenda omnia. Atque hoc nomine à Martiale Clytus quidam notatur,qui ſæpius vno in anno natalem ſuum munera à cognatis,amicíſque captans celebrabat.Sed & notum eſt Saturnalium feriis muneribus ſeſe Romanos inuitaſſe ex Macrobio libr.j.c.7.& Martiale libr.4.7.& 10. Epigr.Vide Briſſon.Antiq.lib.4.c.3.

Munus dari,apud Paulum in l.mortuo.§.fi.de leg. 2. non ſimpliciter de qualibet largitione,ſed de gladiatorio intelligi debere,pulchrè declarat Alc.in Parerg.

Munera pro oneribus hæreditariis.l.33.D.de leg. Sic Munus collationis.l.54. ad SC. Treb.D. Munus Falcidiæ.l.77.§.ſi pars.de leg.2.

Munerarii,pro munus gerere ac ſuſtinere. Vlp.l.j. §.2.D.de vacat.& excuſ. Qui in fraudẽ ordinis in honoribus gerendis,cùm inter eos, ad primos honores creari poſſint,qui in ciuitate munerabantur, euitandorum maiorum onerum gratia,&c.

Munerarii, vide Munus,ſpectaculum gladiat.

Municeps, vt ait Ælius Gallus,qui in municipio liber natus eſt.Item municipes erãt, qui ex aliis ciuitatibus Romã veniſſent,quibus nõ licebat magiſtratũ capere, ſed tantùm muneris partẽ.At Seruij filius aiebat initio fuiſſe qui ea cõditione ciues Rom.fuiſſent, vt ſemper Rẽp.ſeparatim à pop.Rom.haberẽt,Comanos videlicet,Acerranos,Atellanos,qui æquè ciues Ro.erant, & in legione mereban t, ſed dignitates non capiebant. Hæc Feſtus.

Municipes,inquit Gellius lib.16.c.13.ciues ſunt Romani ex municipiis, ſuo iure & legibus ſuis vtentes, muneris tãtum cum pop.Rom.honorarij participes:à quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus,neque vlla pop.Rom.lege aſtricti:cum nunquam pop.Rom. eorum fundus factus eſſet. Primos autẽ municipes ſine ſuffragij iure, Cærites eſſe factos dicit.Apellus autem annotauit municipes olim dictos muneris participes,qui recepti in ciuitatem, cum aliis munera facerent. Sed nunc abuſiuè municipes, ſuos cuiuſque ciuitatis ciues appellari, vtpote Campanos, Puteolanos.l.j.ad municipal. Municipem autem,vt ait Vlpianus ibid.aut natiuitas facit, aut manumiſſio, aut adoptio ſeu allectio.Patris autem,non matris municipium liberi ſequuntur:niſi fortè priuilegio aliquo materna origo cenſeatur.

Municipes intelligendi ſunt & hi,qui in eodem municipio nati ſunt.l.municipes.D.ad municipal.

Municipium, vt ſcribit Feſtus genus hominum, qui cùm Romã veniſſent,participes tamẽ erant omnium rerũ ad munus fugendum vnà cum Romanis ciuibus, præter quàm de ſuffragio ferendo,aut magiſtratu capiendo:ſicut fuerunt quodam Fondani,Formiani,Cumani,Acerrani,Lanuuini,Tuſculani, qui poſt aliquot annos ciues Rom.effecti ſunt.Alio modo, cum id genus hominũ definitur, quorũ ciuitas vniuerſa in ciuitatem Roman.venerũt:vt Aricini, Cærites,Anagnini. Tertio definitur,cum id genus hominum, qui ad ciuitatem Rom.ita venerunt,ſic vt municipia eſſent ſua cuiuſque ciuitatis & coloniæ:vt Tiburtes,Præneſtini, Piſani,Arpinates,Nolani,Bononienſes,Placẽtini,Nepeſini,Sutrini,Lucrẽſes.Quod autem ſuprà ait, magiſtratu capiẽdo, ad magiſtratuũ deſignationẽ produc, vt ex ciuibus deligãtur ex ſua cuiuſque ciuitate.A coloniis autem hoc differũt,vt ſcribit Gellius lib.16.c.13. quod coloniæ non veniant extrinſecus in ciuitatẽ,nec ſuis radicib.innitãtur:ſed ex ciuitate quaſi propagatæ ſint,& iura inſtitutáque Pop.Ro.nõ ſui arbitrij habẽt.

Municipale ius,dicitur priuatum ius vniuſcuiuſque ciuitatis.Municipalia magiſteria vocãtur adminiſtrationes & officia ſui municipij.

Municipalis lex propria cuiuſque municipij.l.3.§.plane. D.quod vi aut clam.l.3.§.diuus.D.de ſepulc.violat.

ad Municipalem tit.j.D.lib.50.de municip.l.vt vult.Cuiac. Obſeruat.lib.9.c.37.intelligi non debet,vt fere omnes exiſtimãt.eſt enim is tit.de municipib.& de incolis:& rectè ſcripſit Iuſtin.in l.2.C.de vet.iu.enucl. Ad municipales,non Ad municipalem.Baſilia περὶ πολιτῶν.

Municipalis magiſtratus,ciuitatum Decuriones dicũtur, qui vnum ordinem referẽtes,ſic adminiſtrãt,vt vnius hominis vicem ſuſtineant.l. magiſtratus.D. ad municipa.Et C.de magiſtrat.municipal.Sunt autem adminiſtrationes Reipublicæ cum dignitatis gradu, ſine ſumptu,hoc eſt,ſine erogatione ſeu collatione in publicum cõtingentes.l.honor.D.de munerib.& honor. Ideóque honores quoque dicuntur.

Munifices dicuntur,qui munera faciunt Feſto.Vnde milites dicebãtur munifices,qui nõ vocabant,ſed mu-

nus Principi faciebat.vide l.18.D. de verb.ſig.Contrà beneficiarij nuncupabátur,qui vacabát muneris officio.Sicut ergo municeps in Republica:ita munifex in militia nominari ſolebat.Hinc Munificiũ vel Munificũ,quod munerib.obnoxiũ eſt.l.4.§.j.D.de publican.l. 31.C.Th.de annon.& trib.l.9.l.11. de indul.deb.in eod.

MVSCVLARII aquæ ductus, in l.decernimus. de aquæ duct.C.lib.11.vide Minuſcularij.

MVRA, pro myrrha,apud Pomponium in l.21.§.j.D.de aur.& arg.item vt μύρα,Ionicè pro μύῤῥα. Pomponius receſſet inter ea vnguenta quæ valetudinis cauſſa parata ſunt.Ergo ſignificat vnguentũ ex eo liquore cõfectum,qui ex myrrhæ arboris cortice inciſo defluit,qui etiã Myrrha vocatur:vt auctor eſt Plin. li.12.c.15.& 16.

MVRRHA, lapillus ſplẽdidus,& in pretio habitus.Hinc:

MVRRHINA vaſa.l.3.D.de ſup.lega.quæ in gemmis eſſe negantur,licet perlucida ſint:rectè:quia nec cryſtallina,vtraque,ſicut vitrea,fragilia.Plinius lib.33. Murrhina & cryſtallina ex eadem tellure effodimus, quibus pretium faceret ipſa fragilitas. At Propertius videtur exiſtimaſſe Murrhina fuiſſe fictilia, cum in Parthorũ carminis coqui ea ſcribat,lib.4.eleg.5.

Seu quæ palmiferæ mittunt uenalia Thebæ:
Murrheáque in Parthis pocula cocta focis.

De his Seneca.lib.7.de Benefic.c.9. Capitol.in M.Antoni.Philoſopho. Dicuntur Murrhea vaſa.l.11.D. de ſupell.leg.

MVREX.l.3.C.de veſtib.holober.libr. 11.l.9. C.The. de murileg.conchæ genus,ex cuius cruore infici,ac tingi veſtes ſolebant,Plinio.l.9.c.25.

MVRILEGVLI, in rub.C.de murilegul.lib.11. dicuntur qui legunt murices,piſces, qui in mediis faucibus habent purpuræ florem tingendis expeditum veſtibus. Alio nomine appellantur in iure Conchylioleguli, ſiue conchyliorum piſcatores.Huic autem muneri originis & conditionis iure addicebantur, adeo vt non poſſent ad dignitatẽ vllam vel militiam aſpirare:vel, ſi ad eam aſpirauiſſent,reuocabantur, redditis bonis, ſiqua eiuſdem originis & conditionis homines aliquo titulo poſſiderent.Quod ſi ea exteri poſſediſſent, maluiſſentque eidem conditioni ſe ſubiicere, quàm ea bona reſtituere,audiebantur, ita vt in futurum eſſent murileguli,& in præteritum reliqua publico canonis fiſco perſoluerent.

MVSARII.l.j.C.de excuſ.artif.lib.10.qui & Muſiuarij, Græcis μυσωτὰ καὶ μύσωνες,ſunt ij qui muſea ſeu ἐμβλήματα conficiunt, id eſt ea, inquit Sipontinus, quæ in ædificiis ex pumicibus dependẽtia fiunt,ad imaginem ſpecus arte reddendam,vulgò Muſeaca dicta:quorum meminit Plin.lib.36. c. 21. Spartianus in Peſcennino Nigro Muſiua vocat:Hunc, inquit, in Commodianis hortis in porticu curua,pictum de muſiuo inter Commodi amiciſſimos videmus ſacra Iſidis ferentem.Cuiacius teſtatur in vet.libris Muſinarij legi,& ita ſcribẽdum contẽdit apud Firmicum in fi.c.4.lib.2. Aut inauratores,aut muſinarios.

MVTARE cauſſam poſſeſſionis tunc dicitur quis,quando id,quod poſſidet precario, vult iam poſſidere pro donato.Iſta mutatio non eſt recepta, teſte Zaſio in l. quod meo.D.de acq.poſſ.

Mutare ſtatum, pro perdere, amittere, in §.Pomponius ait.l.ſi ex cauſſa.D.de minor.

Mutari actio propriè dicitur,cum vetere omiſſa, alia proponitur.Regulariter autem permittitur ante litis conteſtationem,exceptis caſibus,qui ab interpretibus recẽſentur.qua de re vide l.edita.C.de edend.& ibi Bar. Bal.Paul.Caſt.Salic.Alciatum.

MVTATIO modica vel verbi,vel particulæ, ſtatũ & veritatem orationis demutat.l. ea tamen.de leg.3.l.ſi in emptione.§.pen.ſub fi.l.cùm ab eo.de contrah. empt, l.3.de in diem addict.l.ſi quis à filio. verſ. Sed ſi ita.de leg.j.cum ſimil.Itaque quod nõ mutatur, ſtare permittendum eſt.l.ſancimus.C.de teſtam.l. præcipimus.ſub fi.& ibi gl.in verb.intelligant.C.de appel.& conſult.

Mutatio ciuitatis fit tribus modis,vt ex Ciceronis oratione pro Balbo colligitur: Dicatione, id eſt.deſtinatione,cùm quis in aliam ciuitatem voluntate aſcitus eſt. Calamitate,hoc eſt,damnatione, qua in ſignificatione ſæpe idem vtitur,ſicut & incolumes appellat eos, qui nondum damnati aut abſoluti ſunt, Præterea poſt liminio,vt ſcilicet cuius permaneret, qui animum redeundi habuiſſet. Vide Syluium interpretem, & Budæum in adnot.

MVTABILE quid ſit,& quomodo accipitur, Bart.diſſerit in l.naturaliter.§.Apium.D.de acquir.rer.domin.

MVTITARE, in vetere decreto Senatus, quod refert Gell.lib.2.c.24.ſignificat mutua inter ſe conuiuia agitare Qua verbo idem auctor vſus eſt lib.8.c.2.

MVTIANA cautio,vide Cautio Mutiana.

MVTVATIO, ſumptio mutuæ pecuniæ. Cicero pro Flacco:Cum multos minutis mutuationibus fraudauiſſet.Et ſic in S.C.Vell.apud Vlpianum.l.j. D.ad S.C. Vell. Quod ad fideiuſſiones & mutationes pro aliis quibus interceſſerint fœminæ pertinet. Sic enim legendum eſſe in Obſeruationibus ſuis iam pridem docuit Hotom.non autem MVTVI DATIONES.Prohibet enim S.C.ne mulieres pro aliis mutuam pecuniam accipiant:non autem vt ne dent.

MVTVVM appellatum eſt,vt volunt Iuriſcõſulti, ab eo, quòd de meo tuum fit.l.2.§.2. D. de reb.cred.quod & Nonius Marcellus ſequi videtur: Honeſtius, inquit, mutuum eſt quod ſub amico affectu fiat meum tuum, vſu tẽporis neceſſarij.Mutuum autẽ,vt volũt quidam, vel mutui datio dicitur quaſi viciſſitudinaria cõmutatio & functio rerũ in eodem genere.Mutuum enim propriè dicitur,quaſi viciſſitudinariũ: ideóque adiicitur, DATIO. At mutuum definit Cuiacius Obſeruat. lib.11.c.37.Creditũ quantitatis datæ ea lege vt eadem ipſa quantitas reddatur in genere,non in ſpecie eadẽ. Huius definitionis rationẽ & explicationem vide pleniſſime loco præcitato.Addit ibidem Mutui nomen à mutatione formã habere, quòd mutetur hoc genere pecunia cum pecunia, dum par quantitas accipitur & redditur:quódque cõſiſtat in his rebus, quæ facile mutationem & promiſcuum vſum recipiunt: nec exiſtimat à nomine Siculo μοῖτον deductum, vt vult Varro lib.4.Ling.Lat.quod Siculi Roma oriundi, mutui nomen inde potius tulerint,quàm ab illis Latini. Cicero in quadam epiſt.ad Q.Metellum,ad hanc Cuiacij definitionem alludit his verbis:Quod autem ita ſcribis, Pro mutuo inter nos animo: quid tu exiſtimes eſſe in anima mutuum neſcio.equidẽ hoc arbitror, cum par voluntas accipitur & redditur.

Mutui datio conſiſtit in his rebus, quæ pondere, menſura, numeróve cõſiſtunt:quòd earum datione in creditum poſſumus ire.Eiúſque forma in eo reſidet, vt numeri ad numerũ,menſuræ ad mẽſuram, ponderis ad põdus ſolutio explicetur:quæ & formalis in mutuo qualitas nominari poteſt, teſte Zaſio in Intellectibus.In creditum autem ire,dixit,pro mutuum contrahere, ſicut,& in debitum ire.l.quòd ſi ab initio. D. de rebus credit. Quanquam & ex alio cõtractu in creditum abire dicit,in l.procuratoris.§.ſed etſi.D.de tribut.actio.

Mutuum damus recepturi non eãdem ſpeciem, quam dedimus(alioquin commodatum erit, aut depoſitum)ſed idem genus.Nam ſi aliud genus, veluti ſi pro tritico vinum recipiamus,non erit mutuum. Paulus in l.mutuum.ſi certum petatur.& alibi.& Gaius lib.2.tit.9.

Mutuum facere & proprium facere, apud Plautum in Curculione opponuntur. *Ego autem cum illa facere nolo mutuum.*

mutuum. PA. *Quid ita?* PH. *Quia proprium facio.* Parum illi videtur mutuum facere, quòd in mutuo ius noſtrũ remanet: proprium facit, vt iam alieni iuris id ſit, & totum ad alium tranſeat dominum.

Mutuum etiam accipitur pro promutuo, in l.fi. C.de fru. vrb. Conſtantinopol.lib.11. quod interpres βασιλικῶν, vertunt προχρείαν σιτωνίας. & vide infrà Promutuum.

Mutuam pecuniam, per anticipationem ſeu prolepſim dicimus, quæ adhuc mutuò data non eſt, ſed ea deſtinatione habetur, vt mutuetur, l.malum nauis. §.vidua. D.de verborum ſignificat.

Mutuæ petitiones, l.38. D.manda.l.j. C.rerum amo. Tertul.lib.2.aduerſ. Marcionem. Sic Mutuæ actiones, Quintilianus Declamat.355.

MVTVS propriè qui eloqui nihil poteſt, non qui tardè loquitur. Inſt.quibus nõ eſt permiſ.fac.teſt.§.item ſurdu.l.diſcretis.C.qui teſtam.fac.poſ. Interpretes obſeruarunt, quòd mutus, infans, abſens quandoq; æquiparantur, l.ſeruo inuito.§.ſi pupillo. D.ad Trebel.

MYA, genus conchæ circa Boſphorum Thracium, vt ait Maſſarius.

MYOPS, μύωψ, Luſcitioſus: vt ait Gellius lib.4.cap.2. Vlpian.l.10.§.3.D.de ædil.edict. De myope quæritur, an ſanus eſſet. & puto eum redhiberi poſſe. Ariſt.in Proble.ſect.31. μυωπάζειν δὲ λέγονται, οἱ ἐκ γονετῆς τὰ μὲν ἐγγὺς βλέποντες· τὰ δὲ ἐξ ἀποστάσεως οὐχ ὁρῶντες. ἀντία δὲ πάσχουσιν οἱ γέροντες τοῖς μυωπάζουσιν. τὰ γὰρ ἐγγὺς μὴ ὁρῶντες, τὰ πόρρωθεν βλέπουσι. Luſcitioſi, inquit, appellantur, qui natura quæ propè ſunt cernunt: quæ verò procul, nõ vident. Senes verò contrà ac luſcitioſi affecti ſunt. nam quæ proxima ſunt non vidẽtes, quæ procul ſunt perſpiciũt.

MYROBRECHARII, vnguẽtorum venditores: Alciat. l.j. C.de excuſ.artif. eo nomine appellari ſcribit eos qui capillos delibutos gerunt.

MYROPOLÆ Græcis, qui nobis Vnguentarij dicuntur, effœminandorum animorum artifices, quos vrbe expulſos à Lacedæmoniis, auctor eſt Seneca, Natu. quæſt.lib.4.

MYSTERIA, ſacra, initia in l.nullus.C.de ſum.trini. Hinc

MYSTÆ initiati ſacris, vide A.Alciatum d.l.nullus.

MYRIADES, l.2. C. de veter.iur. enuc. quod vulgò *un million.*

N

N. L.his notulis ſignificabatur probationes, & argumenta ſatis apta nõ eſſe ad cõdemnandum, id eſt non liquere: quot pluribus in Prioribus Annot.indicat G.Budæus ex Gellio lib. 14.ca.2. ad fin. cuius modi interlocutionis adhuc veſtigia ſuperſunt in l.Pomponius. D.de re iudic. & l.12.§.fin. D.de arbit. & apud Senecam lib. 8.Epiſtol.

N Literam inter E & S ponebant veteres, vt mollius proferrent: auctor eſt An.Auguſt.lib.2.cap.6.Emend. vt in dictione quotiens, & vicenſimus, trigenſimus, & quadragenſimus perpetuò in Pand.Flo.

Νάκος Sudæ, ἔντειχον δέρμα, ſeu δέρμα προβάτου.

NAM & ἀντιλογική, & inceptiua, idem ſignificans quod planè l.j.§.fin. D.de rerum diuiſ. l.85.§.ſacram. D.de verb.oblig.l.10.C.ſi cert.pet. Nam in l.omnes.4. C.de anno.& tribut. accipitur παρασυναπτικῶς, id eſt ſub continuatè. In l.inter ſtipulantem.85.§.ſacram. D.de verb.oblig. & in l.Stichum, 95.§. vſumfructum, D.de ſolu. accipitur pro ſed.

NANCISCI, non eſt ſimpliciter acquirere, ſed (vt Donatus in Hecyram Terentianam adnotauit) nanciſci propriè dicitur, qui paratus ad tenendum, antequam poſſit reperire quod teneat, ſtatim quod occurrerit, prehendit. In iure noſtro pro conſequi ponitur. Vide Alex.Neapolit.ca.21.Gen.dier.lib.j.

NARBONENSIS prouinciæ, quæ etiamnum Prouinciæ nomen retinet, & olim Germanici iuris fuit, meminit Iuriſconſ.in l.2. De ori.iur. Vadianus in Epitome orbis. illuſtres recẽſet eius vrbes. Quo titulo nunc à Gallis teneatur, ex ſcriptoribus patet.

NARDVM, Pomponius in l.21.§.j. D.de aur.argen.numerat inter ea vnguenta, quæ valetudinis cauſſa parata ſunt. Ex nardo igitur confectum vnguentum ſignificat: quod Plinius lib.13. cap.j. Nardinum appellat. ſed PVRVM addidit, vt ab illo Pliniano diſtingueret, quod aliis permixtis conſtat, & voluptatis ac ſuauitatis cauſſa tantummodo paratur. tametſi hoc quoque puro elegantiores vngi mulieres ſuauitatis tantùm cauſſa ſubiungat: quod etiam Tibullus libro ſecundo Eleg.2. perſpicuè ſignificat, *Illius puro diſtillent tempora nardo.* Purum autem nardum Græci πιστικὸν mea quidem ſententia, vocant, id eſt ἄδολον, καὶ μετὰ πίστεως κατασκευασθεῖσαν, vt Marcellus lib.de medicamentis, & Theophylactus exponũt. Gloſſæ vet. Nardũ piſticũ, ſiue balſamũ, ſine impoſtura. Nec dubitandũ quin nardum piſticam in Euangelio ſic oporteat interpretari. πιστικὸς enim verbum ἀπὸ τῆς πίστεως deriuatur: vnde & pro eo ſumitur cuius fidei committitur nauis cura: vel etiam gregis, apud Alexium Angelum. Vide Πιστικός.

NARDOSTACHYS, in l.fi.§.ſpecies. D.de publican. id eſt ſpica nardi.

NATALIBVS reſtitui dicebantur liberti, qui beneficio Principis ingenuitatis ius ac dignitatem adipiſcebantur. Natalia enim ſunt, ius libertatis, quod natura principiò generi humano æquabiliter tribuit, vt alter alterius ne pareret imperio: quemadmodum docet Marcianus l.2.D.de natal.reſtit. Plinius ad Traianum: Poſtulantibus quibuſdam, vt de agnoſcendis liberis reſtituendíſque natalibus, ſecundum epiſtolam Domitiani ſcriptam Minutio Ruffo, & ſecundum exempla Proconſulum ipſa cognoſcerem reſpexi ad S.C. pertinens ad genera cauſſarum. Qui ergo natalibus reſtituti erant, eo loco habebantur, quaſi ſerui nunquam fuiſſent, l.3.D.de bon.lib.l.4.D.de iur.aur.anul. Ideóq; iuris plus habent quam quibus ius aureorum anulorum datur: quia ab horum ſucceſſione patroni non excluduntur, l.5.de iur.aur.an. ab illorum verò excluduntur, l.2.de nat. reſtit.

NATORVM appellatio, inquit Modeſtinus, ad nepotes extenditur, Bulgaro, vt veriſimile eſt, interprete, teſte Alc. Sed an quod de natorum appellatione Modeſtinus dixit, in l.ἐκ τῶν τέκνων. de verb.ſig. locum ſibi vendicet, etiam cùm de prognatis, ſeu progenitis fit mentio. Et horum appellatione propriè nepotes contineri, Alciatus magis credit. Præpoſitio enim hoc inducere videtur. Sicut etiam pronurum, pronepotem, proſocerum dicimus. Nam & progenitores pro quibuſcunque aſcendentibus accipiuntur.

Natum dicitur de rebus repentinis, auctor Donatus. Id autem occupantis fit, vt de nata inſula cenſuit Imper. Inſtit.de rer.diuiſ.§.inſula.

NATI accipiuntur etiam ij, qui execto vẽtre editi ſunt: quin etſi non integrum animal editum ſit, cum ſpiritu tamen, natum dicimus, l.quod dicitur.12. D.de liber.& poſthum. præterea qui ſtatim poſteaquam editi fuerunt, mortui ſunt, nati dicuntur. l.3. C.de poſthum.hæredi. atqui mortui, aut monſtroſi, aut prodigioſi editi ſunt, pro natis non habentur, d.l.3.& l.qui mortui, 129. D.de verbor.ſignifi. Natum tamen ab eo qui ex ſecto matris ventre extractus eſt, diſtingui videmus in l. 6.§.ſecundo D.de inoffic.teſtamen.l.13.§.ex omnibus, D.de publician.

NATI, liberi: vt apud Terentium perſæpe. Iuriſconſulti tamen ad eos qui ex ancillis naſcuntur vocem hanc contraxerunt Imper.§.17.De lega.Si quis ancillas cum ſuis natis legauerit,etiã ſi ancillæ mortuæ fuerint, &c.

NATVRAM deficit B.Augu.lib.2.de moribus Manich. nihil aliud eſſe quàm id quo in vnoquoque genere intelligitur aliquid eſſe. Vnde natura vim, cõditionem, qualitatem cuique rei inditam, innatam, attributam ſignificat.Sic Natura agrorum,l.j.§.fi.D.de aq.plu.arc. Natura rerum qua quæque res conſiſtunt.l.38.D.ſi cert. pet.l.15.D.ſta.homi. Natura φύσις, dicta eſt ab eo, quòd aliquid naſci faciat,cuius proprietatẽ cauſſamq; non inuenimus, præterquàm quòd ita natura comparatum ſit.

Natura prima eſt cauſſa, à qua omnes omniũ cauſſæ producuntur. Vnde ſumma naturæ ſignificatio accipitur pro Deo ipſo creditore cæli & terræ,§.in pecudum. Inſtitu.de rerum diuiſio.Et de iur.natur.gent. & ciuil. Inde Florentinus dixit grauiter: Naturam conſtituiſſe inter nos cognationem quandam, in l.3.D.de iuſtit.& iur.Paulus in l.ſed etſi reſtituitur.§.fin.D.de iudic.Nec rerum naturam, ait, intuendam, in qua omnia certa eſſent, cùm futura vtique fierent:ſed noſtram inſcientiam aſpici debere.

Naturæ autem inferiores ſignificationes, ſubiectæ materiæ accommodantur. Nam aliàs denotat rationẽ honeſti, à Deo hominibus inditam ad imaginẽ ſui. Vnde dicitur naturalis æquitas, quàm ſecundum conſtantem ac perpetuam voluntatem ſequitur Magiſtratus, l.j. D.de minoribus. Inſtit.de rer. diuiſ.§. ſingulorum. Aliàs inclinationem affectuũ humanorum vitioſam, & Adæ lapſu corruptam.l.item ſi vnus.§.principaliter. D.de recep.arbitr.ibi: Propter naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem. Et Iuſtinianus in l.2.in princ.C.quando & quibus quar.pars debet. veriſſimè dicit: Naturale quippe vitium eſt negligi, quod communiter poſſidetur. Aliàs vim genuinã omnibus animantibus inditam,vt tractatur in §.Apium quoque.& ſeq.Inſtit.de rer.diuiſio. Aliàs denique natura ſignificat conditionem ſeu qualitatem omnium rerum corporalium & incorporaliũ ex primordiis inhærentem. Vnde naturaliter loci vitium dicitur In l.fluminum. in princ. D.de dam.infect.Ex natura rerum in l.4.D.de præſcript.verb.

Natura hominis ex Adæ lapſu adeò corrupta fuit, vt vix igniculi remanerent, ex quibus tam magnifica diuini & naturalis iuris bonitas agnoſci poſſet. Obſcurata enim fuit ratio naturalis,& extenuata per inobedientiam primi illius parentis, & impoſturam Satanæ. Et cùm ratio dominari debeat,ac ſecundum formam honeſtatis voluntatem manuducere:contrarium euenit, vincitque frequenter carnalis voluntas prona ad malum.Vnde fit,quòd Iuriſconſulti ſæpe Naturã hominũ pro corruptela tali accipiunt, vt paulò antè diximus.

Natura ſui apertæ dicuntur tabulæ in l.10.§.j. D.quemad. teſt.aper.id eſt, *de ſoymeſmes*. Sic natura ſua res intercidere in l.14.§.j.D.depoſ.id eſt naturali morte.

Natura ponit fundamenta in toto iure: Ciuilis verò auctoritas latius porrigit naturæ axiomata, accommodat negociis, & diſpenſat ſecũdum immenſam varietatem vnicuique.

Naturæ quatuor ſunt Senecæ: arboris, animalis, hominis,Dei:de quibus grauiter diſſerit epiſt.125.

NATVRALIA quemadmodum à ciuilibus paſſim in libris noſtris diſtinguantur, operæprecium arbitror exponere: & quoniam id accuratè traditum eſt ab Hotomano, nec ferè ab alio quouis, quod viderim, eius hic ſubiiciam verba: Tribus modis, inquit, de naturali & ciuili iure diſſeritur. Primus modus hic eſt, Res omnes, de quibus Iuriſconſulti diſputant, aut naturales eſſe dicuntur, aut ciuiles, aut mixtæ. Naturales dicuntur, quæ cùm verè ſint,& extent,tamen populi Romani legibus & forma Reipub.qua populus Romanus vſus eſt, receptæ non ſunt: veluti cognatio ex eo concubitu contracta, qui à legibus Romanis prohibitus eſt,l.4.§.2.de gradibus.Nam ſiue liber ex ſerua,ſiue tutor ex pupilla,ſiue ſeruus ex ancilla,ſiue ſenator ex liberta liberos ſuſcipiat,ij naturæ iure atque ordine,& verè liberi ſunt illorum,& viciſſim illi eorum parentes: ſed quia contra populi Roma.leges id factum eſt, propterea ſimpliciter naturales liberi & parentes appellantur, l.adoptiuus. De ritu nupt.& perpetuo tractatu Cod.De naturalibus lib.Naturaliter enim fieri dicitur à noſtris,id quod reuera factum eſt:& (vt vulgus loquitur)de facto.vnde Naturaliter apertæ & naturaliter clauſæ tabellæ dicuntur ab Vlpiano in l.3. §. 12.D.de ſen.Silan.& Naturaliter interrumpi poſſeſſio dicitur, cum non ſurculus dicis cauſſa, vt moris erat, defringitur: ſed ſi de poſſeſſione quis deiiciatur, vel alicui res eripiatur,l.5.D.de vſurpa. Vnde paſſim ea quæ Naturaliter fiunt,in iure dicuntur eſſe facti,veluti traditio, l.ſi rem.28. & l.in conuentionalibus.52.§.j. D.de verborum obligation.item poſſeſſio.l.19.§.Itémque.D.ex quibus cauſſis maior.l.j. §.ſi vir. l.cùm hæredes.23. & l.poſſeſſionem.29. D.de acquiren.poſſeſſio. item ſolutio, venditio, traditio.l.7. D.de curat.fur. item legatum in annos vel menſes ſingulos, l.10,D.de capit.minut. Ciuiles dicuntur eæ res, quæ cum reuera non ſint,in iis tamen quæ ſunt, iure Quiritium habentur atque numerantur; veluti cognatio ex adoptione cõtracta,d.l.4.De gradibus. Et hoc exemplum ita perſpicuum eſt,vt explicatione non egeat.Conſtat enim Æſchinum Mitionis filium non eſſe verè,ſed iure factum & fictione. Item vſusfructus pecuniæ,l.2. D.de vſufruct.ear.rer. Mixtæ dicuntur, quæ cùm reuera ſint, tum etiam à iure Quiritium comprobatæ ſunt: veluti cognatio ex legitimis nuptiis contracta, puta ex Cicerone & Terentia, d.l.4.eod.ſic Matrimonium naturale dici poteſt, quod cùm reuera contractum ſit, à iure tamen Quiritium approbatum nõ eſt, ac propterea iniuſtum vulgò appellatur,l.ſi vxor.13.§. j.D.de adulter.l.ſi quis.27.l.ſi Senator.13. De rit.nupt. veluti ſi ſenator libertinã duxerit; aut tutor pupillam, curatórve adoleſcentem.Item ſi liberta quæ patrono nupſerit, diuortio facto alteri nubat;l.vlti. D.de di-uor. Ciuile eſt, quod etſi reuera, id eſt eo modo quem natura inſtituit, contractum non eſt, tamen pro contracto habetur: veluti cùm in abſentis & volentis domum vxor deducta eſt: adeò vt ſi rediens moriatur, ab vxore lugendus ſit, l.5.& l.6. De rit.nupt. Item cum apud hoſtes eſt maritus.l.6.De diuort.vbi Iauolen.ait, vxores eorum qui in hoſtium poteſtatem peruenerunt, poſſe videri nuptarum locum retinere eo ſolo, quòd alij temerè nubere non poſſunt. Exemplum de poſſeſſione:Poſſeſſio naturalis dicitur, cùm quis corporaliter quidem, hoc eſt manibus ac pedibus, ſed tamen aut iniuſtè, aut non accommodatè ad iuris ciuilis rationem rem aliquam obtinet. Iniuſtè,vt qui liberum hominem vinxit, l.cùm hæredes.23. §.2.D.de acquiren.poſſeſ.qui vi poſſeſſionem inuaſit,aut vxor, cui conſtante matrimonio maritus(quod prohibitum eſt) donauit,l.j.§.5.D.de vi & vi arm.l.ſi eum.26. D.de donat.inter vir.& vxor.l.j. §.j.l.vxor. D.de acquir.poſſeſ. l.nec vllam. D.de petit.hæredit. Non accommodatè ad iuris ciuilis rationem, id eſt,vtiliter ad vſucapionem: vt coloni, inquilini, fructuarij, depoſitarij, commodatarij, emphyteutæ, conductores, l.communi.7. §.6.D.commu.diuid.l.2. D.pro hærede. Nam hi omnes vſqueadeò ciuiliter non poſſident, vt plerunque dicantur non poſſidere (quod tamen ita intelligendum eſt,

dum eſt, non poſſidere ciuiliter.) Vide l.ſciendum eſt.
§.creditor.D.qui ſatiſd.cog.l.ſi ſeruus depoſitus.§.j.D.
de nox.act.l.6.§.j.D.precar.l.j. C.commun.de.vſu.ma-
gis quippe tenere dicuntur, l.j.§.4. D.quod legator.
Hinc poſſeſſio naturalis dicitur eſſe facti, l.j.§.ſi vir.
l.cùm hæredes. 23.l.poſſeſſionem.29. D.de acquiren.
poſſeſ. Ciuilis poſſeſſio dicitur, cùm quis non cor-
poraliter quidem, ſed tamen & animo & accommo-
datè ad vſucapiendi finem poſſidet: veluti debitor, qui
pignus creditori dedit.l.ſerui.16.D.de vſurp.l.qui pi-
gnoris.l.j.D.de acquiren.poſſ.Item qui ab hoſtibus ca-
ptus eſt,l.in bello.12.§.facti.D.de capt.& poſtlim.Item
qui ad nundinas profectus eſt, l.clàm poſſidere.6.§.j
D.de acquir.poſſeſ. Mixta autem poſſeſſio eſt, quam
quis & corpore & animo, iuſtè & congruenter iuri
ciuili poſſidet. Naturalis obligatio. Exemplum de
naturali obligatione. Naturalis obligatio eſt,quæ cùm
verè contracta ſit, à iure tamen Quiritium non ap-
probatur: veluti ſeruus aliquis ciui Romano mutuo
centum aureos dedit. ſi naturam ſpectemus (quæ pa-
rem omnium hominum conditionem ſtatuit, l.32. D.
de regu.iur.) nemini dubium eſt, quin ciuis ille ſeruo
illi ſit obligatus. Id quod ex præſenti rerum ſtatu qui
nunc in Europa eſt, clariſſimè quiuis poteſt intellige-
re. At iùs populi Romani (quod ſeruos nullo numero
habebat, l.quod attinet. D.de reg.iur.l.ſeruitutem,eo-
dem) nunquam actionem & iudicium dediſſet ſeruo
aduerſus illum debitorem. Prætor enim vrbanus, non
ſeruis, ſed ciuibus Romanis ius reddebat. Hinc ergo
dicuntur ſerui in contractibus naturaliter & obligari
& obligare, l.ſerui.14. D.de obligation. & actio.l.ſi
quod dominus.64.de condict.indeb.l.nec ſeruus.41.
de pecul. Hinc debitum quod dominus ſeruo deberi
in tabulis ſcripſerat, non ciuile, ſed naturale eſſe dici-
tur, in l.quibus.40.§.dominus. de condit.& demonſtr.
Hinc Vlpianus in l.fideiuſſor.16.§.ſecundo. D.de fide-
iuſ. ſcribit abuſionem eſſe vocabuli, cùm dicimus ſer-
uum debere, vel ſeruo deberi: nimirum quia deberi
propriè id demum intelligitur, quod apud Prætorem
peti poteſt. ſeruus autem nec agere apud Prætorem,
nec conueniri poteſt. eadem eſt ratio, ſi qui eiuſdem
familiæ ſunt, inter ſe contrahant: veluti duo fratres,
qui in eiuſdem patris poteſtate ſunt: vel pater cum fi-
lio, vel filius cum patre, ſeruus cum herili filio, vel hic
cum illo, l.frater à fratre, & alibi ſæpe, D.de condit.in-
deb. Meminiſſe autem oportet, in iſta diſputatione,
regulæ cuiuſdam ab Vlpiano nobis traditæ in l.Sti-
chum.95.§.naturalis.D.de ſolut.vbi ait, Firmamentum
quo ſolo nititur naturalis obligatio, eſſe vnicam æqui-
tatem. facit l.eas obligationes.8.D.de capit.minut. vbi
Caius ſcribit, actionem de dote in bonum & æquum
conceptam eſſe, eiúſque obligationem habere natu-
ralem præſtationem. facit l.ſi noxali.11.D.de pecul.l.
nam hoc. De condict.indebit. quapropter vbicunque
æquum eſt, ibi naturalis obligatio eſt: tanquam eius
obligationis cauſſa efficiens, aut certè cauſſa ſine qua
non ſola ſit æquitas. Hinc illud apud Saluſt. in Catil.
Ius bonúmque apud maiores noſtros, non legibus
magis quàm natura valebat. Quo ex præcepto triplex
effectus naturalis obligationis naſcitur: primùm, vt
ſolutum ab imprudente, non repetatur, d.l.fideiuſſor.
adde vt fideiuſſor teneatur, §.j.Inſtit.de fideiuſ. vbi vi-
de Theoph. qui has obligationes neque actionem pa-
rere, neque ad condemnationem proficere, ait d.l.ſi
quod dominus, item l.naturales. De obligat.& act.Se-
cundum, vt compẽſandi ius præbeat, l.etiã. D.de com-
penſat. Tertium vt ad conſtitutũ valeat, l.j.D.de conſt.
pecu. Ciuilis autem obligatio eſt, quæ vel nunquam
reuera contracta eſt, vel cum reuera contracta eſſet,
facto tamen aliquo, ſed ad iuris Ciuilis rationem non
accommodato, diſſoluta eſt. Quæ nunquam contracta
eſt, veluti ex inani chirographo. nam ſi ſcripſi me cen-
tum abs te mutuo accepiſſe, quæ tamen nũquam cre-
dideris, tamen chirographum atq; cautionem meam
habeas, re quidem vera tibi obligatus non ſum: at ci-
uiliter obligatus ſum, §.idem iuris eſt, de except.lib.
Inſt.4. Item obligatio vi, metu, dolóve malo cõtracta
propterea naturalis non eſt, quia æquitati contraria
eſt. Dicebamus autem paulo antè obligationis natu-
ralis robur & firmamentum eſſe ſolam æquitatem, l.
Stichum, De ſolut. attamen obligatio hæc ciuilis con-
tracta eſt: vt §.3.& §.4.De exceptio.l.j.& paſſ.D.de doli
except. vnde conſtat propter iſtas obligationes actio-
nem dari, Pacto, verò aliquo naturaliter quidem diſſo-
luta obligatio, ciuiliter autem manere dicitur, veluti
cùm pactum eſt ne peteretur. nam pactum nudum, id
eſt, ſine ſtipulatione factum, ciues R. neque obligabat,
neq; ab obligatione diſſoluebat, l.iuriſgentium. D.de
pact.& tamen propter iſtud factum, naturaliter & ex
æquo & bono diſſoluta erat. Nihil enim magis æquũ
& naturale eſt, quàm pacta ſeruari, l.j.De pact.l.j.D.de
conſt.pec. Item ſi iudicatum eſt, & verè quidem iudi-
catum, pecuniam non deberi. nam etſi æquum eſt om-
nem obligationem diſſolui, manet tamen ciuilis, l.3.
D.de except.l.j.& paſſ.D.de except.rei iudic. Mixta au-
tem obligatio eſt, quæ cùm reuera & æquiſſimè con-
tracta ſit, tum etiam à iure Ciuili comprobatur, & cõ-
firmatur. Poſtremum exemplum ſequitur de ſolu-
tionibus: Naturalis ſolutio eſt, quæ cùm reuera facta
ſit, rata tamen à iure ciuili nõ habetur: veluti cùm pa-
ctum de non petendo factum eſt, aut iuſtum iuſiuran-
dum datum. l.Stichum.95.§.naturalis. De ſolut. Solutio
ciuilis eſt, quæ cùm reuera facta non ſit, tamen pro fa-
cta numeratur. veluti cùm dies actionis præteriit. l.2.
& paſſim, D.de diuerſ.& temp.actio. itẽ cùm falsò iu-
dicatum eſt non deberi, l.iudex.l.Iulianus. D. de con-
dict.indebi. item cùm falsò iuratum eſt rem petitoris
non eſſe, vel nihil ei deberi, l.vlti. De iureiur. Item cùm
debitori maxima & media capitis diminutio conti-
git, l.ſi debitori.47.D.de fideiuſ.l.ſeruus.30.D.de oblig.
& act.l.vlt. D.de duobus reis. Mixta ſolutio eſt, quæ
cùm verè facta ſit, tum à iure ciuili rata habetur: velu-
ti ſolutio pecuniæ, vel acceptilatio, quæ ideo iuriſ-
gentium appellatur. l.an inutilis. 8.in fine. D.de acce-
ptil. cùm tamen per ſtipulationem (quæ ciuilis eſt) fiat:
& à C. Aquilio Iuriſconſult. primùm excogitata ſit.
Secundus modus quo Iuriſconſulti de naturali & ciuili
iure diſputant, non ad res omnes, ſed ad paucas, &
certas duntaxat pertinet: eas nimirum quæ vtriuſque
iuris ſunt participes. In iis igitur duo conſiderantur,
ortus & materia, quæ naturæ attribuuntur: deinde in-
crementum & forma, quæ à iure ciuili profecta ſunt.
Cuius rei aliquot exempla ſubiiciemus. Matrimonium
dicitur eſſe iuris naturalis in l.j.D.de iuſt.& iur. con-
ſtat enim viri & vxoris ſocietatem à natura inſtitu-
tam, & à gẽtibus omnibus comprobatam atque vſur-
patam fuiſſe. itaq; naturale ius & pudor in matrimo-
niis contrahendis dominari dicitur, in l.adoptiuus.14.
§.j.de rit.nupt. verùm vt matrimonia fierent per con-
farreationem, coemptionem, vſum: vt aliæ matresfa.
eſſent, aliæ matronæ tantũ: vt per coemptionem con-
tractum matrimonium ius ſui & viro & vxori tribue-
ret, per vſum contractum nõ tribueret: vt nuptiæ ſint
conſortium omnis vitæ, diuini & humani iuris com-
municatio, ſicut ait Modeſt.l.j.D.de rit.nup. vt ſena-
tores, eorúmque liberi libertinam vxorem ne ducant:
l.23.eod. hæc, inquam, omnia quæ formam quandam
matrimoniis afferunt, nequaquam à natura ſunt, aut
gentium plurimarum communia, ſed ab iis qui Rei-
pu. Romanæ formam inſtituerunt, excogitata, & ſuo-
rum ci

rum ciuium cauſſa propriè introducta ſunt. Sequitur alterum exemplum. Patria poteſtas à natura ſine dubio inſtituta eſt, & ab omnibus gentibus vſurpata: cuius rei præclara diſputatio eſt apud Ariſtot.lib.Politicj.cap.3.Iuſtinianus tamen ſub tit. De patria pot.& Dionyſius Halic.lib.2. & Caius ſub tit.de his qui ſunt ſui vel al. nominatim affirmant, eam eſſe Iuris ciuilis, etenim vt pater in filium vitæ necíſque poteſtatem haberet,l.vlt.C.de pat.pot.l.in ſuis.11.D.de lib. & poſt. vt pater poſſet filium vendere, eundem poſſet noxæ dedere, emancipare, nunquam à natura inſtitutum, ſed à Romulo (vt ait Dionyſ.) excogitatum, & in ſuæ ciuitatis vſum introductum eſt. Eodem pertinet patris conſenſus in filiifam.nuptiis, quæ poteſtatis illius pars eſt. Iuſtinianus autem ait eum & naturalis & ciuilis iuris eſſe, §.j.de nupt. Nam hoc fieri debere, inquit, & ciuilis & naturalis ratio ſuadet. Ac de naturali quidem & gentium iure inter omnes conſtat. Verùm vt in filiifa.nuptiis conſenſus ille deſideretur, in emancipati verò nequaquam, l.filius.De rit.nupt.vt patris captiui, aut in peregrinitatem redacti conſenſus non ſit neceſſarius, l.in bello.2.§.medio.D.de capt.& poſtli.hæc, inquam, omnia ex iure Quiritium manaſſe, nemo non videt. Sequitur exemplum de tutela. Tutelam naturæ maximè conſentaneam eſſe, & ab omnib, gentibus vſurpatam, nemo ignorat.itaque iuris naturalis dicitur à Iuſtin.§.vlti. De legit.agnat.tut. Quid igitur eſt quod in l.j. D.de tut.dicimus tutelam eſſe iure ciuili datam ac permiſſam? Reſpondetur, hoc ad formam à Romanis Iuriſconſ.excogitatam referendum eſſe: veluti ne quis peregrinus ciuis Romani tutor ſit: vt certæ tutelæ ſint, legitimæ, fiduciariæ, quaſi legitimæ, Attilianæ, tutor ſuam pupillam vxorem ducere, aut filio vxorem accipere non poſſit. l.tutor.15. de ſponſa.tutoris vnius auctoritas vel ſatis ſit, vel non ſatis ſit, l.vlt.C.de auct.tut.vt capitis diminutione non nullæ pereant, nonnullæ verò amittãtur: hæc, inquam, omnia aliáque innumera Iuriſconſ. Romanorum inuenta eſſe conſtat. Iam verò agnatio iuris ciuilis dicitur eſſe ab Imp.§.vlt.de legit.agna.tut. Atqui dubium nemini eſt, quin communio ſanguinis, quæ verbo ipſo ſignificatur, à Iuriſcon.Ro.excogitata non ſit.quinetiã certum eſt ante fundamenta vrbis Romæ iacta, nomen illud agnationis in Latio vſurpatum fuiſſe pro ſanguinis communione. verum vt agnatus remotioribus potius quàm cognatis propinquioribus hæreditates & tutelæ deferantur, vt agnationes per omnem capitis diminutionem intercidant, non à gentium aut naturæ iure, ſed à pop.Rom.inſtitutis profectum eſt. Eiuſdem generis eſt Suitas, hoc eſt ius illud quod habent filiifa.in parentum ſuorum inteſtatorum hæreditatibus. hoc enim ita naturæ congruit, vt nihil magis. patet ex l.vlt.D.de bon.damnat.& Ariſt.in Eth. verùm vt ea per adoptionem & per coemptionem acquiratur, vt per emancipationem & peregrinitatem amittatur, ab ingeniis Iuriſconſ.Ro. excogitatum eſt. Cognatio quoque cùm ſanguinis communionem ſignificat, naturalis eſt.§.vlt.de leg.agna.tut. Itaque naturale eſt, vt filius inteſtatus matri ſuccedat. quoniam tamen per leges XII.Tab.neque mater filio, neque filius matri ſuccedebat, idque poſtremis temporibus per S.C.Orficianum, & Tertyllianum introductum eſt: propterea dicimus, cognationem iſtam materiam & ortum à natura, incrementum autem à iure ciuili accepiſſe. Nemo enim hæc quæ ſcribit Vlpia.initio legis 2.D.de S.C.Tertyllia.dicet ex naturæ inſtituto fluxiſſe. Si filius, inquit, vel filia libertini ſint effecti, mater legitimam hæreditatem vindicare nõ poterit: quoniam mater eſſe huiuſmodi filiorum deſiit. Item illud ex eadem l.§.ſi mater: Si mater nõ petierit tutores idoneos filiis ſuis, vel prioribus excuſatis reiectiſve, non confeſtim altera nomina ediderit: ius non habet vindicandorum ſibi bonorum inteſtatorum filiorum. Tertius modus quo Iuriſconſulti de naturali & ciuili Iure diſputant eò pertinet, vt Naturalia dicantur ea, quæ gentium omnium communia ſunt: Ciuilia verò, quæ ciuium R.propria. Communia gentium omnium in libris noſtris commemorantur hæc: Legatorum ſanctitas, l.vlti.D.de legation. Et apud Cice.multis locis. emptio. venditio, l.ex hoc iure. D.iuſt.& iur. locatio & conductio, ibid. Precarium, l.j.D.de precar. ſocietas, mandatum, mutuum, commodatum, depoſitum, pignus, traditio nuda, poſſeſſio naturalis, donatio, pactum, l.iuriſgentium.l.ſi vnus.D.de pact. tranſactio dominium in bonis, cognatio. Ciuilium autem tria genera reperio: Legis actiones, priuatas ſiue extraiudiciales ciuium actiones, & iura ciuilia: veluti emancipatio, l.4.de adopt.l.2.& l.3. De offic.proconſ. adoptio, l.4.de adopt.l.2.& l.3.De offi.proc. Manumiſſio per vindictam, l.4.C.de vindic.lib. In iure ceſſio, apud Vlpian.in Inſtit.cap.26,& Boëtium in Top.Cice. vbi nominatim ait, hanc fuiſſe legis actionem. Tutoris in iure datio.nam primum magiſtratuum maiorum fuit propria: pòſt in pupillorum fauorem etiam omnibus magiſtratibus municipalibus permiſſa eſt, l.j.& l.3. De tut.dand. Poſtulatio iudicij recuperatorij: quæ propterea legis actio ſæpe nominatur propriè, vt Verr.3.& apud Valerium, Plinium, & Cicer.pro Cæcinna. Item poſtulatio bonorum ex edicto, ſtipulationes & ſatiſdationes tum prætoriæ, tum etiam iudiciales: quoniam quod apud iudicem fit, fieri apud Prætorem videtur; cuius imperio & auctoritate iudex ſedet. nam de Prætoriis quidem Vlpian.ſic loquitur in l. actionis.37.D.de obligat.& actio, Actionis verbo, inquit, continentur etiam ſtipulationes quæ Prætoriæ ſunt, quia actionum inſtar obtinent. Priuatæ autem ciuium actiones à nobis dicuntur, quæ extra iudicium fiunt, veluti ſtipulatio vulgaris, id eſt neque prætoria, neque iudicialis.nam in ſolos ciues R. conuenit ea obligatio, l.vlti .De duob.reis, l.ſi debitori.47. De fideiuſſ. Item mancipatio & nexus, auctore Cic.in Top. in Orat. pro Cæc.Varr.lib. De re ruſtic.2. In manum conuentio, teſtamenti factio, vſurpatio, id eſt, vſucapionis interruptio, cum ſurculus defringeretur. Teſtamenti factio per æs & libram, cretio, acceptilatio Aquiliana, manumiſſio per cenſum, & teſtamentum. l.2.De interd.& releg. acquiſitio per legem, auctore Vlp.in Inſt.Operis noui nuntiatio, & remiſſio, bonorum omnium emptio, & ſectio: Var.auctore lib.De re ruſt.11. Iura autem ciuilia nunc dicimus, non actiones, ſed vim quandam ciuium R.propriam, cuius peregrini omnes expertes ſunt.huius generis ſunt agnatio, & gentilitas, patria poteſtas, ſuitas, ſiue ius ſui, vſucap.id eſt ius per vſum capiendi, dominium iure Quiritium, teſtamenti factio, id eſt capiendi ex teſt.ius, acquiſitio lege, de qua Vlpia.in Inſt.loquitur, Poſtliminium. Atque hæc quidem hactenus. Nunc illud animaduertendum eſt, eorum quæ ciuilia ſunt, quædam magis, quædam verò minus ciuilia dici poſſe. Minus ciuilia ſunt, quæ per ſolam ciuitatis amiſſionem intereunt, quæ media capitis diminutio appellatur: veluti cognatio quatenus ciuilis eſt, hoc eſt ex nouis legibus ſiue Senatuſconſ.inſtituta: mater enim filij in peregrinitatem redacti, mater eſſe deſinit.l.2.& l.j.§.capitis, D.ad Tertyllia.l.7.D.de cap.min.item Teſtamenti factio.l 8.D.de teſtament. Tutela prætoria & teſtamentaria, l. 7.De cap.min. Vſucapio, auctore in Offic.Cicer. Obligationes ciuiles, l.vlti.de duob.reis.l.ſi debitor.47. de fideiuſ. Item ſocietas, l.verum eſt.63. in fine, D.pro ſocio.nam illa emancipatione non tollitur, l.actione.65.

§.ſocietas

§.ſocietas. D.eodem. Item Matrimonium, quatenus eſt iuris ciuilis,l.in bello.12.§.3.l.13.&l.14. D.de capt. & poſtlim.l.ſi quis.56.D.ſolut.matri.nam quatenus naturale eſt,per ciuitatis amiſſionem non tollitur,l.j. C.de repud l.res vxoris.24.C.de dona.int.vir.l.5. D.de bon. damnat. Atque hoc eſt quod ait Paulus in l.ſunt quidam.15.D.de pœn.Ciuitate ſpoliatos ea quæ iuris gentium ſunt,retinere:quæ verò Ciuilis iuris ſunt,amittere. Magis verò ciuilia dicuntur, quæ non tantùm ciuitatis,verùm etiam familiæ amiſſione,id eſt emancipatione (quæ minima capitis diminutio vocatur) intereunt:cuiuſmodi ſunt agnatio,§.vltim. De legit. agnat. tut.patria poteſta.l.12.D.de capt.& poſtlim. §.cùm autem,quibus mod.ius.ſuitas,l.ſed cum.6.§.j.D.de bon. poſſeſſ.teſtandi facultas,§.j.quibus non eſt permiſ.tutelæ legitimæ & fiduciariæ, vſusfructus olim auctore Paulo,lib.Sent.tertio,cap.6.Poſtremò quaſi corollarij nomine illud adiiciemus: In hoc diſputationis genere contraria contrariis tolli, quæ modò eiuſdem generis ſunt. Nam exempli cauſſa, contractus iuriſgentium per diſtractum,id eſt per ſolam contrariam conuentionem extinguitur. l. ab emptione. 58. D.de pact. Item pactum per pactum contrarium, l.ſi vnus. §.pactus.D.de pact.l.Stichum 95.§.naturalis, D.de ſolut.Item obligatio naturalis per iuſtum iuſiurandum, d.l.Stichum.& l.vlt.D.de iureiur.Itémque per acceptilationem,quatenus non formulam,ſed materiam ſpectamus:id eſt remiſſionem,l.8.in fi.De acceptilat. Eodem modo etiam Nuptiæ per diuortium, quod verbis certis,& ſeptem teſtibus adhibitis fiat, dirimuntur. l.j. & l.7.D.de diuort.& apud Ciceronem lib.de Oratore 1.Item ciuilia per contraria ciuilia diſſoluuntur:veluti, obligationes ciuiles per acceptilationem & nouationem, l.j.& paſ.D.de acceptil. & De nouat. At neque ciuilia naturalibus, neque naturalia ciuilibus extinguuntur,§.vltim.De legit.agn.tut.l.8.D.de cap.minut. Ex Hotomano.

Naturalis iuſtitia pro æquitate, apud Modeſtinum in l. ſcire oportet.§.ſufficit.D.de excuſ.tut.

Naturali vitio parcendum, per l.fluminum.§.vitio.D.de damn.infect.Cæterùm naturæ vitia an ſint accuſanda, vel an ſit accuſandum quod natura produxit, tractat elegãter, vt omnia, doctiſſimus Baro à Tautemberg. in luculentiſſima interpretatione Vſu.Feud.lib.j.

Naturalis ætas eſt,quæ minor eſt triginta annis: legitima verò,quæ maior eſt anno trigeſimo. Non quod ætatem maiorẽ triginta annis natura non agnoſcat, quoniam omnis ætas naturalis eſt: ſed quòd ſpecialiter lex ætatis, quæ annos triginta excedit, meminerit, ideò dicitur hæc eſſe legitima. Vide Theophilum, Inſtitut.de libertin.

Naturalis filius, à vulgo barbarorum dicitur, vt Inſulanus atteſtatur,qui ſit ex illegitimo toro ſuſcitatus: ſed parum aptè. Eſt enim proprie filius naturalis,qui ſanguine & natura ſit tuus, non adoptione factus. Hanc diſtinctionem idem firmat ex verbis Tranquilli in Tiberio. Iuriſperitis tamen naturales filij dicuntur, qui ex cõcubina ea,quæ matrimonio duci poterit,naſcuntur.vt §.aliquando. Inſtit.de nuptiis. Vulgo concepti, qui ex vago concubitu ſunt, neque patrem oſtendere poſſunt,vt quem nuptiæ ſolùm oſtendunt: ſpurij Latinè.Græcè ἀπάτορες dicti, quaſi ſine patre. Nothi verò vulgata voce illegitimi vocantur ex adulterino concubitu progeniti. iidem qui Naturales. Manſeres, qui ex ſcorto vulgo concipiuntur. Spurij ex his qui ſacris initiati, aut religionem profeſſi ſunt.

Naturales liberi qui ſint, diſces ex l.j.§.ſuis D.de ſuis & legit.l.j.D.de concub. & toto tit.C.de natura.lib.

Naturaliter,id eſt,ratione naturali l.25. §.conſuluit. D.de pet.hæred. quandoq; ſignificat corporaliter, & realiter,l.53.D.de acqui.rer.do.quandoque, id eſt facto naturali l.5.D.de vſucap.

Naturaliter ad mortuũ videtur pertinere locus in quem infertur, l.4. D.de religioſ.

Naturaliter poſſidere dicitur,cùm quis corpore poſſidet, vſumque rei apprehenſæ percipit. Quòd ſi quis verè rei non inſiſtit,neque vſum percipit, is per interpretationem legis ciuiliter poſſidere dicitur. l.Pomponius.D.Famil.erciſc.l.naturaliter.D.de acqui.poſſ.

NAVIS in edicto de exercitoria actione accipi debet ſiue fluuialis ſiue marina. Marinarum autem nauium (quæ & maritimæ vocantur l.5.§.diuus. D.de iure immun.) quædam actuariæ dicuntur, quædam onerariæ, quædam ἐπιβατικαί. Naues actuariæ, dicuntur quæ præter vela remis etiam aguntur:ſed propriè ſic dicuntur quæ voluptatis cauſſa paratæ ſunt.Marcellus l.2.D.de capt.& poſtlim. Nauibus longis atque onerariis propter belli vſum poſtliminium eſt: non piſcatoriis, aut ſi quas actuarias voluptatis cauſſa parauerunt. Nauis oneraria, quæ oneri ferendo parata eſt, quæ non remis, ſed velis vtebatur. Vlpianus l.j.§.5. D.de exerc. act. Quædam enim naues onerariæ, quædã, vt ipſi dicunt ἐπιβατικαί. Marcell.l.2.D.de capt.& poſtlim. Nauibus longis atque onerariis propter belli vſum poſtliminium eſt. Ἐπιβατικαί autem naues ſunt idoneæ ad vectores traiiciẽdos, l.j.§.ſed & ſi vt certis. D.de exercit.act. ἐπιβάται enim vectores appellantur. Vide Ἐπιβατικαί. Inter fluuiales naues ſunt rates,quas nauigij appellatione etiam contineri Vlpianus ſcribit l.j. §.nauigij.D.de fluminib.quanquam à nauib. ſeparantur in l. j.§.de exercitoribus.D.nautæ, caupo. Vnde Ratiarius, qui rates ducit, l.30. D.de pign.act.vt lintrarij, qui lintres, in d.§.de exercitoribus. Eiuſdem generis ſunt Pontones,de quibus Paul.l.vl.D.de ſeruit.ruſtic.& alij multi auctores.

Naues Luſoriæ, apud Vegetium lib.2.cap.j. & lib.4.cap. vlt.eæ erant quibus in Danubio quotidianis vtebantur excubiis:quarum etiam titulus eſt lib.7. C.Th. Huiuſmodi nauigiorum meminit etiam A.Marcellinus lib.17.& lib.18.& Seneca lib.7.de Benef.cap.20.

Naues piſcatoriæ, naues piſcibus capiendis accommodatæ.Marcellus l.2.D.de capt.& poſtlim.reuerſ. Nauibus longis atque onerariis, propter belli vſum poſtliminium eſt:non piſcatoris.Liuius lib.33. Ni mare propinquum,& haud procul litore naues piſcatoriæ pleræque conſpectæ peritis nandi dediſſent effugium.

Naues vinariæ, in quas vinum effundebatur,l.21.§.ſed & ſi.D.de furt.de quibus hæc Varronis lib.2.de re ruſtic. cap.j.accipi vult Briſſonius:Nauibus vindemiam condimus ex inſula Coa & Chia.

Naues captiuæ, ipſæ quæ ab hoſtibus dicebantur captæ, & meritò poſtliminium habebant, vt docet Marcel.l.2. de capt.& poſtlim. Tullius in Top.Poſtliminio redeũt hæc,homo, nauis, mulus clitellarius, equus,equa quæ frena accipere ſolet.

Naues triremes,quæ tres remorum ordines habent; ſicut biremes duorum,quadriremes quatuor ſunt ordinum. Triremium Princeps à Seneca lib.7.de Benefic. Trierarchus vocatur.

Nauis ſi adeò ſæpe refecta eſſet, vt nulla tabula eadẽ permaneret, quæ non noua fuiſſet,nihilominus eandem nauem eſſe exiſtimari,auctor Alphenus l.proponebatur.D.de iudiciis.

Nauis membra hæc recenſet Alfenus l.ſcapham,44. D.de euict.gubernacula,malus,antennæ, velum.

NAVICELLA, diminutiuum à naui. Marcell.l.17.§.j.D. de inſt.vel inſt.Inſtrumento piſcatorio contineri Ariſto ait nauicellas, quæ piſcium capiendorum cauſſa comparatæ ſunt.

NAVALIA vaſa, in quibus onera recondita in naues imponuntur

imponuntur.Vlpianus l.19.§.5. D.de aur.argeñ. Vaſorum appellatio generalis eſt:dicimus vaſa vinaria, & naualia. Sic legendum cenſet Hotom.non NIVALIA, pro colo niuario.quod & Vlpiani ſententia repudiat, & loquendi conſuetudo NIVARIA enim per R.legendum eſſet.

NAVARCHVS, nauis princeps,qui in naui nautis imperat, Cicero in Ver.Sumptum omnem in claſſem, frumento,ſtipendio,cæteriſq; rebus nauarcho ſuo quæque ciuitas ſemper dare ſolebat.

NAVFRAGIVM, inter fortuitos caſus quando ſit numerandum,docet Bart.l.j.& 2.C.de naufrag.Frideric. Imperat.in Authen.Nauigia. C.de furt.damnat eos, qui bona naufragorum ſibi appropriāt, prætextu conſuetudinis,quæ certè crudelis eſt & impia.

NAVICVLARII, C.de nauicul.lib.11.ſunt naucleri qui naues habent proprias vel cōductas, quarum obuentiones & reditus omnes accipiūt. Vnde nauiculariam dicuntur exercere, qui talem agunt functionem: & exercitores vocantur in l.j.§.exercitorem. D.de exercito.act.Ex his autē in vrbe certum corpus erat, quorū alij annonæ vrbis ſeruiebant,alij lignis ad lauacra, alij aliis neceſſitatibus publicis.De lignariis eſt textus l.10. C.Th.eo.& apud Symmach.lib.j.Epiſtol.

NAVCLERI, in l.j.& 2.C.de nauicul.lib.11. & Nauicularij in rub.C.eo.eadem ferè ſignificatione ſunt.Alius tamen Græcis ναύκληρος eſt, alius κυβερνήτης. ſic enim eos Plutarh.in Polit.diſtinguit: ναύτας μὲν ἐκλέγεται κυβερνήτης, κυβερνήτην ναύκληρος.Et Athenæus lib.51. τὸ μὲν τῶν ναυῶν ἀδικημάτων δικαστήριον καθειστήκει ναύκληρος, κυβερνήτης, πρωρεύς. Ammonio Naucleri ſunt non ſolum qui naues poſſident.ſed & ædium locatores: Heſychio vero Nauclerus eſt ὁ συνοικίας προεστὼς, ſiue σταθμοῦχος, is ſcilicet qui ita hoſpitibus domum ſuam quaſi locat, vt nauicularius vectoribus. Demarchi item Athenis ναύκληροι dicebantur, vt ex Hyperide obſeruat Harpocrates.

NAVLVM, merces quam vector pro nauigatione nautæ diſſoluit. Vlpianus l.6. D.qui pot.in pign. Si quis in merces ſibi obligatas crediderit,vel vt ſaluæ fiant, vel vt naulum exſoluatur. Vlpianus l.39.D.de legat.& fid. libro 30.Et id in operis ſeruorum, vel vecturis iumentorum,vel naulis nauium dicendum.Vecturarum verbo pro naulo Vlpianus vtitur l.mercedes. 29.de petit. hæred.Item vecturæ nauium & iumentorum.

NAVIGIVM, ponitur tam pro nauigatione ipſa, quàm pro naui quacunque. hoc nomine continentur rates, l.j.§.nauigij. D.de fluminibus. Nauigium enim genus eſt, continens naues, rates, & cæteras ſpecies, quibus ad nauigationem vtimur. Columel. Iamque qui ædificare velint,fabros & architectos aduocent:qui nauigia mari concredere,gubernandi peritos. Probantur hæc in l.j.D.de fluminibus.

NAVPEGI, in l.fin. D.de iure immuni. & apud Firmic. li.4.Matheſ.cap.7.dicuntur qui naues compingunt & fabricant Ναυπηγὸς hodie apud Venetos vulgò appellatur *Calafatte*, voce à recentioribus Græcis mutuata, qui nauium artifices καλαφάτας appellant. teſtatur Michaëlis Imp.nomen,qui Calefates vocatus fuit, quòd parētes ipſius naues apud Paphlagonas cōſtruxiſſent.

Ναυφύλακες, l.j.§. & ſunt quidam.D.nauc.caup. ſtabu.qui cuſtodiæ gratia nauibus ab exercitoribus præponebantur.

NAVTA, vel epentheſin Nauita, proprie is eſt, inquit, Vlp.qui nauis nauigandæ cauſſa in naui eſt: at in edicto naut.caup.ſtab.is dicitur,qui nauem exercet,l.j.§.j. D.eod.qui & Nauicularius dicitur,l.9. D.de decurio.l. 5.D.de mu.& ho.

NAVTEPIBATÆ, in l.debet.§.hæc actio.D.naut.caup. ſtab.ſunt Alciato teſte,qui nauem inſcendunt, & pro precio vecturæ,ſeu naulo, ipſi nautarum officio funguntur. Quod autem μεσονάυτας, & ναυτεπιβάτας eadem eſſe vult, lib.j.Parerg.c.48.perperam.Nautobatas, hoc eſt,eos qui funes nauium inſcendunt, à Iuriſcoſ. ſenſu alienos eſſe,Idem tradit in fine lib.3.Diſpunct.

NAVTICA pecunia; quæ alias Traiectitia dicitur, eſt, quam creditor negotiatori trans mare nauigaturo vſque ad certum locum,vel in omne itionis & reditionis tempus ſuo periculo præſtat.qua de cauſſa permiſſum eſt,vt eius nomine & ex pacto vſurā petat,& vſuram grauiſſimam petat,l.j.& paſſ. D.de nau.fen. Dicitur & Nauticū fenus, & vſura maritima,l.6. D.illo tit.

NE

NE, plerunque non vetat,ſed negat,& pro non ſumitur, vt in l.13.§.idem Iulianus. D.de iureiuran.Iurauerit ſe furtum ne feciſſe.Et in l.62.§.vlti.D.de condit.& demonſtr.Si à liberis ne nupſerit. Sic in l.21.§.j. D.rer. amot.Pedius putat ne furtum eum facere. Adde l.penult.§.non danda.C.de erogat.an. lib.11.Hoc & Donat.in Terentij Andr.& Eunuch.notat, & in hoc Næuij verſiculo: Vtinam ne in nemore Pelio. Ne, pro an,non rarò apud Iuriſcoſ.occurrit,l.in perſona.D.de pact.l.3.§.fi.D.de don.inter vir. & vxor. Quando verò Ne,cauſſam,modum,conditionem in iure noſtro inducat,vide Bar.in l.ſiquis poſſeſ.D.de acqui.poſſeſ.

Ne,pro vt non l.videamus.§.2.D.locati.

Ne paſſim,id eſt,indiſtinctè,l.fi.C.de iur.& fac.igno.

Ne facias furem,vel fugitiuum ſeruum meum,hoc eſt,exponente Vlpiano,ne ſolicites,vt fur fiat, vel fugitiuus fiat: ne ita negligas ſeruum,vt fur efficiatur,l.non impoſſibile.D.de pact.

Ne luminibus officiatur, hoc maximè adeptum videbitur,ne ius ſit vicino inuitis nobis,altius ædificare, atq; ita minuere lumina noſtrorū ædificiorum, teſte Paulo l.3.D.de ſeruit.vrb.præd.

NE NON.Sub hac particula aſſertionē eſſe Zaſius exemplis è Iuriſcoſſ.petitis planum facit, in ſcholiis ad §. Cato.l.eadem dicemus.D.de verb.oblig.

ΝΕΑΚΙΣ eſt terra præciſa,quæ anno ceſſauit,quam Latini Noualem vocant: qua dictione vſus eſt Gaius l. ſylua,30.D.de verb.ſignifi.Alij eo in loco pro νέακιν, legūt νέατον.Vide Bud.in ver.Νέατον,& Alc.li.j.Prætermiſ.

NEBVLO, Antiq.Lex.ὁ τὰ ἴδια λάθρα καταφαγών. Hæc addo quoniam parum ſunt vſitata.

NEC, pro non in XII.Tab.poſitum ſcribit Feſtus, & ex earum capitibus quæ hodiè extant,apparet. Sic l.3.§.ſi duo impuberes.D.de carbo.edic.l.j.§.ſi ad fiſcum.D.vt lega.nom.caue.

NEC RARO, pro,Et rarò, poſitum videtur à Celſo geminata negatione ex Græcorum conſuetudine, pro ſimplici.Si tibi nupſero, inquit, decem dari ſpondes? cauſſa cognita denegandam actionem puto.nec rarò probabilis cauſſa huiuſmodi ſtipulationis eſt, l.87.§.1. D.de verb.oblig.vbi optimus Accurſius inſolentia locutionis offenſus, Nec rarò, inquit, id eſt, nunquam: ſed & NEC RARA legi quibuſdam in libris teſtatur: quod abſurdius multo eſt. Hotom.

NEC in l vnica.§.& cum lex.C.de rei vxo.actio. pro nec quidem poſitum ſcribit A.Aug.lib.2.Emend.cap.j.

NEC EIVS REI DOMINVS effectus eſt, cùm lex dicit, aliquem non eſſe dominum, vel accepiſſe à non domino.Item non eſſe factum dominum,& cætera id genus verba accipienda ſunt (quatenus ad ipſam legem loquentem attinet) de caſibus,qui ſic euenire ſolent frequenter: & cùm eueniunt, apud naturam ſunt certi,non autem referenda ſunt ad opinionem actoris,qui ignorare poteſt vtrum tradēs fuerit dominus, an non fuerit.

NECARE videtur non tantùm is, qui partum præfocat, ſed & is qui abiicit, & qui alimoniam denegat, & is

qui publicis locis miſericordiæ cauſſa exponit, quam ipſe nõ habet, auctor Paulus, D. de lib. agnoſ. l. necare.

in NECEM Iuriſcoſſ. in perniciem, fraudem, damnum. l. j. §. ſi fideiuſſerit. D. ſi quid in frau. pat. l. 11. §. verſum. D. de in rem verſo. & alibi.

NECESSE, Neceſſum, à Ceſſo deductum eſt, quia nõ ſit in eo ceſſandũ, inquit Donatus in Terent. Id ergo eſt, quod vi aliqua cogente fieri opus eſt.

NECESSARII ſunt, vt Gallus Ælius ait, qui aut cognati, aut affines ſunt, in quos neceſſaria officia conferuntur, præter cæteros. Hæc Feſtus. Atque in hac ſignificatione paſſim in libris noſtris vſurpantur, vt l. cõgruit. D. de off. præſid. l. benignius. D. de lib. cauſ. l. j. §. vlt. D. de eo qui pro tut. l. affectionis. D. de donat. Neceſſariæ perſonæ. l. j. & 2. D. in ius vocati vt eant, intelliguntur parens patronus, item patrona, liberi, vxor, nurus. Dicuntur & neceſſariæ perſonæ, conſanguinei, in l. imperator Anton. D. de pact. Inſt. de hæred. diff. §. ſui.

NECESSARIVS hæres, vide Hæres neceſſarius.

Neceſſariæ impenſæ. Vide Impenſæ.

NECESSITVDO, pro Cognatorum propinquitate, ſeu iure & vinculo coniunctionis, vel ſanguinis, vel affinitatis, vel amicitiæ. l. vlt. D. de iuſt. & iur. l. ſi tutor. D. de ſuſp. tut. l. in fideicõmiſſi. §. cum polidius. D. de vſur. Sumitur etiam pro neceſſitate in l. non omnes. D. de re milit. & alibi.

NECESSITAS contradictionem non admittit. Solet enim multa nos, vel inuitos docere neceſſitas, ſicut eſt exitus ſtultorum magiſter.

Neceſſitas legem ſæpe obtrudit inuitis: quemadmodum olim curam Reipublicæ magna hominum turba, vt euitaretur confuſio, ad Senatum deduxit. l. 2. §. deinde quia difficile. D. de orig. iur. l. illicitas. §. vlt. D. de offic. præſid.

Neceſſitas nõ habet ferias: vt ſunt exempla in l. ſolet etiã. D. de feriis Eodem mdo dicitur, Neceſſitas non habet legem.

Neceſſitas iudicandi apud Iuriſconſ. in l. vlt. D. de muneríb. §. iudicandi quoque neceſſitas, ex quo ſanè non rectè perceptum commentatores & parum firmum, vel potius falſum ducunt argumentum in tabularios atque ſyngrapharios, vt id quod ſuæ functionis eſt, conficere ipſi cogantur: cùm meliore interprete Budæo, reuera Arcadius Iuriſcoſ. hoc ſignificare voluerit, hominem politicum, ac ciuili more viuentem, vt cætera munera ciuilia, ita iudicandi quoque munus agnoſcere, obireque debere, & ad id cogi poſſe.

Νεκροθάπτης, ὁ τοὺς νεκροὺς θάπτων, id eſt qui mortuos ſepelit, l. 5. D. de inſtit. Latine Libitinarij dicuntur, vt teſtatur Vlpian. d. l. 5. Vide Libitinarij.

NECTERE artibus moras, eleganter Imperatores dixerunt in l. vnica. C. de ſuffragi. pro Solutionem differre dolis.

NEGANTIS nulla eſt probatio. l. adſeueratio. & l. actor. C. de probat. per rerum enim naturã fieri non poteſt, vt non entium vllæ ſint qualitates. Quoties verò vel tempore vel loco coarctatur negatiua, probationem recipit. l. Pan toninus. §. perduellionis. D. de acquir. hæred. l. 2. C. de error. aduo.

NEGO NARRATA PROVT NARRANTVR, animo litem conteſtandi. Cautela eſt calumnioſorum aduocatorũ prorſus impia, nata in Iuriſperditorũ ſcholis, non ſacroſancti iuris officina.

non Nego, mediũ quiddã eſt inter negantẽ, & verè affirmãtẽ. C. is qui tacet. de reg. iur. l. ſi putas. C. de pet. hær.

NEGATIONES duæ, adfirmant: tres negant. Paul. l. 24. D. de recept. Sed ſi poſtea ille paratus ſit accipere, non impunè me non daturum. Videre licet tamen multis in locis apud Iuriſc. negationes duas repetitas more Græco, pro vna. Vlp. l. fluminum in prin. de damn. infect. Cum nemine nihil faciente locus ipſe publicus damnum inferat ſui natura. Sic. l. neminem. C. de re milit. lib. 12. Neminem in nullo numero equitum, vel peditum, &c. ſociari concedimus. Item l. deuotum. C. de metatis, & epidem. Ad nullum prædium publicum vel priuatum domus noſtræ, vel cuiuſcunque iuris nullus metator accedat. Sic apud Varronem lib. j. de re ruſtica. c. 69. Nec ſi eum ſeruare non potuiſſet, quin nõ multo poſt animam efflaret. Item apud Plautum ſæpe. Apud Terentium, Faciunt ne intelligendo, vt nihil intelligant. Ita enim locus ille legendus eſt, nec ne in næ mutandum, vt quibuſdam placet.

Negatio pura, vel ſimplex appellatur, qua neque expreſſè, neque tacitè quicquam aſſeritur, ſed intentio tantùm actoris in iudicio fit dubia. l. vlt. C. quibus ad libert. procl. non lic. cum multis ſimilibus ll.

NEGATORIA, ſeu negatiua actio, à negando dicitur, ſicut confeſſoria, à confitẽdo. Eſt autẽ illa in rem actio negantibus verbis concepta, per quam aut libertatem, aut ſeruitutem vindicamus; & propterea ab Vlpiano contraria actio vocatur in l. ſicuti. in princ. D. ſi ſeruit. vindicet. & §. æquè. Inſtit. de actio. Huiuſque hæc eſt formula: Nego tibi ius eſſe vti frui, inuito me: Ni ius tibi non ſit, vti frui. Si pateret Titio ius non eſſe vtendi fruendi: Nego tibi ius eſſe altius tuas ædes tollendi. At Confeſſoria petimus ſeruitutes ruſticanas, vel vrbanas, adſerendo vel appropriando nobis ius in re aliena. Et vtraque rectè appellatur vindicatio.

NEGATIVA regulariter dicitur improbabilis. l. actor. C. de probationibus. Eſt autem multiplex, facti, iuris, qualitatis: de quibus copioſius Speculator ſcribit titul. de probat. §. j. de verb. Negatiua.

Negatiua vniuerſalis omnia poſt ſe deſtruit, hoc eſt, & actum & potentiam, vt dicunt Logici. Quod verũ eſt in iure noſtro, ſi omnia principalia ſecundũ materiam ſubiectam deſtrui intelligimus: quippe quæ per accidens veniunt: & ſuppoſititiè iſta non deſtruuntur, vt docet Zaſi. in intell. quo loco tractat propoſitiones vniuerſales quomodo intelligantur.

NEGLIGERE videtur, qui ſæpe cõuentus ſui præſentiã non facit. per l. de vnoquoque. §. qui apud. D. de re iud.

NEGLIGENS, qui in rebus ſuis diligentior non eſt. §. ſi. Inſt. pro ſoc. Negligẽtem, quaſi non eligentem, Iſidorius interpretatur. Iuriſperitis negligẽs etiam plerunque dicitur, eo ipſo, quòd quid non facit, quãdo agendum eſt, certo ſcilicet tempore & loco: niſi de impedimento doceat, vt per Fel. traditur in verb. Negligẽtia de reſcript.

Negligentia ſimplex eſt, quam culpam leuiſſimam vulgò vocant. Negligentia magna, culpa eſt, quæ modò leuis, modò magna, pro ſubiecta materia accipiẽda eſt: magna autem culpa dolus eſt l. 226. D. de verbor. ſig. & dolo æquiparatur. Specul. tit. de reſtit. in integ. §. j. verſ. vt autem.

Neglig ẽtia noſtra ad alienam iniuriam referri nõ debet, Scæuola in l. 3. D. de tranſact. Negligẽtia quãto tempore inducatur, docet Bart. in l. j. De his, quibus vt indign. & in l. cognitiones. D. Ad Silanian.

NEGOTIVM, alias accipitur pro cura ſeu occupatione. Hinc negotium dare, pro mandare, committere, Paul. in l. item eorum qui. §. j. D. quod cuiuſc. vniu. Aliàs pro lite, vt in l. error facti. C. de iur. & fact. ign. l. ſententiis. C. de erro. aduoc. Aliàs pro contractu, & obligatione, quo ſenſu appellatur πραγμάτευμα, aliàs pro moleſtia, & vexatione, vt in l. j. in princ. D. de calumniato. Hinc facere negotium, exhibere negotium, faceſſere negotium. Vlp. in l. j. de calumniat.

Negotium ad omnem cauſſam pertinet, hoc eſt, ciuilem, criminalem, priuatam & publicam. Bart. in l. j. §. j. D. de calumniat.

Negotium propriè eſt,cùm quid rerum contrahendarum cauſſa vltrò citróque geritur:hoc eſt cùm quid datur, vicíſsímque accipitur:cum enim ſuum tãtum accipitur,non dicitur negocium.l.ſi in area.33. D.de condict. indeb.Sic in l.15.l.19.l.22.D.de præſcript.verb.

Negotium meum dicitur,cum lucrum & damnum ad me pertinet.Vlpian. in l.j.§.in propria.D.quan. appel.ſit. Negotium autem alienum quatuor modis dicitur:cura ſiue ſolicitudine, reipſa, ratihabitione, & ipſo geſtu. Vide gl.in l.ſi pupilli tui,in fi.§.pen.

Negotium autem generaliter pro eo omni quod ad rem alicuius familiarem attinet vſurpatur.l.j.& paſſ. D. de neg.geſt. Hinc:

Negotiatio dicitur in mercaturis faciendis, veluti Negotiatio Sagaria.l.52.§.quidam.D.pro ſocio. Hinc:

Negotiatores ſerui,qui negotij exercendi cauſſa, veluti ad emendum, locandum, conducendum præpoſiti eſſent.l.legatis.65.D.de legat.3.& l.ſi hoc.49.D. pro ſoc.

Negotiator veſtiarius,Scæuola in l.libertus negotiatoris. D.de oper.libert.

Negotiatores non iidem ſunt,qui Mercatores: vt vulgò creditur.Negotiatores enim dicuntur ciues R. qui in prouinciis ſedem ac domicilium fortunarum ſuarum habebant:neque Romam ferè niſi cenſus tempore,hoc eſt quinto quoque anno veniebant.At Mercatores ſunt qui cùm Romæ domicilium familiámque ſuam habeant,interdum ad aliquot menſes in prouincias excurrunt, mercium exportandarum aut importandarum cauſſa.Ex negotiatoribus autem in prouinciis conuentus conſtabant, hoc eſt, Proprætores ac Proconſules,cùm forum haberent,ac ius dicebant, in priuatis quidem cauſſis,Recuperatores ex eo numero dare ſolebant in capitalium verò rerum quæſtionibus, eos in conſilium adhibebant. ſi cui patronus dandus eſſet,ex eodem numero togatum aliquem dabãt.Hæc ex longa obſeruatione Hotomani in Verrinam quartam,in qua rerum iſtarum vſus perſpicitur. Nũc quærendum eſt Negotiatorum nomine an etiam Publicani & Argentarij,qui in prouinciis domicilium habebant,contineantur.Sed de publicanis facilis & expedita ratio eſt.nam & in epiſt.j.ad Qu.Fratrem apertiſſimè diſtinguuntur,vbi ſic ſcribit:Conſtat Aſia ex eo genere ciuium,qui,aut quòd publicani ſunt, nos ſumma neceſſitudine attingunt:aut quòd ita negotiantur, vt locupletes ſint,&c.Item in Maniliana: Nam & publicani ſuas rationes & copias in illam prouinciam contulerũt:deinde cæteris ex ordinibus homines naui & induſtrij partim in Aſia negotiantur, partim ſuas & ſuorum in ea prouincia pecunias magnas collocatas habent.Denique tum ex illa oratione, tum ex ea pro Fonteio planè conſtat,Negotiatores dici Aratores præſertim,& pecuarios:Publicanos verò eos fuiſſe,qui ab Aratoribus decimas à pecuariis ſcripturã,à mercatorib. autem portorium exigebant. Nunc de Argentariis & Feneratoribus videamus.nam hic ſanè locus,quem modò ex Maniliana protulimus, Argentarios à Negotiatorib. diſtinguere videtur. Sed hoc reſtricta & anguſta ratione intelligendum eſt.nam in ea pro Fonteio Feneratores & Argentarij perſpicuè Negotiatorum nomine ſignificantur. A quibus verſuras tantarum pecuniarum factas eſſe dicunt? Et Paulo poſt:Referta Gallia negotiatorum eſt, plena ciuium R.nemo Gallorum ſine ciue Rom. quicquam negocij gerit.nummus in Gallia nullus ſine ciuium R.tabulis commouetur. vnæ tabulæ proferantur, in quibus veſtigium ſit aliquod,quod ſignificet pecuniam Fonteio datam.vnum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero teſtem producant.

Nema sericum. D.de publ.l.vlt.§.ſpecies, id eſt filum,ſeu ſtamen,quod apud Seras conficitur,cuius meminit Suidas in verbo σηρικόν,vt indicat Alciat.in prætermiſſis.Νῆμα autem deducitur ἀπὸ τοῦ νέω, quod eſt filum è colo duco,ſeu torqueo.

Nemo, vox vniuerſalis,reſtringitur ad pauculas admodum perſonas, in l.ſtipulatio iſta.§.ſed ſi quis.D.de verb.obli.quippe propter rationem æquitatis ita exigentem.

Νεώνητος,nuper emptus,nouitius.

Neophytus, nouellus, nuper baptizatus, Paulus ad Timoth.4.c.Neophytus,diſt.58.& alibi.

Nepos qui ex filio filiáve natus eſt: quòd natus ſit poſt patri quàm filius,vt ait Feſtus.qui etiam deduci ſubindicat à voce ποῦς, quod fundamentum ſignificat, & à Græcis dici νέποδας,quòd ποῦς ipſe,id eſt, fundamentũ generis,non eſſent,ſed ἀπόγονοι.citátque hoc Callimachi de Simonide: οὐ γὰρ ἐργάτιν τρέφω τὴν μοῦσαν, ὡς ὁ Κῆος Ὑλλίχου νέπους.Sic enim legendum docuit I.Scalig.itémque Theocritum & Apollonium, qui id nominis hoc ſenſu vſurpant.Nepos autem ex fratre idem prorſus eſt qui nepos fratris:vulgata tamen opinio eſt, Nepotem ex fratre aut ſorore eſſe,qui filius fratris aut ſororis ſemper ab antiquis appellatur.Paulus in l.vlt.D.de gradib.Illud notandum eſt, non quemadmodum patris matríſque fratres & ſorores, patrui,amitæ, auunculi,materteræ dicuntur, ita fratris ſororíſque filios filias nomen ſpeciale cognationis habere:ſed ita demonſtrari,fratris ſororíſque filios filias. Nepotem autem ex fratre poſt fratris filium conſtitui, docet apertè Caius in l.7.D.de legi.tu.Veluti,inquit, frater eodẽ patre natus,fratris filius,nepóſve ex eo.item Impe.§.j. De legitima agnatorum tutel.totidem verbis.Item in l.nemini.17.C. de nuptiis. Nemini liceat contrahere matrimonium cum ſorore,ſororis filia,& ex ea nepte: præterea fratris tui filia,& ex eo nepte. vt facile appareat Nepotem ex fratre eũdem omnino eſſe, qui Nepos fratris dicitur.Atque ideo, cum in teſtamento.C. Cæſaris ita ſcribitur apud Suetonium:Sororum nepotes hæredes inſtituit. C. Octauium, &c.nepotum nomine ſororum filij intelligendi non ſunt, vt & obſeruauit Hotomanus,ſed earũ nepotes: cum apertè conſtet ex Suetonio Octauium ex Accia M.Accij Balbi & Iulia,C.Cæſaris ſorore filia natum eſſe. Hinc etiam Octauia apud eundem ſororis eius neptis vocatur.

Nepos pro fratris filio,Feud.lib.j.tit.5.§.j.& tit.13.in fin.

Neptis ex filio,in l.auus.D.de pact.id eſt filia filij.

Nequitia, inquit Donatus, propriè libidinoſa inertia dicta eſt, quod nihil queat, nullíque rei apta ſit. Gellius lib.7.c.11.luxum vitæ prodigum vocat & effuſum.Hinc formula Prætoris: Quando tu bona patria auitáque nequitia tua diſperdis, &c. Cic. Tuſcul.111. frugalitatis videtur eſſe proprium motus animi appetentis regere,& ſedare:ſempérque aduerſantem libidini,moderatam in omni re ſeruare conſtantiam:cui contrarium vitium Nequitia dicitur,frugalitas, vt opinor,à fruge: qua nihil melius è terra oritur.Nequitia ab eo,quod nequidquam eſt in tali homine: ex quo idem nihil dicitur.

Nepotes,omnes poſteros vocari notius eſt,quam vt exẽplis probari debeat.Sed hoc nomine appellantur etiã conſumptores,à Scorpione ſeu Nepa, quæ (vt ait Plinius lib.11.c.25.)deuorat omnes fetus ſuos, vno ſolum ſaluo.Siue dicuntur luxurioſæ vitæ homines, quibus non aliter rei ſuæ familiaris cura ſit, quàm iis, quibus pater & auus viuunt.Paulus in epitome Feſti.

Neroniana Senatuſcoſſ.citantur duo, vnum ab Vlpiano Inſtit.tit.24.alterum à Paul.lib.3.Sent.tit.7.

Nescius, & qui neſcit,& qui ignoratur, id eſt, qui incognitus eſt,dicitur.l.fi.§.ſin autem neſcius. C.de furt.

Poſterioris ſignificationis exemplũ habes apud Plautum & Gellium.

Nescire & ignorare differunt. C. per quas perſon. nob.acq.l.2.C.de rei vxo.act.l.j. §. j. Qui neſcit, experiundi poteſtatem non habet, teſte Gaio, in l. annus. de calumn.

Nex, à Græco νεκρὸν vt vult Feſtus. Eſt autem mors, ſiue cædes, quæ ferro fit, aut alia vi. Quanuis neci datus, auctore eodem, propriè dicitur, qui ſine vulnere interfectus eſt, vt veneno, aut fame. Vlp. in necem alterius dixit, Budæo adnotante, pro in damnum & fortunarum euerſionem, in l.3.§.ſed & ſi quis.de crimi.ſtell.

Nexvs propriè quis dicitur ob æs alienum, eidem à quo contraxit, donec reſoluerit, oppigneratus: ſic dictus quòd necteretur, id eſt in compedibus aut neruo vinctus & clauſus teneretur, vt ſcribit Liuius lib.8. Hinc:

Nexvm, vt ait Varro libr.6.de ling. Lat. Manilius (ſeu Mamilius) ſcribit omne quod per librã & æs geritur, in quo ſunt mancipi. Mucius Scæuola, quæ per æs & libram fiant, vt obligentur, præter quam ſi mancipio dentur. Hoc verius eſſe ipſum verbum oſtẽdit, de quo quæritur, Nam idem quod obligatur per libram, neque ſuum fit, inde Nexum dictum. Liber qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia, quam debeat, dum ſolueret, Nexus vocatur: vt ab ære Obæratus. Hæc Varro. Manilij ſententiæ in Topicis aſtipulatus eſt Cicero, cũ abalienationem ita definit: Abalienatio eſt eius rei quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt. Nexu enim traditione mancipia complexus eſt: cum tamen in ea pro domo ius nexi à iure mancipij ſeparauerit. At Scæuola à nexu remouit mancipia: reliqua quibus ad obligandum interponeretur æs & libra, eo nomine comprehendit. Cuius hæc videtur fuiſſe ratio: In iure mancipationis, teſtibus quinque præſentibus & libripende, certiſque prolatis verbis, rerum dominia trãſferri acquiríque potuerunt. ſemel autem tranſlato dominio, etſi quædam reliquiæ obligationis inito contractu i ſuperſtites remanſerunt, nexus tamen ideo dici minimè poſſunt, cum ad dominium rei quæ mancipi erat transferendum, non ad ſe inuicem nectendum partes animum adiecerint. Et quidem apud Feſtum libr.12. hoc probat L. Ælius Gallus, cum ait, in eorum quæ necti dicuntur, genere ſunt hæc, teſtamẽti factio, nexi datio, nexi liberatio. Teſtamẽti factio, quòd ſcilicet hæres familiam per æs & libram emeret. Nexi datio, quòd ſcilicet ſe quis necteret creditori, ob æs alienum bona fide ſeruiturus, quo ad ſolidum perſoluiſſet. Nexi liberatio dubitatur quid ſit: niſi eadem verba in diſſoluendo nexu quæ in contrahendo neceſſaria fuerunt: & de eo nihil Feſtus, qui tamen notat, nexum etiam dici ipſam pecuniã, quæ per nexum obligatur. Notandum autem obiter magnam fuiſſe in nexos poteſtatem creditorum, nec ſanè diſſimilem ei qua in ſeruos vtuntur domini. Inducit enim Liuius libr.2. eorum quendam, qui queritur ſe in ergaſtulum & carnificinam pro ſeruitio ductum: atque ideo in hunc & alios aliquot feneratorum crudelitatem, Tribunorum plebis creationi occaſionem dediſſe. Libro etiã octauo ſcribit, ob vnius feneratoris L. Papyrij libidinem, ſimul crudelitatẽ inſignem, ſancitum nequis amplius (niſi qui noxam meruiſſet donec pœnam lueret) in compedibus aut neruo teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet.

Nexa res, & nexa pignori dicitur, quæ pignoris nomine eſt obligata.l.j.§.ſi quis.D.ne vis fiat ei.l.22.§.j.D.de iure fiſc.l.7.C.de diſtract.pign.

Nexum facere, pignori obligare.l.pen.C.ſi alie.res pig.

Nexus venditi, pro vinculo obligationis.l.26.§.adeò.D. de cond.inde.Si emptor fundi damnauerit hæredem ſuum, vt venditorem nexu venditi liberaret.

Nicenses, quorum meminerunt Imperatores in poſterioribus libris, dicti ſunt à Nicia, ſeu Nicea (vtroque enim modo dicitur) nomine duarum vrbium: quarum vna eſt Galliæ, quam vulgus eius vocat *Nice*, nos Niſſam: alia Aſiæ, & Bithyniæ metropolis, quæ & Antigonia nominatur. In hac vrbe ſynodus Nicena, imperante Conſtantino, anno à nato Chriſto.324. prima videlicet ab eo conuentu, quem Apoſtoli Hieroſolymis egerant, celebrata eſt. Quid in fide noſtra ſit obſeruãdum, ex Nicenæ ſynodi auctoritate, ſtatuit Imp. in l.nullus.C.de ſum.trin.& fide cathol. Vide Vadianũ in Bithynia.

Niceteria Budæo in prioribus adnot. ad Pand. victoris præmium: vel ſacrificium & epulum victoriæ gratia factum. Iuuen.ſat.3.

Et ceromatico fert niceteria collo.

Nicostrategi, vide nyctostrategi.

Nihil, & inutile, paria ſunt, per iura vulg.l.quoties.D. qui ſatiſd.cog.

Nihil habet, qui libertum habet.l.ſeruum.D. quibus ad libert.procla.non licet. Vide quæ Gl. ſuper hac voce diſſerit, in l.ſacrileg.§.fi.ad fi.D.ad l.Iul.pecul.

Nihil agi Iuriſc.dicunt, cum fruſtra quid fieri, inutiliter & in caſſum ſentiunt.l.j.& 5. D. de reſcind.vendi. l.51.D. locat.l.74.D.pro ſoc.l.9.§.j.D.de auct.tut.

Nihil quod eſt, nullum operatur effectum, arg.l.fin.§.fi.de aur.& arg.leg. Ex nihilo enim nihil efficitur.l. item videndum.in princ.D.de pet.hæred.l. contractus imaginarij.D.de actio.& obliga. Hinc quod firmum eſt, non poteſt per id quod eſt nullum, vel tolli, vel limitari. Vide Bart.ibidem. Item nihil quod eſt, dicitur eſſe minus etiam.l.illud.§.minus.de tribut.l.minus.de reg.iur.

Nihili coactio, prouerbialis ſentẽtia, qua ſignificantur qui in futurum pollicentur, & nihil præſtant.

Nihil valere, Iuriſconſultis eſt, quod interpretes dicunt, nullum operari effectum, ſic in fi.l.ad fi.de manumiſſ.teſt. apud Pompon. tum alibi reperies,

Nihilo magis, id eſt, non ideo magis.l.ſi rem. D. de vſuris & alibi ſæpiſſimè.

Nihilominvs, id eſt, nullo modo.l.qui fundum.D. pro empt.l.properandum.§.fin.D. de iud.l. Alexandrinis.C.de decurionibus. Quandoque ſignificat hoc nõ obſtante. Nihilominus etiam in ſe affirmatiuam habet. Inſtit.quibus non eſt permiſ.fac.teſta.§. præterea.

Nyli fluuij fit mentio.l.j.§.ripa.D.de flumin.& C.de Nil. agg.non rump. Nylum autem Græcam eſſe dictionem, Latinè Mellonẽ vocari à Seneca & Seruio li.4.Georg. relatum eſt.

Nisi, exceptionis nota eſt, & quandoque refertur ad omnia præcedentia.l.poſtquam.de pact. D. aliquando non ad omnia, ſed ad partem tantum.l.j.§. idem Põp. D.de dot.

Niſi quando ponat, affirmẽtve, aut neget, excipiátque no. in l.ſi eum.§.qui iniuriarũ.D.ſi quis caut. & vide Dyn. in c.peccatum.de reg.iur.lib.6. vide Bart. in l.fundum. de adim.legat.

Niſi, dictio exceptiua, regulariter cæteris paribus ponit contrarium ſui, per l.2.D.de cuſtod.reo.§. fin.& ſimilibus. Alberic. exemplis demõſtrat, quibus refertur modò ad omnia præcedentia, modò ad eorum partem tantum, item quibus in locis in Si non reſoluatur.

Nivarivm colum, vide Colum niuarium.

Nobiles, ingenui, & gentiles homines propterea nuncupantur, vt nunc quoque in Italia: quoniam maiores eorum illibatam ſeruarint natiuitatem, & nunquam ſeruitutem ſeruierint, itémque immaculato ac legitimo quoque nati ſint thoro. Nec certè iſta ſunt ſomnia. vt quidam phanatici putant, confundentes iura perſonarum. Verùm ſi his dotibus omnibus addant bo-

narum literarum ſtudia, & optimum vitæ ſpecimen: bone Deus, quàm verè tum dici poſſunt bis nobiles: quales ego multos hoc ſeculo, adeóque Principes, eſſe, Reipublicæ noſtræ congratulor. Vide And. Tiraquelli tractatum de nobilitate.

Nobilem fieri quemuis poſſe, docet Seneca epiſto. 44. Nobilem autem ſe dicens & fingens, cum non ſit, crimen falſi ſubit, Fac. l. eos. §. vltim. ad legem Cornel. de falſ. Vide Bald. in l. qui ſub prætextu. C. de ſacroſanct. eccleſiis.

Nobiles Romæ dicebantur, quorum partes aut maiores magiſtratum curulem geſſerant: & Nouis hominibus opponebantur. Cicero in Verrina. VII. Videmus quanta ſit in inuidia apud quoſdam homines nobiles, nouorum hominum virtus & induſtria. Item: Vt iſta præclara nobilitas deſinat queri populum R. hominibus nouis atque induſtriis honores mandare. Et Fami. v. Adeptus es, quod non multi homines noui: amiſiſti, quæ plurimi homines nobiliſſimi. Fuit autem nomen hoc generale, & commune omnium quorum maiores magiſtratum (vt diximus) curulem geſſerant: ſiue ij patritij eſſent, ſiue plebeij. Poſtea tamen accidit, vt illi generis ſui nomen retinerent: & ſpeciali ac proprio nomine nobiles dicerentur, qui plebeiæ gentis cum eſſent, maiores tamen curulibus magiſtratibus honoratos habuerant. Itaque Pedianus perſpicuè ac dilucidè Patritios à Nobilibus diſtinguit. Sex, inquit, competitores Cicero habuit: duos patritios, Galbam & Catilinam: quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles, &c. Non quò Patritij nobiles non ſint: ſed quia è generali Nobilium nomine, alij Patritiorum honorabile nomen ſibi retinebant, factum vt alij generis nomen ſibi attribuerent. Sic Liuius lib. 39. Omnes patritios, plebeióſque nobiliſſimarum familiarum M. Porcius longe anteibat. Sic Fuluiorum familia, quam plebeiam fuiſſe conſtat, Nobilioris cognomen tum ſumpſit. Sic in Sextiana: Vóſque adoleſcentes, & qui nobiles eſtis, ad maiorum veſtrorum imitationem excitabo: & qui ingenio & virtute nobilitatẽ poteſtis conſequi, ad eam rationem in qua multi homines noui & honore & gloria floruerũt, cohortabor. Nemo enim patritius vt eſſet, ſua virtute conſequi poterat. Huc pertinet. l. mortis cauſſa capimus. 31. D. de mortis cauſ. don. Ex Hotomano.

NOBILE officium iudicis, quod Iuriſconſulti appellant perſecutionem, eſt extraordinarium remedium, quod aduerſus eos datur, quibuſcum nobis de ſtricto iure nulla actio eſt, ſed qui interim ex ſola æquitate, & quod dicitur, de bono & æquo nobis obnoxij ſunt. Vide Alc. enarrantem. l. actionis. de verb. ſig. aliter: Nobile officium eſt, quod à ſolo iudicis executiuo officio pendet. l. iubere. D. de iuriſdict. Hoc iudex nunquam defungi poteſt. Nam quod dici ſolet, Iudex ſemel pronunciando, functus eſt officio ſuo: ad mercenariũ referendum eſt officium, quod actioni ſubſeruit. vide Bart. l. 3. D. de iuriſd. om. iud.

NOCERE dicitur qui iniuriam aut maleficium in aliquẽ commiſit, eíque nocuit, & damnum intulit. Refertur enim ad perſonas, non ad res. l. j. §. huius autem verba. D. de his qui deiecer. vel effud.

Nocere morbus intelligitur, qui perpetuus eſt, non qui tempore finitur. l. fi. §. j. D. de Ædil. edict.

Nocere noxam dixit Paulus. l. 63. ad leg. Falcid. Eadẽ cauſſa eſt eius ſerui, qui noxam nocuit. nec enim delinquẽdo quiſquam precioſior fit.

NOLLE & Velle, duo illa verba, vt Ferrar. admonuit, in commẽt. ad regu. iur. quodammodo relatiuorum more ſe habent, quorum alterum ſine altero non ſtatim exiſtit. Ex eo ſiquidem non velle aliquid exiſtimamur, quia hoc & velle poteramus: & ſic ad arbitrium, licet diuerſi effectus, liberum tamen vltrò citróque referuntur. Vnde fruſtra dicitur noluiſſe id, quod non potuit quis velle: cùm relatiuorum natura ſit, vt inuicem conſiſtant, pariáque habeantur. Verùm quòd interpretes nolle & velle inter contraria referunt, intelligendum eſt, quòd actu ſint contraria, aut diuerſa: quemadmodum & Boethius relatiua contraria appellat in 2. Topic. Comment. Nam habitu magis relatiuorum naturam ſapiunt: quando nemo dicitur nolle, qui non poſſit & velle: Siquidem vulgatum illud, Eius eſt nolle, qui poteſt & velle: parum conſiſteret, quòd vtrumuis ſimul ponit. id quod cõtra naturam eſt contrariorum, quorum vno conſiſtente, reliquum ceſſet opus eſt.

NOLO adire, & non volo adire. Super his verbis doctores plura effundunt in l. qui ſe patris. C. vnde libe. Decius, vt teſtatur Nicolaus Bellonus, putat faciendam differentiam, an quis dicat, Nolo adire: & inducatur repudiatio. aut dicat, Non volo adire: & non inducatur. Ea ratione, quod verbum Nolo, indicat præciſam voluntatem, ſecus verbum Non volo: cum ſit medium inter velle & nolle. Hæc differentia doct. licet communis habeatur, non ſatisfacit Bellono. Pendet enim ex eo, vt idem refert lib. 4. Supput. c. 14. quòd crediderint Doct. eſſe differentiam inter velle, & non velle, & non velle eſſe medium inter velle & nolle. quo ſentit ipſe nihil à veritate magis alienũ. At in contrarium facit ſignificatio ipſorum verborum: & Grammatici nullo modo admitterent hoc, qui dicunt, & verũ eſt, Nolo eſſe compoſitum ex nõ & volo, & ſic idem eſſe. Quod probatur in §. filius. l. filij mater. D. ad Tertull. Licet in contrarium adducatur, quod quàm docte, tam verè ipſe Bellonus loco modò citato refellit. Porrò Nolo adire, hæc verba ſunt ſuſpẽſiua, & inferunt tantum ad primum motum voluntatis, ſecundum doctrinam Bart. in l. gerit. D. de acq. hæred. & in l. ſerui electione. D. de leg. j.

NOLLE FACERE videtur, qui poteſt facere, & nõ facit. §. ſi quis fugitiuus. §. idem ait. D. de Ædil. edict.

NOMEN generalis appellatio eſt, quæ & prænomen & nomen familiæ, & cognomen complectitur. Seneca lib. de benef. IIII. Si quod à Seneca accepiſſes, Annæo te diceres debere, vel Lucio, non creditorem mutares, ſed nomen. Quoniam ſiue prænomen eius, ſiue nomen dixiſſes, ſiue cognomen, idem tamen ille eſſet. Proprie tamen nomen à prænomine, cognomine, agnomine diſtinguitur: vti patet ex l. 4. C. de teſtam. & §. ſiquidem. 27. Inſtit. de legat. itémque ex his Chariſij verbis: Propria nomina, inquit, in quatuor ſpecies diuiduntur: prænomen, nomen, cognomen, agnomen. vt Publius, Cornelius, Scipio, Africanus. Prænomen eſt quod nomini præponitur, vt Publius: Nomẽ, quod familiæ originem declarat, vt Cornelius: Cognomen, quod nomini ſubiungitur, vt Scipio: Agnomen, quòd extrinſecus adiici ſolet, vt Africanus.

Nomen gentilitium erat & commune totius generis & familiæ agnationíve. vnde ab Halicarnaſſæo συγγενικὸν & πατρωνυμικὸν appellatur. Hoc prænomini ſubiungebatur, cognomẽ verò ferè ſemper antecedebat. Tu latius vide Theoph. §. ſi quis in nomine. Inſtit. de lega. & A. Auguſti. lib. Emendatio. Tribus autẽ Romanos vſos nominibus fuiſſe, notius eſt, quàm vt à me confirmari debeat.

Nomen plerunque accipitur pro appellatione perſonarum & rerum. l. nomen filiarum. l. pecuniæ nomine. D. de verb. ſig. & Gaius in l. nominis. eod. Nominis inquit, appellatione rem ſignificari, Proculus ait: Nomẽ quãdoque intelligitur pro ſimplici cauſſa nullo obligationis reſpectu. Arrianus Menander in l. qui cum vno. D. de re milit. Exauctoratus, inquit, eo nomine,

non

non vtique infamis erit. Itaque:

Nomina vel rerum, vel hominum ſunt.l.4. D.de leg.j.illa à Grammaticis appellatiua vel communia vocantur, quæ deſignandæ indicandæve rerũ naturæ & ſubſtantiæ cauſſa inuenta ſunt. Hæc propria vulgò dicuntur, quæ ad ſingulas ſpecies eiuſdem generis ambitu comprehenſas diſcernendas pertinent, velut Lucius, Titius, Seius, Gaia: quæ nomina Iuriſconſultis familiaria & vſitata fuiſſe Plutarchus ἐν ῥωμαϊκοῖς, & Cic. pro Murena oſtendunt. hinc colligi poteſt cur his Prætores in edictis ſuis vſi ſint.l.10.D.quæ in fraud. credit. l.j. D.de tab.exhib.l.2.§.cum quidam.D.ne quid in loc.publ.l.j. D.de lib.exhib.Hæc autem nomina ingenuis tribuuntur, vt ſeruis hæc Stichus, Dama, Pamphilus, Erotis, Areſcuſa.

Nomencvlator, à nomine calando, qui ciuium nomina omnium tenebat, & cum opus eſſet pronunciabat.Iis veteres dum ambitioni ſeruiebant, vtebantur.Cicero in Muræniana Monitores eos appellat.Vlpia.l.7.§.2.D.de op.lib.Nam huius quoque eſt miniſterium, ſi forte vel librarius, vel nomenculator, vel calculator ſit.Venuleius.l.vlt.in fin.de lib.cauſ. Poteſt tamen & impubes operas dare veluti ſi nomenculator ſit, vel hiſtrio.Cicero in illa quã antè nominaui: Quid? quod habes nomenclatorem? in eo quidem fallis, & decipis: nam ſi nomine appellari abs te ciues tuos honeſtum eſt, turpe eſt eos notiores eſſe ſeruo tuo, quàm tibi: ſi etiam noris, tamen per monitorem appellandi ſunt? cur non ante petis, quàm inſuſurrauit, aut quid, cùm admoneris, tamen quaſi tu tenoris, ita ſalutas? Idẽ ad Attic.lib.4.Ad vrbem ita veni, vt nemo vllius ordinis homo nomẽclatori notus fuerit, qui mihi obuiam non venerit. Vtitur hoc verbo Quintilianus lib.6.c.4. Plutarchus ὀνοματολόγον vocat in Catone.

Nomen eſſe capitis, pro delatum eſſe & receptum in reos capitis.Plaut.Aſinar.

Nam iam ex hoc loco
Ibo ego ad Treſuiros, ueſtráque ibi nomina
Faxo erunt capitis.

Nomen edere.l.j.D.de effic.Conſul.

Nomen dare militiæ.l.43.D.de oper.libert.

Nominibvs olim obligatio, ſcriptura fiebat, vt ait Iuſtin.ſub tit.de liter.oblig.in princ. Quod vt intelligamus, illud ſcire oportet, Romæ moris fuiſſe, vt vnuſquiſque paterfam. tabulas domi haberet, in quibus quicquid per ſingulos dies aut acciperet, aut expenderet, perſcribebat: vt Cicero in ea pro Cluentio demõſtrat. De earum tabularum fide Cenſores quinto quoque anno ciues ad iuſiurandum adigebant: vti Dionyſ. Halic.lib.4.teſtatur.Hinc fidem in Iudiciis facere ſolebant: vt in Orat.pro Qu. Roſcio demonſtrat Hotòm.Vlp.in l.4.D.de pecul. Si verò nomina ita fecerit dominus, vt quaſi debitorem ſe ſeruo faceret, cum re-uera debitor non eſſet, non obligatur, re enim, non verbis peculium augendum eſt. Pomponius.l.j.D.de annuis legat.Cum in annos ſingulos quid legatum ſit, neque adſcriptum quo loco detur, quocunque loco petetur, dari debet: ſicuti ſi ex ſtipulatu, aut nomine facto petatur. Extat etiam apud Scæuolam faciendi nominis mentio in l.Thais.41.in fi.D. de fideicommiſſ. libert.& alibi nonnullis locis.In quibus Tribonianum hallucinatum veriſimile eſt: nam aliis in locis eam vocem expunxit, vt in l.j.D.de nouat.l.Græcè. D. de fideiuſ.l.j.D.de oblig. & action. cum ſuis temporibus in vſu non eſſet, vt ſatis conſtat ex tit.Inſtit.de lit. oblig. in princ. Nomina autem in tabulis dicebantur tituli debitorum (vt ait Aſconius) præſertim in iis debitis, in quibus hominum nomina ſcripta ſunt, quibus pecuniæ commodatæ ſunt.Plautus in Curcul.

Noui ædepol nomen: nam mihi iſtoc nom.ne
Dum ſcribo, expleui totas ceras quatuor.

Ergo nominibus obligatio contrahebatur, cum expenſum quid alicui in tabulas referebatur.Referri autem ſolebat, vel ab reis ipſis, vel ab argentariis, vel ab amicis.De reis, exemplum oratio pro Comœdo ſuppeditat: & loci ex Pomponio & Vlpiano ſuperius adſcripti.De argentariis, patet ex his Donati verbis in Terentium: Tunc, inquit, in foro, & de menſæ ſcriptura magis, quàm ex arca, domóque vel ciſta, pecunia numerabatur.Veteres enim ferè ſuam pecuniam apud argentarios habebant: eiúſque rei veſtigium ſupereſt in l.7.§.quoties. D. depoſ. & aliis multis ex locis. De amicis exemplum habemus initio eiuſdem Orationis pro Comœdo, & in epiſtola vltim.lib.ad Attic.4.item apud Senecam lib.de benefi.3.Ille, inquit, per plurium tabulas nomina interpoſitis parariis facit.Ex hac autẽ nominum obligatione nata ſunt hæc loquendi genera: quæ deinceps ſubiiciemus.

Nomina diſſoluere. Cicero pro Plancio, Hoc nomen, quod vrget, nũc cum petitur, diſſoluere.Catilina apud Salluſt.Non quia æs alienum meis nominibus ex poſſeſſionibus ſoluere non poſſem: cum & alienis nominibus liberalitas Aureliæ Oreſtillæ, ſuis filiæque copiis perſolueret.

Nomina exigere. Cicero Verrina 3. Cum per eos ipſos dies, per quos cauſſam Dio diceret, reperiretur pecunias ſumpſiſſe mutuas, nomina ſua exegiſſe. Nominibus certis grandem pecuniam debere. Nominibus certis pecuniam Romæ curari oportère. Nominis eius quod quis inficiatus eſt diem petere, in Orat. pro Quintio. Nominibus multis eos homines pecuniam à Carpinatio feciſſe, qui pecuniam Verri dediſſent.Verrina III. In nominibus pecuniam nobis eſſe, numeratam in præſentia non habere.ibi. Sic:

Nomẽ incertum.l.j.D.ad Maced.cum mutuationis cauſſa non eſt aſcripta.

in Nominibus eſſe dicuntur, quæ ſunt in obligationibus, petitionibus, perſecutionibúſque.l.37.D. de acq. hære. l.36.D.ad S.C.Trebell.

Nomina facere, & contrahere pro eodem dicuntur. l. 17. D.de admi.tut.l.39.D.de neg.geſt.l.9.D. de pact.Seneca.lib.j.de benefic. Nomina, ait, facturi, inquirimus in vaſa debitoris.Vide Facere nomen.

Nomen ſequi.l.19.§.cum haberes.D.ad S.C. Velleia.l.41. §.ſi à debitore.& l.71.D.de iur.do.

Nomine legato, id quod debetur, inque actionibus eſt, debetur.l.46.§.eum qui D.de leg.j.l.59.D.de leg.3.

Nomen bonum, debitor bonæ fidei, potius quàm qui ſoluendo eſt.Cic.Seſtio, epiſt.6.lib.5. Ego autem meis rebus geſtis hoc ſum aſſecutus, vt bonum nomen exiſtimer.Interdum tamen ſumitur pro debitore bono & idoneo.Paulus.l.inter cauſſas.26.§.2.D.mandat. Abeſſe intelligitur pecunia fideiuſſori, etiam ſi debitor ab eo delegatus ſit creditori: licet is ſoluendo non fuerit: quia bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem delegatum.Sic.l.19.D.ad S.C. Velleian.l.101. D. de ſolut.l.13.§.j.& l.35.& l.43 de admi.tut.l.31.§. Lucius. D.de annu.leg.l.89.D.ad leg. Falc. vbi quidam codices, idoneis hominibus ſcriptum habent, eodem errore quo in Pand.Flor. hominibus ſub fideiuſſore factis, pro nominibus, in l.2.in fi.de cuſt.reor.Secundum hoc loquendi genus in S.C.Macedoniano ſcriptum eſt, bonum nomen filiifamil. fieri non poſſe.l.j.D.ad S.C.Macedo.Contra Nomina deteriora peiorave dicuntur, quorum difficilior eſt exactio. propter debitorum inopiam, qui bonis facultatibuſque lapſi non ſoluẽdo facti ſunt.l.37.D.ſi cert.pet.l.30.D.ad leg.Falc. l.fi.§.penul.D.de admi.rer.ad ciuit.pertin. Columella, Alphius fenerator optima nomina non appellando fieri mala dixit.Vide Bonum nomen.

Nomine, ſubauditur apud Iuriſconſultos plerunque, vt in conſuetudine ſermonis Græci: velut cum dicimus, Noxæ dedere: Damnari repetundarum, &c. Pompon. l.2. D. de naut. fen. Si nemo ſit, qui à parte promiſſoris interpellari traiectitiæ pecuniæ poſſit. Alfenus. l. 60. §. 3. de leg. & fid. lib. 30. Topiarium enim ornandi, ſaltuarium autem tuendi & cuſtodiendi fundi magis quàm colendi paratum eſſe. Item. l. 2. D. de proxenet. & l. 30. §. 2. D. de iureiurand. l. 28. D. de pignorib. in fin. l. 73. D. quib. mod. pignus, vel hypotheca ſoluitur. Ex quo genere ſunt & hæ locutiones, Satiſdari certæ pecuniæ. l. 6. in fi. D. quib. mod. pig. Fideicommiſſi ſatis petere. l. 71. §. j. D. de cond. & demonſtr.

NOMINARE, eſt præſentem ſiſtere, & vt iuris Pontificij ſcriptores dicunt, ius patronatus habere, hoc eſt, nominare deſignandum, Budæo teſte. Cæterum nominare, fideiubere, & in ſe periculum recipere, non diſtare indicat Alberic. per §. fin. in l. cum oſtendimus. D. de fideiuſſ. tut.

Nominari dicuntur magiſtratus, tutores, & alij, qui ad munera publica, aliquo ſuggerente vocantur. l. 2. §. ſi eo. D. de admin. re. ad ciuit. l. 13. D. ad municip. l. 14. C. de excuſ. tut. Nominare, eſt indicare. l. libertus. D. de quæſtio.

NOMINATI, inquit Hotomanus, in criminibus non dicuntur ij, quorum nomen delatum eſt, quíque rei facti ſunt, ſed ij quorum nomen ab altero reo appellatum eſt. Sic Papia. l. 17. §. 10. D. ad municip. In quæſtionibus nominatos capitalium criminum, &c. & l. 2. D. de bon. eor. qui ant. ſentent. Cicero pro Poſthumo: Neminem vnquam, quo ea pecunia perueniſſet, cauſſam dixiſſe, qui in æſtimandis litib. appellatus non eſſet. in litib. autem nemo appellabatur, niſi ex teſtium dictis, aut tabulis priuatorum, aut rationib. ciuitatum. Itaque in ferendis litibus adeſſe ſolebant, qui aliquid de ſe verebantur: &, cùm erant appellati, ſi videbatur, ſtatim cõtradicere ſolebant. Tranquill. in Calig. Quæſtorem ſuum in coniuratione nominatum flagellauit, veſte detracta: id eſt, ab vno ex coniuratis indicatum. Briſſonius his omnibus in locis Nominatos ſumi vult pro iis qui rei criminum facti poſtulatíque ſunt.

NOMINATORES, apud iuriſc. dicuntur, qui cum aliquid ad munus quoddam eligendi ſunt, certorum hominum tanquam idoneorum nomen edunt, & quaſi eorum creandorum auctores ſunt. Hinc Nominatores tutorum, ſub Rub. D. de fideiuſſorib. & nominat. tut. vbi in l. 4. ad fin. Affirmatores appellari videntur: Qui cum idoneos, inquit, eſſe tutores affirmauerint, fideiuſſorum vicem ſuſtinent. De nominatione tutorum extat mẽtio in l. j. §. 3. & §. 5. D. de magiſtr. conuen. Hinc:

Nominatores dicuntur ſub Rubr. C. de pericul. nominat. qui cum Duumuiri eſſent, ſucceſſores ſibi deſignabat, quorum fidem Reipublicæ ſuo periculo præſtabant. Et ſic accipienda eſt l. j. in princ. D. de magiſt. conuen. l. 3. C. de conuen. fiſc. debit. l. vnic. C. de ſump. recup. Hi etiam Creatores dicuntur in l. j. §. ſi eo tempore. D. de admin. rer. ad ciuit. pertin.

NOMINATIO dicitur de magiſtratibus, tutoribus, & aliis, cum ad munera publica aliquo ſuggerente vocantur. l. 2. §. j. D. ad munic. & l. j. D. de filiifam. lib. 10. l. vlt. C. qui æt. ſe excuſ. eod. lib. Aliquando ſignificat publicationem quandam, vt quando excommunicatus nominatur in eccleſia. gl. in c. j. de except. libr. 6. Alias autem Nominationum acceptiones fuſius recenſet Pet. Rebuffius in tractatu nominationum quæſt. j. vbi nominationum genere recenſet, & acutiſſimè & diligentiſſimè explicat.

NOMINATIM exheredari dicitur, cuius vel nomen, vel prænomen exprimitur: dum tamen conſtet de quo teſtator ſenſerit. Itaque Nominatim exheredatus filius & ita videtur. FILIVS meus exheres eſto: ſi nec nomẽ eius expreſſum ſit, ſi modo vnicus ſit. l. j. & l. 2. D. de lib. & poſthum. Qui etſi plures filios habeat, ac ita loquatur, CETERI omnes filij exheredes ſunto, omnes nominatim exheredati videntur. l. Titius. 25. D. illo tit. Sic Poſthumus Nominatim exheredatus videtur, ſiue ita dictum ſit, QVICVNQVE MIHI NASCETVR. ſiue ita, QVICVNQVE EX SEIA: ſiue ita, VENTER EXHERES ESTO. l. 3. §. 3. D. de iniuſt. rupt. Huic opponitur, INTER cæteros exheredare, de quo ſub voce INTER, ſuperius dictum eſt.

Nominatim alicui legetur ita, Lucio Titio, an per demonſtrationem corporis, vel artificij, vel officij, vel neceſſitudinis, vel affinitatis, aut alio modo, nihil intereſt, nam demonſtratio plerũque vice nominis fungitur. l. nominatim. 34. D. de cond. & demonſt. niſi forte plures ſint qui eo nomine deſignentur. Vide l. 2. D. de legat. 2.

Nominatim ab aliquo hærede legatum intelligitur, cum à quo legatum ſit, conſtat: quanuis nomen pronunciatum non ſit. l. nominatim. 90. de legat. 3. Sic Nominatim manumitti ſeruus ex lege Fuſia Caninia ſic videtur: STICHVS LIBER ESTO: vel ſic, Cocum, vel Obſonatorem, ſi vnus tantùm cocus, vel obſonator ſit: vel qui ex ancilla illa naſcetur (ſi vnus tantum ſit) liberum eſſe volo. Paul. libr. Sent. 4. c. 14. & l. nominatim. 24. & l. 37. D. de manum. teſt.

NOMINATIVVS pro genitiuo, elegantiſſima eſt figura loquendi, qua frequentiſſimè vtuntur Iuriſconſulti in l. quæſitum. §. idem Celſus. D. de fide inſtrum. vbi dicitur, Hoc genus ſeruos, id eſt, eius conditionis ſeruos. ſic & in l. & ita. §. j. D. naut. caup. ſtab. vbi dicit Iuriſconſ. Prætorem curam agere reprimendæ improbitatis hoc genus hominum, id eſt, eius generis, eius conditionis.

Νόμος, lex, ἀπὸ τοῦ νέμειν, à diſtribuendo, Græcis appellatur: quòd ritè omnibus ius ſuum diſtribuit. Hinc νομοφύλακες, legum cuſtodes, dicebantur. Qui nõ ſolum literas, ſed etiam facta hominum obſeruabant, ad legéſque reuocabant, teſte Cicerone.

NOMOTHETÆ, non ſimpliciter auctores legum ſunt, ſed & ipſi, qui principaliter leges promulgant, quales apud Græcos Solon, Draco, Minos, Lycurgus: apud nos Pompeius, qui tulit legem Pomp. Iulius legem Iuliam. Corn. Sylla legem Corneliã, & ſimiles. Ipſi verò Iuriſconſulti, Vlpianus, Paulus, Scæuola, & cæteri non ſunt νομοθέται, ſed legum interpretes. Alciat. lib. 2. Diſp. c. 8. Hi νομοθέται ex iudicibus deligebantur, quorum munus erat, leges rogationéſve tribus concionibus à populo probatas diligentius examinare: atque vt hi eas vel probarent, vel improbarẽt, ita proferebãtur Budæus in l. j. de iuſtitia & iure.

NON, pro Non ſolùm, vel Non tantùm. l. 9. D. de vi public. l. 4. l. 96. D. de verb. ſig. & alibi. vide A. Auguſt. libr. 2. Emend. Cicero cum alias ſæpe, tum libr. 4. ad Attic. epiſt. vlt. ſic vſurpauit: Hæc pactio non verbis, ſed & nominibus & præſcriptionibus multorum, cum eſſe facta diceretur.

Non, pro non tam. l. 12. D. de offic. præſid. l. 20. in princ. D. de acquir. hæred.

NON VTILITER negotia gerere dicitur, qui non neceſſariam rem, vel quæ oneratura eſt patremfa. adgreditur. l. ſed an vltrò. §. fi. D. de neg. geſt.

NON VTIQVE, non reſtrictè, non præciſè. l. 21. D. de mand. Sed ſi non vtique, vnius, ſed vtriuſque mandatum inuitus id fecerim. Sic. l. 43. D. ad leg. Aquil.

Non neſcire, eſt ſcire, cap.3. de iura. calumniæ.

NON NOLLE, eſt pati, & permittere, l.3. D. de reg. iur. & D. de tributo. act. l.j. §. ſciendum. & vide A. Auguſt. lib.j. cap.2.

Non conſentire, non eſt diſſentire, l. alioquin. D. de contrahen. empt. Eſt enim medium inter conſentire & diſſentire, l. in bello. de cap. & poſtl. reu.

Non eſſe, & non apparere, paria ſunt, l. in lege. D. de contrahend. empt. Hinc, Non eſſe actorem rei ſyndicum tunc intelligimus, ait Gaius, cum is abſit, aut valetudine impediatur, aut inhabilis ſit ad agẽdum, l.j. D. quod cuiuſcun. vniuer. nom.

Non ideò, pro non continuo. Iuriſc. Cùm decem tu dari ſtipulatus ſis, non ideò poſſe te decem dari oportere intendere, quia & cætera.

Non iuſtum & iniuſtum, qui negant idem eſſe, falluntur. Qua de re Valla lib. Dialect. 2. cap. 32. rectè differit, & verè, & Alc. in fin. c. 17. lib. 3. Parerg.

NON MINVS l. ſolidum. 85. D. de ſolu. poſitum videtur, pro non magis, aut non tam: Solidum, inquit Iuriſc. nam ſoluitur, non minus quantitate, quam die. Sic in l.7. §. pactorum. D. de pact. §. iniuria. ad leg. Aquil. l.3. §. Labeo. D. de incend. naufr. l. ab hoſtibus. 15. §. non minus. D. ex quibus cauſſ. maior. quanquam in quibuſdam Haloander repoſuit. Non minus: quod & magis conuenire videtur.

NON NIMIS, pro non tam, apud Vlpianum in l. iure Gentium. §. vtrum autem. D. de pact. more Græcorum, qui οὐ μάλα δὴ, dicunt, vt Haloander monuit, & obſeruauit Hegendorphin.

Non nominatim, id eſt, in genere, l. hæres ſeruum. D. de euiction.

Non pluris quàm res eſt, id eſt, quanti aduerſarij interfuit. Vide Vlpia. in l. qui reſtituere. D. de rei vind.

Non poſſe dimitti in ſolidum creditorem, eſt, non poſſe creditorem totam ſolutionem conſequi.

Non reddita res propriè dicitur, quæ deterior facta redditur, l.3. §. ſi reddita. D. commod.

NON VELLE. Hæc verba falsò traditum eſt, Iuxta ſententiam doctiſſimi Belloni inter Nolle & Velle media eſſe, cum medium ſit non nolle, l.j. §. ſcientiam. vbi caſus & glo. in verbo Velle. D. de tribut. act. Quin & ratio accedit. Nam inter affirmatiuum & negatiuum medium non ſumitur ex affirmatiuo, ſed ex negatiuo. Exemplum: Inter proprium & improprium datur medium, non improprium non autem datur, nõ proprium, quoniam non proprium idem eſt, quod improprium, l.j. in princ. D. de ſuis & legit. Sic inter doctum, & indoctum, datur non indoctum. Idem in verbo placere, & diſplicere: quorum medium eſt, non diſplicere, l.j. §. is qui nauem. D. de exercit.

NONÆ dicuntur in Martio, Maio, Iunio, & Octobri ſex illi dies, qui primum ſequuntur: in reliquis verò menſibus quatuor tantum dies primum ſequentes. Vide l. item veniunt. §. pridie. D. de hæred. peti. Varro lib.5. de Ling. Lat. Nonæ appellatę aut quòd ante diem nonum idus ſemper, aut quod vt nouus annus Kalendæ Ianuariæ ab nouo ſole appellatæ, nouus menſeis, noua luna Nonis. Eodẽ die enim in vrbem ab agris ad regẽ conueniebat populus. Harum rerum veſtigia apparent in ſacris Nonalibus in arce: quòd tũc ferias primas menſtruas, quæ futuræ ſint eo menſe rex prædicit populo.

NORMA, pro formula præſcripta, vt in §. pen. Inſtitut. de Atil. tut. Normalem tamen pro recto poſitum, qualem norma, hoc eſt, fabrorum regula efficit, alicubi Bub. obſeruauit.

NOSOCOMIVM, νοσοκομεῖον, locus vbi ægroti curantur, quem Valetudinarium Latinè dici poſſe docet Hotom. Vtitur Iuſt. l. illud. 16. & l. ſancimus. 18. C. de ſacroſanct. Eccleſ. νόσος autem morbum, κομεῖν verò curare ſignificat: vnde vocabulum confictum.

NOSTRVM propriè dici non poteſt quod ex caſu nobis auferri poteſt.

NOTA, infamia, ignominia, probrum, l.j. & §.j. D. de iis qui not. infam. Sic Notæ cauſſa facta exhæredatio, id eſt iniuriæ inferendæ cauſſa, & notæ inurendæ, l.18. D. de lib. & poſthum. Hinc Notæ Cenſoriæ. Notæ ſignificant etiam cicatrices, apud Vlpian. in fi. l.j. D. de ſeru. fugit. Sunt & Notæ ſtigmata, & puncta ſeruis inuſta, l.2. D. de ſeru. fugit. Cic. Offic lib.2. Thracem compunctum notis Threiciis dixit. Et Plin. in Paneg. Exanguẽ & ferream frontem nequicquam conuulnerandã prębeant punctis, & notas ſuas rideant. Hinc Stigmatum notas dixit Tranquil. in Calig. ca.27. Notæ pro Iuriſc. annotationibus additis ad veterum ſcripta repræhendendi vel explicandi cauſſa, l.2. C. de vet. iur. enucl. l.10. D. de caſtr. pecul. l. vn. C. de reſpon. prud. Hinc ſæpe legimus in Pand. libris, Ex notis Pauli ad Neratium, Marcelli ad Iulianum, &c. Dicuntur & Notæ compendia quædam dictionum, ſiue vt Plutarchi verbis vtar in Catone, σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα. Vel etiam, vt alij, σημεῖα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξευρεθέντα. quas ſuo tempore ſiglas vocatas fuiſſe ſcribit Iuſtinianus in Græca Pandectarum auctoritate. Sic accipiuntur Notæ l.3. D. ex quib. cauſſ. maior. l.9. §.j. D. de hæred. inſti. l.41. D. de milit. teſt. & alibi. Qua de cauſſa à literis ſeparantur, l.j. §. ludi. D. de var. & extraord. cognit. & d. l.41. Seneca libr. 14. Epiſt. Quid verborum notas, quibus quamuis citata excipitur oratio, & celeritatẽ linguæ manus ſequitur. Huiuſmodi verò notis olim pleni erant Iuriſconſultorum libri. Sed Iuſtinianus quicquam in libris ſuis notis ſcribi vetuit, l.2. §. penul. C. de vet. iur enucl. Qua de re Iſidor. lib.j. tractat. Harũ autem inuentionem alij Tullio Tironi tribuunt: alij, & in his Dio. Mæcenati,

NOTARII, Vet. glo. σημειογράφοι, propriè dicuntur, qui excipientes verba dictantis, per notas & compendia ſcribunt, Paulus in l. Lucius Titius. D. de milit. teſta. vt Singularij, qui ſingulis ſcribunt. De Notariis eleganter Baſilius in epiſtolis: οἱ λόγοι τὴν φύσιν ὑπόπτερον ἔχουσι. διὰ τοῦτο σημείων χρῄζουσιν, ἵνα ἱπταμένων αὐτῶν λάβῃ τὸ τάχος ὁ γράφων. Græcis Notarij ταχυγράφοι Hos ita exprimit Auſonius: *Puer notarum præpetum.* Et Martialis:

Nondum lingua ſuum, dextra peregit opus:

Alias lib.12. Cod. tit. de primicerio & notar. verbũ hoc pro ſecretariis Principis vſurpatur. Lãpridius in Alexandro: Eum notarium qui falſum cauſſæ breuem in conſilio Imperatorio retuliſſet, inciſis digitorum neruis, ita vt nunquam poſſet ſcribere, deportauit. Spartianus in Diadum. Iſtæ literæ per notarium proditæ, illi puero multum obfuiſſe dicuntur. Plin. in epiſtọ. Ad latus notarius cum libro & pugillaribus.

NOTARIA, vide NOTORIA.

NOTABILE, concluſio, quæ à deciſis aut decidendi ratione colligitur; M. Salomonio in l. Gallus. D. de liber. & poſthum.

NOTARE, animaduertere, ac determinare aliquid quatenus ſit noſcendum. Eſt enim Noto, frequentatiuum à Noſco: quamobrem ſæpe auctores digeſtorum adiiciunt, Vlpianus notat, l. liberto vel amico. D. negot. geſt. Marcel. notat. l. ſi qui ſeruum. D. de actio. empt. Sic l.39. D. de hæred. inſti. l. vlti. D. de his qui in teſt. & l.j. §. Paulus notat. D. de offic. eius cui. Eſt &,

NOTARE notis quibuſdam & compendiis literarũ aliquid breuiter perſtringere, non omnibus literis integrum perſcribere, vt apud Suetonium in Galba ca.15. H-S. nanque quingenties cum præcipuum inter legatarios habuiſſet, quia verò notata, non præſcripta erat ſumma, hærede Tiberio legatum ad quinquaginta reuocante, ne hæc quidem accepit. Sic Fabius, Quantum

notando conſequi poteram. Hinc Notæ, & Notarius.

Notare, pro repræhendere. Vlpianus in l. metum autem præſentem. §. fin. D. quod met. cauſ. Non immerito, inquit, Iulianus à Marcello notatus eſt.

Notare apud aliquem is dicitur, qui declarat vel diſtinguit dictum eius. Vlpianus apud Marcellum notauit, l. non ſolum. §. ego autem. D. de iniur.

Notare, infamare, infamiæ notam inurere, toto titu. D. de iis qui notantur infamia.

NOTATI, l. 2. C. de dignit. libr. 12. differunt ab infamibus. Infames enim ſunt, quibus lex infamiam irrogat. Notati verò non ſunt ipſo iure infames, hæret tamen in eis macula quædam, vt qui iudicio publico rei in vinculis ſunt, vel qui ob teſtimonium dicendum, vel non dicendum pecuniam accepiſſe conuicti, nec damnati ſunt, vel qui inter requirendos adnotati ſunt. Sic nota ab infamia diſtinguitur, l. 3. §. lege. D. de teſtib.

NOTITIA, breuis, vel libellus, quo deſcriptio ſtatus, adminiſtrationis & diœceſeos continentur, l. j. C. de offic. præfect. præto. l. vni. C. de excuſ. artif. & vide lib. Notitia vtriuſque Imperij. Notorium eodem ſenſu dixit B. Auguſt. Apul. lib. 7. Aſini aurei.

NOTHI, νόθοι, à Græcis dicuntur, qui à Latinis naturales liberi, id eſt qui ex concubina domi ſine nuptiis vxoris loco retenta, quàm Græci παλλακὴν vocant, naſcuntur. Vnde quæ rubrica eſt in Cod. de natural. lib. eadem eſt in Nouell. LXXXIX. περὶ νόθων. Differunt autem à Spuriis & vulgò quæſitis. Sunt enim ſpurij, qui & σκότιοι, & terræ filij, patre incerto geniti, quaſi ἀπὸ σποράδην (ſic enim legendum apud Valerium, ſiue Iulium Paridem li. 10. obſeruauit Cuiac.) ex ſcortatione, ſtupro, adulterio, inceſto: quæ vitia in concubinam nô cadunt. Sunt tamen qui aliter ſentiant, producentes §. quoniam l. cum tabulis. D. de iis quæ vt indign. ſed quoniam corruptus eſt, & illud *uulgo quæſitam* commutari debet in *uulgo quæſtum feciſſe*, eorum ſententiā parum moror. De Nothis Quintil. lib. III. cap. VI. Nothum, inquit, qui non eſt legitimus, Græci vocant. Latinum rei nomen, vt Cato quoque in oratione quadam teſtatus eſt, non habemus: ideóque vtimur peregrino. Nothi igitur ex Iuſtiniani conſtitutionibus hi ſoli appellantur, qui ex côcubina nati ſunt hoc eſt, ex muliere libera, innupta, quam vir cœlebs domi concubinatus nomine ſolam habuit. d. Nouel. 89. item Nou. 74. item Nou. 18. Hi autem ex conſtitutionibus ab inteſtato aliquid iuris in bonis parentum habent, non extantibus filiis legitimis: quin & ex teſtamento extantibus legitimis vnciæ, non extantibus etiam ſolidi. ex Nouel. περὶ νόθων capacitatē habēt. Spurij ex vtraq; cauſſa incapaces ſunt, ac ne alimentis quidem digni, quæ tamen nothi habent etiam ab inteſtato extātibus filiis legitimis. Dicebantur etiam hi obliqui. Hinc Statius, *Obliquúmque à patre genus.* vbi Lactantius: Quia fuerat, inquit, patris mei nothus. Baſtardi vulgò, à Germanico *Boes art*, id eſt degeneris ingenij.

NOTHIA, numero multitudinis neutro genere ſignificant eam partem, quæ ex bonis paternis nothis dabatur ex lege Athenienſium. vide Budæum l. vulgò. D. de ſtat. homi.

NOTIONIS verbum latiſſimum eſt nam & in ciuilibus, & in criminalibus cauſſis vſurpatur, itaq; Notio dicitur Prætoris, qui vtrum actio danda, aut denegāda ſit, cognoſcit. l. vlt. in fin. D. de oblig. & act. Sic in l. 8. D. de tranſac. Prætoris dicitur eſſe notio, cum de habitatione aut veſtiario, aut alimento relicto tranſigendū eſt. & in l. 6. C. quom. & quando iud. At in l. j. §. j. D. de offi. præf. vrb. Notio ad cauſſas & animaduerſiones capitales refertur. vbi Vlp. ſcribit, ea quæ vltra cēteſimum lapidem fiunt, egreſſa eſſe Præfecti vrbi notionem. itémque in l. pen. D. de calum. Propriè tamē Notio videtur eſſe rerū quæ neque criminales ſunt, & in facto, non in iure conſiſtunt: veluti cum Cic. in Ora. pro domo ſcribit, omnem eſſe notionem Pontificum, cū quis adoptatur, quæ cauſſa cuique ſit adoptionis, quæ ratio generum ac dignitatis, quæ ſacrorum. Item cum diſceptatur, apud Prætorem, vtrum qui filius eſſe dicitur, in poteſtate ſit, an non ſit: Prætoris notio eſſe debebit, inquit Vlp. l. 3. §. j. D. de lib. exhib. aut cum de illius ætate qui manumittit, vel de manumittendi cauſſa quæritur. Atque hæc quidem ita ſe habent, cum propria verbi cuiuſque ſignificatio exquiritur. Vlp. autem in l. notionem. 99. D. de verb. ſig. Notionem ſic poſſe accipi ſcribit, vt & iuriſdictio & cognitio intelligatur. Itaq; idē in l. ait Prætor. 5. D. de re iudi. cum Prætor dixiſſet, CVIVS de ea re iuriſdictio eſt: Melius, inquit, dixiſſet, CVIVS de ea re notio eſt. etenim notionis nomen etiam ad eos pertinet, qui iuriſdictionē non habent, ſed habent de quauis alia cauſſa notionē. Quare aſſeſſores, ſiue amici, qui in conſiliū Proconſulū adhibētur, cum etiā ipſi cognoſcāt, dicūtur habere notionem. Arbitri quoq;, quos ex côpromiſſo adimus, habent notionem.

NOTORIA, breuis & côpendiaria ſcriptio. Hinc pro indiciis & relationibus & elogiis ſumūtur, ab apparitoribus ſeu Irenarchis factis, vel quibus crimina deferuntur ad magiſtratus, l. ab accuſatione. §. nūciatores. D. ad Turp. Nunciatores inquit Paul. qui notoria indicia produnt, notoriis ſuis adſiſtere iubentur. Sic l. ea quidē. C. de accuſ. l. 31. C. Th. de Epiſc. & cler. l. diuus. D. de cuſt. reor. D. Aug. in epi. 160. Notoria in ſing. & Notariæ dicuntur: Circūcelliones, inquit, quoſdam & clericos Donatiſtas, cura eorū qui publicæ diſciplinæ inſeruiunt, præmiſſa notoria ad iudicia legéſq; perduxit. Et in epiſt. 159. Qui non accuſantibus noſtris, ſed illorum notoria, ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat, præſentari videantur examini. Dicitur & Notaria ab eodem Auguſt. & Apuleio lib. 7. de Aſino aureo.

NOTORIVM eſt, quod omnibus conſtare poteſt, & colore nullo obfuſcatur, nec probatione indiget: vt palatium in vrbe eſſe. Manifeſtum, quòd allegari probarique oportet, vt Titium corā populo occiſum, Seium publicè fenus reprobum exercere. Liquidum, quod iudici ex actis liquet, l. ciues. C. de appell. & quod ſine moroſa difficultate iudici probatur. Clarum verò generaliter accipi poteſt, vt ſupradicta comprehendat, l. poſtrema. de tranſact. Alciat. de verb. ſign.

Notorium eſt triplex, Præſumptionis, Iuris, & Facti. Notorium Præſumptionis, quod eſt de euidentia iuris vehementis præſumptum, vt paternitas, filiatio, vbi non requiritur alia probatio, niſi probationes & côiecturæ, c. quoniam. de fil. presb. Nam hoc quòd quis ſit alicuius filius nô poteſt verè probari, l. Lucius. D. de côdi. & demon. Vnde filius eſt, quem nuptiæ demonſtrant, D. de in ius voc. l. quia ſemper. in fi. Nam ſi vir & vxor aliquem infantem nutriūt, & dicunt eum filium eorū eſſe, tunc præſumitur eorum filius. Eſt ergo notorium præſumptionis euidētia rei euidenter à iure præſumpta. Notorium iuris eſt clara iudicialis confeſſio inconuincibilis, inconuincibilis probatio, & irretractabilis diffinitio, de quo ſcilicet notorio quis damnatus eſt, vel in iure côfeſſus. Et ſic illud eſt duplex, videlicet per confeſſionē factā in iure, & per ſententiā iudicis, vt in c. veſtra. de coha. cler. & mul. ca. nos in quenquā. 2. q. j. Notoriū facti, ſcilicet quod cômiſſum vel factū nô dubitatur à populo, vel maiori populi parte, & per euidentiam rei nulla poteſt tergiuerſatione celari, nec oportet omnes circūſtantias facti eſſe notas, vt ca. vlt. de cohab. cler. & mu. c. cū dilectus. de purga. cano. in fi. 2. q. j. de manifeſta. & ca. ſeq. Et illud notorium eſt triplex, ſecundum triplicem diſtinctionem facti: quod-

dam eſt

dam eſt facti permanentis & continui, vt quòd palatium eſt in vrbe: id non eget probatione. Aliud eſt facti tranſeuntis, vt quod quidam in publico occiditur coram populo. Tertium eſt facti interpolati, vt quia vſurarius vna die tenet menſam paratam, alia non. Vide plenè Abbat. ad c. veſtra num. 14. extra de cohab. cleric. & mul.

Notum, quod cuique vel coràm, vel ad domum nunciatur, glo. l. quinquaginta. C. de excuſ. tuto.

Novalis eſt terra præciſa, vel (vt eſt apud Iſidorum) proſciſſa, quæ anno ceſſat, quam Græci νεὸν (alij νέατον, vel νέαμ) vocant. Integra autē eſt, in qua nondum dominus paſcēdi gratia pecus immiſit. Paul. in l. ſylua. D. de verb. ſign. Sic Varro lib. 4. Ling. Lat. Ager reſtibilis qui reſtituitur, ac reſeritur quotquot annis: contra qui intermittitur, à nouādo, Noualis ager. In lib. Var. auct. de limit. ita etiam ſcribitur: Noualis, ager eſt primum proſciſſus, ſiue qui alternis annis vacat, nouandarū ſibi virium cauſſa. Et apud Seruium Georg. j. Proprie Nouales ſunt primum arua proſciſſa, & primum ſegetem ferentia. Plin. autem lib. 18. c. 19. nouale appellat, quod alternis annis ſeritur, in hoc proſcindendū, vt interim requieſcat. Nam proſcindere, eſt primum terram vertere, grādioribus glebis relictis. Contra, reſtibilis ager dicitur, qui quotannis ſeritur. Cice. de Orat. Nouatum agrum appellat non ſemel aratum, ſed iteratum, diúq; ante ſementem cultum & fermentatum, quo meliores fetus poſſit & grandiores edere. Duæ itaq; vocis Noualis ſignificationes ſunt, quarum altera notatur in d. l. ſylua. altera in l. fi. de ter. mot. l. 8. D. de fund. dot. l. vtiles. 39. D. de petit. hæred.

Novellarum (ſubaudi, Conſtitutionū) nomen nouum non eſſe, nemo eſt qui neſciat, vel mediocriter in iure ciuili verſatus: cum ipſe etiam Imp. in 3. Conſtit. quæ præfationis loco repetitæ codicis prælectioni præmittitur, hoc nomine in futurum id operis confirmet. Et Azo teſtetur, ex Nouellis in collationes collectas conſtitutiones, quæ hodie in ſcholis & iudiciis circūferuntur: & ante trecentos adhuc annos nouellæ in vſu ſint habitæ, ſi non omnes, attamen pleræq;, quæ hodie non extant. Et vt de Accurſio taceam, qui ſæpe collationarias illas, in multis perobſcuras ex nouellarum contextu illuſtrare ſolet, paſſim in doctoribus adducuntur in teſtimonium, de adiutoribus quæſtoris, de appellationibus ex Sicilia, de priuilegiis Archiepiſcoporum, & infinitis aliis. Ex quibus tametſi, pleræq; generales non ſunt, tamen eas propter cognitionem rerum, & exemplum, omiſſas non oportuit. Sunt qui in l. non plures. & l. qui ſub prætextu. C. de ſacroſ. Eccl. interpretantur, Decanos, pro clericis: quod neutiquā feciſſent, ſi copiam nouellarum habuiſſent conſtitutionum. Idem poſſumus dicere de ſexcentis aliis. Hæc ex Holoandro. Cur autem Nouellæ dictæ ſint diuerſi diuerſa tradunt. Cedrenus ſic dictas cenſet, quòd noua eis atque à veteribus diſſidentia iura cōſtituantur. Hæc enim ſunt eius verba in Iuſtiniano: τοὺς παλαιοὺς νόμους πάντας ἀνανεώσας. ποιήσας μονόβιβλον, ὃ καὶ νεαροὺς διατάξεις ἐκάλεσε. Sed id non omnibus, exempli gratia 91. & 92. Verior itaque altera ratio, quam profert Cuiacius, quòd nouiſſimè promulgatæ ſint poſt Codicem Iuſtiniani repetitæ prælectionis. nam & ſæpiſſimè à Græcis interpretibus vocantur νεαραὶ μετὰ τὸν κώδικα, & ab ipſo Iuſtin. Nouel. 66. & in Conſtit. de nouo Codice faciendo: & pariter Theodoſij, Valentiniani, Martiani, Leonis, Maioriani, Seueri conſtitutiones non alia ratione Nouellæ appellatæ ſunt, quàm quòd poſt Codicem Theodoſij, & aliæ quædam Leonis philoſophi, Nicephori, Michaelis Romani, Alexij, quòd poſt βασιλικῶν libros promulgatæ eſſent. Quin & Iuſtin. quæ in l. j. §. ſed cum Nouellæ. C. de emend. Cod. Iuſt. l. ſi quis filium. in fi. C. de inof. teſta. vocantur Nouellæ, nondum retractato Codice hanc appellationem meruerant, editæ cum eſſent poſt primam Codicis editionem, retractata, repetitáve iam Codicis editione, eam amiſerunt. Nec enim Nouellæ ſunt, quæ in corpus vnum coire Codicis repetitæ prælectionis, iuſtū Conſtitutionum corpus, ſed quæ poſt Codicem illum emerſerunt nouæ, vel Iuſtiniani ipſius, vel Iuſtini, vel Tiberij, non quaſi errones in corpus illud retrahēdæ, è quo nunquam exierunt, ſed quaſi poſthumæ Codicem certè rupturæ illū, quo ſunt omiſſæ, maxima ex parte.

NOVELLARVM METHODVS.

Porrò Nouellas confuſaneè editas eſſe omnes cōſentiunt: eas igitur μεθοδικῶς, & in artem, hac via redigi poſſe putem. Primùm omne Ius in publicum, & priuatum diſtribui debet: ad publicum pertinēt ſacra, ſacerdotes, magiſtratus. In primo genere collocanda erit conſtitu. 146. περὶ Ἑβραίων. de interpretatione librorum ſacrorum: cui ſubiicietur Nouella 131. cap. j. de canonibus Eccleſiaſticis. Subſequenter Epiſcopi & Clericorum ordines reliqui, Nouel. 131. & 56. & 6. 133, & 2. 165. Subnectenæ ſunt orationis domus, & templa, Nouella 58. quibus adiicias Res Eccleſiaſticas. Nouell. 7. 120. 46. Earum priuilegia, Nouel. 135. §. πρὸς τούτοις. & Nouel. 131. Sacra, ſacerdotéſque ſequentur Magiſtratus, eorum ordines, officia, Nouella 105. 80. 35. 11. 13. poſt hos iudices, Nouella 82. Præſides. Nouel. 8. mandata, 17. & ciuitatum defenſores, Nouell. 15. Magiſtratus exequuntur crimina: ideóque ponatur hic Nouella 70. puniunt hæreticos, Nouella 42. Ad milites & eorum tranſitū perueniendum, ideóque ad Nouellam 116. Hi arma tractant, atque ideo Nouella 85 ſubiicienda eſt. Subſequantur Decuriones, Nouell. 101. & 70. Tabelliones ſunt perſonæ publicæ, §. item cum. Inſtitu. lib. j. titu. 11. Igitur hîc ponatur Nouel. 44. Hi ſcribunt teſtamenta, quæ & ipſa publici iuris ſunt, l. 3. D. de teſtament. Idcirco huc referatur Nouella 1. in prin. Quantum liberis teſtamento relinqui debeat. conſtituit Nouel. 18. Teſtamēta inter liberos, Nou. 107. Hi inſtituendi, non prætereundi: ſed nec parentes, Nou. 115. Tutores teſtamentarij, Nouel. 117. Fideicommiſſa, Nouel. 108. & 159. Ius deliberandi, Nou. 158. poſt teſtatos, collocauit Prætor inteſtatos. Sic Imperator Nouell. 118. 84. 127. 68. Hactenus de iure publico. Tranſgrediamur ad priuatum. Porrò omne ius quo vtimur, vel ad perſonas, vel ad res, vel actiones pertinet, l. j. D. de ſtatu homi. Primùm de iure perſonarum, quarum cauſſa ius eſt cōſtitutum, l. 2. D. eo. A nuptiis incipiemus, ex quibus vita noſtra initium ducit. De nuptiis Nouell. 22. Nefariæ, inceſtæ damnatæque nuptiæ, Nouell. 12. & 154. De ea, quæ raptori nubit, Nouel. 150. Nuptiarum comes, dos: de hac Nouel. 90. huic adiicias 2. §. fin. & 100. 91. 119. 39. Ex nuptiis liberi, de quibus Nouel. 89. 74, nati ex libero & adſcriptio, Nouella 54. Explicatur per Nouel. 156. Infantes abiecti, Nouel. 153. Liberis dantur tutores, & ſic tutelæ, Nouel. 94. 72. 155. Claricatio, Nouella 52. Perueniamus ad res, ideóque ad contractus obligationes, & actiones, Nouel. 52. 98. 88. 136. 119. Solutiones, Nouell. 4. Actiones in iudicio proponendæ, §. j. Inſtitut. de actio. de hoc Nouel. 96. quis prius conueniatur, reus, an fideiuſſor, Nouel. 4. Per procuratores agi poſſe, Nouel. 71. Initio litis iurandum, Nouella 124. Quid, ſi actor abſit, Nouell. 53. atque ibi qui explicentur iudicia. Monachi apud quos conueniendi, Nouel. 79. Iudex competens, præſes, Nouel. 69. De præſide ſuſpecto, & negligente, Nouel. 89. Litigioſa res, Nouell. 112. Teſtes, Nouell. 90. Sententia. Nouel. 82. Appellatio Nouel. 82. 22. 115. Executio, Nouel. 134. Hæc Pardulph.

Novellet

NOVELLETUM (Vet.Gloſ.νεόφυτον) ſumitur pro vinea ex nouellis vitibus conſita: vt apud Paulum, de impenſ.in reb.dot.fact.& Alphenum de fund.dot.

NOVERCA, dicitur auctore Feſto, quam quis ſublatis liberis nouam vxorem ducit, accerſendæ familiæ gratiâ.Inſtitut.de nup.§.ſocrum.& dicitur vxor patris naturalis, vel adoptiui. C.ad l.Falcid.l.licet Modeſtinus l.4.D.de grad.& affin.Nouerca, inquit, dicitur vxor, liberis ex alia vxore natis.

NOVIUS Quæſtor, vide Quæſtor Nouius.

NOVUM non facit, qui detegit quod vetus eſt, l.adeò. §.cùm quis.D.de acquir.rer.dom.

Nouum interdum dicitur, tametſi quid de veteri extet, arg.l.prætor. §.fin. D.de damn.infect. Inſtitut.quibus mod.tol.oblig.§.ſed ſi eadem.

Nouum riuum parietibus vſufructuarius nõ poteſt imponere, Neratio auctore, l.vſufructuarius.D.de vſufruct.

Nouum temporis eſt, inauditum & inuiſum, id eſt, non antè viſum, ignorationis, & rei quæ non venit in ſenſum.Ita quædam priſca poſſunt eſſe noua. Tamen aliquando confunduntur, vt in l.j.in princ. D.de vent.inſpic.nouum pro audito.

Noua tigna dicuntur, quæ immittuntur contra priorem formam: ſicuti ius nouum dicimus, & opus nouum. Pomponius in l.ſi cum meus.D.ſi ſerui.vindic.

Nouæ leges interdum intelliguntur, quæ poſt leges XII. Tabul.latæ ſunt, l.7.D.de cap.minut.l.11.D.de ſuis, & legi.Sic eodem ſenſu Nouum ius, l.j.D.de hæred.petit. Et Nouæ hæreditates, quæ ex huiuſmodi legibus ſenatúſve conſultis poſt XII.Tab.factis deferuntur, l.j.§.capitis. D.ad S.C.Tertull. Denique ad quaſcunque recens latas ea appellatio pertinet, l.vni. D.de cõdict.ex lege.Interdum Nouæ leges Papias ſignificant, vt l.fin.D.de reg.Cat.

Nouum ius pro iniquo, D.quod quiſque iur.l.j.§.j.veluti ſiquis impetrauerit ne debitor aduerſus eum exceptione vtatur.l.3.D.eod.

Nouæ tabulæ appellabantur quibus publicè propoſitis æs obæratis remittebatur ac condonabatur. Harum meminit Cicer.2.Offic.& 2.inuect.in Catilin.Epiſtol.vlt. lib.5.ad Attic.Cæſar in princ.lib.3. de bell.ciuil.Suetonius in Iul.cap.42.& alibi paſſim.

Nouum ius dixit Irnerius in Epitomatis Nouellarum, quæ Authenticas vulgus appellat, patet in Authentica, ſed nouo iure.C.de ſeru.fugit.& aliis plurimis.

Noui operis nuntiatio, eſt ædificanti in alterius præiudicium facta prohibitio, de qua Fufius Iuriſcoſ.tit.de no.oper.nunt.& vide ſuperius Interdictum de noui operis nuntiatione.

Nouiſſima ſententia, pro diffinitiua, in Authent. vt defuncti ſeu fun. eor.§.ſancimus igitur.

Nouiſſimum ſupplicium, pro morte, in Authent.de Lenonibus.

NOVI HOMINES, apud Romanos dicebatur qui nullis maiorum imaginibus & nobilitate cõmendabantur.aditúmque ad amplitudinem & nobilitatẽ poſteris ſuis patefecerant: vt M. Cato.Cenſoris, qui patre ignobili natus, ipſe nouus poſteritati ſuæ nobilitatem reliquit: quemadmodum & Cicer.de lege Agraria loquens, ſeipſum appellat nouum hominẽ. Nouitas itaque media erat inter nobilitatem & ignobilitatẽ. Plutarchus in Catone Maiore nouos homines appellatos ſcribit, qui non ex genere commendationem haberent, ſed ex ſe primùm cognoſci inciperent.

Nouus homo dicitur ſeruus manumiſſus, poſtea in ſeruitutem redactus.l.ſi ſeruus.in fi.D.de adimend.legat.

NOVUM feudum eſt, quod ei primùm quo de agitur, attributum eſt: cui opponitur Paternum, quod eius vel parentibus, vel maioribus conceſſum fuit, lib.j. tit.14. §.3.& lib.2.tit.50.paternum, inquit, voco, quicunque ex ſuperioribus id acquiſierit. Nos Profectitium appellauimus: nomine vt videtur non incommodo.

NOVA Inueſtitura eſt, quando feudum primò quæritur: libro 2.tit.32.

NOVARE, & nouum, ſiue recens facere, & immutare ſignificat, l.cùm Aquiliana.D.de tranſact.ſic l.vlt.D.de minorib.vig. Minor viginti quinque annis nouandi animo interceſſit pro eo qui temporali actione tenebatur.Et l.ex chirographis.D.de adminiſt.tut.

NOVATIO eſt, vt ait Vlpianus, prioris debiti in aliam obligationem vel ciuilem vel naturalem, transfuſio atque tranſlatio: hoc eſt, cum ex præcedenti cauſſa ita noua conſtituitur, vt prior perimatur. Nouatio enim à Nouo nomen accepit, & à noua obligatione, l.j.D.de nouat.Triplex autem nouatio eſt: prima, cum vnius perſonæ obligatio in alterius perſonæ obligationem nouatur: altera, cum alterius generis obligatio in verborum obligationem nouatur: tertia, cum verborum obligatio in alteram formam commutatur: id eſt cum ei vel adiicitur, vel detrahitur, l.j.& l.ſecunda. D. illo titulo.

NOVITAS (quæ nutrit diſcordiam l.in rebus nouis.D.de Conſtit.Princip.) tunc fieri dicitur, cum quæ ſunt, ſtatu ſuo mouentur, l.peritiam.C.de in integr.reſtitut.

NOVITII ſerui proprie dicuntur, noui & recentes: Veteratores verò, ſiue veterani, inueterati. Vlpiani.l.37. D.de ædil.edict. Præcipiunt Ædiles, veterator pro nouitio veneat. Item; Quia venalitiarij ſciunt facile decurri ad nouitiorum emptionem, idcirco interpolant veteratores, & pro nouitiis vendunt. Sed Venuleius in l.vlt.ſubtilius rem explicat: nam veteratorem ait nõ ſpacio ſeruiendi, ſed genere & cauſſa æſtimandum eſſe. Eſt itaq; veterator ſeruus turpi alicui ac ſordido miniſterio, quamuis recens addictus: vel quicunque ex venalicio nouitiorum emptus, alicui miniſterio præpoſitus ſit, vt ibidem dicit Venuleius. Nouitius verò, qui vel nulli adhuc, vel nobili alicui & liberali homine dignæ arti, quamuis multo ante, deditus fuit; veluti picturæ, medicinæ, muſicæ: quod Valla non viderat, cum d.l.37. huic contrariam eſſe dicebat. Hæc enim Venuleius Vlpiano addidit In profeſſionibus autem quæ apud publicanos fiunt, nouitij ij intelliguntur, qui minus anno ſeruierunt: vt veteratores, qui anno, l.fin.§.quoties. D.de public.

NOXA, inquit Iuſtinianus, eſt ipſum corpus quod nocuit, id eſt ſeruus: Noxia ipſum maleficium, veluti furtum, damnum, rapina, iniuria, titul.de nox.act.in princ.Hoc ſine dubio Tribonianus eſt ſuſpicatus, ex eo quod Caius ſcribit l.j.D.hoc tit. Liceat nobis deditione ipſius corporis quod deliquerit, euitare litis æſtimationem.Et cum alibi dicitur, Noxæ deditio, interpretatus eſt argutè homo ſagax, id eſt, corporis deditio. Noxa apud Poëtas & Oratores, inquit Feſtus, ponitur pro culpa. at noxia peccatum aut pro peccato pœna.vt Accius Menalippe, Te eſſe huic noxæ obnoxium.Item cum lex iubet noxæ dedere, pro peccato dedi iubet. Confunditur tamen hoc diſcrimen.

Noxa, damnum, vitium ex re aliqua contractũ. Hinc Capere noxam, & concipere & contrahere, apud Columellam dicuntur ſerui ex nimio labore. Hinc Noxam nocere apud Liuium in antiqua formula: & Noxius ſeruus, qui noxam nocuit, id eſt damnum intulit, & ob eam cauſſam obnoxius eſt. Columella lib.3. Operam vinitoris, quem vulgus quidem parui æris, vel de lapide noxium poſſe comparari putat Hinc eundem ſeruum Noxę dedere pręciſa locutione dicimur, pro Noxæ nomine dedere, id eſt ob damnum & noxam quam intulit.Sic Verrina 5.Lucri & acceſſionis dare frequẽtiſſimè, pro lucri & acceſſionis nomine. Et in Topicis, At ſi quis in pariete communi demoliendo damni infecti

infecti promiſerit. Et Liuius eleganter hoc tranſtulit, Obrui Aetnæ ignibus, aut mergi freto ſatius illi inſulæ eſſe, quàm velut dedi noxæ inimico Conſuli. Hinc magis adeò conciſa locutione, Noxis ſolutus dicitur ſeruus, Noxio contrarius, ob cuius noxam nihil debetur, vel qui nemini eſt obnoxius (nam hinc quoque fictum obnoxij vocabulum videtur) quaſi liber ac ſolutus omni obligatione, quæ ex noxa contrahitur: ſiue quòd nullam admiſerit, ſiue quòd eo nomine ſatisfactum ſit. Vlpianus ex Ædilium edicto in l.j. Certiores faciant emptores, qui fugitiuus erróve ſit, noxáve ſolutus non ſit. Et in ſtipulationibus apud Varronem libro de re ruſtic.2. Illoſce boues ſanos eſſe, noxíſque ſ. præſtari, id eſt ſolutos, & ſuprà: Illaſce ſues ſanas eſſe, habereque rectè licere, noxíſque ſ. præſtare ſpondes? Vbi tamen S litera deſideratur: hæc enim ſtipulationis erat formula, vt conſtat ex l.3. & l.30. D. de euict. Hotoman. Hinc,

NOXA CAPVT SEQVITVR, id eſt obligatio ex noxa contracta facti autorem ſequitur. nam ſiue alienetur ſeruus, in nouum dominum transfertur actio: ſiue ipſe manumittatur, in ipſum demigrat. vti docet Impera.§.3. de nox.act. & Vlpianus l.j.§.6. D. ſi quad.paup. & l.j.§.14. D. depoſ. item Caius l.20. & vltim. D. de nox.act. & alibi perſæpe. Noxia autem à noxa hoc differt, quo ſpecies à genere. Nam cum vtraque pro ipſo peccato ſeu potius actione peccandi ponatur, tum verò noxa pro effectu qui ex peccato redundat, id eſt obligatione & culpa plerunque vſurpatur. Vnde noxæ eximere, & noxalis actio, & noxis ſolutus, & noxa caput ſequitur: non autem noxia, aut noxialis dicitur. vide, Caput noxa ſequitur.

NOXÆ verbum in hac ſtipulatione, Noxis ſolutum præſtari, non exiſtimatur (inquit Iulianus,) ad eas noxas pertinere, quæ publicam exercitionem & coërcitionem capitalem habent, l.200. D. de verb.ſign.

Noxæ dedere, eſt animal pro peccato tradere viuum, l.j.§.6. D. ſi quad.paup. Dicitur & ad noxam dedere, l.10.§.19. D. de noxal. Et in noxam dedere, d.l.j.

Noxa ſolutus dicitur, non qui nullam noxam commiſit, ſed qui noxali iudicio ſubiectus non eſt, l.17.§.16. D. de ædil.edict.

Noxam Vlpianus & fraudem ita diſtinguit, vt illam ad priuatum delictum, hanc ad crimen publicum referre videatur. Noxas, inquit, accipere debemus priuatas, hoc eſt eas quæcunque committuntur ex delictis, non publicis criminibus: ex quibus agitur iudiciis noxalibus: denique ſpecialiter cauetur infrà de capitalibus fraudibus. hæc ille l.17.§.16. D. de ædil. edict.

NOXALES actiones appellantur, quæ non ex contractu, ſed ex noxia, atque maleficio ſeruorum, quod pœnam vltimi ſupplicij non habet, aduerſus dominos inſtituuntur. Veluti, ſi furtum fecerint, aut bona rapuerint, aut iniuriam commiſerint, vel damnum dederint. Quarum actionum vis & poteſtas hæc eſt, vt ſi damnati fuerint, liceat eis deditione ipſius corporis quod deliquerit, euitare litis æſtimationem. Niſi fortè iuſſu dominorum, aut, cum poſſent, non prohibentibus eis, ſerui deliquerint, quo caſu in ſolidum tenentur. Inſtit. de noxal.act. in princip. Gaius in l.j. Vlpia.in l.3. D. eod.tit.

NOXIA, eſt delictum, à nocendo dicta vnde noxiæ æſtimatio, cum quadrupes pauperiem fecit, l.j. D. ſi quad. paup. Noxiæ appellatione omne delictum continetur: ait Caius l.238.§.2. D. de verb.ſignific. Noxa autem is eſt qui deliquit. Inde verſus: *Noxia delictum, delinquens noxa uocatur.* qui ab Accurſio citatur ad l.j. C. ſi aduerſ.delictum.

NVBERE in familiam, vide ſuprà, In familiam nubere.

NVCES, cæteróſque fructus non minus propriè pomi nomine compræhendi, quàm mala, indicat Alciat. interpretans l. qui fundum. de verb.ſignif. licet hodie in vulgari vſu loquentium aliud ſit.

NVCLEI ligni appellatione cõtinentur, vt Offilius ſcripſit, teſte Vlpiano. Cui ligna legata ſunt, ad cũ omnia ligna pertinere, quæ alio nomine nõ appellantur: veluti virgæ, carbones, nuclei oliuarum, quibus ad nullã aliam rem, niſi ad comburendũ poſſit vti: ſed & balani, vel ſi qui alij nuclei, l. nuclei appellatione. de leg.3.

NVDVM dicitur in iure, quod ſimplex & purum eſt, neque id quo de agitur, adiunctum habet: veluti, Nuda proprietas dicitur, cui vſusfructus deeſt, l.29. D. de vſufr. l.8. D. de vſufr.legat. l.34. D. de rei vindic.

Nuda poſſeſſio, quæ ſine proprietate obtinetur, l.66. D. de euict. l.21.§.j. D. quod met.cauſ.

Nuda conuentio, quæ ſine traditione eſt, l.j. D. de pign. act. l.4. D. de pignor. Nuda pacta, quibus cauſſa nulla ſubeſt præter conuentionem, l.7. D. de pact. l.5. C. de cont.ſtipul. Nuda conuentio, quæ in ſe negocium, id eſt συνάλλαγμα non habet, l.j. D. de præſcrip verb.

Nudus conſenſus, ſine rei traditione, aut literis, aut ſtipulatione, l.52. D. de oblig. & act. l.14. D. locat. Itaque,

Nudo conſenſu contrahi dicuntur, emptio, venditio, locatio, conductio, mandatum, & ſi qui ſunt contractus, qui nomen ſuum habent, cum nulla rei datio interuenit, vt expreſſiſſimè declarat Paul. l.j. ibi, nudo conſenſu. de rerum permut. Vnde ἀξίωμα colligitur, Omnis contractus nominatus eſt pactum nudum. Ergo emptio, venditio contractus nudus eſt, d.l.j. Falſum igitur eſt quod Accurſius conſenſu veſtiri pactum dixit, tit. de obligat. ex conſen. Inſtit. nam innuit veſtitos eſſe hos contractus, cum tamen nudi ſint, vt Paul. dixit. & verum eſt. Nam conſenſus ſimul cum ipſo contractu, & conuentione naſcitur. Accurſij tamen errorem ſequuntur omnes ferè interpretes. Mirum tamen eſt eos ita hac in re cæcutiiſſe, cum ſatis apertum, explicitúmque ſit Pauli Iuriſc. reſponſum.

Nudæ res, abſque fructib. & cauſſa, l.j.§. hanc. D. depoſi.

Nudum factum, l.52. D. de verb. obligat. Nuda cautio, quæ ſolam repromiſſionem habet, l.2.§. ſed vtrum. D. de iudic. Nuda pollicitatio, ſine ſcriptura, l.10. D. de iis quæ vt indig.

Nudus ſermo, qui dicto finitur, ſimplicíque adfirmatione conſtat, ſine aliqua promiſſione, l.19.§. dictum. D. de ædil. edict.

Nuda vacatio muneris, l.13.§. duo. D. de vac.mun. Nuda & ſola ſcientia, l.j. D. de ædil.edict. Nuda debiti ſolutio, l.6. D. de eden.

Nuda verba, mera, ſine certa & ſolenni conceptione, Paul. lib.j. Sent.tit.4. Nudum teſtimonium, ſine iuramento, cap. tua. de cohab.cler. & mu.

Nudum, fictitium, & ſimulatum. Alberico.

Nudum ius, C. de nud.iur. Quirit. l.j.

Nuda promiſſio, quæ ſine vllo fideiuſſore aut iureiurando præſtita eſt: apud Imperat.§.j. de ſatiſd. l.2.§. ſed vtrum. D. de iudi.

Nuda ratio, dicitur à Pomponio nomen æris alieni, in codicem accepti ſic relatum, vt qua de cauſſa debeatur adſcriptum non ſit. Si dominus, inquit, in rationes ſuas referat ſe debere ſeruo ſuo, cum omnino neque mutuum acceperit, neque vlla cauſſa præceſſerat debendi, nuda ratio non facit eum debitorem. l.49. D. de pecul. Idem in l.26. D. de donat. Nuda ratio non facit aliquem debitorem: vtpote quod donare libero homini volumus, licet referamus in rationes noſtras, debere nos tamen nulla donatio intelligitur.

Nuda pactio, hoc eſt, tenuis, deſtituta tam nomine proprio, quàm commutatione rerum & factorum, manens in ſimplici paciſcentium colloquio. Sic enim nudum Metaphoricῶs ſeu tranſlatiue accipi oportet in

tet in l.iuris gentium.§.ſed cum nulla. D.de pactis.

Nuda venditio,pro fictitia & ſimulata,l.nuda. D.de contrahen.empt.

Nuda voluntas tunc intelligitur, cum quid fit citra exteriorem interuenientem formulam, quæ interdum ſufficit:vt apud Iuſtinianum in §.interdum. Inſtit.de rerum diuiſ.Vide Cantiunculam ibid.

Nudum præceptum,quod ſine cauſſa fit. Eius exemplum extat apud Scæuolam in l.pater filium.§.Iulius Agrippa.de leg.3.

Nudus vſus, qui ſine fructu eſt,l.j. D.de vſu & habit. Iiſdem autem modis & conſtitui & finiri ſolet, quibus modis vſusfructus conſtituitur,teſte Gaio l.3.in fin. D. de vſufruct.

NVLLIVS eſſe res dicuntur,quæ in nullius priuatim bonis ſunt,ſed iure gentium omnibus vacant, & occupāti conceduntur l.51.D.de contrah.emp. Aliàs etiam Nullius eſſe dicuntur, quæ in patrimonio hominum, aut commercio non ſunt,§.nullius. Inſtitut. de rerum diuiſ.veluti res ſacræ,ſanctæ, religioſæ.

Nullo numero homo,pro nullius pretij, eſt apud Ciceronem 3.Philipp.

Nullum,pro nullius momenti & vtilitatis,ſiue pro irrito, & inani.Vnde interpretibus.Nullum Inutili æquipollet, D.quod cuiuſ.vniuerſ.l.j.§.ei quidem. D.qui ſatiſda.cog.l.quoties.

NVLLI ALII, QVAM MIHI. Hæc verba nō innuūt actum perfectum,l.ſterilis.§.ſed ſi. D.de act.empt.

NVMERI pro albo,in quo lecti milites conſcribuntur, quem Græci κατάλογον appellant,& recentiores matriculam.Vlpianus l.ex eo.42.D.de teſt.milit.Ex eo tempore quis iure militari incipit poſſe teſtari, ex quo in numeros relatus eſt, antè non: proinde qui nondum in numeris ſunt,licet etiam lecti tyrones ſint,& in publicis expenſis iter faciant, nondum milites ſunt. debent enim in numeros referri.Sic in l.4.l.39.§.j.D.eod, l.16.C.illo tit. & l.vrbana familia.166.D.de verb.ſigni. pro libellis, veluti matricula familiæ. Lampridius in Alexand.Milites ſuos vbique ſciuit, vt haberet in cubiculo & breues & numerum & dignitates. Plinius li. 4.Epiſtol.Neque enim adhuc nomen in numeros relatum eſt.Quo factum eſt,vt numeri pro ſocietatibus, ordinibus,turmiſq; militum acciperentur, quæ Græci τάγματα,l.2.§.exercitum.D.de iis qui not.inf.l.8.§.veterani.D.de procura.l.4.D.de re mil.l.31.C.locat. Plin. lib.10.Epiſt.Vt iam ſacramento dixerant, ita nondum diſtributi in numeros erant. Lamprid. in Macrino: Quod ſi vnius numeri conſenſus acceſſiſſet.

Numero plurali pro ſingulari,l.nō eſt ſine liberis.& contra ſingulari pro plurali, l.in vſu iuris. D.de verb.ſign. figuratè Iuriſc.vtuntur:quod & Apellus annotauit.

NVMEROSÆ prouinciæ,in Conſt.Iuſtin.de confirm. Inſtit.tot ſcilicet,vt vix adnumerari queant:vt in l.j.C. in quib.cauſſ.in integr.reſt. numeroſis reſcriptis. ſic namque vtrobique legendum, & in hac ſignificatione multi vſurparunt auctores.

NVMERARII lib. Cod.12.titu. de numer.dicuntur qui in officio magiſtratuū,ſcilicet præfect.prætorio, præf. vrbi,præſidū,ducū, eodem prorſus munure fungūtur, quo & tabularij in ciuitatibus & curiis. Chartas enim publicas adminiſtrare dicuntur, l.6. C.Th.de numer. tum & rationes ſupputare: quod nomen ipſum notat. à numerando enim ſic dicti ſunt. Hinc Auguſtin.lib.2. de lib.arb.Multos noui numerarios, aut numeratores, vel ſi quo alio nomine vocandi ſunt,qui ſummè atque mirabiliter computant. Nec verò conditionales ſunt (quod quid ſit diximus in voce Tabularij) exceptis numerariis præſidum & conſularium, quibus & ob eam rem conditionales tabulariorū nomen imponitur, l.2. C.de numer. Notandum etiam Numerariorū nomen de tabulariis rectorū prouinciarum olim vſurpatū, vt colligitur ex l.13.C.de ſuſcep.præp.& l.4.C.de num.

NVMERANDI verbum ad rem ipſam præſentem refertur,l.ſi ex cautione.C.de non num.pec. Elegans eſt Alex.dictum, & à magni nominis interpretibus receptum, Numerare eſſe naturæ potius, quàm iuris verbum, conſi.179.in 2.Vol.quod & Alc.probat, niſi cùm conſtaret nullam numerationem factam tunc fuiſſe, ſed delegationem.

NVMERATA pecunia duobus modis dicitur: Vno modo reſpectu creditoris, qui propriè dicitur numerare pecunias debitori, vt ſibi reddantur. Alio modo reſpectu debitoris, qui propriè dicitur ſoluere creditori: & impropriè dicitur debitor numerare,cùm ſoluit,quod debet.Datur autem exceptio non numeratæ pecuniæ à creditore,principali debitori, vel fideiuſſori.Sed numeratio pecuniæ largè ponitur hic pro omni re,quam quis numerauit vel ſoluit.

NVMMVS antiquitus duas valebat drachmas.Plaut. in Trinummo:Domina vna deminui modò quinq; nummos, mihi detraxi partem herculanam. Cum enim Grammatici Græci tradant minam cētum eſſe drachmarum,partem autem herculanam conſtet decimam fuiſſe, nummus erat quinquageſima pars minæ, vt drachma centeſima.ſic in nummo iuerunt duæ drachmæ.Denarius tamen drachmam valet, cuius æſtimatione,& pretio inferior multo eſt nummus: igitur hic nummus eſt didrachmum, aliter quam vulgò loquentibus ſoleat vſurpari.nam vulgò ſeſtertius eſt. Nummi autem vocabulum Siculum eſſe vult Varro libro 4.de Ling.Lat.vt & Pollux li.9.his verbis, ὁ δὲ νοῦμμος δοκεῖ μὲν ῥωμαίων εἶναι τοὔνομα τοῦ νομίσματος. ἔστι δὲ ἑλληνικὸν τῶν ἐν ἰταλίᾳ καὶ σικελίᾳ δωριέων. quod Epicharmi exemplo probat: καὶ Ἀριστοτέλης, inquit, ἐν τῇ ταραντίνων πολιτείᾳ φησὶ καλεῖσθαι νόμισμα παρ' αὐτοῖς νοῦμμον, ἐφ' οὗ ἐντετυπῶσθαι τάραντα τὸν Ποσειδῶνος δελφῖνι ἐποχούμενον. Ergo vt ab ἀμβολή, & Doricè ἀμβολά, ἄβολλα fecerunt, ſic à νόμος, vnde νόμισμα, νοῦμμος poſſet videri deductus. Quod tamen improbant aliqui, cum à Romanis Siculi potius ſint oriundi.Atque hoc vtvt ſe habeat,per m geminū ſcribi debet:etſi Tranquilus à Numa deduci velit, vt refert Sudas his verbis: Ἀσσάριον Νουμᾶς ὁ πρῶτος βασιλεὺς μετὰ Ῥωμύλον, ῥωμαίων γεγονὼς, ἀπὸ σιδήρου καὶ χαλκοῦ πεποιημένα ἐχαρίσατο ῥωμαίοις, τῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων διὰ σκυτίνων καὶ ὀστρακίνων τὴν χρείαν πληρούντων, ἅπερ ὠνόμασεν ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος νουμμία, ὥς φησι Τραγκύλλιος. quod ineptum prorſus cenſetur.

NVMMOS aureos æs dici, Vlpian.auctor eſt, de verbor. ſign.l.159. & ibid. Alc.in Comment. Nummus autem aureus,cuius hic eſt mentio, ſeſtertios æris cētum valebat, hoc eſt, denarios argenteos 23.quod idem in Diſpunctionibus annotauit.

Nummos inueterales,vide Ventralis.

Nummo addicere,aut mancipio dare,eſt ita dare, aut attribuere,vt quamuis vendita res non ſit, vendita tamē eſſe videatur.nam dicis cauſſa, & (vt vulgò loquimur) pro forma nummus vnus dabatur. Vitruuius lib.j.c.4. in fin.Secundum mare mercatus eſt poſſeſſionem loco ſalubri.(de M.Hoſtilio loquitur) ab Senatu populóque Rom.petiit,vt liceret transferre oppidum,conſtituítque mœnia,& areas diuiſit, nummóq; ſeſtertio ſingulis municip. mancipio dedit.Cic. pro Poſthumo: Ecquis eſt ex tāto populo,qui bona C.Rabirij Poſthumi nummo ſeſtertio ſibi addici velit?Vlp.l.46.D.loca. Siquis conduxerit nummo vno, conductio nulla eſt: quia & hoc donationis inſtar inducit, id eſt, quia non eſt vera conductio: quippe quæ mercedem duntaxat dicis cauſſa conſtitutam habet. Pomp.l.66. D.de iure dot. Quidam ergo remedij loco rectè putauerunt introducendum, vt vel locet hunc vſumfructum mulieri

mulieri maritus,vel vendat numero vno.

Nummus aſper à veteribus dicebatur, recens nouus, benéque percuſſus,non vſu attritus, ſed qui formam haberet expreſſam,& notas claras, miniméque fugiẽtes.

Nummis colere dicitur,qui ad pecuniam numeratā conduxit.l.26.D.de furt.

Nummus Decargyrus.l.fi.C.The.ſi quis pec.confla.

NVMMARIA quæſtio pro pecuniaria. l.fi.D.de ſta.defunct.

Nummarij indices.l.j.C.publ.lætit.vel conſul.nunciat.vel inſinuat.lib.12.lucri auidi,id eſt quorum indicia venalia ſunt pecunia. Sic Hierony. ad Onaſum: Volo in nummarios inuehi ſacerdotes.Et Suetonius in Domitiano:Nummarios iudices notauit.

NVMMVLARII,à nummulis dicti: collybiſtæ, permutatores nummorũ:qui maioris precij nũmis acceptis, nummulos, id eſt, minuſculam monetam, per partes reddebant aut certæ regionis acceptam pecuniam regionis alterius pecunia permutabant: item vt Collybiſtæ.Paulus.l.9.§.2.D.de edend. Nũmularios quoque non eſſe iniquum cogitationes edere Pomponius ſcribit:quia & hi nummularij ſicut argentarij rationes cōficiunt:quia & accipiunt pecuniam, & erogant per partes,quarum probatio ſcriptura codicibúſque eorùm maximè continetur: & frequentiſſime ad fidem eorum decurritur. Horum conditio aliquanto inferior fuit argentariorum,vt patet ex dicta l.9.nec enim publica auctoritate pecuniam tractabāt: ideóque eorum rationes minoris erant & fidei & auctoritatis. Vlpianus tamen in l.7.§.2.nummularios pro argentariis ponere videtur.Nummularios præterea pecuniam ſpectaſſe ac probaſſe patet ex l.39.D.de ſolut.

NVNC,particula eſt dilationis excluſiua.l. ſcimus. §.cum autem.C.de inoffic.teſt. Propriè nanque præſens reſpicit tempus.l.vrbe.D.de ſtatu hom.& ſim.Eſt tamen reperire, vbi in futurum protenditur, vt in Decretis Pontif.exempla citat Albericus. Aliquando nullum tempus denotat,& pro Sed,accipitur.Lege Vallam in Elegant.lib.2.Nunc Feſto, id eſt, Edicti tempore, in Interdicto vti poſſid.

NVNCIARE cauſſam,deferre.l.39.D.de iure fiſc.

NVNCIATIO noui operis in Pandectis, ſic accipienda eſt.Prætor edixit vt ſi quis putet vicinum nouum aliquod opus molientem,non habere ius id faciendi, liceat ei denũciare vicino,ne id faciat,itáque eum prohibere:vetátque ei cui denunciatum eſt, ſiue ius habeat,ſiue non tamen ne quid inſtituat: quod ſi edictum neglexerit,Prætor aditus interdicit, vt opus factum reſtituat,id eſt, interim id decernit, dum apud iudicem à Prætore datum planum faciat ſibi ius eſſe ſic ædificare:omnino autem diruere id cogitur, propter edictum Prætoris, ſiue iure, ſiue iniuria ædificarit:quod ſi nunciator velit remittere nũciationem, licebit ædificare,licebit etiā nouatori ſatiſdare ſe opus demoliturum,ſi nunciator actione ſua negatoria(quā continuò poſt nunciationem debet intendere) probarit apud iudicem id illi non licuiſſe.Hæc ex tract.De noui oper.nunciat.ſummatim.

Nunciatio,(in materia maleficiorum) quam commentatores Denunciationem vocant, magnam habet differentiam in iure Pontificio, & in iure Ciuili. Nam Romani Pontifices admittunt quemlibet ad nunciandum iudici crimen alterius, modò illum prius admonuerit emendationis, capitul. qualiter & quando. de accuſation. Et capitul. licet Heli. de ſimoni. Et tunc poteſt iudex procedere per inquiſitionem, ſi voluerit, nulla mentione facta nunciatoris. Poteſt item procedere ſuper nunciatione inquirendo crimen, hoc eſt, vt nominatim exprimat nunciatorem, ſicut conſuetudo obſeruat. Iure autem ciuili nemo idoneus cenſetur ad nunciandum, niſi ſpecialiter deſignatus fuerit ad id munus. Olim enim inſtitui ſolebat hominum genus, arcanis ſceleribus inquirendis & efferendis operam impendens: vt crimina publicè innoteſcerent. Per hoc enim antiqui bonos mores mirum in modum tuebantur. Et tales nunc quibuſdam in locis videmus deſignari. Ceterùm ne talis delatio in adulationem degeneraret, ſicut tyranni quoque huiuſmodi indicibus abutebantur, quaſi emiſſariis duntaxat & auſcultatoribus: ideò ſancitum fuit, primùm, vt nunciatores quodam teſtificati genere vterentur ad inueſtiganda commiſſi criminis indicia, priuſquam aliquid efferrent, ne errantes ipſi magiſtratum quoque ſeducerent. Deinde, vt notoriis ſuis(ſic enim tota illa criminis per teſtificationem inquiſitio vocabatur)nunciatores adſiſterent. Nam falſis necne notoriis inſimulatus quis eſſet,perpenſo iudicio diſpiciebatur.l. ea quidem.C. de accuſ. quamobrem Romanæ leges per nunciationem non admittunt aliter inquiſitionem fieri aduerſus criminoſum, niſi facta mentione nunciantis: vt reo copia fiat defendendi legitimis exceptionibus: quemadmodum etiam de Irenarchis, ſeu publicæ pacis cuſtodibus traditur in l.diuus Hadrianus. D.de cuſt. & exhi. reo.l. ab accuſatione.§.nunciatores.D.ad S.C.Turp.

NVNCIATORES dicuntur delatores criminum: ex quo eorum indicia notoria dicuntur, ſeu notaria, vt diximus ſuo loco.Paul.l.6.D.ad S.C.Turpill. Nunciatores qui per notoria indicia produnt, notoriis ſuis adſiſtere iubentur.Iidem ab Impp. denunciare dicuntur in l. 7.C.de accuſat.

NVNCIVS qui ſpecialiter certi negotij gratia ad aliquē deſtinatur,& abſenti miniſterium præbet.l.2.D.de pactis,& alibi ſæpiſſimè. Hinc:

Nuncium mittere & remittere coniuges dicuntur, qui, libello repudij miſſo,à ſe inuicem diuertunt.l. 6. & l.10. D.de ſponſ.l.5.& l.7.D.de iure dot.Cice.in Top.Si mulier cum fuiſſet nupta cum eo,cui connubij ius non eſſet,nuncium remiſit.Inde Nuncios repudia interpretantur Imppp.l.3.C.de repud.

Nuncij etiam ſunt quos Ius Ciuile viatores, & adparitores,Pragmatici Galli *Sergents* vocant.c. prudentiam.de offic.& pot.iud.delega.

NVNCVPARE, eſt voluntatem circa hæredis inſtitutionem,legatorum donationem,cęteráſque teſtamẽti partes,lingua & voce exprimere nominaréque. Hinc teſtamentum nuncupatorium, quod fit ſine ſcriptis, coram ſeptem teſtibus,viua voce: & eſt iuris ciuilis, teſte.Viglio.Iulian.in l.ſi ita,de bo.poſſ.ſec.Tab. Quidam teſtamentum in tabulis ſibi fecit:filio autem impuberi per nuncupationem ſubſtituit. Item: Nam quemadmodum ſcripto filio hæredi, ſeparatim ab hæredibus patris,ita nuncupato poteſt videri ſeparatim à ſcriptis patris hæredibus bonorum poſſeſſio dari.Nuncupatum hæredem à ſcripto diſtinguit: vt ſit is modus,cuius meminit Iuſtinianus inſtit.de teſtam.§.fi. Budæus inquit: Nuncupare, eſt non ſcripto, ſed verbo cauere,vel dicere. Vnde teſtamentum nuncupare, apud Plin.lib.14.de ebrietate. Nuncupatur autem teſtamentum in hunc modum:tabulas teſtamenti teſtator tenens,ita dicit:Hæc vti in his tabulis ceríſve ſcripta ſunt, ita do, ita lego.ita teſtor. itaque vos Quirites teſtimonium perhibetote: quæ nuncupatio & teſtatio vocatur.Vlp.c.Inſtit.20.Vide Iſidor.lib.5. cap.24. Etym.Vt autem ſecundum tabulas, ita & ſecundum nuncupationem bonorum poſſeſſio datur.

Nuncupare hæredem,eſt pronuntiare, & verbis exprimere, & palàm nominare: opponitúrque ſcriptura nuncupationi.l.21.25.D.de teſtam.l.20.D.de vulg.

Nencupata pecunia dicitur(ait Cincius lib.2.de offic.Iu-

riſconſulti apud Feſtum)nominata, certa, & propriis nominibus pronuntiata.At Santra lib.2.de Verborum antiquitate,vt refert idem,ſatis multis colligit, nuncupata eſſe non de recto nominata, ſed promiſſa, & quaſi teſtificata,circumſcripta, recepta:etiam in votis nuncupandis eſſe conuenientius.

NVNCVPATIVVM teſtamentum, vide infrà Teſtamentum.

NVNDINÆ à nono die dictæ ſunt,quaſi nouendinæ.Hæ autem,inquit Macrobius lib.Sat.j.c.16. primum à populo R.inſtitutæ ſunt,inquit Rutilius, vt octo quidem diebus ruſtici opus facerent:nono autem die,intermiſſo rure,ad mercatum, legéſque accipiendas. Romam venirent.Columella autem libro de re ruſt. j.Nundinarum, inquit, conuentus manifeſtum eſt propterea vſurpatos, vt nonis tantummodo diebus vrbanæ res agerentur,reliquis adminiſtrarentur ruſticæ.illis enim temporibus proceres ciuitatis in agris morabātur: &, cùm conſilium publicum deſiderabatur, à villis arceſſebantur in Senatum.ex quo quis eos euocabant, Viatores nominati ſunt.

NVNDINÆ verò,id eſt vacationes (vulgò à nobis feriæ dictæ)de quibus Rubrica extat.lib. Pand. L. & C. VII. & quas Græci πανήγυρειν,καὶ τὴν λεγομένην ἀτέλειαν vocāt ad l.j.C.de nund.abuſiuè dictæ ſunt mutata re,nomine autem retento,cùm propriè Mercatus appellādæ ſint. Vnde Rubr.Codicis,De nundinis & mercatibus:non, vt vulgo, Mercationibus.id quod vel ex legis vnicæ lectione poteſt intelligi.nam à poſterioribus Cæſaribus inſtitutum fuit,vt ex certo eorū beneficio ac munere,certis in oppidis,ſtatis temporibus,mercatus celebrarētur,cum omnium portoriorum & vectigalium immunitate:quinetiam Impp. Valens & Valent. in l.j. C.de nund.immunitates illas vſque eò amplificarunt, vt etiam eos quibus Nundinarum ius cōceſſum eſſet, vetuerint mercatus tempore nundinatoribus vllis aut propter merces, aut propter portorium, aut propter priuatum aliquod debitum negotium faceſſere. Obſeruatum eſt etiam,Nundinarum ius à Senatu impetrari ſolitum.Plin.lib.Epiſt. v.Solers,inquit, vir Prætorius à Senatu petiit, vt ſibi inſtituere in agris ſuis nundinas permitteretur.

NVPER, non longo tempore.Neque verò ad horas refertur,ſed vel ad paucos dies,vel ad paucos menſes.l. nuper conſtitutum.D.de leg.3.Inſt.de vſucap.§.fin.

NVPTA Labeoni non videtur, quæ virum pati non poteſt.l.pen.D.quan.dies de leg.ced.Item nec ſponſa intelligitur.l.in eo iure.§.hoc caput.D.de ritu nupt.

Nuptam à Græco duci ait Feſtus.lib.12. Illi enim nuptam adpellant νύμφην,quo verbo vſus eſt Solon in legibus. Sic enim apud Plutarchum in eo:τὴν νύμφην τῷ νυμφίῳ συγκατακλινομένην μῆλον κυδώνιον κατατρώγειν.

NVPTVI collocare eſt contrahere nuptias matrimonium.Vlpian. in l.liberorum. D.de iis qui not.infam. quod & nuptiis collocare,idem paulo poſt dixit.

Nupta,inquit Feſtus, verba dicebantur ab antiquis, quæ virginem dicere non licebat. Plaut. in Diſcolo:Virgo ſum,non didici verba nupta dicere.

NVPTIÆ dicuntur propriè cæremoniæ & hilaritates in ducendis vxoribus,à nubendo:quia ſolebāt olim puellæ,pudoris gratia,caput obnubere:ſignificantes,verecundiam nuptiis præire debere. Hinc Cicero pro Cluentio dicit:Nuptias plenas dignitatis, plenas concordiæ ac pudoris.Hinc etiā Nubere propriè de mulieribus dicitur.

Nuptiæ,ſiue matrimoniū, eſt viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ conſuetudinem continens: ait Imp. De nupt. in princ. vide ſuprà MATRIMONIVM. Modeſt.Nuptiæ ſunt coniunctio maris & fœminæ, & conſortium omnis vitæ:diuini & humani iuris communicatio.l.j.D.de ritu nupt. Coniunctio, vt l.j. D.de iuſt.& iur. Cōiunctio maris & fœminæ,quam nos matrimonium appellamus.Duplex enim habet nomen, matrimonij & nuptiarum.l.10.D.de rit.nupt. & Inſti. de patr.poteſt.ex quo loco etiā conſortium omnis vitæ,interpretari licet, indiuiduam vitæ conſuetudinē, quod vitæ ſocietatem.l.ſi rerum.D.de re iud.l.j. D.rer. amot. quod Halicarnaſ. ἐπὶ πολλῇ συνελθεῖν τύχῃ, vbi etiam vxorē facit κοινωνὸν ἁπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. Imp.Gordianus ſimiliter ſociam rei humanæ atque diuinæ.Obſeruandum autem,Modeſtinum in nuptiarum definitione, vt Ethnicum loqui apud quos quæuis familia habebat ſpecifica ſua ſacra. Et Iuſtæ nuptiæ, hoc eſt,legitimæ, dicuntur, ſi Romanus Romanam, hoc eſt, liberæ conditionis maſculus liberam ducat vxorem. Præterea oporteret vt conſentiant non ſolùm qui iunguntur, ſed etiam parentes, ſub quorum ſunt poteſtate.l.nuptiæ. D.de ritu nupt.l.nec filium.C. de nupt.Cùm autem nuptiæ celebritas ipſa coniugij, ſit,cùm mulier obnubitur,id eſt, velata facie ad maritum deducitur,propriè non dicimus ſolùi nuptias,ſed ipſum matrimonium.rubr.D.ſol.mat.

Nuptiæ nefariæ propriè dicuntur,quæ inter aſcendētis & deſcendentis lineæ homines committuntur.Eæ verò nuptiæ inceſtæ habentur,quarum collaterales in vetitis gradibus auctores ſunt,atque item affines.Reliquæ verò modò illicitæ,modò inutiles vocantur.Quamuis promiſcuus huiuſmodi vſus eſt apud Iuriſconſultos. vide C.de inceſt.& nefa.nupt.

Nuptiæ ſeruiles :Iure ciuili conſtat, matrimonium inter ciues Romanos & liberos dūtaxat eſſe.Inſtit.de nupt. in princ.Seruos verò haudquaquam poſſe in matrimonium conuenire.l.cùm ancillis. C. de inceſt.nupt. Sanè iure Pontificum.c.j.de coniug.ſeruor.adprobatæ ſunt ſeruiles nuptiæ,citra tamen domini fraudem.

Nuptiarum mentio ad primas nuptias referenda eſt,quod & Alber.indicat.Pompo.in l.boues.de verb.ſig. Hoc, inquit,ſermone,dum nupta erit,primæ nuptiæ ſignificantur.Cuius rei rationem pete ex commentariis Alciati in eand.

Nuptiarum tempus,eſt ipſa nuptiarum feſtiuitas.l. ſancimus.C.de nupt.Itaque pro ſpe nuptiarum impropriè accipitur.l.2.in fi.D.de priuil.delict.

Nuptias conſenſus præſens principaliter facit, non concubitus.l.nuptias.D.de reg.iur.

NVPTALITIVS,nuptialis.l.Vlp.l.194.D. de verb.ſign. nam Munus eſſe donum cum cauſſa,vt puta natalitiū, nuptalitium.

NVRVS vxor eſt filij.l.4.§.adfines. D. de gradibus.ſponſa nurus adpellatione continetur.l.6.& l.8.D. de grad. & adfi. Atque eius adpellatione pronurus, & deinceps ceteræ continentur.D.de verb.ſign.l.nurus.l.2.§. nurum.D.qui ſatiſd.cog.

NVTRIRI infantium,Ali adultorum eſſe interpres monuit in l.pen.D. de his qui ſunt ſui vel al.Lex 2.C. de inf.expoſ.iubet nutrire ſobolem ſuam vnumquenque.

NVTRITIA, Græcè τροφεῖα, dicuntur nutricis merces.Eo vocabulo vtitur Vlp.ad fi.l.j.de var.& extraor.cognit. Ad nutritia quoque, inquiens, officium Præſidis vel Prætoris deuenit.Nanque nutrices ob alimoniam infantium,apud præſides,quod ſibi debetur,petunt. Sed nutritia eouſque producemus, quoad infantes vberibus aluntur.

NVTVS, volūtas,quæ ſigno declaratur:quod fit vel oculis,vel capite,vel manibus. Nutu relinqui poteſt fidei commiſſum.l.nutu.D.de legat.3.Verùm hæres nutu inſtitui nequit.l.iubemus.C.de teſtamen.Plini.docet lib. j.Epiſt.nutum dici,cùm quis annuit:& renutum, cùm recuſat.Nanque ego, inquit, ſimili nutu ac renutu reſpondere voto tuo poſſum. Porrò cui ſummam potētiam

tiam adſcribimus, eius nutu ac renutu cuncta geri dicimus. Multum eſt, verbo efficere, quod velis: at plus eſt, idem efficere nutu ac renutu, inquit Eraſmus.

Nyctalops, νυκτάλωψ, qui occaſo ſole oculis eſt hebetioribus. Plin. lib. 8. c. 15. Caprinum iecur. veſcentibus reſtituit veſpertinam aciem his quos Nyctalopas vocant. Vlp. l. 10. §. 3. D. de ædil. edict. Sed & νυκτάλωπα morboſum eſſe conſtat: id eſt vbi homo neque matutino tempore videt, neque veſpertino: quod genus morbi Græci vocant νυκτάλωπα. Ariſto. problē. ſect. 31. Νυκτάλωπας λέγουσιν, ὅταν μὲν συμβῇ τὴν ἡμέραν βλέπειν. δυομένου δὲ ἡλίου ἀμαυρότερον ὁρᾶν, νυκτὸς δὲ γενομένης οὐδ' ὅλως. Nyctalopas appellāt cū accidit vt interdiu quidē cernant: occidente verò ſole, hebetius: nocte verò, neutiquam. His etiam verbis νυκτάλωπα definit Ætius lib. 7. morbumque hunc ait contingere propter capitis imbecillitatem, & organi viſus craſſitiem, tunicaſque & humidates quæ circum oculum ſunt. Vide Cuiac. in Nou. 13.

Nyctostrategi, nocturni magiſtratus, in prouinciis qui armati noctu vrbē perluſtrāt publicæ quietis gratia, qui Venetiis, *Signori di note* appellantur. Pariſiis, *Les cheualiers du guet*. Arcadius. l. vlt. §. j. D. de mu. & hon. huius verbi meminit: Nyctoſtrategi & priſtinorū curatores perſonale munus obeunt. In aliis exēplaribus, Nicoſtrategi habetur corruptè. Nyctoſtrategus enim eſt idē qui præfectus vigilū in vrbe dicitur: vt in Ægypto Straboni νυκτερινὸς στρατηγός, & Cōſtātinopoli νυκτέπαρχος: qui poſtea Prætor plebis dict⁹ eſt c. l. ex Nou. 13.

Nymphæa, in l. 5. C. de aquæ ductib. li. 11. ſunt ædes publicæ, in quibus nuptias celebrabant qui ædibus carebant ad choreas capacibus, vt Zonaras explicat in leone magno. Græci in hanc legem Nymphæa vocāt ὕβρια & Socrates lib. 4. c. 8. quæ refert in oraculo quodam chorearum nomine fuiſſe deſignata. Inde: Νυμφικὰ λουτρὰ, vt Suidas interpretatur, τὰ εἰς γάμους ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἀποκρήνης λαμβανόμενα.

O

O Cum commercium eſt: itaque apud veteres plodo, cloſtra, coda, pro plaudo, clauſtra cauda. Ex Diomede Grammatices lib. j.

Ob, in XII. Tab. ſignificat, Ad. Verba Legis hæc ſunt: Cvi testimonivm defverit, is tertiis diebvs ob portvm obvagvlatvm ito. At in Obuagulatum pro circum ponitur. Vide quæ diximus in voce Vagulatio.

Ob, propter ſignificat. Alberic. ex Iuriſconſultis exempla ponit. Verùm ob abſoluendum, ob tacendum, & ſimilia, pro ad obſoluendum, vel vt abſoluat: & pro ad tacendum, vel vt taceat, acaipienda ſunt. Sic Suetonius in Veſpaſiano: Ob ſubterfugiendum ius fiſci id eſt vt ſubterfugeret. An verò conditionē faciat, cauſſamque proximam denotet, Bart. docet in l. j. C. de legatio. lib. 10. in l. j. C. de Sentent. quæ pro eo, quod intereſt.

Ob rem datur, vt aliquid in futurum ſequatur: quo non ſequente, repetitio dati competit. Ob cauſſam verò damus, quæ præterita eſt: veluti cùm ideò do, quòd aliquid à te conſecutus ſum, vel quia aliquid à te factum eſt l. j. D. de cond. ob turp. cauſ. l. damus. D. de condict. indeb.

O. C. Id eſt Ope Conſilio, quam locutionē exponit Paulus in l. ſæpe. 53. D. de verb. ſign. Et vide. §. interdū quoque. Inſt. de oblig. quæ ex delict. vbi hæc locutio ter repetitur cū coniunctione &: corruptè, mea quidē ſententia, & reclamantibus libris ſcriptis probatioribus. itaque Vlp. l. 6. de condict. furt. Ope conſilio dixit. Non dubium autem quin apud Paulum Diaconum mendum ſit, vbi O. C. ore conſilio, vel ore conſilij, interpretatur. Vide Cuiac. ad d. §. interdum.

O. D. M. Operæ donum, munus. nam apud Paulum Diaconum corruptè legitur Domus. Hæc tria (vt ait Paulus noſter in l. ſæpe. 53. D. de verb. ſign.) ſine diſiunctione ita pronunciabantur. Erant autem ea quæ patroni ſuis libertis, cum eos libertate donabant, imponere conſueuerant: vt ex tractatu De operis libertorum facile intellectu eſt: in quo mendum harum notarum ignoratione natum eſt apud Paulum in l. qui libertinus. 37. vbi legem Papiam edit, Ne qvis eorvm operas, doni, muneris, aliúdue: pro operas, donū, munus, aliúdue. Hotom.

D. L. O. CON. Opere locato, opere conducto. Adſcribi autem ſolebat Effecto probatoqve, cū perfectum eſſet. Et hoc eſt quod Paulus ſignificat in l. 5. De verb. ſig. Opere locato conducto: his verbis ἀποτέλεσμα ſignificatur. Nam conciſe Paulus loquitur, pro Opere locato effecto, opere conducto effecto. Quare apud Val. probum pro Operas conduxit, Operas locauit, reponerem, Opere conducto, Opere locato. In lapide autem vetuſto quem legi, Operis faciundi adſcriptum eſt: Altera pecuniæ pars dimidia ſoluetur opere effecto probatóque. vt apud Macrū in l. 7. §. j. D. Repetund. Illud quoque cauetur, ne in acceptū feratur opus publicū faciendū, frumentū publicè dandum, præbendū, approbandū, ſarta tecta tuenda, antequā perfecta, probata, præſtita, lege erunt. Hotom. Alij tamen pro Approbandum, Appendendum legendum cenſent.

Obæratus, ære alieno obligatus, & obſtrictus. vide Bud. in Prioribus.

Obavdire, eſt de mente deducere, Io. And. in c. fundamenta. de elect. in 6.

Obambvlare, aduerſus alios ambulare, Feſto.

Obcæcare foſſas, obtegere, & deſuper claudere.

Obdormire, non vita defungi eſt, quod nullo idoneo auctore Eccleſiaſtici recepere, ſed dormire ſignificat. Vlp. ad leg. Aquil. l. ſi ſeruus ſeruum. Si fornacarius, inquit, ſeruus coloni ad fornacem obdormiuiſſet, & villa fuiſſet exuſta: Neratius ſcribit, ex locato conuentum præſtare debere, ſi negligens in eligendis miniſtris fuit.

Obex ſignificat cuiuſcunque rei obiectionem, ſiue obſtaculum. l. adulterij accuſatione. C. de adult.

Obire munus, eo fungi. Obire hæreditatem, pro acquirere poſſeſſionem hæreditatis, apud Ciceronem pro lege Agrar.

Obiit diem, pro mortuus eſt l. j. D. de condit. inſert.

Obivrgatio, poſt turpe factum caſtigatio.

Oblatvm furtum dicitur, ait Imper. cum res furtiua ab aliquo tibi oblata ſit, eáque apud te concepta ſit: vtique ſi ea mēte tibi data fuerit, vt apud te potius, quàm apud eum qui dedit, cōciperetur: nam tibi apud quem concepta ſit. propria aduerſus eum qui obtulit, quamuis fur non ſit, cōſtituta eſt actio, quæ appellatur oblati. §. conceptum. De oblig. quæ ex delict.

Oblatio quid ſit in l. acceptum. C. de vſuris, docet ibi Albericus. Oblationum appellatione apud Canoniſtas quid contineatur, vide c. cū inter. extra de verb. ſig.

Obligatvr lege, qui in legem committit. l. 30. D. de fal. l. 51. D. de verb. oblig. Vel Obligamur lege, cùm obtemperantes legibus, aliquid ſecundum præceptum vel contra facimus.

Obligare ſe furti, eſt furtum facere, Gellio lib. 7. c. 15.

Obligari iudicio, id eſt, teneri. l. 45. D. de oblig. & actio.

Obligari apud aliquem. l. 7. D. de fideiuſſo. id eſt, alicui. Sic apud aliquē debere. l. 34. §. quidam. D. de ſolutionibus.

Obligatvs fundus, pignori oppoſitus. l. 47. D. de leg. j.

Obligatus dicitur,qui exceptione tueri ſe nõ poteſt.l.vel obligatus.§.j.O.de libera.cauſ.

Obligato durare.l.item quæritur.D.loca.

Obligatio.(vt diffinit Iuſtinianus Inſtitut.de obliga. in princ.) eſt iuris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicuius ſoluendæ rei,ſecundum noſtræ ciuitatis iura.

Obligationis verbum generale eſt, & diuiditur in eam quæ ex contractu eſt,vel quaſi,& ex delicto, vel quaſi Obligatio oritur ex contractu.Cum enim introductæ iam eſſent multæ commerciorum formæ, naturalis ratio,ac imminens rerum neceſſitas dictabat, æquum & bonum eſſe,vt conſtitueretur,ne quis in huiuſmodi mutuis negotiationibus, ſecundum humani affectus inconſtantiam,detrimento alterius temerè variaret: imò magis vt adſtringeretur vnuſquiſque ad id quod ſemel placuiſſet ſeruandum. Vnde generaliter introductum eſt naturæ vinculũ,id eſt,naturalis obligatio. Vt rectiſſimè videatur dixiſſe Vlp. in l. j. in prin. D. de pact. Quid enim tã congruum eſt fidei humanæ,quàm ea,quæ placuerunt inter eos,ſeruare? Verùm, naturalis ratio omnium rerum optima moderatrix, cùm tam immenſa,& varij diſcriminis eſſent hominũ negotia & facta, facilè ſuaſit, adeóque propter neceſſitatem exegit,ne eodem modo omnes ex omnibus negotiis paſſim obligarentur.Eſt enim inconuincibile axioma, diſſimilia non rectè ſimili iure cenſeri. Quare legiſlatores medium quoddam,ac temperamentum in rebus obſeruantes, delectum adhibuerunt introducendæ obligationis,hoc ordine:Primùm,in conuentionibus ſecundum prædictas formas cõſummatis, tam efficax vinculum admiſerunt,vt executionem quoque decernerent in inuitos & recuſantes.Et hæc obligatio, ſecundum naturæ rationem,& hominum auctoritatem producta,meritò eſt dicta naturalis & ciuilis. Exequẽdi verò adminiculum,actio.Deinde in illis articulis,in quibus naturæ ratio non palàm accederet, apparente tamen aliqua cauſſa ad vſum humanum neceſſaria, cõſtituerunt auctoritate ſua,legíſque præſcripto obligationem quandam,ac inde ciuilem ſeu legitimã nuncuparunt, vtique tam efficacem, vt exigi poſſet per actionem.Sic Paulus accipi vult in l.legitima conuentio.Vlp.in l.Iuriſgentium.D.de pact. Denique in illis ſpeciebus, quæ non tam prægnantem cauſſam in ſe continere videbantur, vt ad neceſſitatem exequendi trahendæ eſſent, ne nimis rigida omnium dictorum introduceretur actio,cùm nec illas nominatas ſeruemus,vt oportet,optimo temperamẽto reliquæ omnes conuentiones ſub naturali obligatione propter conſenſum,ſine executione tamen actionis, relictæ ſunt, ſolùm vt exceptionem parerent. Vlp.in d.l.iuriſgentium.§.ſed cùm nulla,inquit,ſubeſt cauſſa præter conuentionem,hîc conſtat non poſſe conſtitui obligationem.Igitur nuda pactio obligationem non parit, ſed parit exceptionem, hoc eſt, naturalem defenſionem. Ex his apparet,quomodo ex facto colligatur ius obligationis,& etiam ius perſequendi, quod debetur per obligationem.Sicut dici ſolet: Contractus eſt remotior actionis ac mediata cauſſa: Obligatio autem proximior & immediata.Item,contractus eſt cauſſa ſpecifica,quia diuerſi cõtractus producũt diuerſas actiones: ſed obligatio generalis cauſſa eſt, quia omnes actiones eodem modo naſcũtur ex obligatione,iuxta. l.licet.§.obligatio.D.de procurat.

Obligatio naturalis ſola regulariter non producit actionem,niſi magna cauſſa ſubſit: quia ſi paſſim extra ſolemnes,& certas cõmerciorum formas, ex omni conuentione & pacto nudo fuiſſet conceſſum ius perſequendi in iudicio,res prodiiſſet in infinitũ, & ad perniciosiſſimam confuſionem,cùm ſingulis planè horis oportuiſſet variare,ac multiplicare actionum formulas,ſecundum immenſam pactorum circumſtantiam: quod abſurdiſſimum & impoſſibile fuiſſet, argumen. in Auth.vt determi.ſit nume.cleric.in princ.Et, de referend.ſacr.palat.§.vlt. Ex Oldendorp. At Hotom.

Obligationum autẽ aliæ naturales dicũtur,aliæ ciuiles,aliæ mixtæ.Naturales ſunt,quæ cùm reuera contractæ ſint,à iure tamẽ Quiritiũ nõ approbãtur:veluti ſi ſeruus ciui Ro.pecuniã crediderit:iure quidẽ naturæ,quæ parẽ omniũ hominũ conditionem eſſe voluit, obligatio nata eſt:ſed Prætor de ea ius nõ dicit.Ciuiles ſunt,quæ vel nunquã reuera cõtractæ ſunt,vel cùm reuera contractæ eſſent,facto tamen aliquo,ſed ad iuris ciuilis rationẽ non accõmodato,diſſolutæ ſunt.Mixtæ ſunt,quæ cùm reuera & æquiſſimè contractæ ſint,tum etiã à iure ciuili comprobatæ & cõfirmatæ ſunt:cuiuſmodi ſunt,ex mutuo,cõmodato,depoſito, empto,cõducto,& cæteris ſimilibus. Obligatio autem naturalis duplex eſt.Naturalis ciuilis,quæ actionẽ parit, & naturalis,quæ inhibet repetitionẽ.l.naturales.D.de obli. & act.Necnon ciuilis duplex eſt, naturalis ciuilis,& ciuilis tantùm.Et ciuilis tolli per ſe ſola poteſt, manẽte naturali.l.Iulianus.D.de condict.indeb. & naturalis manente ſola ciuili,veluti pacto de non petendo.

Obligationis naturalis effectus ſunt, primùm parere exceptionem.l.iuris gentium. §. ſed cùm nulla. de pact. Quod intelligendum eſt,vt Apellus declarat, παρατατικῶς.c.4.de effectu.Deinde vt ſit ſatis ad nouandum.l. j.in fi.de nouat.Tum ad conſtituendum.l.j.§. debitum. de conſtit.pec.Præterea vt accedat fideiuſſor.l.ſtipulatus ſum.cum l.ſeq.de fideiuſſ.l.naturaliter.de cõdition. indeb.Rurſum vt accipiatur pignus.ead.l. naturaliter. Poſtremò ad compenſandum.l. etiam. de compenſat.

Obligationũ rurſus aliæ ſunt ciuiles, aliæ honorariæ Ciuiles ſunt,quæ(vt Iuſtin.ſcribit) aut legibus conſtitutæ, aut certo iure ciuili comprobatæ ſunt. Prætoriæ ſunt,quas Prætor ex ſua Iuriſdictione conſtituit quæ etiam honorariæ vocantur:ait Imp.§.j.De oblig.

Obligatio inanis,inefficax,quæ exceptione ſubmoueri poteſt.Papini.l.95.§.j.D.de ſolut. Aliquando euenit vt inanis obligatio aditione hæreditatis confirmetur.

Obligatio pro actione ponitur in l.naturalis.§. & ſiquidẽ. D.de præſcript.verb.

Obligatione dimitti, in l.libertus qui operarum. D. de oper.liber.

Obliqua libertas opponitur directæ. Obliquè opponitur aduerbio Rectè.

Obliterabitur,pro abolebitur,& quaſi è literarũ monumentis delebitur.l.2.qui ſanctam. C.de Apoſtat.

Obliuio, memoriæ defectus.Præſumitur autẽ ex longa abſentia naſci,vt no.in l.furtum.§.fundi.D.de vſucap.Lege Bar.in l.ex conſenſu.§.cum qui.D. de appel.

Obloqui, eſt contra aliquem loqui, & quodammodo expoſtulare ſecum.

Obnoxii dicuntur commodè pro Vaſſallis. Albertus Krantz.lib.Dan.6.c.42. Splendidos equites nuper à ſe ſuis ſacramentis dimiſſos Abſaloni mittit, iuſiurãdum præſtituros:ille nihil motus,non ſe eſſe ait, cui debeát tanti viri obnoxij fieri.

Obnubere mulierem Alciato,eſt eam velatã ad maritum deducere.

Obnuntiat, qui malã rem nuntiat:qui bonã,annuntiat,Donato auctore.Hinc obnũtiatio augurum, cùm aliquid fieri prohibebãt,quoniã auſpicia non addixiſſent. Alciat.in comment.ſcribit,denuntiationem, quæ probibitoria erat,obnuntiationem propriè dictam.

Obolus facit ſex ſiliquas, Alex.Ab Alex.lib.2.Gen.die c.20.& Vide Cælium Ahod.lib.10.c.2.

Obrepere, eſt falſis dictis,& mendaciis aliquem circumue

cumuenire.Vlp.l.3.§. puberi quáuis. de Carbon.edic. Sed ſi cũ eſſet pubes,quaſi impubes obrepſerit,dicendũ erit,nihil eum egiſſe. Sícque ſumitur multis aliis in locis.Accurſ.in l.ſi quis obrepſerit præſidij prouinciæ. ad leg.Cornel.de falſis,vim ſignificationémque huius verbi parum percepit,vt Budæus luculenter oſtẽdit in poſte.annot. Obrepere iudici per acta, vel libelli interpellationem:pro eo quod eſt,falſò ſe inſinuare,& prætextum facere.Modeſtinus in l.ſi quis obrepſerit. D.ad leg.Cornel.de falſ.Vbi talem obrepentem vocat temeratorem.

OBREPTIO, id eſt,mendacium.l.fin autẽ.§.j.D. de neg. geſt.& eſt mendaciũ fraudulosum.l.ſed fin.§.patronũ. D.de in ius voc.& propriè cõſiſtit in facti narratione, non iuris.l.cùm verò.§.ſubuentum.D.de fideic.liber. Obreptiones reſcriptorum,apud Ambr.lib.5.Epiſt.24.

Obreptionis autẽ pœnam Bar.excutit in d.l.ſi quis obrepſerit. Quòd autẽ à principe obreptio non ſit inſolita, fac.l.præd.C.de loc.præd.lib.11.l.fi.C.de diuerſ.præ.l. fi.C.de fund.& ſalt.rei dom.eod.lib. cũ ſimil. Quin & Imp.ipſe queritur in l.j.C.de pet.bon. ſubl.libr.10.ſeſe inuerecunda petentium inhiatione adeò cõſtringi, vt etiam non concedẽda tribuat.Et alibi,precationes huiuſmodi furtiuas nominat.l.j.C.de fund.limit.lib.11.

OBROGARE,eſt legem legi contrariam rogare,Græcè ἀντεισφέρειν dicitur.Tuſan.Annot.lib,Budæ.epiſto.4.

OBRYZVM aurũ Hermolaus Barbarus dici putat,quaſi ἄβρυζον:quod ſcilicet purum, merũ & puriſſimè coctũ ſit.Itaque cùm libra ballucæ,quæ modò ex aurifodina effoſſa eſt,quatuordecim ſit vnciarum:obryza duodecim eſt duntaxat.l.5. C.de ſuſceptorib.l.2.C. de metallar.Hinc Plin.lib.33.c.3. Aurique experimẽto ignis eſt, vt ſimili colore rubeat quo ignis:atque ipſum obryzum vocant.Sueton.in Nerone.c.44.Aurum ad obryzam dixit,vt eſt in veter.libris.Imp.l.vlt.C.Th.De põderat.Diu multúmque flammæ edacis examine iñ ea obryza detinetur: quemadmodũ pura videatur.Hieronymus in Hieremiam dici putat quaſi Ophiriſum, nam ex Ophir inſula laudatiſſimum aurum aduehebatur.Iſidorus lib.16.Etym.c.17.ab eo quòd obradi & ſplendere eſt,quod coloris ſit optimi:ſicque Obrizum ſcribi deberet. Hinc:

OBRYZATI ſolidi,qui ex auro cocto & puro conflati ſunt.l.vlt.C.de vet.numiſm.poteſt.l.2.C.vt nem.lic.in coempt.qui & Obryziaci dicuntur in l.j. C. de oblat. vol.Extat etiam Iuſtiniani edictũ ne Monetarij quicquam Obryzæ nomine capiant,In edict.lib.c. [illegible]

OBSCOENITATIS vocabulũ, in l.j.de offic.præf.ſpecificè à Iuriſconſ.accipitur, non genericè, vt putauit interpres,nimirum pro non nominando ſcelere. Feſtus ab Oſcis deriuat, apud quos frequentiſſimus fuit vſus libidinum ſpurcarum.

OBSCVRVM,difficile,quod ſtatim intelligi non poteſt. Vnde obſcuritas in iure noſtro improbatur.l. ſi legatario.§.fi.D.de fideicom.liber.

Obſcuri viri,hoc eſt ignobiles, obſcuro loco & genere orti.in Authen.de defenſ.ciuit.§.j.& quibus mod.nat. effic.legit.§.quiſquis autem. Obſcuræ autem perſonæ claris opponuntur, apud Cic.& Iuſtin.in Nouell.de teſtam.§.ſancimus.

Obſcuro loco nata,id eſt humili.l.cõcubinam.D.de concubinis.

OBSCVRARE,præſtringere oculos, hoc eſt, obtenebrare,caliginem offundere.

Obſcurare,præter notum ſignificatum, etiam pro nõ curare,ſupprimere, tegere,obũbrare, Budæ.obſeruauit. Paulus,obſcurare luminibus altius tollendo, dixit.l.ſi is qui binas.D. de vſufruct. corrupte, vt exiſtimat Hotom. pro obſtruere.

OBSEQVIVM reuerentiam videtur interpretari Iuſtinianus Nouel.78. quam liberi & liberti parentibus & patronis debent.

Obſequia non eſſe operas, & tituli diſtincti, & ſeparata ob operis obſequiorum conditio arguit.l.libertus qui operarum.D.de oper.lib.l.libertos.C. de obſeq.Quapropter Accurſius nulla ratione excuſari poteſt, qui §. libertus.in princ.l.ſi non ſortem. D.de cond. indeb.de obſequia lib.operis intellexit. Sed & Bart.cùm obſequia ab operis rectè diſtinxiſſet, obſequiales tamen operas non rectè nominauit: vt quibus vtriſque inter ſeſe nihil prorſus conueniat.Nam obſequia in honoris exhibitione, & in reuerenti verecundia cõſiſtunt: Operæ verò,de quibus infra latius, ipſum operarij laboris tractum ſignificant, arg. l.operæ. in princ.D.de oper.libert.& l.j.in fi.eod.tit.

Obſequium metaphoricẽs & elegãter ſumitur à Iuriſco. in l.qui pro tribunali.D.de re iud.Zaſi.annotante,cùm dicit:Pro perſonarum obſequio, id eſt, placabilitate, modeſtia,comitate,obedientia:& eſt verbum elegãs. quanuis Cicer.dicat eſſe Terentianum, Donatus tamen ibidem arguit Cicer.erroris,cùm & Plautus vſus ſit eo verbo.Verbum obſequij pulchre etiam vſurpauit Sueton.in vita Galbæ Imp.cum dicit, Germanos imprimis obſequium rupiſſe,id eſt,ceſſaſſe ab obediẽtia Galbæ.Item Iuriſc.in l.cùm hi.§.ſed & perſonarũ. D.de tranſact.hac voce vtitur elegantiſſimè, tum & comparatiuo obſequior,cùm dicit:Si fortè obſequiorem vitam habent,id eſt,indulgentiorem,delicatiorẽ, qui plus ex alimẽtis pendeant.Nemo autem dicit Obſequius,niſi fortaſſe à nomine Obſequioſus formetur, vt Zaſ.meminit.Duobus autem modis præſtari obſequiũ traditur in d.l.qui pro tribunali.D.de re iud.Porro nemo Latinè loquentiũ,obſequiũ pro numinis cultu vſurpauit.Obſequium enim dicitur morẽ gerentis alienæ voluntatis,quod frequenter ſonat in malã partem.quod etiã obſeruauit Eraſm.in c.9.Epiſt.ad Rom.

OBSERVARE iudicium,eſt cauſſæ adeſſe apud Iuriſperitos,inquit Tuſa.

OBSES, & Obſides ſunt,inquit Feſtus, dicti, quaſi obſides,qui ob fidem patriæ præſtandam dantur. Dicuntur itaque Obſides qui traduntur imperio alicuius, ea cõditione,vt ſi dator obſidis à fide recedat, recipienti ſit poteſtas in corpus & vitam eorum ſæuiẽdi,qui dati erunt obſides.Bar.in l.Diuus.D.de iu.fiſci.tractat,an à priuatis ciuitatibus obſides dari poſſint. Lud.Roma. improbat doctrinam,qua traditur, Epiſcopo,& Abbati,de ſibi ſubiectis vnũ aliquẽ dari licere obſidem.

OBSIDIANI lapilli ab Vlpiano cõmemorantur in l.19. §.6.D.de aur.& arg.vbi tamẽ OBSEANI legitur.Plinius lib.36.c.26.In genere vitri & obſidiana numerãtur,ad ſimilitudinẽ lapidis,quem in Æthiopia inuenit Obſidius,nigerrimi coloris,aliquando & tranſlucidi, craſſiore viſu,atque in ſpeculis parietum pro imagine vmbras reddente,Vide Iſidorũ lib.16.Etym.c.4.& c.5.

OBSIGNARE, eſt ſigni impreſſione ſignare.Martianus in l.Diuus Hadrianus. D. de cuſtod.& exhibi.reor. Vt Irenarchæ,inquit,cùm apprehẽderint latrones, interrogent eos de ſociis & receptoribus, & interrogationes literis incluſas atque obſignatas, ad cognitionem Magiſtratus mittant. Hinc & decreta magiſtratuum obſignari ſolita teſtatur Cicero lib.16.Epiſt.ad Attic. Buthrotios,inquit,cum Cæſar decreto ſuo, quod ego obſignaui cum multis ampliſſimis viris, liberauiſſet, &c.Sane Principes Romanos anulũ habuiſſe cõſtat, quo epiſtolæ reſcriptáque eorũ obſignarentur. Huius curã habuiſſe patrẽ ſuum ſub. C.Cæſare teſtatur Trogus Pompeius libr.43.apud Iuſtin. vt & Mecænatẽ ſub Auguſto,Horat.li.2.ſatyr.2.Eſt & obſignare idẽ quod teſtari,id eſt,de quocunque negotio, tabulas,quæ ad probationem valeant cõficere. Cicero in Quintiana:

Eius rei cōditioniſque tabellas obſignauerūt viri boni compleres,res in dubium venire non poteſt.Idem act. 7.in Verrē:Ipſe in tabellas refert, obſignat ſignis amicorum,prouidens homo:vt cōtra hoc crimē (ſi quando opus eſſet) hac videlicet teſtificatione vteretur. Obſignata epiſtula,occluſa,& ſigillata, in l.fi.D.de legat.2. Obſignari teſtamenta,apud Iul.Cæſarem lib. j.de bell.Gallico. Obſignare bona,& obſignare dominia.l.fin.de req.reis.l.j.§.pen.D.de vent.in poſ.mitt. Obſignare pecuniam, conſignare, in l.tutor pro pupillo.D.de adminiſtrat.tut. Notandum, obſignatione totius aut partis ſecundum conuentionem debitæ pecuniæ ſolenniter facta liberationem debitori contingere.l.tutor.§.Lucius.D.de vſufr.l.9.C.de ſolut.

Obsignatio conſignationem pecuniæ ſignificat.l.9. C.de ſolution.l.7.C.de pact.int.empt.

Obſignatio tabularum apud Gellium lib.14.c.2.

Obsonatores ſerui,qui coemendis obſoniis ſunt præfecti.Marcia.l.65.de legat.& fid. libr.32. Cubicularios autē vel obſonatores,vel eos qui piſcatorib. præpoſiti ſunt,non videri negotiationis appellatione cōtineri.Eſt autem Obſonium ὀψώνιον, quicquid præter panem & vinum cibi cauſſa in mēſam infertur. Seneca libr.6.Epiſt. 47. Adde, inquit, obſonatores,quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt,qui ſciunt cuius rei illum ſapor excitet.

Obsoleta, vetuſta,antiqua,Cicero.

Obstetrices Vlp.vult eſſe probatiſſimæ & artis, & fidei.l.j.in princip.de vent.inſpic.& Paul. libr. 5. Sent. tit.24.hæ parienti opem ferunt, Donat.in Andriam Terent.

Obstinatus eſt, qui poſt inſpirationem, & reuelationem ſibi factā,in eo quod errauerat, perſeuerat.8. diſtinctio.c.conſuetudo.in fi. Obſtinato ad malum ingenio nihil eſt peſtilentius:quippe quòd ſola obſtinatio producit hæreſim, & quicquid eſt malorum. Et ferè omnium æmulatorum vnà eſt ſordes, vt cum ſemel inſanire cœperint,non reſipiſcant, niſi Deus aut Magiſtratus eos perdat.

Obſtinatior animus,pertinacior.l.2.C.de ſum. Trinitate, & fid.Cath. Et Obſtinata voluntas, apud Ciceron.

Obstrvere, propriè eſt,quaſi ſtrue quadā alicui loco impoſita obſiſtere, ne quid effluat.Luminibus obſtruere,verbo antiquo Iuriſcōſultorum, Cice.quoque vſus eſt pro domo ſua, & in Bruto per metaphoram. Accurſius in l.æquiſſimum.§.ſi ædium.D.de vſufructu. Obſtruere,inquit,id eſt,claudere lumina. Proprietatis dominus,obſtruere luminibus vſufructuarij non poteſt.Itaque l.ſi is qui binas.eo.tit.non obſcurare luminibus,vt vbique legitur,ſed obſtruere legendum eſt. Haloander à veteri lectione non recedit.

Obstringere res ſuas,eſt pro pignore obligare.l.ſi pater.C.de crimin.ſtel.ſic Obſtrictus tutor,id eſt obligatus in l.j.C.de tut.vel curat.vectig.& obſtricta mater,in l.ſi mater.C.ſi mat.indem.prom.eodem ſenſu intelligitur.

Obtemperare, eſt decretis parere.Rubr.ſi quis ius dicenti nō obtemperauerit.Hinc Obtemperatio. Cicer.lib.j.de legibus:Quòd ſi iuſtitia eſt obtemperatio ſcriptis legibus, inſtitutiſque populorum, &c.Porrò non obtemperare ius dicenti,eſt non facere,quod extremum in iuriſdictione eſt,hoc eſt, ſententiæ diffinitiuæ non parere.Vide Zaſ.in l.j.D.ſi quis ius dicen. nō obtem.& lib.j.ſingular.intellectuum.

Obterere ius,apud Liuium. Iura populi obterere, pro lædere vſurparunt genericè Impp.in l. nullus.C. de iud.& cœli. Poteſt enim & non cæſus verberibus Iudæus ſubuerti.

Obtestatio, precatio cum adiuratione, & vide c.j. 24.q.j. Obteſtatio Feſto, cum Deus in meliorem partem vocatur.

Obtinere & repelli, contraria eſſe patet ex Cicero. j.epiſt.ad Lentu.Neque ſi quid non obtinuerimus, repulſi eſſe videamur.Eſt autem Obtinere iudicio vincere.l.5.§.5. D. iudic.ſol. Pendect. tamen Flor. lectio Optinere non Obtinere habet,atque ita ſcribendum quidam cenſent,ex eo,quòd qui optinet, ex opinione, id eſt,ſententia teneat.

Obtinendæ,retinendæ.l.clam.D.de acq.poſſ.

Obvagvlo, verbum xii. Tab.Vide Vagvlatio.

Obvenit hæreditas,vel ex hæreditate,vel hæreditate, hoc eſt,quod vulgò dicimus,per ſucceſſionem.Vlpian. Excipiuntur autem arma, quæ quis commercij cauſſa habuerit,hæreditatéve ei obuenerint.l. obuenire. D. de verb.ſig.vide Deferri hæreditas.

Obventiones dicuntur emolumenta omnia, quæ tū ex corpore ipſo rei,tum ex hominum opera & induſtria obueniunt:veluti penſiones vrbanorum prædiorum,vecturæ iumentorum,&c.l.j.§.exercitorem.D.de exercit.l.34.D.de vſur.l.7.D.de vſufr.

Obviare, tranſlatè pro reſiſtere, in l.j. C.quan. lic. ſe vind.Eſt autem,obuiam itum eſt auaritiæ, & non obuiamentum,legendum,apud Vlpian.in l.annonam.de extraord.crim.hoc eſt, vt vulgò dicitur,præuentum.

Occasio, tēpus actionis opportunum, quod in aggrediendo conficiendóque negotio præcipuū habet momentū:vt non ſine cauſſa veteres videantur Occaſionem diuinitate donaſſe:tametſi apud Græcos mas eſt hic Deus,adpellatúrque καιρός.Porro occaſionē damni præſtans,damnum feciſſe videtur: atque vt hoc Pauli verbū in l.qui occidit. §. in hac actione.ad leg. Aquil. intelligendum ſic,explicat Speculator tit.de iud. Quo verò diſtet à cauſſa occaſio,indicat Gl.in l.riuis.D.de riuis,& in l.ſi debit.de leg.2.c.j.de iureiur.in 6.

Occidere propriè gladio eſt, vt l.10.§.ſi ipſe ſeruus. D.de pec.vel latius qualibet vi adhibita, in S.C. Silaniano,& lege Aquilia,non fato. Alias enim Occiſum pro mortuo dixit Plautus in Pſeudolo, vt & Cicero quod notauit Aſconius.

Occidiſſe incontinenti videbitur, qui interpoſitis horis, apprehenſam filiam adulterij ream occidit pater.Hæc Vlpiani verba ſub fi.l.quod ait lex.de adulte. Bart.magni facit.

Occidiſſe dicitur vulgò is qui mortis cauſſam quolibet modo præbuit:ſed lege Aquilia is demum teneri viſus eſt,qui adhibita vi & quaſi manu cauſſam mortis præbuiſſet:tracta videlicet interpretatione vocis à cedēdo,& à cæde.l.51.D.ad leg. Aquil. Itaque Vlp.in l.7.§.j. eo.tit.Occiſum,inquit,accipere debemus,ſiue gladio, ſiue etiam fuſte, vel alio telo, vel manibus, ſi fortè ſtrangulauit eum,vel calce petiit,vel capite,vel qualiter qualiter.

Occisorvm adpellatione eos contineri Labeo ſcribit,qui per vim aut cædem ſunt interfecti: vtputa iugulati,ſtrangulati,præcipitati, vel ſaxo, vel fuſte, vel lapide percuſſi,vel quo alio telo:auctor Vlpian.in l.j. ad Silani.Idem in l.3.ad l.Aquil. Non enim ſufficit, ait, occiſum,ſed oportet iniuria id eſſe factum.

Occipere magiſtratum, inire. Liuius libr.23. Creatur Marcellus qui extemplò magiſtratū occiperet. Item lib.41.Collegam, qui extēplò magiſtratum occiperet, creauit.

Occvltm, quod probari non poteſt. c.Chriſtiana.35. quæſtion.2.

Occvltare, in Rubr.C. de iis,qui latro. occul.pro abſcondere.

Occultare teſtamentum an falſi ſpeciem adtingat, Bart. docet.l.j.D.de tabul.exhib.

Occvltator ad hominem, Receptator ad locum refertur.Ipſe hominum(ait Cicero)occultator, & receptator

ceptator locus. De occultatore eſt l.vnic. C.de iis qui ſe defer.libro 10.

OCCVPARE, ſignificat propriè, vt ait Valla, quod in commune, ſiue in medium poſitum erat, ante alios capere, vnde ius Occupandi dicitur. Eſt etiam locum tenere, aut capere, & vi arripere. Nec non lege præuenire. vt qui prior litem conteſtatur, l.pluribus. D.de procur.l.ſi pluribus.de leg.j.l.ſi Titius.de verb.oblig. & ſimil. Vt Iulianus ibidem in l.Stipulationes commodiſſimum. Occupari eleganter pro præueniri vſurpauit: ita Interpres pro denominari, vel dici, non ſatis ſcitè expoſuiſſe videtur. Notius eſt, occupaſſe dici, qui prior ad ſententiam venit inter eiuſdem conditionis creditores, vt traditur in l.inter eos. D.de re iud.& inibi. quod vulgò dici ſolet, Melior occupantis eſt cōditio, explicatur. Sic occupare locum, apud Cice.3.de finibus accipimus & apud Cælium, Occupare primos menſes.

Occupare aliàs eſt detinere. Et inde Occupatus, qui antea negotiis detentus, non poteſt alteri operam dare. Occupato opponitur ocioſus. Cicero Tuſc.1. Vt ſi occupati, inquit, aliquid profuimus ciuibus noſtris: proſimus etiam, ſi poſſumus, otioſi.

Occupare aliàs, pro præoccupare, præuenire dicendo ea, quæ poſſent in futurum obiici. Vnde Occupatio ſchema Rhetoricum, cùm diluitur id, quod ex aduerſo poſtea fortè torqueri contingeret. Huc pertinet quod dicit Vlp.in l.ſtipulationes cōmodiſſimum.D.de verb. oblig.Doli autem clauſula, inquit, ad ea pertineat, quæ in præſentia occupari nō poſſunt, & ad incertos caſus. Occupantur mobilia: Inuadūtur immobilia, §.pen.ver. quod non ſolum.Inſtit. vi bon.rapt.licet quandoque & rei immobilis dicatur occupatio, vt l.domum. C.de rei vindic.in Gloſſ.1.

Occupare pecuniam, exercere, otioſam non relinquere. Columella lib.1.cap.8.de villico loquens: Néve negocietur ſibi, pecuniámque domini, aut animalibus, aut rebus aliis promercalibus occupare. Quæ eadem verba ipſe idem iterat li.11.c.1.Hinc Occupare pecuniam, pro locare fœnori. Cicero pro Flacco: Pecuniā adoleſcentulo grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupauiſti. Idem Verrin.3. Præterea pecunias occuparat apud populos, & ſyngraphas fecerat.

OCCVPATORII agri, vide Agri occupatorij.

OCCVRRERE, pro obſiſtere: vt occurratur fallaciis venditorum.l.j.§.2.de Æd.edict.l.ſi patronus. in fin.D. de don.propriè tamen eſt, aduerſum tendere, vt Alcia. monuit.& ſic l.Marcellus.D.de dona.inter vir. & vxo. Marcellus ſcribit eū detrahere ſine mulieris damno, & citra metum S.C. quod detrahentibus negociationis cauſſa occurrit. quam legem vt intelligas, l.Senatus.D.de legat.j.

Ὀχλαγώγιον, Cum turba popularis concitata in vnum locum confluit: in Pandectis dicitur eſſe πολλῶν τινῶν σύνοδος, ὅταν πολλῶν φωναὶ παρὰ τοὺς ἀγαθοὺς τῆς πόλεως τρόπους εἰς ταὐτὸ συντρέχουσι εἰς φθόνον καὶ ἀτιμίαν τινός. Dicitur Conuicium l.15. D.de iniur.

OCIOSVM, Vide Otioſum.

Ocioſa pecunia, vide Otioſa pecunia.

OCTAVARII, exactores dicti ſub octaua parte; quæ portorij nomine exigebatur tempore Gratiani, Valentin.& Theodoſij Impp.l.à legatis. C.de vect.à Gallis nunc, *Huictieniers* dicti.

OCTONI ſcrupuli, pro octo ſcrupuli, in l.j. C.de metallar.& metal.lib.11.vt octoni menſes, pro octo menſibus, apud Plinium de ceruis loquētem, Octonis menſibus ferunt partus.

OCVLIS rem ſubiici, in l.ſi irruptione. D.fin.regund.eſt quod vulgò dicitur, facere veutā, *faire ueue de lieu*. quod petēdum ſuadet M.Fabius lib.11.Inſtit.Orato.& Ioan. Imbertus lib.1.Inſtitut.Forenſ.idque initio litis, & ante cœptum iudicium, litémque conteſtatam.

ODIVM fauori ab interpretibus paſſim opponitur.

ODIOSA, à iure exorbitantia, Pet.Phil.Cornæo.

ODOFREDVS, vide Ioannes Odofredus.

ODONES apud Vlpian.in l.27.§.17.D.de aur.& argent. leg.Alia, inquit, cauſſa eſt odonum, quia vſum calciamentorum præſtant. Sunt autem lanei calcei à Græco ὀθόναι dicti, vt vult Cuiacius, citans hanc Conſtantini donationem, σανδάλια λινὰ διὰ ὀθονίων. Turnebus Vdones dici debere contendit Aduerſ.lib.1.ca.17. & exponit eſſe calceamenta ex hircinis pilis texta, citans hoc Martialis lib.14.Epigr.

Non hos lana dedit, ſed olentis barba mariti
Cinyphio poterit planta latere ſinu.

Ad quos etiam reſpexit libro duodecimo his verbis:

Hœdina tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticémque calue,
Feſtiue tibi Phœbe dixit ille,
Qui dixit caput eſſe calciatum.

Sed nihil impedit quominus & lanei ſeu linei fuerint.

ODORES, id eſt, aromata apud Vlpian.in l.ideo.D.de in rem verſ.Si odores & vnguenta ſeruus emerit, & ad funus erogauerit.

OECONOMI dicuntur actores ſeu diſpenſatores Eccleſiæ, quibus ſcilicet rerū Eccleſiaſticarū gubernatio & diſpenſatio, conſenſu Epiſcopi conceditur, l.iubemus. in princ.C.de ſacroſan.Eccleſ.& l.omnes qui vbicunque.§.hoc nihilominus obſeruando.C.de Epiſ.& cler.

OENOMELI, οἰνόμελι, mellitum vinum, vt origo verbi declarat.Latinè mulſum.Vlp.l.9. D.de trit.vin.ol.Oenomeli planè, id eſt dulciſſimum vinum, vini legato continetur. Vide Dioſcor.d.lib.5. cap.12.& Iſidorum lib.2.Etym.cap.3.

OFFENDERE in legem ſenatuſconſultum, & legi.&c. in libris noſtris inuenitur l.40.D.de iudic.l.3.D.ad Macedo. Sic Offenſa edicti l.6.D.de poſtul. Offendere quis dicatur, exponit Bartol.l.qui Romæ.§.Callimachus.D.de verb.oblig.

OFFENSA ferè actiuè ſumitur, eſtque eius qui offendit, auctore Valla. Quæ verò vel dicenda, vel iure intelligenda ſit offēſa, Bart.tradit in l.quidam cum. D.de hære.inſti. Offenſio, vt plurimùm paſſiuè accipit: aliquādo tamen actiuè, teſte Bud. Vt verò & hæc accipienda ſit, idem docet in l.licitatio. D.de Publi. Præterea quo ſenſu in lege municipali, ſiue, vt vulgò loquuntur, ſtatuto veniat, Bartol.quoque oſtendit, in l.cum te. C.de inoffic.teſtam.

Offenſa autem quot modis dicatur, nota, in cap.cùm illorum.de ſentent.excommu.

OFFENSATOR, qui in re quacunque ſæpe excidit ab eo quod ſuſcepit, & quod efficere contendit. Quintiliano eſt, qui in legendo identidem reſiſtit, aut potius, qui perperam legit.

OFFERRE crimen, criminari, ἔγκλημα ἐπιφέρειν, vt dicunt Baſilici, l.j.de quæſtio. Offerre ſe opponere, l.penul.D. de dolo.

OFFERRE SE LITI dicitur, qui vltrò nihil ad ſe pertinentis cauſſæ actionem excipit, l.49.D.de pet.hære. Obtuliſſe liti videtur ſe procurator, qui ſine mandato in aliena lite iudicium excepit, & ſe obtulit, l.4. D.de re iudic. Dupliciter autem ſe liti offerre dicitur vel vltro ſuſcipiens defendendam cauſſam abſentis, cum ſatiſdatione iudicatum ſolui: quo caſu nec actio ex ſtipulatu, nec actio iudicati in dominum datur. l.ſi procurator.in fi.D.de procurat. vel vltro ſuſcipiēs defenſionē præſentis, qui proprie cognitor dicitur. quo caſu non ipſe cogitur ſatiſdare iudicatum ſolui, ſed dominus litis, l.ſi ad defendendum.D.iudic.ſolui. Dicitur & ſimpliciter offerre ſe alicui, l.pe.D.de dolo. Si te Titio obtuleris de ea re quam non poſſidebas, &c.

Offerre pecuniam, l.tutor pro pupillo. D.de admini.tut. vulgò dicitur præſentare, quo ſenſu vtuntur Galli noſtri.

Officere luminibus,& altiùs tollere, quandoq; pro eodem ſumuntur, Albericus ait, citans l.j. D.de ſerui. vrb. præd.

Officina, ab officio dicta eſt, in qua artifices operas exercent. Per tranſlationem tamen Cic. dixit, Officina nequitiæ,& Bud. Officina æquitatis. Vlpian. in l.4.§. ait prætor. de iis, qui not. infam. Officina iniquitatis, iudicum iniquorum conuentus.

Officium vel ab efficiendo, vel ab officiẽdo dicitur: eſtque id quod vnuſquiſque efficere debet, vt nulli officiat: ſeruata ſcilicet honeſtate, quid loco, quid tẽpori, quid perſonis conueniat. Sic, quomodo debeamus omnes eſſe in officio, tractat eleganter Cicero tribus libris Officiorum: quo ſenſu ſumitur verbum Græcum καθηκόν. tametſi Latina vox plenior eſt, vt docet M.Cicero in Epiſt. ad Attic. Hinc Deſerere officium, & inofficioſum cenſeri, cùm quis contra publicam honeſtatem aliquid facit ſicut & inofficioſus dicitur pares qui ſanguinis ex ſeſe procreati, & pietatis obliuiſcitur, vt in tit. D.de inoffic. teſtam. l.2. Oppoſitum, Officio fungi, officium implere, officio perfungi, partibus ſuis fungi. Quiſquéne pôteſt negare æquiſſimum fore, Prætorem interponere ſe vt officium, quod in ſe recepit, impleat? Vlpian. in l.3.§.j. D.de recept.

Officium legiſlatoris boni in his duobus potiſſimũ verſatur Primum vt ſtatuta ſua loco, tempori, perſonis & rebus accommodet: deinde, vt aperta ſint, & ſi dubitatio incidat, ab ipſo auctore interpretentur, non ab aliis pro ſuo adfectu.

Officium publicum non id ſolùm accipiendum eſt, quod in adminiſtratione reipub. tantùm conſiſtit, & iuxta §. munus publ. l. honor municipalis. D.de muneribus. & honor. l.2 D.de iis qui vt indig. in priuatum vſum non cadit, vti eſt magiſtratus, & id genus aliæ functiones; verumetiam quòd propter publicam vtilitatẽ eſt introductum. Vnde Pomponius in l.pupillus. §.munus. de verb. ſign. ſcribit, Munus publicũ, eſſe officium priuati hominis: ex quo commodum ad ſingulos, vniuerſóſque ciues pertineat. Itaque qui officium publicum à ciuili diſtare putant, non meminiſſe videtur verborum Aur. Arcadij, qui in l.fin. d.tit. de mune. & hono. Hæc omnia, inquit, munera, quæ trifariam diuiſimus, vna ſignificatione compræhenduntur. Nam & perſonalia, & patrimoniorum, & miſta munera, ciuilia ſeu publica appellantur. Vnde apparet Vlpi. l.2. de reg. iur. non diſcriminis, ſed magis declarandi cauſſa dixiſſe, Fœminæ ab omnibus officiis ciuilibus vel publicis remotæ ſunt.

Officium procuratoris eſt voluntarium, l, ſi filius familias. §.inuitus. D.de procur. ſed tutoris & curatoris officium eſt neceſſarium, l.j. & ibi glo. D.de tut.

Officium aduocationis. Vlpianus: Inter officium aduocationis, & rei ſuæ defenſionem, multum intereſt, inquit: nec propterea quis, ſi poſteà cognouerit rem ad ſe pertinere, quòd alij eam vindicanti, tunc ignorans ſuam eſſe adſiſtebat, dominium ſuum amiſit, l.inter. D. de rei vind.

Officio iudicis contineri dicitur, quod ei, tacitè pro ſuo iure permiſſum eſt, quamuis nullam Prætor in formula mentionem eius fecerit. Imp. §.vltim. De perpet. & temp. Si ante rem iudicatam is cùm quo actum eſt, ſatisfaciat actori: officio iudicis conuenit eam abſoluere. Pompon. l.9. D.de furt. Sed ſi eam à fure vindicaſſem, condictio mihi manebit. ſed poteſt dici officio iudicis qui de proprietate cognoſcit, contineri, vt nõn aliter iubeat reſtitui, quàm ſi conditionem petitor remitteret. Sic in l.plane.38. D.de petit. hæred. vbi quæ perſpicuam æquitatem habent, officio iudicis contineri dicuntur. Sic in l.cum is.44. D.eod. l.qui per colluſionem.42.§.vlti. D.de actio. empt. l.ſi vulneraueris 43. D.locat. Sic in l.7. D.de negot. geſt. Tantumdem ait Paulus, in bonæ fidei iudiciis officium iudicis valet, quantum in ſtipulatione nominatim eius rei facta interrogatio. Et in l.Lucius.17. D.depoſit. Eſt conſtitutũ in bonæ fidei iudiciis, vt tantũdem poſſit officiũ arbitri, quantum ſtipulatio. Et l.ſi reus paratus.73. D.de procurat, Si reus paratus ſit pecuniam ſoluere, procuratore agente quid fieri oportet? Si lis conteſtata eſt, hoc omne officio iudicis dirimendum eſt.

Officium præſtant, qui ad tuendum patremfam. præpoſiti ſunt, l.61.61. D.de leg.3.

Officium pro ipſis officialibus, l.6. D.de offic.

Officium, pro ordine apparitorum, l.1. de appar. Procon. libro 12.C.

Officium pro miniſtris magiſtratuum, ac præſidum, l.6.§. ne tenuis. D.de offic præſid. l.74. D.de euict. Sic Officium Præſidum, Comitum, Præfectorum, procuratoris fiſci accipimus l.3.C. quando fiſcus vel priuat. l.2.& 3.C.de cano. largit. tit. & alibi ſæpiſſimè, & apud Tertullian. lib. de fuga in perſecut. Sic Officium prælidale, l.j.C.de præſcript.30. annor. Et Officium cenſuale l.18. D.de teſta. & apud Symmach. lib.1. Epiſto.46. Et Officium cohortale, l.33. C.de appel. Officium Comitianum l.2.C.de offic. mil. iudic. Officium prouinciæ, Donato in Phormione.

Officium, pro Irenarchis. Imp. l.7. C.de accuſat. Ea quidem quæ per officium præſidibus denunciantur, & citra ſolennia accuſationum poſſe perpendi, incognitum non eſt.

Officium pro cuſtodia liberiore Paulus l.4. De fugit. Magiſtratus municipales ad officium præſidis prouinciæ vel proconſulis compræhenſos fugitiuos rectè tranſmittunt.

Officium Prætoris, pro eius imperio & poteſtate in iure dicundo, Vt in l.veluti.27. D.de verbor. obligat. Officio Prætoris continetur, ex huiuſmodi obligationibus actionem denegari. Id autem Imperium appellatur in l.obligationes, 27. D.de oblig. & actio.

Officium Prætoris, cellula, vt opinatur Hotomanus erat, in qua ſcripta quædam ad ea quæ pro tribunali agenda erant pertinentia reponebantur. Aſcon. in Verrin. II. Moris erat, celebrata iudicum reiectione, & haberi in officio prætoris, & in arca reponi nomina iudicum ſelectorum. Modeſti. l.72. D.de furt. Sempronia libellos compoſuit, quaſi datura centurioni, vt ad officium tranſmitterentur: ſed non dedit. Lucius pro tribunali eos recitauit, quaſi officio traditos: quæro, non ſunt inuenti in officio, neque centurioni traditi. Paulus l.17. D.de in ius voc. Eum pro quo quis apud officium cauit, exhibere cogitur. Item eum qui apud acta exhibiturum ſe eſſe quem promiſit, & ſi officio non caueat, ad exhibendum tamẽ cogitur. Sunt tamen qui ſuperioribus in locis officium ſumant pro loco in quo conſiſtebant officiales.

Officium, pro perſona iudicis vel magiſtratus, id eſt pro eo qui gerit officium ſiue magiſtratum, ſiue quam aliam poteſtatem. Vnde deponere apud officium, l.ſi fideiuſ.7.§.vlt. D.qui ſatiſd. cog. Sic cauere officio & apud officium cauere, id eſt apud eum qui poteſtatem exercet. Differunt autem promittere apud acta, & officio cauere. Qui promittit apud acta, is obligatur quidem. ſed non tam ſolenniter atque is qui apud officium cauet. Hæc differentia notatur in l.eum pro quo. 17. ſi quis in ius voc. non ierit.

Officium & Artificium in ſeruis diſtinguuntur apud Martianum in l.legatis.65. D.de legat.3.

Officium eorum dicitur, qui ad corporis dominici cultum

cultum destinati sunt:quales sunt tonsores, vnctores, cubicularij,ministratores:de quibus in l.103. D.de verbor.sign.Artificium autem eorum, qui artem aliquam exercent,quales sunt textores, fullones, lecticarij, pictores,medici,d.l.65.& l.penul.D.de reb.dub.

Officium seruile ministerium, l.46.§.actores. D. de iure fisci.

Officiales, ministri seu apparitores magistratuum, Paulus lib.Sent.5.ca.de fisci aduoc.Quoties sine auctoritate iudicati officiales alicuius bona occupant, vel describunt, vel sub obseruatione esse faciunt, adito procuratore iniuria submouetur.Vlp.l.j.§.si quis vltrò. 19.D.de quæst.Potes itaque decreti gratiam facere, & eam per officium distrahi iubere. Sicque sumitur hoc verbum tit.Cod.de filiis officialium.

Officialis foraneus, qui in certa parte Diœcesis ad tempus vices Episcopi gerit,glo.clem.2.de rescript.

Officialem à vicario separat Albericus ca.cum nullus. de temp.ordin.in 6. de Officialibus latè per Bartol.l. de pupillo.§.si quis ipsi.D.de oper.no.nunt.

Officiales operæ,l.operæ.D.de oper.liber.sunt cuiuscunque artificij operæ,qua patrono libertus officij caussa præstat.

Oleam immaturam plus reditus habere,quàm maturam, tradit Iuriscos.l.pen.D.de vsuf.lega.

Olearum nuclei ligni appellatione continentur,l.55.D.de leg.3.l.167.D.de verb.signif.

Olearium fundum, hoc est, oleas arbores producentem,Alber.citat in l.si cuius. §.fructuarius. D.de vsufr.sed perperam.Nunquam enim olearij fundi, sed horti solùm olitorij meminit, vt & interpres legit.In eo tamen labitur, quòd vel de oliuis accipi posse indicauit. Siquidem olitorium ad olera tantùm pertinet.

Olearia vasa numerantur in l.19. §.illud. D.loca.

Oliuariæ molæ & præli fit mentio,l.21.D.de fun.inst.

Oleaginea pocula,l.30.D.de leg.3.vel (vt est in Pan. Flo.) Oleagina.

Oliuetum locus oliuis consitus, l.58. D.de contrah. empt.in vulgatis codicibus,non item in Flor. & l.7.C. de bon.præscript.& l.j.C.de manc.& colo.

Olfecit equus mulam, honestè dixit Alph.pro coitum appetiuit,in l.vlt.si quadrup.paup.fecis.dic.

Olim ad tempus præteritum pertinet,l.nec emptio.D. de cont.empt. Aliquando significat dudum, retro, l. sed.§.quæsitum.D.de excus.tut.& quot tempora significat,tradit Bart.l.j.& ibi Alex.,D.de op.no.nunt.

Olus, dicitur omnis herba satiua, quæ est in vsu cibario,ab alendo: quòd oleribus alerentur homines, antequam fruges,vel carnes essent.Iustin. Insti. in princ. de vsu & habit.Nam is, inquit, qui fundi nudum habet vsum, nihil vlterius habere intelligitur, quàm vt oleribus,pomis,floribus,fœno,stramentis, & lignis, ad vsum quotidianum vtatur.

Olitor, ab oleribus,hortulanus est.Vlpian.de verbo. signif.l.si vrbana. Horti vinearij fortè,vel olitorij. Fit autem Olitor ab olere, non ab oliuis, vt Accursius existimauit.

OM

Omittere hæreditatem & legatum, & prætermittere pro eodem,l.7.l.59.D.de acquir.hæred.l.33. D.de milit.testamento.

Omittere & repudiare separantur, l.24. §.Scæuola. D. de mino.

Omittere, silentio exhæredare, vel potius præterire, l.si patronus.D.de bon.liber.& §.si.Instit.de exhæred.liber.illud enim,silentio glossema est,nec est in vet.lib.

Omissa actio,in l.si eum.D.si quis caut.non remissa,vt barbarè gloss.indicauit.(Remissum enim Latinis languidum significat) sed relicta ac præterita accipienda est.Est enim omittere, rem quempiam penitus dimittere. Vnde omissio eorum, quæ geri debent, latæ culpæ datur. l.ei qui.§.fina. D.de petit.hæredit.cap. sæpe. 12.q.2.

Omnis, nihil, quilibet, & aliæ huiusmodi voces vniuersales in iure ciuili restringuntur ad normam æquitatis.

Omne, nihil excipit, l.à procuratore.C.manda. An verò sit vox collectiua, docet Bart.Moschis. D.de iur.fis.& an à toto separetur.

Omne ius habet annexam gratiam: quod nemo vnquam grauius tractauit, quàm Marcellus in l.respiciendum. D.de pœn.

Omnia, pro vtrisque, apud Papinianum, in l.in ratione. §.quid tamen dicemus.ad leg.Falcid. item apud Gaiũ, exemplo Cicero.dictum legimus de duobus in l.liberum arbit. D.de adopt.coniunctim plerunque apud idoneos auctores occurrunt: vt omnes tres, omnes quatuor,omnes quinque,& cætera.

Omnis debiti nomine,vsuræ veniunt accipiendæ, vt patet ex responso Scæuolæ in l.nomen.de leg.3.Item qui omnia sua,vel omnes res suas donat,& nomina debitorum donasse intelligetur.Idem enim est, siue omnia mea dixerim,siue addito vniuersali substantiuo, omnes res meas,seu bona mea dicam.

Omnis homo, de duobus dictum,in l.j.C.de liber.præter.

Omnis periculi appellatione,non videntur casus fortuiti contineri,l.non similiter.de magist.conuen. vbi dicitur, Magistratus succedit in omne periculum, & tamen non tenetur de casu,l.2.§.eo tempore. D.de admi.rer.ad ciuit.pert.

Omnino, & omni modo præcisam necessitatem plerunq; significant,l.10.§.in adrogato. D.de vulg. idémque valent quòd indistinctè,l.pen. D.pro suo.l.49. D. de iure dot.l.11.in fin.l.26.D.de leg.lib.j.l.14.§. sed & si. D.quod met.causs.& aliis multis in locis.

Omni modo, sine metu exceptionis, l.39.§.penult. D de damn.infect. Omni modo est etiam, sine interpellatione, vt l.38.§.penult. D.de vsur.Significat etiam in omnem euentum,& vt Iuriscofs. loquuntur, quicunque casus inciderit,l.18.D.quod met.caus.

Omnino fieri intelligitur eo modo, quo potest fieri: ne impossibile iuberi videatur: facit l.si iure militari. de mil.testam.cum simil.per Salomon. citatis. Cæterùm, Omnino, nunc, semper, & similia verba prægnantia, vel ideò vulgò feruntur, quòd iuxta interpretum traditiones nullam modificationem, aut limitationem recipiant, vt ait Zas.

Omnino, ad omnem sui partem, Alberico c.si religiosus. de elect.lib.6.

ὁμολογῶ, in l.4.C.de recept.arb.spondeo & adsentio.

ὁμοπάτρειοι, ex eodem patre geniti.

Ωνιακὸν, in Basilicis, instrumentum emptionis; vt δωρεαστικόν, instrumentum donationis.

Onus, munus, puta tutelæ, vel curæ, l.munus.18. §.2. D. de verb.signif.

Oneris ferendi seruitus dicitur, quæ vt vicini onera sustinere quis cogatur, imponitur. l.j.& l.33. D.de seruit. vrb.Alia autem est seruitus Oneris ferendi, alia Tigni immittendi.nam cui prior debetur, agere cum vicino potest, vt ruinosum parietem reficiat, eúmque oneri ferendo idoneum præstet:at qui tigni immittendi ius habet, cogere vicinum vt parietem reficiat non potest.l.etsi fortè.6. §.2.l.8.§.competit.D.si seruit.vindi.l. eti.n debere.33.D.de serui.vrb.

Oneris nomine, quæcunque in nauem vehendi caussa imponuntur, intelliguntur.l.6.D.ad leg.Rhod.l.31.& l. pen.§.pen.D.locati.

Onera hæreditatis, æs alienum, l.vnic.§.penult. D.si mul. vent.no.

Onus auertere, vide sup. Auertere.

Oneris auersi actio, vide sup. Actio.

Onerandæ libertatis cauſſa facta, ita definiuntur, quæ ita imponuntur, vt ſi patronum libertus offenderit, petantur ab eo, ſempérque ſit metu exactionis ei ſubiectus propter quem metum quiduis ſuſtineat, patrono præcipiente, l.j.§.5.D.quar.rer.actio non det.

Onyx Arabicus, l.fi.§.ſpecies.D.de publican.ad differentiam Indici, à quo colore diſtat. Ille niger eſt cum zonis cãdidis, hic igniculos habet albis zonis cingentibus. Inde autem nomen habet, quòd habeat in ſe per mixtum candorem in ſimilitudinem vnguis humanæ, vt Iſidorus lib.16.cap.8.& Plin.lib.56.cap.7.tradunt.

Ope consilio, l.27.§.ſi quis de manu.D.ad le.Aquil. quemadmodum accipienda ſint, ac coniunctim, an ſeparatim, antiquorum variauit ſententia. Paul.in l.ſæpe ita compertum.de verb.ſignif. Labeoni ſubſcribit, ſeparatim accipienti illa verba, Eum cuius ope, conſilio, furtum factum ſit, furti teneri lex ait. Quamuis Alciat.coniunctim quoque accipi poſſe tradit: quoniam non ſat ſit opem præſtare, niſi eo conſilio, id eſt, animo præſtetur, vt furtum fiat. Si ergo conſilium pro ſuaſione accipiamus, ſoluta illa oratio diſiunctiuè: ſi pro doloſa adiuuantis intentione, coniunctim intelligetur: aitque, Et hic verus eſt huius reſponſi ſenſus, quem nec Accurſius, nec cæteri ſatis percepêre. Certè ex ſententia coniungentium potius, quàm ſeparantium intelligenda ſunt: & ita videtur Vlpianus vſurpaſſe l.6.de condict.furt. Ope & conſilio dixit Iuſtin. Inſtit. de obligat.quæ ex delict.cum tamen in libris ſcriptis probatioribus, Ope conſilio legatur, ſine copula. Vide Cuiac.ad §.interdum. Inſt. de obligat.quæ ex delict.

Opem fert, qui miniſterium atque adiutorium ad furripiendas res præbet, l.in furti.50.D.de furt.

Opera eſt labor qui in opere faciendo præſtatur circa rem ſiue corporalem, ſiue incorporalem. Et quia humanæ cõditionis ratio poſtulat, vt per diem duntaxat laboretur, ideò Paul. Operæ, inquit, diurnum officium ſunt, l.j.D.de oper.libert.l.2.D.de annu.legat.

Operam dare de iudicibus dictum, in l.ſi longius.D.de iudic.l.penult.D.de vacat.mun.nouum non eſt. ſic enim Cicero 4.Verr.M.Petilium equitem Rom.quem habet in conſilio, iubet operam dare, quod rei priuatæ iudex eſſet.

Operæ libertorum, officia ſunt quæ liberti patronis in gratiæ & remunerationis loco præſtant. nam (vt ait Caius in l.cùm patronus.22. D.de oper.libert.) operarum editio nihil aliud eſt, quàm officij præſtatio. Earum autem duo genera ſunt ſumma, officialium & Artificialium. Officiales dicuntur, quæ non in arte vlla certa, ſed in patrono quibuſcunque officiis adiuuando verſantur: & perſonam eius potiſſimum attingunt, victum, curationem, ocium, quietem, voluptatem: veluti etiam cum nullo ſuo detrimento negocia eius gerendi, peregrè cum eo proficiſcendi, l.hæ demum.38.D.de oper.liber. Atque hoc eſt quod Vlpia. ait in l.operæ.9. D.eo.proprietatem officialium & in dantis, & in accipientis perſona conſiſtere. Artificiales autem appello generaliter omnes, quæ artis alicuius propriæ ſunt, neque ſine illa præſtari poſſunt: veluti ſi libertus pictor, medicus, faber, architectúſve ſit, & patroni ſui iuſſu pingat, medeatur, fabricet, archi tectetúrve: hoc officium nõ tanquam libertus patrono, ſed vt quiuis alius cuiuis alij præſtabit. Quid enim illum libertum, aut hunc patronum eſſe neceſſe eſt, vt ille nauim domúmve huic ædificet? Hinc Vlpian.eas operas quæ hoc in genere ſunt, ſcribit quaſi in pecuniæ præſtatione conſiſtere, l.fabriles.6.D.eo.nam fabriles: pictorias, cæteráſque generis eiuſdem artificialium nomine continentur. Hinc idem Vlpianus in l. operæ.9.eo.ſcribit fabriles, aliáſve generis eiuſdem, vt à quocunque & cuicunque ſolui poſſe: & iubente patrono etiam aliis edi poſſe. Hinc idem in l.6.D.eod. illam inter vtraſque differentiam exponit: quòd fabriles, cæteræque ad hæredem tranſeunt: officiales verò, nequaquam. Cuius rei non obſcura cauſſa eſt. nam hæ (vt antè diximus) perſonales ſunt, nec ab altero facilè præſtari poſſunt: illæ verò, & à quouis, & cuiuis. Zaſius in intellectibus ſuis dicit, non errare eum, qui & medias ſeu communes operas conſtituat, vtputa quæ & officium & artificium reſpiciant. Addit & tertiam ſpeciem, ſcilicet Operas ſeruiles.

Operas edere, exhibere frequens loquendi formula, tot. tit.D.de oper.liber.l.54.§.fi.D.de verbor.obligat.

Operarum editio, officij præſtatio, l.20. D.de operis libertorum.

Ophitæ ſeu ſerpentini hæreticorum genus, l.8.& pen. C.de hære.ſic dicti quòd colubrum colerent ὄφις enim coluber eſt Græcis. Idem tradit Iſidorus libro 8.Etymolo.cap.5. & tranſlatitiè cap.quidam.24. quæſtion.3. Dicebant autem ſcientiam boni & mali à ſerpente in paradiſum inductam.

Opilio, in l.cùm quærebatur.de leg.3.ouium cuſtos.

Opinio communis, eſt aliud quàm fama. Nam opinio communis facit ius. C.de re iud.l.j. fama verò non facit ius. Item opinio cõmunis probat: fama verò non. Item opinio communis differt à notorio, quia opinio communis eſt de longè præteritis, quæ probari non poſſunt de facili, ſcilicet per teſtimonium viſus, &c. ſed notorium eſt de præſentibus, vel proximè præteritis, quæ de facili probari poſſunt per teſtes diuiſim. Et quòd opinio veritati præferatur, eſt gloſſ.cum concor.pro & contra, abundans in iuribus, in cap.nuper. de biga.ſuper verbo, videntur. Concludit tamen ibi, quòd caſuale eſt, vt opinioni potius ſtetur, quàm veritati, in fauorem contrahentium, teſtamentorum, ſententiarum, vel prolis. Aliàs regulariter veritas præfertur opinioni, ſecundum Bern.in gloſſ.3.in cap.ad audientiam.de ſponſ. Etiam veritas præfertur auctoritati.l.nemo iudex.C.de ſenten.& interlo.om.iud.item conſuetudini, cap.ſi conſuetudinem, cum ſex capitulis ſeq.diſt.8. vbi dicitur: Veritas valet & inualeſcit in æternum, & viuit, & obtinet in ſecula ſeculorum.

Opinio communis, vtrum circa eas quæſtiones verſetur, quæ lege, vel ratione finiuntur, an quæ auctoritate, an quæ ratione ſimul & auctoritate: rurſus vtrum ab numero auctorum, an ab dignitate penſanda, non ſatis liquet. Et magis eſt vtiq; ex his, quæ auctoritatis ſunt, conſiſtere. Lex & ratio cuncludenter apud nos demonſtrant. Ratio enim & veritas conuertuntur, c.fruſtra.8.diſtinct.Bal.in l.omnium.D.de leg.

Opinio ſeu putatio falſa non excuſat iniuriam, quæ mihi fit. Nam certus ſum ego, licet ille me putet alium eſſe, quàm ſim. Paul.in l.eum qui nocentem.§.ſi iniuria mihi.D.de iniur.

Opinio dicitur id, quod incertum eſt: vide Salomonium l. reſponſa.de iur.na.gent.& ciuil.

Opinio plena, l.6.§.Præſides.de interdict.D.pro exiſtimatione præſidis ſiue ſententia nondum pronuntiata, cui adiunguntur acta & refutatoriæ preces, ſeu libellus rei, vt eſt l.6.D.de iniuſt, rupt.§.quid tamen.l.j.C.de relat.l.ſciendum.D.de appell.recip.& alibi.

Opinio in poſter.libris Codicis pro prædij cuiuſque cenſu & profeſſione vſurpatur, l.vlt.C.de præd.nauicul.l.vlti. C.de collat. fundo.fiſcal. Vulgo taxa dicitur. Hinc,

Opinatores, l.7.C.de exact.tribut.lib.10.ſunt milites, qui in prouincias mittuntur petendæ militaris annonæ cauſſa, l.11.& 14.C.de erog.milit. anno.cauſ.ſic dicti, vt exiſtimat Iac.Cuiacius, quod exigat opinionem, id eſt cenſum agri. maléque eo in loco Optiones Halo

nes Haloãder legit. Hi autem miſſi in prouincias non fungebantur exactorum officio, ſed inſtabant præſidibus,& officiis eorum, & curialibus tantum, quibus titulorum fiſcalium exactio competit, vt intra anni ſpatium annonas accipiant, d.l.11.C.de erog.mil.an.

Opisthographvm, ὀπισθόγραφον, Hermolaus appellari dixit quod ex vtraque pagina ſcriptum eſſet, aduerſa & auerſa minutis literis & lituris plenũ. Hotomanus Opiſthographum exiſtimat eſſe chartam nõ vtraq; ex parte ſcriptam, ſed quæ vna ex parte deleta, ὄπισθεν, id eſt ponè & in tergo ſcripta eſt: his Vlpiani verbis motus ex l.4.D.de bon.poſſ.ſec.tab. Chartæ appellatio, inquit, & ad nouam chartam refertur, & ad deletitiam: proinde & ſi in opiſthographo quis teſtatus ſit, hinc peti poteſt bonorum poſſeſſio. Atque huc fortaſſis pertinet illud Iuuenalis Satyr.1. *- Summi plena iam margine libri, Scriptus & in tergo, necdum finitus Oreſtes.* Veteres plerunque vna tantum in parte ſcribebant, quia ſcriptas chartas poſtea inuoluebant: vnde volumina dicta ſunt.

Opiter nepos à veteribus dicebatur, inquit Feſtus, cuius pater auo viuo mortuus eſt: ſic dictus, quod obitu patris genitus ſit: aut quod auum poſt patrem habeat, id eſt pro patre.

Opitvlatio propriè in rebus dubiis & malis dicitur. Vnde prætor eam pollicetur minoribus annis 25. aduerſus captiones, hoc eſt, dolum aduerſarij: auxiliũ verò, ſi facilitate decepti ſunt, l.j.in princip. D.de minoribus.

Oportet, vel Debet, vel his ſimile verbum, in ordinationibus publicis Iuris, ſignificat neceſſitatẽ, adeóque immutabilitatem: quia ferè ſolent accommodari præceptis naturæ ab omni humana poteſtate exẽptis. Vt in materia rectè iudicandi. Quippe, iudicare munus publicum eſt, l.quippe.D.de iudi. quinimò & in contractibus vtrunque verbum importat neceſſitatem, l.is natura. D.de regul.iur. Is natura debet, inquit Paulus, quem iure gentium dare oportet. Errat igitur admodum pernicioſe Bartol.in l.vbicunque. D.de interrogat. Quòd oportere, hoc eſt, debere interpretatur, vt excludat neceſſitatem. Nam tali doctrina in forum producta ſegniores fecit iudices ad interrogandum, contentos tantùm apud ſe actis & actitatis. Rurſus interrogãdi neglectus corruptiora paulatim fecit iudicia, & prorſus immortalia: nemine id animaduertente. Vt ſemper magis ſolet nocere malum, & diutius hærere quod irrepſerit, quàm quod inciderit. Similis error eſt in l.j.D.de orig.iur. dum Accurſius interpretatur, Oportet, hoc eſt, Decet, excludens neceſſitatem. Quaſi verò Iuri rectè dat operã, qui iuris cauſſas ignoret: non aliter de eo iudicaturus, quàm Magiſtratus de cauſſa cuius circunſtantias neſcit.

Oportere verbum non ad facultatem iudicis pertinet, qui poteſt vel pluris, vel minoris condemnare, ſed ad veritatem refertur, Paulus l.37. D.de verbor.ſignificat. Oportebit tam præſens, quàm futurum tempus ſonat, l.8.D.eod.

Oportet, in ſtipulatione, Quod te mihi dare facere oportet, quod præſenti die duntaxat debetur, complectitur: & ideo adiicitur verbum Oportebit, vel ita, Præſens in diẽm ve, l.ſi ſtipulatus.76.l.cum ſtipulamur.125. D.de verbor.obligat.

Opidvm, inquit Pompo.ab ope dicitur, quòd eius rei cauſſa mœnia ſint conſtituta, l.239.§.9. D.de verb.ſign. ideóque per vnicum p ſcribi deberet, atque ita in optimis exempl. ſcribitur. Huc accedit quod ſcribit Varro lib.4.de Ling.Lat. Maximum ædificium eſt opidum, ab ope dictũ, quod munitius opis cauſſa, vbi ſint, & quod opus eſt ad vitã gerẽdã, vbi habitẽt tutò, velopida, quod opere munibãt mœnia, quo munitius eſsẽt.

Oppignerare, eſt pignus dare feneratori: Repignerare pignus recipere eſt, reſoluta cum fenore pecunia. Hoc verbo vti Iuriſcoſs.teſtatur Beroal.Comm. in Aſinum, tertio.

Oppressvm ante ſententiam: Damnatum verò poſt latam eam dici, quidam obſeruarunt.

Oppressio mobilium eſt, vt inuaſio immobilium. verſic.homicidia.in §.deinde competens eſt. Authent. de mand.princip.

Optare, propriè eſt eligere, l.3.§.item ſi optare. D.ad exhib. Item ſi optare velim ſeruum, vel quam aliam rem, cuius optio mihi relicta eſt, &c. Sic Virg.lib.5.Æn.

Muneráque in naues ternos optare iuuencos.

Ducitur autẽ ab ὄπτω Græco: quod eſt video, cõſidero.

Optionis legatum, quo electio ſeruorum vel aliarũ rerum in familia relictarum datur: vnde tit.de optione legata. Eius autem hæc vis eſt, vt cui optio legata eſt, etiam eius hæredibus, ſi viuus ipſe non optarit, optio debeatur, l.vlt. C.commun.de legat.§.optionis. Inſtitu.de lega.

Optio, in l.vlt.D.de iur.immun. cuiuſuis muneris adminiſter dicitur. Menſores, inquit Paternus, optio, valetudinarij. Optiones autem, vt ſcribit Vegetius lib.2. cap.7. ab optando appellati ſunt: quòd antecedentibus ægritudine præpeditis, ij, tanquam adoptati eorum, atque vicarij ſolent vniuerſa curare. Varro 1.de Ling. Lat. Primi, inquit, ſingularum decuriarum decuriones dicti quos ij primos adminiſtros ſibi adoptabant, Optiones vocari cœpti, quos nunc propter ambitiones tribuni faciunt. Feſtus: Optio, inquit, eſt optatio: ſed in re militari is appellatur, quem decurio aut centurio optat ſibi rerum priuatarum miniſtrum, quò facilius obeat miniſteria publica. Idem: Optio, inquit, qui nunc appellatur, antea appellabatur accenſus. Is adiutor dabatur Centurioni à Tribuno militum qui, quia cooptare quem velint Centurionibus permiſſum eſt, ex facto nomen ſortitus eſt. Nonius: Optiones, inquit, in cohortibus dicuntur, qui ſunt hõneſti gradus, vt optatos, hoc eſt electos: & adoptatos, hoc eſt aſcitos. Varro de vita patrum lib.2. exiſtimat appellatos, qui referentibus Centurionibus adoptati in cohortes ſubibant, vt ſemper plenæ eſſent legiones. à quo optiones Decurionum in turmis, & in cohortibus Centurionum appellati. Plutarchus Optiones διοπτῆρας videtur vocare, his verbis ἐν δὲ τούτοις συνετέθειτο καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων, ὁ δὲ τεσσεράριος. οὕτω γὰρ καλοῦνται οἱ διαγγέλων καὶ διοπτήρων ὑπηρεσίας τελοῦντες. Hinc apud Tacitum ſic legendum eſt: A quo Barbium Proculum teſſerarium ſpiculatorem, & Veturium optionem eodem perductos.

Optio Fabricæ, d.l.vlt. videtur eſſe qui Imperatoriæ fabricæ, à qua Fabricenſes vocãtur, aut fabricis legionum ſcutariis & loricariis cuſtos præeſt: vt & cuſtos carceris à Prudẽtio, Manceps carceris, & à Diuo Ambroſio, Optio carceris appellatur, ſic enim ſcribit: Neque Paulus & Silas tempus diſtulerunt, quin optionem carceris baptizarent cum omnibus eius.

Optiones etiam dicuntur in lib. Cod. qui annonam militibus diuidunt, l.9.C.de iure fiſc.l.9. C.de exact.tribut.l.3. C.de apoch.publ. & Nouell. Martiani de indulg.rel.No, Iuſtiniani 129. & ideo ad l.j. D.de mun.& hon. Græci lib.54. βασιλικῶν annonæ diuiſionem, interpretantur optionem militum. Procopius 3.de bel. Vand. ὃς ἐπεμελεῖτο τὸ μὲν περὶ τὴν οἰκίαν δαπάνης, ὀπτίωνα τοῦτον καλοῦσι. Nominis autem ratio hæc eſt, quòd duces eos ſibi optent diuidendæ annonæ cauſſa quaſi adiutores, quòd facilius cætera munia militaria obeãt. qua ratione auxilia fœderatorum Optiones etiam dicuntur, l.vlti.C.de loca. quorum duces Phylarchi dicuntur Nouell.116.& 117. Sunt autem quidam qui l.6.D. de bon.

de bon.damn. Optiones ſumi velint pro apparitoribus eius magiſtratus qui damnatum ad ſupplicium deducit: mihi tamen priori ſenſu hoc nomen non incómodè videtur vſurpari poſſe, cum poſterioribus temporibus, imo etiam ſub ipſo Tiberio, (vt teſtantur ſacra Euangelia) præſidis & eius qui ſontes ad ſuppliciũ deduceret, ſatellitum officio milites functos legamus: tum verò maximè quòd & id ſubindicet d.l.6.

OPTIMA lex cum nominabatur in magiſtro populi faciendo, qui vulgo Dictator appellatur, quàm pleniſſimum poſſet ius eſſe ſignificabatur: vt fuit M.Valerij Marci filij Voluſi nepotis: qui primus magiſter populi creatus eſt. poſtquam verò prouocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat, deſitum eſt dici, vt optima lege, vtpote imminuto iure poſteriorum magiſtratuum. Hæc Feſtus. Verba etiam quibus Pontifex Max. virginem Veſtalem capiebat, hæc Gellius lib.j.ca.12.recenſet, ſacerdotem Veſtalem, quæ ſacra faciat, quæ ius ſiet ſacerdotem Veſtalem facere pro populo Quiritibus, vti quòd optima lege fiat, ita te Amata capio.

OPTIMVS maximúſque fundus dicitur, qui ſeruitute omni, & obligatione pignoris ac tributo immunis eſt. Paul.l.169. De verb.ſignif. Non tantùm in traditionibus, ſed & in emptionibus, & ſtipulationibus, & teſtamentis adiectio hæc, VTI optimus maximúſque eſt, hoc ſignificat, vt liberum præſtetur prædium, non vt etiam ſeruitutes ei debeatur. Quod idem tradit Vlpianus l.90.& 126.eiuſd.tit.& l.pen. D.de euict.& l.59. De cont.empt.Cic.de lege Agr. Optimo enim iure ea ſunt profectò prædia, quæ optima conditione ſunt: libera meliore ſunt quàm ſerua. Capite hoc omnia quæ ſeruiebant, non ſeruient: ſoluta meliore in cauſſa ſunt, quàm obligata. Eodem capite legis tuæ ſubſignata omnia, ſi modò Syllana ſunt, liberantur: immunia meliore conditione ſunt, quàm illa quæ penſitant.

Optimo iure poſſeſſa domus, quæ nulli obligata eſt, vel pignerata, neque vllo nexu pignoris tenetur, l.26.§.j. D.de pigno. Optimum ius legati, quod commodius, & facilius eſt, Vlpian. Inſtit.tit.24. Optimo iure libertatem conſequuti, l.31. D.de minor. qui ex fidei commiſſo rectè manumiſſi ſunt. Optimo iure quarta bonorum curialium defunctorum, quibus alieni ab eorum conſortio hæredes extiterunt, à curia petitur l.j.quando & quib.quar. pars. Optimo iuri & iure admiſſos codicillos dixit Imp Inſtit. de codicill.in fin. princ. Theoph. νόμιμον σύςασιν vertit. Optimo iure debentur vſuræ, quæ interrogatione præcedente promiſſæ ſunt, l.j.C.de vſur. hodie tamen prohibitæ ſunt, vt not.eo.tit. Authent.ad hæc. Optimo iure prædia antiquis dicebantur, quæ immunia prorſus erant, id eſt, vt nunc loquimur, Alaudialia.

Optimum, melius, bonum, ius dicitur in comparatione, Glo. in l.ſi mulier. D.de minor.ſuper ver. Optimo, attigit item glo.in l.exigendi. C.de procur. ſuper verbo.non iniuſtè.

OPTINERE, vide Obtinere.

OPVLENTA hæreditas, ait Gloſ.in l.ſi quis mihi. D.de acq.hæred. dicitur quæ affert opes ſine vexatione; Locuples verò eſt, quæ etiam vexationem habet.

OPVS idem & perfectum, & imperfectum dici colligitur, D.locat.l.qui inſulam.§.qui ædem. Opere legato tamen vel conducto ſignificari Labeo ait id opus quod Græci ἀποτέλεσμα, non ἔργον vocant, id eſt ex opere facto corpus aliquod perfectum, l.5.D.de verb.ſign.

Opus probari vel approbari tum dicitur, cùm magiſtri artificiorum euocati, inſpectum opus referunt eſſe idoneum & rectè factum, vel etiam (ſi hoc conuenerit) ab ipſo locatore, l.opus quod cum l.ſeq. & l.ſi in leg.in princ.D.locat.

Opus reſtitui, pro deſtrui, auferríque in interdictis intelligitur, l.cùm prætor.eodem, & ſimil.quæ Alberic.indicat.Alcia.l.impenſæ.D.de verb.ſign.

Opus ſtructile dicitur, quod ex lapide quadrato, aut laterculis, calcéque conſtructum eſt. Eáque propriè pars ædificij eſt, vnde & auferri non poteſt. Tectorium verò incruſtatio eſt, ſiue expolitio parietum: qua de re Vitru.legendus eſt lib.7.vt ab Alciat.citatur, tum & ipſe in Comm.ad l.in rutis & cæſ.de verb.ſig. Opus ruſtre apud Paul.de leg.3.

OPVS, in edicto de oper.no.nunt.quod in ſolo fit, & ſolo coniunctum opus ſignificat, l.j.§.hoc autem. D.de ope.no.nunt. Vnde qui meſſem facit, arborem ſuccidit vineam putat, licet opus faciat, ad illud edictum non pertinet: ſed ad interdictum, quod vi, aut clàm, l.j. §.hoc autem.& l.7.§.notauimus.D.quod vi, aut clàm.

ad Opus damnari, darive, & in Opus tradi, idem valent, l.6.D.de extraordi.crimi.cum l.j.§.j.& l.fin.D.de effracto. Et Operæ multari, pro eodem, l.10.§.fin.D.de pœn. in Opus ſalinarum mulierem damnatam legimus, l.6.D.de captiuis.

OPERARI, ſimpliciter pro laborare, negant apud idoneos reperiri auctores. ferè autem refertur ad ſacra. Quamuis Operarij propriè ſunt, qui non iudicium, ſed tantùm operam adhibent ad architecti ex arte rationem operis præſcriptam. Operariorum ſeruorũ meminit Alphenus in §.quid autem eſſet.l.in leg.cenſoria.de ver.ſign. Alciat.eos interpretatur qui ruri operabantur. Vnde & antiquis auctoribus ſimpliciter operæ appellabantur.

ORACVLVM Imperatores in Codice appellant, iuſſum principis ipſius ore, ſine vllo reſcripto & adnotatione pronunciatum.l.iubemus. o.C.de ſacroſ.Eccleſ. l.vlti.C.de diuin.reſcript. Adnotatio autẽ eſt quæ ſcriptis tantum: vt Pragmatica, quæ adhibita cauſſæ cognitione in modum ſententiæ, vel ad alicuius vniuerſitatis preces. Vide Alciat.in d.l.10.

ORATIONES principum in iure dicuntur, quibus illi Senatum aut coràm oratione, aut abſentes per epiſtolam conſulebant, l.3.C.de leg. & conſtit. Huiuſmodi pleræque extant D.Marci, vt de tranſactione alimentorum, de bonis maternis, de fugitiuorum requiſitione, de confeſſis, l.cum hi.de tranſact.l.6.§.j.de confeſſ. l.56.de re iud. Item Marci & Commodi, de prohibitione nuptiarum inter tutores & pupillas ſuas, l.60.& 67. §.ſed & ſi filiusf.D.de rit.nupt. Item eorundem de ſeruatorum & libertinarum nuptiis, l.16. de ſponſal.l.16. de rit.nupt.D. Antonini, de donat.inter vir.& vxor.l. 32.de donat.inter vir.& vxor. Seueri, de rebus eorum qui ſub tutela ſunt non alienandis, l.j.D.de reb.eor.l.9. C.de præ.min. quam ſingulari libro Paulus expoſuit, vt ex Florentino indice & inſcriptionibus aliquot cõſtat. Adriani, de petitione hæreditatis: quæ ob eam cauſſam Senatuſconſultum appellatur.l.item veniunt. 20.§.6.in fin.D.de hæred.petit. Tacitus lib.11 Orationem Principis ſecuto patrum conſulto, primi Aedui ſeruatorum in vrbe ius adepti ſunt.

ORATORES, pro legatis vſurpat Iuriſconſ.in l.lege Iulia.D.de vi publ. Accurſius doctores artium intelligit: qui à Græcis Rhetorici vocantur.

Oratores ex Cannenſi caterua, apud Fortunatianum videntur dici ignobiles, qui ſcilicet eo tempore multis cæſis & facundioribus interfectis, aut mortuis, repente extiterunt, & ad cauſſas ac iudicia acceſſerunt.

ORBI dicuntur in iure, qui cœlibes quidem non ſunt, ſed ſine liberis ſunt: de quibus apud Vlpianum cap. Inſt.13.de cœlibe, orbo, & ſolitario patre. vbi Hotoman.legendum putat, Id eſt ſolitario patre. Quintil.li. 7.cap.5.In paupere gratior, quàm in diuite: dante beneficium, quàm reddente: patre, quàm orbo. Cicero in Paradox.

Paradox.Quem mutum locupletis orbi ſenis non obſeruat:Obſeruandum eſt autem, cùm Lex Iulia Papia vetuiſſet,ne orbi plus quàm dimidiam eorum quæ ſibi legata eſſent,partem acciperent,duo extare de orbis capita ſub Rub.de verb.ſign.quorum vtriuſque inſcriptio demõſtrat,ea ad legem illam pertinere.nam illic ita eſt c.148.Caius lib.8.ad leg.Iul.& Papiam: Non eſt ſine liberis,cui vel vnus filius.vnáve filia eſt.Idem lib. 10.ad eandem:Nam quem ſine liberis eſſe,dicere non poſſumus: hunc neceſſe eſt dicamus liberos habere. Alias autem Orbus dicitur quicunque aliqua re cara priuatus eſt,vt vxore,liberis,parentibus. Sic plebs dicitur orba in XII.Tab.amiſſis tribunis, quaſi defenſoribus.

ORBIS Romanus, pro ditione Romanæ ciuitatis accipitur.l.in orbe.D.de ſtat.hom.

ORCINVS libertus dicitur,qui directam ex teſtamento libertatem accepit:nec vnquam patronum viuum habuit.Orcum enim Latini Ditem patrem appellarunt. quare cùm libertus ille nullius libertus ſit, vt ſcribit Paulus.l.4.D. de bon.libert.Ditis,Plutonis ſiue Orci libertus nominatur.Vlp.l.4.§.7.D.de fideicom.libert. Hi qui ad libertatem peruenerunt, quorum liberti fiant,inſtitutio oſtendit: vt qui directam libertatem, Orcini erunt liberti, quod & tradidit Inſtit.tit.2.§. is qui.Is qui directò liber eſſe iuſſus eſt,orcinus fit libertus.Idemque Iuſti.ſub tit.De ſing.reb.per fideic.rel.affirmat.Impp.l.directis.10.C.de teſta.manum. Directis verbis iure data libertate, non ſolum impoſitione pilei,ſed & adita hæreditate,ſi nulla iuris impediat conſtitutio, liberti conſtituuntur Orcini.Marcian.l.5. D. qui ſine man.ad lib.Qui ob necem domini detectam præmium libertatis conſequitur, Orcinus fit libertus. Sic apud Gelliũ lib.j.c.24.in epigrãmate Neuij poëtæ, Orceius theſaurus,pro ſepulchro.

Itaque poſtquam eſt Orcio traditus theſauro,
Obliti ſunt Romæ lingua Latina loquier.

Theophil.autem Orcinum Græcè χαρωνιανὸν appellat: eadem forma qua Orcini Senatores (quorum meminit Suet.Trãquillus) à Plutarcho in M.Antonio Charonitæ dicuntur.& Charoneæ ſcrobes, quaſi Orcinæ. A Iuliano Orcinus hæres appellatur in l.duo ſocij.8.D. de hæred.inſtit.ſeruus qui ex dominorum ſuorũ ruina ſimul oppreſſorum teſtamento hæres & liber eſſe iuſſus erat.De Orcino liberto mentio quoque apud Vlp. l.3.D.de legit.tutor.& l.j.§.per contrarium. D. de dote præleg.apud Labeonem in l.dominus.22.D.de pecul. legat. Nec malè quis Horcinus dixerit nam ὅρκον dixere quidam παρὰ τὸ ὅρκος. Appellatur autem etiam libertus familiæ.l.ſi ſocius.D. de manumiſſ.teſta.quod etſi alium quam orcum patronum non agnoſcat, ad familiam tamen defuncti pertinet.l.3.§.planè.D.de legit.tutor.l.j.§.ſi.autem fuerit.C.de Lati.liber.toll.

ORDO, eſt cuiuſlibet rei ſuo loco concinna digeſtio & apta compoſitio.Sic & in perſonis omnium maximè per iuſtitiam diſtributiuam apta quædam collocatio exigitur.Quare in Republica ordines dicimus,ſicut & in acie diſtributiones hominum, pro vniuſcuiuſque ſtatu & qualitate: vt ſingulæ functiones eò commodius intelligantur expediantúrque. Romæ fuerũt tres ordines, ſcilicet, Senatorius, Equeſter, & Plebeius. Quorum etiam nunc in orbe Romano veſtigia quædam retinemus. Ordo Senatorius erat, qui patritio tantùm,ex quibus Senatus legebatur,cõtinebat.Apud hos cenſebatur imperij eſſe maieſtas.Nos in hunc ordinem referre poſſumus omnes imperij ſtatus,qui iuſtis principum comitiis interſunt, atque ius dicendæ ſententiæ habent.Is & ampliſſimus ordo dicebatur.l. 21.§.2.de leg.3.& vide ſup.Ampliſſimus. Ordo Equeſter medius dicebatur, à quo ad ſenatoriã dignitatem aſcenſus fuit:interim tamen iudiciis præficiebantur. Equitum inſigne fuerunt anuli aurei, quibus à plebe diſtinguebantur.Tales hodie ſunt equites aurati, cum aliis imperij beneficiariis, qui ad publicam comitiis auctoritatem interponendam non ſolent vocari. Ordo plebeius, & infimus fuit, in quem referebantur omnes Romani ciues tribuarij, hoc eſt, ad tribus pertinentes.Nam ſerui & libertini (præterquam vindicta manumiſſi) nõ erant tribuum capaces:niſi ſpecialiter eis concederetur. Ex quibus intelligi poteſt. l.patronus.in princ.D.de legat.3.vbi Accurſius ridicula commemorat de ſeruorum progenie. Ad hos ordines reſpexit Vlp.in l.j.§.ſed & ſi ſeruus.D.de inſpicien.vent. Publicè enim,inquiens,intereſt,partus non ſubiici, vt ordinum dignitas familiarúmque ſalua ſit.

Ordo, pro ſtatu, in l.Diuus Marcus. D.de offic. præſid. Græci τάξιν appellant. Status bifariam accipitur: aliàs pro iure perſonarum,quod & caput dicitur,Vnde Capite minui,vt in tit.D.de ſtat.homi. Inſtitu.de iur.perſonar.aliàs pro ordine perſonarum, reſpectu politico dignitatis,vt ordo decurionum pro collegio.l.15.D.ad municip.

Ordo decurionum,ciuitatíſve,collegium ipſum decurionum & curiam ſignificat.l.15.D.ad municip.l.16.§. j. D. de alim.legat.l.j.C.de omni agr.deſer.lib.11. Appellatur & ſimpliciter ac abſolutè ordo in l.3.l.6.§.j.D.quod cuiuſque vniu.l.5.§.vlt.D.de donat.int. vir.l. vlt. D.ad municip.l.j.§.ſed & ſi præſes.D. quand. appel. ſit.l.vn. D.nihil nou.appel.l.j.D.de magiſt.con.l.vlt.D. de vet. Sic & in inſcriptionibus antiquis hoc verbum accipiendum eſt.Itaque in ordinem allegi, nihil aliud eſt, quam decurionem fieri.l.3.§.j.l.pen.D.de decur.d.l.vlt. D.de veter.

Ordo iuris,& legum.l.j.D.de lib.cauſ.l.31.§.ſi ciuile.D.depoſ.Valer.Maximus lib.3.c.2. Quoniam Conſul dum iuris ordinẽ ſequitur,id agit vt Imperium R.corruat. Vtitur hoc verbo ſæpe Caſſiodorus in lib. Variarum.

Ordo,cognitio.C.de ord.cogn.

Ordo militaris olim fuit, vt in exercitu, quodam gradu, miles centurioni, Centurio tribuno, Tribunus legato,Legatus conſuli obediret.Sed iſti gradus & nomina rei militaris, cœperunt cum tẽpore (vt ferè omnia) variari.

Ordo ſcripturæ non impedit cauſſam iuris ac voluntatis, auctor Papinian.l.cùm pater filio,§.fidei tuæ committo vxor.de leg.2.

Ordinem politicum, vt euitetur confuſio magiſtratuum, ſeruandum eſſe vel apes naturali quadam inclinatione nobis oſtendunt:quarum vnumquodque examen ſuum ſequitur regem.

Ordinem in deferendis magiſtratibus,Romani certè viri prudentes optima ratione obſeruabant, ab inferiore ad ampliorem.Omnibus enim in rebus, ordo ſecundum naturam neceſſarius eſt;ſed tamen in magiſtratu deferendo maximam ac peculiarem quãdam vim habet.Primùm,vt hominis ingeniũ rectè cognoſcatur, cùm magiſtratus, qualis quiſque ſit, ſtatim indicare ſoleat.Deinde,vt expoliantur ciues negotiis vulgaribus ad arduas res agendas,quoniam pulchrius parari, quàm creari nobilem. O venerandam antiquitatem, vt Iuſtinianus rectè vocat,à qua & eruditum ſe fatetur in §.vlt.Inſti.de adoptio.Nam variis & grauibus omnium rerum exemplis ſcatet. Quid rogo ſalubrius Reipublicæ fuerit,quàm hunc ordinem in omnibus ciuitatibus imitari,vt non ſtatim rudes ac nullo geſti officij argumento probati, rapiantur ad ſummum adminiſtrandæ Reipublicæ gradum & ordinem? Non poſſum me hoc loco continere, quin expoſtulem cum criticis quibuſdam,qui tam ſunt amentes,vt vtilem illum longéque pucherrimum in omnibus Academiis

receptum ordinem titulóſque, aut contemnere, aut etiam improbare non erubeſcant. Quaſi verò vani ſint omnium literatorum ordines. Quid, inquiunt, eſt Doctoris titulus, quid Licentiati, quid Baccalaurei, niſi pecuniarũ nũdinationes? & reliqua id genus inepti arum multa effutiunt. Verùm legant inſulſi homines, quid ſcribant eruditi omnium ſeculorum in bonis artibus anteſignani. Quomodo præparandi ſint per ordinem ſtudioſi, ab incunabulis literarum, ad grauiores diſciplinas: in quas ne tanquam ſus in roſas irruerent, quàm diligenter ſint à præceptoribus vires ingenij perpendendæ: & quàm tale in bonis artibus iudicium nullo poſſit fieri modo, niſi in claſſes diuidantur ſtudia, & ſingulis claſſibus tituli accommodentur, quibus alij ab aliis in ſcholaſtica ratione diſcernantur. Quales ſunt à lauri bacca, Baccalaureatus, Magiſterij, Licentiæ, & Doctoratus. Hæc, inquam, perpendant, ſi voluerint, iniqui cenſores, & facilè videbunt errorem ſuum vel conſcientia dictante.

in Ordinem redigere, hoc eſt, inter vulgares & gregarios numerare, vt ſua conditione ſit contentus. Opponitur Eximere numero, tanquam præcipuum habere, non inter circulares, id eſt, vilioris farinæ homines.

ORDINARIA dicuntur, quæ lege, plebiſſcito, Senatuſconſultis, prætorum edictis, principum generalibus conſtitutionibus, & omnino quicquid iure ſcripto eatenus iuſſum eſt, vt ſit certa, generalis, vniformis lex, actus humanos generaliter, ſine ſpeciali perſonarum reſpectu ordinans, & quodam ordinato procurſu dirigens: fac. l. nullo modo. D. ad leg. Cornel. de falſ. Horũ numero ſunt, contractus, obligationes, actiones ordinariæ, appellationes, ſucceſſiones, teſtamenta, ſeruitutes ordinariæ. Interdum (quæ etiam Zaſius Ordinariis connumerat, text. apertum allegans in l. j. §. neceſſariò. D. ſi mul. vent. nom. in poſſeſ.) vſucapiones, præſcriptiones, pignora, & ſi qua ſunt ſimilia, quæ non ineleganter per Cicer. in lib. j. de Oratore deducuntur. Extraordinaria, ad certa perſonarum, rerum negotiorúmve genera, extra ordinem reſpiciunt: quibus pro conditione, euentu neceſſitate, commoditatéve aliqua, præſenti aliquo remedio ſubuenitur. Quorum tria genera facit Zaſius. Quædam enim ſunt facti, vt cùm proprio ſeſe facto ab iniuria lex adſerere permitteret. l. quemadmodum. D. ad l. Aquil. cum vulg. in quo genere non parum multa docuit in §. nunciatio. l. j. de oper. nou. nunc. Quædam ex priuilegio principis naſcuntur: quæ plerunque ſunt contra ius commune: de quibus Inſt. de iure nat. gent. & ciui. §. planè ex his. l. j. §. fi. D. de Conſtit. princ. cum ſimil. Tertium genus eorum eſt, quæ licet extra ordinem, tamẽ iure recepta ſunt, vt non ſine ratione iuris cõmunis nominari poſſint, licet non ſint iuris ordinarij: veluti cum remedio aliquo his ſubuenitur, quibus iure ordinario vel non eſt conſultum, vel non ità facile, ita commodè conſultum. Et iſthæc extraordinaria tertij generis, quadruplicem habent effectum, quos idem Zaſ. diſtinctius explicauit ſingulari tractatiuncula, inſerta Intellect. ſuis ſingularibus. Vel ſic:

Ordinarium eſt, quod rectè atque iuris ordine, ciuiliterque & communi iure fit. l. 33. §. publicè. D. de procurat. Ordinarium ius ergo eſt, quod per actiones & interdicta, per iudices datos, ſine prætoria cognitione, ſine ſubſcriptione in crimen, ciuiliter exercetur. l. j. §. j. D. ſi mul. vent. nom. l. vlt. D. de priuat. delict. l. 15. §. ſi ſuper. D. de re iud. l. 32. §. item ſi qui. D. de recept. arb. Suet. in Claud. c. 15. Negantem cognitionis rem, ſed Iuris ordinarij eſſe, agere cauſſam confeſtim apud ſe coegit. Hinc:

Ordinaria iudicia dicuntur, in quibus eo ordine, qui ab antiquis inſtitutus eſt, lis exercetur. Front. de limit. agror. De poſſeſſione controuerſia eſt, de qua ad interdictum, hoc eſt iure ordinario litigatur. Et Aggenus aliquanto pòſt: De poſſeſſione fit controuerſia, quoties de totius fundi ſtatu per interdictum, id eſt iure ordinario litigatur. Item Ordinaria iudicia, quæ ex ſorte in ordinem certum digeſta erant. Virgil. Æneid. 6.

Nec uero hæ ſine ſorte datæ, ſine iudice ſedes.

Vbi Seruius: Sine ſorte, inquit, ſine iudicio: traxit autẽ hoc ex more Rom. non enim audiebantur cauſſæ niſi per ſortem ordinatæ. nam tempore quo cauſſæ agebantur, conueniebant omnes (vnde & Cõcilium ait) & ex ſorte dierum ordinem accipiebant, quo pòſt diẽ trigeſimum ſuas cauſſas exequerentur. vnde eſt,

Quæſitor Minos urnam mouet.

Iuuenalis,

Gratia fallaci qui Prætoris uiceris urnam.

Ordinaria iudicia priuata quæ ſint, diximus ſub voce EXTRAORDINARIA: cùm ſcilicet vſitatus & legitimus ordo, formulæque agendi & litigãdi obſeruantur: veluti cùm ordine prius ad Magiſtratum in ius adibatur, ac formula ab eo conceptióque actionis poſtulabatur: deinde ad iudicem diſceptabatur. Extraordinaria verò, cùm apud magiſtratum res diſceptabatur, nec iudices Recuperatoréſve dabantur. Vlpian. l. j. §. 8. D. de exercit. act. Solent, inquit, in prouinciis Præſides prouinciarum extra ordinem exercitores iuuare ex contractu magiſtrorum: id eſt, ipſimet Præſides rem cognoſcũt, neque ad iudices reiiciunt. Itaque Vlpia. l. pecuniæ. 178. §. 2. D. de verbo. ſign. actionis nomine & formulas intelligi ſcribit, quæ in ordinariis iudiciis in vſu erant: Perſecutionis autem verbo, extraordinarias perſecutiones: vtputa fideicommiſſorũ, & ſi quæ ſunt aliæ quæ non habẽt iuris ordinarij executionem. Quem locum hæc eiuſdem verba in Inſtit. c. 25. explicabunt: Fideicommiſſa non per formulam petuntur, vt legata: ſed cognitio Romæ quidem Conſulum, aut Prætoris qui Fideicommiſſarius vocatur: in prouinciis verò, Præſidum prouinciarum. Paulus in l. actio. 47. D. de neg. geſt. Nec refert, ait, directa quis, an vtili actione agat, vel conueniatur: planè in extraordinariis iudiciis vbi conceptio formularum non obſeruatur, hæc ſubtilitas ſuperuacua eſt. Hinc ORDINARIVM hominem Feſtus dici tradit, ſolutum ſcurram & improbũ, qui aſſiduè in litibus moraretur, ob eam cauſſam quòd in ordine ſtaret adeuntium Prætorem.

Ordinaria iudicia ad differentiam arbitralium. l. 5. C. de arbit.

Ordinaria bonorum poſſeſſio, in l. 5. §. ſi quis contra. D. de legat. præſt. l. 3. §. vltim. D. de Carb. ed. Huic opponitur Carboniana, quæ extraordinaria eſt.

Ordinarij apparitores. l. 7 C. de cohorta. lib. 12.

Ordinarij conſules, vide Conſulatus ordinarius.

Ordinarij iudices, ſunt præſides viri clariſſimi, non viri ſpectabiles vel illuſtres. l. 2. C. de prox. ſacr. ſcrin. l. vlt. C. de modo mult. l. omnes. C. de epiſc. & cler. Græci ἐμβαδικοὺς vocant Nouell. 20. & 112. ſic dicti quaſi infimi ordinis. In horum officio ſunt principes, cornicularij, commentarienſes, numerarij, ſiue tabularij, adiutores, ſubadiuuæ, ab actis, à libellis, exceptores. Et à Mariano in officio ducis Arabiæ ponuntur ordinarij. Ordinarij iudices qui ſint in Decretalium Epiſtularum libris, vide extrà de offic. iud. ordin. vbi gloſſ. Panor. & alij. Vel:

Ordinarius eſt qui ſuo iure, vel principis beneficio vniuerſaliter iuriſdictionem exercere poteſt: cui ſcilicet vniuerſitas cauſarum commiſſa eſt.

Ordinarij milites, gregales & manipulares: vel etiam in prima acie dimicantes principes.

Ordinarij ſerui. l. 15. §. prætor. D. de iniur. qui certum aliquot

quot miniſterium, vel officium in familia exercent. Hi Vicariis opponuntur, l.17.18.19. D. de pec. Vide VICARIVS.

ORDINARI lis, iudicium, cauſſa, res dicitur. l.24.25.§.j. D. de lib. cauſ. l.8. D. de inoff. teſta. l.26. D. de teſt. tute. Vnde Ordinator litis, Senec. lib.19 Epiſtul. Et Ordinatili libelli, concepti, compoſiti, l.3. D. de accuſ. Item Ordinata criminis cauſſa, l.j. C. de accuſ. id eſt, inſcriptione depoſita, fideiuſſore præſtito de lite exercenda, cóque qui accuſatur ſub cuſtodia officij facto.

Ordinari teſtamenta dicuntur, l.30. D. de liber. & poſthu. & Inſt. de teſt. ordin. Ordinare ſuprema ſua, pro eodẽ. l.25. D. de libe. & poſthum. l.39. D. de pig. act. l.36. §. miles in ſupremis. D. de milit. l.j. D. de bon. poſſeſſ. ex teſtam. mil. & Ordinare poſtrema vel ſuprema iudicia. l.15. C. de teſtam. Et apud Quintil. lib.6. c. de riſu. Ordinare codicillos in l.3. C. pe codicill. & Ordinatio nouiſſimi iudicij in l.2. C. eod. tit. Et ſuperordinare apud Tertul. lib.5. aduerſus Marcionem, pro teſtamento facto aliquid addere, aut immutare. Ordinatum etiam edictum legimus in l.13. D. de rer. amo. non deſunt tamen qui pro edictum, edicto legant.

ὀργυιὰ. l. fin. D. fin. reg. de qua. C. Harmenopulus lib.2. tit.4. ἡ ὀργυιὰ, ait, ἔχει βήματα β. ἤτοι πήχεις δ΄ ἤτοι πόδας ς. ἤγουν σπιθαμὰς θ. δακτύλους δ. Heſychius vero ὀργυιὰν eſſe ait τὴν τῶν ἀμφοτέρων χειρῶν ἔκτασιν, καὶ τὸ μέτρον, ἀπὸ τοῦ τὰ γυῖα μετρεῖν.

ORIENS modò pro ea orbis parte, cui proprius præfectus Prætorio adtributus erat: modo pro diocœſi, quæ prouincias XV. continebat, Palæſtinam, Phœnicem, Syriam, Cyprum, Ciliciam, Palæſtinam ſecundam, Palæſtinam ſalutarem, Phœnicem Libani, Euphratẽſem, Syriam ſalutarem, Oſrænam, Meſopotamiam, Ciliciam ſecundam, Iſauriam, Arabiam. quanquam Guil. Tyrius Oriẽtem ex vet. auctoritate Antiochiam diœceſim appellare ſe ſcribat. lib. I. de bello ſacr. c.18. Atque hæ omnes prouinciæ ſub diſpoſitione erant viri ſpectabilis comitis Orientis, vt ex notitia Imp. Rom. apparet.

ORIGO, & progreſſus iuris ſcripti ſic habet. j. Lex XII. Tabul. II. Diſputationes decemuirorum & prudentium forenſes. III. Legis actiones, quæ omnia communi appellatione Ius ciuile dicuntur. IIII. Plebiſcita. V. Senatuſconſulta.

Origo, principium, initium, cauſſam, ortum, ſtirpem, ſemen, fontémque ſignificat. Pro ortu, hoc eſt, natiuitate origo mutari non poteſt. l. fi. §. pen. ad municip. ſequimúrque patris, non matris originem. De quo Bart. latius in l. aſſumptio. §. filius. D. ad municip. & l.2. C. de municip. & orig. lib.10.

ORIGINALIS ciuitas, prouinciáve dicitur ea, ex qua quis oriundus eſt.

ORIGINALES ſiue Originarij tit. C. de mun. & orig. municipes dicuntur origine: ſub quo tamen manumiſſio, allectio & adoptio continentur. hæc enim tria municipes faciunt. l. ciues. 7. C. de incolis. Opponuntur autem Incolis in l.4. & l.6. C. de incolis. Hinc Originaria mulier. l.7. C. de muril eg. lib.11. & originarij coloni paſſim ſub tit. de agricol. cenſ. & col. qui ex iis qui colonariæ conditioni adſtricti erant naſcebãtur quod & ſpecialiter declarat. l. cum ſatis. §. cum autem Anaſtaſiana. C. eod.

ORNAMENTA muliebria ſunt, quibus mulier ornatur: veluti inaures, armillæ, viriolæ, anuli, præter ſignatorios, & omnia quæ ad aliam rem nullam parantur, niſi corporis ornandi cauſſa. vide l. argumento. 25. §.3. D. de aur. & arg. leg. & ſuprà ſub voce Mundus muliebris. Ita nec veſtes ornamentorum appellatione cõtinentur. Itaque Tertullianus, Ornatum in cura comandi capitis, poliendæque & exornandæ curis ponit. Sic enim ille in lib. de habit. mulieb. ſcribit: Habitus, ait, fœminæ duplicem ſpeciem circumfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant. Ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, & argento, gemmis, & veſtibus deputatur: iſte in cura capillorum & cutis, earúmque partium corporis, quæ oculos trahunt. Huic obſequio deſeruientes ancillas olim mulieres alebant, quas Ornatrices vocabant, de quibus paulo poſt dicemus.

ORNAMENTVM ſacrum. l.4. C. de diſcuſſorib. libr.10. ſacrum ærarium vocat. Et ſi inuentas apud aliquos pecunias fiſcales exegerit, & ſacro ornamento intulerit, licito iure ſibi in ſingulas libras ſex ſolidos pro ſolatio retineat. Veſtiarium Græci appellant ad l.2. C. ne fiſc. vel reſp.

ORNATA iumẽta. l.38. D. de ædil. edi. inſtrata & frænis, ephippiis, faleris inſtructa. Sic Ornati aſini, apud Catonem in lib. de re ruſtic.

ORNATRICES (Vet. Gl. κοσμήτριαι) l. legatis. 65. §. ornatricibus. D. de leg.3. eæ ſunt queis ſibi mulieres comas exornant, vt dicitur in l. item legato. 49. D. eo. ſic enim eo in loco legi vult Iac. Cuiac. Feſtus, Acus qua ornatrix vtitur. Martialis:

Vnus de toto peccauerit orbe comarum
Anulus, incerta non bene fixus acu.
Deſine iam Lalage triſtes ornare capillos,
Tangat & inſanum nulla puella caput.

Harum etiam fit mentio in illo monumento Rom.

CINERIBVS CAMILLÆ ALPIONIÆ
QVIRITÆ ORNATRICI
FESTVS M. SEPTIMI GALLI
DISPENSAT.

De his item ſic Galenus in lib. de Theriaca ad Piſonẽ: Αὗται δὲ ἦσαν ἀεὶ πρὸς τὸ κάλλος αὐτῆς εἰς τὸν κόσμον τοῦ σώματος ὑπηρετεῖν ἡρμοσμέναι, ἡ μὲν ἀναπλέκουσα τὰς τρίχας εὐπρεπῶς. Hæ Ciniflones etiam dicuntur.

ORPHANOTROPHOS, ὀρφανοτρόφος, cui pueros parẽtibus orbatos alendi procuratio commiſſa eſt. Hinc apud Imp. l.30. C. de epiſc. & cler. Orphanotrophi appellantur pupillorum quaſi tutores, adoleſcentium verò quaſi tutores.

Ὀρφανοτροφεῖον, locus alendis pueris paratus, l.16. & l.18. C. de ſacroſanct. eccleſ. ab ὄρφανος & τρέφω

ORPHITIANVM Senatuſconſultum. Vide Senatuſconſultum Orphitianum.

Ὁσίας χάριν, dicis cauſſa, perfunctoriè, Modeſt. l.2. qui pet. tut. καὶ οὐ μόνον ἐὰν μὴ αἰτήσῃ, ἀλλὰ καὶ ὃν ἂν αἰτήσῃ, ὁσίας χάριν αἰτήσῃ: id eſt, Et non ſolum ſi non petierit, ſed & ſi quem petierit, dicis cauſſa petierit. Et Dio libr. hiſt.37. vbi morem illum habendi exercitus in Ianiculo, dum comitia in Campo Martio haberẽtur, expoſuiſſet (de quo Gellius li.15. c.27.) καὶ ἔτι τε καὶ νῦν ὁσίας ἕνεκα ποιεῖται, inquit: hoc eſt, idque etiam nunc dicis cauſſa, & moris veteris vſurpandi fieri ſolet.

OSPRATVRA, minutarum frugum publicè coemendarum cura: vocabulum fictum ex Græco ὄσπρια, quod varias fruges minutas, & legumina ſignificat, vt auctor eſt Heſychius, & Galenus alim. libr. j. his verbis: ὄσπρια καλοῦσιν ἐκεῖνα τῶν δημητρείων σπερμάτων ἐξ ὧν ἄρτος οὐ γίνεται, κυάμους, πισοὺς, ἐρεβίνθους, φακοὺς, θέρμους, Antiq. Lex. ὄσπριον, legumen interpretatur: & ὀσπριοπώλην, leguminarium. Arcad. l. vlt. §.2. D. de muner. & hono. Elemporia & Oſpratura apud Alexandrinos patrimonij munus exiſtimatur.

OSROENA, prouincia Orientis. l.10.10. C. de ædifi. pri. l.5. C. de cohortal. quæ regebatur per Ducem, vt patet ex Notitia Imperij Rom.

OSSA non veniunt cadaueris appellatione. l. locum. §. Prætor. D. de relig. & ſumpt. fun. vide Bar. ibid.

OSSVARIA, Græcis σορὸς, ciſtæ, in quibus oſſa defun-

ctorum recondebantur. Vlpia.l.2.D.de ſepulch.viola. Celſus ſcribit ſic eſſe monumenti, vt oſſuariam. Dicitur & Oſſuarium Caſtellano in Prouincia veteri inſcriptione, vt refert Cuiac. Iulia Fuſſinia oſſuarium viua ſibi fecit.

Ostenditiæ, vide Hoſtenditiæ.

Ostentionales milites apud Lamprid. videntur dici, qui oſtentui modò habentur in vrbibus, non bellicæ rei cauſſa.

Ostentum, ait Vlp. Labeo definit, omne contra naturam cuiuſque rei genitum, factúmque. Duo genera autem ſunt oſtentorum: vnum, quoties quid contra naturam naſcitur, tribus manibus fortè, aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria eſt: alterum, cum quid prodigioſum videtur, quæ Græci φαντάσματα vocant. l.38.D.de verb.ſig. Oſtētum autem ab Oſtendendo dicitur, teſte Cice.lib.2.de Nat.deor. his verbis: Prædictiones verò & præſenſiones rerum futurarum quid aliud declarāt, niſi hominibus ea quæ ſint oſtendi, monſtrari, portendi, prædici: ex quo illa oſtenta, monſtra, portenta, prodigia dicuntur. Vide Iſidor.lib.11.Etym.c.3.& Nonium.

Ostracismus, relegationis erat genus apud Athenienſes, cum populus teſtulis in vrnam miſſis aliquem relegabat. dicitur enim ἀπὸ τῶν ὀστράκων, id eſt teſtulis, (quæ figulinæ an oſtreorum fuerint, dubium eſt) quibus in comitiis populus nomina eorum inſcribebat, quos ob potentiam & gloriam ferre non poterat. De quib. ſic Plutarch. in Ariſtid. non ita procul ab initio: Ὄστρακον λαβὼν ἕκαστος, καὶ γράψας ὃν ἐβούλετο μεταστῆσαι τῶν πολιτῶν, ἔφερεν εἰς ἕνα τόπον τῆς ἀγορᾶς περιπεφραγμένον ἐν κύκλῳ δρυφάκτοις. οἱ δ' ἄρχοντες πρῶτον μὲν διηρίθμουν τὸ σύμπαν ἐν ταὐτῷ τῶν ὀστράκων πλῆθος· (εἰ γὰρ ἑξακισχιλίων ἐλάττονες οἱ φέροντες εἶεν, ἀτελὴς ἦν ὁ ἐξοστρακισμὸς) ἔπειτα τῶν ὀνομάτων ἕκαστον ἰδίᾳ τιθέντες, τὸν ὑπὸ τῶν πλείστων γεγραμμένον, ἐξεκήρυττον εἰς ἔτη δέκα, καρπούμενον τὰ αὑτοῦ. Hunc eundem morem obſeruaſſe & Argiui & Mileſij & Megarenſes leguntur. Eandem autem legem ab Athenienſibus tranſumentes Syracuſani, priuati eam iuris ſibi fecerunt, non teſtis, ſed oliuæ foliis nomen rei inſcribentes, & πεταλισμὸν inde, velut foliationem quandam, ἀπὸ τῶν πετάλων, id eſt à frondibus, nominantes. Similis eſt ἐκφυλλοφόρησις, per folia exactio, apud Zetzē, nomine diſcrepans, ſed in re conſentiens cuius apud Dinarchum oratorem fit mentio aduerſus Polyeuctum, quem ἐκφυλλοφορηθέντα, hoc eſt foliorum ſuffragio ab aris focíſque exturbatum, dicit.

Otiosa pecunia dicitur à Iuriſconſultis, quæ in arca iacet nec exercetur, nullum ſuo domino fructum afferens, id eſt, quæ neque in nomina, vel emptionē prædiorum collocatur. Scæuola.l.13.§.j. D.de vſur. Quæſitum eſt, an iudicio negociorum geſtorum, vel mandati pro pecunia otioſa vſuras præſtare debeat. Idem vacuam vocauit. l. quintus. 28. D. depoſ. Vlpian. in l.3.§. vſuras. D.de cont.tut. Sterilē pecuniam appellat. Plin. lib.epiſt.10. Pecuniæ publicæ & exactæ ſunt, & exiguntur: quæ vereor, ne otioſæ iaceant. Eodem autem ſenſu Græci ἀργὰ χρήματα dicūt. Demoſth. cōtra Aphobum Orat.j. δεῖ δὲ καὶ καθ' ἕκαστον ὑμᾶς ἀκοῦσαι τά τε ἐνεργὰ αὐτῶν καὶ ὅσα ἦν ἀργά. Huic opponitur Occupata pecunia. Vide Occupare.

Otiosus apud Cic. in Bruto ἀπαθῆ ſignificat, & ſedatum animum habentem. Vt ipſi Galbæ, quem fortaſſe vis non ingenij ſolum, ſed etiam animi, & naturalis quidam dolor dicentem incendebat: efficiebátque vt & incitata & grauis & vehemens eſſet oratio: dein cum otioſus ſtilum prehenderat, motúſque omnis animi, tanquam ventus, hominem defecerat, flacceſcebat oratio.

Otofredus Iuriſconſultus nobilis Bercenonti natus, ius ciuile Bononiæ publicè magna cum laude interpretatus eſt: ibidémque relictis cōpluribus de iure ciuili cōmentariis, diem ſuum obiit anno M.CC.LXV.

Ovasis, ſeu Oaſis, tam parua, quam magna, locus deſertus eſt in Africa, in quem nocentes olim relegari ſolebant. nam vtriuſque meminit Ptolemæus in tertia tabula Africæ: & Plin.lib.5.c.9. Arſinoitæ, inquit, duo ſunt hi & Memphites vſque ad ſummum delta perueniunt, cui ſunt contermini ex Africa duo Oeaſitæ. Mētio etiam eſt vtriuſque apud Q. Curtium. Et Strabo lib.17. ſcribit, Ouaſes loca habitata eſſe in magnis deſertis, quaſi inſulas quaſdam in mari. Οὐάσεις, inquit, οἱ αἰγύπτιοι καλοῦσι τὰς οἰκουμένας χώρας περιεχομένας κύκλῳ μεγάλαις ἐρημίαις, ὡς ἂν νήσους πελαγίας. Socr. in Hiſt. Ecc. lib.2.c. 28. de Georgio quodam Arriano loquens, ait eum quoſdam catholicos interfeciſſe, alios verò ſuperſtites in exilium ad magnam Oaſin relegaſſe. Euagrius lib.j. Eccleſ. hiſtor.c.7. refert Neſtorium hæreticum, edicto Imper. Theodoſij, in Oaſim relegatū fuiſſe, quam & Ibim vocari ſcribit: vt & teſtatur Plin.lib.5.c.4. ſic enim apud eum legendum, Ibis ciuitas Oeenſis, &c. Sunt & alij auctores, qui huius vocis mentionē faciant: vt iam dubitandum non ſit, quin apud Vlpianum.l.7.§. eſt quoddam. D.de interd. & releg. ſic legi debeat: Eſt quoddam genus quaſi in inſulam relegationis, in prouincia Ægypto, in Ouaſim relegare. Hinc Oaſena deportato.l.j.C.Th.de Nili agger. Vide Duaren.lib.2.Diſput.ann.c.39.

Ovibus legatis, agni, arietéſque nō cōtinentur. Ouium verò grege legato, vtrunque contineri.l.63.in fin.l.79. D.de leg.3. Paul.lib.3.Sent.tit.6.

Οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, Neque omnia, neque quouis tempore, neque ab omnibus. Vlpianus in l.6.§.3.D.de offic.proconſ.ex Imp.epiſtola, Quantum ad xenia pertinet, inquit, audi quid ſentimus. vetus prouerbium eſt, οὔτε πάντα & c. nam valde inhumanum eſt, à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum eſt, & omnium auariſſimum.

P

P. Nota in ſubſcriptionibus Cōſtitutionum. C. Iuſtiniani, & Theo. ſignificat, Propoſita, eo ſenſu, quo Data, in eiſdem libris, vt in l.j. C.de pact. conuentis.

Pp. Avg. Perpetuò Auguſtus: in fin. procemij Inſtit. vbi ſic legendum eſſe docet vetus inſcriptio, quam in Iuſti. vita ponit Hotom.

Pabvla ſunt animalium ſumptus, vt annonæ familiæ dominicæ, in l.9.C.de iu.fiſci, lib.10. quæ vulgo Capita dici ſcribit Marcellinus lib.22.& vide.l.animalia.C.de curſu public.lib.12. Hoc verbo vſus eſt & Scæuola.l. Lucius.D.de leg.3. Variè autem accipi conſtat. c.j. extrà de ſepul. quandoque pro verbo Dei, c.inter cætera.de offic.ordin. Hinc:

Pabvlare illo ſenſu.§.fi.de pact.ten.in vſib.feud.

Pacem rumpere non dicitur qui furtum facit ei, cū quo pax eſt. Bart.l.verum.D.de furt.

Παχυμερῶς, ἁδρῶς, παχέως, inquit Heſychius, id eſt craſſè, pinguiter. Hinc παχυμερέστερον in comparatiuo, pinguius, per maiores partes. Vlpia.l.7.D.de pecul. Scire autem nō vtique ſingulas res debet, ſed παχυμερέστερον. Paulus in l.14.D.de except.rei iud. pinguius Latinè dixit: Idē corpus in hac exceptione nō vtique omni priſtina qualitate vel quantitate ſeruata, nulla adiectione deminutioné ve facta: ſed pinguius pro cōmuni vtilitate accipitur. Itē in l.49.D.de re iud. Pinguius enim donatori ſuccurrere debemus, quàm ei qui verū debitum

tum perſoluere compellitur. Gellius libri 14. capite primo. Sed coniectari pauca quædam, vt verbo ipſius vtar, παχυμερέστερον nullo ſcientiarum fundo concepta.

Pacisci & tranſigere hoc differunt, quòd is qui tranſigit, quaſi de re dubia & lite incerta neque finita tranſigit: qui verò paciſcitur, donationis cauſſa rē certā & indubitam liberalitate remittit l.j.D.de tranſact. In edicto Prætoris, quo furti iniuriarúmque pacti infamia notantur, Pactum cum accipimus, qui cum pretio quantocunque pactus ſit. Cæterum ſi precibus impetrauerit ne ſecum ageretur, ad edictum non pertinet. l.j.l.6.§.pactus.D. de iis qui not.infam. l. 18. C. illo tit. eodem modo in l.18.D.de tranſact.& l.10.C.de adult.l. 4.D.de iur.fiſc.

Pactum, inquit Vlpia.l.j.D.de pact.à pactione dicitur. inde etiam pacis nomen appellatum eſt. Et eſt pactio duorum pluriúmve in idem placitum conſenſus, id eſt nihil niſi conſenſus: vt in definitione legati, donatio teſtamēto relicta, id eſt, non niſi teſtamento. Vel conuentio quæ placiti fine ſtetit, id eſt quæ neque traditione, neque ſtipulatione ſumpſit effectum. Vel, Conuentio quæ vacat nomine, & cauſſa. Vel, Conuentio quæ in nudo pacti nomine ſtetit, nec aſſumpſit aliud proprium. Alio loco idem Vlpianus pactum ita definit, vt ſit duorum conſenſus atque conuentio. l.3. de pollicit. Nec verò audiendi qui pactionis nomē latius pertinere quam pacti dicunt, ſuperiorémque definitionem pactionis eſſe, non pacti, ob idque in illam contractum cadere, cum nuſquam pacti appellatione cōtractus ſignificetur. Eadem enim pactio & pactum ſunt: Vlpianúmque poſt nominis pacti definitionem, alteram quæ pacti naturam exponeret ex arte adiunxiſſe credi par eſt. Cōtractus autem amplius quiddam eſt: duorum nempe pluriúmve in id conſenſus, ex quo contrahatur obligatio; vt & συνάλλαγμα Theophilus definit in extremo tit.de oblig. ceterique Græci Iuriſc, pactum, quod σύμφωνον vocant, fieri dicunt ἐπὶ τῷ συστῆναι, ἢ διαλυθῆναι, id eſt ad agendum aliquid vel tranſigendum: nam & tranſactio pacto fit. Contractū verò, ἐπὶ τῷ συνίστασθαι ἐνοχὴν, καὶ τὸν ἕτερον τῷ ἑτέρῳ ποιῆσαι ὑπεύθυνον. Conuentio autem, quam συμβολὴν vocant, genus eſt: nam & pacta & contractus conuentiones ſunt. Itaque idem hæc omnia poſſunt, pactum, depectio, pactio, placitum, pactum conuentum, pactum & conuentum, pactum nudum, pactum & conſenſus, pactum & condictum. In l.iuriſgentium. §. ſed cum nulla.D.eod. nuda pactio dicitur, quod alibi nudum pactum. Et quemadmodum nullibi pacta, ita nec pactiones contractus appellantur. Cic.lib.2. de Inuent, pactum definit eſſe, quod inter aliquos conuenit.

Pacta quæ modò nuda, modo conuenta, modo pacta ſimpliciter in iure ciuili appellantur, ea ſunt, quæ neque nomen certum, neque præſentem & ſubiectam negotij gerendi cauſſam habent: id eſt quæ ſola conuentione, ſolóque placito conſtant, nihilque præter nudam conuentionem habent. l.ſi tibi. C. loc. l.ſi diuiſione.C.fam.ercīſ. Nec verò quod nuda dicantur pacta, contrariæ appellationis aliam pactorum ſpeciem comminiſci oportet: ſicut quia dicūtur morbi quidam acuti, non ideo alij dicentur obtuſi, quinimo aſſerimus nullum omnino pactum eſſe, quod nudum non ſit. Legitimum pactum, pactum nudum eſt: lex contractus, pactum nudum eſt. Itaque quod additur, nudum conuentum, epithetum pacti perpetuum eſt, non διαστολὴ, quaſi ſit aliud veſtitum, vel non nudum, vel non conuētum, vel vt nihilo felicius tradidit Alciatus, iuſtum, qui in libris noſtris iuſtum pactum non animaduertit nihil aliud eſſe quam nudum, quod neque dolo, &c.l. iuriſgentium.§.ait Prætor.l.epiſtola.§.pactum.l.tale.§. j.D.de pact.l. Stichum. §. naturalis. D. de ſolut.l.cum emptor.D.de reſcind.vend.

Pacta conventa. Elegans coniunctio eſt horum verborum, vt ſcilicet alterum alterius ſignificatione ſuppleatur, & omnia tandem hominum placita comprehendantur. Sic dicimus, Dicta facta, ſignificantes omnem prorſus rem geſtam inter aliquos. l.iuriſgentium.§.Prætor ait.D.de pact. Pacta conuenta, quæ ex ſolo conuentu, vt ait M.Cic.in lib.Rhetoricorum, valent: vel quæ nihil præter conuentionem habent. l.72. D.de cōtrahend.empt.l.71.D.pro ſoc. Et Pactum propriè ex parte ſtipulantium: conuentum, cum quæ pepigerunt promiſſa ſunt, de hiſque eſt conuentum. Seneca; Nec pacta cōuentáque impreſſis ſignis cuſtodirentur. Dicitur etiam pacta & conuenta. Paul.lib.j.Sēt.tit. de pact.& conuent.& M.Tul.pro Cæcin. Quæ, inquit, iudicia, aut ſtipulationis, & pacti & conuenti formula.

Pactum à contractu ſic ſeparatur: Pactum neque nomen, neque cauſſam habet: Contractus aut nomen habet, aut ſi nomine vacat, certè cauſſam habet. Cauſſam autem habet conuentio, quæ datione vel facto ſumpſit effectum: ideóque Do vt des, contractus eſt: Dabo vt des, pactum. Ex cōtractu datur actio: ex pacto in ciues Romanos non datur actio. conſtituitur enim ex eo naturalis, non ciuilis obligatio. Sed tamen ex pacto datur exceptio, & hoc eſt quod ait Prætor, Pacta iuſta ſeruabo. Seruat Prætor, id eſt tuetur pacta datis exceptionibus. At pacta vel contractibus adiiciuntur, vel non adiiciuntur. Hæc procul dubio nunquam actionē pariunt, ſemper exceptionem pariunt: illa, quæ ſcilicet proprio nomine leges appellantur, aut ex continenti, id eſt initio contractus adiiciuntur, aut ex interuallo. Quæ adiiciuntur ex continenti non pariunt actionē, ſed formant contractum. l.cum dotem. C.de iure dot. id eſt formam & legem dant contractui: formāt ipſam actionem. l.iuriſgentium.§.quinimo. D. de pact. id eſt actionem ex ipſo contractu. Itaque ſi conuenerit ab initio, vt vēditor ſatiſdaret de euictione, qui ex natura contractus non cogitur niſi repromittere, aget emptor ex empto cum venditore vt ſatiſdet: atque ita pactum emptionē format, &, vt Latini Græcíque interpretes locuti ſunt, trāsformat, τυποῖ καὶ μεταῤῥυθμίζει. Quod ſi ab initio conuenerit, ne venditor teneretur ob euictionem, quod etiam alienum eſt à natura & qualitate contractus, proderit pactum vēditori ad exceptionē, vel etiam ipſo iure ſe tutum eſſe contendet: quādoquidem pacti exceptio ineſt bonæ fidei iudicio. l. nec ex prætorio.D.de diuerſ.reg.iur. Quæ ex interuallo fiunt de ſatiſdatione præſtanda ob euictionem actionem emptori non dant: ſed ſi agat cum eo venditor ex aliqua cauſſa, rectè excipiet emptor, Si non te mihi quoque ob euictionem fideiuſſores dare oporteat. Quæ fiunt ex interuallo de non præſtanda euictione, hæc ſtultum eſt quærere, an actionē pariant: nec enim vēditori aliter vtilia eſſe poſſunt, quàm excipiēdo, & eatenus quidē ea emptione cōtineri, vel ineſſe emptioni verum eſt. His verò pactis detrahitur emptioni, illis additur: his leuior, illis fit grauior emptionis condicio. Sed vtraque fiunt de adminiculis; euictiones enim nō perficiunt emptionem, ſed iam perfectæ emptioni ſubſidio & auxilio ſunt. At verò ſi ex interuallo pacta fiant de his quæ ſunt ex ſubſtantia contractus, vt puta re, pretio, conſenſu, quibus ſcilicet emptio perficitur, ſi res non ſit integra, nulla naſcitur actio: ſi res ſit integra, emptio tollitur mutuo diſſenſu, vel etiam reformatur, renouatur, repetitur: & hoc poſteriore caſu datur actio, non quidem ex pacto, ſed ex noua emptione. Et hæc eſt ſententia.l.pacta cōuenta. D. de cōtrah. empt.item l.iuriſgen. §. item reſponſum. & §.adeo.D. de pact. Ex Cuiacij Obſeruat.lib.2.c.15.

Pactorum quædam in rem ſunt, quædam in perſonam. In

rem ſunt,quoties generaliter paciſcor, ne petam. In perſonam,quoties,ne à perſona,id eſt, ne à Lucio Titio petam.l.iuriſgentium.§.pactorum.D:de pact.

Pacta legitima.l.legitima.C.de pact.Pactum iuſtum, ſine dolo,nec aduerſus leges.l.7.§.prætor.& l.epiſtola.l.tale.D.eodem.nec tamen aliud eſt quam nudum pactũ. Pactum tacitum.l.2.D.eod.

Pacta curialia,Zaſius in intellect.iur.ſing.in l.ſi non ſortem.l.libertus.D.de condict.indeb.

Pactum retrouendendi,quod vocant.& inter cætera pacta vulgatiſſimum eſt, dicitur, cum venditori ex conuentione conceditur ab emptore:quòd ſi ipſe vel hæredes eius voluerint quandocunque,aut intra certum tempus reſtituere precium: vt tum rem ſuam, quam vendidit, quaſi redemptam accipiat. Quo pacto in emptione & venditione redituum quotidie vtimur.l.2.C.de pact.inter empt.& vend.

Pactum vulgare.l. Bæbius. D. de pact.dot.quod inter ſe ſolerent ſocer & gener paciſci,Si in matrimonio ſine liberis filia deceſſiſſet,dos profectitia ad patrem rediret.Eadem ratione Imp.Alex.vulgare pactum dixit. l. pactum. C. de pignor.act. vt ſi intra certum tempus pecunia ſoluta non ſit,prædia pignori vel hypothecæ data,vendere liceat.

Pacti ſolatium,vide Puncti ſolatium.

Pædagogia,pro ſeruitiis puerilis ætatis accipit Vlpianus in l.quæſitũ eſt.§.16.D.de inſtruct. vel inſtrum. leg.Si inſtructum fundum,inquit,legaſſet:ea pædagogia,quæ ibi habebat,vt cùm eò veniſſet, præſto eſſent in triclinio,legato continentur.

Pædagogiani pueri,vide Caſtrenſiani.

Pæne eſt,prope eſt, parum eſt, modeſtiæ notæ A. Auguſt.lib.3.c.9.

Pagorum præpoſiti.l.49.C.Th.de decuri. l.j.C.Th.de pignorib:παγάρχοι in Nouell.

Paganus dicitur,qui miles non eſt:hoc eſt non tãtum qui in caſtris & militia nõ eſt,ſed qui omnino militiæ ſacramento non tenetur.Modeſt.tit.locat.l.ſi ignorãs, inquit, militi quaſi pagano locauerit. Verius tamen eſſe putat Zaſius, quòd priſcis Romanis paganus ille erat,qui militiæ cupiens erat, & illi cingi ſeu aſcribi volebat. Eo enim interuallo, quo id quærebat & ad militiam aſpirare tentabat, Paganus: mox militiam adeptus,miles dicebatur.Vnde Scæuola ad leg. Falc.l. ſi dum paganus erat,fecerit teſtamẽtum, militiæ tempore codicillos:Lex Falcidia in codicillis locum non habet,in teſtamẽto locum habebit. Sed receptius eſſe paganum dici omnem,qui non eſt miles,& qui eſt priuatus.A pago vel villa vocatus, quaſi homo ruſticus villaticus.Pagum autem,ait Seruius,ἀπὸ τῶν πηγῶν deduci,id eſt à fontibus,circa quos villæ condi ſolent: ſicque Paganos dictos,quaſi ex eodem fonte bibentes. Itaque pagani propriè militibus opponuntur,vt togati ſagatis,cinctíſque.Sũt autem propriè ruſtici à pagis appellati:quod domi relinquebantur, ad ruris culturam.Vigl.in tit.Inſtit.de milit.teſt. Pagani item eccleſiaſticis ſcriptoribus ſunt, qui Chriſti pietatem non colunt:& ita ſumuntur in rubr.C. de pag.Ea nempe ratione, teſte Alciato, quia Chriſti non ſint milites. Hinc Paganum peculium caſtrenſi opponitur.l. vlt.C. de inoffic.teſt.

Pagenſes, ciuitatis aut pagi eiuſdem incolæ.lib.Feud. 2.tit.68.§.2.Adhibeat ſibi de pagẽſibus ſuis, & qui per eandem legem viuant,duos teſtes idoneos. Sic Greg. Turon.lib.8.c.18.Nam Vvintrio Dux à pagenſibus ſuis depulſus,ducatu caruit.Et lib.10. c. 9. Regalis Epiſcopus cum clericis & pagenſibus vrbis ſuæ ſimilia ſacramenta dedit.Sic legis Franc.lib.3.c.43.Cancellarius tamen talis eſſe debet, qui pagenſibus loci illius notus fuiſſet.Et in c.Conſtit.vlt.Comites autem reddant rationem de eorum pagenſibus.

Παγάρχοι,apud Iuſtinianum Edicto. 15. & in Nouellis aliquoties,ſunt qui.l. 49.C. Th. de decurio.l. j.C. Th. de pigner.propoſiti pagis vocantur.Hinc l.2.C.de ſuſcep. Præpoſitura pagorum.

Pagere, pro paciſci.Nam, teſte Quintiliano, pepigi, non à pango,ſed antiquo verbo Pago, pagis, ſine N, ducitur,vt in l. XII. Tab.Ni ita pagunt, ſicut in ea re teſtis eſt idem M.Fabius lib.j.c.10.

Palam, eſt coram pluribus:Item in loco euidenti claris literis.l.palàm.D.de verb.ſign.& in l.ſed & ſi pupillus.§.proſcribere.D.de inſtit.actioñ. vide l.43.D.de rit. nupt.Alias etiam alio ſenſu ſumitur,pro loci materia, vt in quæſtione taciti fideicommiſſi palam relictum intelligitur,quod teſtamento,vel codicillis quis rogatus eſt reſtituere,non domeſtica cautione, vel chirographo.l.3.D.de iur.fiſci.

Palatini, largitionales ſeu priuatiani erant:atque in genere hoc nomine omnia officia eorum qui in ſacro palatio militant,id eſt,memoriales, agentes in rebus, apparitores diuerſorum Comitũ,largitionum, vel ſacrarum,vel priuatarũ rerum, continentur.De quibus in tit.de Palatin.ſacra.largit.Sed & miniſteriani, de quibus tit.de caſtrenſi.& miniſt. Generalem hanc ſignificationẽ comprobat.l.j.C.de priuil. eo. qui in ſacr. pal.mil.A Palatinis,inquit, tam his qui obſequiis noſtris inculpata officia præbuerunt, quàm illis qui in ſcriniis noſtris,id eſt memoriæ, epiſtolarum, libellorúmque verſati ſunt, procul calumnias iubemus eſſe remotas.Ambr.Epiſt.5.Palatina,inquit, officia omnia, id eſt memoriales, agentes in rebus, apparitores diuerſorum Comitum. Palatium pro palatinis ſæpe accipi Am.Marcel.teſtis eſt lib.4.Tuas, ait, & palatij tui auferre iubeo propediem annonas.Et eodem libro, Relicto palatio omni. Palatini tamen nomen & de iis ſpeciatim videtur dictum, qui in aula Imperatoris libellos petitionum vel aliarum rerum quæ Imperatori offerebantur,inſtruebant,vel geſta admiſſi alicuius libelli edebant.l.2.C.de pet.bon.ſubl.

Palatini panes ſeu ciuiles.l.7.C. Th. de annon.ciuic. quibuſdam dicũtur quòd è palatio erogarentur:ali tamen malũt ſic dictos,quod palatinis præberẽtur.Largitione autẽ annua diſtribui ſolebant. cuius inſtituti Conſtantinus auctor nominatur in l.j.C. de frum.vrb.Cõſtant.& l.j.C.de annon.ciuil.& apud Socratẽ libr.2.c. 13.qui ei largitioni. LXXX. prope modiorũ millia attributa teſtatur.Eorum mentio fit in l.vlt. C.de quadr. præſcr.& d.l.j.de frum.vbi iubentur panes coctidari, non autem frumentũ.item in l.vlt.§.vlt.C.de iour.dot.

Palæſtra dictione vtimur non tãtùm pro ludo ipſo, ſed etiam pro loco vbi exercetur. Vlpian.in l.ſed & ſi quid.D. de vſufr. eleganter mancipium de palæſtra, ſeruum accipit,qui palæſtræ dat operam.

Παλαιστρατιῶται.l.ſed & milites.D.de excuſ.tut.veterani.

Pali, ligna ſunt acuta,quæ in claudendis hortis, aut fulciendis vineis ſolẽt in terram defigi.Perticæ verò baculi ſunt oblongi, quibus item ad vineas plerunque vtimur.de iis.l.17.§.fin.D.de act.empt.l.59.D.de vſufr. l.56.D.de leg.3.aliàs pedamenta & ridicæ vocantur.l. 10.D.de vſufr. Nec verò pali lignorum appellatione continentur,ſed in numerum materiæ redigendi ſunt. l.pali.168.D.de verb.ſig.l.pali.D.de leg.3.l.inſtrumenta.de fund.inſtr.Idem & de pertica dici debere ibidem obſeruatur.

Palaris ſylua, ex qua pali ſumuntur. l. 9. D. de vſufruct.

Palea ſine dipthongo,ceu titulus præponitur quibuſdam capitibus Decretorum Gratiani, quod ſcilicet hæc additia ſint, nec à Gratiano primitus illi libro inſerta,ſed ab interpretibus prout cuique cõmodum

videbatur, ad marginem Gratiani adſcripta, & plerunque in emẽdatioribus & antiquioribus exemplaribus omiſſa. Cui rei fidẽ facit quod refert Ant. Cont. in emendatiõne Decret. Gratiani, qui ſe antiquũ Gratiani exemplar habuiſſe teſtatur, in quo pleræq; eiuſdem paleæ deſunt. Sunt qui hanc dictionem per diphthongum ſcribendam cenſeant, & deduci velint à voce παλαιὸς, hæcque quaſi παλαιὰ, id eſt antiqua nuncupata.

Paleæ verbo follicula granorum continentur, l. fin. §. fin. D. de ſeruit. & aqua.

Πάλιν in l. veluti. D. de edend. ſignificat, iterum, ſed ita vt ad inſequentia quoque tempora pertineat.

PALLIVM, ait Iſidorus lib. 19. ca. 24. eſt, quo miniſtrantium ſcapulæ conteguntur, vt dum miniſtrant, expediti diſcurrant. Plaut.

Si quid facturus es, appende in humeris pallium.

Dictum autem pallium idem ſcribit à pellibus, quia prius ſuperindumento pelliceo veteres induebantur: ſiue à Palla per deriuationem Græcorum autem hoc proprium erat: vnde & Palliatæ comœdiæ. Quoniam autem in humeris appendebatur & adiiciebatur, ἐπίβετον dictum, & dicti olim Chriſtiani Græci ἐπίβετοι ab hæreticis, quòd eo veſtimẽti genere vterẽtur, & quod omnibus dicerentur, vt fingebant, imponere. Pallium autem apud Pontificios ſumitur pro inſigni ornamento Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, cap. 1. de aucto. & vſu pallij.

PALLIARE μεταφορικῶς ductum verbum ſignificat tegere turpe factum, ſic ſumitur in ca. niſi ſpecialis. extra illo titulo de vſu pallij, & vide ibi bonam gloſ. in verbo, Palliare.

PALMA, non finis eſt laboris, ſed victoriæ ſignum, & victoria ipſa, vt in l. j. C. de princip. agent. in rebus. lib. 12. vnde palmata toga, à palma in ea intexta, inquit Budæus, proprie triumphantium fuit: quam merebantur hi, qui de hoſtibus palmam reportaſſent. Aliàs pro dactylo ſumitur, & inter dulcia numeratur à Iuriſcoſ. cum ait: Item vuas, ficus, palmas, caricas, l. vlt. de trit. & vino legat.

PALMATI equi in l. j. C. de grege dominic. ſiue Palmatij, ſunt quos vulgo Baios vocamus, Alciato ibidem teſte. poſſe etiam intelligi equos Palmatos idem ſcribit, quibus vtebantur aurigæ in Circo, à palma.

PALMARIVM, victoria. Vlpia. ex Imperatoris reſcripto in l. j. §. 5. D. de extra. cognit. Si verò poſt cauſſam actum eſt, honoraria ſumma peti poterit vſq; ad probabilem quantitatem: etſi nomine palmarij cautũ ſit.

PALMATI equi, l. vnic. C. de grege domin. ab agitatore ſic dicti, vt vult Alciat. ex Græco interprete: vel quod eſſent triumphantium & victorum, vt Cuiac. ſicut palmatæ tunicæ.

PALMVS, menſuræ genus. Eſt autem duplex, inquit Budæus. Maior 12. digitorum, Græcè Spithame vocatur, & Latinis etiam Dodrans: Minor digitorum quatuor, Palæſtes Græcè dicitur. Frontinus li. de limitibus agrorum ſcribit Palmum habere digitos quatuor, vncias tres: quod Theodoſius & Neuterius probant.

PANCARPVM, ſpectaculi genus, quaſi omnium arborum fructibus cõcinnata ſylua, apud Imp. in Nouel. de cõnſulibus. §. ac primus quidem. Vetus interpres ſyluã exponit: qua ratione & chamæleo niger dictus forſitã ſit παγκαρπὸν, vt ad Dioſcorid. Græci quidam adnotarunt, ex varietate colorũ, & oraculo quodã cũ Dianæ iuberetur Neleus ſtatuam erigere ἀπὸ παγκαρπῶν ξύλων, erexit è quercu, in qua offenderat multos varióſque ſuſpenſos fructus, vt interpres Callimachi ſcribit. Appellatur à Sophocle in Oedipo Tyrã. laurus παγκαρπός.

PANCRATIVM, παγκράτιον Plutarchus in Sympoſio lib. 2. cap. 4. certamen eſſe mixtum ſcribit ex pugilatu & lucta ὅτι γὰρ, inquit, μέμικται τὸ παγκράτιον ἔκτε πυγμῆς καὶ πάλης, δῆλον. Ariſt. lib. 1. Rhet. Qui poteſt premere ac fortiter tenere, ad luctam eſt idoneus: qui ictu longè à ſe repellere, ad pugilatum: qui vtrunque, ad pancratium. Sic Plato lib. 5. de legib. παγκράτιον ἀσκηκὼς, ἢ πυγμὴν, ἢ πάλην. Qui in pugili certamine, aut lucta, aut vtroque ſimul ſe exercuit. Pancratium itaq; ludus erat, qui in puluere fiebat, recto ſtadio inuicem percutientium. Budæus in priori annot. ſic dici vult quod aduocatis omnibus corporis viribus, omniúmq; neruorum contentione tranſigitur. De Pancratio & Pancratiaſtis Gellius lib. 12. ca. 16. ex Panætij libro: Oportet animo ſemper eſſe prompto, atque intento, vt ſunt athletarum, qui Pancratiaſtæ vocantur. nam ſicuti illi ad certandum vocati, proiectis altè brachiis conſiſtũt, capútque & os ſuum manib. oppoſitis, quaſi vallo præmuniunt: membráq; eorum omnia priuſquam pugna mota eſt, aut ad vitãdos ictus cauta ſunt, aut ad faciendos parata: ita animus, &c. Item Vlpia. l. 7. §. 3. D. ad leg. Aquil. Si quis in colluctatione, vel in pãcratio, vel pugiles dum inter ſe exercentur, alius aliũ occiderit, &c. Iulius Pollux videtur intellexiſſe dici Πάμμαχοι quoq; de Pancratiaſtis: nam poſtquam de iis loquens, eorum deſcripſit ἔργα, addit: Ἐπὶ δὲ τούτων εἴποις ἂν, ὡς εἰσὶ πάμμαχοι, καθάπερ Πλάτων τὸν περὶ τὸν Εὐθύδημον· τοῦτο ἀρεστὸν κομιδῇ παμμάχῳ, κατὰ τοὺς ἀκαρνᾶνας τοὺς παγκρατιαστάς. Hos, inquit, omni certaminis genere vtentes poſſis dicere, ſicuti Plato Eutydemum: Hoc admodum placet omni certamine vtenti, ſecundum Acarnenſes pancratiaſtas.

PANDECTÆ dicuntur ἐκ τοῦ τὸ πᾶν εἰς ἓν ἀθροισθὲν ὑποδέξασθαι: & Digeſta, vt Græcè ϛρωματεῖς, vel potius vt ipſe Iuſtinianus ait, vt iuris antiqui διαιρέσεις καὶ διαλυτώσεις. Πανδέκτης autem maſculini formam habet: omnes tamen in fœminino efferunt genere: corruptè. Et in tit. Indicis Iuriſconſultorum, qui Pandectis Florentinis præponitur, in maſculino genere effertur, τοῦ πανδέκτου.

PANIS GRADILIS in rub. C. Theod. de anno. ciuicis & pane gradili, dicitur qui è gradibus, qui in vnaquaque regione vrbis erant ad priſtina, vt conſtat ex deſcriptione antiqua vrbis, præbebantut populo. Prudentius aduerſus Symmachum:

Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis.

Sic Gradile tẽpli, dixit opinor Am. Marcell. lib. 23. pro gradibus. Vide Turneb. Adu. lib. 26. cap. 34.

Panes Palatini, vide Palatini panes.

Panes militares, ſeu ciuiles, & populares, l. 7. C. Theod. de anno. ciuil. ex quibus locis diſces qui ſint panes ciuiles.

PANNARIOS dicunt Iuriſconſulti, pannorum venditores. Vide Rhodig. c. 12. lib. 6.

PANNICVLARIA bona, inquit Vlpi. l. 6. D. de bo. dan. ſunt ea quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit ſpolia, vt & ipſa appellatio oſtendit: non omnia tamẽ, ſed veſtis qua is fuerit indutus, & nummuli in ventralem (ſic enim legi debet) quos victus ſui cauſſa in promptu habuerit, aut leues anuli, id eſt qui rem non excedunt aureorum quinque.

PANORMITANVS Iuriſconſ. nobilis nomen habuit Nicolai, natione Siculus fuit, vir acutus & ſagax, vt Siculus: ſed cùm Senis iura perdiu profeſſus eſſet, tandem Archiepiſ. Panormitanus factus, circiter annum M. CCCCL. è vita migrauit.

PANTHERA, πάνθηρα, pro vniuerſo aucupio, & eo quicquid auceps capit. Vlpian. l. 11. §. 11. D. actio. empt. Veluti cum futurum iactum retis à piſcatore emimus, aut indaginem plagis poſitis à venatore, vel pantheram ab aucupe. Quidam pro Pantheram, Panthera in accuſ. ſing. legi malunt, à nominatiuo Pãther cuius meminit Varro li. 4. Ling. Lat. retis genus eſſe ſcri-

bens. Alias autem Panthera, animal eſt ferum & maculoſum, de quo l.2.D.ad leg. Aquil.

PANTOMIMVS, παντόμιμος hiſtrio, qui quáuis perſonam effingit atque imitatur. Iulianus l.27. D.de op.lib. Si libertus arte pantomimi exerceat, verum eſt debere eum, non ſolùm ipſi patrono, ſed etiam amicorum ludis gratuitam operam præbere. Item in l.25.D.eo. Item Vlp.l.43.in fin.de act.empt. Planè ſi in tâtum precium exceſſiſſe proponas, veluti ſi ponas agitatorem poſtea factum, vel pantomimum. Pantomimus itaq; aliud nihil erat quàm hiſtrio. Mneſterem enim illum in hac arte ludicra nobilem, pantomimû & hiſtrionem promiſcue appellari videmus à Seneca in ἀποθεώσει Claudij; & à Suetonio in Caligula cap.36.& à Tacito lib.11. Caſſiodorus lib.4. Variarum Epiſt.vl. Pantomimo igitur, cui à multifaria imitatione nomen eſt, cû primum in ſcenâ plauſibus inuitatus aduenerit, aſſiſtunt conſoni chori diuerſis organis eruditi: tunc illa ſenſuû manus oculis canorum carmê exponit, & per ſigna compoſita, quaſi quibuſdam literis edocet intuentis aſpectum: in illáq; leguntur apices rerum, & non ſcribendo facit, quod ſcriptû declarauit. Idem corpus Herculem deſignat & Venerem, fœminâ præſentat & marê, Regem facit & militê, ſenem reddit & iuuenem: vt in vno credas eſſe multos tam varia imitatione diſcretos. Sudas hanc mollem & effœminatâ pantomimorû geſticulationê Tiberij temporibus prodiiſſe teſtatur: ipſi tamen Tiberio totam hanc artem tandem ita diſplicuiſſe, vt Roma pantomimos eiecerit, ſcribit Dio lib.57. Nobiles in hac arte numerantur Mneſter, Pylades, Batylus, Hylas & Paris, de quo l.3.§.Neratius.D. de condict.cauſ.dat.

Πάπας Græcis, Latinis pater, Pontifex maximus, cui Papæ nomen nonnuper, ſed iam olim ab omnibus Orthodoxis impoſitum conſtat, quod & teſtimonio B. Ignatij tertij poſt B. Petrum Apoſtolum Antiochiæ epiſcopi comprobatur. Is enim Epiſtola 1. πρὸς Μαρίαν, ait, ἤκουον περὶ σοῦ ἔτι οὔσης σοῦ ἐν τῇ Ῥώμῃ παρὰ τοῦ μακαρίου Πάπα Ἀνακλήτου. Alij tamen ab Patris patriæ titulo hoc nomen deductum volunt, è quo priores tantum ſyllabæ ſint deſumptæ.

PAPIA Poppea lex quid iubeat, à quo lata, & quibus Coſs. vide in Catalogo legum antiq.

PAPINIANISTÆ dicebantur, qui biennium in legum ſtudio verſati, tertium etiam adiungebant. Impar.ad Anteceſſ. Ne autem tertij anni auditores, quos Papinianiſtas vocant, nomen & feſtiuitatem eius amittere videantur, &c. Hic autem dicebantur, quod eis Papiniani librorum lectio proponeretur.

PAPYRVS (auctore Plinio) naſcitur in paludibus Ægypti. Eſt frutex, ex quo chartam faciebant. Vnde iam nunc Papyrum dicimus fœminino genere, qua nunc vtimur, & vide l.ligni.D.de leg.3.

PAR, eſt quod inter omnes æquabile eſt: ait Cicer.lib.de Inuent.2. ſimiles cauſſas ſignificans, de quibus agitur in l.12.& l.13.D.de legib.& ſen.

Par, pro æquo, l.ſeruo.C.de rei vind. pro ſimili & æquali, in l.ſi ſtipulatus.de verb.oblig. Et quomodo accipiendum ſit, latius declarat Bart.in l.qui concubinâ. §.qui quatuor.D.de leg.3. quid verò iunctû genitiuo ſignet, Bald.explicat ibidem. Quamuis par, & ſimilis differre videntur. Quintil.cap.10.lib.1. Mihi, inquit, egregiè dixiſſe videtur Seruius Nouianus, pares eſſe magis quàm ſimiles. de Salluſtio & Liuio loquens.

Par imperium non habet collega cum collega, ſed idem no.de manumiſ.l.apud eum. Nec par in parem habet imperium, l.ille à quo.§.tempeſtiuum. D.ad Trebell.l. nam magiſtratus.de arbitr.

Parem rationem facere, l.fin.D.de dol.except.

Pares têpore, ſunt & iure pares, l.aliena.§.1. D.pign.actio.

PARIA facere eſt, tantûdem in expenſi paginam referre, quantum in illam accepti relatum erat: quod cû fit, quadrare rationes Ciceroni dicuntur, Verrina 3. Quomodo, inquit, D.C. eodem modo quadrarint, vt illa Cn.Carbonis ſexcenta facta, &c. QVADRARINT inquit Aſconius, ſolida facta ſint, vt neque plus quic, quam, neque minus inueniatur in ſumma. Scæuola l. 40.§.5.D.de ſtatu lib. Si Dama ſeruus meus actus ſui rationes reddiderit, pariáque fecerit, &c. Item apud Calliſt.l.5.§.10. D.de iur.immunit. Niſi ſi paria fiſco feciſſe dicantur. Columella lib.1.cap.8. de villico loquês: Néve negocietur ſibi, pecuniámque domini aut animalibus, aut reb.aliis promercalibus occupet. hæc enim negociatio curam villici auocat, nec vnquâ patitur eum cum rationibus domini paria facere. Sed vbi numeratio exigetur, rem pro nummis oſtendit.

PARIARE, paria facere: quod tum fit, cum expenſi rationes cum accepti rationibus quadrant, paréſq; ſunt. Vlp.l.4.§.1.D.de manum. Proinde etſi ei nummos prorogauit emptor, cum ei pariauerit, poterit ad libertatem peruenire. Hinc,

PARIATIO, ſcriptura qua rationibus redditis ſatisfactum eſſe creditori aut domino appareat, & qua quadrare rationes cauetur. Scæuola l.vlt.§.3. D.de condi. ind. Idem quæſiit, an pactû quod in pariationibus adſcribi ſolet in hunc modû, Ex hoc côtractu, &c. Hinc,

Pariator, qui ſic rationes retulit, vt expenſa paria ſint acceptis. nam ei Reliquator opponitur. Paul.l.81.D.de condit.& demon. An Sticho mortuo antequam rationes redderet, vel pariatore, vel reliqua habente libera eſſet mulier.

PARABOLANI, qui ad curanda debilium corpora deputantur, l.42.43. C.Th.de epiſcop.& cler.l.18.C.Iuſt. eod. illinc ſumpta. Verbum autem ipſum videtur effictum à voce Græca παράβολος, qua denotatur homo proiectæ audaciæ, & ad pericula adeunda præceps & temerarius. Vnde Plutarchus de Cæſare, τῶν τολμημάτων τὰ παράβολα καὶ μεγάλα πράττειν ἔφη δεῖν, ἀλλὰ μὴ βουλεύσασθαι. id eſt, dicebat in rebus dubiis, magnis, & proiectis accelerandum, nec deliberandum. Hi enim parabolani contempta vita id muneris ſuſceperant, vt qui ægrotos publicè in Alexandrina ciuitate curarent in noſocomiis, nulli non periculo ſe exponendo: adeo vt graſſante (vt non rarò aſſolet) peſte, & ipſi raperentur. Paraboli autem nomine vſus eſt Caſſiodorus lib.11.trip. Dum aliquo, inquit, tempore in amphitheatro Conſtantinopoleos ſpectaret, cœpit clamare populus, Crudeli beſtiæ artifex parabolus pugnet. Quod Græcè ſcriptum eſt à Socrate, his verbis: κυνήγια δὲ ποτε ἐν τῷ ἀμφιθεάτρῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπιτελοῦντος αὐτοῦ, ὁ δῆμος κατεβόα δεῖν ἕνα τῶν εὐφυῶν παραβόλων μάχεσθαι.

Παραχαράκται, l.8. C.Theod.de falſ.monet. ſunt falſi monetarij. de quibus Sudas, καὶ νῦν εἰώθασι λέγειν παραχαράκτας, &c.

PARACHLAMYS, veſtimenti genus, non modò militare, vt apud Plaut.in Perſa, ſed etiam puerile, Vlpian. in l.veſtis.de aur.& arg.legat. Alciatus de veſt.holob. in l.1.lib.11.

Παραδιάζευξις, l.pen.C.de verb.ſignif. dicitur quoties quid ita disiungitur, vt tamen coniunctim intelligatur: qua loquendi forma etiam παρασιώπησις dicitur, cum quid ita reticemus, vt tamen tacitis nobis intelligatur. Alciat.d.l.pen. συνάφεια, legit. ſed corruptè.

PARADOGVM, barbarum, & Langobarticum vocabulum, feudi nobilitatem ſignificat: quemadmodum ignobile feudum pædagogum vocitabatur, iuxta Bal. & Aluar. teſte Barone Tautembergio lib.2.feud.

PARAGAVDÆ faſciæ dicuntur fuiſſe vel aureæ vel ſericæ auro ornatæ, quæ veſtibus intexerentur, non vt inſtitæ adſuerentur, l.2. C.de veſt.holob. Nemo auratas

habeat

habeat aut in tunicis, aut in lineis paragaudas. At l.3. eod.tit.videntur genus veſtimenti eſſe virilis, vt plurimum linei, quod ſub alia veſte gerebatur, vinctum nunc vnico nexu, nunc pluribus loris, auratis fortaſſe. Hinc Vopiſcus in Aureliano, alias monolores, alias dilores, alias trilores & pentelores facit, pro numero intextorum filiorum aureorum, quæ videntur lora appellaſſe, vel intexturam ipſam potius. Auratas tamen etiam fuiſſe & ſericas, auro intextas phrygio ſiue barbarico opere, d.ll.docet. Nec verò hæ pluris erant quã holoberæ libra enim auri tunc libra ſerici erat, vt Vopiſcus ſcribit in Aureliano, & in leg. Rhodia, ὁλοσηρικὰ ἴσμια τῷ χρυσίῳ. Paragaudarum meminit Pollio in Claud. Albam ſub ſericam paragaudem triuncẽ vnam. Flau. Vopiſcus in Aurel. Cum darentur tunicæ ſubſericeæ lineæ paragaudæ. Item in eodem: Paragaudas veſtes ipſe primus militibus dedit: cum antea non niſi rectas purpureas accepiſſent, &c. Idẽ in Probo: Huic dari iubebis interulas paragaudes duas. Paragauda autem verbum volunt quidam deduci à verbo γαυδᾶν, quod Heſychius λάμπειν interpretatur, quod qui iis veſtibus vterentur παραγαυδᾶν, & ſplẽdidè ſeſe oſtentare ſolerent, n, in u, corrupte mutato. Alij è Græco & Latino cõpoſitum, vt quoddam ornamentum & gaudium veſtis intelligatur. Alij deniq; quòd limbo paragauda & margini veſtis eſſet vicina, velut paracaudã, id eſt iuxta caudam & oram veſtis, interpretantur. Vide Turn. Aduerſ.lib.9. cap.11.

PARAGIUM in his duobus Feudorum libris nuſquam nominatur: ſed tamen feudale verbum & notatione dignum eſt. Paragium igitur barbarice dictum arbitratur Hoto. pro pariatione, & ea quã Feudiſtæ Adæquationem hæreditatum appellant: vt ſuperius ſuo loco dictum eſt. Et ſi autem propter ætatis prærogatiuam ſenſim moribus quibuſdam inſtitutũ eſt, ne partes æquales fratribus diuiderentur, ſed natu minoribus minores attribuerentur, tamen vt aliis quibuſdam in rebus re ſublata nomen retentum eſt, l. inſula. 56. in fin. D. de acquir.rer.dom. Vide Summam Ruralem & Conſuetud. Normã. Paragij iure ac titulo feudum poſſidere dicitur, qui eiuſdem gentis ſiue ſtirpis eſt, cuius is à quo feudum poſſidet: quippe cum feudum à communi ipſorum generis auctore, ac parente profectum ſit: velut in Nortmãnia, vbi in paternorum feudorum ſucceſſionibus filius natu maximus percipui iure magnam ſibi partem aufert, nimirum beſſem: cæteris omnibus triens relinquitur, iſque paragij iure poſſideri dicitur. Nam in feudi ſucceſſione pares ſunt, quãuis natu maximus maiorem partem auferat. ſed alij pari cum ipſo iure, & titulo æque nobili poſſident: & ſtirpe ac genere pares ſunt. Iure tamen conſtitutũ eſt, vt natu minor paragij nomine feudum ſuum à maiore poſſideat vſque ad gradum ſextum. Nam poſteriores tenentur fidelitatẽ & hominium ei qui beſſem obtinet, iurare ac tum non paragij, ſed homagij nomine poſſidetur. Quibus ex verbis perſpicuum eſt, Paragium eſſe titulum, quo feudi pars minor à fratribus natu minoribus, eorúmve poſteris ita poſſidetur, vt maiori fratri maiorem partem obtinenti eo nomine neque fidelitatem, neque hominium debeant: quippe qui pari iure ſtirpis, & pari titulo paternæ auitæve hæreditatis id obtineant: dummodo intra ſexum genealogiæ gradum contineantur.

PARAGRAPHUS id proprie dicitur, quicquid ſub vna ſententia clauditur: ait Marcianus Coſſias antiquus Pandectarum interpres in illum locum, verſuum tricies centena millia: Verſuum, inquit, id eſt, paragraphorum: Paragraphus, id eſt, &c. Obiter autem notandum eſt à Græcis hoc nomen in fœminino genere efferri, contra quam ab omnibus Iuriſconſultis vſurpetur. παράγραφος quidem vtrunque genus admittit, quoties eo nomine Græci ſine adiectione vtebantur, non dubium quin τὴν παράγραφον dicerent, ſubaudientes γραμμὴν.

PARANGARIÆ, ſumptus, aut labores agendi ferendíve alicuius cauſſa à principe impoſiti, cùm non per viam curſúmve publicum, ſed aliouerſum iter ſuſcipitur. ſub Rub. C. de curſu public.angar. & parangar. Vide, Angariæ.

Παραπίτ{\ae}υμα, id eſt teſſera, quæ & πιττὸς & πίτ{\ae}υμα dicitur, l.2. C. de anno.ciuil. ſic enim ibi legendum, non peritteumatis.

PARAPHERNA, παράφερνα, iũcto ex παρὰ & φέρνὴ nomine, dicuntur ea quæ præter dotis cauſſam ad viros deferuntur, id eſt res vxoris extra dotem conſtitutæ, vel res quas vxor in domo mariti in vſu habet. Vlpian. l.9.§.2.D. de iure dot. Dotis autem cauſſa accipere debemus ea, quæ in dotem dantur. Cæterùm ſi res dentur in ea, quæ Græci παράφερνα dicunt, quæque Galli peculium appellant, videamus an ſtatim efficiantur mariti. Sic l. donationes. §. ſpecies. D. de donat. Exemplum apud Liuium extat in libro 26. de Scipione Africano, qui capta Carthagine, virginem nobilem Allucio adoleſcenti Celtiberorum principi deſponſatam, ita reddidit, vt pecuniam ad illam redimendam à parentibus allatam adiiceret: Super dotem, inquiẽs, quã accepturus à ſocero es, hæc tibi à me dotalia dona accedant. aurúmque tollere, ac ſibi habere iuſſit. Cicero Philipp.12. His quaſi præter dotem quam in ciuilibus malis acceperunt, agrum Campanum eſt largitus Antonius. Conſtantinus Harmenopulus ἐξώπροικα vocat.

Παραπλεῖν, l.19.§.2.D. de iudic. eſt nauigio præteruehi, & diſtinguitur is qui παραπλεῖ, à Viatore, qui ſuis pedibus iter facit: item ab eo qui tranſuehitur, equo ſcilicet.

Παραπομπικὰ, Nouell.128. & l.14. C. de diſcuſſ. quæ Græca eſt, ſumptus dicũtur prouincialium in ſpeciebus tranſmittendis ad arcam præfecti Prætorio, quæ & ἀναπομπικὰ dicũtur. hoc nomen retinuit Iulianus Patritius eadem Nouel. §. καὶ τοῦτο. Haloander vertit tranſmiſſoria.

PARAPSIDES, acetabulum, quod ad apſides accedebat, id eſt vaſculum infundendo aceto, in quod intingerent cibum ſumentes paratum. Heſychio ὀξυβάφιον eſt, & τρυβλίον: & τρύβλιον Moſcopulo ὀξύβαφον ἀγγεῖον, Latinorum Gloſſæ: Parapſis inquiunt acetabulum maius & ſuffuſorium. Horum fit mentio l.19.§.3. D. de aur. & argen.leg. Et Iſidorus forſitan malè, Parapſis, quadrangulum & quadrilaterum vas, id eſt paribus apſidibus.

PARARIUS. προξενητὴς, qui nominibus faciendis interuenit, conciliator interceſſorq; interemptorẽ & venditorem. Senec.lib.2.ca.22. de Benefic. Quidam nolunt nomina ſecum fieri, nec interponi pararios, nec ſignatores aduocari, nec chirographum dare. Budæus.

Pararium æs appellabatur id quod equitibus duplex pro binis equis dabatur. Feſtus.

Parariis interpoſitis nomina facere. Seneca de Benef. libro 3. cap.15.

PARASANGA, paraſangæ, παρασάγγης. Paraſangæ, inquit Feſtus, apud Perſas, viarum mẽſuræ ſunt. Budæus triginta ſtadia continere dicit. Plin.lib.6.ca.26. Inconſtantiam menſuræ diuerſitas auctorum facit, cum Perſæ quoque ſchœnos & paraſangas alij alia menſura determinent. Herodotus libro 2. de Ægyptiis loquens, Quotquot enim inopes ſoli ſunt, ij terram ſuã orgyis metiuntur. Qui verò minus inopes ſoli ſunt, ſtadiis. Qui autem latifundia habent, paraſangis metiuntur. Conſtat autem Paraſanga triginta ſtadiis. Schœnus autem, quod ipſum verbum eſt Ægyptiacum ſexaginta.

PARASCENIA, ſunt ab vtroque latere ſpatia in ſcena: nam ſcenam nonnulli interpretantur medianam theatri portam: Proſcenium locus erat ante ſcenam parapetaſmáque, ſiue velum, aut item pulpitum: vnde per adagium dicimus proſcenia, quæ ſpecioſa extrinſecus videtur, cum mira intus lateat fœditas, ſicut meretricula Nannium nomine apud Athenæum proſcenium dicta eſt, quòd veſtium & auri cultu plurimo ſpecioſa videbatur, cum exuta foret vel turpiſſima. Cælius lib.8.cap.8.

PARASCEVE, paraſceues, pen.prod. fœ.gen. παρασκευή. Apparatus à verbo Græco παρασκευάζω, quod eſt præparo, deducitur. Vnde & dies quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus, pro humani generis ſalute cruci affixus fuit, paraſceue dicitur: quoniam in eo Iudæi ſibi neceſſaria ad victum ſequentis diei præparabant, vt Paſchæ dies abſque operatione aliqua tranſigere.

PARASITVS, paraſiti, pen.prod. παράσιτος, ἐπιτραπεζίδιος. Qui aliorum menſas & cibaria ſequitur: quíque ad voluntatem eius, in cuius contubernio ſit, omnia loquitur, & facit, nihil repugnans, cibi & ventris gratia, à quo nomen habet. nam παρὰ apud Græcos, ad ſignificat: σιτίον cibus, σιτεία ſagina. Qualis ſit paraſitus declarat Terentius Eunucho, 2.2. Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt, &c.

Paraſiti, ſcorta vocati: cuius rei ea cauſſa eſt, quia in conuiuiis cum more Græco ſolerent talis ſortiri vices bibendi, talos mittentes ſcorta inuocabant ſua, ſuáſque amicas fauſti ominis cauſſa. Quia igitur paraſiti inuocati, id eſt non vocati venire in conuiuium ſolebant, cùm eſſent patinarum affectatores, ab illa inuocatione ſcorta appellari cœpere. Itaque apud Plautum in Truculento, cum dixiſſet Truculentus adoleſcens, *Vel amare poſſum, uel etiam ſcortum ducere.* Reſpondet Aſtaphium, *Lepidè mecaſtor nuntias: ſed dic mihi, Ain paraſitum te poteſſe ducere?* Qui verſus ſatis indicat paraſitos ſcorta vocatos fuiſſe. Turneb.

Paraſiti verbum apud vetuſtiſſimos honeſtum fuit: paraſitique vocabantur comites, ſodaléſque Pontificum & magiſtratuum, vt docet Athenæus libro 6. Solon ſic eos appellauit, qui in Prytaneo publico victu epulabantur, auctore Plutarcho.

Παρασυνάξεις, conuentus, coitiones, conuenticula hæreticorum, l.8.C.de hæreticis, & Manich.

PARATITLA, argumenta & quaſi ſummæ tractatuum, ad quemque titulum ſeu rubricam appoſitæ, vnde fieri de toto tractatu cõiectura poſſit: quaſi cauſſæ quædam coniectio. Imp. de concep. Dig. §.9. Sed ſufficiat per indices tantummodo & titulorum ſubtilitatem, quæ παράτιτλα nuncupantur, quædam admonitoria eius facere, nullo ex interpretatione eorum vitio oriundo.

PARATVS ſoluere dicitur, qui numeratam fert pecuniam. argum. §.ſi quis paratus. l. Prætor. de operis noui nuncia. Paratum autem ab empto quid differat, vide Emptum & paratum.

Παρατατικῶς, ἐκτεταμένως, vt ait Heſychius, id eſt extenſiuè, vt ita loquar: non preſsè, non anguſtè, ſed laxè, & ſolutè: denique id ipſum quod alibi Iuriſconſulti dicunt ἐν πλάτει. Iulia. l.j. D. vnde legit. Hæc verba edicti: Tum quem ei hæredem eſſe oporteret, ſi inteſtatus mortuus eſſet. παρατατικῶς, & cum quodam temporis ſpatio accipiuntur. Vlpia. l.2. D. quib. ex cauſſ. in poſſ. Hæc verba, defenderetur, παρατατικῶς ſcripta ſunt, vt neque ſufficiat vnquam defendiſſe, ſi non duret defenſio: neque obſit, ſi nunc offeratur.

PARAVEREDI, l.2. & 21. C. de curſ public. Caſſiod. libro 8. Varia. ſunt maiores agminales equi: quos poſteriores Pærafredos vocarunt. vt in lege Baiuuariorum: Parafredos donent, aut ipſi vadant vbi eis iniunctum fuerit. Gallis *un Paleſroy*, vt & Italis & Hiſpanis. Parhippi vocantur à Græcis ad l. vlt. C. de curſu publ. lib. 12. & à Caſſiodoro 4. & 5. Variarum, & à Iuliano in epiſtol. ad Aetium.

Παρεγχείρησις, apud Quintilianum, eſt (vt ſcribit Turn. Aduerſ. lib. 12. cap. 11.) cum vel præter orationem, vel declamationem, huius tantum vel illius cauſſa, vel orator vel rhetor de ordine capitum, diuiſione cauſſæ, collocatione & diſpoſitione apud ſe exigit & peruestigat, aut diſcipulos inſtituendo quæſtiones & capita docet, & vltra eos qui idem argumentum tractarunt, excogitare aliquit conatur. Quod enim id præter vel orandi, vel declamandi officium & munus ſit, & aliquid præter alios excogitandi labor ſuſcipiatur, παρεγχείρησις vocatur, velut conatus quidam & aggreſſio præter legitimum opus. Atque in ea capitum & quæſtionum perueſtigatione & ordinatione, 7. Quintiliani lib. conſumitur. Eſt & Parenchireſis, cum argumentum & negotium ab alio tractatum, alius ſibi ſcribendum aſſumit, vt apud Cic. lib. 15. ad Attic. epiſtol. 4. De oratione Bruti prorſus contendis, mecúmque iterum tàm multis verbis agis. Egóne vt eam cauſſam, quam is ſcripſit? ego ſcribam non rogatus ab eo? Nulla παρεγχείρησις fieri poteſt cõtumelioſior. Eodem modo & Themiſthius Parenchireſes appellat, cum quid ſecus quam alij dicimus, aut prætermiſſum ſcribimus, τὸ, τοῦ σμικρῶν ἕνεκα παρεγχειρήσεων, ὁλοκλήρους καταβάλλεσθαι πραγματείας, ὅμοιον ὥσπερ τὴν Ἀθηνᾶν βουλομένῳ μετακινεῖν τῶν Φειδίου, ὅτι τὰ δεσμὰ τοῦ κυνείδος ᾤετο ἀμείνω ποιήσειν.

PARHIPPVS, l.4. C. de curſ. pub. qui ſupra numerum euectionis equos publicos vſurpat. Parhippum eum videri & habẽdum eſſe, ſi quis vſurpato vno vel duobus veredis, quos ſolos euectio continebit, alterũ tertiúmve extra ordinem commoueat. Alias Parauteredum denotat, vt iam diximus.

Πάρεδροι Præſidum, hoc eſt, qui magiſtratus in publicum prodeuntes apud Græcos quoque præcedebant, falſò intelligunt verbo Anteceſſoris. Haloander in Epiſtola Pandectar.

PARET, pro apparet in formulis vſitatum, Feſto lib. 15. vide l.179. D. de verbor. ſignifica. l.5. D. de rei vindic. & alibi ſæpiſſimè.

PARENTIA, vide PARIENTIA.

PARENTIS appellatione non tantum pater, ſed etiam auus, & proauus, & deinceps omnes ſuperiores continentur, ſed & mater, & auia, & proauia. Caius in l. appellatione. D. de verb. ſignif. Parentes autem apud Romanos vſque ad tritauum proprio vocabulo nominatur: vlteriores, qui non habent ſpeciale nomen, Maiores appellantur, l.4. D. de in ius voc. l. fin. D. de gradib. Nec malè in l.15. C. de nego. geſt. ponitur vitricus aluiſſe priuignas affectu paterno, cum priuigni, priuignæque, necnon filij eorum ſint liberorum loco, vitricus & nouerca parentum, §. affinitatis. §. ſocrum. Inſtitu. de nupt. l. Ariſto. D. de rit. nupt. Socer, quoque & ſocrus, proſocer proſocrus, abſocer abſocrus, & deorſum verſum, nurus gener, pronurus progener, abnurus abgener, parentum & liberorum loco ſunt, d. §. affinitatis. & §. ſocrum. l. quia parentis. D. ſol. matr. Conſtat quoque patruum, auunculum, amitam, ſiue paterteram & materteram eſſe parentum loco: fratris aut ſororis filium filiam, nepotem neptem, pronepotem proneptem, liberorum, §. item amitam. Inſtitu. de nupt. d. l. ſororis. D. de ritu nupt.

PARENTES, pro cognatis: quod Linguæ noſtræ vernaculæ commune eſt, libro Feudorum 1. titul. 24. Non reuocetur ab vllo ex parentibus ſuis. Et lib. 2. titul. 53. Vaſſallus cum ſex parentibus, cæteros ſi vult habeat extraneos. Et lib. 3. titul. 2. §. j. Cum duodecim propinquioribus parentibus ſe defendat. Hieronymus in Apologia ſecunda contra Rufinum: Niſi forte parentes

militari

militari vulgaríque ſermone cognatos & affines nominat. Sic Iulius Firmicus Matheſeos 3.cap.13. Pigros faciet humileſque in omnibus actibus,& in omni fortuna: & qui cum parentibus vel affinibus aſſiduas inimicitias exerceant.

Pares cvriæ, ſiue curtis,ſiue domus,dicuntur conuaſſalli,ſiue compares,qui ab eodem patrono feudum receperunt : quaſi eiuſdem patroni conclientes. lib. Feud.1.tit.11.& titu.18.& tit.26. Sic Pares exponuntur, qui ab eodem domino feudum tenent,lib.1.tit.26. vbi etiam Pares de domo appellantur. Dicuntur etiam Compares, lib.2.tit.53. Item Pares de domo domini, lib.j.tit.26.§.3. Interdum etiam Pares dicuntur, qui neque collegæ,neque ſocij,neque conſortes, aut eiuſdem dignitatis participes ſunt: ſed qui in pari tamen ac ſimili iure,& Imperio ſunt:vt cùm duo Reges Regúmve filij Pares dicuntur: vt in fœdere inter Ludouicum filium Caroli Imper. & Ludouicum filium Ludouici Regis, apud Aymoinum lib.3.capite 38. Vt nemo ſuo pari vitam, regnum, aut fideles ſuos diſcupiat aut forſconciliet: hoc eſt, ſubducat, ſubtrahat. Item: Vterque veraciter ſuum parem, vbicunque neceſſitas fuerit,adiuuet. Item: Et ſi hoc acciderit, ad tempus vterque pari ſuo hoc reſcire faciat, id eſt alter alteri. Parium autem Curiæ tria munera fuiſſe ſcribit Hotom.cum paragium facerent: hoc eſt,dum collegium obirent. Primùm, vt nouorum vaſſallorum cooptationi ſiue inueſtituræ arbitri adeſſent.eorum enim neceſſaria præſentia eſt, lib.2.titul.2. & tit.32.& tit.33.§.j. Alterum,vt rogati de inueſtitura, teſtimonium dicerent:quamuis controuerſiæ tempore pares eſſe deſiiſſent,lib.2.tit.19. Tertium,vt feudalium cauſſarum iudicia exercerent,lib.2.tit.52.& tit.55.§.3.& lib.j. titu.10. §.j.& tit.22.§.3.

Paricida olim,non vtique qui parentem occidiſſet,ſed qui qualemcunq; hominem, dicebatur. Paricida enim tam à pari,quàm à patre deduci poteſt,auctore Priſciano,quaſi parentem ſeu proximum occidens.

Parientiam accommodare, id eſt obtemperare. apud Caſſiodorum lib.7.Variarum: Cui, inquit, ſaluberrimam parientiam commodate. Atque ita apud eundem lib.3.legendum. Atque ideo parientiam veſtram ſæpius approbatam, nunc quoque eodem præſente monſtrate. Sícque l.j.C.qui pro ſua iuriſd.iud. dar.poſſ.legi vult Cuiac. Obſeruat.lib.j.cap.6. ex veteribus libris: Nec præcepto cognitorem datum parientiam accommodare cenſemus. Alij tamen Parentiam legunt.

Parietum varia ſunt genera. Lateritij, ex lateribus duriſſimæ ſoliditatis fiebant: vtpote qui crudi ſub ſole diutius permanebant,vt exiccarentur. Teſtacei,ex latere cocto, qui etiam nunc ſunt in vſu. Cæmentarij, fiunt ex temerè coniectis lapidibus,calcéque commixtis, & imbricum modo hærentibus. Cratitij, ex lignis contextis,l.52. D.pro ſoc. Vitru.lib.2.ca.8. Intergerinus paries Feſto lib.9.inter confines ſtructus,in Lexi.B.Germani, τοῖχος ὁ διὸνκτήσεις διωρίζων, de quo vide Plin.lib. 35.c.12. Solidus & fornicatus opponuntur apud Ciceronem in Topic.

Paries cæcus (ſic enim quidam legunt in l.eos qui ius.D. de ſer.vrb.) qui feneſtras non habet, τυφλὸν τοῖχον vocat Harmenopulus. vt apud Virgil.Æneid.lib.5.

Parietibus textum cæcis iter, ancipitémque
Mille uiis babuiſſe dolum.

Hinc Varro lib.2.de Analog.ſcribit: Cubiculum, ſi feneſtram non habeat,cæcum dici.

Paries communis eſt, quem communiter ædificat vicini: ad eum autem ius habet vicinus adiungere ædificium. Vide l.fluminum.& l.inter quos.D.de damn.infect.

Paries directus dicitur, cuius extremitas pariete alterum attingit. Cic.in Top. Omnibus eſt ius parietem directum ad parietem cõmunem adiungere, vel ſolidum, vel fornicatũ. Cuius loci ſenſus eſt apertiſſimus: ſi directum parietem eum eſſe intelligamus, qui exempli cauſſa ſic attingit communem, vt in litera T pendens in imum linea trãſuerſam ſuperiorem attingat: quare ſi vicinus fornicatum parietem ad cõmunem adiunxerit, alter qui in pariete communi demoliendo damni infecti promiſerit, non debebit præſtare quod fornix vitij fecerit. Vide Obſeruat.Hotom.lib.j.cap.24.

Parietes rudes in l.50.D.de vſufr. appellantur nondum inducti tectorio lapide.

Parietem ventrem facere dixit μεταφορικῶς Alfen.in l.18.D. ſi ſeru.vindic.vt & inclinare Pomp.in l.14.in fi.eod.tit.

Paroecos, incola eſt, habitator in loco. Põp.de verbor.ſign.l.pupillus. Incola, ait, eſt, qui in aliquam regionem domicilium ſuũ contulit, quem Græci Parœcon vocant. Vide Bud.in poſt.Annot.ad l.vlti.de mun.

Parthicarii,& Parthiarij, in l.7. C.de excuſ.muner.lib.10.ſunt, qui pellium Parthicarum negociatores ſunt: ex quibus fiebant Zauchæ, de quibus l.2.& 3.C. Th.de hab.qui int.vrb. Trebellius in Claudio, Zauchas de noſtris Parthicis. Græci ita vertunt, οἱ πραγματευόμενοι τὴν ἐσθῆτα, ἢ τὴν ὀθόνην, ἢ τὴν πορφύραν, ἢ τὰ παρθικὰ δερμάτα.

Partiarivs colonu. Vide, Colonus partiarius.

Partiaria pecora, l.8. C.de pactis, id eſt, vt fœtus eorum certis portionibus inter dominum & paſtorem diuiduntur, inquit Imp.

Partiarius legatarius, cui pars bonorum ſub nomine hæreditario legabatur: quæ legati ſpecies partitio dicebatur, quia cum hærede legatarius partiebatur hæreditatem. ita tamen vt lucrum & damnum hæreditariũ pro rata parte inter eos commune eſſet. §.ſed quia. Inſtitu.de fideicommiſſ.hæred. Vlpianus Epito.tit.24. l.164.§.partitionis.D.de verb.ſignifica.l.19.§.j. D.ad S. C.Treb. Vide Partitio.

Particvlones Nonio à veteribus cohæredes inter ſe dicebantur, quòd partes inuicem ſibi facerent.

Participia futuri temporis præteriti vim plerunque habent: veluti rei iudicandæ tempore, rei iudicatæ eſt, l.5.§.idem Iulianus. D.de lib.leg.l.7. §.ſi quis. D. quibus ex cauſſ.in poſſ. ea. Sic Iudicij accipiendi tempus, pro accepti iudicij, & litis conteſtatæ tempore, l.2.§.j. D. de priuat.delict.& teſtamenti faciendi tempus, pro facti teſtamenti tempore, l.104. §.j. D.de legat.j. Stipulationis interponendæ, id eſt interpoſitæ, l.7. D.iud.ſol. Et tempus dandi, pro dati, l.89.§.ſi ita ſcriptum. D.de hæred. inſtitu.

Partivm Iuriſconſulti duo genera conſtituunt. aliæ nanque naturales ſunt, aliæ intellectæ. Naturales quidem, quæ pondere, numero, menſura conſtant, quæ oculis cerni tangíque poſſunt: veluti ſi quis corpus aliquod ſecare velit, duas partes conſtituet, quas nemo ſenſus communis compos, non facilé cognoſcet. Intellectæ verò, quæ tangi demonſtraríve non poſſunt, cerni tamen animo atq; intelligi poſſunt, veluti ſi ſeruum aut nauem duo cõmunem habeant, partẽ quiſq; ſuam in his rebus obtinet, quam oculis cernere non poteſt, animo & intelligẽtia poteſt. Quod ſignificans Caſſilius noſter apud Macrobium, mercatori, quemadmodum cum ſocio nauem diuideret, interroganti, reſpondet, Nauem ſi diuidis, nec tu, nec ſocius habebitis. Vlpi.l.5.D.de ſtip.ſer. Seruus cõmunis ſic omnium eſt, non quaſi ſingulorum totus: ſed pro partibus vtique indiuiſis, vt intellectu magis partes habeant, quàm corpore. Ergo partes intellectu Vlpianus eas appellat, quæ animo & intelligentia tantũ cernuntur, & earum rerum ſunt, quas Pomponius naturaliter indiuiſas

diuiſas appellat in l.non amplius.26.§.vlti. D.de legat. 1. Alias autem partes idem alibi numero fieri dicit:hoc eſt in l.29. D.de ſolut. Cum Stichus,ait, & Pamphilus communi ſeruo promiſſi ſunt,non alteri Stichus alteri Pamphilus ſolui poteſt : ſed dimidiæ ſingulorum partes debentur: atque vtriuſque rei dominium duobus modis intelligi poteſt. Sed in nummis,& oleo, & frumento, & ſimilibus quæ communi ſpecie continentur,apparet hoc actum, vt numero diuidatur obligatio. Eandem diuiſionem duplicem Papinian.notat in l.94,eiuſdem tit.& l.67.§.1. D.de legat.3.vbi ait plures in vno fundo dominium iuris intellectu, non diuiſione corporis obtinere. Notat & Paul.in l.25.§.j.D. de verb.ſignifica.vbi Seruio aſſentitur,qui partes alias eſſe dixit pro diuiſo, alias pro indiuiſo: cum Mutius putaret partis appellatione rem pro indiuiſo ſignificari. nam quod pro diuiſo noſtrum ſit,id non partem, ſed totum eſſe:cui conſentit Vlpian.in l.6.§.j. D.commun.præd. Ariſtoteles autem in libro de ſenſu, hanc quoque diuiſionem attingit:ſed in Categoriis planius rem omnem exponit.ait enim,Quantitatem aliã continuam,aliam ſeiunctam eſſe. Continuam cuius partium terminus aliquis communis eſt: veluti corporis, cuius partes communem habent terminum lineã: aut lineæ,in qua partes finem quo inter ſe cohæreant, cõmunem habent,punctum ſcilicet. Itaq; poculum cum anſa quantitatis eſt continuæ: vti cõſtat ex l.21.§.4.D. de furt. & pars lancis priuſquam eraſa ſit,l.22.cod.titu. Ex quibus intelligitur fundum qui inter duos diuiſus eſt,quia terminũ habet cõmunem, quo inter ſe partes adaptantur, in quantitate continua numerãdum eſſe. qua de cauſſa non tam in partes diuidi fundus à Iuriſconſultis dicitur,quàm in regiones,vt in tracta. D.fin. regund. Seiunctam verò Ariſtoteles eam appellat quantitatem, cuius partes communem terminum non habent: vt in numero.Nam ſi bis quinq;,inquit, ſunt partes decem, quinque & quinque nullo communi termino coniuncta ſunt, ſed ſecreta & ſeparata: cui ea omnia adiungamus licet, quæ communi ſpecie contineri dicuntur ab Vlpia.d.l.29.de ſolut. veluti vinum,oleum,frumẽtum. Nam ſi duobus amphora vini legata eſt,ſeiuncta vtrique quantitas legata eſt. Nam vrnæ duæ finem in amphora quo inter ſe cohæreant, communem non habent,neq; duo ſemimodij in modio,neque bis quinquaginta in centum.quod eodem modo de ponderibus quoque iudicandum eſt.Nem in vncia duæ ſemunciæ communem terminum non habent.Quantum hoc deiunctum in teſſeris & nummis quoque intelligitur,quæ ſi pluribus legata ſint, tot habebunt deiunctas & ſecretas inter ſe partes,quot erũt legatarij. Qua ex diſputatione intelligi poteſt quamobrem Vlp.ab Offilio & Trebatio diſſentiens, neget eum qui ex frumenti aceruo modum,aut ex vini dolio ſextarium abſtulerit, totius nomine furti teneri, l.21. D.de furt.nec magis intereſſe affirmet inter hanc ſpeciem, quàm ſi quis ex armario rem vnam auerterit. vtranque enim quãtitatem ſeiunctam eſſe. Quòd verò Trebatius dicebat,ſi quis aurem attingat, eum totũ corpus attingere,Vlpianum non mouit: perſpiciẽtem ſine dubio, quantitatem illam eſſe continuam, hanc verò deiunctam.Ex Hotom.

Partium aliam quoque tradit Hot.diuiſionẽ,vt aliæ principales dicãtur,quibus ſublatis totum interit: aliæ minus principales, quibus ademptis totum tamen manet: vt caput in corpore humano, & pectus, & brachia,partes ſunt principales: crines autem, & vngues & ſupercilia minus principales. Atque ita intelligendum eſſe quod ait Vlp.l.13.§.2. D.de acceptilat. vbi ait, Nec cementa,nec feneſtras,nec parietem, nec diætã domus eſſe partes:cum tamẽ Ariſtoteles tam frequenter domum ex partibus ſic definiat, operculum quod ex lapidibus,lateribus,cemento, trabibúſque conſtat. Sed Vlp.illam partium diuiſionem ſpectans, ita diſputat,quaſi eæ demum veræ partes eſſent, quibus ſublatis totum interit:vt in fundo vſusfructus perpetuus,& via perpetua,d.l.13.& l.58.D.de verbor.oblig.vbi & in via iter aut actus:in fructu, fructus & vſus: in decem, bis quinque numerantur. Eas verò quibus ademptis totum nihilominus manet integrum, non eſſe partes: vt in ſcypho,emblemata:& in domo, columnæ marmoreæ:in fundo, vſusfructus non perpetuus, l.25.D.de verb.ſig.in vſufructu,vſus:cum poſſit vſus ſine vſufructu cõſtitui,inquit, Vlp.d.l.13.§.3.de acceptil.in Grege, aliquot capita, quib.ſublatis & grex manet, & poteſt vſucapi,cum illa nec poſſideantur, nec vſucapiantur, ait Pompon.l.30.D.de vſurpat. & vſucap.

Partis nomen dimidiam ſignificat, ſi non ſpecialiter facta ſit partis mentio,l.49.D.de vſufr.l.164. D.de verb. ſign.Vlpi.in Inſtit.tit.24. Proinde ſi interrogatus quis in iure,hæredem ſe eſſe ex parte reſponderit, ſi ex dimidia hæres ſit,nihil ei nocet reſpõſum, alioquin nocet,l.12.§.ſi interrogatus.C.de interr.in iur.fac.

Pars virilis ea habetur, quæ pro numero perſonarum conſtituitur,cum tot partes fiunt, quot ſunt perſonæ. Vide Virilis pars.

Partem facere dicitur, cuius perſona numeratur in partium diuiſione facienda.l.8.§.quoniam.l.17. D.de inoff.teſta.l.34.§.ſi coniunctim.l.85.§.ſi Titio. D.de legat. 1.& alibi ſæpiſſimè.

P A R T I T I O, ſpecies legati erat, cuius meminit Vlpian. tit.de lega.& Iuſtin.§.ſed quia.de fideicom.hæred.quo pars bonorũ ſub nomine hæreditario legabatur: hoc modo:Titius mihi hæres eſto, & hæreditatem meam cum Seio in dimidia portione diuidito. Poteſt tamen & alia pars,velut tertia vel quarta legari,vt Vlpi.loco ſupra citato docet. De hac partitione accipienda eſt l.nomen.§.partitionis.D.de verbor.ſignific.vt & illud Cicer.2.de Legib. Hoc ſenſu,Legatarium partiarium alligari ſacris, cum quo ſcriptus hæres hæreditatem partiri & diuidere iuſſus eſt, niſi adiectum ſit, deductis. C.nummis. At deductione in teſtamento non ſcripta, eum etiam ſacris liberari, ſi minus cœperit, quàm hæredi relinquatur.

P A R T V S, & ipſe actus pariẽdi eſt,& ipſa proles: vt partus dotalium ancillarum,eſt portio dotis, l.ſi poſt diuortium.§.fin. D.de iur.dot.itaque partus continetur reditus appellatione,non autem fructus, l.deducta.§. hæreditatem.D.ad Treb.l.Paul.ad leg.Falcid.

Partus ſequitur ventrem, id eſt liberi quo ad ſtatum matris conditionem ſequuntur, l.partum. C.de rei vind. l.placuit. C.de liber.cauſ.l.idem Pomp.§.ſi equam.D. de rei vind.& in cap.dilectus, extrà de ſeruis non ordin. cum Gloſſ. Quod verò ad honores & dignitates attinet, patrem liberi ſequuntur, l.filiam.& l.liberos. D.de ſenat.l.exemplo.& l.eos.C.de decurio.lib.10.

P A R V V L I, l.j.C.de fugit.col. & l.2.C.de fund.patr.dicuntur intra annum 25.

P A R V M eſt vt non, locutio eſt idem ſignificans, quòd, parum abeſt quin. Iauolenus l.202. De regul.iur. Omnis definitio in iure ciuili periculoſa eſt: parũ eſt enim vt non ſubuerti poſſit. Quod Harmenop.ſic expreſſit, πᾶς νομικὸς κανὼν σαθρός ἐστιν. εὐχερῶς γὰρ ἀνατρέπεται. Similiter Demoſth. περὶ στεφάνου: τὸ δὲ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ἀναμιμνήσκειν, μικροῦ δεῖν ὅμοιόν ἐστι τῷ ὀνειδίζειν: Sua verò commemorare beneficia, propè exprobrare eſt. quam ſententiam vſurpat & Terentius.

P A S S V M, vinum eſt quòd ex vuis paſſis conficitur. Paſſum, inquit Varro apud Nonium, nominabant ſi in vindemia vuam diutius coctam legerẽt, eámque paſſi eſſent in ſole aduri. Vlpia.l.9.de tritic.vin.& ole.lega.

Vino leg

Vino legato paſſum quoque niſi mens alia teſtatoris fuit, cõtineri ſcribit. Huius meminit & Procul. l. vlt. eo.

Pastina inſtituere l. 7. §. fi. ſol. mat. quæ & Paſtinationes l. 79. D. de verb. ſign. Paſtina fieri tribus generibus docet Palladius lib. 2. tit. 10. aut terram totum foſſa, aut ſulcis, aut ſcrobibus.

Pastinare, eſt agrum fodere, à Paſtino ferramenti bifurcati genere, quo ſemina panguntur. Vlpian. quod vi aut clam. l. ſemper. Is cui fundum paſtinãdum locaueras. Paulus, de verb. ſign. l. impenſæ. Sicut arbuſti paſtinatione vltra quàm neceſſe fuerat.

Patefactum exemplar teſtamenti, & patefactæ tabulæ, quando dicantur. l. ſi in duob. 10. D. quemad. teſtam. aperi.

Patris nomine, auus continetur, teſte Iuliano in fin. l. iuſta interpretatione. de verb. ſignific. quod generaliter verũ eſt, niſi cùm materia odioſa eſt, & nõ omnino tantum rationis eſt in auo, quantum in patre. l. 44. §. j. D. de ritu nupt. l. 20. D. de adult.

Pater inter filios poteſt diuidere bona, & eam diuiſionẽ teſtamento confirmare: & cauere vt æs alienum, quod vnuſquiſque eorũ habet, ſiue habebit, ſolus ſuſtineat, Scæuola in l. ex parte hæres, §. fi. D. famil. erciſc.

Pater quæ filio emancipato ſtudiorum cauſſa peregre agenti ſubminiſtrauit: ſi non credendi animo miſiſſe fuerit comprobatus, ſed pietate debita ductus: in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur.

Patris adpellatione, adoptiuum non contineri, docuit Bald. in l. ſi non ſpeciali. C. de teſtam.

Patres appellati ſunt Senatores apud Romanos, ab ætate, vel curæ ſimilitudine, quòd ita reipub. vtilitati inuigilarent, vt patres liberis. Salluſtius in Coniurat. Catil. Delecti, inquit, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, reipub. cõſultabãt hi vel ætate, vel curæ ſimilitudine Patres appellabantur. Feſtus: Patres dicti ſunt, ait, qui ſunt patricij generis: Conſcripti qui in Senatu ex equeſtri ordine ſunt ſcriptis patribus adnotati.

Pater ciuitatis. l. 3. C. de iis, qui ſpont. mun. erat. quaſi pater patriæ, diſcuſſor pecuniæ publicæ, operumque publicorum, & armamẽtariorum. Sic. l. j. C. de rat. ob pub. l. vlt. C. de inf. exp. l. j. C. de aleat. l. j. C. quib. mun. exc. l. 12. C. de debit. ciu. Nou. 17. 85. 128. 160. Græci ad l. curatores. D. de dam. inf. curatorem Reip. patrem ciuitatis interpretantur: O πατὴρ τ῀ πόλεως ἀναγκάζει τοὺς δεσπότας τ῀ καταπεσόντων οἴκων, ἀνανεοῦν αὐτούς. Cuiacius.

Patrem cum filio his verbis, *Seuerus & Antoninus*, ſignificari, I. Cuiacius. l. 6. D. de excuſat. annotat.

Patria poteſtas, & Sui iuris eſſe, ſunt cõtraria immediata. l. fi. C. de ſentent. paſſ. Eſt autem patria poteſtas, ius illud, quod pater, vel auus in perſonas liberorum, qui ex iuſtis nuptiis procreati ſunt, habet. l. ſi poteſtatis D. de verbo. ſign. Hoc autem ius, proprium ciuim Romanorum eſt: quoniam à lege XII. Tab. introductum. Sed cum conſtitutione Antonini, in l. qui in orbe. de ſtat. hom. Qui in orbe Romano ſunt, ciues Romani effecti ſint: ſequitur, ad omnes Chriſtianos hodie illud pertinere. Rom. veteres. adeò ſemper magni in liberos paternũ ius fecere, vt Regum temporibus, patri filios bis vendere permiſſum ſit: niſi pater ei vxorẽ dediſſet, aut vltrò ducere volenti, aſſenſum præſtitiſſet.

Paterfamilias, inquit Vlpian. l. 195. D. de verbo. ſign. appellatur qui in domo dominiũ habet: rectéque hoc nomine appellatur, quamuis filium non habeat. non enim ſolam perſonam eius, ſed & ius demonſtramus. denique & puberẽ vel impuberem pupillum patremfamilias appellamus. l. 4. D. de iis qui ſunt ſui. cũ paterfam. moritur, quotquot capita ei ſubiecta fuerint, ſingulas familias incipiunt habere. ſinguli enim patrumfamiliarum nomen ſubeunt. idémque eueniet & in eo qui emancipatus eſt: nam & ſic ſui iuris effectus, propriam familiam habet. Dicitur etiam paterfamilias is qui in domo aliena in vxorem, liberos, libertos ſuos veluti dominationem exercet, licet nullius rei proprietatẽ habeat, ne ſui ipſius quidem. nam nec ſui proprietarius eſt, qui ſui iuris, ſuǽque poteſtatis eſt. At retro etiam qui neque liberos, neque vxorem, neque libertos, neque mercenarios vllos, ſed ſeruos tantum in dominio ſuo habet, is ſeruis non dominus tantum dicitur, ſed etiam paterfamilias, leniore poteſtatis verbo. Vide Lactantium. 4. inſtit.

Patientia, inquit Cicero, eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſſa rerum arduarum ac difficilium, voluntaria ac diuturna perpeſſio. in iure tamen patientiæ verbo tacitus conſenſus intelligitur. l. 6. §. ſi paſſus. D. manda.

Patria complectitur in ſe, quicquid ad eam gubernandam eſt neceſſarium. id eſt, totam politiæ ordinationem: ſcilicet, Magiſtratus, poteſtates, dominia, & cætera huiuſmodi. Duplex autem conſtituitur patria, vna originis, altera domicilij: vel triplex, originis, quã Germanam M. Tullius vocat, alia domicilij, alia communis, vt Roma in orbe Romano.

Patriarchæ primis tẽporibus, hoc eſt per annos circiter quadringentos, dicebantur iidem qui & Metropolitæ, & Archiepiſcopi & Primates: vt ex primis ſex veteris Eccleſiæ conciliis intelligitur. Sed cũ Epiſcopus Cõſtantinopolitanus propter vrbis ſuæ dignitatem (in qua ſcilicet Imperij ſedes erat) obtinuiſſet, vt Aſiæ, Ponto & Thraciæ præeſſet (ſicut ex Conſtantinopolitano ſecundo & Calchedonenſi apparet) Triũuiratus in Eccleſiam inuectus eſt: vt Alexãdrinus Africam, Romanus occidentẽ, Conſtantinopolitanus partem Europæ & Aſiã prope vniuerſam obtineret: præter perpaucas Eccleſias, quæ dicis cauſa Hieroſolymitano relictæ ſunt propter vrbis auctoritatẽ & dignitatem. Qua de cauſſa ipſe quoque paulo poſt in hunc ordinẽ eſt cooptatus. Itaque quatuoruiri tum primum regendæ Eccleſiæ conſtituti ſunt, qui ſenſim Patriarcharum & Archiepiſcoporum nomen, quod omnibus (vt dixi) Metropolitis antea commune fuerat, ſibi proprium ac peculiare fecerunt. Id quod ex hoc ſecundi Conſtantinopolitani Concilij capit. XXXVI. facilè intelligi poteſt: quem ita vertit Hotom. Renouantes quæ à centum quinquaginta ſanctis patribus, qui in hac à Deo ſeruata & regia vrbe conuentum egerunt, & ſexcentorum triginta qui Calchedone congregati fuerunt, inſtituta ſunt: definimus, vt Conſtantinopolis ſedes parem habeat dignitatẽ ſedi antiquioris Romæ, & in Eccleſiaſticis negotiis æque atque illa magnificetur: cũ ſit poſt ipſam ſecũda, poſt quã Alexãdrinorum magnæ vrbis, & poſt hanc, Hieroſolymarum Epiſcopus ſuccedat. Quem locũ perfidioſiſſime conuerſum Gratianus in decretum ſuum retulit. diſt. 22. c. renouantes. Iuſtinianus qui fuit æqualis temporum illorum, cuiúſque imperio concilium illud coactum eſt, Nouella cõſtitutione CXXIII. paulo apertius id declarat. Κελεύομεν, inquit, τοὺς μὲν μακαριωτάτους ἀρχιεπισκόπους καὶ πατριάρχας, τοῦτ᾽ ἔστι τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης, καὶ Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἀλεξανδρείας, καὶ θεουπόλεως, ἢ ἱεροσολύμων, εἰ μὲν ἡ συνήθεια ἔχει, & quæ ſequuntur. Id eſt: Iubemus beatiſſimos Archiepiſcopos & Patriarchas, hoc eſt antiquioris Romæ, Conſtantinopolis, Alexandriæ, & diuinæ vrbis ſiue Hieroſolymarum Epiſcopi, Siquidem conſuetudo eſt, &c. In Calchedonenſis quoque Concilij capite XXVIII. ſcriptum eſt hoc modo, vt idem vertit: Vbique leges ſanctorum Patrum noſtrorum ſequentes, eadem & nos definimus ac ſtatuimus, de dignitate & amplitudine ſanctiſſimæ huius Eccleſiæ Cõſtantinopolis, nouæ Romæ. Etenim ſedi antiquio-

ris Romæ,quia tunc ciuitas illa regnabat, Patres noſtri meritò primum honoris gradum tribuerunt. Atque eadem conſideratione moti C. L. Deo amantiſſimi Epiſcopi parem honoris gradum tribuerunt nouæ Romæ,ſedi ſanctiſſimæ:meritò decernentes, vt ea ciuitaş quæ tantum honorem adepta eſt,vt & ſedes eſſet Imperij,& ſenatum haberet,& parem dignitatis gradum obtineret,atque antiqua ſedes Imperij Roma obtinet:etiam in Eccleſiaſticis negotiis parem atque illa honorem ac dignitatem obtineat:cum poſt illam ſecunda ſit.Iuſtinianus autem nouella c x x i i i.Si qui, inquit,eiuſdem ſynodi religioſiſſimi Epiſcopi aliquã inter ſe controuerſiam habeant,ſiue de iure Eccleſiaſtico,ſiue de quibuſdam aliis rebus:prius Metropolitanus ipſorum cum aliis duobus de ſancta ſynodo Epiſcopis, rem diiudicato. Et niſi vtraque pars iudicatis acquieſcat,ſed appellandũ putet,tum beatiſſimus Patriarcha illius diœceſeos audientiam ipſis accõmodato:& illa definito quæ eccleſiaſticis canonibus & legibus concordãt,neutra parte contra ipſius ſentẽtiam contradicere queunte.Et multa paſſim in hanc ſentẽtiam.Ex quibus manifeſto conſtat, Patriarchas (vt diximus)in ſuis Patriarchiis atque præfecturis ſummum ius habuiſſe,neque alterũ altero ſuperiorem fuiſſe:ſed cum ſummã ſinguli poteſtatẽ haberent,appellationũ fines patriarchiæ terminis circumſcriptos ac cõcluſos fuiſſe.Illud quoque aperte conſtat, Patriarchas quatuor cõſtitutos fuiſſe,nimirum Romanum, Cõſtantinopolitanum,Alexandrinum,& Hieroſolymitanum.

PATRICA apud Plautũ in Truculento,mulier patricia. *Tum patriciam*,inquit,*clementer non poteſt hinc quin munere*. Alij tamen Patriciam legi malunt.Loquitur autem ibi de donis,qua plebeiæ mulieres ad patricias certis diebus miſſitare ſolebant,vt plebeij viri patriciis. Hinc apud eundem in Caſina, Patricè, pro magnificè & ſplendidè.*Atat,ceſſo magnificè,patricéque,amicéque ita hero meo ire aduerſum.*

PATRICIOS ait Cincius apud Feſtũ eos appellari ſolitos,qui nunc ingenui vocentur. Eorum nomen vnde fluxerit,Velleius Paterculus lib.j.oſtẽdit.Romulus cẽtum homines electos,appellatóſque patres,inſtar habuit conſilij publici.Hanc originem nomen patriciorum habet.Dicti autem ſunt Patricij,quod patres ciere poſſent.Vide Plutarchum ἐν Ῥωμαικοῖς. Patricij autẽ nõ iidem ſunt qui nobiles,vt vulgo creditur. Nobiles enim ſpeciatim ſumpto nomine,omnes ſunt ex plebeis:vt ſupra in voce Nobilis demonſtrauimus.Nam populus Romanus ita diſtinguebatur,vt alij patricij eſſent,alij plebeij.Patricij, qui eorum Senatorũ progenies erant,quos Romulus crearat.hac tamen ætate,inquit Liuius,antiquiſſimæ cuiuſque ſenatoriæ familiæ liberi,patricij appellantur.tales erant Clodius, Piſo,Catilina.Plebeij verò,qui ex populo à Romuleis Senatoribus reliquo dimanarant: vt C.Antonius, C. Caſſius,M.Cicero,T.Pomp. Atticus.Horum plebeiorum alij Nobiles,alij verò Noui homines dicebantur. Nobiles, quorum parentes curuli aliquo magiſtratu erant functi.Noui,qui primi ex ſua ſtirpe magiſtratũ curulem erant adepti.Quod Aſconij auctoritate verũ eſſe docebimus.Is enim in argumento Orat. in toga cand.Sex,inquit,competitores in Conſulatus petitione Cicero habuit:duos patricios,P.Sulpitiũ Galbam, L.Sergium Catilinã:quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles,C.Antoniũ Marci Oratoris filium,L.Caſſium Longinum:duos qui tantum nõ primi ex familiis ſuis magiſtratum adepti erant, Qu.Cornificium, & C.Licinium Sacerdotem.Solus Cicero ex competitoribus equeſtri erat loco natus,atque in petitione patrẽ amiſit. Aperte Aſconius nobiles in plebeiis numerat: & nobiles à nouis hominibus diſtinguit, qualis erat Cicero, vt illi perſæpe obiectum eſt.Itaque Verrem & Hortenſium ſignificans Verrina ſexta,ſic loquitur:Ne iſta præclara nobilitas deſignat queri,populum Rom. hominibus nouis atque induſtriis honores madare, ſempérque mandaſſe. Neque, vt opinor, reperietur, quenquã è patricia familia hominẽ Nouum appellari. Itaque nec M.Scaurum,cuius parẽtes ignoti Romæ & contempti iacuerant,Aſconius Nouum appellat,ſed ei non minus quàm nouo homini laborandum fuiſſe. Scaurus,inquit,ita fuit patricius, vt tribus ſupra eum ætatibus iacuerit domus eius fortuna.nam neque pater,neque auus,neque etiam proauus,vt puto,propter tenues opes,& nullius vitæ induſtriã honores adepti ſunt:itaque Scauro æquè ac nouo homini laborãdum fuit.Hotom.Vide ſuprà NOBILES.

PATRICII longe aliter in principum Cõſtitutionibus accipiendi ſunt.In his enim Patricij Imperatorũ conſiliarij,quaſi eorum patres,vocantur.Sic à Iuſtiniano. l.fi.C.de conſul.& §.ſed filiusfamil.Inſtitut.quib.mod. ius patr.pot.ſol.& à Niceph.lib.13. hiſt. Eccleſ.c.j.& 4. Sudas πατρίκιος,ait,πατὴρ τοῦ κοινοῦ.Luitprandus lib.3.de reb.per Europã geſt.c.8. Patricium πατέρα τοῦ βασιλέως vocat.Sic.l.46.& l.fi.C.de Decurion.l.3.C.vbi Senat.& in Epiſtul.Iuſtinianeis patriciorũ nomẽ,& patriciatus dignitatẽ accipe.Hinc elegãter Claudianus ad Eutropiũ patriciũ poſt dãnationẽ & publicationẽ bonorũ:

Direptas quid plangis opes quas notus habebit?
Non aliter poteras principis eſſe pater.

item alio in loco:*Genitórque uocatur Principis, & famulum dignatur regia patrem.*Et quarto libro Epigrammatων:

ὅσπερ ἑοῖς καμάτοις ἀμμώνιος, ὃς βασιλῆος
Ἐστὶ πατήρ.

PATRICIATVS vis à Suda dicitur fuiſſe, quod legationes ex Senatu mittere conſueuerant. Caſſiodorus autem lib.Variarum v i. perpetuum eum fuiſſe honorem ſignificat,& cingulo ornatũ,cum iuriſdictionem tamen exerceret nullã.Quod à Zenone ſignificari arbitratur Hot.in l.3.C.de cõſul.vbi Patriciatum honorarium Cõſulatum appellat:tum & à Caſſiodoro hũc epiſcopis honorem tribui ſolitum ſignificari:iis ſcilicet qui Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præfecti, Patriarchæ dicebantur.Cuius ſententiam hanc eſſe aſſerit,vt quando in pop.Rom. religione Patricij ſol ſacrorum procurationem Romuli inſtituto gerebant,& rex quidam ſacrorum eſſet:non incommodum videatur,ſi in religione Chriſtiana, qui ſacris præeſt,idem etiam magiſtratus ſummi ornamentis atque inſignib. decoretur.Obſeruat etiam hoc ex eodem auctore,Patriciatum non magiſtratus, ſed ordinis nomen fuiſſe: neque enim vnus erat patricius, ſed complures, quaſi Senatus principes,qui certis antea magiſtratibus perfuncti erant:denique quales Romæ florente Repub. Conſulares,Prætorij & Ædilitij fuerunt:quibus in Senatu curuli ſella vti,primíſque ſententias dicere ius erat.Quare quod in l.3.C.de conſul.legimus, Patriciatus honorem cæteris omnibus anteponi,non ita accipi vult,quaſi ſummus eſſet aliquis magiſtratus : primũ quia magiſtratus (vt diximus) non erat: deinde quia Caſſiodorus in formula Patriciatus ſcribit, Conſulatum Patriciatu ſuperiorẽ fuiſſe. Præfectorios, inquit, & aliarum dignitatum viros præcedit, vni tantum cedens fulgori, quem interdum etiam à nobis conſtat aſſumi:hoc eſt,vt ipſe interpretatur, Conſulatui. Præterea præfectum vrbis ſummum omnium magiſtratũ geſſiſſe,conſtat ex l.j.& l.3. C.de inoffic. præfect.vrb. Et quod Caſſiodorus de præfectoriis ſcribit, conſtat de iis qui iam præfectura functi ſunt,intelligendũ eſſe.Nomen autem à Rom.patriciorum ſplendore ductũ eſſe,res indicat.nam cum ij propter familiæ antiquitatem cæteris antecellerent, & plerunque iis honores

res mandarentur: tranſlato Conſtantinopolim imperio eos ſenatores qui curulibus magiſtratibus erant functi, patricios dici placuit. Quibus ius patrũ conceſſum fuiſſe, Caſſiodorus quoque eodem loco teſtatur.

PATRIMONIVM propriè eſt pecunia, quam liberi ex paterna hæreditate accipiunt. Cice. pro Poſthum. Qui verò duo lauta & copioſa patrimonia accepiſſet, témque prӕterea bonis & honeſtis rationibus auxiſſet. duo patrimonia Poſthumus acceperat, alterum à naturali, alterum ab adoptiuo patre. Hoc enim ab hæreditate differt, quòd illo verbo, res ipſæ: hoc ius à patre relictum intelligitur. Cic. lib. de Offic. j. Optima autem hæreditas à patribus traditur liberis, omníque patrimonio præſtantior gloria virtutis, rerúmque geſtarum: cui dedecori eſſe, nefas & vitium iudicandũ eſt. Sed conſuetudine loquendi res eo deducta eſt, vt iam plerunque cuiuſuis generis bona, ſiue à patre relicta, & aduentitia, ſiue patrisfam. opera ac diligentia parta, eo nomine intelligãtur. Sic Vlpian. l. bona, de bon. poſſ. Bonorum poſſeſſio, inquit, eſt ius perſequẽdi retinendíque patrimonij. Iuuenalis:

Non propter uitam faciunt patrimonia quidam:
Sed uitio cæci propter patrimonia uiuunt.

Pompon. l. 112. §. j. D. de verb. oblig. Plerunque idonei non tam patrimonio, quàm fide æſtimantur. Ita generaliter etiam pro partis & quæſitis bonis vſurpatur in l. cogi. & l. Titius. D. ad Trebel. l. j. D. de vſuf. ear. rer. l. j. §. item ſolent. D. de offic. præfe. vrb. l. 3. §. ſed vtrum. D. de minorib. l. ſed & ſi. §. j. D. de pet. hæred. Cæterum eorum duntaxat, qui ſui iuris ſuæque poteſtatis ſunt patrimonium eſt: peculium reliquorum. l. 33. §. j. l. 48. in fi. D. de pecul. ea autem quæ in patrimonio ſunt, ab his quæ in nominibus ſunt, ſeparantur. l. 9. D. de rem pup. ſal. for.

in Patrimonio eſſe & in bonis eſſe idem valent. l. j. D. de vſufruct.

PATRIMONIALES fundi, ad patrimonium principis pertinentes, qui vel conductionis titulo, vel perpetuo iure tenebantur. l. 20. C. Theodoſi. de extraord. mun. Rub. C. de fund. patrimo.

Patrimoniales coloni, qui eos fundos colunt. l. 7. C. vbi cau. fiſc. Sic Patrimonialem poſſeſſorem accipe. l. 4. C. Theod. de ann. & tribu.

PATRONOS primùm vocarunt Romani, qui aliorum cauſſam & defenſionem ſuſcipiebant: & vt ſcribit Heſychius in verbo Πάτρωνες, τοὺς κηδεμονικοὺς, καὶ βοηθικοὺς, qui & *προστάται*, à Græcis a appellãtur. Patronus autem quaſi pater dictus: eodem modo quo Matrona. Seruius in illud Virgilij, *Et fraus innexa clienti*. Ex lege, inquit, duodecim tabularum venit, in quibus ſcriptum eſt, Patronus ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto. Si enim clientes, quaſi colentes ſunt, Patroni quaſi patres: tantundem eſt clientem, quantum filium fallere. Hoc autem ex Romuli inſtituto, qui ex patrum numero plebi quos ei commodum eſſet, deligendi poteſtatem fecit, qui ipſius cauſſas ſuſciperent: ex quo illi quidem Patroni, hi verò Clientes dicebantur. Hinc & Patroni erant more maiorum, inquit Cicero Offic. j. qui ciuitates, aut nationes deuictas bello in fidem recepiſſent. Sic Marcellus Siculorum patronus dicitur in Verrinis: & Allobrogum Fabius. Quæ autem inter patronum & clientem neceſſitudo fuerit, & quod cuiuſque inter ipſos officium, docet Cicero Verr. j. his verbis: Ad meã fidẽ confugiunt (de Siculis loquitur) auxilium ſibi per me à vobis petũt, me defenſorẽ calamitatum ſuarum, me vltorẽ iniuriarũ, me cognitorẽ iuris ſui, me actorẽ cauſſæ totius eſſe voluerunt. vide Clientes. At in iure ciuili Patronorũ nomẽ variè accipitur: nam in edicto De in ius voãc. & ad finibus titulis, Patronos intelligimus eos, qui ex ſeruitute manumiſerũt, ſiue ſpõte, ſiue ex neceſſitate, quoniam rogati fuerant manumittere: vel hac lege emerant, vt manumitterent. Item qui ad libertatẽ perduxerũt. l. 3. D. de ſuis & legit. Vel etiã qui ex cauſſa fideicommiſſi manumiſerunt. l. libertus. §. ex cauſſa. D. ad municip. Vtique vero Patroni appellatione etiam patrona continetur. l. 52. D. de verb. ſign.

Patronus FISCI primùm ab Adriano Imp. inſtitutus eſt vt Ælius Spartianus in eius vita teſtatur. Eius autem munus præcipuè in iis bonis quæ fiſco cõmiſſa eſſent, exhibito delatore perſequendis, verſabatur. l. vlt. C. de aduocat. fiſc. l. 5. C. de delatorib. adeo vt delatoris quodammodo patronus eſſet. l. 5. §. aduocatum. D. de his quæ vt indig. Solebat autem vnus aut alter è numero aduocatorum cuiuſque fori ad id munus deligi quod annum vnum aut alterum gerebatur: quemadmodum ex c. Co. intelligitur quod eſt de aduocat. diuerſ. iud.

Patronus in prædiis Eccleſiaſticis dicitur is, qui cum in Eccleſiam inſigne beneficium cõtulit (veluti templum ædificauit, aut magno aliquo prouentu illam locupletauit) ius ſibi beneficiarij nominandi retinuit, hoc eſt, clericos arbitratu ſuo deligendi, nominandi, & apud Epiſcopum producendi: vt ſine illa productione conferendi beneficij ius nullum Epiſcopus habeat. Iuſtinianus tamẽ Nouella CXXIII. §. *εἴτις εὐκτήριον*. iubet, ſi Patronus minus idoneum producat, Epiſcopi poteſtatem eſſe alterum idoneum eligere. Iure Canonico præſtitutum eſt, Patrono laico nominandi beneficiarium tempus quatuor menſium: Eccleſiaſtico ſex: quibus exactis integra Epiſcopo poteſtas relinquitur. De iur. patron. in 6. Iura quoque patronatus hæc ſunt: vt clericum in officio peccantem apud Epiſcopum deferat. c. filiis. 16. q. 7. vt in egeſtatem lapſus ex eo prouentu alatur. c. quicunque. 16. q. 7. c. nobis, De iur. patron. vt id donare permutaréve poſſit: vendere tamẽ non poſſit. c. nemini. 36. q. 7. c. ex inſinuatione. c. ex literis. c. cum ſeculum, extrà de iur. patron. vt ius nominandi in hæredes ita trãſeat, vt & in ſolidum Patroni ſint, & vniuerſi tamen nominandi ius habeant. c. j. extra de iur. patron. Clement. 2. eod. Albertus Krantzius lib. Dan. 6. cap. 2. vbi de Valdemaro Daniæ Rege, & Epiſcopo Roſchildienſi creando loquitur: Equidem, inquit, & ſi videretur maiorum ſuorum opibus fundatam Eccleſiam in Patronatu tenere, iuríſque plurimum in deligendo Pontifice ſibi poſſe præſumere, &c.

Patronus item pro eo qui feudi auctor eſt: qui modò Dominus, modò Senior appellatur: à quo is qui Vaſſallus nominatur, feudi beneficium accepit: qui propterea Cliens, interdum etiam Clientulus appellatur. Idque ex antiqua ferè cõſuetudine quam ſuperius attigimus.

PATROCINIA, auxilia & defenſiones. l. non plures. C. de ſac. ſanct. eccleſ.

PATRONATVS ius, quod patroni in libertorum perſonas & bona habent, operarum ſcilicet exactionem, inteſtati ſucceſſionem, bonorum poſſeſſionem contra tab. D. de iur. pat. tot. tit.

PATRVVS adpellatur patris frater. l. 10. §. 7. D. de grad. & adfi. Patruus magnus, frater aui. d. l. 10. Patruus maior, frater proaui, patris vel matris patruus magnus: & tamen. l. j. §. vltim. D. de coniug. cum emancipat. lib. ſumitur pro patruo magno. Patruus maximus, abaui frater, ataui & atauiæ filius, patris, vel matris patruus maior. Vlp. poſt conſanguineos. de ſuis & legitimis hæredibus.

Patruum Plautus appellat patrui magni filium, id eſt propiorem ſobrino. nam in Pœnulo cum Pœnus Agoraſtocli dixiſſet, patrem eius ſibi patruelem fuiſſe, continuo reſpondens Agoraſtocles,

Mi patrue, ſalue, & ſcena inſequenti,
Patruo aduenienti cœna curetur uolo.

itémque deinceps.

PATRVELES à patruo dicti, fratres, vel ſorores ſunt, ait Caius, qui quæve ex duobus fratribus progenerantur. l.j.§.j.D.de grad.& adfi. A conſobrinis autem hoc differunt, quòd conſobrini propriè dicuntur, ex auunculo aut matertera prognati: Patrueles verò ex patruo. Titij prognati: Amitini ex amita. vnde Cic. in Ligariana filium Titi Bocchi auunculi Ligarij conſobrinum appellat. Indéque intelligi facilè poteſt illuſtris differentia: Patrueles quippe pauciores quàm duo eſſe nõ poſſunt, ex fratribus ſcilicet duobus nati: amitini autẽ inter ſe duos eſſe nequeunt: quem enim amitinum Titius appellat, ab eo conſobrinus nominatur. §.4. De grad. Ita ergo poterit Titius appellari conſobrinus, patruelis debebit, amitinus nõ poterit. quáquam confundi plerunque ſoleat diſcrimen: ac generaliter Cõſobrini pro quibuſlibet fratrum ac ſororum liberis, ſicut apud Græcos ἀνεψιοὶ vſurpari. l.19.C.de nupt.

PAVCI dies, menſes duo. l.ſi debitor. D. de iudic.

PAVLIANA actio, vide Actio Pauliana.

PAVLVS Caſtrenſis Iuriſc. nobilis Patauij, Florentiæ. & Bononiæ iura interpretatus eſt: editiſque libris quàm plurimis, Patauij tandem anno M. CCCCXXXVII. prid. Caled. Mart. vitæ ſupremum diem confecit.

PAVPER eſt Bart. qui in bonis non habet quinquaginta aureos. l. qui accuſare. D. de accuſ. quod & C. Harmenopulus lib.j. Epit. ti.6. probat. πένης δὲ ἐστὶν ὁ μὴ ἔχων πεντήκοντα ΙΙ περιουσίαν. Eſt tamen Pauper accipiendus, qui pro qualitate rei de qua agitur, ſatis non habet.

Pauperior non eſt, qui nõ acquirit, ſed qui de patrimonio ſuo depoſuit. l.ſi ſponſus. §.ſi maritus. D. de dona. inter vir. & vxor. Vide item. l.ſi vir vxori. D. pro don.

PAVPERIES damnum eſt ſine iniuria facientis datum: vt cùm animal quod ſenſu & ratione caret, damnum intulerit. l.j. ſi quadrup. pauper. feciſſ. dicat. vide Paul. lib.j. Sent. tit.15. Feſtus lib.14. Pauperiem damnum definit eſſe quod quadrupes facit. Caper in lib. de Orthographia, Paupertatem à pauperie ita ſeparat, vt paupertas ipſa conditio ſit, pauperies damnum.

PAVPERTAS, eſt ipſa pauperis conditio. Quotuplex illa ſit, Bart. explicat in Minoricis, libr.j. An verò, & quibus caſibus proſit, tractat in l. illicitas. §. fi. de offic. præſ. ea quæ ſit relinquitur arbitrio ius dicentis.

PAX, id eſt, humanarum rerum tranquillitas, à pactione appellatur. l.j. in princ. D. de pact. diſcordatiuis. c.j. de treug. & pac. eſtque vinculum caritatis, no. c. nouit. de iudic. extra.

Παξιμάδιον, apud Leonem de re militari, δίπυρος, καὶ ξηρὸς ἄρτος, id eſt buccellatum, vel expeditionalis annona. Hanc vocem Latinam eſſe Sudas ſcribit.

PECCARE, dictum quaſi pellicare, id eſt cum pellice coire. Vnde propriè eſt, adulterium committere. Sed vſus effecit, vt pro quomodocunque labi & offendere, & delinquere ſumatur. Hoc omnium eſſe, Deo excepto, refertur in Canonicis Decretis de Pœnit. diſt. 2. cui ſine. in fine. Vide Bart. ſub fi. l.j. D. de iuſtit. & iur.

PECCATORES, pro adulteris Iuſtinianum vſurpaſſe, in Inſt. tit. fi. eruditiores quidam contendunt: indicantes, Baptiſt. Pium parum rectè, pro peccatoribus, pedicatoribus legendum cenſere. Quo loco Stupratoribus, habet editio Norimbergen.

PECTEM, piſcis genus, cuius meminit l. vnic. C. de monopoliis, in princ. & Plinius lib.9.c.33. Pectines in mari ex genere cochlearum habentur, reconditi & ipſi in magnis frigoribus ac magnis æſtibus: vnguesque velut igne lucentes in tenebris, etiam in ore mandentium. Et paulo poſt: Saliunt pectines, & extra volitant, ſéque & ipſi carmant.

PECVS, vt vult Varro li.4. Ling. Lat. à pede dicitur, quod in pecore olim pecunia cõſiſtebat paſtoribus, & ſtandi fundamentũ pes. Hæc Varronis λεπτολογία doctis non placet: & Pecudes à Græco πεκάδας dici volunt, quæ ſic dicebantur, quod tonderẽtur. Vnde πόκος apud Græcos, Vellus apud nos remanſit. Latini verò pecudes potius, quàm pocudes dixerũt, more ſuo: cum & Apellinẽ pro Apolline dicerẽt: item tẽperis, & pigneris, & elera, pro olera: & hemonẽ, pro hominẽ. Pecudum autem, ſeu Pecorũ numero ſunt omnes quadrupedes, quæ gregatim habentur, veluti oues, capræ, boues, equi, muli, aſini, ſiues. Canis inter pecudes non eſt. Sic in l.29. D. ad leg. Aquil. l.79. D. de leg.3. pecudẽ accipimus. Vallæ pecus eſt omne animal quod ſub imperio pabulo terræ paſcitur, vt ſunt boues, aſini, equi, cameli, oues, capræ. Plinius elephantes vocat pecudes, cùm ait: Qui cum elephanto congreſſus, gemino ictu pecudem exanimauit. Modeſtinus de leg.3. Pecudibus legatis, ait, & boues, & cætera iumenta continentur.

PECVARIA, numero multitudinis dicebantur omnia, ex quibus pop. Rom. haberet reditus: quia diu hoc ſolum vectigal Romanis fuit. Nunc ea dictione fœmininè, & locũ in quo pecorũ greges cõſiſtunt, & ſciẽtiam parandi, ac paſcendi pecoris, accipimus. Hinc etiam.

PECVARII dicti mancipes, qui paſcua publica redimebant. Vide Manceps.

PECVLATVS, inquit Feſtus, furtum publicum dici cœptum eſt, à pecore, quia ab eo initium eius fraudis eſſe cœpit: ſiquidẽ ante æs aut argẽtum ſignatũ, ob delicta, pœna grauiſſima erat duarũ ouium, & triginta boum. Propriè autem Peculatus pecuniæ publicæ vel fiſcalis furtum eſt. Auguſt. in Ioannem: Crimina diſcernuntur in foro qualicunque furti & peculatus. peculatus enim dicitur furtum de re publica: & non ſic iudicatur furtũ rei priuatæ, quomodo publicæ. Peculatus definitur in l.9.§.j. D. ad leg. Iul. de pecul. pecuniæ publicæ aut ſacræ furtum, non ab eo factum, cuius periculo fuit. & ideo æditũum peculatum non admittere. Qui ergo ex pecunia ſacra, religioſa, publicáve quid abſtulerit, aut interceperit, aut in rem ſuam verterit, quíve in aurũ, argentum, æs publicum quid indiderit, aut immiſcuerit, peculatus tenetur. l.j. D. eod. Vide item Iſidorum lib.5.c.26.

PECVLATOR eſt, qui furtũ facit pecuniæ publicæ, hoc eſt, qui de Principis aut populi ærario furatur. Tacit. lib.17. Mox compertum pecuniam publicam auertiſſe, vt peculatorẽ flagitari iuſſit. Pœna eius eſt deportatio. l.j. & duab. ſeq. C. ad leg. Iul. pec.

PECVLIVM eſt, quod ſeruus vel filiusfamilias domini aut patris permiſſu ſeparatum à rationibus dominicis vel paternis habet, deducto inde ſi quid domino aut parenti debentur. l. depoſiti. §. fi. l. ſed ſi dominum. §. præterea id etiam. D. de pecul. rectè igitur in Lexico B Germani ad vrbem Lutet. peculium definitur, κτῆσις τῆς ὑπ' ἐξουσίαν ὄντος, τοῦτέστι υἱοῦ, ἢ δούλου. Et Græci alibi ſic definiunt: τὸ ὀφεῖλον πρὸς ποριςθῆναι, μένον δὲ παρὰ τοῖς ὑπεξουσίοις. id eſt quod debuit acquiri patri, ſed manet apud filium. Nam graui humanitatis ratione apud Romanos eſt receptum, vt ſerui ac filij familiarum, quamuis omnino ſub poteſtate eſſent, nihilque proprium poſſidentes: haberent tamen aliquid bonorum, permittentibus dominis vel parentibus, expreſſe vel tacitè; in quibus adminiſtrandis ſpecimen ederent induſtriæ, ac quales eſſent quandoque ſui iuris Reipublicæ futuri probarẽtur. Idque Peculium dicebatur, quaſi puſilla pecunia, ſiue puſillum patrimonium. d. l. depoſiti. §. fi. l. quam Tuberonis. §. ſunt quidam. l. peculium & ex eo. & l. ſeq. D. de pecu. Priſcis tamẽ temporibus, Peculium particula quædam erat gregris (vnde & nomẽ inuenit) quam patres ſuis filiis, domini ſuis ſeruis induſtriæ ſuæ exercẽdæ cauſſa cõcedebant. Sed & Peculium erat non tãtum quod dominus ſeruo, & pater filio concedebat: ſed quod ipſe ſua parſimonia parabat.

rabat.l.39.D.de pecul.& in Phormione, Quod ille vnciatim vix de demenſo ſuo ſuum defraudans genium, comparſit miſer. Vel etiam id quod ignorante quidẽ eo.acquirebat:tamen ſi reſciſſet, paſſurus erat eſſe in peculio.l.49.D.de pecul.Notandum etiam eſt quod ex Plauto obſeruat Hotomanus, filiosfam.quibus patres vendendas merces tradebant, peculium ex iis pluris venditis,quam quanti pater eas æſtimaſſet, locu[m] letaſſe.ſic enim in Mercat.loquitur:

Lucrum ingens facio,præterquam mihi meus pater
Dedit æſtimatas merces,ita peculium
Conficio grande.

Peculium item pro vniuerſis bonis & toto patrimonio quandoque ſumitur.l.16.D.ad S C.Trebell.Significabat & Veteribus pecuniam peculij cauſſa repoſitam.l.77.§.j.D.de leg.j.Peculium apud Gallos ſignificare Vlpianus ait res extra dotem conſtitutas.l.9.§.dotis.D.de iur.dot.& hoc nomẽ adhuc retinent etiamnum Marchiani,vocantes *peguliere*,quaſi *peculiere*. Nam G. & C. mutua eſt enallage.

Peculium etiam pro ea pecunia ponitur,quam vti ſpecialem & præcipuam paterfamilias ſeponit, vt ea ad extremum vtatur.Proculus.l.ſi chorus.79.§.j. D.de leg.3. ait audiſſe ruſticos ſenes ita dicentes, Pecuniam ſine peculio fragilem eſſe:peculium appellantes, quod prædij cauſſa ſeponeretur.Hinc plerique patrimoniũ ſuum peculiũ vocant.l. cogi in prin.ad Trebell. Vide Coraſium lib.j.Miſcell.c.13.

Peculij autem quatuor ſunt ſpecies. eſt enim aliud caſtrenſe,aliud quaſi caſtrenſe,aliud profectitium,aliud aduentitium:Caſtrenſe eſt,(Græcis *ἰδιόκτητον* dictum) quod militaris in caſtris aut per militiæ occaſionem tum in caſtris, tum etiam alibi adeptus filiusfamilias eſt.l.caſtrenſe.2.D.de caſtren.pec.l. j.C. eod.lib.12.ſtipendia enim Romani adoleſcentes omnes faciebant. Quaſi caſtrenſe eſt,quod in togata & palatina militia parauit:veluti in forenſi opera & officio publico, vel profeſſione artium.l.vlt.C.de inoffic.teſt.In his bonis nullum habent ius parentes,& ne quidem collatio cũ fratribus locum habet.l.4.D.de caſtr.pecul.l. vlt. C.de collat.bon.l.certũ.C.famil.erciſc.Profectitium, quod à patre accepit,& ab eo cõceſſum eſt,vt in poteſtate adhuc filius exerceret induſtriam adminiſtrandorum bonorũ,& negotiandi:neque opera ſua parauit.l.5.D. de iure dot.Aduẽtitiũ verò quod ab extraneis cognatiſve accepit:quo in genere ſunt maternæ maternive generis hæreditates:amicorũ item & legata, & hæreditates:itẽ lucra nuptialia:ſed & quæ liberalitate fortunæ vel laboribus ſuis filiusfa.adeptus eſt:ait Iuſtin.l. cum oportet.6.C.de bon.quæ lib.Atque in his ſpeciebus duabus olim nulla erat differentia.Hodie in profectitio peculio pater habet dominiũ, filius vſumfructum.In aduentitio contra filius dominium, & pater vſumfructum.§.j.Inſtit.per quas perſ. Sciẽdum eſt autem,iure quidem antiquo & florente Rep. nullum peculium non ipſius patris pleno iure fuiſſe. Nam (vt ait Diony.lib.8.) *ῥωμαίοις οὐδὲν ἴδιόν ἐστι κτῆμα ζώντων ἔτι τῶν πατέρων, ἀλλὰ καὶ τὰ χρήματα καὶ τὰ σώματα τῶν παίδων ὅ,τι βούλονται τοῖς πατράσιν ἀποδέδοται*.Romani propriũ nihil poſſidẽt,quãdiu patres eorũ in vita manent:ſed & pecuniæ & corpora filiorũ,parentum poteſtati arbitrióque permiſſa ſunt.Verùm Imperatores vt præmio aliquo adoleſcẽtes ad militiæ labores inuitarẽt, Caſtrẽſe peculiũ iis pleno iure conceſſerunt.quod Iuuenalis.16. Sat.vbi militiæ præmia enumerat,his verſib.declarat:

Solis præterea teſtandi militibus ius.
Viuo patre datur:nam quæ ſunt parta labore
Militiæ,placuit non eſſe in corpore cenſus,
Omne tenet,cuius regimen pater.ergo Coranum
Signorum comitem,caſtrorúmque æra merentem

Quamuis iam tremulus captat pater.

Itaque Vlp.in l.2.D.de s.c. Maced.ſcribit filiosfamiliàs in Caſtrenſi peculio ius ac vicẽ Patrũfa.obtinere.

Peculium caſtrenſe eſt,ait Macer, quod à parentibus vel cognatis in militia agenti donatũ eſt:vel quod ipſe filiusfa.in militia acquiſiuit,quod niſi militaret, acquiſiturus non fuiſſet.l.11.D.de caſtren.pecul. Peculium caſtrenſe eſt,quod in caſtris acquiritur, & quod proficiſcenti ad militiam datur.Paulus lib.Sentent.3.c.4.

Peculium NVPTÆ, Iuriſconſulti appellant,quæ præter dotem ei dantur,& marito traduntur. Papinianus.l.31. §.j.D.de donation.Species extra dotem à matre, filiæ nomine,viro traditas,filiæ quæ præſens fuit, donatas, & ab eo viuo traditas videri reſpondi.& paulo pòſt, Sed peculiũ à dote puellæ diſtingueretur.Itẽ Vlp.l.9.§. 2.D.de iur.dot.Dotis autem cauſſa data accipere debemus,ea quæ in dotem dãtur.Cæterum ſi res dentur in ea,quæ Græci *παράφερνα* dicunt, quæque Galli peculium appellant,videamus an ſtatim efficiantur mariti.

PECVLIATVS ſeruus, qui peculium habet. Caius.l.18. in fi.D.de Ædil.edict. Æquè ſi quis ſimpliciter dixerit, peculiatum eſſe ſeruum,ſufficit ſi is vel minimum habeat peculium.Apuleius lib.10.aſini aurei:Liberto acceptiſſimo ac bene peculiato. Plautus in Rud. Peculioſum vocat.In Perſa etiã verbo Peculiandi eſt vſus:

Atque iſtanc ob rem ego aliquid te peculiabo.

Huic contrarius eſt Expecaliatus, quo verbo vtitur idem Plautus.

PECVLIARE,dicitur,quod ex peculio eſt,vt Peculiaris ſeruus.l.3.§.miles.D.de ſuis, & legit.Plautus in prologo Captiu.Hic poſtquã hũc emit,dedit eum huic gnato ſuo peculiarem.Et Peculiaria mãcipia.l.4. D. de iis, qui not.infa. Et Peculiaris merx.l.j. D.de tributo. Et Peculiaris debitor.l.26.D.de condict.indeb. Et Peculiare nomen,ex peculio factum.l.28. D. de pign.act. & Peculiare vinum,quod ſerui habent, ſiue quod in vſu ſeruorum eſt.l.9.§.vlt.D.de tritico,vino.

PECVLIARIÆ res,apud Vlpian.l.4.in fin.D. de dol.except.pro peculiares.

PECVLIARITER, eſt ex nomine peculiari & cauſſa.l. j.D.de except.rei vend.& alibi.

PECVNIA, à pecu: à paſtoribus enim horum vocabulorum origo,quòd in pecore pecunia tum conſiſtebat paſtoribus.Varro.Pecuniæ autẽ verbum,inquit Vlpianus,non ſolum numeratã pecuniam cõplectitur,verũ omnem omnino pecuniam, hoc eſt omnia corpora. nam corpora quoque pecuniæ appellatione cõtineri, nemo eſt qui ambiget.l.178.D.de verb.ſign. Pecuniæ nomine,inquit Hermogenianus, non ſolùm numerata pecunia:ſed omnes res tam ſoli quàm mobiles,& tam corpora quàm iura continentur.l.222.D.de verb.ſign.Auguſtinus in lib.de diſciplina Chriſtianorum:Tertiũ,ait,quidquid homines poſſident in terra, omnia quorũ domini ſunt,pecunia vocatur:ſeruus ſit, vas ager,arbor,pecus,quidquid horũ eſt,pecunia dicitur.Et ideo pecunia,quia antiqui totũ quod habebant, in pecoribus ponebant.Ita in XII.Tab.non vno loco hoc nomine omnis ſubſtantia comprehendebantur. Quod & Iuſtin.in l.pen.C.de conſtit. pecun.ſignificat. In ſtipulatione quoque emptæ hæreditatis hæc verba, QVANTA PECVNIA AD TE EX HÆREDITATE L. TITII PERVENERIT, omnia hæreditaria iura cõplectuntur.l.50.D.de verb.obl.l.36.D.de pecul.l.20.§.j.D.de ſtip.ſeruorum.At cũ in anguſtũ reuocatur pecuniæ nomẽ,ea tantùm continet,quæ pondere,numero,& menſura conſtant:veluti in hac ſcriptura,qua legatorũ dies profertur: Quas pecunias legaui,quib[us] dies appoſitus nõ eſt l.19.& l.30.D.de leg.j

PECVNIARIS damnatio,pro Pecuniaria, apud Macrũ in l.10.in fi.D.de pœn.

Pecuniarum fideicommiſſum, fideicommiſſariæ hæreditati opponitur,& ſingularum rerum fideicommiſſum ſignificat.l.14.§.vlt.D.ad Trebell.l.24.in princip.D.de fideicommiſſ.libert. Opponitur & fideicommiſſariæ libertati in l.45.§.ſi rem.D.de fideicommiſſ.libert.

PECVNIARITER agere,pro ciuiliter & priuato iudicio,cuius pœna pecuniaria ſit.Vlp.l.vlt.D. de priu. delict. Si quis actionem quæ ex maleficiis oritur,velit exequi:ſiquidem pecuniariter agere velit,&c.

PEDAGIA dicuntur,quæ dantur à tranſeuntibus in locum conſtitutum à principe.c.ſuper quibuſdam. D.de verb.ſig.& vide Abb.c.innouamus:de cenſib.extra. Et capiens pedagium debet dare ſaluum conductum,& territorium eius tenere ſecurum,adeò quòd ſi aliquis ſpolietur,tenetur ei dominus terræ rapinam reſarcire,ſecundum Bald.in vſib.feud.de pa.iura.fir.in §.Conuenticula.facit.l.ne quid.D.de incẽd.rui.naufra.& not. Archi.33.q.5.ſi quis peregrinorum.

PEDAMENTVM,palus quo vinea innitens recta conſiſtit.Põponius.l.10.D.de vſufruct. Ex ſilua cædua pedamẽta & ramos ex arbore vſufructuariũ ſumpturum.

Pedamentorum,quæ vitium adminicula ſunt,tria ſunt genera:Ridicula vnum,robuſtũ,ſeu fiſſile,ex quercu, vel iunipero.Alterum è pertica,& eſt palus dictus,atque hic teres eſt.Tertium ob inopiam ex harundineto ſumitur.Tria hæc Pedamenta,& Statumina appellantur.Alciat.de verb.ſig.Idem in Parergis admonet pro radices,ridicas legendum,in l.is qui in puteum.§.ſiquis.Quod vi aut clam.Tu vide Pand.Flor.

PEDANEI iudices,qui prætori in cõſilio erãt,& ad pedes tribunalis,id eſt ab inferioribus ſubſellis aſſidebant:ſi ex eius delegatione leuiores cauſſas cognoſcere iuberentur.l.3.§.j.D.ne quis eum,qui in ius voc.l.j.§. item ſcribit.D.de poſtul. Quandoque Conſiliarij appellati.Alciat.in l. ſi quis.§. omnes.C. de pact.hi non vehebantur curru,ſed pedibus ibant. De Pedaneis iudicibus vide Anianum in Comm.in lib.5.Sẽten.I.Pauli tit.30.qui ex delegatione cauſſas audiunt.vide l.3.§.j.D. ne quis eum,qui.Pedaneos iudices χαμαιδικαςὰς appellauit Theophilus Inſti.de interdict. Alij etiam διαιτητὰς κληρωτοὺς vocãt. Ego potius Pedaneos iudices crediderim dictos eos qui de leuibus & minutis cauſſis cognoſcebant,& humiliora negotia diſceptabant, vt videre eſt ex l.4.& fin.C. de peda. iudic.l.fi. C. vbi & apud quos.Qui vel quales eſſe debeant,vide Nouel. 82.Nomen enim Pedanei iudices deductum videtur, item vt Pedarij ſenatores,à pedibus:quòd magiſtratus cùm iudicarent,in tribunali,edito & ſuperiore loco, conſidebant:hi verò in imo loco,vbi magiſtratus ſubſellia pedum habebant: vel potius ſic dici quod pede plano iudicarent,non pro tribunali, vt placet Cuiac. in d.Nou.82.

PEDARII ſenatores,auctore.C.Baſſo dicebantur,qui quia magiſtratum curulem nondũ ceperant,pedibus in curiã itabant.nam Senatores qui curulem magiſtratum geſſerant,veterum ætate curru ſolebant honoris gratia in curiam vehi:in quo curru ſella eſſet,ſupra quam conſiderent,quæ ob eam cauſam curulis appellaretur.Gell.lib.3.c.18. Pedarium ſenatorem Feſtus appellatum ſcribit,quia tacitus trãſeundo ad eum cuius ſententiam probat,quid ſentiat indicat.

PEDESTRE iter,quod vulgò Terreſtre:Vlp.l.j.§.9.D.de fluminib.Si pedeſtre iter impediatur, non ideo minus iter nauigio deterius fit.Similiter Cic.ad Attic.libr.4.

PEDICVLOS Paul.in l.32.D.de aur. arg.vocat,quib.ſigna ſuſtinentur,baſes,ſed tenues.Et ſic plerunque Pediculi à Columella dicuntur,quibus arborum ramibacceis onuſti ſuſtinentur:quaſi parui pedes.

PEDVLES Vlp.in tit.de aur.& arg.leg.l.argumento.faſcias crurules appellat.Sunt autem pedum aut calciamentorum faſciæ.Græci πέδιλα,vel πόδια, vocant,Latini Pedula,Feſto lib.14.

PEGASIANVM Senatuſconſultum, vide Senatuſconſultum Pegaſianum.

PEGMATA,πήγματα,apud Vlp.l.quæſitum.§.14.de inſtr. vel inſtrum. leg. antepagmenta quidam exponunt, quæ valuarum ſunt ornamenta affixa antis.Alia ornamenta eſſe volunt quædam,quibus ſtatuæ & ſigna voluptatis cauſſa imponuntur.Hæc ſunt Vlpiani verba: Nam & in emptione domus & ſpecularia & pegmata cedere,ſiue in ædificio ſint poſita,ſiue ad tempus detracta.Quod verò quidam à πάζω hoc in loco deduci volunt,ita parum veriſimile eſt,vt refutatione nõ indigeat.Feſtus autem ſcribit pegmata eſſe ex ære aut marmore armamenta,quæ vt plurimum in atriis,quãdoque in porticibus,auliſque affigebantur, maiorum, aliorúmque fortium virorum geſta certius quàm pictura oſtendentia.Hinc Martialis in Amphitheatro:

Et creſcunt media pegmata celſa uia.

PEIERARE,nõ eſt falſum iurare,ſed quod ex animi tui ſententia iuraueris,ſicut verbis concipitur,id non facere.Cicero libr.Offic.2.Iurare autem oportet,inquit Vlp.vt delatum eſt iuſiurandum.l.5.§.vlt.de iureiur.

PEIORARE eſt deteriorem reddere.Paul.lib.2.Sent.tit. 19.Homo liber,qui ſtatum ſuum in poteſtate habet,& peiorare eum & meliorem facere poteſt.

PELLES Babylonicæ.l.fi.C.de publica. Pelles lanatæ. l.70.§.j.D.de leg.3. Pelles indutoriæ,Paul.lib.3.Sent. tit.60.de quibus & in l.25.§.fi.& l.ſeq.D.de aur.& arg. leg. Pelles tentoriæ,ad tentoria & tabernacula paratæ,apud Vopiſcum in Aureliano,de quibus.l.7.D.de ſup.leg.Solebant enim antiquitus milites ſub pellibus degere. Hinc:

PELLIONES,à pellibus conficiendis dicti,ſub quibus milites hiemabant,apud Paternum in l.vlt. D. de iur. immunit.vbi tamen POLLIONES legitur.Cicero in Academ. In quo magna rei militaris eſſe occupatio ſolet:vt nõ multum Imperatori ſub ipſis pellibus ocij relinquatur:id eſt,in ſtatiuis.Ammian.lib.19.Sub pellibúſque exercitu diffuſo,per Iſtri fluminis margines Barbaros obſeruabat.

PELLEX appellata eſt,inquit Gellius lib.4.c.3.quæ iũcta conſuetáque eſſet cum eo in cuius manu mancipióque alia matrimonij cauſſa foret: quã probroſam habitam fuiſſe hac antiquiſſima lege oſtendit,quam Numæ regis fuiſſet ait: PELLEX ÆDEM IVNONIS NE TANGITO: SI TANGIT IVNONI CRINIBVS DIMISSIS AGNAM FOEMINAM CÆDITO.Pellex autẽ quaſi πάλλαξ,id eſt, quaſi παλλακίς, vt pleraque alia,ita hoc quoque vocabulum de Græco flexum eſt.Hinc Paulus ex Maſſurio.l.144.de verb. ſignific.Pellicem apud antiquos eam ſcribit habitam quæ cùm vxor non eſſet, cum aliquo tamen viuebat: quam nunc vero nomine Amicam,paulo honeſtiore Concubinam appellant.Sed & Pellicem vocari,quæ cum eo cui vxor ſit,corpus miſcet: vel quæ vxoris loco ſine nuptiis in domo ſit:quam Græci παλλακὴν vocant.De ea autẽ ſic Feſtus Pellicẽ eam antiqui propriè nominabant,quæ vxorem habẽti nubebat: cui generi mulierum etiã pœna cõſtituta eſt à Numa Pompilio.

PENDERE pœnas propriè dicitur,qui ob delictum pecuniam ſoluit,quia penſo ære vtebantur. Vel Pendere pœnas ſoluere ſignificat: ab eo quòd ære graui cum vterentur Romani penſo eo non numerato debitum ſoluebant.vnde & penſiones dictæ.Feſtus.

Pendere conditio,dieſve dicitur,cuius adhuc euentus expectatur.Pẽdet etiã ſeu in pẽdenti eſt, quicquid in ſuſpenſo eſt.Pendent fructus,quandiu ſolo cohærent,& terra cõtinentur.Hinc Pendẽtes fructus fundo cohærentes.l.44.D.de rei vindicat.l.15.D.de pignorib.l.13. D.de

D.de vſufruct.l.vlti. §.fructus. D.quæ in fraud.cred. Quo ſenſu & pendens vindemia dicitur, id eſt nondum lecta, l.26.D.de act.empt. Et pendens oliua, l.39. D.de contrah.empt.

Pendere edicta dicebantur Lamprid.in Alex. Ita, inquit, vt edictum penderet ante menſes duos.& apud Auſonium in gratiarum actione.

Pensio ferè dicitur pecunia quæ ex prædiorum vrbanorum locatione percipitur: Græcis ἐνοίκιον dicitur: quæ verò ex ruſticorum, Merces. vide l.27.& l.29. D.de hæred.pet. Penſio, ſolutio. Varro, Ab ære impendendo, Diſpenſator: & in tabulis ſcribimus Expenſum: & prima penſio, & ſic aut ſecunda, aut quæ alia. Paulus l.40. D.de rebus cred. Igitur finito primo menſe primæ penſionis vſuras currere. Item: Et ideo non ſoluta pecunia ſtatutis penſionibus, ex die ſtipulationis vſuras deberi. Cicero pro Qu. Roſcio: Falſum ſubornauit teſtem Roſcius Clunium: cur tam ſerò? cur cum altera penſio ſoluenda eſſet, non tum cum prima?

Penſiones trientes, pro trientario fenore dixit Lamprid. in Alexan. Penſio etiam præſtationem temporibus & terminis, vt nũc loquimur, diuiſam ſignificat, l.3. D.de ann.leg. Penſiones vectigalium l.10.§.fi.D.de public.

Penes, & Apud, in hoc differunt: quoniam Apud perſonam tantum cum loco ſignificat: Penes verò non tantum locum & perſonam deſignat, ſed etiam dominiũ. Vlpia.de verb.ſign.l.penes te. Penes te, inquit, amplius eſt, quàm apud te eſt. Prius etenim ſignificat poſſeſſionem, poſterius ſolam detentionem. Plerunque tamen non ſeruatur ea proprietas, ſed alterũ pro altero promiſcuè vſurpatur, vt l.j.l.3.§.ſi penes. D.de tab.exh.l. 13.de vſuca.D.l.15.§.eum qui.D.de preca.

Pene dixerim, moderationis clauſula hæc eſt, Iuriſconſultis admodum familiaris. Pomponius in l.ſtipulationum aliæ.§.Conuentionales ſunt, inquit, quæ ex conuentione reorum fiunt: quarum totidem genera ſunt, quot penè dixerim rerum contrahẽdarum. Cum enim plura ſint negotia, quàm vocabula, quomodo etiam nõ plura eſſent rerum quàm ſtipulationum genera? l.Natura enim.D.de præſcript.verb.

Pensatus, a, um, participium à penſo, as, pro compenſatus. Vlp.l.in exceptionibus. de probat. idem erit dicendum, & ſi ea pecunia petatur, quæ penſata dicitur. Hinc,

Pensatio, pro compenſatione, apud Iulianum, in l. Mæuius.§.arbiter.de arbit. Quæſitum eſt, ait Iulianus, an poſſit penſatione vltrò citróque condemnationis facta eum ſolum, cuius ſumma excederet, &c. dãnare?

Pensitatio verbum Papiniano ſemper in ore eſt, l. 18.ad fi.D.commo.l. 67.§.ſed ſi vno.& §.ſi duos. D.de lega.2.l.39.D.ſol.mat.

Pensvm, quantitas, c.denique.Diſtin.4.

Pentaprotias, Græca vox eſt, & ſignificat quinque primorum munus: quos alibi ſacræ conſtitutiones, quinque Summates vocant. Ipſe Quintumuiros appellari puto in l.de cubiculis noſtris. C.de priuil. eor.qui in ſac.palat.milit.lib.12.

Πένθος apud C. Harmenopul.libro 4.titul.6. eſt virorum luctu dignorum, πένθιμος indignorum.

Πενθερὸς, vide Soceri.

Penvla, itinerariũ, aut frigoris & pluuiæ veſtimentum eſt, quo l.j.C.Th.de hab.quo vti oport. intra vrb. Senatoribus intra vrbem vti permittit pluuiæ tantum aut frigoris cauſſa, vt arbitror, ſuperiectum etiam interiori veſtimento. Tertullianus in Apolog. Nec vel hyeme voluptas impudica frigeret, Lacedæmonij penulam ludis excogitarunt. Imperatores verò his ne pluuiæ quidem tempore vtebantur. Spartianus in Adriano: Penulis, inquit, vti tribuni plebis pluuię tempore ſolebant, imperatores autem nunquam. Idem in eodẽ refert, Senatores & equites Romanos Hadrianum iuſſiſſe ſemper in publico eſſe togatos, ipſum cũ in Italia eſſet, ſemper togatum proceſſiſſe. Sed d.l.j.ſatis habet ſi ſenator in Senatu, & in fungendo munere ſenatorio, togatus fuerit. Cuiac.

Penvs, auctore Qu.Mutio, eſt quod eſculentum aut poculentum eſt: quod enim ipſius patrisfa. aut liberorum patrisfa. eiuſque familiæ quæ circum eos, aut liberos eius eſt, & opus non facit, cauſſa paratum eſt, vt Mutius, ait, penus videri debet. nam quæ ad edendum bibendúmque in dies ſingulos prandij aut cœnæ cauſſa parantur, penus non ſunt: ſed ea potius quæ huiuſce generis longæ vſionis gratia contrahuntur, & reconduntur, ex eo quòd non in promptu ſint, ſed intus & penitus habeantur, Penus dicta ſunt. Gell.lib.4. cap.j. Itaque Vlpian.l.3.de penu legata: Penus, inquit, ea omnia continet quæ eſui potuíque ſunt, quæ tamen paterfamilias vſus ſui cauſſa, eiuſque familiæ, quam circa ſe & ſuos habet, parauit. Cicero lib.de Natur. deor.1. Penum eſſe definit omne quo homines veſcuntur. Veteres Gloſſæ penum definiunt ὅσα εἰς πόσιν καὶ βρῶσιν συναθροίζε(ται).

Peplvm, eximij candoris veſtis, ſine manicis. vide Alex.ab Alex.lib.j.cap.22.

Per, aliquando ſignificat iuxta, vel inter, l.fin.D.de ſeru. verb. Per quandoque ſupprimitur per ἔκλειψιν in l.30. in fi.ibi, principem.D.de reb.auct.iud.poſſid. De hac dictione Per, vide Bar.l.Celſus.D.de vſucap.

Per, perfectionem ſignificat l.vrbana. §.pernotat. D.de verborum ſignificat. Aliquando ſignificat propter, c. vt conſtitueretur.50.diſt.

Per aliquem ſtetiſſe, vel factum quo minus daret, videtur, ſi interpellatus non dederit, aut ſi rem debitam occiderit, l.23.D.de verb.oblig.l.5.D.ſi cert.pet. Diuerſum l.49.D.de verbo.obligat.

Per ætatem, dum ætas adeſt.

Per alluuionem, vt ait Iuſtinian. in §.præterea. Inſtitutio. de rerum diuiſ. id videtur adiici, quod ita paulatim adiicitur, vt intelligi non poſſit, quantum quoquo temporis momento adiiciatur.

Per annos certos, quo modo ſit intelligendum, l.ſi certis. C.de pact.l.aduerſus.C.de vſucap.

Per calumniam, l.vnic.D.ſi mul.vent.not.

Per chartã, vel chartæ beneficio poſſidere, eſt teſtamenti iure, & ſecundum tabulas poſſidere. Gregor. Turon. lib.4.cap.12. Erat enim tunc temporis Anaſtaſius Preſbyter, qui per chartas glorioſæ memoriæ Chlothildis Reginæ proprietatem aliquam poſſidebat. Albertus Krantz.lib.Dan.2.cap.3. Equidẽ ædes, agros, vineas, & his ſimilia teſtamẽto dari audiuimus. Regnum autem præſtare chartæ beneficio prodigij loco habitum eſt.

Per conſequentias, l.ſin autem.D.de rei vindic.

Per contrarium, ex aduerſo, l.Iulianus. D.de action.empt.

Per fideicommiſſum, prouerbiali ſermone vſurpari ſolitum, pro Per obliquum, per anfractum, & nõ directo: ſignificare videtur Arnobius lib.cont.gent. 6. Deos, inquitis, per ſimulacra veneramur. Per tramites ergo quoſdam, & per quædam fideicommiſſa (vt dicitur) veſtras ſumunt atque accipiunt cultiones. Iuſtinianus §.j.De fideicommiſſ. In primis opus eſt vt aliquis recto iure, teſtamẽto hæres inſtituatur eiúſq; fideicommittatur, vt eam hæreditatẽ alij reſtituat. Hinc directo & Per fideicõmiſſum paſſim à noſtris opponuntur: vt l.16.D.de fideic.lib.l.2. C.quand. & quib.quart.l.2.§.j. D.de iur.codicil.

Per genium principis iurare: vide Genius.

Per indicem, prouerbium eſt apud Iuſtinianum in extremo Inſtitut. pro ſummatim, ſtrictim curſimq;, obiter & quaſi per tranſennam: Vt vobis, inquit, poſſibile ſit, ſummo digito & quaſi per indicem ea tetigiſſe. quaſi

libros Inſtitutionum pro παρατίτλοις (quæ appellat) id eſt argumentis Pandectarum eſſe velit. nam Indicem pro eo quòd Titulum vulgò appellamus, Latini vſurpant: quinetiam idem Imp.l.j.§.pen. C.de veter.iur. enucl.hoc in paratitlorum mentione ſignificat. Sed ſufficiat,inquit,per indices tantummodo & titulorum ſubtilitatem,quæ παράτιτλα nuncupantur,quædam admonitoria eius facere. Aſconius in Verrin.3. Quo cum eſſet ventum,antequã cauſſa ageretur, quaſi per indicem rẽ exponebãt: quod ipſum dicebatur Cauſſæ cõiectio,quaſi cauſſæ ſuæ in breue coactio. Vide Index.

Per iudicem peti,exigi auferri dicitur, quod iudicio petitur,aufertur,iudicíſve iuſſu ſoluitur, l.21.D.ſi cert.pet. l.22.D.rem rat.hab. Per iudicem aliquid fieri, hoc eſt,officio iudicis.l.vltim.D.de rei vindicat.

Per lancem & licium furtum quærere, vide Furtum per lancem liciúmque.

Per magiſtratum factum videtur, in edicto, ex quib.cauſ. maiores in int.reſt.ſi magiſtratus ius non dixit, aut per ſordes dixit,aut gratiam,l.26.§.per magiſtratus. D.eo.

Per manus tradi dicitur,quod ſucceſſione quadam ab aliis ad alios deuenit. Vſum parœmiæ Eraſm.indicat. Extat & apud Papinianum,de iure codicil.l.quod per.Quod per manus traditum eſt . codicillis hæreditatem dari non poſſe.Per manus,id eſt,vulgò,interpres exponit.

Per partes euenire dicit Pomponius in l.2. D.de ori.iur. hoc eſt, per ſuccedaneam rerum conſequentiam: vt exemplis paulatim Romani diſcerent, quid facto eſſet opus. Nos hodie nulla rerum dictamina, ſed noſtros planè cæcos adfectus ſequimur.

Per principis iurare. Græca defectione dicitur, pro, Per principis genium iurare.l.2.C.de reb.cred.l.13.§.vlt.D. de iureiur.vide Genius.

Per Satyram,vide SATYRA, & SATYRA lex.

Per ſolutionem,quàm ſpecie. Hanc phraſin ceu elegantem apud Paul.in l.2.§.2. D.ſi cert.petat.indicauit Dn. Haloander,vt negationem potius,quàm collationem inſinuet,ſicut & in l.ſi hominem.D.depoſiti.& in l.2, in fi.D.de iudi.

Per te non fieri ſtipulatio.non hoc ſignificat, nihil te facturum,quo minus facere poſſis,ſed curaturum vt facere poſſis,l.in illa.50.D.de verb.oblig.

PERÆQVATORES,tit.Cod.de cenſ.& cenſit.& peræquat.ij ſunt qui cenſuactio emendant, prædiis inſpectis & adæquatis inuicem, vt releuentur quibus grauius eſt onus adſcriptum, grauentur quæ ſunt cenſita leuius.l.10. C.de fund.patr.l.penult.& vlt. C.de ann.& trib.l.12.& 14.C.Th.de cẽſit.l.vlt.C.Th.de locat.fund. iur.emph. Græci ἐξισωτὰς vocant. Euſebius 4.de vita Conſtãtini, ἄνδρας ἐξισωτὰς κατέπεμπε.Græci interpretes iuris: Ἐπόπτης λέγεται ὁ ἐξισωτής.itaque Inſpectoris munus penè idem eſt qui peræquatoris. Hinc Caſſiodorus lib.10.Vt ad prædium.de quo querela eſt, diligens inſpector accedat, & rebus moderata inquiſitione trutinatis, quidquid grauaminis poteſt habere poſſeſſio, rationabiliter abrogetur.

PERAGIT, qui obtinet: vnde peregiſſe reum dicitur, qui vſque ad damnationem eum perſecutus eſt, & vt condemnaretur effecit,l.2. D.de adult. Agit,qui in iudicio perſequitur id quod ſibi debetur. Exigit, qui quod iudicio proſecutus eſt , recipit. Tranſigit, qui actionem ſibi competentem, ſiue inſtituta, ſiue inſtituenda ſit,aliquo recepto,cauſſa concordiæ omittit, l. j.D.de tranſact.

Peragere adulterium,l.5. D.de adult. eſt accuſationem ad implere. Sic Peragere litem,l.22.D.de inoffic.teſta. ad exitum perducere. Peracto teſtamento, id eſt perfecto,l.12.D.de iis,quæ vt indignis.

PERCEPTIONEM fructus (vt Labeo tradit) accipere debemus non tantũ ſi perfectè ſint collecti, ſed etiam cœpti ita percipi, vt terra ſe continere fructus deſierint: veluti ſi oliuæ,vel vuæ collectæ ſint,nondum autem vinum vel oleum ab aliquo factũ eſt: ſtatim enim ipſe accepiſſe fructum exiſtimandus eſt.l.ſi eius fundi. D.de rei vindicat.

Perceptio pro ſolutione, & præſtatione, l.4.D.de iis,qui deiec.vel effud.

PERCVSSOR, qui percutit & occidit, & ad id faciendum conducitur. C.de ſicar. l.ſi quis percuſſor.& D. de Sil.l.& ſi percuſſor.

PERDERE feudum,pro amittere,§.item qui titul. Quæ fuit prima cauſſa. Item pro exceptione repelli, l.ſi filius.in princ.D.ad Macedo. Cæterum haud perdidiſſe rem cenſetur, qui eius reſtitutionem petere poteſt,l. nemo.& ibidem Bart.D.de in integ.reſtit.

Perdidiſſe creditor videtur, qui exceptione repelli poteſt,l.ſi filius. in princ.ad Maced.

PERDITVM, à diminuto diſtat, l.parditum. D.de petit. hære.& à derelicto. l.interdum. §.ex nafragio. D.de acquir. poſſeſſio.

PERDVCTA, pro perinducta, ſiue omnino inducta, ac deleta.Vlpian.l.j.D.de his quæ in teſt.del.Sed nolentibus inducta accipiendum eſt,& ſi perducta ſint.

PERDVELLES appellabant veteres eos, quos nos hoſtes appellamus:per eam adiectionem indicantes cum quibus bellum eſſet.Gaius l.234 .D.de verb.ſign. Duellum enim pro bello dicebant:& duellare,bellare. Hoſtes autem illi tum peregrinos dicebant, qui ſuis vterentur legibus, & bellum pulchrum haud dubiè ſignificabat.Varro lib.De Ling.6.Apud Ennium eſt.Quin inde inuicteis ſumpſerunt perduellibus. Perduelles ſunt hoſtes. vt perficit, ſic Perduellum Duellum: id poſtea bellum.ab eadem cauſſa facta Duellona,Bellona.Hinc factum vt qui hoſtili animo in Rempublicã, aut Imperatorem eſſet,Perduellionis iudicio teneretur,vt ait Vlpian.in l.vlt. D.ad leg.Iul.maieſt. Aliud eſt enim maieſtatis,aliud perduellionis crimen:hoc enim ſub illo,tanquam ſpecies ſub genere ita compræhenditur,vt crimen ſit imminutæ maieſtatis & grauiſſimũ & atrociſſimum, quippe quod ad vniuerſæ Reipublicæ ſtatum labefactandum pertineat: veluti ſi quis aut regnum affectaſſet,vt Spurius Caſſius Viſcellinus: aut magiſtratum populi Romani ſacroſanctum violaſſet, vt C.Rabirius, pro quo extat Ciceronis oratio: ac proinde qui poſtremis temporibus hoſtile aliquid in perſonam Imperatoris molitus eſſet, vti Iuriſconſulti ſignificant.Tribunitiam enim poteſtatem Imperatores totam in ſe tranſtuliſſe,nemo neſcit.Item qui ciuis Romani libertatem violaſſet, veluti qui eum ſecuri percuſſiſſet,aut in crucem ſuſtuliſſet:qua de re Cicero Verrina 3 ſic ſcribit: Hoc in illo maieſtatis iudicio ſi licuiſſe ſibi oſtenderit, ego oportuiſſe concedam.Ex hoc quoque euaſerit: proficiſcar eò quò me iampridem vocat populus Romanus. de iure enim libertatis & ciuitatis ſuum putat eſſe iudicium: & rectè putat. Confringat iſte ſanè vi ſua cõſilia ſenatoria, quæſtiones omnium perrumpat, euolet ex veſtra ſeueritate. mihi credite, arctioribus apud popul.Rom.laqueis tenebitur. Credet iis equitib. R.populus Rom. qui ad vos antea producti teſtes ipſis inſpectantibus, ab iſto ciuẽ R.qui cognitores homines honeſtos daret, ſublatum eſſe in crucem dixerunt. Credent omnes quinque & triginta tribus,homini grauiſſimo atq; ornatiſſimo, M.Annio, qui ſe præſente ciuem R.ſecuri percuſſum eſſe dixit.Audietur à pop.Rom.vir primarius eques R.L.Flauius, qui ſuum familiarem Herennium negociatorem ex Africa, cùm eum Syracuſis amplius centum ciues Rom.cognoſcerent, lacrymantéſq; defenderent,pro teſtimonio dixit,ſecuri eſſe percuſſum. Probabit fidem, & auctoritatem,& religionem ſuam

L.Suetius, homo omnibus ornamentis præditus: qui iuratus apud vos dixit, multos ciues Rom.in latumiis iſtius imperio crudeliſſimo per vim morte eſſe mulctatos.Hanc ego cauſſam cùm agam beneficio populi Rom.de loco ſuperiore,non vereor, ne aut iſtum vis vlla ex populi Rom.ſuffragiis eripere, aut à me vllum munus Aedilitatis amplius aut gratius populo Romano eſſe poſſit.Quadruplicem igitur inter maieſtatis & perduellionis crimina differentiam notat Hotomanus: prima eſt, quòd maieſtatis crimine tenentur ij, qui vel partem aliqmam Reipublicæ læſerunt:veluti ſi quis duces hoſtium accepta pecunia liberauit, aut priuatus domi ſuæ hoſtium duces tenuit: (quod Verres feciſſe dicitur in illa eadem Oratione) aut ſi magiſtratui quippiam pro ſua poteſtate agenti aliquis officiat: veluti C.Cornelius,quem Cicero defendit. Perduellionis autem crimen in eos cadit, qui ſummam Reipubl.labefactare conati ſunt, vti ſuperius docuimus. Altera differentia eſt, quòd maieſtatis crimen in foro apud ſuum Prætorem,pro tribunali,iudicio certa lege conſtituto, agebatur;vt ex Verrina 3.& 7.cognoſcitur. Perduellio verò primis quidem temporibus à Duumuiris data opera creatis, pòſt autem à populo Rom. comitiis centuriatis in campo Martio cognoſcebatur: quemadmodum ex Oratione Ciceronis pro C.Rabirio perduellionis reo, in campo Martio habita, itémque ex Valerij libro ſexto, cap.5.ſatis planè conſtat. Tertia differentia eſt, quod maieſtatis crimen non morte, ſed exilio mulctabatur: Perduellionis verò damnatũ carnifex in vrbem euocatus in crucem Martio in campo fixam tollebat.quod ex eadem Oratione cognoſcitur,in qua crucis mentio fit,& ex Dionis lib. 37.vbi de hoc iudicio commemorat. Quartam differentiam Vlpianus oſtendit in d.l.vlt.De crim.maieſt. vbi ait,maieſtatis imminutæ crimen rei morte obliterari:perduellionis autem memoriam etiam poſt mortem damnari. quomodo intelligendus eſt Imperator in §.2.De public.iudic.Is qui in reatu decedit (inquit Vlpian.) integri ſtatus decedit. extinguitur enim crimen mortalitate. niſi fortè quis maieſtatis reus fuit. nam hoc crimine niſi à ſucceſſoribus purgetur, hæreditas fiſco vindicatur.Planè non quiſq; legis Iuliæ maieſtatis reus eſt,in eadem conditione eſt: ſed qui perduelllonis reus eſt.hoſtili animo aduerſus rem publicã vel principẽ animatus. Cæterùm ſi quis ex alia cauſſa legis Iuliæ maieſtatis reus ſit,morte crimine liberatur.

Peregri dicitur, cum quis in loco eſt: Peregrè cum it in locum,vt Fl.Soſipater ſcribit. Hinc Cuiacius,

Peregrinatos, non peregrinantes legẽdum cenſet in §.fi.Inſtit.de hæred.inſtit.

Peregrinus dicitur,qui ciuis Romanus non eſt, ad quem ius Quiritium non pertinet, ſiue nunquã fuerit ciuis,ſiue amiſerit ciuitatem per deportationem, Imp. l.j.C.de hære.inſt.Qui deportatur, ſi hæredes ſcribantur,tanquam Peregrini capere nõ poſſunt. quod idem traditur in l.ſed etſi.§.ſolemus. D.de hæred.inſt. Peregrini etiam ſunt qui dedititiorum numero ſunt, Vlpiano in Epitom.titul.20 Dicuntur & Peregrini ἀπόλιδες,quod ciuitate careant,in l.j.§.2.D.de legat.3. Hinc,

Peregrinitas, peregrinorum conditio & ſtatus, Vlp.l.10.§.4.D.de in ius voc. Sed ſi per pœnam deportationis ad peregrinitatem redactus ſit patronus, putat Pompon.eum amiſiſſe honorem. Suetonius in Claudio: Splendium virum, Græciæque prouinciæ principem, verùm Latini ſermonis ignarum, non modò albo iudicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit.

Peregrinus autem in peruulgata illa Federici conſtitutione, cuius initium, eſt, Omnes peregrini, non ſumitur eo ſenſu, qui ſupra dictus eſt, ſed καταχρηϛικῶς, pro eo, ſcilicet qui peregrinatur, & peregre abeſt à domo ſua.

Perendinus dies hodie dici poteſt, cùm iudex ſtatuit, aut inter partes conuenit, vt omne inſtrumentũ litis apud acta vtrinque proferatur intra triduum. Atque tunc lis & res comperendinata dicitur. Budæ.in l. 2.de orig.iur.

Perenne flumen deſcribitur à Iuriſcon.l.j.§.2.D.de fluminib.

Perfeciſſe ædificium is videtur, inquit Vlp. qui ita conſummauit, vt iam in vſu eſſe poſſit, l.159. D.de verbo.ſignif.

Perfectum, quod omnibus ſuis partib.conſtat.l.j. D.de ori.iur. Et propriè cui nihil addi, vel minui ſalua integritate poteſt, l.iuriſperitos. D.de excuſa.tuto. Quamuis Vlpian. Perfectum ædificium interpretatur, quod tali vſu eſſe poteſt, qualem paterfamilias deſtinauit, l.139.D.de verbo.ſignifi.In pactis conuentionibúſque perfectum intelligemus, cùm factum eſt illud, quod fieri inter partes conuenit. Antè enim quàm res cõſummationem acceperit, factum non dicitur: quæ ſi acceſſerit, non ſolùm factum, ſed etiam perfectum dicetur.

Perfectum & completum pro eodem, l.2.§.omnes autem. D.de iudic.

Perfecta ætas tametſi multiplicem habet intellectum,vt colligitur in l.fina. C.de his qui ven.ætat. impetr.propriè tamen accipienda eſt,quæ 25.annorum curriculo completur,l.ad Rempubl.D.de hon.& mun.

Perfectiſſimi dicebantur, tit.Cod.de perfectiſſ. dign.qui à conditione ſeruili abhorrerent, vel fiſco, aut curiæ obnoxij nõ eſſent, vel qui piſtores non fuiſſent,vel in aliquo negotio non conſtitiſſent, nec ſibi honorem venali ſuffragio emiſſent, nec rem alicuius adminiſtraſſent. Perfectiſſimi dicuntur Præſes Arabiæ, l.4.C.Th.de pœn.& Dalmatiæ à Mariano, & magiſter cenſus,l.30.C.de epiſc.& cler.& primicerij ſcriniorum,l.7.C.de palat.ſac.larg.l.7.C.Th.de priuile.eorum qui in ſacr.pal.mil. & olim duces auctore Marcellino lib.21.Lactant.lib.5.ca.15.Nemo egregius, niſi qui bonus & innocens fuerit: nemo clariſſimus, niſi qui opera miſericordiæ largiter fecerit: nemo perfectiſſimus, niſi qui omnes gradus virtutis impleuerit. vide etiam Alciat.lib.3.Diſpun.cap.4.

Perfectiſſimatus in titul. C.de perfectiſs. dignit.quid ſit, vide Dignitatum gradus: Alciatus docet ex vetuſtiſſimis monumentis, Tarraconenſis Hiſpaniæ, ac Norici fuiſſe perfectiſſimos tantùm, quod duabus literis deſignabant, v.p. ſicut clariſſimos viros.v.c.

Perferre inofficioſi querelam, litem, cauſſam exequi,& ad initium perducere,l.16. D de inoffic.teſt. l.6. D,de colla.l.6.D.de vſufr.

Perfidè agere circa rem pupilli tutor dicitur potius quàm contrectare,l.tres tutores.D.de admi.tut.

Perfunctoriè. Vlp.in l.aut qui aliter. Quod vi aut clam. Neque quidem perfunctoriè, aut obſcurè dicere, aut denuntiare, id eſt vt Budæus interpretatur,non bona fide,nec ex animo, nec iuſta denunciatione. Papinianus:Qui non perfunctoriè debitum officium impleuerant.In his tamen locis Perfuſoriè habent Pand. Florẽtinæ,& vide Perfuſoriè. Alciatus autem hanc dictionem in claſſe earum ponit, quæ aliis in auctoribus nuſquam eo ſenſu reperiuntur:aitque,Perfunctoriè eſſe,leui cura, & aliud agendo :vnde perfungi, & defungi, quod eſt vtcunque explicare. At Budæo perfungi,eſt ad extremum obire munus, & ſtrenuè operam nauare.

Perfuſoriè, ſubobſcurè, diſſimulanter, non diſertè, planéque aliquid dicere. Vlpian. l.5. §.j.D.quod vi aut clàm.

aut clam. Debebit enim & diem & horam denunciatione complecti, & vbi, & quod opus futurum ſit: neq; perfuſoriè, aut obſcurè dicere, aut denunciare, id eſt, non ab aliis ſermonibus diſcretè, vt notari & exaudiri poſſit, ſed fuſè per alios ſermones, & permiſtè. Scæuola l.69.§.2.D.de euict. Sed etſi quis in vēditione ſtatuliberum perfuſoriè dixerit, conditionem autem libertatis celauerit. Item: Sicuti qui fundum tradit, & cum ſciat certam ciuitatem deberi, perfuſorie dixerit, Itinera, actus, &c.

PERGVLA, apud Vlp. in l. hæres. §.2. de iudic. eſt exedra anguſta, in ſuperficie aliqua ædium, vt Gloſſæ antiquorum explicant, ὑπερῷον, ἰκρία, μεσόδμη, ὀροφὴ, στενὸν οἴκημα. Tertullia. aduerſus Valentinia. Cœnacula in ædicularum diſpoſita forma, aliis atque aliis pergulis ſuperſtructis. Propertius in lenam: *Horruit algenti pergula curta foco.* In ea plerunque merces venales diſpendebant, & inde l.5.§. penult. D. de his qui deiec. vel eff. ud. Cum pictor in pergula clypeum vel tabulam expoſitam habuiſſet: vbi etiam pergulam Baſilica ὑπερῷον exponunt. Et in l. vlt. C. Th. de excuſ. artif. priuilegium hoc pictoribus dari, vt pergulas & officinas in locis publicis ſine penſione obtineant. Hinc illud Lucilij Satyrici apud Lactantium: *Pergula pictorum, ueri nihil omnia ficta.* Cuiac. At Budæus, Pergula, inquit, pars eſt domus exporrecta, & propendens, eius generis, quas Salientes artifices noſtri appellant.

PERICVLVM nonnunquam ſignificat id quod fit ab artifice tantum experiēdi & periclitandi ingenij gratia, ſeu quod primò ab artifice excogitatur & efficitur, vt poſtea expoliatur, & accuratius abſoluatur. Græci πεῖραν vocant. Hinc Cic. li. j. de legib. de Poëtis differens: Sed tamen, inquit, nonnulli iſti Tite faciunt imperite, qui in iſto periculo, non vt à Poëta, ſed vt à teſte veritatem exigant. Hinc tit. li. 7. Cod. De ſententiis ex periculo recitandis, (ſic enim legendum prorſus videtur, quod & confirmat Cuiac.) id eſt ex libello, in quo ſententiæ ſcriptæ ſunt. Atque huc pertinere videtur illud Cicer. in frumentaria. Ordo ſcribarum eſt honeſtus, quis negat? Eſt verò honeſtus, quòd eorum hominum fidei tabulæ publicæ periculaque magiſtratuum committuntur. Item illud Valer. Probi in Epaminonda: Sed vnum à iudicibus petiit, vt in periculo ſuo inſcriberent, &c. Sunt qui malint eo Cod. loco, legi breuiculo: breuiculum explicantes, paruū breue, & quod Gallis dicitur *breuet*, vel *diction.*

Periculum etiam experimentum ſignificat, quòd raro aliquid ſine periculo tentetur. Hinc facere periculum, pro experiri. Proprie autem ſalutis diſcrimen denotat. An periculi appellatione veniat fortuitus caſus, Bart. Explicat in l. qui mercedem. D. locati. Dicitur autem periculo alicuius eſſe res plurifariam, l. damni infecti ſtipolatio, in princip. D. de damn. infect. Sed periculum proprie de homine accipitur, l. interpoſitas. C. de tranſact. Vnde ſe periculo ſubiiciens, renunciare vitæ exiſtimatur, per text. iunct. gloſſ. l. Princeps. C. de princ. agent. in reb. lib. 12. Notum, & rerum eſſe periculūm, per tot. titul. D. de peric. & comm. rei vend. Cæterum periculum mortis quomodo intelligendum ſit, eleganter exponunt Iuriſcoſ. per aliquot ll. de mor. iuſ. donat.

PERIMERE diſceptationem, hoc eſt interpretante Vlpian. vltrà non pati aduerſarium tergiuerſari, l. & tertium. D. de iud. Perimere legatum, non eſt prorſus tollere, ſed extenuare, l. qui hominem. D. de adim. legat. Proprie tamen perimere eſt tollere, & interficere. Hinc apud Vlp. l. & tertium. de iudi. Peremptorium edictum dicitur, eo quòd perimat diſceptationem inter litigatores, hoc eſt, vltrà non patiatur aduerſariū tergiuerſari. Idem in fin. l. cum hi. D. de tranſactio. Iniquum eſt enim, ait, perimi pacto id de quo cogitatum non docetur.

PEREMPTORIVM, vide Perimere.

PEREMPTORIVM ed ctum inde hoc nomen ſumpſit, quòd perimeret diſceptationem, hoc eſt vltrà non pateretur aduerſarium tergiuerſari. Ad illud autem hoc ordine venitur, vt primò quis petat per abſentiam aduerſarij edictum primum, mox alterum, per interuallum non minus decem dierum, & tertium. quibus propoſitis, tum peremptorium impetratur. l.68. l.69. l.70. D. de iud. vide CONTVMAX.

PEREMPTORIÆ exceptiones, vide Perimere.

PEREMPTORIÆ exceptiones vocantur, à perimenda cauſſa in iudicium deducta. adferunt enim totius litis finem, ſi probatæ fuerint. Aliàs perpetuæ, quia ſemper locum habent, nec euitari poſſunt l.3. D. de except. §. Appellantur. Inſtit. eodem tit.

PEREMPTIO, l. qui hominem. D. de adim. legar.

Περιοδευταὶ in l.6. D. de excuſat. tuto. vetus interpres vertit circuitores. Zonaras ſic exponit. cap. 57. Concilij Laodiceni περιοδευταὶ λέγονται διὰ τὸ περιέρχεσθαι, καὶ καταρτίζειν τοὺς πιστούς.

PERISSOCHOREGIA, l.2. D. de frum. Alexand. id eſt ſupererogatio. Et periſſochoregiæ nomē penitus amputetur. Eſt autem deductum à voce περισσός, id eſt, abundans, & χορηγία, erogatio. Eadem loquendi forma ſuperexactionem, περισσοπραξίαν vocant.

PERIISSE verbo ſciſſum & fractum, & vi raptum continetur, ait Vlpianus l.9. D. de verb. ſignif.

PERISSEVMA, dici poteſt, quod abundantiā rerū ſuppetit. Hinc περισσεύω, copia rerū ſuperare ſignificat. Et eſt congiarū proprie, quod plebi datur: ſicut quod militibus donatiuū. Ael. Spart. in Aelio Vero, & Iul. Capitol. in Pio. Solebat autē vltra ſtipendiū dari liberalitatis cauſſa, vt milites magis addicti Imperatoribus eſſent. Alciat. C. de Annon. ciuilib. l. Centum periſſeumaticis. lib. 11. Alij legunt eo in loco Parapeteumatis: & rectè vide Parapeteuma.

PERISTROMATA & ſtragula, cum in aulis Regum expanderentur, aulæa & Attalica nuncupabantur, ab Attalo Rege, qui aurum intexere in Aſia primus inueniſſe dicitur. Videmus & nunc lectos tapetis ſtratos.

PERITIA proprie iuris eſt, Inſtit. de iur. nat. in princip. Huius autem mater, Experientia eſt. Nec Philoſophus præcipit otioſe, vt fideis ei maxima adhibeatur in ea arte, in qua diutiſſime ac diligentiſſime verſatus fuerit, plurimáque expertus. Sed & apud noſtros regulare eſt, vt peritis credatur de qualibet re, l. j. in princ. D. de inſpicien. vent. l. ſeptimo menſe. D. de ſtat. hom.

PERITI habētur, qui multa experti ſunt, vocati ab antiquis iuriſprudentes, quibus ſcilicet ab experto noti eſſent, atque ab obſeruatione ritus patrij, leges, mores, conſuetudines: quíque memoria tenerent, quaque in cauſa, quoque in negotio, vel ancipiti, ac maximè dubio, vel oppidò quàm difficili, quid à maioribus vel iudicatum eſſet, vel cōſtitutum, vel publicè etiam ſancitum: vnde qui huiuſmodi facultati dant operam, Legum periti, ac iuris dicuntur: eáque cognitio appellatur à doctis pariter, atq; indoctis Peritia. Ad eiuſmodi peritos Legum, & minimè ad leguleios, aut rabulas forenſes arbitror pertinere, l. Iuriſperitos. D. de excuſ. Doctum, & Peritum, cùm ſimile videatur, à Cicerone diſcretum eſt, vt ſit, Peritū plus quàm quod Doctum.

PERIVRARE, quoties in lib. Digeſt. legitur, eſt vitium ſcriptoris, quoniā in Pandect. Florē. ſemper pro eo legitur peierare. Huic accedit emēdatior Haloā. editio.

PERIVRVS, qui iuſiurandum violat: vel qui iurando ius peruertit. Porrò ſemel periurus, ad præſtandum iuramentum admittendus non eſt. Vide Bartol. in l. ſi quis maior. C. de tranſact.

PERIVRII, hoc eſt, falſi iuramẽti pœna extra ordinem eſt, l.fin.iunct.glo.D.de crim.ſtellio.

PERMITTO. Cùm Imp.vel Lex hoc verbo, ſimilíve vtitur.quia præſentis eſt temporis, ipſam legũ indulgentiam ſignificat, quæ perpetua eſt: non item iudicis opem plerunque temporariam, vt docet Bart.in l.Iubemus 2.§.ſanè ſi hæc noſtræ. C.de ſacroſanct.Eccleſ.

Permitti variè dicitur, primùm quod nullo iure prohibetur, vt ſecundas nuptias contrahere, ca.contrahere.31. q.1. Permitti quoque id dicitur, quod contra conſtitutiones humanas indulgetur, vt cõtrahere matrimoniũ in quinto gradu c.quidam.35.q.3. Permitti dicitur & illud, quod & illicitum eſt, vt magis illicitum vitetur. Hos ſignificatus recenſet glo.in c.omnis autem.3.diſt.

Permittere etiam ſignificat præcipere not.in c.accedens. 50.diſtin.

Permittere item remittere ſignificat, l.Imperatores.37. D.de pact.Imperat.Antoninus & Verus reſcripſerunt, debitori reip.à curatore permitti pecunias non poſſe. Sunt tamen qui eo in loco Remitti legi velint.

PERMVTATIO, eſt conuentio iuris gentium, à populo Ro.ita recepta & comprobata, vt ei tamen neq; ſuum nomen dederit (ſunt enim emptio & locatio quædam permutationis formæ) neque certam actionis formulam conſtituerit adeò vt ſeſe inter ſe contrahentes cogere rem mutuò præſtare non poſſint. ſed cùm alter rei acceptione obligatus eſt, vel quanti alterius intereſt, præſcriptis verbis actione præſtare cogitur: vel rem acceptam, quaſi cauſſa non ſecuta, reddere: aut ſi eam dederit quæ euincatur, in factum actione quanti interfuerit, exoluere. vti conſtat ex l.j.D.de rer.permut.Itaque.

Permutationis ſignificatio eſt duplex: Generalis, & Specialis. Generalis appellatio compræhendit omnes contractus, nominatos, & innominatos. Nihil enim aliud ſunt contrahendi formulæ, nec aliò pertinent, quàm vt permutando communicentur res mundanæ alteri ab altero, ordine quodam politico ac conſenſu interueniente: vt ceſſet cõfuſio abſolutæ communionis, paritura diſſenſiones, rixas, homicidia, ac ſummã perniciem Reipublicę. Vt ecce, ſi tu habeas rem, quam ego deſidero: certe non eſt rapienda quaſi communis: quia ſi id fiat, tu vi eam defendes, & perueniemus ad arma. Quid ergo? vtar permutandi medio, hoc eſt, cõmutabo tecum dominia, & transferam aliquid viciſſim ad te, vt vltrò & non grauatè dimittas mihi tuam rem: quoniam cauſſari nõ potes vllam læſionem. Effectus enim permutationis, eſt ipſa æqualitas vtilitatis inter contrahentes, quæ conſeruat pacem.

Permutationis ſpecialis appellatio refertur ad res, quæ pro rebus dantur diuerſi generis. Nam olim in priſca ſimplicitate, homines ſibi ſpecies rerum cõparabant aliis ſpeciebus, perinde vt nunc pecunia numerata facimus: quippe quòd tunc pecuniæ vſus nondum eſſet. Vtramq; hanc ſignificationem tractat Paulus in l.naturalis. D.de præſcr.verb. In hac quæſtione, ait, totius ob rem dati tractatus inſpici poteſt. Quaſi dicat: Repetamus originem omnium contractuum, quæ conſiſtit in cauſſis, ob quas alter dat alteri. Nam communicatio rerũ exigit dationem, datio cauſſam, cauſſa mutuam permutationem, permutatio diſtinguitur in ſpecies & formulas nominatas & innominatas. Hinc habes rationem, quare permutatio dicatur contractus innominatus, cum vtique ſolenne ac elegans nomen ſit Permutatio. Nam eſt quidẽ nomen, ſed quod ſimplicem illam ac naturalem duntaxat rationem ſignificat. Cæterùm alij contractus habent nomen proprium, quod exprimit ciuilem quandam formulam. Eorum igitur cõtractuum reſpectu, permutatio cenſetur innominata.

Permutationis Glauci & Diomedis commeminit Iuſtinianus Imper.in procem. Digeſtorum: quo locum verſum Homeri adfert ex 6. Iliad.

χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

PERNICIES, non deſtructionem, ſed propriè exitium ſignat, apud Iuſtinianum, Inſtitut.quibus alien.licet.§. j.in fine.

PERNOCTARE intra vrbem intelligendus eſt, inquit Pomponius, qui nulla parte noctis in vrbe eſt. PER enim totam noctem ſignificat.l.166.§.j.D.de verb.ſig.

PERO, propriè ruſticum calciamentũ: vt Seruius Gram. teſtatur. hinc capſæ ex vlua paluſtri, aut alia ſimili materia confectæ, quòd peronis ad formam accedant, Perones dictæ. Alfenus l.31.D.loca. Quòd ſi ſeparatim tabulis, aut peronibus, aut in alia cupa cluſum vniuſcuiuſque triticum fuiſſet, &c. Locum Budæus reſtituit, cum antea HERONIBVS legeretur. Peronis verbo vſus eſt Plinius hac in re.lib.36.cap.14. & Vitruuius li. 5.cap.12. Adrianus autem Turnebus lib.Aduerſ.24. veterem lectionem defendit. Vide Ero.

PERPETRARE, perfectionem actus, & plerunque in mala re ſignificat l.fi.§.ſi quis autem. D.de bo.eorum, qui mort. ſibi conſciuerunt. Iuſtin. Inſtit.de publ.iud. Sin autem per vim raptus virginis fuerit perpetratus.

PERPERAM, non iure, iniuria, l.22. §.cum autem. D. rem ratam hab. quandoque ſignificat imprudenter, & per errorem, l.26.§.j. D.de pact.dotalib.Paul.li.3.Sent. tit.6.ad fin. Vlpianus in Inſtit.tit.24.

PERPETVVM variè pro adiuncto ſignificat. Perpetuũ edictum, quod in omnes cauſſas propoſitum: & iuris perpetui ſtatuẽdi cauſſa ſcriptum eſt. Perpetua autem edicta in ordinẽ à S.Iuliano ex auctoritate Had.Imp. digeſta atque compoſita fuere, l.pen.C.de condict.

Perpetuum ius, certum, & in omnia tempora ſcriptum, l.8.C.de pigno.actio.

Perpetua cauſſa in ſeruitutibus, vt res ſemper ſit idonea ad ſeruitutis vſum. & vide l.j.§.hoc interdictum. D.de fonte.

Perpetuus lacus, qui perpetuam & perennem, nec areſcentem aquam habet, l.23.§.j. D.de ſeruit.ruſt.l.j.§. lacus.D.vt in flu.publi.

Perpetuus morbus, qui cuique re agendæ impedimento eſt, & cuius ſanitatis ſpes nulla eſt, l.22.§.ſi maritus. D. ſol.mat.l.pe.D.de vac.mune.

Perpetua conſuetudo, ſemper ſeruata l.6.D.quod cuiuſ. vniuerſ.

Perpetui appellatio nonnunquam vitæ tempus amplectitur, l.8.§.ſiue igitur.D.de tranſact.

Perpetui vſus cauſſa poſita in ædibus dicuntur, quæ non temporis cauſſa accommodata, neque ad tempus poſita, ſed vt ibi permaneãt, collocata ſunt, l.17.§.Labeo. D.de actio.empt.

in Perpetuum locati agri, quid ſit, docet Paul.l.j D.ſi ag. vectig.

PERPETVÆ actiones erant olim ciuiles omnes, quia nullo temporis ſpatio terminabantur. cùm enim perpetua & legum, & S.C. & cõſtitutionum vis eſſet, conſentaneum erat, vt natæ ex iis actiones ius quoq; perpetuum obtinerent. at Imp. cõſtitutiones tam in rem quàm in perſonã actiones certo temporis ſpatio terminarunt: ne ſcilicet amplius XXX. aut quadraginta annis durent.l.3.C.de præſcript.30.ann.l.5. C.ad Macedo.l.6.§.vlt.D.de re iudic.

Perpetua locatio. Tametſi olim Iuriſc.veteres tractarint de ea, alij tamen ad venditionẽ, alij ad locationẽ referendam exiſtimarũt. Quare primus Zeno Imperator cõſtituit propriũ cẽſeri contractũ, qui Emphyteuticus dicatur, habeátq; ſuas pactiones contrahentiũ, vel (iis deficientibus) interpretationes à iure, ſicut alij cõtractus, teſte Iuſtin.Inſtit.de locat.l.j.C.de iur Emphyteutico.

tico. Veteribus tamen ſimplici forma cognitus fuit.

Perpetuæ exceptiones atq; peremptoriæ ſunt, quæ ſemper locum habent, nec euitari poſſunt: nec vllo temporis ſpatio, vel rei vllius mutatione amittuntur: id eſt quarum vis certo tempore adſtricta concluſaque non eſt: & ſemel obiectæ ita extergunt obligationem, vt ea repeti poſtea non poſſit: qualis eſt de dolo malo, de metu, de re iudicata, de pacto perpetuo, de iureiurando. Gaius in l. exceptiones. De except. præſcript. & præiud. l.34. §. vlt. D. de ſolut. l.24. l.40. D. de condict. indeb. l.14. de lib. leg. l.10. de verb. ſignif.

Perpetuum, pro centum annis, teſte Bartol. in l. ſi vſusfructus. D. de vſufruc. leg. Quandoque pro decennio, l. nam Imp. D. de legat.

Perpetuum veſtimentum, quatenus durat, accipitur l. id veſtimentum. D. de pecul.

PERPETVO, pro generaliter, in l. Neſennius. §. tractatum. D. de negot. geſt. Aliquando pro incommutabiliter, in Auth. Hoc ius porrectum. C. de ſacroſan. Eccleſ.

Perpetuo inductæ res in prœlium dicuntur, quandiu inibi ſunt neceſſariæ, l. debitor. D. de pignor.

Perpetuo durare, id eſt 30. annis, vt de actione ciuili dicitur, Inſti. de perpet. & temp. act.

PERPETVARE, ſine intermiſſione continuare: quod fit per ſucceſſionem, & ſurrogationem. Vide Bart. in l. cum debere. D. de ſeruitut. vrban. prædior.

Perpetuari obligationes dicuntur, quæ tempore caſúve aliquo perituræ, perpetuæ fiunt, l.91. §. nunc videamus. D. de verbo. oblig. l.9. §. ſi is qui. D. de iureiur.

Perpetuatur pœna, quæ ex temporali perpetua fit, l.8. D. de pœn. l.24. l.40. D. de cond. indeb. l.10. D. de verborum ſig. Vide Molin. in Conſ. Pariſ. tit.2. in princ. n.24.

PERPETVARII dicuntur conductores, qui fundum à quouis conductum, certo canone in vitam ſuam habet: vel etiam hac lege, vt ad alios transferre poſſint, l. fin. C. de loc. præd. ciui. lib.11. Francis, hoc eſt, *tenir à taſchev* Hinc,

PERPETVARIVM ius, l. j. C. de offic. com. ſac. pal. quod differt ab emphyteuticario, vt d. l. j. ſignificat, ſi legatur, vt eſt in ver. Cod. & emẽdationibus, vel, pro id eſt: ſic, perpetuarij vel emphyteuticarij. Etenim ſi non ſunt domini, neque mancipia manumittere poſſunt, iuris tamen ſui abalienationem habent: Emphyteuticarij domini ſunt, & manumittere poſſunt, l.12. C. de fund. patr. Sic verò & Nouel. Val. de præſcr. 30. ann. ius perpetuum diſtinguitur ab emphyteuticario. Conductio igitur alia eſt perpetua, alia temporalis, l.10. C. de locat. ſicut & emphyteuſis.

PERQVAM, nimis, l. proſpexit, §. j. in fi. D. qui & à quib.

PERSCRIBERE, Græcis ἀναγράφειν, eſt in tabulas publicas, actaque referre: quod in regiſtro ſcribere vulgò dicunt, vocabulo à regeſtis deducto. Cicero in Verrem act.5. Primum mihi literas publicas, quas in ærario ſanctiore conditas habebant, proferunt, in quibus oſtẽdunt omnia quæ dixi ablata, eſſe perſcripta. Idem Vt quiſque eis rebus tuendis conſeruandiſq; præfuerat, ita perſcriptũ erat. Et lib.10. Fam. epiſt.13. Id ex ipſo Senatuſconſulto poteris cognoſcere: ita eſt enim perſcriptum, vt à me de ſcripto dicta ſententia eſt. Hinc Perſcribere pecuniam eſt, inquit Donatus, multis per ſcripturam reddere, vel dare, in illud Terentij ex Phormione,

Quod? næ ego perſcripſi porro illis quibus debui.

Sic Cicero lib.16. ad Attic. epiſt.2. De Publilio autem quod perſcribi oportet, moram non puto eſſe faciendam. Et paulo poſt: Sed cum videas quantum de iure noſtro deceſſerimus, qui de reſiduis CCCC. H-S. cc. præſentia ſoluerimus, reliqua perſcribamus. Id eſt non repræſentemus, ſed per menſæ ſcripturam ad ſoluendum certo die conſtituamus, noſque obligemus, & creditori caueamus. Vide Scribere.

PERSCRIPTIO, Græcis ἀναγραφή, eſt ea in tabulas publicas relatio. Modeſt. l.10. D. de decur. Herennius Modeſtinus reſpõdit, ſola albi perſcriptione (ſic enim legendum) minimè decurionem factum, qui ſecundum legem decurio creatus non ſit. hoc eſt, Non ſatis eſt in album eſſe relatum, niſi recta allectio præceſſerit perſcriptionem. Cicero Philip.5. Illa verò diſſipatio pecuniæ publicæ ferenda nullo modo eſt, per quam ſepties millies falſis perſcriptionibus, donationibúſque auertit. Idem pro L. Flacco, perſcriptiones pro ſyngraphis accepit: Perſcriptiones cum mulierculis aperta circunſcriptione feciſti.

PERSCRIPTOR, cautor, qui formulas concipit, tabellio. Cicero Verrinas. Scribam tuum, dicit Verres huius perſcriptorem fenerationis fuiſſe.

PERSCRVTARI, diligenter inquirere. l. mercatores. C. de commu. & mercato.

PERSEQVI, petere, Inſtit. de actio. in princip. Perſequi videtur & qui ſatis accepit, l.57. D. de verborum ſignific. Perſequendi verbum, in definitione actionis, omnes in vniuerſum apud iudicẽ poſtulationes complectitur, tam ordinarias, quàm extraordinarias, etiã eas quæ inſtar Actionum obtinent: veluti cautiones Damni infecti, Legatorum, Euictionis, &c. Item interdicta, & vniuerſæ officij iudicialis expeditiones continentur ſub appellatione perſequendi. Id enim quod petimus, vel poſtulamus, vel imploramus, noſtro, aut alieno nomine, rectè dicimur perſequi. Vlpianus in l. pecuniæ. §. perſecutionis Paulus in l. quibus. §. vlti. de verbo. ſign. Accurſius in fi. l. cui præcipua. de verbo. ſignifica. perſequi pro conſequi exponit. quod Alc. non probat, quia propriè illud perſequimur, quod nondum ſumus conſecuti.

PERSECVTIONIS verbum longè ab actione ſeparatur. eſt enim Perſecutio genus: cuius altera ſpecies Actio, altera generis ſui nomine Perſecutio appellatur. Actio eſt, in qua legitima formularum conceptio obſeruatur: qua de cauſſa iuris ordinarij eſſe dicitur. Perſecutio verò eſt, cum prætermiſſo legitimo agendi ordine ac formularum ritu, apud magiſtratum experimur: qua de cauſſa Extraordinaria nominatur in l. pecuniæ. 178. D. de verb. ſign. vbi Vlpianus exemplum fideicommiſſorum profert. Et ſi quæ, inquit, aliæ ſunt, quæ non habent iuris ordinarij executionem. Quem locum idem Vlpianus cap. Inſtit. 25. ſic explicat: Fideicommiſſa non per formulam petuntur, vt legata: ſed cognitio eſt Romæ quidem conſulum, aut Prætoris, qui fideicõmiſſarius vocatur: in prouinciis verò Præſidum prouinciarum.

Perſecutio parit actionem, hoc eſt, perſecutio obligatæ rei aduerſus poſſeſſorem eius, facit actionem hypothecariam cenſeri in rem: accipitur enim, Parit, ſcilicet, quantum ad cauſſam formalem pertinet. nam materia, eſt poſſeſſio obligati pignoris. Pignoris perſecutio in rem parit actionem creditori, Vlpianus ait, D. de pign. & hypot.

PERSEVERARE, apud Cice. pro Quinctio, noua quadam minimẽque vulgari ratione vſurpatum videtur, pro perficere ſcilicet, & conſtanter ad finem deducere: Vt neceſſario, inquit, confiteare neque eorum tam temerarium quenquam fuiſſe, neque teipſum id quod turpiſſime ſuſcepiſſes perſeuerare & tranſigere potuiſſe. Sic Siſenna: Iidémque perſeuerauerunt vti lex perueniret ad quæſitorem.

PERSONA tam hominem, quàm qualitatem hominis & conditionem ſignificat. Hinc Perſonalis actio, quæ in perſonam fit, qua cum eo agimus, qui nobis eſt obligatus ad dandum vel faciendum, l.24. §. j. D. de obliga. & actio. & perſonale pactum, l.7. §. pactorum. D. de pact. Per

pact.Perſonæ item appellatione,ciuitas,municipium, caſtrum,collegium, vniuerſitas, & quodlibet corpus continetur.

Perſona eadem,cenſentur pater & filius.C. de impub.& aliis ſubſtitu.l.fi.Sicut perſona teſtatoris & hæredis. Authen.de iureiur.quod mor.de modo ſui patrimo. præſtit.

Perſonæ atrocior fit iniuria,cùm magiſtratui,cùm parenti,patronóve fit,Vlp.l.Prætor edixit.D.de iniur.& famoſ.libel.

Perſonæ coniunctæ,quorum pertingat gradum,Bart.docet in l.ſed & hæc in princip.D.de procurat.& ibid. tractat,An nothi, ſpuriique nomine veniant coniunctæ perſonæ.

Perſonæ neceſſariæ quæ ſint, Gl.in l.Imp. Antoninus.D. de pact.indicat.

Perſona publica,hoc eſt tabularius.§.cum autem.Inſtit. de adopt.vt in l.orphanotrophos. C. de epiſc.& cler. Alias,publica perſona,hoc eſt magiſtratus.§.pen.Inſt. de Attil.tut.

Perſonarum ſeruitutes ſunt vſus, & vſusfructus.l.j.D.de ſeruit.l.14.§.j.D.de alim.& cib.leg.quæ & hominum ſeruitutes appellantur.l.15.D.eod.ad diſcrimen earum quæ prædiis debentur:& perſonales ſeruitutes.l.8.§.j. D.de lib.lega.

Personas haud inelegāter ſumit Vlpianus.l.17.§.vlt. D.action.empti. pro ſalientibus & ſiluanis. Vide Salientes.

Personales conſtitutiones, quæ in certæ perſonæ gratiam,vel in certam cauſſam factæ ſunt.l.j.D.de cōſtitu.princip. Perſonalia beneficia, certis perſonis conceſſa, & cum his extinguuntur nec ad hæredes tranſeunt.l.13.D.ſol.matr. Perſonalia munera quæ cum corporis labore,& animi ſolicitudine ac vigilantia,principaliter ſine damno rei familiaris & ſumptu pertractantur.l.fi.D.de mu.& hon.& vide ſupra Munus. Perſonalia interdicta, quæ perſonam magis, quàm rem ſequuntur.l.j.§.fi.D.de interdict.

Perſonale pactum eſt, cum perſona adiicitur,à qua non petatur,veluti ne à Lucio Titio petatur.l.7.§.pactorū. D.de pact.Appellant alias iuriſcōſulti pactum in perſonam conceptum.l.21.§.j.l.57.§.vlt.D.eod.& pactum, quod in perſonam dirigitur.l.40.eod.

Perſonales, in c.j.ne cleric.vel monach.lib.6.eſt prærogatiua in eccleſia omni carens iuriſdictione.

Persvadere τ̀ μέσων ἐγὶν.nam & bonum conſilium quis dando poteſt ſuadere, & malum.l.j.§.2. D.de ſer. corr.Eſt igitur plus quam impellere.

Pertinere verbum & eis rebus petendis aptum eſt, quæ dominij noſtri ſunt:& eis quas iure aliquo poſſidemus,quamuis non ſint noſtri dominij.Pertinere ad nos etiam ea dicimus,quæ in nulla eorum cauſſa ſint, ſed eſſe poſſint.l.verbum.181.D.de verb.ſignific.

Is ad qvem ea res pertinet: Hæc verba in prætoriis edictis,& in ſtipulationibus variam habent interpretationem.Quandoque ſic intelliguntur, vt qui in vniuerſum dominium iure ciuili vel prætorio ſucceſſerint,contineantur.l.70.D. de verb.ſignific. Atque ita in ædilium edicto verba hæc,Emptori,aliiſque ad quos ea res pertinet, accipimus.l.j.§.j.l.19.§. deinde.l.37.§.qui mancipia.D. de ædil.edict. Vnde in l. 53.D.de oblig.& act.cum adiicitur, Eive ad quem ea res pertinebit,& arrogatos, & eorum qui iure nobis ſuccedunt,perſonas comprehendimus. Iiſdem verbis demonſtrantur hæredes,& bonorum poſſeſſores. l.j. in variis.§§.D.quod lega.Eodemque modo & in l.40. D.ſi cert.pet,& l.33. §.pater emancipato. D.de legat. lib.3.hæc verba accipimus: ſed & in edicto de iureiurando,& in cautione de rato,non eos tantùm, qui in ius vniuerſum,ſed & qui in rem ſucceſſerint,ea verba complectuntur.l.7.l.8.D.de iureiur.l.3.l.22.§.in ſtipulatione.l.23.D.rem rat.hab.in edicto verò de ventre inſpiciendo,eos continent,quorum intereſt partum nō edi,vel totam habituros hæreditatem, vel partē eius, ſiue ab inteſtato,ſiue ex teſtamēto,denique quos proxima ſpes ſucceſſionis contingit.l.j.§.de inſpiciendo. & §.quanuis.& §.denuntiari.D.de vēt.inſpic. His edicti de procuratoribus verbis, Ratum habere eum, ad quem ea res pertinet,dominus tantum continetur,nō etiam creditores.l.33.§. ait prætor.D.de procur.l.39.§. alieno.D.eod.In edicto de bon.auctor.iud.poſſid.iiſdē verbis continetur curator bonis diſtrahendis datus,& ipſemet debitor ſi contigerit, vt eius bona veneant, continebitur.l.9.in princ.D.de reb.auct.poſſid.In lege Iulia de adulteriis,bonæ fidei emptores,fructuarij, & qui pignori acceperunt, & omnes, quorum intereſt, his verbis cōprehenduntur.l.27.D.ad leg.Iul.de adult. In ſatiſdatione quæ ab adrogatore præſtari debet, nō hæredes duntaxat legitimi,ſed & ſubſtituti & quibus libertates datæ,vel legata relicta ſunt, comprehēduntur.l.18.l.19.D.de adoption.

Pertinere rationes videntur, quod ad verba edicti de edendo attinet,ſi eas argentarius,actore vel procuratore eius mandante,tractauerit. Pertinere quoque ad procuratorem videtur ratio, quam cum domino habet.Ad nos quoque pertinet nō tantùm cùm ipſi contraximus,vel ſucceſſimus ei qui contraxit, ſed etiam ſi is qui in noſtra poteſtate eſt,contraxit.l.4.in princ.l.6. §.ex hoc edicto.l.9.in fi.D.de edend.

Pertinere ad teſtamentum codicilli dicuntur, qui ex eo pendent,& eius ius ſequuntur,viréſque ex eo capiūt. l.16.l.18.D. de iur. codicil.l.j.§. hoc interdictum.D.de tab.exhib.l.j.C.de codicill.

Pertinentia,acceſſiones, vel acceſſoria, eandem habent ſignificationem. Complectuntur autē omnia illa, quæ vel ſcripta lege,vel conſuetudine,vel ſpeciali ſtatuto deſignata,receptáve in hoc ſunt, vt alicui rei extrinſecus accedant.c.j.de cenſibus.c.cùm cōtingat. De decimis.Sicut enim fructus ex re ipſa proueniunt: ſic pertinentia adiiciuntur rei.

Pertinentia in materia teſtium,dicuntur,ſiue declarationem reſpiciant, ſiue connexa articulis ſint.arg.l.2.D. de iuriſdict.om.iud.Idem,ſi eorum appendices ſint.l.ſi quis hæres.de act.hæred.& qualitercūque pertineant, etiam ſi leuiter,ſatis eſt c.quoniam.vbi Bald.de teſtib. vt quia modicè adminiculentur.l.ad probationem.vbi Bald.C.de probat.

Pervenisse propriè dicitur quod eſt remanſurum.l. 71.D.de verb.ſign. & quod deductis oneribus ad aliquem peruenit.l.16.§.j.D.ad Trebellia. Verbum enim peruenire cum effectu accipiendum eſt l.16.§.vlt. D.de verbo.ſign.proinde in Senatuſconſulto circa petitionem hæreditatis facto,perueniſſe ea intelligūtur quibus poſſeſſor locupletior factus eſt,quæque in ea cauſſa manent,nec ſunt reſtituta.Quod ſi pretium rerum hæreditariarum acceptum vel perdiderit, vel cōſumpſerit,vel donauerit, perueniſſe non videbitur.l.21.§. item placere.& §.bonæ fidei.D.de pet.hær.In ſtipulatione quoque emptæ hæreditatis (quæ ita concipitur, Qvanta pecvnia ad te ex hæreditate pervenerit. l.50.D. de verb.oblig.) quod legatorum, vel æris alieni,vel cuius alterius oneris hæreditarij nomine erogatum eſt, perueniſſe non videtur. Perueniſſe vtique antequam corpora rerum hæreditariarum venditor nactus ſit, eatenus videtur, quatenus mandare poteſt earum rerum perſecutionē, actionéſque præſtare.At vbi corpora nactus eſt, plenius perueniſſe videtur.Nec tantùm ſi nactus ſit,ſed & ſi dolo malo id egerit, ne ad eum perueniret, perueniſſe exiſtimabitur: veluti ſi alienauerit, aut accepto

quem liberauerit, aut dolo malo id egerit, nequid hæreditati adquireretur. Quæ omnia fuſiſſimè explicantur in l.2. cum ſuis §§. D. de hæred. vend. In eo legis Iuliæ capite, quo maritus quidquid ad eum ex bonis liberti peruenerit, reſtituere iubetur, perueniſſe accipimus, ſiue iam exegerit, ſiue exigere poſſit, quia actio ei delata eſt l.4.§.j.D. ſol. mat. Quæ interpretatio etiam in ſpecie.l.23.D. de act. empt. facienda eſt.

Hoc legato, QVANTA PECVNIA AD ME EX HÆREDITATE TITII PERVENIT, TANTVM DATO, id continetur, quod ex ea hæreditate acceptum in tabulas ſuas teſtator retulerit, cautione à legatario præſtanda, ſi quid fortè poſtea eius hæreditatis nomine hæres damnetur. Nec enim poteſt videri ad eũ perueniſſe, quod eius hæreditatis nomine præſtaturus eſt, l.23.§. cùm ita legatus. D. de legat.3. Planè cùm Prætor actionem in aliquem dat de eo quod ad eum peruenit, veluti in hæredes ex defuncti delicto dolóve, in municipes ex dolo eorum, qui res ciuitatis adminiſtrant, in dominum ex dolo procuratoris: ſufficit, ſi vel momento ad eum peruenerit ex dolo defuncti.l.170.D. de diuerſ. reg.l.5.D. de calumniatorib.l.j.§. vlt.l.3. & l.9.D. de vi & vi arm.l.16.§.j. & §. pen.l.18. in fin.l.27.D. de dolo.l.17.l.19.D. quod met. cau. In his enim cauſſis ſatis eſt ſemel perueniſſe, vt de eo perpetuò in hæredes actio competat: & ſi conſumpto eo quod peruenerit, hæres deceſſerit, in hæredem eius omnimodo actio datur. Re etiam ſemel in pecuniam aliámve rem conuerſa, vltrà non quærimus, quis exitus ſit l.17.l.18.D. quod met. cau. Perueniſſe autem intelligitur id quo locupletior facta eſt hæreditas, vel quod in corpus patrimonij ſit verſum, vt certum ſit ad hæredem peruenturum. Idem eſt & ſi debitor liberatus, vel pecunia accepto lata ſit, vel dolo malo hæredis factum, quominus eo hæreditas augeretur.l.7. & l.28.l.29.D. de dolo. & l.20.D. quod met. cau. Quantum autẽ peruenerit litis conteſtatæ tempus ſpectabitur. Cæterùm qui rogatus eſt, quod ad ſe ex hæreditate boníſve peruenerit cùm morietur reſtituere, fructus, quos viuus perceperit, item quæ fructuum vice ſunt, niſi alia teſtatoris mens appareat, non reſtituet.l.81.D. de leg. lib.3.l.3.§. cùm Pollidius. D. de vſur.

Peruenit, verbum cum effectu accipiendum eſt, & continet id quod durat.l. vtrum. D. de pet. hæred.

Perueniſſe ad nos rectè dicitur, quod per nos ad alium peruenit, vt in ſpecie.l.171.D. de verb. ſign.

PERVERSI iudices, qui vel corruptela, vel ira, vel alio affectu ab officio deflectunt, apud Imp. Conſtantinũ. C. de exactoribus tributo.l.2. vel à peruerſis, vel inuitis iudicibus.

PES, non eſt vltima tantùm pars corporis, vt dicit Gl. in rub. de pedan. iud. C. lib.3. ſed dicitur id totum, quod eſt à femore ad calcem. Pedis etiam appellatione continetur menſuræ genus habentis quatuor palmos, vncias 12. digitos.16.l. Frontino lib. de agro. qualitate.

PESTIBILIS, ſeu Peſtilis fundus apud Impp. Diocle. & Maximum, id eſt, vt ipſi exponunt, peſtibiles herbas, vel letiferas habens.l. pen. C. de ædil. action.l.48. D. de ædil. edic.l. pen. D. de reb. eo.

ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΣ, vide Oſtraciſmus.

Πεταλουργοὶ, ſunt bractearij, ſeu bracteatores πέταλο enim ſignificat bracteam, ſeu folium. Horum fit mentio.l.j. C. de excuſ. art. Vide Bractearij.

PETERE verbum, quoties agitur de obligatione inducenda, pro ſimplici interpellatione accipitur.l. ſi decẽ. de verb. oblig.l. item.§. petitam. de pet. hæred. ita cum ad iudicium particulare refertur, poſt litem conteſtatam intelligitur.l. amplius. D. rem. rat. hab.

Petere autem, vt plurimùm, in libris noſtris per iudicem petere ſignificat, vt & lib.3. de Solution. Briſſonius admonuit. Et ideò Amplius petitum non eſſe ita Labeo rectè accipiebat, ſi iudicio petitum non eſſet: nec antè committi putabat cautionem Amplius nõ peti, quàm iudicium acceptum eſſet.l.15.D. rem rat. hab.

Petere & in ſeruitutem & in libertatem dicimus.l.12.D. de iniur.l.30.D. de bon. libert.l.29. & l.30.D. de liber. cau. In eo autem quod ſeruitus à bonorum poſſeſſione contra tabulas libertorum repellit eos, qui in ſeruitutem eos petierint. In ſeruitutem petiiſſe videntur, non qui ei, qui in poſſeſſione erat ſeruitutis, petenti ſe in libertatem contradixerunt, ſed qui ex libertate petierunt in ſeruitutem, vel quid aliud petierint quod in eo habere, niſi ſeruus ſit, non poſſint.l.14. & l.16.D. de bo. liber.l.33.§. pen. D. de fideic. libert.

Peti, agi, vindicari, ad officium iudicis referuntur, Alciat. lib.2. παρεργ. c.10.

Petere videtur, qui & compenſat.l. amplius. D. rem rat. haberi.

Petere pro repetere gl. & Bart. Alioqui eſt verbum latiſſimum.l. actio in perſonã. D. de oblig. & actio. Reſtringitur tamen per ſequentia.l. ampliùs. D. rem rat. hab.

PETITA, in rubr. C. de petitis (ſic enim ibidem legendum ſuadent veteres libri) bono. ſublat. pro petitionibus: quod & Albericus indicat. Sudas. πετίτα, ait, Ῥωμαϊκὴ λέξις: σημαίνει δὲ γνώρισμα αἰτήσεως.

PETITIONIS verbo in rem actiones ſignificantur.l.178.§. actionis. D. de verb. ſig.l.27.D. de obliga. & actio. Eáque ratione interdum ab actione ſeparatur, quæ plerunque perſonalem actionem ſignificat.l.j.D. ad Macedonia.l.18.D. de acceptilatio.l.24.D. rẽ rat. hab.l.49.D. de verb. ſignificat. Hinc petitio hæreditatis, quæ in rem actio eſt, qua hæreditatem vel totam, vel pro parte, vel corpore hæreditario ab eo vindicamus, qui vel pro hærede, vel pro poſſeſſore tenet.l.23.§. petitio. D. de pet. hæred.l.28.§. ſed & is qui. D. de rei vindic. Et petere hæreditatem, id eſt, ſuam eſſe intendere.l.3.l.10. D. de pet. hæred. Et petere pro vindicare.l. vn.§. penul. D. de remiſſio. Et petere rem noſtram eſſe.l.6.D. de rei vindic.l.41.D. de liber. cauſ.l.11.§. ſi quis autem.l.21.§. ſi Stichum. & §. ſi fundum. C. de except. rei iud.§. certè. Inſtitut. de rer. diuiſio. Vide Actio.

Petitio pro actione priuata, apud Quintil. lib.4.c.4. & pro impetitione, & aggreſſu gladiatorum, à Cicer. vſurpatur in Oratore perfecto.

Petitio hæreditatis, quo iure, quibúſve competat, declarant Iuriſcoſſ. titu. de petit. hæredit. Compendioſe, ſed exactè, quæ huc ſpectant, Placentinus pertractat titul. 3. lib. de rei vind. Obſeruandum autem, quòd pet. hæred. tam in actione de pet. hæred. quàm de bon. poſſeſſoria hæred. petit. aliquanto laxius, non propriè pro hæreditate, ſed pro declaratione hæreditarij iuris, quo auctor intendit ſuas eſſe res à teſtatore relictas.l. licet minimam. D. de pet. hæred. Quod & Bart. animaduertit in l.3. de bon. poſſ.

PETITORIVM iudicium, eſt quo res vindicatur. Gaius l.36.D. de rei vindicat. Qui petitorio iudicio vtitur, ne fruſtra experiatur requirere debet, an is cum quo inſtituat actionem poſſeſſor ſit. Itaque;

Petitorio iudicio dominium rei perpetuum vindicamus, Poſſeſſorio intendimus de poſſeſſione vel adipiſcenda, vel retinenda, vel recuperanda, gl. in l. fin. C. quilegit. perſon. Satius tamen eſt poſſeſſorio, quàm petitorio agere.l. is qui deſtinauit. & ibi Bart. D. de rei vindi. De petitorio & poſſeſſorio, plenè tractat Spec. de pet. & poſſeſſ.

PETITOR Paulo lib.j. tit.3. Sent. recept. ab actore ſeparatur: vt ille in rem, hic in perſonam agere dicatur. Petitorem definit M. Cicero in libr. de Inuent. qui petit, & litem intendit.

Petitoris partes ſuſtinere, & petitoris partibus fungi dicitur,

tur,cui probatio incūbit, quíque de ſuo iure probare neceſſe habet.l.7.§.vlt.D.de liber.cau.l.15.D. de oper. no.nunt.l.vlt.D.ſi liber.ingen.l.35.D.de adquir.poſſ.l.8. §.ſed ſi quæratur.D.ſi ſeruit.vindic.l. 8.l.19. D. de probatio.& hæc ſunt onera petitoris.l.62.D.de iudic. l.25. D.de rei vindicat.l.j.§.inter.D.vti poſſid.

PETRAM eſſe Ælius Gallus definiebat, qui locus dextra & ſiniſtra fornicem expleturus aquæ ad libramentum ſuum fornicis. Quæ ſignificatio rara eſt.

PETRONIA lex,vide Catalogum leg.Antiq.Zaſij.

PETRVS Ancharanus Iuriſconſultus nobilis, Bononiæ natus,Baldi diſcipulus, patria in vrbe ius ciuile profeſſus eſt circiter annum M. CCCCLXXX. quo tempore Bartholomæus Salicetus eodem in gymnaſio florebat.

PETRVS Belliperticus Iuriſconſultus nobilis patria Burgundus,Bononiæ ius ciuile profeſſus eſt circiter annum M. CCC. cúmque non pauca de iure volumina reliquiſſet,ibidem eſt mortuus.

PETVLANTIA, improbius factum,in contumacia, vt Accurſius cenſuit.l.aut facta.§.qualitate.D.de pœnis.

PFALTZGRAVII,vide GRAVIO.

Phanaticus,vide Fanaticus.

PHARMACON.l.qui de verb.ſig. verbum medium in bonum & malum accipitur.

PHILANTHROPON.l.2.D.de proxen.præmium quod liberalitatis ſeu munificētiæ ergo parariis ſeu proxenetis conſtituitur.Hinc veteres Gloſſæ, Salialium,ſeu ſalarium,στρατιωτικὸν φιλάνθρωπον interpretātur. Nec verò Philanthrophi,quod d.l.2.ſcriptum eſt,pro Philanthropij exiſtimandum eſt dictum, vt nec pro Philanthropiæ,vt alij volunt:ſed quaſi deductum à nomine Philanthropum.

ΦΙΛΙΚΟΝ, id eſt amicale, & quod datur amicè. Hac dictione vtuntur Impp.Honorius & Theodoſ.l.4.C. de nauicu.ſeu naucl.publ.Solatiis pro mercedula præſtatitis ex tributariæ penſitationis immunitate, & eo quod vocatur φιλικόν.

PHILIPPVS Corneus Iuriſconſultus nobilis, Peruſij natus,Peruſij, Ferrariæ, & Piſis publicè iura annos propè quinquaginta profeſſus eſt:nonnulliſque confectis de iure commentariis,ferè octogenarius, anno M. CCCCLX. in vrbe patria vita ceſſit.

PHILIPPVS Decius Iuriſconſultus nobilis,Mediolani natus,cùm annos triginta iura in Italia publicè interpretatus eſſet,certis de cauſſis in Galliam profugit: & Valentiæ Cauarum,quæ in Delphinatu eſt,aliquandiu docuit. vnde à Florentinis reuocatus , iterum Piſis, deinde Senis docuit:accepto mille quingentorum aureorum ſtipendio annuo. mortuus Senis anno M. D. XXXV.quam plurima de iure volumina reliquit.

PHILOSOPHIA vera,eſt iuſtitiam colere,boni,& æqui notitiam profiteri.l.j.D. de iuſtit. & iur. Plato libr. 10. Epiſto.ad Ariſtodorum,firmitatem, fidem , & ſynceritatem,Philoſophiam vocat.

PHILOSOPHIS, qui ſe frequentes, atque vtiles per eandem ſtudiorum ſectam contendentibus præbent, tutelas,item munera ſordida corporalia remittit placuit,non ea quæ ſumptibus expediuntur. etenim verè philoſophantes pecuniam contemnunt, cuius retinēdæ cupidinæ fictam adſeuerationem detegunt.l.8.D. de vacat.& excuſ.mun.

PHILOSOPHANTVR verè,qui pecuniis rem publicā iuuant.l.ἐὰν δύο.§.περὶ δὲ τ.C.de eſcuſ.tut.

PHILYRA, inquit Sudas,εἶδος δένδρου ἔχον φλοιὸν βίβλῳ παπύρου ὅμοιον,Id eſt fruticis ſpecies, quæ corticem habet papyri libro non abſimilem. Philyra tamen apud Plinium videtur eſſe tenuiſſima & ſubtiliſſima membrana,inter lignum & corticem interiecta, non tiliæ tantum(vt volunt quidam) ſed & papyri. De papyro enim lib.13.c.11. loquens, ſic ſcribit:Præparantur ex eo chartæ,diuiſo acu in prætenues, ſed quam latiſſimas philuras.De tilia lib.16.c.14.Inter corticem ac lignum tenues tunicas multiplici membrana, è quibus vincula tiliæ vocantur:tenuiſſimæ earum philyræ, coronarum lemniſcis celebres,antiquorumque honore. Hinc Horatius Carm.lib.j.ode 38.*Diſplicent nexæ philyræ coronæ.* Vlpian.l.librorum.52.hoc verbo vtitur: Librorum appellatione,inquit, continentur omnia volumina,ſiue in charta,ſiue in membrana ſint,ſiue in quauis alia materia. ſed & ſi in philyra,aut in tilia, vt nonnulli conficiunt,&c.Crediderim autem, hæc verba,aut in tilia,gloſſema eſſe, à ſciolo quodam interpoſitum, qui nomen græcum interpretari voluerit: (philyra enim pro tilia ſumitur,& ita eā vocat Theophraſtus)niſi etiā quis dicat ſuperiori ſignificatu ſumi.

PHONASCI, formādæ vocis magiſtri,G.Budæo.l.athletas.D.de iis,qui not.infa.

PHORMIONES, φορμίονες, κέρινοι , tegetes ex iuncis aut ſtraminibus contextæ,apud Vlp.l.12.§.12.D. de inſt.vel inſt. Legitur tamen Formiones , errore peruulgato. Interpres Terentianus:Phormio,inquit,non à formula,ſed à phormione dicitur ſparteo, quem nos Eronē dicimus triuialiter & pro conſuetudine.

PHRENESIS,cerebri paſſio,principales eius actiones lædens,mentémque commouens, & inſanire faciens, à pallida,ſeu flauabile proficiſcēs,Græcis φρενῖτις,mentis delirium, cerebri inflammatio. vide Dioſcoridem lib.2.c.155.Galenum lib.2.ad Glaucum. Hinc:

PHRENETICVS,φρενιτικός. l. j. §. apud Viuianum.D. de ædil.edict.qui eo morbo laborat.

PHYLACTERIA, chartæ,in quibus ſcribuntur incantationes.26.q.5.in princ.vide lib.60.βασιλ.tit.39.c.27.in interpretatione S. Baſilij ex cano. 36. Synodi Laodicenæ.

PHYLARCHI, Nou.102.duces ſunt Sarracenorū, quos ex fœderatis pop.Rom.fuiſſe conſtat,vt interpretatur Iulianus.Hinc Procopius.j.de bell.perſ. Οὐδεὶς δὲ ὅτι ῥωμαίων στρατιωτῶν ἀρχων, οὓς δοῦκας καλοῦσιν, ὅτε σαρακηνῶν τῶν ῥωμαίοις ἐνσπόνδων ἡγούμενος, οἳ φύλαρχοι ἐπικαλοῦνται). Sex. Ruffus: Phylarchi Sarracenorum in Oſrœne ceſſere ſuperati.

PICARIÆ ſunt piſcis fœdinæ, quales populus Roma. olim in reditu habuit.l.17.in fi.D.de verb.ſignific.vt in Pand.Flor.bene legitur.Cicer.in Bruto,Quæ,ait,picarias de P.Cornelio & L.Mummio Cenſoribus redemiſſet.

PITATIA. l.5.& pen.C.de erog. milit.anno.libr.12.l. fi.C.Th.de pet.& vlt.da.ſunt rationes & commentarij annonarum militarium,ſic dicta quod è fuſili pice ad exarandum conflarentur.Lamprid.in Alex.De promouendis etiam militibus ſibi adnotabat, & perlegebat cuncta pittatia.Caſſiod.lib.j. Var.Si Romani prædium ſine delegatoris cuiuſquam pittatio præſumptor Barbarus occupauit, &c. Moſchopulus, περὶ σχεδῶν, πιττάκια, δωρικῶς τὰ λεπτὰ περιτμήματα τῶν δερματίων, ἀφ' οὗ ἡμεῖς πιττάκια λέγομεν. Vtitur hoc vocabulo Iuſtinia.edic.7. ταῖς προσφερομέναις παρ' αὐτῶν τῶν συναλλακτῶν ὁμολογίαις, ἢ πιττακίοις, ἢ λογοθεσίοις τῇ ἐκείνου καταγεγράφθαι χειρί.Euſta.p.635.annotat hoc vocabulū eſſe ἰδιωτικώτερον, & ſicut δέλτος dicitur διὰ τὸ τετραγωνίζεσθαι τὸ πλινθοειδὲς ὁμοίως πῶς τῆς χύτης πίττης σχηματισμῷ.

PICENVM,cuius meminit Scæuola.D. de lega.3. Italiæ regio,nunc Marchia Anchonitana.

PIA cauſſa eſt,dū xenotropheio,prochotropheio vel miſerabilibus perſonis puta viduis,pupillis,relinquitur, &c.vide Bar.& alios in l.j.C.de ſac.ſan.ecc.Pia cauſſa, domus refectio.l.ſi quis pro redemptione.§.fin.C.de donat. Pia cauſſa.dotis cauſſa eſt l.15.§.ſi mulier.D. de cond.cauſſ.dat

PIVM legatum, quod virginibus relinquitur, arg. l. cum his. §. ſi. D. de cond. indeb.

PIETATEM, diffinit Cicero de natura deorum lib. j. eſſe iuſtitiam erga deos, quam religionem dicimus, qua ſublata, non poſſit conſtare fides humaniq́ue generis ſocietas. Recte quidem, ſi verum Deum per fidem cognouiſſet, ſicut nobis reuelatus eſt à Chriſto ſeruatore noſtro. Auguſtinus: Pietas vera, inquit, eſt verax Dei cultus, non cultus falſorum tot deorum, quot dæmoniorum.

Pietas quoque eſt ſubiectorum erga maiores & cognatos obſeruatio quædam, naturæ conſentanea. Et contrà, maiorum erga ſubiectos clementia ſeu benignitas. vt in l. pen. D. de oper. libert. l. imperialis. in princ. & §. j. C. de nupt. Vlp. in l. & eleganter. §. idem Labeo quærit. D. de dol. mal. & in l. ſi hominem. & prin. D. depoſit. Pietatem accipi vult pro miſericordia, quã alter exercet erga alterum, qui ſe iuuare non poteſt. Nam & Chriſtus auctor naturæ, vult nos eſſe miſericordes.

Pietatis cauſſas, ſicut pauci tractant, ita nemo prorſus explicat veritate. Sunt enim piæ cauſſæ, quibus iuuatur prædicatio verbi in Eccleſia, ſcholæ bonarum literarum, & ſuſtentatio pauperum Extra has ſpecies, nullæ ſunt pietatis exercendæ rationes, quas improbi nobis obtruſerunt.

PIGER & tardus hoc differunt, quòd piger eſt incipiendo, tardus in perficiendo. l. ſi quid venditor. in princ. D. de ædil. edict.

PIGMENTARIVS quibuſdam eſt venditor pigmentorum, id eſt fuci & linimenti, quo cutis fucatur & inungitur, venuſtatis gratia. Sunt tamen qui pro pharmacopola ſumant, id eſt medicamentorum venditore. Marcian. l. 3. §. j. D. ad leg. Corn. de ſicar. Alio S.C. effectum eſt, vt pigmentarij, ſi cui temerè cicutam, ſalamandram, &c.

PIGNVS eſt conuentio, qua quid ſupponitur vel deponitur propter alterius obligationis fidem, & adimplédæ rei debitæ vinculum. Pignus autem, inquit Caius, appellatum eſt à pugno: quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. vnde etiam videri poteſt verum eſſe, quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis conſtitui. l. 238. §. 2. D. de verb. ſignific. Eóque pertinere videtur illud Ciceronis Philipp. XIIII. Etenim Mars ipſe ex acie fortiſſimum quenque pignerari ſolet. Atque Pignus proprie dicimus, quod ad creditoré tranſit: hypothecam, cum non tranſit nec poſſeſſio ad creditorem. l. 9. §. 2. D. de pign. act. vide *Hypotheca*. Iuſtin. §. 8. de actio. Pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicit, quæ ſimul etiam traditur creditori, maxime ſi mobilis ſit: at eam quæ ſine traditione, nuda conuentione tenetur, proprie hypothecæ appellatione contineri dicit.

Pignus aliud eſt priuatum, aliud publicum. Priuatum dicitur, cùm ius pignoris priuato, & rei priuatæ cauſſa quæſitum eſt. id autem eſt triplex, Côuentionale, Prætorium, & Legitimum.

Pignus CONVENTIONALE eſt, in quod Ius ex contrahentium conuentione vel expreſſa, vel tacita quæſitum eſt, l. 2. C. de pręt. pign. l. j. D. de pign. act. nam hypotheca tacita propterea inducta eſt, quoniam id inter partes tacite conueniſſe videtur: veluti cum inducta illata in prædium vrbanum pignori ſunt locatori. l. 14. D. in quib. cauſſ. pign. Item vt ſecundi conductoris res tacite domino obligatæ ſint. l. 11. §. ſolutam. D. de pign. act. quo in genere etiam ea numero pignora, quæ teſtamento conſtitui poſſe, traditur in l. non eſt. 26. D. de pign. act. quippe cum vbi de debitoris voluntate conſtet, de creditoris animo & conſenſu dubitari non poſſit.

Pignus PRÆTORIVM eſt, quod miſſio in poſſeſſioné conſtituit. Vel, in quod ius ex miſſione in poſſeſſioné, quæ ex Prætoris edicto fit, ei qui miſſus eſt acquiritur. d. l. 2. C. de præt. pig. l. miſſio. 12. D. pro empt. l. 3. §. j. D. de reb. eorum, &c. d. l. 26. D. de pigno. actio. Tum enim miſſus pignus occupat. l. 2. & l. cum tempu. C. qui pot. in pign. qua de cauſſa Priuatum appellamus: quod ſcilicet & priuato traditur, & rei priuatæ cauſſa conſtituitur. Prætorium autem appellatur, non quòd conſtituatur Prætoris iuſſu (alioqui quod rei iudicatæ exequendæ cauſſa fit prætorium diceremus) ſed quia iure Prætorio, id eſt edicto conſtituitur. l. 3. C. vt in poſſeſſ. legat. Cicer. 6. ad Atticum, Sine edicto, inquit, commode tranſigi non poteſt.

Pignus LEGITIMVM eſt, quòd neque ex pacto côuento, neque ex Prætoris edicto, ſed legibus & ipſo iure conſtitutum eſt: veluti dotis cauſſa, vel dandæ, ſi promiſſa eſt: vel reſtituendæ, ſi matrimonium ſolutum eſt l. vnic. §. & vt plenius. C. de rei vxo. act. item in tutorũ bonis. l. pro officio. C. de admin. tut.

Pignus PVBLICVM eſt, quod non priuatim, ſed publice conſtituitur, id eſt, vt non à priuato, ſed publice occupetur: quamuis & priuatæ & publicæ rei cauſſa conſtituatur. Eius duæ ſunt ſpecies: aut enim rei iudicatæ, aut coërcendæ contumaciæ cauſſa conſtituitur.

Pignus REI IVDICATÆ cauſſa eſt, quod rei iudicatæ exequendæ cauſſa in priuatorum quidem gratiam, ſed tamen publice & ex officio capitur, atque diſtrahitur. l. 3. D. de rebus eorum, &c. l. j. & paſſ. C. ſi in cauſ. iudic. l. 9. D. de minorib. l. 40. D. de iudic. Publicũ enim idcirco Pignus hoc appellemus, quia quamuis rei priuatæ cauſſa, id eſt vt priuatis ſatisfiat, conſtituitur, tamen neque priuato, id eſt ei qui iudicio vicit, quæritur: neque ab illo occupatur: ſed (vt dixi) Prætoris officio capitur ac diſtrahitur. l. 2. C. ſi in cauſſ. iud.

Pignus CONTVMACIÆ coërcendæ cauſſa, per ſe intelligitur, & ab eo cuius de ea re poteſtas eſt conſtitui ſolet. veluti cum is qui in ius venire & reſpondere contemnit, pignoribus captis coërcetur. l. j. §. poſt editum. D. de vent. inſp. aut tutores, curatoréſve qui iuſſi non cauent. §. pen. Inſti. de ſatiſd. tut. aut ij qui miſſos in poſſeſſionem damni infecti nomine non admittũt. l. 4. §. j. D. de damno infect. De hoc eodem intelligendum eſt, quod Philipp. II. Cicero ſcribit. Senatores qui ſine cauſſa à Senatu aberant, pignoribus & multa coërceri. Et libr. de Orat. 3. Non tulit ille & grauiter exarſit, pignoribúſque ablatis Craſſum incipit coërcere. Item apud Sueton. in Iulio: Vectium pignorib. captis, & direpta ſupellectile male mulctatum coniecit in carcerem.

Pignora INIVRIÆ, vitã & fortunas Cicero in Philipp. vocat, obnoxias iniuriæ. Valla cum filios ſignificat, nó pignera, ſed pignora dici vult: eo quòd ſint pignora coniugij, aut caritatis inter maritũ & vxorem: tametſi Pontanus lib. j. de aſpirat. indicat teſtimonio antiquiſſimi epigrammatis, apud vetuſtiſſimos Latinos Pignus, emiſiſſe genitiuum pigneris, per e, non pignoris per o.

Pignoribus captis coërceri tutores curatoréſque qui non cauent, legimus. §. pen. Inſtitut. de ſatiſdat. tutor. Item eos, qui miſſos in poſſeſſionem damni infecti nomine non admittunt. l. 4. §. j. D. de damno infect. Et eos quoque, qui in ius venire & reſpondere contemnunt. l. j. §. poſt editum. D. de vent. inſpic. Pignorum item capione exigi pecuniam fiſco, debitam legimus in l. 10. D. ad leg. Iul. pecul. Sueto. in Iulio. cap. 17. Vectium pignoribus captis, & direpta ſupellectile male mulctatum coniecit in carcerem. Cicero lib. 3. de Orato. Non tulit ille & grauiter exarſit, pignoribúſque ablatis Craſſum incipit coërcere. Et in ea lege quæ à Frontino lib. 2. de Aquæ ductibus refertur, Tum is Prætor, qui

qui inter ciues & peregrinos ius dicit, mulcta, pignoribus cogito, coërceto, eique curatori, aut ſi curator non erit, tum ei Prætori eo nomine cogere & coërcere, mulctæque dicendæ, ſiue pignoris capiendi ius poteſtáſque eſto. Et paulò pòſt, Eóque nomine his pignoris capio mulctæque dictio vtique eſto. Sic enim eius loci lacuna replenda eſt. Sic pignorum capio in l. 7. de exactionibus in C. Theod. l. vlt. de diſtrah. pignoribus in eod. C. Pignoris capio, Gallis, *ſaiſie de biens*.

Pigneraticia actio, in perſonam actio eſt, quæ debitori ad pignus repetendum ſoluto debito, vel ſi eo nomine ſatisfecerit, datur. §. vlt. Inſtit. quibus modis re contrah. tit. de pigner. action. Appellatur à Papinia. iudicium quod de pignore dato proponitur, vel redditur, in l. 2. D. de pignoribus. l. 34. D. de negotiis geſt. l. 42. de pignerat. action. Atque hæc directa pigneraticia eſt. Contraria verò dicitur, quæ creditori aduerſus debitorem, qui eum in pignore fefellerit, & rem alienã pignori dederit vel alias improbato more verſatus ſit, vel ſumptuum in rem pigneratam factorum nomine competit. l. j. l. 3. l. 16. §. j. l. 25. D. de pign. act.

Pigneraticiam etiam interdum Iuriſconſulti vocant hypothecariam, quæ creditori pignoris perſequẽdi cauſſa tribuitur, actionem. l. 3. §. eſt autem. D. ad exhiben. l. 9. D. quibus modis pign. l. 7. §. inter. D. comm. diuid. l. 11. in fi. l. 19. & l. pen. §. j. D. de exceptio rei iudic. l. 41. D. de pigner. actio. l. 5. C. ſi res aliena pign. l. 13. D. de cond. indeb. Vt autem Pigneraticia actio, ita & pigneraticia exceptio appellatur. l. 6. §. idem Iulianus. D. commun. diuid.

Pigneraticius creditor is dicitur cui pignus datũ eſt, qui ſub pignore credidit. Vlpia. l. 2. de damn. infect. Quæ ſpecies eſt in contrario latere apud Marcellum agitata, an creditori pigneraticio damni infecti caueri debeat. & l. 15. §. item quæritur. eod. tit. Item quæritur in pigneraticio creditore, an pignoris perſecutio denegetur aduerſum eum, &c.

Pigneraticius fundus, id eſt pignori oppoſitus, pignori obligatus, & oppignoratus. l. 26. de ſolut. D. ſi creditor fundum pigneraticium vendiderit, & quantum ei debeatur receperit, &c.

Pignerationes, tit. de iniur. in 6. & auth. ſed omnino. C. ne vxor pro mar. Græcis dicuntur ἐνεχυριασμοὶ, vt Nouella 52. & ἀρπαγαὶ, & ὅμηροι, & Barbaris interpretibus Repreſſaliæ. Vide Clarigatio.

Pilæ. l. 30. §. fi. D. de acquir. rerum dom. grandiora ſaxa aceruatim congeſta, ad contignationem aliquam ſuſtinendam. Plinius lib. 6. Epiſt. Saxis, ait, deinde pilæ adiiciuntur. Dionyſ. Halicar. libr. 3. Horatiam pilam, γωνιαίαν στηλίδα interpretatur.

Pileati ſerui venum ire ſolebant, inquit Gellius libr. 7. cap. 4. & eorum nomine venditor nihil præſtabat, vt ſcriptum reliquit Cælius Sabinus Iuriſperitus. Cuius rei cauſſam eſſe ait, quòd huiuſmodi conditionis mancipia inſignia eſſe in vendendo deberent, vt emptores errare & capi non poſſent, neque lex vendundi opperienda eſſet, ſed oculis iam perciperẽt quodnam eſſet mancipiorum genus: ſicuti mancipia iure belli capta antiquitus coronis induta venibant, & idcirco dicebantur ſub coronis venire. Erant & pileati ſerui, qui domini funus antecedebant, quibus libertas ob id ipſum dabatur, vt ſcribit Iuſtin. l. vnic. §. ſed & qui. & ſeq. de Latin. lib. tol. Notandum autem obiter Romanos olim nudo capite fuiſſe, & caput veſte velaſſe, præter quàm Saturnalibus, in quibus pileum gerebãt. Hinc Martialis lib. 11. epig. 7.

Permittis puto pileata Roma.

Hinc etiam apud veteres nullæ Romanorum ſtatuæ cum pileo viſuntur. Euſtathius lib. j. Odyſſ. de Latinis, ἴσως καὶ τὸ τὰς κεφαλὰς ἀκαλύπτους ἔχειν. differit enim fortaſſe eos nudi capitis conſuetudinem à priſca Græcia duxiſſe, cum apud Homerum nec pilei nec cauſiæ vlla mentio ſit, & heroico ſeculo videantur ea capitis operimenta hominibus vſitata non fuiſſe.

Pilus, nomẽ generale eſt, in animaliúmque fructu exiſtit. §. in pecudum. Inſtit. de rerum diuiſ. **Pili non facio**. Eſt Latinis familiaris hæc hyperbole, Non facio pili. Ne pilo quidẽ melior: cum minimum quiddam momenti ſignificant.

Pinacotheca, tablinum. In pinacothecis tabulæ pictæ argentum cælatum, ſtragula veſtis, ſigna & ornamenta reponebãtur. Huius vocabuli meminit Varro lib. j. c. 2. & 59. de re Ruſt.

Pinguius Iuriſconſ. plenius, latius, craſſius eſt l. 14. §. j. D. de exceptio. rei iudic. Græcis παχυμερέστερον, vel. 7. §. ſcire. D. de pecul. l. 12. §. Iulianus. D. de rem rat. hab.

Piperis planta ad radices alterius arboris ſeritur (& ferè iuxta Fauſel, aut palmam) ad cuius vſque faſtigiũ ſcandendo aſcendere ſolet: foliis raris, mali Aſſyrij effigie, ſed minoribus, & per extremum acutis, virentibus, guſtu calidis aliquantum, & folium ſapientibus: Huius fructus racematim cohæret, & eſt condimentis aptus, cuius tria genera celebrantur, nigrum, album & longum. Plantæ nigri & albi adeo exiguam habent inter ſe differentiam, vt ab incolis tantum dignoſci queat. Longi vere piperis planta ab illis eſt diuerſiſſima. De pipere Paulus in l. 5. de penu leg. De longo & albo Martianus in l. vlt. de Publican. vide Dioſcor. lib. 2. & Plinium lib. 12. c. 7. Galenum lib. 7. ſimplicium, & Guarciam ab orto lib. j.

Piscina, in l. j. in princip. D. de fonte. ab initio lacus & ſtagnum dicta eſt, à piſcibus coërcendis in ea, etiam ſi nihil piſcium ibi ſit. Et quoniam Romani in piſcinis natare ſolebãt, factum eſt, vt omnis aqua ad natandi delicias collecta, ſiue frigida, ſiue calida, piſcina diceretur. Cicero, Latiorem, inquit, piſcinam voluiſſem, vbi iactata brachia non offenderentur.

Πιστικοὶ, l. 3. C. de nauf. gubernatores vel magiſtri, quorum fidei cura totius nauis committitur. Sed & πιστικοὶ, dicuntur, quorum fidei cura gregis committitur, apud Alexium Angelum, ἀπὸ τῆς πίστεως deducto vocabulo: vt iam non ſit dubitandum quin nardum piſticam in Euãgelio interpretari oporteat, quod nardũ purum. l. in argento. D. de auro & arg. lega. & Marcellus libr. de medicam. dixit, & Theophylactus, ἄδολον, καὶ μετὰ πίστεως κατασκευασθεῖσαν: & Gloſſæ vet. Nardum piſticum, ſeu balſamum, ſine impoſtura.

Pityocampæ, vermiculi è pinu arbore naſcentes, venenato ac peſtifero morſu, quos Plinius libr. 23. c. 2. & lib. 29. c. 4. pinorum erucas vocat, & in picea naſcentes erucas. Itaque inter venena connumerantur à Marciano in l. 3. §. j. D. ad leg. Corn. de ſicar. Vide Dioſcorid. lib. 2. & 6.

Placentinus Iuriſconſultus nobilis, Italus Mõſpeſſuli ius ciuile publicè profeſſus eſt, circiter annum M. CC. argumentaque in ſingulos tum Inſtitutionũ, tum Codicis tractatus ſcripſit: quibus Azo poſtea in ſuis componendis magnopere eſt vſus, vt librorum collatio demonſtrat.

Placuisse ſenatui olim dicebantur, quæ Senatus cẽſuerat. l. 21. §. item placere. D. de petitione hæreditatis. Placere & in libris noſtris dicuntur, quæ prudentum auctoritate recepta, inducta, conſtitutáve ſunt. l. 4. D. de pact. l. 4. D. de iur. codicill. Itaque Placere principi dicuntur, quæ princeps conſtituit. l. j. D. de conſtit. princ. vnde Placita principum, pro conſtitutionib. l. j. §. ait Prætor. D. de poſtul.

Placere etiam ea dicuntur, quæ inter aliquos conuenere.

l.33. D.de tranſact.

Placitvm,ipſa conuentio.l.j.D.de pact.l.53.D.de iud. l.4.D.de ſeruit.l.74. D. de euictione.l.20.§. ſi pater. D. fam.erciſc.Sic placitum permutationis.l. 3. & 4. D. de rer.permut. Placitum diuiſionis.l.40.D.de pact.l.15. C.fam.erciſc.

Placitvm interdum conuentus procerum Regni,vel Imperij,quod & Curia dicitur.Gregor.Turon.lib.7.c. 13.Petimus,vtvſque in placito, quod inter ſe Guntchrannus & Childebertus Reges habent, ſuſtineatis. Et mox:Igitur adueniente placito,directi ſunt à Childeberto Rege,&c.Aymoin:lib.4.c.109. Medio menſe conuentus generalis apud Theodonis villam magna populi Francorũ frequentia celebratur.Et mox: Eminuit in hoc placito piiſſimi Imperatoris miſericordia ſingularis.Interdum pro foro & iudicio. Vt in capitulari Caroli:Vt nullus ebrius ſuam cauſſam in mallo (id eſt in iudicio) poſſit conquirere, nec teſtimonium dicere:nec placitum Comes habeat, niſi ieiunus. Quod igitur veteres Conuentum aut Forum agere dicebãt, id Feudiſtæ Placitum tenere dixerunt. Leg.Friſion.tit. 14.Dicat ille qui homicidam illum interpellauit, ſe in placito publico eum interpellare velle: & ita faciat. Interpellet eum in placito,corã iudicibus. Hinc Francogallicum nomen *Les plaitz*.Placet autem Germanorum notatio,à voce *platz*,quæ Plateam ſignificat. Radeuicus lib.j.c.46.Deinde generalem curiam omnibus Italicis ciuitatibus & primoribus apud Roncalias in feſto Beati Martini celebrandam indicit.At in lib.ſeq. ab exordio:Iam dies placiti affuit,quæ Romanũ Principem ad campeſtria Roncaliæ,ſicut condictum, inuitabat.Sic in Lombarda lib.2.tit.de feriis.49. l.j.Etiam dominicus dies honoretur:& eum colere omnes ſtudeant,vt hoc liberius poſſint fieri omnia mercata & placita à comitibus.Conſiderandum autem, cum Imperatorum leges non niſi in Comitiis fierent, vt eas populus ſciſceret,an formula vſitata: *Car tel eſt noſtre plaiſir*, inde nata ſit,pro Quia tale eſt noſtrum placitũ: Id eſt,Comitiorum decretum.Carolus in Capitul.art. 12.Quæ bonæ memoriæ genitor noſter placita conſtituit,& nos conſeruare volumus. Sed multò plenius aliquantò poſt:Vt populus interrogetur de capitulis, quæ in lege nouiter addita ſunt, & poſtquam omnes conſenſerint,ſubſcriptiones & manufirmationes ſuas in ipſis capitulis faciunt.Et in fi.leg.Aleman. Hoc decretum eſt apud Regem & Principes eius,& apud cũctum populum Chriſtianum,qui infra Regnum Meruuingorum conſiſtunt.Hotomanus.

Placita,lites.In formula fœderis cum Mediolanenſibus apud Ottonem lib.Frid.j.c.41.Legati Imperatoris in palatio ſedeant,& placita ad eos delata ad honorem Imperij definiant. Hinc:

Placitare,pro litigare & cauſſas agere: vnde Gallicum verbum,*Plaider*.Carolus Magnus in Donatione Monaſterij Vlmenſis, apud Nauclerum: Si Aduocatus in prædicta villa placitare voluerit, vt non pluribus quàm triginta equis ad placitandum veniat.& tale ſeruitium quale tunc requiritur, eidem aduocato Abbas decenter & honeſtè exhibeat.Et mox: Quicquid placitando ibidem acquirat,tertia parte retenta, duas Abbati reddat.

Plaga,priore producta,percuſſio.Plagarum aliæ ſunt apertæ,vt vulnera recentia quædam veteres,vt vlcera putrida, ſanieque purulenta fluentia: aliæ verò ſunt clauſæ,quæ & cæcæ dicuntur.Quarum etiam quædam ſunt notæ tantùm, collectæ ex verbere ſanguinis, & citra tumorem etiam:quæ Liuores dicuntur: quædam verò cum tumore, vt tumentia vlcera,& tumores, qui ex verbere collecto in vnum ſanguine fiunt: quamuis & citra verbera in corpore tumores naſcantur.

Plagæ grande lineum tegmen. Varro: Chlamydes, plagæ, vela aurea. Huius diminutiuum eſt Plagula, quod Vlpian.l.23.de auro & arg.inter muliebres veſtes recenſet.

Plagivm, eſt ſuppreſſio liberi hominis, vel ſerui alieni,id eſt,cum quis hominem ingenuum, vel libertinũ inuitum celat,vinctúmque habet,emitve ſciens dolo malo,quive in ea re ſocius eſt: aut cum ſeruo alieno ſeruæve perſuaſit,vt à domino dominàve fugiat, vel eum eámve inuito vel inſciente domino dominàve celauit,vinctum habuit,emit ſciens dolo malo, quive in ea re ſocius fuit.l.pen.D.de plagiar. Deductum autem nomen eſt forſan à πλαγίως,quod Sudas δολίως interpretatur,aut,vt vult Iſidorus lib. 10. Etymol. ἀπὸ τοῦ πλαγίου,id eſt ab obliquo,quia obliquis quibuſdam artibus,& dolis plagium committebatur.

Plagiarivs,qui plagij crimen commiſit,id eſt liberos ſeu mancipia ſupprimit,in Rubr. D. & C.ad leg. Fab.de plagiariis. Plagiatorem appellat Tertullianus lib.j.aduerſus Marcionẽ.Auctor Etymologici: ἀνδραποδιστὴς δ' οὐ μόνον ὁ τοὺς ἐλευθέρους ἀπάγων εἰς δουλείαν, ἀλλὰ καὶ ὁ τοὺς δούλους ἀπὸ τῶν δεσποτῶν ἀποσπῶν.

Plana & Cliuoſa via opponuntur.l.2. §. deteriorem. D.ne quid in loco public. Plano quoque ſublime & editum aduerſatur.Vnde de plano opus facere, & in machina operari contrariè relata inuenimus in l.5.§. plane ſi ſic commodaui.D.commodati. Itaque:

De plano cognoſcere,interloqui,diſcutere, (quo genere loquendi vtuntur Iuriſconſ.in l.j.D.de conſtitut. princ.l.9.§.de plano.D. de officio proconſ. l.6. D. de accuſationibus.l.11.§ ſexaginta.D.de adult.) ſignificat ex plano,& æquo loco cognoſcere, vt Cice.pro Cæcinna,& lib.3.Epiſtol.ad Appium,& lib.3. de orato.loquitur:id eſt,non pro tribunali,ſed in via, in tranſitu, cùm vel lauandi,aut geſtandi,aut ludorum gratia, magiſtratus prodierit.l.7.D.de manumiſſ. vindic. §.ſerui autem.Inſtit.de libertin. Nam pro tribunali cognoſcere,non eſt ex plano, ſed ex ſuperiori loco cognoſcere.Et idcirco pro tribunali,& de plano aduerſa iidẽ faciunt,vt in l.j.§.abolitio.D. ad Turpillian. Abolitio priuatim à præſidibus poſtulari & impetrari ſolet.Itẽ pro tribunali,non de plano.Et in l.18. D. de quæſtion. Cuſtodiæ non ſolum pro tribunali,ſed de plano audiri poſſunt.Idem ex l.3.§.ſi cauſſa. D. bonor.poſſeſſ. & l. 2.§.dies.D.quis ordo in poſſeſſ. confirmari poteſt.Seneca libr.j.de clement.Hæc tamen magnanimitas in bona fortuna latiorem locum habet, meliúſque in tribunali,quam in plano cõſpicitur.Sueton.in Tiber. Et ſi quem reorum elabi gratia tumor eſſet, ſubitus aderat:iudicéſque aut è plano, aut è Quæſitoris tribunali, legum & religionis & noxæ de qua cognoſcerent, admonebat. Vnde de plano rectè legi poſſint. Quæ verba his olim notis ſcripta V. D. P. R. L. P. Valer.Prob.teſtis eſt.Auſonius in Gratiarum action.Has ego literas quas in omnibus pilis atque porticibus, vnde de plano legi poſſint,inſtar edicti pendere mandauero.

Planaria cognitio, quæ de plano ſuſcipitur, citra tribunalis aſcenſum.Pro quo in l. 4. C.de dilationib. plenaria vulgò vitioſè legitur.Sicut plenaria interpellatione,pro planaria,in l. pen. C. de naufrag.libr. xj. quemadmodum ſcripti codices arguunt. Ita planarij conflictus apud Marcell. in libr.19. qui ex plano ſolo fiunt,non ex mœnibus.Hinc & in l.11.§.j.D.de inſtitor. Hinc

Planciani Senatuſconſultum, vide Senatuſconſultum Plancianum.

Planta, de arboribus dicitur ea, quæ transferendi gratia

gratia, vel de arboribus rupta, vt ait Seruius, vel ex ſeminibus orta, & de herbis quoque dicitur. §.ſi Titius. Inſtit.de rerum diuiſ.

PLANTARIVM, plantarum locus Seruio, & ipſa planta in terra nata, quæ cum radicibus transfertur.

PLATEA, via latior, feréque militaris, prætoria, conſulariſque dicitur. Vide Bart.in l.qui ſellam. D.de ſeruit. ruſt.præd. & an eius appellatione veniat ſella ibi exiſtens, vide Bart.ibid.

Ἐν πλάτει, vide in dictione Ἐν.

PLAVSTRA, Valerius Probus ait ab imperitis dici, & ploſtra eſſe dicendum, tametſi vſus plauſtra obtinuit. Suetonius narrat, admonitum Veſpaſianum à Floro, vt diceret Plauſtra, non ploſtra, Imperatorẽ poſtridie Flaurum illum ſalutaſſe, non Florum. Vlpianus, Si ex plauſtro lapis ceciderit, & quid ruperit, vel fregerit, Aquilia plauſtrarium teneri placet, l.ſi ſeruus ſeruum. §.ſi ex plauſtro. D.ad legem Aquiliam. Cuiuſmodi autem munera plauſtrorum nomine veniant, not.in l. neminem. C.de ſacroſanct.Eccleſ. Traditum item eſt, licere magiſtratui retinere plauſtra, & equos priuatorum, pro deuehendo commeatu ad exercitum: itémq; licere iudici capere à viatore aſinum, ſuper quem deridendum aliquem reum traducat.

PLEBS, ait Iuſtin.à populo eo differt, quo ſpecies à genere. nam appellatione populi, vniuerſi ciues ſignificantur, connumeratis etiam patriciis & ſenatoribus. Plebis autem appellatione, ſine patriciis & ſenatoribus cæteri ciues ſic ſignificantur. §.4.de iure nat.

Plebs à populo eo differt, quòd in populo omnis pars ciuitatis, omnéſque eius ordines contineantur: plebs verò ea dicitur, in qua gentes ciuium patriciæ non inſunt, vt ſcribit Atteius Capito apud Gellium lib.10. capit.20. Plebs cæteri ciues ſine Senatoribus, l.237. D. de verb.ſignif.

PLEBISCITVM, eſt eius quod plebs R.Tribuno pl. rogante, tributis tantum comitiis conſtituebat. Triplex autem inter legem & Plebiſcitum differentia eſt. Lex à maioribus magiſtratibus ferebatur: Plebiſcitum à minore & ſolo Tribuno pl. illa ab vniuerſo populo: hoc à plebe tantum iubebatur. illa comitiis omnibus ſiue centuriatis, ſiue curiatis, ſiue tributis: hoc verò tributis tantum.

Plebiſcitum (vt ſcribit Atteius capito apud Gellium lib. 10.cap.20.) eſt lex quam plebes, non populus accipit. ſud totius huius rei, iuríſque, ſiue cum populus, ſiue cum plebs rogatur, ſiue quod ad vniuerſos pertinet, caput ipſum & origo, & quaſi fons Rogatio eſt. Iſta enim omnia vocabula cenſentur continentúrque rogationis principali genere ac nomine. nam niſi populus aut plebs rogetur, nullum plebis aut populi iuſſum fieri poteſt.

Plebiſcita primum Pomponius appellata ait iura, quæ ſibi plebs tum conſtituit, cum in diſcordiam cum patribus deducta, receſſit, l.2. §.deinde cum eſſet. D.de origine iur. Feſtus libro 12. & 17. Sciſcere ait eſſe ſententiam dicere, ſuffragium ferre. Eóque ſcita plebis dici, quæ plebs ſuo ſuffragio ſine patribus iuſſit, plebeio magiſtratu rogante.

PLEBEII magiſtratus, dicti Tribuni ſecundum Pomponium in l.2.D.de orig.iur. Plebeij quidẽ, quòd plebem in libertate ſua defenderent aduerſus potentiorum iniuriam: quorum ædes die noctúq; patebant, dicti Tribuni. Non eſt enim nouũ, vnius vocabuli multas referri rationes, à diuerſis cauſſis ductas.

Plebeius, & Decurio quandoque in libris noſtris opponuntur, l.3.D.de teſtib.l.9.§.pen.l.10.§.fin.D.de pœnis.

PLEBANI in cap.1.ne cleric.vel monach. libro 6.quale ius habeant, docet Innocent.in cap.dilectus.de capel. monach.habent perſonatum in eccleſia.

PLENA dicuntur in libris noſtris ſolida & integra, & à quibus nihil deeſt: ſed pro cuiuſque partis relatione, alio atque alio modo.

Plena actio legis, vide l.1. C.de adopt.

Plena auctoritas, l.1.C.de colonis Palæſtin.lib.11.

PLENVM compromiſſum, in l.litigatores. 11.§.2.D.de recep.in quo pecunia vicæ pœnæ, vel alia res promiſſa eſt. at in l.Pompon.13. §.j. in quo ab vtroque compromiſſa eſt. Rurſus in l.quid tamen. 21.§.6. plenum compromiſſum definitur, quod de rebus omnibus, ſed præſentibus tantùm, non etiam futuris factum eſt.

Plena cuſtodia, quæ & diligentiam exigit, l.2. D.de pericul.& comm. rei vend.

Plena defenſio accipitur, ſi & iudicium non detrectetur, & iudicatum ſolui ſatiſdetur, l.21.§.final.D.ex quibus cauſſ.maio.l.34.§.pupillo. D.de iureiur.

Plenum dominium interdum dicitur, item vt plena proprietas, à quo vſusfructus non abeſt, l.2. D.quibus modis vſusfruct.l.qui vſumfructum.36. D.de vſufru. Interdum autem à quo proprietas non abeſt, vt l.4. D.de alim. legat.

Plena Falcidia, id eſt, integra, l.16. D.ad leg.Falcid. Vt Plena ſumma, id eſt, ſolida, & integra, l.110. §.qui quinque.D.de legat.j.

Plenam fidem teſtatori exhibere, eſt ei, cui voluit ſolidum & minimè delibatum fideicommiſſum præſtare, l.20.in fin.D.de donation.l.19.D.quæ in fraud.cred. l.5. §.ſi quis rogatus. D.de donation.inter virum & vxorem. Hoc Iuſtinianus Nouell.Conſtitut.1.dicit, καταβαλεῖν ὁλόκληρα πρεσβεῖα, καὶ πληρῆ τὴν γνώμην τοῦ διατεθεμένου τηρῆσαι.

Plenus fundus in l.Sempronius.26. D.de vſufruct.lega.à quo vſusfructus non abeſt.

Plenum ius rei interdum quæ oppignerata non eſt: vt l. ſuos autem.73. D.de legat.3.l.generaliter. 29.qui & à quibus: interdum autem à qua vſusfructus non abeſt. vt l.ſi ita ſup.126.§.j.D.de verborum obligation.interdum etiam quæ vendita quidem, nondum tamen tradita eſt, l.ſi ancillam. 11. D.de action.empt. Itaque Pleno iure is dominus dicitur, qui rem non tantum in bonis, ſed etiam ex iure Quiritium habet, vti docet Theophil.§.vlt.de liber.

Plenum ius patroni, l.29.D.de bon.lib.

Plenum legatum ſeruitutis, quod nõ perſonæ, ſed rei datum, ſic vt ad hæredes tranſmittatur, l.6.de ſeruit.lega.

Plena libertas, cap.veniens.de verb.ſignif.

Plena negotiorum geſtorum actio, in l.37. D.de negot. geſt. quæ in ſolidum, non quatenus facere maritus poſſit, datur.

Plena proprietas nudæ aduerſatur, eóque nomine ſolida & non ſeparata vſufructu proprietas demonſtratur, l.43.§.j.D.de vſufruct.

Plena pubertas, id eſt integra & abſoluta. Imper.§.5.de adopt. Debet itaque is qui ſibi filium per adoptionem vel adrogationem facit, plena pubertate, id eſt decem & octo annis præcedere.l.40.§.1.D.de adopt.

Plenus venter, qui & grauis, vacuo opponitur, l.83.D.de acquir.hær.l.11.D.de iur.codicil.

Plenum alicui adiunctum quid ſignificet, explicat Barto. l.1.C.de ſacroſanct.Eccleſ.

Plenum, vbi nulla eſt exceptio.ca.re vera.de conſec.diſt. 2.cap.ieiunium.76.diſtin.

PLENE, l.7. D.de alim.& cibar.lega.pro omnino, & in totum. Quo ſenſu, in Plenum dicũt Papinianus, l.pen. D.de ſuis & legit.& Neratius l.63. D.de condi.indeb.

PLENVS, id eſt latius, largius, pinguius, l.1.§.hæc actio. D.ſi quis teſt.li.l.2.§.perueniſſe. D.de hær.vend.l.4. D. de fund.dot. Plenius & exiguius opponuntur, l.pen. D.de vac.mun.

PLERIQVE, plures interdum, id eſt nonnulli.

Pleriqueomnes,ſiuepleræque,Donato in Terentium.

PLERVNQVE pro interdum ſumitur, l.25. in fin.cum leg.ſeq. D.de pact.l.43. §.ſi iactum. D.de furt.ne pugnet cum l.21.§.j.D.de acqu.poſſ.& l.pen. D.pro derelict.& l.8. D.de leg.Rhod.

Plerumque an faciat regulam, vide Bartol.l.j.D.de tutel. & ration.diſtrah.

PLVMARII, ſunt qui veſtimenta ex plumis auium conficiunt: quo genere priſca luxuria delectata eſt. Prudentis in Harmatigenia: *- auium quoque uerſicolorum*
Indumenta nouis texentem plumea telis.

Vel qui acu pingentes, exprimunt animalium vel hominum figuras. Hiero.in Chronicis: Macedonius artis plumariæ. Et in verſione Exodi ſæpe. Firmicus 3.ca. 13.Facient Linteones, aut tunicarum textores, plumarios. Et ca.10. Qui erunt etiam linteones, aut plumarij. Itaque pro Plumbarij, quod eſt l.j.C.de excuſat.artifi. legendum cenſet Iac.Cuiac.Plumarij, atque ita in vet. libris reperiri teſtatur, & Græcos legere.

PLVMBVM, quod pro tegulis poneretur, ædificij eſſe ait Labeo: ſed id quod hypæthri tegendi cauſſa poneretur, contrà eſſe, l.242.§.plumbum. D.de verb.ſignif. vbi Alciat.Bud.& alij.

PLVMBARII, artifices qui ex plumbo quid faciunt, l. fi.D.de iur.immu.Vitru.lib.8.ca.7.de opere plumbario loquens. Exemplar autem, ait, ab artificibus plumbariis poſſumus accipere, quod palloribus occupatos habent corporis colores.

PLVMBATÆ, verberum ex plumbo factorum genus, quo certis criminibus dãnati cædebantur. Hinc Plumbatarum verbera, in l.2.de exactoribus tribut. li.10. C. Sic enim illic legendum docet l.3.de exactionib, in C. Theod.& l.2.de quæſtionib. & l.80.de decurionibus, in eo.Cod.Ambroſ.in lib.de paſſione Geruaſij & Protaſij: Tunc indignatus Comes Aſtacius, iuſſit eum tandiu de plumbatis contundi, quandiu exhalaret ſpiritum. In libello quoque paſſionis Valeriani, Tiburtij, & Maximi martyrum ita ſcriptum ſe reperiſſe teſtatur Briſſon. Igitur cum perueniſſet ad Almachum, quòd Maximus cornicularius cum ſuis omnibus eſſet factus Chriſtianus, iuſſit eum tandiu plumbatis tundi, quandiu ſpiritum redderet. Et in paſſione quatuor Coronatorum martyrum: illis autem reluctantibus, renunciatum eſt Diocletiano Auguſto, qui eos iuſſit ante ipſum ſimulacrum ictu plumbatarum deficere. Nemo autem melius hoc genus verberũ expreſſit quam Prudentius περὶ στεφάνων:

Tundatur tergum crebris ictibus,
Plumbóque ceruix uerberata extuberet.
Pulſatus ergo martyr illa grandine,
Poſtquam inter ictus dixit hymnum plumbeos.

Appellantur & plumbi verbera, in l.7.de exactionibus in C.Theodoſ. Ex quibus minus obſcurum videbitur, quod in l.vnic.C.de his qui potentiorum nomine præcipiunt Impp. eos qui in potentiores litẽ tranſtulerint, plumbo affectos relegari: vt & illud quod Ambro.lib.5.Epiſt.ita ſcribit, Si compertum fuerit data auctoritate aliquos Chriſtianorum aut gladio, aut fuſtibus, aut plumbis necatos.

PLVMBATA etiã eſt iaculi genus in modũ ſagittæ pennis inſtructum. Cuius duo genera facit auctor libelli de rebus bellicis, qui notitiæ Imperij Romani ſubiungitur: vnum cuius ligno ferrum ad formam venabuli aptatum infigebatur, fiſtula eiuſdem ferri parumper extenſa, ſupra quam modico interiecto ſpatio plumbo adhærentes aculei velut tribuli emergebant, quæ plũbata tribulata appellabatur. Altera verò erat mãmillata, quæ bene extenſa & directa virga accipiebat in extremitate ſui rotundũ, & in acumen deductũ ferrum, ſimilibus locis quibus ſuperior, in tribulatã plũbo & pennis adhærentibus. Huiuſmodi plumbatarum meminit Vegetius libri 1.cap.17.& libri 11.cap.15.

PLVMBATVRA eſt conglutinatio quarumuis materiarum, quæ ſolo fit plumbo. Paul.l.23.§.4. D.de rei vind.Si ſtatuæ ſuæ ferruminatione iunctum brachium ſit, vnitate maioris partis conſumi. Non idem in eo quod ad plumbatum ſit: quia ferruminatio per eandem materiam facit confuſionem: plumbatura non idem efficit. Pompon.l.27.D.de acqui.rer.dom. Quicquid in facto argento alieni argenti addideris, non eſſe tuum totum argentum fatendum eſt. at contrà ſi tuum ſcyphum alieno plumbo plumbaueris, alienóve argento ferruminaueris: non dubitatur ſcyphum tuum eſſe.

PLVRALIS locutio duorum numero contenta eſt. Vlpianus de teſt.l.vbi numerus. Pluralem locutionem de vno accipi conſtat, l.non eſt ſine liberis. D.de verbor. ſignif. Aliquando de tribus, ídq; fauore voluntatis vltimæ, l.1.D.de adopt.legat. Pluralis locutio, quandoq; reſoluitur in ſingularitates, l.falſa. D.de conditio.& demonſt.& quando verificari poſſit in ſingulari, vide Felin.in cap.omnes leges.1.diſtinct.

PLVS quot modis dicatur, declarat Bart.in l.ſi creditori. D.de leg.

Pluri minus continetur, l.nec in ea.§.ius occidendi. D.de adult.vide Dyn.cap.plus.de reg.iur. in 6.

PLVRISVE, hæc adiectio, quæ ſolet numero certo adiici, ad modicam ſummam refertur, auctore Paul.l.192. D.de verb.ſign. Quod & dicendum eſt, cum quis plus minus dicit, l.Publia.in fin.D.depoſiti. Clauſulam eam duabus notis, P.M.antiqui ſcribere ſolebant. Gaius ait: Hæc enuntiatio, quæ fuit pluris triginta aureorum, ſimul & quantitatis, & æſtimationis eſt ſignificatiua. Quoties ita loquimur, quod in cenſum detulit Titius, pluris eſt aureorum triginta, id ſignificare poteſt, non ſolùm quantitatem triginta aureorum in cenſum relatam, ſed etiam tantum rerum, ſeu corporum detuliſſe, quantũ æſtimatio triginta aureorũ efficere poteſt.

Plus & minus, non mutant ſpeciem, l.fin.de fund.inſtru. leg. Neque enim minus eſt ſcapha nauis, quàm oneraria, tametſi minor: neq; oneraria magis, tametſi maior. Sic locuples non eſt magis ingenuus, quàm pauper, l.humilem.C.de inceſt.& inutil.nupt.

PLVS MINVS, ſine coniunctione, pro circiter, l.Publia.§.fin.D.depoſiti.

PLVS PETERE dicimus loco, ſumma ſiue re, tempore, qualitate. Loco, ſi alibi ſumma, ſiue re, ſi plus, quam dedimus, petamus: tempore, ſi ante tempus: qualitate, ſi eiuſdem ſpeciei rem meliorem poſtulamus. Paulus lib. 1.Setent.tit.10. Hos eoſdem modos recenſet Iuſtinianus, §.plus.& §.huic autem.Inſtit.de action. Olim plus petẽs cauſſa cadebat. Paulo vbi ſuprà, id eſt, rem amittebat, ex lege XII.Tab.hodie autem ex Zenonis conſtitutione, cuius fit mentio.§.ſed hæc quidem.Inſtit.de actio.§.hodie.Inſtit.de except.& qui plus tempore peti, alterum tantum temporis ſine vllo interuſurio expectat, quanto ſtatutum tempus anteuertere conatus eſt, & ſumptus prioris litis refundit. Qui verò plus loco, vel ſumma, vel qualitate petit, ex conſtitutione Iuſtiniani omne damnum præſtat in triplũ: & qui reo debita quantitate ampliorem cautionem dolo malo exprimit, etiam ius omne crediti amittit, l.vnic.C.de plus petit. Plautus in Querulo, plus petiti periculum dixit: Si paraſitus, inquit, amplius, quam præfinitum eſt, poſtularit, plus petiti periculo ſtranguletur.

PLVRES, de tribus dici poſſe, Gloſ.docet, vt aiunt, ſingularis, in §.& quod ſæpe.in Auth.de trient.& ſem.de qua Barto.in l.ſeruo.D.de opt.leg.

Plura legata ſunt, quoties nominatim plures in legato exprimuntur, auctor Paulus l.2.de leg.2.

Pluribus

Pluribus creditoribus teneri videtur, ſi vni aliorũ nomine caueatur, l. ergo. §. creditoribus. D. de fideic. libert.

Plvtei, quæ tabulæ affixæ & parietibus adiunctæ dicuntur in l. 41. §. 7. de legat. 1. Vlpian. l. 17. §. 2. de actio. empt. Reticuli circa columnas: plutei circa parietes, item cilicia vela ædium non ſunt.

Plvvia aqua, vide ſuprà Aqua.

Plinthides, ſunt laterculi, Hygeno lib. 2. de limitibus conſtit.

Pocvlvm, & pro vaſe in quo bibitur, vt in l. Seiæ. D. aur. & arg. lega. & pro eo quod potatur accipitur, contento ſcilicet pro continente, vt in l. ſi quis aliquid. §. qui abortionis. D. de pœ. quemadmodum amatorium poculum dicimus, potionem quæ ad amoris inſaniam impellit.

Pocvlentvm, quidquid potari poteſt. Quidam exiſtimant potulentum ſcribi debere. Hoc iudicibus licet recipere, vt & eſculentum, l. plebiſcito. D. de offic. Præſidis.

Podagra, in l. à muneribus. C. de decurionib. lib. 10. morbus eſt articularis, pedes præcipuè infeſtans, aliis cum ardore, aliis cum algore. ποδάγρα vſum pedum impedit. Ouid. 3. de Ponto:

Soluere nodoſam neſcit medicina podagram.

Vide Plin. lib. 26. cap. 10.

Podivm apud Vlp. in l. quæſitum. §. canales. D. de fund. inſtr. locus extra ædificium porrectus, vnde ſpectamus ſi quid foris fiat. Item ſpongiæ, inquit, quibus columnæ, pauimenta, podia extergantur. Eſt & præcipuus locum in theatro, cui inhærebat Imperator, vel Senatores ludos ſpectantes. Hinc illa inſcriptio: Theatrum ſtrauit pauimento, podio circunſcripſit. Lege Vitruuium lib. 5. ca. 7. Catanæum in 5. Comment. in Plinian. epiſt. Cuiac. Obſ. lib. & ca. 13. ad dubitat num & Podia illo Vlpiani loco, poſſint ſignificare menſas, quæ monopodia vocat Liuius lib. 39. idque Homeri auctoritate adductus, qui libr. Odyſs. 1. ſic canit,

Οἱ δ᾽ αὖτε σπόγγοισι πολυτρήτοισι τραπέζας Νίζον.

Item alibi ſæpiſſime: tam hoc Martialis loco:

Hæc tibi ſorte datur tergendis ſpongia menſis
Vtilis, expreſſo cum leuis imbre tumet.

Alias Podia impilia ſunt, de quibus ſuperius in voce Impilia. & Pollux, ποδεῖα, inquit, τοὺς περὶ ποδὶ πίλους. At podia fœminini generis funis eſt, quo tenditur velum: Seruius Comment. 5. paulò ante finem.

Poena, inquit Varro lib. 4. Ling. Lat. à puniendo, vel à pœnitendo, quòd poſt peccatum ſequitur.

Pœna noxiæ vindicta eſt, inquit Vlpian. & à mulcta multum differt, ait idem, cum pœna generale ſit nomen, omnium delictorum coërcitio: mulcta ſpecialis peccati: cuius animaduerſio hodie pecuniaria eſt. pœna autem non tantum pecuniaria, verum capitis & exiſtimationis irrogari ſolet. Et mulcta quidem ex arbitrio eius venit, qui mulctam dicit: pœna non irrogatur, niſi quæ quaq; lege, vel quo alio iure ſpecialiter huic delicto impoſita eſt. quinimò mulcta ibi dicitur, vbi ſpecialis pœna non eſt impoſita. Item mulctam is dicere poteſt, cui iudicatio data eſt. magiſtratus ſolos & præſides prouinciarum poſſe mulctam dicere, mandatis permiſſum eſt. pœnam autem vnuſquiſque irrogare poteſt, cui huius criminis ſiue delicti executio competit, l. 131. §. 1. D. de verb. ſign. Vide item l. 244. D. eodem.

Pœna, ſupplicium: à pendendo, quo quis ob delictum afficitur. Vlp. l. ſi quis. de pœn. Pœnæ ſunt, quæ vitam adimant, aut ſeruitutem adiungant, aut ciuitatem auferant, aut exilium, aut carcerem corporis contineant.

Pœna appellatur, quicquid extra rei perſecutionem eſt, l. 2. in fin. D. de tut. & rat. diſtrah. l. 12. §. 1. D. ſi quis omiſ. cauſ. teſta. l. 5. §. fin. D. de public. l. 25. §. 1. D. quæ in fraudem credit. l. 11. §. ſed ſi plures. D. ad leg. Aquiliam. Inde Pœnales actiones opponũtur rei perſecutoriis actionibus, l. 5. §. fin. D. de alien. mun. iudic. cauſſ. fact. §. ſequens diuiſio. Inſtit. de action. l. 32. D. ad leg. Falc.

Pœna, pro eo quod intereſt. Paul. l. vlt. D. de eo quod cert. Centum ſolutis ex vniuerſitate, tam ex ſorte quàm ex pœna ſolutum videri. Item apud Venul. l. 29. D. de iudic. ſol. vide Damnum.

Pœna, pro vſura Paul. l. 40. D. de reb. credi. Si die ſuprà ſcripta, ſumma data non erit, tunc eo amplius quo poſt ſoluam pœnæ nomine in dies triginta, inque denarios centenos, denarios ſingulos dari ſtipulatus eſt, &c. Idem l. 11. de vſuris: Fuit conſuetudo, vt intra certa tempora non illatis vſuris, grauiores infligerentur. Et paulo poſt: Quæſitũ eſt, an illud quod amplius ex cõſuetudine pœnæ nomine à quibuſdam exactum eſt, &c. Item Pompon. l. 23. §. 2. D. de hæredi. inſtituen. Pœna tamen ſic differt ab vſura, quòd cũ vſura ex vſu pendeat, ſiue vt planius loquamur, vſus diuturnitas eam pariat: pœnam contra ſucceſſus temporis non parit, ſed contumacia debitoris ſola. Itaq; vſura quidẽ pro rata tẽporis exigitur, & ſimul cum eo creſcit, atq; augetur, l. 75. §. 6. de verb. oblig. at pœna non creſcit ex temporis productione, ſiquidem vti conuenta eſt, ita ſoluitur, neque adaugetur, l. 68. D. eod. Meritò ergo inter ſe tanquam diuerſa diſtinguuntur: vt in l. 44. D. de vſur. l. 13. D. de pignor.

Pœnæ nomine legari videtur, quod coërcendi hæredis cauſſa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat, ait Imp. §. 41. de legat. & Vlpian. in Inſtit. titul. de legat. vt cum ita legatur: Hæres mevs si filiam svam in matrimonivm Titio collocaverit, vel ex diverso, si non collocaverit, decem avreos dato.

Pœnam à conditione ſeparat voluntas teſtatoris, l. fin. D. de iis quæ pœn. nom.

Pœnæ ſeruitus & Rom. ciuitatis & agnationis ius extinguit, l. qui vltimo. 29. D. de pœn. pœnæ autẽ ſeruus ideo dicitur is qui ad beſtias vel metallũ damnatus eſt, quia nullius planè niſi ſupplicij ſui ſeruus eſt. quippe cui in perpetuũ eſt addictus, adeò vt ſi quid ei legatũ fuerit, pro nõ ſcripto habeatur: quaſi, ait Marcianus, non Cæſaris ſeruo datũ, ſed pœnæ, l. ſunt quidã. 17. D. de pœn. Et vt rem paucis abſoluã, Serui pœnæ olim dicebãtur, qui ſummo ſupplicio ſic addicebantur, vt ſi liberi eſſent, libertatẽ: ſi ſerui, domini familiã quaſi abalienati amitterẽt: adeò vt ne à pœna quidẽ liberati, in veteris domini poteſtatem redirent, l. 8. §. 3. & l. 20. & 29. D. de pœn. l. 8. C. de ſent. paſſ. l. 24. §. 5. D. de fideicom. libert.

Pœnæ ſummæ, mediocres, minimæ, vide Supplicia.

Pœna capitalis diuiditur in ſummum ſupplicium, pœnæ metalli coërcitionem, & in inſulam deportationem, l. capitalium. de pœn. Cæterùm inter varias pœnarum ſpecies, nulla ad naturam propius accedit pœna talionis, vt Ariſtoteles quoque probat. Extat valde elegans locus. D. quod quiſque iur. in al. ſtat.

Pœnarum conuentionalium duplex genus: Vnum, quod damni, vel lucri ceſſantis æſtimationẽ præſtat. Aliud, quod pro contemptu, contumaciáve infligitur: atque hæ propriè pœnæ vocantur, illæ non æquè.

Pœna exacta, inter fructus numeratur: quod de futuris pœnis nuſquam relatũ eſt. fac. l. conuenire. D. de pact. dot. & l. ſi vnus. §. illud. de pact. cum ſimil. Proinde rectè improbatur, quòd quidam pœnas futuras in venditionibus tanquam fructus vendunt.

Pœnarum interdictarum hæc tria refert genera Iac. Cuia. Obſer. lib. 14. cap. 34. Primum eſt inedia necari, vt Marcianum retuliſſe, l. 10. D. de interd. & releg. ex Baſilicis colligi poteſt. qua de cauſſa & quos ablegabãt tyranni in ſpecus, aut loca ſola, his ſolebant cibi aliquid apponere,

apponere, vt apud Sophoclem Creon iubet defoſſæ Antigonæ, φορβῆς τοσοῦτον, ὡς ἄγος μόνον προθεῖναι. Aliud cum quis carcere perpetuo pro pœna continetur, arg. l.8.§.ſolent. D.de pœn. hic enim improprius eſt carceris vſus, qui non pœnæ, ſed diligentioris cuſtodiæ cauſſa haberi debet, vt ait l.6.§.eius.D.de iniuſt.rupt. Tertium, nequis pœnæ cauſſa tormentis ſubiiciatur, l.pen. D de quæſtion. quod pœnæ genus tyrannicum & inciuile Tertullianus conteſtatur in Apologetico.

Pœnæ ob corruptam ex Adæ lapſu hominis naturam, introductæ ſunt, quibus mali coërceantur, ne peccent ſeu delinquant faciliter. Qui enim iuſtè agere propter naturalem legem, ſummámq; bonitatem non expetit, quíque obtemperare non vult rationi, in qua ſunt honeſtatis formulæ, quas intelligit quidem dictante conſcientia, ſed contemnit: is rogo quid ſpectabit, quid timebit, ſi pœnas adimamus? Certè nihil: ſed irruet in omnia flagitia. Nam quid faciet, ait Cicero li.3.Offic. is homo in tenebris, qui nihil timet, niſi teſtem vel iudicem? Quid in deſerto loco, nactus quem multo auro ſpoliare poſſit, imbecillem atque ſolum? Alioqui vir bonus, qui iuri naturali obtemperat, & voluntatem ſuam illi conformem facit, eámque ſequitur, vnde & iuſtitia virtus dicta: is omnibus pœnis exemptus eſt, nec timet, ſed amat Magiſtratum, velut honeſtatis conſeruatorem, Rom.13. Ideóque nullas bonorum vtilitates, æquitati naturæ præfert neminem ſciens lædit, & verè iuſtus eſt, quatenus ad politicam vitam attinet. Rectéq; Socrates execrari eum ſolebat, qui primus vtilitatem à natura ſeiunxiſſet. Id enim quærebatur caput eſſe exitiorum omnium, vt Cicero refert, Hinc intelligis pœnas, defenſiones legitimas, ex natura eſſe, ſicut & Magiſtratus.

POENALES actiones ſunt, quibus duntaxat exigitur, vt aduerſarius puniatur: quæ & Odioſæ, quia reo côuento damnum adferunt, dicuntur: vnde & per interpretationem molliendæ ſunt potius, quam exaſperandæ, l.interpretatione. D.de pœnis.

POENITENTIA ſuprema quæ ſit, vide D.de donat.inter virum & vxo.l.cum hic ſtatus, §.pœnitentiam.

Pœnitentia apud Pontificios quid ſit, diſces ex tit. de pœnit.& remiſſ.& de pœnit. diſt.1.2.3.

POETÆ nulla immunitatis prærogatiua iuuantur, l.Poëtæ.C.de profeſſ.lib.10.

POLIA, πωλεία, armentum equorum. Vlp.in fin.l.Ædiles aiunt.de ædil.edict. Nam & ſi polia venierit, dicemus vnum equum qui vitioſus eſt, non omnem poliam redhiberi oportere. Equarias Varro appellat, lib.2.de re Ruſt.cap.j.

POLIPTICI, non ſunt chirographa, vel apochæ, vt Alciatus tradit Parerg.lib.3. ſed rationes, ſiue ἀποσεσωσμένα publica, l.2.C.Th.de diſcuſſ.l.13. C.Th.de ind.deb. & ideo in l.2. C.de diſcuſſ.ratiociniis publicis, id eſt polipticis. Sic autem plerunque ſcribi ſolet: quanquam ſi origo ſpectetur, Polyptychis ſcribendum ſit. namq, ex eo tractum eſt nomen, quod eæ chartæ publicæ πολλὰς ἀποκλείσεις, οἷον πτύχας habeant: qua forma & dyptycha dicuntur in l.j.C.Th.de exp.iud. & in actione 14. Chalced.concilij, & in quintæ ſynodi, act.4. Suidas, δίπτυχα δύο περιβόλαια ἔχοντα, ὥστε τὸ μὲν ὑπεστρῶσθαι, τὸ δ᾽ ἕτερον ὑποβεβλῆσθαι. Adnotari verò in Polipticis omnia quæ ad rationes publicas ſpectant, Vegetius indicat his verbis li.2. Totius legionis ratio ſiue obſequiorum, ſiue militarium numerorum, ſiue pecuniæ quotidie aſcribitur actis, maiore propè diligentia quam res annonaria vel ciuilis, polipticis annotatur. ſit enim eum locum caſtigauit Cuia. pro eo quod in vulg.li. politicis libris legebatur. Vtitur & hoc verbo Caſſiodorus li.5. Variarū: Vt omnibus, inquit, à te ſollicita, atque æquabili indagatione côpertis, poliptici iubeātur adſcribi.

POLIRE veſtimenta fullonici artificij eſt, l.9.§.pen.l.13. §.ſi fullo. D.loc.l.12.l.48.§.ſi ego.l.52.§.ſi ſeruus.l.82.D. de furt.l.22. D.de præſcr.verb. §.item ſi fullo.Inſt.de obligatio.quæ ex delic. Theop. πλύνειν vertit. Nonius Marcell.in verbo Interpolare, tractum id ait ab arte fullonica, qui poliendo diligenter vetera quæq; quaſi in nouam ſpeciem mutant. Plinius libri 8.cap.48. de lanis loquens, Quippe, ait, ahenis polientium extracta in tomenti vſum veniunt. Idem lib.19.cap.j. Hiſpania citerior habet ſplendorem lini præcipuum, torrentis in quo politur natura. Vnde politura apud eundem lib.11.c.24. Idem lib.35. Vmbrica creta non niſi poliendis veſtibus adſumitur.

POLITOR, l.52.§.venit. D.pro ſocio, is eſt qui agrum expolire atque colere conſueuit. Veluti, inquit Vlpianus, cum pecus in commune paſcendum, aut agrum politori damus in commune quærendis fructibus. ſic enim legendum eſt, non licitatori, vt Budæus voluit. Nonius Marcellus: Politores, agrorum cultus diligentes, vt polita omnia dicimus exculta, & ad nitorem deducta. Ennius Satyr.lib.3. *Teſtes ſunt lati campi, quos gerit Africa terra politis.* Et Annal.9. *Raſtros dentefabres carpſit cauſſa poliendi agri.* Hinc,

POLITIO apud Catonem dicitur illa cultura, pro cuius mercede certam frugis partem capiebat politor, vt nonam, aut quintam, aut octauam, pro conditione agri atque bonitate ſoli. Verba hæc ſunt Catonis: Politionem quo pacto dari oporteat? in agro Caſinate & Venuſio in loco bono parte octaua corbi diuidat: ſatis bono, ſeptima: tertio loco, ſexta, &c.

POLIO, qui arma polit, l.quibuſdam.D.de iure immu.

POLITIA eſt legitima ordinatio Reipublicæ, ſecūdum quam alij præſunt, alij parent. Quæ ab Ariſtotele definitur, principatus & rerum conſuetudo, ſecundum quam viuere vnumquemque & conuerſari decet. Huius tres ſunt ſpecies: Monarchia, regnum, ſeu principatus vnius, ad communem vtilitatem reſpiciens.

Politiæ emendandæ formam, cum ex ſcriptis legibus, tum ex probatis maiorum exemplis oportet mutuari: qualia in l.2.D.de orig.iur. Pomponius exhibet: eleganter, ac compendioſo quodam artificio deſcribens totum imperij ſtatum, eiúſque mutationes. Primum, quæ infantia Romanæ Reipubl. fuerit: deinde qui auctus; quibus legum ſtudiis conſtiterit: quo item iuris neglectu labefacta ſit. His enim exemplis inſtructos eſſe oportet eos, qui rerum publicarum ad emendandam politiæ formam functionem ſuſcipiunt.

Politiæ melioris certiſſima ſpes erit, ſi primum omnium iuris traditio vindicata fuerit à deſultoriis commentatorum opinionibus. Nam tunc conſtantia, mox iudiciorum, & proinde beata (quoad per humanam fragilitatem licet) rerum omnium tranquillitas, auctore Chriſto, ſequetur.

POLLICITATIO eſt ſolius offerentis promiſſio, l.3.D. de pollicita. Plerunque etiam Pollicitatio eſt, qua quis Reipub. vel ciuitati opus aliquod publicum ludóſve promittit, l.5.D.ad leg.Falcid.l.3.§.debitores.D.de mu. & hon.l.vnic.C.de ratiocin. oper.publ. Plin.libr.10. Epiſt. Huic theatro ex priuatorum pollicitationibus multa debentur.

POLLINCTOR, qui mortui corpus pollincit, id eſt vngit. Erat ex libitinarij familia. Vlpian.l.5.§.j. D.de inſti.act. Idem ait, Si libitinarius, quos Græcè νεκροθάπτας vocant, ſeruum pollinctorem habuerit, iſq; mortuum ſepeliuerit, &c. Inuenitur & hoc verbum apud Tertull.in libr.aduerſus Gnoſticos, & Iulium Firmicum in lib.Matheſeos perſæpe.

POLYPTYCHI, vide Poliptici.

POLYPVS, πολύπους, eſt caruncula, modò alba, modò ſubrubra,

ſubrubra, quæ narium oſſi inhæret, & modò ad labra pendens, narem implet, modò retrò per id foramen quo ſpiritus à naribus ad fauces deſcendit. ait Corn. Celſus lib.6.cap.8. vnde,

POLYPOSVS, qui eo vitio affectus eſt: apud Vlpian. l. 12. D. de ædil. edict.

POMOERIVM, locus poſt mœnia. Plura cognoſce ex Liuio lib.j. & Gellio lib.3. Papinia. l.5. De ſeru. export. Cui pacto venditoris pomœrio cuiuſlibet ciuitatis interdictum eſt, vrbe etiam interdictum eſſe videtur.

POMORVM appellatione nuces, & ficus, & vuæ duracinæ, & purpureæ, & quæ eiuſdem generis ſunt, quas non vini cauſſa habemus, quas Græci τρώξιμα vocant, continentur, l. qui fundum. 205. D. de verb. ſignif. vide Macrobium lib.2.cap.6. & 3.cap.19. & Alciatum libr.6. Pareg. ca.2.

PONDVS, infectæ materiæ: Numerus, ſignatæ: Species, factæ dicitur, l.6. D. de rei vind.

PONTIFEX Max. quòd maximus rerum quæ ad ſacra & religiones pertinent, iudex ſit, vindéxque contumaciæ priuatorum, magiſtratuúmque. Minorum Pontificum Maximus dicitur, qui primus in id collegium venit: item Minimus, qui nouiſſimus. Feſtus.

Pontifices (vt Q. Scæuola Pontifex Max. dicebat) à poſſe & facere. Pontifices ego à ponte arbitror: nam ab iis Sublicius eſt factus primum, & reſtitutus ſæpe, cum ideo ſacra & vls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant. Hæc Varro lib.4. Ling. Lat. Facere autem Scæuola dixit, pro ſacrificare. Pontificem in ius vocare dum ſacra facit, non licet, ait Vlp. l.2. D. de in ius voc. Sine decreto Pontificum oſſa quæ ab alio illata ſunt, vel corpus, domino loci effodere vel eruere non licet, ait idem Vlp. l.8. D. de relig. & ſumpt.

Pontificem vnum duntaxat à Numa inſtitutum legimus apud T. Liuium, Marcum ſcilicet M.F. cui ſacra omnia exſcripta, exſignatáque attribuit. quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent: atque vnde in eos ſumptus pecunia erogaretur. cætera quoq; omnia publica priuatáque ſacra Pontificis ſcitis ſubiecit. nec cœleſtes modò cæremonias, ſed iuſta quoque funebria, placandóſque manes, vt idem Pontifex edoceret. Hæc Liuius. Hunc autem ſolum à Numa Pontificem creatum Liuius teſtatur, quem Maximũ etiamnum nominat, quòd alij ſcilicet Minores non eſſent. & initio libri 2. cum de Rege ſacrificulo commemorat, non dicit eum Pontificibus, aut Pontifici Maximo ſubiectum eſſe, ſed tantùm Pontifici, qui tamen Maximus (vt dixi) ſacerdotum omnium habebatur. Non multo pòſt tamen quatuor ſunt creati Pontifices, qui numerus ad M. Valerium, Q. Apuleium Coſs. id eſt annos amplius quadringentos permanſit. quo tempore octo primũ lege Ogulnia Pontifices creati ſunt: de quibus cum poſtea Liuius loquitur, alios minores Pontifices appellat, vnum maximum. Cicero etiam in Orat. de Haruſp. reſp. tres minores nominauit. Pontificis verò Maximi tanta poteſtas in reliquos ſacerdotes fuiſſe dicitur, vt L. Metellus eum honorem adeptus, Poſthumium Conſulem, eundémque flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne à ſacris diſcederet, mulcta indicta, vrbem ingredi vetuerit. quemadmodum Cicero & Valerius teſtátur. Idem Põtifex de violatis ſacris cum collegio cognoſcebat. Liuius narrat L. Cantilium ſcribam Pontificũ, qui cum Veſtali virgine ſtuprum fecerat, à Pontifice Max. eouſque virgis in comitio cæſum fuiſſe, vt inter verbera expiraret. Idem res omnes ſingulorum annorum mandabat literis, efferebátque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi: vt Cicer. lib. de Orat. 2. cõmemorat. Creati autem poſtea plures ſunt à victore Sylla, eorúmque numerus ampliatus, vt eſſent quindecim.

Pontifex priuatus, cuius meminit Pomponius in l.2. §. Omnium tamen harum. D. de orig. iur. ideò dictus eſt, quòd non poterant toties conuenire omnes Pontifices ſacris addicti, quoties impetranda erat actio, ſingulis haud dubiè momentis. Itaque vni delegabãt priuatum hoc negotium, dandæ aut denegandę actionis. Et is, quia magiſtratum nullum gerebat, ideò nequis falleretur in hoc, Priuatus dicebatur.

PONTIFICALIS auctoritas, l.52. D. de petit. hæredit. Pontificale iuſſum, l.8. D. de religio.

PONTIFICIVM, apud veteres pro iure, & poteſtate faciendi dictum, colligit Alciat. ex Conſtantini ſanctione, quæ extat in Theodoſiano Codice: vbi de maternis bonis loquens, Sint, inquit, in parentum poteſtate, atque dominio, vt fruendi pontificium habeant: alienandi eis licentia denegetur. Apud A. Gellium lib.j. cap.13. hoc verbum eodem ſenſu legitur, in quibuſdam codicibus. Et in legib. Burgundionum cap.40. vbi ita ſcribitur: Huius autem actionis pontificium circa manumiſſores tantum de libertis ſuis præcipimus cuſtodiri.

PONTONES, naues quibus in traiiciendis amnibus loco pontium vtimur. Paulus in l. fin. de ſeru. ruſt. præd. Flamine interueniente via conſtitui poteſt, ſi aut vado tranſiri poteſt, aut pontem habeat diuerſum, ſi pontonibus traiiciatur. & infrà: Qui à via conſummari ſolet, vel ciuitate tenus, vel vſque ad viam publicam, vel vſque ad flumen, in quo pontonibus traiiciatur.

POPVLVM Cicer. in lib. de Repub. teſte Auguſt. lib.19. de ciuitate Dei, cap.21. definiebat cœtum multitudinis iuris conſenſu & vtilitatis communione ſociatum. itaque populi appellatione aliter atque plebis Romæ omnes ordines continebantur, §. plebis ſcitum. Inſtit. de iur. na. gent. & ciuili. Vide Plebs.

POPVLVS FVNDVS FACTVS, vide FVNDVS.

Populus tributus apud Horatium. libr.2. Satyr.1. eſt plebs infima, & (vt M. Tullius ſæpe nominat) vrbana. erant enim tribus vrbanæ omnium infimæ, & longe minus honeſtæ, quàm ruſticæ. Itaque in eas coniecti fuerunt à Gracchorum patre libertini, vt ſcribit M. Tul. lib.j. de Orat. ad Qu. Fratrem. Quem autem hîc Flaccus Tributum populum, in epiſto.7. lib.j. tunicatum popellum vocat. Alij tamen loco ſupra citato tributim legunt: quæ ſcriptura ferri poteſt.

POPVLARES actiones (eædem publicæ dicuntur) referuntur in Rubric. D. du popular. action. & in l. eum qui in popularibus. D. de iureiur. & non niſi integris perſonis permittuntur, hoc eſt, quibus poſtulare licet ex edicto prætorio: quod diſcernit ætatem, ſexum, caſum: puta ſurditatis, vel cæcitatis, & famã poſtulantiũ. Dicitur autem actio popularis, quæ cuilibet de populo competit, quam poteſt mouere quilibet de populo. Ea namque principaliter iniuriã publicã, vel ius populi perſequimur. Sic popularia iudicia, & interdicta.

POPVLITARI, pro populari, diripi, Papinia. poſuit in l.21. in fin. de appellat. Tamen, inquit, cùm fructus populitarentur ab aduerſario, æquum ſibi videri fructus apud ſequeſtres deponi. Sic apud Symmachũ, Interea conſtitutionis memor ſequeſtraui mobilia, fructúſque præcepi, ne tẽporis vſurpatio abutatur indebitis. Petitore condemnato, huic fructuum ſequeſtrationi locus eſſe non poteſt, niſi populitentur ab aduerſario.

PORCÆ, in l.24. D. de aqu. & aqu. plu. ſulci ſunt aquarij, quos traditur Græcè ἔλικας appellari, l.j. §. item Sabinus. C. de aq. & aq. plu. Ideóque & porcas Feſtus lib.14. definit raros ſulcos eſſe, qui ducuntur deriuandæ aquæ gratia, ab eo quòd porceant, id eſt, prohibeant aquam frumentis nocere. Quo ferè modo idem auctor Elices definit lib.5. At Varro, vt idem Feſtus admonet,

Porcam

Porcam aliter accipit. inter duos enim ſulcos elatam terram, quòd ea ſeges frumẽtum porricit, porcam appellatam, idem lib.j.de re ruſtic.ca.29.tradit. Idémque lib.4.de Lingua Lat.confirmat his verbis: Ab eo quòd aratri vomer ſuſtollit, ſulcus: quò ea terra iacta, id eſt, proiecta, porca. Quem & idem Feſtus lib.9. ſecutus: Imporcitor ait eſt, qui porcas in agro facit, in arando. Porca igitur eſt inter duos ſulcos terra eminens. Eodémque modo Iſidorus lib.15.Etymol. cap.9. Porcam, quæ in arando extat, quod verò defoſſum eſt, liram dici tradit. In Lexico etiam cuius iam ſæpius mentionem feci, porca definitur, τὸ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὕψος. Nonius planè aliud de huius verbi ſignificatione ſentiens, porcas interpretatur ſigna ſulcorum, quæ vltrà ſe iaci ſemina prohibent, à porcendo, id eſt, prohibendo dicta.

Porcinarii vrbis Romæ, pro ſuariis, in l.j.C.de ſuar.& ſuſceptorib.lib.10.quos ſuillæ carnis tenet functio, vt Symmach.ait lib.j.Epiſt.13.Solebat autem porcina caro populo Rom.ex Aureliano inſtituto diuidi: quemadmodum Vopiſcus in Claudio indicat his verbis: Nam & porcinam carnem populo Roman.diſtribuit, quæ hodiéque diuiditur. Erat & Romæ tribunus fori ſuarij, vt ex notitia Imperij Rom.conſtat.

Pornæ Iuſtiniano, titul.de Conſulibus in Nouell.§. Ac primus quidem. iuxta interpretationem Holoãdri, ſunt ludi ſcenici, ſic dicti à productione meretricum in ſcenam, commemorantur inter ſpectacula, quaſi Floralia, quæ per meretrices & perditiſſimorum hominum genera celebrabantur. Certè vel hic locus indicat turpiſſima illa ſpectacula tardè ſublata.

Porrigere, obſcœnum verbum eſt, & proprium mulierum, vt arrigere virorum, quo vtitur Cõſtant.l.cum vir.C.de adult. Cum vir nubit in fœminam viris porrecturam, &c.

Porrina, genus oleris porracei, vel idem quod porrus: extat vox apud Scæuolam in l.defuncta.§.Sempronio.D.de vſufruct.

Porrectvm, Varro interpretatur directum, vide Amfractus.

Poatari ea dicuntur, quæ quis iumento ſecum ducit: ferri quæ quis ſuo corpore baiulat: agi ea quæ animalia ſunt, l.ferri.235.D.de verb.ſignif.

Portenta, à portendendo, hoc eſt, præoſtendendo dicuntur, cùm præter morem incidentia, oſtẽdant aliquid futurum eſſe. Vlpianus eleganter duo genera oſtentorum explicat in l.oſtentum.D.de verb.ſignific. vbi Andræas Alciatus.

Portvs, eſt concluſus locus, quò merces importantur, & vnde exportantur, eáque nihilominus ſtatio eſt concluſa, atque munita, inde angiportum dictum eſt, l.59.D.de verbor.ſignificat. Portus vectigal, l.17.D.de verbor.ſignif.

Porticvs non venit ædium nomine, l.cætera.§.hoc Senatus.D.de legat.j.An porticus ſit, vt domus, tutum refugium, differit Bart.in l.meminiſſe.D.de offic.Proconſul.Iterim nota Porticum apud Cice.Tuſculana 2. ſumi pro tabernaculo ſeu tentorio: Namque Æſculapi liberorum, inquit, ſaucij opplent porticus.

Porticatio, pro porticu, l.funeris.36.§.j. D.de religioſ.quidam exponunt pro ſeptis, quæ circa ſepulchrũ fiebant. Itaque ſi amplum quid, inquit, Macer, ædificari teſtator iuſſerit, veluti in circuitũ porticationes, &c.

Portorivm, non tantum, quòd in portu, ſed & quod pro exportandis mercibus in tranſitu pontis vectigal ſoluitur, l.60.§.vehiculum. D.loca.l.203.D.de verbor. ſignif.l.3.C.de vectig. Vnde qui hoc vectigal publicani redemerunt, Portitores dicuntur. Portorium rerum venalium Cicero in Piſonem dixit.

Poscimvs imperioſè, Poſtulamus iure, Petimus precario, Rogamus per amicitiam, Obſecramus per ſacra, Flagitamus multo verborum ſtrepitu.

Positvm habeat, exponit Vlpia.dicens, Accipere debemus Poſitum habeat, ſiue in habitationibus, vel cœnaculis, ſiue etiam in horreis, vel cuius alterius ædificij. Poſitum habere etiam is rectè videtur, qui ipſe quidem non poſuit, verum ab alio poſitum patitur, l.ſi verò plures.§.prætor ait.D.de iis qui deiec.

Positio à ponendo, quæ Græcis dicitur theſis, eſt alicuius particularis rei ad cauſſam pertinens aſſertio, auctore Barto.in l.2.§.quod obſeruari. C.de iureiuran. propt.calum.dan. Vbi præterea rectè dicit, huius vocabuli vſum, adeóque rem ipſam, conſuetudine magis quàm ſcripto iure receptam eſſe in iudiciis. Vide ca.j. de confeſſ.in 6.& ibi gloſ.

Poſitiones, ſitus, regiones. Vlpia.l.j.§.j.D.de iuſt.& iure. Huius ſtudij duæ ſunt poſitiones: quaſi diceret partes, ſiue regiones: hoc eſt, Hoc ſtudium, ſiue hæc diſciplina poſita eſt duabus in rebus: nempe in ediſcendo iure publico & priuato. minus enim planè & explicatè hoc dictum eſt: neque verò de iure loquitur Vlpian. ſed de ſtudio ac diſciplina.

Poſitio, fundus, ſors. Vlpian.l.3. D.de annu.legat. Hoc ſequemur, vt pro poſitione patrimonij ſine vexatione & incommodo hæredis fiat: id eſt pro viribus, pro facultatibus. Idem l.2.§.j.D.de pecu. Si verò eandem poſitionem peculij reliquit, debere eum deducere.

Posse verbum ſignificat ſimplicem potentiam, nulli neceſſitati ſubiectam, ídque ex ſermonis proprietate: à qua tamen ex coniectura mentis quandoque receditur. exempla ponit Alc.in l.Nepos Proculo. D.de verb.ſign. Igitur & neceſſitatis nota interdum eſt, vel ſæpe. De offic.præſid.l.non poteſt. D.de iudic.atque ideo ponitur pro debet, l.ſi mandauero, §.fin. D.mandat. An autem trahatur ad futurum, vide Barto.in l.qui Romæ.§.duo fratres.D.de verbo.ſignif.

Possibile, Δυνατὸν, dicitur quod commode fieri poteſt, l.nepos Proculo.D.de verb.ſign.vbi vide Bart.

Possidere verbum à ſedibus videri deductum ipſius compoſitio denotat, & coniugata verba, Aſſidere, Obſidere, Deſidere. Sedes autem appello, in quibus quis habitat. Hinc Virg.lib.Æn.1.

Sedes ubi fatas quietas Oſtendunt.

Varr.lib.4.de Ling.Lat.initio, Pos vetus verbum eſſe ſcribit, quod potentem ſignificat, vnde impos, & poſſum, & verbum poſſidere, quaſi qui poteſt ſedere, id eſt habitationem & ſedem ſuam aliquo in loco conſtituere. Poſſidere autẽ eſt, vti re aliqua pro domino, vt definit Hot.id eſt, pro imperio ac poteſtate domini: cuius definitionis explicationem vide fuſiſſimè apud eundem. At differt à Tenere. Is enim dicitur Tenere, qui corporaliter quidem obtinet, ſed non animo ac poteſtate domini: veluti ſeruus, in quem domini vocabulum non cadit, ne peculium quidem ſuum poſſidere dicitur, ſed tenere. Sed tamen fructuarius quandoq; poſſidere dicitur: fateor: ſed ille ſuo iure, hic pro alieno. Hinc illud Celſi l.18.D.de acquir.poſſeſ. Quod meo nomine poſſideo, poſſum alieno nomine poſſidere. nec enim muto mihi cauſſam poſſeſſionis, ſed deſino poſſidere, & alium poſſeſſorẽ miniſterio meo facio. Nec idem eſt poſſidere, & alieno nomine poſſidere. nam poſſidet, cuius nomine poſſidetur: procurator alienæ poſſeſſioni præſtat miniſterium. Sic poſſidere dicitur, qui per colonum & inquilinum poſſidet, l.j.C.comm.de vſuca. Poſſidentur autem propriè res corporales, non iura, niſi id fiat abuſiuè, l.3.D de acqui. poſſ. Vnde Theophilus tit.de interd. νομὴν definit, σωματικοῦ πράγματος κατοχήν. nam iure poſſidere ſic definit, ψυχῇ τοῦ δεσπόζοντος κατέχειν. An vero duo eiuſdem rei poſſeſſores in ſolidum eſſe poſſint, quæſitum

fu

fuit,vt annotat Cuiac.inter Proculianos & Sabinianos.hi duos poſſeſſores admittebant,illi non item.l.3. §.ex contrario.D.de acq.poſſ. Proculianorum ſententia obtinuit,& quidem generaliter,vt nec poſſint duo in ſolidum poſſidere ciuiliter,nec duo naturaliter:nec vnus ciuiliter,alter naturaliter:nec vnus iuſte, alter iniuſte.l.ſi vt certo.§.ſi duobus.D. commo.l.duo.D.de prec.Nec mouetur.l.& habet.§.eum qui.D.eod.quæ & poſſidere eum ſtatuit qui precario rogauit vt ſibi poſſidere liceret,& eum qui rogatus eſt.Sumpta enim eſt ea lex ex libris ad Sabinum, qui duos poſſeſſores admittebat.

Poſſidere iubere,& in poſſeſſionem mitti differunt: nam Prætor in poſſeſſionem mittit primo decreto, poſſidere autem iubet ſecundo.l.7.D.de damn.infect.

POSSESSIO, inquit Paul.appellata eſt à ſedibus, quaſi poſitio: quia naturaliter tenetur ab eo qui ei inſiſtit, quam Græci κατοχὴν dicunt.l.j.D.de acq.poſſ. Definitur autem ab Ælio Gallo apud Feſtum, Vſus poſſidendi agri aut ædificij:non ipſe fundus aut ager.non enim poſſeſſio è rebus quæ tangi poſſunt,&c.Alij ſic: Ius vtēdi re corporea pro domino. Poſſeſſio autē duplex eſt,vna quæ iure conſiſtit,altera quæ corpore.l.nemo. C.de acquir.poſſ. Auguſt.in ſer.de vita clericorum: Quod videtur(inquit) poſſidere, ſicut iuriſperiti loquuntur,iure non corpore. Hæc naturalis ſiue corporalis dicitur,illa ciuilis:nulla eſt tertia quæ dicatur naturalis & ciuilis.Et hanc verò & illam ad d.l.nemo.ſic Baſilica definiunt,Νομὴ,ἐςὶ φυσικῶς,ἡ τῦ πράγματος κατοχὴ κατὰ δὲ τοὺς νόμους νομὴ,ἐςὶ ψυχῇ δεσπόζοντος κατοχή. Animo domini, inquiunt, quod opinione domini.l.ſi ſeruus.D.de noxal. action. cogitatione domini.l. pen. C.de furt.& rectè adiiciunt κατοχὴ,id eſt detentio.nam & poſſeſſio ciuilis plurimum facti habet.Vtraque igitur corpore conſtat, & vtraque animo ſibi habendi, non vtraque anino domini,vtraque etiam animo retinetur:id eſt etiā ſi poſſeſſor nec ſuo nec alieno corpore rei inſideat,quo ad alius ſubſederit, ſibíque rem tenere cœperit.Vtramque ſupradicta.l.nemo. ait eſſe legitimam,quia defenditur legibus & interdictis poſſeſſoriis.Ciuilis eſt quæ apprehenditur & poſſidetur ex iuſta cauſſa acquirendi dominij ab eo qui ſe dominum credit.Naturalis eſt quæ corpore ſolo conſiſtit, non iure dominij.Vt ecce,Naturaliter poſſidet, qui vi aut clam poſſidet,& incūbat rei meæ, eíque aduerſus alios competit interdictum Vti poſſidetis, & Vnde vi. l.j.§.vlt.D.vti poſſid.l.j.§.qui à me.D.vnde vi.Ego violenti aut clandeſtini ingreſſus opinione comparata, poſſeſſione ceſſi,ſed eam tamen vel interdicto vnde vi,aut de clandeſtina poſſeſſione recuperare poſſum, aut meam eſſe vocare interdicto vti poſſidetis. Eum quoque naturaliter poſſidere conſtat, qui contra leges donatum accepit:vt,ſi quid vxor viro donauerit, id vir poſſidet non iure dominij,cum ſciat,aut ignorare non debeat,inutilem donationem eſſe: ſed naturaliter,volēte domino,qui ei poſſeſſione ceſſit:& cōpetunt ei interdicta poſſeſſoria.l.j.§.ſi vir.D.de acq.poſſ. l.j.§.deiicitur.D.vnde vi.Is etiam qui precariò rogauit, vt ſibi poſſidere liceret,naturaliter poſſidet.l.& habet.§.eum qui.D.de precar.non ciuiliter, quia neque dominium,neque dominij opinionem habet: & quidem ſolus ſecundum ſententiam Labeonis, quæ verior eſt,cum poſſeſſor ei poſſeſſione ſua ceſſerit. Et omnino quicunque poſſidet,ſiue naturaliter,ſiue ciuiliter poſſidet,ſiue iuſtè ſiuè iniuſtè, aut non poſſidet, aut ſolus poſſidet.His conſequens eſt interdicta poſſeſſorio aduerſus alios dari ei qui precario rogauit.l.j. §.vlt.D.vti poſſ.l.qui precario.D.de preca.non etiam aduerſus eum quē rogauit:ſicut nec ei qui vi aut clam poſſidet,aduerſus eū à quo poſſidet: quia etſi is à quo poſſidet, vi vel clam vel precario non poſſideat, in controuerſia poſſeſſionis tamen perinde habetur acſi poſſideret,cum habeat interdictum de vi, vel de clandeſtina poſſeſſione,vel de precario.His tribus modis mala fide poſſidemus,vi,clam,precariò:rhetores Greci malunt dicere, βίᾳ, ἢ λάθρα, ἢ ἀπάτῃ. & inde tria illa interdicta.Id quoque non dubitandum, quin creditor pignus quod ei debitor tradiderit, naturaliter poſſideat,cum debitor poſſeſſionem in eum tranſtulerit.l. cum & ſortis.§.vlt.D.de pign.act.l.per ſeruum.in prin. D.de acq.rer.dom.& ideo huic etiam non dubitarem dare interdicta poſſeſſoria:quod & Accurſio placet in l.pen.§.creditores.D.vti poſſid.His adiungatur ſequeſter,cui partes poſſeſsione ceſſerunt.l.intereſſe.D.de acq.poſſ.l.licet.§.rei. D. depoſ.nam & hic naturaliter poſsidet.Hæc ex Cuiac.obſer.lib.9.c.33.

Poſſeſsionum genera varia,cauſſæ variæ,tituli varij, pro hærede, pro emptore, pro legato,pro agnato, noxæ dedito,ſoluto,ſuo.l.3.§.genera.D.de acquir.poſſ.l.13.§. j.D.de poſſeſſ.hæred.

Poſsidet PRO HÆREDE, qui putat ſe hæredem eſſe, vel benorum poſſeſſorem.l. 11.D.de pet.hæred.§.adipiſcendæ.Inſtit.de interdict.Item qui rem alienam tenens à domino hæres inſtitutus eſt,vel bonorum poſſeſsionem accepit,aut iuſtam aliquam cauſſam habet exiſtimandi ſe hæredem,vel bonorum poſſeſſorē domino extitiſſe.l.33.§.j.D.de vſucap.Sed & quod hæredi inſtituto legatur,id ipſe pro hærede poſsidet,cùm pro ipſius parte legatum non conſiſtat,l.18.in fi. D. de his, quæ vt indig. Eodem loco habentur & quæ à ſtatulibero conditionis implendæ gratia accipiuntur.l.15.§. ſed & ſi retenta.D.de pet.hæred.Atque hæc exempla optimè accommodantur ad tit.pro hærede.D.& l.44. §.ſi tu me vi.l.21.D. de vſucapionibus. l.j.D. quorum bonor.l.j.§.quia autem.D.quod legator.

Poſsidet PRO EMPTORE qui à nō domino emit,cùm eum dominum eſſe exiſtimaret.l.33.§.j.D.de vſucapionibus.l.8.D.de pecul.& commod.l.6.§. Iulianus.D. de precar.l.11. in fi.D.de inſtitor.l.13.§.j.D. de pet.hæred. tit.pro empto.

Poſsidet PRO DOTE qui rem alienam ignorans doti accepit.l.13.l.15.§.apud Marcellum.D.de pet.hæred.l.8. D.de peric.& commod.l.j.& toto tit.pro dote.Similiter pro DONATO poſsidet cui res donationis cauſſa tradita eſt l.j.D.pro dona. Pro LEGATO verò cui res aliena legata eſt,aut teſtatoris quidē, ſed adempta codicillis ignoratur.l.j.l.4.D.pro legato. Pro SOLVTO, qui rem debitam, vel aliud quid in ſolutum eius loco accepit.l.j .D. pro empto. Pro SVO poſſeſsio ad omnes poſſeſsionum ſpecies porrigi poteſt, quas quis ex iuſta cauſſa nactus eſt.Sed huic propriè locus eſt,in his quæ proprium & ſpeciale adquiſitionis nomen non habent,vt puta in his quæ cælo,terra, mari, vel ab hoſtibus capta poſsidemus:item quæ vt in rerū natura eſſent,fecimus,& quæ quaſi donata, legata,vel empta,vel ex ſtipulatu,aut ex cauſſa dotis debita cum veritas non ſubeſſet, accipimus.l.j.& l.2.l.pen.in fi.D. pro ſuo.l.3.§.vlt.D. de adq.poſſ.l.68. D. de iur.dot.l.5.l. 27.l.32.de vſuc.Vide in præpoſitione PRO.

in Poſſeſsione eſſe,& Poſſeſſorem eſſe differunt : ſicut aliud eſt eſſe in ſeruitute, vel libertate, aliud ſeruum vel liberum eſſe.In poſſeſsione eſt depoſitarius,commodatarius,colonus,inquilinus,is qui precariò rogauit vt morari liceat,nō etiam poſsidere,vel ſequeſter cui partes cuſtodiam tantum,non poſſeſsionem conceſſerunt:ſimilis hic depoſitario,ille commodatario. Item is qui ex primo decreto miſſus eſt in poſſeſsionē crediti ſeruandi cauſſa, vel dotis,ventris, legatorum, damni infecti cauſſa.l.certè.§.is qui.D. de precar. l.ſiquis ante.D.de acq.poſſeſſ.& quibus ij locis dicuntur

naturaliter poſſidere, impropria & cōfuſa locutio eſt, cū ſint in poſſeſſione naturali potiùs quàm poſſideāt. qua de cauſſa eis interdicta poſſeſſoria non dantur. l. officium. D. de rei vind. ſed dantur dominis, apud quos poſſeſſio remanſit, veluti depoſitori, commodatori, locatori: ei qui precario rogatus eſt, debitori, & ſimilibus. Hi enim per illos poſſident: illi ergo his, non ſibi. Fructuarius etiam tantummodo eſt in naturali poſſeſſione. nihilominus tamen quia rei emolumentum ad eum pertinet, quæ res efficit vt in pleriſque partibus iuris pro domino habeatur, interdicta ei poſſeſſoria accommodantur, quæ cæteris qui ſunt in poſſeſſione non accommodantur. Cuiacius.

Poſſeſſio CONTINVA dicitur, non ſolùm quæ penes vnum atque eundem ſemper eſt, verumetiam quæ ab vno ad alium legitimè tranſlata fuerit. Etenim tempora poſſeſſionis, quibus auctores bona fide poſſederūt, meritò debent prodeſſe & reputari ad complendam vſucapionem iis, qui in locum eorum ſuccedunt, ſiue ex contractu, ſiue ex vltima voluntate. Puta hæredibus accedit poſſeſſio teſtatoris, & emptor vtitur tempore venditoris, nec ſolùm immediati, ſed etiam vlterioris. Niſi fortè medius aliquis ex auctoribus nō poſſediſſet, quia tunc non poſſet per rerum naturam cenſeri coniuncta ſeu continua poſſeſſio. Scæuola in l. de acceſſionib. in princ. Venuleius in l. in vſucap. §. j. D. de diuerſ. temp. præſcript.

Poſſeſsio defuncti quaſi iuncta deſcendit ad hæredem, & plerunque nondum hæreditate adita completur. Paul. l. cum miles. Ex quibus cauſſ. maior.

Poſſeſsio vera & propria dicitur, etiam quæ legis commento transfertur. l. quod meo. vbi Alexan. de acqui. poſſeſſ. l. ſi is cui. §. Flauius. de ſolut. Quemadmodum vt creditor quis dicatur, ſatis eſt, quòd fidem alterius ſecutus ſit, vel verè, vel legis interpretatione. l. j. C. qui manum. non poſſ. l. qui in fraud. §. ex omni. D. qui & à quib. manumit.

Poſſeſſionis verbo interdum proprietas, ſignificatur. l. 78. D. de verb. ſig.

Poſſeſſio quandoque ſumitur pro detentatione. l. qui locatore. §. filium. D. pro hærede.

Poſſeſsio fiduciaria, Budæo. l. 2. D. de orig. iur. quam ſub manu regia poſsidere dicunt.

Poſſeſsio quandoque quaſi poſſeſsionem ſignificat. c. 2. de in integ. reſtit. Quaſi enim poſſeſsio eſt, cum incorporalibus rebus vtimur, quæ naturaliter teneri non poſſunt, vt ſeruitutibus.

Poſſeſsio ſimpliciter prolata, ſcriptáve de naturali accipienda eſt l. ſtipulatio iſta. §. hi quoque. D. de verb. obl.

Poſſeſsio tradita dicitur etiam precario rogata. l. Iulia. §. veniunt. D. de actio. empt.

Poſſeſsionem in l. aquam. C. de ſeruit. interpretatur Albericus rem poſſeſſam.

Poſſeſsionem bonorum agnoſcere apud iudicem, eſt declarare apud Magiſtratum ſe talem eſſe, qui poſſet ac vellet iure prætorio amplecti hæreditatem defuncti.

Poſſeſsione capere, pro vſucapere. Iulianus. l. non ſolum. 33. §. ſi docuimus. D. de vſurpat. Lex Plautia & Iulia ea demum vetuit longa poſſeſsione capi, &c. Iauolenus. l. emptor. 4. Pro empt. Nihil eum ex eo fundo lōga poſſeſsione capturum.

Poſſeſsionis nomen Feudalium agrorum maximè proprium eſt: primùm quia Feudiſtæ ſcribunt ſolam poſſeſsionem ad vaſallum pertinere: proprietatem verò manere domini. lib. 2. tit. 8. §. vlt. deinde quia vetuſtiſſimis moribus poſſeſsiones à Romanis dicebantur, prædia, quæ non proprietatis iure: ſed tamen diuturnæ aut perpetuæ poſſeſsionis iure tenebantur: de quibus Iauolenus ita ſcribit in l. quæſtio 115, D. de verb. ſig. poſſeſsionem dici cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere. Et hoc ab agro differre, quòd poſſeſsio eſt vſus: ager, proprietas loci eſt. Quod Feſtus planius ſic exponit: Poſſeſsiones appellantur agri latè patentes publici, priuatíque: quia non mancipatione, ſed vſu teneantur: quò pertinet. l. cotem. 11. §. agri. D. de publ. & vectigal. & l. item prædia. 10. D. fam. erciſc. vbi vectigalia prædia dicuntur non eſſe noſtri patrimonij. At in libro Variorum Auctorum de limitibus, poſſeſsiones definiuntur agri latè patentes publici priuatíque, quos initio non mancipatione, ſed quiſque vt potuit occupauit, atque poſſedit: vnde & nuncupati. Agros igitur Iauolenus eſſe vult, qui nexu & mancipio, alióve iure ciuili, veluti ceſsione vel vſucapione alicuius proprij facti ſunt: quod veteres Dominium iuris Quiritium appellabant. Poſſeſsiones autem quæ vel ad tempus, vel in perpetuum alicui vtēdæ fruendæ datæ ſunt: pro quibus vectigal aliquod teſtandæ auctoritatis cauſſa penditur. Sicul. Flacc. Horum ergò agrorum nullum æs, nulla forma, quæ publicæ fidei poſſeſſoribus teſtimonium reddat. Quòd ſi culturæ & meliorationis lex adhiberetur, Imp. Zeno Emphyteuſim appellauit. l. j. C. de iure emph. Hotomanóque placet, vt eo poſſeſſionum nomine feudalia prædia vocitentur. Cic. Agr. j. Venit mihi in mentem, Tib. & C. Gracchos plebem in agris publicis conſtituiſſe, qui agri à priuatis antea poſsidebantur. Et Orat. 11. Qui agrum Recentoricum poſsidēt, vetuſtate poſſeſsionis ſe, non iure: miſericordia Senatus, non agri conditione defendunt. nam illum agrum publicum eſſe fatentur: ſed moueri poſſeſsionibus negant oportere. Item: Anteà cùm erat à Tribunopl. mentio legis Agrariæ facta, continuò qui agros publicos, aut qui poſſeſsiones inuidioſas tenebant, pertimeſcebant. Itē Orat. 111. Si iſti agri partem aliquam iuris, aliquam ſimilitudinem propriæ poſſeſsionis, aliquam ſpem diuturnitatis attingunt: nemo eſt, &c. Itē, Immunia commodiore conditione ſunt, quàm illa quæ penſitant. Ego Tuſculanis pro aqua Crabra vectigal pendam: quia à municipio fundum accepi. Sed hæc omnium optimè legis ipſius. Agrariæ verba oſtēdunt: Quæ publicè data, donata, conceſſa, vendita. Patior, audio, quid deinde? POSSESSA. Hoc Tribunuſpl. promulgare auſus eſt: vt quod quiſque poſt Marium & Carbonem Conſules poſſederit, id eo iure teneret, quo qui optimo priuatum. Nam in lege ita erat: Ea omnia eo iure ſint, vt quæ optimo iure priuata ſunt. Priuata enim appellat, quos Iauolenus agros propriè nominat. Poſſeſsiones, vt ille idem, quæ non proprio & Quiritium iure, ſed vſus cauſſa tenebātur: qualia ſunt Feudalia & Emphyteuticaria prædia. Similiter ergo Feudatarius & Emphyteutes poſſeſsionem ſuam propriè appellabunt. l. Moſchis. 47. §. j. D. de iur. fiſc. & qui iis fruitur, poſſeſſor. l. item ſi. 15. §. j. D. de rei vind. vel (vt eſt apud Sicul. Flaccum) publicæ fidei poſſeſſor. Itémque ſuperficiarius: cum ſuperficiei proprietas & ciuili & naturali iure eius ſit, cuius eſt ſolum. l. 2. D. de ſuperficiebus. Interdum tamen abuſiuè poſſeſsionis verbū proprietatem quoque ſignificat. l. interdum. 78. D. de verb. ſignific.

POSSESSOR quis dicatur ſecundum ſubiectam materiam æſtimandum eſt, vt deſcribit eum Macer, tractās iudiciariam cautionem, in l. ſciendum eſt. D. qui ſatiſd. cog. & obſerua ibi, quomodo materia variet ſignificationem verborum.

POSSESSORIAS actiones Tryphoninus. l. 50. D. de bon. lib. ipſam bon. poſſeſſ. vocat. At in l. 4. §. fin. D. ad Carbon. hoc verbo hæ actiones ſignificātur, quæ bonorū poſſeſſoribus rerum hæreditarium perſequendarum gratia dantur. Bald. de bon. poſſ. hæred. pet. D.

POST, qui accipi debeat, docet Bart. l. 2. D. ſi cert. pet. & ad ſi

ad finem referri conſtat,vt autem ad initium.

Poſt hominum memoriam,id eſt à memoria hominum.

POSTERORVM appellatione liberos tantū,nō etiam libertos eorū,quibus fideicōmiſſum relictū eſt,Fideicommiſſo contineri, nequaquā incertum eſt,ait Modeſtinus in fine.l.quod his verbis.D.de leg.3. Vnde:

POSTERIORES dicuntur,qui vltra trinepotes ſunt vſque in infinitum deſcendentes.l.fi.§.parentes. D. de grad.Maligna igitur fuit illa Caligulæ interpretatio, qua poſterorum nomen ad filios coarctabat, negans vltra hunc caſum debere poſteros intelligi quemadmodum Suetonius in C. Caligula.c.38.ſcribit. Cæterū vacatio,& immunitas,liberis,& poſteris alicuius data, ad eos duntaxat pertinet,qui eiuſdem familiæ & nominis ſunt.l.13.D.de mun.& hon.

POSTERIORES,pro Poſthumis,vide POSTHVMI.

POSTICAM,lineam in agris diuidūdis,S.Sulpitius apud Feſtum lib.14.appellauit.

POSTICVM,Varroni Poſtica,oſtium in poſteriori parte ædium.l.ſi cui.§.cum ædium. D. de vſufru.leg. Feſto lib.14.Vlp.l.13.§.ſed ſi ædium.D. de vſufr.etiam Poſticas dixit.Vel aditus,inquit,poſticáſve vertere.

POSTLIMINIVM, eſt, ait Paulus,ius amiſſæ rei recipiendæ ab extraneo,& in priſtinum ſtatum reſtituendæ:inter nos,ac liberos populos, Regéſque,morib.legibus cōſtitutum.l.Poſtliminium.D.de captiu.& poſtlimi.reuerſ.Dictum eſt autem Poſtliminium, vt vult Imper.§.dictum eſt.Inſtit. quibus mod.ius patr.pot.à limine & poſt.Vnde eum qui ab hoſtibus captus eſt,& in fines noſtros poſtea peruenit, poſtliminio reuerſum rectè dicimus.nam limina,ſicut in domo finem quendam faciunt:ſic & imperij finem eſſe limen veteres voluerūt.Hinc & limen dictum eſt, quaſi finis quidam & terminus.ab eo poſtliminium dictum eſt, quia ad idem limen reuertebatur,quod amiſerat.Cicero in Topicis de hoc vocabulo ſic ſcribit: Seruius in verbo Poſtliminium nihil putat eſſe notandum, niſi POST: & Liminium illud,productionem eſſe verbi vult:vt in Finitimo, Legitimo æditimo non plus eſſe timum, quàm in Meditullio,tullium.Scæuola autem iunctum eſſe putabat verbum,vt ſit in eo & Poſt,& Limen: vt quæ à nobis alienata ſunt, cum ad hoſtē peruenerint, & ex ſuo táquam limine exierint, dein' cum redierint poſt ad idem limen, poſtliminio videantur rediſſe. Ælius Gallus lib.j.ſignificationū quæ ad ius pertinent, vt ſcribit Feſt.Poſtliminio receptum ait eſſe eum qui liber ex qua ciuitate in aliam ciuitatem abierat, in eadem ciuitate redit eo iure, quod conſtitutum eſt de poſtliminiis.Item qui ſeruus à nobis in hoſtium poteſtatem peruenit,poſtea ad nos redit,in eius poteſtatē, cuius antea fuit,redit.Equi,inquit,& muli,& nauis eadem ratio quæ ſerui.ſic enim legi vult Cuiac.Obſeruat.lib.11. c.23.vbi etiam de iure poſtliminij differit. Cicero loco ſupra citato.Poſtliminio redeūt hæc, homo,nauis,mulus clitellarius, equus, equa, quæ fræna recipere ſolet.Apud Pōpon.in l.36. D. de relig. Poſtliminium in rebus inanimatis & immobilibus ſumitur. Loca capta,inquit,ab hoſtibus deſinunt eſſe religioſa. quod ſi liberata ſint,quaſi quodam poſtliminio reuerſa priſtino ſtatui reſtituuntur.

POSTVLARE,eſt ſuum vel alterius deſiderium pro tribunali,id eſt,apud eum qui præeſt iuriſdictioni allegare & exponere,nō alibi.l.j.§.j.D.de poſtu.l.4.§.hoc autem.D.de damn.infec.l.9.D.de pœn.Gellius lib.j.c. 22.vtitur etiā hoc verbo in hoc ſignificatu. Hinc pro aduocationē præſtare,& apud iudicē alicui adeſſe ſumitur ab Vlp.in l.puto autem.D.de poſtulan.Cauſſam agere pro poſtulare,Paul.in l.is qui fiſci.D.eod.tit.

Poſtulare præterea is dicitur,qui rem per ſe iuſtā admodum exigit, aliquantò inſtantius,quàm petens. Vnde Curtius,Poſtulabat,inquit,magis,quàm petebat.

Poſtulare,cum ad publica iudicia refertur, proprie ſignificat petere à Prætore,vt ſibi liceat lege aliqua publicorum iudiciorum quempiam interrogare,vtrum in eam legem commiſerit,necne:vt ſi fateatur,ei lis æſtimetur:ſi neget eius nomē in reos referatur. Cicero ad Q.Fratrē lib.j.Quod cum de ambitu Gabinium vellet poſtulare, neque Prætores diebus aliquot adiri poſſent,vel poteſtatem ſui facerent,in concionem aſcendit Cælius Ciceroni:Inſolentiſſimi homines Circenſibus ludis poſtulandum me lege Scantinia curarunt. Idem:Illud mihi occurrit quòd inter poſtulationē & nominis delationem vxor à Dolabella diſceſsit.

POSTVLATIO, quæ,inquit Donatus, proprie eſt querela de eo qui peccauit, apud alterum: Expoſtulatio, apud illum ipſum qui peccauit.Terent.Hecyra:Neque lites vllæ inter eas,poſtulatio nunquam.Idem in And. Expoſtulatio eſt aduerſus eum quem incuſamus.nam Expoſtulare eſt querelam apud eum ipſum deponere, de eo ipſo qui fecit iniuriam.Poſtulare autem,querelā dicere de altero apud alterum.Alias Poſtulatio, pro deſideriis ſumitur. Hinc:

Poſtulationibus vacare,id eſt expedire ſupplicātium deſideria.Nam poſtulationes,vt diximus,pro deſideriis, & interpellationibus iudicialibus.l.2.§. in bonorum. D.quis ord.in bon.poſſ.

Poſtulationes item vocantur cum ob monſtrum, oſtentum,prodigium, errorem in ceremonia, ſacrificium, vel expiationem poſtulare dij vidētur:hoc verbo vtitur M.Tullius:ſed & Arnobius ita ſcribens, In ceremoniis veſtris, rebúſque diuinis poſtulationibus locus eſt,& piaculi dicitur eſſe contracta commiſsio.

POSTHVMVS,vt ait Ceſellius Vindex, explicans apud Gellium lib.2.c.17.locum Virgilij Æneid.6.

Syluius Albanum nomen,tua poſtuma proles,
Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniux
Educet ſyluis.

non eum ſignificat qui patre mortuo, (vel poſt humatum patrem, vt alij) ſed qui poſtremo loco natus eſt. Itáque Tertull.poſthumum pro proſtremo vſurpauit in lib.cōtra Gnoſt.Quæ cauda erit quodcūque de poſthumo corporis propagatur.item Apuleius in Apol.j. Igitur per aſpirationem ſcribendum hoc vocabulum non eſt,vt nec in Pand.Fl.ſcribitur, nec in veteribus Liuij cod.vt obſeruat Sigonius:nec à Græcis πόσθυμος, ſed πόστουμος effertur:atque nihil in eo aliud notandum niſi Poſt,& Vmus productionē eſſe verbi,vt in Poſtlinio,Liminium,ex ſententia Seruij quam ſupra retulimus:vel ea forma à Poſt,deductum,qua ab Extra Extumus,& à Citra Citumus.Hinc illud Plauti:

Poſt mediam ætatem mediam qui duxit uxorem,
Si eam forte ſenex anum grauidam fecit:
Quid dubitas quin puero ſit nomen Poſthumus.

At negare nolim,Poſthumos etiā vocari eos qui poſt mortem patris naſcuntur(κυοφορουμένους à Græcis interpretibus dictos,quod moriente parente in vtero fuerint)cùm præſertim ſcribat Plutarchus in Coriolano & Sylla, πόστουμον appellari, ἐὰν τεθνηκότος πατρὸς γένῃ): idémque Vlp.l.3.§.j.D.de iniuſt.rupt.item Caius, Sextus Pompeius lib.14.& Varro tradant:ita tamē vt poſtremo(mortui etenim non procreant amplius)nō vt poſt humatum patrem, Poſthumus natus dicatur:quod & confirmat Vlp.d.l.3.§.ex his. vbi poſthumos poſteriores vocat.ſic enim in Pandect.Flor.legitur, & libri quoque Labeonis poſt mortem eius editi, Poſteriores dicti ſunt,quaſi poſthumi.

Poſthumus etiam ducitur in legis Velleæ.c.j.qui poſt teſtamentum viuo parente naſcitur:& eiuſdem legis.c. 2.poſthumorum loco ſunt qui ante teſtamentum nati ſunt,ſi poſtea mortuo parente in ſui hæredis locū ſuc-

cedāt:hinc verò etiam apparet aptari nomen poſthumi non his tantúmodo qui poſt mortem parentis nati ſunt,ſed etiam his qui poſteriores parenti editi ſunt. Vide in Pād.tit.de lib.& poſt.& præcipuè.l. Gallus.29. cuius expoſitioné vide apud Duarenū lib.Diſpu.1.c.38.

Poſthumus alius dicitur ſuus,alius verò alienus. Poſthumus ſuus dicitur,qui ſi viuo patrefam.natus fuiſſet,in ipſius poteſtate fuiſſet,proximúmque ab eo locum in familia tenuiſſet.§.3.Inſt.de hæred.quæ ab inteſt.veluti filius:aut,filio de familia ſublato, nepos, & qui deinceps. Poſthumus alienus dicitur,qui ſi teſtamenti tempore natus fuiſſet,ſuus hæres non fuiſſet.Horum auté alij ſunt Agnati,vt frater qui in matris vtero eſt, fratriſve poſthumus.§. j. D. de legit. agn.ſucceſſ.l.fratres.C.de inoffic.teſt.l.pen.D.de leg.j.alij Cognati,de quibus in l.poſthumus.6.D.de inoff.teſtam.vt is qui ex emancipato filio conceptus & natus eſt.l.ſi emancipatus.6.D.de contr.tab.Itē ſororis vel naturalis, vel adoptiuæ filius:de quo in l.ſiquis.9.in fi.D.de lib.& poſth. item qui ex filio in adoptioné dato conceptus eſt l.j.§. ſi filius in adopt.D.de vent.in poſſ.mitt.item qui cæſo vtero extrahitur, matri cognatus eſt poſthumus.d.l. poſthumus.D.de inoff.teſt.aut qui eſt in vtero neptis ex filia:de quo in l.Titius.§.Lucius.D.de lib.& poſthu. alij quoque ſunt poſthumi planè extranei: de quibus in l.extraneo.6.D.de vent.in poſſeſſ.mitt.& aliis nonnullis locis. Ex Hotom.

Potentatvs in l.13.D.de rit.nup.l.j.C.de gen.abo.l. 4.C.de teſtib.vtuntur hoc verbo Cæſar,& Liuius.

Potestatis verbo plura ſignificantur: in perſona magiſtratus imperium.l.215.D.de verb.ſignific.l.13.D. de iuriſdict.l.3.D.ne vis fiat ei,qui in poſſ.l.j.D.ad leg. Iul.maieſt.& quidé abſolutè poteſtaté appellari merū imperium,quo in facinoroſos animaduertimus, Vlp. ſcribit in l.3.D.de iuriſdict.om.iud.in perſona verò liberorum patria poteſtas,in perſona ſerui dominium. d.l.215.Poteſtatis enim verbum non ad liberos modo trahimus,verùm etiam ad ſeruos,& ad eos, qui nobis bona fide ſeruiunt,ſiue liberi ſint,ſiue alieni,ſiue proprij ſint,ſiue fructuarij.Nec refert cuius ſexus ſint.l.j.§. in poteſtate.D.de exercitor.l.j.§.vlt.D.de tributor.l.3. §.qui in eiuſdem.D.de donat.int.vir.Quinimò & in eo quod dicitur eos qui in poteſtate teſtatoris ſunt, ad teſtamétum adhiberi teſtes non poſſe,Poteſtatis verbum ad eum quoque,qui ab hoſtibus redéptus eſt, referimus.l.20.D.qui teſtam.fac. At cùm agimus de noxæ deditione cū eo qui ſeruum non defendit,poteſtatis appellatione copiā facultatémque ſignificamus. d.l.215.In poteſtate enim habere ſeruum, quod ad noxalem actioné attinet,accipimus eum,qui facultaté & poteſtaté exhibendi eius habet.Quòd ſi in fuga ſit,vel peregrè,non videbitur eſſe in poteſtate.l.21.§.Prætor ait.D.de noxalibus.In lege Attinia,in poteſtatem domini res furtiua veniſſe videtur ſecundum Sabini & Caſſij interpretationem, ſi eius vindicandæ poteſtaté habuerit.Alij ita interpretantur, ſi eius rei velut ſuæ poſſeſſionem ita nactus ſit,vt iuſtè auelli ei non poſſit. l.4.§.tunc in poteſtatem.D.de vſuc. Poteſtatem ſui non facit,quod ad miſſionem in bonorum poſſeſſionem attinet,qui id agit,ne aduerſarius eius ſui copiam habeat.l.2.§.j.D.quibus ex cauſ.in poſſ.l.7.§. præterea. D.de ſuſp.tutorib. Enimuerò magiſtratum quoque ipſum poteſtate præditum, poteſtatem appellamus.l. 7.D.de reb.eor.l.26.D.de pignorib.l.17.§.pen.D.de ædilic.ed.vt & apud Iuuenal.cum ait,

An Fidenarum Gabiorúmque eſſe poteſtas.

Sueto.in Claud.c.23.Iuriſdictionem de fideicommiſſis quotannis & tantùm in vrbe delegari magiſtratibus ſolitam,in perpetuum atque etiam per prouincias poteſtatib.delegauit. Quem locum torquere poſſumus ad interpretationem illorum verborum,quæ ſunt in l. j.D.quod quiſque iur. Qvi magistratvm potestatemve habebit:vt eos,qui in vrbe magiſtratum gerunt,vel in prouinciis imperium aliquod poteſtatémque obtinent, ſignificari dicamus. Sed & in l.3.in fin.D.ad leg. Iuliam maieſt.poteſtas à magiſtratu ſeparatur,& l.5.D.de arbitr.

Potiores in muneribus iniungendis accipiuntur non ſolùm gradu generis, ſed & ſubſtantia rei familiaris, interprete Paulo lib.2.Sentent.tit.28.Et ita in l.7.D.de decurionibus. l. vnd.C.de potioribus ad mun. nominand.lib.10.potiorum nomen accipiendum eſt.

Potitvs hoſtium dicitur,qui in hoſtium poteſtaté redactus eſt, à Papinian.l.11.D. de capt. & poſtlimin. Exinde ſui iuris videtur fuiſſe, ex quo pater hoſtium potitus eſt.Plautus in Epidico, mvl. *Tum filiam quā ex te ſuſcepi.* per. *Quid eam?* m. *Eductam perdidi:atque hoſtium eſt potita.* Sic enim paulo poſt, *Nam poſtquam audiui illicò, ex meo ſeruo illam eſſe captam: continuò argentum dedi ut emeret.* Sic Vlp.in l.15.D.ex quib.cauſſ. maior.l.10.D.de mil.teſta.l.12.& l.22.D.de capt.

Potivs nonnunquam apud Iuriſconſultos ſubauditur, pro conſuetudine Hebraici ſermonis.Paul.l.2.D.de reb.cred. Eorum datione poſſumus in creditum ire, quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem,quam ſpecie.Vlp.l.2.§.6.in fi.D.de iud.Alioquin compelletur iudicium accipere, quàm inuenire eos qui ſatis pro eo dent.Idem l.7.D.depoſ.cum poſſet non ſuſcipere talem cauſſam,quàm decipere.Item in l.20.in fin.D.de acq.vel omit.& l.49.§.3.D.de legat. libr.13.

Pr. nota eſt non interiecto puncto Prætorem ſignificās: puncto interiecto,Populum Romanum.qua de re Victorinus Afer.in lib.de Orthograph.Pr.inquit, quoties Prætorem ſignificare vultis,nolite interpungere: ne fiat populus Romanus.

Πράκτωρες in Nouellis dicuntur exactores tributorū.Hinc Sudas,Φορολόγος,ὁ τὰς ἀφορμὰς συλλέγων,ὃς πράκτωρας καλεῖται τοῖς πολλοῖς.

Præ, præpoſitio,exponitur ante.l.ſi fideiuſſor.D.qui ſatiſd.cog.

Præ manus,ad manum,in promptu.l.27.D.de pig.actio.

Præbenda, veteri loquendi modo, in l.inuiti.2.Vlp. protulit neutro genere,vbi Accurſius Præbendam legit,& ſubaudit, annonam. Exempla veteris lectionis adducit Alciat.c.43.ſecundi Parerg.qui obiter admonet, quas Sacerdotum præbendas vulgò vocamus, μεταφορικῶς poſſe nos Latinius in neutro genere præbenda dicere.

Præbenda in tit.extrà de præbendis & dignit.eſt ius percipiendi prouētus in eccleſia collegiata, ex actione prouenïens,competens alicui tanquam vni de collegio.quod ius ex canonica deſcendit.non enim eſſe debet canonicus ſine præbēda.c.relatum.extra illo tit.

Præbenda eſt nomen iuris,quia non tantum ex poſſeſſionibus,& reditibus conſtituitur,ſed & ordine canonicatus,cui adnectitur,& iungitur.

Præcentores dicuntur cantores, qui in choro incipiūt in eccleſia collegiata.c.cùm olim.de conſuetud.

Præcidere, Budæo.l.2.D.de ori.iur. Græcis ἀφορίζειν, Gallis cottare,ac quotum quemarticulum deſignare.

Præcipere, ante alios capere, & id præcipuum ſibi habere præter hæreditariam portionem, & vt Græcè dicitur, ἐξαίρετον λαβεῖν.l.ſi filia nupta.§.j.D.fam.ercisc. Si filius fam.ait, iuſſu patris obligatus ſit,debebit hoc debitum præcipere. Sic l.35.§.j.D.de leg.2.l.90.D.ad leg.Falc.l.10.D.de alim.legat.Hinc genus illud legati, Hæres mi illam rem Præcipito, tibi q. habeto,de quo Vlp.in Inſtit.tit.23.& Iuſtin.in §.ſed olim.eod.tit.& l.90.de leg.3.quod legatū, vt ſcri

vt ſcribit Gaius libr. 2. inſtit. nonniſi vni ex hæredibus relinqui poteſt, cui aliquid ſupra hæreditatis partes præcipui titulo relinquitur.

Præcipere aliàs eſt iubere, vt faciunt qui aliis præſunt. Vnde præcepta Magiſtratuum dicuntur, & præcepta Iuris. Præcipere, pro inſtruere, docere. Qua ratione præceptores appellantur, quaſi inſtitutores. Cicero de finibus: Sapientia præceptrice, in tranquillitate viui poteſt.

PRÆCEPTIO, pro præſumptione, vel potius, vt ſic dicam, antecapione, apud Papini. in l. 2. de fund. inſtru. Cùm pater, inquit, duob. præceptionem bonorũ auiæ dediſſet. Per Præceptionem dare, legare, relinquere, id eſt, præter hæreditatis partẽ dare, l. 48. D. de iur. fiſc. l. 25. §. vlt. C. fam. erciſc. l. 20, D. de inſtr. vel inſtr. leg. Sic Ex cauſſa Præceptionis poſſidere. l. j. D. quod leg.

PRÆCEPTVM, ſiue Præceptio, pro ſcriptura vel inſtrumento. In Lomb. lib. 2. tit. 17. Si guaſtaldus aliquid per donationẽ acquiſierit, ſit illi ſtabile, ſi per præceptionem indulgẽtiæ Regis hoc illi fuerit confirmatũ. Item tit. ſeq. Reddant omni tempore, ſecundum domini ſui præceptionẽ. Aymoin. lib. 5. tit. 36. Richildis Cõpendiũ ad Ludouicum veniẽs, attulit ei præceptum, per quod pater ſuus illi regnum ante mortem ſuam tradiderat.

PRÆCEPTORIS optimi adfectus erga auditorẽ ſuum eſt honeſtiſſimus. Nõ eſt enim vulgaris amor, quẽ bonæ literæ inter præceptorem & diſcipulum cõciliant.

Præceptorem omnibus beneficiis venerari, magna laus eſt auditorum. Socrati, cùm diſcipuli multa pro ſuis quiſque facultatibus offerrent, Æſchines pauper auditor ſeipſum donabat. Certè Deo, parẽtibus, & præceptori bono nunquàm pares reddi poſſunt gratiæ.

PRÆCIPVA dicuntur, inquit Donatus in 5. Æneid. quæ præter communionem ſingulis proprio nomine deputantur, vt fit ſæpe in teſtamentis, cùm aliqua per præceptionem ſingulorum eſſe hæredum conſcribit teſtator. Vel ſic: Præcipuum dicitur quod hæredibus per præceptionem legatũ eſt; id eſt, quod iiſdem quibus hæreditas relicta eſt, ita eſt legatum, vt in iudicio familiæ erciſcundæ id antè quàm partes diſtribuãtur, capiant. l. 90. D. ad leg. Falc. l. 35. §. j. l. vlt. D. de legat. 2. l. 27. §. ſi præcep. D. ad Trebellian. Gallicè, *Preciput advantaige*. Eius autem legati hanc formulam Vlp. c. Inſti. 24. prodit: L. TITIVS ILLAM REM PRÆCIPITO. Item, TITI fili, hoc amplius de medio ſumito, &c. l. vxorem. 41. §. tertio. D. de leg. tertio. Hinc præcipui titulus apud Sidon. Apollin. lib. 6. Epiſt. ad Patiẽtem: Illud autem deberi tibi quodam (vt dicunt Iuriſc.) præcipui titulo nec tuus ire poterit pudor inficias. Denique Per præceptionem legare, & Prælegare idem ſunt, l. Sextiam. 32. D. de leg. tertio. vide Prælegatum.

PRÆCONES in comitiis legum, ſubiiciente ſcriba leges pronunciabant: in comitiis magiſtratuum, tribus citabant, qui deſignati eſſent, renũciabant: in iudiciis, iudices, reos, & teſtes citabant, audientiam faciebant, Oratores dixiſſe pronunciabant: in auctionibus rei precium indicabant, addictam à Magiſtro rem venditam pollicebantur.

PRÆDA. Si quid bello captum in præda eſt, ait Labeo. l. antepen. de cap. & poſtl. Gell. autem, Præda, inquit, propriè dicitur, corpora ipſa rerum, quæ capta ſunt. Bar. pulchrè tractat de præda in l. hoſtes. & in l. ſi quid in bello. eod. tit.

Prædæ occaſionem præbere, hoc eſt, inuaſionis, occupationis iniquæ. Vlp. in l. j. in princ. Si vent. nom. in poſſ.

Præda, pro prædis cautione, Vide Prædes.

PRÆDES generaliter dicebantur ſponſores, id eſt qui pro aliis fideiubebant. Plerunque autẽ ij, qui pro mancipibus ſpondebant: hoc eſt, pro iis publicanorũ principibus, qui vectigalia à Cenſoribus cõſtituta auctione redimebant. Hinc Varro lib. de ling. 5. Præs, inquit, dicitur, qui à magiſtratu interrogatus, in publicum vt præſtet; à quo & cùm reſpõdet dicitur Præs. Id autem quo cauebatur, Prædã dictam idem teſtatur lib. 4. Præda dicta, item vt Prædes, à præſtando: quòd ea pignori data publicè mancupi fidem præſtent, ſic enim legendum docuit Ioſeph. Scaliger. Hinc illud Ciceronis in Orat. pro domo: Poſtremo ne in prædæ quidem ſocietate mancipem, aut prædem ſocium reperire potuiſti, nam alludit ad publicanorum ſocietates, quorum alij mancipes, alij eorum prædes erant: cæteri communi nomine Publicani dicebantur. Veteribus Gloſſis, Prædes ſunt, οἱ ὑπὲρ φόρου δήμου ἐνδεδεμένοι.

Prædes quoque, vt Aſconius ſcribit, dicebantur, ſatiſdatores locupletes pro re, de qua apud iudicem lis eſt: ne interea qui tenet, diffidens cauſſæ, poſſeſſionem deteriorem faciat.

PRÆDIVM, à præſtando dici ſecundum Varronem rectius multò poteſt, quàm quaſi hæredium, vt quidam putant, Nam prædia poſſunt quotannis aliquid præſtare: ſicut & prædes dicuntur ſatisdatores, qui præſtare poſſunt damna data ab iis, pro quib. fidem interponunt. Prædium autem aliud eſt vrbanum, aliud ruſticum quæ non tam loco diſtinguuntur, vt vult Neratius. l. 2. D. de ſeruit. ruſt. præd. & l. eo iure, in quib. cauſ. pign. quam qualitate, vt ex l. vrbana familia. 168. D. de verb. ſign. & l. ſi prædium. C. de præd. min. colligi poteſt. Vide tit. D. de ſeruit. vrb. præd. & De ſeruit. ruſt Vide Fundus.

Prædium ſeruiens, ſeu fundus ſeruiens dicitur, quod, vel qui debet ſeruitutem. At fundus cui debetur ſeruitus, prædium dicitur dominans. Vide Zaſium. §. æquè. Inſt. de act.

PRÆDIATORES, de quibus Caium ſcripſiſſe conſtat ex indice. l. 54. D. de iur. dot. dici putantur, qui iuris ad prædia & prædes pertinentis periti ſunt. Cicero pro Balbo: Etenim Q. Scæuola ille Augur cũ de iure prædiatorio conſuleretur, homo iuriſperitiſſimus conſultores ſuos nõnunquam ad Furium & Caſſelium prædiatores reiiciebat. Quod idem ſcribit etiã Valer. Maxim. apud quem tamen PRÆTORIO corruptè legitur, pro PRÆDIATORIO, vt annotauit Hotom. Turnebus Aduerſ. lib. 20. c. 30. ſecutus veteres Gloſſas, quæ Prædiatores interpretantur, ὠνηταὶ ὑπαρχόντων, hoc vocabulo ſignificari vult eos qui bona & fortunas eorum emunt, qui pro vectigalibus populi obligabantur. Quibus adde quod ſcribit in Topicis Boëtius: Vindex eſt, qui alterius cauſſam ſuſcipit vindicãdam, veluti quos nũc Prædiatores vocamus. Ita enim legi vult Cuiac. non Procuratores.

PRÆDICARE, pro aperte dicere, apud Vlpia. in fin. l. ſi quis. D. de pet. hær. Prædicate itẽ præco dicitur, dũ aliquid palã promulgat & pronũciat ex Senatuſcõſulto.

PRÆDONES propriè ſunt, qui cùm bellum non indixerint, hoſtiliter tamẽ graſſantur, qui & latrones, ſiue latrunculi appellantur. l. hoſtes. 24. D. de captiu. Eiuſmodi ſunt quos Cicer. in 2. de Inuentione deſcribit: Craſſus Conſul, inquit, quoſdam in citeriore Gallia nullo illuſtri, neque certo duce, neque eo nomine neque numero præditos, vt digni eſſent qui hoſtes populi R. dicerentur. quòd tamen excurſionibus & latrociniis infeſtam prouinciam redderent, conſectatus eſt, &c. Tranſlatè autem & abuſiuè.

PRÆDONES poſtea dicti ſunt, iniuſti & malæ fidei poſſeſſores, id eſt qui cum ſcirent ad ſe hæreditatem non pertinere, bona ſine aliqua iuſta poſſidendi cauſſa inuaſerunt. l. 22. §. ſi prædo. D. de pigner. actio. l. 5. l. 13. §. ex facto. D. de adquiren. poſſeſſ. l. 55. D. de cond. indeb. itaque omnes etiam bonæ fidei poſſeſſores poſt litem conteſt. prædonum loco ac numero habentur. l. 27. §. ſi

ante.& l.33.§.ſicut.D.de hær.pet.

PRÆDONIVS, a, um, qui prædonis eſt, Vlp.l.25.§.3.D.de hæred.petit. Si verò poſtea conſcius hæreditatem nihil ad ſe pertinere, prædonio more verſari cœpit.

PRÆESSE, verbum eſt proprium Iuriſconſultorū, cùm litigatori auctores erant vt iure ageret. Hinc illud: P. Mutij Scæuolę in lib.de Orat.j. Id niſi hic in tuo regno eſſemus, non tuliſſem, multiſque præeſſem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manu cōſertum vocarent. Hinc illud Ciceron. de Chelidone, amica Verris: Statuunt petere auxilium à Chelidone, quæ iſto Prætore nō modò in iure ciuili, priuatorumque omnium controuerſiis populo R. præfuit, verumetiam in his ſartis tectiſque dominata eſt. Superius enim ſic dixerat: Redite in memoriam quàm inanes domus eorum qui conſulebantur, quàm plena atque referta Chelidonis. Sic Pomponius in l.2. De orig.iur. Augeſcente ciuitate & qui præerant, agendi genera compoſuerunt.

PRÆFATIO id erat in pactorum formulis, quod præſcriptio in ſenatuſconſultis. Hinc Paulus.l.Titio quæ. §.j.De verb.oblig. Ea quæ in præfationib. conueniſſe concipiuntur, etiam in ſtipulationibus repetita creduntur: ſic tamen, vt non ex ea repetitione inutilis efficiatur ſtipulatio. Id eſt quæ in ingreſſu contractus facta ſunt, ſtipulationi ineſſe dicuntur, licet pure facta ſit. Confer.l.item quia.§.idem Iuliano. D. de pact. & l. lecta.D.ſi cert.pet.

PRÆFECTVRA, generica vox eſt, vrbica, militaris, caſtrorum, operum, fabrorum, laborum, atque id genus aliæ. Vlp. Viribus, inquit, præfectur[illegible]compulſus eſt l.2. Vbi quis agere.

PRÆFECTVRÆ Feſto lib.14. eæ appellabantur in italia, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebātur, & erat quædam earū reſpublica (neque tamen magiſtratus ſuos habebant) in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent: quarum genera fuerūt duo: alterum, in quas ſolebant ire præfecti quatuor. XXVI. virum (al.è XVVI. viris) qui populi ſuffragio creati ibant hæc opida, Capuam, Cumas, &c. Alterū, in quas prætor vrb. quotannis mittere ſolebat qui ius dicerent, vt Fundos, Formias, &c. Græci νομοὺς ac ϛρατηγίας vocant. Liuius lib.26. Feſti definitionem cōfirmat his verbis: Habitari tātùm tanquam vrbem Capuam, frequentaríque placuit: corpus nullum ciuitatis, nec ſenatus, nec plebis concilium, nec magiſtratus eſſe: præfectum ad iura reddenda quotānis miſſuros. Præfecturæ itaque dicebantur opida quædam Italiæ, quorum incolæ ciues R. erant: hoc tamē à municipiis differebāt, quòd nō ſuis legibus vtebātur, nec vllos è ſuo corpore magiſtratus, vt coloni, creare poterant: ſed à magiſtratib. qui Roma quotannis mittebātur, Romanis legib. regebantur. ij magiſtratus Præfecti dicebantur: hinc Præfecturæ.

PRÆFECTORVM in libris Iuris Ciuilis hæc potiſſimū quæ ſubieci nomina recenſentur, Præfectus Prætorio, Præfectus vrbi, Præfectus vigilum, Præfectus annonæ, Præfectus ærario, Præfectus Auguſtalis.

Præfectus PRÆTORIO tranſlata in vnius dominatum Repub. exemplo Magiſtrorum equitum ab Imperatore creari ſolebat: eique dari plenior (vt Pompo. & Arcadius ſcribunt.l.2.§.populi deinde. D.de orig. iur.l.j. D.de offic.præf.prær.) licentia ad diſciplinæ publicæ emendationem. quibus initiis adeò is magiſtratus creuit, vt appellari à Præfectis prætorio non poſſit. credidit enim princeps, eos qui ob ſingularem induſtriam, explorata eorum fide & grauitate, ad huius officij magnitudinem adhiberentur, non aliter iudicaturos eſſe, pro ſapientia ac luce dignitatis ſuæ, quàm ipſe foret iudicaturus.l.j.D.de offic. Præf.prær. Vnde autem dictus ſit, Aſconij extat auctoritas. Veteres, inquit omnē magiſtratum cui pareret exercitus, Prætorem appellauerunt. Vnde & Prætorium tabernaculum eius dicitur, & in caſtris porta Prætoria, & hodie quoque Præfectus prætorio. Quibus ex verbis perſpicuum eſt, Præfectum prætorio dici eum qui militibus iis præerat, quos Imperatores in ſui cuſtodiam allegerant. quod inſtitutum primùm ab Auguſto fluxiſſe Suetonius in eius vita, & Dio libr.55. teſtantur. Dio quidem, vbi ſcribit eorum decem millia fuiſſe, legionémque illam ſuos habuiſſe faſces. Conſtat autem ex pleriſque omnibus ſolitum ab Imperatore cingulum vnà cum gladio dari Præfecto prætorio, & memorabilis vox Traiani literis mandata eſt, qui cùm Præfectum ſuum cingulo donaret, ita dixiſſe traditur, Accipe hūc enſem, & ſiquidem rectè, atque è Republica imperauero, pro me: ſin ſecus, in me vtere. Quam vocem ſuam in Panegyrico Plinij ſignificans, ita loquitur: Ego quidem in me, ſi omnium vtilitas ita poſceret, atiam Præfecti manum armaui. Suetonius & Plinius hanc præfecturam equitibus Romanis mandari ſolitam ſcribunt. Ille his verbis: Veſpaſianus, inquit, præfecturam quoque prætorij ſuſcipit nunquam ad id tempus, niſi ab equite Roman. adminiſtratam. Plinius autem Titum alloquens, Et quod his nobilius feciſti, dum illud patri pariter & equeſtri ordini præſtas, Præfectus prætorio eius. Hæc autem poteſtas vſque eò poſteriorum Cæſarum beneficiis creuit, vt etiam poſtremis temporibus ad prouincias regendas cum ſummo imperio miſſi ſint. Itaque quatuor eorum genera Conſtantinopolitani Imperij tempore memorantur in libr.C. Præfectus prætorio per Orientem, per Illyricum, per Italiam, per Gallias. de quibus licet cognoſcere ex libro qui inſcribitur Notitia Rom. Imperij. Caſſiodorus etiam epiſt.lib.6. Poteſtati Præfecti prætorio, inquit, nulla dignitas eſt æqualis, vice ſacra iudicat. nullus ei miles fori auctoritate præſcribit, excepto Officiali magiſtri militum. Curiales enim etiam verberat. in officio ſuo ius retinet ſingulare, & talibus tantiſque noſcitur iubere, quos etiam prouinciarum non auderent iudices in qualibet parte contemnere. Militia perfunctis, Tribunorum & notariorum honorem tribuit, & milites ſuos illis exæquat. gratanter implet Imperator quæ ille conſtituit. Cæterum præfecti prætorio, quatuor (vt iam diximus) ſub Imp. Conſtantinopol. fuere. Duo in partibus Orientis, videlicet præfectus prætorio per Orientem, Præfectus Prætorio per Illyricum: totidem in partibus Occidentis, videlicet præfectus prætorio per Italiam, & præfectus prætorio per Gallias. Reliqua vide in Notitia imperij. Iuſtinianus autē exactis VVandalis, Africam à præfectura Italiæ Prætoriana, ſub cuius erat diſpoſitione, exemit, eique propriam præfecturam dedit.l.j.& 2.C. de offic. præfect. prætor. Afri. ita additus eſt quatuor ſuperioribus quintus præfectus Prætorio Africæ.

Præfecti VRBIS triplicem rationem tradit Hotomanus. aliam enim Regum, aliam Imperatorum, aliam mediis temporibus eius magiſtratus procurationem fuiſſe ſcribit. nam primis temporibus præfectus vrbi à Regibus creabatur. Liuius libr.j. L. Brutus imperium in vrbe Lucretio Præfecto vrbis iam antè à Rege inſtituto, reliquit. Et Paulo pòſt, Duo Conſules inde comitiis centuriatis à Præfecto Vrbis ex commentariis Ser. Tullij creati ſunt. Tacitus libr.5. Sed præcipua ex eo gloria, quòd Præfectus vrbi recens, continuam poteſtatem, & inſolentia pari grauiorem, mirè temperauit. namque antea profectis domo Regibus, ac mox magiſtratibus, ne vrbs ſine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac ſubitis mederetur.

tur. feruntque à Romulo Dentrem Romulium, poſt à Tullo Hoſtilio Numam Martiū, & à Tarquinio Superbo Sp. Lucretium impoſitos. Dein conſules mandabant. Duratque ſimulacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur, qui conſulare munus vſurpet. Hæc Tacitus ex quibus ſecunda huiuſce magiſtratus forma intelligitur, de qua loquitur Gell. libro 14. cap. vltim. Præfectum vrbi, inquit, Latinarum cauſſa relictum Senatum habere poſſe, negat Mutius: quoniam ne Senator quidem ſit, neque ius habeat ſententiæ dicendæ, cùm ex ea ætate Præfectus fiat, quæ non ſit ſenatoria. M. autem Varro & Atteius Capito ius eſſe Præfecto Senatus habendi dicunt. Déque, eo aſſenſum eſſe Capitonem Tuberoni, contra ſententiam Mutij, refert Pompon. l. 2. §. 17. D. de orig. iur. Quoties, inquit, proficiſcuntur extra Rempubl. magiſtratus, vnus relinquitur qui ius dicat. is vocatur Præfectus vrbi. qui Præfectus olim conſtituebatur: poſteà verò Latinarum feriarum cauſſa introductus eſt, & quotannis obſeruatur. Latinæ autem feriæ dicebantur, quæ quotannis in Albano monte à quinquaginta Latinis ciuitatibus, Romaníſque magiſtratibus quatriduano ſacrificio Ioui Latiali celebrantur. vnde ſacrificium Latiar dicebatur: in eóque Latini à Romanis carnem petebant. Macrobius lib. 1. Conceptiuæ feriæ ſunt, quæ quotannis à magiſtratibus, vel ſacerdotibus concipiuntur in dies certos, vel incertos, vt ſunt Latinæ, Sementinæ. item, Quare nec Latinarum tempore, quo publicæ quondam induciæ inter Romanum populum Latinóſque firmatæ ſunt, inchoari bellum decebat. Dionyſ. autem libro ſexto tradit has per vnum diem celebratas à Superbo Rege fuiſſe. exactis autem Regibus, per biduum: tandémque poſt ſeceſſionem in ſacrum montem, per triduum. Plutarchus autem in Camillo propter patrum & plebis concordiam diem quartum additum fuiſſe teſtatur. Verum hæc quidem hactenus de Præfectura vrbis, quæ ſtante Reipub. vſurpata eſt. Poſtremis verò temporibus immutata eius ratio eſt multis in rebus, videtúrque Magiſtratus hic ab Auguſto primum renouatus. Sueton. enim ſic ſcribit, Quoq; plures partem ædminiſtrandæ Reip. caperent, noua officia excogitauit, curam operum publicorum, viarum & aquarum, aluei Tiberis, frumenti populo diuidendi, Præfecturam vrbis. Has ferà ab Vlpiano partes ipſius procurationi attributas eſſe idem Hotom. refert, Vt ſeruorum de dominis querelas, viciſſímque horum in illos criminationes audiret. Vt patronis de libertis ingratis querentibus ius diceret. Vt de tutorum curatorúmve criminibus cognoſceret. Vt nūmulariorum argentariorúmq; fraudes coërceret. Vt carnis curam gereret. Vt quietem in populo procuraret, illicitáque collegia coërceret. Vt ſpectaculorum diſciplinæ præeſſet. denique quicquid non modò intra vrbem, verumetiam intra centeſimum ab vrbe lapidem commiſſum eſſet, animaduerteret: ſic vt & vrbe, & Italia interdicendi poteſtatem haberet. Itémq; in inſulam deportandi, l. 6. D. de interd. & releg. l. rei capitalis. §. conſtat. D. de pœn. Quod autem Vlpianus de carnis cura ſcribit, teſtatur in Epigrammatis vrbis Romæ confirmatum, in edicto Aproniani Præf. vrbi, de carne occiſi pecoris appendenda & vendenda. Quod de criminibus, etiam ad publica pertinet, l. j. §. generaliter. D. de pœn. vt ſcilicet eas pœnas quæ legibus conſtitutæ ſunt, imponat: tametſi extra ordinem cognoſcit. l. ordo. D. de publ. iudi. De extraordinariis autem arbitratu ſuo ſtatuebat. l. j. D. de effractoribus. Itaque & Prætores & Præfecti vigilum, ſi quis grauiore ſupplicio plectendus eſſet, eum ad illum remittebant. l. nam ſalutem. & l. vlt. D. de offic. præf. vigil. Dio verò li. 52. πολίαρχον eum appellat, & Mecœnatem ſuadentem Auguſto facit, vt eum è primariis viris deligat, qui omnes magiſtratus priores geſſerit, vt eas cauſſas in quibus prouocatio fuerit, & nōnullas etiam publicas & capitales diſceptet, non modò in vrbe, verumetiam μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑξακοσίων σταδίων: quod ille pro centum paſſuum millibus poſuit: vt patet ex l. j. D. de offic. præf. vrb. Sub diſpoſitione præfecti vrbis Romæ declinantis Imperij temporibus erant Præfecti annonæ, Vigilum, Comites riparum, aluei Tiberis, cloäcarum, portuum, magiſter cenſus, Rationalis vinorum, Tribunus fori ſuarij, Conſularis aquarum, Curatores operum, maximorum & publicorum, ſtatuarum, horreorum.

Præfectus VIGILVM inſtitutus eſt ab Auguſto. nam cū ſeptem cohortes opportunis locis conſtituiſſet, vt binas regiones vrbis vnaquæque cohors tueretur: præpoſuit eis Tribunos, & ſuper omnes ſpectabilem virum, qui Præfectus vigilum appellaretur. Is cognoſcebat de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus: niſi ſi qua tam atrox, támque famoſa perſona ſit, vt præfecto vrbi remittatur. & quia plerūque incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fuſtibus caſtigat eos qui negligentius ignem habuerūt, aut ſeuera interlocutione comminatus, fuſtium caſtigationem remittit. Idem per totam noctem vigilare debebat, & coerrare calciatus cū hamis, & dolabris, & curare omnes inquilinos admonendos, ne negligentia aliqua incēdij caſus oriatur: præterea vt aquam vnuſquiſque inquilinus in cœnaculo habeat. Hæc ex leg. 3. D. de offi. præf. vigil. Dio lib. 55. vt vertit Hotomanus, Cùm per id tempus multa in vrbe incendio periſſent, libertini generis homines ſeptem in locis, incendiis procurandis delegit: eiſque Equitem vnum præfecit, eo conſilio, vt perexiguo tempore illorum opera vteretur. Verùm cùm experiundo cognouiſſet, præſidium illud & vtiliſſimum & maximè neceſſarium eſſe, retinuit. ſuntque vſque adhuc nocturnæ quodammodo excubiæ militares, non ex libertinis tantùm, verumetiam ex aliis conſtitutæ: quæ muris in vrbe præſunt, mercedémque de publico accipiunt. In eadem ſententiam Suetonius in Auguſto, Aduerſus incendia excubias nocturnas, vigiléſque commentus eſt. item, Libertino milite, præterquam Romæ incendiorum cauſſa, & ſi tumultus in grauiore annona metueretur, bis vſus eſt.

Præfectus ANNONÆ magiſtratus fuit extraordinarius, vtilitatis cauſſa conſtitutus, vti ſcribit Pomponius l. 2. §. 17. De orig. iur. Liuius lib. 4. L. Minutium nominat, quem Præfectum vrbi à plebe creatum fuiſſe ſcribit. Conſtat eius munus fuiſſe, vt videret ne plebs annonæ inopia & caritate laboraret, vbiq; panis copia redundaret, ponderéque iuſto ac mundicia debita panis veniret. Itaq; ſi quid ad annonam pertinens commiſſum erat, ipſe cognoſcebat. Marcianus l. 13. D. de accuſat. Mulierem, inquit, propter publicam vtilitatem ad annonam pertinentem audiri à Præfecto annonæ deferentem, diuus Seuerus & Antoninus reſcripſerunt. Vide Caſſiodorum lib. 6. Variar. in formula præfecturæ annonariæ.

Præfecti ÆRARII primùm ab Auguſto inſtituti ſunt: vt ſcribit Dio lib. 55. Cùm enim ærarium conficiendi ratio excogitari nō poſſet, ipſe certū ac proprium ære ſuo conſtituit, quod Militare appellauit: eiuſque adminiſtrationem tribus Prætoriis ſorte lectis ad triennium mandauit. qui binis lictoribus, aliiſque miniſtris vterentur. pòſt cùm neque ipſius pecunia, neque ea quæ à Regibus & populis mittebatur, ſatis locupletari ærarium poſſet, conſtituit vt pars hæreditatum ac legatorum viceſima eò referretur: præterquam quæ

proximis cognatis, aut pauperibus relinquerentur. Poſtremis autem temporibus eoſdem Præfectos à Principe deligi, & ſine lictoribus creari ſolitos, eodem loco ſcribit. quorum officium quale fuerit, colligi poteſt ex l. cum quidam. D. de his quæ vt indig. auf. l. 2. §. res. D. nequid in loc. pub. l. edicto. l. Adrianus. D. de iure fiſc. l. 4. §. plane. D. de fideic. lib. l. j. §. tutores. D. de fulſis. Vlpianus l. 8. §. 2. D. de tranſact. Apud Procuratorem Cæſaris tranſigi de alimẽtis poteſt: ſcilicet ſi à fiſco petantur alimenta. Secundùm quæ & apud Præfectos ærarij tranſigi poterit. Sueton. in Auguſto, Vtque perpetuò ac ſine difficultate ſumptus ad tuendos eos, proſequendóſque ſuppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis conſtituit. Quod autem hoc ærarium Dio ad Prætorios refert, id Suetonius alteri attribuere videtur. Auctor fuit Senatui, inquit, vt cura ærarij à Quæſtoribus Vrbanis ad Prætorios Prætoréſve tranſiret. niſi fortè in vtroque hoc factum ſit. cùm idem lib. 43. ſcribat, publicæ pecuniæ adminiſtrationem, quæ Fabio, Caninio Coſſ. ad Ædiles tranſlata fuerat, poſtea Quæſtoribus redditam nõ eſſe, ſed Prætoriis viris commiſſam. quod ipſum etiam ex Gellij lib. 13. cap. 23. intelleximus. Quod autem, inquit, per Quæſtorem dixi pecuniam ex prædæ venditione contrahi, intelligi nunc oportet Præfectum ærario ſignificari: nam cura ærarij à Quæſtore ad Præfectum tranſlata eſt.

Præfectus AVGVSTALIS, ſiue Præfectus prætorio Auguſtalis, dicebatur is cui Princeps ſummum imperium & proconſulari par in Ægyptum dedit: quemadmodum Vlpianus ſcribit l. j. D. de offic. præf. Auguſt. Tacitus libro 1. Nam D. Auguſtus apud equeſtres, qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretáque eorum perinde haberi iuſſerat, ac ſi Romani magiſtratus conſtituiſſent. Idem libro 2. M. Silano, L. Norbano Coſſ. Germanicus in Ægyptum proficiſcitur cognoſcendæ antiquitatis cauſſa: ſed cura prouinciæ pretendebatur: leuauítque apertis horreis precia frugum multáque in vulgus grata vſurpauit, ſine milite incedere pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu, P. Scipionis æmulatione, quem eadẽ factitauiſſe apud Siciliam, quãuis flagrante adhuc Pœnorum bello, accepimus. Tiberius cultu habitúque eius lenibus verbis perſtricto, acerrimè increpuit, quòd contra inſtituta Auguſti, non ſpõte principis, Alexandriam introiſſet. nam Auguſtus inter alia dominationis arcana, vetitis niſi permiſſu ingredi ſenatoribus, aut equitibus Roma. illuſtribus, ſe poſuit Ægyptum, ne fame vrgeret Italiã. quiſquis eam prouinciam, clauſtráque terræ ac maris, quamuis leui præſidio aduerſus ingentes exercitus incediſſet. Strabo lin. 17. de Ægypto lobuens, ἐπαρχία νῦν ἐστι, φόρους μὲν τελοῦσα ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ἐπάρχων ἀεί. ὁ μὲν οὖν πεμφθεὶς τὴν τοῦ βασιλέως ἔχει τάξιν. id eſt, Ægyptus autem nunc prouincia eſt, vectigalis populi Rom. regitúrq; à viris ſapientibus, qui eò cum imperio mittuntur. Qui mittitur, principis loco eſt. Dio præterea lib. 51. in eandem ſententiam cum Suetonio & Tacito loquitur, vbi ait, Auguſtum propter gentis leuitatem, & regionis frugúmque omnium vbertatem & copiam non eſſe auſum eam prouinciam vlli Senatori committere: quin & proficiſcendi in Ægyptum poteſtatem, niſi ipſe nominatim alicui conceſſiſſet, nemini fuiſſe.

PRÆFECTIANI ab Impp. dicebantur poſtremis temporibus, qui præfecti prætorio apparitores erant, l. 2. l. 3. C. de apparit. præf. præt. l. 8. C. de offic. rect. prouinc. Atque hoc vocabulo vtitur Tribonianus lib. 12. Cod. rub. de caſtrenſi peculio militum: nam pro Præfectis annonæ, reſtituendum, Præfectianorum ex lib. veter. vt teſtatur Iac. Cuiacius, in not. Inſt. tit. de mil. teſt. Marcellinus lib. 17. Vt nec præfectianus, nec præſidialis apparitor ad ſoluendum quenquam vrgeret.

PRÆFECTORIVS vir, l. j. D. de Senato. & in Epiſtola Iuſtiniani Pandectis præfixa.

PRÆFERRE diem, l. j. §. editiones. D. de edendo. id eſt, proponere: Nequid excogitetur è die & conſule, & prælato die fiat. Alij legunt, prolato. vide Proferre.

PRÆFIXVM, præcluſum. Caius l. 6. D. de ſeruit. vrb. præd. Si ergo per ſtatutũ tempus feneſtras meas præfixas habuero, vel obſtruxero. In Florent. libris Perfixas legitur: corruptè, vt vult Hotom. Virg. Georg. 3.

Multi iam excretos prohibent à matribus hœdos,
Primáque ferratis præfigunt ora caniſtris.

PRÆGNANTES clauſulæ ſunt Iuriſperitis, vt nunc cenſentur, Plenitudo poteſtatis, Motus proprius, Certa ſcientia. Eámque illis virtutem eſſe aſſerunt, vt in contrarium nemo audiatur, quòd ſemper præſumatur iuſtitia, excludatur omnis ignorantia & error, & item defectus ſolennitatum in reſponſis, reſcriptis, diplomatiſque eorum. Obſeruandum tamen, iam dictas clauſulas ſententiis Principum non eſſe inſerendas: quòd hic iuſtitia nulli cedat, quæ in principum ſententiis prælucere debet, l. fin. C. de leg. l. omnium. De teſtam. cum ſimil.

PRÆGNATIO eſt tempus, quo mulier prægnans eſt.

PRÆGRAVARI verbo eleganter vſus eſt Iuſtinianus, §. quædã. Inſt. de actio. ſumpta à libra metaphora. & ca. non debet. de regul. iur. lib. 6.

PRÆIVDICARE Iuriſconſulti dicunt, pro obſtare, nocere, viam præcludere ſimpliciter, ſine vero iuris præiudicio. Macer l. penult. D. de re iudi. Sæpe, inquit, conſtitutum eſt, res inter alios iudicatas, aliis non præiudicare. Impp. in l. j. C. res inter alios acta vel iudicata, aliis ne noceat. Ecce non nocere vocant, quod Macer Præiudicare dixit.

PRÆIVDICIVM, inquit Aſconius, dicitur res, quæ cum ſtatuta fuerit, affert iudicaturis exemplum quod ſequantur. Vel ſic: Præiudicium propriè eſt ſuperius iudicium, quo ſequens aliqua controuerſia iam tum quodammodo iudicata & terminata ſit, l. pen. D. de re iudic. l. 5. §. meminiſſe. D. de lib. agnoſc. l. penult. D. qui ſunt ſui vel alien. Hinc,

Præiudicium in controuerſiis de ſtatu hominum dictum eſt, iudicium cuius ex euentu plerũque altera quædam cognitio, quæ tãtiſper interea ſuſtinẽda eſt, diſceptari debeat. vel (vt exponit Theoph. §. præiudiciales. Inſtit. de actionibus) τύπος ἐστὶ ἀπὸ ἰντεντζίονος μόνης συγχέμενος. Vel, vt alij, Præiudicium eſt iudicium quod præcedit alia iudicia, quibus agimus ad aliquid vel dandũ, vel faciendum. Vnde etiã Præiudiciales actiones nomen inuenerunt; cuius tria duntaxat agnoſcuntur genera, cum quæritur an quis liber ſit, an libertus, & de partu agnoſcendo, d. §. præiudiciales. nam illud, an ſeruus, falſo ab interpretibus additum eſt. Quoties ergo de hoc contenditur, an libertus quis ſit, ſiue operæ, ſiue alimenta quaſi à liberto petantur, ſiue obſequium deſideretur, ſiue in ius vocetur qui ſe patronum dicit præiudicium redditur, id eſt ſtatus quæſtio deciditur, l. vlt. D. ſi lib. ingen. eſſe dicat. l. 3. D. de agnoſ. lib. l. circa. 14. l. quoties. 18. D. de probat. l. j. D. de rei vindic. l. adoptiuum. 8. D. de in ius voc.

Præiudicium populariter dicendum eſt, quoties inter actiones, exceptiones, vel replicationes vna eſt, quã ante omnes alias definire oportet, l. generaliter. D. de excep. Generaliter, inquit Vlpian. in præiudiciis actoris partem ſuſtinet, qui habet intẽtionem ſecũdum id quod intendit Hoc eſt. qui habet quaſi actionẽ fundatam reſpecto eo, quod aſſerit eſſe verũ, & in definiẽda lite omnibus aliis præferendũ: is cẽſetur actor præiudicialis, ſiue agat, ſiue excipiat reus, ſiue replicet rurſus actor. De

actor. De exceptione & replicatione probatur elegāter in l. Imperatores. D. de priuile. credito. l. quoniam Alexandrum. C. ad leg. Iul. de adult. l. præſes. C. ad leg. Fabi. de plagiar. Præiudiciorum exempla ſunt Claſſ. 4. Actio. 9. in prin. I. Oldendorpij. Refert huc quæ tractantur in Diuiſione actionum de præiudicialibus actionibus.

PRÆIVRARE, & PRÆIVRATIO dicebatur antiquis, cum quis ante cōceptis verbis iurabat, poſt quem alter in eadē verba iurans, tantūmodo dicebat, Idem in me. Atque hinc patet in iureiurando, execrationem additam. Turn. Aduerſ. 3. cap. 10.

PRÆLATVS dies dicitur à Modeſtino in l. ſi à debitore. 28. D. de falſis, pro anticipato, & cùm nondum veniſſet, tamen quaſi iam veniſſet, ſcripto. quod vulgus dicit, Antidoto. Contrarium eſt Repetitus, in l. 3. D. de fid. inſtr.

PRÆLATI qui dicantur vide ca. quæ in Eccleſiarum. de offic. ordin. ca. decernimus. ext. de iudic. & an omnis habens curam animarum dicatur Prælatus, notat Abbas in c. 2. de iudic.

Prælati nomine intelligitur eccleſia, & miniſterium prælati. vide gloſ. in c. edoceri. de reſcript.

PRÆLATVRA eſt prioratus, guardianatus, &c. ſecundum diuerſitatem ordinum. c. nullus. de elect. in 6. Eſt & Prælatura omnis qui propter adminiſtrationem eſt honor. c. quæ Epiſcopatum. 7. q. 1.

PRÆLEGARE, eſt vni alicui ex hæredibus præter partem hæreditariam legare, vt id ſibi præcipuum haberet. vnde illa prælegati verba ſolennia fuerunt: HÆRES meus præcipito, præcipuum habeto. Differt autem Prælegatum à Legato: primùm quod illud ſolis hæredibus, hoc verò iis tantùm qui hæredes non ſunt, attribuitur deinde quòd illius in hæreditatis reſtitutione nulla portio reſtituitur: huius reſtituitur, l. in fideicommiſſaria. 18. D. ad Trebell. Denique Prælegare ferè eſt, alicui rem quæ iam quodammodo ipſius erat, legare: vnde Prælegari filiæ dos dicitur, in l. Bæbius. 30. D. de pact. dotal. & peculium filio ſeruóve, in l. 1. §. ſi ſeruus. D. de excep. rei vend. l. 10. & l. vlti. D. de pecul. leg. l. 3. §. cùm igitur. D. de ſtatu lib. Et obligatio debitori, l. non ſolum. §. penul. D. de lib. legat. Eſt tamen intelligendum, non quicquid hæredi legatur, prælegatum appellari: quoniam hæredi legari aliter quàm per præceptionem poteſt: veluti, Titio hæredi fundum lego, l. j. §. ſi quis ex D. quod legat.

Prælegare dotem maritus dicitur, cùm eam purè legat, propterea quòd eam antè ſolui iubet, quàm ab hærede debeatur. dos enim olim annua, bima, trima die debebatur tantùm, l. j. & paſſim. D. de dot. præleg. Hodie tamen poſt annum mobilia, ſed immobilia ſtatim, vt l. j. §. cum autem. C. de rei vxor. actione. Prælegare etiam dotem dicitur pater filiæ, l. Bæbius Marc. D. de pact. dot. id eſt, dotem iam quodammodo filiæ effectam legare.

PRÆLEGATA priore ſenſu, & per præceptiones data eadem ſunt, l. 31. D. de leg. 3.

PRÆLEGATIONES, pro prælegatis, l. j. verſi. verum & adeo. D. de dot. prælegat. l. 31. §. matri. D. de adimend. legat. l. 93. D. de legat. 3.

PRÆLVM in l. 19. §. illud. D. loca. l. 28. D. de fund. inſtruct. trabem ſignificat, quà olea, vel vua calcata premitur, quemadmodum etiam Iſidorus lib. vltimo Etymol. cap. 14. ſcribit.

PRÆPOSITI dicuntur ſub Rubr. C. de ſuſcep & præpoſ. qui horreis pagíſve præfecti ſunt, l. 2. eo. horreis, ſcilicet in quæ ſpecies fiſco debitæ importantur; pagis autem, vnde exportantur.

Præpoſiti laborum, vide Laborum præpoſiti.

PRÆPOSITI in Romana militia dicebantur, qui ſub tribunis certo militum numero præfecti erant. Suetonius in Othone: Auſus etiam eſt in Illyrico milites quoſdam, quòd motu Camilli ex pœnitentia præpoſitos ſuos quaſi defectionis aduerſus Claudium auctores occiderant, capite punire. Modeſtinus l. 3. §. 2. D. de re milit. Si præſidis, vel cuiuſuis præpoſiti ab excubatione quis deſiſtat, peccatum deſertionis ſubibit. Et §. vlt. Qui præpoſitum ſuum protegere noluerunt, vel deſeruerunt, occiſo eo capite puniuntur. Sic l. 6. §. 1. Qui manus intulit præpoſito, capite puniendus eſt. Et §. vlt. Qui præpoſitum ſuum nō protexit. Hotomanus Diſput. de feud. cap. 3. Patronum feudalitium, Latine Præpoſitū dici poſſe contendit. A Græcis autem προστάς dicitur, vt apud Xenophontē in Lacedæm. Repub.

Præpoſitus ECCLESIASTICVS Latinè dicitur, qui à Græcis Oeconomus: hoc eſt, qui prouentus Eccleſiaſticos adminiſtrat: & ſecundum Epiſcopum plebi præeſt. lib. Feud. 1. tit. 1. §. 1. Abbas, præpoſitus, ſi antiquitus conſuetudo eorum fuerit, feudum dare poſſunt. Lombard. lib. 1. tit. 32. Si quis præpoſitus aut miniſterialis aliquas res Eccleſiæ, quas prouidere debet, aliquo inſcriptionis titulo cuique conceſſerit, quod ad damnum alicuius Eccleſiæ pertineat, pro ſacrilegio cōputetur. Sæpè autē Abbas, Cuſtos, Præpoſitus cōiunguntur, vt in Lombard. lib. 2. tit. 54. l. 18. & l. 19. & li. 3. tit. 10. l. 1. Canoniſtæ in c. ſaluator. j. q. iij. proferunt locum Auguſtini in Ioannem, vbi hæc Eccleſiaſtica procuratio tanquam profana damnatur. Meminit Iuſtinia. in Nouell. 67. §. 2. vbi ſi Epiſcopus diutius Eccleſiā deſeruerit, vetat Oeconomum quicquam ei prouentuum ſuppeditare: ac iubet eos potius in pios vſus conferri.

PRÆPOSITIO diei & conſulis communis omnis rationis eſt, ait Vlp. in §. ſi initium tabularum. l. ſi quis ex argentariis. D. de eden. Rationes enim, vt idem ſcribit l. 1. eod. tit. cum die & Conſule edi debent: quoniam accepta & data non aliàs poſſunt apparere, niſi dies & Conſul fuerit editus.

PRÆPOSITVRA appellatur Præpoſitorum munus, l. 2 C. de ſuſcept. præp. & arc.

Præpoſituram autem ciuile, & perſonale eſſe munus Imp. Diocletianus dixit, l. 1. C. de excuſa. munerum.

PRÆPOSTERÆ ſtipulationes dicuntur, quæ obligationem ante conditionis euentum conſtituunt: veluti, Si cras nauis venerit, hodie dare ſpondes? nam poſteriore parte obligationem & præſentem & certam eſſe vult: priore verò incertam, & in futurum tempus collatam. itaque qui ex hac formula naſci obligationem vellet, filiam ante ſuam matrem naſci poſtularet. Præpoſtera ſtipulatio in dotibus eſt: veluti, Si ſine liberis deceſſero, dotem mihi cùm moriar dare ſpondes? l. præpoſteri. 25. C. de teſtam. §. item ſi. 2. Inſtit. De inutil. ſtipul. Inde Præpoſtera petitio, l. vt debitum, C. de hæred. actio.

PRÆROGARE, ſicut & Erogare, idem ſignificare propriè loquendo videtur, quod gratis, & quaſi roganti, non autem ex debito, diſtribuere: iuxta Alciati declarationem, in l. ſi tibi. 27. C. de locat. & cond. quæ extat in Parerg. licet ibidem vulgò, Prorogaſti, legatur. Idem eodem loco ait: Eſt igitur Prærogare, ante tempus ſoluere: & idcircò quod ad ſolutionis diem attinet, donare, §. plus autem. Inſtitut. de action. Videtur tamen & alicubi apud Iuriſconſultum, Prærogauit ſumi pro prærogauit: Qui penſionem integram, inquit, prærogauit.

PRÆS, vide Prædes.

PRÆSCRIBERE olim nihil aliud erat, quàm excipere, l. qui agnitis. de except. & præſcript. Hodie fere idem eſt quod vſucapere. Accuſatori præſcribere l. 3. D. de præuaric. eſt oppoſita exceptione accuſatorem ſummouere, & repellere.

PRÆSCRIPTIO, apud Iuriſcõſ. pro exceptione accipitur l.9.D.de tranſact.l.50.§.j.& fin.D.de iudic.rubr. D. de excep.& præiudic. Nam præſcribere, ſignificat ſtatuere aliquid, & certo ordine concipere. Vnde actiones præſcriptis verbis appellatæ ſunt, quòd generali quadam verborum ſerie, vt variis cauſſarum figuris pro re nata commodè deſeruirent, concipiebantur: cùm interim aliæ actiones ſpecialem & nominatam formulam haberẽt. Cæterùm exceptiones quoq; reorum, ne pro arbitrio paſſim extra rem proponerentur (vt nunc ſæpe fit) olim, ad inſtar actionum, certis formulis conſtitutæ fuerãt. Igitur meritò præſcriptiones nuncupatæ ſunt, ſiue ex longa poſſeſſione, ſiue ex aliis diuerſis temporum diffinitionibus eſſent productæ, vt eſt titu.D.de diuerſ.tempo.præſcript. Modeſtinus in l. nihil. in prin.D.de inoffic.teſtamen. Vtrobique enim, inquit, præſcriptione ſubmouebitur. & in l. qui agnitis. D.de exceptio. ſeu præſcr. non ſemel exceptionem rei iudicatæ vocat præſcriptionem. Qua ratione iungebatur datiuo caſui: vt, præſcribo tibi, præſcribo illi. Macer in l.3.in prin.D.de prӕuaricato. Nam ſi reus, ait. accuſatori publico iudicio ideò præſcribat, quod dicat ſe eodem crimine ab alio accuſatum, & abſolutum, &c. Papin. in l. intra quatuor annos. in princ.D.de diuerſ.tempor.præſcript. Poſt quatuor annos, inquit, ſecundo delatori venienti, prior nuntiatio, quò minus præſcriptione temporis ſubmoueatur, non proderit. Fortunatianus Rhetoric.lib.2. Quid intereſt, inquit, inter præſcriptionem & tranſlationem? quod præſcriptio excludit actionem: tranſlatio autem differt. Expreſſum autem eſt hoc vocabulum ad ſimilitudinem Græci ſermonis: quo exceptio παραγραφὴ vocatur: & excipere παραγράφειν. itaque fori præſcriptionem φόρου παραγραφὴν appellat Iuſtinianus Nouell. 8.

PRÆSCRIPTIO paſſim in libris noſtris pro vſucapione. Cùm enim vindicanti rem ſuam domino poſſeſſio longi temporis obiicitur, præſcribi ei dicitur: eáq; præſcriptio longi temporis appellatur: præciſa & imperfecta locutione, pro præſcriptio ex poſſeſſione longi temporis. Sed Iuſtinianus Romani imperij, Latiíque dominus vſucapionis verbum ferè ad res mobiles præſcriptionis ad immobiles reuocare atq; contrahere conſueuit. Obſeruatum eſt etiam præſcriptionis verbum ferè ad longi temporis acquiſitionem, vſucapionis autem ad alteram referri. l. quinque. C. fin. regund. l. ei à quo. D.de vſurpat. leg. qui alienam. D.de euict. Vel ſic:

Præſcriptio, eſt legitima diffinitio temporis, ideò conſtituta, vt in omnibus negotiis opportunitas cum tranquillitate retineatur. Nec ſanè opus eſt his ſuperuacanea declaratione. Nemo enim non videt, omnes præſcriptionum ſpecies eò pertinere, ne quid in Republica, vel tardius, vel præmaturius fieret, quàm æquum & bonum videretur. Porrò in rebus tractandis, alias ad diligentiam exercẽdam, aliàs ad præcipitationem euitandam, vrgendi ſumus præfixis temporum metis. Vt ecce, præſcriptiones 30.& 40. annorum, primario reſpectu ad acquirendum dominium non ſunt introductæ, cùm 10.& 20. annorum ſufficerent: nec igitur ad hoc principaliter ſpectant. Verum tamen ſiquis tanto tempore poſſederit, ex iuſta cauſſa & bona fide, haud dubiè vſucapiet. Quia ſi 20. anni ſufficiunt, multò magis ſufficient 30.& 40. Iuſtinianus in l. ſi quis emptionis. in princip. C.de præſcript. 30. annor.

Præſcriptiones, qui diſtinxere in fauorabiles, odioſas, rigoroſas, & mixtas, ex quorũ numero Gratianus quoque eſt 16.q.3.§. præſcriptionum. tota errarunt via. Reſpexerunt enim duntaxat ad priuatorum vtilitatem: cùm omnes vſucapiones & præſcriptiones, à breuiſſima vſque ad longiſſimam, ex eadem cauſſa ſint, videlicet publicæ ſalutis & tranquillitatis.

Præſcriptio 30. annorum, apud Sidonium, Præſcriptio tricennij dicitur, non triennij, vt perperam legitur.

PRÆSCRIPTIS verbis actiones quæ dicantur, ſic intelligemus. Olim iuriſconſultorum opera certæ communium litium & cauſſarum actiones ac formulæ cõſtitutæ fuerant, quas proponere Prætores in edictis ſuis conſueuerant: veluti empti, locati, pro ſocio. quòd ſi qua fortè naſceretur inuſitata controuerſia, tum litigatores vel ſuo marte, vel Iuriſconſulti alicuius opera ſuæ actionis formulam certis verbis concipiebant: in eáque verba & ſponſionem faciebant, & iudicium à Prætore poſtulabant. Prætor in ea ipſa verba iudicem Recuperatorésve dabat, Exempli gratia: SI PARET MÆVIVM fulloni polienda ſua veſtimenta ea mercede, de qua inter ipſos poſtea conueniret, dediſſe: neque Mæuius fulloni à quo effectum opus accepit, ſatisfaciat, tum Mæuius damnetur. Hæc actio ideo præſcriptis verbis appellatur, quia Prætor hanc formulam nõ ex edicto ſuo ſumebat: ſed litigatores verba ei præſcripſerant, ſecundum quæ iudicium dari poſtulabant. Itaque Celſus in l.2.D.de præſcript. verb. Cùm deficiunt, inquit, vulgaria atq; vſitata actionum nomina, præſcriptis verbis agendum eſt. Imp. l.6.C.de tranſact. Aut enim, inquit, ſtipulatio conuentioni ſubdita eſt, & ex ſtipulatu actio competit: aut ſi omiſſa verborum obligatio eſt, vtilis actio, quæ præſcriptis verbis rem geſtam demonſtret, danda eſt. Huic igitur actioni nomen eſt ex eo quod detur ex præſcripto conuentionũ, vel proinde vti conuenerit, ſi conuentio ſcripta non ſit, l.j.§. ſiquis ſeruũ.D.depoſ.l. ſi dominus.D.de prӕſcr. verb. Conſtantinus.lib.2.Epit.tit.3. τῶν προέγγραμμένων συμφώνων actionem vocat. Hotom. lib. ſingulari, Perſcriptis verbis actiones vocat, multíſque rationibus ita vocandas cenſet. Diiudicet lector.

Præſcriptis verbis, & in factum, & incerti agere, ſignificant ferè idem: nec ſunt propria actionum nomina, ſed actiones quædam generales & innominatæ, propter multitudinem negotiorum tolerabiles, l.2.& 3. D.de præſcript.verb. Præſcriptis verbis actio ciuilis eſt incerta, rémque geſtam demonſtrat. tit. D.de præſcrip.verb. l.6.de tranſact.

PRÆSENS dicitur, cùm de iudiciis agitur, qui intra vrbis continentia eſt, l. abſentem. 199. D.de verbo.ſignif. Itaq; Vlpianus: Præſens, inquit, habetur, & qui in hortis eſt, & qui in foro, & qui in vrbe, & qui in continentibus ædificiis. l.5. l.6. l.7. D.de procurat. At cùm de præſcriptionibus agitur, Præſentes habentur qui in eadem prouincia domicilium habent. l. vlt. C. de præſcrip.long.temp.

Præſens, & in diem opponuntur, l.47. D.de lega.2. l.4. D. de vſuf.

Præſens obligatio, pura, quæ neque in diem, neque ſub conditione eſt, l.9. D. ſi cert.pet. Sic Præſentia legata, l.12. l.30. l.50. D.de leg.1. l.88. D.de condi.& demonſt. quæ neque diei neque conditionis adiectione ſuſpenſa ſunt. Sic & Præſenti die delegata l.5. D.de condit.& demon. Et Præſens res, quæ eſt in præſentia, & oculis contrahentium conſtat. Ita Præſentem pecuniam ſoluere, l.17.§. fin. D. quæ in frau.cred. Et creditorem in re præſenti, id eſt in ipſa pecuniæ numeratione, conſtituere, in quam cauſſam ſolutum velit, quod qui ex pluribus cauſſis debet, ſoluit, l.j. ad fin. D.de ſolut. Eodem ſenſu in re Præſenti faciendam nuntiationem dicit Vlpianus, id eſt, in ipſa re, in ipſo loco vbi nouum opus fit, l.5. D. de op.no.nunt. Sic in re Præſenti conſentire, l. j. §. ſi iuſſerim. D.de acquirend. poſſeſſion. cognoſcere l. penulti. D. ad leg. Fab. de plag. Et in rem Præſentem venire, Budæ. l.2. D.de orig.iur.

Præſentem variè accipi Bartolus refert l.diem. §.coram. D.de arbit.

PRÆSENTIA an habeatur pro conſenſu ponit Bart.l. Gaius.D.de pign.actio.

Præſentia, elegantem habet phraſin in l.de ætate. §.Celſus itaque ſcribit.D.de interrogatio. quia intelligitur de præſenti pœnitentis reſponſione mutata. Sic enim appellatio transfertur à perſona ad rem, ſicut alibi à re ad locum. Id genus tranſlationes in iure valde frequentes ſunt,& lectori ſæpe imponunt. vt in l.pen. D. de iuſti.& iur.

Præſentia, propriè ad corpus refertur. Vnde non ſimpliciter verū eſt, Furioſi, infantis, muti præſentiam nullam eſſe, ſed pro abſentibus haberi. Lex enim plerunque propter ſenſus imbecillitatē, abeſſe eos interpretatur.

Præſentia eſt legitima definitio temporis, ideò conſtituta, vt in omnibus negotiis opportunitas cum tranquillitate retineatur. Rectè igitur cenſuit Pomponius: Si inter plures familiæ erciſcundæ agatur, & inter eoſdem communi diuidundo, aut finium regundorum: eundem iudicem ſumi: quò facilius coire cohæredes, vel ſocij poſſint, in eundem locum omnium præſentiam fieri oportet. l.j. D.de quibus rebus ad eund.iudic.eat. & vide Nouell.Iuſtinia.8. & in Notit. Imperij Roma.

PRÆSENTALES magiſtri militum, qui in præſenti erāt, hoc eſt comitatui principis iuncti, l.fi.§.j. C.de re mili.l.4.C.de appar.mag.mili.& in Notit.Imp.Roma.

Præſentales domeſtici, l.6.C.de aduo.diuer.iud. qui ſcilicet præſentes diurno obſequio principis deputati erant l.13.C.de re milit.lib.12.

Præſentales milites, Præſentales numeri, l.18.& l.fin.eod. titu.& Præſentium ordines apud Nicephorum lib.17. Hiſtor.Eccleſ.ca.1.

Præſentalis curioſus curſus publici, in Notitia Imperij Rom.& στρατηγὸς πραισενταλίων, in edicto Iuſtiniani 14.

PRÆSIDES prouinciarum dici cœperunt, poſt diuiſionem prouinciarum ab Auguſto factam. Sic enim prouincias diuiſit, vt aliæ Cæſaris, aliæ populi dicerentur. Cæſaris, quæ validiores erant,& quas annuis (vt Suetonius ſcribit) Magiſtratuum edictis regi, nec facile, nec tutum erat. Has igitur ipſe ſuſcepit, in eáſque Rectores mittere inſtituit, viros (vt ait Strabo) tum Conſulares, tum prætorios, tum etiam equites. Quos & ille generali nomine διοικητὰς, & Iuriſconſulti in Pandectis præſides appellant. Nomen (inquit Macer l.1. de offic.præſid.) præſidis generale eſt, eo quòd & pro conſules, & legati Cæſaris, & omnes prouincias regentes, licet Senatores ſint, Præſides appellantur. Vbi tamen SENATORES NON SINT cum negatione legendum cenſet Hotom. vt equites ſignificaret, de quibus hoc ipſum Strabo teſtatur. Populi autem prouinciis qui præerāt, Proconſules (vt ait Suetonius) dicebantur. Vnde caput eſt in libro Pandectarum 1. De officio proconſulis: quod ad populi prouinciarum ſolos rectores pertinet. Nam etſi populus in ſuas prouincias στρατηγὸς καὶ ὑπάτους (vt Strabo appellat) id eſt, Prætores & Conſules mitteret (quibus nominibus abuſus eſt pro, Proprætores & Proconſules, vt continuò pòſt demonſtrat) tamen vtroſque Proconſulum nomine appellari ſolitos,& Suetonius teſtatur, & ex Pandectarum libris facile intellectu eſt: cum ſcilicet extraordinarium eſſet eo tempore propè omniū in prouinciis imperium: eóque generali nomine, Rectores omnes appellarentur. Nam vt in eiuſdem Imperatoris vita Suetonius ſcribit, Auguſtus auctor ſenatui fuit, ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in prouincias mitterentur. Præſides autem maius imperium in ſua prouincia habebant omnibus poſt principem, l.4.de offic.præſid. & omnia prouincialia deſideria, quæ Romæ varios iudices habebāt, ad officium Præſidum pertinebant. l.2.eod. denique omnium Romæ magiſtratuum vice & officio fungebātur. l.12.eod. Plura de iis vide ſub verbo, PROCONSVLES.

PRÆSTARE, eſt ſatisfacere, vel exitum alicuius rei in ſe recipere. Vlpianus in l.item Labeo ſcribit. D.famil. erciſc. Familiæ erciſcundæ, inquit, iudicium ex duobus conſtat: id eſt, ex rebus atque præſtationibus, quæ ſunt perſonales actiones. Præſtare, dicta promiſsáve implere, l.17.18.19.D.de ædil.edict.

Præſtare aliquem, eſt prædem eſſe pro aliquo, id eſt periculum, quod ab eo timetur, in ſe recipere.

Præſtare quoque actiones, cedere, & mandare ſignificat, l.6.§.fi.D.nau.cau.ſtab.l.31.D.de actio. empt.& l.Titio fundus.73.D.de condi.& demonſtr.

Præſtare culpam, caſum, dolum, periculum, bonam fidem, diligentiam, cuſtodiam, factum, tritæ ſunt librorum noſtrorum locutiones, pro euentum culpæ, doli, caſus in ſe recipere.

Præſtatuiri,& Præſtituiri, vetuſtè pro Præſtitum iri. Pomponius l.66.D.de contrahen.empt. Viam, iter, actum, aquæ ductum præſtatuiri. Iauolenus l.10. D.de hæred. vel act. Quòd ſi in venditione hæreditatis id actum eſt, ſi quid iuris eſſet venditoris, venire, nec poſtea quicquam præſtituiri.

PRÆSTATIO, Paulo l.ſi plures.D.de le.3.pro ſolutione.

PRÆSTITVERE, hoc eſt, præſcribere, l.1.D.de iur. delib.

PRÆSVMERE, quaſi antè ſumere: aliàs vſurpatur pro audere vel tentare aliquid contrà ius: vt ferè Pontifices Romani eo verbo vtuntur. Alexander 3. ex concilio Lateranenſi, loquens de clericis & monachis. Sed nec procuratores, inquit, villarum, aut iuriſdictiones etiam ſeculares ſub aliquibus Principibus & ſecularibus viris, vt iuſtitiarius eorum fiat, clericorum quiſque exercere præſumat, hoc eſt, tētet, audeat. c.ſed nec. Ne cleric. vel monach.ſecular.neget. ſe immiſc.2.Tim.2.

Præſumere, aliàs accipitur pro nudo facto prius aliquid ſumere. Vnde Plinius lib.36. tradit de farina cuiuſdam lapidis, in certamine bibendi aduerſus ebrietatem à potatoribus præſumēda: allegās Theophraſtū auctorē.

Præſumere aliàs ſignificat præoccupare apud Rhetores, qui præſumptionem vocant, cùm id quod in aduerſarij cauſſa, vel in iudicis opinione cōtrarium nobis eſſe aut fore arbitramur, præoccupamus dicendo, ac bonis rationibus diſſoluendo. Quintilianus lib.8. Mirè verò in cauſſis valet præſumptio, quæ πρόληψις dicitur: cùm id quod obiici poteſt occupamus, quæ præcipuè proœmio conuenit.

Præſumere aliàs pro putare ponitur, vt in l.vulgo.D.de in lit.iuran. Vulgo præſumitur, inquit Vlpianus, alium in litem non debere iurare, quàm dominum litis.

Præſumere aliàs denique accipitur pro præſagire, coniicere, cogitare, ſeu diuinare aliquid in dubio. Valerius lib.1.ca.5. Equè fortuito dicto quaſi certam ſpem clariſſimi triumphi animo præſumpſit. Et ca.6. Præſumpſit animo, ea re ſignificari exitum ſuum: hoc eſt, coniecit, vaticinatus eſt.

PRÆSVMPTIO, dicitur exiſtimatio quæ ex veriſimilibus argumentis & coniecturis ducitur. Vel, Præſumptio dicitur veluti anticipatio quædam de eo quod in re eſt communi ſenſu percepta, ex eo quod plerumque intelligitur, quodque plerunque fit, quæ probationum onus in eum transfert contra quem facit, in Rub.D.de proba.& præſumpt. veluti in l.24.D. illo tit. Si chirographū cancellatū fuerit, præſumptione debitor liberatus eſſe dicitur. Et in l.ſeq. Is cui ſoluta pecunia eſt, præſumitur debitā accepiſſe: quia veriſimile eſt eum qui ſoluit, non temerè ſuā pecuniā iactare. Itaq; in eum contra quem præſumptio eſt, ſemper

probationis

probationis onus tranſit.d.l.25.& l.vltim.D.quot met. cauſ.Cicero videtur Exiſtimationem appellare Verrina 3.In hoc genere facilior eſt exiſtimatio, quàm repræhenſio: ideo quod eum,qui hoc facit,auarum poſſumus exiſtimare ,crimen in eo conſtituere non tam facile poſſumus. Illius definitionis inſigne exemplum eſt iudicium Salomonis ſapientiſſimi Regis 3.Regum 3.quod refertur in ca.2.de præſump. vide Specul.titul. de præſumpt.§.j.& an à fictione diſſideat,ponit Abb. in c.is qui.de ſponſal.& mat.& apud And.Alc.elegantem Præſumptionum tractatum.

Præſumptio alia maior,alia minor eſt, iuxta coniecturas, quæ non æquè ad naturæ dictamen accedunt.

Præſumptio alia iuris eſt, alia iuris & à iure. Iuris Præſumptio,quæ à lege introducitur. Iuris verò & de iure,eſt diſpoſitio legis aliquid præſumentis, & ſuper præſumpto tanquam ſibi comperto ſtatuentis, vt colligitur ex ca.is qui fidem.cū ibi not.extra de ſpōſal.per glo.in l.ſiue poſſidetis. C.de probat. per Abba.in cap. quanto.extra de præſumpt.vbi Felin.de quibus Alciatus in parte 2.præſumpt.Sunt tamen qui Præſumptionum cognitionem cenſura magis,quàm curioſis præceptionibus & variis diuiſionibus cognoſci ſcribunt, ſicque diſtingui,cauſſas præſumptionum ſatis eſſe:Aut enim(animo)tam propè accedunt ad neceſſariam veritatis rationem,vt plenam mereantur fidem, & probent id, quod ſecundum eas aſſerimus:& tunc ſiue legitimas,ſiue iuris & de iure, ſiue neceſſarias præſumptiones appellaueris, parum refert.Aut verò proficiſcuntur ex cauſſis, quæ veræ quidem eſſe poſſunt, ſed interim in diuerſum collectis rerum argumentis faciliter cedunt:itaque mouere nonnihil ſolent animum: tamen ad credendum planè non perducere. Has probabiles,vel non neceſſarias præſumptiones,aut ſuſpiciones rectè dixeris,vel etiam argumenta,ſicut Arrius Menander in l.non omnes.§.A Barbaris. D.de re milita.Sed licet,inquit,hoc liquidò conſtare non poſſit:argumentis tamen agnoſcendum eſt.

PRÆTER dictio quandoque excludit, l.equitij. §.præter.D.de vſu & habit.l.Titio teſtamento.D.de legat.1. quandoque includit,& auget.l. Seio amico.§.vxor. D. de annu.leg.quandoque ſignificat poſt l.cum procu. D.de op.no.nunt.

PRÆTERIRE, eſt ſilentio prætermittere. Hinc,

PRÆTERITI liberi dicuntur , qui à teſtatore neque hæredes inſtituti, neque vt oportet, exhæredati ſunt. §.eodem.2.Inſt.De hæred. quæ ab inteſt. itaque etiam ſi qua eis legata vel fideicōmiſſa relicta ſint, non ideo minus præteriti dicuntur.l.4.C.de lib.præter.

Præteriti ſenatores quondam in opprobrio non erant. quòd vt Reges ſibi legebant ſublegebántque quos in conſilio publico haberent:ita poſt exactos eos, Conſules quoque & Tribuni militum conſulari poteſtate coniunctiſſimos ſibi quouſque patriciorum,& deinde plebeiorum legebant.donec poteſtas Tribunitia interuenit,qua ſancitum eſt, vt Cenſores ex omni ordine optimum quemq; curiatim in ſenatu legerent: quo factum eſt.vt qui præteriti eſſent,& loco moti, haberentur ignominioſi. Hæc Feſtus.

PRÆTERITO futurum contineri conſtat, vt inducta pro inducenda , l.potior. §.2.D.qui potio.in pign.& actum pro agendum , l.poſt venditionem. verſ.ſpecies.D.de aqua & aqua plu.

PRÆTERMITTERE cauſſam teſtamenti quid ſit, docet Iuriſcoſ.l.j. §.prætermittere. D.ſi quis omiſ.cauſ. teſtamenti.

PRÆTEXTA eſt genus veſtis , qua nobiliores ciues Romani vti ſolebant.§.iniuria. Inſtit.de iniur.& vide l.3.§.fin.& ibi gloſ.D.de libe.exhiben.

PRÆTEXTATVS, qui prætexta,& bulla adhuc vtebatur Budæo l.ſi. D.de ſenat.

PRÆTEXTVS, vulgò color quæſitus, vt rectè expoſuit G.Budæus l illicitas. D.de offic.præſid.l.ſub prætextu. C.de tranſact.

PRÆTOR dictus,inquit,Varro lib.4.de Ling.Latin.qui præire iure,& exercitu. à quo id Lucilius,Ergo Prætorum eſt antè præire.Hinc Feſtus, Prætorem maiorem (inquit) L.Cæſar putat dici, Vrbanum: cæteros, minores. Maximum Prætorem dici putant alij eum,qui maximi imperij ſit: alij, qui ætatis maximæ pro collegio:quia Augurum decretum eſt, quòd in ſalutis augurio Prætores maiores & minores appellantur, non ad ætatem, ſed ad vim imperij pertinere. Hinc apud Liuium lib.7.Lex vetuſtis ſcripta verbis,vt qui Prætor maximus eſſet,Idibus September.clauum pangeret: id eſt,qui ſummum imperium & poteſtatem haberet,veluti Conſul, aut Dictator. Iuſtin.autem Nouell.25.de prætore Lycaon.ſcribit nomen prætoris proprium imperij Rom.fuiſſe, & ante ipſos etiam Coſſ.in Republic.vſurpatum. quippe cùm veteres Romani ſuos Imperatores prætores appellarent: iiſq; rei militaris ſummam poteſtatem attribuerent: legibúſque ab iis ſcriptis parerent. Quibus ex verbis de Iuſtiniani ſumma antiquitatum cognitione licet exiſtimare. Vtcunque ſit, commune hoc Prætoris verbum tandem eius proprium factum eſt, qui in vrbe iuri dicundo præeſſet. de quo Pompon. in l.2. De orig.iur. Cúmque Conſules auocarentur bellis finitimis, neque eſſet qui in ciuitate ius reddere poſſet, factū eſt vt Prætor quoque crearetur, qui Vrbanus appellatus eſt,quòd in vrbe ius redderet. Liuius libr.6.& 7.ſcribit anno ab V. C. CCCLXXXVIII. conceſſum à plebe nobilitati de Prætore vno,qui ius in vrbe diceret, ex patritiis creãdo. eúmque ſibi honorem Patritrios quæſiuiſſe, pro conceſſu plebi altero Conſulatu. Hæc ille. Moris autem erat,vt is creatus comitiis centuriatis,priuſquam ius diceret, vt cuique notum eſſet, quemadmodum anno ſuo ius dicturus eſſet,in albo edictum conſtitueret atque proponeret, quod ab edicendo, id eſt antè denunciando ac prædicendo, dictum eſt: quaſi tanto ante populo denunciaret quæ eſſet in iure dicendo obſeruaturus.Hoc autem initio Magiſtratu,habita cōcione,& iuratus in leges, faciebat. Cicer.De finibus 2. Quid enim mereri velis iam, cum Magiſtratum inieris,& in concionem aſcenderis.(eſt enim tibi edicendum,quæ ſis obſeruaturus in iure dicendo: & fortaſſe etiam,ſi tibi erit viſum,aliquid de maioribus tuis,& de te ipſo dices more maiorum) quid merearis igitur, vt te dicas in eo magiſtratu omnia voluptatis cauſſa facturum eſſe. Iuris dicundi autem munus tribus hiſce continebatur verbis, Do. Dico, Addico. Dabat bonorum poſſeſſionem ex legibus, ex edicto ſuo, ex ſenatuſconſultis.Dabat iudicium Recuperatorium, itémque arbitros cùm priuati poſtulabant. Dicebat viam in formulis, Iſtam viam dico. Dicebat tutorem ex lege Attilia , dicebat ſententiam quibuſdam in cauſſis maioribus, vt in liberalibus, in popularibus, in executionibus ſentētiarum, in appellationibus, & aliis præterea nonnullis. Dicebat etiam interdicendo, cùm de poſſeſſione, interdum etiam cùm de proprietate ageretur: quod ex lib.Pand.43.cuiuis facile eſt intelligere. Dicebat præterea indicēdo, veluti cùm ferias indicebat, vt Gell.libr.10.cap.24.& item Macrobius lib.Saturn.1.demonſtrant. Suetonius in Claudio, Obſeruauitque ſedulò vt quoties terra in vrbe mouiſſet, Ferias aduocata concione Prætor indiceret. Addicebat autem cùm in iure ceſſio fiebat: cuius rei ritum in formulis exponemus. Cicero lib.De legibus 3. Iuris diſceptator qui priuata iudicet, iudicarive iubeat, Prætor eſto. Is iuris ciuilis cuſtos eſto. Polybius autem & Plu

tarchus ei ſex Lictores datos tradunt. Vnde ἀρχὴν ἑξαπέλεκυν appellant, id eſt, ſex ſecurium. Notandū etiam quod Cicero ſcribit libr. fam. Epiſt. 12. Placuit nobis, inquit, vt ſtatim ad Cornutum prætorem vrbis has literas deferrem, qui quòd Conſules aberant, Cōſulere munus ſuſtinebat more maiorum. Gellius libr. 12. c. 14. Prætor etſi collega Conſulis eſt neque Prætorem, neque collegā iure rogare poteſt, quia imperium minus Prætor, maius habet Conſul: & à minore imperio maius, aut à minore collega rogari iure non poteſt. Sed & collegam eſſe Prætorem Conſulum, Meſſala docet: quòd eodem auſpicio creantur. Hunc Centumuiralibus iudiciis poſtremis temporibus præfuiſſe, Plinius lib. Epiſtò. 5. his demonſtrat verbis: Hoc facto Nepotis commotus Prætor, qui Centumuiralibus præſidet, deliberaturus an ſequeretur exemplum, inopinatum nobis ocium dedit. Seneca lib. De tranquill. vitæ j. An ille plus præſtat, qui inter peregrinos & ciues, aut vrbanus Prætor adeuntibus aſſeſſoribus, verba pronūciat, quàm qui docet quid ſit iuſtitia, &c.

Prætorem Iuriſconſulti proconſulem ſæpe vocant, Gaius in l. j, & 3. D. de alienatio. iudic. mutan. cauſ. fact. l. patri pro filio. §. j. D de minor. l. in hæredem. D. de dol. mal. reſpiciunt enim ad id, quod Pomponius in l. 2. §. deinde cùm placuiſſet. D. de orig. iur. Cúmque cōſules, ait, auocarentur bellis finitimis, neque eſſet qui in ciuitate ius reddere poſſet, factum eſt vt Prætor quoque crearetur. Is ergo Conſulis fungebatur officio, & (quatenus ad iudicandum attinet) proconſul erat. Præterea Prætores in prouinciis vicem gerebant conſulum.

Prætor, apud Paulum Sentent. lib. j. tit. 15. pro ædiliſumitur. Feram beſtiam, inquit, in ea parte qua populi iter eſt, colligari Prætor prohibet. Ædilitio enim edicto prohibemur ferā beſtiā ibi habere qua vulgo iter fit.

Prætor PEREGRINVS, vt Pomponius ſcribit. l. 2. D. de orig. iur. creatus eſt propter magnam peregrinorum turbam, vt inter eos ius diceret: cùm Vrbanus prætor ſatisfacere vtriſque non poſſet. Eum autem reperio in epitome Liuij libr. 19. an. DX. primùm creatum fuiſſe: & Peregrinum dictū, quòd inter ciues & peregrinos ius diceret. Itaque video apud Liuium ſemper vrbanā iuriſdictionem ei quæ inter ciues & peregrinos eſt, opponi. Vt libr. 22. Romæ iuris dicendi vrbana ſors Pomponio: inter ciues Rom. & peregrinos, P. Fuxio Philo euenit. Et li. 33. Prætores deinde prouincias ſortiti, L. Apuſtius Fullo vrbanam iuriſdictionem, M. Acilius Glabrio inter ciues & peregrinos. Et lib. 40. Iuriſdictio vrbana M. Ogulnio Gallo, inter peregrinos M. Valerio euenit. Et lib. 41. Prætores L. Papyrius Maſo vrbanam, M. Aburius inter peregrinos ſortiti ſunt. Et lib. 42. Prætores deinde prouincias ſortiti ſunt, A. Atilius Serranus vrbanam, C. Clunius Saxula inter ciues & peregrinos. Honoratiorem autem Vrbanam peregrina fuiſſe, Appianus & Dio non obſcurè ſignificant: ille lib. De bellis ciuili lib. 2. vbi ſcribit, Brutum & Caſſium Prætores deſignatos inter ſe contendiſſe, vter iuris inter ciues dicundi prouinciam obtineret. hic autē lib. 42. vbi narrat Prætorem Cæcilium indignè tuliſſe, quòd Cæſar eam prouinciam collegæ Trebonio dediſſet. Omnibus autem Præturis præſtantiorē & gratioſiorem fuiſſe in orat. pro Muræna perſpicuè demōſtrat. Sed quæri ſolet, quid inter Vrbanam & Peregrinam Præturam interfuerit. Hotom. tres ferè differentias tradit. Prima hæc eſt, quòd (vt modò diximus) ſoli ciues Roma. agere apud Vrbanum poterant, Peregrini non poterant. Altera, quòd apud illum lege agebatur, apud hunc autem nequaquam. Itaque (vt eſt in orat. pro Flacco) cùm Græcus Homo Heraclides à C. Plotio ſenatore mancipia quædam petiiſſet, & fore videret, vt iudex ſumptus ſententiam ſecundum reum diceret, & ab eo iudice abiit, &, quòd iudicium lege non erat: cauſſam totam reliquit. Quod cùm ita ſit, ſequitur ciues Ro. neque ſuos liberos emancipare, neque alienos adoptare, neque ſuos ſeruos manumittere, neque in iure cedere, neque bonorum poſſeſſionē, tutorémve ciui Rom. impuberi poſtulare apud eum potuiſſe: denique, vt rem vno verbo complectar, legis actionem eum Prætorem non habuiſſe. Falſum eſt autem (vt idem obſeruat) quod quidam ſcribunt, eum de pecuniis repetundis queſiſſe. nam Aſconij locus in orat. Ciceronis, contra Competitores, quo ſolo argumento nituntur, longè aliò pertinet. Scribit enim Antonium cum magiſtratum adhuc nullum obtinuiſſet, ſed equitum turmas de Syllano exercitu nactus eſſet, Græcos ſpoliaſſe: ideóque ad M. Lucullum Prætorem, qui ius inter peregrinos dicebat, à Græcis in ius eductū eſſe. non igitur Repetundarum iudicium illud erat, ſed iniuriarū potius: quæ cùm atrociores eſſent, dignæ viſæ ſunt, de quibus Prætor ipſe inter ciuem & peregrinos Græcos homines cognoſceret. Tertia differentia eſt, quod Prætor vrbanus edictum in albo proponebat, quibus de rebus ius anno ſuo dicturus eſſet: cùm alter nuſquam, quod ſciam, legatur propoſuiſſe. ſed (vt opinor) ex Vrbano edicto ius dicebat,

Prætores PROVINCIALES creati ſunt circa annum. DXIX. Sicilia & Sardinia captis, atque in prouinciarū formam redactis: quemadmodum Solinus. c. 21. & Liuius Epiſt. 20. prodiderūt. Pomponius autem in l. 1. De orig. iu. Capta Sardinia, inquit, mox Sicilia, itē Hiſpania, deinde Narbonenſi prouincia, totidem Prætores, quot prouinciæ in ditionem venerāt, creati ſunt. Pòſt autem moris fuit, vt cùm armis tutandæ prouinciæ viderentur, eò ſtatim & Cōſules & Prætores inito magiſtratu mitterentur. Tandem etiam inſtitutum eſt, vt qui Conſulatu aut prætura abiiſſent, eò cum ſummo Imperio proficiſcerentur: illíque Proconſules, ſiue Proprætores (tametſi verbis hiſce nonnunquam veteres abutātur) appellarentur. Demōſtrat etiam in Verrinarum commentariis Hotom. moris fuiſſe, vt cùm à Senatu decretæ & Conſulares, & Prætoriæ prouinciæ fuiſſent, tum Conſules inter ſe, itémque Prætores prouincias ſortirentur, aut verò inter ſe compararēt. Conſules autem id adhuc deſignati, & antequam magiſtratum inirent, facere ſolebant: quemadmodum ex orat. De prouinc. Conſul. Salluſtio in Iugurth. & innumeris Liuij locis intelligitur. Prætores verò quo tempore magiſtratu abibant, id factitaſſe ſignificat locus ille Verrinæ. 4. Qui, ſimulatque ei ſorte prouincia Sicilia obuenit, ſtatim Romæ, & ad vrbem, antequam proficiſceretur, quærere ipſe ſecum, & cogitare cum ſuis cœpit, quibúſnam rebus in ea prouincia maximā vno anno pecuniam facere poſſet.

Prætor FIDEICOMMISSARIVS qui de fideicōmiſſis ius diceret: duóſque à Claudio Cæſare inſtitutos eſſe ſcribit Pomp. l. 2. §. 17. D. de orig. iur. ex iiſque vnum à Tito Cæſare detractum eſſe. Suetonius autē in Claudio: Iuriſdictionem de fideicommiſſis, inquit, quotannis & tantum in vrbe delegari magiſtratibus ſolitam, in perpetuum, atque etiam per prouincias, poteſtatibus demandauit. Sed hæc facile eſt ex Fabij verbis explicare, qui lib. 3. c. 6. ſic ſcribit, Nō debes apud Prætorem petere fideicommiſſum, ſed apud Conſules. maior enim Prætoria cognitione ſumma eſt. quæritur an maior ſumma ſit, &c. Quo ex loco intelligitur, fideicommiſſorum iuriſdictionem ita partitam fuiſſe, vt Prætor vſque ad certam ſummam cognoſceret, de maiore Conſul ius diceret. Vlp. perſpicuè id quod diximus confirmat, c. Inſt. 25. Fideicommiſſa, inquit, non per formulam petuntur, vt legata: ſed cognitio eſt Romæ quidem Conſulum, aut Prætoris, qui fideicom-

miſſarius vocatur:in prouinciis verò, Præſidum prouinciarum. De Prætore fideicōmiſſario Imp.l.2.C.qui pot.in pigno.habeant.Paulus.l.quæſitum.78.§.pen.D. de lega.3.& l.4.in fid.D.quibus ad lib.Vlp.l.ſicuti legatum.92.D.de cond.& demonſtr.

Prætor Fiscalis ab Imperatore Nerua creatus eſt, qui inter fiſcum & priuatos ius diceret, vt Pōponius ſcribit in l.2.§.18.De orig.iur.

Prætor Tvtelaris primus à M.Antonio philoſopho creatus eſt, quemadmodum Iulius Capitolinus ſcribit: cùm antea tutores à Conſulibus poſcerentur, vt diligentius de Tutoribus tractaretur. Quantum autem ex Iuſtiniano intelligimus, officium eius erat, vt cogerēt tutores & ſatiſdare rem pupilli ſaluam fore, & delatā tutelam recipere. Erant & Prætores de liberalibus cauſſis cognoſcentes.l.j.C.ſi mancip.ita veni.l.3.§.j.l.5. D.de liber.cauſ.Iuſtin.Nouel.13.καὶ ὥσπερ ἕτεροι πράκτορες εἰσὶ τῇ συγκλήτῳ βουλῇ οἱ τῶν ἐλευθεριῶν καὶ τῶν ἐπιτρόπων, καὶ τῶν τοιούτων προκαθήμενοι.

Prætores Rervm capitalivm, Vide infrà Qvæsitores.

Prætores, de quibus agitur tit.C.de prætorib.lib.12.

Prætorivs is dicebatur, qui prætura functus eſſet.

Prætoria cohors dicta fuit, quæ à prætore, hoc eſt, à Conſule nunquam diſcederet in bello, ob cuſtodiam corporis, teſte Feſto. Africānum autem inter omnes primū delegiſſe ſibi aliquot fortiſſimos, qui lateri eius adhærentes, omnibus aliis muneribus vacarēt, ſtipendióque maiore honorarentur, literis proditum eſt, quāquàm apud alios multi id antea quoque feciſſent. Quem morem ſecuti ſunt omnes, tum in bello, tum domi, præſertim ortis ciuilibus diſcordiis. Iulius Cæſar propter inimicos aliquandiu vſus eſt cuſtodia corporis, & prætoria cohorte Hiſpanorum. Tandem nimia quadam confidentia, maluit ſemel inſidias vndique imminentes ſubire, quàm cauere ſemper: ideóque cuſtodiam remouit, & haud dubiè inimicis maximam inſidiandi anſam præſtitit: vt euētus tanti viri nos admonere debeat, ne vitioſa ſecuritate periculū ſubeamus, quod euitare licet.

Prætoria porta in caſtris erat, qua exercitus ad prœlium educebatur.

Prætoriæ ſtipulationes dicuntur in tit.De præt.ſtip.lib.D. 49.non quæ à mero Prætoris officio proficiſcuntur, vt l.5.D.de verb.oblig.ſed quæ Prætoris imperio ac iuſſu interponuntur. Venuleius enim in l.9. eiuſd. tit.ſcribit in Prætoriis ſtipulationibus ſi ambiguus ſermo acciderit, ipſius Prætoris interpretationem fore. eius enim mentem æſtimandam eſſe. Harum autem tres videntur conſtitui ſpecies, iudiciales, cautionales, & communes.

Prætorius tutor dicitur, qui pupillo cum tutore ſuo litigaturo à Prætore vrbis dabatur, auctor Iuſti.ſub titul.De auctorit.tut.& Vlp.in Inſt.c.12.

Prætorium pignus, vide ſuprà Pignus.

Prætorium ius, vide ſuprà Ius.

Prætoria in conſtitutionibus Impp.domus magnificæ, intelliguntur præſidum, iudicúmve cauſſa in vrbibus extructæ.l.31.C.de epiſc.& cleric.l.pen. C. de offic.recto.prouinc.

Prætorivm, villa vrbana: id eſt, ædificium quod dominus qui in vrbe habitat ſibi parauit: à villici habitatione diſiunctum. Vlp.l.198.D.de verb.ſig. Vel ſi prætoria voluptati tantùm deſeruientia. Neratius.l.2.D. de ſeruit.ruſt. Ruſticorum prædiorum ſeruitutes ſunt, licere altius tollere, & officere prætorio vicini. Sic in l.13.§.vlt.D.de iniur.l.12.D.de vſu & hab. leg.l.91.§.pater.D.de leg.3. Tertullian.lib.de Idololatria, Palladius lib.j.c.8. Sueton.in Caligula.c.38.

Prævalentia, præſtantia, precij ac valoris exuperantia. Paul.l.23.D.de rei vind. In omnibus igitur iſtis in quibus mea res per præualentiam alienam rem trahit, meámque efficit, ſi eam rem vendicem, per exceptionem doli mali cogar pretium eius quod acceſſerit dare.

Paævaricari, inquit Marcianus, eſt vera crimina abſcondere, & falſas excuſationes recipere.l.j.D.ad SC.Turpill. Vel, vt inquiunt Critici, eſt νοσφίζεσθαί τινα, id eſt Parcere & alludere alicui. Item Præuaricat, diuaricat, varicat, ὑπερβαίνει, διασκελίζει. Hinc Præuaricari reo, Græcis καθυφίεσθαι τοῦ ὑπευθύνου, id eſt ſubmittere ſe reo. Præuaricatur etiam qui ex vtraque parte cōſiſtit, vt ait l.j.D.de præuaricat. Præuaricatus in ead.l. Baſilica exponunt πιαλλόμενος. Hinc:

Prævaricatio, inquit Plinius, eſt tranſire dicenda, vel curſim & breuiter attingere quæ ſunt inculcanda, infigenda, repetenda. Critici, Præuaricatio, παράβασις, ἀπόστασις.

Prævaricator, inquit Vlpia.l.j.D.de præuaric.eſt quaſi varicator, qui diuerſam partem adiuuat prodita cauſſa ſua Marcianus.l.j.ad ſenat. Turpill. Præuaricatorem eum eſſe dicit, qui colludit cum reo, & tranſlatitie munere accuſandi defungitur, cum ſcilicet proprias quidem probationes diſſimulat, falſas verò rei excuſationes admittit. Hoc nomen Labeo à varia certatione tractum ait. Cicero in Partit.dici vult quòd in contrariis cauſſis quaſi varie poſitus eſſe videatur. Feſtus à prætergrediendo, cui Critici conueniunt. Et ita Obuaricator Feſto, ab occurrendo, qui cuipiam occurrit, quominus rectum iter conficiat. Cuiacius plenius Præuaricatorem ſic definit: Præuaricator eſt accuſator, qui in iudicio publico abſolutioni incumbit non damnationi, quaſi varicator. Propriè enim de accuſatore dicitur: nec aduocatus qui ſuſcepti ſui cauſſam aduerſario prodit propriè præuaricator dicitur, quia non propriè accuſator.l. qui cum natu.§.pen.D. de bon.lib. vt nec reus ſi cauſſam ſuam perfunctoriè egerit. Huius verbi originem hanc docet Plinius libr. 18.c.19. Arator inquit niſi incuruus præuaricatio: inde tranſlatum hoc crimen in forum.l.ſcripto.D.vnde lib.

Præventio dicitur cum eiuſdem rei perſonæve iuriſdictio penes duos iudices eſt, & alter cognoſcere prius cœpit. Prǣuenitur quandoque per in ius vocationem, quia prior in ius vocauit: quādoque litis cōteſtatione, quādoque libello, quādoque ſententia. Bart.ponit in l.ſi plures.D.de leg.j. Specul.tit.de reſcript. præſentatione.§.5.verſi.item quòd minus. vide Felin.in c. cum M.Ferrarienſis.de conſtit.in antiq.& vide doct. in l.ſi quis poſteà quàm.D. de iudic.& c.pen.extrà de for.compet.

Pragmaticæ ſanctiones dicuntur Principū reſcripta, non de priuatorum negociis, ſed corporum, ordinum, & collegiorum cauſſis de conſilij ſentētia emiſſa: vnde, vt vult Hotoman.deducto verbo, quod pragmaticis & peritis viris in conſilium adhibitis interponuntur. Zeno in l.vlt.C.de diuerſ.reſcript.& pragmat. ſanct. Pragmaticas præterea ſanctiones non ad ſingulorum preces ſuper priuatis negociis proferri: ſed ſi quando corpus, aut ſchola: vel officium, vel curia, vel ciuitas, vel prouincia, vel quædam vniuerſitas hominum ob cauſſam publicam fuderit preces, manare decernimus: vt in his etiam veritatis quæſtio reſeruetur.

Pragmatica ſanctio & Annotatio tanquam aduerſæ opponuntur, in l.iubemus.10.C.de ſacroſan. eccleſ.l. vlt. C.de diuerſ.reſcript. Illa dicitur, cùm Imperator re cū conſilio cognita & agitata quippiam decernit: hæc cùm ad oblatas preces nomen ſuum ſimpliciter adnotat atque adſcribit. Iuſt.l.vlt.C.de prox.ſacr.ſcrin. Certæ ſunt diſpoſitiones noſtri nummis, quarum prima quidem ad ſupplicationem adiutorum emiſſa eſt: altera

tera verò per ſacram pragmaticam facta eſt,&c.

Pragmatici à Iuriſconſultis hoc differunt,quo ſpecies à genere.Itaque Pragmaticos Græci iuris interpretes appellant:vt ait Fab.libr.3.c.6.vt Pragmaticus ſit iuris eius quod in ordine iudiciorum, cautionibus, & formulis verſatur, peritus: cum Iuriſcóſultus etiam de negociis de quibus certum ius erat nullum, conſuleretur:veluti (vt ſcribit Quintilianus) de verborum proprietate, aut æqui diſceptatione, aut voluntatis coniectura.Vlp.l.9.§.j.D.de pœnis.Solet autem ita vel iuris ſtudioſis interdici, vel aduocatis, vel tabellionibus,ſiue pragmaticis.Cicero lib.de Orat.j.Itaque non vt apud Græcos, infimi homines mercedula adducti miniſtros ſe præbent in iudiciis Oratoribus:ij qui ab illis Pragmatici vocantur.Fabius libr.12.c.tertio: Neque ego ſum noſtri moris ignarus, oblitúſve eorum qui velut ad arculas ſedent,& tela agentibus ſubminiſtrant:neque idem Græcos quoque neſcio factitaſſe:vnde nomen his Pragmaticorum datum eſt.

Pragmaticarii in trib.lib.C.poſterioribus.

Prata, inquit Varro,ab eo quòd ſine opere parata. Et ſic Vlp.Pratum,ait, in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus eſt: ex eo dictum, quòd paratum ſit ad fructum capiendum.l.31.D.de verb.ſignific.

Preces paſſim in Conſtitutionibus Impp.pro libellis ſupplicibus, ſiue poſtulatis.l.2.C. de vſuf.l.5.C.de impub.l.9.C.de lib.cauſſ.l. 10.& 17.C. de rei vind.Hinc tit.De precib.imp.offer.C. & formula illa, Si preces veritati nitantur.

Precarium eſt,ait Vlp.quod precibus petenti vtendum conceditur tamdiu,quam diu is qui conceſſit patitur,l.j.D.de precario.Vel ſic:Precarium cóceſſio rei eſt,vel poſſeſſionis,quam precibus ita impetrauimus, vt vteremur quandiu liberet concedéti. Vel creditum vtendi re,aut iure alieno vſque dum licuerit nobis per eum qui credidit.Inter precarium autem & commodatum has notat differentias Hotom. Precarium primùm rerum immobilium ac iurium cauſſa inſtitutum videtur.l.2.& l.3.D.eod.Cómodatum autē ad res mobiles propriè pertinet.Qui precariò concedit, dare ad tempus videtur.itaque donationis & liberalitatis genus appellatur in l.j.& l.quæſitum.8.§.3.& l.interdictū.14.D.eo.eóque cùm quis de re ſibi reſtituenda cautum habet, precarium interdictum ei non competit. l.& habet.15.§.3.eod.Qui verò commodat,longè ab omni donationis ſpecie abeſt,ſibíque cauere de reſtituendo conſueuit.Cui precariò conceſſum eſt, poſſeſſionem habet.l.4.§.j.d.l.& habet.§.4.eod.Commodatarius verò non poſſidet.Precariò vtens, dolum tantùm & latam culpam præſtat.l.quæſitum.8.§.3.eod. Commodatarius verò etiam leuiſſimam.Precarium magis ad donationis & beneficij,quàm ad negocij contracti cauſſam ſpectat,eóque nulla eo nomine iuris ciuilis actio eſt d.l.interdictum.Commodatum autem contractus eſt,ſuámque iure ciuili actionem habet.Ex precario, tum interdictum, tum incerti condictio præſcriptis verbis,quæ bonæ fidei eſt, conceditur.l. 2.& l.duo.19. eod.ex commodato verò ciuilis actio tantùm. Commodatum vſus certi cauſſa fit,nec niſi eo expleto reuocatur.Precarium nec vſus certi cauſſa fit, & quouis tēpore reuocatur.Hæc ex tit.De precario, ſummatim.

Precaria, ſiue Precatiua verba dicuntur in teſtamentis, non directa, nec imperatiua, ſed inflexa,& rogatiue concepta,cum ſcilicet teſtator non pro ſuo iure ac legum auctoritate quid hæredibus ſuis mandat, ſed aliquid ab iis precariò poſtulat: veluti peto, rogo,volo, mandato.§.vlt.Inſt.De ſing.reb.per fideic. relic.l. 2.C. commun.de legat.Deprecor, cupio, iniungo, cupio des,opto des,credo te daturum, exiguo, deſidero vti des.l.etiam.115.l.& eo modo.118.D.de lega.j.l.peto.69. De legat.2.Hæc verba fideicommiſſi dicuntur.d.l.69. §.fi.& l.11.§.j.D.de legat.3.& apud Paulum lib.Sent.4. c.j.l.2.& 4.C.de codicil.l.24.C. fam. erciſc. Fideicommiſſa enim precatiuo modo relinquuntur, Vlpiano in Inſtit.tit.24.id eſt,vt Iſidorus tradit lib.5.c.24. non directis verbis,ſed precatiuis.Sic precariam ſubſtitutionem,fideicommiſſariam accipimus.l.16.C.de pact. Et precariam voluntatem.l.66.D.de legat.2.

Precariò autem habere,poſſideréve intelligitur, nó tantum qui per epiſtolam,vel quacunque alia ratione cócedi ſibi poſtulauit poſſeſſionem vel corporis, vel iuris rei alicuius,id eſt vt ſibi poſſidere,vtíve liceret, ſed & is qui finito precarij tempore, patiente tamen domino,poſſidet.l.2.§.fi.& l.ſeq.D.de precar. Paul.libr.5. Sent.tit.6.

Precaria, genus eſt contractus ad precarij ſimilitudinem inſtitutum:quem contractum appellat.l. contractus.D.de reg.iur.Eſt autem conuentio de re alterius vtenda fruenda,ea lege, vt certis temporibus renouetur.Magna autem inter Precarium & Precariam differentia eſt.Nam precarium ſine precibus nó conſtat.l.j.& l.2.in fi.D.de precar. & apud Paulum libri Sent.5,tit.6.§.hæres. Precaria interdū ſola concedentis ſponte & voluntate contrahitur. Illud tam mobilium,quàm immobilium rerum eſt l.4.D.eod.precaria prædiorum, interdum etiam pecuniæ. Illud ex mera concedentis voluntate pendet, neque certi temporis obligationē recipit.l.j.& l.cum de precario.12.D. eod. hæc certum plerunque ad tempus datur:veluti ad vitæ tempus:neque prius renouari poteſt.Illud merè gratuitum eſt l.j.D.eod.hæc plerunque mercedem recipit. Illud renouandum non eſt:hoc certis temporibus renouatur, veluti quinto quoque anno: vt in concilio apud Beluacenſes,de quo in c.j.extra de prec.Et in legib.Franc.libr.4.tit.39.De precariis,vt vbi modò ſunt, renouentur. Quemadmodum autem Precarium interdum conuentio eſt de re,quam quis oppignerauit, precario recipienda,& ad tempus vtenda.l.certè.6.in fi.& l.ſi debitor.10.D.de precar.& apud Iſidorum libr. Etymolog.5.c.25.Precarium eſt(inquit)dum prece creditor rogatus,permittit debitorē in poſſeſſione fundi ſibi obligati demorari,& ex eo fructus capere.Sic. Precaria interdū dicebatur de re, quam donator ipſe ab eo cui eam dederat,fruendam recipiebat.Vt in Capit.Caroli,& in Lombard.lib.2.tit.18.de vlt.volunt.l.4. Noſcat ſibi interdictum eſſe duas de eadem rē facere traditiones:ſed poſtquam vnam de rebus ſuis traditionem (in Capitulari legitur Ordinationem) fecerit,aliam de ipſis rebus faciēdi nullam habeat poteſtatem.ità tamen ſi vſumfructum voluerit habere, per precariam res traditas vſque in tempus definitum poſſidendi ſit conceſſa facultas. Patet igitur eum qui rei alienatæ vſumfructum retinet, vt in l. quiſquis.28. C.de donat.titulum hunc vſurpaſſe, vt per precariam eam rem poſſideret.Et hoc nimirum eſt, quod ſcribit B.Rhenanus Rer.Germanic.lib.2. Quidam, inquit,in illo recenti Chriſtianiſmo res ſuas Eccleſiæ donabant,& rurſum agros aut domum in beneficij modum recipiebant,ad vitæ ſuæ tempus:non citra tamen penſitationem:nec filius poſt mortem patris, aut hæres vindicare ſic donata poterat.Itē in legibus Alemann. tit.2.Siquis liber res ſuas ad Eccleſiam dederit, & per chartam firmitatem fecerit,& poſthæc à paſtore Eccleſiæ per beneficium ſuſceperit ad victualem neceſſitatem conquirendam diebus vitæ ſuæ,& quæ deſpondit,perſoluat ad Eccleſiam, cenſum de illa terra poſt illius deceſſum nullus de hæredibus contradicat. Alterum Precariæ exemplum extat apud Naucl. Generat.25.ex Concilio Carolomanni:Statuimus,vt ſub precario cenſu aliquam partem Eccleſiaſticæ pecuniæ

in adiutorium exercitus noſtri aliquanto tempore retineamus:ea conditione,vt annis ſingulis de vnaquaque caſata,ſolidus,id eſt duodecim denarij, ad Eccleſiam reddantur:eo modo vt ſi moriatur ille, cui pecunia accommodata fuit,Eccleſia cum propria pecunia reueſtita ſit:& iterum ſi princeps iubeat,precarium renouetur.

Precariam etiam dixere Feudiſtæ, pro cuiuſuis rei vſu precibus impetratæ,etiam pecuniæ. Petrus de Vin.lib. Epiſt.3.c.11. in priuilegio Academiæ Neapolitanæ: Mutuum fiet ſcholaribus ab illis, qui ad hæc fuerint ordinati:datis libris in pignore,& precario reſtitutis. receptis à ſcholaribus fideiuſſoribus pro eiſdem Scholaris verò qui mutuum recipiet,iurabit, quòd de terra aliquatenus non recedet,donec precaria reſtituet,vel mutuum ob eo fuerit exſolutum:vel aliàs ſatisfactum fuerit creditori. Senſus eſt igitur: Studioſos daturos libros pignori:ſed creditores eis libros precario conceſſuros.Idem Fridericus in priuileg.ciuitati Viennéſi conceſſo,in Vienna Lazij lib.2.c.5. Vt iudex nullus taliam,ſeu precariam in prædictos ciues facere audeat.

Pretium propriè eſt,quod pro re empta dicitur,& in Lexico iam ſæpius citato definitur, τίμημα ἐπὶ τοῖς ὠνίοις καταβαλλόμενον.l.j.D.de rer.permut.§. pretium autem. Inſtitut.de emptio. & vendit.Sed tamen & pretium conductionis in l.28.§.j.D.locati.Et pretium pro mercede,in l.10.in fi.D.de acquir.poſſ.l.vlt.§.vlt.D.de l. Rhod.l.51.§.locaui.l.58. D.loca.poſitum inuenitur. Sic pretium operæ in l.52.§.ſi in coeunda. D. pro ſoc. Et manupretium,quaſi manus & artis merces, de quo ſuprà.Pretium tamen depoſitionis à mercede ſeparat Vlp.in l.2.§.& generaliter. D.vi bon.rapt. Vbi pretiũ pro præmio accipi poteſt, quemadmodum & in l.5.§. vlt.D.de iniur.accipitur.Et apud Liuiũ lib.32. his verbis,Haud ſatis dignum tanti laboris periculíque pretium erat.Et apud Vopiſc.in Aurelian. Debet enim quid præter dignitatem pretium eſſe meritorum.Pretium autem,inquit Varro lib.4.de ling. Lat. eſt quod æſtimationis emptioníſve cauſſa conſtituitur: dictum à periteis,quod hi ſolùm poſſunt facere rectè id.

Pridem de longiori tempore:quandoque pro materiæ conditione accipitur.l.j.C.de munic.&.orig.l.j.C.ſi aduer.tranſact.l.j,C.de ædil.act.cap.niſi cũ pridem.de renun.

Primas propriè Patriarcha.c.j.& 2.99.diſtinct. quãdoque eo nomine ſignificatur Archiepiſcopus.c.ſanè.de for.comp.Nam,quantum ad effectum, nulla eſt differentia inter primatem & Archiepiſcopum.c.duo.de offic.ord.Qui ſint primates in l.j.& in rub. de Alexan-primat.j.docet ibidem Bart.& vide ibi Pyrrhum Anglebermæum.

Primus hæres,qui primo gradu ſcriptus eſt l.23. D.quæ in fraud.credit.l.14.D.de liber.& poſthu. Quintil.declam.388.Nam neque diu de primo hærede cogitandum fuit habenti filium, neque de ſecundo habenti potiorem. Primo autem gradu ſcriptos accipere debemus,omnes qui primo loco ſcripti ſunt.l.j.§.defertur.D.de bon.poſſ.ſecun.tabu.quos principali loco inſtitutos vocant Impp.in l.13.C.de fideicomm.quibus qui ſubſtituuntur,Secundi hæredes vocantur,id eſt ſecundo gradu ſcripti.

Primæ tabulæ paternæ accipiendæ ſunt, in quibus pater ſibi hæredem inſtituit:idque ratione ſecundarum tabul.in quibus impuberibus liberis hæredes ſubſtituũtur.l.41.§.cohęreſ.D.de vulg.& pup.ſubſt.

Primus curiæ dicebatur in curiis ciuitatum, qui cæteris omnibus perfunctus officiis, primum in curia ſua locum obtinebat:qua de cauſſa comitiuæ tertij ordinis obtinebat dignitatem.l. quicunque.127.C. de decur.at biennio exacto comitiua primi ordinis dignitate ornatus,primatu illo abibat.l.Alexandrinis.56.C. eod.Primo Curiæ ſimilis eſt, qui à Gregorio maior populi appellatur,Germanis,*Meyer*,Gallis *Mere*, qui & *Vimere* dicunt pro vi maiore,& *Mermonſtier*,pro maiori monaſterio.

Primicerius non eſt, vt quibuſdam videtur, iunctum verbum.non enim aliud in eo verbo notandum eſt,quàm primus:nam cerius productio verbi eſt.Itaque bene Sudas πριμικήριον interpretatur τὸν πρῶτον τῆς τάξεως.Nam qui in quocunque ordine primum locum obtinet,Primicerius vocatur. Proinde non notariorum tantùm primicerius dicitur,quod nomen in Nouell.conſtic.8.ſæpius repetitum eſt, ſed & Primicerius fabricæ,in l.2.de fabricenſib.lib.11.C.Primicerius domeſticorum,protectorum, equitum.l.2. & l.vlt. C.de domeſtic. & protectorib. Primicerius menſorum. l. vn.de mẽſorib.lib.12. Et Primicerius in officio præfectorum prætorio,apud Veget.libr.2.c.21. Et Primicerius protectorum,apud Ammianum Marcell.lib.18. Et Primicerius adiutor,in l.vlt. C.de offic.præfec.vrb. Et Primicerius exceptorum, Primicerius ſingulariorum, Primicerius auguſtalium, Primicerius ſcriniorum, Primicerius deputatorum, Primicerius ſacri cubiculi.l. vn.qui à præbitio.tyro.in C.Theodoſ.& apud Caſſiodor.lib.11. Variar.& in Notitia.Sic Primicerius legionum,apud Guliel.Tyrenſem Pontif.lib.2.de bello ſac. c.19.& aliàs ſæpe. Sic & Primicerius defenſorum, & Primicerius ſcholæ cantorum, & Cardinalis Primicerius apud Luitprandum lib.6.de rebus per Europam geſtis.Hac eadem forma Auguſtinus D. Stephanum Primicerium martyrum vocat in ſermone.21. & Baldricus Dolenſium Archiepiſcopus in hiſtoria Hieruſalem,D.Petrum, Primicerium Apoſtolorum. Primicerium,qui ſequebatur, eadem figura Secundicerius dicebatur:& qui poſt hunc erat,Tertiocerius, Rub.de Primicerio & Secundicerio.libr.12.C. & in l.vnic.de prӕpoſi.agẽt.in reb.& in Notitia aliquoties.Sic apud Luitprandum in libro ſuprà citato Cardinalis Secundicerius.

Primipilus olim primus centurio, ſiue primi ordinis centurio dicebatur,qui & Aquilæ,& quadringentis in prima acie militibus præerat. Halicarn. libr.9. ἑνὸς,ait,τῶν ταγμάτων τῇ λαμπροτάτῃ ἀρχῇ κεκοσμημένος, ὃς τὰς ἑξήκοντα ἑκατονταρχίας ἐπισθαί τε, καὶ τὸ κελευόμενον ὑπηρετεῖν κελεύει νόμος. τοῦτους ῥωμαῖοι τοὺς ἡγεμόνας τῇ πατρίῳ γλώττῃ πριμιπίλους καλοῦσιν. Liuius libro ſeptimo: Id propter Publium Salonium poſtulatum eſt à coniuratis,qui alternis prope annis Tribunus militum & primus centurio fuit,quem nunc primipilum appellant.Primipilus itaque primipili ductorem ſignificat. l.23. D. de adim.leg.& in Codice Iuſtinianeo ſæpe. Centurionem autem primipili non ſolum aquilæ præfuiſſe,verumetiam quadringentos milites in prima acie gubernaſſe,& tanquam caput totius legionis merita conſecutum & commoda, quinimò & curam habuiſſe annonæ inter milites diuidendæ Vegetius libr.2.c.8.& c.21.ſcribit. Hinc:

Primipilaris qui primipili honorem geſſit.l.36.§. Iulius. D.de legat.3.l.33.§.quædam. D. de aur. & arg.l. 10.§.vlt.D.de excuſ.tut.l. vlt. §.patrimoniorum. D. de munerib.& honorib.l.27.C.de epiſc.& cleric.Et Primipilarius,in l.vlt.C. de filiis officiali.libr.12. & l.5.de cohortalib.lib.12.C.Sudas,πριμιπιλάριος ὁ τὸ μεῖζον ἀξίωμα τῶν στρατιωτῶν ἔχων παρὰ ῥωμαίοις.

Primipilus poſtea & Primipilum in libris noſtris vſurpari cœpit,pro adminiſtratione militaris annonæ, quæ primipili centurionibus mandabatur, vt eam annonam ſuis militibus præberent, eóſque bene curatos Reipublicæ,cum vſus foret, præſtarent.l.3.l.7. & l.8.C.de cohort.princip. qua de cauſſa tam multa

ſingu

ſingularia & præter iuris ordinarij rationem in Primipilari cauſſa paſſim conſtituta legimus, vt l.3. & l.4. C.de primipil.l.4.C.in quib.cauſ.pign.Primipilum,inquit Theodorus Hermopolites lib.9. tit.9. ἐστὶ τὸ τοῖς πρώτοις ἀκοντισταῖς στρατιώταις διδόμενον πρέσιον, ἵνα διανέμη τοῦτο αὐτοῖς.Et ideo ad l.j.C.de cond.ex leg.debitor ex primipilo,à Græcis dicitur,ὁ διαγραφὰς στρατιωτικὰς τῶν δημοσίων χρεωστῶν.

Primiscrinivs,qui & Primicerius,in officio erat præfecti prætorio, & is dabat apparitores.l.j.C.de ſportul.l.fi.C.de nume.l.fin.C.de apparit.præfe.Præto. Symmach.libr.j.Epiſtol.& in Notit.Imperij ſæpiſſimè.

Primogenitvm vocat ſacra ſcriptura, non quem fratres ſequuntur, ſed qui primo natus fuit.c. Ioſeph. de verb.ſign.

Primogenitus regis,poſt regnum ſuſceptum natus,ſuccedet patri in regno,non primogenitus ante illud:vt Baro à Tautemberg venuſtè declarat tit.14. circa finem lib.j.Feud.

Primogenitvra,ius,qualitas,ſeu prærogatiua primogeniti,de qua Alberic.ſingulariter tractat in l,pen. C.de donat.inter virum & vxorem.& in §.Diſcipuli. in Procem.Pandect.

Primitiæ in cóciliis appellantur ἀπαρχαὶ τῶν ὡρίων καρπῶν.à diuo Paulo ἀκροθίνια.& in aurea bulla Nicephori, ὡς ἀνάθημα,ἢ πρεσβεῖον, ἢ καρπῶν ἀκροθίνιον.quod ita Græci explicāt ἀκροθίνια λέγονται αἱ ἀπαρχαὶ τῶν θινῶν,ἤτοι τῶν σωρῶν. λέγονται δὲ καταχρηστικῶς καὶ πᾶσα ἀπαρχή.

Primitiæ in Rubrica de decimis & primitiis explicāt ibid. Pontificij, & nouiſſimè P. Rebuffius in j.q.tract. de decimis.

Primores,id eſt,optimates principes cuiuſque reip. l.legatum.D.de vſufru.lega.

Princeps,lex animata in terris, auth. de Conſu. ſub finem. Princeps,id eſt, Imperator. D. de conſtitut. princip.

Princeps à Deo ipſo conſtitutus eſt.Nam hiſtoriæ veritas ſic habet: Cum Cn. Pompeius, & Iulius Cæſar bellis feliciter geſtis, magnum haberent exercitum, ac de occupanda tunc Republica meditarentur:ciuile inter eos bellum dominandi cupiditate cœpit.Tandē Pompeius repudians omnes à Cæſare oblatas pacis conditiones in Græcis victus,& fugiens in Ægypto occiſus eſt.Cæſar autem Romam rediēs,rerum omnium potitus,noluit Auguſtus,aut princeps ſalutari,ſed dictatorem ſe fecit,vt in initiis adhuc ſanguinolentis mitigaret regnandi ſuſpicionem.Tandem à Caſſio,Bruto,& aliis aliquot in curia Pompeij.23.vulneribus eſt confoſſus,idibus Martiis,ab vrbe condita DCCX.ab electis regibus CCCCLXVI. Poſt mortem Iulij Cæſaris Reſpublica Romana, per XII. annos ſub triumuiris mirum in modum conquaſſata eſt:donec ſolus rerum potiretur C.Cæſar Octauianus,poſtea Auguſtus & pater patriæ à Senatu ſalutatus.Is Romanam ditiōnē tranquillitati reſtituit,vt aurea tum ſecula dicerentur: & meritò.Nam poſt conſulatum eius duodecimum, natu eſt DEI FILIVS, IESVS CHRISTVS,ſalutis noſtræ princeps & auctor,de VIRGINE MARIA, C.Lentulo Getulico,& M.Meſſalino Coſſ. ann. ab vrb. DCCLI. à regibus DVII. Deinde,cum ſtatus Rom.Reipub.ad Monarchiam eſſet perductus,euenit vt electio Cæſaris alias ex auctoritate Senatus, ſicut iure debuit, procederet:aliàs ab exercitu, vel inuito Senatu, Imperator ſalutabatur, & aliquando magna clade.Ideóque tandem agente exercitu in Græcia,& Imperatore ſine conſenſu ſenatus acclamato, cœpit Imperij ſedes Conſtantinopolim transferri multum infeliciter,tempore Conſtantini magni: Romana interim vrbe,atque tota propemodum Italia, propter abſentiam principis, incurſu barbarorum deuaſtata. Nouiſſimè tempore Leonis IIII. Pōtificis,imperium Conſtantinopolitanum ad Francos tranſlatum eſt,ac Carolus Magnus tum Auguſtus deſignabatur. Ne autem de electione in poſterum naſceretur diſcordia, vice Senatus Romani ſeptemuiri,hoc eſt,ſeptem electores perpetui ſunt conſtituti: videlicet, rex Bohemorum,Archiepiſcopi tres:Maguntinenſis, Treuerēſis,& Colonienſis.Principes item tres: Comes Palatinus Rheni,Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis. Quo ſtatu(Deo ita volente)nos hodie vtimur.

Princeps eſt ſolutus legibus,& interim digna eſt vox fateri ſe alligatum legibus,vt eleganter probant.l.Princeps.D.de legib.l.digna vox. C.eod.tit. Nam oportet eſſe capita terrenæ poteſtatis, quæ ſint reliquorum hominum cenſuris exempta. Principi igitur (inquit Plutarchus)princeps qui erit?Nempe Lex,quæ omniū regina eſt mortalium & immortalium, vt inquit Pindarus.

Principes noſtri inter ſubditos,& magiſtratus municipales,inter ciues ſuos eadem funguntur poteſtate, qua Romanus princeps circa priuata generaliter præpollet.Quoniam poteſtatem ſuam ab imperatore habēt, mediate vel immediate. Vnde vox iſta,qua ſæpe vti ſolent,Ego tibi ſum Imperator in meo territorio:non ita multum eſt abſurda,ſi modò rectè intelligatur.

Principes peccare (inquit Cicero) non tantum mali eſt, quanquam eſt magnum hoc per ſeipſum malum: quantum illud,quòd permulti etiam imitatores principum exiſtunt.Nam licet videre,ſi velis replicare memoriam temporum,qualeſcūnque ſummi ciuitatis viri fuerint,talem ciuitatem fuiſſe.Quæcunque mutatio morum in principibus extiterit,eandem in populo ſecuturam.Et rurſus:Quò pernicioſius, ait, de Republica merentur vitioſi principes: quòd non ſolum vitia concipiunt ipſi,ſed ea infundunt in ciuitatem: neque ſolùm obſunt quòd illi ipſi corrumpuntur, ſed etiam quòd corrumpunt, plúſque exemplo, quam peccato nocent.

Principes,& Magiſtratus diligenter inquirere decet,quid de bonis ſtudiis ſtatuatur vbique in orbe Romano: quam fidem quiſque in ſua functione adhibeat:vt pro meritis accipiat præmium. Sic egregia nec vnquam ſatis laudanda fuit illa inquirendi ratio Friderici primi,qua habita duplex priuilegium bonarum literarū ſtudioſis conceſſit, Conſtit. babita.C.ne fil.pro patr. Nulla profectò maior gloria ſequitur perpetuò principem,quam quod ea ſtudia curauerit,quibus humana ſocietas iuuatur maxime.

Princeps Delicti, id eſt,inuentor, auctor, excogitator.Paul.l.10. D. de ſeru.corr.Iuſtius eſt enim teneri qui princeps fuit delicti, quàm eum quæri ad quem res perlatæ ſunt.Loquitur de eo qui ſeruum corruperat,cum ad alium perlatæ res eſſent.

Principales conſtitutiones dicuntur, quæcunque princeps conſtituit,vt pro lege ſeruentur.l.2.§.ita in ciuitate.D.de orig.iur.l.33.D. ſi cert.pet. Principalis prouidentia.l.22.D.de adopt.conſtitutionem diui Pij ſignificat,qua quartam impuberi arrogato relinqui præcipit.l.8.§.ſi quis impubes.D. de inoffic.teſtam.l.j. §.impuberi.D.de collat.bon. Sic & Principale decretum.l.2.D.de offic.aſſeſſ. Et Principalis ſententia.l.j.D.de offic.præfect.præto. Et Principale auxilium.l.13.§.penul.D.ad Trebel. Principales libri.l.j. D.de offic.quæſto. Principalis actio,id eſt directa. l.17.§.j.D.commod. Principalis obligatio,ad differentiam fideiuſſoriæ quæ acceſſoria eſt l.3. D. de ſeparat. Quemadmodum Principalis reus dicitur, pro quo fideiuſſor interceſſit.l.66.D.de fideiuſſorib. Principale teſtamentum paternum dicitur, quod tabulas pupillares habet,quæ ſecundæ ſunt,& minus princi-

paleſtabulæ.l.2.D.de vulg.& pup.l.16.§.qui principa-le.D.de his quæ vt indig. Eodem modo Principales tabulæ accipiendæ ſunt in l.2.§.j.& l.pen.D.quemad. teſt.aper.

PRINCIPALES ciuitatum vel curiarum dicuntur, decurionum principes, hoc eſt, quorum in curiis ſumma dignitas atque auctoritas eſt, & à quibus diſtributionum omnium forma procedebat, vt eſt in C.Th.tit.de iis quæ adm, vel off.pub.ger.non tamen extraordinariarum ex l.4.C.Th. de ext.mun. eſſe autem ſolebant in aliis decem, in aliis quinque, in aliis viginti. vnde decem primi in municipio Amerino: de quibus vide Hot.in Comm.Orat.pro Sex.Roſc.qui à noſtris ſæpe δεκάπρωτοι, & εἰκοσάπρωτοι appellantur: quorum adminiſtratio non tam in Reipubl.gubernatione, quam in ſumptibus eius cauſſa faciẽdis verſabatur: qua de cauſſa ante annum ætatis XXV. munus illud mandari poterat: quippe patrimonij, non perſonæ munus.l.2.§.decaprotos, & in l.vlt. dicuntur tributa exigere, corporale miniſterium gerere, & pro omnibus defunctorũ fiſcalia detrimenta reſarcire. Principalium mentio fit in l.diui.27.§.j.& 2.D. de pœn.l. omnes iudices.33. & l. 40.C.de decurionibus.& paſſ.lib.10. l.4.C. Th. de extraord.mun.Firmicus lib.5. Matheſ.c.2.Curatores vel principales ciuitatum publicis rationibus præpoſitos. Hos intellexit Tertullianus de corona militis, dum ait, Coronatur & vulgus nunc ex principalium proprietatum exultatione.Iſidor.lib.9.Etymolog. c. 4. Principales & Magiſtratus & Duumuirales Curialium officiorum ordines ſunt. Principales dicti quod præſint magiſtratibus.Ita Antiochenſium ciuitatis principales in l.2.de excuſat.mun.lib.10.C. & Alexandrin. principales in l.56.de decurionib.lib.10.C. Et vir principalis apud Apul.libr.8.de Aſino aur.Saluia.Maſſilienſis lib.5. de vero Dei iudicio.Quis verò, vt dixi, locus eſt, vbi principalibus ciuitatum viduarum & pupillorum viſcera deuorentur? Principales etiam in exercitu & legionibus quidam vocabantur in l.12.§. irreuerens.D. de re milit.l.pen.§.ſuper his eodẽ tit.libr.12.C. & apud Veget.lib.2.c.15.& c.19.

PRINCIPALITER, valet directo in §.vltim.Inſtitut. quod cum eo.Vnde principaliter & per ſucceſſionem opponuntur in l.vltim.D.de legat.3.& l. 194. D.de diuerſ.reg.

PRINCIPIA in caſtris dicebantur, in quibus principes caſtrametabantur, hoc eſt, vbi in acie milites principes ſtabant.Martianus de re mil.l.officium, Officium, inquit, tribunorum eſt principiis frequenter intereſſe: ſic l.j.C.de veteranis.

PRIVATVS, verbum eſt ἐκ τ̃ πρός τι, ſempérque rationem habet cum altero.itaque generaliter is priuatus à Latinis dicitur, qui munus illud non gerit, quo alter fungitur.Hinc vetus inlicij vocandi formula, ex libr. Varronis de lingua 5.Omnes Quirites, pedites, armatos, priuatóſque, curatores omnium tribuum, &c.Vbi Priuatos apparet dici, quos nunc Iuriſconſulti Paganos vocant.Priuati ergo militibus eo loco opponuntur.Opponuntur etiam iis qui cum poteſtate ſunt. Cicero de arte Rhet.j.In fortuna quæritur, ſeruus ſit an liber, pecunioſus, an tenuis, priuatus, an cum poteſtate.Quinetiam Cæſar lib. de bello ciuili. 6. ſic locutus eſt: Si quis aut priuatus, inquit, aut publicus eorum decreto non ſteterit, ſacrificiis interdicunt. Loquitur de Druidum decretis.Hinc etiam Magiſtratus à Græcis πολιτικοὶ & πολιτεῦται, quaſi dicas publici appellantur.

Priuatus eſt, hoc eſt, iuriſdictione caret. l. 3.D. de officio præſid.& ſic opponitur magiſtratibus, ſed & militibus apud Cicer.j.de arte Rhetor.

PRIVATÆ dicuntur res, quæ ſunt ſingulorum. l. j.D. de rer.diuiſ.à verbo antiquo Priuus, quod ſingulos ſignificat, quo & Cato in lib.de re ruſt.vtitur.Vnde Priuatum ius id eſſe definitur, quod ad ſingulorum vtilitatem pertinet.l.j.§.vlt.D.de iuſtitia & iur.Et Priuata iudicia à Latinis dicuntur, quæ ad rem familiarem cuiuſque pertinentia per arbitros iudicéſque datos expediuntur: quibus modo ciuilia, modo pecuniaria accipimus.l.& in priuatis.C.de iudic.l.de fide.C.de falſis. Cicero j.de Orato. Nam volitare in foro, hærere in Prætorum tribunalibus, iudicia priuata magnarum rerum obire. Idem in Topic. Priuata iudicia maximarum quidem rerum in Iuriſconſultorum mihi videntur eſſe prudentia.Plinius libr.6. Epiſt.ad Roman.Interuenit acribus illis & erectis frequens neceſſitas iudicandi, ac pænè calculos tabulámque poſcendi, vt repentè in priuati iudicij formam Centumuirale verteretur. Priuata delicta ſunt, quæ ad rem familiarem & priuatam pertinent, nec cuius ex populo, ſed ei duntaxat, cui damnum datum iniuriáve facta eſt, competunt. Qualia ſunt furtum, rapina, iniuria, damnum iniuria datum, tit.de priuat.delict. l. j. §. vlt. D.de pœn.l.7.D.de public.iudic.Actio certe ex lege Cornelia de iniuriis etſi pro publica vtilitate exercetur, priuata eſt tamen.l.42.§.j.D.de procurator.l.vlt.C.de iniur.l.vlt.C.vbi ſenator. Priuatam etiam furti actionem vocat Quintilia.Declamatio.341.ad finem.

Priuatus contractus, qui non reſpicit vtilitatem publicã. l.omnes profugi.C.de agricol.& cenſit.lib.11.

Priuata crimina quæ ſint, vide Crimina priuata.

Priuatus locus, quis ſit, exponit Iuriſcõſ.l.2.§.prætor.D. de religio.

Priuatum ius, vide ſuprà. Ius priuatum.

PRIVATVM in l.13.C. Theo.de metatis, balneum eſt in l.6.C.eod.tit.ſicque vſurpauit Iulianus Aſcalonita.

PRIVATIM, id eſt (vt vulgo dicitur) particulariter, vel in particulari, vel ſpecialiter.

PRIVATIANI in tribus lib.C.poſterioribus iidem ſunt qui & largitionales, & apparitores comitum dicũtur.

PRIVIGNOS priuignáſque aliunde natos vitricus & nouerca vocant: ait Modeſt.l.4.§.4.D. de grad.& affi. & paulo poſt: Priuignus eſt vxoris meæ filius ex alio viro natus, ego illorum vitricus. Eſt autem Priuignus dictus, quòd antè quàm mater ſecundo nuberet, eſt progenitus. Pri enim antiqui dixerunt pro Præ: Feſtus.

Priuigna (quod ad cauſſam prohibitarum nuptiarum attinet) non ſolùm ea mihi intelligitur, quæ vxoris meæ filia eſt, ſed & neptis & proneptis.l.adoptiuus.14.vlt. D.de ritu nupt.

PRIVILEGIA, iuſſa populi aut plebis rogante magiſtratu, non generalia, neque de vniuerſis ciuibus, ſed de ſingulis concepta: vt de imperio Cn.Pompeij, de reditu Ciceronis.nam veteres Priua dixerunt quæ nos ſingula dicimus.Hæc Gellius lib.10.c.20. Interdum tamen veteres illi priuilegia leges appellarunt, vt idem ſcribit. Priuilegium alij ſic definiunt: Ius ſingulare, & in certæ perſonæ, vel cauſſæ gratiam, fauorémve, & lex de vno homine lata.vide Iſido.libr. 5.c.18.& c.priuilegia.3.diſt.Hoc ſenſu apud Cicer.3.de leg. & in Paradox.hoc verbum ſumitur.

Priuilegium quoque prælationem & prærogatiuã quandam ſignificat, quę inter actiones perſonales vertitur, qua in debiti repetitione chirographij creditores aliis conchirographariis præferuntur.Sic hoc verbum accipitur in titul.de priuil.credit. qui in vulgatis codicibus diſtinctus eſt ab aliis: in Pandectis verò Piſanis continenter hæret cum tit.de bon.auctorit.iud.poſſid. Sic & l.74.D.de iure dotium.l.53.§. j.& §.vltim.D.de pec.l.51.§.idem reſpondit.D. pro ſoc. l.6.l.35.l.37.D. de iure fiſc.l.10.D.ad municip. l.23.§.vltim.D.ſol.matr. l.2.C.de ſeru.pigno.dat. l.10.§. quod ſi dies.D. de adminiſtr.

miniſtr.tut.l.j.D.de ceſſio.bon.l.15. D.ſi certum petat. l.58.§.vltim.D.manda.l.15.§.j. D.de curat.furio.l.j. §.ſed & ſi ſatis.D.de adminiſtr.rer.ad ciuit. Priuilegia etiam pro ipſis creditoribus, qui priuilegia habent, ponuntur in l.7.§.quotiens.D.depoſ.l.24.§.in bonis. D.de rebus auctorita.iudic.l.17.§.penult.D.de excuſat.tutorũ. Sumitur, & Priuilegium pro extraordinario quodam auxilio, quod eſt cauſſæ non perſonæ, l.4. D.ex quib. cauſ.maior.

Priuilegium eſt ius, quod contra communem ciuilium ordinationum tenorem, propter aliquam naturalis æquitatis rationem, certa conſtituentium auctoritate introductum eſt. Vnde apparet primùm, quod priuilegia contra ius naturæ, vel vtilitatem publicam, non magis ſunt priuilegia, quàm tyrannis lex eſt, vt Cicero probat de legibus differens. Et hic eſt verus ſenſus, l. vltim. C.ſi contra ius vel vtilitatem publ. Nam quid iniquum priuilegium efficit aliud, quàm quòd legem & ordinationem Dei ſoluat ſine cauſſa? Deinde ex prædictis conſtat, quòd vera & iuſta priuilegia, non priuant legem, vt Accurſius putat: imò ſupplent magis in ea parte, ad quam communis regula porrigi nõ poteſt, ſalua iuſtitia & æquitate. Id quod idem Accurſius per exempla, quæ allegat ipſe, faciliter iudicare potuiſſet, niſi vera principia iuris illi fuiſſent incognita. Eſt enim ius commune, vt vnuſquiſque ſeruet pacta, ſatisfaciat promiſſionibus, liberet fidem ſuam pro ſe, vel pro aliis datam. Súntne hæc in commune iuſta? Quid ni? l.j.D.de pact.Inſtitut.de fideiuſſor.in princip. Quid igitur ſi mulier fideiubeat, aut minor: eſt ne iuſtum vt compræhendatur ſub hac regula? Minimè gentium. Quare non? Quia mulieres ſexu minores ætate imbecilles ſunt, & multis captionibus ſubiiciuntur. Iam cum inter mulieres, & pueros, ac viros legitimæ ætatis, longa ſit inæqualitas: quomodo communis regula ad eas perſonas pertinere poteſt æqualiter? Ergo exemptæ ſunt alia lege ſpeciali: ea autem vocatur priuilegium ſeu ius ſingulare, de quo in tit.ad S.C.Velleia.

Priuilegia propter aliquam vtilitatem concedenda ſunt. Quotieſcunque igitur de priuilegio alicui priuato, vel corpori, collegio, ſeu vniuerſitati concedendo tractatur: tunc ante omnia perpẽdendum eſt, an operæ pretium fuerit indulgeri: hoc eſt, num vtilitas verſetur, non dico, eius tantum, cui conceditur, ſed quæ in publicum inde reditura ſit: quemadmodum verè accipienda eſt lex, Ius ſingulare. D.de legibus. Dum dicit Paulus: Propter aliquam vtilitatem.

Priuilegij cauſſa ceſſante, ceſſat quoque priuilegium, cap. Abbate. in fin.de verb.ſignific.Inſtit.de auctoritate tutorum. §.vlti. Et de pupillari ſubſtitutione. §.qua ratione. cap.ſuggeſtum. de deci.16.quæſt.j.generaliter l. fin.C.de milita.teſtamen.63.Diſt.cap.quia ſancta.§.verum.61.Diſtinct.ca.ſtatuimus.§.his omnibus. & c.fi.de vita & honeſt.cleri.ca.cùm ex iniuncto. de oper.nuncia.quo in gẽnere vidẽdus A.Tiraquellus. Cauſſa ceſſante parte prima in verbo, Priuilegij.

Priuilegium neque nimis ſtrictè, neq; nimis largè oportet interpretari, ſcilicet ne grauem alij iacturam adferat.cap.ex tuarum. de vſu pallij, cap.ad audientiam. 2.de Eccleſ.ædificand. l.2. §.ſi quis à principe. D.ne quis in loc.publ.l.impuberi. D.de adminiſtr.tut.l.nec auus. C.de emancip. liber. l.quoties. C de precib.Imperat.offer. Quando igitur ſine quouis grauamine alterius non poſſunt concedi priuilegia: proximum eſt, vt ceſſent, cum nimium ledunt.

PRIVILEGIARIVS, cui priuilegium, id eſt, ius quoddam præcipium ac ſingulare conceſſum eſt. Vlpianus l.10. D.de pact. Sed an & priuilegiariis abſentibus hæc pactio noceat? Idem l.24.D.de reb.auct.iud. Eorum ratio potior eſt creditorum, quorum pecunia ad creditores priuilegiarios peruenit.

PRO quandoque ſignificat cum, l.ſi pro fure. D.de condit.furt. quandoque modi ſignificatiua vox eſt, l.pen. in princip.C.de noua. Pro diſtat à voce propter. illa cauſſam finalem, hæc impulſiuam denotat, l.dominus. D.de pecul.lega. Itaque etiam,

Pro cum ablatiuo Iuriſconſulti coniungunt, cum ſignificant non eſſe verè id de quo agitur, ſed haberi pro eo ac ſi eſſet: veluti Pro hærede, Pro bonorum poſſeſſore, Pro emptore. ac tum propriè ſic loquuntur, cum de vſucapione diſputant. hæ namque ſpecies ſunt poſſeſſionis, quæ ad vſucapionem valet.

Pro ADIVDICATO poſſidet is, cui per errorem, accepto communi diuidundo iudicio, res adiudicata eſt, l. ſi per errorem.17.D.de vſurpat. quinetiam eodem titulo ad vſucapionis finem poſſidet is, cui rectè adiudicata res eſt, vt ius Quiritium adipiſcatur.

Pro CESSO poſſidet is, cui dominus à quo ſuam rem non mala fide, ſed iuſto errore iudicio petebat, rem illam ceſſit, l.non ſolum.33.§.ſi mihi.D.de vſurp.

Pro DERELICTO poſſidet, qui rem à domino vel poſſeſſore ea mente abiectam, vt eam in numero rerum ſuarum eſſe nolit, poſſidet, l.2. D.eod.& l.nemo: vbi Iulianus ait, neminem poſſe pro derelicto vſucapere, qui falsò exiſtimauerit rem pro derelicto habitam eſſe. vnde aliorum titulorum cum hoc apparet differentia: cum in aliis vſucapio interdum ex opinione valeat, in hac non valeat.

Pro DIVISO, diuiſione facta: pro indiuiſo, infecta. Paulus l.25.§.j. D.de verbor.ſignifica. Partis appellatione rem pro indiuiſo ſignificari. nam quod pro diuiſo noſtrum ſit, id non partem, ſed totum eſſe. Vlpianus l.6.§. j.D.commun.præd. Planè ſi diuiſit fundum regionibus, & ſic partem tradidit pro diuiſo, poteſt alterutri ſeruitutem imponere.

Pro DOMINO, iure domini, pro eo ac ſi dominus quis eſſet. Marcellus l.Titia.48. D.de ſolut. Titia cum propter dotem bona mariti poſſideret, omnia pro domina egit. Liuius libro 24. Palàm primò, cùm clauſis Andronodorus inſulæ portis, hæreditatem regni creuerit: quæque procurator tenuerat, pro domino poſſederit. De tutore loquitur.

Pro DONATO poſſidet is, cui cauſſa poſſidendi donatio eſt: id eſt cui re vera donationis cauſſa res tradita eſt. nec enim ſufficit opinari: ſed verè donatum eſſe oportet, l.j. D.pro donat.& l.j. D.pro danat.l.j.& l. 2.C.eodem.

Pro DOTE poſſidet, qui ex cauſſa dotis rem ſibi habet, id eſt cui res aliena inæſtimata, dotis nomine poſt iuſtas nuptias tradita eſt, l.j.& paſſ.D.eodem. Inæſtimatam autem dicimus, quoniam æſtimata res pro emptore vſucabitur, l.plerunque. §.ſi ante.& l.quoties. D.de iure dotium & l.j.C.pro dote.

Pro EMPTORE, id eſt, quaſi emptor poſsidere dicitur, qui ex cauſſa emptionis, vel ex negotio emptioni proximo rem nactus eſt. Paulus l.2.D.eo. Pro emptore poſsidet, qui reuera emit. nec ſufficit tantùm in ea opinione eſſe eum, vt putet ſe pro emptore poſsidere: ſed debet etiam ſubeſſe cauſſa emptionis. Dicitur & pro emptore poſsidere, qui à non domino emit. Vide Poſsidere.

Pro HÆREDE bifariam accipitur in iure. Primùm, quoties tractatur materia petendæ hæreditatis, quàm falſa opinione aliquis putans ſe hæredem, poſsidet: toties oportet ea verba, PRO HÆREDE, non accipi pro vero titulo. ſed pro quadã erronea æſtimatione. Nam ſi reuera eſſet hæres, nunquã haberet aduerſus eũ effectum ſuũ petitio hæreditatis. Et ſi rectè perpendamus verba PRO HÆREDE, ſunt ſolennia in eo iudicio.

Nam cum lex non ad reuocandā defuncti voluntatem introduxerit petitionem hæreditatis, non poteſt ad alium caſum pertinere, quā ad eum, ſi quis falſo commento occupat hæreditatem. Quare pro hærede poſſidere dicitur, ſicut protutor, falſus tutor, l. pro hærede. D. de petit. hæred. Deinde vbi non tractatur cōtrouerſia vniuerſi hæreditarij iuris inter duos, ſed diſceptatur de re aliqua, cuius dominium prætendit poſſeſſor, quia dicat ſe per hæreditariam ſucceſſionem acquiſiuiſſe: iſta verba, Pro hærede, intelligēda ſunt pro vero & iuſto titulo, propter quem non minus competit vſucapio, quā ob alios contractuū titulos. Et cum, Pro legato, ſit titulus, cur non multò magis pro hærede? Probari hæc poſſunt ex l. cogi. C. de pet. hær. & l. j. C. ſi quis igno. rem mino. eſſe, ſin. decret. in princ. Vbi titulus vocatur hæreditarius, & Inſtit. de hær. qual. & diffe. Hæc ſi animaduertiſſent Doctores, non fuiſſet opus tantis difficultatibus rem planam inuoluere, & inutiliter rixari, num Publiciana competat aduerſus poſſidentem pro hærede. Vel ſic:

Pro hærede gerere, eſt deſtinatione futuri dominij aliquid ex hæreditariis rebus vſurpare. Et ideo pro hærede gerere videtur, qui fundorum hæreditariorū culturas, rationéſque diſponit, & qui ſeruis hæreditariis, iumentis, rebúſve aliis vtitur. Paulus lib. Sentent. 4. cap. 8. Pro hærede gerere quis videtur, ſi rebus hæreditariis tanquam hæres vtatur, vel vendēdo res hæreditarias, vel prædia colendo locādóve, & quoquo modo voluntatem ſuam declaret vel re, vel verbo de adeunda hæreditate: dummodo ſciat eum in cuius bonis pro hærede gerit, teſtatum inteſtatúmve obiiſſe, & ſe ei hæredē eſſe. Pro hærede enim gerere eſt, pro domino gerere. Veteres enim hæredes pro dominis appellabant. ait Imper. §. 2. de hæred. qualit. & different. Pro hærede gerit qui rebus hæreditariis tanquam dominus vtitur: velut qui actionem rerum hæreditariarū facit, aut ſeruis hæreditariis cibaria mandat. Vlpianus cap. Inſtitut. 22. Pro hærede gerere videtur is, qui aliquid facit quaſi hæres: & generaliter Iulianus ſcribit eum demum pro hærede gerere, qui aliquid quaſi hæres gerit, l. 20. D. de acq. vel amit.

Pro hærede poſſidet, qui ex cauſſa hæreditatis rei incumbit: id eſt qui cùm verè hæres non ſit, iuſtam tamen & probabilem cauſſam habuit exiſtimandi ſe hæredem eſſe: ſi modò teſtamenti factionem habuerit, l. pro hærede. 11. D. de hæredit. petit. l. non ſolum. 33. §. j. D. de Vſurpat. l. 4. & paſſ. D. pro hæred. l. j. & paſſ. C. eodem, Vide Poſſidere.

Pro fideicommisso poſſidet, qui fideicommiſſi nomine poſſidet: hoc eſt, cui fideicommiſſum relictum eſt, ſed vſucapiendo ius Quiritium adipiſci conatur, l. Pomponius. 13. §. ſedet. de acquir. poſſeſs. non enim per fideicommiſſum dominium, ſed ſola poſſeſſio transfertur, l. 3. D. ſi vſufr. petat.

Pro indiviso, promiſcue, ſine vlla diuiſione. Cicero in Rulliana, dixit promiſcue. Equidem exiſtimo, ſi iam campus Martius diuidatur, & vnicuique veſtrum vbi conſiſtat, bini pedes aſſignentur: tamen promiſcue toto, quàm proprie parua frui parte malletis. Hinc, Pro indiuiſo & Certa pars opponuntur, l. placet. 25. D. quib. mod. vſusfruct. amitt. l. j. D. de euict. l. j. §. hoc interd. D. vti poſſi. l. ſeruus. 5. D. de ſtip. ſeru. l. 5. §. vlt. D. commod.

Pro legato poſſidet, qui ex legati cauſſa, vel legati nomine rem habet: Id eſt, cui verè aliquid legatum eſt, ſiue teſtatoris res eſſet, ſiue non eſſet: aut teſtatoris quidem eſſet, ſed adempta codicillis ignoraretur, l. j. & paſſ. D. pro legato.

Pro noxæ dedito poſſidet, qui cum ſeruus ei noxæ deditus ſit, iuſtam vſucapiendi cauſſam ex ea poſſeſſione nactus eſt, l. 3. §. genera. D. de acquir. poſſeſſ. l. 5. D. de publ.

Pro possessore bona fide, ac iuſto titulo poſſidet, qui pro bonorum poſſeſſore poſſidet: id eſt, qui vel iuſtam cauſſam habuit exiſtimandi ſe bonorum poſſeſſorem eſſe, vel cum reuera bonorū poſſeſſor eſſet, exiſtimauit res quaſdam ex iis bonis eſſe, quæ alienæ tamen erant, l. non ſolum. 33. §. j. D. de vſurpat. & ſub titul. Pro hærede, & l. pro hærede. 11. D. de hæred. petit. vbi tamen bonorum poſſeſſor etiam pro hęrede poſſidere dicitur.

Pro possessore mala fide poſſidet prædo, qui interrogatus cur poſſideat, reſponſurus ſit, quia poſſideo: nec vllam afferre cauſſam poſſeſſionis poteſt, l. pro hærede. 11. cum ſeq. D. de petit. hæred.

Pro possessore is poſſidet, qui ex cauſſa bonorum poſſeſsionis rei incumbit, id eſt, qui nullo iure rem hæreditariam, vel etiam totam hæreditatem ſciens ad ſe non pertinere, poſſidet, ait Imp. §. 2. de interd.

Pro solvto poſſidet, qui rem vel debitam vel indebitam quaſi debitam, ab eo qui ſoluit bona fide accepit, l. non ſolum. 33. §. ſi mihi. l. pro ſoluto. 46. & l. penul. D. de vſurp.

Pro svo, titulus eſt generalis: Primum ideo, quia compræhēdit omnes titulos, tam nominatos, quàm innominatos: item tam lucratiuos quàm oneroſos: deinde quoniam pro ſuo poſſidere cenſetur etiam ille, qui exiſtimat ſe habere titulum, cùm non habeat, l. j. & vlt. D. pro ſuo. Vlpian. eleganter, Pro ſuo, inquit, poſſeſſio talis eſt, vt cum dominium nobis adquiri putamus, & ex cauſſa poſſideamus, ex qua adquiritur. quaſi dicat, hoc vnum ſufficit ad titulum iuſtum vel legitimū, vnde & poſſeſſio cenſetur iuſta & legitima: quod bona fide, ſalua conſcientia, ſine vlla fraude habeamus rem quaſi noſtram. Quò reſpexit Paulus in l. 3. §. genera. D. de acquir. poſſeſ. diuidens quippe poſſeſſionem, quæ ex titulo iuſtificatur, in duas ſpecies. Aut enim quis bona fide, aut non bona fide poſſidet. Vel ſic:

Pro svo poſſidere proprie dicitur is, qui falsò, ſed probabili tamen harum cauſſarum errore poſſidet: nimirum occupationis, alluuionis, partus emptæ vel hæreditariæ ancillæ, fructus rei emptæ, aut donatæ, aut in hæreditate repertæ, l. 2. l. 3. & l. 4. §. vlti. & l. vlti. D. eod. At hic quidem proprie, vt dixi, Pro ſuo titulus appellatur: quippe qui ad vſucapionem valet alio qui pro ſuo etiam poſſidet is qui per emptionem, aliámve iuſtam cauſſam poſſidet: verùm is non vſucapit.

Pro transacto poſſidet is, cui iudicio per errorem accepto res aliqua per tranſactionem conceſſa eſt, vt eam vſucapere, & iure Quiritium facere ſuam poſſit, l. cum ſolus. 29. D. de vſurpa. l. ex cauſſa. D. pro empt.

Pro rata parte, vel, Pro rata portione, vel præciſe, Pro rata: vetus locutio eſt, idem ſignificans, quod Pro cuiuſque partis ratione & modo: vel, Secundum cuiuſque portionis modum & quantitatem. Cicero Tuſcul. 1. Sed quia vltra nihil habemus, hoc longum dicimus. nam iſta perinde vt cuique data ſunt, pro rata parte aut longa aut breuia dicuntur. Idem prope duobus modis extulit: Vitam videri cuique animanti aut longam aut breuem, prout cuique, aut longum aut breue vitæ tempus datum eſt. Vocis origo obſcura eſt: niſi forte ratam cuiuſq; partem intelligamus, quæ certa & explorata & extra dubitationem omnem poſita eſt. Proprie autem Pro rata, & Aequaliter tanquam aduerſa opponuntur, vt in l. in his. 5. §. Imperator. D. de ſolutio. Si ſumma vſurarum non eadem ſit, æqualiter ad vtranque cauſſam proficit quod ſolutum eſt, non pro rata. Sic in l. interdum. 13. §. j. D. de hæred. inſtitu. l. vltim. §. & in tali. C. de dot. promiſſ. l. ſi verò. 18. D. de teſtam. milit. Abuſiue tamen interdum Pro rata vſurpatur

patur pro æqualiter,& pro virili parte, vt in l.j.C.vnde lib.l.ſi pro parte.10.8.idē quærit.D.de in rem verſ.

Pro rata patrimonij, præciſè,cum ſubaudiendum ſit,Pro rata portione patrimonij, in l.ſed etſi.25.§.quod autē quis.D.de hæred.petit.& l.Titius.54.D.ad Trebellian. Pro rata pecuniæ,in d.l.Titius. Pro rata regionis, in l.ex mille.64.§.quæſitum.D.de euict. Pro rata ponderis,in l.3.§.vlti.C.de rei vindic. Pro rata debiti,l.procuratoris.§.in tributum.& §.vltim.D.de trib.act. Pro rata quantitatis,l.in imponenda.C.ad leg.Falcid. Pro rata temporis, l.ſi quis domū.9.§.j.D.locat.l.cum in fundo.78.§.diuortio.D.de iure dotium.

Pro rostris, ſchema eſt,ſeu figura loquendi, à pro trito ſermone,ornatus gratia nonnihil mutata: ſicut dicimus procuria, proſcenium. Nam Pro, ſignificat ante vel in. Vt,pro roſtris, hoc eſt, ante roſtra, vel in roſtris: ſcilicet appellatione ducta ab eo, quod eſt in loco ad ipſum locum, l.penult. D.de iuſtitia & iure. Siquidem roſtra nauium Antiatibus inſigni quadam victoria ereptarum ante curiam Hoſtiliam exponebantur:vt aliud nihil ſit pro roſtris, quàm in loco roſtrorum,ſeu ante curiam Hoſtiliā, quæ ſenatorū erat.

Pro tvtore negotia gerit, inquit Vlpia. qui munere tutoris fungitur, in re impuberis, ſiue ſe putet tutorem,ſiue ſcit non eſſe,fingit tamen eſſe,l.j.§.j. D.de eo qui pro tut. Hinc Protutelæ actio,d.l.j.§.3.& vlt. quæ aduerſus eum de rationibus reddendis datur.

Pro præpoſitio accedens cognationum affinitatúmque nominibus,gradus profert, atque promouet. Veluti Proauus,Proauia, aui noſtri pater, mater: Pronepos Proneptis,nepotis filius filia: Proauunculus, Promatertera,id eſt proauiæ frater & ſoror:Propatruus, Pro amita,id eſt, Proaui frater & ſoror,l.j.§.vltimo. D.de gradibus & affinib. Quos etiam auunculos, patruos, amitas,materteras,maiores vocant, l.vltim.§.patruus maior. eodem titul. Atque hæc ex cognatione petita ſunt nomina. Ex affinitate verò eiuſdem generis ſunt hæc,Proſocer, Progener, Pronurus, l.3.§.vltim.D.de poſtul.l.15.§.vltim. D.rerum amot. Proſocer(quo nomine Plinius in Epiſtolis Fabatum paſſim appellat) is eſt qui ab aliis ſocer magnus dicitur, nimirum vxoris meæ auus: cuius ego ſum progener: Proſocrus mihi vxoris meæ auia eſt, ego ſum illius progener,l.4.§.affines. D.de gradib. Rurſus auus meus vxoris meæ Proſocer:auia proſocrus eſt.Ipſa vtrique pronurus eſt, d.§.affines. Proſocrus enim vxoris noſtræ auia, Pronurus verò nepotis vel pronepotis noſtri vxor nobis appellatur, l.14.§.vltimo. D.de ritu nupt. l.15.vltim. D.rer.amot.l.4.§.gradus. D.de gradibus & affin.l.8.§.vlt.D.de legat.præſt.

Pro iunctum verbo fugere, ſignificat procul ex aliquo loco fugere, niſi malis pro ex accipi, ſiue in l.metum. 9.D.quod met.cauſſ.& apud Virgilium eodem ſenſu 1.Æneidos Profugus.

Arma uirúmque cano,Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus,Lauináque uenit
Litora.

Προαςεῖα (ſic enim ſcribendum, & non Proauſtia) apud Iuſti.in Auth.de alienat. & emphyt.§.j.de reſtitut. fideicom.conſtitut.120.col.9.Græcis dicuntur ſuburbana,quæ pulcherrimè conſita à domino, non tam vtilitatis,quàm voluptatis cauſſa habentur.lege Alcia. ca. 4.lib.2.Parerg. Hoc nomen in verſione conſtitutionis Græcæ retinuerunt Iulianus & vetus interpres.

Probare,laudare,l.j.D.qui potio.in pign. Probare rem,experiri,& tentare,vt probare amicos.

Probari fideiuſſores dicuntur, in quorum facultates inquiritur,vt idonei nécne ſint,pateat,l.10. D.qui ſatiſd. cogant.l.7.§.non ſolum. D.de min. Inde ad fideiuſſores probandos dati arbitri accipiuntur, qui ad æſtimandas fideiuſſorum vires dantur,l.9. D.qui ſatiſda. cog.l.2.D.à quib.appel.non lic.

Probari opus dicitur, quod tanquam è lege dicta factum approbatur, l.26.l.38.l.fina. D.loca.l.7.§.illud quoque. D. ad leg.Iul.repet.Front.lib.2.de Aquæd.Eorúmque operum probandorum curam fuiſſe conſtat per Cenſores aliquando & Ædiles. In vetere monumento Neapolitano lex parieti faciundo dicta ita habet: QVOD EORVM VIGINTI IVRATI PROBAVERINT, PROBVM ESTO: QVOD IMPROBAVERINT, IMPROBVM ESTO.

Probatæ caſtitatis dicitur, qui non manifeſte apparet incontinens,ca.à multis.de ætat.& qual.

Probati ſunt,qui bene poſſunt docere,cap.vltim.24. quæſtio.2.

Probata ſarta tecta dicuntur,cum ex lege,id eſt, pactione redemptionis facta eſſe iudicata ſunt. Macer l.7.§.j. D.ad legem Iul.repet. Ne in acceptum ferantur ſarta tecta tuenda, antequam perfecta,probata,præſtita,lege fuerint.Lege,id eſt ex lege, ſiue ſecūdum legem ac pactionem. Cicero Verrina tertia, Locatur opus id quod ex mea pecunia reficiatur. ego me refecturum eſſe dico. probatio futura eſt tua, qui locas. Sic in l. opus.36.l.vltim.D.locat.vide ſuprà,Opere probato.

Probare,alias eſt, vt vult Budæus, efficere, vt probum rectúmque iudicetur id quod quis facit, vel dicit.Vel,vt definit Duarenus, Probare eſt rei controuerſæ teſtibus, aut tabulis iudici fidem facere. Hinc,

Probatio apud Iuriſconſultos dicitur, quod ex teſtium dictis, aut inſtrumentorum ſcriptura ſumitur ad fidem neceſſariò faciendam:vti patet ex tit.de probationibus,lib.Dig.22.Hinc Heliodorus libr.10. πᾶσα δίκη καὶ κρίσις διττὰς μεγίςας ἀποδείξεις οἶδε, τάς τε ἐγγράφυς πίςεις, καὶ τὰς ἐκ τῶν μαρτύρων βεβαιώσεις. Itaque neque præſumptio,probationis nomine intelligitur, neque iuſiurandum eo nomine proprie continetur.neutrum enim probat neceſſariò,tametſi vim vtrunque probationis interdum obtineat: vt l.16.C.de probat.& l.12. §.2.& l.30. D.de iureiurand. Inſtrumentorum autem nomine cenſus & monumēta publica complectimur, ex l.10.D.de probat. Vel ſic:

Probatio eſt demonſtratio quædam dictorum factorúmve, iudici facienda, de cauſſis apud eum controuerſis cognoſcenti. Vel breuius, Rei dubiæ per argumenta oſtenſio.Accurſius rubric.C.de probationibus. Nam cum aduerſario aſſertionibus actoris contradicente res fiat dubia, opus eſt externis rerum adminiculis,per quæ veritas appræhendatur. Vnde probationem facti vocamus.

Probatio probata quæ ſcriptis probatur, Baldus l.j.C. quando fiſc. vel priuat.

Probatio eſt duplex: altera plena ac iuſta, altera verò ſemiplena, nec ſatis demonſtrans. Probatio plena eſt quæ tantam fidem facit, quanta ad diffiniendam controuerſiam ſufficit. Probatio ſemiplena,eſt per quam rerum geſtarum fides aliqua fit iudici:non tamen tanta,vt iure eam debeat ſequi in ſententia dicenda:quia caret plena fide,conſtans ex leuioribus argumentis.

Probationis plenæ ſex conſtituit ſpecies Oldendorpius: ſemiplenæ quatuor. Quæ copioſe tractantur apud ipſum auctorem in titu.de probationibus dictorum & factorum.

Probatio manifeſta, eſt confeſſio,l.non intelligitur.§.tacita.D.de iure fiſc.

Probatio ſeu fides iudici eſt facienda, non aduerſario,l. inter ſtipulantem.§.j.D.de verborum obligat.l.quinquaginta.D.de probat.l.j.C.de conditio. ob turpem cauſſ.l.j.C.de rebus alien.non alienan. Si præſidi prouinciæ, inquit probatum fuerit, Probatio enim nunquam ſatisfaceret aduerſario,etiā ſi omnia probationum ad

num adminicula in vnum conferres, adeóque ſi ſolem ipſum pro oſtendenda veritate in manibus gereres. Probationis igitur vſum propter cauſſas in iudicio controuerſas inſtitutum eſſe apparet, vt veritas certo conſtet rerum adminiculo, quod iudex aut condemnando, aut abſoluendo ſequatur. Itaque non alia ſunt litigatoribus probanda, quàm quæ neceſſariò ad cauſſam pertinent, iuxta l. ad probationem. C. de probatio. Qua in parte grauiter nonnunquam errant iudices incauti. Probatio autem meritò non eſt requirenda in his, quæ ſunt manifeſta ſatis, & iudici nota, l. ſi verò. §. qui pro rei. D. qui ſatiſda. cogant. Nam quorſum attinet rei ſatis demonſtratæ fruſtra aliquid adiicere, ac interim litigatores temporis ac ſumptuum iactura grauare? argu. l. j, in fi. D. de dot. præleg.

PROBABILE quod omnibus videtur, vel plurimis vel ſapientibus.

PROBATORIA, *δοκιμασίαν*, vel *σύμβολα*, in Impp. conſtitutioni. atteſtationem illam, vt cum vulgo loquar, ſignificat, qua qui in ordinem aliquem adſciſcitur idoneus & probatus renuntiatur, l. 3. C. de agen. in reb. l. 17. C. de re mil. l. 2. C. de cohortal. l. 6. l. 9. l. 10. C. de diuerſ. offi. & appar. vſurpatur hoc verbum in Nouell. Iuſtini. in edicto XIII. eiuſdem principis. Extat autem Probatoriæ Chartariorum formula apud Caſſiodorum lib. 7.

PROBI, & reprobi nummi aduerſantur, l. 24. D. de conſtitut. pecu. l. 40. D. ſi cert. peta. vt apud Ciceronem lib. 3. Offi. bonis nummis adulterini opponuntur.

PROBITAS multitudini inuiſa. Itaque bonum virum Hermodorum Epheſij vitiis corruptiſſimi ferre non poterant, & in exilium egiſſe traduntur, dicentes: Nemo noſtrum frugi eſto, teſte Strabone. Heliogabalus peſſimus Romanorum Imperator, ideo infenſus fuiſſe Alexandro adoptato legitur, quòd impudicus non eſſet. Idem Tyrannus Vlpianum officio ſuo mouit, quia vir bonus erat. auctore Lampridio. Cicero in Oratione pro Cornelio Balbo: Seculi ſui labem eſſe deflet, & maculam virtuti inuidere, ipſumque florem dignitatis infringere. Adeò omnis excellentia multitudini eſt infenſa.

PROBRVM Feſtus proprie dici putat de ſtupris & flagitiis, cùm Attius in Helenibus ſic ſcribat: Qui niſi probrum, omnia alia in delicta æſtimant. Iuriſconſulti pro omni infamia vſurpant. Vlpian. in l. probrum. 42. D. de verbo. ſignif. Probra quædam natura turpia ſunt, vt furtum, adulterium: quædam ciuiliter & more ciuitatis, vt tutelæ damnari. Marcellus l. probrum. 41. D. de ritu nupt. Probrum intelligitur etiam in his mulieribus eſſe, quæ turpiter viuerent, vulgóque quæſtum facerent, etiam ſi non palàm.

PROCEDIT, verbum eſt Iuriſconſultis vſitatum: pro valet, locum habet. Vlpianus l. 7. §. 3. D. ad leg. Aquil. Hoc autem in ſeruo non procedit, in filiofam. vulnerato procedit.

Procedere in cauſſa ſummarie, & de plano, quid ſit, declarant Specul. tit. de inquiſit. §. 3. verſi. qui ergo, & Bar. in extrauag. ad reprimendum.

Procedente tempore, ſucceſſu tēporis, l. 2. D. de orig. iuris.

PROCESSVS pro ingreſſu, l. nam & Imp. D. de donat. inter virum & vxorem. Vide, Donare ad proceſſus.

Proceſſus, tranſuectiones equitum, de quibus in l. 2. D. de in ius vocan. Licinius l. 43. de donat. inter vir. Nam & Imperator Antoninus conſtituit, vt ad proceſſus viri vxor ei donare poſſit. vide TRANSVECTIO.

Proceſſus iudicij, eſt ordo quidam legitimus, ſecundum quem controuerſiæ cauſſarum cognitæ, ex bono & æquo celeriter diffiniātur. Proinde talis ordo deſeruire debet iudici, vt is teneat cognitionis ſuæ rationem: non verò vt litigatorum adfectibus obſequatur, ad differendam cauſſam prætextu iudiciariæ obſeruationis. Quocirca Innocentius Pontifex rectiſſimè dicit: Vnde videbitur ſubtiliter intuenti, de ordine iudiciorum procedere, vt in præmiſſis non per omnia ordo iudiciarius obſeruetur. Hoc eſt, Veriſſimus aliquando cenſetur ordo, non obſeruare plenum ordinem in iudiciis, cap. ad noſtram. de iureiu. Iudex enim innocentis viri officio fungi debet. Ideóque incorrupto animi iudicio diſcernere, quonam ordine, quo progreſſu credat ſe cogniturum celeriter de cauſſa cōtrouerſa, ſecundum ius & æquum, l. cæteræ. D. famil. erciſc. & Venuleius in l. continuus. §. cum ita. D. de verborum oblig. Hinc eſt quòd Hadrianus optimus maximúſque princeps, in l. 3. D. de teſtib. ſemper vtitur his verbis: Tu magis ſcire potes. Item, Sed ex ſententia animi tui æſtimare oportere. Item, Tecum ergo delibera. Et pleni ſunt omnes Iuris Codices huiuſmodi vocibus. Iuſtinianus Nouell. Præcept. præſid. conſt. 17. Εςω σοι καὶ τρίτον σπούδασμα τὸ τῶν δικῶν μετὰ πάσης ἰσότητος ἀκροᾶσθαι, καὶ τὰς μὲν βραχυτέρας, καὶ ὅσαι μάλιςα τῶν εὐτελεςέρων εἰσὶν ἀγράφως τέμνειν, καὶ κρίνειν. Forma igitur iudiciorum qua nunc vtimur, neque ordo eſt, neque proceſſus: ſed magis cōfuſio. Et nullum eſt in toto iure exemplum, quo probari poſſit. Nam quid eſt aliud, quàm calumnioſa cæremoniarum atque ſcriptorum altercatio extra omnem cauſſæ cognitionem? adeò vt iudex ipſe non habeat ſæpe in manu officium ſuum exercere in litibus? imò cogitur ad ſedentariam audiendi operam, donec omnes iſtæ cæremoniarū præſtigiæ peragātur.

PROCHEIRI, ſcribæ, qui manu expediti ſunt, l. peculiari. de proxim. ſacr. ſcrin. lib. 12. C.

PROCITVM dicebatur teſtamētum, quaſi velut procatum, id eſt, prouocatum, id eſt irritum ac ruptū Feſtus.

PROCINCTVM teſtamentum appellatur à Iuſtiniano in §. j. Inſtitut. de teſtam. quod fiebat in ipſa militum expeditione, dum præcincti iam erant, & expediti ad bellum, cuius dubiam ſciebant aleam: quod veteres In, vel Endo procinctu nominabant, vt apud Cicer. in 2. de nat. deor. & 1. de Orat. item apud Vlpian. cap. Inſtit. 20. & Gell. lib. 15. ca. 25. Id ergo militiæ tantum fiebat, cum viri ad prœlium faciendum in aciem vocabantur: auctore Gell. lib. 15. cap. 27. Plutarchus autem in Coriolani vita rem ſic explicat, ἦν τότε ῥωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισαμένοις, καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον, ἅμα καὶ διαθήκας ἀγράφους γίνεσθαι, τριῶν ἢ τεττάρων ἐπακουόντων, ὀνομάζοντες τὸν κληρονόμον. Eo tempore, inquit, mos erat Romanis prœliū inituris, ſcutáque ſumpturis, togam præcingere, ſimúlque teſtamenta ſine ſcripto facere, hæredémque tribus aut quatuor audientibus, nuncupare. Veteres Gloſſæ, In Procictu ſic exponūt, ἐν προτομῇ πολέμου ςῆναι μετὰ ἐσθῆτος ὑπατικῆς, ἤτοι διαθέσθαι ἐν παρατάξει πολέμου ἀγράφως. Feſtus autem ſic: Endo procinctu, in procinctu: ſignificat autem cum ex caſtris in prœlium exitum eſt. Procinctos, quaſi præcinctos atque expeditos. nam apud antiquos togis incincti pugnaſſe dicuntur. Idem: Procincta claſſis dicebatur, cum exercitus cinctus erat Gabino cinctu confeſtim pugnaturus. vetuſtius enim fuit multitudinem hominum, quàm nauium, Claſſem vocari.

in Procinctu verſari dicuntur milites, qui in expeditione belli ſunt: vel qui pro patria in hoſtico ſunt, quamuis milites non ſint, l. vn. D. de bon. poſſ. ex teſta. mil. Hoc ζώννυσθαι dixit Homerus Iliad. λ.

PROCLAMARE in libertatem vel ad libertatem dicuntur, qui ex ſeruitute ſe in libertatem vindicant, & adſerunt, toto tit. quibus ad libert. procl. non liceat, l. 7. §. proinde. cum ſeq. D. de lib. cauſ. l. 40. §. libertatē. D. de fideicom. libert. l. 3. §. ſi ſeruus. D. de acquir. poſſ. l. 8. D. de probat. l. 3. §. diuus. D. de iure fiſc.

PROCLA

Proclamator, qui cauſſam agit, qui litem intendit, lib.Feud.2.titul.27.§.4. Proclamatori etiam damnum reſtituat. Sic lib.leg.Franc.4.cap.7. declamatoribus vel cauſidicis qui iudicio Scabinorum acquieſcere nolunt, &c.Cicero de Orat.1. Non enim cauſidicum neſcio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc ſermone conquirimus. Sic in capit. Caroli: Si autem de poſſeſſionibus ſuis ſuper eos clamor ad Iudicem venerit, mittat Iudex clamantem cum miſſo ſuo ad Epiſcopum.

Proconsvle, poſterioribus temporibus dictum pro Proconſul. Hinc illud D.Aug. Ab e, litera vocali nullum Latinum, niſi iuncta præpoſitione maſculinum inuenitur: vt, Procõſule, Proprætore. ergo iuncta præpoſitione fiunt Latina, vt dixi, proprætore, proquęſtore. Nam veteres nominatiuo caſu Proconſul dicebãt, attendentes nullum nomen Latinum exire in e literã nominatiuo caſu generis maſculini. Apud Cic. autem de leg.1. cum Gellius Procõſule vocatur, hoc de iis videtur intellexiſſe, qui extra ordinem velut Cõſulis loco mitterentur, cum interdum nec ex conſulatu mitterentur, nec vnquam conſules fuiſſent: quando, quod nunquam antea factum fuerat (vt ait Dio) & conſularibus Ciceronis ætate prouinciæ conſulares mandatæ ſunt, proconſuléſque vocati ſunt. Pro conſule contra Sertorium ſcribit miſſum eſſe Pompeium, pro lege Manilia Cicero: quod Plutarchus vertit, ὁ πομπήϊου ᾔτει δεῖν ἀνθ' ὑπάτου ἐκπεμφθῆναι φίλιππος. οὐκ ἔγωγε φᾶναι τὸν φίλιππον, ἀλλ' ἀνθ' ὑπάτων. Vide Proprætores.

Procvbitores, qui noctu cuſtodiæ cauſſa, ante caſtra excubabant, cũ caſtra hoſtiũ in propinquo eſſent.

Procvrator eſt, qui aliena negotia mandatu domini adminiſtrat, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium, l.j.D.de procurat. Propriè autem ex parte actoris dicitur, vt defenſor ex rei parte, l.ſi mater. §.hoc iure .D. de except.rei iud.

Procuratorum autem varia ſunt genera. Quidam enim ſunt litis procuratores, qui ad mouendas inſtituendáſque actiones vel lites exequendas dantur, l.86.D. de ſolut. Huiuſmodi procuratorem ad actionem factum procuratorem vocat Paul.in l.14. D.de pactis. Alij ſunt negotiorum procuratores, quibus vel certa vna res, vel generaliter vniuerſa negotia adminiſtranda mandantur, qui omnium rerum procuratores, l.13. D.de pact.l.6.D.de inſtitor.l.8. D.de calumniatoribus, & totorum ſeu vniuerſorum bonorum procuratores vocantur, lege 63. D.de procuratoribus, l.17.§.vlti.D. de iniuriis. In illis edicti de iniuriis verbis, NEQVE PROCVRATOR QVI EO NOMINE AGAT, procuratorem accipimus non vtique eum ſolum, cui ſpecialiter procuratio data eſt actionis, ſed ſufficit eſſe eum, cui omnium rerum adminiſtratio mandata eſt, lege 17. §.ait prætor. & §.procuratorem. D.de iniuriis. Similiter in eo quod dicitur, procuratorem iudicatum ſolui ſtipulari poſſe, non eum tantum, cui ea res ſpecialiter mandata fuerit, intelligimus, ſed & eum qui vniuerſorum bonorum mandatum ſuſceperit. Sed & ſi ratum fuerit habitum, procurator videbitur, lege 3.§.primo.D.iudic.ſol. Eodem modo in Ædilicio edicto procurator accipitur, l.j.& l.25.§.procuratoris. D.de ædilicio edicto. In interdicto quoque vnde vi ex ſententia magis quam ex verbis procuratorem non eum tantum, qui legitimè procurator dicitur, omnium rerum eius qui abſit, quaſi pene quidam dominus, hoc eſt, alieni iuris vicarius, ſed & quemlibet qui aliquid noſtri negotij gerat, clientem videlicet, colonum, aut libertum, aut qui illam vim deiectionémque rogatu aut nomine noſtro fecerit, intelligi, eleganter Cicero pro Cæcinna tradit. Atque adeo in pleriſque librorum noſtrorum locis is, qui ſine mandato negotiis ſe alienis offert, & qui aliquid noſtro nomine negotij noſtri gerit, procurator vocatur, qui verus negotiorum geſtor eſt, l.34. §.ſi gener.l.21.§.vltimo, l.58. D.de ſolutionibus, & l.15.§.ſi quis abſentis. C.de petit.hæred.l.9 §. ſi hæres. D. de lib.leg.l.22. §.quod ſi.l.vltim. D. rem ratam hab.

Procvrator in rem ſuam datur dicitur, cui in rem vtilitatémque ſuam mandatæ ſunt actiones, l.8.vltim. D.manda.l 2.in fin.D.famil.erciſcun.l.3.§.idem Labeo ait.D.de in rem ver.l.24.D.de minor.l.3.§.idem aduerſus. D. quod quiſque iur. l.8. C.de hæred. vindic. Nam hic cum mandatas ſibi & ceſſas ab alio actiones exerceat, procurator eſt: ſed quia non in alienam, ſed ſuam rem, id eſt, commodum ſuum propriúmque lucrum actiones præſtitæ ſunt, lucrúmq; omne & compendium eum reſpicit, idcirco in rem ſuam factus datúſve procurator dicitur, l.4. C.de procuratorib, l.25. §.vltim. eodem l.4. D.de re iudic.l.j.§.in propria.D. quando appell.ſit.l.20. D.de appellationibus, l.14.D. de pact.l.18.D.de compenſatio.l.6.C.de obligation.& actio. Hunc nos vocamus ceſſionarium. Is qui nomen emit, in rem ſuam fit procurator, l.j.C.de contrar.iud. tut. Venditor quoque ab emptore datus ad litem procurator, in rem ſuam datus videtur, l.66.§.ſi ſecũdum. D.de euict. Erant & Procuratores hæreditatium, l.32.D.de iure fiſc.& in inſcriptionibus Procuratores viceſimæ hæreditatium. Item Procuratores rei dominicæ, l.penultim.de conuen.fiſc. deb. libro 10.C. Et Procuratores domus dominicæ, l.8.C.vbi cauſſæ fiſc. Et Procuratores ſummæ rei, l.vltim. C.ſi propt. penſit.qui & Rationales ſummæ rei, vt in inſcriptione, l.7.C.vbi cauſſæ fiſc. Metallorum item & baphiorum & textrinorum ſeu gynæceorum & linificiorum, & baſtagarum, & ſaltuum erant Procuratores, quorum in l.4.C.de metallar.libro 11. C.l.penult.de murilegul.eodem. Et in Notitia Imp p.Roman.fit mentio. Procurator Reipublic.l.3.§.planè.& l.5.§.idem ait. D. quod vi aut clam.l.2.§.ad frumentum. D.de adminiſtr. rerum ad ciuit.pert.l.7.C.ne de ſtatu def.l.30. de decurionibus, lib.10.C.

Procuratorum quatuor genera Paulus facit lib.Sentent. 1.cap.3.aut ad litem, aut ad omne negocium, aut ad partem negocij, aut ad res adminiſtrandas. Procurator ad litem, ſiue litis dicitur, cui inſtituendæ ſuſtinendæve litis negocium datum eſt.§.j. Inſtit.de iis per quos cog.poſſ. Procurator ad omne negocium is eſt, quem Cicero in Orat.pro Cæcinna ſic deſcribit: Vtrum me tuus procurator deiecerit is, qui legitime procurator dicitur omnium rerum eius qui in Italia non ſit, abſitve Reipub.cauſſa, quaſi quidam penè dominus, hoc eſt alieni iuris vicarius. Sic l.12. D.de ſol. l.13.D.de pact.l.7. D.de calumn.l.63. D.de procurator. vbi eiuſmodi procurator rerum omnium, & totorum atque vniuerſorum bonorum procurator appellatur. Procurator ad partem negocij eſt cui proprie ac ſpecialiter certa res mandata eſt, l.3.§.j. D.iud.ſolut.l.17.§. vltim. D.de iniur. Procurator ad res adminiſtrandas is dicitur, quem proprie Negociorum geſtorem appellamus: hoc eſt, qui non quæſtuario negocio præficitur: ſiue autem eius rei mandatum habeat, ſiue non habeat, procurator dicitur. l.ſi quis.38. D.de ſolution.l. 9.§.ſi hæres.D.de lib.legat.l.vltim. D.rem rat.hab. l.15. §.ſi quis.D.de hæred.petit. Et hoc ab Inſtitore differt, quòd hic quæſtuariæ negociationes præfectus eſt.l.5.§. 3.D.de inſtit.act.

Procurator verus dicitur, qui vel eius rei quam gerit mãdatum, vel omnium negociorum adminiſtrationem habet, l.j.in fin.D.quod iuſſ.l.12. D.de ſolut.l.40.§.j. D. de procurat. Huic opponitur.

Procurator

Procurator falſus, is ſcilicet qui mala mente, & intercipiendi animo procuratorem ſe ſimulat, & procuratoris perſonam induit, l.44.§.j. D.de furt.l.18. D.de ſolutionibus quemadmodum & falſus creditor, qui ſe dolo ſimulat creditorem. Etſi Procurator falſus intelligi nonnunquam debet non verus, l.3.§.fi. D.rem ratã hab. Vel denique is qui procurator nõ eſt, ſed vltrò ſe negotiis alienis ſine mandato ſe offert, l.j.D.quod iuſ.

Procurator Cæſaris ab Auguſto primum inſtitutus eſt, vt ex Dionis lib.53.intelligimus: vbi ait Auguſtum in omnes prouincias, prætarquam vbi Proconſules eſſent, mittere inſtituiſſe Curatores, qui vectigalia conquirerent, impendiáque, ſi quæ opus eſſent, facerent. Hoc autem potius officium quàm magiſtratus appellatur, in l.non licet.46. D.de cont.empt. Itaque Rationales paſſim in libris noſtris appellantur; eóſque deportandi ius non habere, ſed petulantibus aditu prædiorum Cæſaris interdicere poſſe, Calliſtratus auctor eſt in l. vlt.D.de offic.procur. Præterea iuriſdictionem inter priuatos extra fiſcales cauſſas non habebat, l.j.C.de iuriſd.omn.iudic.l.j.& paſſim, C.vbi fiſc.cauſſæ. Inter fiſcum autem & priuatos ius dicebat. Vlpian.l.5.C.eo. l.j.D.de offic.pro.Cæſar.ſcribit, ea quæ ab illo acta geſtáque ſunt, ſic à Cæſare comprobari, atque ſi à ſeipſo geſta eſſent. Hinc illud Taciti lib.12.de Claudio Cæſare: Eodem anno, inquit, ſæpius audita vox principis, parem vim rerum habendam à procuratoribus ſuis iudicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet. Ac ne fortuitò prolapſus videretur, Senatuſconſulto quoque cautum pleniùs & vberius, quàm antea. Suetonius tamen id illum precibus impetraſſe ſcribit: Vt ſibi in curiam, inquit Præfectum prætorij ſecum inducere liceret, vtque rata eſſent quæ procuratores ſui in iudicando ſtatuerent, precariò exegit. Ad eundem illud quoque pertinet quod idem in Veſpaſiano ſcribit, c.16. Creditur etiam procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria ſolitus promouere, quò locupletiores mox condemnaret. quibus quidem vulgò pro ſpongiis dicebatur vti, quòd quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes. Interdum autem Procurator Cæſaris Præſidis prouinciæ partibus fungebatur; ac tum de rebus omnibus, quaſi Præſes ipſe cognoſcebat, l.4. C.ad leg.Fab.de plag.l.3. C.vbi cauſ.fiſ.l.ex conſenſu.23.§.j. D.de appel.

Procurator voluntarius, Vide Voluntarius Procurator.

PROCVRATIO, adminiſtratio Cicero Acad.1. Dum me ambitio, dum honores, dum cauſſæ, dum Reipub. non ſolum cura, ſed etiam procuratio multis officiis implicatum & conſtrictum tenebat. Idem lib.3. de Legibus: Sed quæro, quid reapſe ſit turpius, quàm ſine procuratione Senator? Loquitur de legationibus liberis, quæ ſine vlla publici negocij, aut Reipub. adminiſtratione obibantur.

Procuratio etiam eſt quod præſtatur Archiepiſcopo luſtranti, & (vt vulgus loquitur) viſitanti prouincias. c.j. de cenſi.in 6.& ca.cauendum 10.q.3.

PROCVRATORIVM & mandatum differunt: vide l. cùm dilectus.de relig.do.& c.coram.de offic.deleg.

PROCVRATORIÆ exceptiones vocantur, quæ procuratorio nomine agentibus opponuntur, ſiue quòd non eſſe hoc eis mandatum dicatur quod perſequuntur, ſiue quòd omnino procuratores eſſe, vel fieri potuiſſe negentur, vel ab eo dati dicantur, qui procuratoris dandi ius non habuit: l.57.l.62. D.de procuratoribus.l.2.& 3.D.de exceptio.l.29.§.quædam. D.manda.l. 19.§.j.D.de probatio.l.39.§.penult. D.de dam.infect.§. pen.Inſtitut.de ſatiſdatio. Qua de re incidere crebrò in iudiciis quæſtionem Quintilian.lib.7.cap.j. admonet. Procurator, ait, alicuius pecuniam petit ex fenore hæreditario: poteſt incidere quæſtio, an huic eſſe procuratorem liceat. Finge nos poſtquam tractauimus remittere, vel etiam conuinci: quæretur, an ei cuius nomine litigatur, procuratorem habendi ſit ius. Idem lib.4.cap.penul. Vt contra petitionem pecuniæ malè petis. Procurator enim tibi eſſe non licuit. Sed nec illi cuius nomine litigas habere procuratorem.

PRODERE, pro remittere, dimittere. Modeſt.l.14.D.de cuſtod.& exhib.reo. Non eſt facile tyroni cuſtodia credenda? nam ea prodita, is culpæ reus eſt qui eam ei commiſit. Item, Quod ſi fugitiuum domino reddendum prodiderit.

Prodere legem dicitur, qui præuaricatur, & accuſatione inſtituta deſiſtit. Vlpianus l.2.§.j.D.de adulter. Marito iure mariti accuſanti illa præſcriptio obiicitur ſi legem prodidiſſe dicatur, ob hoc quod aggreſſus accuſationem adulteri deſtitit.

PRODICTATOR, propter Conſulum abſentiam nonnunquam creatus eſt. Liuius lib.32. Itaque ad remediũ iamdiu deſideratum, nec adhibitum, Dictatorem dicendum, ciuitas confugit. Et quia Conſul aberat, à quo vno dici poſſe videbatur: nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuncium, aut literas mitti; nec Dictatorẽ populus creare poterat: quod nunquam ante eam diem factum erat, Prodictatorem populus creauit Q.Fabium Maximum, & Magiſtrum equitum M. Rufum Minutium.

PRODIGERE, pro conſumere, apud Modeſt.l.plebiſcit.de offic.præſid. Plebiſcito continetur, ne quis præſidum munus, donúmve caperet, niſi eſculentum, potulentúmve, quod intra dies proximos prodigatur.

PRODIGVS eſt, inquit Vlpia. qui neque modum neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profundit, l.j. D. de cur.furio. Prodigi inquit Cicer.lib.2. officio. qui epulis & viſcerationibus & gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt, in eas res quarum memoriam aut nullam aut breuem ſunt relicturi. Prodigum, Euerſorem appellat Caius lib.j.Inſtitut.titul.de tutel. Solet & in libris noſtris Prodigi verbum circuitu deſignari, is, cui bonis interdictum eſt, l.18.D.qui teſtamen.fac.l.6.D.de verb.oblig.l.3.D.de nouationib.l. 18.§.j.& ſequ. D.de caſtr.pecul.l.10. D.de curat.furio. l.9.§.idem quæri.D.ſi certum peta. Ex eo autem Prodigus dictus eſt, quod ſua prodigat, quod eſt foras agat, propellat, & protrudat. Formula autem qua bonis ei interdici ſolebat, hæc extat apud Paulum lib.3. Sentent.tit.4. QVANDO TVA BONA PATERNA AVITAQ. NEQVITIA TVA DISPERDIS, LIBEROSQVE TVOS AD EGESTATEM PERDVCIS, OB EAM REM TIBI EA RE, COMMERCIOQ. INTERDICO.

Prodigi à furioſis hoc diſtant: quòd furioſus ſimul atque inceperint furere, mox ipſo iure agnati ſint curatores: Prodigis autem non ſint prius curatores, quã ipſis à iudice bonis ſit interdictum.

Prodigus famæ ſuæ, qui eam negligit, cap.nolo.12.q.1. Panor.c.prælatorum.not.2.de accuſ.

PRODIGA neutro genere numero multitudinis, in l. quæcunque.5.C.de fide, & iur.haſt.fiſcal.libro 10.ſunt annonæ, Græcis τὰ τρώξιμα, quæ in cibariis & eduliis conſiſtunt. ſic dicta quod intra proximos dies prodigantur, id eſt conſumantur, vel ipſis prodigis, cum eis bonorum adminiſtratio interdicitur, plerunq; à fiſco præſtantur. Merito igitur Accurſius noſter in d.l.quæcunque. prodiga cibaria interpretatus eſt: quam Accurſij interpretationem probant Bartolus & Ioannes à Platea. His opponuntur corpora.

PRODIGIA, auctore Feſto, dicuntur, quaſi prodicia, & porrò dicentia aliquid futurum eſſe. Nam litera quæ nunc, C. Vocatur, apud veteres G. dicta eſt. Quod & nunc multi

nunc multi pronuntiando ſequuntur in Italia. vide l. non ſunt liberi.D.de ſtat.hom.l.3.C. de poſtu. hæred. l.oſtentum.de verb.ſig.

PRODVCI in ius,eſt ad Prætorem duci.l.3. §. docere. D. ne quis eum,qui in ius voc.l.4. D. de l.Iul.de vi priua. Produci etiam teſtis dicitur.l.23.& l.24. D. de teſtib. l. pen.& vlt. C. eod.Produci quoque olim dicebantur, qui in ſcena populo ſpectandi præbebantur,atque exhibebantur,Sueton.in Neron.c.4.Equites Roma. matronáſque ad agendum mimum produxit in ſcenam. Quintil.libri 3.c.6.Qui ſe prætori in hortis oſtēderat, nec erat productus,ſedit.14. ordinibus. Plinius libr.6. Epiſtol.ad Geminium: Proximis ſacerdotalibus ludis productus in commiſſione pantomimus, cum ſimul theatro ego & Quadratus egrederemur. Macrob. lib.2.c.7.de Publio Mimo: Cùm mimos componeret, ingētique aſſenſu in Italiæ opidis agere cœpiſſet:productus Romæ per Cæſaris ludos,omnes qui tunc ſcripta & operas ſuas in ſcenā locauerant,prouocauit. Et in inſcriptione Lanuuina, M. AVREL. AVG. LIB. AGELLIO SEPTEMTRIONI PANTOMIMO SVI TEMPORIS PRIMO SACERDOTI SYNHODI APOLLINIS PARASITO ALVMNO FAVSTINÆ AVGVSTÆ PRODVCTO AB IMPE. M. AVREL. COMMODO.

PRODVCERE aduerſarium ad album,Vlpianus dixit l. j.de edendo,pro deducere eum cum quo lis inſtituitur ad Prætoris album,& formulam actionis demonſtrare, qua vti velit quis ex earum numero, quas Prætor ſe daturum in albo edictóque ſuo denunciauit. Eum quoque,inquit,edere Labeo ait,qui producat aduerſarium ſuum ad album, & demonſtret quod dictaturus eſt, vel id dicendo quo vti velit: id eſt,qua edicti parte.

Producere obligationem, diuturniorem reddere.Paul.l. 91.§.3.D.de verb.oblig.Primo quæramus quæ perſonæ efficiāt perpetuam obligationem:deinde quibus eam producant.Item: An filiusfamil.qui iuſſu patris promiſit,occidendo ſeruum producat patris obligationem.

PROFARI propriè dicuntur fatidici,qui futura prædiuinando ſolent fari:qui iidem & Vaticinari dicuntur, quod veſana mente faciunt: inquit Varro libr.5.ling. Lat.Itaque cum Vlpianus.l.j.§.6. D. de ædilit. edict.ſic ſcripſiſſet:Si ſeruus inter fanaticos non ſemper caput iactaret,& aliqua profatus eſſet:ſic infert, Quamuis aliquando quis circa fana bacchatus ſit, & reſponſa reddiderit.Item:Cæterum ſi nihilominus permaneret in eo vitio,vt circa fana bacchari ſoleret,& quaſi demens reſponſa daret.

PROFANVM, Varroni lib.5.de ling. Lat.quod ante fanum,id eſt coniunctum fano.Hinc Profanatum,quod in ſacrario pollutum.Et paulò poſt:Et cum Profanum dicitur,id eſt proinde vt ſit fani factū.Macrobius libr. 3.c.3.Profanum omnes pene conſentiunt id eſſe quod extra fanaticam cauſſam ſit,quaſi porro à fano,& religione ſecretum.Trebatius verò apud eundem,Profanum propriè id eſſe ait,quod ex religioſo, vel ſacro in vſum hominum proprietatémve conuerſum eſt: quod probare videtur Aggenus Vrbi.in Comm.ad Iulium Front. vbi Profanum eſſe dicit, quod cum ſanctum eſſet,poſtea in vſum hominum, & extra fanum venit. Profana ergo res ſacræ & religioſæ opponitur. l.83.§.ſacram.D.de verb.oblig.Profanum id etiam eſſe quod quis ſibi priuatum ſacrum cōſtituit,ait Marcian. l.6.§.ſacræ.D.de rer.diuiſi.Agrum quoque purum monumento cohærentem profani iuris eſſe Impp. reſcripſerunt.l.9.C.de relig.

PROFERRE, Iuriſconſultis eſt,quod vulgò producere dicitur,id eſt,apud acta deponere. Producere autem de teſtibus non de litis inſtrumētis. dici debet,auctor Budæus in Adnotationibus prioribus ad Pādect.Hinc Prolato die.l.j.§. aditiones.D.de edend. id eſt producto.quanquam alij Prælato legant:quod non eſt abſonum.

Proferre etiam eſt diem productā prorogare, lege vnius. §.pen.D.de quæſtionib.& in rubr.de recept.arb.

PROFESTI dies, Vide Dies.

Profeſtum facere,referente Feſto, dicebatur qui ferias viciabat,& profanabat, inauſpicatáſque reddebat, & profanas.

PROFICISCITVR pecunia. Paul.in l.2. de reb.credit. Item mutuum,ait, non poteſt eſſe, niſi proficiſcatur pecunia:hoc eſt,transferatur ad accipiendum.

PROFECTA res à me ad te etiam tunc videtur,ſi vel à debitore meo acceperis,vel pecuniam meam apud te habeas,& conuenerit vtroque caſu vt mutuum eſſet.l. ſingularia.D.ſi cert.pet.

PROFECTITIVM peculium,vide ſuprà Peculium.

PROFECTITIA dos,quæ à patre,vel à parente profecta eſt,de bonis eius,vel facto eius. Vlp.l. profectitia. D.de iure dot.Vide Docto.l.2.D.ſol.matr.

PROFITERI eſt publicè & apud acta aliquid vltro denuntiare:quod vulgò inſinuare dicimus.Hinc Profiteri cenſum dicebantur qui apud Cenſores Romæ precium ſuarum omnium fortunarum edebant: aut apud Cenſitores in prouinciis,qui agros ea ratione declarabant,quæ præſcripta eſt in l.4. D. de cenſibus.vnde Cenſuales profeſſiones dicuntur ab Arcadio.l.vlt.§.j. in fi.D.de mun.& hon.l.cenſualis.C. de donat.de quibus etiam vide Briſſonium lib.j.Select.Antiq.

Profiteri natales dicebantur parentes,qui diem quo ſibi nati eſſent liberi,apud Præfectos ærarij edebant.Terentius l.etiam.16.D.de probat. Etiam matris profeſſio liberorum recipitur. Scæuola.l.Imperatores.29.§.j. D.eod.Mulier grauida repudiata,filium enixa abſente marito vt ſpurium in actis profeſſa eſt.Iul.Capitolinus harum profeſſionum primum auctorem fuiſſe M.Antoninum Pium auctor eſt,intra diem trigeſimum nomine impoſito, per prouincias autem tabulariorum vſum inſtituiſſe,apud quos de originibus idem fieret, quod Romæ apud Præfectos ærarij:vt ſi forte aliquis in prouincia natus cauſſam liberalem diceret, teſtationes intus ferret.Celſus.l.cum de ætate.13. D.eod. Iniquum eſt,cum de ſtatu ætatis alicuius quæreretur, & diuerſæ profeſſiones proferrentur, ea potiſſimum ſtare quæ nocet.Eiuſdem profeſſionis mentio fit in l. nec omiſſa.15.l.parentes.21.C.de lib.con.

Profiteri merces eſt,apud publicanos eas inſinuare,tributi pro his debiti exſoluendi cauſſa.l.vlt.§.diuus.& §.ſi quis profeſſus.D.de publican.l.3.C.de vectig. & commiſſ.Quintilian.Declamatio.341.Quod quis profeſſus non eſt apud publicanos,pro commiſſo tenetur.Idem etiam Declamatio.359.talem legem fingit, Publicano ſcrutari liceat,quod quis profeſſus non fuerit perdat.

Profiteri etiam in l.3.§.pen. D. vbi pupill.educ. eſt pupilli pecuniam prætori edere:vt profeſſionem edere peculij,in l.19.D.de pecul.legat.

Profiteri indicium in l.j.D.ad l. Corne.de ſicar.& l.24.D. de falſ.Salluſt.in bello Iugurth. Sed ipſe deprehenſus multis hortantibus,& in primis Albiano Conſule indicium profitetur.Suet.in Domitia.c.17.Profeſſúſque conſpirationis indicium,& ob hoc admiſſus, legenti traditum à ſe libellum & attonito ſuffodit inguina. Plinius lib.3.Epiſt. ad Nepot. Eadem apud Claudium vxori Scriboniani, cum illa profiteretur indicium, Ego,inquit,te audiam,cuius in gremio Scribonianus occiſus eſt?Vnde fit,vt pro,confiteri indicia,profiteri legendum videatur in l.3. §.item is cuius.D. ad leg. Corn.de ſicar.

PROFESSVS,id eſt,confeſſus.l.fi.§.quoties. D. de iudic.

Professio argentariorum dicitur,ſed & aliorum omnium vitæ generum.l.6.§.Prætor.D.de edendo.l.26.in fi.C.de epiſc.& cler.

Profeſſio,ad interrogata reſpõſio.l.non nudis. C.de probationib.

Profeſſio,ſponſio.c.j.de ſumm. Trinitat.in 6.& hoc ſenſu eſt duplex,quædam regularis, quæ fit ſcriptura.c.fi.20.q.fi.ſed rectè probatio dicitur:probantur enim qui cœnobiticum viuendi genus deligunt, idque anno exacto.

Professores optimi iuſtitiæ,& rei publicæ miniſtri eſſe debent,Conſtit.D.2.§.vlt.Nunc ſunt pernicioſiſſimi altercationum auctores. Profeſſoris boni officium eſt,curare vt ius ciuile in melius,hoc eſt,in maiorem ſemper vtilitatem hominum honeſtam producatur:vt eleganter dicit Pomponius.l.2.§.poſt originem.D.de orig.iur.

Profeſſorum nomine neque medicos, neque Philoſophos,neque Iuriſperitos contineri traditur.l.j.cum ſequen. D.de var.& extraordin.cognitio.rubr.de profeſſ.& medic.lib.10.

Profligare tributa Græci ἀπαιτεῖν vertunt.l. iudices.C.de annonis & trib.id eſt exigere,imponere.Iudices, inquiunt Impp.quos circa profliganda ærarij noſtri compendia negligentes ac deſides fuiſſe conſtiterit. Eodem ſenſu.l.vlt.C.vectigalia noua inſtitui non poſſe ſi prouincialium noſtrorum querela, inquit Conſt. C.de conductorum auiditate extiterit,& probatũ fuerit vltra antiquam conſuetudinem, & noſtræ terminos iuſſionis aliquid eos profligaſſe.

Profugium,actus ipſe transfugiendi ad hoſtes: itáque accipitur.l.non omnes.§.qui captus. D.de re mil. Pro transfuga haberi eum qui in profugio captus eſt. ita enim legendum oſtendunt Græci,qui habent ἐν τῇ βαρβάρων γῇ, id eſt in hoſtico. Cuiacius Obſer.libr.6.c.27.

Profluens aqua,vide Aqua profluens.

Progenervm appellat anus neptis ſuæ virum: ait Feſtus.

Progener,vide Socer magnus,& Proſocrus.

Prognatvs,natus,apud Iuſt.§.2.Inſtit.de hæred.quæ ab inteſt.def.

Programma,πρόγραμμα, proſcriptio, ſcriptura publico in loco, vt ab omnibus legi poſſit, propoſita. quemadmodum edicta proponebantur, aut principum reſcripta:vt l.3.C.de leg.& conſtit.princ.Itaque proprie quæ Græci προγράμματα,eadem Latini Edicta appellant.ſic ſumitur hæc dictio tit.C.Commun.epiſt. pro grammata,ſubſcriptiones,&c.

Prohedri,dicebantur quaſi Præſides, Magiſtratus quidam primi ſubſellij, quibus cæteri omnes ſedendi loco cedebant. G.Budæus in Annota.ad tit.de offic. præfe.prætor.

Prohibet vti,frui,qui vi deiicit vtentem & fruẽtem, aut non admittit eum,cum de fundo exiſſet non vſuſfructus deferẽdi cauſſa.l.3.§.vti frui.D.de vi & vi arm. Prohibet ædificare,qui prohibet eam materiam conuehi,quæ ædificationi neceſſaria ſit:aut qui operi neceſſarios venire prohibet.l.j.§.pen.D.de mort.infer.

Prohibetur poſſidere,qui & in ſolo ædificare prohibetur. l.pen.§.j.D.de acq.poſſeſſ.

Prohiberi quis intelligitur, quo minus faciat, ſi quolibet actu prohibentis,id eſt dicentis ſe prohibere, vel manum opponentis, lapillúmve iactantis prohibendi gratia id faciat.l.19.§.j.D.quod vi,aut clam.

contra Prohibitionem iuris,quot modis dicatur, ponit Dinus in c.qui contra.de regul.iur.lib.6.

Prohibitoria interdicta ſunt quibus Prætor vetat quid fieri.l.j.& l.2.D.de interdict.§.prohibitoria.de interd.Inſtit.

Proiiciendi ſeruitus,ius eſt, extra tectum meniana proiiciendi,&,vt Theophilus.§.æquè.Inſtit.de actionibus, interpretatur, δίκαιον τοῦ ὑπεκτείνειν ἐξώστην κατὰ τοῦ μεσαύλου.l.j.& l.2.D.de ſerui.vrb.l.pen.D.ſi menſ.fal.mod.Sic.l.80.D.de contrah.empt. Quæ ex meis ædibus in tuas ædes proiecta ſunt,vt ea mihi ita habere liceat.Aliud autem eſt Immittere, aliud Proiicere, vt conſtat ex l.5.§.meminiſſe.D.de noui oper.nunc.& paulo poſt dicemus.

Proiectvm,& protectum, partes ſunt domus propenſiores,vnde nobis aſpectus patet in vicos & plateas,à proiiciendo & protegendo dictæ. Nam protegere,eſt tectum proiicere:quod fit,quando tigna extra columnas ſeu parietes extenduntur, vt meniana vel podia penſilia faciamus:quo genere ſtructuræ, ædificia in ſuperioribus partibus ampliora reddi ſolẽt.Huius rei inuentor Menius traditur, vt alibi diximus, à quo meniana, omnes ædificiorum proiecturæ generaliter dicuntur.l.ſeruitutes.§.j.D.de ſeruitutib. vrbanorum prædiorum. Itaque Lexicon Latino Græcum Proiecta interpretatur, tecta ἀνατεταμμένα, ἀνάτασιν ἔχοντα ἐπ' οἰκίαις.Proiectum tectum etiam dixit Cic.in Topic.Proiectum autem & immiſſum hoc differunt, ait Iauolenus,quod proiectum eſt id, quod ita proueheretur, vt nuſquam requieſceret:qualia meniana & ſuggrundæ ſunt.Immiſſum autem, quod ita fieret, vt aliquo loco requieſceret:veluti tigna & trabes quæ immitterentur.l.242.§.j.D.de verb.ſignific.Græci l.j. D.de ſeruit.vrb.præd.Proiecta ſiue meniana, ſolaria interpretantur.

Proletarivs in duodecim tabulis pro inope & nullis facultatibus prædito ſumitur. Aſſiduo, inquit lex,vindex aſſiduus eſto.proletario ciui quiuis volet, vindex eſto.nam qui in plebe Roma.tenuiſſimi pauperrimíque erant,neque amplius quàm mille quingentum æris in cenſum deferebant,Proletarij appellati ſunt.qui verò nullo aut perquàm paruo ære cenſebantur,Capite cenſi vocabantur.Gellius lib.16.c.10. qui etiam Proletarios dictos ſcribit à munere officióque prolis edendæ:quod cum re familiari parua minus poſſent Rempub.iuuare,ſobolis tamen gignendæ copia ciuitatem frequentarent.

Prolytæ,προλύται dicebantur,qui quatuor annorum ſpacio in legum ſtudiis decurſo,quintum & poſtremũ adiiciebãt.Imperator in præfat.ad Anteceſſ.§.6.Quibus,inquit, ſi benè ſeſe imbuerint, & in quinti anni quo prolytæ nuncupantur, metas, conſtitutionum, &c.Heſychius προλυθέντας interpretatur, παρειμένους, παραλελυμένους,vt ij ſint,qui ab illa præſcripta & præfinita ſtudiorum lege ſunt ſoluti,& tanquam emeritis ſtipendiis honeſtam à magiſtrorum ſcholis miſſionem impetrarunt,vnde hodie quoque licentiati appellantur.vide Lytæ.

Promatertera, proauiæ ſoror.l.j.de grad.& adfi.

Promercivm dicitur ea ratione qua commercium, éſtque mercimonium, quodcunque vendundi cauſſa ſeponitur.Paul.l.4.§.j.D.de pen.legat.Si quis ſolitus fructus ſuos vendere, penum legauerit: non omnia quæ & promercij cauſſa habuit legaſſe videtur. Sic apud Vlp.l.41.§.4.D.de legat.

Promercales res dicuntur, quæ vt diuendantur pluris,fuerunt emptæ,vel quas præter vſu.ſuos paterfamilias habet venales.Paul.l.quod ſi de impenſ.in res dot.Quod ſi res,ait, in quibus impenſæ factæ ſunt, fuerint promercales:tales impenſæ non voluptariæ, ſed vtiles ſunt. Igitur vocabulum dictio vniuerſalis non eſt, cum illa tantum Promercalia nuncupentur, quæ reſeruatis his, quæ ad vſum annum & proprium pertinent,tanquam ſuperantia,ex mobilibus paterfamilias vendit.Rhodig.in fi.c.10.lib.28.ait,Promercale

in vænalium ratione dici, quod extra domeſticum vſum redundans vænui proponitur.

PROMISCVÆ conditiones, & non promiſcuæ, vide CONDITIO.

PROMITTERE facere ſecurum ad ſenſum prudentis, quid ſignificet hæc formula not. in l. ſi mandato Titij. §. fin. D. de mand. Promittere rem habere licere, & promittere non mouere, vel facere controuerſiam, paria ſunt, per l. ſtipulatio iſta. in princ. & §. ſi quis forte. D. de verb. oblig.

PROMISSVM à dicto quid differat, vide DICTVM.

PROMISSIONIS verbum, & ad nudam promiſſionem ſiue pollicitationem, & ad ſponſionem refertur. l. 19. §. j. D. de ædil. edict. l. 123. D. de verb. oblig. Plane ſi ſcriptum in inſtrumento fuerit aliquem promiſiſſe, perinde habetur atque ſi interrogatione præcedente reſponſum ſit. §. ſi ſcriptum. Inſtitut. de inutilib. ſtipul. l. ſciendum. D. de verb. oblig. vt meritò quærat Bart. an verbum Promittere ſit commune ad ſtipulationem. vide apud eundem. d. l. ſciendum, & illic Alex. Imola.

Promiſſionem deſertam appellat Vlpian. cui non ſit ſatisfactum, puta iudicio ſiſti cauſſa. l. ſed & ſi quis. §. quæſitum eſt. D. ſi quis cautionibus. Vnde Paul. in l. ſi duo. §. j. pœnam deſertionis vocat.

PROMPTVARIVM, cella eſt, in quam reponũtur edulia, quæ ad vſus quotidianos comparata ſunt: in hoc à penu diſtans, in quod quæ longioris vſus ſunt condũtur. Paul. de pen. l. nam quod. Si cui quæ in promptuario ſunt, legata ſunt. Hinc Promus, diſpenſator.

PROMVLGATÆ leges recte olim in ærarium agebantur, ac diligenter cuſtodiebantur. Primùm, ne periret exemplar: deinde ne quis forte fraudem corrumpendo admittere poſſet. Qua ratione moti Romani, leges duodecim Tabularum in æs inciſas, repoſuerunt in ærarium, vt Tranquill. ſcribit in vita Iulij. Hinc ſumitur mos in ciuitatibus, nec certe repudiandus, quòd ſtatuta ſua in publicam cuſtodiam reponant. Veruntamen meminiſſe oportet: ne cuſtodiãtur ſolùm Leges, ſed vt obſeruentur etiam. Ipſa literarum monumenta recludi debent in ærarium: at obſeruatio palàm circumferri debet per totam Rempublicam.

PROMVLSIDARIA vaſa, dicuntur Vlpian. in quibus promulſis, id eſt, condimentum ex mulſo confectum ponitur. l. 19. §. 3. D. de aur. arg. Et ideo, inquit, ſcutellas promulſidaria contineri.

PROMVTVVM dicitur à noſtris, pro Repræſentata pecunia, & prærogata, ſiue prænumerata, & quæ in anteceſſum datur: quod Gallice dicimus, *Auance*. Vlpia. l. ex conducto. 15. §. item. D. locat. Cum quidam naue amiſſa, pecuniam quam promutuam acceperat, repoſceretur, reſponſum eſt meritò vecturam ab eo repeti, cum munere vehendi functus non ſit. Scæuola. l. Sticho. 40. §. 3. de ſtatu lib. Quod neque à conductoribus prædiorum, neque à villicis penſiones exegerit, & inſuper etiam promutuum eis dederit. Græci Promutuum exponunt πρόχρειαν hoc in loco: vt in l. ex conducto. §. item cum quidam. D. loca. promutua, ἐν προχρείᾳ. nam in Harmenopulo corrupte ἐν προχαρείᾳ. Theod. Hermopolites ad l. j. C. de ſentent. quæ pro eo quod int. καὶ ἐν προχρείᾳ τὸ μίσθωμα τῶ τοιούτων χρόνων συλλαβὼν τοῦτο. Cæſar lib. 3. de bello ciuili: Publicanis, vti in ſorte fecerant inſequentis anni vectigal promutuo.

PRONVBVS anulus dicitur, quo ſponſæ digitum vir oppignerare conſueuit.

PRONVRVS, nepotis vxor. l. non facile. §. nomina verò. D. de gradibus.

PRONVNCIARE proprie dicimur, quod viua voce, & memoriter proferimus: ſicut Recitare, quod ex ſcripto. Statuere verò dicitur etiam, qui generaliter aliquid conſtituit, vt cum Lex in vniuerſum ſancitur. Hincque eſt, quod leges municipales vulgò ſtatuta appellentur. Vide Alciat. in Comment. de verb. ſig.

Pronunciare, quod eſt in XII. Tab. idem eſt, quòd lingua nuncupare, id eſt, nominatim, palam, aperte ac diſerte proferre. Vlp. ex edicto in l. j. D. de ædil. edict. Eadémque omnia, cum ea mancipia venibunt, palàm recte pronuncianto. Item, Ea omnia in venditione pronuncianto. Idem in l. 31. eiuſdem titul. Si venditor pronunciauerit, vel promiſerit furem non eſſe, tenetur ex ſua promiſſione, &c. Cicer. lib. de Offic. III. Itaque Cato ita pronunciauit: Cum in vendendo eam rem ſciſſet, & non pronunciaſſet, emptori damnum præſtari oportere. Eodem in ſignificato Latini auctores pronunciandi verbo vtuntur pro palam aliquid pollicitum & promiſſum ſignificantes. Sic Pronunciare nũmos apud Sueton. in Iulio. c. 19. Pronunciare epulum, in eiuſdem vita. c. 25. & Pronunciare donatiuum militibus in Galba. c. 16. Et Pronunciare teſſeras, in Domitiano. c. 4. in fi. Pronunciare præmia militibus, apud Liuium lib. 2.

Pronunciare præterea ſententiam ferre ſignificat. l. 59. §. j. l. 60. D. de re iud. l. 37. D. de aur. & arg. Inde Pronunciatus hæres, patronus, libertus, filius, qui talis iudicatus, & per ſentẽtiam declaratus eſt l. 9. §. j. D. de in ius voc. l. 8. D. de his quæ vt indig. l. 8. C. de ſent. & interloc. l. 11. D. de adminiſtr. tutor. l. 29. in fin. D. de libr. caut. Hinc:

PRONVNTIATVM, inquit Vlpian. l. 49. de verb. ſig. & ſtatutum idem poteſt. Promiſcue enim & pronuntiaſſe & ſtatuiſſe eos dicimus qui ius habent cognoſcendi.

Pronuntiare etiam in ſcena actores dicuntur. l. j. D. de his qui not. infam. Plin. lib. 7. c. 40. Luceia mima centum annis in ſcena pronuntiauit. Sueto. in Calig. c. 54. Vt ne publicis quidem ſpectaculis temperaret, quominus & tragœdo pronuntianti concineret.

PROPAGARI arbitria, hoc eſt, in alios transferri, prohibetur rectiſſimè. l. non diſtinguemus. D. de recept. arbitr. Propagari, extendi. l. præſes. C. de ſeruit.

PROPATRVVS, proamita, id eſt, proaui frater & ſoror: ait Gaius. l. j. §. j. D. de grad. & adfin.

PROPE EST VT, genus eſt loquendi pudorem affirmantis, & modeſtiam ſignificans: & licet dubitationis ſpeciem habeat, adfirmat tamen & definit. Papin. l. 95. §. 9. D. de ſol. Si creditor à debitore petens culpa ſua cauſſa ceciderit, propè eſt vt actione mandati nihil à mandatore cõſequi poſſit. Idem l. 41. D. de mort. cauſſ. donat. Et quod ab alio nomine ipſius eo præſente datur, propè eſt vt ab ipſo datum intelligatur. Arrius. l. 5. §. 6. D. de re mil. Si bonus miles antea æſtimatus fuit, prope eſt vt affirmationi eius credatur. Idem, Propè affirmarem ei credi oportere. Dicunt etiam Iuriſconſulti Propius eſt, pro magis eſt l. j. 140. D. de verb. obli. l. 18. D. de in rem verſ. Vtuntur & in eodem ſenſu voce Propemodum. l. 6. D. vt in poſſ. leg. l. 113. D. de verb. obl. l. 88. D. de verb. ſign.

Prope an denotet temporis interuallum, & quantum ponit N. Neapolita. l. non tantum. alias οὐ μόνον. D. de excuſ. tut.

Prope dicitur locus, qui miliari diſtat. l. ſuus quoque. §. puto. D. de hæred. inſtit.

Prope finem trienij, formula qui intelligẽda, not. l. properandum. §. & hæc quidem. C. de iudic.

PROPIVS ſobrino vel propior, ſeu proprior ſobrinus, vel propior ſobrino, mihi eſt conſobrini mei filius, & cõſobrinæ meæ filia, & patris mei conſobrinus, & matris meæ conſobrinus. Feſtus.

Propior ſobrino, propior ſobrina ſunt, inquit Caius, patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ

magnæ filius filia.l.j.D.de grad.& adfin.hoc eſt, infert Vlpia.patris eius cuius de cognatione quæritur, conſobrinus conſobrina, ſiue frater patruelis.

Propius ſobrinis.Paul.l.10.§.9.D.de gradib.Perſonæ quas enumerauimus à patrui magni filio, ei de cuius cognatione quæritur, propius ſobrinis vocantur. nam, vt Maſſurius ait, quem quis appellat propiorem ſobrino, qui eſt patris matriſve conſobrinus aut conſobrina, ab eo conſobrini conſobrinæve filius filia nominatur. Et paulo pòſt: His omnibus quod à patrui nepote propoſuimus, is de cuius cognatione quæritur, propius ſobrino eſt: nam patris vel matris eorum conſobrinus eſt.

PROPINQVI, pro cognatis, præciſè dicuntur, pro, Sanguine vel genere propinqui. Vnde:

PROPINQVITAS, pro cognatione, in l. j. C. de imp. lucr. deſcript. & l.2.C.quand.& quib.quart.

ΠΡΟΠΗΛΑΚΙΖΕΣΘΑΙ apud Demoſthenem in l.16. §.4.D.de pœn. affici contumelia. ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους αὐτῶν, ἀήθεις ὄντας τοῦ προπηλακίζεσθαι. Hæc mouent, inquit, hæc de ſtatu mentis homines deiiciũt contumeliæ non aſſuetos.

Προπετῶς.l.13.D.de iureiurand.hoc eſt, inconſulto calore. Sunt qui interpretentur, perperam.

PROPOLA prima correpta, προπώλης Græcis eſt, ait Pollux, idem qui infrà Proxeneta, venditioniſque conciliator, Senecæ Pararius dictus. Alias propola prima producta dicitur is qui primus merces vendit, quas in portu primus anticipat: &, vt ait Perſius, primus tollit piper à ſitiente camelo, vt prior vendat; quod manifeſtò innuit Lucillius:

Sicuti cum ficus primus propola recentes
Attulit, & precio ingenti dat primitu' paucos.

Hinc apud Cicer. in Piſonem. Vinum de propola, & de cupa. Vbi tamen Turn. Aduerſ. lib. j.c.j. Propala legi vult. Propalam exponens, qui merces propalam, velut ante palum, aut de palo pendentes habet, & vendit. Quod ſuperius dixi magis probatur Ioſ. Scaligero in ſuis annot. in Culicem Virgilianam. & veteres Gloſſæ videntur aſſentiri, qui Propulam exponunt πωλία corrupte enim legitur πόλις.

PROPONI dicebantur, quæ vt oculis ciuium adparerent, proponebantur. Hinc Proponi actiones, quoniam in albo ſcriptas, & in edicto Prætor in publicum edebat. l.j.C.de interdict.

PROPORTIO geometrica, cuius ſummus in iure ciuili vſus eſt, ita deſcribi poteſt, vt ſit, variarum quantitatum inter ſe comparatio: quæ (vt Ariſtot. libr. Ethic.5. ſcribit) minimum in quatuor poſita eſt. veluti, Ponatur in a. gemma pretioſiſſima: in b. ſilex. tum ducatur altera linea; & in c. ponantur mille aurei: in d. obolus. poſt ſumatur illa ratio, vt eſt a. ad b. ſic c. ad d. Tum enim illa comparatio ſequetur. Si vt a. eſt ad b. ita c. ad d. neceſſario a. eſt ad c. ſicut b. ad d. poſtremo vt eſt totum ad totum, ita altera pars totius ad alterã alterius: veluti vt eſt a.c. ad b.d. ita & a. ad b. & c. ad d. Plura vide in Hotom. comment. in l. ſi ita ſcriptum.13.D. de lib. & poſthum.

PROPRÆTORES & PROCONSVLES qui fuerint ſic exponit Hotomanus in Verrinarum commẽtariis: Cùm antiquitùs auctis imperij finibus prætores crearentur, qui in prouincias ſummo cum imperio mitterentur (de quibus apud Liuium frequens eſt mentio) inſtitutum tantum fuit, vt qui Romæ conſulatum aut præturam geſſiſſent, ij anno inſequenti in prouincias eodem cum ſummo imperio mitterentur, quæ idcirco conſulares, & prætoriæ vocabantur: quarum illæ biennium obtinebantur, hæ annum vnum: vt teſtis eſt Cicero in prima Philippica. Qui verò ex conſulatu prouinciam obtinebant, Proconſules ſiue proconſule: qui ex prætura, Proprætores ſiue proprætore dicebantur. De proconſulibus quidem nemini dubium id eſſe arbitramur: de proprætoribus verò, quoniam dubitare nonnullos animaduertimus, teſtimoniis confirmandum videtur. Cicer. lib. de Diuinat.2. Bellicam rem adminiſtrari maiores noſtri niſi auſpicatò noluerunt. quàm multi ſunt anni, cùm bella à proprætoribus & proconſulibus adminiſtrãtur, qui auſpicia nõ habent? Quin igitur Gabinius, qui ex conſulatu Syriam obtinuit, proconſul: quin Verres, qui ex prætura Siciliam, proprætor dici poſſet, dubitaturum neminem exiſtimamus. At enim prætor hic perpetuò nominatur. Ita eſt, ſed aut præturam magiſtratum eſſe annuum negemus, aut per abuſionem id dici fateamur neceſſe eſt. Repugnat enim præturã Verris eſſe annuam, & Verrem prætorio imperio, tum Romæ, tum in Sicilia, quadriennium præfuiſſe. Ac ne cui mirum videatur, verbũ prætoris pro proprætoris vſurpari, locum ex Verrina. 4. ſubſcribemus, in quo & Conſul pro proconſul, & prætor pro proprætore, perſpicuè vſurpatur. Cum id quod omnes intelligebant diceret Heraclius, legẽ eſſe Rupiliam, quã prætor Rupilius ex s.c. decem legatorum ſententia dediſſet, hoc omnes ſemper in Sicilia conſules prætoréſque ſeruaſſe, &c. Sententiam noſtrã nunc ita perſpicuè confirmabimus, vt quod amplius dubitetur nihil futurum ſit. Cælius ad Ciceronem ſcribens lib. Epiſtol.8. ſic ait, Itémque ſenatui placere, in Ciliciam prouinciã inque.8. reliquas prouincias, quas prætorij pro prætore obtinerẽt, eos qui prætores fuerunt, neque in prouincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex Senatuſconſulto cum imperio in prouincias pro prætore mitti oporteret, eos ſortitò in prouincias mitti placere: & quæ ſequũtur. Videmus, opinor, apertè nunc, eos ipſos qui prætorij erãt, prætorio imperio in prouincias mitti moris fuiſſe. In quo tamen illud intelligendum eſt, tametſi more id inſtitutóque fieret, vt qui ex prætura conſulatúve exirent, in prouincias proprætorio proconſularíve imperio mitterentur, eóque hi magiſtratus eſſent ordinarij: nonnunquam tamen extra ordinem, tum proprætores, tum proconſules mitti conſueuiſſe: quorum imperium extraordinarium appellabatur. Velut in his duobus de quibus modò commemoratum eſt, Cneo Pompeio, & Lucio Gellio: quorum vterque cum conſul antea nunquam fuiſſet, pro Conſule tamen in prouinciam eſt miſſus. Nam de Pompeio quidem apertè id Cicero vndecima Philippica teſtatur: cuius verba paulo antea deſcripſimus, quod eodem modo intelligendum eſt in iis, qui cùm Conſules quidem fuiſſent, non tamen ſtatim ex Conſulatu in prouinciam proficiſcebantur: quemadmodum Ciceroni vſuuenit, qui quia nouem poſt conſulatum annis in Ciliciam proconſul profectus eſt, propterea extraordinarium ſuum imperium appellat in Epiſtola nona libri ad Atticum quinti: Faciam, inquit, vt ſumma modeſtia & ſumma abſtinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Atque hæc quidem de Procõſulum imperio extraordinario. A quo proprætorum extraordinarium imperium nihil omnino differre, hinc intelligi poteſt, quòd Cicero Philippica ſecunda imperium à ſenatu in ſuam ſentẽtiam. C. Cæſari adoleſcenti, neque vllo vnquam magiſtratu functo, delatum vt proprætor eſſet, extraordinarium appellat. At enim, ait, Caio Cæſari adoleſcenti imperium extraordinarium mea ſententia dedi. Significat autem Senatuſconſultum quod in oratione quinta perſcriptum eſt. Eiuſdem modi fuit Cnei Piſonis imperium, de quo Salluſtius in coniuratione Catilinæ ſic ſcribit: Poſtea Piſo in citeriorem Hiſpaniam

niam Quæſtor pro prætore miſſus eſt, adnitēte Craſſo, & cætera. Non igitur aut Proconſulum aut Proprætorum perpetuò extraordinarium imperium fuit, quemadmodum placere quibuſdam video: ſed tum demum, cùm in prouinciam aut ante Conſulatum, Præturámve, aut non ſtatim ex Conſulatu præturáve cum imperio mitterentur. Hæc cùm ita ſe haberent, illud tamen minimè ſilentio prætermittendum videtur: quoniam prætoris vocabulo veteres pro eo qui exercitui præeſſet vtebantur (quemadmodum ex Aſconio notum eſt) eos qui duces exercitus Vicarij relicti eſſent (quos Locumtenentes generales vulgò nominamus) Proprætore etiam appellari conſueuiſſe: quod vel ex eo intelligi licebit, quia Salluſtius in bello Iugurthino ſcribit, Albinum Conſulem ad Comitia profectum, Aulum fratrem in caſtris pro prætore reliquiſſe: quem paucis pòſt verſibus legatum appellat. & in eodem Caium Marium in expeditionem profectum, Lucium Syllam Quæſtorem ſuum in caſtris proprætore reliquiſſe. Valerius autem Maximus libr. 2. c. De diſciplina militari: Lucius, inquit, Martius Tribunus militum cum reliquias duorum exercituum Publij & Cnei Scipionum, quos arma Punica in Hiſpania abſumpſerant, diſperſas mira virtute collegiſſet, eorúmque ſuffragiis dux eſſet creatus, ſenatui de rebus actis à ſe ſcribens, in hunc modum orſus eſt: L. MARTIVS Proprætor, cuius honoris vſurpatione vti eum Patribus conſcriptis non placuit, quia duces à populo, non à militibus ſolerent creari. Hæc Valerius. De proconſulum autem & proprætorum ordinario imperio lubet Appiani verba ex libro Syriaco ſubſcribere: καὶ στρατηγοὺς, inquit, ἐπὶ τῇ στρατιᾷ περιέπεμπον, οὓς αὐτοὶ καλοῦσιν ἑξαπελέκεας, ὅτι τῶν ὑπάτων δυώδεκα πελέκεσι καὶ δυώδεκα ῥάβδοις, ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς, χρωμένων, τὸ ἥμισυ τῆς ἀξιώσεως ἐστὶ τοῖς δὲ στρατηγοῖς, καὶ τὰ ἡμίσεια παράσημα. Quæ nos cùm Appianum Latinum faceremus, ſic conuertimus: Imperatores cum exercitu miſerunt, quos ipſi ſex ſecurium magiſtratus (id eſt Proconſules aut Prætores) vocant. Nam cùm vtantur Conſules duodecim ſecuribus, totidémque faſcibus, quemadmodum priſci Reges: dimidium autem poteſtatis illorum magiſtratus iſti habeant, inſignium etiam partem duntaxat habent dimidiam. Atque hæc quidem vſque ad Auguſti imperium ita ſe quemadmodum diximus habuerunt. Hic verò prouincias ita diuiſit, vt aliæ Cæſaris, aliæ Populi dicerentur. Cæſaris quæ validiores erant, & quas annuis (vt Suetonius ſcribit) magiſtratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat. Has igitur ipſe ſuſcepit, in eáſque Rectores mittere inſtituit, viros (vt ait Strabo) tum Conſulares, tum prætorios, tum etiam equites. quos & ille generali nomine Διοικητὰς, & Iuriſconſulti in Pandectis Præſides appellant. Nomen (inquit Macer) Præſidis generale eſt, eo quòd & Procōſules & legati Cæſaris & omnes prouincias regentes, licet Senatores ſint, Præſides appellantur. Vbi tamen, SENATORES NON SINT, cum negatione legendum videtur: vt Equites ſignificet, de quibus hoc ipſum Strabo teſtatur. Populi autem qui prouinciis præerant, Proconſules (vt ait Suetonius) dicebantur. Vnde caput in lib. Pandectarum primo De officio proconſulis: quod ad populi prouinciarum ſolos rectores pertinet. Nam etſi populus in ſuas prouincias στρατηγοὺς ἢ ὑπάτους (vt Strabo appellat) id eſt Prætores & Cōſules (quibus nominibus abuſus eſt pro Proprætores & Proconſules, vt continuò pòſt demonſtrat) tamen vtroſque Proconſulum nomine appellari ſolitos, & Suetonius teſtatur, & ex Pandectarum libris facilè intellectu eſt. cùm ſcilicet extraordinarium eſſet eo tempore propè omnium in prouinciis imperium, eóque generali nomine (vt paulo antè moris fuiſſe oſtendimus) rectores omnes appellarentur. Nam vt in eiuſdem imperatoris vita Suetonius ſcribit, Auguſtus auctor ſenatui fuit, ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in prouincias mitterentur: & vt cura ærarij à Quæſtoribus vrbanis ad Prætorios Prætoréſve tranſiret. Atque hæc quidem de primis temporibus dicta ſint. De poſtremi verò temporis ratione pauca hæc ex Dionis libro quinquageſimotertio à nobis conuerſa, hunc in locum adſcribemus. Cæſar cùm appetendi regni ſuſpicionem omnem ab ſeſe remouere conſtituiſſet, decem ſibi annorum imperium ſuas prouincias ſumpſit. hoc enim temporis ſpacio pacatas ſe illas redditurum recepit. Simúlque iuueniliter exultans, hoc addidit quo celerius ſedatæ & quietæ eſſe poſſent, eo ſe maturius illas depoſiturum. Atque eo primùm tempore ſenatores & in ſuas & in ſenatus prouincias cum imperio miſit: præter Ægyptum, quam ſolam equiti Rom. iis de cauſſis quas ſuperius expoſuimus, attribuit. Pòſt deinde hæc conſtituit: Vt eorum præfecturæ eſſent annuæ, ſortéque legerentur, niſi ſi quis vel propter liberorum multitudinē, vel propter vxorem ductam ius aliquod præcipuum ac ſingulare haberet: Vt ex s. c. mitterentur, & neque gladiis accincti, neque habitu militari eſſent: Vt proconſules dicerentur non modò illi duo, qui Conſulatu eſſent functi, ſed etiam cæteri viri prætorij, quíve pro prætore mitterentur: Vt tot lictores vtriſque darentur, quot habere in vrbe legibus licebat: Vt imperij inſignia quamprimum pomœrio egreſſi eſſent, acciperent: eáque vſque dum ex prouincia decederent, perpetuò retinerent. Reliquos verò à ſe deligi, ſuóſque legatos, etſi Conſulatum geſſiſſent, tamen Proprætores nominari voluit. duo nanque hæc nomina valde floruerunt tum, cùm penes populum imperium eſſet. Is enim iam inde à primis temporibus Prætoris nomen, tanquam rei militari maximè conueniens, attribuit iis quos delegiſſet, & Proprætores eos appellauit; reliquos autē quaſi vocabulo ad pacem magis accommodato, è nomine Conſulum Proconſules appellauit. Hæc enim nomina Prætoris & Conſulis in Italia retinuit qui verò extra Italiam erant, quaſi horum locum obtineret, præfectos omnes appellauit. Effecit igitur, vt quos ipſe deligeret, non Proprætores ſolùm dicerentur verumetiam & plures annos cum imperio eſſent, & habitu militari vterentur, & gladium, animaduertendíque in milites poteſtatem haberēt. Siquidem nulli neque proconſuli, neque proprætori, neque præfecto ius gladij geſtandi permittebatur, quin ſimul eadem animaduertendi in milites poteſtas legibus concederetur. neque verò ſenatoribus tantùm, verùm etiam equitibus Romanis, qui eam poteſtatem habent, ius illud permittitur. Atque hæc quidem ita ſe habēt. Iam verò lictoribus ſex omnes vtuntur proprætores, & quicunque Conſulares non ſunt: ex eóque lictorum numero nomen inuenerunt, vt ἑξαπελέκεις dicerentur. Imperij etiam inſignia, poſtquam in prouincias ſuas peruenerunt, vtrique accipiunt: eáque vnà cum imperio deponunt. Hoc eodem modo leges etiam iubent, ex Prætoriis & Conſularibus viris præſides in Senatus Imperatoríſque prouincias mitti; quos Imperator & quæ in loca volebat, & quo tempore volebat, mittere conſueuerat. ita multi non modo Prætores, verumetiam Conſules prouinciis præfuerunt. id quod hodiéque nonnunquam fieri conſueuit. Senatus autem & ſeorſim quidem Conſularibus Africam atque Aſiam conceſſit: & Prætoriis reliquas omnes diſtribuit. Omnibus autem æquabiliter interdixit, ne quis quinquennio antè, quàm magiſtratum in vrbe geſſiſ-

ſet, prouincias ſortiretur. Sic temporis progreſſu, licet maior eorum qui ſortiebantur, quam prouinciarum numerus eſſet, tamen ad imperium omnes perueniebant. Poſteà cùm malè nõnulli magiſtratus geſſiſſent, illæ quoque prouinciæ Imperatori adiectæ ſunt, ſic vt eas ipſe quodammodo diſtribueret: cùm tot ſortiri iuberet, quod eſſent prouinciæ. Alij autem Imperatores etiam à ſe delectos in prouincias miſerunt, iiſque annos complures imperium prorogarunt. Alij verò equitibus ſenatorum loco prouincias mandarunt. quo ferè tempore hæc legibus conſtituta ſunt de ſenatoribus, qui ius necis in eos qui imperio ſuo ſubiecti eſſent, haberent. Mittuntur enim etiam quibus ius illud non permittitur in eas prouincias quæ populi & Senatus eſſe dicuntur, & proquæſtores quos ſors dederit, &c. aſſeſſores eorum qui cum imperio ſunt. Hoc enim nomine rectè illos, ſi officium illorum ſpectemus, appellabimus: cùm alij legatos etiam illos appellent. Sed de nomine ſuperius ſatis dictum eſt. Hos igitur aſſeſſores ſibi quique deligunt, vnum quidem prætorij ex ſui aut inferioris ordinis hominibus: tres verò Conſulares, ex eiuſdem dignitatis viris, quos ipſe Imperator probauerit. Quanquam hæc ratio innouata eſt. Sed quia breui interiit, ſatis erit ſuo loco indicare. De prouinciis igitur populi hæc ita ſe habent. Mittuntur verò & in alias prouincias, quæ Imperatoris dicuntur, ab eo ipſo præſides pluribus legionibus inſtructi: plurimùm ex prætoriis, interdum ex iis qui quæſturam, aut alium magiſtratum intermedium geſſerunt. Hæc ex Dione.

PROPRIVM, ſuum cuiuſque dicitur (vt N. Marcellus exemplis confirmat) quod non eſt cum aliis commune: & quamuis quod commune eſt, noſtrum dicere vſurpemus, non tamen quod commune eſt, dicere valemus proprium. Plus quidem eſt proprium, quàm meum, vel noſtrum. Illud excludit communionem, hoc admittit. Cicero libr. 7. epiſt. ad Curium: Cuius quando te eſſe proprium ſcribis mancipio & nexu, meum autem vſu fructu, contentus iſto ſum. id enim cuiuſque eſt proprium, quod quiſque fruitur ac vtitur. Horatius:

Si proprium eſt quod quis libra mercatur & ære.

Proprium & ſuum æquipollere, Albericus refert in dictione, Suum.

Propria cauſſa quæ ſit, quæri ſolet in tempore appellationum, quod in propria cauſſa anguſtiùs & breuiùs, in aliena laxiùs datur. Et placuit propriam eſſe cauſſam, cuius emolumentum vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet. l. j. §. in propria. D. quando app. ſit. Itaque ſi procurator quis in rem ſuam datus ſit, eius propria cauſſa dicetur. Sed & quicunque ſua intereſſe dicit, propriam cauſſam defendere intelligitur. l. 2. §. j. & §. vlt. D. quando appell. ſit.

PROPRIVM, ſiue PROPRIETAS dicitur, quod aliis locis paſſim Allodium: propterea quod eius proprietas ſolida penes dominum eſt, neque alteri eius vſuſfructus eſt conſtitutus. lib. Feud. 2. tit. 17. & tit. 29. & tit. 43. Iuriſconſulti modo Proprietatem ſolidam, modo Proprietatem cum vſufructu, modo vſumfructũ proprietati mixtum appellant. l. 4, D. ſi vſuſf. pet. l. 4. D. de vſuf. accreſc. Sic leg. Franc. lib. j. c. 126. Vt vnuſquiſque de ſuo beneficio ſuam familiam nutricare faciat, & de ſua proprietate propriam familiam nutriat: & ſi, Deo dante, ſuper ſe, & ſuper familiam ſuam, aut in beneficio, aut in alode annonam habuerit, &c. Et libr. 4. c. 51. Itémque in Capitular. Carol. Audiuimus quòd aliqui reddant beneficium noſtrum ad alios homines in proprietatem, & in ipſo placito dato pretio comparãt ipſas res iterum ſibi in Alode, &c.

PROPRIE, pro ſpecialiter. l. 2. in princ. D. de vaca. mu. l. 2. D. de admi. re. ad ciui. perti. Cic. libr. 5. Epiſt. ad Atticum: Cui, ait, depoſcenti mea mandata cætera vniuerſa mandauit. Illud propriè, ne pateretur quantum in ipſo eſſet prorogari nobis prouincias, &c. Et Propriã pro ſpeciali dixit Paulus. l. 21. in fin. D. ad munic.

PROPRIETAS vocabulum eſt à Iuriſconſultis diſtinguendorum definiendorúmque dominiorum cauſſa confictum. nam dominij nomine ſolidum dominium ferè intelligitur: id eſt, in quo vſuſfructus ineſt. vnde vſuſfructus pars dominij appellatur. l. 3. D. de vſufr. cum igitur dominium vſufructu deminutum ſignificare vellent, Proprietatem dixerunt. vt patet ex c. de vſufruct. locis innumeris, in quibus vſuſfructus proprietati opponitur. Itaque Neratius in l. 13. D. de acqui. rer. domin. cum dominium dixiſſet, & illud quod vſuſfructus expers eſt ſignificaret, continuò proprietatis nomine hoc interpretatus eſt. Si procurator rem mihi emerit ex mandato meo, eíque ſit tradita meo nomine, dominium mihi, id eſt proprietas acquiritur, etiam ignoranti. poſtea tamen cum ſuo more ſubtiliter omnia perſequerẽtur, vti Proprietatis vocabulo non contenti, Proprietatem nudam dixerunt, quæ vſufructu deminuta eſt: plenam verò, quæ vſumfructum in ſe haberet. Papinianus. l. 2. D. quibus mod. vſuſfruct. amitt. Si duobus ſeparatim alternis annis vſuſfructus relinquatur, continuis annis proprietas nuda eſt: cum ſi legatarium vnum ſubſtituas, cui alternis annis legatus ſit vſuſfructus, plena ſit apud hæredem proprietas eo tempore quo ius fruendi legatario non eſt.

Proprietatem Gaius appellat id quod eſt dominium directum, in l. fi. de ſuperfi. Habet nanque ſuperficiarius & vſumfructum, & proprietatem, ſubaudi, ipſius dominij vtilis: Directum verò dominium non habet. & vide Albericum in hac dictione.

PROPRIETARIVS proprietatis dominus, Vlpian. de dolo. in l. & elegãter. §. ſi ſeruum. Si ſeruum vſuarium, ait, proprietarius occiderit, legis Aquiliæ actioni, & ad exhibendum id accedit, ſi poſſidens proprietarius occidit.

PROQVIRITATA verbum antiquum XII. Tab. quo ſignificabatur promulgata: quo vſus Sid. Apollinaris libr. 8. Epiſto. ad Nammatium: Per ipſum fere tempus vt decemuiraliter loquar, lex de præſcriptione tricennij (ſic enim legendum) fuerat proquiritata. Quiritare porrò in veterum libris eſt fidem Quiritium inuocare.

PRORETA, πρωρέτης, πρωρεὺς, qui proram regit: vt Gubernator puppim. Plautus in Rud.

Si tu proreta iſti naui es, ego gubernator ero.

Paulus. l. 11. §. 2. D. de public. Quòd ſi abſente domino id à magiſtro, vel gubernatore, aut proreta, nautáve aliquo factum ſit, &c. Xenoph. ἀναβασ. 5. χαλεπαίνει μὲν πρωρεὺς τοῖς ἐν πρώρᾳ, χαλεπαίνει δὲ κυβερνήτης τοῖς ἐν πρύμνῃ. Id eſt Succenſet proreta iis qui in prora ſunt: ſuccenſet gubernator iis qui in puppi.

PROROGARE, propriè eſt populi rogati lege ac iuſſu proferre atque producere: vt Prorogare magiſtratũ, aut prouinciam. Hinc:

Prorogari vulgò dicitur quod producitur. Vlp. l. 2. §. 3. D. de iudic. Si & iudex ad tempus datus, & omnes litigatores conſentiant, niſi ſpecialiter principali iuſſione prorogatio fuerit inhibita, poſſunt tempora intra quæ iuſſus eſt litem dirimere, prorogari. Sic. l. 24. D. locat. l. 19. & l. 30. De legat. j.

Prorogare, ante diẽ erogare, repræſentare, vel poſtulare, Vlpia. l. 53. D. de pact. Sumptus quidem prorogare, litiganti honeſtum eſt: paciſci autem vt non quantitas eo nomine expenſa cum vſuris licitis reſtituatur, ſed pars dimidia

dimidia eius quod ex ea lite datum erit, nõ licet: id eſt, Honeſtum eſt litigatori pecuniam ad futuros ſumptus litis neceſſariam procuratori vel aduocato ſuo numerare. Hinc apud Vlpianum in l.4. D.de manum. pro præſentem pecuniam ſoluere. Proinde, inquit, ſiue ex peculio quod ad venditorem pertinet, ſiue ex aduentitio lucro, ſiue etiam amici beneficio, vel liberalitate, vel prorogante eo, vel repromittente, &c. Vlpia. l. ſed addes.19.§.ſi quis.6.D.locat. nam inter eum qui per errorem ſoluit, & eum qui penſionem integram prorogauit, multum intereſt.

PROROGATIO apud interpretes fori mutatio. hæc fit de tempore, loco, ad tempus, locum alios modos recenſuit Coraſius l.j.D.de iudic. ex Iaſo.

ΠΡΟΣ ἔπος, ad propoſitum. Vlp.l.11.§.4. D.de interrog. Quòd autem ait Prætor, Omnino non reſpondiſſe: poſteriores ſic exceperunt, vt omnino non reſpondiſſe videatur, qui ad interrogatum non reſpondit, id eſt, πρὸς ἔπος. Hæc ille. Hinc, οὐδὲν πρὸς ἔπος, nihil ad propoſitum. nam, vt ait Heſychius, ἔπος ῥῆμα, λόγος φωνή. Lucian. in Philopſeude, οὐδὲν πρὸς ἔπος ταῦτα φασὶν, οὐδὲ περὶ τούτων ἠρόμην. Hæc nihil ad propoſitum, vt aiunt: neque de his percontabar. Sunt tamen qui Nihil aduerſum interpretentur, & originem locutionis longius exquirant. Cicero pro Flacco ſic extulit: Nunquam nobis ad rogatum reſpondet, ſemper accuſatori plus quàm ad rogatum.

PROSCENIVM, locus ante ſcenam: vt ſcribit Diomedes, in eo pulpitum erat, quo hiſtriones prodibant. Paulus l.8.D.de pollicit. Probè faciet Statius Rufinus ſi opus proſcenij, quod ſe Gabinis extructurum promiſit, perficiat. Vide Paraſcenium.

PROSCRIBERE, eſt publicè fixo libello aliquid edicere & denunciare, l.11.§.j.D.de inſtit. l.4. C.de diſt. pig. l.34.§.vlti.D.de ſtatu lib. nam, vt ait Vlpia. Proſcribere palam, ſic accipimus, claris literis, vnde de plano rectè legi poſſit. l.11.§.2. D.de inſtit. act. Hinc,

Proſcribi bona dicuntur, cum fixis publicè libellis, venditio eorum bonorum in diem certam edicitur, ac ſignificatur. Hinc,

PROSCRIPTI, quorum nomina palam in foro ſcripta extabant, vt ad necem quęrerentur: & præmio percuſſori, & ſupplicio occultatori propoſito. Appianus ſcribit L. Syllam harum proſcriptionum Principem atq; inuentorem fuiſſe. indéque eſt Lex Cornelia, quę proſcriptum iuuari vetabat: Verrin.111. ſeu potius Valeria, vt in libello legum R. docet Hot. Hinc, Proſcriptorum bona, ſub Rub.C.de bonis proſcript. ſeu damnat. Et Proſcriptionis ſtylum incurrere, l.7.& l.9.eod.

Proſcribere venale inter ſenes coemptionales, apud Cic. li.7. Fam. epiſt.29. quid ſit vide apud Turneb. li.1.ca.32.

PROSCRIPTIO dicitur damnatio, à ſcribendi cæremonia, quam Vlpianus explicat, de priuata interdictione loquens, in l. ſed & ſi pupillus. §. proſcribere. D.de inſtito. actio. Dicimus enim Latinè, Proſcribere in exilium. pro relegare: proſcribere ad cenſuram, pro publicare, perſonam, & bona: quoniam nomina condemnatorum claris literis ante locum frequentiorem ſolent ſcribi, & declarari in eam pœnam. Eſt & Proſcriptio de futura auctione, quæ propoſitis libellis, in celeberrimis locis fiebat, vt ait Cicero pro Quintio: Theophilus, ἐν τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῆς πόλεως μέρεσι.

Proſcriptio, quæ ſucceſſit deportationi, bannum ſeu excommunicatio imperialis dicitur: cuius meminit Fridericus 1. in Conſtit. de ſtatu. & conſuet. §. item nulla poteſtas.

PROSECVTORIS dicitur qui quæ tranſmittuntur, publico nomine ac mãdatu proſequitur. Vnde Proſecutores reorum, l. ſolent. D.de cuſt. reor. qui reos tranſmiſſos deducunt. Et Proſecutores auri publici, ſub rub.C.de auri pub. proſecut. qui aurum fiſci rationibus illatum, dum tranſmittitur, proſequuntur. Item Proſecutores publicarum functionum, l.9. C.de curſ. pub. qui non ſine perſecutoria, id eſt præcepto comitis largitionum conſtituebantur. Proſecutores equorum, l.j.C.de tractor. & ſtat. Deniq; Proſecutores frumentorum, apud Caſſiodorum lib.4.

PROSECVTORIA, l.j.C.de auri pub. profec.

PROSOCRVS mihi vxoris meæ auia eſt, ego illius ſum progener, ait Modeſt. in l.4.§.4.D.de grad. & affi.

PROSPECTVS & luminis ſeruitus ſic differunt: quòd in proſpectu plus quis habet, ne quid ei officiatur ad gratiorem proſpectum & liberum. In luminibus autem, ne lumina cuiuſquam obſcuriora fiant. Item Proſpectus etiam ex inferioribus locis eſt: lumen ex inferiore loco eſſe non poteſt, l.15. & l.16. D.de ſeruit. vrb.

PROSTATES, modò præſidem, adiutorémve in bello, aut vicarium, aut defenſorẽ ſignificat, in lib. poſte. C. modò, vt ait Sudas, ſacrificulum altaribus præſidẽtem.

PROSTASIA, vide Protoſtaſiæ.

PROSTITVTÆ vicem ſuſtinere Vlpianus eleganter dixit, pro ea, quæ palàm ſui corporis poteſtatem facit, in l. palàm. de ritu nup.

ΠΡΩΤΑ, τὰ πρῶτα Iuſtinianus appellat primam Pandectarum partem, à principio adusque tractatum De iudiciis. Ipſe ad Anteceſſ. In reliquam verò, inquit, anni partem, primam legũ partem eis tradi ſancimus, quæ Græco vocabulo πρῶτα nuncupatur, qua nihil eſt anterius: quia quod primũ eſt, aliud ante ſe habere non poteſt. Idem De confir. digeſt.§.2. Igitur prima quidem pars totius contextus, quæ Gæco vocabulo πρῶτα nuncupatur, in quatuor libros ſe poſita eſt.

PROTEGERE, l.j.& 2.D.de ſeruit. vrb. præd. Hinc,

PROTECTVM, Iuriſcoſ. l.29. in prin. D. ad legem Aquil. Si protectum meum, inquit, quod ſupra domum tuam, & nullo iure habebã, reſcidiſſes, poſſe me tecum damni iniuria agere, Proculus ſcribit. Eſt autem protectũ, locus in domibus ſurrectus, vnde ſpectare licet, à protegendo, id eſt, porrò tegendo, ſiue tectum proiiciendo: id enim Ciceroni in Topicis Protegere eſt: vel ſic: Protecta ſunt quæ habentur in ædibus, tranſeundi vel ſpatiandi gratia. πάροδοι vocantur, vel διαβάσεις, & baſternæ, vt exponunt Græci ad l.1.D.de ſeru. vrb. præd.

PROTECTORES, tit. Cod. de domeſt. & protect. lib.12. ij erant, qui armatam militiam ſubeuntes, non ſolum defendendi corporis ſui, verumetiam protegendi lateris noſtri ſolicitudinem patiuntur, vnde etiam Protectores dicti ſunt, vt ait l.9. C. Theodoſ. eodem, Hi ſunt igitur in acie. Domeſtici autem familiarius militabant, & ideo ſunt domeſtici protectores, l.8. C.Th. eod. Ex iis autem fuere alij equites, alij pedites, l. vlti. C.eod. l. reſtituendæ. C. de adu. diuerſ. iud. Caſſiod. 1. Var. Domeſtici partis equitum & peditum, qui noſtrę aulæ videntur iugiter excubare. ideóque erant alij comites domeſticorum equitum, alij comites domeſticorum peditum, viri illuſtres, à quibus hi regebantur.

PROTELARE litem, pro protrahere. l. properandum. §. fin autam. C. de iudiciis.

PROTESTATIO, eſt animi noſtri declaratio, iuris acquirendi, vel conſeruandi, vel damnum depellendi cauſſa facta: ſiue animi agentis expreſſio, c. conſulti. de regul. l. ſi duo. §. cum inquilinus. D. vti poſſi. Teſtatio nomen generale eſt, quoquo modo animi ſui ſententiam quis declaret. Specialiter verò eo nomine dicitur, quę coram teſtibus facta eſt. Deteſtatio eſt, quæ ad abſentem mittitur: id quod præpoſitio de, oſtendit, cuius natura eſt augere, efficacioremque actũ demonſtrare. Conteſtatio verò, propriè plurium eſt: vt in iudiciis, cùm actor, quid mentis ſuæ ſit, petendo explicat, contrà reus diffitetur. Vnde & Litis cõteſtatio di-

citur. Denunciatio eſt,quæ ad alium mittitur. Renunciatio,cùm quis ius ſuum repudiat. Alciat. in l.deteſtatio.de verb.ſignif.

Proteſtationum materiā ſi quis videre velit, videat Bart. in l.non ſolum.§.morte. D.de nou.ope.nunt.

Πρόθυρον in Nouella Leonis 56.pars & ſequela eſt ædium. l.arbor.§.de veſtibulo. comm.diuid. veſtibulum ante ianuas,vel quicquid eſt ante in ianuis ædium. At in l.pen.D.de verb.ſignif.vel l.quæſitum.§.Pap. D.de inſtr. vel inſtr.leg.idem eſt quod Græcis diathyrum, vt puta velamen,quo aditus ædium obtenditur, quod inſtrumento ædium continetur. Cuiac.in Obſer.Vitruuius autem lib.6.c.10.Prothyra,inquit,Græcè dicūtur, quæ ſunt ante in ianuis veſtibula.nos autem appellemus πρόθυρα,quæ Græcè dicuntur διάθυρα.Significare videtur ea repagula,quæ curribus ab ædium aditu arcēdis ante fores trāſuerſaria duobus arrectariis imponūtur.

Προθύρειον κλεῖδος,vide Locarium.

Προτίμησις,id eſt Prælatio,ſeu prærogatiua:Hinc Ius προτιμήσεως,Friderici conſtitutione inſtitutum, quo abalienatos fundos, certis perſonis redimere permittitur. Atque ſic definitur ab Hotom.in Diſputatione de feudis:Ius prælationis,quæ agnato propter eiuſdē ſtirpis, atque adeo fibræ rationem defertur.nam in prærogatiua non tantum ſtirpium, verumetiam fibrarū ratio ducitur. Alias Feudiſtæ prioritatem graduū appellant, cum in feudi ſucceſſione agnatus propinquior remotiori antefertur:ſed id falſo, vt ibidē oſtendit Hotom. nō enim agnationis, ſed genealogiæ figura feudalitiæ diſputationis propria eſt: in qua genealogia non tres limites deſcribendi ſunt, inferior, ſuperior, & obliquus:ſed(vt apud Canoniſtas, qui Feudiſtarum conſanguinei fuerunt)inferior duntaxat; modò ſit multiplex, ab illo vno pendens, qui primus feudi de cuius hæreditate quæritur, poſſeſſor fuit, arg.lib.2.tit.31.idē dicendum eſt de lib.2.tit.50. vbi ſpecies hæc proponitur; Sempronius de feudo nouo inueſtitus eſt, Is quatuor ſuſcepit filios, primum, ſecundum, tertium, & quartum.Horū ſinguli filios & nepotes procreant, Cum prius ex hæreditatis diuiſione feudum ad primum perueniſſet,curſus ac ſucceſſio erit huiuſmodi, vt à primi perſona in ipſius filium ac nepotem, ac deinceps deuoluatur. vbi verò ea ſtirps virilis deficiet,tum ad cæteros tres filios, eorúmve nepotes aut pronepotes ex æquis partibus in ſtirpes, nō in capita diuiſis transferetur:ac demum omnibus virilis ſexus deficientibus,ad patronum eiúſve liberos reuertetur, Vide Retractus.

Protocollum,πρωτόκολλον,Nouella 44. dicitur codex, quem tabelliones ſuo nomine inſignitum domi habere atq; aſſeruare iubentur,vt in eum priuatorum hominum teſtationes,hoc eſt contractus,teſtamenta, cæteráque inſtrumenta referant, quæ poſtea diligentius exſcripta iis ad quos ea pertinebunt tradant. Cōpoſitum nomen ex prima colla, qua glutinari codices ſolebāt. Cuiacius tamen eo in loco Protocolla appellari dicit,breuem adnotationem, quæ declarabat,ſub quo Comite largitionum(ſub eius cura erant chartariæ)& quo tempore & à quo præparatæ fuiſſent chartæ:vt hodie chartæ habent notam aliquam ex qua dignoſcitur qui eas præparauerit. Atque ita malè à noſtris hæc dictio vſurpatur,

Πρωτοπραξία, Vide Plin.epiſt.lib.10.ep.109.

Protostasiæ, πρωτοστασίαι, l.8.C.de mun.patrim.& l.3.C.de filiisfa. & quemad.pa. id eſt principalitates, quas & πρωτοτυπίας vocant l.3.C.Th.de priuil.eor. qui in ſacr.pal.mil.l.2. C.Th.de protoſtaſ. Inde Principales πεντάπρωτοι, δεκάπρωτοι, εἰκοσάπρωτοι, quæ ſunt munera patrimonialia, quoniam eorū periculo exactiones & diſtributiones cenſuum fiunt.l.j.l.3.§. decaprotos.D.de mun.& hon.l.7.C.Th.de tyron.

Protospatarius officium fuit in Conſtantinopolitana aula,cui qui præerant, iudicādi munere fungebantur. Huius meminit Conſtantinus Harmenop. libro 1.non ſemel,& Luitprandus lib.3.de reb.per.Europ.geſt.c.7.& Notitia Græca, & Paulus Vuarnefridus appendicis ad Eutropium lib.vlt.& Zonaras tom. 3.Annal.in Romani Argyropyli imperio.

Pro tribunali, hoc eſt, iudice ſedente cognoſcit ordinarius,nō autē delegatus iudex.not.in l.qui tribunali.D.de re iud.Itē pro tribunali cognoſcere,eſt ſeruato iuris ordine,& non de plano ius reddere,vt ſatis Marcelli verba indicāt in l.j.§.abolitio.ad S.C.Turpil.

Proventus,reditus,l.vſufructus.§.j.D.de vſufr.

Proverbium,probatum verbum, ſed eſt commune omniū verbū. Prouerbia iuris inſtar habent, l.ſolent. D.de offic.Procōſ. Prout leges præcipiunt, l.preſbyteri.C.de epiſc.& cler.id eſt, ſecundum legis præceptū.

Providere legibus,cauere ſignificat.

Prouidentia,id eſt,prudentia futura prouidendi, propriè ad iudicem pertinet,vt not.in l.cùm ſatis.§.caueat.C. de agric.& cenſ.lib.11.ſed & ad legiſlatorem,arg.l.j.in princ.D.de legit.tut.

Provisio latè patet: continere enim poteſt nominationem,poſtulationem & collationem. gloſſ.in Clemen.fin.de elect. quam diligenter perluſtres velim ocellis:quia citat textus qui hoc probant.

Provinciæ quaſi procul victæ, in quas mittebantur proconſules ius dicturi. Prouinciæ autē nomen tribus modis populus Romanus accepit: vno, pro regione,quam aut armis deuictam, aut quocunque modo in poteſtatem adductam,ipſe magiſtratui ſuo adminiſtrandam ſubiecit:altero,pro quacunque regione, in qua publico nomine bellum Romanus imperator adminiſtrarit:tertio,pro quacunq; publici muneris procuratione.Nos autem de prouinciis locuturi, prouinciam prima,& quidē propria ſignificatione ſumemus. Quocirca,ſi certā prouinciæ, breuémque definitionē quæramus,ſanè,vt Latium regionem iure Latij donatam,& Italiam regionem iure Italico affectā dicebamus; ſic prouinciam definiemus, regionem, quæ ius prouinciale conſecuta ſit. Etenim ius ipſum ſingulis regionibus à populo Romano cōceſſum, illud eſt potiſſimum,quo regio à regione diſtinguitur. Ius autem prouinciale, quod alio nomine Formula prouinciæ nuncupatur,vt etiam ius Latij,atque Italicū,ex legibus percuſſi cum populo Romano fœderis emanauit. Itaque,vt fœderis leges æquiores,iniquioréſq; fuerūt, ſic diuerſa,quemadmodū alibi diximus, fœderum genera intulerunt. Quoniam autem leges, quæ prouinciis datæ ſunt,iniquiores fuerunt, quàm quæ Latio, atque Italiæ,propterea prouinciæ ius etiam deterius, quàm Latium, atque Italia, ſunt adeptæ.Nam Italia vectigalis facta eſt illa quidem,ſed tamen in vniuerſum libertate donata. prouinciæ verò non ſolum vectigalibus, ſed etiam ſeruitute mulctatæ ſunt.quippe quæ legibus ſuis, ac magiſtratibus ius dicentibus ſpoliatæ ſint. Id vero argumēto eſt,quòd prouincia nulla fuit,quæ non Romanum prætorem,ac quæſtorem habuerit:illū,qui ius diceret:hunc, qui vectigalia procuraret. Vnde ſcite ſcriptum illud eſt apud Strabonem, vniuerſæ regionis, quæ Romanis pareret, vnam regibus ſubiectam fuiſſe,alterā ab ipſis poſſeſſam,in eámque prouinciam dictā,prætores cum quæſtoribus miſſos. Ex quo intelligi poteſt,vniuerſam prouinciæ rationē fuiſſe, vt vectigalis eſſet,ac populi Romani magiſtratui obediret. Quoniam autem vnius regionis populi, ac ciuitates non eodem modo ſe aduerſus populū Romanū geſſerant omnes,propterea neq; eodē omnes pacto tractatæ ſunt,verū pro ſuis cuiuſque meritis leges acceperunt.

perunt. Quo factum eſt, vt aliæ ciuitates vectigales, aliæ immunes relictæ, aliæ ſeruitute, aliæ libertate affectæ ſint. Vectigales dictæ, quibus vectigal aliquod impoſitum eſt: immunes, quibus nullum. Seruitute affectæ, quas magiſtratui Romano parere voluerunt: libertate, quas magiſtratus Romani iuriſdictione ſoluerunt. Vectigal porrò ipſum aut certũ fuit, aut incertum. certum definita ferè ſtipendij ſumma: & hoc tributum, ſiue ſtipendium: & qui hoc pependerũt, tributarij, ſiue ſtipendiarij nominati ſunt: incertum, quod portubus, rebúſque venalibus, paſcuis, agriſque conſtitutum eſt, quod portorium, ſcriptura, & decuma dictum eſt. Tributum autem duplex fuit, vnum pecuniæ ordinarium, quod in caput, atque in ſolum impoſitum quotãnis exigebatur: alterum extraordinarium, quod aut ex lege, aut ex ſenatuſconſulto pro vſu prouinciæ aliquando imperabatur. veluti cum naues, nautas, milites, ac ſumptum in eos dare prouinciæ iubebantur. Portorium autẽ fuit vectigal, quod ex importatione, & exportatione rerum venaliũ capiebatur: ſcriptura, quod ex paſtione paſcuorum publicorum: decuma, quod ex agris, qui frumenti decumam, ſiue quamuis aliam partem, darent. Frumenti vero, quod ex prouinciis extrahebatur, tria genera extiterunt, decumanum, emptum, & æſtimatum. decumanum erat decuma, quã quiſq; arator ſine pretio dare cogebatur. quæ ſumma pro copia, inopiáve frumenti in ſingulos annos erat incerta. eáque aut Romæ à cenſoribus, aut in prouincia à magiſtratu Romano vendebatur publicanis, qui ex eo decumani dicebantur, vt pro ea certam pecuniã populo Romano repræſentarent. Emptum ſumma altera, quam aratores vendere accepto ex ſenatus conſulto pretio cogebantur. quod frumẽtum Romam ad alendum populum à magiſtratu Romano mittebatur. Aeſtimatum ſumma alia, quam æſtimabat magiſtratus in cellam ſuam in vſum familiæ ſuæ, cum interdũ pro frumento pecuniam acciperet. Quin etiam emptum duplex fuit, vnum decumanum, quod ex alteris item decumis pretio perſoluto aliquando accipiebatur, alterum imperatum, quod præter duas decumas æqualiter omnibus ciuitatibus pretio item ſoluto imperabatur. quemadmodum perſpicue ex frumẽtaria Ciceronis, & Aſconiana Diuinationis expoſitione cognoſcitur. Nam fuiſſe etiam quoddam, quod honorarium diceretur, Cicero in Piſonem oſtendit, cum dixit: *Qui modus tibi fuit frumenti æſtimati, qui honorarij? ſi quidem poteſt ui, & metu extortum, honorariũ nominari.* Seruitus autẽ, quam diximus, ciuitatum, tota in ea poſita fuit, vt legibus, & magiſtratibus Romanis obtemperarent. Qua de cauſſa in ſingulis prouinciis diuerſæ diœceſes, ſiue diuerſi cõuentus, ac diuerſa fora cõſtituebantur, eiſq; ſuæ cuique ciuitates attribuebãtur, quæ eò iuris à magiſtratu Romano poſcendi cauſſa cõuenirent. Vt autem earum ciuitatum, quæ ſeruitute oppreſſæ ſunt, ſtipendiariæ proprie dictæ, quæ aliquid populo Romano pependerunt: immunes, quæ nihil: ſic earum quæ libertate donatæ ſunt, fœderatæ præcipue appellatæ, quæ aliquid ex fœdere debuerunt: liberæ, quæ omnino nihil. Quorum nominum, quarúmq; conditionũ omnium, quæ ratio, quæque formula fuerit ex ſingulis, quæ cuique ciuitati datæ ſunt, legibus, conſtat. Huius autem totius beneficij, atque honoris arbitrium ab initio penes ſenatum fuit vniuerſum. Is enim acceptis ab imperatore de ſuperatis hoſtibus, & regione in poteſtatem adducta literis, ſecum de mulcta, ac præmiis eorum, qui victi eſſent, conſultauit, ac quid ſibi fieri placeret, imperatorem admonuit, decem, aut quinque legatis ſenatoribus ad eum miſſis, vt ex eorũ ſentẽtia de hoſtibus, & eorum regione ſtatueret. Quibus mandatis acceptis imperator aut ex certa ſenatus, ſi ita præſcriptum fuerat, voluntate: aut de cõmuni decem legatorum ſentẽtia victis gentibus aut ignouit, aut in prouinciæ formam redegit. Ignouiſſe dictus eſt, cũ liberas reliquit, ac ſuis vti legibus, ſuóſque creare more patrio magiſtratus permiſit: in prouinciæ formã redigere, cũ ademptis, aut immutatis legibus, eos omnino magiſtratui Romano quotannis ab vrbe mittendo ſubiecit, ac vectigalia, conuentúſque conſtituit. Quo in genere illud humanitatis adhibuit, vt non omnes eiuſdem prouinciæ ciuitates eodem modo tractaret, verum pro cuiuſque meritis, aut maioribus aut minoribus, vt diximus, commodis, ac detrimentis afficeret. Quæ vero cum de vniuerſa regione, tum de ſingulis ciuitatibus, populiſque conſtituta erant, ea in cõcione ſilentio ante per præconem facto imperator ferè præconi pronuncianda mandabat, ac poſtremo Romam relicto aliquo præfecto prouinciæ decedebat. Atque hæc quidem omnia ita eſſe, ex iis, quæ de ſingulis prouinciis dicit Sigonius lib. de antiq. iure Prouinc. intelligetur. Ex his autem perſpicuum illud eſt, prouinciã, vt propoſui, Diuus, regionem fuiſſe, quæ tum vectigalia populo Romano pependit, tum magiſtratui populi Romani ex fœderis lege obtemperauit: exceptis ciuitatibus iis, quæ propter merita ſua aut immunitate, aut libertate donatæ eſſent, ac propterea ius prouinciale, quo magiſtratui Romano parere coacti ſunt, multo, quàm aut Italicum, aut Latinum, incommodius, ac deterius fuiſſe.

Prouinciarum duplex diuiſio eſt, nam ſtante Republ. aliæ Conſulares, aliæ Prætoriæ fuerunt: Imperio conſtituto aliæ populi R. aliæ Cæſaris factæ ſunt. Prouinciæ Conſulares erant, quæ ab iis qui in vrbe Conſulatum geſſerant, conſulari imperio obtinebantur. vnde etiam Proconſule, & Proconſules dicebantur. Prouinciæ Prætoriæ, quas qui Prætores in vrbe proximo anno fuerant, prætorio imperio obtinebant: vnde Proprætore, & Proprætores appellabantur. Neque enim certæ erant prouinciæ, in quas ſemper viri Conſulares, & aliæ in quas ſemper Prætorij mitterentur? ſed ex magiſtratuum qui eas obtinebant nomine, nomen ſumebant. Atque hæc quidem nota propè omnibus, atque à multis tradita ſunt. Illud verò quod ex Orat. Ciceronis De prouinciis conſul. animaduertit Hotom haud ſcio an ab vllo adhuc traditum ſit. Vtraſque prouincias in Senatus quidem poteſtate fuiſſe, ſed longè diſſimilem illius poteſtatis rationem in illis decernendis fuiſſe. nam lege Sempronia vtræque à Senatu decernebantur: ſed Conſulares & Conſulibus anno proximo futuris ante comitia mandabantur, vt eas poſt menſes demũ ſeptemdecim obtinerent: & in Senatus poteſtate ſic erant, vt Tribunipl. intercedere decretis quæ de iis Senatus fecerat, non poſſent: & in incertum tempus, quandiu ſcilicet Senatus non alios ſummitteret, obtinerentur. Prætoriæ verò Prætoribus anni præſentis mandabantur, vt eas proximis Kalendis Ianuarij, depoſita Prætura ſtatim obtinerent. in populi autẽ poteſtate idcirco erant, quia Tribuni pl. decreto à Senatu de iis facto intercedere poterant: & annuo tantum imperio obtinebantur. Quinetiam de Senatus poteſtate hoc animaduertit, ius fuiſſe Senatui, quæ prouinciæ Conſulares erant, eas Prætorias facere: hoc eſt, anni præſentis Prætoribus mandare: qua mutatione ſimul eæ prouinciæ è poteſtate Senatus in populi poteſtatem tranſibant. Prouinciarum altera diuiſio, Republica (vt ſuperius diximus) ad vnũ tranſlata, facta eſt, de qua Strabonis verba in calce operis ſui hæc ſunt: Prouinciæ ſæpenumero aliter atque aliter diuiſæ ſunt: nunc autem ex Auguſti Cæſaris inſtituto ita ſunt partitæ. Nam cùm ei patria totius imperij ſummam permiſerit, pacique ac

belli

belli poteſtatem habeat, vniuerſum imperium bipartitò ſic diuiſit, vt partem ſibi ſumeret, eam ſcilicet, quæ militum præſidio indigeret:partem verò populo attribueret, eam quæ pacata eſt, & ſine armis facile retinetur.Complures igitur prouincias fecit, quarum aliæ Cæſaris,aliæ Populi appellantur.Ipſe in ſuas Prę-ſides cum Imperio mittit: Populus in ſuas Proconſules & Proprætores.Hæc Strabo:cui Suetonius in eius vita conſentiens, ita ſcribit: Prouincias validiores, & quas annuis magiſtratuum imperiis regi nec facile, nec tutum erat,ipſe ſuſcepit:cæteras Proconſulib.ſortitò permiſit: & tamen nonnullas commutauit interdum, atque ex vtroque genere pleraſque ſæpius adiit. Hæc ille:quibus conſentanea ſunt,quę tum apud Dionem lib.53. tum in Pandectarum lib.1.de Prouinciarum Rectoribus legimus, quorum qui Cæſaris erant, Pręſides:qui populi,Procõſules appellantur,l.j.& paſſ. D.de offic.præſ.& ſub Rubric.de officio Proconſulis.

in Prouinciæ formam redigere aliud olim nihil erat, niſi leges domeſticas adimere, & Romanas dare, ac Prætorem,qui quotannis prouinciam ex legibus datis adminiſtraret,inſtituere. Ex quo illud Suetonij de Gallia citeriore:Cæſarem Galliam omnem præter ſocios, ac bene meritas ciuitates, in prouinciæ formam redegiſſe, eíque in ſingulos annos ſtipendij nomen impoſuiſſe. Item illud Cæſaris lib.7.de bello Gall.in Oratione Critognati:Reſpicite finitimam Galliam,quæ in prouinciam redacta,iure & legibus commutatis,ſecuribus ſubiecta,perpetua premitur ſeruitute. Et paulo antè,de Commij ciuitate loquens: Pro quibus (Commij)meritis ciuitatem eius immunem eſſe iuſſerat,iura legéſque reddiderat.

Prouinciæ liberari dicebantur, cùm ſtatuebatur, vt ſuo iuri, ſuíſque legibus relinquerentur, neque Romani magiſtratus amplius in iis ius dicerent.

Prouinciæ hodie æquiparatur qualibet ciuitas, quæ merum imperium habet, ſuóſque ſibi magiſtratus conſtituit.Adi Bartol.in l.cùm in longi. C.de long.temp. præſcript.Verùm in iure põtificio Prouincia pro diœceſi accipitur.1.q.2.c.ſcitote.in qua 10.vel 11.ſunt ciuitates,quibus is qui dominatur,Rex dici poteſt.

PROVINCIALES eos accipere debemus, Vlpian. inquit, qui in prouincia domicilium habent: non eos duntaxat, qui ex prouincia oriundi ſunt,Similiter Italicos,qui in Italia domicilium habent, non ſolùm inde trahentes originem,l.prouinciales.C.de verb.ſign.

Prouinciales legati qui à prouinciis mittuntur, l.35.in fin. D.de iureiur.

PROVOCARE,vtplurimum ab inferiore iudice ad ſuperiorem prouocare. Interdum verò ad iudicem vocare ſignificat l.13.l.14. D.de in ius voc.l.12.in fin. D. comm.diuid.

PROVT iuris eſt, eodem fere ſenſu,l.2. C.de iis, qui latro.& ſignificat Alberico tempus vel qualitatem, l. edita.& ibidem Baldus.C.de edend.

PROXENETA Græcum verbum propriè interpretem ſignificat aut pararium,cuius ſcilicet beneficio aut interuentione inter duos negocia cõtrahuntur, vel nomina vel nuptiæ vel amicitiæ, vel iudici conſiliarius adiungitur.qua in opera dolum malum duntaxat debent præſtare:alioquin nulli rei obligantur, etiãſi proxeneticum ſeu philanthropum acceperint, l.2. D.de proxen.Plato lib.12.de legib.videtur velle,vt non minus quàm venditor euictionis nomine proxeneta teneatur.ſed hoc iure non vtimur. Proxeneta etiã Græcis προπώλης dicitur.Vide Propola.

PROXENETICVM,præmium eſt quod proxenetis debetur. Proxeneticis autem nullus certus modus datus eſt,niſi nuptialibus,ne ſcil.proxeneta nuptiarum plus viceſima parte dotis & donationis propter nuptias ſibi cauere poſſit.ita tamen vt ſi viceſima excedat 10.libras auri,10.tantum libras ſibi caueat. Atque id quidẽ conſtitutione Græca,quam ex Baſilicis refert Iac.Cuiacius Obſer.lib.11.cap.18.De his eſt rub.Cod.lib.5.De ſponſalibus & arris ſponſalitiis, & proxeneticis. Id præmium Græcos proprio nomine ἑρμηνευτικὸν appellaſſe teſtatur Vlpia.l.vlt.D.de proxen. quaſi interpretitium & pararium æs.

Proxeneticæ arræ,dona ſunt quæ ſponſum & ſpõſam inter ſe conciliant & iungunt: vide rub.lib.5. Cod.De ſponſalibus,& arris ſponſalitiis & proxeneticis.

PROXENETRIA dicitur conciliatrix nuptiarum, inquit, Alc.lib.j,Diſp.c.22.quæ & l.προμνήστρια, Ariſtoph. in Nubib.quoniã id munus ſoleret per fœminas fieri, quando ſcilicet arræ ſponſalitiæ deponũtur apud proxenetrias,Idémq; hoc vocabulũ reſtituendũ exiſtimat tit.C.de ſponſalibus & arris ſponſalitiis, & proxeneticis.vt pro, proxineticis, legatur proxenetriis: ſed quàm rectè viderint doctiores.

Πρόξενοι erant in oppidis Græciæ, quorum erant hoſpitio recipere ſenatores,legatos,magiſtratus, quiq; hoſpitio publico cum ciuitate coniungebantur. Hinc munus illorum προξενία dictum eſt: quod ſignificauit Cicero cum dixit:Oſtendit munus illud ſuum non eſſe: ſe, cum ſuæ partes eſſent hoſpitum recipiendorum, tum ipſos tamen prætores & conſules,non legatorum aſſeclas recipere ſolere.

PROXIMVS, verbum eſt ex iis quæ cum aliquo conferuntur,& is dicitur quem nemo antecedit, etiamſi ſolus ſit:quamuis propriè proximus ex pluribus dicatur.

Proximus agnatus dicitur,qui teſtatori ſic coniunctus eſt, vt eum nemo antecedat,l.92. D.de verb.ſignifi.l.2.§.3. D.de ſuis & legit.l.j.§.proximus. D.vnde cognat.Et ſi nullum teſtamẽtum factum eſt, proximus intelligitur qui morienti eſt proximus:ſi factum eſt, tum demum cùm deſtitutum eſſe teſtamentum conſtiterit, l.2.§.4. & 5.D.de ſuis & legit.Quamuis autem proximus propriè de pluribus dicatur, tamen quo magis valeat id quod actum eſt,Proximus accipitur non ſolũ qui ante aliquem eſt,ſed etiam is ante quem nemo eſt,quamuis ipſe ſolus ſit.l.ex duobus.34.D.de vulg.& pupi.l.proximus.92.l.in vulgari.162.l.proximi.155.D.de verb.ſignif.

Proximus pubertati dicitur, qui rei intellectum capere poteſt,l.excipiũtur.14.in fi.D.de ſen.Silania.§.in ſumma,Inſtit.De oblig.ex delict. Itaque capax dicitur & furandi,& iniuriæ faciendæ, l.pupillum.3.D.de regulis iur.l.23.& l.24.D.de fur. Proximus autem pubertati videtur eſſe is, qui à pubertate ſex menſium interuallo abeſt.Calliſtrat.l.non tantum.17.D.de excuſat.Nam ſi pupillorum ætas prope pubertatem ſit, ita vt tantũmodo ſemeſtre tempus reliquũ fuerit.&c. Quod cum ita ſit,videndum eſt,an Proximus infantiæ dici poſſit, qui ſex menſibus infantiam ſuperarit. ſed cùm Proximus infantiæ,vbi de illius agitur commodo, proximo pubertati cõparetur, nulla ratio eſt ita rem ad viuum reſecare.Itaque cõmodius, vt exiſtimat Hotom.eſſet, ſeptẽ annos qui inter infantiã & pubertatẽ interſunt, ſic diuidere,vt tres proximos & dimidiatum, Infantiæ proximitati:reliquos,pubertati attribueremus: & qui intra 10.annũ ac 6.mẽſes viueret,is proximus infantię: qui ſuperaſſet,pubertati vicinus iudicaretur. Sic accipit.l.j.D.de obli.& acti.§.pupillus.7.Inſt.De inutil.ſtip.

PROXIMI dicuntur iidem qui Propinqui: hoc eſt, qui cognatione inter ſe coniuncti ſunt in l.diuus. D.de offic.præſ. l.quamuis. C. de adult.l.j. C. de mul.quæ prop.ſer.Hinc,

PROXIMITAS,verbum eſt quo propriè cognatio, id eſt communio ſanguinis per muliebrem ſexum contracta,ſignificatur:vti patet ex tit.de ſucceſ.cogna.mul tis locis, ſed præſertim in fine,vbi Iuſtini.ait,agnationis

nis iure admitti aliquem etiam ex decimo gradu: proximitatis verò nomine, vſque ad ſextum gradum. Ratio autem eſt, quia in agnatorum ſucceſſionibus non proximitas, ſed agnatio ſpectatur. itaque qui agnatus erit gradu decimo, ei qui multo proximiore gradu cognatus erit, anteponetur. §. repetitis. & §. vlt. De ſeruil. cognat. Vlpia. l. 4. D. vnde cogn. Si ſpurius deceſſerit, iure conſanguinitatis aut agnationis hęreditas eius ad nullum pertinet: proximitatis autem nomine mater eius, aut frater eadem matre natus bonorum poſſeſſionem petere poteſt. Sic in l. 5. C. de legit. hæred. Interdum tamen Proximitatis verbum generaliter pro cognatione & propinquitate ſanguinis vſurpatur: vt l. j. & item prætor. D. de ſuis & legit. l. j. De iur. & fact. ign. l. capitis. l. ſpurius. D. vnd. cogn. l. j. C. ſecund. tabul.

PROXIMVM, vicinum, affine, & ſimile ſignificat: vt in l. 2. D. loca. & Inſtit. eod. tit. in princ. Locatio & conductio, aiunt Caius & Iuſtinia. proxima eſt venditioni, id eſt, vt interpretatur Theophilus, ἴσαι τῇ πράσει, Sic proximum ſacrilegio eſſe maieſtatis & ſepulchrorum violatorum crimen Vlpian. & Iulia. dicunt, in l. j. D. ad l. Iuliam maieſt. l. 5. C. de ſepulchr. viol. Sic furioſo proximum eſſe, Caius ait eum: qui eius ætatis eſt, vt nondum intelligat quid agatur. Sic enim non multum à furioſo abeſt. Sic in proximam empti in factũ actionem dari ait Paul. in l. 6. D. de reſcind. vend. id eſt, ſimilem, vt in l. 5. §. penult. D. de præſcript. verb. Et Proximam morti pœnam metalli, l. 28. D. de pœn. quæ ad eam proximè accedit, eique ſimilis eſt, cùm ſeruitutem infligat.

PROXIMI ſacrorum ſcriniorum in lib. Cod. 12. titu. 19. dici putantur, quaſi magiſtris ſcriniorum proximi, & æquè ſpectabiles ac magiſtri: hoc eſt, qui ſecundum ab iis locum ac dignitatem in principis ſcriniis obtinent: ſicut & Melloproximi, qui ſecundum gradum tenent. In ſcrinio diſpoſitionum non proximi, ſed comites diſpoſitionum appellati videntur, l. 4. C. eod. l. j. C. Th. qui à præb. tyr. & inde eodem Codice, De proximis, Comitibus diſpoſitionum ἀσυνδέτως. Et ratio hæc eſt, quia in ſcrinio diſpoſitionum nulli ſunt magiſtri: hæc autem duo, magiſter & proximus ſunt συνάορτα. Sunt & extra rationem ſcriniorum, admiſſionũ Proximi, de quibus Ammianus lib. 22. Inductis, inquit, per admiſſionum proximum, quoniam ſunt & admiſſionum magiſtri, l. j. C. 75. qui à præb. tyr. Hinc,

PROXIMATVS ſæpe ſub illa C. Rubr. dignitas proximorum, quam annuam fuiſſe ex l. 6. intelligitur.

PRVDENTES, id eſt, Iuriſconſulti, l. 7. D. de iuſtit. & iure l. 2. D. de orig. iur.

PRVDENTVM reſponſa, ſunt Iuriſconſultorum placita. Vide §. reſponſa. Inſti. de iur. nat. & Salomo. ibi.

PSALTERIVM pro cantico, non organo, apud I. Paulum libri 5. Senten. tit. 4. Pſalterium, inquit, quod vulgò dicitur canticum, in alterius infamiam compoſitum quod notandum.

PSEVDOMENOS, ψευδόμενος, captionis ſophiſtarum genus, à multis auctoribus notum, Latinè mentiens à Cicerone dicitur lib. De diuin. j. & eſt, cum quicquid conſtituitur verũ eſſe, ſtatim reperitur falſum: vel ſic ψευδόμενος λόγος eſt, cui vtrumuis reſpondeas, id eſt, ſiue aias, ſiue neges, id ſtatim falſum reperitur vti docet Africanus in l. 88. D. ad legem Falcid. vbi huius rei hoc exemplum affert: Si is qui c c c c. habet in bonis, c c c. legauerit, deinde Titio centum ſub conditione, Si legi Falcidiæ locus non eſſet, & quæratur, debeatur necne legatum quod Titio relictum eſt, ſiue dixeris deberi, ſequetur non deberi, quod legi Falcidiæ locus ſit: ſiue non deberi, ſequetur deberi, quod legi Falcidiæ locus non ſic, id eſt quod conditio legati extiterit. Pomponius quoque in l. 9. D. de verbor. oblig. eiuſdem modi ſponſionis formulam hanc profert, Tibi fundum dabo, niſi illi dedero: &, Illi dabo, niſi tibi dedero. Alia ſuppeditat exempla Gell. libr. 5. cap. 10. & lib. 9. cap. 16. Cuiacius in d. l. 88. Pſeudomeno cenſet eſſe nomen à mentiente primum in interrogationem adſumpto in hunc modum: An mentitur qui mentiri ſe dicit? cui ſi reſpondeas, mentiri, colligã ſtatim non mentiri, quòd verè dixerit ſe mentiri. Rurſus ſi reſpondeas nõ mentiri, colligam ſtatim mẽtiri, quod falſò dixerit ſe mentiri. Vſurpatur autem à multis hoc vocabulum, Cicero in Hortenſio: Tum Pſeudomenon & ſoritam, & totam dialecticam, aut illudis, aut increpas. Et in Lucullo: De ſorite aut Pſeudomeno, quas plagas ipſi contra ſe Stoici texuerunt. Auguſt. cõtra Acad. Inde Pſeudomeni & ſoritæ in illius cauſſæ patrocinio viguerunt. Hieronymus in Ruffinum: Soritarum gradus, Pſeudomeni argutias.

PTOCHIA, πτωχεῖα, domus alendis pauperibus deſtinata, idem quod πτωχοδοχεῖον, l. vlti. C. de ſacr. eccleſ.

PTOCHOTROPHIVM, πτωχοτροφεῖον, locus alendis pauperibus paratus. πτωχὸς enim pauper, & τρέφω alo ſignificat. Memoratur in l. illud. 16. l. ſancimus. 18. C. de ſacroſanctis eccleſ.

PVBEREM Caſſiani quidẽ eum eſſe dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id eſt, qui generare poteſt: Proculeij autem, eum qui quatuordecim annos expleuit. verùm Priſcus eum puberem eſſe, in quem vtrunque concurrit, & habitus corporis, & numerus annorum. Vlpianus cap. Inſtitu. 2.

Puberes fœminæ quidem à 12. anno intelliguntur, maſculi 14. l. fi. C. quando tut. eſſe deſi. & Inſtit. quibus mod. tut. fin. Conſtant. lib. 1. Epito. tit. 12. Secundúmq; hanc differentiam pubes ætas accipienda eſt. l. 41. §. pen. D. de vulg. l. 14. D. ad Sila. Planè in cauſſa alimentorum quæ pueris, puelliſque præſtari vſque ad pubertatem quis cauit, pietatis intuitu laxiora tempora præſtituuntur, & puberes maſculos 18. anno, fœminas 14. intelligimus. l. 14. D. de alimentis leg.

PVBERTATEM, inquit, Iuſtin. veteres quidẽ non ſolũ ex annis, ſed etiam ex habitu corporis in maſculis ęſtimari volebant. noſtra autẽ conſtitutione promulgata, pubertatem in maſculis decimũquartum annũ completum illicò initium accipere diſpoſuimus, antiquitatis normam in fœminis bene poſitã in ſuo ordine relinquentes, vt poſt duodecim annos completos viripotentes eſſe credãtur. hæc ille tit. Quib. mod. ius patr. in princ. Sic in d. l. vlt. C. quand. tut. eſſe deſin. l. 5. D. de teſta. l. 2. D. de vulg. & pupil. §. j. Inſti. De nupt. Mecrob. lib. in Somnium 2. c. 6. Poſt annos bis ſeptem ipſa ætas neceſſitate pubeſcit: tunc enim moueri incipit vis generationis in maſculis, & purgatio fœminarum. Tertull. lib. De virginib. vel. Tempus, inquit, etiam Ethnici obſeruant, vt ex lege naturæ iura ſua ætatibus reddant: nam fœminas quidem à duodecim annis, maſculum verò à duobus amplius ad negocia mittũt: pubertatem in annis, non ſpõſalibus aut nuptiis decernẽtes.

Pubertas plena in maſculis anno ætatis 18. in fœminis anno 14. l. arrogator. 49. §. j. D. de adopt. §. 4. Inſt. eod. §. vlt. Inſt. Quib. manumitt. lic. l. Mela. 14. D. de alim. & cibar. l. quidam. D. de re iudic. l. j. §. pueritiam. D. de poſtul.

Pubertati proximus, qui non multum à pubertate abeſt, l. 111. D. de reg. iur. §. pupillus. de inutil. ſtipul. Inſtit. vbi Theoph. vertit, ὁ πλησιάζων τῇ ἥβῃ. Cuiuſmodi ætatis qui ſunt, rerum intellectum iam capiunt, & doli capaces ſunt. l. 23. l. 24. D. de furt.

Pubertatem ingreſſi ſunt, qui proximè prætextati ætatẽ accedunt, l. 3. §. fin. D. de lib. exhi.

PVBESCERE, adoleſcere, eſt lanuginẽ emittere, ac pubertatis vel adoleſcentis attingere ætatẽ à Pubeo, pubui. Vlpia. in l. 3. §. ibidem Iulian. D. de Carbonia. edict.

PVBLICA

PVBLICA ea ſola propriè dicuntur, quæ ſunt populi Romani.l.15. D.de verbor. ſignificat. Hinc, publicum ius id definitur eſſe, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat,l.j.§.j.D.de iuſti.& iur.Nec verò Rei publicę cauſſa abeſſe eos intelligimus, qui pro ciuitate legatione funguntur,l.26.§.Item inquit Prætor. D.ex quib.cauſ. maior. Ciuitates enim loco priuatorum habentur.Publicique appellatio in compluribus cauſſis ad populum Rom.reſpicit.l.16. D.de verb.ſignif. Hinc,

Publica propriè ſunt vectigalia, l.34. D.ex quib.cauſ.maior.Cicero ad Quintum fratrem Epiſtol.1.Vt & publicanis ſatisfacias pręſertim publicis malè redemptis:& Idem de Prouinc. Conſul. An qui frui publico non potuit, hic legitur ipſa lege cenſoria? Hinc publicani dicuntur populi Romani, qui Coloni priuatis, nimirum qui publica, id eſt populi Rom.vectigalia conducunt, quæ etiam abſolutè publica vocantur, l.j.§.j.de publica.& in locis ſupra allegatis,quibus adde Quintil.declamat.340.Ego non ea voluntate feci, vt hic liber eſſet,ſed vt publica non ſolueret. Idem Declamat. 341.Ante omnia nulla lege comprærhenſum eſt,vt alienam rem non profiteri liceret, alioquin publicũ euerſum eſt. Tacit.lib.13.Edixit,vt leges cuiuſque publicè occultæ ad id proſcriberentur. Sueton.in Calig.ca.30. de vectigalibus à Caligula inſtitutis agens, Additúmque,ait,ad caput legis,vt teneretur publico & qui meretricium feciſſent. Ita publicum quadrigeſimæ, apud eundem accipio in Veſpaſian. cap.1. & publicorum conductiones in l.33.D.pro ſoc. Horat.1.Epiſto,

Pars hominum geſtit conducere publica.

Publica item appellantur,quorum vſus in commune expoſitus eſt,& omnibus patet,quaſi populica: proprietas verò non æquè,l.5.D.de rer.diuiſio.§.flumina. & §. riparum.Inſtitut.eod.tit.l.30.§.j. D.de acquir.rer.dom. veluti forum,campus Martius, theatrum,baſilicæ, ſtadium,viæ,itinera publica.Quæ hac ratione à communibus diſcernuntur, quorum vt vſus communis eſt, ita & proprietas occupanti cedit. Ac publica quidem ea iure gentium dicuntur,l.7.§.inſula.& l.penult.§.j.D.de acquir.rer.dom.l.vlt.D.de vſucapion. §.fluminum, & §.littorum.Inſtitut.de rer.diuiſ.Alia enim ſunt publica populi Roma.quæ in patrimonio & pecunia populi ſunt, quæ tam eorum quæ iure gentium,quàm quæ ciuitatium publica ſunt ratione,ita appellari ſolent, l.9. D.de vſucapionib.& apud Vlpian.in Inſtitut.tit.20.l. 14.D.de acquiren.rer.do.Quod ne abſurdum propter nouitatem videatur, etiam aliorum auctorũ teſtimoniis confirmabo. Cicer.5.in Verr. Perpaucæ ciuitates bello à maioribus noſtris ſubactæ, quarum cùm eſſet ager publicus populi Rom.factus.Liuius lib.3.ad fin. Agrum de quo ambigitur,finium Coriolanorum fuiſſe,captiſque Coriolis publicum populi Rom.eſſe factum.Hygen.lib.2.de limi. Vectigales autem quidam ſunt obligati Reip.populi Rom. quidam coloniarum aut municipiorum,aut ciuitatum aliquarum. Quæ in fiſci patrimonio ſunt, quoniam quaſi propria & priuata ſunt principis, Publicorum appellatione nõ continẽtur,l.6.& l.72.§.vlt.D.de contr.empt.l.2.§.publici. cum ſeq.D.ne quid in loco pub.§.vlt.Inſtitut. de empt. & vend.l.14.§.vlt.D.de ſeruitutibus.§.res fiſci.Inſtitut. de vſucap.Sed & publicæ cauſſæ à fiſcalibus ſeiunguntur,l.j.§.j.D.de calumniatoribus: quanquam fiſci cauſſam publicam vocat Vlpian.in l.21. §.in priuatorum. D.de petit.hæred. Cæterùm,

Publicum ius interdum id intelligitur, quod ad ſtatum rei Rom.pertinet,in ſacris, ſacerdotibus, ac magiſtratibus conſiſtens,l.j.§.huius ſtudij. D.de iuſtit.& iur. Cuius partem eſſe ius Senatorum, Plin.lib.8.Epiſtol.ad Ariſtot.ſcribit. Interdum verò generaliter publicum ius commune, & quo omnes eiuſdem ciuitatis ciues vtuntur,ſignificat,l.33.in fi.l.39.§.vlt.D.de excuſat.tut.l. 8.D.de tutel.l.29. D.de teſt.tut.l.7.§.ſi vxor. D.de donatio.inter vir.l.6.D.de adm.tut.l.76.in fin. D.de conditio, & demonſtrat.l.46.& l.117.§.j. D.de diuerſ.reg. iur.l.42. D.de oper.lib.l.j.in princ.& l.15.§.j. D.ad leg. Falcid.coniuncta l.56.D.de legat.1.l.2.C.ne vxor pro marito. Vnde quod in l.38. D.de pactis ſcriptum eſt, Ius Publicum pactis priuatorum mutari non poſſe, id à Conſtantino ſic redditur, ἀπὸ ἰδιωτικοῦ συμφώνου τὸ κοινὸν νόμιμον οὐκ ἐναλλάττεται). Sic & apud Terent.Phorm.

Num iniquum poſtulo?

An ne hoc quidem adipiſcar ego quod ius publicum eſt?

Publici iuris eſſe dicitur teſtamenti factio, l.3. D.de teſtament.Vſucapio item publico iure contingere, & bono publico introducta dicitur, l.18.§.j.D.de damn.infect.l.j.D.de vſucapionibus.

Publica etiam eſſe nuptiarum vtilitas traditur.l.12. §.medio.D.de captiu.& poſtl.

Puplicam quoque habere cauſſam officium & miniſterium argentariorum traditur in l.10.§.j.D.de eden. Et publicam fidem ſecutos eos, qui apud eos pecunias depoſuerunt,l.7.§.quotiens. D.depoſiti.

Publica actio eſt,qua cuiuis experiri licet: ad quam exercendam cuiuis aditus patet. Vlpia.l.j.§.4.D.de ſuſpect. tut.Conſequens eſt, vt videamus qui poſſint ſuſpectos poſtulare. & ſciendum eſt, quaſi publicam eſſe hanc actionem,hoc eſt omnibus patere. Ergo vt publicus locus dicitur,ad quem cuiuis licet accedere: ſic actio ſuſpecti,eſt tanquam publicæ illæ actiones, ſiue iudicia, quorum aditus vnicuique patet. Hinc popularis actio, Publica nominatur, in l.30.§.3.D.de iureiur.In popularibus actionibus,inquit Paulus,iuſiurandum exactum ita demum aduerſus alios proderit, ſi bona fide exactum fuerit. nam etſi quis egerit, ita demum conſumit publicam actionem, ſi non per colluſionem actum ſit.

Publica lex,conciſa locutione dicitur, lex publici iudicij: vt cum dicimus, Iudicia bonæ fidei, in quibus iudici poteſtas eſt ex bona fide iudicandi. Marcian. l.j.§.j.D. ad leg.Corn.de ſica. Quíve magiſtratus, iudéxve quæſtionis ob capitalem cauſſam pecuniam acceperit, vt publica lege reus fieret. Imper.l.j.D.vbi ſenat.vel clar. Intra prouinciam in qua facinus perpetrauit, publicis legibus ſubiugetur.

Publicum crimen, Impp.in l.4.C.de hæret.id interpretantur, quod ad omnium pertinet iniuriam. Ac primum quidem,inquiunt, hæreſim volumus eſſe publicum crimen: quia quod in religionem diuinam committitur,in omnium fertur iniuriã. Vide IVDICIVM PVBLICVM.

Publica iura officiáque,in l.5.§.vlt.& l.6. D.de cap.minu. & in l.14.D.ad Trebellian.l.2. D.de diuerſ.reg.iur.magiſtratuum, honorum, & ciuilium munerum in Repub.gerendorum iura ſignificant. Ideóque in l.9.D. de his qui ſunt ſui vel al.in publicis cauſis filiumfam. haberi loco patrisfam.his exemplis demonſtratur, veluti ſi magiſtratũ gerat, ſi tutor detur. Inde publicum munus officium priuati hominis vocatur, ex quo cómodum ad ſingulos vniuerſóſve ciues rémque eorum peruenit,l.239.§.munus.D.de verb.ſignif. Proinde publico munere legatus fungi dicitur,l.27.D.de iudic.

Publicæ quæſtiones, publica item crimina, ſunt, de quibus publicum iudicium eſt conſtitutum, l.32. §.Iulianus. D.de arbitr.l.2.§.deinde Cornelius. D.de orig. iur.Nec enim publica iudicia idcirco dicta ſunt, quod vt Iuſtin.tradit,eorum executio cuiuis ex populo, qui modò idoneus ſit accuſator, detur. Hac enim ratione popularia iudicia publica eſſent, quod eſt inconſequens: ſed quod ex legibus publicorum iudiciorum veniant atque deſcendant,l.j. D.de public.iud. Verum

eſt tamen,& id ex eodem Vlpiano Iuſtinianus hauſit, publico iudicio cuilibet ex populo experiri licere,niſi ſi cui lege aliqua publico iudicio accuſandi non eſt poteſtas.l.43.§.ſenatus.D.de ritu nupt. Publicorum verò iudiciorum hæ ſunt leges,Iulia maieſtatis, Iulia de adulteriis,Cornelia de ſicariis,& veneficis,Pompeia de parricidiis,Iulia peculatus,Cornelia de teſtamẽtis,Iulia de vi publica,Iulia de vi priuata, Iulia ambitus,Iulia repetundarum.l.j.D.de publ.iudic.Inſtitut. eod.tit.Quæſtiones autem publicas de falſo,ſicariis & parricidiis Cornelius Sylla dictator conſtituit.l.j.§. deinde Cornelius.D.de orig.iur.Antea L. Piſo Tribunus plebis de pecuniis repetundis quæſtionem conſtituerat, vt Cic.in Bruto ſcribit. De iniuriis verò quemadmodum vitioſè in omnibus codicibus (Florẽtinos excipio) ſcriptum eſt,quæſtio publica ab eodem non eſt conſtituta.Actio enim ex lege Cornelia de iniuriis priuata eſt,non publici iudicij.l.42.§.j.D.de procuratorib.l.vlt.C.de iniur.Natum fuiſſe hunc errorẽ, qui libros omnes antehac occupauit,ex eorum imperitia puto,qui apud Vlpianum eam actionem pro publica vtilitate exerceri legerant:quaſi verò nõ & priuata iudicia pro publica vtilitate exerceantur,cùm & ſuum ius cuique tribui & qualiacumque nocentium peccata puniri Reipublicæ interſit.Raptus porrò crimen publicum eſſe dicitur in l.pen. C. de noxalibus, quoniam ad l. Iuliam de vi pertinet. l.5.§.vlt. D.ad l. Iuliam de vi publica.

Publici autem iudicij cauſſam habere crimen dicitur in l. 7.D.de public.iudic.quod publici iudicij eſt.

Publica conuentio eſt,quæ fit per principem,aut quoties inter ſe duces belli paciſcuntur.l.5.D.de pact.

Publica abolitio eſt,quæ publicè fit, publicéque indulgetur ex Senatuſconſulto.l.8.l.12.l.17.D.ad Turpillia. Et apud Paul.lib.5.Sent.tit.17.

Publica vis,quæ armis committitur,tit.ad l.Iul.de vi pub.

Publica accuſatio, quæ omnibus patet. §. Conſequens. Inſtitut.de ſuſpect.tut.eodem ſenſu quo publica actio: qua cuiuis experiri licet.l.j.§. 4. D. de ſuſpect.tut. Sic Publicæ turbæ,quæ omnibus patent,non quòd publica auctoritate fiant,in Authent.§.fugiunt.vt iudic.ſine quoquo ſuffrag.

Publica fide venire,id eſt,ſaluo conductu, vt vulgaris habet locutio.Violare fidem publicam, eſt contra illam aliquid committere.

Publica monumenta interpretantur Doctores,quòd manu publica,hoc eſt,tabellionis ſint deſcripta. l. geſta, D.de re iud.

Publica perſona,pro tabellario.l. orphanotrophos. C.de epiſco.& cleric.l.tutor.D.de adminiſtr.tut.§.cùm autẽ. Inſtitut.de adopt.Item magiſtratus.Inſtitut. de Attil, tut.& pen.Vide perſona publica.

Publica vtilitas quatuor modis conſideratur. Prima, cùm in vniuerſum & particulariter commodum affertur, quod in ſacerdotibus, magiſtratibúſque conſiſtit.l.j.§. huius.D.de iuſt.& iur.Secunda,quæ in vniuerſum cõducit,non autem ſingulis,vt quoties de locupletando fiſco agitur.l.pen.C.de primipil.lib.12. Tertia eſt vtilitas,quæ priuata propriè eſt,licet ex ea conſequatur etiam publica.vt cùm dicimus publicè intereſſe dotes mulieribus conſeruari,liberíſque hominibus ciuitatẽ repleri:id enim quod conſequitur, in vniuerſum prodeſt.Quarta eſt,quoties id quod conſequitur, ſingulis prodeſt,nec in vniuerſum quemlibet particulariter iuuat:vt cùm generaliter dicimus,Reipublicæ intereſſe,ne quis re ſua abutatur.§.pen. Inſtit.de his qui ſunt ſui iur.Ex Comment.Alciat.ad l.pupillus eſt. de verb. ſignific.

Publicæ honeſtatis iuſtitia eſt propinquitas ex ſponſalibus proueniens,robur trahens ab eccleſiæ inſtitutione.Non enim honeſtum eſt vt quis ducat eam, quam conſanguineus deſponſauerat.c. ad audientiam.& c. ſponſam.extrà de ſponſa.

Publica via,canalis dicitur.l.2.C.Theo.de curioſ.& vide l.ſeruitus.D.de ſeruit.

Publicum, quod non eſt priuatum alicuius, ſed populo commune.Hoc autem plurifariam dici, Bart.indicat in l.j.D.de publ.iudic. Quo verò à communi diſtet, Ferrar.docet.§.j.Inſtit.de rer.diuiſ.

Publicum certamen,Vlpian.in l.qua actione.§.ſi in colluctatione.ad leg. Aquil.interpretatur, quod fit gloriæ cauſſa & virtutis.

Publicum munus, nec ad magiſtratum (quia ille honor eſt,l.cum muneris.D. de munerib.& honor.) nec ad onera refertur, quæ poſſeſſionibus aut patrimonio indicuntur.l.his omnibus.in princ.D.de vacat.mun. Ergo ea tantummodo,quæ extra ordinem ſunt reſpicit.l.hi qui.eod.tit.vide item Inſtit.de excuſ.tut.in prin.

in Publicum deduci intelliguntur fugitiui ſerui, qui magiſtratibus municipalibus vel publicis miniſteriis traduntur.l.j.§.pen.l.2.D.de ſeruis fugit.Et ſic quoque in publico ſeruari dicuntur, qui ſub publica cuſtodia aſſeruantur.l.48.D.de verb.ſign.l.9.D.ex quibus cau.maior.vel etiam qui in carcere ſunt.Nam & Plaut.Publicitus excipi,pro carcere excipi in Amphitruo.dixit, imitatione Græci ſermonis, quo δημία carcer appellatur.

Publicè varie accipitur:interdum eſt in publico loco,veluti apud acta,vel in æde ſacra publica.l.56. D.manda. coniuncta.l.7.in fin.D.qui ſatiſd.cog.l.7.D. de minoribus.l.4.D. de ſtatu lib.Interdum publicè, eſt publico nomine,& publica auctoritate.l.4.§.in eũ. D.de adm. tut.l.24.D.de capti.l.121.§.j,D. de diuerſ.reg. l.12.D.de fideicomm.libert.l.15.§.ſi publicus.D.de dam.inf. Planè in l.6.§.ſacræ.D.de rer.diuiſ.publicè eſt, principali vel pontificali auctoritate.l.vlt.D.vt in poſſ.leg. Aliàs publicè in commune ſignificat, veluti cum dicimus, publicè intereſſe.

PVBLICANI dicuntur populo R.qui Coloni priuatis: nimirum qui publica,id eſt populi R. vectigalia conducunt.vnde Vlpian.Publicani ſunt, ait, qui publico fruuntur.nam inde nomen habent.ſiue fiſco vectigal pendant,vel tributum cõſequantur.& omnes qui quid à fiſco conducunt,rectè appellantur Publicani.l.j.D. de publ.& vectig.Caius.l.16. D. de verb.ſignific. Eum qui vectigal popu.Ro.conductum habet,Publicanum appellamus. Publica autem vectigalia intelligere debemus,ex quibus vectigal fiſcus capit, quale eſt vectigal portus,venalium rerum,item ſalinarum,& metallorum,& picariarum.l.17.D.de verb.ſignifica. Nam & qui arenarias & cretifodinas & ſalinas & metalla conducta habent, publicanorum loco ſunt.l.13.D.de publican. Etiam qui paſcua conducebant, publicani dicebantur.Plin.lib.19.c.3.Multis iam annis in ea terra non inuenitur,quoniam publicani, qui paſcua conducunt,maius ita lucrum ſentientes, depopulatur pecorum pabulo.Erant verò maxima Romæ & potentiſſima publicanorum ſocietas,iſque ordo in prouinciis plurimum auctoritate & potentia valebat,vt Cicer.in Epiſtol.ad Lentul.& Appium, & Q.Fratrem & pro Plancio,& Liu.lib.35.ſignificant.Etiam ciuitatium bona vectigaliáque, abuſiuè, publica dicuntur.l.15. D. de verb.ſignific.l.40.D.de neg.geſt.l.36.§.j.D. ad municipal.l.5.§.idem ait.D.quod vi aut clàm.

PVBLICARE bona,idem quod confiſcare.Marcianus.l. 3.in fin.D.de bon.eor. qui ant.An non prius bona in fiſcum cogenda ſint,quàm ſi de crimine fuerit probatum:an verò omnimodo publicanda ſunt:ſed D. Pius reſcripſit:ſi parati ſint hæredes defenſiones ſuſcipere, non eſſe bona publicanda.Sic l.23.§.ſi fundus.D.de

ſeruit.ruſtic.l.27.D.de adulter.

Pvblician a actio eſt vtilis,ſiue prætoria vindicatio, quæ amiſſa caſu aliquo poſſeſſione,datur ei qui à non domino rem traditam ex iuſta cauſſa acquirendi dominij bona fide accepit necdum vſucepit.l.j. cum ſeq. & per tot.tit.D.de publicia.in edicto.Hæc autē actio à Prætoris nomine,à quo primùm propoſita fuit,Publiciana appellata eſt:quem modum & Fabiana, & Caluiſiana,& Pauliana,& Seruiana.§.namque ſi cui.Inſti. de actionib.Conſtantin.lib.2.Epit.tit.j.Publiciana ait, ὅταν ἡ ἀναλαμβάνῃ τὴν νομὴν ἣν μόνῳ διὰ κυριότητα καλῇ πίστει νομεῖ.

Pvbliciaria bona,ob ſcelus confiſcata. Sic Pvblicarii, qui ob facinus aliquod in ærarium deferuntur.

Pvdor, pro exiſtimatione,dignitate,& vt vulgo loquimur,reputatione,in l.20.D.de his qui not.inf.l.25. D. de procuratorib.l.j.§.item aut per ſemetipſum.Coniunctis vicinis §§.& l.15.§.generaliter.D.de iniur. Verecundiam etiam dixit Papinia.in l.15. D.de cond. & demonſtr.

Pveri appellatio tres ſignificationes habet:vnam,cùm omnes ſeruos pueros appellaremus:alteram,cùm puerum contrario nomine puellæ diceremus:tertiā, cùm puerilem & impuberē ætatem ſignificaremus, inquit Paulus.l.204.D.de verb.ſign. Pueri vtique appellatione etiam puella ſignificatur,non imitatione modò Græci ſermonis,ſed & quòd maſculino ſexu fœmininum aliàs quoque ſemper cōprehenditur: & ſic Græce παιδίον communiter dicitur,inquit Paulus l.163.in fi. D.de verb.ſignific.Argumentum etiam huius ſignificationis illud adfert Paulus,quòd & recentes ex partu fœminas puerperas Latini vocant.Teren.Andria,

Non imperaſti coràm quid opus eſſet facto puerperæ.

Vbi vide Donatū.Seneca lib.3.de Benefi.c.35.Sed æger filius, ſed vxor puerpera tenet.Sueton.in Caligul.c.8. Qualiſcunque partus,ait,ſine ſexus diſcrimine puerperium vocatur, quod antiqui etiam puellas pueras, ſicut & pueros puelios dictitarent.Iuuen.Satyra.6.

Sed iacet aurato vix ulla puerpera lecto.

Auſon.in Eidylliis:

Hinc illud quod legitimos Lucina labores
Præuenit,& grauidos ſentit ſubrepere nixus
Ante expectatum feſtina puerpera uotum.

Gellius quoque lib.12.c.j. puerperam ait dici, quæ recens enixa eſt.Priſcianus quoque lib.6.Puer pueri,cuius fœmininum dicebant antiquiſſimi: vnde & puerpera dicitur,quæ puerum vel pueram parit,id eſt puellam,quod eſt diminutiuum pueræ.Ita puerperam accipe,in l.14.§.puerperam.D.de edilicio edicto. Puer impuberem filium ſignificat in l.36.D.de ſtatulib.

Pueri prætoris edicto poſtulare prohibentur.l.j. §. pueritiam.de poſtul.vbi puer ex materia ſubiecta cenſebitur qui decem & ſeptem annos nondum compleuit.

Puero vel puellæ ſi alimenta legata ſint, ad pubertatem ſcilicet plenam ali debent.l.mela.D.de aliment.legat.

Pvella, pro muliere quæ iam duobus nupſerat,& tertio nuptura erat,in l.vxorem.41.§.teſtamento.D.de legat.3. nimirum quia in poteſtate patris tandiu erat: poſt verò ſui iuris facta fuerat. Quæſitum eſt, inquit, cum puella non ex cauſſa legati pecuniam in dotem ab hæredibus patris acceperat, ſed mortuo ſecundo marito materfam.facta,dotem recuperarat,&c.

Pveritiam Vlpianus vocat minorem annis decem, & ſeptem. Quam ætatem ad procedendum in publicum moderatam nuncupat,in l.j.D.de poſtul.

Pvgiles, à pugna vel pugno,certator certatrixve. Eſt enim communis generis.Pugillatio, ipſa exercitatio. Et pugilicè,fortiter.

Pvgillares tabulæ cereæ, vel ligneæ, vel alterius materiæ,in quibus ſtylo ſcribitur.Paulus.l.17. D. commod.Si pugillares mihi commodaſti, vt debitor mihi caueres,non rectè facies importune repetendo. Alfenus.l.6.de ſupell.legata.Sed nec pugillares & codices in ſupellectili ſunt. Dictæ autem videntur vel quod pugno comprehendi poſſint: vel à pungendo, quod ſtylo in his pungendo ſcriberetur. Dicuntur & Pugillaria,& Pugillar ſingulariter apud Auſonium.Pugillarium vſum ante Troiana tempora fuiſſe ex Homero teſtatur Plinius lib.13.c.11.

Pvgnans cum beſtiis, ceu notatus infamia, poſtulare non poteſt.l.j.§.beſtias.D.de poſtul.

Pvlmentarivm, à pulmento dicitur. Eſt autem cibus ſolidior,pultis inſtar factus,ſiue ex aquatilibus,ſiue terreſtribus fiat,Paul.de fund.inſtr.l.cum de lanionis.Sine his,ſcilicet patinis & cacabis, pulmentarium coqui non poteſt. Apud Vlpianum in l.quæſitum.§. Trebatius.de fund.inſtr.Accurſius pulmentaria, farinam ordei interpretatur,cum cibaria intelligat Vlpia. ad modum pultis facta.Pulte autem,non pane, longo tempore vixiſſe Romanos,manifeſtum: quoniam inde & pulmentaria hodiéque dicuntur : vt ſcribit Plinius.c.8.lib.18.

Pvlsare & Verberare O filius ſic diſtinguit,vt hoc ſit cum dolore cædere,illud verò ſine dolore.l.5.§.j.D.de iniur.Quod cur dixerit in hac lege Iuriſconſultus, exponit Alciatus. Hoc tamē non frequēter obſeruatur. Cic.Verrin.7.Videtis pendere alios ex arbore, pulſari autem alios & verberari.Et in ead.Sex lictores circūſiſtunt valentiſſimi, & ad pulſandos verberandóſque homines exercitatiſſimi.Itaque videndum ne hæc verior ſit differentia Vallæ,vt Verberare propriè ſit cum verbere,aut flagello cædere.Pulſare cum graui & vehementi ictu,vt hoc generalius ſit, & ad quoduis teli genus pertineat, ſiue gladiis, ſiue lapidibus quis vſus eſſe dicetur, ſiue ſcipionibus, & baculis, ſiue etiam pugnis.

Pulſari,pro conueniri,in iudicium vocari. Vlp.l.11. §.10. D.de inter.in iur.Qui interrogatus reſponderit,ſic tenetur quaſi ex contractu obligatus, pro quo pulſabitur.Cic.Verrin.5.Pro decuma cùm pulſatus à Venerio eſſet,dedit HS. ſexdecim millia.Sic l.2.§.Item ſi.D.de iudic. Aut erit in poteſtate cuiuſque pulſando eos, ſubiicere ipſos iuriſdictioni, dum ſe vindicant. Hinc ad ſolutionem pulſari.l. vnic. C. de prohibita pecun. ſequeſtr.quæ in C.Th.dicitur ſolutioni ſuccumban.

Pvlveraticvm, & Pulueratica,in Cōſtituti.Theodoſij & Valentiniani,quæ apud Frontinum extat, honorarium,quod quaſi pro labore & puluere agrimenſoribus datur.Quo nomine etiam à præſidibus ſingulas prouinciæ ciuitates obeuntibus prouinciales exigebantur,ſed abolitum eſt Nou.Leonis,& Maioriani, de Curialibus, de qua intellexit Caſſiodorus libr. 11. Var.dum ait,Pulueratica quoque iudicis funditus amputantes,trium tantum etiam dierum præſulib.annonas præberi, ſecundum vetera inſtituta decernimus. Sic pulueratici nomine bini ſolidi dantur ſeruis,qui ſe militiæ offerunt,in l.16.C.Th.de tyronibus.

Pvncti ſolatium.l.laudabile.C. de aduoc.diu.iud. quid ſit variè quæritur à Iuriſconſultis. Alij enim puncta conſequi ſolatia:alij, punctos cōſequi ſolatia habent. alij,& ij quidē frequentiores,& (vt arbitratur Cuiac. veriores,pūcti ſolatium.Vult igitur imperator patronos,qui fiſci cauſſas defendunt in foro præf.prætorio, Kalēd.Ianuariis inter comites cōliſtorianos de manu ſua puncti conſequi ſolatiū.Baſilica(vt idē refert Obſ. lib.13.c.1.)conſequi τὸ pactum. An igitur potius pacti ſolatium,id eſt,vt ait l.iubemus pro tempore.& l.petitiones.C.eod.tit.quod communi conſenſu,ſiue cōmuni placito & cōuentione totius collegij aduocatorum

patro

nis fiſci conſtitutum eſt:aut ſi mauis,pacta ſolatia.

PVPILLVS eſt,ait Pomponius,qui cum impubes eſt,deſiit in patris poteſtate eſſe,aut morte aut emancipatione.l.239.D.de verb.ſig. Pupillus, pro impubere qui in patris poteſtate eſt:nam à Pupus deminutum nomen eſt Caius.l.141.§.j.D.de verb.obl. Pupillus licet ex quo fari cœperit,rectè ſtipulari poteſt:tamen ſi in parentis poteſtate eſt,ne auctore quidē patre obligatur. Indidem etiam ſubſtitutio Pupillaris nomen ſumpſit.Cic.de inuent.2. Quidam pupillum hæredem fecit:pupillus autem antè mortuus eſt,quàm in ſuam tutelam veniret.Item:Pater enim & ſibi & filio dum is pupillus eſſet teſtamentum ſcripſit.& multa deinceps.Vlpia.in l.j.D.ne vis fiat ei,qui in poſſ.miſſ.Pupillum,inquit,eum debemus accipere, qui doli capax nō eſt.Idem in l.more.D.de acquir. vel omitt.hæred. Pupillus,inquit,qui in alterius poteſtate eſt.Paul.in l. Pupillus.D.eod.tit.Pupillus,ait,eſt cuius neque ſcire, neque decernere talis ætas poteſt, non magis quàm furioſus.A pupillo pupillaris deſcendit, quod verbum ætati & tabulis applicatur.

PVPILLARIS ætas decimoquarto anno terminatur.l.16.D.de iure fiſc.l.7.C.de impuberib.l.3.C.de præſcrip.30.ann.Eius tres gradus facit Theophil. in §.pupillus. Inſtitut.de inutil.ſtipul.Infantiam,id eſt,necdum fandi potentem ætatem: proximam infantiæ, quæ iam fandi poteſtatem conſecuta eſt: & proximam pubertati,quæ proxime pubertatem accedit.

Pupillaris ſubſtitutio quæ fit liberis impuberibus in poteſtate poſitis,in eum caſum,quo ante pubertatis annos deceſſerint.l.2.D.de vulg.Inſtitut.de pupil.ſubſtitu.in princip. Sic:

Pupillares tabulæ,pupillare teſtamentum,id eſt impuberis filij teſtamentum.l.34.§.ſi coniunctim. D. de leg.j.l.8.§.ſed nec impuberis.D.de inoff.teſt.l.2.§.interdum.l.10.§.ſi ex l.20.l.38.in fi.l.43.D.de vulg.ſubſtit.

PVRGARE multa ſignificat.Purgare moram.l. 8.l.14.D.de nouat.eſt re integra culpam ex mora contractam ſic eluere,vt omnis eius pœna vitetur.Sic Purgare exiſtimationem.l.j.§.quoties.D. de iniuriis. Purgare innocentiam.l.22.D.de iur.fiſc.Purgare pudorem.l.23.D.de procura. Purgare riuum,fontem.l.j.§.deinde.D. de fonte.

Purgare in edicto prætoris de via publica,eſt ad libramētum proprium redigere,ſublato eo quod ſuper viam eſſet.l.j.Alias immundum tollere ſignificat.l.j.D.de riuis.In iudiciis pro diluere crimen,& ſe excuſare vſurpatur.l.15.qui reus.D.de publ.iudic.cum ſimilib.

Purgare fructus interpretatur Cuiacius putare, apud Papinianum in l.liberto.§.qui aliena.D.de neg.geſt. Qui aliena,inquit,negotia gerit, vſuras præſtare cogitur, eius ſcilicet pecuniæ,quæ purgatis neceſſariis ſumptibus ſupereſt. Eodem ſenſu Purgata ratiocinia, id eſt putata legimus.l.pen.in fi.C.de bon.proſ.Suetonius in Caligula:Decimo quoque die numerum puniendorū ex cuſtodia ſubſcribens,rationem ſe purgare dicebat. id Græcis eſt, ἐκκαθάραι λογισμόν.

Purgare ſe ſolebant olim ſuſpecti de crimine: aliàs duello.c.2.de purgatio.vulga.Aliàs aqua frigida vel feruēte,in quam nudi mittebantur.c. ex tuarum. de purgatio.Canoni. Aliàs ferro candenti,vt vocat.c.fi. de purgat.vulga.vel ignito,vt rectius in c.Mennem.2.q.5.Et quāquàm exemplum duelli legatur de Dauide & Goliath.j.Regum 17.non admittitur tamen hodie talis monomachia.l.j. C.de gladiato.c.2.de purgat.vulga. Cum enim iſtis cruciatuum afflictionibus Deus tentaretur,meritò fuerūt abrogatæ:& introducta eſt purgandi formula talis,vt delatus apud Magiſtratum adhibeat ſeptem,vel,pro qualitate rei,pauciores,qui teſtimonium innocentiæ illius ideò præſtare poſſint, quia & fide ſint digni,& propter vicinitatem cōpertam habere poſſint veritatem.c. ex tuarum. Et c.cùm dilectus.De purgat.canoni. Tum ipſe ſuſpectus iurabit ſe tale crimen non admiſiſſe,quod obiicitur,Compurgatores autem iurabunt ſe credere, quod principalis iurans dicat veritatem.c.de teſtibus. & c.vlt.De purgat.Canoni.

PVRPVRÆ appellatione, omnis generis purpurā contineri puto,inquit Vlp.de leg.3.Idem ait, Purpuræ appellatione coccum non continebitur. Quod ſi verum eſt,non prorſus eadem ſentire videbitur Matthæus,de veſte qua induerunt perfidi Iudæi Seruatorem noſtrū, cum Marco & Ioanne.de quo latius diſſerit Bayſius.c.3.in lib.de re veſtiar.Item purpura,pro magiſtratibus interdum ponitur : quorum olim inſigne erat apud Romanos,vt & poſt amiſſam libertatem, cum Imperatorum,tum Regum permanſit.l.j. C.null.lic.in fren. lib. 11. in verbo,Chlamydibus,& l.j. C.quæ res vendi non poſſ.l.pen.C.de conſ.libr.12.Purpurati autem hi, qui apud Principes dignitate antecellebant, dicebantur.Nam illis purpuræ vſus concedebatur. Vide Bart. in l.ſi quis nauiculam.C.de murileg.lib.12.

Purpura Tyria,rubea eſt,quam Tyrus inſula procreat: vt Vitruuius lib.7.c.13.& Plinius lib.5.c.19.declarāt: quorum hic quoque nobiliſſimam Tyriam appellat.Vnde Imp.§.34.De actio.Si quis,ait, generaliter purpuram ſtipulatus ſit,deinde ſpecialiter Tyriam petat,plus petere intelligitur.

PVRPVRARII in l. 7.C. de excuſ. mun. negotiatores purpuræ. οἱ πραγματευόμενοι τὴν πορφύραν.

PVRVS locus interdum inædificato opponitur.l. vlt.D. de pigner.act.Quo ſenſu & pura loca Varro lib.4.de lingua Lat.areas in vrbe appellari ſcripſit.Interdū religioſo,id eſt ei loco,in quem mortuus illatus eſt. Itaque purus locus definitur qui neque ſacer, neque ſanctus,neque religioſus eſt, ſed ab omnibus huiuſmodi nominibus vacat,& profani iuris eſt l.2.§.prætor.D.de religioſ.l.2.& l.6.l. 9. C. eod.tit.l.j.§.hoc autem. D.de mort.inf.l.6.§.ſi quis in communem.D.comm. diuid.l.73.D.de contrah.empt. §. religioſum. Inſtit.de rer.diuiſio.Ita purum monumentum accipi debet in l.5.in fi. D.de religioſ.l.5.§.conceſſa.D.de dona.inter vir.

Pura lanx cælatæ opponitur,in l.6.D.de rei vind.vt & argentum purum,id eſt ſine emblematis, cælato aduerſum facit Cicero 6.in Verr. Cœnabat, ait, apud eum: Argentum illi cæterum purum adpoſuerat, & poſt ei negotium dedit,vt quicquid Halunti eſſet argenti cælati,aut ſi quid eſſet Corinthiorum, vt omne ſtatim ad mare ex opido deportaretur. Et alio loco, Ne quem puteris ſine maximo dolore argentum cælatum domo quod alter eriperet,protuliſſe,omnia deferuntur,Cybaritæ fratres vocantur, pauca improbant, quæ probarunt:his cruſtæ aut emblemata detrahuntur.Sic Haluntini excuſſis delitiis cùm argento puro domum reuerterunt.Plinius lib.21.c.3.de lemniſcis, Puri diu fuere:cælare primus eos inſtituit P. Claudius. atque ita magis eſt,vt purum argentum apud Plinium lib.3.Epiſtola.j.interpretemur,quàm quo Cataneus vir doctiſſimus expoſuit modo.Sed pura vaſa apud Columellā lib.12.c.4.& c.28.ad finem ea accipienda ſunt, in quæ nondum quicquam ſit infuſum. Hinc:

Pura libertas,quæ purè data eſt, l.59.§.j.D.de man.teſt.

Pura obligatio in l.5.D.de ſolutio.eſt,quæ ſine ſatiſdatione eſt,cui fideiuſſor vel pignus non acceſſit. Et purè ſtipulatus,in l.138.§.vlt.D.de verb.oblig. dicitur.qui illud aut illud ſimpliciter ſtipulatus eſt,non adiecto eo, vtrùm voluerit. Sic:

Pura ſtipulatio dicitur,cui neque dies,neque conditio adiecta eſt:eoque confeſtim ex ea & debetur,& peti poteſt,vt docet Imperator.§.2.De verb.oblig.

Purum iudicium, cui adiecta non eſt exceptio. Cice. De inuent. lib. 2. Agitis cui manus præciſa eſt, iniuriarum. Poſtulat is, qui cum agitur, à Prætore exceptionem, EXTRA quàm in reum capitis præiudicium fiat. Hic is qui agit, iudicium purum poſtulat: ille qui cum agitur, exceptionem addi ait oportere.

Puræ chartæ ſcriptis opponuntur. l. 32. §. quod tamen. de legat. 3.

Puræ haſtæ quibus iuuenes præmij ergo plerunque donabãtur. Seruius in 6. Æneid. interpretatur ſine ferro, vnde à Zonara δόρατα ἀσίδηρα vocantur. Ita apud Liuium ſæpe, & apud Vopiſcum in Aureliano hoc verbum accipiendum eſt.

Pura ſubſtantia dicitur, deducto ære alieno. l. iubemus. C. de repud. Nouel. j. & 2. Item quæ eſt ſoluta tributis. l. litibus. C. de agric. & cenſ.

Purum putum, vide Argentum purum putum.

Purus honor, qui extra adminiſtrationem eſt, Auth. vt ordin. præfecturæ. in princ. Collat. 5.

PVRE adiudicare. Opponitur ſeruitutem adiudicando imponere. Vlp. in l. Item Labeo ſcribit. §. ſed & regionibus. D. famil. erciſc.

PVSVLA, ſeu Puſtula, inquit Columella, ignis ſacer eſt, qui puſtulas paſſim qua depaſcitur attollit: noménque ex eo habet, quia pus continet. Hinc:

PVSVLATVM argentum ſeu Puſtulatum, quod purum putum eſt, & puſula ac igne excoctum, quódque puſtulas & tumores habet: ſed tamen adhuc infectum, & in maſſa, vt noſtri loquuntur. Alfenus in l. 31. D. locati: Veluti cum argentum puſulatum fabro daretur, vt vaſa fierent: aut aurum, vt anuli. Tranquillius in Nerone: Exegit ingenti faſtidio & acerbitate nummum aſperum, argentum puſtulatum, aurum ad obruzam. Sunt tamen qui hoc in loco poſtulatum legi velint u, in o, mutando, quod ſæpe fit. Hinc etiam nos in vernaculo ſermone, quaſi poſula ſcriberetur, boſula dicimus, p, in b, inſuper mutato. Alij Poſtulatum à poſtulãdo dici volunt, Iuuenalis auctoritate freti:

Accipe uictori populus quod poſtulat aurum.

ſed id quamplurimis non probatur.

PVTARI propriè arbores, vitéſque dicũtur. l. j. §. Labeo, D. de aqua cottidia. l. j. §. ſiue autem. D. de noui oper. nuntia. Vnde putator, qui arbores puras facit, id eſt earum ramos ſtringit & amputat. l. 31. D. ad l. Aquil. l. 18. §. de putatoribus. D. de fun. inſtruc. Et apud Paul. libr. 3. Sentent. tit. 6. & lib. 5. tit. 23. & apud Plinium libr. 27. c. 8. Putare, inquit Varro lib. 4. Ling. Lat. valet purum facere: ideo antiqui purum putum appellarunt. Feſtus Põpeius lib. 9. Imputatum, ait, nondum purgatum: putum enim eſt purum. Vnde putare vites, dicimus, hoc eſt detrahere, quæ impedimento ſunt ad fructum. Gellius lib. 6. c. 5. Putare veteres dixerunt, vacantia ex quaque re ac non neceſſaria, aut etiam obſtantia & aliena auferre, & excidere, & quod eſſe vtile ac ſine vitio videretur, relinquere. Sic namque arbores & vites, & ſic etiam rationes dictæ putari. Putare autem arbores Græci καθαίρειν vocant. Leontinus apud Caſſia. libr. 10. γεωπονικῶν, μετὰ τὴν καρπολογίαν εὐθέως καὶ τὰ μεγάλα καὶ τὰ μικρὰ δένδρα καθαρτέον.

Putare lex XII. Tabu. à Modeſtino. l. 25. D. de ſtatu liber. quod ita ſenſiſſe eam ex verbis colligitur.

Putare, transfertur etiam ad incorporalia; Vt, putare rem dicimus eleganter, pro cogitare de re, & diſputando declarare, quid res ipſa velit. Terent. in Adelph.

Mitto maledicta omnia: rem ipſam putemus.

Putare, vulgo ſignificat æſtimare, opinari. Paulus in l. Neſennius Apollinaris. D. neg. geſt. Igitur, inquit, in re facti facilius putabo, auiam vel hæredes eius audiendos.

Putare, pro cõferre, rationem ſubducere. Plaut. in Aulula.

Putatur ratio cum argentario.

Papinianus in l. liberto vel amico. D. neg. geſt. Qui aliena negotia, inquit, gerit, vſuras præſtare cogitur, eius ſcilicet pecuniæ, quæ putatis neceſſariis ſumptibus ſupereſt. Sic Putari rationes dicuntur, in quibus ſumma pura fit: quod ἐκκαθᾶραι λογισμὸν dixit Plutar. in Cõment. Quomodo diſtinguas adulatorem ab amico.

PVTATORIÆ falces, quæ putandis arborum ramis deſeruiunt, apud Paulum lib. 4. Sentent. tit. 6.

PVTEAL, id eſt, quo puteus operitur, ait Pompo. l. id eſt. de act. empt. Gloſſæ περιστόμιον interpretãtur. Id interim etiam ſigillis veteres exornare ſolebãt, vt ille Ciceronis locus indicat: Tibi mando putealia ſigillata duo.

PVTEVS. Omnis puteus fons, non omnis fons puteus. Vbi enim aqua de terra manat, & vſui præbetur haurientibus, fons dicitur: ſed ſi in promptu & ſuperficie ſit, fons tantum dicitur: ſi autem in alto & profundo ſit, ita puteus vocatur, vt fontis nomen non amittat, auctor D. Auguſt. tract. 15. in Euang. Ioan. Vide Vlpia. in l. vnica, de fonte.

PVTEOS aperire, poſitum eleganter apud Iuriſcoſſ. pro excauare, in §. fi. l. Fluminum. & inibi, Puteus apertus. D. de dam. infect.

PYRRHICA, eſt ſimulachrum pugnæ equeſtris, quæ & Troia dicitur, πρύλις & ἱππασία Dioni: idque ex Suetonij lib. de luſibus puerorum Seruius & Donatus ſcribunt in V. Æn. Sed tranſiit etiam vſus purrhicæ in pedeſtris pugnæ ſimulachrum, adhibitis numeris & concẽtu muſico. Marius Plotius lib. de metris: Pyrrhichius pes à pyrrhica luſus genere nomen accepit: quia hoc ſono milites vſi ſub armis (vt ait ille) per ludum ciunt ſimulachra pugnæ. Ipſa tamen Pyrrhica dicta eſt à Pyrrho Cydoneo, quia primus Cretenſes ſub armis ſaltare ad huius pedis ſonum inſtituit. Alij à Pyrrho Achillis filio, quem primum in tumulo patris ſui armatũ honoris gratia ſaltauiſſe dicunt. Ariſtoteles autẽ Achillem ait huius luſus fuiſſe inuentorem, &c. Ei autem quod ſuprà à Plotio de Pyrrho Cydoneo dictum eſt, conſentit Nicolaus apud Stobæum his verbis: Οἱ δὲ Κρητῶν παῖδες ἀγελάζονται κοινῇ, καὶ τὴν ἐνόπλιον πυῤῥίχην ἐκπονοῦντες, ἥντινα πρῶτος εὗρε Πύῤῥος Κυδωνιάτης Κρὴς τὸ γένος. Apud Athenæum tamen lib. 14. c. 12. Pyrrhica propriè ſaltatio eſt: Troia verò ludus puerorum: qui turmatim ſe inuicem ex equis peterẽt: vnde volũt quidã formatũ vulgare Torniamentum, quaſi Troiamentũ. Hinc:

PYRRHICARII, qui pyrrhicam exercent, vide Platonem lib. 7. περὶ νόμων. Pyrrhicarios memorat Vlp. l. 9. §. 9. D. de pœn.

Q

QVA, pro qua ratione. Celſus. l. cui ſeruus. 25. D. ſi quis omiſſ. cauſſ. teſt. Cui ſeruus ipſius ſubſtitutus eſt, ſeruum ſuum adire iuſſit. ſi idcirco fecit, ne legata præſtaret, vtraque præſtabit, & qua hæres eſt, & qua omiſſa cauſſa teſtamenti poſſidet ex ſubſtitutione hæreditatem. Paul. l. precia rerum. 63. D. ad legẽ Falc. Sed nec ille qui filium alienũ poſſidet, tantũ habet, quanti eum patri vendere poteſt: nec expectandum eſt dum vendat, ſed in præſentia nõ qua filius alicuius, ſed qua homo æſtimatur. Cicero pro partim vſurpat, ad Atticum: Quàm expedita conſilia tua? quàm euigilata tuis cogitationibus, qua itineris, qua nauigationis, qua cõgreſſus ſermoniſque cum Cæſare. Noſtri etiam pro Qua ex parte vſurpant. Vlpian. l. j. §. ſi pater. D. ad Silanian. Attamen vbi deceſſit, qua extinctum legatum & libertas eſt, ſenatuſconſulto fore locum dicit. Idem l. falſus creditor. 44. in fi. D. de furt. Planè ſi vſusfructus meus

meus in eo ſeruo eſſe cœperit, dicendū eſt furti actionem non extingui, qua fructuarius dominus non eſt. Videtur etiam pro Quatenus poſitum à Iauoleno in l. litus.112.D.de verb.ſignifi. Litus publicum eſt eatenus, qua maxime fluctus exæſtuat.

QVADRAGESIMA vectigalis ſpecies, quæ nō rerum venalium, ſed litium, ſiue ſummarum, de quibus litigaretur, fuit, vt Suetonius in Gaio ſcribit.

QVADRANS in §.hæreditas inſtit, de hæred. Inſtituen. & l.50.§.fi.D. eſt pars aſſis quarta, id eſt tres vnciæ, Voluſio Metiano interprete in diſtributione aſſis, in princip, cuius hanc notam fuiſſe ait Ξ⊸. & vide G. Budæum in lib.de Aſſe.

QVADRANGVLVS homo, pro perfecto: qualem Plato inquit eſſe difficile reperire. Vide Bap. Pium in 4. Lucretij, & Eraſ. in parœmia, Quadratus homo.

QVADRANTAL quid ſit, docet Alciatus.l. vinaria. D. verb.ſign. idem ſcilicet quod amphora, quod pedem quadratum recipiat.

QVADRATARII, in l.vnic. de excuſ. artific. libr. 10.C. qui ſint, ex libello paſſionis Beator. Claudij, Caſtorij, Nicoſtrati & Symphoriani, qui arte quadrataria excelluiſſe feruntur, didici. Hic autem vno loco ſcriptū eſt, Et cœperūt artifices quadratarij incidere lapidem ad collyrium columnæ. Et alio loco, Tunc cœperunt in nomine Chriſti cauare conchas & pegas, & lacus cum ſigillis & cantharis, cum magna tenuitate artis. Et Aliàs, Ab eadem hora cœpit Simplicius omnem artem quadratariam cum ferramento ſuo, ſicut Symphorianus bene & recte operari. Ex quibus & aliis eiuſdem libelli, quos hic omitto locis, eorum artificū induſtriam in lapidibus expoliēdis, columnis ex marmoreis lapidicinis incidendis, marmoribúſque in tenues cruſtas ſecandis, & ſigillis, conchis, canthariſque cauandis, & omnibus argumentis ex marmore aliiſque lapidibus exprimendis verſatam liquet. Quod etiam Sidonij Apollinaris à me ſubiecta verba comprobant, quæ lib.3. Epiſt. ad Secundum leguntur. Sed vide, ait, vt vitium non faciat in marmore lapicida. Quod factum ſiue ab induſtria, ſeu per incuriam mihi magis quā quadratario liuidus lector adſcribit. Quadratarij Græcis λιθοξόοι, id eſt lapidum expolitores, exponuntur. l.j. C.de excuſat. artific. & in Baſilicis, οἱ τοὺς ἀφανεῖς λίθους ἀκονοῦντες.

QVADRATVM lapidem in l.6.§.pen.D. ſi ſeruit. vindice. interpretor quadrangularem, & in ſpeciem quadratam cæſum: quo modo & zonam quadratam Feſt. lib.15. interpretatur. Liuius libr.6. Capitolium quoque ſaxo quadrato ſubſtructum eſt. Plinius lib.10. Epiſtol. Manēt adhuc pauciſſimi arcus: poſſunt erigi quidam lapide quadrato, qui ex ſuperiori lapide detractus eſt.

QVADRIGA, aliàs pro curru accipitur, quatuor equis trahi ſolito. Aliàs pro numero quatuor equorum, qui niſi ſimul iungantur, vehiculum non commode poteſt agi ad vſum deſtinatum. l. ſcire debemus. D. de verb. oblig.

Quadriga etiam pro eo, qui quadrigam agit συνωρίδοχικῶς. l. peculium. §. quadrigæ. D. de leg. 2. vide Zaſium. l. ſcire debemus. D. de verb. oblig.

QVADRIGARII, qui quadrigas agunt, aut conficiunt.

QVADRVPLARI pretium alicuius rei dicitur. l.2. §. in hac actione. D. vi bonor. rapt. cum eius petitio in quadruplum eſt. In hac actione, inquit Vlpianus, intra annum vtilem verum pretium rei quadruplatur.

QVADRVPLATORES dicebantur, inquit Feſtus, qui eo quæſtu ſe tuebantur, vt eas res perſequerētur, quarum ex legibus quadrupli erat actio, apud Feſtum. Vel ſic: Quadruplatores dicti ſunt criminum publicorum delatores, qui pro delationis præmio, quartam partem in bonis delatorum conſequebantur. Delatores verò, ſycophantæ, hoc eſt, criminatores ſunt. Bud. in l. plurimum. de iuris & facti ignor. Hinc Tacitus lib. 4. Contra M. Lepidus quartam accuſatoribus ſecundum neceſſitudinem legis, cætera liberis conceſſit. Aſconius in Diuinat. addit, Quadruplatores eſſe eorū reorum accuſatores, qui conuicti quadrupli damnari ſoleant: vt aleæ, aut pecuniæ grauioribus vſuris feneratæ, quam pro conſuetudine: aut aliorum eiuſmodi criminum. Idem Verrina.3. ſcribit. Lege item, Simplariæ venditiones. Zaſ. Quadruplatores alicubi nominat qui lucra ex ludis ſumunt.

QVADRVPLEX iudicium apud Plin. in epiſt. centumuirale eſt, quod ſcilicet coactum eſt è quatuor iudicum conſiliis & decuriis, quæ in baſilica Iulia ſedebant. nā in ea quatuor erāt tribunalia. Hinc Fabius libr.12. Certè cum in baſilica Iulia diceret primo tribunali, quatuor autem iudicia, vt moris eſt, cogerentur, atque omnia clamatoribus fremerent, & auditum eum & intellectum, & quod agentibus cæteris contumelioſum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini. Vide Centumuiri. Sunt & apud Fabium Iudicia duplicia, in quibus duo conſilia ad vnam cogebantur haſtam, vnúmque tribunal. Si apud alios iudices, inquit, agatur, vt in ſecunda aſſertione, aut in centumuiralibus iudiciis duplicibus parte victa.

QVADRVPEDI ſeruus æquiparatur in princ.l. 2. D. ad leg. Aquil. Sunt paſſim multa in libris Pandectarum, de inhumaniſſima ſeruitutis forma. Certè ratio naturalis, & ius diuinum præcipiunt, relinqui ſeruis victū, ſicut ait Eccleſiaſticus.c.32. Aſino onus, pabulum, & virgam, ita ſeruo laborem, victum, & diſciplinam. Ceterùm quadrupedem pro pecude accipi, adnotauit in Comment. Alciat. Hic ego quadrupedis voce maiora, pecudis minora quadrupedia puto intelligenda, propriéque diſiunctiuam particulam à Gaio poſitam.

QVATERNIORES à quatuor militum, quibus præerant, numero dicti. Act Apoſto.12. Tradens eum quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum.

QVAECVNQVE & quantacūque, maioris ſunt ſignificantiæ, quòad vniuerſalia, quàm verbū Omnis, quia iſta propoſitio vniuerſalis, Omnes ſciunt, patitur exceptionem ſecundum materiam ſubiectam, l. omnes. iuncta Gloſſ. C. ſine cenſ. vel reliq. ſed quiſcunque, quantuſcunque, ſine delectu ſingularia complectuntur. l. baliſta. D. ad Trebell. vbi ſub verbo Quantacunque pecunia, fructus fundorum intelliguntur. Poſſunt tamen exceptionem quandoque pati, ſed raró. Quia, vt Zaſius ait, nihil in iure noſtro ad pūctum redigitur.

QVÆRERE, à Quæ, & Res, compoſitum eſt. Quæſtio enim id inquirit, & inueſtigat, quænam res ſit, cuius naturam libenter velimus ſcire. Alias:

Quærere verbum eſt proprium rerum capitalium, pro cognoſcere: quòd qui accuſatur, nocēs ſit, an innocēs, cum conſilio diſquiritur. Veteres Anquirere dicebant: Galli, Informationem facere. Cicer. ad Attic. in j. Senatus cenſuit, vt de iis qui ob iudicandum pecuniam accepiſſent, quæreretur. Hinc Quærere legibus dicebantur, qui criminum quæſtiones exercebant. Cicero in Miloniana: Decernebat enim, vt veteribus legibus extra ordinem quæreretur. Plin. Epiſto. vlt. lib.5. Cauſſa dilationis Nepos Prætor qui legibus quærit.

Quæri liberi vel vulgò, vel iurè dicuntur, qui vel ex legitimis nuptiis, vel σποράδην ſuſcepti ſunt. l.18. D. de bon. lib. l.4. C. de ſuis & leg.

QVÆSITAM hæreditatem dicimus, quæ vel ex teſtamento, vel ab inteſtato, vel ciuili, vel honorario iure eſt acquiſita. l.9. C. de petit. hæred. l.14. C. de teſtam. milit. l.14. C. de fideicomm.

QVÆSITI in ſeruitute dicuntur filij, qui ex ſeruis parentibus nati ſunt. l.j.§.j. D. ad Tertull. l. vltim. D. de

adopt.l.3.D.de liber.cauſ.Sic & Quæſitos per adoptionem dicimus filios.l.2.§.parui.D.de ſuis & legit.

QVÆSTIO, eſt appetitio cognitionis: quæſtioníſque finis,inuentio eſt:aliquando dubitatio & diſceptatio.

Quæſtionum genera,de omnibus plane rebus mundanis, cum in iudicio tum extra iudicium,tria ſunt: Scilicet, Anſit? Quid ſit? Quale ſit? Prima quæſtio facti eſt, & probationibus vel coniecturis expeditur, vt veritas appareat.Inde ſunt tituli:de probationibus, de inſtrumentis,de teſtibus:& alij id genus.Reliquæ duæ quæſtiones iuris ſunt,quæ per artem boni & æqui explicātur:cuius fit mentio in l.j.in princ.D.de iuſtit.& iur. Quamobrem lex,inter quæſtionem facti, & quæſtionem Iuris,obſeruari vult diſcrimen.l.idem erit.D.de ſtat.homin.l.mora fieri.in princ.D.de vſur. Elegantiſſime Vlpianus in l.eum quem temere.D.de iudic.Iudicibus,inquit,de iure dubitantibus,præſides reſpondere ſolent:ſed de facto conſulentibus,non debent præſides conſilium impertire,&c. Alij ſic:

Quæſtio alia facti dicitur,alia iuris. Quæſtio facti eſt, in qua factum nécne ſit,quæritur:Iuris autem,in qua de iure ambigitur:veluti cum dicimus,quatenus cuiuſque interſit,in facto non in iure conſiſtere.l.quatenus.21.D.de reg.iur. Similes diſtinctiones reperiuntur in l.j.D.quæ res pigno.l.vlt.D.de iureiurand.l.16.D.de ſtat.hom.l.2.§.vlt.D.de donat.& paſſim in iure noſtro: vt intelligatur,ſolas iuris quæſtiones ad Iuriſcōſultos pertinere:alteras verò quæ totæ in coniecturali ſtatu poſitæ ſunt,ab iis remotas eſſe:vnde illud Cice.in Topic.Nihil hoc ad ius.Ad Ciceronem inquibat Gallus noſter:ſi quis ad eum tale quid retulerat, vt de facto quæreretur.Neque verò prætermittendum eſt, ad facti quæſtiones eas referri, quæ voluntatis ſunt: id eſt, in quibus de voluntate, puta teſtatoris, ambigitur.l.3. D.de aur.& arg.legat.l.41.l.94.D.de verb.obligatio.l. 122.D.de verborum ſignific.l.8.§.ſi debitori.D.quib. mod.pign.

QVÆSTIONES, publica ſunt iudicia, inde ducto nomine,quòd in iis reus in iudicium vocatus, nocens ſit, an innocens conſtituto iudicio quæritur, vt l.2.de orig.iur.vbi Pomp. ſcribit quæſtiones publicas conſtitutas à Sylla de falſis, de ſicariis, de veneficiis, de parricidiis. Hinc:

Quæſtionem conſtituere, eſt decernere vt ſcelus vindicetur. Quæſtionem ferre,eſt vindicandum facinus iudicibus præbere,& mādare,vel potius ad Senatum referre,vt de vindicando ſcelere extra ordinem fiat Senatuſconſ.& in iudicium res deducatur. Budæus in l.j.ad leg.Cornel.de ſicar.

Quæſtio numinaria,pro iudicio priuato, in quo non de capite,ſed de pecunia diſceptatur. Calliſtratus.l.vlt.D. ne de ſtat.def.D.Claudius reſcripſit,ſi per quæſtionem nummariam præiudicium ſtatui videbitur fieri, ceſſare quæſtionem.

Quæſtionis Iudex, vide Iudex Quæſtionis.

QVÆSTIO in Rubric.de Quæſtionib. eſt tormentum quod reo ad ſcelerum & ſociorum ſuorum veritatem eruendam adhibetur.l.item apud.§.quæſtionem.D.de iniur.l.j.D.de quæſtionib.l.inde Neratius.§.ſed etſi.D. ad leg.Aquil.Huius autem hæc genera refert Syneſius in epiſtolis, λακτυλήθραν, ποδοστράβην, πιεστήριον, ῥινολαβίδα, ὠτάγραν, χειλοστρόφιον.

QVÆSITORES dicti qui quæſtionum iudicia exercent.Horum autem creandorum ratio olim apud Romanos fuit talis:Cum vſus poſtulabat, ex S.C. vel dictator,vel conſulum alter,ambòve,vel prætorum aliquis de crimine publico quærere iubebatur. qui iuſſus erat,is quæſitor dicebatur:quos Quæſitores ante XII. Tab.leges creari cœptos ſubindicat Pomponius.l.2.de orig. iur. Dictatorem ſanè quæſtionibus exercendis creatū,legimus apud Liuium libr.9. Senatus verò modò conſulibus,modò prætoribus quæſtiones decernebat.De COS S.qui de Bacchanalib. quærerent, auctor eſt Liuius lib.39.Sic Iugurthinæ cōiurationis quæſtionem conſuli mandatam Cic.in Bruto ſcribit.De prætorib.qui de veneficiis & peculatu quærerent, ſcribit Liuius lib.38.& 39.Talis fuit quæſtio de vi,Cn.Domitij prætoris:de qua Cicero, & Aſcon.in Milonianam.Et hoc quidem pacto publicæ quæſtiones tractatæ ſunt vſque ad annum V.C.604.Anno autem ipſo 604.perpetuæ ſunt quæſtiones inſtitutæ. quod ex verbis his Ciceronis quæ ſunt in Bruto colligitur: Carbone forū tenente plura fieri iudicia cœperunt.nam & quæſtiones perpetuæ hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ ante nullæ fuerant. Hæ autem quæſtiones perpetuæ hanc vim habuerunt,vt cum eo tempore ſeni quotannis prætores crearentur, duo, qui ius de priuatorum controuerſiis dicerent,quatuor,qui in prouincias iuris dicundi cauſſa cum imperio mitterētur: poſthac ratio conuerteretur:atque quatuor illi, qui ſortiri prouincias ſolerent,Romæ ſuas quiſque quæſtiones ſortirētur,vt maieſtatis,peculatus,inter ſicarios,ambitus,repetundarum,adeo vt ſi de aliquo horum criminum eſſet quærendum,non nouo quæſitore, qui extra ordinem quæreret,opus eſſet, ſed prætor ille, qui ei quæſtioni præeſſet,adiretur,iſque,vt ante,cum conſilio de eo crimine cognoſceret.Prætor itaque ipſe dicebatur quærere,& quæſtionem ac iudicium exercere,& quæſtioni præeſſe, & quæſitor eſſe. Teſtis eſt Cicero pro Rabirio Poſthumo, cū ait,Accuſaui de pecuniis repetundis,iudex ſedi,Prætor quæſiui.Et Aſconius:Iudiciū C.Cornelij de maieſtate exercuit Q. Gallus prætor. Iterum Cicero in j.in Verrem actione:Duo igitur cōſules & quæſitor erunt ex illius voluntate. Item, Subſortiemur in M.Metelli locum, quoniam is huic quæſtioni præfuturus eſt.Et iterum Aſconius: Scaurus poſtulatus eſt apud M. Catonem prætorem repetundarum.& poſt.M.Cato.id iudicium exercebat. Et rurſus Cic.de finib.L. Tubulus prætor quæſtionem inter ſicarios exercuit.Quæſitoris autem quæ eſſent partes, docuit Aſconius,qui exponens hos Virgilianos verſus lib.6.Æneidos.

Quæſitor Minos urnam mouet, ille ſilentum
Conciliúmque uocat, uitáſque, & crimina diſcit.

ait Virgilium:Minoem iudicem apud inferos, tāquam ſi Prætor ſit rerum capitalium,quæſitorem appellaſſe, dediſſe ſortitionem,cum vrnam nominat;electionem iudicium, cùm ait *Conciliúmque uocat*: cognitionem facinorum, cum dicit, *uitáſque & crimina diſcit*. Quod idem ex verbis etiam Ciceronis in Vatinium colligi poteſt his: Quæro ex te, edixeríne C. Memmius prætor, vt ex lege Licinia & Iunia adeſſes die trigeſimo? quæro ex te numquis in hac ciuitate poſt vrbem conditam tribunos appellarit,ne cauſſam diceret? nūquis reus in tribunal ſui quæſitoris aſcenderit, eúmque vi deturbarit,ſubſellia diſſiparit,vrnas deleuerit, &c. Et in Brut. Intelligens dicendi exiſtimator videt oſcitantem iudicem, loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem mittentem ad horas, quæſitorem vt dimittat, rogantem. Et Philipp. v. Quæro ſi Lyſias des citatus iudex non reſponderit, accipiétne excuſationem is qui quæſtioni præerit. Et in Rhetoricis ad Herennium: Accuſatoris officium eſt inferre crimina; defenſoris diluere & propulſare, teſtis eſt dicere quæ ſcierit,aut audierit;quæſitoris eſt,vnumquemque eorum in officio ſuo continere. Quibus ex locis intelligitur,quæſitoris fuiſſe,ſortiri,iudices, cogere, dimittere,& crimē cognoſcere: vel denique(vt ait Cor-

nifi

nificius) accuſatorem, defenſorem, teſtem in officio continere: vim ac poteſtatem iudicum coercendorum, hoc eſt ſub pignoribus cogendorum, habere: in ſella curuli eburnea pro tribunali ſedere. Ipſe autem nec iuratus erat, nec ſententiam ferebat: ſed vrnæ, in quam & cauſſarum ſortes coniiciebantur, & iudices ſententiam ferebant, præerat: iudices in conſilium vocabat: videri feciſſe reum, vel non feciſſe pronunciabat. Quanquam autem iudicia fere omnia hoc modo poſtea ſunt facta, non eſt tamen antiqua illa conſuetudo intermiſſa: quin & multi extra ordinem ad populum rei facti, & multi ad quæſitores extra ordinem à ſenatu decretos, ſiue à populo iuſſos, ſunt adducti. Hæc qui plenius audire volet, legat Sigonium cap. 18, lib. 2. de antiq. iure ciuium Rom.

Quæſtores PARIGIDII (quemadmodum ſcribit Pomponius in l. 2. de orig. iur.) creari à populo ſolebant, qui capitalibus rebus præeſſent. nam Conſulibus de capite ciuis Romani iniuſſu populi ius dicere non licebat. Feſtus lib. 14. Paricidij quæſtores appellabantur, qui ſolebant creari cauſſa rerum capitalium quærendarum. Nam paricida non vtique is qui parentem occidiſſet dicebatur: ſed qui qualemcunque hominem. idem autem fuiſſe indicat lex Numæ Pompilij Regis, his compoſita verbis: Si quis hominem liberum dolo ſciens neci duit, Paricida eſto.

Quæſtor NOVIUS apud Tranquillum non is eſt, inquit Turneb. Aduerſ. lib. 2. cap. 27. qui pecuniam publicam tractat, ſed qui iudicium publicum exercet, & quæſitor ſæpius dicitur, apud quem nominari maiorem poteſtatem, vt prætorem (id enim eſt compellari maiorem poteſtatem.) non oportuit.

QVÆSTORES (inquit Varro) à quærendo: qui conquirerent pecunias publicas. Cornel. Tacitus lib. 11. Annalium, Apud maiores virtutis id præmium fuerat, cunctiſque ciuium, ſi bonis artibus fiderent licitum petere magiſtratus: ac ne ætas quidem diſtinguebatur, quin prima iuuenta conſulatum ac dictaturas inirent. Sed Quæſtores regibus etiam tum imperantibus inſtituti ſunt: quod lex Curiata oſtendit ab L. Bruto repetita. manſitque Conſulibus poteſtas diligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret: creatique primùm Valerius Poſthumius, Æmylius Mamercus 63. anno pòſt Tarquinios exactos, vt rem militarẽ comitarentur. Dein gliſcentibus negociis, duo additi qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus ſtipendiaria iam Italia, & accedentibus prouinciarum vectigalibus. Poſt lege Syllæ viginti creati ſupplendo ſenatui, cui iudicia tradiderat. Et quanquam equites iudicia recuperauiſſent, quæſtura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitatem tribuentium gratuitò concedebatur, donec ſententia Dolabellæ venundaretur. Aſconius Verrina 1. Quæſtores vrbani ærarium quærebant, eiúſque pecunias expenſas & acceptas in tabulas publicas referre conſueuerant. Liuius autem lib. 7. teſtis eſt, eoſdem Quæſtores ſigna ex ærario prompſiſſe Imperatoribus ad bellũ exeuntibus. Pomponius l. 2. §. 12. D. de origi. iur. Deinde cum ærarium populi auctius eſſe cœpiſſet, vt eſſent qui illi præeſſent, conſtituti ſunt Quæſtores qui pecuniæ præeſſent. dicti ab eo, quòd inquirendæ & conſeruandæ pecuniæ cauſſa creati erant. Vlpian. in l. j. D. de offic. quæſt. Origo Quæſtoribus creandis antiquiſſima eſt, & penè ante omnes magiſtratus. Gracchanus denique Iunius lib. 7 de Poteſtatibus, etiam ipſum Romulum & Numam Pompilium binos quæſtores habuiſſe, quos ipſi non ſua voce, ſed populi ſuffragio crearent, refert. Sed ſicuti dubium eſt an Romulo & Numa regnantibus Quæſtor fuerit, ita Tullo Hoſtilio rege Quæſtores fuiſſe certum eſt. Sanè crebrior apud veteres opinio eſt, Tullum Hoſtilium primum in rempublicam induxiſſe Quæſtores. Et à genere quærendi Quæſtores initiò dictos, & Iunius, & Trebatius, & Feneſtella ſcribunt. Tacitus lib. 13. de Nerone loquens: Deinceps curam tabularum publicarum à Quæſtoribus ad Præfectos tranſtulit, variè habita ac ſæpe immutata eius rei forma. Nam Auguſtus permiſit ſenatui deligere Præfectos. Deinde ambitu ſuffragiorum ſuſpecto, ſorte ducebantur ex numero prætorum, qui præeſſent: neque id diu manſit, quia ſors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius Quæſtores rurſus impoſuit: iiſque ne metu offenſionum ſegnius conſulerent, extra ordinem honores permiſit. Sed deerat robur ætatis eum primum magiſtratum capeſſentibus. Igitur Nero præfectura perfunctos, & experientia probatos delegit. Eorundem etiam munus erat prædam ex hoſtibus captam vendere, pecuniámque inde redactam, in ærarium referre: quemadmodum Gellius lib. 13. ca. 13. declarat. Item mulctas irrogatas exequi, & in publicas tabulas referre: vt patet ex Liuij lib. 40. Tacitus lib. 13. Cenſuit Piſo deſignatus Conſul, ne mulctam à Tribunis dictam Queſtores ærarij in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent. Dio præterea in lib. 55. extremo ſcribit, Tuberone, Fabio COSS. ad Quæſtores tranſlatam eſſe curam Senatuſconſultorum aſſeruandorum, cum antea Tribunorum pleb. & Ædilium id munus fuiſſet. Denique (vt paucis horum munus complectar) vectigalia popul. Rom. in prouincia exigebant, ſtipendia præbebant militibus, ſingulaque accepta, expenſaque rationibus inferebant, multas quoque pecunias tam Romæ, quàm in prouinciis exigebant, & in publicas tabulas notabant, omniúmque pecuniarum, rerúmq; notas, & illuſtres rationes dabant: illáſque confectas & conſolidatas, abſolutáſque, per ſcribas ſuos in ærarium deponebant. Vide Alexan. ab Alexand. Genial. dier. libri ſecundi, capit. 2. vbi & alia quæſtorum munera commemorat.

Quæſtores PROVINCIALES erant, qui vnà cum Proconſulibus, aut Proprætoribus in prouincias exibant, cum pecuniam ſibi ex ærario à Senatu attributam, & à Tribunis ærarij adnumeratam accepiſſent, vnde ſtipendio, frumento, legatis, proquæſtoribus, cohorti prætoriæ ſuppeditarent: quemadmodum ex Verrina 3. intelligitur. Aſconius, Prima Senatoris adminiſtratio eſt Quæſtorem fieri, & in prouincia curam gerere pecuniæ publicæ in vſus diuerſos erogandæ. Inter vrbanos autem & prouinciales Quæſtores hanc differentiam notat Hotomanus. Primùm quòd illi neque lictores, neque viatores habebant: cum neque vocationem, neque prehenſionem haberent: vti ſcribit Gellius lib. 13. cap. 12. Hi verò & lictores, & togã prætextam habebant: vt in Verrinam 4. idem docet, idque conſtat ex Orat. pro Plancio his verbis. Nam ſimulac me Dyrrachium attigiſſe audiuit (de Plancio loquitur, Quæſtore tum Macedoniæ) ſtatim ad me lictoribus dimiſſis, inſignibus abiectis, veſte mutata profectus eſt. Altera differentia eſt, quod Vrbani ius non dicebant: Prouinciales autem iure dicundo conuentus circumibant, vt ſcribit Suetonius in Cæſare, & quæcunque commiſſa populo Rom. eſſent, exquirebant: déque iis iudices ac recuperatores dabant: quemadmodum videmus in Diuinatione Q. Cæcilium Verris Quæſtorem in Agonidem iudicium dediſſe, Si pateret eam ſe & ſua Veneris eſſe dixiſſe.

Quæſtores CANDIDATI dicebantur, qui libris, hoc eſt epiſtolis, ſiue orationibus Principis in Senatu legendis præerant: quemadmodum docet Vlpianus in l. j. D. de offic. quæſt. Lampridius in Alexandro, Quæ-

ſtores candidatos ex ſua pecunia iuſſit munera populo dare:ſed vt poſt quæſturam præturas acciperent, & inde prouincias regerent. Quibus ex verbis candidatos ſuſpicor ea re dictos eſſe, quòd hic ingreſſus erat, & quaſi primordium gerendorum honorum, & ſententiæ in Senatu dicendæ: quemadmodum Vlpianus eodem loco ſcribit. Dio lib.54. συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον, αὐτὸς μὲν οὐδὲν εἶπεν ὑπὸ βράγχου. τὸ δὲ δὴ βιβλίον ὁ ταμίας ἀναγνῶναι δοὺς, τότε ἐπηγγείλατο οἱ κατηριθμήσατο. Tacitus libr.16. Inter quorum aſpectus & minas ingreſſi curiam Senatores, & oratio Principis per quæſtorem eius audita eſt. Suetonius in Tito Recepta ad ſe prope omnium officiorum cura, cum patris nomine & ipſe epiſtolas dictaret, & edicta conſcriberet, orationéſque in Senatu recitaret etiam quæſtoris vice.

QVÆSTOR ſacri palatij ſub Impp. Conſtantinopolitanis, is erat qui petitionibus ſubſcribebat, vel etiam reſponſa reddebat, & (vt paucis complectar) qui leges dictabat, precéſque ac reſponſa ſubnotabat, vt conſtat ex Notitia Imp. Roma. & Nouell.53. & 114. l. vltim. C. de diuerſ. reſcript. Sub eorum etiam diſpoſitione laterculum minus erat, vt ex l.32. C. de appellation. l.1. C. de offic. quæſt. Nouell. Valent.3. & l. vltim. C. de petition. bon. l.64. l.65. C. de decur. patet. Symmachus ad Auſonium: Quæſtor es, memini: conſilij regalis particeps, ſcio: precum conditor, recognoſco. Et alio loco: Te magis quæſturæ honos & condendarum ſanctionum vſus exercuit. Procopius 1. de bello Perſ. ὁ μὴ πρόβολος ἐκώλυσεν, ὃς βασιλεῖ τότε παρήδρευε, τὴν τοῦ καλουμένου κοιαίστωρος ἀρχὴν ἔχων, ἀνὴρ δίκαιος, διὸ δὴ οὔτε νόμους τινὰς ἀνέτως ἔγραφεν. Et alio loco: Τριβουνιανὸς βασιλεῖ πάρεδρος, κοιαίστωρα τοῦτον καλοῦσι ῥωμαῖοι. His verò de cauſſis quæſtor iuſtitiæ & legum cuſtos appellatur, & theſaurus famæ publicæ, & armarium legum in Nouell. Valentiniani de homicid. caſ. fac. & à Caſſiodoro duobus, aut tribus locis. Denique is plane eſt quæſtor, quem in aula Cancellarium nos & Latini etiam appellarunt. Niceta 7. τὸν οἰκεῖον, ὡς ἡ λατίνων βούλεται φωνὴ, καγκελλάριον, ὡς δ' Ἕλληνες εἴποιεν, λογοθέτην. Nam & ſic legitur in Notitia officiorum Conſtantinopoleos: Μέγας λογοθέτης διατάττει τὰ παρὰ τοῦ βασιλέως ἀποστελλόμενα προστάγματα, καὶ χρυσόβουλλα, πρὸς ῥῆγας τε, καὶ δοῦκας καὶ τοπάρχας. καὶ τοῦτο μὲν ἴδιον τοῦ μεγάλου λογοθέτου ὑπηρέτημα. His porrò verbis quæſtor reſcriptis & conſtitutionibus ſubſcribebat: QVÆSTOR LEGI, addita die: vt in conſtitutionibus Iuſtini & Tiberij de adſcriptitiis. Præcedebat ſubſcriptio principis, addita etiam die. quod iis verbis ſignificatur in Nouell. Valentiniani de hom. caſ. fac. ET MANV DIVINA. DIVINITAS TE SERVET PER MVLTOS ANNOS, & Nou. de ind. reliq. quod tamen in impreſſis deeſt: ET MANV DIVINA. OPTAMVS VOS FELICISSIMOS, &c. Addebatur etiam dies, quo is ad quem dirigeretur conſtitutio, eam accepiſſet, & quo fuiſſet antelata, id eſt, programmate propoſita, l. 27. C. Theodoſ. de iis qui ſuper rel. cont. idéoque in vna nonnunquam & eadem conſtitutione quatuor dies iis verbis ſubnotatos inuenias, Data, Subſcripta, Accepta, Antelata, vel Lecta, vel Allegata. Etiam hoc adiiciemus, eundem morem poſteriores Impp. retinuiſſe, vt & ipſi ſubſcriberent conſtitutionibus, & chartularius cubiculi, quem vocarunt τὸν ἐπὶ κανικλείου, vt ex quadam Manuelis conſtitutione teſtatur Cuiacius ad l.2. Cod. de petit. bon. ſubl. lib.12. Ad quæſtorem autem pertinebant memoriales, id eſt (vt Græci interpretantur) dicta lege ſecunda, οἱ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι, & ad legem eos. C. de excuſ. mu. οἱ τῶν ὑπομνημάτων πάντων, &c.

Quæſtor EXERCITVS in Nouellis à Procopio definitur χορηγὸς δὲ τοῦ στρατιωτικοῦ δαπάνης: rectiſſimè: nam Nouella 41. στρατιωτικὰς δαπάνας, & Iulianus Nouella 50. annonas militum tum Comitatenſium qui percaſtra ſunt, quàm limitaneorum eum diſtribuiſſe. Sed habuit etiam iuriſdictionem & auditorium, & apparitionem inſtar præf. prætorio, & vicarium in vrbe. nam ſub eo erant prouinciæ quinque, Scythia, Myſia, Caria, Cyprus, & Cyclades inſulæ, quarum caput Rhodus: & inde Rhodi appellatione d. Nouel.41. Cyclades ſignificantur. Habuit harum prouinciarũ vnaquæque ſuum præſidem, & de præſide Cycladum eſt l.4. C. de nauicul. Nouell.163. & ab his præſidibus appellabatur, non ad præfe. prætorio, ſed ad quæſtorem exercitus, ex Nouell.50. cui Nouell.41. ita derogat, vt ex Myſia quidem & Scythia appellationes apud eum inducantur, quòd is ſedem ſuam in iis prouinciis habeat: ex cæteris autem prouinciis vt appellationes in vrbem inducantur apud eundem ipſum, ſi fortè in vrbe fuerit, vel apud vicarium eius adhibito quæſtore ſacri palatij. Item à iudice, quem ipſe dederit in eis prouinciis, puta Caria, Cypro, Rhodo, vt appelletur ad vicarium eius, & vt lis apud eum in vrbe cœpta, apud vicarium eius peragi poſſit: ſi forte eum exercitus cauſſa & neceſſitas auocauerit à munere iudicandi. Vulgo dicitur, A iudice dato eum appellari qui iudicem dedit: id ſic eſt accipiendum, vt & ſucceſſor eius appellari poſſit, lege prima. D. quis à quo appell. vel vicarius ex Nouell.41. Vulgo dicitur, Apud quem cœptum eſt iudicium, & finem accipere debere. Et hic quoque addatur, vel apud ſucceſſorem eius, aut vicarium.

QVÆSTOR, cuius meminit Nouella 80. creatus conſtitutúſque à Iuſtiniano eſt Conſtantinopoli quærendis coercendíſque mendicis, inertibus, otioſis, peregrinis, errantibus & vagis, cuiuſcunque conditionis eſſent, ſiue clerici, ſiue monachi, ſiue aduocati aliarum ciuitatum, quos σχολαστικοὺς d. Nou. vocat, & Iulianus ſcholaſticos, vt lege ſecunda. C. de lucr. aduoc. Nos enim qui in foro veriſque litibus terimur, multum malitiæ, quamuis nolimus, addiſcimus. Schola & auditorium & ficta cauſſa innoxia eſt: at ſi forte exteri litis cauſſa in vrbem venerint, vult Iuſtinianus quæſtore imminente, inſtante, vrgẽte, & ad extremum audiente & cognoſcente, morantibus iudicibus celerrimè eorum lites finiri. Eidem in mendicos validos coercitionem dat mitiorem quam definiatur l.1. C. de mend. val. & conſtituit quandam veluti ἀργίας actionem, vt ipſe ait, id eſt inertiæ & lenitudinis, qualis fuit olim apud Græcos. Datur etiam huic quæſtori poteſtas cognoſcendi de crimine falſi, & de ſuperexactionibus executorum, id eſt ſi ſupra modum ſportulas exegerint. Videtur & ius habuiſſe imbecillis dandi tutoris, vt ex Harmenópulo conſtat 5. tit.11. qui & in fine ſexti de eius officio tractat.

QVÆSTORIVM, dicebatur quæſtoris tabernaculum in caſtris: quemadmodum Prætorium, Prætoris. Habebatur enim magno in honore quæſtor. Vnde Inſignia quæſtoria nomen traxerunt.

QVÆSTORIVS ager dictus eſt, qui ex hoſtibus captus per quæſtores populo Rom. limitibus actis diuiſus, eſt venditus. Hæc Flaccus. Quæſtorij agri dicuntur, quos populus Rom. deuictis pulſiſque hoſtib. poſſedit, mandauitque Quæſtoribus, vt eos venundarent. Hæc Hygenus.

QVÆSTVS intelligitur qui ex opera cuiuſque deſcendit, lege ſeptima, & lege octaua. D. pro ſoc. hoc eſt, ſi quod lucrum ex emptione, venditione, locatione, conductione deſcendit. denique quod non per ſe natum, vt hæreditas, legatum, donatio: ſed labore & opera

opera cuiuſque quæſitum eſt. Minus tamen eſſe lucrum quàm quæſtum patet ex his Ciceronis verbis in Orat.in Piſon. Quo quidem in ſpectaculo mira Reipublic.æquitas erat:vter eorum periiſſet, tanquam laniſta,in eiuſmodi pari lucrum fieri putabat: immortalem verò quæſtum,ſi vterque cecidiſſet.

Quæſtus fundi, reditus eſt,l.22. de fund.inſtru.vt apparet ex coniunctione l.12.§.ſi agro.D.eodem.Vallæ quęſtus eſt actio ipſa,atque artificium lucrandæ pecuniæ. Verum quæſtus nomine,nec hæreditas,nec legatum, nec donatio continetur,vt iam diximus.

Quæſtus illicitus compræhenditur nomine lucri. Vnde luſor etiamſi multa perdiderit,non poterit prætendere titulum oneroſum. Baldi celebratur verbum illud: Quicquid ex maleficio quæritur, dicitur eſſe lucrum, ſed illicitum, l.ſi poſſeſſor. D.de pet.hæred.iubet reſtituendos quæſtus inhoneſtos: ne vel colore aliquo poſſeſſor lucrum faciat.

QVÆSTVARIVS, qui quæſtus gratia ludicram artem exercet, l.athletas. §.j.& l.2.in fine. D.de his qui not.infam.

Quæſtuaria corpora, quæ quæſtum corpore faciunt, l.4. §.j.D.de iis,qui not.infam.

QVALIS QVALIS ſeruus in l.5.§.vltim. D.de conſtitut.pecun.dum dicitur,qualem qualem ſeruum domino acquirere obligationem conſtitutæ pecuniæ, eſt ſeruus qualiſcunque,ſiue ordinarius,qui & actor dicitur & diſpenſator:ſiue vicarius, vt rectè Græci interpretantur. Sic & Qualis qualis ſumitur apud Vlpianum in l.2.D.de bon.poſſ.ſecund.tab.

Qualem ſententiam dicat arbiter, non refert, dummodò dicat,quod ipſi videtur.Certiſſima enim ductrix conſcientia eſt,Paulus in l.qualem.D.de recept.

QVALECVNQVE dominium in l.ſi mater. §.eandem. D.de excuſatio.rei iudic.hoc eſt ſiue dominium in bonis,ſiue dominium ex iure Quiritium: vel,vt non male Ioannes loquitur,ſiue dominium ciuile,ſiue naturale.qui enim,inquit Cuiacius,dominiũ aliud directum, aliud vtile faciunt,magno errore labuntur.

QVALISCVNQVE poſſeſſor,l.12.§.penult.quibus modis pignus vel hypotheca ſoluat.hoc eſt ſiue iuſtus,ſiue iniuſtus poſſeſſor.

QVALITAS, aliàs accipitur pro conditione rerum, quatenus ad commercium humanum poſſunt, vel poſſunt accommodari: vt in titul.de diuiſio. rerum & qualit. Aliàs accipitur pro bonitate vel æſtimatione rerum, §.1.Inſtit.quibus mod.re contra.obligat.l.j. D. de act.& oblig.

Qualitas in iure noſtro accipitur etiam, pro differentiis facientibus rem certam ac determinatam, & contrahentibus rem ad indiuiduum. textus eſt ſecundum Zaſium in l.ſtipulationum quædam. D.de verbor.oblig. Itaque Qualitas eſt quæ ſpeciem ex differentibus declarat. Ideoque quam Vlpianus in l.hæredes.21.§.ſed etſi.D.de teſtamen.nummorum qualitatem appellat, eam Papinianus in l.qui non.78. §.j. D.de hæredibus inſtituend. ſpeciem vocat. Similiter Caius in lege ſeptuageſimaquarta. D.de verborum obligationib. qualitatem demonſtrari ait, cum certam ſpeciem nominamus: veluti fundus Tuſculanus, homo Stichus, & lege ſequenti. Cum vinum Campanum optimum dicimus,ea res,inquit, efficit, vt ea appellatio certi ſignificatiua ſit.

Qualitatum genera duo ſunt: neceſſariæ, non neceſſariæ. Neceſſariæ in actione exprimi debent, vt peto à pupillo, quæ ei auctore tutore mutuaui. Hæc plerúmque à iure præſumitur, l.non putauit. §.non quæuis. D.de bon.poſſeſſio. contra tabul. Non neceſſariæ non exprimenti, expreſſæ tamen probandæ ſunt, l.habebat. D.de inſtitor.

Qualitas, adiecta verbo, ſecundum tempus verbi intelligenda eſt, lege in delictis. §.ſi extraneus. D.de noxalibus.

Qualitas prædij,bonitas, ſalubritas, amplitudo, l.ſi quid alius.de verb.ſignif.

Qualitatem & materiam, pro eodem poſuit Vlpianus, l. 14.D.de contrah.empt.

Qualitas frumenti, pro genere & ſpecie, l.21.§.ſed & ſi dotem. D.de teſtam.

QVALITER QVALITER, pro qualitercunque, lege ſeptima.D.de minoribus, lege ſeptima.§.primo. D.ad legem Aquil.l.j.D.de bon.eor.qui ante ſent.ſibi mort. conſci.

QVALITER ſe habere,id eſt, qualitatibus quibuſdam affectum & præditum eſſe,Celſus l.76.de verb.ſignif. Quid aliud ſunt iura prædiorum, quam prædia qualiter ſe habentia? vt bonitas,ſalubritas,amplitudo.Idem eodem ſenſu vſurpauit, l.qui fundum. 12.quemadm. ſeruit.amitt. Fundus, inquit, qualiter ſe habens, ita cum in ſuo habitu poſſeſſus eſt,ius non deperit. Atque ita habent Florent. Pand.alij codices qualiter qualiter in hoc poſteriore loco,& in ſuperiore æqualiter.

QVALITERCVNQVE, pro vtcunque, Alberico, id eſt ſiue bene,ſiue male.

QVALVS, apud Vlpianum in princip.l.ſed & ſi quid. §. j.D.de vſufruct. Nam ſi librarium, ait, rus mittit, & qualum & calcem portare cogat.eſt ciſtæ genus, quo calx defertur, quod & Canum dicebatur, auctore Feſto. Gloſſis, Qualus, ἀμπελουργικὸς σώρακος κόφινος. Apud Virgilium Georgic.2.qualus pro vimineo vaſculo,per quod vinum guttatim defluit,cum calcatur vua. Apud Apuleium accipitur pro caniſtro, in quo panis ſeruatur. Prudentius in hymnis pro ſponda accipit. vide Columellam lib.j.cap.15.

QVAM pro Magis,vel potius quàm, video à Iuriſconſultis vſurpari locis quàm plurimis. Paulus l.2.D.de rebus credit. Mutui datio conſiſtit in his rebus, quæ pondere,numero,menſura conſiſtunt: quoniam earum datione poſſumus in creditum ire:quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quàm ſpecie. Vlpianus l.2.D.de iudi. Alioquin compelletur iudicium accipere,quàm inuenire eos,qui ſatis pro eo dent. Idem l.pro hærede.in fine. D.de acquiren.hæredit.Si ſepulchri violati filius aget, quamuis hæreditarij, quia nihil ex bonis patris capit, non videtur bonis immiſcere.hæc enim actio pœnam,quàm rei perſecutionem continet. Idem l. ſi hominem.in princ. D.depoſit. Quia cum ſciret cui rei pararetur, intempeſtiuè miſericordiam exercuit,cum poſſet non ſuſcipere talem cauſſam, quàm decipere. Idem l.ſuſpectus. D.de ſuſp.tut. Expedit enim pupillo rem ſuam ſaluam fore, quàm tabulas rem ſaluam fore cautionis habere.Idem l.ſi cui.§.ſi Titio.D.de legat.1. Intereſt enim eius ſolui mihi,quàm ipſum conuentum mandati actionem intendere.Idem l.prætor.§.hoc interdictum.D.de operis noui nuntiatione. Nonnulli putant in factum eſſe dandam, quàm interdictum.quod verum eſt. Tertullianus lib.2.aduerſus Marcionem: Quia bonum ſcilicet fidere in Deum, quàm fidere in hominem. Et in Apologet.cap.8. Sed beſtiarum, inquis, opinor hoc munus,quam hominis. & Liuius lib.3. Oratio fuit precibus quam iurgio ſimilis. Tacitus lib.1. Verum, quia Romanis Germaníſque idem conducere, & pacem quàm bellum probabant. Idem lib.3. Ad Druſum pergit,quem haud fratris interitu trucem, quàm remoto æmulo æquiorē ſibi ſperabat. Et alibi ſæpe. Sic Claudianus de bello Gildon.

Phalarim tormentáque flammæ
Profuit, & Siculi mugitus ferre iuuenci,
Quam tales audire choros.

Videtur

Videtur autem hoc genus loquendi ab Hebræis manaſſe, qui particulã Magis ſæpiſſime ſubaudiunt. Vide Ant. Auguſt. lib. 4. cap. 8.

QVAM, pro ante quàm, l. j. C. vbi cauſ. fiſcal.

QVANDIV, pro quo ad, Paulus in l. illis libertis. de conditionibus, & demonſtrationibus. Quandiu adoleſcens ad militiã promoueretur. Sic l. 15. D. quibus modis vſusfruct. amitt. l. j. §. habebit. D. de pen. legat. An hæc dictio faciat conditionem, Bart. diſſerit, in l. j. C. de leg. & in l. j. D. de cond. & demonſt.

QVAMLIBET, Alber. indicat, pro aliquam, accipi in l. 3. in princ. D. de acquir. poſſeſ. Sed ſufficit, inquit Paulus, quamlibet partem eius fundi introire.

QVAMVIS, pro quantumuis, l. 43. D. de damno infect. Sed ſi tanta vis venti fuiſſet, vt quamuis firma ædificia conuelleret. Sic apud Virgilium:

Vt quamuis auido parerent arua colono.

QVANDOQVE, prò quandocunque non rarò in libris noſtris vſurpatur. Sic Quandoque venerit, id eſt, quandocunque, in l. 2. D. de conditionib. & demonſtr. Et, quandoque liberos habuerit, l. 18. D. quando dies legat. ced. & Quandoque nupſerit, in l. 30. eodem titul. & Quandoque conditio extiterit in l. 28. D. ad Trebellia & Quandoque apparuerint, in l. 15. D. de legatis tertio. Quandoque inciderint, l. 9. D. de legibus. Sic & in lege trigeſimaquinta, D. de iureiurand. l. 54. D. ad Trebellia, & lege ſeptima. D. de pactis dotalib. l. j. §. hæc pœna. D. quod quiſque iur. l. 104. §. penult. D. de legatis, libr. 1, lege ſexta. D. de tributor. lege ſeptima. D. de vulg. lege nona, C. de capit. dim. Sic vbique pro, vbicunque aliàs dicitur.

Quandoque alias valet aliquando, vt lege vigeſimaſecunda. D. de adoptionib. l. 8. §. manumiſſionis. D. de donatio. inter virum. At in titulo, quibus modis re contrah. obligat. quod ait Iuſtinianus: Vt quandoque non eadem, ſed alia eiuſdem generis reſtituantur, id Caius eandem rem tractans lib. 3. Inſtitut. dixit, ſtatuto tempore.

QVANDOQVE RESTITVAS, hoc eſt, cum primum potueris, l. 29. D. quando dies leg. ced.

Quandoque, id eſt, poſt aliquod interuallum. Caius l. 42. D. de iure dotium. Res in dotem datæ quæ pondere, numero menſura conſtant, vt quandoque ſoluto matrimonio aliàs maritus reſtituat. Vlpianus, l. 22. D. de adoptionibus. Cæterùm ſi fidei eius committat, vt quandoque reſtituat; non oportet admitti fideicommiſſum.

QVANTI & Tanti relatiua ſunt inter ſe, vt tot quot. Gaius lege ſexageſimaquinta, de legat. 2. Quod ſi minus ſunt, in tantos quanti inueniuntur; id eſt, in tot quot inueniuntur.

QVANTÆ ſummæ, in l. quiſquis. D. de legat. 3. teſtator dixit: Quiſquis mihi hæres erit, damnas eſto dare quantas ſummas legauero. Ibi, teſte Zaſio, intelliguntur ſub nomine Summarum, corpora: & licet verbum Quanti, referatur ad pecuniam propriè, tamen ibi refertur ad corpora.

QVANTVM MEA INTERFVIT, Paulus in l. 2. D. rem ratam habet. hæc verba declarãs ſic dicit: Quantum mea interfuit, id eſt, quantum mihi abeſt, quantúmque lucrari potui. Pomponius in l. ſi procurator. idem probat, dict. tit.

QVANTI EA RES EST, vel quanti eam rem paret eſſe, idem valet. in vtraque enim clauſula placet veram rei æſtimationem fieri, inquit Vlpian. l. 179. D. de verbor. ſignif. l. 8. D. de in litem iurando. Quandoque ei, quod intereſt, opponitur, l. vnica. §. fin. D. ſi quis ius dicen. non obtemp. Hoc iudicium, inquit eo loci Vlpianus, non ad id quod intereſt, ſed quanti ea res eſt concluditur. Verùm pro re ſubiecta varia ſit eorum verborum interpretatio. interdum enim veritatem, id eſt, veram quantitatem: vt in edicto qui ſatiſdare cogan. & de falſo tuto. quandoque pœnam, vt in edicto quod aduerſus eum, qui vocatum in ius vi eximit, continen. l. penult. D. ne quis eum qui in ius voc. In eum autem, inquit Vlpianus, qui vi exemit, in factum iudicium datur: quo non id continetur quod in veritate eſt, ſed quanti ea res eſt ab actore æſtimata, de qua controuerſia eſt.

Quanti ea res eſt, non tantum corporis, ſed & iuris æſtimationem denotat, vt in edicto, quod metus cauſſa. Quanti enim, id eſt quod metu, dolóve extortum à nobis abeſt, & quod reſtitui oportet: vt ſi proprietas abſit, proprietas: ſi poſſeſſio, ſola poſſeſſio æſtimetur, lege decimaquarta. §. Labeo. lege vigeſimaprima. D. quod met. cauſſ.

QVANTI EA RES EST, in edicto de ſeruo corrupto ſic accipitur, quanto ſeruus ob id quod corruptus eſt, minoris exiſtat, lege nona, in fine. D. de ſeruo corrup.

QVANTI EA RES EST, interdum vtilitatem ſignificat, & ad id quod intereſt agentis pertinet. vt in ſtipulatione, RATAM REM HABERI, non rei ſtipulandi vel promittendi compendium ſpectandum eſt, ſed quod intereſt eius, qui ſtipulatus eſt, ratum haberi quod geſtum eſt, l. 2. l. 3. §. vltimo. l. 19. D. rem ratam haberi. Quanti intereſt vniuſcuiuſque poſſeſſionem retinere, lege ſecunda, §. vltim. D. vti poſſide. Similiter in interdicto De itinere actúque priuato, ex his verbis æſtimatur. Quanti actoris interſit via ſiue itinere non prohiberi, lege prima, lege tertia. §. in hoc interdicto. D. de itinere actúque priuato. At in interdicto Ne vis fiat ei qui non in poſſeſſionem miſſ. cum ad perſonam domini hæc verba referantur, veram vtilitatem continent, vt quanti verè interſit poſſeſſionem eius rei habere, in cuius poſſeſſionem miſſus eſt, tanti is qui prohibuit, condemnetur: & lege prima, in principio. §. hæc verba. & lege ſecunda. D. ne vis fiat ei qui in poſſeſſion. Hinc illæ notæ apud Valerium Q. E. R. E. T. P. I. R. D. T. Q. D. D. D. P. F. Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ iudicium recuperatorium dabo; teſtibúſque duntaxat decem denuntiandi poteſtatem faciam.

QVANTI pro Quot, vide Tanti.

QVANTVS, quanta, quantum multitudinis numero non tantum ad pecuniam numeratam, ſed & ad corpora refertur, lege vigeſimanona. D. quando dies legat. ced. lege nonageſimatertia. D. de legatis & fideicommiſſis, libro trigeſimoſecundo, l. 50. D. de verborum obligationibus.

QVANTO minoris actiones in Iure ciuili duæ reperiuntur, quarum altera ciuilis, altera ædilitia eſt. Ciuilis eſt, Quanto minoris empturus erat emptor, ſi vitium ſciſſet, lege Iulianus. D. de actione empt. Ædilitia eſt, Quanto minoris res fuit contractus tempore, quam quanti empta eſt, l. quod ſi nolit. 31. §. ſi plures. D. de ædilitio. edict. Per ciuilem actionem emptor ſi nihil daturus fuiſſet, omne quod dedit, recuperat: at per Ædilitiã ſi res nullius precij eſt, redhibetur, l. bouem. 43. §. aliquando, eod. Illa perpetua eſt: hæc verò annua, l. ædiles. 38. eodem.

QVANTO MINVS A TITIO CONSECVTVS FVERO, TANTVM DARE SPONDES? ſi ita ſtipulatus fuero, non ſolet dubitari, quin ſi nihil à Titio fuero conſecutus, totum debeas, quod Titius debuerit, inquit Gaius, l. 150. D. de verbor. ſignific.

QVANTITATES appellantur quæ numero, pondere, & menſura conſtant: quæ longè à ſpeciebus differunt. nam Quãtitates ſingulæ propriam ſpeciem non habent, ſed communi ſpecie cõtinentur, ait Vlpianus

l.cum Stichus.29. D.de ſolutionib. Itaque ſi nummus pro nummo reddatur, & oleum pro oleo, & vinum pro vino:non aliud pro alio, ſed eadem ſpecies reddi videtur.nam quod in eiuſmodi rebus genere idem eſt, etiam ſpecie idem videtur,l.2. D.ſi certum petat. Species verò ſingulæ propriam ſpeciem habent, & communi omnes genere continentur: vt Pamphilus & Dauus communi hominis, genere comprahendunt: ſed alius eſt Pamphilus, alius Dauus. Itaque qui illum pro hoc,vel hunc pro illo ſolueret, aliud pro alio ſoluere diceretur. Quantitates numero diuiduntur, dicta lege cum Stichus.29.quippe in quibus non corpus,ſed vis ac momentum ſpectetur.l ſi is cui. nona. D.de ſolutionibus,87.D.de legatis,& fideicommiſſis libro trigeſimoprimo. Species autem à partibus diuiduntur. Rationem autem inter corpus & quantitatem quæ dicitur eſſe in l.plane.§.j.& ſequen. D.de legatis & fideicōmiſſis,libro trigeſimo, l.Mæuius.D.de legatis & fideicommiſſis, libro trigeſimoprimo.ſic exponit Cuiac. Obſeruationum libri decimiquarti, capite decimonono.Res eadem ne volente quidem teſtatore ſæpius dari aut præſtari poteſt:quia res mea facta ſemel, amplius mea fieri,aut mihi legari non poteſt, l.ſi ſeruus.§.Stichum. D.de legatis & fideicommiſſis, libro trigeſimo,ac nec æſtimatio quidem ex repetitione debetur:quia res legata eſt non æſtimatio: & ſecundum regulam iuris, duæ cauſſæ lucratiuæ in eandem rem concurrere non poſſunt:niſi appareat teſtatorem voluiſſe & rem præſtari & æſtimationem.quod etiam legatarium probare conuenit, lege ſi alij. in fine. D.de vſufruct.l.nutu.§.j.D.de legatis tertio. Res ipſa ne volente quidem teſtatore ſæpius præſtari poteſt. At quantitas eadem volente teſtatore ſæpius præſtari poteſt: quia etſi quantitas ſit eadem, non tamen eſt ſpecies eadem, non eadem corpora nummorum. Quantitas eadem facile multiplicatur. Corpus idem non recipit multiplicationem. Denique duæ cauſſæ lucratiuæ in eandem rem concurrere non poſſunt in eandem quantitatem poſſunt.

Quantitas, quandoque pecuniæ ſummam ſignificat. l.11. D.de compenſ. lege quadrageſimaſeptima.§.j. D.de iure fiſci.

uantitas etiam modum ſignificat,l.94. D.de verborum obligationibus. Sic Quantitatem patrimonij, operis, trāſactionis,legatorum dicimus,lege vigeſimaprima, in fine.D.de operis noui nunciatione,l.19.D.de militari teſtamento,l.72.73.D.ad legem Falcidiam. Sic pro pretio & valore,apud Paulum libri Sentent.2.capit.32. Seruus qui furtum fecerit, damnúmve dederit, niſi id pro ſui quantitate dominus ſarcire paratus ſit, noxæ dedi poteſt.

QVARTA quæ in iure noſtro frequentiſſimè appellatur multiplex eſt: & quadrantem eius aſſis de quo agitur,ſignificat.Præcisè nanque quarta, pro Quarta pars fere nominatur. Quartas igitur literarum ordine deſcribemus.

Quarta AGNATORVM erat quadrans hæreditatis inteſtato mortui,quam agnati, ſi filij non extabant, nepotibus ex filia auferebant,l.ſi defunctus.4.de leg.hæredibus, libro de Codicis Theodoſ.quinto: at ex lege Iuſtiniani quandiu poſteri vlli ſunt, quamuis ex fœmina prognati ſint,agnati non admittuntur,lege vltima. C.de ſuis & legit.qua lege Quartam illam agnatorum abrogauit.

Quarta ARROGATI dicitur, quæ à D.Pio introducta eſt: cum impubes. cauſſa cognita arrogatus, ſine cauſſa tamen emancipatur: tum enim quartam bonorum arrogatoris cum ſuis bonis obtinet. paſſim appellatur quarta D.Pij, l.Papinianus 8.§.ſi quis impubes.D.de inofficioſo teſtamento, & l.j.§.ſi impubes. D.de collation.l.ſi arrogator.22. D.de adoptionibus. Hoc autem, periculi quod vitæ pupillorum ab arrogatoribus impendebat, euitandi cauſſa, inſtitutum eſt. Duo quippe cauenda fuerunt in iſtis adoptionibus: quia duplex ad deprædandum arrogati patrimonium aditus patebat. primum ſi puer è medio tolleretur: deinde ſi emanciparetur.nam vtroque modo illius bona arrogatori quærebantur. conſtitutum ergo eſt, primum vt ne arrogator impuberis, eius ante pubertatem mortui hæres eſſet: deinde, vt impubes minimum quartam arrogatoris ſui bonorum partem lucraretur.

Quarta CENTESIMÆ quid ſit, lege finali. C.de petitione hæredit.docet Auguſtin.lib.2.Emendationum, capit.10.

Quarta CVRIÆ dicitur, quadrans eius hæreditatis, quam alienus aliquis (hoc eſt, non ex numero decurionum) qui curiali ſucceſſit,ſiue ex aſſe,ſiue ex parte ſucceſſit,obtinuit.tum enim conſtitutum eſt, vt quadrantem curia poſtulare poſſit,non tamen de ſingulis rebus, ſed ita, vt hæres vniuerſum patrimonium in partes quatuor diuidat: & ſors ducatur, vt vel curia quadrantem,vel hæres dodrantem obtineat,l.1.& l.2. C.quando & quibus quarta pars.lib.10.

Quarta DIVI PII, Vide Quarta arrogati.

Quarta EPISCOPORVM, inſtituta eſt à Iuſtiniano: ſed mira varietate. nam in Nouella ſexta, Quomodo oport.epiſcop.ſtatuit,vt qui è curialibus aut cohortalibus Epiſcopus creabitur, quadrantem omnium ſuorum bonorum curiæ largiatur. At Nouella centeſima vigeſimatertia, de eccleſ.diuerſ.cap.ſtatuit, vt bonorum ſuorum quartam duntaxat retineat, reliquum curiæ attribuatur.

Quarta EX TRIBVS MARIBVS eſt, quæ per S.C. Sabinianum inducta eſt: vt qui ex tribus maribus in adoptionem datus fuerit, ei quarta pars bonorum adoptiui patris relinquatur,l.penult. C.de adoption. & §.ſed ea omnia.13.vbi Theophil.de hæred.ab inteſt. hoc enim iuris ei qui tres liberos mares haberet, tributum eſt.

Quarta FALCIDIÆ dicitur in iure, quam hæredes beneficio legis Falcidiæ retinent ex legatis, ſi forte amplius dodrante in iis conſumptum eſt à teſtatore. Lex autem id ſtatuit non de ſingulis legatariis, ſed de vniuerſis: vt ſcilicet legare ita liceret, dummodo pars quarta patrimonij penes hæredem remaneret. Itaque tametſi plures legatarij ſint, non tamen amplius eis quàm dodrantem licet attribuere. Viceſſim autem non vniuerſi hæredes, ſed ſinguli quartam ex ſua cuiuſque parte retinere poſſunt: modúſque patrimonij, non qui hæreditatis adeundæ,ſed qui tempore mortis fuit,ſpectatur,& antequam ea quarta detrahatur,æs alienum,funeris ſumptus:& precia manumiſſorum ſeruorum detrahenda ſunt,l.j.& paſſim. D.& C.de lege Falcidia.

Quarta FIDEICOMMISSARII dicitur, cum hæres poſt mortem ſuam rogatus eſt hæreditatis ſuæ partem quartam reſtituere. Valet enim fideicommiſſum, perinde ac ſi de hæreditate ſua reſtituenda rogatus eſſet: & eatenus reſtituenda eſt, quatenus hæreditas teſtatoris patitur.ſecundum vulgatam formam iuris, l. filiusfamiliàs,114.§.vt quis.D.de legatis & fideicommiſſis,libro trigeſimo. Exemplum etiam extat in lege ita tamen,27.§.Trebellianum. & l.epiſtolam.75.§.j.D. ad Trebell.

Quarta FILIÆ MAIESTATIS DAMNATI, ab Imperator.Arcadio & Honorio inſtituta eſt. nam cum olim ad liberos damnati maieſtatis bona pertinerent, l.eorum.D.ad leg.Iuliam maieſtatis,conſtituit,vt filiis nihil omnino relinqueretur: filiabus autem quolibet

numero

numero eſſent,quarta tantùm ex bonis matris ſiue teſtatò,ſiue inteſtatò deceſſiſſent,attribueretur:vt haberent mediocrem potius filiæ alimoniam, quam integrum emolumentum ac nomen hæredis, l.quiſquis.5. C.eodem titulo.

Quarta FISCI quæ ſit,docet Paulus in l.penult.D.de iure fiſci. Qui tacitam fidem accommodauit, vt non capienti reſtitueret hæreditatem:ſi deducta parte quarta reſtituit, nihil retinere debet: quadrans autem qui hæredi imponitur ipſius,eripiatur, & ad fiſcum transferatur, vnde dodrantis ſemiſſem ſolum capit, qui ſe detulit.

Quarta LIBERORVM appellatur, quadrans eius partis hæreditariæ,quæ ſi paterfamil.inteſtato deceſſiſſet, ad eos peruentura erat:qui quadrans liberis, vel inofficioſe exhæredatis,vel minorem in partem inſtitutis, quàm quantus ille eſt, attribuitur, veluti ſi duo ſint filij,quia legitima cuiuſque pars ab inteſtato eſt ſemis, idcirco ſeſcuncia illis attribuetur: quæ ſemiſſis pars quarta eſt, l.Papinianus.8.§.ſi quis. & l.ſi non mortis. D.de inoffi.teſtam. Quarta autem hæc Legitima vulgò appellatur: opinor,quoniam ad Falcidiæ legis inſtar inducta eſt: vt Iulianus aperte oſtendit Nouell.34. & aliis locis innumeris. Poſtea autem Iuſtinianus Legitimæ iſtius rationem immutauit, Nouell.18. qua ſtatuit, vt ſi plures filij non ſint,quam quatuor, legitima portio cenſeatur triens:ſi vltra quatuor,ſemis.vide ſuprà,Legitima liberorum.

Quarta MATRIS VEL AVIÆ curialis à Iuſtiniano inſtituta eſt,vt ſi mater mortui, vel auia tempore quo filius,nepóſve moritur, in collegio eiuſdem ciuitatis curialis inuenta fuerit, quartam partem ipſorum hæreditatis obtineant,l.2.in fin.C.quando & quibus.

Quarta MONACHI inſtituta eſt à Iuſtiniano Nouell.5. de monaſteriis,§.σκεπτέον vbi ſtatuit, vt ſi quis liberos habens, in monaſterium ſe aſcribi velit, tantum ex eius bonis attribuatur liberis ipſis, quantum quarta pars bonorum eius,ſi inteſtatus deceſſiſſet, efficeret: quòd ſi quid iam ante aut donationis propter nuptias, aut dotis cauſſa:ſed tamen minus quadrante ipſis erogaſſet,quod ad quadrantem deeſſet ſuppleretur, reliqua in monaſterij dominium tranſirent. quod idem inculcatur Nouell.123. de eccleſ. diuerſ. capit. §. εἰ δὲ γυνὴ ἢ ἀνήρ.

Quarta SVPERSTITIS FILII dicitur,cum paterfamil.vxorem grauidam reliquit: & dubitatur, quot liberos paritura ſit.nam auctores iuris conſtituerunt, vt pars pro tribus in ſuſpenſo maneat,vſque dum mulier pepererit, & quarta pars ſuperſtiti filio attribuatur. quod enim fieri non rarò admodum poteſt, ſpectarunt: id eſt,quia fieri poterat, vt tergemini naſcerentur,quartam partem ſuperſtiti filio aſſignauerunt.l.3. D.ſi pars hæred.petat.

Quarta TREBELLIANICA,quæ nunc vocatur,Pegaſiana olim fuit. nam Pegaſiano S.C.inſtitutum eſt, vt qui fideicommiſſum, ſiue vniuerſale, ſiue particulare reſtitueret,quadrãtem ſibi retinere poſſet, §.ſed quia. de fideicomm.hæred. vnde intelligi poteſt, quòd lex Falcidia eſt in legatis,id Pegaſianum in fideicommiſſis eſſe.nam quemadmodũ hæres à quo plus dodrante legatum eſt,vſque ad quadrantem integrum retinere poteſt: eodem modo is qui plus dodrante reſtituere eſt rogatus,ſiue vni,ſiue multis plus dodrante reddere ſit rogatus, quartam ſibi retinere poterit. Veluti ſi domum quæ ſemiſſem valeat,Titio: ſeruos qui trientem valeant, Seio.tum enim vnam vnciam retinebit: non quo ab vtroque ſemunciam vnam detrahat, ſed vt hæc vncia excedens in partes 12.diuidatur, quarum ſex Titius, quatuor Seius auferet, duæ reliquæ apud hæredem remanebunt. Atque hæc quidem inter quartam Falcidiam, & Pegaſianam ſimilitudo eſt: differentia autem illa, quòd in Falcidiam legata non imputantur, in Pegaſianam imputantur. Itaque ſi teſtator quadringenta in bonis habens,hæredi centũ, Mæuio ducenta, Valerio centum leget: hæres vltra centũ quæ prælegati nomine retinebit, Mæuio quinquaginta, Valerio vigintiquinque quartæ nomine detrahet. at ſi hæredem cui centum legarit, roget hæreditatem reſtituere, cẽtum quidem illa ſibi legata retinebit hæres:quartam autem eo amplius nõ detrahet. Cuius differentiæ rationem animaduerti hãc eſſe,quòd lex Falcidia voluntati præſumptæ teſtatoris ſubſeruiat, eiq; conſentanea ſit.exiſtimatur enim teſtator legatis hæreditatem exhauriens,errore id facere, & putare plus in hæreditate eſſe,quàm reuera ſit:creditúrque voluntas eius ea fuiſſe, vt hæres aliquid obtineret. At S.C. Pegaſianum directò voluntati teſtatoris aduerſatur. conſtat enim teſtatoris hanc fuiſſe voluntatem, vt nihil apud hæredem niſi nomen ac titulus maneret: reuera alius hæres eſſet. Cùm igitur aliquo præmio Senatuſconſultum heredes voluerit aduerſus teſtatorum voluntatem, ad hæreditates adeundas allicere, credibile eſt ſatis habuiſſe,ſi quadrans iſte quoquo titulo ad hæredem perueniret. Itaq; Marcianus in l.in quartam.91. D.ad leg.Falcid. ſiue legatum, ſiue fideicommiſſum datum ſit hæredi, ſiue præcipere, vel deducere, vel retinere iuſſus eſt, vel accepta pecunia hæreditatem reſtituere rogatus ſit,vel conditionis implendæ cauſſa fideicommiſſum ei ſit,ea omnia in quartam ei imputari ſcribit: in Falcidiam autem, nequaquam. Atque hæc quidem de quarta Pegaſiana. Iuſtiniani verò conſtitutione Pegaſiani vis in Trebellianum ita transfuſa eſt, vt iam quarta Trebellianica vocitetur: quoniam hæres vel quartam, vel quod ei deeſt retinere,ſolutúmve repetere poteſt: actiones autem pro rata communicantur. at ſi totam ſponte coactúſve reſtituit, omnium tum commodorum, tum incommodorum ſit expers, §.ſed quia.de fideicommiſſ. libertatibus. Hotomanus.

QVASI verbum differentiæ,diuerſitatíſque,ſed & decidendi rationem ſignificat, l.63.§.ſi cum tres. D.pro ſocio.& l.33. D.de obligatio. & actio.l.5.§.quippe.D.de his qui deiecer. vel effud.l.47. D.de fideiuſſ.l.6. D.de exceptionib.

Quaſi in l.id tempus.D.de vſucap. deminutionem, ſiue improprietatem ſignificat. Interdum pro quando accipitur, l.certis. D.de accuſat. Quaſi,aliàs veritatem denotat,l.ſi ante nupt. D.ſolut.matr.l.34. D.de damn. infect.l.dedi.D.de condict.cauſſ.data. Quaſi, aliàs ſimilitudinem indicat,Pomponius, Si alienam rem,inquit, ſciens mulier, in dotem dederit, reddenda ei eſt, quaſi ſuam dediſſet. D.ſoluto matrimon. Quaſi, dixit,pro ac ſi.

Quaſi vox improprietatis & fictionis, abuſioníſque ſignificatiua eſt. Sic peculium quaſi patrimonium dicitur,cum eorum duntaxat,qui ſui iuris ſunt, patrimonium intelligatur,l.9.§.præterea.l.47.in fin. D.de pecul. Et mulierum dos quaſi patrimonium dicitur, l. 37. D.de religioſ. Et quaſi pignus, quod pignoris loco retinetur,l.13.§.offer. D.de actio.empt. Quaſi vſuſfructus earum rerum quæ vtendo conſumuntur & pereunt.proprietario enim ſatiſdatur: ſatiſdatio verò in corporum locum apud illum ſuccedit, l.2.& l.7.D. de vſufr.ear.rer. §.conſtituitur.in fin.Inſtitut.de vſufruct. Et quaſi poſſeſſoris loco conſtitutus dicitur is, qui vſum cœnaculi accepit, l.17.in fin. D.de donatio. Quaſi dos,quæ à ſeruo ancillæ datur, l.39. D.de iure dot.cum enim matrimonium inter eos non conſiſtat, nec dos eſſe intelligitur, l.3. D.eod.tit. Quaſi maritus eſt,qui minorem 12.annis domum deduxit, antequam ea

ea iuſtam ætatem impleuerit.l.32.§.ſi quis ſponſum.D. de don.inter vir. Quaſi acceſſio intelligitur pater, qui iubet cum filio cõtrahi.l.91.§.an filiusfam. D. de verb. oblig. Quaſi hæredes ſunt, qui vtilibus actionibus à Prætore datis in hæreditatem reſtituuntur.l.21.§.vlt. D.quod met.cauſ.Et omnes omnino prætorij ſucceſſores quaſi hæredes ſunt.§.quos autem. Inſti.de bon. poſſ. Quaſi caſtrenſe peculium, quod ad inſtar caſtrẽſis peculij introductum eſt l.j.§.nec caſtrenſe.D.de col.bo.l.7.in fi.D.de don.l.6.C.de bon.mat.l.vlt.C.de inoff.teſt. Quaſi poſſeſſio incorporaliũ veluti iurium appellatur. Propriè enim corporales demum res poſſidentur.l.3.§.qui vſusfructus.D.de vi & vi arma.& Inſtit.de interdi.in princ.vbi Theod.quaſi poſſeſſionem definit, ἀσωμάτων πραγμάτων χρῆσιν. Solent autem hac voce actiones vtiles deſignari. Ecce enim hypothecaria actio, quæ creditoribus ad hypothecarum perſecutionem datur, cum ad exemplum Seruianæ, quæ de rebus coloni pignori pro mercedibus obligatis competit, introducta ſit, quaſi Seruiana, & vtilis Seruiana dicitur.l.13.§.j.D.ad Velleian.§.item Seruiana. Inſtitut.de actionibus.l.j.C.commun.de lega.l.j.§.cum prædium. D.de pigno. Eodem modo quaſi Publiciana, pro vtili Publiciana, in l.70.D.de rei vindicat. Sic quaſi Fabiana vel Caluiſiana.l.vlt.D.ſi quid in fraud.patron. Sic vtilem actionem quaſi inſtitoriam dandam dixit Papinianus.l.10.§.idem Papinianus. D.manda. quod aliàs dicitur, vtili actione ad exemplum inſtitoriæ actionis agi.l.13.§.ſi procurator.D. de action. empt. Sic quaſi damni iniuria actionem. pro vtili Aquiliæ actione dixit idẽ Papinian.in l.27.D.de procuratoribus. Et aliàs, vtilem actionem damni iniuria, quaſi ex lege Aquilia. l.51.D.de furtis. Sic & vtilem actionem quaſi tutelæ in l.52.§.j.de pecul.dicimus. Et vtilem actionem quaſi domino dari.l.22.D.de aq.& aq.pluu.

Quaſi dominus dicitur, qui diu poſſidendo dominus effici poteſt. Zaſius in l.ſtipulatio. §. hæc quoque. D. de verb.oblig.

Quaſi dominium proprie appellatur, cum res alicui tradita eſt à non domino, iuſto tamen mediante titul. Impropriè quaſi dominium, appellatur vtile. Quaſi dominium autem duplex: Verùm, & Putatiuum. Verum, cum eſt verè ſolutum, trãſactum, &c. Putatiuum, cùm non vere, accedente tamen iuſta erroris cauſſa: vt ſi errani in facto proprio, putans me ſoluiſſe, vel tranſegiſſe, perſuaſus fortaſſe perſuaſionibus veriſimilibus.

Quaſi dominium non eſſe tertiam ſpeciem dominij, à directo, & vtili diſtinctam, non vna tãtum ratione probat Apellus.c.5.de adfin.

Quaſi nulla actio eſt, quæ exceptione repellitur.§.Pompon.ſcribit.l.eleganter.D.quod met.cauſ.

Quaſi prædo habendus eſt, qui per l.tis conteſtationem vel denuntiationem aduerſarij cœperit intelligere hæreditatem occupatam ad ſe non pertinere: quia fit malæ fidei poſſeſſor.l.ſed & ſi lege.§.de eo autem.& §.etiam ſi ante litem.de pet.hæred.

Quaſi ſui hæredes dici videntur aſcendentes, patrui, & fratres, not.in Authentic.de hæred.& Falcid, §.ſi vero expreſſim.

Quaſi vſucapere accipitur is, qui dicit ſe in ſtatu vſucapiendi fuiſſe, & quaſi habitu, id eſt, aptitudine rẽ vſucepiſſe, ſi à poſſeſſione non ceci diſſet, petens reduci ſe & reponi ad rei poſſeſſionem: vt vſucapio perficiatur re ad vſucapionis commodum reſtituta. Zaſ.in §. ſed iſtæ. Inſtit.de act.

Quaſi contractus in iure appellantur, qui non proprie contractus ſunt, ſed tantum ad contractuum ſimilitudinem accedunt: nam vt in contractibus, ſic etiam in hiſce actionibus rei priuatæ negocium geritur. verùm hoc intereſt, quòd in contractibus conuentio interuenit, & voluntas vtriuſque non modò concurrit, verum etiam declaratur: in his, vnius ſolius actione tum ipſe, tum etiam alter tacite obligatur; vt facile appareat, eos ſi minus re ac veritate, at certe tacite ac præſumpte, id eſt ipſo iure contraxiſſe. Præſumitur enim ac iudicatur negociorum geſtor eo animo negocium gerere, vt ex dolo & culpa obligetur: viciſsímque etiã dominus eo animo eſſe iudicatur, vt lubenter ſe negociorum geſtori obligatum velit, ſi quid ſuo nomine impenderit. quare naſci dicitur hæc obligatio, quaſi ex contractu: id eſt, non ex vero & geſto (vt ſic dicam) contractu, ſed ex tacito & præſumpto.l.5. D.de oblig. & actio.l.2.l.6.D.de neg.geſt.

Quaſi delictum dicitur, cum culpa punitur ita, quaſi reuera delictum eſſet. Culpa enim proprie à Delicto ſic diſtinguitur, quòd in hoc dolus eſt, in illa non eſt: veluti cum iudex malè per imprudentiam iudicando litem ſuam fecit. Imprudentia enim pars culpæ eſt: culpa autem pars quædam delicti. pœna igitur damnato ſic imponitur, ac ſi deliquiſſet: cum tamen eius factũ proprie delictum dici non poſſit.l.5.§.ſi iudex.D. de oblig. & act.§.j.Inſtit.de oblig.quæ quaſi ex delict.

QVATENVS, aliquando aduerbium eſt l.ſi cum dotem. §.Nec non illud.D.ſol.matr. Aliquando accipitur pro coniunctione quòd, vt ibidem.§.ſi autem ſæuiſſimo.

QVATENVS FACERE POSSIT. l.maritum.D.ſol. matr.l.in condemnatione. D. de diuerſ.regul. iur. & alibi ſæpe. Hæc verba innuunt, debere ita fieri deductionem, ne quis egeat: relinquendúmque ei eſſe, vnde ſecundum dignitatem ſuam honeſtè cum familia ſua viuere poſſit.

Quatenus ad hæreditatem peruenit, id eſt in quantum locupletior facta fuit.l.in hæredem. D. de dolo. Quòd ſi adiicitur diſpoſitioni in futurum tempus conceptæ, conditionem ſignificat. l. cum viæ. D. de cond. & demonſtr.

Quatenus quo modo ponatur, exponit Bart.l.j.verſi.quæro de aduerbij.D.de cond.& demonſt.& Bald.in l.antiquitas.j.not.C.de vſufruct.

Quatenus pro quoniam, quia, in l.26.§.ſi is qui.D. mandati.l.15.§.item ſenatus.D.de falſis.& l.53.D.de fideicõmiſſ.libert.l.2.D.ſi quid in fraud.patron.l.4. D. de gradib.& adfini.l.49.D.de verb.oblig.l.6.in fin.D.ſi cert. pet.l.3.§.j.D.de in rem verſ.& l.60.§.j.D.de ritu nupt.l. 35.in fi.princ.D.de aur.arg.lega.l.14.D.de aq.& aq.plu. Feſtus lib.11.in hac ſignificatione veteres quatenus dixiſſe ſcribit, vſitata illis quantum exiſtimo literarũ E, & I, commutatione. Inuenio etiam ſic Quintilianũ locutum lib.4.Inſtit.c.2. Sed quatenus, ait, forte quadã peruenimus ad difficilius narrationum genus, iam de his loquamur. Et Plinium lib.3.Epiſt.ad Caninium: Et quatenus nobis denegatur diu viuere, relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur. Et Sueton.in Claudio.c.26. Confirmauitque quatenus matrimonia ſibi male cederent, manſurum ſe in cœlibatu.

QVATERNATVM feudum in Neapolit. conſtitutio. quod in quaternionibus doanæ inſcriptum eſt.

QVATVORVIRI, magiſtratus erant qui à Romanis in coloniis ac municipiis creabantur. Hinc Cicero epiſtolam ſcripſit, Quatuoruiris & Decurionib. Fregellanis. Et in epiſt.ad Atticum de M. Antonio inquit: Euocauit literis è municipiis denos, & IIII. viri venerunt ad villam eius. Extat tamen in lib.32. Var.Lect. Victor.c.17. inſcriptio antiqua municipij, in qua quatuoruiri non numerantur.

SECVRITAT. AVG.
SACRVM
DECVRION. POPVLVSQ.
COLONIÆ PRÆNESTIN.

QVERELÆ nomine tres in iure ciuili actiones appel-

lantur: vna Inofficioſi teſtamenti: altera quæ ad illius ſimilitudinem introducta eſt, Inofficioſæ donationis: tertia, Inofficioſæ dotis.

Querela INOFFICIOSI TESTAMENTI eſt, qua poſtulatur vt ſi iudices violatum à teſtatore officium cognoſcant, reſciſſo teſtamento hæreditatem iis quibus naturæ iure debetur adiudicent, quaſi non ſanæ mentis teſtator fuiſſet: quia vel in ſuos liberos iniurius, vel in ſuos parentes impius fuerit. l.j.& paſſ.D. de inoffic. teſtam. Eadémque interdum Actio, interdum etiam Accuſatio nominatur. l.3.l.8.l.11.l.25.l.27.C. de inoffic. teſt.l.6.l.22.l.27.D.eod.

Querela INOFFICIOSÆ DONATIONIS eſt, qua poſtulatur vt quod contra officij rationem donatum eſt, reuocetur. l.j.& paſſ.C.de inoffic.donat. Vtriuſque autem hoc commune eſt, vt tum demum concedantur, cum vel alia ratione nulla liberi ius ſuum recuperare poſſunt, vel quadrans hæreditatis eis relictus non eſt: quæ pars legitima dicitur. nam ſi minus eis relictū eſt, quod deerit ſupplebitur. l.ſi tota.5.& l.ſi mater.7. C.eod.

Querela INOFFICIOSÆ DOTIS eſt, per quam liberi quorum mater ſecundo ſuo marito, vel omnia bona ſua, vel magnam eorum partem dedit, poſtulant vt debita ſibi emolumenta præſtentur. l.j.C.de inoff.dot. Hoc autem duæ priores inter ſe differunt, quod prima non niſi & iure facto teſtamento, & adita ex eo hæreditate, & aduerſus hæredem ſcriptum conceditur. l.Papinia.§.ſi conditione.D.de inoff. l.ſcimus.§.illud.C.eod. Secunda verò plerunque & ab inteſtato, & ei qui ab inteſtato hæres eſt, cōpetit. l.3. C.de inoffi. dona. Illa reſcindit teſtamentum, & plane ad inteſtati cauſſam reuocat, vt nihil ex eo valeat. d.l.Papinia.& l. cum mater.D.eod. hæc nunquam reuocat, niſi vſque ad legitimam tantum. l.j.& paſſ.C.illo titul.

Querela PRÆPARATA (quæ non niſi extraneis datur. l.ſi quis filium.l.ſcimus.in fi.C.de inoffic.teſt.) dicitur, quæ in controuerſiam aliquo modo perducta eſt. Præparaſſe autem querelam videtur is, qui ad denuntiationem, vel actionis editionem proceſſit: multo magis qui litem conteſtatus eſt l.quemadmodum.D.de inoffic.teſt. Vide ſupra Inofficioſum.

QVI, quæ, quod de iis dictionibus vide.l.nuper.§.fi.D.de legat.3.l.Quintus.D.de aur.& arg.leg.l.j.C.de ſumm. Trinit.

Qui omnino non reſpondet, contumax eſt. Contumaciæ autem pœnam hanc ferre debet, vt in ſolidum conueniatur. Vlpianus ait, in l.de ætate.§.j.D. de interrogat. actio.

Qui, pro Qualis, M.Cic.in Antonium, Qui vir. ex Bud.

Qui, vox iuncta verbo futuri temporis, facit conditionē.l. Stichum, qui.D.de leg.j. Bart. Alex.& Aret.in l.ſi decē cum reliquero.D.de verb.oblig.

Qui, aduerbium, pro, quemadmodum.

Qui, relatiuum, ſi qualitas omnibus competat. l. omnes populi.D.de iuſtit.& iur. non reſtringit, ſed declarat. Sic in l.j.C.de ſumm.Trinit.

QVIBVS IPSIS. Pomponius: Regula iuris ciuilis eſt, ait, quæ efficit, vt quibus ipſis legare poſſumus, eorum quoque ſeruis legare poſſimus.

QVICQVID infinite capitur, nunquam refert. l.quod ſi ſic.D.de hæred.vel act.vend.

Quid, infinite captum, vt docet Bart. l.ſeruum.D.de acq. hær, verificatur in qualibet particula. quandoque ponitur pro aliquid. l.j.§.hic tit.D.de publican.

QVICVNQVE, dictio diſtributiua, idē ſignificat quod, Quiſquis: quia vox hæc, Cunque naturam geminationis habet: vnde & Qualiſqualis, à Iuriſconſ. ſcribitur, cum alij, qualiſcunque dicant: ſic & Taliſcunque, & vtercunque, pro vteruter, & ſi qua ſimilia Huius autē diſtributiui duplicis natura eſt, vt rem in ſolidum cuilibet attribuat, & vel in vno poſſit effectum conſequi, nedum in omnibus. Quod rectè Bart. declarat, vt Alc. atteſtatur. c.11.lib.Parerg.3. Cōtinet autem tam maſculos, quàm fœminas. l.ait diuus. D.de iur.fiſci.cum ſimil. Item complectitur ciuitatē, municipium, corpus, collegium & vniuerſitatem. l.metum.§.animaduertēdū.& ſeq.D.quod met.cauſſ. Vide Bart.in d.l. ait diuus. & in l.neceſſarias.§.ſi annua.D.de pign.act. vbi excutit, idémne ſit quod Omnis. Et quamuis, Quicunque, Cuiuſcunque, maxime extendantur in iure noſtro, tamen nihilominus intelligitur, cuiuſcunque ſexus, de perſonis aptis. per not.gl. in l.promittendo.in princ. D.de iur.dot. Adſtipulatur gl.in l.vt gradatim.§.j.D.de mun.& hono. vbi etiam vniuerſalitas ad aptas perſonas reſtringitur. Memorabilis eſt illa Zaſij doctrina, quam tradit, enarrans.§.de cōſtituta.Inſtitut. de actio. Quod quamuis ius ciuile loquatur, & decidat ſub vniuerſali, tamen iſta effuſa vniuerſalitas reſtringitur ad aptas perſonas: & vide Alciatum lib.3. D.de verb.ſign. numquam in iure noſtro tanta vniuerſalis eſt propoſitio, quæ vniuerſaliter omnino intelligatur, quin accipiat reſtrictionem ad homines aptos. per gl.in iam d.§.in verbo, Cum omnibus.

QVIDNI? cur non? l.j.§.j.D.de verb.oblig.

QVIDAM perſonam certam dicit, & ſingulare potius ſignum eſt, quàm particulare. Nec ſubſiſtit, quod aliqui volunt Quidam, pro Quis, eſſe dictionem vniuerſalem. Indiuiduum nanque vbique, ſed non demonſtratiuum indicat, ſi rectè textus excuſſeris.

Quidam filij, duos tantùm etiam complectitur: quod ceu obſeruatu dignum traditum eſt in gl.l.j.C.de inoff.donat. Pontificij iuris interpretes verb. Quidam alij, ad tres vel quatuor referunt. c.j.extrà de reſcript.& eod. tit.c.2.lib.6.

Q.D.E.R.F.P.D.E.R.I.C. Quid de ea re fieri placeret, de ea re ita cenſuerunt. Notæ quibus veteres in Senatuſconſultis perſcribendis vtebantur. Vide D.E.R.I.C.

QVIES pro laxamento, & otio. l.j.§.cura carnis.D.de offic. Prætor.

QVIETE, ſine interpellatione, vel interruptione aliqua. c.ſanctorum.de præſcript.

QVILIBET verbum rem, qua de agitur cuilibet appropriare ſolet. l.ſi pluribus. vbi Bart.& Zaſius.D.de leg.2. & quid diſtet à verbo, Omnis, not. in dic.l.ſi pluribus.

Quibuſlibet vocem, de inhabilibus accipiendam nō eſſe reſpondit An.Alcia.reſp.370.num.9.ex Bald.c.j.§.donari.quibus mod.alie.olim.feud.ali.in vſib.feud.

QVIN pro quòd, in l.quiſquis.D.de verb.ſig.

QVINCVNX, aſſis pars. l.ſeruum.50.§.fi.D. de hæred.inſt. conſtat quinque vnciis, hoc eſt quinque duodecimis, vt ſcribit Voluſian libr. diſtributionis. Eius hæc nota erat: ∺ ⊢ ∺

QVINA dena, vulgo quindena. D.ad leg.Falc.l. qui quadraginta.§.qui ducenta.

Quini ſolidi quid ſignificēt in l.vnic.C.de arg.pretio, lib. 10. Auguſt.lib.2.c.9.exponit.

QVINARIVS, dimidium denarij, id eſt, aſſes quinque, Auguſt.lib.2.Emend.c.7.

QVINQVE pedum vſucapionem Cic. nominat in libr. De legibus.j.eo loco quem ſubiiciam, &, ſi poſſum, explanabo. Ex hac, inquit, nōn rerum, ſed verborum diſcordia controuerſia nata eſt de finibus. in qua (quoniā vſucapionem XII. tabulæ intra quinque pedes eſſe noluerunt) depaſci veterem poſſeſſionem Academiæ ab hoc acuto homine non ſinemus, nec Mamilia lege ſinguli, ſed ex his tres arbitri fines regemus. Depaſci Academiæ poſſeſſionem, refert ad vſucapionem ſpacij quinquepedalis. Senſus eſt: Vt in controuerſia vicinorum

norum de finibus,termini requiruntur, quibus repertis,quinque quaqua verſus pedes definiuntur,qui quãuis longo tempore ab alterutro poſſeſſi ſint, finibus tamen dirimendis reſeruantur:ſic in controuerſia de finibus bonorũ & malorũ, quæ philoſophos exercet, termini Academicæ diſciplinæ à Socrate poſiti peruestigandi ſunt:& Antiochi arrogantia illius gloriam depaſcentis regenda & coërcenda eſt. Lex autem Mamilia vnicum adigi arbitrum volebat finibus agrorum regundis:ſed cùm tres tum eſſent, facetè intulit: Nec Mamilia lege ſinguli,ſed ex his tres arbitri fines regemus.De hac lege Aggenus Vrbicus his verbis:De fine enim lex Mamilia quinque aut ſex pedum latitudinẽ præſcribit,quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedens occupat,vel circumactus aratri, quod vſucapi non poteſt.Hot.qui & de hac re dixit quædam in Comment.de legib.duodecim Tabularum. Hinc:

Quinque pedum præſcriptio.l.4.& l.5.C.fi.reg. de qua vide Alciatum in libello,cui titulus eſt de quinque pedũ præſcriptione.

QVINQVEPRIMI in Verrinis ſunt quinque viri qui principem in ſenatu locum habebant:hi autem, vt & decemprimi,muneribus quibuſdam & functionibus obnoxij erant,vt à Iuriſconſultis traditur.

QVINQVEVIR apud Horatium lib.2.ſatyr.ſatyr.5.hoc verſu: —*plerunque recoctus Scriba ex quinqueuiro coruum deludet hiantem*.quibuſdam dicitur ſignator,quod quinque ſignatores adhiberi ſolerent:Turn.Aduerſ.libr.21. c.26.putat nomen eſſe magiſtratus, vt in coloniis deducendis,& agris aſſignandis.nam triumuiri, quinqueuiri,decemuiri, vigintiuiri leguntur aſſignatores agrorum fuiſſe. Cicero Quinqueuiri meminit in Lucullo:Neminem eſſe prætorem imperatorem, neſcio an ne quinqueuirum quidem quenquam, niſi ſapientem.Sed & quinqueuiri de exilio iudicabant, vt idem Turn.refert ex Pithoeo.Erant & quinqueuiri menſarij,& quinqueuiri muris turribúſque reficiendis,quod paruum erat & exiguum munus.Erant & quinqueuiri cis & vls Tiberim, quorum non admodum magnum munus erat,cum quidam magiſtratuum vicarij forẽt, de quibus Horatium potiſſimum locutum eſſe idem Turn.vult. Scriba autem recoctus, id eſt qui ſæpe factus & refectus eſt:ſic recoxiſſe Peliam dicitur Medea,id eſt reformaſſe atque renouaſſe.

QVINQVENNIVM dicitur multum temporis, in l.j.§. quod dictum eſt.D.de ſeparat.

QVINQVENNALIS, in l.j.de medi.& profeſſoribus in C.Theodoſ.hoc erat in municipiis quibuſdam magiſtratibus nomen.Spartia.in Hadria.Per Latina oppida Dictator,& Ædilis & Duumuir fuit, apud Neapolim Demarchus,in patria ſua Quinquennalis.Apule. io.de Aſino aur.Gradatim permẽſis honoribus Quinquennali magiſtratui fuerat deſtinatus.

QVIRINVS velut conditor vrbis Romæ conſecratus, cum antea Romulus diceretur,à quo Romani Quirites. Hinc:

QVIRITIVM ius dicebatur quod ciuium Romanor. cauſſa propriè inſtitutum ita erat,vt peregrini omnes eius planè expertes eſſent.Itaque cum Cicero Liciniũ Archiam ciuem Romanum probare vellet:Iis temporibus,inquit,quæ tu criminaris,ne ipſius quidem iudicio in ciuium Roman.iure eſſe verſatum,& teſtamentum ſæpe fecit noſtris legibus,& adiit hæreditates ciuium R.&c.Hoc autem ius quantum ad dominium acquirendum attinet(de quo ſolo tit. Codicis intelligẽdus eſt) ab Vlpiano quidem in Inſtitutionibus tribus in rebus ponitur,mancipatione, vſucapione,& in iure ceſſione:à Varrone autẽ lib.de re ruſtic.2.ſex. nã præter ſuperiores addit iuſtam hæreditatem, emptionem è præda ſub corona,& emptionem in bonis ſectionéve alicuius. Verba eius hæc ſunt:In emptionibus(emptionem autem omnem acquirendi modum intellige, vt ſuo loco docuimus) dominum legitimum ſex ferè res perficiunt:ſi hæreditatem iuſtam adiit,ſi,vt debuit, mancipio ab eo accepit,à quo iure ciuili potuit(mancipationem ſignificat,de qua ſuo loco diximus, & quam Quiritium eſſe propriam Cicero & Boetius in Topic.demonſtrant:)aut ſi in iure ceſſit qui potuit cedere(ſic reſtituit Hoto.vbi legebatur CVI.)& id vbi oportuit(id eſt,apud eum apud quem legis actio eſt. hoc ſignificari cognoſces ex formula ceſſionis in iure:)aut ſi vſucepit(vſucapionem enim Quiritium eſſe propiam indicat Cic. CXXII. Tabul.in libr. Offic.j.) aut ſi è præda ſub corona emit (quo de more Gellius lib.7.c.4.)túmve cum in bonis ſectionéve cuius publicè venit.qua de re ſuis locis explicauimus. Ius ergo Quiritium hoc erat vt ſi aliquo illius generis modo acquiſita res eſſet,nihil eſſet periculi à litibus: quemadmodum in Orat.pro Cæcina Cicero declarat. Vt perueniat ad me fundus, inquit, teſtamento alicuius fieri poteſt:vt retineam quod meum factum ſit, ſine iure ciuili non poteſt,id eſt,ſine iure Quiritium, quia hæredis inſtitutio ius Quiritium non transfert,ſed iuſta & legitima hæreditas:vt ſuperius dictum eſt.Item: Fundus à patre relinqui poteſt:at vſucapio fundi, hoc eſt finis ſolicitudinis ac periculi litium,non à patre relinquitur, ſed à legibus. aquæductus, hauſtus, iter, actus,à patre,ſed rata auctoritas harum rerum omniũ à iure ciuili ſumitur. Hinc ius euictionis,de quo ſuo loco commemorauimus.Huic autem iuri Quiritium opponebatur ius in bonis:de quo ſub verbo IN BONIS diſſeruimus,idque apparet ex l.vn.C. de nud.iur. Quirit.toll.itémque ex Vlpian.Inſtitut.c.j. Quiritium ius,inquit Iuſtinianus,id dicitur, quo Quirites vtũtur. Romani enim à Romulo,Quirites à Quirino appellantur.§.3.de iur.natur.Ouidius lib.2.Faſt.

Proxima lux uacua eſt,at tertia dicta Quirino:
Qui tenet hoc nomen,Romulus ante fuit.
Siue quòd haſta Quiris priſcis eſt dicta Latinis:
Bellicus à telo uenit in aſtra Deus.
Siue ſuo regi nomen poſuere Quirites:
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.

QVIS, verbum tam maſculos,quàm fœminas complectitur.l.j.D.de verb.ſig.Itaque his verbis, SI QVIS ID QVOD PERPETVÆ IVRISDICTIONIS CAVSSA PROPOSITVM,&c.Prætorem vtrunque ſexum complexum Vlpian.ait.l.7.D. de iuriſdiction. Idémque ad illa verba, SI QVIS NEGOCIA ALTERIVS,&c.Hæc verba ait, SI QVIS accipienda ſic ſunt,Siue quæ.l.3.D.de neg.geſt. Idem de verbo, Qui,traditur in l.j.D.de conſtit.pec.& de verbo,Quicunque,in l.16.D.de iure fiſc.

Quis,aut interrogatiue, aut infinite ponitur, nunquam relatiue.Verùm vniuerſaliſne an particularis vox ſit, Bartolus oſtendit,in l.ſi ita.D.de leg.2.Aliquando ponitur pro Aliquis:ita & quocunque die, pro Aliquocunque. Vnde qui promittit ſiſtere quocunque die, perinde eſt ac ſi aliquo die ſiſtere promiſiſſet, eritque in arbitrio promiſſoris,quo die velit, poteritque vel vſque ad mortem differre. Diei enim electio ad eum ex regula pertinet.l. qui ex pluribus. de verb. oblig. quòd ſi antequam ſiſtat moriatur, verum erit aliqua eum die non ſtetiſſe:commiſſáque ſtipulatione pœnali aduerſus hæredem agetur:quo fit, vt ſubauditione Accurſiana,aliorúmque tricis,vt ait Alciatus, nihil ſit opus.

QVISQVIS voce omnes ſignificantur.l.29. D. de hære. inſtit.atque ita hæc clauſula, QVISQVIS MIHI HÆRES ERIT,accipienda eſt l.3.D.de iure codicil. l.3.l.103.l.123.D.de leg.j.Nã & ſi plures gradus ſunt hæ-

redum,& ſcriptum ſit, Quicũque mihi hæres erit, dato, ad omnes gradus hic ſermo pertinebit.l. 96. D.de legat.3.

QuoBonvm est locutio Iuriſcõſultis vſurpata, pro, Quam ad rem vtile eſt? Caius.l.aliquando.13.in fi.D.ad Velleian. Quo enim bonum eſt, expectare conditioné vel diem, cum in ea cauſſa ſit prior iſte debitor, &c. Vlpian.l.3.§.ſi quis ex liberis.D.de bon.poſſ.contr.tab. Cum enim poſſit ſecundum tabulas habere poſſeſſionem, quo bonum eſt ei contra tabulas dari? Idem.l.ſi poſt mortem.10.§.liberi.eodem. Quo enim bonum eſt eis fauere, vt partem faciant, nihil habituris? Scæuola. l.ſi duo.93.D.de ſolutionib. Si duo rei ſint ſtipulandi, & alter alterum hæredem ſcripſit, videndum an confundatur obligatio, placet non confundi: quo bonum eſt hoc dicere.

Qvo magis, pro Quo minus. Imper.l.3. C. de iud. Nihil prohibet, quo magis apud eum quoque diſceptatio terminetur. Item l.j.C. qui dare tut. Non ideo oportuit impediri, quo magis liberali cauſſa ordinata, curator tibi daretur.

Quo iure, quáve iniuria, prouerbiale eſt, quaſi per fas ac nefas, velis nolis. Terentius in Andria: Quo iure, quave iniuria præcipitem me in piſtrinum dabit.

Quod iuſſu, nomen eſt obligationis & actionis commune.l.ſi tutoris.§.j.l.ſi iuſſu eius.D.quod iuſſu. Vide Actio quod iuſſu.

Quod legatorum Interdictum: vide Interdictum quo. legatorum, & ſic de Quorum bonorum, &c.

Quod alium facientem prohibere ex officio neceſſe habuit, id ipſe committere non debuit, Vlpian.ait, in l. altius.D.ſi ſeruit.vend.

Quod ademptum eſt, nec datum videtur, ſecundum Celſi & Marcelli ſententiam, quæ vera eſt, vt ait Vlpianus in l.ſi ita adſcriptum.de leg.j.

Quod quis ſciat, vel quod ſcire debeat, paria cenſentur, Bald.in Auth.ad hæc.C.de vſur. Sicut & idem iudicatur, quòd quis rem aliquam habeat, vel habere debeat. l.pen.§.cùm ita.vbi Bar.de aur.& argen.legat.

Quod ſine fraude ſua aliorúmque fiat, Budæus intelligit, ſaluo ſuo, alienóque iure. Huius perquàm elegantis clauſulæ ſenſum Cæſares noſtri in diplomatibus, & quidé vt omnia, craſſiore ſtylo, ſic exprimere ſolent: Noſtris tamen, ſacríque imperij, ac alterius cuiuſcunque iuribus ſemper ſaluis.

Quod turpiter, vel ſcelere quæſitum eſt, ad compendium hæredis non debet pertinere, in fi.l.quod diximus. D. Quod met.cauſ.

Qvo, aduerbiũ in l.j.§.3.D.de ſuis, & legit.id eſt, ad quid. l.26.§.4.D.ex quibus cauſ.maio.

Quò, aduerbium eſt loci. Quò pro Quantò, Quò minus homo poteſt, cò magis cupit. Quò, pro vt, Plinius Iunior: Neque id feci, quò tibi moleſtus eſſem.

Qvoad vivam, & quoad moriar, idem ſignificant: tametſi cõtraria eſſe videantur. Rationem habes apud Sipontinum. Vlp.in l.epiſtola.§.fin.de pact. docet his verbis: Vt ei certa quãtitas, quo ad viueret hæres, præſtaretur, non produci perpetuam præſtationem. Eſt tamen vbi aliquando rerum quantitatem denotat, & pro quantum, ferè cum verbo Poſſum, accipitur. Cicero de Senect. Quoad potuit, reſtitit. Quoad eius fieri poteſt, hic Eivs parelcon eſt, hoc eſt, ſuperflua vocis additio. Sed apud Iuriſconſultos frequentior eſt, quæ παρέργα dici poteſt, id eſt, vt Alc.interpretatur, ocioſitas: cùm aliqua dictio. vel etiã clauſula additur, quæ minimè ad rem, de qua agitur, neceſſaria ſit, ita vt etiamſi ea deſit, nihilominus idem iuris fuerit conſtituendum.l.qui Romæ.§.Callimachus.D. de verb.obl.

Qvocvnqve tempore, verbũ vniuerſale eſt, & omne tempus ſine reſtrictione complectitur. Vide gl.in l.cũ pœnam.D.de arb.Bart.in l.balliſta.D.ad Trebellia.cũ ſimilibus.

Qvot menſibus, & Quot dieb.eodém modo, vt Quotannis pro ſingulis menſibus, ſingulis diebus. Vlpian.in l.nec ſemel.12.§.2.D.quando dies legat. Nihil intereſt vtrum in annos ſingulos, vel quotannis, an in ſingulos menſes, vel quot menſibus, an in ſingulos dies, vel quot diebus legetur. idem in l.8.§.16.D.de tranſ. Si tamen ita tranſegerit, vt in vicé eorum nummum quotannis, vel quot menſibus acciperet, &c. Sic apud Catonem, Varronem, & Vitruuium perſæpe. Ideóque Quotidie ſcribendum, non cottidie.

Qvotidianvm, quod ſingulis diebus accidit, Felin. c.accedens.de reſtit: ſpo.

Qvoties quot vices requirat (vices enim hæc vox ſignificat) Bart.tradit in l.cum qui certarum.§.fin.D.de verb.obli. Veteres quotiens ſcripſiſſe A. Aug. in libr. Emendatio. admonuit, & alias annotauimus.

Qvovsqve an conditionem ſignificet, docet Bart.l. centeſimis.§.fi.D.de verb.oblig.l.fi.D.ad Tert.

R

R Literam ab Appio Claudio inuẽtam Pomponius ſcribit in l.2.§.iuris ciuilis.de origine iuris: eóque factum, vt qui antea Valeſij, Fuſij, Papiſij, Auſelij dicebantur: pòſt Valerij, Furij, Papirij, Aurelij vocitati ſint. Cuius rei teſtes ſunt Cicer.lib.Epiſtol.9. Macrob. lib.3.c.2. Varro lib.de ling.6. Liuius lib.3. Feſtus.j.

Rabies Feſto lib.16.morbus caninus: transfertur & ad homines, & ſumitur pro furore impotente, in eo, qui more canum furit.l.2.C.qui teſtam.fac.poſſ.

Rabvla, inquit Feſtus, dicitur multis intentus negotiis, paratúſque ad radendum auferendúmque: vel eſt in negotiis agendis acrior, quaſi rabioſus: quales ſunt clamoſi aduocati pecuniæ æruſcatores.

Rabvlarii, apud Vlp.in libris de officio Proconſulis, veteribus Gloſſis quæ à Cuiacio adferuntur ſunt, ἀντεπίτροποι, ij ſcilicet qui in foro vicem procuratorum obtinent: quos forſitan.l.moris. D. de pœnis iunxerat Vlpianus aduocatis, tabellionibus, pragmaticis, his omnibus perſonis foro interdici ſolere demonſtrans. Alij Ramularij legunt.

Radere, in xii. Tab.eſt vnguibus dilaniare, dilacerare. verba legis hæc, Mvlieres genas ne radvnto. Radere barbam.l.item Mela.D.ad leg.Aq. tondere ſignificat.

Radicitvs, id eſt ab imis radicibus.l.furti.§.j.D.arb. furt.cæſarum. μεταφορικῶς pro omnino.

Radiis maritorum coruſcare, in libris noſtris dicuntur mulieres, in quibus honor mariti fulget, velut quodã radio ſolari, qui eas conſpicuas facit.

Racha, Hebræis interiectio indignantis, qua vtitur Matth.5.c.

Ramentvm, tenuis cuiuſque rei particula. Ramenta fluminum, minutiſſimæ arenæ partes.

Rapere verbum, & ſciſſum & fractum, adeóque vi raptum continet. Vlp.D.de verb.ſign.l.9. aliter Florentiæ legitur.

Rapi Feſto libr.16.ſimulatur virgo ex gremio matris, aut ſi ea non eſt, ex proxima neceſſitudine, cum ad virum trahitur: quod videlicet ea res Romulo ceſſerit.

Rapax nomen apud Ciceronem in Lælio non ſonat iniuſtum, aut πλεονέκτην, ſed quod ſtudio & arte, ſiue vi quadam ſua & natura alliciat ad ſe quippiã, cuius deſiderio teneatur. Nihil eſt enim, inquit, appetẽtius ſimilium ſui: nihil rapacius quam natura. ſicque Rapere ſu-

mitur

mitur in carmine quodam inſerto inter luſus Priapi:

Qualibus Hippomanes rapuit Schœneida pomis.

Valet enim illic conciliauit ipſam ſibi ac beneuolam reddidit, vel potius inuitam ad ſe vocauit.

Raptvm dicitur, vi ablatum.

Raptus, violentum ſtuprum. l. raptores. C. de rapt. virg. Et raptus crimen. l. 5. §. vlt. D. de vi public.

Raptor generaliter, qui vi res alienas rapit, aufert. Eſtque improbior fure, quàuis manifeſto, licet leuius puniatur. Raptor omnimodò furtum facit: ideo manifeſtus fur exiſtimandus eſt: & furti actione tenebitur. l. ſi vendidero. §. cum raptor. D. de furt. Specialiter autem raptor dicitur, qui virginem rapit. l. raptores. C. de rapt. virg.

Rapina, ad rem: Raptio, ad perſonam refertur. Bart. in l. ſi quis ex domo. D. de fur. diſputat nõ inutiliter, an rapina ſit priuatum delictum. Item ſit ne ſpecies furti, inueſtigat in l. duobus. §. ſi quis iurauerit. D. de iureiu. Receptum eſt, Rapinam maius furto eſſe delictum. l. ſi cum exceptione. §. qui vim. D. quod metus cauſſa.

Rapina eſt, violenta rei ademptio. Rapinam facere, rapere. l. j. §. j. D. de aleato. Differt autem in multis à furto. j. Furtum latenter & clanculum fit, Rapina impudẽter, & vi. ii. Furtum aliud eſt manifeſtum, aliud nec manifeſtum. Rapina non niſi manifeſta. iii. Furti pœna quandoque dupli eſt, quandoque quadrupli: Rapinæ tantum tripli. iiii. Furti actio ſolam pœnam ſine re ipſa perſequitur, Rapinæ vero & rem & pœnã ſimul. v. Furti actio manifeſti prætoria eſt, nec manifeſti, ciuilis: Rapinæ actio tota honoraria eſt. vi. Furti actio perpetua eſt: Rapinæ verò annua. §. j. Inſtitut. vi bon. rapt. §. ex maleficiis. Inſtitut. de actio. Rapina fortuitis caſibus adſcribitur. l. 30. D. ad leg. Falcid. Rapina an ſit crimen priuatum Bart. l. ſi quis ex domo. D. de furt.

Rapinam facere. l. Lucius Titius. 88. §. matre & vxore. 16. D. de legat. 2. quidam exponunt, bona alicuius rapere: alij verò, vt Puluæus in lib. de rerum alienatione, pro rapos ſerere, vel locũ illis ſerendis parare: quod multis probatur. Sic enim ſcribit Iuriſc. Scis vnum fratrem tuum filium noſtrum occidiſſe, dum ei rapinam facit, &c. Ita enim augetur facinus interfectoris, qui etiam de ſe bene merentem interfecit.

Raphaeles Iuriſconſulti duo celebrantur, alter Fulgoſius, Comenſis alter: quorum vterque Pataujj ius ciuile profeſſus eſt circiter annum M. CCCCXX.

Ῥαπίσματα Iuſtinianus appellat colaphos, quibus frõs cædi liberorũ, cum manumitterentur, ſolebat. l. vlt. C. de emãcip. & Nouella. LXXXI. vbi Imp. ſic loquitur ἐπεὶ ἡ τῆς emancipationis πρᾶξις πάλαι μὲν ὑπὸ τὰς καλουμένας legis actionas γινομένη, μεθ' ὕβρεων καὶ ῥαπισμάτων ἀπαλλάττειν αὐτοὺς τῶν τοιούτων δεσμῶν, &c. Hunc autem cædendi morem etiã in ſeruorum manumiſſionibus ſeruari ſolitum, Iſidorus teſtatur lib. Etymol. 9. c. 4. Cornutus in Perſium, Quoties, inquit, manumittebãt, eos alapa percuſſos circùmagebant, & liberos confirmabant. Vnde manumiſſio dicta eſt, eo quòd manus eis immitteretur. Claudianus in li. 4. C. de Cõſul. Honorij:

—famulúſque iugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat ſecurior ictu:
Triſtis conditio pulſata fronte recedit
In ciuem, rubuere genæ, tergóque remouit
Verbera, promiſſi felix iniuria uoti.

Quibus ex locis exiſtimare licet, calaphos & alapas illas in liberorum emancipationibus propterea inſtitutas, quòd cùm pro ſeruis mancipati & vẽditi fuiſſent, etiam pro ſeruis eiecti & de poteſtate ac familia dimiſſi fingerentur. D. Baſilius in oratione de baptiſmate: ὕπνου καὶ ῥάπισμα τὴν τελευταίαν τῶν δούλων πληγὴν ὑπὲρ τοῦ μετὰ ταῦτα τῶν αἰκισμῶν ἀπαλλαγῆς κατεδέχου. Symbolum igitur manumiſſionis erat alapa, vt cretionis digitorum crepitus, & mancipationis æs & libra.

Rarvm pro præſtanti, & præclaro, Cicero in Topicis.

Raro, non ſæpe, inſolenter Iuriſcoſ. tit. de leg. l. diſcretis. qui teſta. fac.

Ratam rem habere. D. rem rat. hab. eſt comprobare, adgnoſcere, quod à non vero procuratore nomine noſtro actum eſt l. 12. D. rem rat. hab. idque non verbis tantum, ſed & facto explicari poteſt. l. 5. D. eod. Et ita in ſtipulatione qua procurator cauet rem ratam dominum habiturum, hoc verbum accipimus. Quæ & de rato cautio, & ſatiſdatio de rato vocatur. l. 23. D. de admin. tuto. l. 22. §. ſi pater. D. ſol. matr. & ſtipulatio de rato habendo in l. 2. D. rem rat. habe. qua promittitur, vt Theophilus in tit. de ſatiſdatio. loquitur, ὡς κύρια καὶ βέβαια τὰ παρ' αὐτοῦ πραττόμενα ὁ δεσπότης δίκης ἡγήσεται.

Rata parte, quod vulgus ad æquipollentiam ſiue contingentem portionem, & etiam pro rata dicit: Latinam vocem vſurpans Vlp. in l. ſi ſeruus. in fi. D. ſi quis caut. Verùm ſi pro rata, inquit, vnius offeratur pœna. Sic idem in l. in his verò. de ſolut. & ſimilibus locis. Interpretantur autem pro portione, quæ quandoque eſt virilis, quandoque hæreditaria, de quo Bal. in l. fin. C. de impu. & aliis ſubſti. Vide Pro rata parte.

Ratæ preces, exauditæ, Budæo.

Ratificare, actum approbare.

Ratihabitio, approbatio eius quod cum eo geſtũ eſt qui egit procuratorio nomine. l. fin. C. ad Maced. Bar. l. Pomponius. D. de neg. geſt. cui contraria eſt Retractatio.

Ratem inter naues ponit Vlpian. l. j. §. magiſtrum. 2. de exercit. D. vide L. Baifium in lib. de re Nauali.

Ratiarivs, qui ratem exercet, vt nauicularius, qui nauem, nec opifex, ſed negotiator eſt. Paulus in l. qui ratiario. de pig. act. Qui ratiario crediderat, cũ ad diẽ pecunia non ſolueretur, ratem in flumine ſua auctoritate detinuit, &c. Budæ. in l. j. §. nauem. de exercit. act.

Ratio, eſt certa veritatis demonſtratio. Vnde rationẽ quærere in his, quæ ad ſenſum probantur, infirmitas rationis eſt, vt pulchrè dixit Bald. in l. j. C. de ſer. fugit. Lex verò, omne quod ratione conſiſtit. Salom. in §. reſponſa. Inſtit. de iure nat. gent. & ciuil.

Ratio non minus mouere debet iudicem quàm lex. Siquidem vbi lex non eſt, ratio naturalis tacita quædam lex eſt, inquit Paulus in l. cùm ratio. D. de bonis damnat.

Ratio diſputandi in iure, & rigor iuris, idem ſignificare videntur. Vide Iulianum in memorabili. l. ſi ita vulneratus. ad legem Aquil. in ea enim diſertè ponit, Multa iure ciuili contra ſtrictam rationem diſputandi, pro vtilitate communi recepta eſſe.

Rationem pro ſermone dixit textus. §. ſic itaque. de nupt. conſtit. 22.

Ratio, inquit Labeo, eſt, vltrò citróque dandi, accipiẽdi, credendi, obligandi, ſoluendi ſui cauſſa negotiatio. l. ſi quis ex argentariis. §. rationum. D. de edendo. Itaque non dicitur ratio, ſi quis ſcribat priuatim, Petrum (puta) ſoluiſſe decem tali die.

Rationũ appellatione non inſtrumenta tantùm, aut codices rationarij, vt l. cùm ſeruus. de cond & demonſt. l. prætor. §. j. D. de edend. ſed & calẽdaria, & diaria, ſeu ephemerides & aduerſaria continẽtur: itémque ſi qua in palimpſeſto, ſeu deletitia charta, aut opiſthographo ſcripta ſunt. l. chartæ. de bo. poſſ. cõtr. tab. Indicat Alciat. l. j. C. de edend.

Rationes reddere, eſt legendas offerre primum, deinde computãdas, vt explorari poſſit, imputationes probè an improbe referantur: accepta rectè relata, an nõ rectè. ita. n. incipit quidem res à facto, peruenit autẽ ad pecuniam. reliqua enim reddi oportet. l. 82. & ſimil. D. de cond. & dem. At rationem reddere longè aliud eſt

quàm edere.Nam edere iuſſus inſpiciendi tantum poteſtatem facere debet, reliquum reddere non debet. Reddere verò iuſſus hoc ampliùs eam pecuniam,quæ ex reliquis colligitur,reddere cogitur.l.89.D.de verb. ſignif.l.69.§.ſeruus.D.de euict.Etenim Rationes reddere effectu nihil aliud eſt, quàm reliqua ſoluere.l.32. D.de cond.& demonſtr.l.4.C.de teſta.man. Quamobrem reddendarum rationum condicioni ſeruus ita demum ſatisfacit atque paret,ſi libros rationum edat, ſi legendas,examinandas, diſpungendas, computandáſque rationes offerat, ſi cautiones & inſtrumenta omnia actus ſui exhibeat, & hæredes notitia rationũ inſtruat,& fidem conſtare omnibus quæ ab eo geſta ſunt,doceat,ac denique cum fide actus ſui quod reliquum eſt ſoluat & reddat.l.81.l.110.D. de condicio.& demonſtr.l.9.§.is qui reddere.D. de liber. lega.l.6.§. vlt.D.de ſtatuliber. Nec verò ſcriptam dumtaxat rationem,ſed & eam, quæ ſine ſcriptura ab eo adminiſtrata ſit,reddere debet l. 26.D.de ſtatuliber. Sufficit planè ſi ex æquo & bono rationem reddat, nec ea vtique quæ ſine culpa ſua perierint reddere debet l.22.§. vlt.D.de manumi.teſta.Sed nec ad reliquorum onus pertinent damna,quæ ita contigerint, vt nihil imputari poſſit.l.41.§. Titius. D.de fideic. libert. Quæ tota ferè lex de condicione rationum reddendarum tract. Rationum autem redditione remiſſa ſcrupuloſa tantùm exactio rationum remitti videtur,non etiam reliquorum retentio, vel dolus in actu gerendo commiſſus.l.71.§.Titius.D.de condicio.& demonſtr. l.10. l.29. §.filias,l.vlt.§,inter.& §.Titia.D.de lib.leg. l.122.D. de leg.lib.j.Et ita de eo,qui tutores ἀνεκλογίστους eſſe, id eſt, rationibus reddendis minimè obnoxios voluerat, Iulia.reſpondit,niſi bonã fidem in adminiſtratione præſtiterint,damnari eos debere.l.5.§.Iul.D.de adm.tut.

Rationem conſtare alicui dicitur, in l.pen. D. de re milit. quando acceptorum ratio non ſuperat impenſorum rationem, ac reliquorum. Eodem modo per tranſlationem ratio conſtat in Republica, cùm officio quiſque ſuo præclarè fungitur,benéque collocãtur operæ, & in ſumma cùm nihil temporis hominibus deperit.

Rationis habendæ cauſſa,hoc eſt,vt curam haberet, propoſuit Prætor,Vlpia.in l.j.in prin.D.de poſtul.

Ratio æraria apud Ciceronem in Quintiana, eſt, vt ſcribit Turneb.Aduerſ.lib.7.c.14.cum in aſſium numerum ſumma redigitur:vt verbi gratia,ſi centum millia æris deberi dicantur.Hoc eo per te agebatur, inquit Cicero,quod propter ærariam rationem non ſatis erat in tabulis inſpexiſſe quantum deberetur, niſi ad Caſtoris quæſiſſet quantum ſolueretur.decidis, ſtatuíſque tu propter neceſſitudinẽ,quæ tibi cum Scapulis eſt, quid iis ad denarium ſolueretur:Hæc Cicero.Fac igitur cẽtum millia æris debita fuiſſe Scapulis ex æraria ratione:eam ſummam ſibi in ære numerari nolebant,in argento optabant.nemo eſt enim qui non magnã ſummam in argento,quàm in minuto ære habere malit. non recuſabant debitores,ſed aliquid deduci volebãt, ſi ad denarium ſoluerent.Erat enim denarius argenteus,& in argento ratio,vel ad denarium fiebat,vel ad ſeſtertium.Voluſius:Quare ſi ad denarium rationem conficies.Et,Si prius inſpexeris ad quem modum ſeſtertiaria ratio conficiatur. Aliter illum Cicer.locum legit Hoto.nam pro his verbis, Niſi ad Caſtoris quæſiſſet,legit,niſi à quæſtoribus quæſiſſes: tum & ærariã rationem exponit, diſſimilitudinem pecuniæ Rom.à Gallicana.Et illud ad denarium,id eſt ad rationem pecuniæ Rom.

Ratio implicita, cuius accepta atque expenſa nondum ſunt computata.Scæuola in l.emptor prædij.§.j.D.de pactis.

Rationes agere,gerere, adminiſtrare, pro eodem Iuriſcoſ.dicunt.l.42.§.libertatem. D. de fide. libr.l.40.§. ſeruus.D.de ſtat.lib.l.34.D.de lib.cau. Rationes dare, reddere eſt l.33.§.Lucius.D. de adminiſtr. tut. & alibi ſæpiſſimè.

Ratio poni dicitur,id eſt,iniri & computari.l.j.§.ſi ſeruus. D.ſi quis teſta.lib.eſſe iuſſ.& alibi ſæpe.

Ratio putatur,in qua ſumma fit pura, vt Varro lib.5.Ling. Lat.ſcribit,vel,vt N.Marcellus,in qua fraudis, aut falſi,aut mendacij,aut iniqui aliquid ſeparatur,& expungitur.Sic in l.7.D.de contra.emptio.Si rationes domini arbitrio putet.Rationem putare dicunt Græci συνᾶραι λογισμόν.

Rationes relatæ olim dicebantur,quemadmodum Cicero lib.5.Epiſt.ad Rufum oſtendit, quæ ad ærarium referebantur.Feſt.Pomp.lib.16.R. R. duobus in cõpluribus orationibus cùm de actis diſſeritur, id eſt,rationũ relatarum:quòd iis tabulis docentur iudices, quæ publicè data atque accepta ſunt.Ratio conſtare dicitur.l. j.D.de obſeq.parenti.l.pen.D.de re milita.

Rationibus diſtrahendis actio appellatur, quæ aduerſus tutores, qui in pecunia pupilli male & fraudulenter verſati ſunt,in duplum datur.l. j.§.rationibus.l.2.in princ. D. de tutel.& ratio.diſtrah. Rationibus autem eadem ratione dictum videtur, vt Communi diuidũdo,Finibus regundis,Familiæ erciſcundæ: pro ad diſtrahendas rationes,hoc eſt ad ineundam ſubducendámque acceptorum expenſorúmque rationem: & quia quod alteri ab altero debetur,id quaſi coniunctũ & contractum eſt, ad coniunctionẽ illam diſtrahendam & dirimendam.Fabius lib.7.c.4.In tutelæ iudicio, inquit,ſolet quæri an alia de re quàm de calculis cognoſci oporteat:an fides præſtari debeat tantum, non etiam conſilium & euentus.

Rationibus inferre,Referre rationibus,vel referre ad rationes,hoc eſt,rationibus adſcribere, quid receptum, quídque expenſum ſit.l.qui ſine vſuris.D.nego.geſt.

Ratio ſeſtertiaria, vide Ratio æraria.

Rationes ſubſcribere.l.82.D.de cond. & demonſtr. Hinc Rationes ſubſcriptæ & expunctæ.l.13.de diuerſ.& tẽp. præſcript.Galli vocant,*compte clos,& adfiné.*

RATIONALES in libris noſtris dicuntur, iidem qui Procuratores Cæſaris, de quibus ſuo loco explicauimus.vnde Rub.lib.Pandect.j.De offic.procur.cæſ.vel rational.Lamprid.in Alexandro: Vbi aliquos voluiſſet,vel rectores prouinciis dare, vel præpoſitos facere,vel procuratores,id eſt rationales ordinare, nomina eorum proponebat,&c.Item:Rationales cito mutabat,ita vt nemo niſi annum compleret:eóſque ſi boni eſſent,oderat,malum neceſſariũ vocans.Imp.Conſtant.l.5.C.vbi cauſſ.fiſc.Ad fiſcum, inquit, pertinentes cauſſas Rationalis decidat.Sic in l.vlt.C.de aduoc. fiſc.l.vlt.C.ſi aduerſ.fiſc.l.3.C.de bon.vac.

RATIONALES ſummarum in Notitia Roma. Imperij ponuntur per prouincias conſtituti, quos puto rationales ſummæ rei vocari, veluti in inſcriptione l. 7.C. vbi cauſæ fiſca.Idem Aug.ad Buleſorum rationalem ſummæ rei. At in inſcriptione.l.7.de iur.fiſ.in C.Theo. Verecũdo rationali ſummarum, ſcriptum eſt.Alij etiã ſtatuuntur rationales priuatarum, vt & procurator priuatæ rationis,in l.7.C.de edend.& rationalis priuatæ rationis.l.vn.C.de anno.& c.Et rationalis priuatæ rei.l.7.C.de bo.proſc.

Rationalem inter infimos iudices conſtituit Speculator. §.infimi.de iuriſd.om.iud.

RATIONALIA ſubſtantiuè,apud Vlpianum, ſi modò ſyncera manet lectio,in l.j.§.de ſeruis quoque. de tut. & rat.diſtrah. interpretatur Alber. rationum inſtrumenta.Noricus textus indicat & aliàs legi poſſe Auctionalia,nimirum pro tabulis auctionariis,in quibus annotabatur precium rerum publicè diſtractarum: quod

quod ſub haſta ferè ſolebat fieri. Auctionariarum tabularum mentionem facit Cicero in Catilin.

Ratiocinator, qui tabernæ rationes tractat, l.7. C.de bon.proſcrip.

Rauca, vermis radices arrodens. Plin. lib.17. cap.18. Olea vbi quercus effoſſa ſit, malè ponitur: quoniam vermes, qui Raucæ vocantur, in radice quercus naſcuntur & tranſeunt. Vlpia.l.13.§.j. D.locati: Si qua tamen vitia ex ipſa re oriantur, hæc damno coloni eſſe: veluti ſi vinum coacuerit, ſi raucis aut herbis ſegetes corruptæ ſint.

Raudus, ſiue, vt in mãcipationum formulis, raudusculus, aſſem ſignificat. Apud veteres Raudum æs, imperfectum, RAVDVSCVLO LIBRAM FERITO.

Re, præpoſitio, non niſi compoſita reperitur, ſignificat reſolutionem actus rei, cui adiicitur, l.j. §.eleganter. D.depoſ.

Realia vitia dicuntur quæ rebus, id eſt poſſeſſionibus ipſis, inhærent, rémque omnimodo à quouis poſſeſſore vſucapi prohibent, vt res furtiuæ, vi, clam aut precario poſſeſſæ, &c.l.vitium, C.de acquir.poſſeſ.§. furtiuæ.Inſtit.de vſucap.ad differentiam perſonalium, quæ perſonæ certæ inſunt, & eius tantummodo vſucapionem impediunt, vt mala fides.

Reale vitium obiicere, hoc eſt, rem eſſe talem, quæ alienari, aut tradi non potuerit.

Realia ſunt, quæ ob rem conceduntur, nec perſonam reſpiciunt, l.cùm vnus. D.de bonis auctorit.iudic.poſſid.

Reatus, ſtatus & conditio reorum, hoc eſt, vt Budæus ait, habitus demiſſus, pannoſus, ſquallidus, & miſericordiæ aucupator. Vnde legimus, ſub titul.de iniuriis, Veſtem ſordidam rei nomine in publico habere, capillúmve ſubmittere, nulli licet. Modeſtinus de pœnis: Si diutino, inquit, tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus eius pœna ſubleuãda erit. Pars enim pœnæ eſſe viſa eſt, longa temporis intercapedo in cõſpicua calamitate & miſeranda. Errore autem miro hæc opinio inter Iuriſperitos, alióſque inualuit, vt reatus pro crimine exaudiatur, cùm clara ſit huius vocabuli ſignificatio, l.vlt.in fi.de bonis dam. vbi Paul. Fraudis autem cauſſa, ait, adoptio facta videtur, etiam ſi nõ in reatu, ſed in deſperatione rerum, per conſcientiam, metu imminentis accuſationis quis adoptet. Et itidem in tit.de bonis eorum qui ante ſent.mortem ſibi cõſc. l.vlti.Ita demum bona eius, qui in reatu mortem ſibi conſciuerit, fiſco vindicanda ſunt, ſi eius criminis reus fuerit: vt ſi damnaretur, morte, aut deportatione afficiendus eſſet. Hodie in reatu ſunt Budæo, qui vel carcere detenti, ſquallore & illuuie conficiuntur: aut qui honoris cauſſa, cuſtodiæ ſuæ, aut apparitorum commiſſi: aut vadimonio, aut vadibus obſtricti ſunt, aut ex promiſſoribus. Reatus, pro pœna, in Auth.de inceſt.nupt.in princ.ac etiam adnotante Alciato, pro facto ipſo rei dicitur. Vnde Lex ait, Omnem honorem reatus excludit: eo ſcilicet exemplo, quo & abigeatus, factum ipſum abigei, Marcello, Calliſtratóque. Quod aduerſum videtur Budæi ſententiæ.

Rebelles in extrauaganti, qui principi non obtemperant circa ea, quæ ad imperij maieſtatem ſpectant.

Recautum, Nouella 130.de tranſ.mil.apochæ ſpecies, quam faciebant delegatores (id eſt hi qui prouidebant copiis militaribus) collatoribus annonæ militaris, de ſuſcepta, vt loquitur vetus interpres Nouella 72.id eſt ſecuritas de ſuſcepta pecunia, vt vult Cuiac. ex l.j.C.de col.fund.pat.lib.11.Auguſtinus de cura pro mortuis: Vbi eſſet recautum quo illa cautio vacuata fuerat. Sudas, Recautum ſpecies apochæ apud Romanos. Et ſic dicemus Recauere, pro cautionem ſoluere: vt Repignerare, pignus diſſoluere. Cautio eſt obligatio: Recautio, obligationis diſſolutio. Recentiores Euacuatariam vocarunt. Vide Euacuatoria.

Recedo is ere. Receſſiſſe non videtur, qui ſtatim rediit, ex ſententia, l.nihil. D.de captiuis.

Recenſitio, pro recognitione. Vlpia.in l.3.§.Si quis noxali.ad exhibend. Nónne æquum eſt ei familiam exhiberi, vt noxium ſeruum agnoſcat? quod ex cauſſa debet fieri, ad deſignandum eum, cuius nomine noxali quis agit, recenſitione ſeruorum facta. Accurſ.id eſt, nominatione, interpretatur.

Receptator, qui latrones, eorúmque ſurrepta, nocentéſve recipit, occultátque. Martianus l.j.de recept. Peſſimum, inquit, genus eſt receptatorum, ſine quibus latere nemo diu poteſt. Quamuis receptator, qui cognatum, vel affinem conſeruauerit, non eſt ſeuere puniendus, l.2.eo.titu.Hinc receptaculum, dicitur locus in quem ſe improbi homines recipiunt. Vlp.l.congruit, de offic.præſ. Receptorem appellat, itémque Paulus lib.5.ſenten.tit.3.& l.3.§.non tantum. D.de incend.ruin.

Recidere, eſt ſui iuris fieri non poſſe, hoc eſt, de poteſtate in poteſtatem deſcendere, vt elegãter ſenſum reddens Cantiuncula dixit, Inſtit.quib. mod.ius pat. poteſt.ſolu.in princ. Vlpia.in l.ſiue cont.de lib.agnoſ. In cuius poteſtatem recaſurus eſt.& inferius, In cuius poteſtatem recaſuri non ſunt.& rurſum ſub fine eiuſdem l.idẽ.de his qui ſui vel alie.iur.Nepotes, inquit, ex filio, mortuo auo, recidere ſolent in filij poteſtatem.

Recipere, præter notas ſignificationes, in tradendo, promittendóve excipere, & ſibi reſeruare ſignificat. Iauol.l.5.D.commun.præd.Seruitutem recipere niſi ſibi, nemo poteſt. adiectio itaque vicini pro ſuperuacuo habenda eſt: ita vt tota ſeruitus ad eum qui receperit, pertineat. Alfen.l.205. Qui fundum vendidit, pomum recepit, nuces & ficos & vuas duntaxat duracinas receptas videri. Labeo l.30.§.3. D.de lega.& fid.lib.32. Si fundum mihi vendere certo precio damnatus es, nullum fructum eius rei ea venditione excipere tibi liberum erit. Plaut.in Trinummo.

Poſticulum hoc recepit, cum ædes uenderet.

Cic.de Orat.11.Sed dicis te, cum ædes venderes, ne in rutis quidem & cæſis ſolium tibi paternum recepiſſe. Eodem modo Gell.lib.17.cap.6.hunc Catonis locum interpretatur: Principio nobis mulier magnam dotem attulit, tum magnam recepit, quam in viri poteſtate non committit. Eam pecuniam viro dat mutuam: poſtea vbi ira facta eſt: ſeruum receptitium ſectari atque flagitare virum iubet. Recipit, inquit Gell.id eſt, retinet. Item, Quando mulier dotem marito dabat, tum quæ ex ſuis bonis retinebat, neque ad virũ tranſmittebat, ea recipere dicebatur.

Recipere in edicto De ſer.corrup.propriè eſt, refugium abſcondendi cauſſa ſeruo præſtare, vel in ſuo agro, vel in alieno loco, ædificióve, l.j.§.j.D.de ſer.corrupt.

Recipere ſaluum fore, de furto, & damno intelligi debet, l.5.D.nau.caup.ſtab.

Recipere cuſtodiam, l.14.§.fi.D.de fur.

Recipi in carcerem, l.j.l.13.D.de cuſt.reo.l.j.D.quando appellandũ ſit.Et Recipi in cuſtodiã, l.vlt. D.de quæſtio.

Recipitur nomen eius, qui inter reos refertur, Cicero 4. Verrina.

Recipi inter reos dicuntur, qui in numero ſunt reorum, l. 12.§.j.D.de accuſ. Hinc, Recepti rei, l.2.D.de cuſt. reo.Tacit.lib.4.Receptus eſt, neque tamen peractus.

Recipiendum intelligendum l.ex parte.D.de hæred.inſti.

Receptum dicitur, quod à pleriſque prudentium approbatum eſt. Recipere enim quandoque pro approbare. Inde ius moribus receptum, l.non debet.D.de dol.mal. Et ius receptum, l.in minorum. C.in quibus cauſ.reſtit.in integr.non eſt neceſſ.

Receptum non videtur, quod receptum non durat, Gloſ. ca.nam &c.extr.de verb.ſignifi.quod vtique verum eſt, cùm recipientis ius extinctum eſt: alioquin ſi non extinctum, ſed tranſlatum proponatur, receptum videtur, ex reſponſo Pauli, qui ait, ſub tit.de verb.ſign. Cæpiſſe quis intelligitur, quamuis aliis acquiſiuit.

Recepti in libris noſtris appellantur, iudices compromiſſarij: ex eo quòd à Prætore ad arbitrãdum delecti, recepti atque admiſſi ſunt: ſiue quia ex recepto, id eſt, ex compromiſſo pecuniæ certæ cauſſas dirimendas recipiunt, l.j.& paſſ.D.de recept.& l.12. C.de iudic.

Recepti in reos, vide Reum facere. Venul.l.12.§.j. D. de accuſa. Hoc beneficio etiã in reos recepti vti poſſunt. item in fine, Cornelia iniuriarum ſeruum nõ debere recipi reum, Cornelius Sylla auctor fuit.

Recepticia actio olim vocabatur, quæ aduerſus argentarios, qui pecuniam, aut aliud quidpiam mobile, vel immobile etiam non debitum, alieno nomine cõſtituerant, dabatur, Theophil.in §.in perſonam. Inſtit. de actionib.à verbo, opinor, Recipere, quod nonnunquam promittere eſt. Vnde & ex recepto, id eſt, compromiſſo, Iuſtinia.interpretatur. Huius videtur mentio fieri l.ſiquis.§.rationem. D.de edendo. Hæc actio aboletur l.2.c.de conſtit.pecun.

Recepticia Dos eſt, quam is qui dedit, ſoluto matrimonio ſibi reddi ſtipulatus eſt: ait Vlpian. cap.Inſt.6.& l. mortis cauſſa.31.§.2.D.de mort.cauſſ.donat.

Recepticius Servvs Nonio is dici traditur, quem in danda dote, aut donatione quis exceperit, quod eſt receperit. Cato, Mulier & magnã dotem dat, & magnã pecuniam retinet. ex ea igitur re familiari, ex qua ſibi dote date retinuit pecuniam, viro fortè irata repetere inſtituit. apponit ei flagitatorem receptitium: hoc eſt, proprium ſeruum ſuum, quem cum reliqua pecunia receperat, nec dederat doti, & exceperat.

Reciperare, pro Recuperare paſſim in Pandectis Florentinis. Hinc,

Reciperatio, vide Recvperatio.

Recipere, l.2.§.mulier dotem. D.de dote præleg. pro excipere ſumitur. Dotem enim, inquit, Vlpia.recepiſſe mulierem magis, quàm accepiſſe: ſaluo eo quod ex commodo repræſentationis ab ea fideicommitti potuit. Sic apud Plautum in Trinumo: Poſticulum hoc recepit, cum ædes vendidit. & Cicero lib.2.de Orato. Sed dicis te cum ædes venderes, ne in rutis quidem & cæſis ſolum tibi paternum recepiſſe.

Recisvm, conciſum, breue, Calliſtratus, l.2.D.de term. moc. Et poſſunt in tempus vt cuiuſque patiatur ætas, relegari, id eſt ſi iuuenior, in longius: ſi ſenior, reciſius.

Recitari teſtamentum dicitur, cùm in publicum prolatum & apertum teſtibus præſentibus publicè recitatur, l.j. C.quemadmo.teſtam.aper. l.41. D.ſi cert. pet.l.11.§.j.de legat.2.l.6.in fin. D.de extraordi.crim.l. 40.D.de iur.fiſ.l.29.D.de manumiſſ.teſtamen. & apud Paul.lib.4.Sent.titu.6.Plin.7.cap.52. Apertóque teſtamento recitatum hæredem minorem funeri inſtitiſſe. Recitare etiam teſtator hæredem dicitur, quia eum palàm, id eſt, ſic vt à teſtibus ſeptem exaudiri poſſit, nuncupat, vt in l.j.D.de his quæ pro non ſcript.habẽt. Qua ex parte me Titius hæredem ſcriptum in tabulis ſuis recitauerit, ex ea parte hæres eſto. Et in l.18.§.vlti. D.de hæred.inſtituen. Qua ex parte à me Titium hæredem inſtitutum recitaſſem, ex ea parte mihi Sempronius hæres eſto. Cice.pro Cæcinna: Teſtamento ſi recitatus eſſet hæres pupillus Cornelius.

Recognitio & diſpunctio in l.15. D.de reb.auct.iud. poſſid.ad quam referenda eſt l.56. D.de verbo.ſignifi. vt inſcriptionũ ſimilitudo admonet, vbi ait Vlpia. Cognoſcere inſtrumenta eſt relegere & recognoſcere: Diſpũgere verò, cõferre data & accepta. Sic Deſcriptũ & recognitum faciat, accipe in l.5.D.famil.erciſc. Recognoſcere etiam dicitur, qui quod ſe dictante ab alio ſcriptum eſt, agnoſcat, l.15.§.item Senatus. D.de falſ.

Recognoſcere Feudum, eſt beneficij ſui auctorem agnoſcere, eique illud acceptum referre, eóque nomine fidem illi & obſequium deferre, lib.Feud.2.tit.17.& tit. 34.§.3. Dicebant & Recognoſcere de manu. Albertus Krantz.li.Dan.6.cap.17. Ibi tum Cæſar cauſſari cœpit, quòd rex tardius adueniſſet, Imperio Romano deuinctus obſequio, quod regnum illius de manu recognoſceret. Idem lib.7.cap.41. Ita tamen, vt iuxta regni iura feudũ à corona recognoſcat, & inde præſtet obſequia.

Recommendari, Bartoliſticis, eſt detineri & carcerari ad implorationem aliorum, de quo vide Bart.in l.2.ad fin.D.de cuſtod.reor. vbi docet: Si carceratio nulla eſſet, nec recõmendationem valere. Itaque Recommendari reus interpretibus dicitur, quando aliquis in carceribus eſt propter vnũ crimẽ, & duo actores veniunt implorantes officium iudicis, quòd iſte incarceratus detineatur etiam propter eorum intereſſe.

Reconventio, Caio eſt mutua actio, in l.ſi idem cùm eodem, §.ſed & ſi mutuæ.D.de iuriſdict.

Reconuentio, quæ rei: & conuentio, quæ actoris eſt: dicitur mutua petitio. Sunt enim quaſi connexa, l.penult.C.de Iudiciis. Vide Abbat.in Rubric.de mut.pet. Negant reconuentionem (quæ nihil aliud eſt in effectu, quàm retorſio, l.cùm Papin.cum Authen.ſeq.C. de ſenten.& interloc.omn.iudic.) habere locum in appellationis cauſſa, tum coram arbitro. Vide Lanfr. Balb.Deciſ.65.Cent.j. Poteſt autem conuentio & reconuentio fieri vel coram iudice ordinario, vel delegato.in Nouel.de executoribus.§.illud. & in Auth.Et conſequenter.C.de ſenten.vbi Glo.pulchra.

Rectvm iudicium, id eſt, directum, & principale, l.18. D.commod.

Rectum Fevdvm.idẽ quod iuſtũ: ideſt, quod recto iure, quod iuſto & legitimo modo conſtitutũ, quod iuſta inueſtitura quæſitũ eſt.lib.Feud.2.tit.2.§.2.& tit.3.§.j.& tit.20.& tit.46. Obertus lib.2.tit.8.§.2. pro recto feudo dixit, Rem per beneficium rectè inueſtitam. Sic,

Rectum ius dixit Iuſtin.§.j.de fideic.hæred. In primis, inquit, ſciendum eſt opus eſſe, vt aliquis recto iure teſtamento hæres inſtituatur. Id eſt, ſecundum iuris ciuilis præſcripta & regulas, atque adeo verbis directis ac ſolemnibus.

Recte verbum ad iuſtitiam cauſſæ refertur: ſicut Ritè, ad ritum, id eſt, ſolemnitatem, vt indicat Alciatus. Sed tamen videtur Rectè generalius accipi. quod enim ſecundum ritus fit, hoc & rectè fieri dicitur. Quamuis eodem admonente, Iuriſconſulti differentia hac nimis ſubtili abutantur, & doctiſſimi Grammaticorum aliter tradiderint. Varro: Ritè à ritu: nam quod ſecundum ritus fit, id ratum & rectum eſt. Priſcianus Ritè pro rectè: quia nihil traditur ritibus, niſi quod rectum eſſe credatur. Donatus: Rectè dicitur, quod nullo vitio verborũ dicitur. Verè, ad rei ſeu ſententiæ veritatem refertur. Hinc Terẽt.in Adel. Rectè & verè dicis.

Rectè atq; ordine, id eſt rectè ac ſapienter; quippe ex ſapientia conſideratio, ordo autem ex conſideratione naſcitur. In l.2.D.ad S.C.Vell. Arbitrari Senatum, rectè atque ordine facturos ad quos de ea re in iura aditum erit. Cic.Philip.3. Rectè atque ordine, éque Rep. feciſſe & facere. Vlpian.l.diui.27.§.j. D.de liber.cauſſ. Rectè atque ordine iudices puto facturos, ſi hanc formam fuerint conſecuti.

Rectè, in ſtipulationibus tantundem valet, vt Arbitratu boni viri: inquit Vlpian.l.hæc verba.73. De verb.ſign. Hinc Rectè defendre, arbitratu boni viri defendere: apud eundem in l.iam tamen.5.§.3. D.iudic.ſol. Hinc illa formula cautionum apud Paul.in l.Lecta, 40. D.Si cert.

cert.pet.Et hæc quindecim proba rectè dari Kalendis futuris ſtipulatus eſt Mæuius. Cato De re ruſt.cap.144. Oleam cogi rectè, ſatiſdato arbitratu L.Manlij.Idem cap.146.Rectè hæc dari, fieríque, ſatiſque dari domino,promittito. Varro lib.De re ruſt.2.ca.4.Illaſce ſues ſanas eſſe,haberéque rectè licere,ſpondes ne? Scæuola l.qui Romæ.§.15. D.de verb.oblig. Eáque ſic rectè dari fieri promiſit Callimachus. Vlpian.l.aliud eſt. 71. De verb.ſign.His rebus rectè præſtari.

Rectè defendi, hoc eſt iudicium accipere vel per ſe, vel per alium,ſed cùm ſatisfactione: nec ille videtur rectè defendi,qui quod iudicatum eſt non ſoluit, l.rectè 63. D.de iudic.& l.10.D.de adminiſt.tut.

Rectè aliàs eſt idoneè, vtiliter, & vt oportet.l.2.D.vſufruct.quemadm.cau.l.20.§.vlt.D.de ſeruit.vrb.l.24.D. de ſeruit.ruſt. Item legitimè & ſecundum iuris ordinem,l.2.§.j.D.ad Velleian.l.27.§.rectè.D.de liber. cau. l.31.D.de minorib.l.2.D.de inoffic.teſtam.l.6.in fin.D. de iure patron.l.3.in princ.D.de lib.& poſth.

Rectè etiam eſt ſine vitio, id eſt, non vi, non clàm, non precariò.l.penult.D.de itin.actúque. His enim modis rectè rem non geri Donat.in Eunuch. Terent.notat. Rectum iudicium pro directo, & principali in l.18.§. vlt.D.commod.coniuncta.l.17.§.j. D.eod.tit.vt & Recta actio, pro directa,in l.9.§.ſed non vt literæ.D.de acquir.rer.dom.

Rector propriè dicitur, qui prouinciam ſiue Præfecti Præt.titulo, ſiue comitis, ſiue proconſulis, ſiue legati,ſiue Cæſaris,ſiue correctoris nomine regit. Vide Bart.in l.j.C.de excuſ.mun.lib.11. Alcia.in l.principalibus.D.ſi cert.petat. Cæterùm Rectorem ſcholaſticorum nomine contineri, vt & Epiſcopum, qui ſtudiorum cauſſa in Academia ſit, Bald. docuit in proœm. Decretal. Sic appellatione militũ, Imperator, l.j.D.de mil.teſt.Appellatione populi,ſenatus continebitur, §. Plebs. Inſtit.de iur.nat.Qua ratione cùm curiam dicimus, etiam de Cardinalibus: cùm Monachos, de Abbate: cùm Capitulum, de Decano quoque intelligemus,ca.quia.§.j.de conceſ.præb.in Sexto.

Recvperatio, ſiue Reciperatio, vt ait Ælius Gallus apud Feſtum,eſt,cum inter populum, & Reges & nationes,& equites conuenit peregrina lex, quomodo per recuperatores(quorum erat id munus)reddantur res,reciperentúrque, réſque priuatas inter ſe perſequantur σύμβολα,ſi credimus Sudæ, appellat Demoſthenes Philip.7.quæ pacta conuenta ſunt ciuitatum inter ſe,quibus iura ciuibus vltrò citróque redduntur.

Recvperatores dicebantur,quibus Prætor iuriſdictionem mãdabat priuatarum cauſſarum quacunq; de re ageretur:à recuperando, ſeu iterum acquirendo quod amiſſum erat,dicti,quos nunc iudices delegatos appellamus.Theoph.§.eadem.Inſtitut.quibus ex cauſ. ma.licet.Recuperatoribus ſimiles erant apud Græcos qui διαιτηταὶ vocabantur,non αἱρετοὶ,ſed κληρωτοί.

Recvperatorivm iudicium, quod per iudices datos exercebatur,Cice.lib.2.de Inuen Plin.lib.3.Epiſtol.penul.Huius autem exemplum habes apud Ciceronem in Oratio.pro Cæcina,quam orationem ipſe apud Recuperatores perorauit:ſponſione facta in interdicto vnde vi.

Recvsare,pro accuſationem depellere, apud Cicer. Budæ.obſeruauit.Recuſamus reipſa, & tacitè, l.recuſare.D.de acquir.hær.l.recuſare. Ad Trebell. Item recuſat,hoc eſt,refutat,reiicit impropriè, quod ſibi delatum non eſt,l.filia.D.de aur.& arg.leg. Præterea recuſat, qui debitè requiſitus, abſque cauſſa protendit executionem,vt not.in Authen.de exact.inſtru.dot.§. illud.Aſtipulatur l.tutor qui repertorium. §.ſi deponi. D.de admin.tut. Obſeruandum, executorem recuſari non poſſe ſuſpecti nomine, nec ab eo appellari,niſi in exequendo modum excedat, ſecundum gloſ.in l. apertiſſimi.C.de iud.

Recvsare & Repudiare hæreditatem differunt. Recuſare nõ modò hæres poteſt, verumetiam fideicommiſſarius,l.cogi.16.§.3.& §.ſi ſeruo. D.ad Trebell. Repudiare autem ſolus hæres poteſt:quippe cùm alij nulli hæreditas deferatur.rurſus,Repudiatio in iure tantum fieri poteſt, l.3. & l.4. C.de repud.hæred. Recuſatio verò quouis loco & modo rectè fit. Itaque recuſare,inquit Vlp.non tantùm præſentes,ſed etiam abſentes,vel per epiſtolam poſſunt,l.recuſare.6. D.ad Trebell.& l.recuſari.95.De acquir.hære. Recuſari hæreditas nõ tantum verbis,ſed etiam re poteſt: & alio quouis indicio voluntatis.

Recvsatio veteribus Gloſſis ἀποβολὴ, καὶ ἀπόλεξις κριτῶν. Ergo eſt iuriſdictionis, vel audientiæ, cauſſa ſuſpicionis propoſita declinatio, l.apertiſſimi. C.de iudic. Spec.tit.de recuſ.Id autem fiebat aut his verbis, Hunc nolo: vt ſcribit Plinius in Panegyrico, Sors, inquit,& vrna iudicem adſignat, licet reiicere, licet exclamare,Hunc nolo,timidus eſt. Vel interpoſito iureiurando, his verbis: Eiero, iniquus eſt (vt Aſconius Pædianus docet) alio nullo allato ſuſpicionis argumento.Iudex autem ante litem conteſtatã recuſandus eſt,d.l.apertiſſimi. Si lite conteſtata, emerget legitima recuſandi cauſſa,recuſari poterit,glo.l.pen. C.de conſort.eiuſd.lit.glo.in ca.cùm ſpeciali. de appella.in antiq. Recuſandi iudicis cauſſas recenſet Angelus in §. præterea.nu.9.Inſt.de except.Alciat.reſp.369.nu.13. Vide item Cuiac.Obſer.lib.9.cap.23.

Recuſatio, exceptio. Cicero, De Inuent. lib.j. Iudiciale eſt,quod poſitum in iudicio,habet in ſe accuſationem & defenſionem,aut petitionẽ & recuſationem. Hinc illud Celſi in l.48. D.mandat. Si quis ſub vſuris creditam pecuniã fideiuſſiſſet,& reus in iudicio cõuentus cùm recuſare vellet ſub vſuris creditam eſſe pecuniã, fideiuſſor ſoluendo vſuras poteſtatem recuſandi eas res ſuſtuliſſet,eam pecuniam à reo non petiturum,

Reddere, rem pro re dare. Seneca lib.de Benef.6. Cùm dicimus,Beneficium illi reddidi, non hoc dicimus, illud nos quod acceperamus reddidiſſe: ſed aliud pro illo reddere. Eſt enim rem pro re dare.Quid ni?cùm omnis ſolutio non idem reddat, ſed tantumdem. nam & pecuniam dicimur reddidiſſe, quamuis numerauimus pro argento aureos, quamuis non interuenerint nummi,ſed delegatione & verbis perfecta ſolutio fit.Item lib.7.Reddere, eſt id quod debeas volenti dare.

Reddendi verbum, ait Celſus, quanquam ſignificatum habet retrò dandi, recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem,l.94.D.de verb.ſign.l.21.De legat.2. Itaque reddere iuſſum,ſimul & dare iuſſum Caſcellius & Labeo probant, l.97.de legat.3.Et ideo ſiquis alicui pecuniam reddi iuſſerit, etſi debitam non appareat, ex fideicommiſſo tamen ea rectè petetur, l.91.§.j.D.de legatis & fid.3.

Reddi actiones à Prætore dicuntur, id eſt, dari, l.11.de præſcript. verb. l.52. D.de rei vendic.§.rei perſequendæ.in fin.Inſtit.de action.l.35. D.de obligat.& action. l.9.§.j. D.quod falſ.tut.l.vlt. in fin. D.ſi ventris nom.l. 23.in fin.D.comm.diuid.

Reddi iudicium, id eſt iudicium conſtitui, l.12.D.de præſcript.verb.l.4. D.de aqua quoti.l.penult.D.quod cuiuſq.vniuerſ. Et,

Reddi interdictum, id eſt interdicto agendi poteſtatem permitti,l.4.D.de vi,& vi arma,l.j.§.eſt igitur, & l.vlt. D.vti poſſid.l.j.§.hoc interdicto. & §.præterea. D.de itin.actúq.priu.Paulus lib.4.Sentent.titut.7. Et,

Reddi præiudicium,l.vlt.D.ſi lib.ing.eſſe dic.

Reddi pœnæ dicuntur, qui ad pœnam ſuam, quam euaſerant

ſerant,vel ad metallum,vel aliam aliquam reuocatur. Plin.lib.10.Epiſtol.Traianum conſulens de ſeruis qui ex damnatione in ſeruorum publicorum numerum irrepſerant: Nam & reddere,ait, pœnæ poſt longum tempus pleroſque iam ſenes, & quantum adfirmatur, frugaliter modeſtéque viuentes, nimis ſeuerum arbitrabar. Cui Traianus ſic reſcribit: Qui intra hos decē annos damnati,nec vllo idoneo auctore liberati ſunt, hos oportebit operæ ſuæ reddi. Apul.lib.7. de Aſino aureo: Quoad renaſcenti die ſequenti deductus ad magiſtratus,vt aiebant,pœnæ redderetur.

Reddere ius dicitur magiſtratus, cum aliquid decernit: quaſi quod ei à populo commiſſum fuit,vnicuique diſtribuens,l.pen.D.de iuſt.& iur.

Reddere rationes, vide Rationes reddere.

REDDITI agri,vt Hygenus in libro de limitibus,& alij id genus auctores ſcribunt,olim dicebantur, qui veteribus poſſeſſoribus redditi erant.

Redditi apoſtoli,l.9.D.de iure fiſc. Et Redditæ vſuræ, l.17. D.de vſur.

REDDITVIRI,vetuſtè pro Redditū iri. Proculus,l.48. in fi.Sed qui petent cauere debebunt,ſi hæreditas euicta fuerit,quod legatorum nomine datū ſit,reddituiri. Iulianus l.27.D.ad S.C.Trebel.Et cauit, quod amplius per legem Falcidiam liceret,cepiſſet, reddituiri.

REDHIBERE, eſt facere vt rurſus habeat vēditor quod habuerit:& quia reddendo id fiebat, idcirco Redhibitio eſt appellata,quaſi redditio,l.21.D.de ædil.edict. vide l.facta.60. Vel ſic:Redhibere dicitur venditor,qui rem vēditam ſibi ab emptore redditam recipit. Plautus Mercatore:

C.Quid ſi igitur reddatur illi unde empta eſt?
D.Minimè gentium. C.dixit ſe redhibere,ſi non placeat.

nam (vt ait Feſtus) Redhibitur tum propriè dicitur, quod redditū eſt,improbatúmque:& qui dedit,idémq; rurſus coactus eſt habere id quod antè habuit. Igitur,

REDHIBITIO venditionis reſolutio eſt,l.11.§.redhibitionem.cum §.ſeq.D.de act.empt. Quintil.lib.8.cap.3. Annon pudeat certam pecuniam creditam periodis poſtulare,aut circa ſtillicidia affici, aut mācipij redhibitionem ſuadere. Hanc Græci ἀναγωγὴν vocant. Heſychius ſic eam definit: Ἀναγωγὴ ἡ τῶν πραθέντων ἀνδραπόδων ἀνάδοσις ἐχόντων αἰτίαν τινά. Noſtri ἀναστροφὴν.

REDHIBITORIA actio ædilicia, quæ in hoc datur vt venditor quod vendidit propter vitium eius, morbúmque recipiat,l.j.& tot.tit.D.de redhib.act.

REDIGERE, eſt induſtria reducere ad aliquid,Papinianus in l.2.D.qui potior.in pigno.habean. Quamuis,inquit,ex cæteris pecuniam ſuam redigere poſſit.

REDACTA pecunia, Vlpian.interpretans verba S.C. quod relatum eſt in l.item veniunt. D.de petit.hæredita. Redactam, inquit, ſic accipiemus, non ſolùm iam exactam:verùm & ſi exigi potuit,nec exacta eſt.

REDACTVS,tus,tui:pecunia ex frugib. venditis redacta. Scæuol.l.58.§.j. D.de vſufruct. Sempronio do lego ex redactu fructuum holeris & porrinæ,partem ſextā.

REDIMERE, multis mudis etiam in iure noſtro ſolet accipi. I. Emere,licitari. Cicero: Qui merces, inquit, redimūt,vt ſtatim vendant. Inde redēptores cauſſarū, qui alienas lites mercantur pecunia: Quadruplatores aliàs dicti. Redemptor itē vectigaliū, emptor appellatur,in l.Cæſar.in prin.D.de publi. II. Redimere,quaſi reemere,cum res vendita eodem pretio recipitur. Ita quotidie vtimur in contractibus annuorum redituum: quibus pactum redimendi ſolet adiici. III. Pro liberare, vel recuperare illos, qui capti ſunt. Terentius, Vt redimas te captū,quam queas minimo. IIII. Redimere accipitur,pro certo precio aliquid faciendū ſuſcipere,vt totū quis perficiat ſuo ſumptu,quod & cōducere dicimus. Celſus in l.redemptores. D.de rei vindicat. Cicero, Et redēptor, inquit, qui columnā illā de Torquato conduxerat faciendā. Sic l.12.§.vlt.D.de vſu & habit. Si veſtimēta texenda redemerit. Et redempturis faciendis præpoſiti dicuntur in l.5.D.de inſtitor.qui ad operū rerúmque aliarum conductiones præponūtur.

Redimere,pro corrumpere:vt redimere delatorem, pecunia eum à delatione deducere. Vlpian.l.29.D.de iur. fiſci: Sed enim hæc pœna magis eſt vt aduerſus ipſum locum habeat,qui delatorem redemit. Item:Nec enim exinde perit cauſſa,ex quo redempta eſt.

Redimere ſententiam, Redimere iudices. Macer l.34. eo. Tu qui defenſione omiſſa redimere ſententiam maluiſti. Item, Ad defenſiones cauſſæ bona fide veniant: non aduerſarios aut iudices redimere tentent.

Redimere litem, futuri emolumenti litis ſocietatem paciſci eſt,l.7. D.mandati.l.20. C.eod.l.j.§.ſi cui cautū.D. de extraordin.cogn.l.15.C.de procura.l.53.D.de pactis.

REDEMPTOR dicitur, qui certo precio opus aliquod faciendum ſuo periculo conduxit:& qui locat, vetuſtè Venditor:opus verò ipſum,Redemptoris bona: vt in Verrin.3. docet Hotom. Vel ſic; Redemptor eſt, qui opus certo precio faciendum ſuo periculo conduxit. Vlp.l.39.D.de rei vend. Redemptores qui ſuis cementis ædificant, ſtatim cementa faciunt eorū in quorum ſolo ædificant. Cicero Philipp.9. Vt eam ſtatuam faciendam locent,quantíque locarint, tantum pecuniā redemptori ſoluendam attribuendámque curent. Redemptores,inquit Feſtus,propriè atque antiqua conſuetudine dicebantur,qui cùm ad faciendum aut præbendum quid conduxerant, tum demum pecunias accipiebant,nam antiquitùs Emere pro accipere ponebant. At ij nunc dicuntur Redemptores, qui quid conduxere præbendum,vtendúmque.

Redemptor pontis dicitur, qui pontem ſartū tectum pecunia quæ pro mercium exportatione ſoluatur, tuendum conduxit. Labeo l.60.§.8. D.locat. Vehiculū conduxiſti:id cum pontem tranſiret,redemptor eius pontis portorium ab eo exigebat.

Redemptores vectigalium, l.8.§.non alios. D.de vacat. mun. Redemptor cotoriarum, in l.15.de public. Redemptor ſyluæ,qui ſyluam conduxit, l.29. D.loca. Sed & quemcunque operis faciendi conductorē hoc nomine appellant, l.51.§.vlt.l.60.§.l.dicta. D.locati.l.17.§. penult. D.de vſur.l.40. D.de rei vendicat.l.23.§.j.D.de reb.auctor.iudic.l.j. D.in quibus cauſ.pign.l.33. §.qui ædem.D.loca.l.38.in fi.D.de verb.oblig.

Redemptor litis dicitur,qui certa mercede pacta litis periculum in ſe recepit, eiúſq; periculum præſtat. Vlp.l. 6.§.6.D.mandat. Videbatur autem mihi iudicatū ſolui fideiuſſiſſe, & quaſi redemptor litis extitiſſet, velle à Daphnide mandati iudicio conſequi quod erat condemnatus. Prius autem dixerat, Ex euentu litis cauerat ſibi certam quantitatem dari. Item l.ſequēti, An euentum litium maioris pecuniæ præmio redemerit. Quintil.li.12. cap.7.in fin.de patronis eorúmque honorario diſputans:Paciſcēdi quidem ille piraticus mos, & imponentium periculis precia, procul abominanda negociatio,etiam à mediocriter improbis aberit. Impp. l.15.C.de procur. Litem te redemiſſe cōtra bonos mores precibus manifeſtè profeſſus es. Sic l.22.C.mandat.l.9.§.j.D.de offic.proconſ. quanquam hîc Redemptor cauſſarum videtur fere is dici, qui lites quotidianas pecunia mercari, illáſque pactionibus muneribúſque pellicere conatur, haud ſecus quàm qui domos ædificiúmque faciendum, vtendúmve precio conducit. Alex.ab Alex.lib.4.c.15.

REDEMPTVRA, redemptio conductio publicorum. Vlpia.l.5.D.de inſtit.act. Si quis pecuniis fœnerandis, agris colendis,mercaturis, redempturíſque faciendis præpoſuerit, &c. Liuius lib.23. Exhortandos qui redempturis

demptoris auxiſſent patrimonia, vt Reipub. ex quo creuiſſent, ad tempus commodarent.

Redintegrari matrimonium dicitur, quoties poſt repudium miſſum iterum coeunt, & cõueniunt ac reconciliantur coniuges, l.23.& l.vlt. D.rer.amotar.l.64. D.de iure dot.l.19.D.ſolu.matrimo. Matrimoniũ eodẽ ſenſu inſtaurari dicitur, l.62.§.j.D.de donat.inter vir. Sic & Redintegrari dos, in l.6.D.de iur.dot. Et Redintegrari ſeruitus, quæ confuſa reſtituitur, l.7. D.de fundo dot. Redintegrari etiam matrimonium dicitur, quod captiuitate ab hoſtibus diſſutum quodammodo erat, l.14.in fi.D.de captiu. Redintegratur & ſtipulatio, quæ accepta facta reſtituitur, & ex integro interponitur, l.10.D.quod met.cau. Quo ſenſu Reſtaurari obligatio dicitur, l.9.D.de præſcript.verb.

Redire hæreditas dicitur, quæ lege & ab inteſtato obuenit. Papinia.in l.69.in fi.prin.D.de legat.2. Peto pro hæreditate quam tibi reliqui, quæq; ad fratrẽ meũ iure legitimo rediret, contentus ſis centũ aureis, Pompon. in l.3. D.ſi quis omiſſa cau.teſt. Si ipſe quoque prætermiſerit, & quod lege ad ſe rediret, poſſidebit hæreditatem. Terent.in Andria Act.4.ſcen.6. *Eius morte ea ad me lege redierunt bona.* Idem in Hecyra Act.1.ſcen.2.

Interea in Imbro moritur cognatus ſenex:
Horum ad hos redibat lege hæreditas.

Reditvs dicitur, quicquid ex re aliqua obuenit, & redit, l.5.§.non paſſim. D.de reb.eor. Sic Reditus prædij, id eſt prouentus, qui quotannis redit, l.penult.D.de vſu & vſufru.leg.l.ſi reditus. D.de fund.inſtr. l.Titia. D.de ſolut. l.æquiſſimum.§.j.D.de vſufruct. vt apud Ouid.Eleg.3.

At reditus iam quiſque ſuos amat, & ſibi quid ſit
Vtile, ſollicitis computat articulis.

Reditus annui inter immobilia computantur. Nouella 7.& l.Iubemus.2.de ſacroſanct.Eccleſ. Reditus autem prædij legatur cùm vindemia, vel meſſes legantur, l.6.D.vſufruct. quemad.cau. l.7.l.17.§.etſi forte.D. de vſufr. Multum verò legatum Reditus prædij ab vſusfructus legato differt. Nam cui vſusfruct. legatus eſt, prædium ipſum quo vtatur fruatur liberum relinqui debet. Ei verò, cui reditus legatur, ſatis eſt offerri annuam quantitatem, quam fundus largitur, nec ad habitationem præſtandam hęres obſtringitur, l.38. D. de vſufr.leg. Hæreditatem autem exceptis reditibus reſtituere rogatus, partus ancillarum non retinebit, nec fœtus pecorum, qui ſubmiſſi, & in locum demortuorum capitum ſubſtituti gregem retinent, l.38.§.hæreditatem.D.ad Trebellian.

Reditus pecuniæ, id eſt, vſura, inquit Scæuola l.30.D.de adim.vel transf. l.87.§.vlti.ad leg. Falcid.l.6. De præſcript.verb.

Rediviva ſaxa, l.19. C.The.de oper.public. appellantur, quæ ex vetere in nouum ædificium tranſlata deintegro poliuntur, & quaſi in vitam, noua adſumpta forma, denuo reuocantur.

Reducere, eſt in formam priſtinam inſtaurare, l.3.D. de itin.actúque priuat. Interdum ſignificat referre ad arbitrium alicuius. Hinc illa diſputatio, An, qui petit reductionem ad arbitrium boni viri, iniquitatem probare debeat, Panor.conſil.2.

Reduces dicuntur à periculo imminenti ſeruati.

Referendarii, in Conſtitutionib. Iuſtin. Nouel. 10.113.124.& l.2. C.de offic.eius qui vic.alic.iud. ij erant qui recitabant principi ſupplicum deſideria, & mandata principis iudicibus inſinuabant. Caſſiodorus, lib. Varr.6.ex eorum formula demonſtrat eos cauſſarum ordines principi expoſuiſſe, interpellantium vota cognouiſſe, & iis reſponſa reddidiſſe. Nonnunquam etiam, vt Sigebertus ſcribit in Chronico, publicas conſcriptiones anulo ſeu ſigillo regis confirmabant. Quidam magiſtros requeſtarum hodie dici putant. Nominat autem eos ipſe Iuſtinianus Spectabiles, qui mox ſuum poſt illuſtres obtinebant locum. Vide Auth. de referen.ſacri Palat. Alciat.lib.Diſpunct.3. & Bart.in l.eos.C.de excuſ.mun.lib.10. Ῥεφερενδάριος, inquit Suidas, ἀξίωμα ῥωμαϊκὸν ἤγουν ὁ ἀναφορεύς. Ex horũ autẽ numero ſunt qui referendarij dicuntur maioris Eccleſiæ Nou.6. qui ſpecialiter deſtinati erant ad maioris eccleſiæ negotia principi referenda. At ij qui Referendi curiæ nominantur à Caſſiodoro lib.3. Var. iidem non ſunt qui referendarij, vt eiuſdem Caſſiodori formula de referendis in Senatu docet. Coclæus hanc vocem in barbararum dictionum claſſem reiecit.

Referre de re aliqua, pro eo, quod eſt, proponere rem agitandam.

Referre crimen eſt accuſatori crimen obiicere, vnde Relatio criminum, l.5.D.de public.iudic.

Referre iuſiurandum, eſt delatum ſibi ab aduerſario iuſiurandum in eum transferre. Paulus l.38. D.de iureiur. Manifeſtæ, inquit, turpitudinis & confeſſionis eſt, nolle nec iurare, nec iuſiurandum referre. Et ſæpe in l. iuſiurandum.34.eod.

Referre rem iudicatam, tractare. Cic.pro Dom.ſua: Si Decemuiri ſacramentum in libertatem iniuſtum iudicaſſent, tamen quotieſcunque vellet quis, hoc in genere ſe rem iudicatam referre poſſe voluerunt. Sic Referre myſteria dixit libr. De Orat.3.pro Iterare: & Terent.in prol.Hecyr. Referre comœdiam, pro denuò agere.

Referre in reos. Vlpian.l.15.§.j.D.ad leg. Iul.de adult. Legis Iuliæ de adulteriis capite ſeptimo ita cauetur, ne quis inter reos referat eum, qui tum ſine detractatione Reip.cauſſa aberit: neque enim æquum viſum eſt abſentem Reipubl.cauſſa inter reos referri, dum Reipub.operatur. Vide Reum facere.

Relationes dicuntur in Rub. De relationib. libr. Cod.7. cùm iudex in diſceptanda lite dubitandi cauſſam habens, ad Principem negotium refert, eum quid ſtatui velit, conſulens: vnde etiã Conſultatio appellatur in l.j.eod. Quoties, inquit, ad noſtram ſcientiam iudex ſe polliceatur relaturũ, conſultationis exemplũ litigatoribus illico edi apud acta iubeat: vt ſi cui forte relatio minus plena vel cõtraria videatur, is refutatorias preces ſimiliter apud acta offerat. Relationes verò in l.14.C.de accuſ. elogia ſunt quæ ab irenarchis & officialibus ad præſides referebantur. nam referendi verbo hac in re vtitur Marcian.l.6. D.de cuſtod. reor.

Reficere eſt ad priſtinam formam, & modum iter & actum reducere: ſic vt ne dilatet quis, vel producat aut deprimat, aut exaggeret: idq; in Interdicto de via reficienda. Reficit viam & qui aperit, & qui purgat, & omnes omnino qui in priſtinũ ſtatũ reducunt, l.j.D.de via publica. & ſic Refectionem accipimus l.4. §.ſiquis mihi itineris. D.ſi ſer.vindicetur. Similiter in Interdicto de riuis, Reficere eſt quod corruptum eſt in priſtinum ſtatum inſtaurare. Itaq; tegere, ſubſtruere, ſarcire, ædificare, aduehere, apportaréque, quæ ad eam rem vtilia ſunt, reficiendi verbo continentur, l.j.in princ.& §.reficere.D.de riuis.l.11.D.commun.præd.

Reficere, etiam redigere eſt, l.81.D.ad leg.Fal. Hinc,

Refecta pecunia, redacta ex re quapiam, l.j.§.ſi frater.D.de collatione bonorum, l.3.§.vlt.D.de vſur.

Refectvs, reditus, prouentus. Scæuola l.78.§.10. D.ad Senatuſconſultum Treb. Interim ex refectu paupertatis, qui ad vos peruenerit, alatis eum vſuris pro quantitate nummorũ redactis: id eſt, ex reditu partis tertiæ hæreditatis. nam paupertatem appellat exiguæ hæreditatis partem tertiam. Verbum fructibus agrorum & prouentibus accommodatum. Cicer.in Paradox. Nunquam eris diues, antequam tibi ex tuis poſſeſſionibus

tantum

tantum reficiatur, vt ex eo tueri ſex legiones poſſis.

REFIGERE, quod fixum eſt labefactare, atque conuellere. Venuleius, D. quod vi aut clam. l. ſi vitem. Si fixeris, inquit, & ego refixero. Paulus titul. de verborum obligationibus l. inter. Tabulæ, inquit, refixæ ſunt. Venul. tit. ad leg. Iuli. peculat. l. qui tabulam: Qui tabulam, ait, enim refixerit. Vlpianus, l. ſed & ſi quid. de vſufructu: Sed & ſi quid, ait, inædificauerit: poſtea eum neque tollere hoc, neque refigere poſſe: planè refixa poſſe eum vindicare.

REFORMARE pactum, l. interpoſitas. C. de tranſact. id eſt reſcindere. Si vera ſunt quæ precibus complexus es, alia ratio pactum reformat. Alias Reformari pactũ dicitur l. iuriſgentium. §. adeo. D. de pact. id eſt corrigi, in meliorem formam reduci: etiam ſi poteſt, inquit, Vlp. tota res tolli, cur non & reformari, vt quodammodo quaſi renouatus contractus videatur?

REFVGÆ dicuntur, qui metallo vel alij cui operi, & pœnæ, cui addicti erant, fuga ſe ſubducunt, & ſubtrahunt, l. 8. §. inter eos. D. de pœnis. Refugæ operis metalli, l. pen. in fin. D. de extraordin. cog. Refuga cuſtodiæ, l. 13. §. pen. D. de re milita. Tertull. in lib. de cultu fœmin. de auro agens quod per damnatos & noxios effoſſum, in honorem ornamentorum venit; Et de pœna, ait, in honorẽ metalli refuga mutatur. Defugas, & confugas eodem ſenſu in Codice Theodo. legimus,

REFVGIA, abſceſſus ſunt ædium & interiora loca, l. 13. §. ſed ſi ædium. D. de vſufruct. Sed neque diœtas, inquit Iuriſc. transformare vel coniungere, aut ſeparare ei permittetur, vel aditus, poſticáſve vertere, vel refugia aperire, vel atrium mutare, &c. Sic l. 11. §. quod autem. D. de ſer. corr. Vlpian. alio loco κρυπτὰς vocat. Vide κρυπτάι.

REFVTARE iudicem, idem quod reiicere, recuſare & remouere. Hinc Refutatio.

Refutare, renuntiare, cedere: vt Refutare feudum vaſſallus dicitur, cùm aut patrono id cedit, quaſi vſufructuarius domino vſumfructum, libro 2. tit. 9. §. 1. & tit. 38. Aut agnato proximiori: ſiue id de iam quæſito feudo fiat, vt lib. 2. tit. 26. §. 27. & tit. 49. ſiue de ſperato tantum, vt lib. 2. tit. 46. De refutatione Papatus, extat inſignis hiſtoria in Chron. Alberti Argent. quam in gratiam Canoniſtarum deſcribemus. Hic eſt Bonifacius Octauus Papa Romanus, de quo dicitur, quòd Cæleſtino prædeceſſori ſuo viro vtique ſancto, per longam cannam loquebatur: Cæleſtine cede, Cæleſtine cede: quo etiam cedente, & Bonifacio tanquam certiſſimo creato, eum populus venerabatur, vt Papam. Bonifacius hoc ſub excommunicatione prohibens, conſtitutionem edidit, quo Papam poſſe renuntiare Papatui declarauit: quia multi aſſerẽtes contrarium, eum Papã negabant. Hic condidit Sextum Decretalium; in quo claritate & venuſtate dictionis, omnes qui vnquam iura ſcripſerunt, anteceſſit: edidit Conſtitutionem Super Cathedram, grauem Minoribus & Prædicatoribus. Quo mortuo, Benedictus IX. ſucceſſor, qui fuit prædicator, fecit conſtitutionem, Inter cunctas, per quam reuocauit aliam. Hæc Alber.

REFVTATVM feudum à patre, & filio, retinet appellationem feudi paterni, l. vnica. in fin. de vaſallo decrepitæ ætatis.

REFVTATORIÆ preces l. 1. C. de relat. l. 18. C. de appell. & Refutatorij libelli, l. 37. C. eod. l. 8. C. Th. eod. Iudex à quo prouocatum erat, opinionis ſuæ exemplum litigatoribus dare debebat, & acta edere. Quod ſi cui minùs plena, vel contraria viderentur, is refutatorias preces offerebat, quæ ſimul mittebantur, l. 18. C. de appellat. Symmach. lib. 1. Epiſto. 31. Cuius meritum perennitas veſtra lectis geſtis ac refutatoriis cohærentibus æſtimabit.

REGERERE, pro iterum iniicere, l. 24. ad fin. D. quib. mod. vſufruct. Nec ſi ſumma terra ſublata ex fundo meo, & alia regeſta eſſet. Sumitur & pro perſcribere, id eſt in tabulas referre. Quintil. lib. 2. cap. 12. Vnde fit vt diſſoluta, & ex diuerſis congeſta oratio cohærere non poſſit: ſimiliſque ſit commentariis puerorum, in quos ea quæ aliis declamantibus laudata ſunt, regerunt. (alij tamen redigunt habent) Et in 3. cap. 8. Sunt enim velut res regeſtæ in hos commentarios, quos adoleſcens deduxerat ſchola. Hinc,

REGESTA, quæ corrupto vocabulo Regiſtra, quaſi regeſtaria dicunt, ſunt acta tabulæq; publicæ, quæ Græci ὑπομνήματα, & ὑπομνηματισμοὺς vocant. Illo tamẽ corrupto vocabulo vſus eſt Vopiſcus in Probo: Vſus, inquit, etiã ex regiſtris ſcribarũ porticus porphyreticæ.

REGERENDARII, dicuntur ij qui erant à regeſtis ſiue libellis, de quibus Caſſiodorus lib. 11. Variar. apud quẽ tamen corruptè regendarij legitur, pro, regerendarij.

REGERE, eſt gubernare, dirigere, quaſi rem agere: ſcilicet populi. Inde metaphoricè fines dicuntur regi multum eleganter: quia non vno modo de finibus iudicatur, ſed aut diſcernuntur qui iam ſunt: aut ſtatuuntur vbi non apparent, adiudicatione, condemnatione: quorum omnium ſignificationem non aliud ferè verbum compræhendere poterat commodius.

Regi igitur fines, interprete Boethio, dicuntur cum propriis ager quiſque finibus terminatur. Inde quod ad terminos conſtituendos, vel fines dirigendos inter eos, qui confines agros poſſident, datur iudicium, finium regundorum dicitur, & finibus regundis, vt C. D. fin. reg. Græci περὶ ὅρων ἰθυντέων. Cic. in Topic. Si in vrbe de finibus controuerſia eſt, quia fines agrorum magis eſſe videntur quàm vrbis, finibus regundis arbitrũ adigere non poſſis. & aliàs: Si in vrbe fines non reguntur, neque in vrbe aqua arceatur. Idem lib. 1. de legibus. Nec Mamilia lege ſinguli, ſed ex 12. tab. tres arbitri fines regemus. Regundorum autem, pro regendorum dicitur imitatione vetuſtatis in titul. D. finium regundor. Nec inconcinnè dicitur finalis quæſtio, in l. ſi conſtiterit. C. fin. regund. Et limitis actio, in cap. inter memoratos. 16. quæſt. 3.

Regentes, gubernantes, adminiſtrantes, l. illicitas. D. de offic. præſid.

REGVLA, κανὼν, γνώμων, propriè dicitur norma, qua lineæ diriguntur: quaſi regens menſuram. Per tranſlationem autem,

REGVLA eſt, inquit Paulus, quæ rem quæ eſt breuiter enarrat: nõ vt ex regula ius ſumatur, ſed ex iure quod eſt, regula fiat. per regulam igitur breuis rerum narratio traditur, & (vt ait Sabinus) quaſi cauſſæ coniectio eſt, quæ ſimul cum in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum, l. 1. D. de regul. iur. Sunt tamen qui pro, Cauſſæ coniectio, Cauſſæ coniunctio legãt: quod & Harmenopulus probare videtur li. 6. his verbis: κανών ἐστι σύντομος τῶν πραγμάτων ἀφήγησις καὶ σύνδεσμος. Alij ſic definiunt: Regula eſt ſententia quædam generalis, quæ ex plurium legum mente à Iuriſconſultis notata atque animaduerſa, paucis verbis ſummam earum conſenſionem & tanquam harmoniam complectitur. Differt autem Lex à Regula; quòd illa dicitur, quam populus certo & cognito omnibus iure conſtituit: Regula verò, quàm Iuriſconſulti ex pluribus legum capitibus notatis, interſeque comparatis elicuerunt: vt non omnino incommodè dicere poſſimus, leges eſſe tanquam voces, & ſonos ſingulos: Regulam verò eſſe tanquam harmoniam & concentum. Vide plura lib. Obſeruat. 11. cap. 4. Hotomani.

Regulæ officium eſt, exhibere nobis generaliter definitionem Iuris, quod alioquin per ſingulas negotiorum circunſtantias latiſſimè patet. Qua in re plurimum

commoda

commodatur humanæ fragilitati: Quæ in numeroſa legum multitudine,quaſi in labyrintho quodam periclitari ſolet,niſi ſummas earum ſententias, & primaria(vt ſic dicam) conſilia præ oculis habeat.

Regulæ iuris ſunt notitiæ quædam ſemper firmæ & immutabiles:vt quæ non ſolùm lapideis olim tabulis,ſed etiam cordibus hominũ indelebili charactere à Deo ipſo ſunt inſculptæ,veram videdi honeſtatem exprimentes.Vnde quicquid in hominum commerciis huiuſmodi axiomatibus conueniens eſt,id cenſetur ab arbitratu boni viri,à conſtante atque perpetua volũtate,denique ab ipſa iuſtitia depẽdere.Inſtitut.de iure natura.gen.& ciuili.§. ſed naturalia.l.Meuia. D. de annu.legat.l.j.in prin.D.de iuſtit.& iur.

Regularum iuris antiqui duplex eſt vſus. Alter, quòd vniuerſam legum cognitionem & penitiſſima earũ conſilia,breui quadam & veluti in faſcem contracta præceptione nobis ob oculos ponunt.Alter, vt in variis quotidie occurrentibus cùm publicis,tum priuatis negotiis ac conſultationibus,hiſce regulis vtamur ad ſeparandum æquum ab iniquo. Quæ ſalutaris ars, ſine notitia huiuſmodi præceptionum exerceri non magis poteſt,quàm fabrilis ſine norma.

Regula Catoniana,vide Catoniana regula.

REGVLA eſt capſa iuncea, vel ſcortea, in qua incluſæ oleæ torcularis prælo ſubiiciuntur, apud Vlp. l. 19. §. j. D.loca.& Columel.lib.12.c.52.

REGVLARITER, ſecundum regulam.l.regulariter. D. de hæred.petit.

REGES principiò quomodo aſſumpti ſint, poſt Alc.in Comment.ad l.bona ciuitatis.De verb. ſig. vide Iuſtinum lib.j.Cæterùm regis filium, tametſi regnum non habeat,regem vocari poſſe,cẽſuit Scholiaſtes in c.vlt. 24.q.j.An verò appellandus Rex ſit, natus patre nondum Rege ſalutato,dd.tractant.& mirum eſt,in dubiũ reuocari:nam à Iuriſconſ.apertiſſimè deciſum eſt l.ſenatoris.j.de ſenat.Regis officium qualenam ſit, vide c.Regum officium.22.q.5.

Regis filius,dicitur etiam natus poſt mortem regis.arg. l.emancipatum.D.de ſenat.

Regem Feudiſtæ plerunque pro Imperatore nominant: vnde regalia pro Imperatoris iura:ex quo quantum à Romana conſuetudine abhorreant, intelligi poteſt. Liuius lib.27.Circunfuſa inde multitudo Hiſpanorũ, & antè deditorum,& pridie captorum, Regẽ cum ingenti conſenſu appellauit. Tum Scipio ſilentio per præconem facto, ſibi maximum nomen Imperatoris eſſe dixit,quo ſe milites ſui appellaſſent: Regium nomen alibi magnum,Romæ intolerandum eſſe:regalẽ animum in ſe eſſe: ſi id in hominis ingenio ampliſſimum ducerent,tacitè iudicarẽt:vocis vſurpatione abſtinerent.Interdum tamen Regis nomine Langobardus Rex intelligitur.nam Italiæ Regum nomen Langobardi vſurparunt.cuius rei monimentum inſigne ſubſcribemus, quod extat in vrbe Viterbio: vnde Adriani Papæ & Deſiderij Regis nobilitatæ multorũ ſcriptis inimicitiæ intelliguntur.

Decretum Deſiderij Regis Italiæ.

REVOCAMVS.Statuta. Regis. Aſtulfi. contra. Vetulonos.edita. vt.lacus.non. Tirenſium. ſed, Vetulonum. ſit.quia lacus. magnus.ideò. Italiæ. quia. eorum. ager. prius.eſt.Italia.dicta.ab.ibi.ſede.Itali.&.vt.ſuam.Longulam.non.Longubardulam.ſed.cognomine.ſui.ampliatoris.Tirreni.Terbum.vocent.&.vt.ſub. vno. muro.cingant.tria.oppida. Longulam. Vetuloniam. Tirrenam. Volturnam.dictam. Etruriam.totamque. vrbem.noſtra.adiectione.Viterbum.pronuncient.vt. de. Roda. &.ciuita. Balneoregium. dici.iuſſimus. permittimus.pecuniis.imprimi. F. A. V. L. ſed.amoueri.Herculem.&.poni.Sanctũ. Laurentiũ. eorum. Patronum. vt.facit.Roma.&.Bononia.Iubemus. quoque. reparari.Cortauientam.Dardanum. Aſſium. Foranum.Cornietum.Tuſcanellum. Nos.enim. non. ſumus. Tuſciæ. deſtructores.vt. Nos.apud Gallos.accuſat. Adrianus. Papa.nam.in.Tuſcia.edificauimus.à. fundamentis.vobis.quidem.Volturrenis.Caluellum.vicum. Oreſianũ. Balneariam. Barbaranum. &. Gariofilum. Sentinatibus.autem. Auſidonias. &. Rodacofanum. Volaterræ. Rodacomalum. Lune. Sergianum. Petram. Sanctam. olim.Fanum.Feroniæ.Focenſibus.Sanctos.Germinianum.& Miniatem. Feſulanis. oppidum. Munionis.in. quod.vagos.ſparſos.Arinianos.&.palãtes.Fluentinos. collegimus.Rurſus. plures. antiquas. nobiles. vrbes. ampliauimus. &. muris. cinximus.Et. nunc.idem.agimus. circa. Lucam. Piſtorium. Aretium. Orbitum. &. Etruriam.nunc.Viterbum. cuius.nomen. aut.a. nobis. conſtituta.decreta.ſiquis.violauerit.aut.capite. puniatur.aut.laqueo.ſtranguletur.Hoc.itaque.non.eſt.Etruriam.deſtruere.vt.Nos.arguit.Adrianus.qui.pacem.vltrò.à.Nobis.oblatam.reſpuit. Quare.tibi. Grimoalde. Prefecte.Viterbienſis. precipimus. vt. quandiu.dubia. pax.perſeuerat.iubeas.omnes.Tuſciæ.milites.paratos. eſſe.in.armis.&.commeatus.ac. ſtipẽdia. ſine.auaritia. in.promptu.habeas.vt.nõ ſolum. occurrere. hoſtibus. ſed.etiam.illos.inuadere. . . . . . . ciues. non.grauabis.nouis.exacronibus. . . . . . . ex. Papia. venient. . . Viterbienſes. . Atque hæc quidem hactenus.Illud autem prætermittendum non videtur,cùm inuiſum Romæ Regis nomen eſſet, qui euerſa Rep.dominatum arripuerunt, Imperatoris aut Principis nomen ſibi ſumpſiſſe. De Imperatore, Tranquillus auctor eſt:itémque Dio lib.43. De Principe,Tacitus lib.j.Lepidi,inquit,atque Antonij arma in Auguſtum ceſſere,qui cuncta diſcordiis ciuilibus feſſa,nomine Principis ſub imperiũ accepit. Et aliquanto poſt:Non regno tamen,neque dictatura, ſed principis nomine conſtitutam remp.Sed vbi de re conuenit,minus de verbo laborãdum eſt:cùm verè propriéque omnes reges & ſint & appellẽtur; ſiue dictatores, vt Cæſar:ſiue principes,vt Auguſtus:ſiue imperatores, vt ipſius ſucceſſores:ſiue Pontifices, ſiue etiam Tribuni nominentur.cuius nominis ac poteſtatis ſuauis ad ridendum hiſtoria extat apud Nauclerum Generat. 45.ſub anno M.CCCXLVI. de Nicolao quodam ciue R.qui Papa auctore totius orbis dominatum ſibi arrogauit: próque eo iure regibus & imperatoribus omnibus diem dixit.cuius rei formulam ex eiuſdem Naucleri commentariis exſcribemus:Nos Candidus Spiritus ſancti miles Nicolaus ſeuerus & clemens liberator vrbis,zelator Italiæ,tribunus Auguſtus, volẽtes & deſiderantes donum Spiritus ſancti, & liberatores antiquos Ro.principes,quantum nobis permittitur imitari.Notum facimus vniuerſis, quòd quidem à nobis poſt aſſumptum tribunatus officium, Roma. populus de conſilio omnium & ſingulorum iudicum, ſapiẽtum & aduocatorum vrbis recognouit ſe adhuc illam habere auctoritatem poteſtatémque, atque iuriſdictionem in toto orbe terrarum, quam habuit in principio & ſummo augmento vrbis præfatæ. Et omnia priuilegia facta in præiudicium auctoritatis & poteſtatis & iuriſdictionis huiuſmodi ad ſe reuocauit expreſſè.Nos igitur auctoritatem,poteſtatem & iuriſdictionem antiquam nobis conceſſam à Populo Ro. in publico parlamento, & nuper à Domino noſtro ſummo Põtifice,vt patet per Apoſtolicas bullas eius, ne videamur de dono & Spiritus ſancti gratia, & ſacri Ro.populi fauoribus ingrati, iure & forma quibus melius poſſumus & debemus,decernimus & declaramus & pronuntiamus,Romanam vrbem,caput orbis, & fundamentum totius fidei Chriſtianæ,ac omnes &

ſingulas ciuitates Italiæ liberas eſſe cenſemus. Et ex nunc omnes præfatos populos ac ciues ciuitatum Italiæ facimus, declaramus, & pronunciamus, ciues eſſe Romanos, quos & Romana libertate volumus gaudere. Eadem auctoritate & gratia Dei & Spiritus ſancti, ac Ro. populi dicimus, profitemur, ac etiam declaramus Ro. imperium, iuriſdictionem, ac etiam monarchiam totius ſacri Imperij ad ipſam almam vrbem, ac eius populum, nécnon ad vniuerſam Italiam pertinere, & eaſdem fore legitimè deuolutas multis rationibus & cauſſis, quas ſuo loco declarari faciemus, dãtes & præfigentes in his ſcriptis omnibus & ſingulis prælatis, imperatoribus, electis, electoribus, regibus, ducibus, principibus, comitibus, marchionibus, populis, vniuerſitatibus, & quibuſcunque aliis in genere & in ſpecie, cuiuſcunque prouinciæ, ſtatus & conditionis exiſtant, & contradicere volentibus, ſeu in electione præfata ac ipſo imperio iuriſdictionem, poteſtatẽ & auctoritatem prætendentibus quoquomodo, terminũ hinc ad feſtum Pentecoſtes proximè futurũ, ita quod infra prædictum terminũ in ipſa alma vrbe & ſacroſancta Laterana Eccleſia coram nobis & aliis officialibus domini noſtri Papæ & Ro. populi, debeant cum eorum iuribus comparere: alioquin à dicto termino in antea procedetur prout de iure fuerit procedendũ: & nihilominus ad prædicta omnia in ſpecie citari facimus illuſtres principes Ludouicum ducem Bauariæ, & Carolum regem Bohemiæ, qui ſe aſſerunt imperatores ad imperium electos, ducem Saxoniæ, marchionem Brandeburg. Archiepiſcopos Moguntinenſem, Treueren. & Colonien. qui in dictis termino & loco comparere debent coram nobis & aliis Ro. populi officialib. perſonaliter, alioquin in eorum cõtumaciam procedemus, eorum abſentia non obſtante. Dat. &c.

REGALIA, nomen eſt multiplex. nam eo plerunque feuda omnia Regis beneficio conceſſa intelliguntur: interdum Eccleſiaſtica duntaxat maiora & primaria, qualia ſunt Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatiæ, quæ ſolius Regis conceſſu & munere conferebantur. Interdum, ius ipſum atque auctoritas regalia feuda & beneficia cõferendi: cæteráque iura fiſcalia. Interdum inſignia honoris, quæ vaſſis regalibus ſolemni more tribuuntur. quorum omnium exempla ſubſcribemus.

Regalia, pro feudis regalibus: qualia ſunt ducatus, comitatus, marchiæ, vt lib. Feud. j. tit. 14. §. j. & lib. 2. tit. 34. §. j. Radeuicus lib. 2. c. 5. vbi de Friderico Imp. pro Tribunali in Ronchaliis ſedente loquitur: Deinde (inquit) ſuper iuſtitia regni: & de regalibus, quæ longo iam tempore ſeu temeritate peruadentium, ſeu neglectu regum imperio deperierant, ſtudioſè diſſerens, cùm nullam poſſent inuenire defenſionem excuſationis tam Epiſcopi, quàm primates, & ciuitates, vno ore, vno aſſenſu, in manum Principis regalia reddidere, primíque reſignatum Mediolanenſes extitere. Requiſitique de hoc ipſo iure quid eſſet, adiudicauerunt ducatus, marchias, comitatus, conſulatus, monetas, telonia, fodrum, vectigalia, portus, pedatica, molẽdina, piſcarias, portus, omnémque vtilitatẽ ex decurſu fluminum prouenientem: nec de terra tantùm, verùmetiam de ſuis propriis capitibus cenſus annui redditionem. Híſque omnibus in fiſcum adnumeratis, tãta circa priſtinos poſſeſſores vſus eſt liberalitate, vt quicunque donatione Regum aliquid horum ſe poſſidere inſtrumẽtis legitimis edocere poterat, is etiam nũc imperiali beneficio, & regni nomine idipſum perpetuò poſſideret, &c. His tamen qui nullo iure, ſed ſola præſumptione de regalibus ſe intromiſerant. x x x. millia talẽtorum, plus minúſve reditibus publicis per ſingulos annos acceſſere.

Regalia, pro maioribus & opulentis ſacerdotiis: cuius rei exempla multa. c. Diſput. Feud. 8. exponit Hotom. Radeuicus lib. 2. c. 15. Cùm Adrianus Papa audiſſet, quòd regalia Principi tam ab Epiſcopis & Abbatibus, quã à ciuitatibus & proceribus recognita fuere, literas ſuper hoc negotio dirigit. Et in Epiſt. Imp. Friderici ad illum Papam, apud Nauclerum: Ab Epiſcopis qui regalia noſtra tenent, cur homagium & regalia ſacramenta non exigamus? Aut igitur regalia noſtra nobis dimittant: aut quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari perſoluant.

Regalia pro iure & poteſtate conferendi feuda, & beneficia regalia: quod per ſceptrum fiebat. Otto. Friſing. lib. Chron. 7. c. 14. Occaſio autem ſceleris huius hæc fuit, quòd rege Romam tendente, inter ipſum & Papam conuentio facta, ab obſidibus firmata narratur, vt ſcilicet rex Epiſcoporum inueſtituras remitteret, & Papa ipſi regalia eorũ reſignaret. Itaque dum Romam veniſſet, ac à Pontifice promiſſa ſibi perſolui exegiſſet, Papa, eò quòd clamantibus Epiſcopis, ea quæ petebantur, adimplere non poſſet, tãquam nocens, cùm per omnia eſſet innocẽs, cuſtodiæ mancipatur. Vidẽs hoc, &c. Et mox: Ad poſtremum pacem ſic facere coactus eſt: Epiſcoporum ſcilicet inueſtituras per anulum & baculum Imperatori concedere. Quibus ex locis apparet, inueſtituram per anulum & virgam, ſiue baculum fieri ſolere, cùm regalia per ſceptrum dari mos eſſet: vt alio loco docuimus. Otto Friſing. lib. Frid. 2. c. 6. Tradit enim curia, & ab Eccleſia eo tempore, quo ſub Henrico v. de inueſtitura Epiſcoporum deciſa fuit inter regnum & ſacerdotium controuerſia, ſibi cõceſſum autumat, quod obeuntibus Epiſcopis, ſi fortè in eligendo partes fiant, Principis arbitrij eſſe, Epiſcopum quem voluerit, ex primatum ſuorum conſilio ponere, nec electum aliquem antè conſecrandum, quàm ab ipſius manu regalia per ſceptrum ſuſcipiat. Atque hinc factum eſt, vt Gallica conſuetudine regaliarũ nomine paſſim apud Pragmaticos intelligantur iura regis Galliæ in maioribus ſacerdotiis conferendis, aut eorum fructus parte aliqua ſibi retinẽda. Qua de re extat libellus Ægidij Magiſtri Prætoris Pariſienſis ad eiuſdem ius Regis aſſerendum accommodatiſſimus. Nam cùm hac de re controuerſia illis à Pontificibus Romanis fieret, tandem Philippi Valeſij edictũ in hanc ſententiam promulgatum eſt: Philippus Dei gratia Francorum Rex: Quoniam diſputatum eſt à nonnullis, an penes nos ius poteſtáſque eſſet mandandi ſacerdotia, beneficia, & honores eccleſiaſticos, denuntiamus ac profitemur, re diligenter quæſita, & deliberata, compertum nobis eſſe, ſuperiores Reges Franciæ, anteceſſores noſtros, ius illud perpetuò tenuiſſe, nóſque pro noſtro iure ſemper antehac ſacerdotia mandaſſe, atque in poſterum mandaturos eſſe. Vicennis menſe Octob. M. CCC XXXIII. Hæc ex lib. Ægidij Magiſtri: ad verbum. Licet autem Regalia vno nomine generali appellentur, habet tamen vnũquodque regale diuerſam originẽ, & cauſſam ab vno. Quod ex actibus regalibus clare perſpicitur: qui non omnes ad vnam cauſſam, ſeu ſpeciem reſpiciunt, ſed origine, cauſſa, & ſpecie ſeparantur: imo & regalia in ipſo genere, à diuerſo fonte procedunt, quia aliqua à ſuprema principis poteſtate procedunt, vt creare tabelliones, & legitimare ſpurios, Minoræ, &c. quæ Paris à Puteo merè regalia nominat. Alia procedunt ab vniuerſali dominio Imperatoris, vt flumina, viæ publicæ, vectigalia, &c. Pro quo Andr. Iſernitan. ponderat. §. Sed quod principi. Inſtit. de iur. nat. gent.

Regalia an venditione includantur, tradit Romanus cõſil. 271. incip. vis tota præſentis.

Regalia, pro inſignibus & ornamentis regiæ inaugurationis. Luitprandus Ticinenſis libr. 2. c. 7. Chunradus Impe

Imperator coronam,ſceptrum & cuncta quæ regalia ſunt indumenta,in medium venire præcepit, & hæc verba effudit:Hæredem,regiæque dignitatis vicarium regalibus meis ornamentis Henricum conſtituo. Et mox:Ipſo mortuo,Principes coronam cunctáque regalia indumēta Henrico duci cōtulerunt. VVitichind. lib.2.Super altare regalia inſignia poſita erant,gladius cum balteo,chlamys cum armillis, baculus cū ſceptro ac diademate.Video etiam Imperialia eadem dici: vt apud Abbatem Vrſperg.in Chron.anni 1106.Ipſa partis vtriuſque conſiliis annuens,regalia vel imperialia inſignia,crucem ſcilicet,& lanceam,ſceptrum,globū, atque coronam filij poteſtati tradidit. Otto Friſing. lib.7.c.40.Reuerſi ad filium optimates, imperialia deferunt, eúmque regem creant. Idem in Chron.anni 1153.Volebat enim tenere Imperium, cùm in poteſtate ſua haberet inſignia imperialia,vt pote coronam, & crucem,& alia quæ attinebant. Otto Frinſig. libr.7.c. 23. Itaque Chunradus Rex curiam in prædicta ciuitate maximo conuentu principum habuit:vt omnes Saxones vltrò ſe ſuæ ditioni ſubdidere. Solus ex principibus dux Henricus regalia ſeruans aberat, ad quæ reddenda dies ei præfigitur.Quo veniens,regalia quidem multis illectus promiſſis reddidit, ſed tamen ea minimè conſecutus, (id eſt recuperans) infecto pacis negotio, ſine gratia eius diſceſſit:tandem ducatus ei adiudicatur.Quibus ipſis totidem verbis Abbas Vrſperg. vtitur in Chron.anni 1138.

REGINA, regis vxor.An verò id nominis retineat viro defuncto,vide c.ex parte.extra de foro compet.& 24. q.j.Eos.

REGIMENTVM.l.vnic.D.de offic.præfe.præto.pro regimine,& adminiſtratione.

REGNVM, monarchia, ſeu vnius principatus adminiſtratio.c.hinc eſt.15.q.j.c.ad hoc.89.diſt.

REGIO dicta eſt à rego, quòd initio regiones ſub regibus erant,& ab his regebantur: donec in prouincias redigerētur ſub imperio Romano.Inde poſtea regiones,plurali numero,cœperunt dici fines ſeu termini, vt Ci.pro Archia dicit:Vitæ ſpacium, exiguis regionibus circumſcriptum eſſe. Regiones etiam in fundis ſtatuuntur,fundíque regionibus diuiduntur. Et regionibus agros diuidere, hoc eſt, certis finibus & limitibus perpetuis diſtinguere,vt quiſque ſuam partē ſemper habeat.l.7.D.comm.diui.& l.3.C.eo.Regiones ergo partes fundorum ſunt,certis menſuris diſpartitæ.l. 8.l.29.D. de acq. rer.dom. Vtimur Regione loco aduerbij:vt,è regione,quaſi ex aduerſo rectis lineis.

Regiones vrbis Romæ 14.fuiſſe ex l.3.D.de offic. præfecti vigil.& Tacito lib.14.& ex libello P.Victor.de regio. vrb.Rom.conſtat. Auguſtus Romam in regiones diuiſit,vt ſcribit Tranquillus.c.30.

REIICERE calcem,retroiacere.l.fi.D.ſi quad. paup.fec.

Reiicere cauſſam,referre.

Reiicere iudicem,id eſt recuſare:Hinc.

REIECTIO iudicum, veteribus Gloſſis, ἀποβολὴ καὶ ἀπόληψις κριτῶν, quam Aſconius ſic exponit: Moris erat celebrata iudicum reiectione,& haberi in officio Prætoris,& in arca reponi nomina ſelectorum iudicum.Reiectio autem idcirco dicitur, quia cum multi iudices in conſilio cum Prætore ſuo iudicaturi eſſent, qui Quæſitor fuiſſet in cauſſa publica, verbi gratia repetundarum, ambitus, maieſtatis, neceſſe fuerat eos primùm de decuria ſenatoria conſcribi, cum ſenatus iudicaret: deinde in vrnam ſortitò mitti, vt de pluribus neceſſarius numerus confici poſſet: tertiò, id eſt poſt vrnam,permitti accuſatori ac reo, vt ex illo numero reiiciant, quos putauerint ſibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore. Reiectione celebrata, in eorum locum qui reiecti fuerant, ſubſortiebatur Prætor alios,quibus ille iudicum legitimus numerus compleretur:prima enim Sortitio dicebatur. his perfectis,iurabant in leges iudices, vt obſtricti religione iudicarent.

RELATIO, vide Referre.

RELATIVVM, quod ad aliud refertur,ob idque à Græcis πρός τι dicitur,vt libertas ad ſeruitutem refertur.

Relatiua itaque,ſiue potius relata,ſunt quæ ſecundū hoc ipſum quod ſunt,alterum notant:vt ſi dicas Filiū, vel Seruum,intelligitur habere patrem,vel dominum.

RELATORIÆ.l.8. C. The.de nauicul.ſunt apochæ, & ſecuritates.

RELEGARE dotem maritus dicitur, qui quam accepit, præſenti die reddi ac reſtitui iubet:quo caſu recepiſſe magis quam accepiſſe dotem mulier dicetur: vt ait Vlp.l.2.in fi.D. de dot.præleg. quoniam reddi potius quàm dari dos videtur,ait Papinia.l.cum pater.77.§.fidei.12.De leg.2.Sic l.8.D.de fund. dot.l. 41.§.vlt.l.48.D. de leg.2.Hinc Relegatio dotis.l.95.D.de leg. 3.ex qua & eius hæc formula colligitur.Quanta pecunia dotis nomine ad me peruenit,tātum hæres meus dato. Relegari etiam vſusfructus dicitur in l.32.D.vſufruct.leg.

Relegare, ſignificat in exilium mittere, & ſeparare ab aliis.Quare Martianus triplex exilium diſtinguit, in l. exilium.D.de interdict.& releg.

RELEGATOS definit Ælius Gallus apud Feſtum, quibus ignominiæ aut pœnæ cauſſa,neceſſe ab vrbe Roma,alióve quo loco abeſſe,lege,Senatuſconſulto, aut magiſtratuum edicto.Relegatorum enim duo eſſe genera Vlp.ſcribit.Quidam enim in inſulam relegātur. l.4.l.28.in princ.& §.in exulib.§.graſſatores.& l.30. D. de pœnis.Sunt qui ſimpliciter relegātur, cum prouinciis quibuſdam eis interdicitur,non etiam inſula adſignatur.l.7.D.de interd.

RELEGATIO dicitur exterminatio, cùm quis exire fines patriæ iubetur:quod Cicero ſedibus expellere dicit.Deportatio verò, cùm ei qui damnatus eſt, certo ſpacio circumſcribitur pœnæ pendendæ locus.Bud.in l.capitalium.§.in exulibus. de pœn.Alij inter Deportationem & Relegationem hanc differentiā ſtatuunt, quod illa perpetuum,hæc temporarium exilium contineat. Sed & in perpetuum fit relegatio.l.4.l. 28.in princ.l.38.§.ſi quis inſtrumentum.D. de pœn.l.3. C.qui pet.tutor.& apud Plin.lib.3.Epiſtol.ad Minutia.Alij,in quibus eſt Iſidor.lib.5.c.27.Inter relegatum & deportatum hanc differētiam ſtatuunt, quòd relegatum bona ſequantur,deportatum bona non ſequantur. Sed hæc differentia perpetua non eſt.Nam & ademptis bonis,aut parte aliqua eorum relegatos legimus.l.j.ſi penden.appella.l. 11.§.cùm quidā. D. ad l.Falcid.l.38.§. qui abortionis.& §. ſi quis inſtrumentum. D.de pœn. Quod in his duntaxat qui in perpetuum relegantur iure licito factum,& Paul.& Vlpia.teſtes ſunt, tametſi aliter plerunque ſeruabatur.l.5.l. 7.§.ad tempus. D. de interdict.Illa certiſſima differentia, quòd ſiue in perpetuum,ſiue ad tempus quis relegaretur, & ciuitatem Roma.& patriam in liberos poteſtatem, & teſtamēti factionē,& omnia omnino iura, ſua,& bona, præterquam ſi qua ei adempta erant, retinebat. Tantùm inſula ei egredi non licebat,cuius vinculo quodammodo continebatur.l.4.& l.7. §.hæc eſt differentia. cum ſequen.D.de interdict. & releg. Deportati autem id non retinebant.Eáque ex ipſis condemnationis verbis diuerſitas intelligebatur. Moris autem erat ita pronuntiari in relegationibus:PROVINCIA ILLA INSVLISQVE ILLIS RELEGO, EXCEDEREQVE DEBEBIT INTRA ILLVM DIEM. d.l.7.§.hi qui. Vide Deportatio.

RELEVATA iugera dicūtur,quæ cum eſſent paluſtria, facta ſunt terrena.l.j.de fund.patrim.lib.11.

RELEVIVM dicitur honorarium,quod nouus vaſſallus Patrono introitus cauſſa largitur,quaſi morte alterius vaſſalli,vel alio quo caſu feudum ceciderit, quod iam à nouo ſubleuetur. Leo Nou. 13. ἀσθλεκτικὸν nominat. Veteres Introitum appellabant,vt in l.pen.§.alumno. D.de leg.2.Plinius lib. Epiſt.10.ad Traianum, De adiectione buleutarum.Lex Pompeia,Domine, qua Bithyni & Pontici vtuntur,eos qui in bulen à Cenſoribus leguntur,dare pecuniam non iubet: ſed iis quos indulgentia tua à quibuſdam ciuitatibus ſuper legitimum numerum adiicere permiſit,& ſingula millia denariorum & bina intulerũt. Anicius deinde maximus Proconſul, eos etiam qui à Cenſoribus legerentur, duntaxat in pauciſſimis ciuitatibus aliud aliis iuſſit inferre.Supereſt ergo,vt ipſe diſpicias, an in omnibus ciuitatibus certum aliquid omnes,qui deinde Buleutæ leguntur,debeant pro introitu dare. Nam quod in perpetuum manſurum eſt, à te conſtitui decet, cuius factis dictiſque debetur æternitas. Traianus Plinio. Honorarium decurionatus omnes, qui in quaque ciuitate Bithyniæ decuriones fiunt,inferre debeãt, necne,in vniuerſum à me non poteſt ſtatui.Id ergo quod ſemper tutiſſimum eſt,ſequendam cuiuſque ciuitatis legem puto,ſcilicet aduerſus eos qui inuiti fiunt decuriones,exiſtimo id acturos,vt erogatio cæteris præferatur.De hoc quoque Releuio mentio fit in Conſtit. Neapolit.lib.3.tit.25.Recepto veruntamen aliquo releuio,vt eſt moris,quod quantitatem decem vnciarum auri non excedat, pro aſſignanda poſſeſſione terræ conceſſa.Sic in emphyteuſi,cùm fundus alienatus eſt, domino quinquageſima pretij pars erogatur.l.3. C. de iure emphyteut.Sed acerbiora releuia illa ſunt,quibus Scoti veterum Regum inſtitutis olim vtebantur.Nam cùm ab vno Rege feuda omnia recognoſcerent, vaſſallo mortuo, prædiorum fructus omnes vſque dum filius vnum & viceſimum impleſſet annum, Regibus releuij cauſſa tribuebant.Hector Boeth.libr.17.VVerdas autem vocant, vt cùm parentes antequam liberi ad iuſtam perueniant ætatem,id eſt viceſimumprimũ annum, vita decedũt,tum Rex omnes reditus,omnéſque fructus,qui ad eam vſque hæredis ætatem proueniunt,pro ſuis habet,occupátque, hærediſque interea curam ſuſcipit.Item lib.11.Et quicquid per id tempus ex eo agro emolumenti proueniret, VVardiam eum vſumfructum noſtri vocant,vniuſque inde anni eiuſdem agri cenſus quem Releuiam vulgò,aut Releuatum dicunt,vniuerſa cum hæredis dote,ſi nullam eius deſponſationem viuens pater fecerit,cum in hæreditatem admittitur,fiſco penderetur regio.

RELIGIO apud omnes ab origine mundi gentes, primum æquitatis ordinem ſibi vindicauit:vt,quoties de negotio incidente plures concurrerẽt ſententiæ,ſemper præferretur illa,quæ religioni propius accederet, hoc eſt,pietati,& iuſtæ erga Deum functioni pro noſtro munere.Sic enim religio,à reeligendo, quaſi debitum officium dicitur.Cicero lib.Officio.j.In ipſa autem communitate,ait,ſunt gradus officiorum, ex quibus quid cuique præſtet, intelligi poteſt: vt prima diis immortalibus,ſecunda patriæ,tertia parentibus,deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur.Idem ſentit Auguſtinus.Pomponius in l.2.D. de iuſtit.& iur. Religio erga Deum eſt.Marcianus in l.4.D. ad leg.Iuliam peculat.Papinianus in l.ſunt perſonæ. D.de religio.& ſumpt.fune.Itaque nos multò magis vbique Chriſtianæ religionis oportet obſeruantiſſimos eſſe, cùm de cenſura æquitatis tractatur in iudicio, vel extra iudicium.Siquidem diuinitus edocti ſumus, quò lex velut pædagogus nos ducat, nempe ad Chriſtum, Galat.3. admonemur item,Deo magis quàm hominibus obediendum eſſe,Actorum.5.Et quotidie oramus:Fiat voluntas tua,quemadmodum in cælo,ſic etiam in terra, Lucæ 11.

Religionis ſeu pietatis cauſſæ,quanquàm ineptè tractantur,ad tria tamen capita omnes pertinent: Videlicet, ad diuinum verbum:ad bonas literas:& ad paupertatem.In his conſiſtit vniuerſa pietatis exercitatio, quæ firmum in nobis fidei argumentum eſt.Vnde in externis actionibus euitanda ſunt, quæ religioni obſtant. Sunt enim ſemper iniqua.

Religionis acceptiones varias recenſet Bart.l. j. oppoſ.4. C.de ſum.Trinit.

Religio tenuis quæ ſit, diſces ex c.ſi quæſtiones. extra de ſimon.

Religio propriè erga deum eſt,l.2.D.de iuſtit.& iur. Religio etiam ſepulchri eſt,l.30.D.famil.erciſc.

RELIGIOSA, de quibus ſub rubrica. D. de religioſ.& ſumptibus fun.quæ fuerint,ſic licebit intelligere. Religioſus locus non conſecratione & verbis ſollemnibus,ſed illatione mortuorũ efficiebatur.l. 6.D. de rer. diuiſ.& l.2.§.2.D.de relig. vbi Celſus ait, non totum locum qui ſepulturæ deſtinatus eſt, religioſum fieri, ſed quatenus corpus humatum eſt.Patet autem ex Ciceronis.2.de legibus, ea loca in quæ mortuus illatus fuerat,neque arari,neque coli ius fuiſſe. vnde Religio à relinquendo dicta putatur à Ser.Sulpitio,& Maſ.Sabino,nam in arando locus ille ſepulturæ relinquebatur.Itaque ſi Pontifices purum eſſe locum aliquem decernebant, exarari iubebant. Cic. 2. De legibus: Sed cùm multa in eo loco ſepulcra fuiſſent, exarata ſunt. ſtatuit enim collegium,locum publicum non potuiſſe priuata religione obligari.Sic Ælius Gallus apud Feſtum ait,Religioſum ſepulcrum dici, vbi mortuus ſepultus,aut humatus ſit.

Religioſæ domus, vt extra de religioſis domibus, ſunt monaſteria, templa, hoſpitalia.c.de xenodochiis.& Oratoria quælibet,& etiam illa quæ quis ſibi auctore Epiſcopo conſtituit.c.oratorium.42.diſtinct.

RELIGIOSI, qui vitam regularem profeſſi ſunt, generali verbo qui religioſe in ſuis domibus viuunt, quamuis non ſint profeſſi.& vide c.non dicatis.12.q.j.

RELINQVO verbum ad vltimas voluntates pertinet.l. j.§.fi.D.de tab.exhib.Itaque adiectum vniuerſitati bonorum, denotat inſtitutionem. l. diuus Traian.D.de mil.teſt.cùm dicit:Ego te hæredem facio,aut,Tibi bona mea relinquo. dummodo id dicatur præſente numero legitimo teſtium ad id inuocatorũ.Si verò certæ rei vel quantitati adiiciatur iſtud verbũ, Legatum ſignificat,Nouella,Vt cùm de appellat.cognoſ.§.aliud quoque.De huius vocabuli effectu, vide latius Bart.in l.illa.inſtitutio.D.de hæred.inſtit.

Relinquere item,eſt aliquid pro ſuo alicui legare. Paul.in l.hæredes eius.D.de fam.erciſc.

Relinquere per præceptionem,id eſt,antecaptionẽ,apud Paulum ad finem.l.hæredes.& Gaium,in l.rem pignori.D.famil.erciſc.cum etiam alios.

Relinquere domi pecuniam,Pecuniã domi inueniri.Oppo.Pecuniam domi non relinquere,nec vſquam inueniri.Paulus in l.hæredes eius.§.fi.D.famil.erciſc.

RELICTI nomine,mortis cauſſa donatio continetur.l. ſed & ſi quid donetur.D.de vſufr.leg.l. Marcellus de leg.j.Si quid relictum ſit ciuitatibus,omne valet: ſiue in diſtributionem relinquatur,ſiue in alimenta,ſiue in eruditionem puerorum,ſiue quid aliud.

Relictum quod teſtamento datum, legatúmve eſt.Si relictum ſit cuilibet ex familia,de his accipiendum, qui intra decimum gradum ſunt. Alc. refert Paulum Caſtrenſem ſic reſpondiſſe.

RELIQVVM dicitur quod ſupereſt maiore ſumma detracta.l.reſcriptũ.D.de iis,quibus vt indig. Reliquum quandoque totum admitt.l.2.C.de hæred.inſtit.

Reli

Reliquum, ſignificat id quod ſupereſt. Cicero: Reliquum eſt, vt certemus officiis. Inde reliquum facere dicitur eleganter, pro dimittere vt ſuperſit. Cicero in Verrē: Quos belli calamitas reliquos fecerat.

Reliqui, de tribus etiam dici, colligitur in Authent. vt determi. ſit num. cler. in princip. Sed & de duobus accipi traditum eſt c. fi. §. j. extra de officio delegati. Reliquorum tamen appellatione, etiam omnes interdum accipi, Vlpianus docet, de verb. ſign. Vide l. cùm optio. D. de opt. legat.

Reliquum, transfertur ad debiti quantitatem, quæ ſupereſt ſoluenda. Cicero ad Atticum: Maximè autem me tangit ratio reliquorum meorum. Hinc:

RELIQVA ſunt, quæ rationibus ſubductis, acceptíſque & expenſis computatis debita remanēt, & ſuperſunt. l. 32. l. 80. l. 81. l. 110. D. de cond. & demonſtr. Reliqua etiam ſunt debitæ præteriti temporis penſiones, quas Arreragias vocant Galli. Hinc Reliqua colonorum, ſunt penſiones à colonis debitæ. l. 79. §. peto. & l. 97. l. 101. in fin. de leg. 3. l. 32. de vſuf. lega. & apud Plin. libr. 3. Epiſt. ad Caluiſium: Reliquis autem actorum vel colonorum legatis, ea legata videntur, quæ de reditu prædiorum in eadem cauſſa manſerunt, non etiam quæ in aliam cauſſam verſa ſunt. Sic reliqua conductionis accipe. l. 10. C. ad S C. Velleia. Et reliqua vectigalis in l. 47. D. de iure fiſci. Et Reliqua, pro reliquis cēſuum debitorum, in rubr. ſine cenſu vel reliquis fundum comparari non poſſe. C. lib. 4. Reliqua collegarum. l. 21. D. ad municip. Hæc & Reliquationes vocantur. l. 44. §. j. D. de admin. tut. l. 53. D. de man. teſt.

RELIQVARI is dicitur apud quem ſuperſunt pecuniæ, initis ſubductíſque accepti & expenſi rationibus: quíque æs alienum ex reliquis rationum contrahit. Vlpianus in l. reſcripto. D. de muner. & hon. & in l. ſi filia nupta. D. famil. ercíſ. Sic apud Scæuolā. l. 24. D. ad munic. Humanum eſt reliquorum vſuras neque ab ipſo qui ex adminiſtratione honoris reliquatus eſt, exigi. Paul. l. 46. D. de adminiſtr. tut. Debitum quod ex conductione reliquatus eſt, agnouiſſe eum videri.

RELIQVATORES, qui reliqua traxerunt. l. 102. §. Valerius. D. de ſolut. Quæ an hæc ſumma in proximum annum accepto ei ferri debeat, cum ſuperioris anni ſit reliquator. Sic. l. 9. §. reliquatores. D. de publican.

RELIQVATIO, reliquorum debitio. Paulus. l. 44. D. admin. tut. Si pupillus poſt pubertatem rationibus à tutore acceptis reliquationem eius ſecutus vſuras acceptauerit, &c.

RELIQVÆ, pro Cineribus defunctorum, ſicut in autographo Florentinarum Pandectarum ſcribitur. l. 42. l. 44. in fi. D. de religioſ. quæ Græci λείψανα vocant. l. 52. §. ſi hæres. de leg. j. quæ tamen ſcriptura immutata eſt ab iis, qui Pandectas excuderunt, in l. 27. D. de cond. inſtit. l. 30. D. fam. ercíſ. & vide extra de Reliquiis & veneratione ſanctorum

RELOCARE, eſt opus ad diem conſtitutum non perfectum, alij artifici denuò idem opus faciendum locare. l. item quæritur. §. ſi in lege. D. Locat.

REMANCIPARE rem mancipatam tradere, & iterum mancipare, Boeth. in comment. ad Topic. Cic. Remancipatam Gallus Ælius eſſe ait apud Feſtum, quæ mancipata ſit ab eo, cui in manum conuenerit.

REMANERE venditionem, pro non factam eſſe interpretantur, in l. cùm autem. §. fi. D. de ædil. edict.

REMANSOR, pro Emanſor. l. 4. §. 13. D. de re milit. Edicta faciebant, qui diu abfuiſſet, vt is inter remanſores haberetur. Sic & l. 5. §. 6. D. eo. Si remanſor aut negligens ſuorum, aut ſegnis, &c.

REMEDIVM, nō ſolùm de mortis, ſed & de rebus, quas cum cura, operáque noſtra explicamus. l. j. D. de iure iur. Remedium litium, iuſiurandum. l. j. D. eod.

Remedium imponere, pro adhibere, Inſtit. quibus alien. licet, paulo poſt princip.

REMIGES ſunt, qui ſcalmis hærēt, id eſt, ipſi labro nauis vbi remi adnexi ſunt: à quo interſcalmia, ſpacia inter remiges dicta ſunt, Accurſ. in l. j. §. 2. D. naut. caup. ſtabul. ridiculè interpretatur remigem, id eſt, qui ſcit melius nauigare.

REMITTIT iuſiurandum qui deferente ſe, cum paratus eſſet aduerſarius iurare, gratiam ei facit, cōtentus voluntate ſuſcepti iuriſiurandi. l. 6. D. de iureiur.

Remittere, quandoque concedere. l. Marcellus. D. de donat. cauſ. mort.

Remittere an ſit ſpecies donationis, Bart. l. ſiquis delegauerit. D. de dona. Remittere eſt dare, Bart. l. peculium. D. de peculio.

Remittere, & Dimittere diſſident. Nam remittit, qui ad alium iudicē litigandi cauſſa mittit: dimittit, qui omnino abſoluit. Hinc:

REMISSIO, refutatio, & renunciatio, quo diſtent, tradit Speculator in tit. de pact. & tranſact. quibus modis fiat in cōtractibus docet Bart. l. hæres abſens. D. de iud. & l. j. D. de oper. no. nunc. de remiſſionibus, quæ fiunt in iudiciis, idem tractat.

Remiſſio ſub rubr. D. de remiſſionibus, eſt abolitio nunciationis noui operis à Prætore facta. Nunciatio enim eatenus duntaxat valet, quatenus nunciandi ius fuit. Prætor enim vbi nunciandi ius nullum fuit, ibi eā ipſo iure remittit. vnde illa edicti verba in l. j. D. illo titul. Quod ius ſit illi prohibere, ne ſe inuito fiat, in eo nunciatio teneat: cæterum nūciationem miſſam facio. Sic l. j. & paſſ. D. de oper. nou. nunc.

Remiſſio quibuſdam in locis dicitur mercedis penſioníſve detractio, ſiue demptio de mercede. l. 16. & l. 17. D. loca. Sic apud Suetonium in Iulio. c. 20. Publicanos remiſſionem petentes, tertia mercedum parte releuauit. Plin. libr. 10. Epiſt. Præterea continuæ ſterilitates cogunt me de remiſſionibus cogitare, quarum niſi præſens rationem inire non poſſum. Colum. libr. j. c. 7. Si ſedulò colitur ager plerunque compendium, nunquam, niſi cæli maior vis, aut prædonis inceſſit, detrimentum adfert: eóque remiſſionem petere colonis non audet.

Remiſſio in tit. de pœnit. & remiſſionibus, ſignificat indulgentiam.

REMOVERE iudicem, idem eſt quod recuſare, reiicere, & refutare.

REMOTVM à iure, magis accipiendum ab eo alienum, quàm quod illi contrarium ſonat. Remotus, ac motus Senatu, eleganter pro dimiſſo à Senatu, Marcellus, & Modeſt. de Senatoribus vſurpant. Obſeruandum autem, quod ibidem dicitur, ob turpitudinem motum, ceu infamem, nec iudicare, nec teſtimonium dicere poſſe, niſi per principem ſit reſtitutus. l. j. C. de ſen. paſ. & l. j. §. de qua. D. de poſtulan.

Remoto appellationis obſtaculo quid ſit, vide. c. ex conqueſtione. de reſtit. ſpo.

RENITI, contradicere, l. renitentem. C. de iniur.

RENOVARE. l. 4. D. de damn. infect. Renouare gregem. l. grege. D. de pigno. Renouare contractum. l. iuriſgentium. §. adeo. D. de pact. quod qualiter & ex quibus cauſſis fiat, docet Spec. §. 4. verſi. breuiter. tit. de inſtr. edit.

RENOVATA dos, qualiter, docet l. diuus Seuerus. D. de iure dot.

RENVNCIARE dicebantur magiſtratus qui voce præconis in campo declarabantur ſuffragio populi deſignati. vt Cic. 7. Verrin. & 2. in Rullum, & pro Milone. & Gellius lib. 12. c. 8. oſtendunt. Sed & ipſe Conſul ſucceſſorem ſuum populo renunciabat, vt Cice. pro Muræna, & lib. 7. Epiſt. indicat

Renunciare nuptiis, & renunciare conditionem, pro, Sponſalia repudiare.l.17.§.vlt.D.de reb.auct.iud.l.j.C. de ſponſalib.Sic Renunciatam adfinitatem ſponſalibus contractam accipimus in l.38.in princ.D. de vſur. Et ita Aſconius, Renunciare conductionem, inquit, eſt irritam nunciare.

Renunciare quoque modum menſores dicuntur. l. j. in princ.& l.6.§.j.& §.item Pomponius.& l.8.D. ſi menſ. falſ.mod.Hygen.lib. 2.de Limitib.conſtit. Longitudinem autem quotiens egeram, ego ita renunciabam, Iugera tot vel verſus tot.Et mox:Sic vt videbitur, ita renunciabimus iugera tot,verſus tot,&c.

RENVNCIATIO, inquit Aſconius, dicitur recuſatio eius rei, quæ in pactum & promiſſionem venerat. Hinc Renunciatio ſponſaliorum & nuptiarum, cùm ſponſalia,nuptiæve dirimuntur.l.2. D. de diuort.l. j.C. de ſponſa.l.quæſitum.17.§.vlt.D.de reb.auct.iudic.

Renunciatio,eſt iuris proprij legitima refutatio,Cardi.in rub.de cenſibus.lib.6.

Renunciatio generalis ad ea reſtringitur,de quibus ſolùm intelligitur cogitatum, lege iubemus.C.ad S.C. Velleia.

Renunciatio eſt genus teſtimonij,quale ſolent edere,qui ſacramento ſunt ad exequendum aliquid deſtinati.l. qui fund.in princ.D.de contrahen.empt.Viatorum & apparitorum hodie dici debet Renũciatio, quam vulgo Relationem appellant,de executionibus ſuis.

REPARARE merces,Scæuolæ.l.122.§. Callimachus.de verb.obligat.is dicitur,qui earum loco,quas in aliquẽ locum importatas vendidit,alias comparat, aut eas aliis mercibus cõmutat:quaſi iterum parare ſeu comparare.Duarenus lib.j.Diſp.ann. c.10. qui & Horatij locum Carm.lib.j.Od.31.eodem accipit ſenſu:

Premant Calena falce, quibus dedit.
Fortuna uitem: diues & aureis
Mercator exſiccet culullis
Vina Syra reparata merce.

Alfenus.l.16.de in rem verſo:Quidam fundum colendum ſeruo ſuo locauerat,& boues ei dederat.Cum hi boues non eſſent idonei,iuſſerat eos vænire,& de his nummis qui recepti eſſent,alios reparari.Sicque Vlp. l.48.de pactis:Prima actio ſublata eſt, & poſterius pactum ad actionem reparandam inefficax eſt.Seneca ad Lucil.epiſt.64.lib.8.Satius eſt amicum reparare quã flere.Sic ferè ſumitur cõſtit.2.Pand.propoſita.§.omnibus minimo pretio magna prudentia reparanda.Itáque Parare pro emere ſumitur apud Cicero. cum alibi tum in Orat.pro Flacco:Si tam te Craſſi agri delectabant,hic alicubi in Cruſtumio,aut in Capenati parauiſſes.& Horat.Satyr.3.lib.2.

Seruóſue tuos,quos ære pararis.

Reparare,recuperare quod amiſeris.l.fin.D.de pact. pig. Reparare reficere:hinc Reparatio aggeris.l.2. de immuni.ne.conced.libr.10.C. Reparari vires obligationis dicuntur.l.4.C.de ſolut.id eſt,ſuſcitari,& reſtitui.Sicut Octauius Minutia.libr.8. Arnobij: Ergo homo nouus naſcitur,non prior ille reparatur.

Reparari libertatem non poſſe dixit Vlp.l.9.§.illud. D.de ſtatu lib.

REPARATIO appellationis dicitur,cum poſt legitimi temporis lapſum ius peragendæ appellationis reſtituitur.Eſt igitur inſtauratio,ſeu redintegratio temporis lapſi ſeu litis,ſub rubric.C.de temp.& reparat.appellat.& C.Theod.Sicque ſumitur apud Symmachum lib.j.Epiſt,37.& 38.Græci ἀνανέωσιν & ἀνακαίνησιν vocãt. Quomodo autem ſeu iure veteri ſeu nouo impetretur,vide apud Cuiac. Obſ.libr. 12.c.4.& tract.de diuerſ.præſcriptionibus.c.16.

REPARIASSARE dicuntur,quos inſtituti pœnitet, & à conuentis diſcedunt.

REPEDARE, pro reuerti,vel recedere.Cicer.de leg.3. Domum cum laude repedãdum.Impp.l.ſi quis ex grege.C.de cohortalib.Aut ſi ad priſtina ſacramenta precũ miſeratione maluerit repedare.Sic Lucilius lib.26. Rediiſſe ac repedaſſe,vt Roma viret gladiatoribus.

REPELLERE, pro propulſare. Vt conuitium conuitio repellitur.iuxta.l.quæ omnia.D.de procur.Hoc verbũ non eſt vbique accipiendum, de vi ſemper pernicioſa publicæ tranquillitati(quoniam non additur ſubinde: Vim vi repellere licet)ſed magis ad iuris intellectum referri ſuadet æquitas:vt ſit repellere,videlicet per legitimum remedium.

REPENTE fit,quod ſecunda die fit,not.per Compoſtel. c.quàm ſit.de elect.

REPENTINVM mediato opponitur:ſignificátque ſubitum,& feſtinum,Alber.l.j.C.de paſc.publ.

REPERIRE Feſto libr.16. quod amiſſum eſt recipere. Reperio autem à re & pario,vt repertum ſit quaſi repartum,& in lucem proditum.

REPERTORIVM, quod vulgo Inuentarium appellatur.Vlp.l.tutor.D.de admini.& peric.tut.aliàs appellant veteres Iuriſcoſſ.ſynopſin,aliàs ἀναγραφὴν.Repertorium non facienti tutori pœnale eſſe.d.l. tutor.8.de admi.tuto.ait.vide ibidem Bart.

REPETERE, pro memoria repetere. l.10. D.de pact.l. 14.D.de iure codic.

Repeti vſusfructus dicitur,qui qualicunque ratione amiſſus iterum legatur,& fructuario conſeruatur.l.2.§.ſi non mors.l.3.in princ.quib.mod.vſuſf.amitt.l.3.§.j.D. vſufr.quemad.cau.ea.

Repeti etiam dicuntur legata,quæ ab inſtituto data à ſubſtituto iterum relinquuntur,vel ab vno ex primis hæredibus relicta, à coherede eius rurſum legantur,in hunc modum, Quæ à filio meo legaui, quæque eum dare iuſſi, hæres meus iiſdem diebus dato.l.32.l.54. D.de legat.j.l.75.D.de leg.3.l. 80.D.de verbor.ſignificationib.

Repetere reum, eſt iterato reum facere, abolitionéque exemptum reum denuo eiuſdem criminis poſtulare.l. 10.§.j.l.12.l.15.§.vlt.& l.17.ad Turpilli.l.3.§.j.& l.12.§.vlt. D.de accuſat.l.14.§.j.D.de bon.libert.Suet.in Auguſto. c.32.Diuturnorum reorum,& ex quorum ſordibus nihil aliud quàm voluptas inimicis quæreretur, nomina aboleuit:conditione propoſita, vt ſi quem quis repetere vellet,par periculum pœnæ ſubiret.Idem in Domitia.c.9.Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependiſſet vniuerſos diſcrimine liberauit,nec repeti niſi intra annum, eáque conditione permiſit,vt accuſatori, qui cauſſam non teneret, exilium pœna eſſet. Sic:

Repetere crimen eſt,indulgentia abolitum crimen ex integro iterum perſequi.l.7.D.ad Turpill.

Repeti in quæſtionem eſt,in quæſtionem iterum peti.l.18. §.j.D.de quæſtio.Repeti quæſtio,id eſt, iterari dicitur in l.16.de quæſtionib.

REPETITA die,Antelata ſeu prælata die,id eſt,die quæ præterierat falsò reuocata.l.3.D.de fide inſtrum. Repetita quidem die cautionem interponi non debuiſſe, ſed falſi crimen contractum non videri:id eſt, die quæ iam præterierat falsò pro præſenti nominata: vulgò Antidata dicitur.Item l.9.§.5.D.ad exhib. Abſolui eum oportet,niſi paratus ſit repetita die intẽtionem ſuſcipere.Et l.5.§.ſi quis ipſi.D. de operis noui nuncia.Et ſi nunciauit poſtea, & quod retro ædificatum erit, deſtruendum erit:quaſi repetito die nunciatione facta. Sic l.15.§.itẽ videamus.de damn.infect.l.j. §. præterea. & §.ſi tibi.D.de itin.actúque priu.Sic Repetitis diebus in l.51.ad leg.Aquil.pro retrorſum computatis. Repetitio triginta dierum in l.33.in fi.de oblig. & act.eodem ſenſu accipitur.

Repe

Repetita emptione, l.7.§.adeo. D.de pact. l.1. D.de reſcind.vend.

REPETITIO in legatis appellatur per hanc ſcripturã: HOC amplius ei hæres dato, l.legata.19. D.de legat.j. item, QVÆ à filio meo legaui, hæres meus dato, l.ſi quis.32.D.eod.Item, QVOTIES cunque fructuarius capite minutus erit, vel QVOTIES vſusfructus amiſſus erit, ei lego, l.3.D.quibus modis vſusfr.

REPETVNDARVM, vel de repetundis iudicium inde dictum fuit, vt annotat Hotom.in Verrinis, quod eo iudicio ſocij pecunias ſibi contra leges ereptas repetebant, quas ex condemnatorum litibus æſtimatis domum reportabant. Cicer. Verr.7. Itaque res ſuas negligunt: pecunias, quo nomine iudicium hoc appellatur, non repetunt. Et paulò poſt: Non ex litibus æſtimatis tuis pecuniam domum, ſed ex tua calamitate cineri atque oſſibus filij ſui ſolatiũ vult aliquod reportare. Itaque olim hoc iudicium in eos ſolos magiſtratus qui in prouincias mitterentur, inſtitutum fuit. quemadmodum Cicero in Diuinatione demonſtrat: poſt verò generaliter eo crimine cœperunt teneri, vt notat Marcianus, l.j D.ad leg.Iul.repetundarum, qui pecunias in magiſtratu, poteſtatiſve curatione, legationéve, vel quo alio officio, munere miniſterióve publico ob iudicandum cepiſſent, quíve magiſtratus vrbani à ſorde ſe non abſtinuiſſent. Addam & ex Cornelio Tacito lib.11. Coſſutianum, & aliquos alios perfidos aduocatos, fuiſſe repetundarum reos, eo quòd pecunia accepta à Suillio accuſatore, præuaricati eſſent. inibíque refert ſancitum, vt qui aduocati ob cauſſam orandam denûm ſeſtertium modum egrederentur, repetundarum tenerentur. Quod non reperias ſcriptum in leg.de repetundis. Porrò Repetundarum, Repetundis, hos duos tantùm caſus habet, & Valla teſte dubitari poteſt, participiúmne ſit, ſiue nomen, an gerundium. Cum dicitur, Repetundarum, ſubintelligendum, pecuniarũ: quo nomine pecunias, & omnia quibus diuitiæ conſtant, contineri dicimus. Cauſſam verò repetundarum multiplicem eſſe, Quintilianus tradit. ea enim multa crimina cõtinet, quæ cauſſæ propria ſint, vt videre eſt d.titu. Accuſare quempiam Repetundarum, Plutar. ita effert, κρίνειν τινὰ κακώσεως ἐπαρχίας. Et εὐθύνας διδόναι, repetundarum pecuniarum iudicio ſubiici. At εὐθύνας ὀφλεῖν, & ὀφληκέναι, eſt damnatũ eſſe pecuniarum repetundarum. Vide infra Manutij librum de legibus Romanis.

REPIGNERARE, eſt luere & liberare pignus, aduerſatúrque verbo pignerare, l.5.§.rem tibi dedi. D.commoda. Rem tibi dedi, vt creditori tuo pignori dares: dediſti, non repignoras vt mihi reddas. Item, Si à me culpa abſit repignorandi, creditor autem nolit reddere pignus, &c. Feſt.lib.16. Reluere, ſoluere, repignerare. Cæcilius in Carmine, Vt aurum & veſtem quod matris fuit, reluat, quod viua ipſi oppoſuit pigneri. Eadem autem forma dictum eſt, qua Replumbare, & Reſignare, & Retractare, de quibus ſuis locis dictum eſt. in his enim articulus RE, vel contrariam ſimplici verbo tribuit ſignificationem, vel etiam iterationem, & geminationem.

REPLICATIO vocatur ex eo, quòd per eam replicatur atque reſoluitur ius exceptionis: ait Imp.titul.de replicat.in princip. Ἀντιδιαπλοκὴ à Græcis nominatur. Eiúſque formula erat AVT SI. quemadmodum intelligitur ex l.48.D.de procur.Iulianus l.7.§.j.de curat. furioſ. Si hæredes dementis eaſdem res vindicent quas curator alienauit, & exceptio opponetur, SI NON curator vendiderit: replicatio dari debet, AVT SI ſatiſdatione interpoſita ſecundum decretum vendiderit. Iulian.l.24.D.de except.rei iudic. Aduerſus exceptionem, Si non eius ſit res, replicatione hac adiuuabitur, Aut ſi res iudicata non ſit, l. Caius.l.48.D.de procur. Tunc excipiẽte eo cum quo agitur, ſi non mihi mandatum ſit, vt à debitoribus peterem, actorem ita debere replicare, Aut ſi mihi mandatum eſt, vt à te peterem. Replicatio itaque dicta videtur, vel quod implicatam & quaſi tectam exceptionis iniquitatem replicet ac patefaciat: vel potius quòd æquitatem actionis ab excipiente reo tectam, & quaſi complicatam, explicet atque aperiat. Replicationes, ait Vlpian. nihil aliud ſunt quàm exceptiones, & à parte actoris veniunt: quæ quidem ideo neceſſariæ ſunt, vt exceptiones excludant. ſemper enim Replicatio idcirco obiicitur, vt exceptionem oppugnet, l.2.§.2. D. de exceptionibus.

REPLVMBARE, eſt adplumbata diſſoluere, plumbum auferre de argento. Vlpia.de auro, & argent.leg. l.cum aurum. An replumbari debeant, vt ſic appendantur?

REPONERE alicui, pro viciſſim obiicere, quaſi replicare, recriminari.

Reponere, reficere, l.omnino. D.de impenſ.in reb.dot. fact.in l.ſumma.§.item verus.D.de aqu.plu.arcen.

REPOSCIMVS, quod nobis debetur, vel quod à nobis acceptum eſt. Proinde repoſcẽti rem ſuam non reddens, furti tenetur, l.Pompon. ſub fin.de acquirend. rerum domi.

REPRÆSALIÆ, vel Repræſſaliæ, vide Clarigatio.

REPRÆSENTARE, locum alterius, ac numerum obtinere, vel tantundem valere, l.j.§.j. D.ſi is qui teſtam. Culpa dolo proxima dolum repræſentat.

Repræſentare, eſt ante diem ſoluere, Vlpian.in l.8.§.3.D. de tranſact. loquens de iis qui de pecunia alimentorum nomine legata tranſigunt: Eam, inquit, trãſactionem ærario improbat, quæ idcirco fit, vt quis repræſentatam pecuniam conſumat: id eſt, antequam debeatur ſolutam. Cicer.ad Att.lib.12. Reliquæ pecuniæ vel vſuram Silio pendemus, dum à Faberio, vel aliquo qui Faberio debet, repræſentabimus. Idem Philip.2. Ego corpus libenter obtulerim, ſi repræſentari morte mea libertas ciuitatis poſſet: id eſt accelerari. Seneca lib.epiſt.15.epiſt.j. Petis à me, vt id quod in diem ſuum dixeram debere differri, reprẹſentem, & ſcribam tibi, an hæc pars Philoſophiæ, &c. Hoc quoque ex Marcelli verbis apertè intelligitur in l.36.§.j. D.de condi.& demonſ. vbi iuſſerat teſtatrix, vt prædia, ſi filius ſexdecim annos non impleret, alteri redderentur. Quæro, inquit, cum Seia deceſſerit, deinde filius quintumdecimum annum agens, defunctus ſit, an repræſentetur fideicommiſſum quintodecimo anno impleto? id eſt ante tempus quo decimumſextum implere potuiſſet, præſtandum ſit. Item: Contra voluntatem teſtatoris repræſentationem fideicommiſſi deſiderari. Sic l.24.§. quoties.D.ſol.mat.l.j.l.2. D.de dot.præleg. Hinc &,

Repræſentare, eſt exhibere vi quadam iuris præſentiam eius, quod reuera prẹſens non eſt. Sic filius fratris ſuccedendo cum patruis repræſentat patrem ſuum. Nou. Quæ iura adgnatio.& cognatio.§.reſtat vt & tertium. Conſtit.158.

Repræſentare, aliquando compoſitionem ſuam à Re, & Præſento, propriè exprimit, hoc eſt, denuò præſentem exhibere eum, qui ſemel præſens fuit: vt ſi quis promiſerit aliquem in iudicio repræſentare. Nam liberatur, ſimulátque reum denuò iudici repræſentauerit. Et in hoc diſtat talis promiſſor ab eo, qui iudicio ſiſti promiſit. Is enim vſque ad ſententiam ſiſtere tenetur, l.fin.D.ſi quis in ius voc.non ier.

Repræſentari etiam cognitio dicitur, l.3.§.cauſſæ cognitio.D.de Carbo.edict.l.3.§.Iulianus. D.de lib.ho.exhib. quæ pupilli cauſſa non expectato pubertatis tempore ſtatim ſuſcipitur, & maturè iudicatur: cui opponitur Differri.

Repræstare in duobus locis in Pand.Flo. inuenitur,l.47.D.de act.empt.l.22.§.j.D.ad S.C.Trebell.pro quo rem præſtare,l.6.D.quod cum eo.vt Plauto & Catoni & Iuriſcóſ.reſoluere eſt,quod aliter,rem ſoluere.

Repræhendi fugitiui dicuntur,id eſt, à fuga retrahi.Cæſar lib.j.de bello ciui. Reducitur ad eum repræhéſus ex itinere Cu.Magius Cremona,&c. Vnde Repræhenſores,qui fugitiuos reducebant. Vide Bud.l.ſi apud.D.de præſcript.verb.

Repræhensa, emendata, correcta,l.illicitas. D.de offic.præſid.

Reprobare in l.Pomponius.1. D.de negot.geſt.opponitur probare,id eſt, non approbare.

Reprobare teſtes, eſt eorum fidem imminuere, & refellere, c.præſentium. de teſtibus.in 6. Ex quibus autem cauſſis refellantur, docent Specul.in tit,de teſt.& Nepos Montabalnéſis in tractatu rei fugient. Quo in genere commonefactum te velim iure Ciuili & Pontificio teſtes reprobatorios (vt vulgò loquar) reprobatoriorum, vel (vt Latinius rem exprimam) refutatorios refutatoriorum admittendos, ex ſententia Iuſtiniani Imp.vt ſcribit Ang.Aret.§.ſi verò dicatur. de teſtibus.Nouellæ conſtit.90. Verba eius conſtitutionis hæc ſunt, καὶ ἄχει μὲν τετάρτης μαρτύρων παραγωγῆς ἀδὲιαν εἶναι ταῖς μαρτυρίαις χρῆσθαι. quod ad quartam teſtium refutationem,reiectionémque produxit Angelus. Refutatorios etiam refutatoriorum teſtium admittendos decreuerunt Pontifices maximi,c.licet dilectus.vbi gl. & interpretes.de teſtib.in antiq. & ca.præſentium. eo. tit.in 6.In ea quoque ſententia eſt Speculator titul.de teſtib.§.ſæpe.verſ.item actor.Eandem ſentétiam tenet Bald.l.ſi quis teſtibus. C.de teſtib.verſic. quæro quot. quæ ſententia habet æquitatem, quod cóſtitutum eſt, vt veritas eluceſcat. Quo fit, vt ſatis mirari non poſſim pragmaticos quoſdam Gallos diuerſum ius admiſiſſe.nam hac via falſandi anſa prębetur.Nam ſi refutatorij refutatoriorum non admittuntur, qui refutatorios profert, inſtructos teſtes, fidéque indignos, falſaque teſtimonia proferet, niſi Quæſtor veritatem negotij acutiſſime extorqueat.Vide lib.2. Rerũ Quotid.cap.12.Pardulphi.

Reprobos nummos in l.eleganter. §. qui reprobos. D.de pig.actione.accipi putem non tantum adulterinos, ſed & quos princeps improbat.

Reprobata,in c.poſt electionem. de conceſſ.præb. id eſt,non aduerſa.

Repromittere, eſt ei qui nobis ſtipulantibus antea promiſit,nunc iam viciſſim à nobis ſtipulanti promittere. Cicero pro Comœdo : Repromittis tu ab hinc triennium Roſcio. Quod à Flauio abſtulero, partem dimidiam inde Roſcio me ſoluturum ſpondeo. Item: Repromiſiſſe Fannium Roſcio, ſi quid à Flauio exegiſſet, eius partem dimidiam : ſed omnino exegiſſe nihil. quid?tu non exitum exactionis, ſed initium repromiſſionis ſpectare debes. Roſcius Fannio ſtipulanti pecuniam certam ſpopódit,pro opera & labore quem in cómuni iudicio perſequédo ſumpſerat: ſed viciſſim Roſcius ſtipulatus ab eo eſt dimidiũ eius quod exigeret partem. Promiſſor igitur fuit Roſcius priore loco:repromiſſor Fánius,poſteriore:ſicuti ſtipulator priore loco Fánius, reſtipulator poſteriore Roſ.

Repromittere porrò & ſatiſdare opponuntur.nam ſatiſdatur adhibito fideiuſſore:repromittitur nuda cautione ac ſine fideiuſſore:vti patet ex l.j.§.j. D.de ſtipulat. Prætor.Sed hi quidem qui ſuo nomine cauent, repromittunt qui alieno,ſatiſdant. Sic l.vltim.§.ſi legat.D. quod legat.l.6.vt leg.nom.l.23.D.de vſufr.legat.

Repvdiare, eſt ius nobis delatum repellere. Repudiantur enim ea tantum quæ iam delata ſunt, l.j.§.decretalis. D. de ſucceſſ.edict.Inſtit.de hæred.qualit.& diffe.§.extraneus.Item Vlpian.regula eſt l.135.D.de diuer.reg.iur.Quod quis ſi velit, habere non poteſt, id repudiare non poteſt.

Repudiare eſt hæredis alieni:abſtinere neceſſarij, §.6.Inſtit.de hæred.qual.& diffe. Vide Recuſare.

Repvdivm generale nomen eſt, nec nuptiarum tantum diremptionem renuntiationémve, ſed & ſponſaliorum ſignificat,l.2.D.de diuort. Nam inter Diuertere & Repudiare hoc intereſſe Paulus ſcribit, quòd repudiari etiam futurum matrimoniũ poteſt:nó rectè autem ſponſa diuertere dicitur, l.191.D.de verb.ſigni.

Repvdii & Diuortij hanc differentiam ſtatuunt Paulus & Modeſtinus,vt repudium ſponſæ dicatur remitti, Diuortium vxori. Itaque diuerſæ quoque fuerunt excogitatæ formulæ.Nam repudij formula fuit, Conditione tua non vtor : Diuortij, Res tuas tibi habeto, vel res tuas tibi agito. Hinc,

Repudium renuntiare,apud Plaut. Aulularia. & Terent. Phormion.Act.4.ſcen.4. Et Repudium mittere,l.38. D.ſolut.matrim.l.3.& l.4.& l.8.D.de diuort.

Repvdiatvs, is cui repudium miſſum eſt,d.l.38.& l.4. D.de diuort.

Repvrgivm, pro emũdatione & repurgatione, apud Imp.Conſtantinum in l.j.C.de aquæduct.lib.11.

Repvtare in computatione ineunda aliquid imputare ſignificat,l.36.D.de neg.geſt.l.40.in fi.D.de min. l.j.§.præterea. D.de tut. & rat.diſtr.l.21.D.ſolut.matri. l.5.C.de iud.l.90.§.teſtator.D.de legat.2.

Repvtationes ſub Rubric. C.de reputationibus, dicuntur compenſationes, quæ contra minores in integrum reſtitutos emptori fiunt. vt enim illis aduerſus venditionem reſtitutis fundus cum fructibus reſtituuntur, ſic illi precium cum vſuris reddunt, l.minor. 40.§.j.l.tutor.47.§.vltim.D de minoribus.Sic etiam ſumitur hoc verbum l.idémque.§.idem Labeo.D.mand. Reputationes enim eo in loco exponit Vlpian.cum fructus rei reſtituendæ reputantur cum ſumptu facto in fructibus recipiendis. Similis compenſatio reſtituto minore aduerſus ſolutionem,d.l.40.§.vlt.& aduerſus emptionem,l.patri.§.prædium. D.eod.hoc nomine etiam continentur ἐμπονήματα,id eſt meliorationes prædij,arg.l.ſi prædium, C.de præd.min.Vlpia.l.2.vbi pupill educ.deb.Officio iudicis qui tutelæ cognoſcit, cógruit reputationes tutoris nó improbas admittere.

Reqvirere, deſiderare, vt cum in teſte requirimus quod eſſe debet,& non eſt.Requirendus,id eſt,exquirendus,l.j.D.du requir.reis.

Res, rei : huius vocis appellatio generalis eſt: continet enim omnia, quæ in patrimonio, vel extra patrimonium ſunt,& ad omnem contractum,cauſſáſq; & iura pertinet l.5.l.23.D.de verb.ſignif.Atque ita rei perſecutionem continet actiones omnes, quibus perſequimur,quod ex patrimonio nobis abeſt,l.36. D.de oblig. & actio. Rei ſignificationes varias hoc hexametro Auſonius compræhendit:

Imperium, litem, uenerem cur una notet res?

Res quatuor in libris noſtris ſignificare ſcribit Hotomanus: primum id quod plane ac Latine Rem dicimus, quæ appellatio infinita eſt : deinde bona omnia,tertiò litem,poſtremò vtilitatem.

Res propria ſignificatione dicitur, veluti cum re contrahi obligationes dicimus,quæ neque nudo conſenſu,neque verbis,neque literis,ſed tantum rei traditione contrahuntur,l.j. D.de oblig.& act. Et re factum contractũ,id eſt numeratione, dixit Vlp.in l.9.§.quoniam.D.ſi certum pet.Hinc in rem ſcriptæ actiones, & Pacta in rem, denique quoties indefinite ſine certæ perſonæ notatione aliquid fit : quo de genere dicendi ſcripſimus ſub litera I. Sub eodem genere ſunt Rubr. de rebus credit.rerum amot.de rerum diuiſio.&c.

Res pro iis omnibus quæ bona nominantur. vnde In rem actiones dictæ, quibus ea omnia quæ bonorum appellatione continentur, petimus. Item ſocietas re contrahi, id eſt communicatione bonorum, dicitur l.4.D.pro ſoc. Item Rem pupilli ſaluam fore ſatiſdatio eſt, cum tutores cauent; bona pupilli finita tutela ſalua & integra redditum iri, l.j.& paſſ.D.rem pupill. ſal. Item Rei vxoriæ actio, id eſt actio dotis ſoluto matrimonio repetendæ, l.vnic.C.de rei vxor.actio.§.fuerat.Inſtit.de actionibus. Eius meminere Cicero libro 3. Officiorum. Quintil.lib.7.cap.3.& Gell. libr.4. cap.4. Eius autem in Pandectis nullibi fit mentio, quòd à Iuſtinia.in actionem ex ſtipulatu tranſlata & transfuſa eſſet. Sic Rem ſeruare, pro debitum ſuum ab aliquo conſequi, & vt aliàs dicitur, ad ſuũ peruenire, l.2.& l.4.D.de dolo. l.19.D.ad Velleia.l.2.§.ſi Titius.D.de hæred.vend.l.11.in fin.& l.12. D.ad municip. l.2.D.de inſtitor.l.35.§.vltim.D.de locati. l.4.in fi.D.de adm.rer.ad ciuit.l.vltim.D.rem pupill.l.38.D.de excuſ. tut.l.10.D.de doli except. Inde Rei ſeruandæ cauſſa in poſſeſſionem mitti dicuntur creditores, l.j.& l.7. D.quib.ex cauſſ.in poſſ.l.3.§.vltim.D.de acqui. poſſeſſ. l.13.D.quæ in fraud. cred.l.51.§.j.D.de re iudic. l.5.§. ſi plures.& §.poſtquam. D.vt in poſſeſſ.legator.l.3. §.creditores. D.vti poſſid.l.5.§.Iulianus. D.ad exhibendum, l.26.D.ad municipalem. l.50. D.de pecul.l. penult.§.itẽ dandæ.D.de diuerſ.& tempor.l.2. D.de feriis.l.9. D.de rei vendic. Etiam Rei ſeruandæ cauſſa in poſſeſſionem bonorum tutoris, qui ne alimenta decernantur, latitat, pupillus mittitur, l.7.§.præterea. D.de ſuſpect.tutor. Sed & rei ſeruandæ gratia, fideicommiſſi ſeruandi gratia ſignificat, in l.9.D.de annu. leg. quanquam aliàs hæ duæ miſſionum in poſſeſſionem cauſſæ, vt diuerſæ, ſepararentur, l.j. D.ex quib.cauſ. in poſſ. Rei autem ſeruandæ cauſſa non poſſidet, qui ſuo iure vt pignus tenet, l.13.D.quæ in fraud. credito. Rei perſecutionem continent actiones, quibus perſequimur, quod ex patrimonio nobis abeſt, l.35.D.de obligation. & action. §.rei perſequendæ. Inſtitut. de actionib. Res pro hæreditate, vt cum dicimus bonorum poſſeſſionem aliam eſſe cum re, ſi is qui accepit, cum effectu bona retineat: ſine re, cum alius iure ciuili euincere hæreditatem poteſt: veluti ſi ſuus hæres inteſtato ſit, vt ait Vlpian.cap.Inſtit.23.& 28.& ſic accipienda l.j.§.penul.D.ſi tabul.teſt.null. l.poſthumus.12.D.de iniuſt.teſta.Ita rem habere, ſucceſſionem obtinere eſt, l.15.l.16.D.de leg.præſt.l.12.D.de iniuſt. rup.l.2.§.ſed ſi ſint ſui.D.ad Tertullian.l.5.D.de ſecun. tab.l.j.§.pen.D.ſi tabul.teſta.l.4.in fin.D.de fideicom. libert.l.83.D.de acq.hær.l.penult.D.vnde lib.

Res, pro lite, vt cum dicimus Res comperendinata: id eſt, inquit Feſtus, iudicium in tertium diem conſtitutum. vnde illud Ciceronis contra Iuriſconſ.in Orat. Muræniana: Tot homines, tam ingenioſos ſtatuere non potuiſſe, vtrum rem an litem dici oporteat. Et in formulis, vt Varro in 6.de lingua ſcribit: QVAM rem ſiue litem dicere oportet. Hinc illud Vlpiani in l.8.§. j.D.de inoffic.teſtam. Si quis poſt rem inofficioſi ordinatam litem dereliquerit, poſtea non audietur. Coniunctim autem protulit Impp.in l.9.C.de ſuis & leg. vt & in ſolemni formula rerum à feciali repetendarum, quæ à Liuio libr.j.ponitur: Quarum rerum, litium, cauſſarum, condixit pater patratus. Hinc Rem amittere, litem amittere eſt, l.8.D.de reſtitut in integ. l.22.§.penult. D.ratam rem hab. Hinc Res iudicata dicitur, quæ finem controuerſiarũ pronunciatione iudicis accipit: quod vel condemnatione, vel abſolutione contingit, l.j.D.de re iud.

Res pro vtilitate & emolumento. vnde Actio de in rem verſo, lib.15.Dig.titu.3.Item, In rem ſuam procurator, qui alienas actiones ſuo commodo exercet, l.41.D.de re iudic. Item, In rem ſuam fideiuſſor, ad quem emolumentum negocij peruenturum eſt, l.8.§.j.D.qui ſatiſd.cogant. Sic in rem ſuam obligatur, qui pro ſuo negocio, & in ſuam vtilitatem id facit, l.13.l.22.D.ad Velleian.l.25.D.de pact.l.5.D.de lib.leg.

Rei appellatione & tota res & pars eius continetur, l.7. D.de iureiuran.l.4.§.j.D.de damn.infec.l.13.§.j.D.de fund.dot. Eadémque res peti intelligitur, etiam ſi pars petatur eius, quod totum petitum eſt, l.7.D.de except. rei iud.

Rebus legatis quæ in fundo ſunt, Paulus ait, accedunt etiam ea, quæ tunc non ſunt, ſi eſſe ſolebant: nec quæ caſu ibi fuerunt, legata exiſtimantur, in fin.l.quæſitum.de leg.3.

ex Re fructuarij item bonæ fidei poſſeſſoris eſſe videtur, quòd hi ſeruo donauerint, vel conceſſerint, vel adminiſtratione rerum, quæ ad eos pertinet, compendij fecerint, l.38.D.de vſufruct. Sed & ſi bona fide poſſeſſori vel fructuario ſeruus acceptum roget, vel paciſcatur, ne ab iis petatur, ex re eorum acquirere videntur, cum eos liberent, l.63.D.de ſolutionib.d.l.11. D.de acceptilationib. Sed & ſi hæreditatem poſſeſſorum fructuariórumve intuitu & contemplationi ſibi relictam iuſſu eorum adeant, non opera ſua, ſed ex re eorum acquiſiſſe intelligentur, l.45.in fin. D.de acquiren.hæredit.l.32. de liber.cauſ. Atque hæc interpretatio pertinet ad id, quod dicitur fructuario bonæve fidei poſſeſſori, ſeruum, quod ex operis ſuis, vel ex re eorum ſtipulatur, aut per traditionem accipit, acquirere.

è Re eſt, l.j.D.ſi cert.pet.l.j.D.ſi is qui teſta.lib.l.j.§.dixerit. D.de publica.

Re excluſus non videtur, quem Prætor ſe in integrum reſtituturum pollicetur, l.5.D.de reſtitut.in integrum.

Rem ipſam habere videtur, qui actionem ad eam recuperandam habet.l.15. D.de diuerſ.reg.l.143.D.de verborum ſignific.

Rerum Italicarum appellatione quid contineatur, exponitur in l.35.§.rerum autem.D.de hæred.inſtit.

Res peribit, id eſt, obligatio ſoluetur, in l.91.D.de ſolutionibus.

Res mulieris, dos eſt, l.quod dicitur.§.j. de impenſis in res dot.fact.

Rerum vocabula ſunt immutabilia, hominum mutabilia, l.3.de legat.j.

Res abeſſe videntur etiam eæ (vt Sabinus ait, & pedianus probat) quorum corpus manet, ſed forma mutata eſt: & ideò ſi corruptæ redditæ ſint, vel transfiguratæ, videri abeſſe, quoniam plerunque plus eſt in manus pretio, quàm in re, l.13.de verbor.ſignif. Abeſt ea res quæ in rebus humanis non eſt, ead.l.13.

Rerum ſumma diuiſio in duos articulos deducitur. Nam aliæ ſunt diuini iuris, aliæ humani. Hæ autem res, quæ humani iuris ſunt, aut publicæ ſunt, aut priuatæ. Quæ publicæ ſunt, nullius in bonis eſſe creduntur: quæ autem priuatæ ſunt, ſingulorum exiſtunt, l.j.D.de diuiſione rerum.

Res aliæ corporales ſunt, aliæ incorporales, Inſtitut.de reb.corpor.& incorpor. illæ tangi & videri, hæ non item poſſunt.

Res pro vi & effectu, in l.penult.D.de ſtatuliberis.

Res ſumitur pro veritate, l.quoties.D.de iureiuran. l.j.§. qui in rationibus.D.de falſ.

Rei capitalis dãnatus intelligitur is cui pœna mortis, aut aquæ & ignis interdictio fit, l.edict.D.de bonor.poſſ.

Rem integram varie dici adnotat, obſeruátque Azo in Summa. C.quando liceat ab empt.diſcedere.& vide Barbatium coſil.47.& Alexan.conſil.118.volũm.1.Proprie tamen intelligimus, donec quid geri cœptum eſt, l.j.§.cœpiſſe. D.de pollicitationibus. Re integra

Ioanni

Ioanni And.c.vbi maius.de elect.li.6. Alberico l.mandatum.C.manda.& alibi,quando lis non eſt conteſtata:quandoque etiam ad ſententiam definitiuam vſq; l.errore.C.de iur.& facti ign. aliquando rebus in eodem ſtatu manentibus,l.quòd ſi minor. D.de minorib. quandoque re nondum tradita, vel pretio nondum ſoluto, §.fin. Inſtitut.quibus modis tollitur obligatio, quandoq; electionem celebratam, ca.vbi periculum, de elect.lib.6. Res integra eſt, donec in negocio aliquid eſt cœptum,l.j.D.de pollici.

Re ipſa,ipſo facto,l.2.C.de rerum permutat.

Rem gerere,pro pugnare,familiaris Iuriſcoſ.locutio.

Rem tanti valere,quanti vendi poteſt, intelligendum eſt de communi,& publica æſtimatione,non de cuiuſque propria & priuata: quia precia rerum ex communi æſtimatione finguntur, l.ſi ſeruum tuum. D. ad leg. Aquil.Bald.in l.pretia rerum.D.ad leg.Falcid.

Res præſens, vide Præſens.

Res datur,cum transfertur dominium, ſed traditur puro facto,vt cum equo traditur ſella, quod purum factum eſt.Reſtituitur autẽ res cõmodata,depoſita, impignorata,&c.Vide Zaſ.Inſtit.de act.§.Sic itaque diſcretis.

Res fiſcales,quaſi propriæ & priuatæ Principis ſunt,l. prætor ait.D.ne quid in loco vel itinere.

Res geri dicitur,lite iam conteſtata, cum iudex reiici non poteſt, l.nemo. C. de iuriſdictione omn.iudic. Iulianus in l.& quia. eod.tit.Antequam,inquit,res geri cœperit.

Res in nullius bonis dicitur multipliciter. Primò per naturam vt,feræ ſylueſtres,§.feræ.Inſtitut.de rer.diuiſ. Item facto hominis, vt res pro derelicto habita.Inſtit. eod.§.pen.Item propter reuerẽtiam, vt res ſacræ.Inſt. eod.§.nullius.Item caſu, hoc eſt, euentu,vt hæreditas iacens, l.vacantium.C.de bon.vacan.lib.10.Item,tempore,vel temporis diuturnitate, vt theſauri, qui inuenienti conceduntur, cum ſuo tamen modo, de quo inſtit.eod. §.theſauros.

Res mortua, vide Mortua res.

Rescindere μεταφορικῶς, pro abrogare, D.de reſcin. ven.& C.eod. Reſcindi iudicium quid, vide l.quoties.§.ſi creditor.D.de pecul.

Rescissio, præciſè pro Reſciſſio matrimonij, cum ſcilicet Prætor matrimonium in danda poſſeſſione pro nihilo ducens, tacite illud reſcindit, & quantum ad ius impetrandæ poſſeſſionis pertinet,extinguit,Vlpianus l.3.§.5. D.de bon.poſſeſſ.cont. Si emancipatus filius vxore non ex voluntate patris ducta filium fuerit ſortitus,dein nepos patre iam mortuo ad bonorum poſſeſſionem aui velit venire:admittendus eſt ad eam.non enim per reſciſſionem is qui filius iuſtus eſt, efficietur non filius; cum reſciſſio quo magis admittantur, non quo minus, adhibeatur. Senſus eſt, Non ſi filius à patre exhæredari potuit,idcirco nepos aduerſus aui tabulas petere bonorum poſſeſſionem non poteſt.nam Prætor cauſſam propter quam exhæredari filius potuit, nimirum turpe illud matrimonium, reſcindit, & quantum in ſe eſt extinguit.nec enim minus in hoc nepote merita nepotis, quàm patris eius delicta perpendit,vti continuò Vlpianus ſubiecit.Hæc Hotomanus. Alij tamen locum illum Vlpiani aliter intelligi volunt, & Reſciſſionem emancipationis exponunt. Prætor enim, inquiunt, vt emancipatos qui iure ciuili deiiciuntur,propterea quòd per capitis deminutionem ius legitimum amiſerint, ad ſucceſſionem cum cæteris liberis, qui in poteſtate manſerunt, admittat, eorum emancipationem reſcindit,l.6.§.j. D.de bo.poſſeſ. Accurſius hæc non videns, valde ſe torſit in interpretatione d.§.ſi emancipatus. Hi etiam ſic accipienda volunt illa l.9. de bon. proſcript.in C. Theod.verba, Qui ab inteſtato ſucceſſuri defuncto, vel ex 12.Tab.vel per reſciſſionẽ capitis prætorio vocabuntur edicto. Vide Alciatum lib.3.Parerg.cap.22.

Reſciſſionis iudicium eſt,quod prætor aduerſus ſtricti iuris regulas quadam ex æquitate concedit. vt cum vſucapionem reſcindit,§.rurſus.Inſtitut.de actio.vt cum rei traditionem in fraudem creditorum factam pro irrita habet.§.item ſi quis in fraudem.eod.tit.

Rescissoria actio,in l.28.§.exemplo.& §.vlti.D. ex quib.cauſ.ma.l.18.C.de poſtli.reu.ea eſt,quæ reſciſſa vſucapione redditur,l.35.D.de obligat.& actio.§.rurſus.Inſtitut.de actionib.l.24.C.de rei vendic.at in l.16. C.ad Velleian. Reſciſſoria actio dicitur quæ reſciſſa mulieris obligatione, in priorem & antiquum debitorem reſtituitur.

Rescribere, pro numerare, & ſoluere, vide Scribere.

Reſcribere dicitur princeps ad epiſtolas, vt ſubſcribere libellis: ſed tamen etiam ad libellos reſcribere dicunt Iuriſcoſ.l.23. D.de vſufruc.leg. l.4. D.de appell.recip. Quinetiam ipſi Iuriſcõſulti reſcripſiſſe dicuntur,quod conſulentibus reſponderint, l.73. D. de contrahenda emption. Sic l.ex contractu.44.D.de re iudic. Reſcripſit pro reſpondit, & §.ſacræ res. Inſtit. de rer.diuiſ. Papinianus reſcripſit: illo enim verbo ſignificatur liber reſponſorum. Hinc,

Rescripta principum dicuntur, quibus illi vel ad libellos præſentium,vel ad magiſtratuum abſentium conſultationes quid ſibi de ea re fieri placeret, reſpõderent, vt l.19. §.9. D.loc.l.diui fratres. 17. D.de iure patr.tum & paſſim in libris Digeſt. & l.reſcripta. C.de precibus Imp.offerend. & Pontificis maximi tot.titu. de reſcript.in Antiq.& lib.6.Dicitur & Reſcriptio.§.ij autem.Inſtit.de eo cui libert.cauſa bon.add. & l.ſæpe. & l.generaliter.D.de offic.præf.

Reſcripti forma longe pulcherrima, & paucis admodum verbis multa complectens, Pij Imperatoris, eſt apud Vlpian.in l.2.D.de his qui ſunt ſui vel alie.iur.

Reſcriptorum autem Pontificiorum quædam ſunt contentioſa,& ad lites: de his accipiendus eſt textus, cap. ſtatutũ.de reſcrip.lib.6. Quędã ſunt, quæ ſacerdotiorum,ſiue (vt vocant) beneficiorum nomine Pontifex maximus dat:& hæc memorantur in cap.poſtulaſti. de reſcriptis in antiq.& horũ genera quatuor ſunt.Quædam enim ſunt iuſtitiæ:quia diœceſanũ obſtringit iuſtitia,vt clericis ſacerdotium primũ vacaturũ cõferat, cap.non liceat.de præbend. in antiq.Ratio, ne clerici mendicare cogantur,néve diuagentur. Quædam ſunt in forma pauperum, de quibus in d.cap.poſtulaſti.& illic videas interpretes, & text.in cap.ſi pauper. de præbend.lib.6. Quædam ſunt in forma & conceptione,cap.cum ſecundũ.de præbend. Nam qui altari ſeruit,de altari viuere debet,d.c.cum ſecũdum.quod ante Paulus apoſtolus conſtituerat,1.Corinth.9. Quædam ſunt in forma communi concepta,quòd ius commune grauet diœceſanos clericis prouidere, d.c.non liceat. de iis vide Concordata Galliæ, & ibidem Rebuffium iuris Pontificij Anteceſſorem.Porrò autem reſcriptorum omnium & ciuilium & Pontificiorũ prima, communiſque lex eſt: Si preces veritate nitantur. quæ conditio, etſi non adiiciatur, ſubaudiendam tamen cani iubet Romanus Pontifex in c.1. de reſcri.in antiq.Sed & eam adiiciendã, alioquin reſcriptum reſpuendum Zeno Imp.conſtituit,l.fin. C.de diuerſ.reſcri.Niſi autem preces veritate nitantur, illis parendum non eſt.Hæc obſerua, quia quotidiana.

Resero, & claudo ſunt contraria, Accurſ.l.teſtamentum.D.de teſtam.

Residere in Eccleſia, eſt in ea deſeruire, eiúſque curam habere,c.conquerente.de cleric.non reſid.

Residuæ pecuniæ dicebantur, quæ apud eum qui publicam

publicam pecuniam adminiſtrarat,ſupererat,cum vel in vſum publicum erogari, vel in ærarium referri deberent. Paulus l.22.D.ad leg.Iul.de pecul. Lege Iulia de reſiduis tenetur, qui publicam pecuniam delegatam in vſum aliquē retinuit, neq; in eum conſumpſit. Id eſt Reſiduorum crimen eſt pecuniæ publicæ retentio,quæ apud aliquem ex adminiſtratione reſedit, in publicum non relatam.Et l.4.§.j.eod.Lege Iulia de reſiduis tenetur is, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia quam accepit, aliâve qua cauſſa pecunia publica reſedit. Ea verò pecunia, quam quis cum prouincia abiret, apud ſe eſſe ad ærarium profeſſus, retinuit, ante annum reſidua non eſt: quia eam priuatus fiſco debeat, l.9.§.final. D.eod. Sic apud Liuium accipi debet lib.3.belli Maced.Omnibus, ait,reſiduis pecuniis exactis tributo priuatis remiſſo. Sic apud M.Ciceronem Orat.2.de leg. Agrar. Quid relatum, quid reſiduum ſit. Idem pro Cluentio Auito: Nuper apud C.Orchinium collegam meum locus à iudicibus Fauſto Syllæ de pecuniis reſiduis non eſt conſtitutus.

Residvvm aliquando totum ſignificat. Antoninus l. 2.C.de hæred.inſtit.Pater tuus ſi ex reſidua parte inſtitutus eſt,quam alter hæres ſcriptus capere non poterat,iſque ad nullam partem hæreditatis per conditionem ſuam admitti potuit,ex aſſe hæres extitit:nam reſidui commemoratio etiam totum admittit.

Reſidua hæreditas, de qua nulla fuit inſtitutio, ſed quæ accedit poſt ſcriptos hæredes, quæ accreſcit pro partibus hæreditariis, l.interdum.D.de hæred.inſtit.

Resignare, in §.ſed & ſi quis.Inſtitut.de milit.teſta. eſt ſigilla aperire,vt ibidem ait Accurſius, vel ſignatū aperire, vt l.6. D.quemad.teſtam.aper.l.23. D.qui teſt. fac.poſ.l. 20. D.de vulg. & pupil.l.16.in fin. D.ad leg. Corn.de falſ.

Resistitvr, verbum imperſonale, pro remedium adfertur,cōtrauenitur, occurritur, vt iudici iuſte procedenti,qua de re Panor.in ca.cauſſam quæ.extra, de offic. deleg. Regulariter definitum ait Bart. l.prohibitum. C.de iur.fiſc.lib.10. non licere magiſtratibus, iudicibus,eorúmve officialibus reſiſtere, obſiſteréve. Plane ſi iniuſte exequantur, contrà erit,d.l.prohibitū. Sed & ſi pendente appellatione exequantur,Bald.in l. addictos. C.de appellat. Non procedit quando extra ſuum territorium exequuntur,per l.fin. D.de iuriſdict. omn.iud. Fallit,quando exequuntur vltra formam iuriſdictionis, l.quemadmodum. D.ad leg.Aquil. Fallit quando apparitores nō habēt ſignum ſuum, puta,baculum,vel armillam,Salicet.l.factum.D.de diuerſ.reg. iur. Fallit, ſi non habent literas ſuæ commiſſionis, l. miſſi opinatores.C.de exact.tribut.lib.10.Hæc memoriæ conſecres velim:quotidiana enim ſunt.

Resistentes tribuni,l.12. C.de erogatione mil.annonæ, id eſt,in præſenti conſtituti. Septem dierum, inquiunt Imp.per quos reſiſtentes tribuni emolumenti gratia ſolemniter ſtellaturæ nomine conſequuntur ſpecies,&c.

Respectvs apud Pontificios,pro ratione poni ſolet.

Respondere ad tempus, vel ad diem, dicitur, qui in mora non eſt: & reſpondere ad nomina,quod vulgo dicitur,in iure comparere. Non reſpondere eſt, vt nunc loquuntur, in iure deficere. Bud. Qui ad interrogata non reſpondet, nec reſpondiſſe cenſetur, l.j.de verbo.oblig.& l.de ætate.§.qui tacuit.de interrog.act. & ibidem Bart.

Reſpondere etiam dicitur debitor, cum ſoluit, vt appellari, cum flagitatur vt ſoluat.Cicer.lib.16.ad Attic.ep. 2.Tamen fit ſæpe vt ij qui debent, non reſpondeant ad tempus.

Responsales, iidem qui ad reſponſum dicuntur, & ἀποκρισιάριοι. Vide Ad reſponſum.

Responsalis in cap.cum olim propter.de priuileg. in antiq.ſignificat procuratorem,vel eum, qui abſentem excuſat: Galli vocant Exoniatorem.

Respvblica, vt grauiter adſerit Solon, duabus potiſſimum rebus conſtat, præmio & pœna. Præmium virtuti debetur: pœna autem malis,quos nulla honeſtatis ratio mouet ad rectè viuendū. Noſtri hodie pœnas habent,ac varia tormentorū genera aduerſus malos:ſed præmiorum apud pleroſque adeò nulla eſt ratio,vt mercem viliſſimam pluris æſtiment, quàm omnes bonarum literarum vniones. Quid hoc, rogo,eſt aliud,quàm alteram Reipublicæ partem vtcumq; curare,alteram,eámque maximam,prorſus negligere?

Restagnare,redundare,aquam non continere, l.j. §.ſed apud Seruij auditores.D.de aqua & aqu.plu. Columella lib.2.cap.17.Itaque ſi qua palus in aliqua parte ſubſidens reſtagnat,ſulcis deriuanda eſt.

Restavrare litem, l.etiam.§.j. D. de minor. Eſt & labaſcentia reparare,& ſuæ puritati, & vigori reſtituere.

Resticvlvs, paruus reſtis. Vlpianus l.5.§.vltim.D.de his qui deie.vel effud. Si amphora ex reſticulo (alij reticulo) ſuſpenſa decidiſſet. Vide Reticulum.

Restipvlari, eſt ab eo cui quid ante à nobis ſtipulanti promiſimus, viciſſim aliquid ſtipulari.Cicer.pro Comœdo: Cur igitur decidit,& non reſtipulatur neminem amplius petiturum? Loquitur de Flauio, à quo Roſcius tranſactionis nomine fundum ſtipulatus erat: quærit igitur ſi totius ſocietatis nomine fundum Roſcius ſtipulatus eſt, quid ita Flauius reſtipulatus non eſt, amplius eo nomine neminē petiturum? Item: Recita iſtam reſtipulationem clarius:quid enim ſtipulatio clamat. Quid hic porrò nunc reſtipulatur, quod iam pridem ipſe exegit? Loquitur de Roſcio, qui ſtipulatur iam à Fannio partem exactionis futuræ dimidiam, cum antea eidem ſtipulanti certam pecuniæ ſummam pro ſuſcepta in Flauio perſequēdo moleſtia & opera, ſpopondiſſet. Stipulator igitur antea fuerat Fannius,reſtipulator poſtea Roſcius: quemadmodum promiſſor antea Roſcius, nunc promiſſor Fannius. Vt facile appareat aliud à Cicerone repromiſſionem, aliud reſtipulationem appellari. Sic in l. damni.43.§.j.D.de dam.infect.Alfenus apertiſſime reſtipulandi verbo ea in re eſt vſus.

Restitvere is intelligitur, qui ſimul rem, & cauſſam actori reddit,quam is habiturus eſſet,ſi ſtatim iudicij accepti tempore res ei reddita fuiſſet, id eſt, vſucapionis cauſſam, & fructum, & quodcunque aliud quod habiturus eſſet actor,ſi cōtrouerſia ei facta non fuiſſet,l.35.l.75. D.de verb.ſignific.l.20. D.de rei vendi. Reſtituit ergo non ſolum qui corpus, ſed & qui omnem rem,conditionémque reddita cauſſa præſtat, & tota reſtitutio iuris interpretatio eſt,l.fin.§.fin. D.de verb.ſignif.Quo fit, vt longe plus ſit in reſtitutione, quàm in exhibitione,cum ad exhibitionē præſentiam corporis præbere ſufficiat: ad reſtitutionem verò poſſeſſorem facere,& fructus reddere, & cauſſam omnē præſtare oporteat,l.22 D.de verbo.ſignifica. Proinde hæc verba ſtipulationis, Eam rem rectè reſtitui, fructus continere minime ambiguum eſt, l.73. D.de verborum ſignif. Et qui rem reſtitui iubet, etiam de fructibus condemnationem facere debet, l.36.§.j. D.de rei vendicat.Sed & cum verbum Reſtituas,in lege inuenitur,etſi non ſpecialiter de fructibus additum eſt, tamen etiam ſunt reſtituendi, l.134.§.j. D.de diuerſ. regul. Ex quo efficit Vlpian.in Paulinam actionem fructus venire, propterea quòd verbū Reſtituas, quo Prætor in eam rem vſus eſt,plenam habet ſignificationem, vt etiam fructus reſtituantur, l.38.§.in Fabiana. D.de

D.de vſur.l.j. D.quæ in fraud. credit. Inde adeò cùm Prætor iubet vti opus factum reſtituatur, etiam damnum datum actor conſequi debet, cum verbo reſtitutionis omnis vtilitas actoris contineatur, l.81. D.de verbor.ſignif. Simili modo cum deiectum ab vſufructu in eandem cauſſam Prætor reſtitui iubet,ſic interpretamur,in qua futurus eſſet,ſi deiectus non eſſet: vt ſi tempore interim finitus vſusfructus fuerit, nihilominus cogatur reſtituere,id eſt,vſumfructũ iterũ conſtituere,l.9.§.vlt.D.de vi & vi arma. Aut ſi poſtquã deiectus eſt,capite minutus vel mortuus fructuarius fuerit,præterita cauſſa, præteritúmque damnum ſarciatur,l.3.§.vlti.eod.tit.Enimuero in interdicto, Ne quid in loco publico,quo Prætor iubet quod in loco publico factum erit,reſtitui,Reſtituere,in priſtinum ſtatum reducere eſt:quod fit, ſiue quis tollat id quod factum eſt:ſiue reponat quod ſublatum eſt,l.2. §.Prætor ait. & §.reſtituas.D.ne quid in loco publico.

Reſtituere in integrum, eſt in priorem ſtatum reponere lapſos,captos,fraudatóſque,vel per imbecillitatẽ ætatis,vel per abſentiam,vel per metum, aut dolum, vel calliditatem aduerſarij,vel per ſtatus mutationẽ,l.j.D. de in integr.reſtit. Vel etiam iuſtum errorem, vt ſcribit Paulus lib.Sent.1.tit.7.& de eo exemplum eſt in §.ſi quis agens.Inſtit.de actionibus. Reſtitui etiam dicuntur,qui in bona,dignitates ſiue ordinem, & ciuitatem reſtituuntur,veluti deportati, aut alias damnati. Rub. de ſentent.paſſ.& reſtitut.C.l.59.& l.104.D.de conditionib.& demonſtrat.l.j.§.deinde adiicit. D.de poſtulan.l.6.§.pen.D.de iniuſto,rupt. Reſtitutio enim reponit, reuocat omnia quæ abſtulit læſio, l.videamus generatim.§.in Fabiana.D.de vſur. Gloſſ.in cap.quia. de elect. Res redit vt pridem,cum ſtatus redditur idem.

Reſtitui in integrum cauſſæ dicuntur, de quibus ex integro cognoſcitur, l.3.§.diuus.l.7. D.de iur.fiſc.l.33.l.35. D.de re iudic.

Reſtituere tutelam,curationémque, pro tutelæ, & curationis geſtæ adminiſtrationis rationes, & reliqua reddere,l.32.D.de minor.l.21.§.fin.D.de alim.& cib.leg.

Restitviri,vel,quod verius eſt,Reſtituiri,vetuſtè pro Reſtitutum iri.Iulian.l.23. D.de act.empt. Et præterea cauere debet, quicquid ex hæreditate liberti ad eũ peruenerit,reſtituiri.Paul.l.52.in fin.D.de pecu. Vel interpoſita cautione, ſi priores agant qui priuilegium non habent, reſtituiri quod acceperunt. Item apud Vlpian.l.5.§.j.D.de cond.cauſ.dat.

Restitvtio nihil aliud eſt,quàm repoſitio in priſtinum ſtatum, vt vnuſquiſque ius ſuum recipiat.Itaque ſi in vendendo fundo circunſcriptus reſtituetur, iubebit emptorem Prætor fundum cum fructibus reddere,& precium recipere, lege quòd ſi minor. D.de minoribus,25.ann.

Reſtitutio integri, vt Paulus definit libri primi Sentent. titulo ſeptimo,eſt redintegrandæ rei, vel cauſſæ actio. Id eſt,vt exponit Iſidorus lib.5.Etymol.cum res redintegratur,quæ vi ablata atque extorta eſt: cauſſa verò quæ expleta non eſt.quod eſt, Reſtitutione in integrũ non tantum rem perfectam, vt puta datã, redintegrari:ſed etiam imperfectam,id eſt cauſſam, vt ſi promiſſa ſit res,non data,l.9.§.ſed quod Prætor.D.quod met. cauſ. Vel ſic: Reſtitutio integri eſt actio reſtitutoria, ſiue reſciſſoria,qua res nobis certa, vel ius, vel quælibet alia cauſſa redintegratur. Integri autem reſtitutio (vt idem Paulus ait) plus quam ſemel non eſt decernenda:ideóque cauſſa cognita,& præſente aduerſario decernitur. Hæc item in rem competit, aut in perſonam. In rem actio competit, vt res ipſa qua de agitur, reuocetur:in perſonam, aut quadrupli pœna intra annum,vel ſimpli poſt annum peti poteſt.

Restitvtio Principis,quæ & ab exilio dicitur, duplex eſt, generalis & ſpecialis. hæc cum in infinitum concepta eſt,veluti,In integrum te reſtituo, pleniſſima & latiſſima eſt,id eſt iura omnia complectitur, l. j.l.vltim.§.vltim. C.de ſent.paſſ.l.j. D.eod.& ideo patriam poteſtatem, ius agnationis,aliáque generis eiuſdem reſtituit.Cum autem finita eſt,id eſt iura quædam nominatim continet,vltra non valet, vt in ſpecie, l.2. in inſulam.C.eod.l.2.D.eodem. Generalis verò reſtitutio dicitur, quæ veniam duntaxat, & reditum in patriam indulget:itaque neque bona confiſcata reſtituit, l.4. C.de bon.damnat. neque vllas actiones, ſiue pro illo,ſiue contra illum conceptæ ſint,l.4.&l.5. C.de ſen. paſſ. Reſtitutio autem Principis veluti poſtliminium eſt, l.2. C.Theodoſ.de repud. Eſt tamen aliqua differentia. nam patre captiuo, filius teſtamentum facere non poteſt,propter ſuſpenſi iuris conſtitutionem: patre deportato,de rebus poſtea quęſitis filius teſtamentum facere poteſt: nec reſtituto patre, licet filius in eius poteſtatem reuertatur, irritum teſtamentum fit, l. vltim. C.de ſentent.paſſ. nam ſine capitis minutione ipſo iure in poteſtatẽ reuertitur. ſpes poſtliminij omnia ſuſpendit: ſpes reſtitutionis nihil ſuſpendit. Iuriſgentium ſiue poſtliminij ſpes certior eſt, quam iuris ciuilis.Et idcirco receptum etiam eſt, vt captiuus partem faciat,deportatus non item, l.j.§.ſi ex tribus.& §. vltim. D. de bon.poſſ.contr.tab.l.ſi necem. §.ſi patronus. D.de bon.lib.

Restitvtio natalivm, Nouella 78.vide Natalibus reſtituere.

Restitvtorivm, pro iudicio reſtitutorio, & cognitione prætoria de reſtitutione facienda, l.7. D. quod falſ.tuto.l.39.D.de euict. Et,

Restitvtoria actio, quæ in veterem debitorem reſtituitur, muliere, quæ pro eo obligationem ſuſceperat,nexu obligationis liberata,l.8.§.Marcellus. & §. ſi mulieri.D.ad S.C.Velleia.

Reſtitutoria interdicta ſunt, per quæ Prætor aliquid reſtitui iubet,l.j.& l.2.D.de interd.qua de cauſſa ita ſemper cõcepta ſunt, vt verbum restitvas addatur. veluti, Quod precariò ab illo habes, id illi reſtituas. Reſtituendi autem verbum duas ad res pertinet: aut enim res reſtitui iubetur: vt in Quorum bonorum,& Vnde vi: aut opus,vt De fluminib. De cloacis, &c.

Retare flumina,pro purgare.nam Retæ,arbores ſunt quæ aut ex ripis fluminum eminent, aut in alueis eorũ extant:à retibus dictæ, quòd prætereuntes naues impediant,quaſique irretiant.Hinc edictum vetus, Qui flumina retanda publicè redempta habent, ſi quis eorum ad me adductus fuerit, qui dicatur, quod eum ex lege locationis facere oportuerit,non feciſſe. Hæc ex Gellio lib.11. cap.17.

Reticvli, cancelli è funiculis tenuibus, aut è neruis: quibus beſtiæ ab loci alicuius aditu arcentur. Vlpian.l. 17.§.2.de act.empt.Reticuli circa columnas, pluteicirca parietes, item cilicia vela ædium non ſunt. Varro lib.de re ruſt.3.ca.5.Inter columnas exteriores pro pariete reticuli è neruis ſunt, vt perſpici ſylua poſſit, & quæ ibi ſunt,neque auis eas tranſire. In l.41.§.7.de leg. j.ſimpliciter Cancelli appellantur.

Reticvlvm, in l.5.§.vltim. D.de his qui deiecer.vel effud. vbi amphoram ex reticulo ſuſpenſam narrat. Plin.lib.31.cap.6. Item demiſſæ reticulis in mari concauæ è cera pilæ. Alij d.l.5.Reſticulo legunt.

Reticvla in l.25. §.ornamentorum. D.de auro arg. ſunt quæ vulgo ſcofia dicimus, quæ in formam retis facta ad capillos continendos capiti aptantur. Reticulum Lexicon B.Germani vertit γύγατον, κροκύφαντον. Et Planè crocufantia reticulis iunguntur in dicto §. ornamentorũ. γύγατον verò πλέγματι eſſe Pollux libri ſeptimi, cap.vlti. & lib.10.capite trigeſimoquinto docet

docet.Iſidorus lib.20.Etymol. c.30. Reticulum,ait, eſt quod colligit comas:dictum ab eo quod retinet crines ne effundantur. Lamprid.in Alexand. Matronas autẽ regias contentas eſſe debere vno reticulo atque inauribus.Vtitur & hoc verbo in hunc ſenſum Capitolinus in Maximinis. Reticulatum opus apud Vitru.lib. 2.c.8.Et Plin.lib.36.c.22.

RETIARIVS. l.ſi iactum.D.de leg. Rho. de iact.qui rete iacit.

Retiarius,alter ex litigatoribus.vide Feſt.

RETINERI, detineri.l.3.D.de lib.ho.exhib.

Retineri pro poſſidere ſcribit Albericus, in l.poſſeſſio quoque.D.de acquir.poſſeſſ.

RETENTIO adſimilatur traditioni.l.quædam mulier. 2. reſponſ.l.eius rei.de rei vend.cum ſimil.quæ fideliter citat Apellus in Methodo.c.3. Porrò materiam retentionis tractat Bart.communiter probatur,in l.indebitum.§.ſi centum.D.de cond.indeb.& in l.ſi non inducta.C.in quibus cauſ.pignor.tacit.contrah.

RETRACTARE eſt,quod omiſeris repetere, & mutare,renouare,& recognoſcere,vel iterum tractare, vt ait Feſtus:& ſic ſumitur.l.j.§.j. D.ne de ſtat. defun. l.31. in fi.D.de iureiur.l.10.§.j.D.ad Turpill.l.29. D. de iure fiſc.l.4.C.de epiſcop.aud. Cicero libr.4.de Nat.deor. Qui autem omnia quæ ad cultum deorum pertinent, retractarent,& tanquam relegerent, hi dicti ſunt Religioſi.Idem ad Attic.lib.8.Augemus crimen dolorem retractando.Sic Tertull.in Apologetico: Cauſſas quæ hoc exegerint,retractemus. Alias etiam Retractare ſumitur pro ratum non habere quod ab aliquo geſtum fuerit,vt l. fi.C.de bonis quæ lib. Nullo modo licentia concedenda filiis eaſdem venditiones vel hypothecas retractare: ideo & Retractatio opponitur ratihabitioni. Hinc:

RETRACTATIO. l.vlt.C.de fid.inſtr.& l.vlt.C. de tẽp. appell.Græcè ἀναψηλάφησις dicta Nou.82. cum cauſæ apud ſucceſſorem Præf. Præt.retractabãtur ex reſcripto Principis.l.j.C.de ſent.præf.præt.quod erat appellationis loco remedium, Et hoc locum etiam habuit in iis cauſis quæ à ſenatu iudicabantur, vt non apud eundem ſenatum,ſed apud alios παλινδικία, ſeu retractatio induceretur:qua de re Plin.epiſt.ad Vrſum li.6.

RETRAHERE, apud Vlp.l.Imperatores.9.§.j. D.de admin.rerũ ad ciui.ſumitur pro recuperare prædia alienata.Item reſcripſerunt,agros reipub.retrahere curatorem ciuitatis debere, licet à bona fide emptoribus poſſideantur, cum poſſint ad auctores ſuos recurrere. Hinc:

RETRACTVS, vſitata vox in ſcholis,pro redemptione prædiorum,lege aut pacto cõtrahentium introducta. Vt autem à contrahendo Contractum,à diſtrahendo Diſtractum Iuriſconſulti declinarunt:ſic à retrahendo Retractum accipere poſſumus. Duplex autem eſt retractus:Legitimus,quem Gentilitium appellare poſſumus,& Conuentionalis. Legitimus, ſiue Gentilitius eſt,qui propinquis conceditur, vt alienata à propinquis prædia, oblato intra legitimum tempus pretio, recuperare poſſint.qua de cauſſa ius προτιμήσεως à Græcis appellatum eſt: vnde quandam quaſi prædiorum gentilitatem naſci apparet:qualem ſe Cic. vidiſſe negabat.Ad hanc autem προτίμησιν abſurdum eſt referre. l.dudum.C.de cõtrah. empt.vt doctiſſime demonſtrat Hotom. Conuẽtionalis autem retractus eſt,cum in venditione prædij pactum eſt,vt vẽditori quandoque liceat illud reſtituto pretio redimere ac recuperare:ſiue dies ei redemptioni preſtituta ſit, ſiue non ſit: cuiuſmodi conuentiones in iure vſitatæ ſunt, vt l.2.& ſimilib.C.de pact.int.empt.

RETRO, pro rurſus,vel ex diuerſo.l.4.D.de operis ſer.l. 67.D.de ſolut.l.40.§.ſeruum.de acqui.poſ.l.9. §. vlt. D. de except.

Retrò iuris ordine,hactenus obtinuit.l.omnes iudices.de delat.lib.10.C.

Retrò obtinuit conſuetudo,id eſt,corroborata eſt, l.ſi in aliquam.D.de offic.Proconſ.Hinc & ſumitur pro ante.§.aliæ autem.Inſtit.de donationibus: Et cum retro principum conſtitutiones, id eſt eorum qui ante nos fuerunt.ſicque ſumitur initio primæ epiſtolæ Digeſtorum libris præpoſitæ.

Retrò ſubaudiri & ſupprimi per ellipſin ſcribit Albericus in l.ſeruus ſeruum.D.ad leg.Aquil.

RETROAGERE, corroborare,confirmare.

RETRODVCI, in l.ſeruitutes.§.ſi illicitum.D. de ſeruit. vrb.prædio.

RETRORSVM. l.ſi duobus.§.j.D.de diuerſ.& temp. præſcript.

RETROVENDENDI pactum, inter cætera pacta vulgatiſſimum eſt:veluti cùm venditori ex conuentione cõceditur ab emptore,quòd ſi ipſe vel hæres eius, voluerit quandocunque,aut intra certum tempus reſtituere precium,vt tum rem ſuam,quam vendidit,quaſi redemptam accipiat.Quo pacto in emptione & vend. redituum quotidie vtimur.l.2. C. de pact. inter empt. & venditor.

REVEHERE eſt quod ante vectum fuit,iterum vehere. l.vniuerſi.C.de vectig.& commiſſ.

REVERA coniunctim vice aduerbij eſt.Re vera ſolutè: id eſt ipſo facto,idque quidam autumant.

REVERENDI ſunt,quibus reuerentia & honor debetur,Zaſius ad l.generaliter.D.de in ius voc.

REVERENTIA, honor,quem tam verbis, quàm facto exhibemus.l.parentes.D.de in ius voc.quidam adiiciũt hæc verba,cũ pauore.c.2.de offi.deleg. in 6. Archid. c. decet.de immun.eccle.Quibus exhibenda ſit,viuis & mortuis.vide l.apud Celſum.§.aduerſus. D.de do.exc.

REVOCARE domum ſignificat id quod vulgo dicimus, petere ſe remitti domum.l.2.§.legatis.D.de iudic.l. 28. §.ſi cum in prouincia.D. quib.ex cauſ. maio.& vide c. fi.De foro compet.vbi pontificij.Sic & ius reuocandi forum.l.7.D.de iud.Et Reuocare in prouinciam.l. 7. §. pen.D.de accuſ.

Reuocatur quod tranſlatum fuit, vt colligitur ex gl.in l. hac in factum.D.quæ in fraud.cred.& C.de reuo.don. toto tit.

Reuocatur etiam quod nullũ eſt,quatenus de facto proceſſit.l.ne procur.D.de iure fiſci.

Reuocari quando poſſit ſententia, ponunt Pontificij,c. qualiter & quando.de accuſ.

REVOCATORIA, diploma principis ſignificat quo abſentem ad ſe reuocat.l.fi.C.de digni.lib. 11. l.3.C.de ſilent.ibid.ἀνάκλησιν vocat Imp.Nouel.8.verſic. ὅθεν γὰρ δίδομεν.

REVS antiquis dictus eſt à Re,id eſt lite:vt ſub voce Res docuimus,Itaque Cicero in 11. de Orat.Reos, inquit, appello,nõ eos modò qui arguuntur,ſed omnes quorum de re diſceptatur:ſic enim olim loquebantur. Et Gal.Ælius apud Feſt.Reus eſt, inquit, qui cum altero litem conteſtatam habet,ſiue is egit,ſiue cum eo actũ eſt.Quibus ex verbis apparet, Reos antiquis eoſdem fuiſſe,qui nunc Litigatores appellantur. Poſtea verò diſtinguendarum appellationum cauſſa,& ne nomina confunderentur,Rei dici cœpti ſunt(vt Feſtus inquit) à re quam promiſerunt,ac debẽt:hoc eſt, ij vnde quid iudicio petitur.Reus,inquit Feſtus, nunc dicitur, qui cauſſam dicit,& item qui quid promiſit,ac debet. Veteres autem reum vnde petitur vocabant. Cic.lib.j.de Orat.Nónne nobis in tribunali Q.Pompeij ſedentibus poſtulabam,vt illi vnde peteretur,vetus atque vſitata exceptio daretur,cuius pecuniæ dies fuiſſet.Idem lib.7.Epiſt.ad Trebat.Ego omnibus vnde petitur hoc

conſilij dederim,vt à ſingulis interregibus binas aduocationes poſtulent.Sed & in leg.Manil.Et ſi is vnde ea pecunia petita erit,condemnatus erat, eam pecuniam ab eo,vel à bonis eius primo quoque die exigito. Marcel.l.39.de fideiuſſ. Nec reus eſt pro quo debeat,nec res vlla quæ poſſit deberi. Vterque etiam ex contrahentibus reus appellatur.l.5.§.conuentionales. D.de verb.obligationib.Sed differentiæ cauſſa, qui ſtipulatur,reus ſtipulandi:qui ſpondet,reus promittēdi dicitur.l.j.& toto tit.D.de duobus reis.l.134.§.pen. D.de diuerſ.reg.l.50.§.vlt.l.52.§.duo.& paſſim titul.de fideiuſſorib.D.ſicuti qui credit,reus credendi:qui accipit,reus debendi qui ſatiſdat,reus ſatiſdandi: qui ſatis accipit,reus accipiendi appellatur.l.34.§.quidam.D.de ſolutio.

Reus ſtipulando eſt idem, qui ſtipulator dicitur.quippe ſuo nomine ab altero ſtipulatus eſt, non is qui alteri aſtipulatus eſt.Reus promittendo,eſt qui ſuo nomine alteri quid promiſit.Sic à Paulo in l.ſi duo.34.D.de recept.arb.& rei promittendi, ἀλληλέγγυοι, quia vterque vtriuſque eſt fideiuſſor,& in ſolidum cōueniri poteſt.

Rei planè verbo plerunque debitor ſignificatur.l.22.§. quòd ſi ſtipulator.& aliàs ſæpe.D.de fideiuſſori.l.45.§. ſi principali.D.de iure fiſci. Hinc:

Reus conſtitutus dicitur,qui ſe obligauit.l.14.§.Labeo.D. quod met.cauſ.Et eiuſdem pecuniæ rei, qui eādem pecuniam promiſerunt.l.22.§.cum tu.D.de fideiuſſ.l. 84.§.qui Caium.D.de leg.j.Duos autem reos promittendi facimus,ſi vtrunque interrogemus, & vterque reſpondeat eiuſdem pecuniæ nomine.l.3.& l.6.D. duob.reis & Inſtit.eod.tit. Nec tantum ſtipulatione, ſed & aliis contractibus duo rei fieri poſſunt:veluti ſi apud duos eadem res deponatur,duobúſve eadem res locetur,commodetur. Interdum:

Reus expromiſſorem ſignificat,id eſt,eum qui alienam in ſe obligationē vel nouatione vel delegatione ſuſcepit.l.j.D.ad Velleian.l.j.§.exceptionem.D.quar.rer. act.non dat.l.104.& l.112.D.de verb.obl.l.9.§.omnis. D.de pignor.act.l.7.§.ſeruus pactionis.D.de dolo.l.22. §.ſi mulier.D.ſol.matr.l.34.in fi.D.de ſtatu liber.l.11. D.de nouatio.l.vlt.in fi.D.ſi cert.pet.l.13.§.præterea. D.de act.empr.

Reis cauere,id eſt,per fideiuſſores.l.j.§.iubet.D.de collat. bon.

Reum facere in publicis iudiciis, eſt eius nomen ad magiſtratum cuius de ea re notio eſt, deferre, vt ei dies audiendæ accuſationi dicatur.l.3.D.de accuſationib. Hinc Aſconius:Quid eſt,inquit,Reum fieri, niſi apud Prætorem legibus interrogari?Cum enim in ius ventum eſſet,dicebat accuſator apud Prætorem reo, Aio te Siculos ſpoliaſſe,ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur, vt victo:ſi negaſſet,petebatur à magiſtratu dies inquirēdorum eius criminum,& inſtituebatur accuſatio. hæc ille.Interea autem eius nomen in reorum album referebatur,vt cauſſa ex ordine ageretur:dicebatúrque in reos receptus vel relatus.Libellorum autem cōceptio qualis fuerit,Paulus.d.l.3.D.de accuſatio.demonſtrat. Agi etiam Reus eodem ſenſu dicitur,qui accuſatur. Valer.lib.6.c.8.M.Antonius auorum noſtrorum temporibus clariſſimus Orator inceſti reus agebatur. Et lib.8.c.j.Q.Flauius à C.Valerio Ædile apud populum reus actus.Recipi verò vel referri inter Reos dicitur quis,poſtquam delatum eſt nomen eius.Et contra,eximi ex Reis,abſolutione vel abolitione ſecuta. Eorum autem ſtatus & conditio, qui inter reos recepti ſunt, Reatus vocatur.Et quamdiu accuſatio pendet, in reatu eſſe dicuntur.l.vlt.D.de publ.iudic.l.25. D.de pœn.l. 3.§.quòd pater.D.de munerib.& honorib.l.46.§.in reatu.D.de iure fiſc.

Reus criminis,& particeps fraudis differunt multum, auctor Modeſtin.in l.ſi multi.de publican.Vide gl.ibidē.

Rhapsodiæ verbum pro partes hodie reponendum in lege librorum.52.§.2.de leg.3.Appellantur eo nomine ſinguli Homeri libri, ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν, καὶ ᾠδῆ.

Rheda, ſiue,vt quidam ſine aſpiratione legunt, Reda, leuiculi currus genus, quo geſtabantur nobiliores in villas ſuas.l.cum in plures.D.loca.Quintilianus lib.j. c.5.Gallicum eſſe ait.

Rhemnia lex pœnam calumniatoribus irrogabat.Lege l.j.ad S.C.Turpil.

Rhodvs vrbs,& inſula in mari Mediterraneo clariſſima,à variis ſcriptoribus celebrata: quam anno.1522. Turcarum Imperator occupauit.

Rhodiæ leges,commerciorum naualium ſunt, ab inſula Rhodo cognominatæ.c.fi.diſt.3. Accurſius.l.j.D. ad leg.Rho.de iac.Extant hodie,& vide Iſido.libr.5.c. 17.& Paul.lib.2.Sent.tit.7.Tertul.lib.3.aduerſ. Marcio. & vide Libellum de iiſdem legibus.

Rhodiæ naues,quæ ſint,docet L.Baifius in libr.de re nauali.

Rica Paulo apud Feſtum, veſtimētum quadratum fimbriatum.

Ridica, pedamentum vitium.Vlp.l.11.§.3.D.quod vi aut clam.Si quis in vineas meas venerit, & inde ridicas abſtulerit,hoc interdicto tenebitur. Varro de re ruſt.lib.j.c.8.Pedamentum ferè quatuor generum,vnū robuſtum, quod optimum ſolet afferri in vineam è quercu ac iunipero,& vocatur Ridica.

Ridicvlvm.§.ſi quis in aliena. Inſti.de rer.diuiſ.riſu explodendum.

Rigor à rectitudine dicitur, & eſt curſus aquæ rectum profluentis tenorem obſeruans.l.j.§.quod autem.D. ne quid in flum.public.Sic Rigor ſtillicidij,rectus eius fluxus eſt,l.fi.§.fi.D.de ſerui.vrba. At Plinius li.8.Epiſt. ad Rom.Rigorē aquæ pro frigiditate poſuit. Sunt & rigores in agris, cuius verbi, quia à Lexicis abeſt, interpretationē adferemus ex Briſſonio libr.6.de verb. ſignifi.Rigor(inquit ex Boeth.lib.j.Geomet.) eſt quicquid inter duo ſigna veluti in modum lineæ directum proſpicitur.Flexuoſum verò eſt, quicquid ſecundum naturam locorum curuatur.Nam quod in agro à menſore operis cauſſa ad finem directum fuerit, Rigor appellatur:quicquid ad horum imitationem in forma ſcribitur,linea appellatur.Bini verò rigores ſunt,quādo ſingulis ſpaciis interuenientibus tendunt, vt itinere plerunque peragunt.Aggenus Vrbicus, Rigor,ait, ſuæ rectitudinis naturalis nomen accepit.Sicul. in lib. de conditio.agr.In aliquibus, ait, regionibus ita fines inter poſſeſſores ordinati ſunt, vt rigores durent per longum tractum,incedentéſque in viis, aut riuis, aut ſubſtructionibus,aut regionibus, aliíſque finitionum generibus,deficient ſupra ſcripti rigores.Atque vt in pauca concludam, Rigor eſt rectitudo naturalis,ſiue εὐθυωρία,qui agri diſterminantur.

Rigor iuris, non eſt ius, ſed exceſſus iuris, & auſteritas quædam facta ad terrorem.50.diſtin. vt conſtitueretur.Gl,in l.fi.§..Lucius.D.de ſeruit.vrb.præd. gl.in c.vt conſtitueretur.50.diſtinct.

Rigor iuris,quandoque ponitur pro ſolemnitate & ordine iuris,habita ratione ad pontificis maximi reſcriptum.c.ſuper literis.de reſcriptis.

Rigor an æquitati præferenda ſit,ediſſerunt fuſiſſimè interpretes.l.placuit.C.de iud.

Rimari diligenter quærere, ſcrutari, propriè ad iudicis officium ſpectat.Rimari verbo vſus eſt canon, iudicantem.30.q.5.quod iudicis officio incumbit.

Ripa, inquit Vlpianus,definitur id, quod flumen continet,naturalem rigorem curſus ſui tenens. Cæterum ſi quando imbribus,vel mari,vel qua alia ratione ad tēpus excreuit,ripas non mutat.l.j.§.ripa.D.de fluminibus.

bus.Et hoc eſt,quod Paulus dicit: Ripas eas eſſe, quæ pleniſſimum flumen continent.Et metiendæ ſunt ripæ,ex quo primùm à plano incipit vergere vſque ad aquam.l.flumina.D.eod.

Ripa,fluminis dicitur:Litus verò, maris.Itaque inſulæ in flumine natæ extremitas,ripa:in mari,litus à Proculo appellatur.Si qua,inquit,in flumine tua eſt,nihil in ea publici eſt.Paulus:In eo genere inſularum, ripæ, flumini:& litora,mari proxima publica ſunt.Hæc Paulus.l.65.§.j.D.de acq.rer.dom.

Ripam munire,eſt aggeribus factis, & oppoſitis aquam coërcere,ne excreſcens flumen agrum occupet.l.j.§. ſunt autem.D.ne quid in flum.publ.l. vnic.D.de ripa mun. Hinc:

RIPARIENSIA caſtra.l.14.D.de re milit.in ripis ſtatuta,& locata. Et Riparenſes apud Vopiſcum in Aurelian.Hinc & Ripuarij dicti ſunt Germani accolæ riparum Rheni,quibus conſcriptæ leges hodiæ extant.

RISCVS in l.25.D.de aur.& arg.arcula veſtiaria eſt, vt quidam volunt.Tradit Pollux lib.7.Onom.c.19. & lib. 10.c.31.κιβώτια ἐν οἷς ἀποτίθενται αἱ ἐσθῆτες,ῥίσκον παρὰ τοῖς νεωτέροις λέγεσθαι.Donatus in Eunuch. Terent:nomen id eſſe Phrygium ſcribit,eóque ſignificari ciſtam pelle contectam. Riſcus in Lexico B.Germani ad vrbem Lutetiam κιβωτὸς μεγάλη definitur.Hotom. Riſcum exponit capſulam,in qua linteola munda mulieres reponunt, quibus lotam corporis partem abſtergunt: quod riſcus cum lauatione iungatur eo in loco.

RITVS, mos comprobatus in adminiſtrandis ſacrificiis: & generaliter,Ritus, mos & adprobata conſuetudo, quam omnes ratam habent.

RITE, vide ſuprà Rectè.

RIVVM Feſtus libr.16.dici ait non tantum naturali ſuo impetu fluentem tenuem aquæ fluxum, quo modo riuum fluminis dixit Gaius.l.7.§.inſula.D.de acqu.rer. domin.ſed & manu factum,ſiue ſuper terram in foſſa, ſiue ſuper ſpecum;à Græco verbo ῥεῖν,quod eſt fluere. Hoc poſteriore ſignificato Riuus definitur ab Vlpiano eſſe locus per longitudinem depreſſus, quo aqua decurrat.l.j.§.j.D.de riuis.Atque ita accipitur in l.2. D. de extraord.cognit.l.12.& l.16.D.quemad. ſeruit.amit. & alibi paſſim.Riuum deprimere,vel adleuare. l. refectionis.12.D.commu. præd. Riuum ducere.l. 9. D. de ſeruit.tit.gene.Riui,prout conuenerat, terreni, ſignini,cementitij,lapideíve fiebant,vt apparet ex l.j.§.fi.& l.3.§.j.D.de riuis.item Riui quidam erant aperti, quidã tecti,operti.l.j.§.fi.& l.3.D. eod.Hos ſubterraneos appellat ſæpius I.Frontinus in lib.de æqueduct.

RIVALES, qui per eundem riuum aquam ducunt.l.j.§.ſi inter.& l.3.§.pen. D.de aqua quotid.vt Donat.in Eunuch.Terent.notat.Gell.lib.14.cap.j.Quod ei fortè de aquæductu cum riualibus contentio eſſet.Acron quoque in artem Poetic.Horatij,Riuales,ait, dicebantur, qui in agris riuum haberent communem, & propter eum ſæpe diſcrepabant.

RIXA, etſi propriè verboſa contentio eſt,ad factum tamen etiam refertur.l.ſi ex plagis.§.j.ad l.Aquil.Vlpia. in l.4.vi bon.rap.Et rectiſſimè Labeo,inquit,inter turbam & rixam multum intereſſe ait. Nanque turbam multitudinis hominum eſſe turbationem, & cœtum: at rixam duorũ.Paul.de ſicar.l.fi.Si in rixa homo percuſſus perierit,ictus vniuſcuiuſcũque in hoc collectorum contemplari oportet.Receptum eſt,inferiis rixæ notionem fieri poſſe.

ROBVR omnium rerum firmitas. Formula, in robore ſuo duratura,frequenter in diplomatis principalibus nullum robur ſumi tradidit Ang.l.eos.verſi.ſuo robore.C.de præſcript.30.anno.citat.l.ſcripturas.C.qui pot. in pig.auth.quas actiones.C.de ſac.ſanct.eccle.

ROBVSTA ætas,pro militari,vt ſuprà dictum eſt, apud idoneos auctores accipitur. Huic noſtri tribuunt initium ab exceſſu anni 25.Vlp.in l.ſi in acutis.2.de adult. §.lex Iulia.Nec enim viſus eſt,inquit,idoneus accuſator,qui nondum robuſtæ ætatis ſit.Et paulò pòſt: Maiorem vigintiquinque annis & eum accipimus,qui annum vigeſimumquintum ætatis agit.Dicitur & robuſtus ætate.

ROFREDVS Iuriſconſult.nobilis, Beneuentanus,ius ciuile publicè Bononiæ,dein Aretij profeſſus eſt, circiter annum M.CC.

ROGARI lex tum dicitur,cùm de fereda ea populus vel plebs conſulitur & interrogatur. Siquidem Quirites vel à conſulibus,vel à tribunis rogabantur,vellent,iuberéntne quid fieri.Qui ſi ſciuiſſent, id eſt confirmaſſent,lata ſancitáque lex erat,quæ non niſi per populi rogationem fieri poterat.Hodie verò reſcripto opus eſt,l.j.de mandat.princip. Vide Budæum in prioribus Anno,ad poſterior.l.de orig.iur.Vlp.in l.j.ad leg.Aqui.

Rogatur,pro interrogatur.l.2.D.de adoptio.

ROGATIO,lex eſt,ſic dicta quòd cùm promulgatur,populus rogatur. Rogatio enim fit,cùm populus conſulitur.

ROGATOR comitiorum,qui comitia,vt fiant,rogat.

ROMÆ appellatio continentibus ædificiis finitur.l. 2. D. de verb.ſign.Itaque ædificia Romæ fieri ea videntur, quæ in continentibus ædificiis fiunt.l. 139.D.de verb. ſign.& qui in continentibus ædificiis nati ſunt,Romæ nati intelligũtur.l.147.D.eod.tit.& penus quæ ſit Romæ legata,non ea tantum quæ intra murum, ſed & quæ intra continentia ſit debetur.l.4.§.ſi ita.D.de penu leg.

Roma communis patria eſt,l.33.D.ad municipal.& vt ſcite Athenæus ſcribit,τῆς οἰκουμένης ἐπιτομή.Vnde Orbis Romanus. l.17. de ſtatu hom.l.5. de metallar,in C. Theod. Caſſiodor.lib.3. Variar. Epiſt. pen. Auguſti ſiquidem temporibus orbis Romanus agris diuiſus cẽſúque deſcriptus eſt. Saluia. Maſſil.lib.7. de vero Dei iudicio:Sed vbi apud nos emendatur, aut quæ pars Romani orbis corrigitur? Et aliàs:Sed hæc omnia prætermittantur,quæ & in toto ferme aguntur orbe Romano.

Roma duplex ſtatuitur in conſtitutionibus: vna vetus, ſcilicet quam Romulus condidit,altera noua, videlicet Conſtantinopolis,quam veteris & antiquæ Romæ prærogatiua lætari Impp.voluerunt.l.6. C. de ſacroſanct.eccleſ.l.40.C.de epiſc.& cleric.l.4.C.de operibus public.l.vlt.C.in quibus cauſſis pig.Zonaras etiã non ſemel hanc νέαν ῥώμην vocat. Quinetiam Chalcedonenſis Concilij.c.22.ita ſcriptum eſt: καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα· καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ εὐλόγως κρίναντες τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι ῥώμῃ.

ROMANVM, vel Cæſareum ius,idem eſt quod vulgo ius commune dicimus,& rectè:quia ſupremũ & eminentiſſimum eſt,plenum certè humanitatis, æquitatíſque,tot iam annis vnanimi omnium conſenſu, auctore Deo,receptum.Idque eſt, quod Iuſtin.in §. ſed ius quidem ciuile.Inſtit. de iur.natur. gen. & ciuil.notat.Sed quoties,inquit,non addimus nomen, cuius ſit ciuitatis,noſtrum ius ſignificamus.Ius ciuile quidam ex leges abrogare,& omnino extinguere volebant, tanquam Moſis iudicia ſufficerent. Multi ſunt caſus, qui his non definiuntur,ideóque ad ius Ciuile deue- * niendum,quod à iure naturali dimanauit, quod variis

locis libri iuris ciuilis docent. Ius verò naturale à ſummo Deo mentibus hominum inſitum, vt ait Cic. libr. j. de legib. & Paul. Apoſt. Rom. 2. c.

ROMANIOLA, ſiue Romandiola, quæ in Feudorum libris aliquoties nominatur, ea pars Italiæ eſt, quæ Ariminum vſque producta, olim Flaminia: & ab Arimino ad Rauennam & Bononiā Æmilia vocitata eſt: quondam Gallia Togata: poſterioribus temporibus Rauennæ Exarchatus. Otto Friſing. lib. Frid. 2. c. 7. Ex quo cōtingit, vt circa Exarchatum Rauennatenſem arctatis antiquis eiuſdem prouinciæ incolis, ea pars Italiæ, quæ antea Æmilia dicebatur, nunc Romaniola (quod diminutiuum à Roma tractum noſcitur) vulgò vſque hodie dici ſoleat. Flauius Blondus lib. j. Decad. 2. Cum Langobardorum gentem tam multis Italiæ populis, affinitatibus, ac ſanguinitate coniunctam, nec eiicere tutum, nec delere humanum videretur: Pontifex Imperatórque conſtituerunt, vbi ſedem diu & ſtatus ſui fundamenta habuerant, genti Langobardæ nomen & ſolum patrium cōſeruare: vtque propinquior coniunctiórque nominis Romani memoria fines illis faceret certiores, haberéntque illi probatæ erga Romanos fidelitatis vicinos, quibus eſſet cura aut motus eorum compeſcendi, aut magiſtratus renunciandi, quicquid Exarchatus Rauennatis fines complectatur, Romandiolam placuit appellari. Item in libr. de Italia illuſtrata: Quam longitudinem & nunc habet Rauennatis Eccleſiæ Exarchatus prouincia, cuius tota id Romandiolæ nomen olim obtinuit: quod quidem nomen oſtendimus in hiſtoriis, Carolum Magnum, & Pipinum Adriano Pontif. Roman. poſt oppreſſos, dominióque priuatos Langobardos, ea maxime ex cauſſa indidiſſe, quòd toto Langobardorum tempore Rauenna cum propinquis aliquot ciuitatibus & opidis Romano populo fidem conſtantiſſime ſeruauit. Scitum eſt autem, quod de Romandiola ſcribit Antoninus Florentinus part. hiſto. 3. tit. 20. cap. 3. Rodolphus (inquit) electus Imperator obligauit ſe intra certum tempus venire Mediolanum, ſub pœna excommunicationis: quod tamen non impleuit, in partibus Alemaniæ guerris ſibi ſuſcitatis: vnde nec coronam, nec benedictionem Imperialem ab Eccleſia ſuſcepit: & excommunicatus propter hoc, proceſſu temporis, reconciliationem recepit ab Eccleſia, & in ſatisfactionem Eccleſiæ ipſi conceſſit comitatum Romandiolæ. Ioannes Nauclerus, Generat. 27. Itaque Pontifex Imperatórque ſtatuerunt, vt vbi ſedem ducentos & amplius annos, ac ſtatus ſui fundamenta habuiſſent Papæ Mediolani, & in quibuſdam locis aliis trans Padum, genti Langobardæ nomen & ſolum patrium maneret: & vt propinquior coniunctiórque nominis Rom. memoria fines illis faceret certiores, quicquid Exarchatus Rauennatis fines complectitur, Romādiolam placuit appellari. Hæc ille. Cum autem Pipinus partē hanc Italiæ Langobardis ereptam Papæ Romano attribuiſſet, aliquanto poſt Pontifex ne ingratus videretur, regnum Galliæ Regi Childerico anili ſuperſtitione ſtolido ademptum, illi adiudicauit. Ex quo vetus verbum comprobatum eſt, Aut Regem, aut aſinum naſci oportere.

ROMPHÆA teli genus. l. 3. §. 3. D. de vi & vi armata.

RONCALIA, de qua in libris Feudorum multis locis mentio fit, lib. 2. tit. 52. §. 3. his exponitur verbis ab Ottone Friſing. lib. Frideric. 2. c. 12. Inde caſtra mouens in campo Roncaliæ ſuper Padum non longè à Placentia, menſe Nouembri reſedit. Eſt autem conſuetudinis Regum Francorum, quæ & Theutonicorum, vt quotieſcunque ad ſumendam Imperij Romani coronam militem ad tranſalpiſandum coegerint, in prædicto campo manſionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto, ſcutum ſuſpenditur, vniuerſorúmque equitum agmen feuda habentium ad excubias proxima nocte Principi faciendas per curiæ præconem expoſcitur: quod ſectantes qui in eius comitatu fuerunt, ſinguli ſingulos beneficiatos ſuos per præcones expoſcunt. At ſequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuiſſe deprenſus fuerit, denuò ad præſentiam Regis aliorúmque Principum, vel virorum illuſtrium euocatur: ſicque omnes omnium beneficiati, qui ſine bona voluntate dominorum ſuorum domi remanſerunt, in feudis condemnantur. Hunc morem Principe ſecuto, non ſolùm laicorum feuda, ſed & quorundam Epiſcoporum, id eſt, Hartuici Bremenſis, & Vlrici Hamberſtatenſis regalia perſonis tantum, quia nec perſonis, ſed Eccleſiis perpetualiter à principibus tradita ſunt, adiudicata fuere. Itémque à Gunthero lib. 2.

—Tunc demum ſigna reuellens,
Roncalia properat rapidis attingere caſtris.
Eſt locus Italiæ modicum ſeiunctus ab urbe:
Cui quia pulchra ſitu placet, inde Placentia nomen.
Planus, & Eridani placito iunctiſſimus amni,
Effundit latos ſpatioſo limite campos.
Hic quoties claram regnator tendit ad urbem
Theutonus, Auſoniam ſumpturus ritè coronam,
Ponere caſtra ſolet: ligno ſuſpenditur altè
Erecto clypeus: tunc præco regius omnem
Conuocat à dominis feudalia iura tenentes.
Excubias Regi prima celebrare fideles
Nocte uetuſtorum debent ex more parentum:
At quicunque domi, domino nolente relictus,
Defuerit, feudo priuari Curia cenſet, &c.

Lotharius Imperator lib. Feud. 2. tit. 51. §. ij. Dum apud Roncaliam ſecundum antiquorum Imperatorū conſuetudinem pro iuſtitia ac pace regni componenda conſideremus. Et tit. 55. Dum ex prædeceſſorum noſtrorum more vniuerſalis curiæ Roncaliæ pro Tribunali ſederemus, à Principibus Italicis non modicas accepimus querelas, &c. Abbas Vrſperg. in Frid. Pro reparando itaque iuſtitiæ vigore, omnibus Lombardis & Italicis Roncaliam, vbi mos Lombardorum eſt iuſtitiam ſuam requirere, & ab Imperatoribus recipere, diem certam & curiam publicam ad præſentiam Principum qui tunc aderant, eis deſignauit: edictúmque eſt ab Imperatore, vt de ſingulis Italiæ vrbibus viri idonei Roncaliam conuenirēt, & Barones, & alij qui cauſſas haberent.

ROSAM Pomponius inter vnguenta numerat, quæ valetudinis cauſſa parata ſunt. l. 21. §. j. D. de aur. & arg. Sic & Roſam pro oleo roſaceo poſuit Celſus libr. 8. c. 4. Quod ſi membrana, inquit, per inflammationem intumuerit, infundenda erit roſa tepida.

ROSTRA Liuio templum, ſeu forum ante curiam Hoſtiliam, in quo erat pulpitum ornatum roſtris, & vide l. 2. §. exactis. D. de orig. iur.

ROTÆ aquariæ apud Paul. lib. 4. Sent. tit. 6. per quas extollitur vel extrahitur aqua, de quibus in l. j. D. cōmu. præd. l. 20. §. vlt. D. de contrah. empt. & apud Cato. de re ruſt. c. 11. Tertull. lib. de Anima, Rotas aquilegas vocauit. Vitruuius lib. 10. c. 9. Quod rota extulerit, inquit, in caſtellum infundi. Iſido. lib. vlt. c. 15. dictam ait Rotam, quod quaſi ruat. Eſt enim machina, qua ex flumine aqua extrahitur. Lucretius lib. 15.

In fluuio uerſare rotas, atque hauſta uidemus.

vbi hauſta ſunt rotarum cadi ab hauriendo, quæ Græcè ἄντλια vocantur, vt & à Nonio notatur. Riuus verò ille quo per rotam educta aqua in hortum effunditur, ἀμάρα Græci vocantur, ἀπὸ τοῦ ἀμαρύσσειν, quod eſt deriuare, vel ἀπὸ τοῦ ἅμα ῥεῖν, & hac ratione aſpirari deberet.

ret.Vide Etymologicum.

Rota Poenalis. ſupplicium à Franciſco rege in graſſatores inſtitutum, vt fractis membris ſemianimes in altum elatis rotis ſupini imponantur, diuerſiſſimum eſt ab rota illa veterum, cui homines alligati crudeliter torquebantur ac diſtendebãtur. Nicephorus enim D. Panteelemonem rotam qua membra comminuuntur ſine damno pertuliſſe ſcribit lib.7.c.14. In epiſtola quadam Luciani ad Steſichorum ſic legitur: τινὲς δὲ ἄκρα περιεκόπησαν, καὶ τῷ τροχῷ ἐλυγίσθησαν. Sudas ſic ſcribit: τροχισθεῖσα, βασανισθεῖσα, ἀπὸ τοῦ τροχοῦ, ὅπερ ἐστὶν ὄργανον βασανιστικὸν, καὶ διατεῖνον τὰ σώματα. Et paulo poſt: ξύλινόν τι ἦν ὁ τροχὸς, ἐν ᾧ δεσμούμεναι αἱ οἰκέται, ἐκολάζοντο. Demoſthenes.3.in Aphob. θῶμεν γὰρ δεῖν τὸν Μιλύαν ἐπὶ τοῦ τροχοῦ στρεβλοῦσθαι. M. quoque Tullius libr.5. Tuſcul. rotam genus quoddam tormenti apud Græcos eſſe teſtatur. Apuleius lib.3. Nec mora cum ritu Græcienſi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur. Et libr. 10. Nec rota vel eculeus more Græcorum tormentis eius apparata iam deerant.

Rotundæ clauſulæ Fab. Quintil. lib. 7. quibus ſententiæ clauduntur, cum ſequentibus non hærentes. vide Budæum.

Rubeus, & rufus generalia ſunt nomina, ad omnia, quæ quomodolibet rubent: vide Gellium lib.2.

Rubor, pro pudore, qui plerunque mali eſt. hoc verbo vtitur I.C. in l.3.§.fi.D.de vſur.

Rubrianum Senatuſconſultum, Vide Senatuſconſultum Rubrianum.

Rubrica, terra rubra, de qua vide Dioſcoridem libr. 5.c.71.& Matt. commentarium. Hac veteres interdum, interdum etiam minio, librorum indices, id eſt titulos notabant: quo factum etiam eſt vt & pro titulis ipſis capiãtur. Vnde Paulus in l.2.§.recup. D. de interd. Recuperandæ, inquit, poſſeſſionis cauſſa interdicta proponuntur ſub rubrica Vnde vi. Hinc illud Iuuenalis Satyr.14 —*perlege rubras Maiorum leges.* Et illud Perſij Satyra.5.

Excepto ſi quid Maſuri rubrica uetauit.

Hinc Fab. libr.12.c.3. Alij ſe ad album & rubricas tranſtulerunt, & formularij, vel leguleij eſſe maluerunt. Ouid. lib.j. Triſt.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Turneb. Aduerſ. lib.4.c.5. Rubricas ſcribit veteres tantum poſuiſſe in publico legitimóque iure, vt maieſtas legibus accreſceret, capitibus earum ſinopide inſignitis, & ſanguineum quiddam & cruentum fortaſſe etiã minantibus, nec ad Prætoris album pertinuiſſe; tum etiam Iuriſconſultorum libros rubrica notari non ſolitos. Hæc (vt ingenue fatear) parum mihi cum ſuperiorum auctorum auctoritate conuenire videntur: nec probabile eſt aliis omnibus eum librorum ornatum, ſolis iuriſconſ. exceptis, conceſſum fuiſſe. Notat idem Turnebus, Democritum grauiſſimũ phyſicum, ea quæ expertus erat conſignaſſe rubra cera anulo impreſſa, & poſtea commentariis commiſiſſe. Vitruuius: Admiror etiam Democriti de rerum natura volumina, & eius commentarium, quod inſcribitur χειροτονητῶν, in quo etiam vtebatur anulo, ſignans cera ex milto quæ eſſet expertus. Aduertendum autem quod Rubricæ ſui natura ad ſubſequentem textum referendæ ſunt, à quo vel reſtringuntur, vel declarãtur. l. aſſe. D. de hæredib. inſtituen. Si quidem de particulæ natura, materia ſubſequentis demonſtratiua eſt, l. idẽ Pompon. D. de arbitr. Cæterum ſi quæ rubricæ diſponere videntur, id non ex propria natura, ſed ex aliqua extrinſecus accidente ratione fit: veluti quoties contextus integer nõ extat: vt in pleriſque. C. tit. quibus ſubiecerat leges Græcas Iuſtinianus, quæ hodie beneficio τῶν βασιλικῶν extant fere omnes. Cum enim veriſimile ſit, concordaſſe rubricam cum textu, probabiliter ex rubrica coniicimus quid in textu olim fuerit. Verùm rubrica, cuius extat textus, non minus atque ille allegari poteſt. vt Rubr. l.j. C. ne fideiuſſ. det. licet ex contextu potius agatur, quia ille principalior. Sin autem rubrica clarior, textum ſubſequentem ambiguum declarat. Sicut enim vna pars legis aliam declarat. l. ſed & poſteriores. D. de leg. & ex præcedentibus ſubſequentia explicantur. l. ſi ſeruus plurium. §. fi. de leg. j. ita ex tit. lex ipſa interpretationem poteſt capere: attamẽ quam Rubrica ſpecialis, generalitas textus potior habenda eſt: quod voluit probata Gloſſ. Auth. de inceſt. nupt. in verbo, Illicitas.

Rude ædificium, in l.j. ſub e. D. de impenſis in rebus dot. fac. iuxta vulgata exemplaria. In Pand. Florẽt. legitur Ædificium ruens. ſanè clariore ſenſu.

Rudes parietes. l. 44. D. de vſufruct. nullo dum tectorio opere inducti. Rudis materia, non facta, neque in opera coniecta. l.19. §. infecti. D. de aur. & arg. Rudes lapilli vel gemmæ. l. 25. §. fin. D. eod. tit. nondum ornati, aptati.

Rudis maſſa, impolita. §. ſi quis ex. de rer. diuiſ. Inſtit.

Rudus eris, quod & raudus, proprie rem aſperam & imperfectam ſignificat. Dicitur autem nouum, & vetus Rudus, ſed diuerſo ſignificatu. Nouum rudus, materia pauimenti eſt: vti ſaxa de nouo contuſa, ſeu teſtæ confractæ cum calce, ad pauimentum faciendum. vide Vitruuium lib.7. Vetus rudus lapides rudes, vt in dirutis ædificiis. Sicque vſurpauit Vlpian. in l.3. de ſeruit. præd. ruſt. Poſſe te cedere ius ei eſſe terram, rudus, ſaxa iacere, poſita habere.

Rudusculum non modo pro ære infecto vulgus vſurpat, ſed etiam pro ſignato, vt cùm dicitur in mancipando: Ruduſculo libram ferito, id eſt aſſe tangito libram. Feſtus.

Ruderare exponit Budæus referente Tur. Aduerſ. lib.2.c.3. ſtatumini ſuperinducere cum calce & arena, aut rudere nouo & rediuiuo, id eſt ex vetere ædificio ſumpto, non nuper effoſo, quod conſtat è cemento. Vitruuius lib.7. Tunc inſuper ſtatuminetur non minore ſaxo, quàm quod poſſit manum implere: ſtatuminibus inductis ruderetur. & mox: Inſuper ex teſta nucleus inducatur. Statumina autem vocat lapides & cementa libralia & manallia, ſine calce & arena.

Ruderatus ager, qui veterum ædificiorum materia ſcatet.

Rufuli appellati ſunt tribuni militum, non à populo, ſed à Conſule facti: quòd de eorum iure Rutilius Rufus legem tulerit. Hi poſtea mutatione vnius literæ, Rutuli ſunt appellati.

Ruere, quod ad ſtipulationem damni infecti attinet, in qua hæc verba, Si quid ibi Ruet, poni ſolebant. l. 18. D. rem rat. hab. non videtur quod aut vento, aut omnino aliqua vi extrinſecus admota cadat, ſed quod ipſum per ſe concidit. l.43. D. de dam. inf.

Ruina, caſu fortuito contingens ædificiorum lapſus. l. 30. D. ad leg. Falcid. l.j. §. is quoque. D. de oblig. & actio. l.j. §.j. D. depoſ.

Rumor Specul. tit. de notorio crimine, eſt particularis aſſertio, vel inſinuatio ex ſola ſuſpicione, & incerto auctore proueniens. c. ſuper. de eo, qui cogno. cõſang. vxo. vide text. l.25. §. 2. verſi. plane. D. de acq. hære. Rumor pro exiſtimatione, & pro fama.

Rumpi teſtamentum dicitur, cùm permanente ſuo in ſtatu teſtatore caſu aliquo euertitur, vel ipſius ius vitiatur. l.3. §.2. D. de iniuſt. rupt. & Inſtit. in prin. tit. quib. mod. teſt. veluti agnatione poſthumi, adoptione vel arrogatione filij filiæve, alterius teſtamenti factione, dummodo hæres ex eo eſſe potuerit. Iſidorus libr.5. Etym. c.24. Ruptum teſtamentũ inde dictum ait, quod

naſcente poſthumo, neque exhæredato nominatim, neque inſtituto rumpitur.

Rvpisse verbum in Aquilia lege ferè omnes veteres ſic intellexerunt, pro corrupiſſe.l. 27.§. 9.D. ad leg. Aquil.Ruptum tamen ait Imp.intelligitur, quod quoquo modo corruptum eſt.§.8. ad l. Aquil. Et ideo qui veſtimenta ſciderit,& qui inquinauerit,& qui nauem perforauerit,& qui vulnerauerit, & qui virgis, loris, pugnis ceciderit, vel telo, aut quo alio ſciderit corpus, rupiſſe intelligitur.d.l.27.

Rvpitias in xii. Tab.Feſto lib.16.ſignificat damnum dederis:quod à rumpo videtur deduci.

Rvrsvs, denuo de bina vice intelligendum eſt.l.j. §.ſi cui.D.vt leg.no.cau.Bart. l. fideicommiſſ. §.ſi quis decem.de leg.3.

Rurſus, pro contra interdum vſurpari Seruius notat in illud lib.3.Georg.Virg.

Rurſus cura patrum cadere, & ſuccedere matrum
Incipit.

Sic accipitur in l.11.§.ſi filio. D. ad leg. Falc. §.rurſus. Inſtit.de actionibus.vbi rurſus ex diuerſo bis τῷ αὐτῷ Iuſtinianus dixit. Sic & apud M.Fabium lib.4.c.vlt. & alias ſæpe hæc vox accipienda eſt.

Rvs, omnis locus extra vrbẽ vbi ſunt agri & villæ, rubr. C.ſi cur. relict. ciuit. rus ha. Rura veteres incultos agros dicebant, id eſt ſiluas & paſcua, ex lib.de limit. var.auct.nec dicuntur, vt vult Varro lib. 4. Ling.quod rurſus ex iis percipiantur fructus, ſed à Græco ἄγρα, prima litera abiecta, vt ἀμέλγω, mulgeo.

Rvstica mancipia ab vrbanis non loco ſed genere vſus cognoſcuntur.l.vrbana.j.de verb.ſign.l.ſeruis vrbanis.& l.cum quæreretur.de legat.3.l. quemadmodũ. D.de ſupellectile leg.l.ſi prædium. C. de præd. minor. Sic etiam Vrbana prædia à ruſticis non loco, ſed qualitate, vſu materiáque diſcernũtur.l.vrbana.2.de verb. ſign.Neratius tamen ea loco diſtinguit.l.2.de ſer.ruſt. præd.l.eo iure.D.in quib.cauſ.pign.

Rvstici nuncupantur generaliter omnes, qui ſine nobilitatis iure agriculturam exercent, ſiue ſint ſui iuris, ſiue alieni.Sed vnde eſt (dices) quòd ruſticum nomen ad iniuriam ſæpe proferamus? Vt apud Virgiliũ Ecl.2.

Ruſticus es Corydon.

Reſpondeo:cum vita cultior à rudi in vniuerſum eſſet aliquo hominum exemplo declaranda, altera nuncupata eſt vrbana, quoniam ex doctorum virorum conuerſatione, mores & lingua ſolet in vrbe formari: altera verò ruſtica, quandoquidem ruri nulla eſt educationis, nulla loquendi peritia.Inde dicimus vrbanitatem, quæ opponitur ruſticitati: & ruſticè loqui eum, qui barbarè loquitur, aut incultè. Cæterùm per hoc nihil detrahitur dignitati agriculturæ, quam nobiliſſimi Romani exercuerunt, & noſtri quoque nobiles exercent per alios, honeſtiſſimo lucro.

Rvsticitas, eſt ſimplicitas animi ſine fraude & dolo: vt in l.2.D.ſi quis in ius vocat.non ierit.

Rvta cæsa, ſine copula à veteribus pronunciabantur, ſicut & alia multa.l.5.§.idem Iul. D. ad exhib. & l. 38.§.vlt.D.de act.empti.Ea autẽ dicuntur quæ vẽditor poſſeſſionis, ſui vſus gratia, cõcidit, ruendáque extraxit.Et ruta quidem quæ eruta ſunt, vt arena, creta, & ſimilia; cæſa, ea quæ cæſa, vt arbores cæſas, & carbones, & his ſimilia, eſſe vult Vlp.l.17.§.ſi ruta.de act. empt. Granaria item quæ ex tabulis fieri ſolent, ſi eorum ſtipites ſupra terram ſunt, vt & tegulas quæ nõdum ædificiis impoſitæ ſunt, rutis & cæſis cedere, dicit Iauolenus.l.18.eod.Q.Mutius Ruta cæſa definit, quæ neque ædium, neque fundi ſunt:& in rutis cæſis ea demũ ſtatuebat, quæ terra non tenerentur, quæque opere ſtructili, tectorióve non cõtinerentur.l.66.in fi.D.de contra.empt.l.241.de verb.ſign.Cic.2.de Orat, Te, cũ ædes venderes, ne in rutis quidem & cæſis ſolium tibi paternum recepiſſe.Ea ſolita fuiſſe in venditionibus excipi idem in Top.ſcribit.His opponuntur fixa iunctáque.d.l.38.ſecundum vulgarem ſcripturam, quam Florentinæ præfert Iac.Cuiac.vel infixa inædificatáque.l. cum fundus.D.de inſtr.vel inſtr.leg.quibus Liuius lib. 39.adiicit immolita: quo nomine quæque citra ædificij formam molita, ſignificantur: vt in legibus limitum: Nequis eos limites decumanos ne obſepeto, neve quid eis immolitum, néve quid ibi poſitum habeto.

Rvtabvlvm eſt quo ruſtici in proruendo igne panis coquendi gratia vtuntur, Feſto lib.16. Galli *palam* vocant.

Rvtrvm, eodem auctore ibidem, quo arena eruitur. A ruendo quidam deduci volunt, Nonius à radendo. Lucilius: *Frumentarius eſt, modium hic ſecum atque rutellam una adfert.* proinde quaſi inſtrumentum ſit hoſtorium, ad æquandam menſuram & radendam: cum tamen ſignificare poſſit inſtrumentum, quo fruges corruuntur in modium, id eſt coniiciuntur.

Rvtilans ſanguine, rubeſcẽs.l.milites. C.de teſt.milit.

S

S. F. s. Sine fraude ſua, vt in l.Iulia de adulteriis:Retinere adulterũ horas viginti ſine fraude ſua iure liceat, vt ait Vlp. in l.c.25.D. de adul. Valerius Probus inter notas refert.

Σάβανα, Sabana, vox in Baſilicis vſitata, lintea ſignificat, quibus in balneis loti ſiccarentur. Marcellus ex magiſter officiorum libro de mendicamentis:Caput laues, & craſſa ſabano diligenter ſiccabis, ſpongiis demerſis, & linteo vel ſabano intorto vtrinque expreſſis.Radices betæ lauabis, & expreſſas ſabano ſiccabis.

Sabbatum, Σάββατον Hebræis quietem ſignificat. Grego. Nazianzenus, εἰς τὴν κυρίαν κυριακὴν ἡ πρώτη κτίσις τὴν ἀρχὴν ἀπὸ κυριακῆς λαμβάνει· δῆλον δέ. ἀπὸ γὰρ ταύτης ἑβδόμης τὸ σάββατον γίνεται, κατάπαυσις οὖσα τῶν ἔργων. Sabbatum ab hebdomade ſedis Dei dictum ait Tertullianus lib. aduerſus Valentinianos. Sabbatum diem commemorant Impp.l.12.C.de Iudæis.

Sabiniani, vide Caſſiani.

Saccvm, & ſacculum pro marſupio, loculis, crumena, repoſitorio, & reconditorio nummorum dicunt Iuriſcoſſ.l.105.D.de ſolut.Vide, Cum ſacco adire.Horatius lib.2.Serm.Satyr.3.

Effundi ſaccos nummorum. Catullus:
—nam tui Catulli
Plenus ſacculus eſt aranearum. Martialis:
—neſcit ſacculus iſta meus.

Saccarivs, baiulus qui ſacco defert, transfértque merces, aut quid aliud, vel qui ſaccis geſtandis quæſtũ facit.Et Saccaria negotiatio, quæ circa ſaccos verſatur.Paulus:Non magis, ait, quam ſi quid ex ſacco ſaccarij excidiſſet, lege qui fundũ.§.venit autem. de contrahend.empt.

Saccones apud Ciceronem libr.7.ad Attic. epiſt.13.à ſaccis pecuniæ vocabulum deductum: vt enim à bucca bucco, à pera pero, à Druſis Druſo, ſic à ſaccis ſacco ducitur.Ænigma Oppiorum, inquit Cicero, ex Velia plane non intellexi.eſt enim numero Platonis obſcurius.iam intellexi tuum ænigma.Oppios enim de Velia Saccones dici.Fortaſſe autem Oppiis pecuniã debebat, qui Veliam vrbis locum incolebant.

Sacclarii, in l.ſacculárij.D.de extr.crim.definiuntur qui vetitas in ſacculos artes exercẽtes partem ſubducunt,

ducunt,partem ſubtrahunt.Id eſt qui magica arte credebantur ſacculos, in quibus homines pecuniam gerunt, incantare & ſubducere. Veteres enim magnam vim eſſe magiæ putabant, vt & eius vi meſſes alio traduci poſſe cenſerent, excãtatis ſegetibus. Dixit autem ſubducunt vel ſubtrahunt, quia incertum eſt arte hoc fiat an manu.Subducimus enim arte, vt ſi carminibus, vel qua alia ratione:ſubtrahimus manu.Eiuſmodi preſtigias deſcribit Syneſius in epiſt. Euthalij cuiuſdam, quem & βαλλαντα vocat, id eſt ſaccularium, qui cum in mulcta ſoluenda vnum ſacculum oſtentaſſet, in quo erant aurei nummi, & huic ſimillimum alium occultaret,in quo erant æreî, numerata & appenſa pecunia aurea, & ſuo reddita ſacculo, mox clam alterum pro altero ſuppoſuit & tradidit. Iidem etiã Saccellarij dicuntur,vt ſupra ex Suda: & ſaccellus βαλάντιον Gloſſis. Marcellus De medicamẽtis: In ſaccello lineo ad frontem ſuſpendes. Saccularius autem eadem forma dicitur qua Manticularius, apud Tertullianum in Apologet.cap.43.

Sacra priuata gentis cuiuſque fuiſſe quæ Diis penatibus paterfamilias faceret, conſtat ex Ciceronis lib.de legib.2. Emancipati autem liberi arbitratu ſuo ſacra ſibi conſtituebant.Hinc filiifamilias in ſacris paternis eſſe dicuntur,l.2.C.de bon.quæ lib. In ſacris manere,l. filiæ.12.C.de collat.l.pen. C.de adopt. In ſacris parentum conſtituti,l.vlti.C.de inoffic.teſta.l.vlt.C.ad Tertyll.l.vlti.C.de cur.fur. In ſacris poſiti, l.in coniunctione,20.Cod.de nupt. In ſacris retineri.l.3.C.de bo.mater.Hinc adoptati qui in alterius gentem tranſibant,in eius gentis ſacra tranſire dicebantur: vt apud Val.Max.lib.7.c.7. Et qui per emancipationem de familia demigrabant,à ſacris paternis dimitti, & abſolui, l.quidam.31. C.de fideic. l.j. C.de annal.except.l.de emancipatis.13.Cod.de legitimis hæredibus.

Sacra loca ea ſunt,quæ publicè ſunt dedicata, ſiue in ciuitate ſint,ſiue in agro,l.9.de rer.diuiſ.

Sacræ res ſunt,quæ publicè conſecratæ ſunt,non priuatè. ſi quis ergo priuatim ſibi ſacrum conſtituerit, ſacrum non eſt,ſed profanum,l.6.§.2.D.de diuiſ.rerum.

Sacræ item res ſunt, quæ ritè per Pontifices Deo conſecratæ ſunt, veluti ædes ſacræ, & donaria quæ ritè ad miniſterium Dei dedicata ſunt: ait Imp.§.6., De rer. diuiſ. Sic Trebatius: Sacrum eſt, inquit, quicquid eſt quod deorum habetur, apud Macrob. Saturn. lib.3. cap.3.Et Gallus Ælius apud Feſtum:Sacrum eſt, inquit, quodcunque modo & inſtituto ciuitatis conſecratum ſit,ſiue ædes,ſiue ara, ſiue ſignum, ſiue locus, ſiue pecunia, ſiue quid aliud quod diis dedicatum & conſecratum ſit. Sacrum autem à Sancto quid differat. vide Sanctum.

Sacra certamina ſunt,que diis dedicata ſunt, l.4. D.de his qui notan.infa.qualia erant Iouis Capitolini, Apollinares ludi,& magnæ Deum matris. Quintili.lib.3.cap. 7.An laudes Capitolini Iouis perpetuæ ſacri certaminis materia,vel dubiæ ſunt,vel in oratorio genere tractantur. Inde Firmic.lib.3.Matheſ.cap.12. Sacris quoq; faciet certaminibus propoſitos. Idem lib.6.c.31. Athletam faciet ipſa genitura,& qui in ſacris certaminibus victor glorioſa & digna reportet præmia coronarum. Sic etiam ſacras coronas,in l.40.D.de re iudic.accipio, quæ in ſacris certaminibus partæ ſunt.

Sacras etiam Impp.res ad ſe pertinentes vocant. Sic ſacras domos, ſacras largitiones, ſacra ſcrinia, ſacrum ſtabulum,ſacram monetam,ſacrum comitatum,in cõſtitutionibus accipimus. Sic & principales conſtitutiones ſacræ dicuntur,l.5.§.ſi tutor. D.de admi.tuto.l.5. D.de manumiſſionibus, l.27. D.de re iudicata,l.43. D. de actio.empt.l.18.in princip.& §.j.D.de iure fiſc.l.prima,§.item. D.quæ ſentent. ſine appella.reſc. l.quarta, & l.ſexta. D.de appella.recip.

Sacri affatus,l.ſacri. Cod.de diuer.reſcript.id eſt principis reſcriptum.Eodem ſenſu, Sacrum oraculum,ſacra adnotatio,ſacræ literæ, ſacri vultus paſſim in Conſtitutionibus Impp.legimus: ſimiliter & ſacra forma.

Sacer cognitor,in l.3.C.vbi Senatorum,l.5. C.quo.appella.non recip. cui audientiam cauſſæ vice ſua princeps mandauit. Qui & ſacri auditorij cognitor, in C.Theodoſ.vocatur. Et iudex ſacrarum cognitionum in quadam inſcriptione Italica, ex qua alia Romana inſcriptio ex Thermis Conſtantini deſcripta emendanda eſt,in qua iudex ſacrarum conſtitutionum, pro cognitionum legitur.

Sacra via in l.2.D.de orig.iur. dicta eſt quòd in ea fœdus ictum ſit.reliqua vide apud Feſtum lib.17.

Sacramentvm dicitur ea pecunia quæ in iudicium venit,in litibus: à ſacro. Qui petebat & qui inficiabatur de aliis rebus, vterque quingentos æris ad Pontificem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero aſſium. Qui iudicio vicerat,ſuum ſacramentum à ſacro auferebat: victi ad ærarium redibat. Varro lib.De lingua 4. Sacramentum, inquit Feſtus, æs ſignificat, quod pœnæ nomine penditur, ſiue contendit.Id in aliis quinquaginta aſſium eſt,in aliis quingentorum, inter eos qui iudicio inter ſe contenderent. qua de re lege L.Papyrij Tribuni pl.ſancitum eſt his verbis:Quicunque Prætor poſthac factus erit, qui inter ciues ius dicet, Treſuiros capitales populum rogato: iique Treſuiri * quicunque * ciere ſacramenta * exigunto, iudicantóque: eodémque iure ſunto, vt quos ex legibus, plebiſve ſcitis exigere, iudicaréve oporteret.Sacramenti autem nomine id æs dici cœptum eſt,quod & propter ærarij rationem, & ſacrorum publicorum multitudinem conſumebatur in rebus diuinis. Sic enim optimi ſcriptoris diuulſos inter ſe locos reconciliare conatur Hotoma. Pedianus autem Verrin.3. Comperendinatio, inquit, eſt ab vtriſque litigatoribus inuicem ſibi denũtiatio in perendinum diem. namque cùm in rem aliquam agerent litigatores, & pœna ſe ſacramenti peterent, poſcebant iudicem.&c. Quibus ex Varronis, Pompeij, & Aſconij locis quantum inter Sacramentum & Sponſionem interſit, ita demonſtrari poſſe idem Hotoma.arbitratur: vt ſacramentum ſit certa & legitima pecuniæ ſumma, quæ ab actore & reo deponebatur in ſacro, vt qui victus & damnatus eſſet, is pecunia ſua mulctaretur: qui viciſſet ſuam recuperaret. Sponſio autem dicebatur, mutua litigatorum promiſſio, cùm alter ab altero certam ſummam ſtipulabatur, ni bonam cauſſam haberet. In hac igitur ſtipulatio adhibebatur, & alter alterius fidem ſequebatur: neuter deponebat: in illo neuter alterius fidem ſequebatur, neuter ſtipulabatur, ſed vterque deponebat. In hac, victor actionem ex ſponſo habebat, id eſt certi cõdictionem, vt ſibi eam pecuniam exigere & habere liceret: in illo, victi pecunia ſacro committebatur, & in res diuinas cõſumebatur. Iſidorus autem libr. Etymol.5. Sacramentum, inquit, eſt pignus ſponſionis: quia violare quod quiſque promiſit, perfidiæ eſt. Quod quàm ineptum ſit, id eſt planè Iſidoricum, nemo non videt. nam Sacramentum pignus quidem eſt, at non ſponſionis: verum bonæ fidei litigatoris. In ſponſione nanque pignus non datur. Sacramentum autem in rerum capitalium iudiciis vſurpari ſolitum putare, planè abſurdum eſt: idque ſuperior ille Pediani locus attentè conſideratus, ſatis oſtendet. Hinc verò explicari poterit quod ait Tullius pro Roſcio Com. legitimæ partis ſponſionem factam. Nam ſacramenti quantitas lege definita erat. Huc pertinet elegans Ciceronis Epiſt.ad Volumnium iocus, in qua ita eſt: Pugna, ſi me amas, niſi ridiculum

παρὰ προσδοκίαν, niſi cætera quæ ſunt à me in ſecũdo de oratore per Antonij perſonam diſputata de ridiculis, ἔντεχνα & arguta apparebunt, vt ſacramento contendas mea non eſſe. Adde & illas ex Valerij Probi libello notas, S.N.S.Q. quæ hæc ſignificabant, Si negat, ſacramentum quærito. Item has, Q.N.T.S.Q.P. id eſt, Quando negat, te ſacramento quinquagenario prouoco. Quæ fuiſſe ſolemnia ſponſionis ſacramenti verba veriſimile eſt.

SACRAMENTVM etiam dicitur, militare iuſiurandũ, in quod milites qui nomina dabant adigebãtur: Græci ὅρκον ϛρατιωτικὸν appellant. huius autem ſacramenti fit mentio in l.8. C. de legat. l.3. C. Theodoſ. de immunit. conceſ. Quo qui liberabantur, ſacramento ſolui dicebantur, l.2. §. miles, D. de his qui not. infam. l.14. D. de his qui vt indig. l. vlt. D. de re milit.

SACRAMENTALES, à ſacramento, id eſt, iuramento, dicebantur ij, qui quamuis rei de qua ambigebatur, teſtes non fuiſſent, tamen ex eius cuius res agebatur, animi ſententia, in eadem quæ ille verba iurabant: ipſius videlicet probitate & innocentia confiſi. Nam tum demum adhibebantur, cùm teſtes nulli extarent. li. Feud. 1. tit. 4. §. 3. & tit. 10. & titulo 26. Vaſſallus autem in ſacramentalium ſuorum numero minimum ſex cognatos adhibebat: dominus partim cognatis, partim vaſſallis, partim extraneis vti poterat. libro Feudorum 2. titulo 33. Plura cognoſce ex legibus Langobardorum titulo 41. De VVadiis de ſacramento fugientibus. Sic apud Gregorium Turonenſ. Apud Pariſios pater quidam pro filię pudicitia iurat. Tandem, inquit, ne crimen conſurgat vlterius, innocentem eam faciam ſacramento: eleuatiſque manibus ſuper altari, iurauit filiam non eſſe culpabilem. Forma autem huius Iuriſiurandi ſic exponitur in legib. Alemann. titu. 6. De Iuratoribus. Iſta verò ſacramenta ſic debent fieri, vt illi coniuratores manus ſuas ſupra capſam ponant, & ille ſolus cui cauſſa requiritur, verba tantùm dicat, & ſuper omnium manus manum ſuam ponat, vt ſic eum Deus adiuuet, vel illæ reliquiæ, & illas manus quas compræhenſas habet, vt de illa cauſſa vnde interpellatus eſt, culpabilis non ſit. In Lombardia autem plerunque Iuratores vocantur, vt libro primo titulo 10. l. ſi quis ex leui. Si huius facti teſtes non habuerit, cum duodecim Iuratoribus per ſacramentum affirmet, &c. Et in l. de homicidiis; Si huius facti teſtes non habuerit, cum 12. Iuratoribus legitimis per ſacramentum affirmet, &c. Video etiam hoc nomen apud Senecam, initio ludi Claudiani. Si libuerit reſpondere, dicam quod mihi in buccam venerit. quis vnquam ab hiſtorico iuratores exegit? Vbi Iuratores pro teſtibus poni vult Hotom. alij veritatem legunt, propter illud Ciceronis de Leg. 1. Faciunt imperitè, qui in iſto periculo non vt à poëta, ſed vt à teſte, veritatem exigant. Quo ipſo loco vocem DELECTATIONEM abeſſe exiſtimat: hoc modo Non vt à poëta delectationem, ſed vt à teſte veritatem exigant. Nam ſtatim ita ſequitur: Quippe cùm illa ad veritatem referantur, in hoc ad delectationem pleraque.

SACRAMENTVM alio ſenſu eſt ſacræ rei ſignum. vide 1. q. 1. c. multi. & extr. de ſacra. non iter.

SACRARIVM & ſacer locus differunt. nam ſacer locus, eſt locus conſecratus: ſacrarium eſt locus in quo ſacra reponuntur: quod etiam in ædificio priuato eſſe poteſt, l.9. D. de diuiſi. rerum. Sacrarium quoque appellatur illa pars, in qua ſunt clerici ad celebrandum propter ſacramenta, quæ ibi conficiuntur, & quia in altari maiori, cùm ſoleat eſſe ſacrarium, includuntur reliquiæ, extra, de conſec. Eccleſ. vel alta. Eſt & Sacrarium Principis in l. vlt. §. legat. D. de mun. & honor. l.8. de legat. & decret. legat. C. Th.

SACRATÆ leges ſunt, quibus ſancitum erat, vt ſi quis aduerſus eas feciſſet, ſacer alicui deorum eſſet. Sunt qui eſſe dicant ſacratas, quas plebes iurata in monte ſacro ſciuerit. Feſtus. Alio ſenſu leges ſacratiſſimæ dicuntur, l. leges. 9. C. de legib. & conſtit. Leges ſacratiſſimæ, inquiunt Impp. quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent. Sacratiſſimæ autem, id eſt, ab Imperatoribus latæ: eadem forma qua ſacræ domús, ſacræ largitiones, &c.

SACRILEGI ſunt, qui publica ſacra compilauerunt, l. 6. & l.9. D. ad l. Iul. pecul. Seruius in 9. Ecloga Virgil. Sublegere ait furari eſt: vnde & ſacrilegus dicitur, qui ſacra legit, id eſt, furatur.

SACRILEGIVM Impp. appellant etiam ſuarum conſtitutionum violatarum crimen, l. vnic. C. de crimi. ſacril. l.6. de appellatio. in C. Theodoſ. Sacrilegiíque crimen irrogant his, qui præcepta ſua neglexerint, vel ſcita violarint, l. j. C. vt digni. ordo ſeruet. lib. 12. l. 13. C. de erogatio. milit. anno. lib. 12. & apud Caſſiodor. in libris Variar. aliquoties.

SACRISTA, ſiue Theſaurarius, is eſt ad cuius curam pertinet cuſtodia ſacrorum vaſorum, veſtimentorum Eccleſiaſticorum, ſeu totius theſauri Eccleſiaſtici, necnon quæ ad luminaria pertinent, ſiue in cera, ſiue in oleo, cap. vn. extra, de offic Sacriſtæ, & c. perlectis. §. ad theſaurarium. 25. diſtinct.

SACROSANCTVM Feſto lib. 18. dicitur, quod, iureiurando interpoſito, eſt inſtitutum: vt ſi quis id violaſſet, morte pœnas penderet. Sic M. Cato ait Ædiles Sacroſanctos eſſe. Sic Sacroſancta eccleſia, C. de Sacroſan. eccleſ. Vide Sanctum.

Sacroſanctum etiam ſignificat id, quod ſine inexpiabili ſcelere violare nemini prorſus licet. Atqae hoc ſenſu muri ciuitatis ſacroſancti dicuntur, vt qui eos violaret, morte pœnas penderet, in l. fin. D. de diuiſio. rer. Si quis, inquit, violauerit muros, capite punitur.

SACERDOS, dignitatis, & honoris nomen, Panor. in c. ſi ſacerdos. de offic. ordina. Sacerdotes curatores ſacrorum, quos maieſtati Dei, & ſacris vacare Paulus oportere dicit in l. non diſtinguemus. §. ſacerdotio. D. de recep.

Sacerdotum autem duo genera erant apud Romanos: alterum, quod ad placandos deos conſtituebatur, vt ſacris præeſſet ſolemnibus: alterum, quod prędicta vatum ſeu reſponſa, in quibus arcanum aliquid ſemper putabant latere, interpretabatur iis, quorum ſcire intererat. Sic autem dij, vel reuera dæmones, ſtupidis Gentibus multifariam imponebant. Quandoquidem ipſe Satanas (inquit Paulus 2. Cor. 11.) transfiguratur in Angelum lucis.

SACERDOTIVM, in l.37. §. ſacerdotio. D. de pactis. ſacerdotium etiam in prouinciis & municipiis, l. j. D. ad l. Iul. de ambitu, l.17. D. de mune. & honor. l.8. D. de vacatio. muner. l.8. D. de excuſ. tut. l. j. C. de natur. lib. l. vn. de pericu. ſucceſ. lib. 10. C. Quod patrimonij munus eſſe ait l.8. de muneribus patrimo. lib. 10. C. Iul. Fir. lib. 4. Matheſ. cap. 15. Faciet quoque nobili poteſtate pro climatis genituræ menſura gymnaſiarchas, prouinciarum ſacerdotes. Verſabatur etiam ſacerdotiorum munus in apparatu, editione & exhibitione ludorum, vt oſtendit l. vlt. de expenſ. ludor. in C. Theod. Inde ſacerdotiorum editiones, iu l. j. de ſpectacul. in. C. Theod.

SÆVIRE, crudeliter in aliquem agere, §. ſed hoc tempore. Inſtit. de iis, qui ſunt ſui, vel al. iu.

SÆVITIA pro inconceſſa caſtigatione, Paul. ad legem Aquil. Præceptoris enim nimia ſæuitia culpæ adſignatur. Quia leuis duntaxat caſtigatio conceſſa eſt docenti, vt tradit Vlpian.

SAGA, in l.12. C. de curſu public. inſtrata equorum. Interpretes βασιλικῶν τὰ παλαιὰ verterunt illo loco. vide

Baiſium in libell.de re veſtiaria.

SAGARIVS, ſagorum venditor. Hinc, Sagaria negociatio:ſicut à linteo,lintearia. Vlpian.de tribut.actio. l. Procuratoris. Duas,inquit, negociationes exercebat puer,ſagariam, & lintteariam. Idem l.cum duobus.§. quidam.pro ſocio. Quidam ſagariam negociationem coierunt.

SAGMINA, inquit Marcian.in l.ſanctum. de diuiſ.rer. ſunt quædam herbæ,quas legati pop.Rom. ferre ſolebant,ne quis eos violaret:ſicut legati Græcorum ferũt ea,quæ vocantur κηρυκεῖα.Latinè Caducei dicuntur.De Sagminibus ſic Plinius lib.22.ca.2. Si quidem auctores imperij Rom.conditoréſque immenſum quiddã,&c. hinc ſumpſere: quoniam non aliunde ſagmina in remediis publicis fuere, & in ſacris legationibúſq; verbenæ.Certè vtroque nomine idem ſignificatur, hoc eſt gramen ex arce cum ſua terra euulſum: ac ſemper & legati cum ad hoſtes,clarigatúmque mitterentur,id eſt res raptas clarè repetitũ, vnus vtique Verbenarius vocatur. Feſtus item,Sagmina ait eſſe Verbenas, id eſt herbas puras quia ex loco ſancto arcebantur à Conſule Prætoréve, legatis proficiſcentibus ad fœdus faciendum. Horum vide exemplum apud Liuium lib.j. Itaque perperam faciunt qui apud Modeſt.l.vlti. D.de leg.Pomp. de paricid.ſanguineis virgis cædi paricidas legunt. nunquam enim commiſiſſent Romani vt herbam ſacram impio paricidarum corpore contaminarent, idque nefas non leui piaculo expiandum cenſuiſſent.

SAGITTÆ à ſagaci,id eſt,veloci ictu,l.2. C.quæ res expor.non debent.& vide in Nouel.de armis.Papias dictam ait ſagaciter acutam, apud Albericum. Hinc,

SAGITTARIVS toto tit.extra de ſagittariis. Sagittarum appellatione an veniat baliſta, ponit Bartol.l.qui penum. D.de penu.leg.

SALAMANDRA in l.3.§.alio. D.ad l.Corn.de ſicar. Id autem eſſe animal lacerti figura ſtellatum ac varium Dioſcorides libro 2.& Plinius libro 10.ca.67.ſcribunt, cui ſcilicet tãtus rigor inſit, vt ignem tactu ſuo extinguat. Hinc & nata eſt vulgi deprauata opinio, exiſtimantis igne eam veſci, nec vnquam eo abſumi: nam etſi præ frigiditate aliquo tempore in igne illæſa ſubſiſtere poſſit,tamen in ardentem fornacẽ iniecta, non dubium quin ab eo tandem conſumi debeat: quod & Galen.lib.3.de temperament.ſcripſit. Cæterùm inter venena numeratur. Nam hauſtũ eius ſequitur inflammatio linguæ, & cum torpore, reſolutionéque aliqua tremor,& ſermonis impedimentũ,& liuor totius corporis,vt Dioſco.lib.6.& Plin.lib.29.cap.2. tradunt.

SALIS vectigal apud Romanos fuiſſe conſtat. Salis meminit Liuius lib.2. Cùm, ait, altero poſt reges exactos anno ſalis vendendi arbitrium, quia impenſo pretio venibat in publicum, omni ſumptu adempto conceſſum priuatis bello Punico ſecundo vectigal nouum à cenſoribus Nerone & Salinatore inſtitutum ex ſalaria annona.Etenim cum ſextante ſal & Romæ & per totam Italiam eſſet, Romæ eos pretio eodem, pluris in foris & conciliabulis & alio alibi pretio præbendum locaſſe,ac pretio ſalis tribus oneraſſe.vt idẽ refert li.39.

SALARIVM annuam erogationem ſignificat, quæ alicui ſui tuendi exhibendique cauſa præſtatur, τὸ εἰς τροφὴν διδόμενον.l.vlt.D.de in rem ver.l.8.§.ſi in ſingulos. D.de tranſactio.l.vlt.in fin.D.de oblig.& actio.l.19.§. vlti.D.de annu.leg.Salarium verò Cornut.in Perſium victum vnius diei interpretatur. Plin. hoc vocabulum à ſale duci ſcribit,lib.31.cap.7.de ſale tractans:Honoribus etiam militiæq; interponitur, ſalariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, ſicut apparet ex nomine Salariæ viæ,quoniam illa ſal in Sabinos portari conſueuerat.

Salarium etiam annuas mercedes ſtipendiáque, quæ ob liberalem artem vel medicinam præſtantur,ſignificat, l.16.§.j.de aliment.lega.l.4.D.de decret.ab ordine, fac. l.51.§.item Papinianus. D.pro ſoc.l.7.l.56. §.ſalarium. D.manda.l.j.& l.18.Cod.eod.l.4.D.de offi.adſeſ.l.20. §. vlt.D.loc. Salarium quoque prædij Iuriſconſulti dicunt,in l.40.§.hæres.de lega.1.l.8.D.de vſufruct. Et ſalarium pro lapidibus cædendis,in l.14. in fi.D.commu. præd. Item tribunorum militarium & ducum Salaria,erant annonæ ipſorum. Proinde ἀλάριον Græci interpretãtur σιτηρέσιον. Et fortaſſis inde ductum eſt vocabulum,quod ſalaria percipientes,inde ſe alant. Vopiſcus in Aureliano, Nam illi Romam venienti ſalaria ſui ordinis ſunt decreta. & poſtea. Panes militares numero ſexdecim,panes militares caſtrenſes quadraginta, vini menſalis ſextarios quadraginta, &c. quæ ſequuntur. Equibus intelligitur annonam cuique deſtinatam & aſſignatam,Salarium dici. Idem in Probo, Item in ſalario diurno,bubulæ pondo, porcinæ pondo ſex,caprinæ pondo decem,& quæ ſequũtur. Latius tamen pſtuit hoc vocabulum, nec pro annona tãtum, verumetiam pro commodo & ſtipendio militũ vſurpatum eſt. Plinius,Nec pudet tribunorum militarium ſalariis emere. Itaque à Græcis explicatur, ςρατιωτικὸν ὀψώνιον,σιτηρέσιον, παροχὴ. & ςρατιωτικὸν φιλάνθρωπον,Veteribus gloſſis,quæ & Salialium dici oſtendunt.

SALARIARIVS,cui ſalarium ſoluitur, vel qui ſalario fruitur,Vlp.l.10.§.8.D.mãdati. Niſi ſi ſalariarius fuit,& hoc conuenit vt ſumptus de ſuo faceret ad hæc itinera, hoc eſt de ſalario. Eadem autem forma dictum eſt qua fideicommiſſarius,legatarius,depoſitarius.

SALGAMA appellantur herbæ,quæ conditæ ſale ad victum in vaſis adſeruantur, veluti enula,braſſica, beta, etiam nunc apud Turcas. Sed huius nominis obtentu exigebant etiam tranſeuntes milites, culcitras, ligna, oleum:quod tollitur lib.12.C. titul.de Salgamo hoſpit. non præſtando. Ne quis, inquit Imperat. Comitum, vel Tribunorum, ſalgami nomine,culcitram,lignum, oleum,à ſuis extorqueat hoſpitibus. Annotauit tamen Alciat.quòd & ſalgami appellatione,venit oleum,ſal, butyrum,& huiuſmodi eſculenta ad condiendum: atque etiam alia in dies neceſſaria,veluti ligna.

SALINÆ, locus vbi fit ſal,apud Gaium,l.j. quod cuiuſq. vniuerſ.in princi.Plin.auctor eſt,Ancum Martium regem ſalis modia ſex millia in congiario populo dediſſe, ſalináſque primùm inſtituiſſe.Earum autem vectigal,exploſis regibus ſublatum, iterum impoſuit cenſor M.Liuius,ob id ipſum Salinator appellatus. Athenæus autem refert lib.3.δειπνοσοφιςῶν, ca.1.à Lyſimacho iam olim in Troade vectigal ſalinarum conſtitutum, & natura tamen id quaſi refugiente, ſtatim exaruiſſe ſalinas,ac remiſſo vectigali rurſus prodiiſſe.

Salinæ publicæ fuerunt,& Principis propriæ,vt ferè omnes in Gallia,ex quibus ideo Princeps amplum ſibi vectigal parat, quòd ſuæ cuique regioni deputatæ ſint ſalinæ,nec liceat aliunde inuecto ſale vti. Locãtur autem publicanis ad certum tempus:& ita iam pleriſque in locis locari cœpere,vt certo pretio ſal à conductoribus emere ſinguli cogantur.quod ſi quis ex iure Romano confirmare velit,in promptu eſt l.inter publica. D.de verbo.ſignif.l.ſiquis ſine. C.de vectig.& comm. & l.liber homo.§.j.D.de hæred.inſtitu.& in libris feudorum inter regalia ſalinarum quoque reditus computantur,titul. Quæ ſint regaliæ. Admonebimus tamen,priuatis etiam Romano iure ſalinas poſſidere licuiſſe,l.forma.§.ſalinæ.D.de cẽſib.l.5.§.j.D.de reb.cor. qui ſub tut.l.generali.§.vxori.& §.ſeq.D.de vſufr.leg. Nec illud omittendum propriam hanc fuiſſe olim feminarum pœnam,vt in opus ſalinarum damnarentur, vt indicat l.aut damnũ.§.§.in miniſterium. D.de pœn. & l.

& l.mulier.6.D.de capt.& poſtlim.

Salinarum vectigal,in d.l.17.& l.j.D.quod cuiuſque vniuerſ.l.59.§.j.de hæred.inſtit.

Salinarum conductores,in l.11. C.de vectiga.& comm.

SALICA lege vxorem accipere dicitur, qui ea lege accipit,vt ei manè diei nuptiarum munus ſponſalitium afferat: quod munus Morgengeba vel Morganatica dicitur lib.Feud.2.tit.30.& de eo diximus ſuperius. Eſt autem lex Salica eorum Frãcorum propria, qui Franci Orientales dicti ſunt,à Sala flumine Salij denominati: de quo flumine & Saliis Francis, Strabo,lib.7.& Paul. Æmil.li.2. Eguinarthus in Carolo magno: Ac Salam fluuium qui Thuringos ac Sorabos diuidit, poſtea à à Francis,qui Orientales dicuntur,incolitur. Item alio loco.Franci duas habent leges,plurimis in locis valdè diuerſas. Significat autem eas quæ in volumine Barbaricarum legum vocantur Salica & Francica: quæ ipſa Francorum Occidentalium propria eſt. Tamen Hermannus Comes in libell.de Orig.Franc. Ripuariam,non Francicam nominat.Duas, inquit, Francos habuiſſe leges, ipſorum auctores teſtantur, Salicam, atque Ripuariam: quibus nullus Regum ante Carolum Magnum adiicere quicquam tentauit. Eſt autem Ripuaria regio,quæ Rheno, Moſela & Moſa, quaſi triangulari forma cõcluditur, & Neuſtria vel Auſtraſia vocatur.Guileſmus de Oangis (cuius libri nondum editi ſunt) ſub anno 420. Franci cœperunt legibus vti, & legem Salicam dictauerunt per quatuor gentis ſuæ Proceres electos de pluribus:qui, ſicut lex Salica declarat,iudicauerunt. Ex quibus intelligi poteſt, quàm verum ſit,quod nonnulli Claudij Seyſſellij auctoritate adducti diſputant,Salicam legem mendoſè dici pro Gallicam.Neq; enim illos adiuuat, quod Vitus Amerbachius in Capitulari Caroli ſcribit, Gallicam, pro Gallicanum in antiquo ſuo Codice ſcriptum fuiſſe: quod abſurdiſſimum eſſe verba legis perſpicuè demonſtrant:Vt cantum Romanum pleniter diſcant:ordinaliter per nocturnalia, vel graduale officium peragatur.ſecundum quod beatæ memoriæ genitor noſter Pipinus Rex decretauit,vt fieret, quando Gallicanum tulit: & ob vnanimitatem Apoſtolicæ ſedis & ſanctæ Dei Eccleſiæ pacificam concordiam. Quis enim non videt his verbis ſignificari,ante Pipinum Regem moris fuiſſe,vt in Gallicis Eccleſiis Gallica lingua hymni Deo canerentur, & officium(vt ipſe loquitur) perageretur: verùm vbi Pipinus Gallicanum Regnum Papæ beneficio adeptus eſt, tum Romano Pontifici de ſe optimè merito præter cætera hanc gratiam retuliſſe, vt deinceps Latina lingua officia Eccleſiaſtica peragerentur. Quæ eadem Caroli Conſtitutio extat Leg. Franc.lib.j.cap.74.Francicam autem legem abſurdum eſt ad Gallos noſtros, ſiue potius Francogallos referre:cùm Francorum nomine plerunque apud iſtius ſeculi ſcriptores generaliter Germani omnes intelligãtur. Sic apud Petrum de Vineis libro Epiſtol.6.cap.25. Viuens iure Francorum, in eo videlicet, quod maior natu excluſis minoribus fratribus & cohæredibus in caſtro ipſo ſuccedat, inter eos nullo tempore diuidendo.Ioan.Nauclerus Gen.27. Carolus Magnus Rex Francorum dicebatur:quod idem erat ac ſi nominatus fuiſſet Rex Germaniæ & Galliæ.Nam clarum eſt,quòd eo tempore omnis Gallia Tranſalpina, & etiam Germania à montibus Pyrenæis vſque in Pãnonias Francia dicebatur. Illa,id eſt Germanica,Francia Orientalis: altera, id eſt,Gallicana, Francia Occidentalis. In quo veræ hiſtoriæ concordant omnes. Alij etiam Salicam legem ſic dictam volunt quaſi S'aliquam, à duobus verbis,Si aliqua,à quibus hac lex incipiebat,vt refert Rebuffus in Comment.in l.j.de verb.ſign.D.

SALITOR, qui ſalis tributum colligit. Interpres Ciceronis Epiſtol.ad Atticum libro 4. exponit Salitores, præfectos, quos Iuriſperiti Murilegulos appellant. Quidam tamen codices habent,non Salitoribus, ſed, Data à litoribus.

SALIENTES fontes tubulis, fiſtulíſve aquam funduntes: nomine ab eo deducto, quod aqua ex tubuli capite inlabrum fluens,ſalire videatur,l.15. D.de act.empt. Atque id proprie de lapidibus, aut perſonis, ex quibus aquæ ſaliunt intelligi debet. Baſilicis ἀνάβρυτοι dicuntur,Veteribus Silani. Itaq; qui Gloſſemata ſunt interpretati,Silanum κρήνην exponunt,ſeu κρουνὸν,id eſt τὰς ἀρχὰς τῶν ῥευμάτων,vt exponit Euſtacius. Dicitur & Tullius. Feſtus, Tullios alij dixerunt eſſe Silanos. Cornelius Celſus lib.3.Confert etiam aliquid ad ſomnum ſilanum iuxta cadens. Lucretius 6.

Corpora ſilanos ad aquarum ſtrata iacebant.

Itaque l.17.§.vlt.eod.tit. perſonas, ex quarum noſtris aqua ſalire ſolet,id eſt Silanos aut Tullios. Alij Syluanus dici volunt,ſed illud magis probatur.

SALIX arbor celeriter creſcens,l.Gaius.D.de ann.leg.

SALICTVM,locus ſalicibus conſitus,l.quæſitum.D.de fund.inſtru.

SALTVS appellabant veteres paſcua loca, & paſtionibus accommodata, l.penult.§.j. D.ſi ſeruit.vendic.l.8. D.de inſtr.vel inſtru.l.52.D.de action.empt l.25.D.de pigner.actio.Varro.libro 4.de ling.Latin.Quos agros non colebant propter ſyluas, aut id genus. vbi pecus poſſit paſci,& poſſidebant, ab vſu ſuo ſaltus nominarunt.Hæc Græci ἄλσεα καὶ νομὰς, noſtri nemora dicunt. Ælius verò Gallus apud Feſt.lib.17.ſaltum definit, vbi ſyluæ & paſtiones ſunt, quarum cauſſa caſæ quoq; ibi ſint. Et ſi qua particula in ſaltu paſtorum aut cuſtodum cauſſa aratur, ea res non perimit nomen ſaltui: non magis quàm fundi,qui in agro culto & eius cauſſa habet ædificiũ, ſi qua particula in eo habet ſyluam. Virg.lib.2.Georg.

Saltibus in uacuis paſcunt,& plena ſecundum Flumina.

Inde ſaltus paſcuus.l.19.§.j.D.loc. Et Saltus paſtionéſque, in l.8.D.de inſtru.vel inſtru. Et per greges paſtionéſque fructus ex ſaltibus percipi dicitur. l.32.D. de vſufruct.l.9.D.de inſtrum. vel inſtru. In Saltibus etiam venari dixit Triphoni. in l.62. D. de vſufruct. Virgil.1.Georgic.

Et magnos canibus circundare ſaltus.

Saltus autem alij æſtiui, alij hiberni erant, l.67. de legat.3.l.3.§.ſaltus.l.44.§.vlt.D.de acquiren.poſſeſſ. Æſtiuos definit Vlpian quibus interdum etiam hieme, plerunque autem æſtate vtimur, l.j.§. æſtiua. D.de aqu. quoti. Hinc,

SALTVARIVS,ſaltuum cuſtos. Vlpianus tamen l.quæſitum.12.§.ſaltuarium.de inſtru.vel inſtrum. legat.non eum tantum hoc nomine contineri putat,qui ſaltuum vel finium cuſtodiendorum cauſſa in fundo paratus ſit, ſed & qui fructuum conſeruandorum gratia, vt & probat l.in inſtrumento,in fi.D.eod.Paulus in priori ſignificatu vſurpauit,lib.3.Sentent.tit.6.

SALTVENSES fundi Principis dicuntur ſub rub.Cod. de fund.patrim. & ſalt. Erant autem nemora paſtioni deputata, id eſt fundi qui pecoris paſcendi cauſſa elocari ſolebant, cum in Principis patrimonio conſeruarentur. Hinc,& Saltuenſes, coloni, qui hos fundos conducebant.

SALVIANVM interdictum, vide Interdictum Saluianum.

SANATES dicti ſunt,qui ſupra infráque Romam habitauerunt. quod nomen iis fuit, quia cum defeciſſent à Romanis,breui pòſt rediere in amicitiam, quaſi ſanata mente. Itaque in XII.Tab.cautum eſt,vt idem iuris eſſet Sanatibus quod fortibus: id eſt bonis, & qui nunquam defecerant à pop.Roma. Hæc Feſtus.

Sancta propriè dicimus, quæ neque ſacra, neque profana ſunt, ſed ſanctione quadam confirmata: vt leges ſanctæ ſunt: ſanctione enim quadam ſunt ſubnixæ. quod enim ſanctione quadam ſubnixum eſt, id ſanctum eſt, etſi Deo non ſit conſecratum. & interdum in ſanctionibus adiicitur, vt qui ibi aliquid commiſit, capite puniatur, l.9.§.2.D.de diuiſ.rerum.

Sanctum eſt, ait Trebatius, interdum idem quod ſacrum, idémque quod religioſum: iterdum aliud, id eſt, nec ſacrum, nec religioſum: nimirum incorruptum & inuiolatum. Hæc Macrob.lib.3.cap.3. Saturn. Feſt.autem lib.16. Inter ſacrum & ſanctum & religioſum differentias Ælius Gallus belliſſimè refert: ſacrum, ædificium conſecratum Deo: ſanctum, murum qui ſit circa oppidum: religioſum, ſepulcrum vbi mortuus ſepultus, aut humatus ſit. Sed illa portione quadam & temporibus eadem videri poſſe. Siquidem quod ſacrũ eſt, id lege aut inſtituto maiorum ſanctum eſſe putant, quòd violari id ſine pœna non poſſit. idem religioſum quoque eſſe, quòd iam ſit aliquid, quod ibi homini facere non liceat, & quod ſi faciat, aduerſus deorum voluntatem videatur facere. Similiter de muro aut ſepulcro debere obſeruari, vt eadem & ſacra & ſancta religioſa fiant. Hæc Feſtus. Propriè autem ſancta dicuntur, quæ ab iniuria hominum defenſa atque munita ſunt: inquit Marcianus.l.8.D.de rer.diuiſ. Munita autem propter pœnam propoſitũ ſignificat. Nam ſancire eſt ſanguine fuſo confirmare: vt Seruius Grãmaticus teſtatur. neque Marciano aſſentimur, vt nec Hot. qui à ſagminibus hoc verbum eo loco deducit: quin Feſto potius, & Aggeno Vrbico in Cõmen.ad Front. qui ſanctum & ſagmina à ſanciendo, id eſt cofirmando deducit. A ſanguine tamen confictum eſſe, vel ex conſuetudine ſacrorum ſolemnium, quam Salluſtius in Catilinaria commemorat, Hotoman.putat. Fuere, inquit, qui dicerent, Catilinam cùm ad iuſiurandum populares ſceleris ſui adigeret (ſic enim legendum, non Addiceret) humani corporis ſanguinem vino permiſtum in pateris circumtuliſſe: inde cùm poſt execrationem omnes deguſtaſſent, ſicuti in communibus ſacris fieri conſueuit, aperuiſſe conſilium ſuum, &c. Sancta ergo prima ea ſunt, quæ cæſa victima, & execratione interpoſita, confirmata ſunt. Et Sacrosancta, vt vult idem Hotom. illa eadem propriè, quaſi quæ ſacro facto ſancita ſunt. Sed Liuius li.3.cum idem propè ſibi videri ſignificaſſet, Iuriſconſultis tamen aliud placere oſtendit: Cùm inuiolatos Tribunos plebis, inquit, religione, tum lege etiam fecerunt, ſanciendo, vt qui eis nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet: familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret. Hac lege Iuris interpretes negãt quemquam ſacroſanctum eſſe, ſed caput eius qui eorum cuiquam nocuerit, ſacrum eſſe, id ſanciri. Hæc Liuius. Eámque Iuriſconſultorum etymologiam Feſtus lib.17. ſecutus: Sacroſancti, inquit, dicuntur, qui ſanciuntur vt ſint ſacri, ſi ſacrum violent. Itaque Sacroſancta duobus modis fiunt: religione, ſiue iureiurando, & lege. quorum vtrunque Liuius eodem loco ſignificat, his verbis: Et cũ religione inuiolatos eos, tum lege etiam fecerunt. Paulo autem pòſt religionem iuſiurandum interpretatur. Dionyſius autem libro ſexto: Iurarunt, inquit, per ſacra omnia, ſe poſteróſque ſuos hanc perpetuò legem obſeruaturos: addita execratione, vt qui legi parérent, ita deos ſuperos atque inferos propitios haberent: qui non parérent, infeſtos. Hunc vtrunque modum exponit Cicero in ea pro Corn.Balbo: Quid fuit in ea rogatione, quod ſacroſanctum videretur? Primùm enim ſacroſanctũ eſſe nihil poteſt, niſi quod populus plébsve ſanxiſſet. Deinde ſanctiones ſacrandæ ſunt, aut genere ipſo, aut obteſtatione & conſecratione legis, aut pœnæ: cùm caput eius, qui contrà facit conſecratur (Sic autem locum emẽdari vult Hotom.) Aut genere ipſo, vt obteſtatione & conſecratione legis: aut pœna, cùm caput eius, &c. Duos enim tantùm hos fuiſſe modos, locus inſequens, vbi ex enumeratione partium argumentatur, perſpicuè oſtẽdit. Quid habes igitur dicere, inquit, de fœdere eiuſmodi? Vtrũ à capitis conſecratione, an obteſtatione legis ſacroſanctum eſſe confirmas? Ex quibus copioſè diſputatis perſpicuum eſt hoc inter Sanctum & Sacroſanctum intereſſe, quod inter genus & ſpeciem. Sacroſancta enim dicuntur ea, quæ ſub capitis pœna ſancita ſunt, vt inuiolata & incorrupta eſſent. Quæcunque verò pœnam aliquam continent paulo grauiorem, Sancta nominantur. Planum eſt præterea & ſancta & ſacroſancta ea plurimùm dici, quæ inuiolata ſunt. Hinc Cicero in ea pro domo ſua, de cuiuſque domo verba faciens: Hoc, inquit, perfugium eſt ita ſanctum omnibus, vt inde abripi neminem fas ſit. Hinc ſacroſanctæ Eccleſiæ dicuntur à Iuſtiniano, quæ aſylum præbent. Hinc illud Ciceronis in Catilinam. Quid enim expectas? bellum? quid ergo? in vaſtitate omnium tuas poſſeſſiones ſacroſanctas futuras putas? Hinc ſacroſancta fœdera ſemper apppellantur, quia gentibus omnibus moris fuit, vt ea ſanguine ſancirent. Cuius rei exẽplum inſigne teneri non poſſum, quin hoc loco ex Corn.Tacit.lib.12.ſubſcribã: Mos eſt, inquit, Regibus (de Armenia loquitur) quoties in ſocietatem coeant, implicare dextras, pollicéſque inter ſe vincire, nodóque perſtringere. Móxque vbi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atq; inuicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum.

Sanctæ autẽ res ſunt, vt in ciuitatibus & oppidis muri & portæ, l.j.& l.8.in fi.D.de rer.diuiſ.l.2. D.ne quid in loco ſac. Zonar. tomo ſecundo πάγκτα γὰρ παρὰ ῥωμαίοις τὰ τείχη. Sed enim quod ad portas attinet, à Iuriſconſultis diſſentire Plutarch. videtur, qui ἐν τοῖς ῥωμαϊκοῖς muros ἱεροὺς eſſe, portas non item, ſcribit: quòd per portas cadauera efferantur, aliæ item res immundæ & minimè puræ per eas tranſmittantur, inuehantur, euehantur. Verùm diuerſa potiùs quàm contraria aut pugnantia dicit. Meritò enim negat portas religionis quicquam habere, non autem muros, qui aratro circunduci atque ambiri certis adhibitis ſacris in deſignanda vrbe ſolebant: cũ eo loci, in quo portæ ſtruendæ erant, ſiſti aratrum, & ſuſtolli conſueuiſſet. Verum eſt tamen nec portis nec muris quicquam coniungi, vel apponi licuiſſe, nec aliquid omnino in eas ſine nefario ſcelere committi potuiſſe, quo violari viderentur. Eapropterq; in ſanctis conſulti eorum vtrumque rectè numerant, l.2.& l.vlt. D.ne quid in loco ſac. Gaius lib.2. Inſtitu.tit.j. Sanctæ quoque leges dicuntur, propter ſanctiones, quibus leges ſe ipſas olim muniebant, l.9.§.propriè, D.de rer.diuiſio.

Sanctius ærarium ab antiquis dicebatur, quod prorſus intactum erat, ex quo nihil promi licebat, ob annuas neceſſitates.

Sanctiones vocamus eas legum partes, quibus pœnas conſtituimus aduerſus eos qui contra leges fecerint: ait Imp. §.8.de rer.diuiſio. Papin.l.41. D.de pœn. Sanctio legum quæ nouiſſimè certam pœnam irrogat, iis qui præceptis legis non obtemperauerint, ad eas ſpecies pertinere non videtur quibus ipſa lege pœna ſpecialiter addita eſt. Eius ſanctionis exemplum pulcherrimũ libet ex reliquiis legis Regiæ propter ſummam elegantiam & vetuſtatem adſcribere: SI QVIS HVIVSCE LEGIS ERGO ADVERSVS LEGES, ROGATIONES, PLEBISVE SCITA, SENATVSVE CONSVLTA FECIT FECERIT, SIVE

SIVE QVOD EVM EX LEGE, ROGATIONE, PLEBISVE SCITO S. VE C. FACERE OPORTEBIT, NON FECERIT, HVIVS LEGIS ERGO ID EI NE FRAVDI ESTO, NEVE QVID OB EAM REM POPVLO DARE DEBETO, NEVE CVI DE EA RE ACTIO, NEVE IVDICATIO ESTO: NEVE QVIS DE EA RE APVD * CI SINITO. Cic.ad Att.3.ep.23. Scis enim Clodium ſanxiſſe, vt vix aut omnino non poſſet nec per Senatum, nec per populum infirmari ſua lex. ſed vides nunquã eſſe obſeruatas ſanctiones earum legum, quæ abrogarentur. nam ſi id eſſet, nulla ferè abrogari poſſet: neque enim vlla eſt, quæ non ipſa ſe ſepiat difficultate abrogationis. Idem Verrina 6. Quid multa? niſi vehementius homini minatus eſſem, niſi legum ſanctionem pœnámque recitaſſem, tabularum mihi poteſtas facta non eſſet.

Sanctio legum triplex eſt: ſumma media & infima. Summa eſt, quæ id quod aduerſus legem commiſſum eſt, ipſa per ſe ac vi ſua, id eſt, ſine magiſtratus opera reſcindit: veluti Sanctio legis Æliæ Sentiæ, quæ libertatem eius qui in fraudem creditoris manumiſſus eſt, irritam eſſe iubet, §.2. qui & quibus ex cauſſis. Media eſt, quæ non per ſe, ſed magiſtratus opera quod commiſſum eſt reſcindit: veluti ſi res vendita non valet dimidium precij, vel precium non valet dimidium rei, l.2. C. de reſcind. vend. Item cùm ea quæ in fraudem minorum au creditorum facta ſunt, reſtituuntur. Infima eſt, cùm quod commiſſum eſt non reſcinditur, ſed is qui commiſit mulctatur: velut in lege Furia teſtamentaria, quæ plus mille aſſium legatum mortíſve cauſſa capere vetat, & aduerſus eum qui plus ceperit, quadrupli pœnam conſtituit.

Sanctio pragmatica, vide PRAGMATICA ſanctio.

SANCTVARIVM principis, ſunt atque commentarij, in quos agrorum formæ referebantur, aut, quod magis eſt, locus ipſe & tabularium, in quo huiuſmodi libri reponebantur. Sicul. Flacc. in lib. de cõditio. agror. Quòd ſi quis contradicat, ſanctuarium Cæſaris reſpici ſolet. omnium enim agrorum & diuiſorum, & adſignatorum formas, ſed & diuiſionem commentarius & principatus in ſanctuario habet. Qualeſcũq; enim formæ fuerint, ſi ambigatur, de eorũ fide ad ſanctuarium principis reuertendum erit. Hygen. in lib. de limitibus conſtit. Omnes ſignificationes & formas æris tabulis inſcribemus, libros æris & typum totius perticæ linteis deſcriptum, ſecundum ſuas determinationes, deſcriptis adfinibus, tabulario Cæſaris inferemus. Et ſi qua beneficia, aut conceſſa, aut adſignata coloniæ fuerunt, ſiue in proximo, ſiue inter alias ciuitates, in libro beneficiorum adſcribemus. Et quidquid aliud ad inſtrumentum menſorum pertinebit, non ſolùm colonia, ſed & tabularium Cæſaris manu conditoris ſubſcriptum habere debet. Ita & Sanctuarium Mithridatis pro ſecreto eius tabulario dixit Plin. lib. 223. cap. 8.

SANCTIMONIALES appellant Impp. virgines Deo deuotas, dicatas, & conſecratas, rub. de rap. virg.

SANGVIS, vide Conſanguinei.

SANGVINEA, & ſanguinæ virgæ (non ſagmineæ) apud Modeſtinũ l. vlt. D. de leg. Pomp. de paricid. è ſanguineis fruticibus erant, quibus cædi iubentur paricidæ, vt aut terror ineſſet in cruento eorum colore, aut ad horrorem, vt volunt quidam, cruentabãtur: vt de Bellona ſcribit Maro:

Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

De iis ſcribit Plinius libri 19. cap. 10. & lib. 24. cap. 11. Hinc Sanguineæ haſtæ, quæ quòd coloris erãt cruenti, ideo & iis ad bellum indicendum feciales vtebantur: has volunt quidam ſanguine cruentatas, qua atrox & cruentum bellum minarentur.

SANGVINOLENTVS, l.2. C. de patr. qui fil. ſuos diſtr. ſanguine materni vteri adhuc perfuſus, id eſt recens natus, vt l.j. C. Th. de expoſ. Si quis, inquit Conſtantinus, propter nimiam paupertatem, egeſtatémque, victus cauſſa filium filiámve ſanguinolentus vẽdiderit. ita enim legendum eſt eo in loco, vt in titu. de infan. expoſ. & de his qui ſang. nutr. acc. Et in hac collectionis formula: Nos in Dei nomine matricularij S. Martini, dum mane ad oſtia ipſius Eccleſiæ obſeruanda conueniſſemus, ibi infantulum ſanguinolentum inuenimus, & per triduum an quiſquam eum ſuum eſſe diceret perquiſiuimus: nullo inuento, Gaio nutriendum eum dedimus, vt eum in ſuo ſeruitio iuxta legis ordinem retineat, pro quo pretium accepimus ſolidorum decem. Hos Iuuenalis Rubentes appellat. Sat.7.

- Modo primos incipientes

Edere uagitus, & adhuc à matre rubentes.

Græci ἀρτιγονοῦς & ἀρτιβλάστους vocant.

SANVS non eſt, cui lingua abſciſſa eſt, l. ſi cui lingua. D. de Ædil. edict.

SAPA, muſtum ad tertiam partem decoctum. Vlpian. de fund. inſtr. l. quæſitum. Vas inquit, æneum, in quo ſapa coqueretur, & defrutum fieret, &c.

SAPIENS à populo Romano primus appellatus eſt Publius Attilius, vt teſtatur Pomponius l.2. §. deinde Sextus. de orig. iur. quem tamen Cicero lib. de amicitia Acilium vocat. Hinc & Sapientes pro iuriſperitis, vt apud Romanos, prudentes, lib. Feud. 2. tit. 25. Super negotio iſto tale eſt Sapientum noſtræ ciuitatis conſilium videlicet Oberti & Gerardi. Radeuicus lib. j. cap. 27. At Sapientes & legum periti perſuadent, Mediolanenſes, licet improbos & infames, iudicis tamen officio per legitimas inducias citandos eſſe: hoc eſt, iudicis edictum vnum, mox alterum & tertium, ſeu vnum pro omnibus, quod peremptorium nominatur. Ex eodem numero quatuor illi Principes Iuſtinianici iuris intetpretes fuere, quorum gloſſis Accurſium magnoperè adiutum fuiſſe conſtat de quibus idem Radeuicus lib. 2. ca. 5. Habens, inquit, (de Friderico primo Imp. loquitur) videlicet Bulgarum, Martinũ, Iacobum, Hugonem, viros diſertos, & in lege doctiſſimos, legúmque in ciuitate Bononienſi doctores, & multorum auditorum præceptores, &c.

SAPIENTIAM pro philoſophia dixit Pomp. l.2. §. poſt hunc. D. de orig. iur. & Sapientia ciuilis, iuris ciuilis ſcientia, l.j. §. proinde, D. de extraord. cogni.

SARCIRE in 12. tabul. ſatisfacere ſignificabat, auctore Feſto. Inde ſarcire noxam, id eſt, damnum præſtare, l.j. §. cùm arietes. D. ſi quadrup. paup. fec. dic. l.14. D. de incend. rui. Et ſarcire damnũ, in l.32. in fi. D. de damn. infect. Sicque apud Feſtum Seruius Sulpitius, Sarcito in XII. Tab. exponit damnũ ſoluito, præſtato. Sarcire eſt etiam integrum facere. Hinc Sarcire ædificia, in l. 7. §. vlt. D. de iure delib. eſt corrupta reſtituere. Hinc,

SARTA tecta Feſtus ſic interpretatur: Sartè ponebant pro integrè, ob quam cauſſam opera publica quæ locantur, vt integra tecta præſtentur, ſarta tecta vocantur. Etenim ſarcire eſt integrũ facere. Hæc Feſtus. Sed videamus ne non de tectis locutio intelligatur: verum hoc coniunctim pronuncietur, item vt alia complura, in quib. & coniunctio ſubauditur. vt Ire agere, Vti frui, & quæ ſunt generis eiuſdem: vt ſit Sarta & tecta. quidam c, literam interponendam putant, quod à Sarcio declinatum ſit, non à Sarrio. Chariſius libro ſecundo, Sarctè, inqui, pro integrè. Sarcire enim eſt integrum facere. Hinc Sarcta tecta vti ſunt, opera publica publice locantur. Vlpianus, l.7. D. de offic. proconſ. Ædes ſacras & opera publica circumire inſpiciendi gratia, an ſarta tecta quæ ſint, vel an aliqua refectione indigeant. Idem l.7. §. j. D. de vſufru. Hactenus tamen vt ſarta

vt ſarta tecta habeant.item: Vnde Celſus de modo ſarta tecta habendi quærit,ſi quæ vetuſtate corruerũt, reficere non cogitur.Item apud Macrum in l.7.§.j.D. de leg.Iul.repetund.

SARCINATOR, Sarcinatrix,qui quæ ſarcienda veſtimenta accipit,vel veſtes conſuit.l.25.§.vlt.D.loca.l.j.§.j.D.de tributor.l.5.D.nautæ caupo.l.27.D. de pecul.l.5.§.j.D.de inſtitor.l.82.D.de furt.Non. Marcell.Sarcinatorem ſutorem interpretatur,addito Lucilij verſu,

Sarcinatorem eſſe ſummum ſuere centonem optimè.

SARCOPHAGVS ſepulchrum & capulum ſignificat, quod ex ſarcophago lapide fiſſili corpora celerrimè conſumente,qui in Troade plurimus naſcebatur, fieret,vt Iſido.lib.16.c.4.ſcribit.ἀπὸ τῦ σάρκα φαγῆν, quod carnes exedat.Inuenitur verbum hoc in l.37.D. de religio.& ſump.Et precium loci, in quo defunctus humatus eſt,& ſiqua vectigalia ſunt, & ſarcophagi, & vectura.Sic l.18.§.vlt.de alim.legat.l.6. de ſepul. vio. in C.Theod.Et in libello varior. auctor. de limitib. Orcas in fine inuenies,Sarcophaga in fine inuenies.Et in Epigramm.Antiq.

Lætóque iaces condita ſarcophago.

Et in alia inſcriptione: Corpora eorum fictili ſarcophago commendauerim.

SARDONYX, gemma.Plinius lib.37. c.6.nomen compoſitum ſcribit ex ſarda,lapide in Sardinia reperto, coloris rubri:& Onyx,quæ gemma eſt ad vnguis humani ſimilitudinem accedens. Vlp.Sardonyca numerat inter gemmas magni precij.l.6.D.de bon.dam.vbi tamen SARDONYCHICA legitur.

SARGOGALLA,in l.vlt.§. ſpecies. D. de public. ea videtur eſſe quæ ab aliis auctoribus Sarcocolla vocatur, vt & ibidem Saffirinus vocatur,meo quidem iudicio, qui à Plinio lib.37.c.9.& Iſido.lib.16.c.9.Sapphyrus appellatur.Eſt autẽ Sarcocolla lachryma arboris in Perſide naſcẽtis thuri ſimilis,vt Dioſcor.lib.3.& Plin.lib. 13.c.11.& lib. 24. c. 14. ſcribunt. Nomen inde habet, quod diſſolutam & hiantem vulnere carnem aſtringat & adglutinet.

SARMENTA.Sarpere antiqui pro purgare ponebant: vnde & virgulæ abſciſſæ,ſarmẽta dicuntur.l.ligni appellatione.D.de leg.3.

SATIS pro valde,in l.4.D. de in integr. reſtit.quemadmodum Florentiæ legitur,& in l.7. §. belliſſimè. D. quod vi aut clam.l.decimaſexta.l.45.§.pen.D.de fideic. libert.l.2.§.poſt hos quoque.D. de orig.iur. Vbi Satis ſuperlatiuo iungitur.Sic ſatis inhumanum, ſatis inciuile,ſatis impium,in l.6.in fi.prin.D.de pignor.actio.l. 20.D:de adquir.hæred.l.37.D.de leg.3.l.15.D. de procuratoribus.l.66.in fi.D.de ritu nupt.l.j.C.de commun. rer.alienat.l.33.C.de innoffic.teſtam. & in aliis Iuſtin. Conſtitutionib.ſæpe.Particula autem ſatis, his verbis dare,facere,præſtare,accipere,petere, offerre,eleganter coniungitur:ſolet tamen & ab iis diſiungi, vt paſſim videre eſt.

SATIS ACCIPERE dicitur creditor, legatarius, aut alius quilibet,cui cautio præſtatur.l.8. D. de vſufr.ear. rer.l.17.D.de teſtam.tut.l.7.D.de incen.ruina.l.30.D.de vſufructu legato.l.vlt.§.vlt.D. quor. legatorum.l. 30.§. vlt.D.de ſtatulib.Sic ſatis de euictione accipere. l. 48. D.de euictionibus,Legati fideicommiſsi ve ſatis accipere.l.38.in fi.D.de cond.indeb.l.vlt.C. vt in poſſeſſionem lega.Subauditur autem per Elleniſmum in ea loquutione,verbum Nomine,& integra oratione effertur in l.j.§.ſi Titio.D.vt in poſſeſſion.legat. Vide Nomine ſubauditur.

SATIS ACCEPTIO, inquit Pompon. eſt ſtipulatio quæ ita obligat promiſſorem, vt adpromiſſores quoque ab eo accipiãtur:vt id eſt qui idem promittãt. Satis autem accipere dictum eſt eodem modo,quo ſatiſfacere.nam quia id quo quis contentus erat,ei præſtabatur,ſatisfieri dictum eſt,l.5.§.2.D.de verb.oblig.

SATISAGERE, pro ſatagere,curare. Vlp.l. hæc conditio.10.D.de cõdit.& demonſtr.Hæc conditio, FILIÆ MEÆ CVM NVPSERIT,talis eſt, vt qui teſtatus eſt,impleri ſolummodo conditionem voluerit: non ſatiſegerit quando.

SATISDARE propriè eſt ei ſponſores vel fideiuſſores dare,qui ſibi à debitore cauet.nam ſatiſdamus alteri, cauemus nobis.Cauet enim qui ſatiſaccipit.Cicero in Bruto: At verò tibi egò Brute non ſoluam, niſi prius à te cauero, amplius eo nomine neminem petiturum. Sed Iuriſconſulti Cauere poſtea dixerunt,pro cautionem dare.& Cauere ſic diſtinguunt à Satiſdare,vt qui ſponſorem,id eſt fideiuſſorem dat,ſatiſdare dicatur: qui verò chirographum duntaxat,Cauere.

Satiſdare damni infecti eſt, cauere datis fideiuſſoribus ſe damnũ,ſi quod accidat,ei cuius intererit, præſtaturũ.

Satiſdare etiam ſatis præſtare dicitur. l. 8. D. de vſufruct. ear.rerum quæ vſu conſumuntur. Martia.libr.2.Epigrammatωn,

Si de ſeruitio graui querantur,
Adſertor uenias,ſatiſque præſtes.

SATISDATIO eodem modo appellata eſt, quo ſatisfactio. nam vt ſatisfacere dicimur ei cuius deſiderium implemus:ita ſatiſdare dicimur aduerſario noſtro,qui pro eo quod à nobis petiit,ita cauit,vt eum hoc nomine ſecurum faciamus datis fideiuſſoribus.l.j. D. qui ſatiſd.cog.Satiſdatio enim eod. tit. & in omnibus prætoriis ſtipulationibus,quibus ſatiſdari iubetur,fideiuſſorum dationem ſignificat.Nam ne pignoribus quidẽ in vicem ſatiſdationis quis defungi poteſt.l.7.D.de Prætor.ſtipul.l.j.& l.3.§.j.D.ſi cui plus quàm per l.Falc. Nec verò qui ſatiſdare promiſit,fidem impleſſe aliter intelligitur,quàm ſi eum dederit acceſſionis loco, qui vtiliter obligetur.Nam ſi minorem.25. annis, vel mulierem,vel ſeruum det, non videtur ſatisfeciſſe obligationi aliter atque ſi non idoneum dederit. l.3. D.de fideiuſſoribus.l.8.§.j.D.qui ſatiſdare cog.Non enim videtur ſatiſdatum,ſi vitioſè ſatiſdatũ eſt,l.6.D.eo.tit.

Satiſdatio nudæ cautioni repromiſſioníque ſemper opponitur.l.j.§.ſtipulationem.D.de prætor.ſtip.& in tit. de damn.infect.ſæpe.l.5.D. de pet. hæred.l. 45.D. de procuratoribus.l.56.in princ.D.de euictionibus. Inde verbum Satiſdatum dicitur idoneam cautionem deſiderare.l.j.§.pen.D.quo.legator.

Satiſdationis appellatione interdum etiam repromiſſio continebitur,id eſt ſatisfacto,qua contentus fuit is, cui ſatiſdatio debebatur.Vlp.l.ſatiſdationis. D. de ver. ſig.Sic in l.2.D.pro hæred.l.promiſſor.§.vlt.D.de cõſt. pecun.atque ita ſatiſdationis verbum in l.ſolutam. D. de ſolut.accipi conuenit.

Satiſdatio iudicatum ſolui,eſt cum quis ſtipulanti vt ſolueretur ſibi quod fuiſſet iudicatum, datis fideiuſſoribus promittit.ait Imper.tit.de ſatiſdat.in princ. nã Iudicatum ſolui,antiquè dictum eſt,pro Solutum iri: & Satiſdare iudicatum ſolui, dare fideiuſſores locupletes,qui ſtipulanti actori promittant, quantum iudicio facto ſolui oporteret,ſi reus damnaretur, tantum ſuo periculo ſolutum iri.l.3.& paſſ.D.iudic.ſolui.

Satiſdatio rem ratam dominum habiturum, eſt cum quis ſtipulãti à procuratore alterius, vt dominus eius procurationẽ ratam habeat, datis fideiuſſoribus promittit:vti docet Imp.tit.de ſatiſd.in princ.& l. j. & paſſim. D.rem ratam haberi.

SATISDATO debere,eſt datis ſponſoribus,ſiue fideiuſſorib.debere.Cice.lib.16.Epiſt.ad Att.Poſſumus enim, vt ſponſores appellentur,procuratorem introducere: neque enim illi litem conteſtabuntur: quo facto non ſum neſcius ſponſores liberari, ſed & illi turpe arbi-

tror, eo nomine, quòd ſatiſdato debeat, procuratores eius non diſſoluere, & noſtræ grauitatis ius noſtrum ſine ſumma illius ignominia perſequi.

SATIS EXIGERE. l. 103. D. de cond. & demonſtr. l. 9. §. vlt. l. 53. D. de admin. tut. l. j, §. vſque adeò. D. de tutel. & ration. diſtr. l. j. §. ſi præſes. D. de magiſtr. conueniendis. l. 39. §. vlt. de leg. 3. id eſt, ſatiſdationem exigere, vt in d. l. j. §. ſi curatores. de magiſtrat. conuen. Et Satis poſtulare. l. 21. D. rem. rat. hab. Debitor etiam ſatis offerre dicitur. l. j. §, vlt. D. de requirend. vel abſentibus. l. 5. D. de ſuſpect. tut. l. 6. C. de teſt. man.

SATISFACERE dicimus ei, cuius deſiderium implemus, inquit Vlp. j. D. qui ſatiſd. cog. Satis igitur facit, qui idoneum expromiſſorem voléti dat. l. 4. §. ait Prætor. D. de damn. infecto. In eo itaque quod dicitur, pignus, ſoluta pecunia, vel ſi eo nomine ſatis ſit factum, liberari, Satisfactum accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet ſolutum non ſit. Siue enim aliis pignoribus ſibi caueri voluit, vt ab hoc recedat, ſiue fideiuſſoribus, ſiue reo dato, ſiue pretio aliquo, ſiue nuda conuentione, ſiue aliàs quocunque modo receſſerit, vel ſi conuenerit, vt pro hypotheca fideiuſſor detur, datúmque, licet non idoneum, creditor admiſerit, vel ſi deferente creditore, debitor iurauerit rem non eſſe pignori obligatam, ſatisfactum intelligetur. l. 9. §. omnis. D. de pig. actio. l. 5. §. fi. l. 13. l. 14. D. quib. mod. pig. l. 3. D. de fideiuſſ. Sed & ſi accepto latum ſit id, quod hypotheca erat obligata, ſatisfactionis nomẽ proficiet. l. 49. D. de ſolut. Et alias quoque videtur Satisfactum, expromiſſore, vel pignore dato. l. 53. D. de contrah. empt. §. venditæ. Inſtit. de rer. diuiſ.

SATISFACERE & Soluere tanquam differentia ſeparantur: vt apud Pomp. l. quod vendidi. 19. D. de contr. empt. Quod vendidi non aliter fit accipientis, quàm ſi aut precium nobis ſolutum ſit, aut ſatis eo nomine factum. ſic in l. Stichum. 39. §. j. D. de ſtatulib. l. ſi ita. 41. §. j. D. de manumiſ. teſt. l. Paulus. 38. §. 2. D. de liber. cauſſ. Soluit enim propriè qui precium nũmerat: ſatisfacit, qui pignus, vel expromiſſorem, vel fideiuſſorem præbet. l. ſolutionis. D. de verb. ſignific. l. 4. §. j. D. de re iud. l. 6. D. quib. mod. pign. vel hypoth. l. promiſſor. 21. §. 2. D. de conſt. pecun.

Satisfacere, eſt tantum facere, quantum ſatis ſit irato ad vindictam: inquit Aſcon. in illum tertiæ Verrinæ locum: Video enim, & ex iis quæ legi & audiui intelligo, in qua ciuitate legatus populi R. aliqua ex parte violatus ſit, niſi publicè ſatisfactum ſit, ei ciuitati bellum indici atque inferri ſolere.

Satisfieri etiam verberibus de ſeruo dicitur. l. 17. §. cum ſeruus. & §. ſeq. D. de iniur. l. pen. D. ſi ex nox. aga. Sic Satisfactio ſumitur, in d. l. 17. §. ait prætor.

SATISFACTIO, pignoris vel fideiuſſoris exhibitio. l. 52. D. de ſolutio. l. 19. D. de contrah. empt. Quod vocabulum quanquam latè pateat, tamen in reſcripto Antonini expoſito in l. 5. D. vt in poſſeſſ. legat. ad exſoluẽdum legatum refertur.

SATIS petere & Satis deſiderare is dicitur qui caueri ſibi poſtulat. l. 14. D. de adminiſt. tut. l. vlt. §. j. D. quor. legator. l. 8. D. de prætor. ſtipulatio. l. 7. D. rem pupilli ſaluam fore. Inde illud in l. 52. in fi. D. de iudic. Si petatur fideicommiſſo ſatis. & Satis legatorum deſideret, in l. j. §. non exigimus. l. 3. §. j. vt in poſſ. leg.

SATVRA, vt Feſt. lib. 17. ſcribit, erat cibi genus ex variis rebus conditum: vel ſecundum aliorum interpretationem, genus carminis, in quo multis de rebus coniunctim & confuſè diſputabatur. Ex quo Satura lex multis aliis conferta legibus olim dicebatur. Vnde in ſanctione legum adiiciebatur, NEVE PER SATVRAM ABROGATO. C. Lælius in Oratione, quam pro ſe dixit: Poſtera die quaſi per ſatyram exquiſitis ſententiis in deditionem accipitur. Iſidor. lib. 5. Etymolog. Satura lex eſt, quæ de pluribus rebus ſimul loquitur, dicta à copia rerum, quaſi à ſaturitate. Iuſtinian. in Orat. ad Anteceſſores: Et primi quidem anni hoc opus tradebatur legentibus, non ſecundùm edicti perpetui ordinationem, ſed paſſim, & quaſi per ſatyram collectum. Auctor Panegyrici Flauienſium, Conſtantino dicati: Separatè igitur vtique dicam: neque enim quaſi per ſatyrãm confundenda ſunt beneficia tua. Vide Eraſm. Chil. 4. cent. 8. &, SATYRA lex, in Catalogo legum.

SAXVM Tarpeium miræ altitudinis erat, à quo Lex XII. Tabularum vult deiici eum, qui falſum dixerit teſtimonium. Sed hodie non poteſt quis ſic damnari, vt de ſaxo præcipitetur, auctore Modeſtino in l. ſi diutino. D. de pœn. Eſt autem aliis pœnis vtendum, pro qualitate admiſſi. Marcianus in l. j. in prin. Vlp. in l. leg. Cornel. D. ad l. Cornel. de falſ. l. damus licentiam. D. eo. tit.

SCABRO dicitur qui dentes aut gingiuas illuuie ſcabras aut ſpurcas habet. Vlpian. l. 12. §. vlt. D. de ædil. edicto. Trebatius ait non eſſe morboſum os alicui olere, veluti hircoſum, ſcabronem. ſic enim legi vult Cuiac. Obſ. lib. 11. c. 10. non Strabonem, cum hic oculorum, non oris vitio laboret. Hoc autem vitium eſt veteribus Scabres & Scabres, nouis Scabrities. Pacuuius Teucro, Quæ deſiderio alumnum, pœnitudine, ſquale, ſcapre atque inculta vaſtitudine. Varro Manio, Ager derelinqueretur, ac periret ſquale, ſcabre, atque illuuie & vaſtitudine. Coniungit ſcabrem illuuiei, vt Trebatius, dum ait hircoſi & ſcabronis vitium ex illuuie oris accidere. Quidam Raponem legi volunt: ſed rapo, raptor eſt, nõ lurco: & ſi quod in lucorne vitium oris, hoc ex anima interiore, δύσπνοια, non δυσωδία dicitur, Budæus autem planè hic cæcutiit, pace tanti viri dixerim. Vide Scaligerum in Varronem.

SCENA, vide Scena.

SCÆVA dicitur qui manu ſiniſtra ſic vtitur, vt alij homines dextra: & viciſſim dextra, pro ſiniſtra: nã ſi imbecillitate dextræ validiùs ſiniſtra vteretur, non ſcæua, ſed mancus diceretur, vti docet Vlp. l. 12. §. j. de Ædilit. edicto. Liuius lib. 2. ſcribit Mutio apud Romanos inditum fuiſſe nomen Scæuolæ, propter exuſtam dexterã.

SCÆVVM dogma, pro peruerſo & improbato dicunt Impp. in l. hi qui ſcæui. de his qui ſuper religio. cõtend. in C. Theod. vt ſcæuitatẽ morum, pro peruerſitate, in l. 17. de pœn. in eo. C. Ita Scæuas libidines Tertullia. in Apologet. c. 11. dixit, & ſcæuam rem, pro mala vſurpatam Feſtus notat lib. 16.

SCALÆ. l. 7. C. de aquæductu, lib. 11. traiectus erant maritimi Conſtantinopoli, in mare protenſi, traiiciendi cauſſa vſque ad nauigia. Ad reparationẽ aquæ ductus huius almæ vrbis, inquiunt Impp. omnia vectigalia quæ colligi poſſunt ex vniuerſis ſcalis huius inclytæ vrbis, &c. ad refectionem eiuſdem aquæductus procedere. Antea legebatur, ex vniuerſis calculis, contra veterem ſcripturam, & Græcorum metaphraſim, quæ ſic habet, εἰς ἀνανέωσιν τοῦ ἀγωγοῦ τὰ παρεχόμενα εἰς τὰς σκάλας ἀναλίσκεσθαι. Tális in religione ſexta ſcala Sycæna, quæ πέρασμα Iuſtinianarum dicitur Nouel. 69. Græcè autem hæ ſcalæ, χηλαὶ dicebantur.

SCANDVLARII, qui ædes ſcandulis tegunt. Sunt autẽ Scandulæ ſectiles aſſerculi, quibus contectam annis quadringentis & ſeptuaginta fuiſſe Romam Plinius lib. 16. c. 10. teſtatur. Scandulariorum mentionem facit Tarrunt. in l. vlt. D. de iur. immun.

SCAPHIVM vas eſt, in quod ventris ſordes excipiuntur. Vlpian. de aur. & arg. leg. l. Quintus Mutius. Argento autem legato, non puto ventris cauſſa habita ſcaphia contineri, quia argenti numero non habentur. Verbum autem Græcum eſt σκάφιον, & à Polluce lib. Onomaſt.

maſt.10.c.9.inter ea, quæ εἰς ἀπόκοιτον mulieribus vſui ſunt, ponitur.

Scelleritas, à Marciano.l.3.D.de bonis eor. qui ant. ſent.mor.eadem forma dictum qua bonitas, & malitas pro malitia.l.5.D.quod met.cauſſ. Sceleritas igitur facti eo in loco ingens deprauatio eſt, & fœditas turpificati animi eius qui ſibi manus infert.

Scena, eſt quæ ludorum faciendorum cauſſa quolibet loco, vbi quis conſiſtat, moueatúrque ſpectaculum ſui præbiturus, poſita ſit, in publico, priuatóve, vel in vico: quo tamen loco paſſim homines ſpectaculi cauſſa admittantur.l.2.§.4.D.de his qui not. Alio refert etymologiam huius vocis Caſſiodorus lib.4.Variar.epiſt. vlt.Frons enim theatri, inquit, Scena dicitur, ab vmbra luci denſiſſima, vbi à paſtoribus inchoante verno diuerſis ſonis carmina cantabantur.Notum autem eſt à Græco σκηνὴ deduci, & Scena ſcribendum, non ſcæna, tametſi Pand.Florent.ſcriptura repugnet.

Scenici, ſunt ludiones ſeu ludij, qui in ſcena ludos agūt, aliàs hiſtriones dicti: vt ſunt omnes, qui quæſtus cauſſa in ſcenam prodeunt notabiles, veluti mimi, hiſtriones, auctore Vlpiano in d.l.2.§.fi.& vide tit.C. de ſpect.ſcen.& len.Græci thymelicos vocant.

Schedia, nauigij genus inconditum, id eſt trabibus tantum inter ſe nexis factum, cuius meminit Feſtus, & Vlp.l.j.§.4.D.de exercit.act.

Scholæ in lib.C.ſunt corpora ſiue ordines officialiū: hoc eſt eorum qui munere & officio aliquo, quod ad principis miniſterium pertineret, fungebantur. Eas Iuſtinianus in l.vlt.C.de locat.vndecim fuiſſe teſtatur: cum Notitia 10.tantum. Omnes autem ſub Magiſtri officiorum imperio fuiſſe conſtat ex l.j.& paſſ.C.de offic.Memorantur igitur hæc: Scutariorum prima, itē ſecunda, & tertia: Agentium in rebus: Armaturarum ſeniorum, Armaturarum iuniorum, Gentilium ſeniorum, Gentilium iuniorum: Scutariorum ſagittariorum, Scutariorum clibanariorum: Fabricenſium, vndecima. Eſt &:

Schola equitum, & peditum.l.6.C. de aduo.diuerſ.iud. Schola ſcriniariorum, & Clibanariorum.l.9.C.Th.de anno.ciuil.Am.Marcellinus lib.22. Schola domeſticorum.l.3.C.vbi Senat. Schola ſilentiariorum.l.4. C.de ſilentia. Schola palatina.l.11.§.fin autem.C. de iudic. Schola ſocietatis ſacrarum largitionum.l.13. C.de pala.ſac.larg.

Scholares, tit.C.de priuileg.ſchol.milites erant ſub magiſtri officiorum diſpoſitione taxati ſcholis illis. xi. vt ait Iuſtinianus.l.vlt.C. de locat. Hi erant quaſi milites ſupernumerarij, vt Sudas indicat in verbo ὑπὲρ ἀριθμὸν.

Scholastici.l.2.C. de lucr.aduoc.pro aduocatis. Nouell.80.συνήγοροι vocantur.ita enim hoc vocabulū Iulianus vertit.De his lex eſt in C. Theod. in hæc verba: Non latet ſcholaſticos vltra modum acceptis honorariis in defenſione cauſſarum annonas & ſumptus accipere conſueſſe.Et ita Sardicenſis concilij.cap.10. Scholaſticus ex foro, id eſt, Zonara interprete, ὁ περὶ λόγους σχολάζων.Et Carthag.concilij c.99. ἐκδίκους σχολαστικούς. Et in paſſione Dorotheæ virginis, Theophilus quidam aduocatus præſidis, Scholaſticus appellatur. Scholaſtici autem nomine, inquit Tacitus lib.de Oratoribus, primùm nuncupati ſunt rhetores, & declamatores litium fictarum: deinde à dictis litibus tranſiit ad veras.Plin.2. Epiſt.Adhuc ſcholaſticus tantùm eſt.

Scire eſt rem per cauſſas cognoſcere Ariſtoteli: facit c.occidit.24.q.8.& naturæ axioma eſt. Vnde rectè colligitur, eum neſcire actiones, qui cauſſas earū ignorat.Qui autem neſcit actionem, nō intelligit ius, quod perſequi vult in iudicio.

Scire leges non eſt verba earum tenere, ſed vim & poteſtatem, Celſus in l.ſcire.D. de legib. Senatúſquecōſultis.

Scire quis præſumitur illud, quod tenetur inquirere, arg.l. regula.D.de reg.iur.

Scire iuris eſt, poſſe facti.l.pen.D.de iur.& fact.igno. Scire dicimur quod ab aliis audimus.l.arbiter.D.de probationibus.

Scire verbum generaliter ſumitur.c.hoc videtur.22.q.5. Scire expliciter & impliciter quid ſit, docet Panor.in gl.Rub.de ſumma Trinit.

Sciens, qui alicuius iudicio rem cognoſcit.l.ait Prætor.D.quæ in fraud.cred.

Scientia interdum ſolam notitiam deſiderat, interdum & voluntatem, veluti in lege Aquilia, qua dominus teneri dicitur, quo ſciente ſeruus damnum dedit, ſcientiam pro patientia accipimus, vt qui prohibere potuit, teneatur, ſi non prohibuerit.l.45.l.46.D.ad leg. Aquil.Similitérque in omnibus noxalibus actionibus, vbi ſcientia domini arguitur, ſcientia ſic accipienda eſt, ſi cùm prohibere poſſet, non prohibuit.Nam quod ſciente quidem, inuito tamen domino committitur, eum non obligat.l.3.& l.4.D.de noxali.cùm huiuſmodi ſcientia culpa vacet.l.37.D.de diuer.regul.In edicto quoque, Si familia furtum feciſſe dicetur, ſciente domino à familia furtum factum accipimus, ſi ſciuit & prohibere potuit.l.j.§.ſcientiam.D.ſi fam.furt.fecis.In edicto De tributoria, ſcientiam accipimus, quæ habet & patientiam, non etiam voluntatem. Non enim velle debet dominus, ſed non velle.Si igitur ſciuit, & non proteſtatus ſit, nec cōtradixerit, tributoria tenebitur, tanquam eo ſciente negotio geſto.l.j.§.ſcientiam.D. de tributor.In edicto, Quæ in fraudem creditorum, hæc verba, Sciente te, ſic accipimus conſcio, & fraudem participante.non enim ſcire ſolum, ſed & fraudis participem eſſe oportet.l.10.in princip.& §. quod ait Prætor.D.quæ in fraudem credi. In eo quod dicitur dies bonorum poſſeſſionis petendæ ſcientibus cedere, ſcientiam accipimus non quæ iuris prudentibus inſit, ſed eam, quam quis aut per ſe habeat, aut cōſulendo peritiores adſequi poſſit.l.2.§.vlt.D.quis ordo in bonor.poſſeſſ.

Sciscere in legibus Romuli eſt ſtatuere, decernere, iubere.Sic accipitur, Scit, id eſt ſciuit, à ſciſcendo, in l. qui res.in fi.D.de ſolut. Sciſcere Feſto lib.17.ſententiam dicere.

Scita plebeia, Feſto ibidem, quæ plebs ſuo ſuffragio ſine patribus iuſſit, plebeio magiſtratu rogante. Vide Plebis ſcita.

Σκοπελισμὸς criminis genus in Arabia, cuius rei fiebant ij qui in inimici agrū σκοπέλους, id eſt lapides poſuiſſent, indicio futuros, quod ſiquis eum agrum coluiſſet, malo leto periturus eſſet inſidiis eorum qui eos poſuiſſent: quo fiebat, vt nemo ad eum agrum accedere auderet, crudelitatem timens eorum qui ſcopeliſmum fecerant.huius meminit Vlp.l.ſunt quædam.de extraord.crimin. Hinc.

Σκοπελίζειν, id eſt lapides ſeu ſcopulos illos ponere.d.l.ſunt quædam.

Scopus cauſſæ in iure ciuili, eſt initium, quod cauſſa ſequentium fuerit, velut principalis pars negotij. Nam cuiuſque rei potiſſima pars principium eſt, dicente Gaio in l.j.D.de orig.iur.

Scortatio dicitur propriè quæ cum meretricibus committitur: hoc eſt cum ancillis, aut libertis quæ palam corpore quæſtum in lupanaribus, aliiſve locis faciunt.l.39.D.de furt.l.43.D.de rit.nupt. Et à Stupro ita diſtinguitur: quòd illa cum meretricibus, hoc cum virginibus aut viduis honeſtæ exiſtimationis committitur.l.6.§.j.& l.ſtuprum.34.D.de adult. Abuſiuè tamen & impropriè Stuprum etiam in meretrice vſurpatur

in l.ſi ea.C.de adult.

Scotatio donationis genus in Dacia vſurpatum, de quo.c.2.de conſuetud.

Scotra, ſiue Scrota, apud Paulum lib.3.Sent.tit.6. ſunt τὰ σαθρὰ τῶν ὑποδημάτων, id eſt calcei detriti. Scotra quoque, inquit, & ſutor, inſtrumento continebuntur.

Scribæ veteribus & librarios & poëtas ſignificabant: poſtea verò ij dicti ſunt qui rationes publicas ſcriberent in tabulis: ob idque apparebát ſingulis magiſtratibus. Cicero Verr.5. de iis loquens: Ordo eſt honeſtus. quis negat? Et paulò poſt: Eſt verò honeſtus, quòd eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculáque magiſtratuum committuntur. Diſtributi erant in aliquot decurias, quarum in aliqua locum ſibi emere conſueuerãt, qui ſcribæ fieri volebant. Idem in Orat. pro domo ſua: Scribæ, qui nobiſcum in rationibus monimentíſque publicis verſantur, &c. Rubr. autem de tab. ſcribis, &c. lib.10.C. de curiarum ſeu magiſtratuum municipalium ſcribis loquitur. Æmilius Probus in vita Eumenis, ait ſcribæ munus multo eſſe apud Graios honorificentius, quàm apud Romanos. nam apud nos, inquit, reuera, ſicut ſunt, mercenarij ſcribæ exiſtimantur: at apud illos contrà, nemo ad id officium admittitur, niſi honeſto loco, & fide & induſtria cognita: quod neceſſe eſt omnium conſiliorum eum eſſe participem. Hinc & dicebat idem Eumenes, Philippi regis, & poſt Alexandri magni ſcriba: Se vitam potius poſiturum eſſe, quam fidem.

Scriba Clariſſimus, de quo Nouell.94. & in Conſtantini Nouella, quæ eius officium apertè definit, erat in prouinciis quaæ prætor tutelaris quidam.

Scriba recoctus, vide Quinqueuiri.

Scribere, eſt ſcripto promittete, & teſtari ſe debere. l.fi.in princ.D. de dol.except. Idem homo ruſticanus genero ſcripſit quaſi vſuras præteritas ex dotis promiſſione. Hinc ſcribere apud Horatium libr.2. ſatyr.3. debitor dicitur, qui mutuum ſumit, cum vel ipſe, vel argentarius eius nomine ferebat creditori acceptum. *Scribe decem à Nerio*, inquit, *non eſt ſatis adde Cicutæ Nodoſi tabulas centum.* Alij tamen hoc verbum ad creditores referunt, quibus moris fuerit vt in argentariorum, apud quos ſuas pecunias collocarant, tabulis expenſum alicui ferrent, & argentario id nomen dictarent. Malim tamen de debitore dici. Idem enim Reſcribere dicebatur, cum æs alienum diſſoluebat, id eſt pecuniam mutuam reddebat, vel per ſe, vel per argentarij ſcripturam, qui in codicem ſuum referebat, æs alienum à debitore creditori eſſe diſſolutum. Donatus in hæc Terentij verba ex Phormione act.5.ſc.7.

Argentum iube rurſum reſcribi Phormio.

Reſcribi, inquit, eſt reddi, ſeu per menſæ ſcripturã dari. Quoniam ad numerationem pecuniæ antecedit ſcriptura, Reſcribere dicebant pro numerare. Sic Horatius vbi ſuprà:

Putidius multo cerebrum eſt (mihi crede) Perilli
Dictantis, quod tu nunquam reſcribere poſſis.

vbi Dictare creditoris verbum eſt, cum iubet ſcribere ſibíque acceptum ferre debitorem: vel cum dictat argentario nomen ſuum, vt perſcribat illi in codice ſuo nomina creditoris & debitoris. Perſcribere verò apud Terentium vbi ſuprà, eſt multis per ſcripturam reddere. Vide Perſcribere.

Scribere etiam proprium Iuriſconſultorum muneris verbum fuit, quemadmodum & cauere. Pompon. in l.2. circa fin.D. de orig.iur. de Iuriſconſultis agens. Sed aut iudicibus, ait, ipſis ſcribebant, aut teſtabantur, qui illos cõſuluerant. In quo verbo ſcitè luſit Cicero, Trebatiũ Iuriſconſultum negligentiæ arguẽs, ambiguo ſumpto exſcribendi varia ſignificatione: Valde, ait ille lib.7. epiſtol. iam lautus es, qui grauueris ad nos literas dare, homini præſertim propè domeſtico. Quod ſi ſcribere oblitus es, minus multi iam te aduocato cauſſa cadent. Vbi ſcribere à vulgari ſua ſignificatione ad hãc quam trado tranſlatum, iocum facit.

Scribere etiam formulam dicebatur, qui in iudicio alterũ prouocabat. Quintilia. libr.6.c.4. Colaphum tibi ducã, & formulam ſcribam, quod caput durum habeas. Sed & quod Græci dicunt δίκην γράφειν, hoc Latini verbum verbo reddẽtes, Dicam ſcribere dicunt. Quã locutionem à comicis primum latinitate donatã, cùm Græcas comœdias Latinas facerẽt, veriſimile eſt. Vtitur autem ea Plaut. Aulularia, Terentius Phormio. & Cicer.4. in Verr. Prætor quoque ſcribere dicitur actionem, cum eam in edicto & albo proponit. l.j. D. de eo qui pro tu. Vnde in rem ſcriptæ actiones exceptionéſque appellantur, quæ generaliter in rem proponũtur, & aduerſus poſſeſſorem dantur, quamquam ex certæ perſonæ facto oriantur. l.9.§.vlt.D. quod metus cau. l.j.§.vlt.D. de interd. l.4.§.metus cau.D. de doli except.

Scribere etiam teſtamẽto dare relinquereque ſignificat. Inde ſcribere libertatem alicui, eſt ei teſtamẽto libertatem dare. l.70.D. de adqui. hæredit. Quintilia. declamatio. CCCLXXX. Æger à ſeruo cui libertatem ſcripſerat, venenum petit: nolenti dare, crucẽ ſcripſit. ſcribere etiam hæredem tam tritum eſt quàm quod tritiſſimum. Minus vulgatum eſt, ſcribere tutorẽ, quo tamen non Iuriſconſulti tantùm vtuntur, vt l.20.D. qui teſtam. face. poſſ. Sed & Cice. pro Cluentio: Nemo illum, ait, ex tam multis cognatis & adfinibus tutorẽ vnquam liberis ſuis ſcripſit. Vt autem hæres ſcribi qui inſtituitur, ita & exheres ſcribi dicitur, qui exheredatur. l.4.D. vnde legit. l.j.§.Pomp.D. de Carbon. edic.

Scribere ſibi legatum videtur non ſolùm qui ſua manu id facit, ſed & qui per ſeruum ſuum vel filium, quem in poteſtate habet, dictante teſtatore, legato honoratur. l.15.§.j.D. ad leg. Cornel. de falſ. Sic ſcribere ſibi, eſt teſtamento ſibi aliquod legatum, aliúdve quid emolumẽto futurũ adſcribere. l.3.C. de his qui ſibi adſcribũt.

Scribere milites, ſcribere ſupplementum exercitui, pro conſcribere, comparare & colligere crebrò legimus. Duos Salluſtij locos ſubieciſſe contentus ero. Sic autem ille in bello Iugurthino, Igitur diffidens, inquit, cæteri exercitui milites eligere, ſcribere, præſidia vndique accerſere. Et alio loco: Et tamen exercitui ſupplementum ſcribere ab ſociis & nomine Latino auxilia accerſere.

Scribere quoque, notã inurere ſignificat. l.17. C. de pœn. Vlp. in Inſtit. tit.j. Dediticiorum numero ſunt, qui pœnæ cauſſa vincti ſunt à domino, quibus veſtigia ſcripta fuerunt. Quintilia. libr.7. c.4. Si quis fugitiuo ſtigma ſcripſerit. Vegetius lib.2.c.5. Nam picturis in cute pũctis milites ſcripti, & matriculis inſerti iurare ſolent. Inde inſcriptos vultus, id eſt, ſtigmate notatos dixit Plin. lib.18.c.3.

Scriptæ rationes pro ſubſcriptis & ſubſignatis. l. Thais.41.§.fi.D. de fideicom. libert. & l.ſi ita ſtipulatus. §.Chryſogonus.D. de verb. oblig. Pro non ſcriptis haberi, & caduca fieri legata longè differunt. l. vn.§.& cum triplici.C. de caduc. Vbi traditur, ea quæ his relinquebantur, qui in rerum natura tunc temporis non eſſent, cùm teſtamentum fieret, pro non ſcriptis habita: quod etiam confirmat. l.2.& l.6. in fi.D. de iure codicil. l.pen.D. de his quæ pro non ſcript. habe. l.26.§. pro nõ ſcripto.D. de fideicommiſ. libert. Pro non ſcriptis etiã habebantur, quæ ſeruis pœnæ relinquebantur. l.3.D. de his quæ pro non ſcrip. l.25.§.ſi quis planè. D. de adquiren. hæred. Item turpia legata, quæ legatarij magis notandi, quàm demerẽdi cauſſa ſcribuntur. l.57. de leg. j. Itemquæ deportatis & peregrinis relinquuntur. l.j. C. de hæredi. inſtit. In eadem cauſſa ſunt & captato-

riæ inſtitutiones,captatoriáque legata,eáque quæ ſibi quis manu ſua in teſtamento adſcripſit.l.j.& l.vlt.D.de his quæ pro non ſcrip.hab.l. 15.§. j. D. ad l. Cornel.de falſis.l.4.& l.5.C.de his qui ſibi adſcribunt.Et generaliter quæcumque illicitè,& contra leges in teſtamento ſcribuntur,pro non ſcriptis habentur,& apud hæredē remanent.l.14.§.ſequens quæſtio,& §.vlt.D. ad l.Cornel.de falſ.l.vlt. D.de his qui.vt indign.l.20.in fin.de hæredi.inſtit.

Scriptvm facere,pro ſcribæ munus exercere. Liuius lib.9.ad fi.de C.Flauio qui ſcriba fuit, Inuenio in quibuſdam annalibus,cùm appareret Ædilibus,fieríque ſe pro tribu Ædilem videret,neque eius nomen recipi,quod ſcriptum faceret,tabulam poſuiſſe,& iuraſſe ſe nunquam ſcriptum facturum.Quem aliquanto antea deſiiſſe ſcriptum facere arguit Macer Licinius.Sic & Gell.de eodem agens lib.6.c.10.locutus eſt.

Scriptorvm nomine accipimus ſcripturas,quarum editiones requiri ſolent: & harum tria ſunt genera: Primum,in quibus continetur formula actionis,quam quis intendit aduerſus alium in iudicio:& ideò appellantur libelli iudiciales,de quibus loquitur Vlp.in l. j. in princ.de eden.Huc pertinent acta iudiciorum, hoc eſt,ſcripturæ continentes ea quæ apud iudicē de cauſſa cognoſcentem aguntur.l.is apud quem.C.eod. tit. Secundum genus ſcriptorum, de iis dicitur quæ in hoc parantur publica fide,vel priuata ſubſcriptione,ſeu conſignatione,vt res geſtæ per ea facilius conſtent ac probentur:vt ſunt inſtrumenta tabellionum, chirographa,literæ ſigillatæ,de quibus tractatur in d.l.j.§. editiones. Tertium genus ſcriptorum,complectitur rationem negotiationis inter duos pluréſve:& hoc genus directò pertinet ad actionem edicti de edendo. Addi poteſt & quartum ſcripti genus,in quo vltimæ voluntates continentur:vt teſtamentum,codicillus.

Scriptvra dicitur etiā vectigal, quod è pecore colligebatur.Vnde illud Plauti:

Nam aduerſum legem à me ob meam ſcripturam pecudem accepit.

A.Ferè idem quod tu facis,faciunt rem male gerentes:

Vbi non eſt ſcripturam unde dent,incuſant publicanos.

Cicero in Orat.pro lege Manilia: Nam cum hoſtium copiæ non longe abſunt,etiam ſi nulla irruptio facta ſit,tamen pecora relinquuntur,agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit.ita neque ex portu,neque ex decumis,neque ex ſcriptura vectigal cōſeruari poteſt.Itē in Orat.pro L.Flacco: Scriptura,decumæ,portorium. Hinc:

Scriptvarivs ager,apud Feſtum,publicus appellatur,in quo vt pecora paſcantur certum æs tribuitur: quia Publicanus ſcribendo conficit rationem cum paſtore.

Scrinia dicuntur in libr.C. capſæ,& loculi,in quibus Principis acta quæ ad ius pertinent, aſſeruantur: qua de cauſſa in l.omnium.19.C.de teſta.totum ius in ſcriniis principis conſtitutum dicitur. Eorum genera hæc quatuor enumerantur in l.vlt.C.de decurionib.l.j.C. de prox.ſacr.ſcrin. Scrinium memoriæ,in quo annotationes Principis aſſeruabātur.l.vlt.C.de diu.reſcrip. Scrinium epiſtolarum,in quo ciuitatum poſtulata & legationes recondebantur. Scrinium libellorum, qui Principi ſupplices oblati erant. Scrinium diſpoſitionum,in quo cognitiones & decreta principis cōſeruari ſolebant. Sunt & ſcrinia ſacrarum largitionum,videlicet exceptorum.l.5.C.de canone ſacr.larg. l.10.C.de murileg.Tabulariorum.l. vlt. C. de veſt. holob.numerorum,ſiue numerariorum, mittendariorū, aureæ maſſæ,auri ad reſponſum, à miliarenſibus, veſtiarij ſacri,ab argento,à pecuniis. Officiorum autem in eis ſcriniis dignitates,& gradus quibus ſtrenæ debentur,& veſtes & annonæ,hi: primicerij,ducenarij, centenarij,epiſtolares,vel epiſtolarij, vt C.Theodoſ. & Saluianus.5.de prouidentia:Veniunt plerunque noui nuncij,noui epiſtolarij à ſummis poteſtatibus miſſi, vbi vulgo malè nouarum epiſtolarum.Sunt & alij gradus,qui dicunrur formæ primæ,ſecundæ, tertiæ, vt & inter miniſteriales.l.2.C.de caſtrenſ.Vide.l.7.C.de palat.ſacr.larg.lib.12.Rerum autem priuatarum ſcrinia quatuor ſunt, beneficiorum, rationum, ſecuritatum, largitionum priuatarum. quod non tantum Notitia Romani imperij comprobat,ſed & lex vlt.C.Th.eod. tit.in qua ita eſt:Tam primicerius officij priuatarum, quam alij quatuor reliquorum primicerij ſcriniorum. Sunt & ſcrinia fabricarum & barbacariorum.l.j.C.de præpoſ.agent.in reb.

Scrinium auri ad reſpōſum.d.l.7.C. de palatin.ſacrar.largition.cuius & in notitia cum de Comite largitionum agitur,fit mentio. Ex hoc accipiēda ſunt hæc Iuſtiniani verba in Nouella de Prætore Piſidiæ, ἐξέστω ἐπὶ τοῖς στρατιώταις καὶ Ad reſponſum.Et in Nouella de Prætore Lycaoniæ,ἐχέτω γε μὴν καὶ Ad reſpōſum,ἤτοι ἀποκρισιαρίους πρὸς τὴν στρατιωτικὴν εὐκοσμίαν. Et in Nouella de Prætore Thraciæ,καὶ παρέσθω,ait,μὲν αὐτῷ καὶ Ad reſpōſum,διὰ τὰς ἐκεῖσε δυνάμεις.In Nouella ex Moderatore Helenoponti,ὑπακουέτω δὲ αὐτῷ καὶ τὸ στρατιωτικὸν τὸ κατὰ τὴν ἐπαρχίαν ἱδρυμένον.ἐχέτω τε καὶ Ad reſponſum. Ex quibus locis apparet militaribus vſibus hoc ſcrinium deſeruiiſſe.Eóque ad milites perlata exercitus rectorū mandata in vetuſtis quibuſdam ad Iulianū Patricium notis legi.Meminit etiam officij Ad reſponſum in re militari.l.19.§.j.C.de re mil.lib.12. Hinc:

Scriniarii in l.vlt.C.de caſtrenſ.pecul.lib.12.l.8.& l. 10.C.de num.lib.12.l.vlt.de apparitoribus præf.prætor. Sudas, σκρινιάριος ὁ χαρτουλάριος τοῦ ἐπάρχου, ὁ αἴρων τὸ σκρίνιον,ἤτοι τὸ κιβώτιον.Scriniis autem magiſtri præponebātur,qui alij fuerunt à ſcriniariis. Et ita Alexand. Vlpianum magiſtrum ſcrinij fuiſſe Lampridius auctor eſt.Nec principibus tantum,ſed & magiſteriis poteſtatibus ſui ſcriniarij erant.l.vlt.C.de teſt.mi..

Scripvli.l.j.& 5.C.de metall.lib. 11. l.j. C. Theod.de ponderat.l. 12. de metallar. in eod. C. dicitur Græcis γράμμα, éſtque vigeſimaquarta pars vnciæ, Voluſio Mætiano.

Scrvtari inquirere.l.veteres.C.de commerciis.& l. diuus Pius.de fugit.

Scrvtinivm in rub.extra de ſcrutinio in ord.faci.eſt ſecreta examinatio,& exploratio, num quis idoneus ſit vt eligatur. Quot modis ſumatur,vide Archid.c.2. de elect.in 6.

Scvclatis in l.11.de Scenicis,in C. Theo.fortè proſcrutulatis cum vitio legitur,vt ſignificētur veſtes ſcutulis diuiſæ,quarum meminit Plin.lib.8.c.48.B.Hieronymus in Ezechiel.c.27.Iſtiuſmodi homines negociatores Tyri ſunt,qui polymita purpuram & ſcutulata mercantur.

Scvlpere, cudendo imaginem effingere. C. nemin. lic.ſignum ſaluat.

Scvlptores in l.j.C. de excuſ.artif.Græcis γλύπται, quo nomine Græco & ſculptores lignorum ſignificātur,& qui ſigna faciunt,ſiue ſignarij,& alij quilibet ſculptores cælatoréſque.

Scvltatores, vide Speculatores.

Scvtvm, vide Clypeus.

Secare, proprie quis ſerris dicitur, vt cædere ictibus. Hinc apud Paulum.l.5.D.arb.fur.cæſ. Secare proprie eſt ſubſecuiſſe. non enim poterat cæcidiſſe intelligi qui ſerra ſecuiſſet.Alij Subſecare legunt.ſed illa lectio potior.

Secessvs, rus amœnum & ſuburbanū, quo animi relaxandi cauſſa ſecedimus.Vlpia.l.21.§.9.de recept.qui

arb. Quid tamen (de arbitro loquitur) ſi in eo loco qui ſit circa vrbem adeſſe iuſſerit, Pegaſus admittit valere iuſſum. Quod puto ita verum eſſe, ſi & eius ſit auctoritatis arbiter, vt in ſeceſſibus ſoleat agere, & litigatores facile eo loci venire poſſint. Idem l.16.D.mādati, Vt in hortis quos Rauennæ habebat, in quos omnibus annis ſecedere ſolebat, ſphæriſterium faceret. Plin. lib. 2. epiſt.17. Iuſtíſne de cauſſis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere ſeceſſum, quem tu nimis vrbanus es, niſi concupiſcis.

SECRETO fieri, etiam intelligitur, quod inuenientibus amicis confit. l.pen. in princ. C. qui potiores in pignore hab.

SECRETARIVM, locus in quo iudices cauſſas audiunt & cognoſcunt. Zeno in l.vlt.C. vbi ſenat. vel clariſ. Sedendi, inquit, cum celebratur cognitio, in ſecretariis iudicantium ius conſequantur. Et paulo ſuprà: Sedendi quoque in aliqua Secretarij parte, quæ iudicibus inferior, altercantibus verò ſuperior eſſe videatur. Sic in l.vlt.C. de offic. diuerſ. iud. l.12.C. de proxim. ſacrorū ſcriniorum.

SECTA, pro ratione videtur ſumi. §. vlt. Inſt. de legat. Huiuſmodi enim teſtatorum voluntates valere, ſecta meorum temporum nō patitur. j. vt exponit Theoph. ἀλλότριόν ἐστι τῆς εὐσεβείας ἐμῶν χρόνων τῆς βασιλείας. Sic Alexander l.2.C. ad leg. Iul. maieſt. & Gord. l.2.C. de delator.

SECTATORES in l. Fabia de ambitu, dicebantur qui Candidatos ſectabātur, quorum tres partes facit Qu. Cicero lib. de petitione Conſulatus. Vide Catalogum legum.

SECTIO Latine dicitur, quæ poſtea confiſcatio appellari cœpta eſt: cum alicuius bona publicantur: deriuata ex eo appellatione, quòd prædam ex hoſtibus captam milites inter ſe ſecabant ac diuidebant. Cæſar lib. belli Gall. 2. Poſtridie eius diei refractis portis, cum iam defenderet nemo, atque intromiſſis militibus noſtris, ſectionē eius opidi vniuerſam Cæſar vendidit. Corn. Tacitus, Reliquias ſectionum Neronianarum nondū in fiſcum conuerſas, reuocatis ab exilio conceſſit. Cicero de Inuent. 2. Hoc commode reprehenditur, ſi dici poſſit ex hoſtibus reus eſſe captus, cuius prædæ ſectione venierit iuris eſt. Hinc:

SECTORES dicti ſunt, inquit Aſconius, qui ſpem lucri ſui ſecuti, bona condemnatorum ſemel auctionabantur, próque iis pecunias penſitabant ſingulis, ac poſtea pro compendio ſuo ſingulas quaſque res pecunia populo venditabant. Hæc ille. quibus ex verbis Sectores à Sequendo dictos coniicimus. arbitror ab antiquo verbo Seco, ſecas: quod idem ſignificat vt ſequor. vnde ſector, ſectaris: & ſecta ſectæ. nam & accuſatores & iudicia ſectabantur, quoniam damnatorum bona ipſi æſtimare, & certam ſummam promittere ſolebant. Idem alio loco: Sector eſt, inquit, æſtimator ac redemptor bonorum damnati, atque proſcripti, qui ſpem ſectans lucri ſui, id eſt ſecutus ſpē æſtimationis ſuæ, bona omnia auctione vendit, & ſemel infert pecuniam vel ærario, vel ſociis. Veterib. Gloſſis βιώνης dicitur, id eſt, vt exponunt Heſych. & Sudas ὁ τὰ δημόσια ἀγοράζων.

SECVNDI fructus, vberes, copioſi, Paul. l.63. in fin. D. ad leg. Falc.

Secundus HÆRES dicitur, qui ſecundo gradu inſtitutus eſt: vt Primus, qui j. l.8.D. de lib. & poſth. l. ſi is qui.25.D. de teſtam. Boethius in Topic. Ciceronis Commēt. lib. 2. Secundus hæres dicitur, inquit, qui hæredi inſtituto ſubſtituitur: veluti ſi quis filium inſtituat hæredē, ſcribátque: Si is filius intra pubertatem deceſſerit, nepotē, vel quemlibet alium hæredem eſſe oportere. Gaius lib.2. Inſtit. tit.4. & l.4.D. ad Silan. Is vulgò Subſtitutus appellatur. Cicero Verri. tertia: Appellat L. Annium, qui erat inſtitutus ſecundum filiam. Et aliquanto pòſt: Nunc eſt eiuſmodi edictum, vt quamuis intelligat, nō populo eſſe ſcriptū, ſed P. Annij ſecundis hæredibus. Salluſt. in bello Iugurth. Erat præterea in exercitu noſtro Numida quidam Maſaniſſæ nepos, quem Micipſa teſtamento ſecundū hæredem ſcripſerat. Suet. in Iul. c. 83. Plures percuſſorū in tutorib. ſi quis ſibi filius naſceretur, nominauit. D. Brutū etiā in ſecundis hæredibus.

Secundæ TABVLÆ dicuntur, quibus pupillaris ſubſtitutio ſcripta eſt: ſic dictæ, quod poſt paternas in ſecunda parte tabularum, & in ima cera fiebant: ſicque accipiuntur. l.2. §. interdum. l.12.D. de vulg. ſubſtit. l. vlt. D. ad Trebell. l.pen. D. teſtam. quemadm. aper. vel etiam quia ſubſtitutio hæc, paterni teſtamenti quædam appendicula & ſequela eſt, l. qui plures. in fi. C. de pupill. ſubſtit. & (vt ait Iuſtin.) in inferioribus partibus ſcribebatur, eáque pars proprio lino, propriáque cera cōſignabatur: & in priore parte teſtamenti cauebatur, ne inferiores tabulæ viuo filio, & adhuc impubere aperirentur. §. ſin autem. 4. Inſtit. de pub. ſubſt.

Secundarum nuptiarum nomine veniunt & tertiæ, atque vlteriores, ſecundum Azon. in ſumm. C. de ſecund. nupt. & Bart. ibid.

SECVNDVM, pro prope ripam. l.29.D. de acq. re. Sic ſecundum viam, agrum, parietem. l.30. §. j. l.38.D. de acq. rer. dom. l.13.D. de ſeruit.

SECVNDOCERIVS, in l.7.C. de palatin. ſacr. largitio. lib.12. & Rubr. de primicer. & ſecundocer. & l.vlt.C. de domeſtic. & protectorib. vbi ſecundocerij locum, non, vt vulgò legitur, ſecundi primicerij, vetus codex habet. Eſt & hoc verbum frequens in Notitia Imperij Rom. Eadem autem figura qua primicerius, ita & ſecundocerius, qui ſecundum in ordine ſuo locum gradúmque obtinet appellatur.

SECVS, male l. filiis matrem. C. de inoffic. teſta. aliquando contra. l. ſi res. C. de ordin. cogn.

SECVRVS, ſine aliqua cura. l. plurimum. D. de iur. & facti ignor. Vide Duar. diſputat. ann. lib.2. c.22.

SECVRITATIS nomen quod vſurpatur ab Vlpiano. l. j.D. ad leg. Iul. maie. non accipitur pro eo quod noſtri ſaluum conductum vocant: (Vlpianus enim Latinæ locutionis diligens obſeruator, dixiſſet potius contra fidē publicam aliquid eſſe cōmiſſum: formula loquendi probatis auctoribus vſitata) ſed ἀντὶ τῆς ἀδείας, ἢ ἀσφαλείας, ἢ ἀμεριμνίας, cum ſcilicet ſtatus reipub. ita compoſitus eſt, vt nulla ex parte periculum imminere videatur, nec ſit metus belli externi, aut inteſtini. Bud.

SECVTORES, vide Sequor.

SED aduerſatur, ſed cum copulat, cōciliat, ſine ea aduerſatur, vt indicat Albericus: vnde Sed & diuerſitatem facti idē ius ſignificat. Sed pro ſed &, ſæpe in libris noſtris poni docet Anton. Auguſt. lib. Emendat. 2. c.1.

SEDEO, ſedes, vulgarem habet ſignificationem: cui contraria eſt illa verbi Sto. Sed præterea ſignificat Sedet, imperſonaliter idem quod videtur, vel placet. Vlpia. l. ſi fideiuſſor. 7. §. vltim. qui ſatiſdat. cog. Si ſatiſdatum pro re mobili nō ſit, & perſona ſuſpecta ſit, ex qua ſatiſdatio deſideratur, apud officium deponi debebit, ſi hoc iudici ſederit, donec vel ſatiſdetur, vel lis finem accipiat. Sederit, id eſt ſi iudici viſum fuerit, ſi ita arbitratus ſit.

Sedere iudices dicuntur. Cicero pro Rabir. Poſthumo: Modò vos iidem in A. Gabinium iudices ſediſtis. Plin. libr.6. Epiſt. ad Roman. Sedebant iudices centum & octoginta, tot enim quatuor conſiliis colliguntur. ingens vtrinque aduocatio. Sedere etiam dicitur prætor, cùm pro tribunali iuris dicendi cauſſa ſedet. l.2. §. confeſtim. D. ad Tertyllian. l.7. D. de in integrum reſtitut. Hinc:

SEDES, §. illis autem. de milit. teſtam. l. vlti. C. de reſtit. milit. l. vltim. C. quib. non obſt. long. temp. præſcript.

& apud Vegetium lib.3.ca.4.& ca.vltim. pro caſtris & loco, in quo milites otioſi commorantur.

Sessio, onis. Hinc ſeſſionum dies dicuntur, quibus Prætor ſui copiam facit: quippe cum iis diebus non de plano & æquo loco ius dicat: ſed de loco edito, & in curulli ſella ſedens decreta ſua interponat, apud Vlpianum l.2.§.dies.quis ordo in poſſeſ.ſeruetur: Dies bonorum poſſeſſionis vtiles eſſe palam eſt, ſed non ſeſſionum numerabuntur, ſi modò ea ſit bonorum poſſeſſio, quæ de plano peti potuit. Eſt & alius Vlpiani locus l.5.vt in poſſeſ.legat.vel fid.vbi hoc verbum legitur, ſi credimus vetuſto exemplari quod à Ianotio profertur: Sex menſium, inquit, puto continuum tempus, non ſeſſionum computandum. Duarenus veteris codicis lectionem probat Diſput.ann.lib.2.cap. 16. Pandectæ tamen Florentinæ, poſſeſſionum legunt, non ſeſſionum.

Sedvlaria, in l.4. D.de ſupell.leg.in ſedilibus numerantur: vt cathedraria, in cathedris: ſuntque ea quæ in rheda ſedenti ſubiiciuntur: vel potius ſedes, in quibus geſtamur.

Sellæ curules, ait Iſidor.lib.20. Etymolog.c.j. erant in quibus magiſtratus ſedentes iura reddebāt. Dictæ autem curules, quia apud veteres Prætores & Coss. propter itineris longinquitatem curru in forum proueheba ntur. Sellæ prætoriæ fit mentio in l.j.§.caſum. D.de poſtul. Qua de re vide quæ lib.3.Antiq.dixit Briſſonius. Eſt & Sella geſtatoria, de qua apud Sueton.in Nero.cap.26.& in l.7.D.de ſeruitutib.ruſtic.l.49.D.leg. 3.de qua & lib.j.Antiq.aliquid dixit idem Briſſonius. Sella balnearis, apud Paulum lib.3.Sent.tit.6.

Seditio, quietis publicæ turbatio, l.j.C.de ſeditio.l. conſtitutiones. D.de appellatio. capit.ſeditionarios. 46.Diſtinct.

Segmenta l.penult. C.de veſt. holo. Cedrinus ὤρας vocat, quaſi oras, vel quaſi ornaturas, vt Iſidorus ait, Leo Nouella 80. τμήματα. Erant autem ornamenta quædam quæ veſtibus aſſuebantur.

Segnitia, tarditas, negligentia ad agendum. Accurſ. l.ſi nulla.D.de pigno.actio.

Semita, via à plauſtris auerſa, l.ſi ex plagis. §.tabernarius. D.ad leg.Aquil.

Σεισαχθεία, in legibus Solonis, Latinis nouæ tabulæ, id eſt alleuatio debiti communis. legis verba hæc ſunt: τῶν χρεῶν ἀποκοπὴν ποιεῖσθαι, καὶ λύτρωσιν, καὶ ἐπὶ σώμασι μὴ δανείζεσθαι, καὶ οὗτος ὁ νόμος, ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΑ καλέσθω. Eſt autem deductum hoc vocabulum ἀπὸ τοῦ σείειν τὸ ἄχθος, ab excutiendo onere, æris ſcilicet alieni.

Semestria Diui Marci in libris noſtris ſæpius citantur, vt l.46. D.de pact.l.vltim.D.de ſeru.export.l. 12.D.de acq.hæred.§.item diuus. Inſtitut.de excuſ.tut. Sic autē forte appellata ſunt, quæ in ſemeſtribus conſiliis conſtituta ab eo, & reſcripta erant: Semeſtria enim conſilia principum dicebantur, in quibus cum aliquot Senatoribus ad ſemeſtre tempus aduocatis, de iis quæ ad ſenatum referenda erant deliberabant: forte ex eo quod hibernis æſtiuiſque menſibus ſibi conſiliarios mutabant: vel potius quod menſes ſex hibernos iuriſdictioni darent, reliquos ſex æſtiuos aliis negotiis. Hinc illud Cicer.lib.ad Attic.5. epiſt.14. Erat mihi in animo rectà proficiſci ad exercitum, æſtiuos mēſes reliquos rei militari dare, hibernos iuriſdictioni. quod & teſtatur Theophilus in Inſtit.quib.ex cauſ. man.non licet. Atque Auguſtum ſemeſtria ſibi conſilia inſtituiſſe, cum quibus de negotiis ad frequentem ſenatum referendis, ante tractaret, Suet.cap.37. ſcribit, & Dion.lib.53. his verbis: τὸ δὲ δὴ πλεῖστον τοὺς τε ὑπάτους, ἢ τὸν ὕπατον, ὁπότε καὶ αὐτὸς ὑπατεύοι, κἀκ τῶν ἄλλων ἀρχόντων ἕνα παρ' ἑκάστων, ἔκ τε τοῦ λοιποῦ τῶν βουλευτῶν πλήθους πεντεκαίδεκα τοὺς κλήρῳ λαχόντας συμβούλους ἐς ἑξάμηνον παρελάμβανεν, ὥστε δι' αὐτῶν καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσι κοινοῦσθαι τρόπον τινὰ τὰ νομοθετούμενα νομίζεσθαι. Quæ verba Zonaras in Auguſto tranſcripſit. Xiphilinus quoque tradit ab Auguſto ſenatores quindecim ſorte ductos eſſe cum quibus iudicabat, καὶ πεντεκαίδεκα, inquit, τῶν βουλευτῶν, τοὺς κλήρῳ λαχόντας συμβούλους ἐς ἑξάμηνον παρελάμβανε, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ ἐδίκαζε μετ' αὐτῶν. Pariter & de Tiberio tradidit Suetonius in Claudio. Rerum actum diuiſum antea in hibernos æſtiuóſque menſes coniunxit.

Seminarivm, locus ſubactus, in quo vitium arborúmque ſemina panguntur, conſeruantur atque adoleſcunt: vt aliò poſtea, quaſi ex nutriculæ gremio, transferantur. Græcè φυτευτήριον dicitur. Vlpianus l.9. §.5. D.de vſufruct. Seminarij autem fructum puto ad fructuarium pertinere: ita tamen vt & vendere ei & ſeminare liceat. Debet tamen conſerendi agri cauſſa ſeminarium paratum ſemper renouare, quaſi inſtrumentum agri. Quale ſit eligendum parandúmque ſeminarium, docet Columella libro tertio, & Plinius libro decimoſexto. Vlpianus lege quarta, §.primo.D. arb.furt. Quòd ſi quis ex ſeminario, id eſt ſtirpitus arborem tranſtulerit, &c.

Semis ſex vncias continet, vt notum eſt. Ex ſemiſſe hæres ſcriptus dicitur, qui ex media parte inſtitutus eſt: qui ſemiſſarius appellatur.

Semissales vſuræ, pro ſemiſſes, id eſt cum ſeni aurei quotannis in centenos penduntur. Modeſtin.l.10. D.de pollicit. Ita pollicita eſt, vti ſors apud eum remaneat, & ipſa vſuras ſemiſſales ad præmia certantium reſoluat.

Semissarivs hæres, hæres ex ſemiſſe. Florentinus l. 116. §.j. D.de legatis & fideicom.3. A cohærede verò ſemiſſario, duobus extraneis cōcurrentibus, non amplius tertia parte.

Semvncia, vnciæ pars dimidia: vt apud Scæuolam l. 21.§.2. D.de annuis legat. vbi ex aſſe hæreditatis vxor prius quadrantem, deinde ex fideicommiſſo dodrantem, detracto quadrante Falcidico, id eſt vnciis duabus & ſicilico conſecuta, defendebat partem hæreditatis dimidiam, quam adulto priuigno reſtituere iuſſa erat, ex illo quadrante Falcidico in aſſem reuocato computandam eſſe, quod Scæuola comprobauit.

Semper, omne tempus, omnem caſum reſpicit, l.ſemper.de iur.immu. De quo Bart.in l.j.D.ſol.matrimon. Spec.tit.de in inte.reſtit.§.4.

Senator dictus eſt, vel à ſenectute: quòd initio non niſi prouectæ ætatis viri graues eligebantur: vt apud Ennium:

Moribus antiquis res ſtat Romana, uiriſque.

Vel à ſinendo: quia magiſtratibus non plus licebat, quàm ſenatus permitteret. Liuius de Romulo lib.1. Cum iam, inquit, virium haud pœniteret, conſilium deinde viribus parat. Centum creat Senatores: ſiue quia is numerus ſatis erat: ſiue quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent. Patres certe ab honore, Patriciiique progenies eorum appellati.

Senatores, qui à patriciis & conſulibus vſque ad omnes viros illuſtres deſcendunt: quia hi ſoli in Senatu ſententiam dicere poſſunt. Vlpianus in l.nuptæ. D.de Senator. Senatoris filius eſt & is, quem in adoptionem accepit, quàm diu tamen in familia eius manet.

Senatvs Romani deſcriptionem, diligentiſſime tum à Sigonio, tum ab Hotomano excerptam, vide ad calcem libri.

Senatus alius maximus, alius minor appellatur. Maximus dicitur antiquæ Romæ, & Conſtantinopolitanæ Romæ, in l.vltim.C.de decurionibus. vbi de iure eius qui tres filios habet, agitur: vt ſi vnum ex iis qui decurio eſſet, Senatui maximo ſociaſſet, ei curiæ liberatio-

nem pareret. Minor dicitur, aliarum ciuitatum curiæ, & qui in eum conſcripti ſunt conſilij publici cauſſa, proprie curiales, ſiue decuriones ſunt. Caſſiodorus libro 9. Non inaniter appellauit minorē ſenatum, neruosquoque vocitans ac viſcera ciuitatū. Hinc Impp. in l. omnes iudices 33. C. de decurionib. Quod ſi quis forte iudicum audeat decurionem, & ſuæ curiæ (ſi ſic dici oportet) ſenatorem tormentis ſubdere, &c.

SENATVSCONSVLTVM, ius appellabatur, quod iubebat, & conſtituebat ſenatus, §. ſenatuſconſultum. Inſtitut. de iure nat. gent. & ciuil. Nam neceſſitas ipſa curam reipublicæ ad ſenatum deduxit, quia plebs difficile conuenire cœpit. Pompon. in l. neceſſarium. D. de orig. iur. Vbi & Senatuſconſultum, inquit, quod ſolùm ſenatu conſtituente inducitur ſine lege. Senatuſconſulti autem forma duplex erat: Altera, vt ſinguli ſenatores per conſulem interrogati, dicerēt ſententias: quas ſemper de rebus grauiſſimis (modo ſi tempus ferret) fieri ſolebat. Altera, vt cum primus dixiſſet, diſcedens mox in aliquam partem: cæteri tum, qui eiuſdem ſententiæ eſſent, eodem irent. Quod per diſceſſionem appellabatur. Et, in ſententiam ire, vel, pedibus in ſententiam ire. Item, in eandem ſententiam concurrere.

Senatuſconſulto intercedere, hoc eſt, opponere ſeſe Tribuni poterant. Cæterum, intrare curiam Tribunis non licebat. Ante valuas autē poſitis ſubſelliis decreta patrum attentiſſima cura examinabant, vt ſi qua ex iis improbaſſent, rata eſſe non ſinerent. Itaque veteribus Senatuſconſultis T. litera ſubſcribi ſolebat: eáque nota ſignificabatur, illa Tribunos quoque cenſuiſſe. Valer. lib. 2. cap. 1. Vide deſcriptionem Senatus ad calcem libri.

Senatuſconſultorum quædā ſunt, quæ proprium nomen habent; quædam ſunt anonyma, quæ proprio nomine donata non fuere. Proprio nomine donata hæc ſunt:

S. C. ÆMILIANVM, de fideicommiſſariis libertatibus, factum eſt Æmilio Iunio, & Iulio Seuero COSS. Vt ſi quis ex his qui fideicommiſſam libertatem ex quacunque cauſſa deberent ſeruo, qui mortis tempore eius qui rogauit non fuerit, iſq; adeſſe negabitur: Prætor cognoſcat. Et ſi in ea cauſſa eſſe videbitur, vt ſi præſens eſſet, manumittere cogi debere, id ita eſſe pronunciet. Cúmque ita eſſe pronunciaſſet, idem iuris ſit, quod eſſet ſi ita vt ex fideicommiſſo manumitti debuiſſet, manumiſſus eſſet, l. ſi eum ſeruū. 28. §. ſi quis. D. de fideicom. libert.

S. C. APRONIANVM, de fideicommiſſariis hæreditatibus, factum eſt M. & L. Antoninis Imperatoribus, Aproniano, Paulo COSS. anno DCCCCXXIII. Vt omnibus ciuitatibus quæ ſub imperio populi Romani ſunt, reſtitui deberet & poſſet fideicommiſſa hæreditas. Sed & actiones in eas ex Trebelliano transferrentur: quin & municipes ad eas admitterentur. ita tamen vt his quibus reſtitueretur hæreditas, actorem eligerent, & ad agendum & ad excipiendas actiones, l. omnibus, 26. & l. ſeq. D. ad Trebell.

S. C. ARTICVLEIANVM, de libertatibus ſeruorum, factum eſt imperante Traiano, ipſo & Articuleio Pœto COSS. Anno DCCCLIX. Vt quacunque in prouincia libertas ſeruo relicta teſtamento fuerit, Præſes eius prouinciæ de ea cognoſcat, quamuis hæres non ſit eius prouinciæ, l. non tantum. 51. §. 5. de fideicommiſſariis libertatib.

S. C. ANTONIANVM, de haſtis Martiis in regia motis, factum Marco Antonio, A. Poſthumio COSS. anno DLIII. Quod Cæſar Iulius L. F. Pontifex nunciauit, in ſacrario in regia haſtas Martias mouiſſe, de ea re ita cenſuerunt. Vt M. Antonius Conſul hoſtiis maioribus Ioui & Marti procuraret: quod & cæteris diis quibus videretur placandis vti procuraſſet, ſatis habendum cenſuerunt. Si quid ſuccidaneis opus eſſet, Robigus accederet. Gell. lib. 4. cap. 6.

S. C. CARBONIANVM, de ſtatu liberorum: Vt ſi cui controuerſia fiat, an inter liberos ſit, & impubes ſit, cauſſa cognita perinde bonorum poſſeſſio detur, ac ſi nulla de ea re controuerſia eſſet: & iudicium in pubertatis tempus differtur, l. j. & paſſ. D. de carb. edict.

S. C. CALVITIANVM, de nuptiis quinquagenarij: Vt ſi maior quinquagenaria minoris ſexagenario nupſerit, nihil ea res ad capiendas hæreditates & legatas dotes pertineat. Itaque mortua muliere dos caduca erit. Vlp. cap. Inſtit. 16.

S. C. CLAVDIANVM, de nuptiis ſexagenarij: Vt qui maior ſexagenario minorē quinquagenaria vxorem duxerit, perinde habeatur, ac ſi minor ſexaginta annorum vxorem duxiſſet. Vlp. cap. Inſtit. 16.

S. C. CLAVDIANVM, de prouinciis conſularibus, factum eſt L. Paulo, C. Marcello COSS. anno DCCIII. Quod M. Marcellus Conſul verba fecit de prouinciis Conſularibus, de ea re ita cenſuerunt: Vt L. Paulus, C. Marcellus COSS. cum magiſtratum iniſſent a. d. ex Cal. Martiis quæ in ſuo magiſtratu futuræ eſſent, de conſularibus prouinciis ad ſenatum referrent, néve quid prius ex Calend. Martiis, néve quid coniunctim de ea re referretur à conſulibus, vtique eius rei cauſſa per dies comitiales ſenatum haberent, S. Q. C. facerent. Et cum de ea re ad ſenatum referretur à conſulibus, eorum qui in trecentis iudicibus eſſent, ſex adducere liceret, ſi quid de ea re ad populum plebémve lato opus eſſet, vt Ser. Sulpitius, M. Marcellus COSS. Præt. Tribuni pl. quibus eorum videretur, ad populum plebémve ferrent. quod ij non tuliſſent, vti quicunque deinceps eſſent, ad populum plebémve ferrent. Cælius ad Cicer. Epiſt. lib. 8.

S. C. CLAVDIANVM, de muliere ſeruo alieno coniuncta: Vt ea mulier quæ ſe alieno ſeruo iunxerat, domino ſerui cum bonis ſuis omnibus addiceretur, l. j. C. de ſenatuſc. Claud. tol. Vbi Iuſtin. ait, denunciationibus ſententia iudicum opus fuiſſe. Vlpianus autem cap. Inſtit. 11. Maxima capitis diminutio, inquit, dicitur, per quam ciuitas & libertas amittitur, veluti cum mulier alieno ſeruo ſe iunxerit, denunciante domino, & ancilla facta fuerit, ex S. C. Claudiano. Huius etiam certiſſimum veſtigium eſt l. Lucius 2. C. depoſiti. Idem autem dicitur de ingenua muliere, quæ ſe ad gynecia-rium applicauit, l. 3. C. de murileg. Quare autem hoc Claudianum S. C. vocetur, ſatis conſtituere non poſſum. nam Claudij Imp. nomine ſic appellatum dicere nulla ratio eſt: cum ſatis Senatuſconſulta non ex Imperatorum, ſed ex Conſulum referentium nomine appellata fuiſſe. Locum igitur Cornelij Taciti lib. 11. conſiderans, in quo poſt expoſitam Senatuſconſulti ſententiam, ſcribit Pallantem, quem Claudij libertum, & apud illum gratia & auctoritate mirabili præditum fuiſſe conſtat, editum ac nominatum à Claudio repertore huius relationis, ac propterea Prætoria inſignia, & centies quinquagies HS. ei decreta fuiſſe: venio in opinionem, Claudianum ex illius liberti nomine appellatum eſſe. Verba Cornelij hæc ſunt: Inter quæ, inquit, refertur ad patres de pœna fœminarum, quæ ſeruis coniungerentur, ſtatuitúrque vt ignaro domino ad id prolapſa, in ſeruitutem ſui conſenſiſſet: & qui nati eſſent, pro libertis haberētur. Pallanti, quem repertorē eius relationis ediderat Cæſar, Prætoria inſignia & centies quinquagies cenſuit Conſul deſignatus. His autem ex verbis ſcrupulus aliquis naſcitur, cum Vlpianus & Iuſtinianus non aliter eam ſeruituti addictam ſcribant, quàm ſi denunciante domino deſiſtere noluiſſet. Video autem Tranquillum

in Veſpaſiano cap.11.ſcribere, auctorem illum ſenatui fuiſſe decernendi, vt quæ ſe alieno ſeruo iunxiſſet, ancilla haberetur. Vt ſuſpicari liceat, quòd Claudij tempore inſtitutum erat, id Veſpaſiani auctoritate abſolutum fuiſſe: & à Iuriſconſultis hoc totum ei S.C.attributum: quod vetuſtius, & Claudij auctoritate incœptum, Claudianum nominarunt. Hot. Sunt tamen qui Tranquillum hac in re peccaſſe contendant, cum & S.C.Claudianum, & id quod Macedonianum dicitur, Veſpaſiano tribuit, vtrunque eſſe Claudianum ex Tacito confirmantes. Hoc autẽ S.C.ſublatum fuit conſtitutione Iuſtiniani quæ eſt vnica dicto tit.Cod.de ſenatuſc.Claud.toll.

S.C.CLAVDIANVM, de quæſtione familiæ, cum S.C. Silaniano cõiungitur ſub tit.de S.C.Silanian.& Claud. Vide S.C.Silanianum.

S.C.CLAVDIANVM ſuper collegio aruſpicum: Viderent Pontifices quæ retinenda firmandáque aruſpicum. Huius meminit Cornelius Tacitus lib.11.

S.C.DASVMIANVM, de libertatibus fideicommiſſariis: Vt ſi ex iuſta cauſſa abſit, qui fideicommiſſam libertatem ſeruus debet, aut pupillus ſit, & hoc pronunciatum fuerit, perinde libertas competat ſeruo atque ſi, vt oportet, ex cauſſa fideicõmiſſi manumiſſus eſſet. Item, vt ſi eum eóſve quicunque fideicõmiſſam libertatem ex quacunque cauſſa debere pronunciati fuerint, abeſſe contigerit, perinde habeatur, is qui manumitti iuſſus eſt, atque ſi, vt oportet, ex cauſſa fideicommiſſi manumiſſus eſſet, l.neque.36. & l.non tantum ſi.§.Senatuſc.D.de fideic.libert.

S.C.FANNIANVM, de Philoſophis & Rhetoribus, factum C.Fannio Strabone, M.Valerio Meſſala Coſs. ann.DXCII. Quod M.Pomponius Prætor ſenatum conſuluit de Philoſophis & Rhetoribus. De ea re ita cenſuerunt, vt M.Pomponius Prætor animaduerteret curarétque, vt ei è Republ.fidéque ſua videretur, vti Romæ ne eſſent. Gellius lib.15.cap.11.

S.C.IVNCIANVM, de libertatibus fideicommiſſariis: Vt ſi hæres rogatus ſit non hæreditarium, ſed propriũ ſeruum manumittere, is ſeruus poſt pronunciationem, ad libertatẽ perueniat, ſiue ex iuſta cauſſa dominus abſit, ſiue latitet, ſiue præſens non vult manumittere, ſiue etiam dominus eius ſerui emptor ſit, l.non tantum.51.§.ſed ſi. D.de fideicom.libert. Alij Vincianum vocant.

S.C.IVNIANVM, de colluſione detegenda, factum Domitiano imperãte, Cæſare & Ap.Iunio Sabino COSS. anno DCCCXXXIX. vt qui per domini & ſerui, aut patroni & liberti colluſionem factam probaſſet, vt vel ſeruus ad libertatem, vel libertus ad ingenuitatem proclamaret, libérque aut ingenuus pronunciaretur, is ſeruum quidem in poteſtate ac dominio ſuo, libertum autem in patronatu ſuo haberet.l.j. D.de colluſ. deteg.l.2.C.eod.l.adoptiuum.8.D.de in ius vocando. In Baſilicis tamen, vt teſtatur Iac.Cuiac.in Parat. S.C. Iunianum, d.l.2.C.de col.deteg. vocatur Ninnianum. Alij Numianum dici aiunt.

S.C.IVLIANVM, de petitione hæreditatis, diſtractis rebus hæreditariis dolo præterito, & fructibus, factum Hadriani temporibus, Q.Iulio Balbo, P.Iuuentio Celſo, T.Aufidio Frontone, Arrio Seueriano COSS. Vt ſi antequam partes caducæ ex bonis defuncti fiſco peterentur, hi qui ſe hæredes exiſtimant hæreditatem diſtraxerint, ne redactæ ex precio rerum venditarum pecuniæ vſuræ exigantur, idémque in ſimilibus cauſſis ſeruetur. Item, vt à quibus hæreditas petita fuiſſet, ſi aduerſus eos iudicatum eſſet, ij precia quæ ad eos rerum ex hæreditate venditarum perueniſſent, & ſi eæ ante petitam hæreditatem deperiſſent, deminutæve fuiſſent, reſtituere deberent. Item, vt ij qui bona inuaſiſſent, cum ſcirent ad ſe non pertinere, etiam ſi ante litem conteſtatam fecerint, quo minus poſſiderent, perinde condemnarentur, quaſi poſſiderent: ij autem qui iuſtas cauſſas habuiſſent, quare bona ad ſe pertinere exiſtimaſſent, vſque eo duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti eſſent. Petita autem fiſco hæreditas ex eo tempore exiſtimaretur eſſe, quo primùm ſcierit quiſque eam à ſe peti: id eſt cùm primum id denunciatum eſſet ei, aut literis, vel edicto euocatus eſſet. Vlpian.l.item veniunt. 20. D.de hæredit.petit. apud quem pro OENVS, legendum FRONTO ARRIVS, ex Faſtis Onuphrij Veronenſis intelligitur.

S.C.LARGIANVM, de bonis libertorum: Vt liberi manumiſſoris non nominatim exhæredes facti, extraneis hæredibus eorum in bonis libertinorum prǫponerentur. Veluti, Lælius liberis ſuperſtitibus obiit. Thracius eius libertus teſtamentum ſcripſit, ſibíque extraneos quoſdã hæredes inſtituit. Senatus voluit, vt hæc hæreditas inſtitutis hæredibus adimeretur, liberíſque Lælij tribueretur, ſi modò à patre exhæredes facti nõ eſſent. Nam ſi eſſent, paterno iudicio indigni omni emolumento videbantur, quod patris cauſſa vndecunque proficiſci poterat, §.vltim.de ſucceſ.liber.I.j. & paſ.C.de lat.lib.tol.

S.C.LIBONIANVM, de falſis, factum opinatur Hotom. Hadriano Imper.L.Nonio, M.Annio Libone COSS. anno CCCXC. Vt pœna legis Corneliæ de falſis teneatur, qui ob inſtruendam aduocationem, teſtimoniáve, pecuniã acceperit, pactúſve fuerit, ſocietatem coierit, ad obligationem innocentum: qui ſibi, eíve qui in ſua poteſtate eſt, legatum fideicommiſsúmve aſcripſerit in teſtamento militis, aut etiam alterius: dummodo id ſignatum perfectúmque fuerit: qui ſe teſtamento pupillo tutorem ſcripſerit: qui hæres inſtitutus exhæredationem nominatim filij, vel aliarum perſonarum adſcripſerit, qui libertatem manu ſua ademerit ſeruo teſtatoris, & maximè cui à ſe legata vel fideicommiſſa data erant. Vt ſi ſeruus domini ſui iuſſu teſtamẽto codicilliſve libertatem ſibi adſcripſerit: ob eam rem quòd ipſius manu adſcriptum eſt, minus liber ſit: ſed libertas ei ex fideicommiſſa cauſſa præſtetur, ſi modò poſt eam ſcripturam manu ſua teſtator teſtamento, codicilliſve ſubſcripſerit, l.j. & paſſ. D.de falſ.& l.29.D.de teſtam.tut.& l.2. D.de concuſs.

S.C.MACEDONIANVM, de filiorumfam. ære alieno, Veſpaſiani (vt opinatur Hotom.) tempore factum eſt: Ne cui qui filiofam.mutuo pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem parentis eius, cuius in poteſtate fuiſſet, actio petitióve daretur: vt ſcirent qui peſſimo exemplo fenerarent, nullius poſſe filiifam. bonum nomen expectata patris morte fieri, l.j. D.ad Maced. in qua duo obſcura ſunt: quo tempore ſit factum, & vtrum Macedo, qui S.C.cauſſam dedit, adoleſcens perditus fuerit, vt Theophilus exiſtimat: an fenerator vetus ac nobilis, vt eruditi omnes putant. Quod ad priorem dubitationem attinet, conſtat legem Lætoriam antiquiſſimam fuiſſe, qua vetabatur, ne ob pecuniam minoribus vigintiquinque annis creditam, ſiue ij filiifamil.ſiue ſui iuris eſſent, ius diceretur. nam quod ad locum illum Terentij in Phormione pertinet,

Quaſi quiſquam crederet te uiuo.

Non ad vllam legem, ſed ad filiifamil. ius referendum puto. Iam verò Tacitus libr.11.vbi de Claudio loquitur: Lege lata, inquit, ſæuitiam creditorum coercuit, ne in morte parentum pecunias filiisfamil. fenori darent. quo in loco MORTEM legendum putat idem Hotoman. quaſi dixerit obligationem non præſentem, ſed in diem collatam in mortis tempus fuiſſe: hoc modo: Centum quæ tibi credidi, poſt

poſt patris mortem dare ſpondes? Suetonius autem in Veſpaſiani vita cap.11.ſic ſcribit: Auctor,inquit,ſenatui fuit decernendi, ne filiorumfam. feneratoribus exigendi crediti ius vnquam eſſet: hoc eſt, ne poſt patrum quidem mortem.quod Macedonianum eſſe.S.C. planè videtur, quia Tacitus non de S.C.ſed de lege nominatim loquitur: venióque in ſuſpicionem ea lege Claudia certas quaſdam cauſſas exceptas fuiſſe:veluti ſtudiorum,& alias honeſtas ac neceſſarias. Macedonem autem,cum exemplo peſſimo,maliſque moribus, hoc eſt, contra bonos mores, pecuniam adoleſcentibus crederet, cauſſam mutuationis non adſcripſiſſe,atque illud eſſe quod legimus,d.l.j.INCERTIS NOMINIBVS: quod verbum eádem in re Cicero Verrina 5.poſuit:Ex omni pecunia,inquit,quam aratoribus ſoluere debuiſti,certis nominibus deductiones fieri ſolebant: primum pro ſpectatione, & collybo, deinde pro neſcio quo cerario. Macedo autem, cuius nomen etiam in epigrammatis Rom. reperitur,pag. 89.in ſepulchro C.Modeſtij Macedonis, fenerator fuiſſe videtur,cui mos erat filiisfam.credere tacito fenore,ſub tunica, vt dicitur, & ſinu,in perniciem parentum ſimul ac liberorum:cuius & ſimilium quicunque talia nomina ſectarentur odio hoc S.C.introduxit Senatus.Seneca quodam loco, quaſdam pecunias, de quibus ius creditori non dicitur,deberi,ſed nō exigi:harū numero ſunt pecuniæ creditæ filiisfam. quare eleganter Vlpia.in l.credere filiofam.eſſe perdere ait.

S.C.NERONIANVM, de ſimulatis adoptionibus, Nerone Imp.factum eſt:Ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret, ac ne vſurpandis quidem hæreditatibus prodeſſet.Percrebuerat enim ea tempeſtate prauiſſimus mos, cum propinquis comitiis, aut ſorte prouinciarum plerique orbi aſciſcerent filios, præturáſque & prouincias inter patres ſortiti, ſtatim emitterent manu,quos adoptauerāt. Qui magna cum inuidia ſenatum adeunt,ius naturæ,labores educandi, aduerſus fraudem & artes, & breuitatem adoptionis enumerant.Satis precij eſſe orbis, quòd multa ſecuritate,nullis oneribus,gratiam,honores, cuncta prōpta & obuia haberent. Sibi promiſſa legum diu expectata in ludibrium verti, quādo quis ſine ſolicitudine parens,ſine luctu orbus, longa patrum vota repente adæquaret. Tacitus lib.15.

S.C.NERONIANVM, de quæſtione familiæ, vide S.C. Silanianum.

S.C.NINNIANVM,vide Senatuſconſultū IVNIANVM.

S.C.NVMIANVM,vide Senatuſconſultū IVNIANVM.

S.C.ORPHITIANVM, de maternis hæreditatibus eſt: auctores eius fuerunt Marcus & Commodus Imperatores,oratione in ſenatu habita, aut per candidatos recitata, Orphitio & Rufo COSS. Vt filius & filia, quāuis patris in poteſtate ſint,ad bona matris inteſtatæ ante conſanguineos vel adgnatos vocētur:ſiue mater ingenua ſit,ſiue libertina:item ſiue liberi legitimi ſint, ſiue vulgò quæſiti,l.j.& pen.D.ad Tertyl.& Orphit.ſpurios tamen matri quæ illuſtris ſit, nō ſuccedere,ſi modò extent ex iuſtis nuptiis procreati,Imp.ſcribit in l.pen.C.eod. Quin & illud intelligendum eſt, ex Imperatorum conſtitutionibus, nepotes & neptes ad auiæ inteſtatæ ſucceſſionem admiſſos, admiſſáſque eſſe,l.ſi defunctus.4.de legit.hæred.in C.Theodoſ. & §.ſed cum.de ſenatuſc. Orphit. Aliud huius S.C.caput extat apud Paulum lib.4.Sentent.tit.14.

S.C.PEGASIANVM, de quarta fideicommiſ.retinenda, factum Veſpaſiani Auguſti temporibus,Pegaſo & Puſione Coſſ.Vt ei qui rogatus eſſet hæreditatem reſtituere,perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. quàm ſi retinuiſſet,tum omnes actiones quæ in hæredes hæredibúſque dari ſolent,in eum, eíque darentur. Is autem qui partem hæreditatis ex fideicommiſſo reciperet,legatarij partiarij loco eſſet, hæreditatiſque tum cōmoda,tum incōmoda inter hæredē, & eum cui reliquæ partes eſſent reſtitutæ, communicarentur, interpoſitis ſtipulationibus,ad exemplū partis & pro parte ſtipulationum. Sed ſi hæres ſcriptus hæreditatem adire recuſaret, ob id quod diceret ſibi eam ſuſpectam eſſe quaſi damnoſam, poſtulatu eius cui reſtituere rogatus eſſet,iuſſu prætoris adiret,totámque reſtitueret: ita vt ei & in eum qui reciperet hæreditatem,actiones darentur.Iuſtinianus ſub tit.de fideicom.hæred.Vlpia. cap.Inſtit.25.Paul.lib.Sent.4.cap.3.

S.C.PLANCIANVM, de liberis agnoſcendis, & partu ſubiecto: Vti liceat mulieri, parentíve in cuius poteſtate eſt, vel ei cui mandatum ab eis eſt, ſi ea ſe facto diuortio prægnantem putet, denunciare intra dies triginta poſt diuortium connumerandos,ipſi marito, vel parenti cuius in poteſtate eſt, vel etiam domi eius, ſi nullius eorum copia eſt. Et ſi maritus cui denunciatum erit,cuſtodes ad ventrem cuſtodiēdum,inſpiciendúmque non miſerit,neque conteſtato dixerit,eam ex ſe prægnantē non eſſe,vt ei id quod editum ſit, agnoſcere ſit neceſſe,l.j.D.de liber.agnoſ.

S.C.PISONIANVM, quod & Neronianum dicitur, de ſeruis obnoxiis venditis. Vt ſi ſeruus pœnæ propter necatum dominum obnoxius veniſſet, quandocunque animaduerſum in eum eſſet,venditor preciū præſtaret:ne emptori iniuriam feciſſe videatur ſenatus, l. ſenatuſc.8.de S.C.Silaniano. Vide ſenatuſc.Silanian.

S.C.PERNICIANVN, de nuptiis: Vt qui intra ſexageſimum, vel quæ intra quinquageſimum annum neque liberos ſuſceperit, neque matrimonium contraxerit, licet ipſis legibus poſt hanc ætatem liberatus eſſet, perpetuis tamen pœnis teneatur. Vlpianus c.Inſtit.16.

S.C.PRÆTEXTATVM appellamus, nobile illud in Papyrij prætextati honorem factum: Vti pueri prætextati deinceps cum patribus in curiam non introirent, præter vnum illum Papyrium: vtque ei puero poſtea Prætextati cognomentum honoris gratia imponeretur:Nota eſt hiſtoria ex Macrobio lib.Satur.j.cap.6.& Gellio lib.1.cap.23.

S.C.RVBRIANVM, de fideicommiſſariis libertatibus, factum eſt tempotibus Diui Traiani,Rubrio Gallo,& Cælio Hiſpone COSS. anno DCCCLIX. Vt ſi hi à quibus libertatem præſtari oportet,euocati à Prætore adeſſe noluiſſent, dum hi neque infantes ſint, neque furioſi, neque ab hoſtibus capti, neque hi quos religio,aut honeſtior cauſſa,aut calamitas aliqua,vel maior res familiaris,aut capitis famæve periculum,aut ſimilis cauſſa moretur:ac ne pupilli quidē, qui tutorem non habent, aut eos habeant, quos earum quæ cauſſa detinet:& cauſſa cognita,Prætor pronunciaſſet,libertatem his deberi, eodem iure ſtatus ſeruaretur, ac ſi directò manumiſſi eſſent,l.cum vero.26.§.ſubuētum, & l.nequæ.36.l.ſi filius.33.D.de fideicom.libertat.

S.C.SABINIANVM, de eo qui è tribus maribus arrogatus erat: Vt qui vnum è tribus alterius liberis maribus adoptaſſet,ei non minus quam reliquis adoptiuis relinqueret,videlicet quadrantem hæreditatis ſuæ,l.2. & l.pen.§.quæ autē.C.de adoptionib. & §.ſed ea omnia.13.vbi Theophil.de hæred.quæ ab inteſt. Videtur etiam ex eodem S.C.manaſſe quod Iuſtinianus commemorat in l.vlti. C.de decurionibus: vt qui tres mares haberet,ſi vnum ex iis qui Decurio eſſet, in Senatum maximum, id eſt, Romanum, allegendum curaret,ei curiæ liberationem pareret.

S.C.SILANIANVM, de quæſtione familiæ, Auguſti temporibus factum eſt, Dolabella & Silano COSS. anno DCCLXII. vt cenſet Cuiacius Obſeruat.libr.j. cap.18.

cap.18. Vti de ſeruis eius qui domi ſuæ necatus erit, qui quidem ſub eodem tecto fuerint, neque opem ei tulerint, niſi qui impuberes fuerint, quæſtio publica habeatur: & conuicti ſummo ſupplicio afficiantur: qui verò non ſub eodem tecto, ſed in eadem regione fuerint, non aliter puniantur, quam ſi conſcij fuerint: vt quod ad cauſſam teſtamenti pertinens relictū erit ab eo qui occiſus eſſe dicitur, id ne quis ſciens dolo malo aperiat, recitet, deſcribat, vel aperiendum, recitandum, deſcribendúmque ante ſupplicium de noxiis ſumptum, & quæſtionem de ſeruis habitam curet: qui ſecus faxit, quod eo teſtamento ei relictum fuerit, publicetur, & in eum qui id fecerit, centum aureorum iudicium detur, quod populare eſt, l.j.& l.13. & l.14.& l.25. D.ad S.C.Silanianum. Fuit & poſtea de quæſtione familiæ factum aliud S.C.Nerone A.11.& Piſone Coss. vt auctor eſt Tacitus lib.13.& 14. quod Piſonianum dicitur in l.S.C.D.de S.C.Silan.& Neronianum à Paulo lib.3. Sentent. Putat etiam Cuiacius hoc S.C.Claudianum appellari in tit.de S.C.Silaniano & Claudiano. neque enim nouum eſt vt S.C.Neroniana, dicantur Claudiana. Cæterum fuit etiam de quæſtione familiæ factum S.C.aliud ſub D.Marco, vt indicat l.penul.C.de his quib.vt indign.neq; rem eam Adrianus prætermiſit, vt Spartianus auctor eſt, adeò fuit Imperatoribus curæ dominorum ſecuritas.

S.C. STATILIANVM, vel Domitianum, de quinquennij præſcriptione, Auguſti temporibus factum eſt, Taura & Lepido Coss. anno DCCLXIII. Vt in cognitione teſtamenti eius qui à familia ſua occiſus eſſe dicetur: ante habitam de familia quæſtionem aperti quinquennij tempus hæredibus conſtituatur, l.in cognitione.13.D.ad S.C.Silanianum.

S.C. SVMMVM, ſiue ſupremum appellatur, quod ſummis reipub.temporibus fieri ſolebat: de quo Liuius lib.3. Tantum, inquit, terrorem Hernici incuſſere patribus, vt quæ forma Senatuſconſulti vltimæ ſemper neceſſitatis habita eſt, Poſthumio alteri conſulum negocium daretur, videret ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Salluſtius in Catilinario: Itaque (quod plerunque in atroci negocio ſolet) ſenatus decreuit: darent operam Conſules, ne quid Reſpubl. detrimenti caperet. Ea poteſtas per Senatum more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios atque ciues, militiæque imperium atque iudicium ſummū habere: aliter ſine populi iuſſu nulli earum rerum Conſuli ius eſt. Cæſar de bello ciuili lib.j. Quotieſcunque ſit decretum, darent magiſtratus operam, ne quid Reſpublic. detrimenti caperet: qua voce, & quo Senatuſc. populus Rom. ad arma ſit vocatus: factum in pernicioſis legibus, in vi Tribunitia, in ſeceſſione populi, templis, locíſque editioribus occupatis.

S.C. TREBELLIANVM, de actionibus ab hæredibus in fideicommiſſarios transferendis, factum eſt temporibus Neronis, octauo Calend. Septemb. Annæo Seneca, Trebellio Maximo Coss. ann. DCCCX. Vt cum æquiſſimum eſſet in omnibus fideicommiſſariis hæreditatibus, ſi qua de his bonis iudicia penderent, ex his eos ſubire, in quo ius fructúſque transferretur, potius quàm cuique periculoſam eſſe ſuam fidem: deinceps actiones quæ in hæredem, hæredibúſq; dari ſolent, eæ neque in eos, neque his darentur, qui fidei ſuæ commiſſum, ſicuti rogati eſſent, reſtituiſſent: ſed his & in eos quibus ex teſtamento fideicommiſſum reſtitutum fuiſſet, quo magis in reliquum confirmentur ſupremæ defunctorum voluntates. Hæc Vlpianus l.j.D.eod.

S.C. TVRPILLIANVM, de accuſationibus deſertis, factum fortaſſe Imp. Nerone, C.Silio, M. Turpilliano Coss. anno DCCCXIX. Vt qui crimen publici iudicii detulit, & cauſſa criminis ordinata, id eſt inſcriptionibus depoſitis, & fideiuſſore de exercenda lite præſtito, eóque qui accuſatur, ſub cuſtodia officij facto, non impetrata abolitione ab executione criminis deſtitit: quíque accuſatorem ſubiecit, aut inſtigauit, aut mandauit alicui, & inſtruxit eum ad accuſationem capitalem, deinde probationes, allegando excuſationes, omiſit, qui chirographum ob accuſandum dedit, pactionémve aliquam interpoſuit, aut quid accepit ab aduerſario pœna quinque librarum auri mulctetur, lege j.& paſſ. C.& D.ad Turpil.l.3.in fin.D.præuaric.& l.ſerui. C.ad leg.Iul.de adult.

S.C. TERTVLLIANVM, de liberorum hæreditatibus matri deferendis, D.Pio qui adoptionis iure Adrianus dictus eſt, imperante factum eſt, Tertulla & Sacerdote Coss. Vt mater ingenua trium liberorum ius habens, libertina quatuor, ad liberorum inteſtatorum hæreditatem admittatur, ſiue ſui iuris, ſiue in patris poteſtate ſit, ita tamen vt ſi filiusfamil. ſit, parentis iuſſu hæreditatem adeat: deinde vt filio mortuo, ſiui filia mortua, liberi præferantur matri vtrouis mortuo, pater, non etiam auus: item conſanguineus, ſiue ſolus ſit, ſiue cum eo ſoror, eidem præferantur: conſanguinea verò ſola pariter cum matre ſuccedat, l.j.& 2.D.eodem.& libro Inſtit.3.titul.3. vbi multa eius capita corriguntur.

S.C. TACITVM cuiuſmodi fuerit, Capitolinus in Gordianis docet his verbis: Omnino exemplum Senatuſconſulti taciti non aliud eſt hodie, quàm quod veſtra clementia conuocatis ad interiora maioribus, ea diſponit quæ non ſunt omnibus publicanda: de quibus adiurare etiam ſoletis, ne quis ante rem completam quicquam vel audiat vel intelligat. Hunc autem morem apud veteres neceſſitates publicæ repererunt, vt ſi forte aliqua vis ab hoſtibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare conſilia, vel aliqua conſtituere quæ nō prius oporteret dici quàm effici, vel ſi nollent ad amicos aliqua permanare, ſenatuſconſultum tacitum fieret: ita vt non ſcribæ, non ſerui publici, non cenſuales illis actibus intereſſent, ſenatores exciperent, ſenatores omnium officia cenſualium ſcribarúmque complerent, ne quid forte proderetur.

S.C. VELLEIANVM, de mulierum interceſſionibus, factum eſt Marco Silano & Velleio Tutore Coss. Ne ius aduerſus mulieres diceretur, qui fideiuſſionibus & mutuationibus pro aliis interceſſiſſent: cum eas virilibus officiis fungi, & eius generis obligationibus obſtringi, non ſit æquum. Ergo in veterem debitorem, aut in eum qui pro ſe conſtituiſſet mulierem ream, dabitur: magis enim ille, quàm creditor mulierem decepit, l.j.& 2.D.eodem. Interceſſio autem eſt quoquo modo recipi at alienam obligationem, veterem, aut nouam.

S.C. VELLEIANVM, de aſſignatione libertorum, factum eſt Claudianis temporibus, Velleo Ruffo, Oſterio Scapula Coss. Si qui duos pluréſve liberos iuſtis nuptiis quæſitos in poteſtate haberet, de liberto libertáve ſua ſignificaſſet, cuius ex liberis ſuis eum libertum, eámve libertam eſſe vellet: is eáve, quandoque is qui eum eámve manumiſit, inter viuos vel teſtamento in ciuitate eſſe deſiſſet, ſolus ei patronus, ſoláve patrona eſſet, perinde atque ſi ab eo eáve libertatem conſecutus conſecutáve eſt. Vtique ſi ex liberis quis in ciuitate eſſe deſiſſet, neque ei liberi vlli eſſent: cæteris eius liberis qui manumiſit, perinde omnia iura ſeruentur, ac ſi nihil de eo liberto, eáve liberta is parens ſignificaſſet, l.j.D.de aſſig.libert.

S.C. VINCIANVM, vide S.C. IVNCIANVM.

S.C. VITRASIANVM, de fideicommiſſis libertatibus, fa

bus, factum opinor Veſpaſiano imperante, Sulpicio Galbo, Vitraſio Pollione Coss. Vt partes ſeruorum quibus per fideicommiſſum libertas data eſt, iuſto precio æſtimentur: atque ita ſeruus ab his qui rogati ſunt manumittatur: hi autem qui eos manumiſerunt, precij nomine perinde fratribus & cohæredibus ſuis obligati ſint, atque ſi ob eam rem ex iudicati cauſſa cum his agi poſſit. Nam ante ſi plures hæredes erant inſtituti, & inter eos qui fari non poterant, ſed non ipſe rogatus erat ſeruum manumittere: non oportebat intercidere libertatem ob hoc quod cohæredibus ſuis vendere eum infans non poſſit, l.cum quaſi, 30.§.ſi plures.D.de fideic.libert.

S.C. VIGINTIVIRALE factum eſt Auguſto Imper. Tiberio & Varo Coss. anno DCCCLI. Vt viginti viri ex equitibus conſtituerentur, quorum deinceps nullus in ſenatum allegeretur, niſi quem etiam alium magiſtratum, cuius ratione ſenator poſſet fieri, geſſiſſet. Hi viginti viri in locum 26. virorum ſucceſſerunt: quorum tres capitalibus iudiciis, alij tres pecuniæ ſignandæ præfecti ſunt: quatuor viis vrbis, decem iis iudiciis, quæ ad centum viros ſorte deferuntur. Vt quoniam nemo facilè Tribunatum pleb. petebat, ſorte ex iis qui Quæſtores fuiſſent, dum quadrageſimum annum attigiſſent, deligerentur. Dio lib.54.

S.C. VOLVSIANVM, de coitione in litem: vt qui improbe in alienam litem coeunt, vel in accuſationem innocentum, vt quicquid ex condemnatione in rem ipſius redactum fuerit inter eos communicaretur, lege Iulia de vi priuata tenerentur, l.6.D.ad leg.Iul.de vi priuat.& l.2.D.de concuſ.

PROPRIVM NOMEN HÆC NON HABENT.

Vnum Corollio Panſa & Acilia Auiola Coss. factum Diui Adriani temporibus, de ædium demolitione, quo dirui quid ex ædificiis negociandi cauſſa, diſtrahive aut legari prohibetur, l.52. D.de contrahenda emptio. l.40.D.de lega.lib.j.l.vlt.D.de dam.infect.de quo accipiendæ ſunt, l 45.D.de don.inter vir.l.11.§.ſi quis illicitè.l.21.§.vlt.D.de leg.3. Nec de eo intelligi debet, l.2.C. de ædif.priu.vt notat Cuiac.Obſer.lib.5.c.26.

Aliud Cotta & Meſſala Coss. factum de vxorib. proconſulum & præſidum. Vt ſi quid vxores eorum qui ad officia proficiſcuntur, delinquerent: ab ipſis ratio & vindicta exigeretur. De quo l.4.§.proficiſci. D.de officio proconſul.& Tacit.lib.3.& 4.Annal. Alterius etiam eiſdem Coss. facti meminit l.12. §.ſi ſeruus. D.de accuſatio.

Aliud Modeſto Conſule, de ſeruis fugitiuis factum, lege prima, §.j.C.de ſeru.fugit. Quod intelligi putat Briſſonius in l.2.in fine. D.ad leg.Fab.l.35.§.j. D.de contrahend.emptio.

Alterius quod Neratio Vero, & Annio Priſco Coss. factum eſt, meminit l.6.D.ad legem Cornel.de ſicar.

Senatuſconſultum de illicitis collegiis, l.1. D.de colleg.illicit.de tutorum & pupillarum nuptiis, l.4. C.de excuſat.tutor.

Senatuſconſulta de tutelis, l.penult. de tut.l.11.D.de teſtam.tut.

Senatuſconſultum de comitibus libertiſque eorum, qui prouincias regunt, in l.16.D.de officio præſid.

Senatuſconſultum de re funeraria, in l.12.§.j.de religioſis dom.

Senatuſconſultum de tabulis ſignandis, apud Paul.libr.5. ſentent.tit.27.

Senatuſconſultum de his qui voluntate dominorum in libertate morati ſunt, l.4.C.de fideic.libert.

Senatuſconſultum de proclamantibus ad libertatem, in l.3.D.quib.ad libert.procl.

Senatuſconſultum de his qui poſt manumiſſionem originem repetunt, in l.j. C.de ingen.manumiſſ. de quo accipienda eſt l.3. D.ſi libert.ingen. eſſe dicet. quæ eius ſenatuſconſulti verba quædam exponit, l.32. D.de liber.cauſſ.

Senatuſconſultum, quod in pecuniam ludere vetuit, l.2. D.de aleatorib.

Aliud Iuuentio Celſo iterum, & Neratio & Marcello Coss. Hadriani temporibus factum, in l.vltim.C.de ſeru.reip.manumi. quo lex Vectibulici, vel Vectij Lybici (vt eſt in man.cod.) qua manumiſſi à repub.ciuitatem Rom.cōſequebantur, ad prouincias porrecta eſt.

Senatuſconſultum, quo pecuniæ vſusfruct. conſtitutus eſt, per cautionem, l.j.C.de vſufr.l.j.D.de ſeru.leg.

Senatuſconſultum de cenſuum veterum & monumentorum fide.l.6.C.de probationib.

Senatuſconſultum de famoſis epigrammatis & libellis, l.5.§.vltim.D.de iniur.l.18.§.vltim.D.qui teſtam.fac.

Senatuſconſultum de mortis cauſſa donationibus, l.35. D. de donatio. cauſ.mort.

Aliud item quo calumniæ cauſſa publico iudicio damnati poſtulare apud pedaneos iudices prohibentur, l.j.§. item Senatuſconſulto.D.de poſtul.

Aliud de luctu, l.15.C.ex quib.cau.infa.irroget.

Aliud quo pluribus legibus ad idem crimen rei fieri prohibentur, l.14.D.de accuſatio.

Aliud de his qui matrimonij cauſſa manumittuntur, l.18. D.qui & à quib.

Aliud auctore Hadriano factum de natis ex ciue Roman. cuius Vlpian.in Inſtitut.titul.2.meminit. Aliud item quo prohibentur legati ante perfectam legationem negotiis vel priuatis rebus obſtringi, l.12. D.de legationib. Quo referenda eſt l.8.in fin.eod.tit.

Senatuſconſultum quo cautum erat, vt mulier poſſet in ſua re quem de falſo accuſare, l.5.C.qui accuſar.non poſſ. Meminit l.2. D.de accuſatio.& l.2. C.de calumniatoribus.

Senatuſconſultum in l.15.§.ſi quis ſe ſcribat. D.de milit. teſt.& l.14.in princ.l.15.§.item ſenatus.D.ad leg.Corn. de falſ.l.3.& l.vlti. C.de his qui ſibi adſcrib. Libonianum accipiendum eſt.

Senatuſconſultum Ælio Tuberone & Fabio Maximo Coss. ne circum aquæductus quæ per prædia priuatorum deducuntur arbores aliter habeantur, quàm dextra læuáque intermiſſis pedibus XV. vt refert Iul. Frontinus lib.de aquæductibus.

Aliud, ne quiſquam qui à fiſco aliquid peteret, alia inſtrumenta delatori cogatur edere, quàm quæ ad eam cauſam pertinerent, ex qua ſe deferre profeſſus eſſet, l.3.D.de edendo.

SRNES qui dicantur, vide Bart.l.2.D.de excuſat.tuto.Panorm. in ca.quoniam frequenter. verſi.3.principaliter quæro.extra vt lit.non conteſt.

SENIOR, paſſim in libr.Feud. pro Patrono, qui feudo dato vaſallum ſibi quæſiuit. Docet autem cap.Diſput. 3.Hotom.vocem eſſe barbaricam, Signor, quæ Dominum ſignificat. vt in cap.Caroli Magni, cap.5.articul.3. Vt nullus comparet caballum, bouem, & iumentum, vel alia, niſi illum hominem cognoſcat, qui eum vendidit, aut de quo pago eſt, vel vbi manet, aut quis eſt eius Senior. Albertus Krantz.libr.Dan.8.cap.3. Octoginta numero Seniorum ſecum duxit obſides. Et Nortmann.lib.2.cap.21. Quis, ait ille, veſter eſt Princeps, aut Senior? Nullus, reſpondent illi. Nam æquo per omnia iure imperamus. Et cap.vltim. Nam Senior noſter, vt vidiſti, claudus, non veniendi ad te veniam deprecatur. Loquitur de Arnulpho Flandriæ Comite. Sic Britanni Armorici in libris Conſuet.Brit.Iuigneur dicunt pro iuniore fratre. Neque verò prætermittendum videtur, quod apud Anton.Florentinum legitur

gitur hiſt.part.2.tit.17.c.9.§.7.In prouincia Tyrenſi,eſt quidam populus, caſtella decem habens, cum ſuburbanis ſuis.Eſtque numerus eorũ ad quadraginta millia virorum.Ij non hæreditaria poſſeſſione,ſed meritorũ prærogatiua magiſtrum ſibi ſolent præficere, quem ſpretis aliarum dignitatum nominibus,Senem vocãt: cui tanto obedientiæ & ſubiectionis vinculo ſolent ſe obligare,vt nihil ſit tam durum,tam difficile, tam periculoſum, quod ad magiſtri imperium non aggrediantur implere.

Senecta,ætas hominis ſexta:vide Docto.l.ſenium.C. qui teſtam.fac.& vide ſuprà Ætas.

Sensvm eſt,imperſonaliter,pro cogitatum eſt,ſententia ſtetit,placuit.Vlpian.l.8.D. de acceptil. An inutilis acceptilatio vtile habeat pactum, quæritur: & niſi in hoc quoque contra ſenſum eſt, habet pactum. Id eſt, niſi qui accepto tulit,contrà ſenſit,ſiue mentem ac voluntatem contrariam habuit.nam plus eſt contrà ſentire,quam non conſentire:& Imprudens non conſentit,at non contra ſentit.Locum autem ſic legendum, ea quæ conſequuntur oſtendunt.

Sensvs, pro ratione.Vlp.in l.j.§.j.D. ſi quadrup.paup. Nec enim poteſt animal iniuriam feciſſe, quod ſenſu caret.de quadrupedibus loquitur.Sic furioſus dicitur ſenſum non habere,in l.ſi cum dotem,vigeſimaſecunda.§.ſi maritus.D.ſolut.matr.Sic infantis ſenſus nullus eſſe dicitur,in l.quamuis.32.§.2. D. de acq. poſſeſſ.Senſus aliter apud Ciceronem lib.j.Officio. vbi de belluis loquitur:Nam bellua quantum ſenſu mouetur, ad id ſolum quod adeſt,quódque præſens eſt,ſe commodat.

Senſus,pro voluntate teſtatoris in l.15.D.de vino trit.& l. 3.§.conditio.D.de adim.leg.

Sententia,aliàs accipitur pro eo,quòd verba ſonãt: vt cum dicimus,Vlpianum reſpondiſſe in hanc ſententiam.Aliàs pro lumine orationis,hoc eſt,pro clauſula, quæ breuiter inſigne aliquid oſtendat:vt, Obſequium amicos,veritas odium parit.Aliàs pro animi credulitate,quam quis opinione ſua concipit: Vt, M.Portius Cato rogatus olim ſententiam, oratione longa occupauit tempus.Aliàs denique ſententia, iudicialis pronunciatio appellatur,cum ex lege,vel ex æquo & bono iudicatur.Tum enim iudex ſancit,& declarat, quid ius velit animi quadam cenſura, ſecundùm facti qualitatem.Quò pertinet,quod Paulus.D.de arbitr.Sententiam,inquit, dicere æſtimatur is, qui ea mente id pronunciat,vt ſecundum hoc diſcedere eos, qui litigant,à tota controuerſia velit. Sententia autem iudicialis eſt duplex:videlicet,definitiua,& interlocutoria.

Sententia Deffinitiva eſt,quæ ſummæ controuerſiæ per cõdemnationem aut abſolutionem finem imponit.l.j.D.de re iud.l.qualem.19.§.j. D. de recept.arb. l.3.C.de ſentent.& interloc.

Sententia Interlocvtoria eſt,quæ non de ſumma controuerſia, ſed de rebus ad eam definiendam pertinentibus pronunciatur.l.poſt ſententiam.9.C.de ſent.& interloc. d.l. qualem.§. vnde. Veluti de cognitione differenda,de teſtibus producendis. & l.2. D. de appellation.recip.de quæſtionibus ſiue tormentis. l.à diuo Pio.15.§.in venditione.D.de re iud.l.j.§. huic conſequenter.D.de appellat.l.j.§.quæro.D. ad Turpill.l.in teſtamento.38.D.de fideicommiſſ.libertatib.l. metu.9. §.ſed ex facto.D.quod metus cauſſ.Differentiæ autem hæ ferè ſunt.Illa non niſi à iudice ſedente,& ex libello (quod Periculum appellatur)recitante pronunciatur. l.j.& paſſ.C.de ſentent.ex peric. Hæc & à ſtante & à procedente iudice etiam ſine ſcripto pronunciari poteſt.l.4.C.de dilat.Ab illa ſemper appellari licet: exceptis iis de quibus ſub rub. A quibus appel. non lic.ab hac,aut nunquam.l.præſcriptiones.65.C.Th.de appellat.aut rariſſime,velut in l.2.D.de appellat. recip.l.ait prætor.§.permittitur.D.de minorib.Illa non niſi cauſſa cognita pronunciatur: hæc verò etiam extra cauſſæ cognitionem.l.quid ergo.13.§.4.D.de his qui notãtur infamia.

Sententiam dicere exiſtimatur is,qui ea mente quid pronunciat vt ſecundum id diſcedere eos à tota controuerſia velit.l.qualem.19.§.j.D.de arbitr.

Sententia falſa dicitur ſine vlla iniuria iudicis, quæ ex falſis & non veris allegationibus, vel inſtrumentis dicta fuerit,quæ ne nomen quidem ſententiæ meretur, ac ſine vlla reſtitutione confutanda eſt,detecta falſitate, l.qui agnitis.D.de exception.

Sententiam dicere,dare, ferre, pronunciare pro eodem ſæpe Iuriſcoſſ.dicunt.

Separatio in iure noſtro eſt bonorum hæreditariorum ab his quæ hæredis ſunt auctoritate Prætoris facta diſcretio.Vel bonorum & creditorum aliorum ab aliis ſeorſum habita ratio.Sicut autem bonorum ſeparatio æquiſſima eſt,ita maximam vtilitatem habet, litéſque anteuertit.Quibus modis permitti ſoleat,tractatur claſſ.5.actio.15.in fin. Fit autem vel creditorum gratia, qui ſeparari ab hæredis bonis teſtatoris bona deſiderãt,quæ alioquin hæredis bonis iuncta,propter hæredis creditores ſuffectura non eſſent, vide tit.de ſeparatio.bonor.l.pen.C. de hæred.vend. Vel ſeruorum gratia fit,qui à domino,qui non ſoluendo erat,cũ libertate neceſſarij hæredes ſcripti, ſeparari à bonis eius peculium ſuum poſtulant.l.j.§.vlt. D. de ſeparat.l. 6.§.pen.D.de minor.Vel etiã aliis de cauſis,de quibus d.tit.de ſeparat. Separationem etiam bonorum Prætor ei concedit,qui patri,ac poſtea fratri ex ſecundis tabulis hæres extitit,ſi hæreditatem patris reiecta fraterna retinere velit.l.12.D.de vulg.& pup.

Seps, vel Sepes eſt, quæ obiecta introitum prohibet in agrum aut hortum. Columel.libr.10. Talis humus, vel parietibus,vel ſepibus hirtis claudatur.Eo verbo vſa eſt lex XII.Tabu.cuius hæc verba ſunt:Qui ſepem in confinio ponet,terminum ne excedito.

Septa ſunt,quæ ad incile opponuntur,aquæ deriuandæ complectẽdæve ex flumine cauſſa,ſiue ea lignea ſint, ſiue lapidea, ſiue ex alia qualibet materia, ad continendam tranſmittendámque aquam excogitata.l.j.D. de riuis.

Septemviri erant,qui ſacris epulis præerant, cœnarúmque Pontificum,quæ Adiiciales dictæ ſunt,curam agerent:Epulones appellati:qui,ſi qua iuſta & ſollemnia ſacris deeſſent,ad Pontifices referebant. Alexan. ab Alex.Genial.dier.lib.2.c.16.

Septemvirale iudicium,quod à Septemuiris exercetur.Sic Septemuirale iudicium apud Liuium libr.34. de querela inofficioſi teſtamenti,quæ etſi apud Centumuiros inſtituatur, & Centumuirale iudicium ſæpe dicatur,veriſimile tamen eſt ex Centumuiris ſeptem præcipuè huic rei operam dediſſe: ſicut haſtæ, quam quidam non malè Cẽtumuiris tribuunt,ſiue litibus iudicandis Decemuiros cõſtitutos legimus, apud Pompon.l.2.§.deinde cum eſſet.D.de orig.iur. Defendi itaque poteſt inſcriptio libri ſingularis Pauli noſtri de Septemuiralibus iudiciis, quæ in Pandectis Florentinis eadem eſt cum in indice Iuriſconſ.tum,l.7.28.31.D. de inoff.teſt.

Septvnx, vnciæ ſeptem. l. 50. §. 2. D. de hæred. inſtit. Septunx,inquit Voluſius Mætianus, ſunt ſeptem duodecimæ.Nota ſeptuncis X.

Sepvlchrvm eſt,vbi corpus, oſſáve hominis condita ſunt,l.j.D.de religioſ.Vt autem.Celſus ait,non totus,qui ſepulturæ deſtinatus eſt,locus religioſus fit,ſed quatenus corpus humanum eſt,Pompon.in l. locum. D.de relig.& ſumpt.fun.

Sepulcra familiaria dicũtur,quæ quis ſibi familiæque ſuæ

conſtituit.l.5.D.de relig. Sepulchra hæreditaria ſunt, quæ quis ſibi hæredibúſque ſuis cōſtituit: vel quæ paterfam.iure hæreditario acquiſiuit.d.l.5.&6.D.eod.

SEQVI nomen alicuius, vel ſequi perſonam, eſt approbare, vel agnoſcere & admittere, & fidem ſequi.l.71. D.de iure dot.l.10.C.ad Velleian.l.4.C.ſi tutor vel curator.l.j.D.nautæ, caupo.l.j.D.de reb.cred.l.24.§.in bonis.D.de reb.auct.iud.l.j.§.quæſitum eſt ſi fortè.D.de ſeparatio.l.10.§.ſi quid in fraudem.D.quæ in fraud.credit.

Sequi nuptias pro contrahere.l.34.§.vlt.D.de ritu nupt.l.15.C.ex quib.cauſ.infa.irrog.

SEQVENTI loco poſitum ædificium dicitur in l.20.§.ſi ublato.D.de ſeruit.vrb.quod alterius ſublati loco poſitum eſt. Sequentes actiones, id eſt, ſequenti loco propoſitæ, & poſt alias.l.11.§.idem Neratius.D.de act.empt.l.37.D.de noxalib. Sequens curator, in l.7.§.cum dementis.D.de curat.fur.qui in alterius remoti ab adminiſtratione locum ſubſtitutus eſt. Sequens teſtamentum, pro poſtremo & nouiſſimo, in l.3.§.item ſi ipſe.D.ſi cui plus quam per leg.Falcid.l.28.§.teſtamento.D.de liber.leg.Marcia.in l.29.D.ad Trebell.ſecundo loco factum dixit.Sequentem etiam Prætorem in l.26.§.actio.D.ex quibus cauſſis maio. Vlpian.vocat eum, qui ſequente anno erat Prætor futurus.

SEQVELA, pro acceſſione, Scæuola.l.93.D.de ſol.Et quaſi generale quid retinendum eſt, vt vbi ei obligationi quæ ſequelæ locum obtinet principalis accedit.

SECVTORES apud Ciceronem lib.7.ad Atticum Epiſt.14.Gladiatores videntur eſſe, à ſequendo dicti. De iiſdem enim gladiatoribus ſcribens Cæſar de bello ciuili, lib.j.Gladiatoréſque, inquit, quos ibi Cæſar in ludo habebat, ad forum productos, Lentulus libertati confirmat, àtque iis equos attribui, & ſe ſequi iuſſit, &c. Artemidorus lib.de ſomniis ſecundo.c.περὶ μονομαχίας, varia gladiatorum genera nominans, horum meminit.εἰ δὲ σεκούτορι, εὔμορφον μὲν λήψεται (loquitur autem de nuptiis & vxore ducenda) γυναῖκα καὶ πλουσίαν, μεγάλα δὲ φρονοῦσαν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ, καὶ διὰ τοῦτο καταφρονοῦσαν τοῦ ἀνδρὸς, καὶ κακῶν πολλῶν αἰτίαν ἐσομένην· ἀεὶ γὰρ διώκει.

SEQVESTER dicitur, inquit Modeſtinus, apud quem plures eandem rem, de qua controuerſia eſt, depoſuerunt.dictus ab eo, quòd occurrenti, aut quaſi ſequenti eos qui contendunt, committitur.l.ſequeſter.110.D.de verb.ſignific.Paulus.l.6.D.depoſ.Proprie autem in ſequeſtre eſt depoſitum, quod à pluribus inſolidum certa conditione cuſtodiendum reddendúmque traditur. Gellius lib.20.c.pen.Sequeſtrum dictum ſcribit, quòd eius qui electus ſit, vtraque pars fidem ſequatur. Idem teſtatur in hiſtorico M.Varronis pro eodem Sculnam poni, quaſi ſeculnam: ſordidè tamen. Veteres tamen Gloſſæ, Sculna, συνθηκοφύλαξ. Tertullia.in libr.de Reſurrectio.carn.Hic ſequeſter Dei atque hominum appellatus, ex vtriuſque partis depoſito commiſſo ſibi. Idem in libro de Patientia: Adeo ſatis idoneus patientiæ ſequeſter eſt Deus, ſi iniuriam depoſueris penes eum, vltor eſt.Inuenitur & hoc verbum apud Plautū Mercatore, Act.4.ſcen.3.& apud Quintilianum lib.12.cap.8.Iſidorus lib.10.Etymolog.Sequeſter, ait, eſt, qui certātibus medius interuenit, qui apud Græcos ὁ μέσος dicitur, apud quem pignora deponi ſolent, à ſequendo dictus, quòd eius fidem vtraque pars ſequatur.

Sequeſter ſi rem ſequeſtratam perdat, vel deteriorem faciat, tenetur, & eo nomine conueniri poteſt.l.poſtquā.§.Imperator.D.vt legato.nom.caueat.l.ſi is cui.§.qui ſeruandorum.D.vt in poſſ.legat.

SEQVESTRE & ſequeſtrum depoſiti ſpecies eſt: nam Paulus.l.6.D.depoſiti.Proprie, inquit, in ſequeſtre eſt depoſitum, quod à pluribus in ſolidum certa conditione cuſtodiendum reddendúmque traditur. Sumitur etiam vulgò pro ſcripto illo, quod de ſequeſtratione conficitur.

SEQVESTRO poſitum, apud Catonem, vt citat Gellius loco præcitato, pro apud ſequeſtrem depoſitum. Per deos immortales, inquit, nolite vos ſequeſtro ponere.

SEQVESTRO POSITVM à depoſito hoc differt, quòd rei depoſitæ proprietas apud deponentem manet: ſed & poſſeſſio.at ſequeſtro poſitæ poſſeſſio ad ſequeſtrum tranſit.id enim agitur ea depoſitione, vt neutrius poſſeſſioni id tempus procedat.l.17.§.j.D.de poſ.Intereſt tamen qua mente apud ſequeſtrum deponatur.nam & omittendæ poſſeſſionis cauſſa interdum deponitur: interdum verò cuſtodiæ cauſſa duntaxat.l.intereſſe.39.D.de acquir.poſſeſſ.

SEQVESTRARE.l.22.§.ſin autem.D.ſol.matr.id eſt ſequeſtro ponere. Sin vero dotem diſſipaturus ita manifeſtus eſt, vt non hominem frugi oportet, tunc dotem ſequeſtrari, quatenus ex ea mulier competens habeat ſolatium vna cum ſua familia.Symmachus in epiſtolis: Interea conſtitutionis memor ſequeſtraui mobilia, fructúſque præcepi, ne temporis vſurpatio abutatur indebitis.

SEQVESTRARIA actio, quæ aduerſus ſequeſtrem datur.l.12.§.cum ſequeſtraria.D.depoſ.l.9.§.Labeo.D.de dolo malo.

SEQVESTRATIO eſt duplex: quædam eſt voluntaria, quando partium conſenſu deponitur res litigioſa. Et hæc ſemper poteſt fieri ante iudicium, vel pendente iudicio.l.j.in prin.D.depoſit.l.ſi ſoluturus.D.de ſolutionib. Quædam verò eſt contentioſa, ſeu (vt nonnulli vocant) neceſſaria ſequeſtratio, quæ per iudicem deſcernitur cauſſa cognita, etiam inuitis vtriſque litigatoribus, vel altero eorum petente.

Sequeſtrationis tutiſſimum & præſentiſſimum eſt remedium in re dubia, & ſpectante ad periculoſam diſcordiam: ſi iudex vtatur ea ſobriè, & cauſſa cognita.Ex diuerſo, magnum grauamen eſt, ſi quis tali prætextu ſua poſſeſſione deſtituatur, vel vſu rei, eámque ob rem regulariter prohibetur in tit.C.de prohibitio. ſequeſtr.

SEQVIORIS vocabulo vſus eſt Vlpianus in l.cum hi.de tranſactionibus.§. Sed & perſonarum contemplatio habenda eſt, hoc eſt, cuius vitæ ſint hi, quibus alimenta relicta ſunt, vtrum frugi vitæ, & qui aliàs ſufficere ſibi poſſint: an ſequioris, qui de alimentis pendeant. Sequioris autem, id eſt deterioris.Et ita Veteres Gloſſæ, Sequius, χεῖρον.Tranquillus in Tito: Sed non deerāt qui ſequius interpretarentur. quanquam ſunt qui veterem hanc ſcripturam mutent in ſecus.Amm.Marcell.lib.28.Vt ſi Perſæ, inquit, fruſtra habiti rediſſent ad ſua, ducis noui virtuti facinus adſignaretur egregium: ſi fortuna ſequior ingruiſſet, Vrſicinus reus proditor Reipubl.deferretur.Sic apud Apuleium ſæpe.

SERA & clauis inter domus partes commemorantur.l.quæſitum.& ibi Bart.D.de fund.inſtr.

SERIA, vas fictile de limo, oblongum, inquit Donatus in Terent.Heautim.

Releui dolia omnia, omnes ſerias.

Seriarum, quæ vinaria vaſa ſunt meminit Vlpia.l.15.§.proprietatis.D.de vſufruct.Paulus l.206.de verb.ſign.vbi & frumentaria eſſe ait.Alias Seria, vet.gl.μέχρι θύρας.

SERICVM nema in l.vlt.§.ſpecies.D.de publican.Serica veſtimenta, in l.15.D.de aur.arg.Vbi Serica à bombycinis ſeparantur, vt & apud Paul.lib.3.Sent.titul.6.quæ tamen imperitè confundit Iſidor.lib.19.cap.27.Ac bombycina quidem ex vermiculis fiebant, vt ſuprà oſtendimus. Serica verò ex genere quodam lanicij, quod Indiæ populi Seres ex arboribus depectebant: quemadmodum eruditè Andr. Tiraq. notauit in libro de legibus connubialib.& hi auctorum loci comprobant.

bant. Virgilius j.Georgic.

Velláreque ut foliis depectant tenuia Seres.

Seneca in Hippolyto,

Quæ fila ramis ultimi Seres legunt.

Et in Hercule Oetæo:

Quæ Phœbeis ſubditus Euris

Legit Eois hæc arboribus.

Plinius quoque lib.6.c.17. Seres,inquit,lanicio ſyluarũ nobiles perfuſam aqua depectentes frondium caniciem. Ammianus etiam Marcell.lib.23. apud Seras ſyluas eſſe ſublucidas refert,à quibus arborũ fetus aquarum aſperginibus crebris, velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam ſubtilitatem tenerrimam pectunt, nentéſque ſubtegmina, conficiunt ſericum. Idem & Solinus in Polyhiſtore cap.51. ſcribit. Porrò, quo tempore texendi ſerici artificium in Occidentis partes inuectum ſit, declaraſſe videtur Otto Friſing.lib.j.de geſtis Frider.c.33.dum ait, Rogerium Siculum Corintho, Thebis, Athenis expugnatis, opifices qui ſericos pannos texere ſolebant,ob Imperatoris ignominiam,captiuos deduxiſſe: quos in Palermo Siciliæ metropoli collocans,artem illã texendi ſuos edocere præcepit: indéque artem illam prius a Græcis ſolis inter Chriſtianos habitam Romanis ingeniis notam fuiſſe.

SERRAM ducere cum aliquo,eſt altercari. Tertullianus de corona: Quandiu per hanc lineam ſerram reciprocabimus. Varro de re ruſtica libr.3.c.6. De pauone,inquit,libere licet dicas,quia diſceſſit Fircellius, qui, ſecus ſi qui diceret de iis, gentilitatis cauſſa fortaſſe an tecum ſerram duceret. Quidam locum explicant de ſerra militari, Feſti & Vegetij auctoritate freti. Serra enim pugnari dicitur,cum ſubinde acceditur ad hoſtẽ & receditur. Vegetius: Item, inquit, ſerra dicitur, quæ ab ſtrenuis directa ante frontem opponitur hoſtibus, vt turbata acies reparetur. Turnebus Aduerſ.lib.8.c.7. Serram ducere,illo Varronis loco exponit,ſtreperum & odioſum eſſe,non aliter quam ſtridentem & obſtrepentem ſerram,cuius argutia auribus moleſta eſt. Ioſephus Scaliger, ſertam ducere,non ſerram legit,& ſertam, τὸ σχοινίον, reſtim & funiculum interpretatur. Palladius quidem Martio: Suſpendendi groſſi ex caprifico linea ſerta pertuſi: nec enim, lino velut ſerta, vt habent vulg.cod. legendum eſt. Item alibi: Cum ſerta qua appenſa ſunt auferantur. Igitur Sertam ducere, inquit Scaliger, idem quod Terentio, reſtim ductitare. Saltantes enim alias ἐπὶ καρπῷ χειρὸς, vt apud Poëtas Græcos,ſe tenebant: alias reſtim tenentes hærebant. Horatius:

Tortum digna ſequi potius, quam ducere funem.

Erat etiam ſimilis ludus puerorum,qui ducebant ſparteam reſtem,& tandiu trahebant, donec aut rumperent,aut alterutrer,omiſſa funis prehenſione,in nates caderet: cuius ludi meminit Ariſtides ſophiſta: & ad hunc alludit Plautus Pœnulo:

—iam tenetis. ſi tenetis ducite.

Caue dirumpatis.

Itaque verba illa, fortaſſe an tecum ſertam duceret: exponit Scaliger, tecũ particeps laboris eſſet: vt prouerbialia ſint, quotieſcunque contentionem intercedere cum aliquo denotamus.

SERRACVLVM (alij Seruaculum) πηδάλιον eſt Veteribus gloſſis, gubernaculum & clauus. Hinc Serraculum ducere l.29.§.j.D.ad leg.Aquil. Si nauis tua, ait Vlpianus, impacta in meam ſcapham damnum mihi dedit, quæſitum eſt quæ actio mihi competeret. Et ait Proculus, ſi in poteſtate nautarum fuit ne id accideret, & culpa eorum factum ſit. l. Aquilia cum nautis agendum: quia parui refert nauem immittendo, aut ſerraculum ad nauem ducendo,an tua manu damnum dederis. Interpretes βασιλικῶν libr.53. Serraculum interpretatur κοντὸν, hunc locum ſic vertentes, ὥσπερ ἢ χειρὶ, ἢ κοντῷ ζημιώσας, vt teſtatur Cuiacius Obſeruat.li.9.c.10. Et ſane Sudas damni κοντῷ nauibus illati meminit: Οἱ δὲ ῥωμαῖοι, inquit, κοντοὺς ἔπηξαν ὑποβρυχίους, ὥστε τὰ σκάφη τῶν βαρβάρων ἐλθόντα περιπαρῆναι. Alij Seruaculum, ἀντὶ τοῦ σωτηρίου, id eſt pro anchora ſumunt: quod non quadrare videtur.

SERVARI ab aliquo poſſe dicitur, quod ex eius bonis redigi poteſt. l.fin.D.de admi.tuto.l.fi. D.ſi vent.nomi. Sic rem ſeruari dicimus. Et Seruari indemnitatem. l.38.§.fi.D.de act.empt. Seruari etiam per actionem dicunt Iuriſconſ. quod abeſt, vel quod damni datum eſt. l.17.in fi.D.ſi ſeru.vind.& alibi ſæpe. Sic Seruare pœnam ab ſocio.l.6.in fin. D. comm.diuid. Quod mater ſeruari filiæ ſuæ teſtamento iuſſit,eo tempore præſtari voluiſſe intelligitur, quo ſui iuris erit.l.26.D.de aur.& arg.

Seruare,aliàs pro tueri, cuſtodire,accipitur: vt in l.Iuriſgentium.§.Prætor ait.D.de pact. Seruare,aliàs ſignificat præſtare priuatim: vt, ſeruare fidem. Seruare aliàs denique accipitur pro recuperare; vt eleganter in l.ſi mandatu meo. D. de fideiuſſoribus & mandatoribus.

SERVIANA actio in rem Prætoria, quæ de rebus in prædium vrbanum inuectis illatis, quæ tacitò pignoris iure locatori pro penſione obligantur, proponitur. §.item Seruiana. Inſtitut.de actionib.l. vlt. D. de Saluiano interd. Quæ verò eius exẽplo de cæteris rebus pignori oppoſitis datur actio, ea quaſi Seruiana, ſiue hypothecaria appellatur. l.13.§.j.D.ad Velleian. vel vtilis Seruiana. l.j.§.cùm prædium.D.de pignorib. nec ſolum de iis quæ pignori oppoſita ſunt, ſed & de legatis & fideicommiſſis.l.j.C.comm.de legat. Inde Seruiana vel hypothecaria, in l.29.D. fam.erciſc.l.4.§.ſi quis autem.D.de doli except. Confunditur tamen plerunque hæc differentia,& cuiuſlibet pignoris perſecutioni Seruianæ nomen accommodatur, vt l.3.l.10.l.11.l.21. D.de pignorib.l.42.§.ſed & dominum. D. de procuratorib.l.28.D.de pignor.act.l. 4. D. quibus mod. pign.l. 30.D.de noxalibus act.l.34.& l.35.& l.66. D.de euictionibus.l.3.§.eſt autẽ.D.ad exhib. Vide Actio Seruiana.

SERVVS, Serui dicuntur, quibus libertas arbitrio ſuo viuendi adempta eſt: itaque liberis opponuntur: & ex eo appellati ſunt, quòd Imperatores captiuos vendere, ac per hoc ſeruare, nec occidere ſolent. §.j. de iur. perſon.l.4.D.de ſtat.hom.l.239.D.de verbor.ſignifica. Quintilianus lib.7.cap.3. Circa propria ac differentia magna ſubtilitas: vt cum quæritur, an addictus, quem lex ſeruire donec ſoluerit, iubet, ſeruus ſit: altera pars fuit ita, Seruus eſt qui eſt iure in ſeruitute: altera, Qui in ſeruitute eſt, eo iure quo ſeruus: aut, vt antiqui dicebant, qui ſeruitutem ſeruit. vide Addictus.

Serui AGRICOLÆ duorum generum fuerunt: nam alij vere ſerui erant, in dominorum mancipio vſquequaque poſiti.l.3.C.de agric.& cenſ. alij autem liberi quidẽ erant, ſed tamen ita addicti, vt quaſi ſerui numerarentur: quorum de conditione diximus ſub voce, Cenſiti: & patet in l.29.& 27.C. illo tit.

Serui ATRIENSES ſunt qui ſupellectilem emundant ædium, aut villæ, & diſponunt in atrio, ſimúlque atriũ omni ex parte mundum & nitidum vt ſit, ac curant: In atrio enim patresfamilias ſupellectilem ſuam expoſitam habebant, veluti eſca & potiora vaſa. Columella lib.12. Tum inſiſtere atrienſibus vt ſupellectilem exponant, & ferramenta deterſa nitidentur, atque rubigine liberentur. Atrienſes igitur ſunt non in vrbe tantum, ſed etiam in villis. & rectè in l.8. D. de inſtr. leg.

cum de cultiore villa agitur, atrienſibus iungũtur ſcoparij, vt & in Plauti Aſinaria. Hic à Virgilio, ſeruus ad limina etiam vocatur, hoc verſu:

Armiger ante fuit fidúſque ad limina cuſtos.

Serui POENÆ dicebantur, qui ſummo ſupplicio ſic addicebantur, vt ſi liberi eſſent, libertatem, ſin ſerui, domini familiam quaſi abalienati amitterent: adeò vt ne à pœna quidem liberati, in illius domini poteſtatem redirent: vt conſtat ex l.8.§.3.& §.10.& l.29.D.de pœn. l.8.C.de ſent.paſſ.l.24.§.5. D. de fid. libert. quòd enim nullius niſi pœnæ ſerui eſſent, ita dicebantur. Marcianus.l.17.D.de pœn. Sunt quidam ſerui pœnæ, vt ſunt in metallum dati, & in opus metalli. & ſi quid eis teſtamento datum fuerit, pro non ſcriptis eſt, quaſi nõ Cæſaris ſeruo datum, ſed pœnæ. Iuſtin. §. 2. quib. mod. ius pot. Serui autem pœnæ efficiuntur, qui in metallum damnantur, aut beſtiis ſubiiciuntur. Vlpian.l.25. §.2.D. de acquir.hær. Si quis plane ſeruus pœnæ fuerit effectus, ad gladium, vel ad beſtias, vel in metallum damnatus, ſi fuerit hæres ſcriptus, pro non ſcripto hoc habetur. Seruam etiam pœnæ mulierem factam legimus. l.6.D.de ſtatulib.l.2.§.j.D.ad Tertyll. quod accidebat cum vel in opus ſalinarum, vel in miniſterium metallicorum damnabatur. l.8.§.in miniſterium. D. de pœn. l.6.D.de capt.& poſtl.reu. huiuſmodi enim pœnis ſeruitutem irrogantibus adfici mulieres conſueuerat: vt conſtat ex Nouell.12. Hinc & ſeruitutis pœna.l.j. C.de ſenten.paſſ.

Serui PVBLICI dicebantur & in vrbe & in prouinciis, homines libertini generis, quorum miniſterio & opera magiſtratus vtebantur. Varro libr. de ling. Lat. 7. ſignificare videtur moris fuiſſe, vt ſerui quidam à populo manumitterẽtur, eorúmque vel magiſtratuum Romanorum, vel municipiorum nomina haberẽt, à quibus libertate donati eſſent. Vlpianus.cap. Inſtitut. 20. Seruus publicus parte dimidia teſtamenti faciendi habet ius. De vrbanis, qui Cenſoribus operam dabant, Liuius lib.43. Cenſores, inquit, extemplo in atrium libertatis aſcenderunt, & ibi ſignatis tabellis (Obſignatis tabulis legit Hotom.) publicis, clauſóque tabulario, & dimiſſis ſeruis publicis, negarunt ſe prius quicquam negotij publici geſturos, quàm iudicium populi de ſe factum eſſet. Gellius lib.12.c.3. Licio tranſuerſo, inquit, qui magiſtratibus præminiſtrabant, cincti erant. Cicero Verrin.5. Cur hoc auctore non Romæ ſerui publici ad vectigalia accedant. Idem Philip.13. Quos Antonius deliciarum cauſſa loris in conuiuio cædi iubebat à ſeruis publicis. Tacitus libr. Annal. 2. Mancipari ſingulos actori publico iubet, ſcilicet vt in Libonem ex ſeruis ſaluo S.C. quæreretur. Hinc etiam ſeruus publicus in municipiis dicebatur, quem ciuitas publice emerat, hoc eſt pecunia de publico ſumpta: vt eius miniſterio vteretur: quemadmodum intelligitur ex l. 6. D.de rerum diuiſ.l.j.§.ſeruum.D.de quæſtionib.l.3.§.3. D.de ſuis & legitim. Et ita Libertus Reipub. dicitur, in l.ſed ſi hac.10.§.3.D.de in ius vocan. qui à corpore aliquo, vel collegio, vel ciuitate manumiſſus eſt: vt & in d.l.3.§.3.& l.j.D.de libert. vniuerſit. Serui autem illi publici olim quidem tabulis publicis præficiebantur: vnde Serui ciuitatis appellantur in l.vltim.D.quod cuiuſque vniuerſ. Publici autem in l.nec ei.18.D. de adopt.l. 2.C.eod.tit.l.4.C.de arbitr.l.j.§.exigere.D.de magiſtr. conueniend. Pòſt verò ab Arcadio Imperat. conſtitutum eſt, vt publicis tabulis non amplius ſerui, ſed liberi præficerentur.l.generale.C.de tabul.

Seruus PECVLIARIS, pro vicario. Scæuola.l. 21. D.de pecul.legat. Si Sticho manumiſſo peculium legatum, ſit, & Titio ſeruus peculiaris: quantum peculio detractum erit ob id quod domino debetur, tantum ei accedere cui vicarius legatus eſt, Iulianus ait. Apud Suetonium tamen Serui peculiares alio ſenſu leguntur, pro iis ſcilicet qui proprij ſunt alicuius. Seruorũ enim Iulij Cæſaris peculiarium meminit, vbi ait Cæſarem præpoſuiſſe eos monetæ, publicíſque vectigalibus.

Serui AD MANVM apud Cicer.libr.3.de Orat. qui præſtò ſunt, in promptu, & parati. Quem ſeruum, inquit, ſibi habuit ille ad manum. Amanuenſes autem ſunt à manu ſerui, vt excipiant ſcilicet & ſcribant. Heſychius ſeruum Ad manum exponit, hoc modo, πρὸς χεῖρα, καὶ εἰς πολλὰ ἑτοίμως οἰκέτης.

Seruus ordinarius eſt, qui dominum agnoſcit, & prouinciæ alicui præficitur: in cuius labores ſi alius fuerit ſuffectus atque ſubrogatus, is ſeruus vicarius appellatur. Vide VICARIVS.

Seruus pileatus is veteribus dicebatur, qui pileo tectus demonſtrabat ſe vænum dari, expoſitum quidem, ſed cuius nomine emptori venditor nihil præſtaret. Qui verò ſerui ſub corona vænibãt, iure belli captiui erãt, coronis inſigniti, ad diſcrimen eorum pileatorum, qui ſine coronis vænibant. Budæus in Annotat. prioribus ad Pandectas. Vide, PILEVS.

Seruis legatis etiam ancillæ debentur, quaſi commune nomen vtrunque ſexum contineat. Auctor Modeſtinus de legat.3. l.ſeruis legatis. Serui enim appellatio etiam ad ancillam refertur, Vlpian.in l.deteſtatio.D. de verb.ſign.

Seruorum varia olim fuerunt miniſteria, variáque officia: Diſpenſatores, actores, ordinarij, atrienſes, hoſtiarij, miniſtratores, obſonatores, cubicularij, notarij, nomenclatores, calculatores, focarij, coci, lecticarij, curſores, tonſores, ſcoparij, ſalcuarij, diætarij, aquarij, topiarij, textores, tabellarij, villici. l. 8. l. 12. §. idem reſpondit, domo. D.inſtr. vel inſtrum. l.61. l. 81. de leg.3.l. 203.D.de verb.ſign. Seruilia autem nomina hæc in libris noſtris referuntur, Pamphilus, Stichus, quæ vulgatiſſima ſunt. Item Damas, Eros.l.105.D.de verb.obli. l.162.§.vlt.D.de verbor.ſignific. Lucrio.l.37.§.pater.de leg.3. Feliciſſimus.l.41.§. Feliciſſimo. de leg.3. Philargyrus.l.28.§.vlt.de condit.& demonſtr. Dyphilus.l. vlt.D. de fideicomm.libert. Parthenius.l.41. D. de hæred.inſtitu. Trophimus, Cupitus, Spendoforus, December, Seuerus.l.37.l.40.§.libertatem.l.41.§.pen. de fideicom. libert. Antiochus.l.97. de legat. libr. 3. Andronicus & Calenus.l.21.l.29.§.j.D.de ſtatuliber. Aithales. l. 24.D. ad leg.Corn.de falſ. Philonicus, in l.vlt.D.de reb. dub. Stephanus, in l.52.D.eod.tit. Philocrates, apud Valer. lib.6.cap.8. Philippus, in l.2.D.de offic. prætor. & apud Cicer. in Oratio. pro Rege Deiota. Clemens, apud Suet.in Tiber.c.25. Ancillarum verò hæc: Areſcuſa, vt lib.j. diximus. Thebis, in l.vltim.D.pro derelicto. Agathea.l.28.in fi.D.de conditio.& demonſtr. Glauce, Tyche, Elpis.l.37. §. j. de leg.3. Feliciſſima.l.41.§. Feliciſſimo.eod.tit. Concordia.l. 40. D. de fideicomm. libert. Victorina in l.41.§.hæredem.D.eod. tit. Eutychia in l. 59.D.de manum.teſt.

Seruus actor, idem qui diſpenſator: id eſt cui pecuniæ domini curatio mandata eſt. Papinianus.l.24.D.depoſiti: Centum nummos, quos hac die commodaſti mihi, adnumerante ſeruo Sticho actore, &c.

Seruus fundus, qui ſeruitutem debet, liber, qui ab ea eſt immunis. Vlpian.l.20.§.j.D.de acquir.rerum domin. Si ſeruus fuit fundus, cum ſeruitutibus tranſit, ſi liber, vti fuit. Item, Si quis igitur fundum dixerit liberum, cum traderet eum qui ſeruus ſit: nihil iuris ſeruituti fundi detrahit. Cic. pro lege Agr. Optimo iure ea ſunt profectò prædia, quæ optima conditione ſunt, libera meliore ſunt, quàm ſerua.

Seruorum igitur frequenter fit mentio in toto iure, vt puta quo

ta quorum vſus eſſet apud Romanos frequentiſſimus. Inde mirum dictu eſt, quantam obſcuritatem in hanc diſciplinam tractatio de ſeruis ingerat: quoniam multa de illis erãt ſingularia, quæ non reſpõdebant regulis iuris aliarum perſonarum. Interim tamen non ſine fructu legemus (modò ſobriè fiat) quæ de ſeruis introducta erant, vtut hodie nõ vtamur tali ſeruitute. Nam habent pulchras rationes, quibus vti poſſumus in aliis negotiorum ſpeciebus. Porrò quidquid in toto iure de ſeruis eſt ſancitum, id referendum eſt ad ruſticos noſtri ſeculi: quatenus fert æquitas ſimilitudinem colligi. Nam nullum hominum genus accedit propius ad ſeruorum conditionem, quàm ruſtici his temporibus. Quod apparet ex l. ne diutius. C. de agric. & cenſit. Accedit his Zaſius in l. j. in princ. D. de edend.

SERVIRE ſeruitutem. Iauolenus. l. 34. D. de ſtip. ſer. Non poteſt videri iuſtam ſeruitutem ſeruiſſe iis qui illum liberum eſſe non ignorabant.

Seruire poſſe feudum dicitur, qui eiuſmodi eſt, vt munus, ſiue ſeruitium feudi nomine debitum præbere domino, ac nauare poſſit: veluti qui miles eſt, lib. 2. tit. 34. §. 4. At mutus, ſurdus, cæcus, claudus, ſeruire feudum non poſſunt, lib. 2. tit. 36.

SERVITVS in quarto præcepto diuinarum Tabularum probatur, quam Ariſtoteles in Politicis grauiſſimis rationibus defendit, ex natura cauſſam trahere, reprehendens eos, qui contrarium adfirmarunt. Quanquàm, ait Philippus, quorſum opus eſt tam ſubtili diſputatione? Illa vox, Honora patrẽ & matrem: ſubiicit omnes homines ſeruituti. Non loquor de effectibus illis, contra omnem humanitatis rationem, corrupta natura, introductis: vt ſic facilè conciliare poſſis Vlpiani ſententiam in l. manumiſſionis. D. de iuſt. & iur. cum tabulis diuinis. Intelligendum enim eſt Ius Gentium pro iure humano, vt Liuius appellare ſolet: & ſeruitus, pro dura forma, & effectu intolerabili.

Seruitus duplex eſt: eſt enim ſeruitus, quæ de hominibus dicitur, alia quæ de rebus. Quæ de hominibus dicitur, eſt conditio eorum qui in ſeruitute ſunt: ſiue conſtitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur. l. libertas. 4. D. de ſtatu hominum. Quæ de rebus dicitur, eſt ius quod quis vel in re, vel ex re ſua alteri conſtituit: eaque eſt duplex, vna Perſonalis, veluti vſusfructus, vſus, habitatio: altera Realis, vt ſeruitutes prædiorum vrbanorum, & ruſticorum. l. j. D. de ſeruitutib. eſtque ius in alieno prædio aliquid agendi, quod alteri agere non licet, ab ipſius domino permiſſum. l. j. D. eod.

Seruitutes PERSONALES propterea dicuntur, quia & hominibus debentur, & cum iis pereunt atque extinguntur. l. 8. §. tale. D. de ſeruit. legat. l. 15. D. de ſeruit. l. 10. in fi. D. de ſeruit. ruſtic.

Seruitutes REALES dicuntur. quæ prædiorum ſunt, ideo quòd ſine prædiis conſtitui non poſſunt. Nemo enim poteſt ſeruitutem acquirere vrbani vel ruſtici prædij, niſi qui habet prædium: nec quiſquam debere, niſi qui prædium habet. §. 3. Inſtit. de ſeruitut. l. j. D. commun. præd. l. quoties. 15. D. de ſeruitut. Denique ſeruitutes perſonales dicuntur, cum res perſonæ, reales verò, cùm res rei ſeruit.

Seruitutes VRBANORVM PRÆDIORVM dicuntur, prædia eiuſmodi qualitatibus affecta, quæ ea ſubiiciãt prædiis alienis: harum tamen vſus eſt tantùm in ædibus, ſiue illæ in vrbe, ſiue in agro ſint. l. j. D. commun. præd. veluti altius tollendi, & officiendi luminibus vicini, aut non extollendi: item ſtillicidium auertendi in tectum vel aream vicini, aut non auertendi. l. 2. D. de ſeruit. vrb. præd.

Seruitutes RVSTICORVM PRÆDIORVM dicuntur, quarum vſus eſt in rebus ruſticis duntaxat: veluti iter, actus, via, aquæ ductus, hauſtus aquæ, pecoris ad aquã appulſus, pecoris paſcendi, cretæ eximendæ, calcis coquendæ. l. j. & ſeqq. D. de ſeruit. ruſt.

Seruitutem tamen Doctores diuidunt in perſonalem, realem, & mixtam. Accurſius adiicit quartum genus, vt quod teſtator in vltima voluntate conſtituat, allegans. l. Titium. §. Titio centum. D. de conditio. & demonſtratio. Et l. Mæuia decedens. D. de manumiſſ. teſt. Equidem à diuiſione Iuriſconſ. tradita in l. j. D. de ſeruitu. quamque ſuprà explicauimus, non recedendum cenſuerim.

Seruitutes prædiorum diuidi non poſſunt. l. ſtipulationes non diuiduntur. D. de verb. oblig. cuius rei eam eſſe rationem conſtat ex Pomponij I.C. fragmẽtis. Nam harum vſus ita connexus eſt, vt qui eum partiatur, naturam eius corrumpat. Bartol. & reliqui interpretes in d. l. ſtipulationes non diuiduntur. in eo ſe genere torquent.

SERVITIVM, munus obſequij clientelaris. libr. Feud. 2. tit. 51. §. 8. Similiter poteſt feudum dari ad certum ſeruitium. Albertus Krantz. libr. Dan. 7. c. 35. Marchio remitteret homagiale ſeruitium, quod habebat in quibuſdam terris. Proprie Seruitium eſt officium ſeruile. Salluſt. Animi imperio, corporis ſeruitio magis vtimur. Itaque feudale officium, vel obſequium libentius appellauimus. Nam ſæpe Seruitij nomine officium aſſectationis ſignificatur: vt illud quod Imperij vaſalli Imperatori ſuo debẽt. Krantz. lib. Dan. 6. c. 17. Vt deinceps Rex Danus Romano Imperio iunctus haberetur, non vt in cœtum vocatus accederet, aut in exercitibus ordines ductitaret, Principum aliorum more: ſed magis ſpecie, quàm re Imperio ſociatus haberetur.

SESCVNCIA, vncia cum dimidia. l. filium. D. de lega. præſtand.

SESSIONVM dies, Vide Dies ſeſſionum.

SESTERTIVS quaſi aſſis tertius, duo aſſes cum ſemiſſe, Voluſio Mætiano. Huius nota fuit H-S. de Nota ſeſtertij vide Hotom. in Comm. in Orat. Cicer. Seſtertij & nummi, fuerũt olim idem. Denarius, quatuor nummos ſeu ſeſtertios valuit. Seſtertium verò neutri generis, mille nummis æſtimabatur. Nec refert vtrum dicatur, Promitto quindecim ſeſtertia, an quindecies ſeſtertium. Quoniam vtrumque, quindecies centena millia ſeſtertium nummũ ſignificat: quemadmodum, Quindecim mutua, & Quindecim millia mutua, idem ſunt: hoc eſt, quindecim millia mutuum: vt: vt in l. lecta. D. ſi cert. pet.

SEVERITER, idem quod ſeuerè, Gordiani. Imp. in l. ſeueriter. C. de excuſat. tut. vel curat. Seueriter præſes prouinciæ exequetur.

SEVIRI, hi erant qui præerant equitum decuriis, quæ ſex erant, Rhamnenſes ſcilicet, Tatienſes, Luceres, primi ſecũdique. erant enim primi Luceres, & ſecundi, ac ſic quoque Tatienſes & Rhamnenſes geminati erant. Hinc in inſcriptionibus antiquis, ſeuirum equitum Rom. ſe reperiſſe teſtatur Turneb. Adu. lib. 11. c. 9. vt in hac, *Trib. mil. leg.* VII. *gem. felic.* VI. *uiro. equit. Rom.* & in illa *x. uiro ſlitib. iudic.* VI. *uiro equit. Rom. turm.*

SEXTARIVM, vas ſextarij, id eſt. heminarum duarum capax. l. 13. D. de inſtr. vel inſtr. leg.

SEXAGENARIOS exactores quidam appellati, qui à collatoribus ſpecies annonarias ſuſcipiebant, tributáque exigebãt, vt videre eſt l. j. C. Theod. de exact. trib. & l. 2. de annon. & trib. in eod. C.

SI, varie accipitur. Quandoque ſumitur pro quia, vt l. 48. §. fi. D. de iure fiſc. Quandoque pro quamuis. l. ait Prætor. §. fi. D. quæ in fraud. cred. Interdum pro non. l. lega-

to generaliter.in ſi.D.de leg.j.l.ſi res.D.de minor. Aliquãdo pro ſicut.l.qua ratione.§.j.D.de acquir.re.dom. Quandoque pro an.l.3.§.j.D.de colla.bo. Quandoque admonitionis nota eſt.l.muto.§.ſub conditione.& eo loci Albericus.D.de tutel. Regulariter Conditionem facit rubr.& l.à teſtatore.D.de condit.& demonſtr.& toto ferè tit.Ex cauſſa diuerſum.l.aliquando.D.eod.

Si vis, pro quo Terent.in Adelph.Sis dixit. Donatus in eum locum, Fac ſis Soſtrata, Sis, inquit, honorificè additur, ne quod imperatiuo modo pronunciatur ſuperbum ſit. Deductum eſt autem à Senatuſconſulti formula. vbi enim aliquid ſenatus cõſulibus iniungit, addit. Si eis videatur.

Si fecerit, si dederit, verbis in conditionibus teſtamentariis plerunque hoc ſignificatur, Si per eum non ſtet, quominus det aut faciat, l.23. D. de conditio. Inſtitut. In ſtipulationibus quoque hæc conditio, Si Pamphilvm non dederis, ſic plerunque exauditur, ſi per te ſteterit quo minus Pãphilum dares.l.115.D.de verb.oblig. Similique modo hæc conditio, Si Capitolivm ascenderit, ſic accipitur, ſi cùm primùm potuerit, Capitolium aſcenderit.l.29.D.de conditio.& demonſtr. Et ex diuerſo, Si Capitolivm non ascenderit, hanc recipit interpretationẽ, ſi cùm primùm potuerit, Capitolium non aſcenderit.l.17.§.j.D.de manum.teſtam. Pari ratione talis conditio, Stichvs, si evm hæres non manvmiserit, liber esto, hunc ſenſum habet, ſi cùm primùm potuerit ſine magno incommodo ſuo manumittere, non manumiſerit.l.20.in ſi.D.de ſtatuliber.

Si, dictione vti ſolent Iuriſconſulti in denotandis actionibus, exceptionibus & replicationibus: vt in tit. D.ſi cert.pet.condict.Et in l.itaque ſi hoc.D. de procurato. l.& eleganter.§. ſi dolo.D. de dol.mal.aliiſque locis multis.

Si sciens fallo, formula iuriſiurandi, quam Feſtus ſic exponit: Lapidem ſilicem tenebãt iuraturi per Iouem, hæc verba dicẽtes, Si ſciens fallo, tum me Dieſpiter salua vrbe arcéque bonis eiiciat, vt ego hunc lapidem. Ad hunc morem alluſit Paulus in l.26.D.de iureiur. Qui iuraſſe dicitur, nihil refert cuius ſexus ætatíſve ſit: omni enim modo cuſtodiri debet iuſiurandũ aduerſus eum qui contentus eo cum deferret fuit: quamuis pupillus non videatur peierare, quia ſciens fallere non videatur. Huius eiuſdem formulæ Polyb. lib.2.mẽtionem facit, ſed & Cic.ad Trebatium: Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare, cum ſcias Iouem iratum eſſe nemini poſſe?

Sicarii, tot.tit.D.& C.ad legem Cornel.de ſicar.ſunt auctore Suda, λῃςῶν γένος. σικὰς δὲ τὰ ἐπικάμπη ξίφη ῥωμαῖοι καλοῦσι. Id eſt latronum genus. Sicas enim Romani incuruos gladios vocant. Fabius lib.10. Nam per abuſionem ſicarios etiam omnes vocamus, qui cædem telo quocumque commiſerint.

Sicilicvs. l.21.§.2.D.de ann.leg. vnciæ pars quarta, interprete Voluſio Mætiano in lib.de aſſe.

Sigillvm, parua ſtatua. Vlpian.de fund. inſtr.l.quæſitum. Sigilla, inquit, & ſtatuæ affixæ non continentur. Dicitur & quo quid conſignamus, vel obſignamus, & notamus. Si petam à te decem tenore chirographi tui ſigillo confirmati. Tu negas ſcripſiſſe te, vel inficiaris ſigillum: rectè petam, vt edas ſigillum tuum, vel vt aliquid manu tua ſcribas, quod conferatur cum chirographo.

Sigilla etiam in ædificiis legimus.l.13.§.ſed ſi ædium. D. de vſufruct.l.41.§.pen.de legat.j.l.12.§.Papinianus. D. de inſtr.vel inſtrum.l.17.§.caſtella. D. de actio. empt.l.19. §.idem Celſus.D.de aur.arg.Et apud Plin.libr.36.c.24. Pediculis argenteis adiuncta ſigilla, in l.32.D. de auro arg. Sigillum candelabro adiectum, in l.23.§. ſi quis rei ſuæ.D.de rei vind.Et patellæ adiecta ſigilla, apud Cicero.6.in Verr.

Sigillaria pro ſigillis deorum, & ὑπονευροσπαςῶν etiam ſigilliola: Arnobius lib.6. Abſtinetis, ait, à riſu, cùm pro diis immortalibus, ſigilliolis hominum formis ſupplicatis humanis, quinimmo deos eſſe ſigillaria ipſa creditis. Tertullia.in lib.de Oratio. Cùm perinde faciant nationes adoratis ſigillaribus ſuis ridendo.

Sigillaria vicus Romæ, in quo non ſigilla tantùm, ſed & libri, & lãces, & aliæ id genus venales res exponebantur. Vnde in l.pen.§.paterfam. D.de leg.3. Sigillaribus emptæ lances. Et apud Gell.lib.2.c.3. In ſigillariis emptus liber, qui etiam libros eo loci expoſitos apertè ſignificat lib.5.c.4. Meminit & Sueto.in Nero. c.38. Vnde etiam Sigillariorum celebritas quædam inſtar nũdinarum, Saturnalium diebus addita, qua ſigilla deorum fictilia venalia proponi, & pueris emi, ſed & inuicem pro munere miſſitari ſolebant: vnde & ea munera, Sigillaria, & Sigillaritia dicebantur. vide Macrob.lib.j.c.10.& c.11. Spartia.in Caracalla, Quæ à parentibus gratia ſigillariorum acceperat, & vel clientibus, vel magiſtris ſponte donarunt. Idem in Hadria. Saturnalia & ſigillaria frequenter amicis inopinantibus miſit, & ipſe ab his libenter accepit. Sicque hoc verbum vſurpauit Suetonius. De his ita Auſonius:

Aediles plebeij etiam, ædileſque curules.
Sacra, ſigillorum nomine dicta colunt.

Alias Sigillarii ſunt, vt antiquæ Gloſſæ teſtãtur, νευροσπάςαι, id eſt circulatores, qui imagunculas quaſdam venundãt, quæ neruis quibuſdam & fidiculis mouentur, perinde ac ſi viuerẽt. & hoc ſenſu ſumpſit Tertullianus lib.de anima: Velut ſigillario, inquit, motus ſuperficiem intus agitãte. Itẽ aduerſus Valentinianos duobus locis. De his ſic Ariſtot.lib.de mundo: ὁμοίως δὲ καὶ οἱ νευροσπάςαι μίαν μήρινθον ἐπισπασάμενοι, ποιοῦσι καὶ αὐχένα κινεῖσθαι καὶ χεῖρα τοῦ ζώου, καὶ ὦμον καὶ ὀφθαλμὸν ἔςι δὲ ὅτε πάντα τὰ μέρη μετά τινος εὐρυθμίας.

Sigla, vel Singlæ, vide Singula.

Signa, Sigilla & Signacula idem valent.l.j.§.ſi pecunia. D.depoſi.l.12.§.pen.D.loca.l.j.in fin.l.2.§.ſi dubitetur.l. 4.D.de teſtamen.quemadmo.aper. Signa autem pro anulis χαρακτῆρα habentibus impreſſum accipimus in re teſtamentaria.l.22.§.ſignum autem. D. qui teſtamẽ. fac.l.11.D.de iniuſt.rupt.§.j.Inſtit.de teſtament. Sunt & ſigna in auth.quod ſine.C.de teſtam.σύμβολα τῶν ἀριθμῶν. nam malè Bulgarus & alij hanc dictionẽ ad liberorum nomina retulit: niſi dicamus per ſigna eũ ſigla intellexiſſe hac in re: & rurſus σύμβολα vbi de numeris loquitur: quæ Galli *chifre* vocant.

Signatores, teſtes ad teſtamenti, nuptiarum, vel alterius negotij tabulas anulis ſuis obſignandas adhibiti, appellantur.l.22.D.de teſti.l.3.§.hoc interdictum. D. de tabul.exhib.l.32.in ſi.D.de furt. Curent magiſtratus cuiuſque loci teſtari volentibus & ſeipſos & alios teſtes vel ſignatores præbere: quo facilius negotia explicentur, & probatio rerum ſalua ſit. Sic l.32.in ſi.D.ad l.Aquil.l.4.l.6.l.7.D.de teſtam.quemadmod.aper. Salluſt.in coniuratio. Catil. Ex illis teſtes ſignatoréſque falſos commendare. Suet.in Auguſto.c.33. Et cùm de falſo teſtamento ageretur, omnéſque ſignatores l. Cornelia tenerentur, &c. Valer.lib.7.c.7. In eo Tullianus Pompeij magni familiaris, ipſo Pompeio ſignatore hæres ſcriptus. Sic apud Tacitum: Adhibitis, inquit, qui obſignarent velut ſuſcipiendorum liberorũ cauſſa conueniſſe. Signatores etiam appellantur in l. vlt. D.de leg.commiſſoria, qui ſacculũ pecuniæ ſignis ſuis obſignarunt.

Signatæ tabulæ teſtamenti in edicto Prætoris accipiuntur, quæ ſeptem teſtium ſignis ſignatæ ſunt, l.vlti. D.de ſecun.tab. Nec ſignatæ videntur, ſi earum linum, quo ligatæ erant, à teſtatore ipſo inciſum eſt, l.j. §.penult.eodem tit. Harum obſignandi morem ſic expreſſit Paulus lib.5.Sententiarum titu.ad leg.teſtã. Ampliſſimus ordo decreuit eas tabulas, quæ publici vel priuati contractus ſcripturam continent, adhibitis teſtibus ita ſignari, vt in ſummam marginis ad mediam partem perforatæ, triplici lino conſtringantur, atque impoſitum ſupra linum ceræ ſigna imprimãtur, vt exteriores ſcripturæ fidem interiori ſeruent. Sic & in l. 12.D.de iniuſto rup. ſignatum teſtamẽtum accipimus. Signata ciſta, in l.j. §.ſi ciſta. D.de lege cõmiſſ.teſtium ſignis obſignata. Sic & ſignata domus in l.j. §.penult. D.de vent.in poſſ.mitt.l.20.D.de iniur.

Signa præterea vexilla militaria ſunt, l.2. §.initium. D.de orig.iur.l.penult.D.ex quib.cau.maio.l.3.§.vltim. D.de teſtibus.

Signifacere, pro Significare. Mætianus l.65.§.3. D. ad S.C.Trebel. Nam ſi auditus capaces ſint, vel interrogati nutu poſſint ſignifacere, velle ſe periculo ſuo hæreditatem adire.

Signinvm riuum lapideum interpretatur Vlp.in l.j.§. vlt.D.de riuis. Plinius lib.35.cap.12. Signinum ex teſtis tuſis fieri calce addita ſcribit. Vitruuius verò lib.8. cap.vlti. Signina opera ita fieri tradit: Primum harenam puriſſimam aſperrimámque parari, cemẽtum de ſilice frangi, calcem quoque quàm vehementiſſimè mortario miſceri, ita vt quinq; partes harenæ ad duas calcis reſpondeant, mortarióq; cementum addi. Frontin.lib.de aquæductib. Concipiuntur ergo via Collatia ad milliariũ octauũ palluſtribus locis ſignino circumiecto continendarum ſcaturiginũ cauſſa. Ex quibus apparet ſigninum riuum teſtaceum & cementiciũ potiùs, quam lapideum interpretandum eſſe. Ideoque Briſſonius ſuperiorẽ interpretationem à Triboniano non ab Vlpiano venire ſuſpicatur. Sunt tamen qui in illo Vlpiani loco legendum Siliceum contendant pro ſigninum, ad euitandam antinomiam, quæ oriri poſſet ex l.Seruius.§.j.D.eod. Signinam fabricã etiã Boethius in Topic.Cicero.dixit. Et Signinum alueum aquæductus Caſſiodor.lib.5.Var.Epiſt.ad vniuerſos poſſeſſor.

Silentiarii, rub. Cod.de ſilent.lib.12. excubitores erant in conſiſtorio, vel palatio principis, ſtantes fere ad limina, qui audientiam faciebant, murmur voce compeſcebant & cohibebant, quorum ſchola in aula Conſtantinopolitana erat, vt ex Niceph.lib.16.cap.24. apparet. De his ſilentiariis ſacri palatij viris ſpectabilibus meminit, l.vlt.C.de excuſat.tutor.l.30.§.vlti. D.de inofficioſ.teſtamen. Conſtantinus de adminiſtratione imperij: *διὰ τῶν βήλων ὑπὸ τῶν σιλεντιαρίων συρομένων*. Hos intellexit Claudianus dum ait, *ſacróque adhibere ſilentia ſomno*. Ambroſ.in Oratio.de morte Valentinia. Veſperi profectus eſt ſilentiarius, tertio die manè quærebat, iámne remoraſſet. Silentiarij etiam accipiuntur, qui in familia cæterorum ſeruorum murmur cohibebant, vt Seneca quadam Epiſtola probat. Et apud Saluia. Maſſil.lib.4.de vero Dei iudicio, cùm ait, Pauent quippe actores, pauent ſilentiarios, pauent procuratores. Sed & Procop.li.2.de bello Perſico, Imperatorum ad ea quæ ſunt quietis, miniſtros ſilentiarios vocari ſcribit. Erant autem Silentiarij ſub decurionibus, vt videre eſt, l.3.in fin.C.de ſilent. qui alias ſacri cõſiſtorij decuriones dicuntur: vt C.Th.l.2.6. & vlt.& alias ſacri palatij, vt l.j.C.eod.

Siligo, frumenti genus optimi, de quo Plinius lib.18.c. 8. Iulianus l.30.D.de neg.geſt. Quendam ad ſiliginem emendam decreto ordinis curatorẽ conſtitutũ. Hinc,

Siliginarivs, ſiliginis diſpenſator, ac diſtributor. Vlpian.l.52.§.5.D.de furt. Si ſiliginario quis dixerit, vt quiſquis nomine eius ſiliginẽ petiſſet, ei daret: & quidam ex trãſeuntibus cum audiſſet, petiit eius nomine.

Siliqva, l.eos.§.penult.C.de vſur.

Siliqvaticvm, mercatorum onus, quod in nundinis exigitur ob venditionem proponendam. Caſſiodor.lib.4.Var. Græci *κόρβαλισμὸν* vocant.

Sylva, vide Sylua.

Silani, ſeu Siluani, vide Salientes.

Similia exiſtimanda ſunt, cum vtrimque eadem eſt æquitatis ratio (quod variis conſtitutionibus edocebimur) ex quo argumentum à ſimili duci debet: cuius rei nomine varij Topica legalia ſcripſere. Argumento autem à ſimili quando locus ſit, docet Iuriſcoſ. l.non poſſunt omnes.D.de legib.nec vllum frequentius habent Iuriſperiti argumento à ſimili. Similium, parium, & comparatorum tractationem ſibi conſcribere debet iuris ſtudioſiſſimus quiſque.

Similia, non ſunt eadem, l.quod Nerua. D.depoſ. ſed quorum qualitas eſt vna: vt quorum eadem eſt ſubſtantia, eadem dicuntur, iuxta Bald.in l.neque leges. D.de legibus, & l.ea quæ. C.de condic.indebit. Quæ origine & corruptione ſunt diuerſa, eadem non ſunt, ait Salomonius, l.Gallus.D.de lib.& poſthu.

Similitvdo, eſt qualitatis eadem ratio. Eſt autẽ duplex Similitudo. Aut enim ex pluribus rebus ſimilitudo colligitur: vt ſi tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi mandatarius: debet etiam procurator. Aut vna res vni rei comparatur. Cicero in Topic.ad Trebatium: Si ædes exeſæ corruunt, vitiúmve faciunt, quarũ vſusfructus legatus eſt: hæres reſtituere non debet, nec reficere: non magis quàm ſeruum reſtituere, ſi is, cuius vſusfructus legatus eſſet, deperiſſet, l.qui vſumfructum.§.contrà.& l.hactenus.D.de vſufruct. l.repeti.§. pen.& l.ſi ager.D.quib. mod.vſusfru.amit. Vide etiam l.amplius. D.de dam.infect.

Similitudo non procedit, ſi fortè monſtrari poſſit, illud quod confertur, diuerſum eſſe genere, natura, vi, magnitudine, loco, tempore, perſona, opinione, aut aliis rationibus: tum enim frigidum ſtatim & enerue fit argumentum. Quapropter ad probandum non ita crebrò: ad explanandum illuſtrandúmq; frequenter adhibenda eſt ſimilium collatio. Quia mirum in modum inſtruit, & quandam rei imaginem ſubiicit animo. Eſt igitur probatio à ſimili, quoties Iuriſconſulti, vel noſtræ ætatis interpretes vtuntur his verbis: Argumento & l.j. Facit l.2. Accedit l.3. Aut his ſimilib. Sic Africanus in l.ſeruum filij.§.eum qui chirographum. D.de leg.j. Argumento eſt, inquit, venditio.

Simonia, vt putatur, à Simone Mago dicta, cuius fit mentio in Actis Apoſtolic. vox eſt non Latina, qua tamen eccleſiaſtici vtuntur. Dicitur autem, quando quis vult dare aut accipere dona Dei, data aut accepta pecunia. Bart.differit, num iure Ciuili Simonia licita ſit, in l.j.D.ad l.Iul.de ambit.& in l.iſte autem. De hæredib.inſtituend.. Simoniam definit Goffredus in Summa, vt ſit ſtudioſa cupiditas emendi, vẽdendi ſpiritualia, vel his adnexa, toto titul.de ſimo.in antiq. & 6.extrà.vel, & generalius, eſt crimen eccleſiaſticum, quod ſapit hæreſim, c.altare.1.q.3.

Simpla & Simplvm idem ſunt: nam ſimpla promitti, & de ſimpla caueri dicebatur, cùm ob euictionem ſimplum rei pretium promittebatur, l.5.§.vlti.l.56.l.60. D.de euictionib. l.17. D.de inſtitor. Varro lib.2.de re ruſt.cap.10. Cauere debet de euictione ſimpli, quanti ea res ſit. Inde quæ cautio ſimplæ, l.36. D.de donat. inter vir. ſtipulatio ſimplæ vocatur in l.11.in fi.l.17. D.de euiction. Actio autem de euictione interdum ſimpli, interdum dupli erat. Simpli erat, cùm dictum non erat quantum ob eam rem præſtare emptorem oporteret:

vel cùm ea, quæ empto fundo acceſſerant, euincebantur, l.16.l.60.D.de euictionibus. Dupli verò erat rebus pretioſis, vel mancipiis venditis. Hinc,

SIMPLARIÆ venditiones (vt in l.ſi tamen.§.vltim.D. de ædilit.edict.) ex quibus actio ſimpli ob euictionem datur: vel pro quibus neceſſe venditor non habet, de dupla emptori repromittere; quarum meminit Vlpianus in l.emptori. D.de euictionibus. Ita enim ſimplariæ venditiones à Pōponio dicuntur, ſicut ſimplariæ actiones, & dupláriæ, & quadrupláriæ dicebantur, quæ in ſimplum, duplum, quadruplum dabantur. Itidem Simplariæ res dictæ ſunt ab antiquis, quæ nullius propriè precij eſſent, pro quibus ſcilicet in ſimplum tantùm venditori cautio deberetur.

SIMPLEX, aliàs eſt nomen numerale, vt duplex, triplex, quadruplex. Vnde ſimplum, duplum, triplum, quadruplum.

Simplex, aliàs accipitur pro puro, miniméque compoſito: vnde dicimus, ſimpliciter aliquid fieri, quod fit ſine cerimoniis, aut ſollemnibus ritibus. Sic Simplex dicitur qui ſyncero, apertóve animo eſt, non verſipelli, neque fallaci. Cic. Academ. Quæſtion. lib.4. Cum ſimplici homine ſimpliciter agerem. Hoc ſenſu dicitur, Veritatis amica ſimplicitas, l.Gallus. §.quidam rectè. D.de liber.& poſthu. c.j.de ſum.trin. c.Paſtoribus. De iud.ca.veritatis. De iureiurand.4.q.9. Pura hæc Græcis dicitur ἀφελέια. Ex diuerſo, duplex pro fallaci, quòd ex fraude & dolo complicatum ſit. Inde duplices homines dicimus Verſipelles.

SIMPLICIORES homines, pro imperitis, ruſticulis, quos Græci εὐηθεῖς appellant. Vlpi.l.14.§.4. D.de relig. Non autem oportet ornamenta cum corporib.condi, nec quid aliud huiuſmodi, quod homines ſimpliciores faciunt, id eſt ſuperſtitioſi & creduli.

Simplex ſubſtitutio, quæ in vnum caſum tantum concepta eſt, l.j.D.de vulga. atque ita duplici opponitur.

Simplices fugitiui, qui nondum pro liberis ſe geſſerunt, l.2.D.de fugit.

Simplex donatio, mera, l.20.§.ſi pater.D.fam.erciſc.

Simplex iuſſio, quæ fit ſine cauſſæ cognitione, l.fin.§.fin. D.quod met.cauſſ.

Simplicia interdicta, in quibus alter actor, alter reus eſt, §.tertia diuiſio. Inſtit.de interdict. Qualia ſunt interdicta exhibitoria, & omnia prohibitoria de arboribus cædendis, & de itinere actúque, l.2.D.de interdict.

SIMPLICIVS, pro apertius, in tit.D.locat. & conduct.

SIMPLICITER, pro generaliter, & (vt Græci dicunt) ἁπλῶς l.66.§.duorum.D.de lega.2.l.3.§.qui liberis. D.ad Trebel.l.9.§.vlt.D.de admi.tut.

Simpliciter, & ſimplicius, l.26. D.de ſeruit.ruſti.l.9. D.de ſeruit. id eſt, non deſignata parte fundi, que ſeruiat.

SIMPLICITVS, pro ſimpliciter, dicere ſolebāt veteres.

SIMPLICITER fieri dicitur id quod ſine fraude dolóque malo fit, cap.penult.39.diſtinct.& 16.q.1.ſi capis. Vlpianus in l.ait.Prætor.§.ſi quis particeps. D.quæ in fraud. creditor.

SIMPLICITAS opponitur calliditati, ſagacitati, verſutiæ. Dicitur & ruſticitas, quæ excuſationem patitur, l.2.D.Si quis in ius vocat. non ier. iuncta. l.contumacia. D.de re iud. Vide Bald. in l.ſcripturæ, C.de fide inſtrum. Angel. Nouel. de teſtib.§.& licet.

Simplicitas legum ſignificat æquitatem: & opponitur difficultati vel ſubtilitati iuris. Iuſtinianus in §.Sed quia ſtipulationes. Inſtit. De fideicom. hæredi. Et nobis, inquit, in legibus magis ſimplicitas, quàm difficultas placet. Et §.fi.eod.tit. Idem in §.Et hæc quidem. Inſt. de legit. adgna. ſucceſſ. commēdat ſimplicitatem legis XII. Tabularum: damnans mediam iuriſprudentiam, propter ſubtilitatem. Simplicitas enim ſtatim aperit veritatem, non differt negotium. At contrà, ſubtilitas ſimulat aliud quàm eſt, protrahit in longum, adficítque damno litigantes.



SIMVLAC, quàm primùm, §.ſi quis. Inſtitut. de rerum diuiſione.

SIMVLATVS contractus propriè dicitur, cùm in ſpecie aliquid agimus, cauſſamque iuſtam prætendimus, cùm tamen tacitè aliquid illicitum agamus: vt cum fenerator, quód pignoris cauſſa acceptum eſt, emiſſe videri vult, l.3.C.plus val quod agitur. & vide B.Cæpolam in tract.de ſimula.contractibus.

SIN autem, pro ſin minus. Scæuola l.38.§.2. D.de aur.argen.leg. Si mihi per conditionem humanam contigerit, ipſa faciam: ſin autē, ab hæredibus meis fieri volo.

SINE, vox priuat, negat, excludit: quandoque tamen includit, c.ad eius.5.diſtinct. vide nota. in c.1.præter.D.de pigno.actio.

SINENDI modo relicta legata dicebantur, quæ ita dabantur, HÆRES MI ILLVM REM ILLAM SIBI HABERE SINITO, PERMITTITO, §.j.Inſti. de teſtam.l.j.Cod.comm.de legat. Caius lib.2.Inſtitut. tit.5. In lege locationis in qua ſcriptum erat, REDEMPTOR SYLVAM NE CÆDITO, NEVE QVEM CÆDERE SINITO, verbum ſinendi hanc habere ſignificationem Vlpian. ſcribit, vt non tantùm redemptor, ſi quem caſu cædētem viderit, prohibeat, ſed vti curet & det operam, ne quis cædat, l.30. D.loca. At in edictis hoc verbū quam vim habeat vide Alex. ab Alexand. lib.j. cap.4.

SINGVLA ſunt ſingulariæ literæ, vt A.Gellius loquitur, lib.17. ſine coagmentis ſyllabarum: & ita literas à notis ſeparat Manilius illo loco, Cui litera verbum eſt, Quíque notis linguam ſuperet. Iuſtinianus in Oratione ad Anteceſſores ſcripta inhibet deſtricte ne librarij in exſcribendis Inſtitutionibus, vel Digeſtis, vel Codice vllis ſiglis vtantur, ſigla vocans, vel ſingla ἐν συγκοπῇ, vt vincla & ſecla, vt vigilia ſiue excubias, poſteriores dixere viglas. quod Nicephorus rex περὶ παραδρομῆς cap.2. hoc tit. demonſtrat apertè. περὶ βιγλῶν, καὶ πόσον διάστημα ὀφείλουσιν ἀπ' ἀλλήλων διΐστασθαι. & Euſtathius qui viglam interpretatur σκοπιάν. Multùm autem Singulæ diſtant à notis. Notæ enim non ſunt literæ, l.6.§.vlt.D.de bon.poſſeſſ. Et vt exemplis hoc confirmetur, Senatum Populúmque Romanum ſingulis deſignant, S. P. Q. R. notis hoc modo , Senatuſconſultū per ſingula ſic, S.C. per notas ſic  &c. Vide Cuiacium Obſ. lib.12.c.40.

SINGVLARII, qui ſingulis ſcribunt, in notitia l.j. C.de off.præf.præt.Afr. & in Notitia Rom.imperij, & in formulis Caſſiodori: vt Notarij, qui notis ſcribunt.

SINGVLARE ius, quód contra tenorem rationis propter aliquam vtilitatem auctoritate cōſtituentium introductum eſt, l.16.D.de legib. & alibi ſæpe.

Singularia quædam, id eſt, contra iuris communis regulas, l.15.D.de reb.cred.

SINGVLARITER ſcriptum edictum, quod vnitatis numero ſcriptum eſt, l.j.§.item hoc edictum. D.quod fal.tut.auc. Sic ſingularem perſonam pro vnica dixit Vlpianus l.9.§.animaduertendum. D.quod met.cauſ. & ſingulares tunicas, l.38.de aur.& arg. pro ſingulis.

SINGVLARII milites quidā olim appellati, vt ex Caſſiod.lib.11.& ex Notitia Imp.Rom. patet.

in SINV meo habui, in l.27.D.de probatio. id eſt in occulto. Lamprid. in Commodo, Prædam omnem in ſinum contulit. Alio loco, Qui etiam condemnationes in ſinum vertiſſe dicuntur, id eſt, in priuatas rationes. Tertullian. in lib. De fuga in perſecutio. Paciſcens cum delatore, vel milite, vel miniſtro aliquo præſidis ſub tunica & ſinu quod aiunt. Sinus autem in his Tranquilli verbis in Cæſare: Toga caput obuoluit, ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit. videtur

pars

pars quædam veſtimenti laxior fuiſſe, & tanquam excurrens in dextra lacinia veſtis, vt cum corpus toga amictum, inuolutúmq; eſſet, à dextra in ſiniſtrum humerum reiiceretur, & è ſiniſtro humero in brachium plerunque deſcenderet, aut ſtatim principio brachio ſiniſtro exciperetur, aut ipſum inuolueret. tum enim ſic ſibi togam iniiciebant, vt & in humerum ſiniſtrum ſibi ſinum reiicerent. quem Cæſar cùm moriendum videret, nequid è corpore renudaretur inhoneſtè, deduxit ad crura ſiniſtra manu qua eum tum fortaſſe gerebat. Quintil. lib. 10. Illud verò refellendũ quòd quidã reiecta in humerum toga, cum dextra ſinum vſque ad lumbos reduxerũt. Iterum: Nam veteribus nulli ſinus: per quam breues poſt illos fuerũt. Et Macrob. de Hortenſio loquens, & eius mollitie: Et ſinus ex compoſito defluens, modum lateris ambiret. Et aliis multis locis, qui à Turnebo explicantur lib. 2. Aduerſ. cap. 26.

SIPHONES, canales, ſeu tubi dicuntur, à ſono vocis, ſi, ſi, ſi, quibus acetum vel aquam incendiis iniiciunt. Heſychius, σίφων, inquit, ὄργανον ἐς πρόωσιν ὑδάτων ἐν τοῖς ἐμπρησμοῖς. Vſus eſt Vlpianus hoc vocabulo, in l. quæſitum. de fund. inſtru. vbi, Acetum, inquit, quod incendij extinguendi cauſſa paratur: Item centones, ſiphones, perticas quoque, &c. quamuis in vulgatis pro Siphones, ſcopæ ſupponantur, quæ nullius omnino ſunt vſus arcendis ignibus. Plinius ad Traianum: Nullus vſquam in publico ſipho, nulla hama, nullum denique inſtrumentum ad incendia compeſcenda. Alex. Neapol. Siphones intelligit fiſtulas follibus iunctas, ſeu mactrinas hydraulicas, quibus agitatis ad ſuperiora ædium exhauriunt aquam.

SIQVIS, verbum tam maſculos, quàm fœminas complectitur. l. j. D. de verb. ſignif.

SISTO, plerunque ſignificat, ſtare facio. Itaque cùm promittimus, aut nos, aut alios in iudicio permanſuros, rectè dicitur vna appellatione, Cautio iudicio ſiſti. Iuriſconſulti enim promiſcuè dicunt Iudicio ſiſti, tam de ipſo reo, quàm de fideiuſſore eius. Vlpian. in l. 2. D. Si quis cautionibus. Si quis, inquit, in iudicio ſe ſiſti promiſit. Et infrà: Se ſiſtere non potuit. Idem in l. ſi quis quempiam. D. eod. tit. In eadem, ait, cauſſa eum debet ſiſtere: loquens de fideiuſſore. Siſto autem præteritum habet, ſtiti, non ſteti, quod à verbo Sto eſt, participali verbo caret: niſi à ſto mutuetur, auctore Priſciano. Vlpianus in l. ſed & ſi quis. §. illud ſciendum eſt. D. ſi quis cautionibus. Eum, inquit, qui idcirco non ſtitit. Et paulò pòſt: Ac per hoc in iudicium non ſtitit. Neratius in l. pen. D. eo. tit. Si procurator, inquit, ita ſtipulatus, vt ſiſtat duntaxat eum, quem ſtipularetur: non etiam pœnam ſi ſtatus non eſſet, ſtipuletur. Ibi illud, ſtatus, à ſto mutuatus eſt.

SISTERE reum, & exhibere reum, l. ſi eum iudicio. D. ſi quis cautio. ad fideiuſſorem pertinent. Sed venire ad iudicium, vt in d. l. ſi eum iudicio. in fin. ſecum agendi poteſtatem facere, vt in l. & ſi poſt tres. D. eod. titul. item: Ire in ius. Vel (ſicut nunc loquimur) comparere in iudicio: ſtare iuri, & cætera id genus, ad reum referuntur. Vtrunque autem complectitur Cautio, Iudicio ſiſti, vt iam diximus: ſiue quis pro ſe, ſiue pro alio promittat. Cuius oppoſitum eſt, Promiſſionem deſerere. Vlpianus in l. ſed & ſi quis. §. quæſitum eſt. D. ſi quis cautio. Nos nunc dicimus, Cautionem de ſtando iuri.

SI A, cibaria etiam præter frumenta, quibus ſcilicet veſcimur: quo nomine etiam oleum ſignificatur. Homerus, Σίτου καὶ οἴνοιο· τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή. *Et Bacchus uires, & robur edulia præbent.*

Σιτώνης, Sitones, curator frumento comparando. Arcad. l. vlti. D. de mun. & hon. Cura quoque emendi frumenti, olei: nam harum ſpecierum curatores, quos σιτώνας & ἐλαιώνας appellant, creari moris eſt. item apud Papyrium l. vlt. §. 2. D. de admi. rer. ad ciuit. Hinc,

SITONIA, curatio frumento coemendo. Vlpian. l. 2. D. de vacat. & immunit. Sextum decimum ætatis annum agentem ad munus ſitoniæ vocari non oportet. Sic in Rub. Cod. De munere ſitoniæ, lib. 10. Cuiacius Obſer. lib. 1. cap. 35. pro Sitoniæ, Sitonici reponendum cenſet, itaque in veteribus libris legi teſtatur. Curam σιτωνικῶν vocat Iuſtinianus Nouella 30. Et de cura autem Sitonici ſcripſit Gregorius lib. 10. Epiſtol.

SITVLA vrna eſt, ad hauriẽdam è puteo aquam accommoda, apud Iuriſconſ. D. de contrah. empt. in l. qui fundum vendebat. §. fin. Alias Sitella ſignificatur, qua qui legem ferebat, ſortiebatur tribus, vt eas in ſuffragium mitteret. Cicero lib. j. de Natur. deor. Vt igitur T. Gracchum cum videor concionantem in Capitolio videre de M. Octauio deferentem ſitellas. Et apud Aſconium in Orat. pro Cornelio: Dum ſitella defertur. In has autem populus tabellas ſui ſuffragij mittebat per pontem tranſiens. Hinc illud Cornificij ad Herennium in Tranſlatione, Pontes diſturbat, ciſtas diſiicit. Sitellæ in ſortiendo mentio fit in vetuſto legis fragmento, quod citatur à Turnebo Aduerſ. lib. & ca. 13. his verbis: Ad ſitellam ſorti veniet, is in eam ſitellam manum demittito. & apud Plautum in Caſina.

SITVS, ſqualor, ſiue incultura cuiuſque rei, à deſinendo dictus: quòd negligentia deſeruntur res, & redduntur incultæ. Vlpian. de bon. poſſ. ſec. tab. l. j. Vetuſtate, inquit, vel ſitu putrefactum.

SIVE dictio an coniungat, an diſiungat ponit Bart. l. j. D. de public. & l. ſi eum. §. qui iniuriarum. D. ſi quis caut. Bald. in l. cum quidam. D. de verb. ſignif.

SMARAGDVS, l. 21. D. de aur. & arg. leg. l. fi. §. ſpecies. D. de publica. gemma eſt viridis coloris, omnibus nota, de qua poſt Plinium Iſidor. lib. 16. cap. 7. Smaragdum à nimia viriditate dictum ait, haberéque principatum omnium gemmarum virentium.

SMYRNA, l. fi. §. ſpecies. D. de publica. ea vocatur quæ vulgò Myrrha.

SOBOLES, propago, l. j. D. ſol. mat.

SOBRIE, frugaliter, l. is qui. D. de tut. & cur. dat. ab.

SOBRINVS eſt, vt ait Ælius Gallus, conſobrini patris mei filius, & conſobrinæ matris meæ filius. Fœmina iiſdem de cauſſis appellat fratrem, & fratrem patruelem, & conſobrinum, & propius conſobrino, & ſobrinam. iidem gradus in ſobrina quoque ſunt. Feſtus. SOBRINI etiam qui ſint, Caius in l. 3. D. de grad. affin. & conſ. ſic demõſtrat: Item patrui magni, amitæ magnæ auunculi magni, materteræ magnæ, nepos neptis: qui ex fratribus, patruelibus, aut conſobrinis, aut amitinis vndique propagantur, vide locũ propriè Sobrini vocantur. Sic emendandum ac legendum eſſe locum Hotomanus cenſet, qui vſque adhuc fœdiſſimè corruptus iacuit, quod vel hinc intelligi poteſt, tum quòd alioquin Caius bis eoſdem numeraret: (neque enim alius eſt nepos magni patrui, ac Sobrinus) tum quòd hic ipſe ordo eſt, quem idem Caius in cognatorum gradibus recenſendis perpetuò conſeruat: quemadmodum in obſeruationibus planius exponit idem Hotoman. Legeretur tamen, inquit, paulo concinnius. Vndique propagati, proprie ſobrini vocantur. Itaque Paulus in l. 10. §. 10. D. de gradibus, cum patrui magni, nepotes & neptes enumeraſſet. Is, inquit, de cuius cognatione quæritur, his ſobrinus eſt: & inuicem huic illi ſobrini.

Sobrino natus, ſobrinus mei filius, Paulus l. 10. ad finẽ, D. de gradib. His perſonis (id eſt patrui & amitæ maioris nepotibus (auus auia eius, de cuius cognatione quæritur, propius ſobrinis ſunt: pater mater ſobrinus, ſobrina. is de cuius cognatione quæritur ſobrino natus eſt, hic proximo nomine definitur parẽtis ſui ſobrini, vt Trebatius

Trebatius ait,ratione quoq; nominis hãc reddit, quòd vltimi cognationũ gradus ſobrinorũ fiunt.Itaq; Sobrini filius rectè proximũ nomẽ ab eo ipſo huius ſobrini dicetur.& ideo eos qui ex ſobrinis nati ſunt, inter ſe proximum nomen appellare.hos enim nullum proprium habere nomen,quo inter ſe vocentur. Sic enim emendat locum Hotom.in Obſeru.

SOCER, ait Modeſt.viri pater,vxoríſque: mater autem Socrus appellatur: cũ apud Græcos propriè viri pater ἑκυρὸς,mater verò ἑκυρὰ vocitetur. vxoris autem pater πένθερος,& mater πενθερὰ vocatur,l.4.§.4. D.de grad. & affin. Soceri autem & ſocrus appellatio etiam ſpõſalibus acquiritur,l.8.D.de gradib.& affin.Sed & vxoris vel mariti auus, auia, proauus, proauia & vlteriores,ſoceri & ſocrus appellatione continentur, l.146. D.de verbor.ſignif.l.3.§.j.D.de poſtul. Quanquam vir vxoris ſuæ auum, megnum ſocerum dicat: auiam magnam ſocrum:proauum verò maiorem ſocerum, proauiam maiorem ſocrũ appellet,vt Feſtus lib.11.& Modeſtinus in l.4.§.gradus.D.de grad.& affi.ſcribũt. Qui etiam pro ſoceri abſoceríq; nomine demonſtrantur, vt in l.15.§.j.D. rer.amot. Et apud Capitolin.in Gordianis, Originem maternã & ex Traiani Imperatoris genere habuit,auo proauo COSS.ſocero, proſocero, & itẽ alio proſocero, & duobus abſoceris conſulibus.

Socer locum parentis obtinet,Pompo.ait,l.qui 2.D.ſolut. matrimon. Vide item l.cum pater.ad legem Pomp.de paricid.l.ſoceri.De verbo.ſignif.cum ſim.ab Alberico citatis. Igitur eadem quæ parenti reuerentia pleriſque in rebus illi debetur.maximè durante affinitate.

SOCII dicuntur,& qui tractatu habito ſocietatem coierunt,& qui in communionem inciderunt,& generaliter qui quid communiter poſſident. Ita communium prædiorum dominos ſocios vocant l.19.& 34. D.de ſeruitu.ruſtic.

SOCIETATIS duplex eſt conſideratio. Altera Publica: altera Priuata.Societatem publicam natura conſtituit inter omnes homines: quæ nihil eſt aliud,quàm naturalis omnium hominum cognatio: cuius meminit l.3. D.de iuſti.& iur. Hãc eleganter tractat Cicero in Officiis. Ex hac ſocietate publica, velut fonte, oſtendendum eſſet ſtudioſis, quomodo propter communicationem rerum introducti ſint omnes contractus, omnia commercia, omnes actiones. Quomodo item ad coercendos malos exerceantur accuſationes,& publica iudicia: totius denique iuris ſanctio non ſpectet aliò, quàm ad conſeruandam inter homines naturæ ſocietatem.Sed vix eam agnoſcimus,adeò noſtros ſequimur corruptos adfectus in explicando iure. Societas verò priuata eſt, quę ciuili hominum auctoritate in quandam cõtractus formulam producta eſt, imitatione publicæ ſocietatis:vt,cũ duo pluréſve ſic contrahunt,quòd lucrum & damnum inter eos commune ſit, de vna re vel negociatione,aut de omnibus bonis præſentibus, & futuris. Hanc Græci κοινοπραξίαν vocant,& hæc Societas conuentionalis dicitur.

Societatis conuentio, inter omnes hominum functiones, ad naturalem illam caritatem proximè accedit. Ea enim exprimit typum cognationis inter nos,quam Deus conſtituit, vt res noſtras alter alteri gratis communicemus;nihilque proprium exiſtimemus: ſed eſſe κοινὰ τὰ τῶν φίλων πάντα.

SOCIETAS, eſt contractus bonæ fidei, de alicuius vel rei,vel negociationis communione ſic inſtitutus, vt eius & quæſtus & damnum ad vnumquemq; communiter pertineat. Eius autem duo genera ſunt:aut enim partes definitæ ſunt,aut indefinitæ:& rurſus ſi definitæ ſunt,aut bonorum omnium ſocietas contracta eſt,aut certæ vnius vel rei,vel negociationis, l.ſecunda, l.tertia,& in ſeq.D.pro ſocio.

Societates etiam collegia & corpora vocantur, in l.j. D. quod cuiuſque vniuerſit.l.31. D.de furt.l.3. §.à municipibus.D.de bon.poſſeſſ.Quibus qui præerant, magiſtri ſocietatum vocabantur,l.14.D.de pact. Ita Societates vectigalium Tacit.lib.13.vocat,vbi malè Rhenanus emendauit, Neceſſitates. Coire enim ſolebant publicani in ſocietatẽm conductionis vectigalium, permiſſumque his erat corpus habere, vt in d.l.j.D. quod cuiuſque vniuerſit. Caius ſcribit. Inde Societas vectigalium cauſſa,in l.65.§.penult. D.pro ſoc.& ſocij vectigalium,in l.9.§.ſocij.D.de publican.

Societas vitæ pro communione victus, quæ inter virum & vxorem eſt,l.j.D.rer.amot.l.52.D.de re iudic.Ex qua vxor rei humanæ atque diuinæ ſocia dicitur, in l.4.C. de crimi.expil.hær.

Societas voluntaria,vide Voluntaria ſocietas.

SOCIARE, pro adiuuare dixit Iuſtinianus in prima epiſtol.Dig.præpoſita:Et iuſſimus quos probaueris,ad ſociandum laborem eligere.

SODALES ſunt qui eiuſdem collegij ſunt, quam Græci ἑταιρείαν dicunt,inquit Caius,l.vlt.D.de colleg.& corp. Vnde Sodalitia,in l.j. D.eod.tit.de quibus legem quãdam Licinnam latam Cic.pro Planco refert. Tertull. lib.2.ad vxor.Diſcumbit cum marito in ſodalitiis, ſæpe in popinis.Appellat & Sodalitates idem Cicero in Cato.maiore,& aliis locis.

SODALES arual es,vide Fratres aruales.

SOLARIVM, eſt vectigal, ait Vlpianus, quod pro ſolo penditur,cum quis in publico ædificauit, l.2.§.11. D.ne quid in loc.pub.Vlpian.l.39.§.4.De legat.& fid.lib.30. Hæres cogitur legati prædij ſoluere vectigal præteritum,vel tributum,vel ſolarium,vel cloacarium.

SOLATIVM, pro mercede, & quaſi precio lapidum in alieno fundo pro loci conſuetudine exciſorum. nam conſuetudo quæ ius id omnib.permiſit,fundi domino quaſi pro ſolatio aliquid nummorum ſolui iubebat. Vlpian. l.13.§.j. D.comm.præd. Niſi talis conſuetudo in illis lapidicinis conſiſtat, vt ſi quis voluerit ex his cædere,non aliter hoc faciat,niſi prius ſolitum ſolatiũ pro hoc domino præſtat. Alciatus SOLARIVM legendum putat, à quo nos ſignificationum diſſentire cogit differentia.Denique Solatium paſſim pro commodo,mercede & ſalario vſurpatur,vt l.3.& l.5.& l.6. C.de aduoc.diuerſ.iud,l.33.in fi.D.de adminiſt.tut.l.13. in fine,D.commun.præd. Inde Solatia annonarum in l.vni C.de annon.& capit.l.17.de erogat.milit.annon. lib.12. C. Eadem eſt in Nouellis Iuſtiniani vis verbi παραψυχή. Secundum hæc in l.4.C.de nauicular.lib.11. vbi vulgò Salariis pro mercedula præſtitis legitur, veteres ſcripti codices,& impreſſus Theodoſij Codex in l.32.eod.tit.Solatiis ſcriptum habent.

SOLIS dies,in l.3.C.de feriis.l.10. & l.13.de exactionib.in C.Theo.is eſt,qui hodie à Chriſtianis Dominicus vocatur,l.2.& l.vlt. C.de feriis.ad quas pertinẽtem Leonis conſtitutionem Nicepho.li.15. Hiſt eccleſ.c.25.memorat Gregor. Turonenſ.lib.3. Hiſt.c.13.Ecce enim, ait,dies ſolis adeſt.Sic enim Barbaries diem Dominicum vocitare conſueta eſt.Quæ verba Aimoynus monachus in eadem hiſtoria referenda tranſcripſit lib.2. de geſt. Francor.cap.11.Diebus porrò nomen à planetis antiquitas indidit.Auſonius in Edyll.

Nomina quæ ſeptem uertentibus apta diebus
Annus habet,totidem errantes fecere planetæ.
Primum ſupremúmque diem radiatus habet ſol:
Proxima fraternæ ſuccedit luna coronæ, &c.

Hanc verò inſtitutionem ab Ægyptiis ad reliquas gentes manaſſe Dio libro 37.ſcribit.

SOLARIVM, apricus locus in ſumma ædium parte ſolis calori fruendo accõmodatus.Vlp.l.17. D.de ſeruit. vrb.præd.Sin verò heliocamino, vel ſolario dicẽdum

erit,

erit, quia vmbrā facit in loco cui ſoli fuit neceſſarius, contra ſeruitutē impoſitā fieri. Paulus in Milite: Nam certè neque ſolarium apud nos eſt, neque hortus vllus, neque feneſtra, niſi clatrata. Macrob.lib.2.cap.4.de Auguſto: Cùm de Tyriæ purpuræ, quam emi iuſſerat, obſcuritate quæreretur, dicente venditore, Erige altiùs ac ſuſpice, his vſus eſt ſalibus: Quid ergo, vt me populus Rom. dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum? Veteres enim hiberno tempore valetudinis gratia in ſole apricari, &, vt Seneca ait, in ſole percoqui ſolebant: habebántque in ædibus ad eum vſum loca accommodata: quæ teſte Iſidoro li.15.cap.3. Solariorum inde nomen acceperūt. Quod & Imperator Leo Conſtitutio.vlt.his verbis tradit, τὰ δὲ περὶ τῶν ὑπαίθρων, καὶ ὡς ἄν τις εἴποι, προσηλιώων θεατρείων, ἃ καὶ πρὸς μόνην καὶ ὑπαίθριον ἀπόλαυσιν ἐπινενόηνται, καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἐκ τοῦ ἡλίου εἰλήφει, ἡλιακὰ προσαγορευόμενα.

Solarium etiam inſtrumentum id ſignificat, quo horæ ſolis vmbra declarantur, vt in illis feſtiuis Plauti verſibus, quos Gell.lib.3.cap.3.citat: Vt illum Dij perdant, primus qui horas repperit, Quíque adeo primum ſtatuit hic ſolarium. Cic.lib.2.de Natura deorum: Aut cui ſolarium deſcriptum, aut ex aqua contemplere intelligere declarari horas arte non caſu.

SOLDATA, ſtipendium militi conceſſum in pecunia, vel annona, ſub conditione fidei atque obſequij. Fictum verbum à voce Germanica SOLD, quæ ſtipendium vel mercedem ſignificat. Abbas Vrſpergen.de Philippo Imper. Hic cùm non haberet pecunias, quibus ſolaria, ſiue ſolda præberet militibus, primus cœpit diſtrahere prædia, quæ pater ſuus acquiſierat: vnde Soldurij milites dicti. Feudiſtæ autem à ſolidis nomen hoc deducunt, lib.2.tit.10. Soldata eſt præſtatio quædā annua gratuita, ſic dicta, quia plerunque in ſolidorum donatione conſiſtit: quandoque autem in vino & annona. Et iis ſuffragatur Carolomanus in Edicto religioſo, apud Auentinū lib.3. Propter crebra bella pars Eccleſiaſticæ pecuniæ, nēpe duodecim denarij, quem Solidum vocamus, contribuantur mihi, quò militibus noſtris præmia condigna laboribus ſoluantur. Hinc,

SOLIDARII, milites alienigenæ, mercede conducti. Otto Friſing.lib.Frid.1.cap.20. Quo aduerſus Guilelmum Siculum largitione pecuniæ milites, qui Solidarij vocantur, colligerēt. Item cap.31. Omnes penè tetri (de Hungariis loquitur) tetris in armis procedunt, niſi quod iam ab hoſpitibus, quos nūc ſolidarios dicimus, educati, Principes & hoſpites noſtros in armorū ſplēdore imitantur. Sigebert.in Chron.ann.1160. Capitales Barones ſuos cum paucis ſecū duxit, ſolidarios verò milites innumeros. Solidarios opinor appellauit, mercede conductos: quos alibi Seruientes dici video: vnde LANDSKNECHT, quaſi patriæ ſeruiētes. Hinc in legibus caſtrenſibus Friderici apud Ottonem lib. Frid.1.ca.26. Statuimus, & firmiter obſeruari volumus, vt nec miles, nec ſeruiens litem audeat mouere. Cæſar lib.de bell.Ciuil.3. Adcantuannus cum ſexcentis deuotis, quos illi Soldurios appellant, quorum hæc eſt conditio, vt omnibus in vita cōmodis, vnà cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dediderint, &c.

SOLIDVS, vt ait Voluſius Mætianus, propriè idem eſt quod libra: quæ & As vocatur. Cùm autem centenarius numerus ferè in pecuniarū ratione As eſſet, atque haberetur, vt in vſuris quæ Centeſimæ dicuntur, intelligitur: conſuetudo tulit, vt Aureus qui centum continet valétque ſeſtertios (vt ſuo loco demonſtrauimus) frequenter Solidus appellaretur. Idem enim vtrunque eſſe patet ex locis innumeris: veluti ex l.5.§.prætor. D.de his qui deiec.vel effud. comparata cum §.item is cui.Inſtit.de oblig. quæ quaſi ex delict. l.47. D.de manumiſſ.teſt.cum l.8.& l.9.D.de inoff.teſt.

Solidus autem eſt ſeptuageſima ſecunda pars libræ auri. l. quotieſcunque.de ſuſceptorib.l.10.C. Continétque viginti quatuor ſiliquas. Item Solidus auri viginti libris æris æſtimatur, l.vnica.C.de collat.æris.lib.10. At in legibus Longobardicis, tit.de quantitate ſolidi, ſolidus 40.denariis æſtimatur. In Nouella Maiorani de Curialibus, Solidi Gallici fit mentio, qui non æquat communem Solidi Romani æſtimationem.

SOLIDVM capere non poſſe dicuntur, qui totum quod eis relinquitur, capere & ſibi acquirere non poſſunt. l.6.D.de vulga.& pupilla.l.72.D.de hæredi.inſtit. l.6.§.j.D.de condit.& demonſtr.l.7.D.de conditio. inſtit.l.67.D.ad l.Falcid.l.16.§.ſi qui.D.ad Trebellian. Tertullian.ad vxorem: Tu modò vt ſolidum capere poſſis admonitionis noſtræ fideicommiſſum.

Solida proprietas, plena, & non deducto vſufructu, l.26.in fin.princip.D.de vſufruct.lega.l.35.D.de bon.libert. Solida legata, id eſt, integra, in l.14.§.j.D.ad leg.Falcidiam.

Solidum non ſoluitur non minùs quantitate, quàm die, l.85.D.de ſolutionib.

SOLLEMNE ſignificat anniuerſarium, legitimum, ordinarium, & quod certis temporibus fit. Ita ſollemnia munera, in l.12.§.penult.D.de adminiſtr.tutor. Et ſollemnia patrimoniorū onera.in l.1.D.de veter. & aliis compluribus locis, quos in libris Antiqui. refert Briſſonius: adde l.4. C.quo.appel.non recip. & l.27. C.de iure dot.& l.25. C.de rei vend. In quibus ſollemnium penſitationum, fructuúmque fit mentio.

Sollemnia iudiciorum, quæ certis legum inſtitutis obſeruantur, l.7.D.de in integ.reſtitut. vnde Ordinatis ſollemnibus, in l.11. C.de liber.cauſ.

Sollemne ſpatium, in l.j.D.pro dote.quod lege XII.Tab. ad vſucapionem præſtitutum eſt.

Sollemnia tempora, in l.vltim.Cod.de excuſ. veter. quinquaginta dies ſunt, D.Marci conſtitutione ad allegandas excuſationes præfiniti, l.6. & l.18.C.de excuſ.tut.

Sollemne ius, pro iure duodecim tabularum, & aliarum legum populi Roma.l.27. de regul.iur. Nec ex prætorio, nec ex ſollemni iure priuatorū conuentione quicquam immutandum eſt.

Sollemnia iudiciorum, quæ certis legum inſtitutis obſeruantur, l.7.D.de in integ.reſtitut.

Sollemnes actiones, certis formulis concluſæ, l.2. §.deinde ex his legibus. D.de orig.iur.

Sollemnis numerus teſtium, pro ſeptem teſtium numero, qui teſtamentis faciendis adhiberi debet: vel lege præſcriptus, & ordinarius, l.21.D.qui teſta.fac.poſſ.

Sollemnia prouocationis, in l.11. C.de admini.tuto.l.20.in fi.D.de appellat.l.5.eod.tit. in Cod.Theod.de quibus lib.2.Antiquit.dixit Briſſonius.

Sollemnia accuſationis, in l.11.§.quidam.D.de adulter.l.7. C.de calumniatorib.l.3.& l.6. C.ad exhi. quæ perſtringuntur in l.j. C.ad Turpillia.l.3. D.de accuſationibus, vt ſunt inſcriptiones, & ſubſcriptiones, & ſatiſdationes de peragendo reo. Itaque l.6.C.ad exhib. ſollemnibus accuſationis impletis, legi debet, non accuſationibus.

Sollemnia verba, in l.23.D.de manumiſ.teſtam, quæ in manumiſſione facienda pronunciari ſolebāt, quæ vel à domino ipſo manumittente, vt Feſt.Pomp.indicat, vel à lictore virgam capiti ſerui imponente, vt Boeth. in Topic.teſtatur, proferri conſueuerant.

Sollemnia teſtamenti, l.20.§.penult.& §.vlt.D.qui teſtam. fac.l.2.C.de teſtament.

Sollemnes feriæ, ſtatæ & certæ, & quotānis recurrentes, l.26.§.ſi ferox.D.ex quib.cauſſis maiores.

Sollemnis quoque emancipatio in l.9.C.de adopt.l.3. C. de emancip.libe.

Sollemnitas adoptionis, l.25.in fin.D.de adoptio.l.13.l.14.C.

14.C.de probat.l.5.C.de ſuis & legiti. id eſt legitimus adoptandi ritus. Vnde adoptio ſollemni iuris ordine explicari ſolere dicitur, l.4.C.de adoption.

Sollemnitas etiam acceptilationibus & verborum obligationibus tribuitur, l. vltim. C. de bo.auctor.iudic. poſſid. l.7. C. commun. vtriuſque iudic. l.12. & l. 14. C. ſi cert. petat. l.j. C. de acceptilationib. l.10. C.de contr. ſtipul.l.j.§.j. C.de vſur.l.5.in fin.C.de dolo. Ita ſollemniter liberationem præſtare accipe, l.17. C.de fideicommiſ.

Sollemniter cauere, eſt ſatiſdatione ordinaria & vſitata cauere, l.28. D.de adminiſtrat.tuto.l.46. D.de procuratoribus. Quanquam hoc Tribonianum Iuriſconſultis adſcripſiſſe facilè crediderim ex §.fin autem per procuratorem. Inſtit.de ſatiſdatio. Obſignatio ſollemniter facta.l.9. C.de ſolut.

Sollicitare, ait Feſtus lib.17. eſt ſolo citare, loco mouere. Sollicitare etiam eſt angere, contriſtare, curam iniicere, l.j.D.de extraord.crimin.

Sollicitator, qui ſeruum ad delinquendum impellit, l.11.§.quamuis.l.14.§.æſtimatio. D.de ſeruo corrup. Sollicitatores alienarum nuptiarum, l.j.D.de extraord. crim.quos ſollicitatores alieni affectus Caſſiodor.lib.5.Variarum vocat.

Solvm appellant Iuriſconſulti aream cui ædificium ſuperponitur, l.21.D.de pigno.actio.l.2. C.de rei vendic.quod & ideo partem eſſe ædium dicunt, l.49. D.de rei vendicatio. In ſolo autem fieri opera dicuntur, quæ ſolo coniuncta ſunt: veluti ſi quis ædificium ponat in ſolo: quod ſi quis meſſem faciat, vineas putet, arbores ſuccidat, opus in ſolo facere non cenſetur. Et hoc ita in operis noui nuntiatione obtinet, l.j.§.hoc autem.D.de noui oper.nunc.Cæterùm in interdicto, Quod vi aut clàm, quod ad ea ſolùm opera, quæ in ſolo fiunt, pertinet, etiam in ſolo fieri videtur quod circa arbores fit, nō etiam quod circa fructum arborum. Itaque ſi vineas quis vel arundinem vel ſalictum ſucciderit, hoc interdicto tenebitur, l.j.§. hoc interdictum l.7.§.notauimus. D.quod vi aut clàm. In ſolo conſiſtere dicuntur ſeruitutes, quæ ſolo imponuntur, & ſolo debentur, quales ſunt iter, actus, via, l.3. D.de ſeruitutibus. Res ſoli dicuntur, ædes, agri, fundi, & cæteræ res immobiles ſolo coniunctæ, l.j. D.de rei vendicatio. l.j. D de condict.tut.l.7. D.de vſufruct.l.j.§.ſi fundus.& l.3.§.pertinet.D.de vi & vi arma.l.7.§.in peculio. D.de pecul.l.j. D.de ædili.edi.l.55. D.de donatio.inter vir,l.j.D.vtrubi.l.30.§.quid ergo. D.de vſucapioni. l.j. D. vſufruc. quemad. caueat.l.12. §.cellarum. D.de inſtru.vel inſtr.l.24. D.quæ in fraud.credit. Quæ & ſolo cohærere & ſolo contineri dicitur, l.10.D.quod vi aut clàm.l.j §.hoc interdictum. D.de vi & vi arma. Quod verbum vt Iuriſconſultis proprium Seneca notat. Sic enim li.11.Natur.Quæſtio. Tertia pars de agris, terris, ſatis, arbuſtis quærit: &, vt Iuriſcōſultorum verbo vtar, de omnibus, quæ ſolo continentur. Plin.lib. 6.Epiſt. Eoſdem patrimonij tertiam partem conferre iuſſit in ea, quæ ſolo continerentur. Hinc pignora ſoli, in l.13.§.ſi pignora.D.de re iud. & obligatio ſoli, in l.29.§.legatum.D.de lib.leg.

Solum etiam Seruius in 5.Æneidos eſſe ſcribit quod vnicuique rei ſubiacet. Vnde nauium ſolum mare, aër, auium, ſtellarum cælum. Ex quo ab Ouidio dictum ſit, Aſtra tenent cæleſte ſolum.

Solarivm, vide ſuo loco.

Solvere dicimus eū, inquit Vlpianus, qui fecit quod facere promiſit, l.176.D.de verb.ſignif. Et ſoluendo eſſe nemo intelligitur, niſi qui ſolidum poteſt ſoluere, inquit Iauolenus l.114.D.de verb.ſignif.

Soluere vnionem apud Marcellum, l.Scia.6.D.de auro arg.non præſtare ſignificat, vt Accurſius putauit: ſed de linea detrahere & eximere: quod infuſo nonnihil acri aceto fit, nam cum initiò ſic locutus eſſet: Poſtea vnionem ſoluit: neque vllum mortis tempore inter ornamenta ſua vnionem reliquit: in fine legis ſic inquit, Vt interim omittam, quòd etiam diſſolutione ac permutatione tali voluntas quoque videatur mutata. Hanc etiam locutionem Macrobius lib.17. pro liquefacere vſurpauit: vbi de Cleopatra loquitur: quæ aceto vnionem impoſitum, itaque diſſolutum, id eſt, liquefactum, abſorbuit.

Solui legibus dicebantur, quibus quid contra leges facere permittebatur. vt cum Scipio ille Africanus antequam per leges liceret, Ædilis & Conſul factus eſt, legibus eſt ſolutus. Inde Imperatores qui legibus teneri noluerunt, legibus ſoluti ab Vlpiano appellantur, in l.31.D.de legib. & S.C. Aſconius in Cornelianæ argumento: Cornelius legem promulgauit, qua auctoritatem ſenatus minuebat: ne quis niſi per populum legibus ſolueretur. quod antiquo quoque iure erat cautum: itaque in omnibus S.C. quibus tum aliquem legibus ſolui placebat, adiici erat ſolitum, vt de ea re ad populum ferretur.

Soluiſſe in tractatu de re iudicata accipere debemus, inquit Vlp. non tantum eum qui ſoluit, verùm omnem omnino, qui ea obligatione liberatus eſt, quæ ex cauſſa iudicati deſcendit, l.4.§.5.D.de re iudic.

Solvendo eſt hæreditas, quæ hæredem inuenit, quandoquidem aditione hæres creditoribus etiā vltra vires hæreditatis obligatur, l.36.D.de bon.libert.l.33. D. ſolut.matri.

Solvtvm propriè dicitur, cum naturaliter, id eſt verè ac re ipſa pecunia numerata eſt: ſatisfactum autē, cum ciuiliter, id eſt non pecuniæ numeratione, ſed verbis creditoris animus eſt contentus: vti docet Marcianus l.49.D.de ſolut.

Solutum, ait Gaius, non intelligimus eum, qui licet vinculis leuatus ſit, manibus tamen tenetur: ac ne eum quidem intelligimus ſolutum, qui in publico ſine vinculis ſeruatur, l.48.D.de verb.ſignif.

Solutus actione dicitur, qui ea liberatus eſt, l.21. D.ex quibus cauſ.maio.

Soluta prædia Cicer.in Orat.de lege Agra. nulli obligata vocat: his enim obligata opponit, his verbis, Soluta meliore in cauſſa ſunt, quàm obligata. Sicul.Flacc.in lib.de conditio.agror. Solutos ait, à quibuſdam appellatos occupatorios agros. Solutos verò non eſſe quorum fines demonſtrari poſſint & finiri.

in Solutum & pro Soluto dari dicitur, quod vt in liberationem debiti cedat, in creditorem transfertur, l. 40.§.vlt.D.de min,l.46.de ſolu.D.l.19. §.vlti. D.de reb. credi.l.24.D.de pigne.acti.& aliàs ſæpe.

Solvto matrimonio dotem reddi, verbis id actum videtur, vt nullo caſu dos apud maritum remaneat, ſiue diuortio, ſiue morte matrimonium ſoluatur, l.240.D.de verbor.ſignif.

Solvtio, eſt obligationis liberatio in actione perſonali, l.ſolutionis.de verbor.ſignif. Vbi, ſolutionis verbo, ait Vlpianus, ſatisfactionem quoque omnem accipiendā placet. In vindicatione enim alia ſolutio non fit, ſed ſpecies petita reſtituitur.

Solvtivs, pro facilius, expeditius. apud Vlpianum in l.at ſi quis.§.idem Labeo. Sed ſolutius, ait, æquitatem ſequi, cùm hoc ei & actionis natura indulget.

Sontes propriè dicuntur, quorum culpa iam ſonat, hoc eſt qui erroris conuicti ſunt, l.j.§.fin.D.de Ædilit. edict. A Græcis dicuntur ὑπαίτιοι ὄντες.

Sonticvs morbus, vide Morbus Sonticus.

Σοφιστάι, l.ἐὰν δὲ.§.σοφισταί.D.de excuſa.tut. à quibuſdam exponuntur doctores.

Σοφὸς Græcis eſt, quod Latinis ſapiens, doctus, acutus, ſcitus, bo

tus,bonus,vtilis:à σοφία ſapientia.Et Romani cum aliquem laudare vellent,quòd doctè omnia dixiſſet, aut prudēter feciſſet,σοφὸν appellabant:vel mox acclamabant,σοφῶς,hoc eſt, ſcitè, doctè, acutè, ſapienter. Sic quia maximam ſcientiam Sempronio populus Romanus attribuit,rectiſſimè σοφὸν eum appellauit.l.2.§. fuit poſt eos.D.de orig.iur. Olim Iudæorũ quoque doctores,teſte Hieronymo,Sophi,hoc eſt,ſapientes à plebe dicti ſunt. Qua imitatione apud Græcos ἑπτὰ σοφοὶ, id eſt,ſeptem ſapientes nuncupabantur: Thales Mileſius,Solon Athenienſis,Chilon Lacedæmonius,Pittacus Mitylenæus,Bias Prienæus,Cleobulus Lyndius,& Periander Corinthius.Sed poſtea Pythagoras primus, vel hoc nomine omnium ſapientiſſimus, non ſapientem ſe,ſed Philoſophum,hoc eſt,ſapientiæ amatorem appellari voluit,ſapientiam ſoli Deo relinquens.

SORDES pro pecuniaria corruptione.l.3.§.j. l.9.§. vlt.D. de recept.qui arbitr.l.3.C.de arbitr.l.15.D.de iudic.l.26. §.per magiſtratum.D.ex quib.cauſ.maio.l.7.§. quæſitũ. D.de minorib.l.7.§.competet.D.de adminiſt.tuto. l. 51. de euictionib.Nam quod in illis locis dicitur, per ſordes,hoc,pecunia accepta,dicitur in l.j.§.j.D.de magiſt. conuen.l.8.§.vlt.D.manda. Sic interpretãdum eſt verbum ſordidè in l.3.§.nunc videamus.D.de ſuſpect. tut.

SORDIDA veſtis.l.39. D. de iniu.ſordium plena , qualis olim erat reorum habitus,qui Sordidati dicti ſunt, vt ex veterum libris conſtat.

Sordida concuſſio , id eſt,calumniæ.Hæc à tranſactionis officio longè diſtat.Tranſactio enim quærit pacem,& finem litium : calumnia diſcordiam parit, & diſpendium. Tranſactio ex bona fide procedit:calumnia ex dolo malo, tantóque magis nocet, quanto latentius procedit ad nocendum.

Sordida munera,vide Munus.

SORDIDE agit tutor,qui pecunia corruptus, rē pupilli negligit.l.3.§.nunc videamus.D.de ſuſpect.tutor.

Σωρίτης Vlpian.l.177.D. de verb. ſign. cauillatio eſt quæ ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes diſputationem ad ea quæ euidenter falſa ſunt, perducit.Sic in l.65.D.de reg.iur.

SOROR, inquit Labeo,appellata eſt,quòd quaſi ſeorſim naſcitur,ſeparatúrque ab ea domo,in qua nata eſt, & in aliam familiam tranſgreditur.Gellius lib.13. c.10.& Nonius.

Soror pro amica,ſiue ſcorto nonnunquam à clericis flagitioſis appellabatur: rem turpiſſimam honeſtiſſimo nomine tegentibus.Impp.l.eum qui.19. C. de epiſc.& cleric. Eum qui probabilem ſeculo diſciplinam agit, decolorari conſortio ſororiæ appellationis non decet. Sorores igitur appellabant , quas hodie Scurræ Commatres vocant.

SORS ſignum eſt ſortitionis quod vrnæ immittitur, ſiue fuerit calculus,ſiue concha,ſiue aſcia , ſiue anuli nota, ſiue etiam ceſpes viuus , iuxta Sophoclem , vel ſimile quid,ſiue teſſellæ & talleolæ ligneæ.Græcis πάλος dicitur,ἀπὸ τοῦ πάλλειν, à mouendo : alio nomine κλῆρος ab euẽtu,quo educta ſorte, ad muneris alicuius adminiſtrationem quis vocatur, à κλῶ , quod eſt voco : aut potius à κλάδον,id eſt lignum, quod lignorum vſus fuerit potiſſimus ad ſortes faciẽdas,in quibus ſymbolum ſuum teſſerámve incidebãt:quomodo Homerus Iliad. 7.ea voce vſus eſt,ibi,οἱ δὲ κλῆρον ἐσημήναντο ἕκαστος· ἐν δ' ἔβαλον κυνέῃ.Notandum autem ſortitionem omnem Mercurio fuiſſe attributam,vt in Iliad. 7. annotat.Euſtath.Hinc Mercurij ſors apud Veteres, quæ fuit oleæ folium,quod in vrnam cõijciebant, primúmque educebant in honorem eius dei : cuius conſuetudinis meminit in Æolo Euripides.Atque olim in eo Reip.ſtatu qui penes populum erat,Δημοκρατίαν nominant, magiſtratus ſorte electos fuiſſe: tum & iudices principio cõſcriptos de curia ſenatoria,deinceps in vrnam ſortito miſſos,vt è pluribus neceſſarius numerus confici poſſet,auctor eſt Pædianus:ita vt primò delecti mox ſortirentur:quod ex oration. Ciceronis ſæpe diſcere eſt.Ea ratione apud Virgilium.6.Æneid.

Quæſitor Minos urnam mouet. & apud Statium:
Arbiter hos dura uerſat Gortynius urna.

Seruius in eum Virg.locum negat auditas fuiſſe cauſſas,niſi per ſortem ordinatas. Ordo autem ex ſorte dierum petebatur,quo poſt triceſimum diem cauſſas ſuas exequi poterant.Iudicum autem nomina tabellis inſculpta,ínque vrnam iacta , per ſortem promebantur.Præterea Conſules,Proconſules & Prætores prouincias ſortiebantur:vetabátque lex Curiata prouinciam extra ſortem cuipiam cedere,hoc eſt, ne alter alterius prouinciam inuaderet, ſed miſſis ſortibus eas ducerent, præcipiebat. Cicero in famil.epiſt. Appius (inquit) dixit ſeſe,ſi licitum eſſet,legem Curiatam ferre,ſortiturum cum collega eſſe prouinciam. Inſuper ducendis legationibus vrnam & ſortem veteri exemplo poſitas fuiſſe, ne ambitioni aut inimicitiis locus foret,contendit Marcellus Eprius apud Tacitum libr. 20.In plurimis aliis rebus veteres ſorte vtebantur,quæ noſtri non ſunt inſtituti. Sciendum tamen ſortes in plurali propriè dici ipſa ſortis inſtrumenta:Sors verò ipſa ſortitio eſt.Hinc Cicero:Et ſortes ipſas,& cætera quæ ad ſortem erant parata,diſturbauit. Alias ſumitur Sors pro dubio rei euẽtu:qui eum Dei voluntate ſemper ſit deſtinatus,varias producit ſignificationes. Vnde Sortiri,verbum,in vſu loquendi frequens, pro adquirere aliquid.Sortiri iudicem , ſortiri prouinciam, ſortiri forum,Nouel.vt om.obed.iudic. prouinc.§.arripiat. Sors,aleæ,vel alterius rei,quæ inſtar ſit aleæ, iudicium,declarans in dubio,ſcilicet honeſto , voluntatem Dei.Vnde ſolebant olim,& iam nunc ſolẽt vel inter coniunctiſſimos , incidentes controuerſiæ per ſortem dirimi,quæ ſunt cautiones.D.famil.erciſc. Auguſtinus grauiter in Pſalm.Sors eſt,inquit,res in dubitatione humana,diuinam indicans voluntatem.Nam ſortes miſerunt Apoſtoli. electi ſunt duo iudicio humano:& electus de duobus iudicio diuino. Vnde ſcribitur:Cecidit ſors ſuper Matthiam.

Sors dicitur patrimonium, & ſumma ſiue caput illius pecuniæ,quæ confertur in ſocietatem, vt inde lucrũ fiat. Qua ratione conſortes accipiendi ſunt, qui vel commune habent patrimonium,vel parem pecuniæ quantitatem ſocietati attulerunt,vt l.dudum.C.de contrahend.empt.

Sors adfini quadam ſignificatione dicitur quælibet pecunia principalis,cui accedũt vſuræ,vel reditus : vt in tit. D.de vſur.l.pen.D.ad leg.Falc.l.58.§.ante.D.ad Trebel.

Sors,pro iudicio,ordinatione ſeu conditione obiter incidente.Tractum autem id eſt ex more Romano : non enim audiebantur cauſſæ,niſi per ſortem ordine quodam,vt iam diximus.Si quidem quo tempore cauſſæ agebantur,conueniebant omnes, & ex ſorte dierum ordinem accipiebant;ſcilicet ita vt poſt triginta dies cauſſas ſuas exequerẽtur.Nunc vix tota hominis ætas ſufficit,ad dirimendas lites.

Sortes plurali numero,reſponſa erant,quæ Satana ſuggerente,dabantur olim conſulentibus de aliqua re : qualibus impoſturis & hodie delectantur impij. Inde ſortilegi dicuntur.26.q.j.& tot.tit.extrà de ſortileg.

SORTIRI, eſt ſortitò capere,hoc eſt,per ſortem obtinere.Sorte enim aliquid conſequi,eſt fortuito rei euẽtu vel caſu adquirere.

Sortiri filium , apud Vlpian.in l.3.§.ſi emancipatus. D.de bonor.poſſeſſ.contra tab.pro ſuſcipere. Si emancipatus filius vxore non ex voluntate patris ducta filium fuerit ſortitus.

Sortiri prouincias dicebātur Prætores,etiam qui in vrbe ius dicturi erant.nam deſignati antequam magiſtratum inirent,ſortiri inter ſe ſolebant, quis de pecuniis repetūdis,quis de ambitu,quis de veneficiis dicturus, quis aliis denique quæſtionibus præfuturus eſſet.vt in Verrinam II. explicat Hotom.

SORTITIONI & ſubſortitioni iudicum Prætor vrbanus præerat,hoc eſt,per ſortem & fortuitum euētum deſignabat ex decuriis & ordinibus eos, qui quoquo tempore iudicarent,illorúmque nomina in albo ſuo deſcribebat.Vnde ſortiri forum.c.fi.de for.competen. Sortiri iuriſdictionem,Sortiri effectum dicimus. Planè,ſi reiiciebantur iudices,ſeu, vt nunc loquimur, recuſabantur,ſubſortitionem in locum reiectorum faciebant.Vide REIECTIO.

SORTILEGIVM, tot.tit.extra.de ſortileg.per creaturā diuinatio.

SORORIVS, cui ſoror mea nupſit. Eſt & fratris, ſororíſve meæ filius.

SPACIVM non ſolum de loco, ſed & de tempore dici cœpit.l.ſicut in annos.§.idem Papinianus. D.quibus mod.vſufr.amitt.c.fi.de nou.oper.nunc.

SPACIARI, ſpacia facere,& deambulare.l.7. D. de ſeruit.& apud Sueton.in Tiber.c.14.

SPADO, σπάδων, generale nomen eſt, ait Vlpianus in l. ſpadonum.128.D.de verb.ſignific.quo nomine,inquit. tā hi qui natura ſpadones ſunt,quàm thlibiæ,& thlaſiæ,ſed & ſi quod aliud genus ſpadonum eſt, continētur.Idem.l.ſi ſerua.39.§.j.D. de iur.dot. Si ſpadoni mulier nupſerit,diſtinguendum arbitror,caſtratus fuerit, nécne:vt in caſtrato dicas dotem non eſſe, in eo qui caſtratus non eſt,quia eſt matrimonium,& dos & dotis actio eſt.Perſpicuè autem in l.6.D.de lib.& poſthu. tria impotentiū genera cōſtituit.Hypoſpadiæorū, qui & coire,& vitio ſublato, generare poſſunt:Spadonū, qui coire quidem poſſunt, generare autem non poſſunt:Caſtratorum, qui neque coire, neque generare poſſunt.Quos omnes ſub generali Spadonum nomine contineri ſignificat in d.l.ſpadonum. De verb.ſign. Hinc Mamertinus ad Iulianū:Spadones, inquit, quos quaſi à conſortio humani generis extorres ab vtroque ſexu,aut naturæ origo,aut clades corporis ſeparauit.Hypoſpadiæi ergo ſunt,qui membris quidem ſunt integris,& incorruptis,ſed naturæ tamen vitio quodā affecti,generare prius non poſſunt, quàm id vitium ſublatum ſit.Quare autē id vitium ſit, vide Galenum lib.De vſu part. XV. Spadones autem ij proprie dici videntur,qui naturæ vitio perpetuo & inſanabili affecti ſteriles ſunt,initio.d.l. ſpadonum. quibus tamen & vxores ducere licet.l.ſi ſerua.39.De iur. dot. quoniam, vt ante dixi,coire poſſunt,quamuis generare nō poſſint:& verò etiam adoptare,ſuúmque hæredem aſciſcere.l.2.& l.40.§.j.D.de adopt.& apud Paulum libr.3. Sentent.tit.de teſtamentis.itaque Pomponius in l.6.§. 2.D.de ædil.edict.ſeruum ſpadonem ait, neque morboſum,neque vitioſum eſſe,ſed ſanum:ſin autem quis ita ſpado ſit,vt tamen neceſſaria pars corporis ei penitus abſit, morboſum eſſe. Caſtrati autem dicuntur, vel Ectomiæ,qui exſecti ſunt: vel Thlibiæ, qui colliſi ſunt:vel Thlaſiæ,ſeu Thladiæ,qui attriti.d.l.ſpadonum. & l.4.De ſicariis.Atque hi in iure ciuili multum differunt vt notat Cuiac.ad l.6.D.de lib.& poſthum.hæred. inſt.ab iis quos propriè Spadones dici retulimus.Caſtrati enim nec vxorem ducere,nec matrimonij cauſſa manumittere, nec adoptare poſſunt:tum & Caſtratio locum dat redhibitioni. Item Caſtratus poſthumum inſtituendo nihil agit,ideóque poſteriore teſtamento, quo poſthumum inſtituat,ſuperius nō rumpitur. Hæc autem ratio eſt differētiæ,quia caſtrato ea pars corporis abeſt,ſpadoni non abeſt, licet infirmitas valetudinis ei ad generandum impedimento ſit:quia etiam ratione iura plus infantibus,quam furioſis fauent.l. 4.D. de vſurpat.& vſuc.Vide Anton.Auguſt.lib.3.Emēd.c.5.

SPARTACI nomen quod habetur. l. 3. D. de acquir.vel amit.hæred. quidam referunt ad nobilem illum gladiatorem,de quo in hiſtoriis Romanorum frequentiſſima mentio eſt:quod an verum ſit addubito.videtur enim potius de quopiam alio ſeruo intelligi, qui pro libero ſe geſſerit,cuius exemplum eo in loco Paulus citet.

SPATHAS gladios maiores eſſe ſcribit Vegetius, minores verò ſemiſpathas.extat hoc vocabulum in authen. de armis.§.pen.

SPECIES à Iuriſconſultis dicitur, quod Dialectici Indiuiduum ſubſtantiæ appellant: dicitur & certum corpus.Itaque in l.talis.30.& l. cùm res.41. §.j.D.de leg.j. quod certum corpus vno loco appellatur, idipſum Species in altero dicitur.itémque in l.in ſtipulationib. 54.D.de verb.oblig. quibus omnibus in locis Generis nomine appellantur ea,quæ quantitate conſtant,id eſt numero,pondere,& menſura.itē vt l.6.D.de rei vind. l.6.D.ſi cert.pet.Alibi autem hæc ipſa Specie communi contineri dicuntur.l.cùm Stichus.29.D.de ſolut.

Species,pro controuerſia:ex eo deducta locutione, quòd finitam quæſtionem Græci ὑπόθεσιν vocant. Vlpia.l.18. D.de minor.Diuus Seuerus & Imperator Antoninus non audiuerunt incoloratè reſtitui deſiderantem aduerſus fratrem,poſt ſpeciem in auditorio eorum finitam.Sic l.Latinus Largus.83.D.de legat.3. Latinus Largus:proximè ex facto incidit ſpecies talis. Recentiores videntur legis Caſum vocaſſe.Quintilianus autem thema,quaſi facti poſitionem,vel euentus.Sic ſpecies vna,pro vna quadam cauſſa,in l.ſolet Prætor.& l.ſeq. D.de iuriſd.omn.iud.

Species etiam Iuriſconſulti appellant,quas veteres Latini Fruges:id eſt vinum, oleum, frumentum, legumina. Arcad.l.vlt.D.de mun.& hon. Cura quoque emendi frumenti,olei:nam harum ſpecierum curatores,quos σιτώνας,& ἐλαιώνας appellant,creari moris eſt.Imp.l.26. C.de vſur.In traiectitiis autem contractibus, vel ſpecierum fenori dationibus.Atque ita paſſim multis in locis Codicis,vt l.10.11.C.de ſacroſanct.eccl.l.j.l.2.& l.vlt.C.de condit.in publ.horr.lib.10.l.j.de quib.muneríb.vel præſtat.lib.10.C.l.7.C.de annon.& trib.lib. 11. l.v.C.de ſalgamo hoſp.non præſt.Sic Species annonariæ,in l.vlt.C.de collat.fund.fiſc.lib. 11. Vegetius lib.3. c.3.Solers debet eſſe tractatus,vt pabula, frumentum, ceteræque annonariæ ſpecies, quas à prouincialibus conſuetudo depoſcit,maturius exigantur.

Species pro forma,qua corpus id eſſe cognoſcitur quod eſt,l.7.D.de ſupell.leg.l.76.D.de iudic.

Specie communi contineri dicuntur, quæ in genere ſuo functionem recipiunt.l.29.D.de ſolut.

SPECIALIS iudex,datus,& delegatus, & pedaneus.l.fi. D.de offic.Præto.l.fi.C.de iudic.

Speciales actiones cēſentur,quibus id perſequimur,quod natura ſua,& quantum ad iuris interpretationem pertinet,ſpeciale eſt,etiam ſi acceſſoria quædam habeat, vt equus,veſtis,domus,fundus,& ceteræ id genus res, in quibus ſingularum rerum petitio eſt, l.j.l.28.D.de rei vind. Itaque actionibus de vniuerſitate ſpeciales opponuntur.l.3.C.de præſcr.30.annorum. Sic:

Specialia iudicia.l.38.D.locati,quibus de vna certa re agitur:qualia ſunt commodati,locati,depoſiti.

Speciale delictum videtur,quod doctores noſtri innominatum dicunt:vt cùm quis in ius vocatus non paret.l. 2.C.de epiſcop.aud.cùm temerè appellat, cùm ius dicentē contēnit,cum in munere ſibi impoſito per deſidiā quis ceſſat.l.2.C.de ſpor.Eiuſmodi enim facta pluribus verbis ſpecialiter deſignātur, non vno generali.

Speciosas perſonas accipere debemus,inquit Vlpianus,clariſſimas perſonas vtriuſque ſexus:item eorum, quæ ornamentis ſenatoriis vtuntur.l.100. D. de verb. ſignific.

Spectabilis, titulus eſt dignitatis, quo ornantur præfectus Auguſtalis,comes orientis,proconſules, & vicarij,vt ex l.vn.C.de ratiocin.oper.publi.l.vn.C.vt omnes iudic.l.32.C.de appellatio.l.3.§.illud.l. vlt. C.de can.largitio.tit.lib.10.C.l.57.& l.59.D.de decur.libr. 10. & ex Notitia conſtat.Ornantur & eo duces,vt l.36.C. de appellatio.l.3.C.de offic. milit. iudic.l. vlt.de offic. præf.præt.Ornantur & eo tribuni,& notarij,magiſtri ſcriniorum,comites ſacri conſiſtorij, comites domorum,comites ſcholarum, comites militares, item caſtrenſis,tribunus notariorum,& ſilentiarij.l.vlt.C.vbi cauſſa fiſcal.l.37.§.j.de appellatio.l.vlt.de decurion.lib. 10.C.l.30.§.vlt.C.de inoffic.l.4.C.de aduoc.diuerſ. iud. teſte eadem Notitia.Et ita ſpectabiles iudices accipe in l.32.C.de appellatio.l.vlt.C. de modo mulctar.l.vn. de annon.& c.l.4.C.de iuriſdictio.omn.iud.l.11.in fi.l. 13.C.de aduocat.diuerſ.iudic.

Spectabilitas inferior erat illuſtri dignitate. Eámque,militiæ ſudore deterſis antiquitatem tribuiſſe Caſſiodor.lib.2.Variar.Epiſtol.ad Steph.ſcribit.Vide Dignitatum gradus.

Spectare, pro expectare, in l.5.§. Prætor.D.de his qui deiece.vel effud.l.6.D.quod falſo tut.l. 29.in fi.D. pro ſoc.l.83.§.ſacram.verſi.adeo.D.de verb.obligat.vt ex initio illius.§.deprehenditur.

Spectatio, apud Cic.Verrina quinta,Ex omni pecunia,quam aratoribus ſoluere debuiſti, certis nominibus deductiones fieri ſolebãt, primum pro ſpectatione & collybo,&c.videtur eſſe probatio pecunię.Hinc Spectatores,quos Græci *ἀργυρογνώμονας.*

Specularia appellabantur,quibus lumen in cœnacula inferebatur,& ſol admittebatur in ædes,vt hodie per vitreamina & chartacea fit:ſic dicta,quod è ſpeculari lapide fiebant,qui (vt teſtatur Plinius libr.36.c.22. & lib.& c.5.) vitri modo perlucidus, facillimè in quãlibet tenues cruſtas finditur. Vlp. l.12.§.12.de inſtr. vel inſtr.leg.Pegaſus ait inſtrumentũ domus id eſſe,quod tempeſtatis arcendæ,aut incendij cauſſa paratur, non quod voluptatis gratia.itaque neque ſpecularia, neque vela,&c.Idem.l.15.§.4.de vſufruct.Idem & in ſpecularibus,ſi domus vſusfructus legetur. Sic Martial. lib.8.Epigr.

Hibernis obiecta notis ſpecularia puros
Admittunt ſoles,& ſine ſole diem.

Seneca libr.13.Epiſt. Quantæ nunc aliquis ruſticitatis damnet Scipionem,quòd non in caldarium ſuum latis ſpecularibus diem admiſerat.Idem lib.14.Epiſt. Quædam noſtra demum memoria prodiiſſe ſcimus,vt ſpeculariorum vſum prolucente teſta clarum tranſmittentium lumen.Muniebantur etiam his ſpecularibus hieme cœnationes & diætæ aduerſus ventorum imbriúmque vim:atque ita venti his excludebantur, vt tamen lumen habitantibus transfunderent.Plin.epiſt. 2.Egregium aduerſus tempeſtates receptaculum:nam ſpecularibus,ac multo magis imminẽtibus tectis muniuntur.Seneca de diuina prouidentia: Quem ſpecularia ſemper à flatu vindicarunt.

Specularii, apud Tarruntenum.l.vlt.de iure immunit.ſunt,inquit Alciatus, qui feneſtris ſpecularia componunt:& l.j.C.de excuſ.artif.*σφεκλοποιοί.*

Speculatores, veter.Gl.*κατόπται*,milites à ſpeculis ſic dicti:quorum munus erat de rebus hoſtium ad ſuos referre quid percepiſſent,ſiue ex ſpecula, ſiue in ipſis hoſtium caſtris.quod Virgilius lib.4. Georgicῶn videtur pulchrè expreſſiſſe,vbi loquitur de iis apibus,

—quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti:
*Inque vicem,*inquit,*ſpeculantur aquas,& nubila coeli.*

Sunt tamẽ qui militum eſſe quoddã genus volunt, qui præter gladium lanceas geſtaſſe videntur, ex Sueton. in Claudio,Neque conuiuia inire auſus eſt, niſi vt ſpeculatores cum lanceis circunſtarent.Et in Galba:Deſcendentem Galbam ſpeculator impulſu turbæ lancea prope vulnerauit.Speculatores itaque legendum,non Spiculatores, in l. diuus. D. de bon. damn. ſicut & in libris Flor.ſcribitur,& l.7.C.de cohor.princ.cor. & in ſacroſancto Euangelio,*ἀποστείλας δὲ ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα, ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.*& a Cornelio Tacito lib.17.ſecundum veterem ſcripturam:Cocceio Proculo ſpeculatori.Et paulo poſt:Barbium Proculũ teſſerarium ſpeculatorem.Hos poſterior ætas Scultatores nuncupauit, quaſi auſculatores: quo fit vt nocturnarum excubiarum teſſeras tractent ex eo ordine qui teſſarij dicuntur.Sumuntur & ex eo ordine,qui in capitis reos lege agant,vt Euangelij locus aperte demonſtrat,& ad d.l.diuus *τῶν βασιλικῶν* interpretatio:*τὴν στολὴν τῶν φονευομένων, ἣν ἐν τῷ συλληφθῆναι περιεβέβλητο, οὔτε ὁ ἄρχων κερδαίνει, οὔτε ὁ ἀποτέμνων, οὔτε ὁ ὑπομνηματογράφος.*Et Iulius Firmicus lib.8.c.26.Speculatores, inquit, facit,qui nudato gladio hominũ amputant ceruices.

Speculator Iuriſconſultus nobilis nomen habuit Gulielmi Durandi:ſed cùm Anno MCCLXXI. volumen illud de iure ſcripſiſſet, quod Speculum iuris inſcripſit:Speculator vocitatus eſt. Vita functus traditur florente adhuc ætate,cùm vix annum trigeſimum exceſſiſſet.

Specus, ait Vlpianus,eſt locus,ex quo deſpicitur: inde ſpectacula ſunt d.l.j.D.de riuis.

Spes præmiorum pignerari non poteſt,l.ſpem præmiorum.C.quæ res pig.oblig.poſſ.

Spem futuræ perceptionis deteriorem conſtituere licet. l.pactum inter hæredem.D.de pact.

Sperare, pro timere.l.3.§.ſi legatarius.D.ſi plus quàm per leg.Falc.vt in illo Virgilij verſu,

At ſperate deos memores fandi atque nefandi.

Sphæristerium à ſphæra,id eſt rotunditate,locus in balneis rotunda forma pilæ ludo accommodatus. Vlpianus.l.16.D.mand.Cum Aurelius Quietus hoſpiti ſuo medico mãdaſſe diceretur, vt in hortis eius ſphæriſterium & hypocauſta, & quædam ipſius valetudini apta,ſua impenſa faceret.Sueton.in Veſpaſ.Valetudine proſperrima vſus eſt:quamuis ad tuendam eam nihil amplius quàm fauces cæteráque membra ſibimet ad numerum in ſphæriſterio defricaret. Lampridius de Alexand.Poſt lectionem operã palæſtræ,aut ſphæriſterio,aut curſui dabat.

Spinosum aliquid in prato, prouerbialiter dixiſſe videtur Imp.in cõſt.de concept.D.§.6. quaſi diceret,in re pulcherrima & venuſtiſſima turpe quiddam immixtum eſſe,quod illam dignitatẽ ac ſpeciem imminuat: vt ſi in prato viridiſſimo & amœniſſimo ſpinæ & vepretulæ ineſſent, quæ inambulantium pedes offenderent.Et hoc tamen perrarò, inquit,ne ex continuatione eiuſmodi lapſus oriatur aliquid in tali prato ſpinoſum. Loquitur de legibus inculcatis, in quo tamen ei mos geſtus eſſe non videtur.

Spolia appellabantur pannicularia ea,quibus indutus erat quis,cùm ad ſupplicium deducebatur.l.penul.D. de bon.damn.Hinc locus ille, in quo exui ſolebant, Spoliarium fortaſſis appellatur.Plinius in Panegyrico:Nunc templum,nunc verè Deus, non ſpoliarium ciuium,cruentarúmque prædarum ſæuum receptaculum. Lamprid. in Commodo: Gladiatoris cadauer trahatur:gladiatoris cadauer in ſpoliario ponatur. Seneca libr.13.Epiſtolar. Nunquid aliquem tam cupidum eſſe vitæ putas,vt iugulari in ſpoliario,quàm in arena malit.

Spolia etiam,quæ cui latro abſtulit,vocantur in l.31.§.j.D. depoſi.

SPOLIARE, pro exuere bonis, in l.j.D. de donat. inter vir.& vxor.Transfertur ad omnia alia:vt ſpoliare auxiliis,prouincia,fama vita,&c.Quod Imp.§.fi.inſtitut. de action.dicit,Exſpoliatum bonis,Iuriſconſ.in l.fi.D. de his,quæ in fraud.dicit,Exutum bonis: vt paria ſint, Exui bonis,& Exſpoliari bonis,id eſt,iacturam bonorum pati.Vide Zaſ.in d.§.fi.Spoliare item pupillum dicitur tutor,qui malè adminiſtrat.l.qui fundum.§.tutor.D.pro empto.

SPONDERE,inquit Varro lib.5.de Ling.Lat.eſt dicere. Spondeo à ſponte.nam id valet,à voluntate. Ideo Lucilius ſcribit de Cretea: Cum ad ſe cubitum venerit, ſponte ipſam ſuapte adductam, vt tunicam & cætera reiiceret. Eandem voluntatem Terentius ſignificat, cum ait.Satius eſſe ſua ſponte rectè facere, quam alieno metu.Ab eadem ſponte, à qua dictum ſpondere, declinatum ſpondet,&c. Spondet enim, qui dicit ſua ſponte,Spondeo.ſpondet etiam Sponſor, qui idem vt faciat, obligatur, &c. Spondebatur pecunia,aut filia nuptiarum cauſſa:appellabatur & pecunia,& quæ deſponſa erat,ſponſa quæ pecunia inter ſe contra ſponſum rogata erat, ſponſio, cui deſponſata quod erat, ſponſus,quo die ſponſum erat,ſponſalis, qui ſpoponderat filiam, Deſpondiſſe dicebatur, quòd de ſponte eius,id eſt voluntate,exierat.Non enim ſi nolebat,dabat,quod ſponſu erat alligatus. nam in comœdiis vides dici,

Sponden' tuam gnatam filio uxorem meo?

quòd tum & Prætorium ius ad legem, & Cenſorium iudicium ad æquum æſtimabatur.ſic Deſpondiſſe animum quoque dicitur,vt deſpondiſſe filiam: quòd ſuæ ſpontis ſtatuerat finem,&c.Itaque qui ad id quod rogatur non dicit, non reſpondet: vt non ſpondet ille ſtatim,qui dixit Spondeo, ſi iocandi cauſſa dixit: neque agi poteſt cum eo ex ſponſu. Ita quiſquis dicit in Tragœdia.

Meminiſtine te deſpondere mihi gnatam tuam?

quòd ſine ſponte ſua dixit, cum eo agi non poteſt ex ſponſu.Hactenus Varro.

Spondere in incertum eſt non incertã nummorum ſummam,ſed quantumcunque quis debeat fide ſua iubere:quæ periculoſiſſima ſponſio erat.Seneca: Sed non ſibi ſponderi in incertum iubebis,ſi fiſco obligabis.

SPONSIO, apud antiquos genus erat ſtipulationis, qua plerunque vti ſolebant poſt interdicta, cum litis quædam appendicula incidiſſet,aut etiam ſi alio modo inter duos controuerteretur.Fiebat autem Sponſio, interpoſita ſtipulatione certæ pecuniæ, quam is qui litẽ intendebat, daturum ſe, ni veram cauſſam haberet, promittebat. Actor enim primùm ſpondebat: id eſt ſponte atque vltrò ſpõſionem deferebat aduerſario, quem ideo ſponſione laceſſere & prouocare dicebatur:ab eo namque poſtea ſummam eandem ſtipulabatur.hic autem aut fateri cogebatur, aut ſi inficiaretur, reſtipulari. tum actor iterum ſtipulanti aduerſario ſpondebat.Græcis erat decima pars rei controuerſæ, in cauſſis priuatis,in publicis,quinta.

Sponſio autem à Sacramento ſic differt (vt in Quintianã exponit Hotom.) quòd in ſacramentis deponebantur in ſacro pecuniæ:& qui cauſſa cadebat, eius pecuniæ referebantur in ærarium,at in ſponſionibus, non deponebantur:ſed tantùm interpoſita ſtipulatione promittebantur. Aliis omnibus in rebus ſimillima erat vtriuſque ratio:quemadmodum ex iis locis cognoſcimus, in quibus ſacramentum & in poſſeſſionis,& in proprietatis controuerſiis interpoſitum dicitur: vt in lib.de Orat.j.& in Orat.pro Mil.& apud Aſcon. Verr. 3.vbi de ampliatione loquitur.vide ſuprà, Sacramentum.Poſtea tamen.

Sponſio appellata eſt, inquit Paulus, non ſolùm ea quæ per ſponſus interrogationem fit,ſed omnis ſtipulatio, promiſſióque.l.19.§.dictum.D. de ædil.edict. l.7.D.de verb.ſign.Alij libri,Sponſi:corruptè.nam Sponſus, ſui, etiam dicimus,vnde Actio ex ſponſu: & illud Seruij Sulpitij apud Gellium lib.& c.4.Si poſt eas ſtipulationes vxor non dabatur,aut non ducebatur,qui ſtipulabatur,ex ſponſu agebat,iudices cognoſcebant.

Sponſio,pro certatione pignorum,ni ita ſe res habeat,vt qui deponit affirmat:vt qui ex certamine ſuperior diſcedet,pecuniam in ſtipulatum deductam, pignorive depoſitam ferat.Vlpia.l.17.§.5.D.de præſcript. verb.Si quis ſponſionis cauſſa anulos acceperit, nec reddit victori,&c.In ſponſionibus enim anulorum pignoribus certatum docet Plinius lib.33.c.j.Eodem ſenſu ſpõſionem facere dixit Marcianus.l.3.D.de aleator. Sic Martialis lib. 11. *Sed cum ſponſio,fabulæque laſſæ De Scorpo fuerint & Incitato.* Macrob.lib.3.c.17. Nec moratus, ſponſione contendit,pignus cuſtodiente Munatio Planco.

SPONSVM, actio erat ex ſponſione, quæ ab aduerſariis in priuatis cõtrouerſiis fiebat,nata.Cicero pro Quintio:Sponſionem facere maluit, fecit. Te iudicem.C. Aquili ſumpſit.ex ſponſo egit.

SPONSVS. Seruius in illud Æneid. 10. *Gremiis abducere pactas*:id eſt,ſponſas,inquit.nam ante vſum tabularum matrimonij cautiones ſibi inuicem emittebãt, in quibus ſpondebant ſe conſentire in iura matrimonij,& fideiuſſores dabant.vnde & admiſſum eſt, vt dicamus virum à ſpondendo ſponſum.Cæterùm propriè ſponderi puellæ eſt.ergo ſponſus non quia promittitur,ſed quia ſpondet,& ſponſores dat.

SPONSORES dicebãtur,quos noſtri fideiuſſores poſtea nominarunt,id eſt quibus ſpondentibus pecuniæ cuipiam creduntur,aut aliquid denique promittitur. Cicero pro Quintio:Cur cæteri ſponſores & creditores non conuenerint?Idem ad Att.lib.j.Tulliola, deliciolæ noſtræ,tuum munuſculum flagitat, & me vt ſponſorem appellat.mihi autem abiurare ſatius eſt, quàm dependere.

SPONSARE, ſponſalia contrahere, ſtipulari ſibi vxorẽ dari.Paulus.l.38.D.de ritu nupt.Si quis officium in aliqua prouincia adminiſtrat,inde oriundam, vel ibi domicilium habentem ſponſare non prohibetur.

SPONSALIA, inquit Florentinus, ſunt mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum.l.j.D.de ſponſal.quo in loco Mentionem Latinè dixit,vt apud Græcos dicitur μνῆστις,vel μνηστεία.Definit etiam ſponſalia hoc modo Hotom.vt ſint mutua repromiſſio futurarum nuptiarum rectè atque ordine inter eos quibus iure ciuili licet,facta.Dixit Mutua repromiſſio:quia tam virum mulieri,quàm mulierem viro repromittere oportet. vnde Spondere olim puellæ pater dicebatur, adoleſcentis autem Deſpondere.Dixit, Rectè atque ordine: quia conſenſum non modò partium,verumetiam eorum quorum in poteſtate ſunt,adhiberi oportet.l.7.D. eod.deinde quia licet neque ſtipulatio, neque ſcriptura neceſſaria ſit,teſtatione tamen opus eſt:tametſi etiã inter abſentes, per epiſtolam aut nuncium contrahi poſſunt.l.4.eod.Dixit,Inter eos quibus iure ciuili licet: quia ſponſalia inter eos demum contrahi poſſunt, inter quos etiam nuptiæ poſſunt.l.ſi quis tutor. §.quamuis.D.de rit.nupt.ætate tamen excepta.l.14. D. de ſpõſal.l.4.D.de rit.nupt.vbi traditur ſponſalia inter impuberes rectè contrahi, dummodo ſeptem annis minores non ſint.Seruius autem Sulpitius Sponſalia ſic exponit:Qui vxorem,inquit, ducturus erat, ab eo vnde ducenda erat,ſtipulabatur eam in matrimonium ductum iri:qui daturus erat,itidem ſpondebat.Is contractus ſtipulationum ſponſionúmque, dicebatur ſponſalia.

ſalia.Tūc quæ promiſſa erat,Sponſa appellabatur:qui ſpoponderat ducturum,Sponſus.Sed ſi poſt eas ſtipulationes vxor non dabatur,aut non ducebatur,qui ſtipulabatur, ex ſponſu agebat,iudices cognoſcebant. Iudex quamobrem data,acceptáve nō eſſet vxor,quærebat.Si nihil iuſtæ cauſſæ videbatur, litem pecunia æſtimabat,quantíque interfuerat eam vxorem accipi aut dari,eum qui ſpoponderat, aut qui ſtipulatus erat condemnabat.Hoc ius ſponſaliorum obſeruatum dicit Seruius ad id tempus,quo ciuitas vniuerſo Latio lege Iulia data eſt.Hæc eadem Neratius ſcripſit in libro quem de nuptiis compoſuit.Gell.lib.4.c.4.Sponſaliorum autem formulam Plautus hāc profert in Pœnulo:

AGORAST. *Audiui tu patrue,dico,ne dictum neges:*
Tuam mihi maiorem filiam deſpondeas.
P.*Pactam rem habeto.* A.*Spondes ne igitur?*
P.*Spondeo.* A.*Mi patrue ſalue:nam nunc es planè meus.*

Item in Trinum.

LYSIMACH.*Sponden'ergo*
Tuam gnatam uxorem mihi? CHAR. *Spondeo, & mille auri*
Philippūm dotis. LYSIM. *Iſtac lege filiam tuam ſponden'mihi*
Vxorem dari? CHAR. *Spondeo.* L. *Et ego ſpondeo idem hoc.*

SPONGIÆ, quibus columnæ,pauimenta, podia, extergu ntur (alij effinguntur) inſtrumenta ſunt domus.l. quæſitum.§.canales.D.de inſtr.vel inſtr.leg.

SPORTÆ, calathi de vimine texti.l.3.D.de penu.leg. in quibus etiam pecuniæ condi ſolebant, vt Aſconius in Verrinis ſcribit. Hinc:

SPORTVLA, id eſt capſa pecuniæ condendæ cauſſa parata:ſed conſuetudo tulit vt pro ipſa pecunia vſurpetur.Et quoniam in ſportulis obſonia & pecunia & cœnæ ferebantur,hinc factum vt ſportulæ pro iis cibis & ea ſtipe & pecunia acciperentur,quæ à magnatibus iis quotidie dabatur,qui ipſos officij gratiā eſſent comitati,aut domi ſalutauiſſent togati. Opponebantur autem rectæ cœnæ,quæ erat cum clientem laute excipiebant & paſcebant.Tranquillus in Domitiano:Sportulas publicas ſuſtulit,reuocata cœnarum rectarum conſuetudine.Erogationes quoque illæ, quæ in ordinem decurionum fiebant,ſportulæ appellabantur.l.5.§.vlt. D.de donatio.int.vir.l.6.§.j.D. de decurionib. vt & ex Plinij Epiſt.ad Traia.lib.10.apparet.Sed & pecuniæ illæ,quæ iudicibus,vel viatoribus,id eſt executoribus litium ac negotiorum pro ſalario dabantur, Sportulæ ſunt appellatæ,rubr.de ſportul.iudic.l.31.§. .executorib.D.de epiſc.& cler.§.tripli.Inſtit.de actionib.l.4. C. de caſtrenſian.lib.12.l.12.C.de proxi.ſacr.ſcrin.l. vlt.C. de præpoſit.agent.in reb.l.vlt.§.vt autem. C. de re milit.lib.12.de quibus vide Alciatūm lib.Diſp.3.c.17.aliter enim his in locis hoc verbū accipiendum cenſet:itémque Nouel.82.

Sportulæ pro ſalariis annuis in l.120. D. de leg.j.niſi cui magis placeat municipales erogationes interpretari. Quo ſenſu in antiquis inſcriptionibus hoc verbū aliquotiens accipitur.

Σπυδαῖον.l.j.C.de vet.iur.enucl.ſtudio,amore, curáque dignum.

SPVRCARE, fœdare, corrumpere, impurum reddere. Paulus.l.j.§.j.D.de extraord.crimin. Fit iniuria contra bonos mores, veluti ſi quis fimo corrupto aliquem perfuderit,aquas ſpurcauerit.Vbi tamen CORREPTO legendum ſuſpicatur Hotom.Vlp.l.27.§.11. D.ad legē. Aquil.Cùm eo planè qui vinum ſpurcauit, vel effudit, vel acetum fecit,vel alio modo vitiauit.Budæus interpretatur,aqua infuſa diluit.

SPVRII. Plutarchus in Problem.Spurius primum nomē eſt apud Romanos, vt Sextus, & Decimus,& Caius. prima autem nomina non tota ſcribunt: ſed aut vna litera,vt T.Titū:aut duabus,vt Cn.Cneum: aut tribus, vt Sex.Sextum:& Ser.Seruium.Sic Spurius Sp. ſcribebatur.eos autem qui ſine patre erant,qui ἀπάτορες Græcè dicuntur,S.& P.deſignabant, quaſi ſine patre dicerentur.Hactenus Plutarch.

SPVRIVS appellatur,qui matre quidem certa, patre autem incerto natus eſt,ait Vlpian.c.Inſt.4. ſic dictus,vt ait Iuſtinianus,à Græca voce,quaſi σποράδην cōceptus. §.ſi aduerſus.de nuptiis. Generale itaque nomen eſt, quod iis omnibus conuenit qui ſine patre iuſto nati ſunt;qui etiam Vulgo quæſiti appellantur.l. vulgo. D. de ſtat.hom.Patet id quoque collatione.l.2.& l.4.D. vnde cogn.& appellātur etiam Liberi naturales, paſſim ſub rubr.C.de natur.lib. Spuriorum autem quinque ſunt ſpecies:nam alij ex concubinatu naſcuntur, alij ex ſcortatione,alij ex ſtupro, alij ex adulterio, alij ex inceſtu.De natis ex concubina teſtimonium eſt in l.cum tabulis.16.§.j.D.de his qui.vt indig.de natis ex meretrice,in l.palam.43.D.de rit.nupt.de natis ex virgine vel vidua honeſtæ exiſtimationis,in l. ſi qua illuſtris.5.C.ad S.C. Orphit.l.priuignus.7.D. de gradibus: de natis ex adultera,in l.imperatores. D. de proba,de inceſta.l.ſpurij.6.D.de decurionib.

Squalidus ager,quaſi excolidus,inquiunt auctores de limitibus agrorum, quod iam à cultura exierit, ſicut Exconſul.

STABVLA, ἱπποστάσια, ἱπποστάσιον locus ad ſtationem iumentorum paratus.l.13.in fi.D.de vſur. Eſt etiam:

STABVLVM, ad hominum manſionem conſtitutum diuerſorium.l.j.in fi.D.furti aduerſ.naut. Vnde ſtabulum πανδοχεῖον vertit Theophil. in §. penul.Inſtitut.de obligat.quæ ex quaſi delic.Cypria.Epiſtol.13.lib.3. Aut ſi,inquit,in via ſtabulum aliquod obſideri & teneri à latronibus cœperit,vt quiſquis ingreſſus fuerit, inſidentium illic infeſtatione capiatur,nónne commeantes hac opinione comperta ſtabula alia appetunt tutiora,vbi ſunt fida hoſpitia,& receptacula commeantibus tuta. Varro lib.4.de lingua Lat.Inde Locarium quod datur in ſtabulo,aut taberna,vbi cōſiſtunt. Hinc:

STABVLARIVS, qui ſtabulum exercet,& iumēta apud ſe ſtabulari permittit.l. j.§.caupones.l.5.& l.vlt. in fi.D.naut.caup.ſtab. Vel qui tecto viatores, vel cōmeſſatores accipit.Seneca lib.j.de Benefic.c.13.Nemo, ait,ſe ſtabularij aut cauponis hoſpitem iudicat. Tertullia.in Apologet.c.39. Aliis cœnaturis creditor erit neceſſarius, Herculanarum decimarum polluctarum ſumptus ſtabularij ſupputabunt.Vbi tamē Rhenanus ſine ratione,tabularij,emendat.Apuleius lib.2.de Aſino aur.Sumo,ait,ſarcinulam,& pretio manſionis ſtabulario perſoluto,capeſſimus viam.

STAGNVM eſt,ait Vlpian.quod temporalem continet aquam ibidem ſtagnantem,quæ quidem aqua plerunque hyeme cogitur.l.j.§.j.D.vt in flum.publ. Idem ait Feſtus.Eſt autē à στεγνὸν, vt vult Var.lib.4.Ling. Lat.Eſt etiam Stagnum, metali genus, in vet. gloſſ. Græcis κασσίτερον. A quo:

STAGNEI nummi,id eſt κασσιτέρινοι.l.9.§.j. D. ad l.Corn. de falſ.

STALLVS in choro.c.dilectus.de præbēd.diſces ex Canoniſtis,& putem eſſe eum locum, vbi ſedere Canonicis in fratrem receptis licet.

STAMEN, quicquid in colo ad nendum ponitur. Alias (vt ſcribit Sipontinus) ſtamina dicuntur fila tecta in opere textorio & ſtabilia,per pictinem trāſmiſſa,quibus alia quæ ſubtermina vocātur intertexuntur. Hinc apud Vlpian.l.70.in princ.D.de lega.3.Stamen & ſubtegmen ſumūtur pro filo ſtaminis & ſubtēminis cauſſa parato.Apud Paulum in Sententiis ſumitur vtrunque in Sipontini ſignificatu. Dicendum vero Subte-

men,nõ Subtegmẽ.Subtemẽ enim id eſt,quod ſubeſt ſtamini:& ita Gloſſæ,Subtemen, κρόκη ῥοδανή. & Lucilius apud Nonium (vt in manuſcriptis legitur) Foris ſubteminis pannus eſt.

STARE ſententiæ arbitri nihil aliud eſt, quam id agere, quantum in ſe ſit,vt arbitri ſententiæ pareatur.l.28.D. de arbit. Stare manere, firmum eſſe.l.ſancimus.C. de teſtam. Stare per aliquem quid ſit, docet.l.j.§.ea igitur.D.quod legat.

STATIO, locus vbi quis ſui muneris obeundi cauſſa ſe ſiſtit,& ab interuentoribus appellari ſolet.Vel,In quo homines adeſſe frequentes & conuenire ſolent, vel audiendi,vel confabulandi,vel recitandi aliquid, vel reficiendi animi cauſſa,Græcis σύςασις, & κύκλος, Latinis etiam circulus.Vlpianus.l.item apud. 15.§.conuitium.5.D.de iniur.Idem, & ſi ad ſtationem vel tabernam ventum ſit, probari oportere.Gellius lib.13.c.13. Quæſitum eſſe memini, in plerſque Romæ ſtationibus ius publicè docentium,aut reſpondentium,&c.Sic Iuuenalis Satyr.2.

Conuictus,thermæ,ſtationes,omne theatrum.

Plinius lib.j.Epiſtol.ad Senec.Plerique in ſtationibus ſedent,tempúſque audiendis fabulis conferunt.Idem lib.2.Epiſt.ad Apollin.Itaque præhendo amicos, ſupplico, ambio,domos,ſtationéſque circumeo. Eodem modo ſæpe ſtationes dixit Tertullianus, loca demonſtrans,in quibus Chriſtiani ſtantes die dominico Dominum orabant(nec enim eo tempore Deum,vti tum loquebantur, de geniculis adorabant) idque nomen idem ipſe ait eſſe ab exemplo militari tranſlatum in lib.de Oratione.Et ita Marcellinus quoque accepit in fi.lib.28.Hinc Stationes tabellionum dicuntur in Nouel.de tabellionib.& Stationes fiſci.l.j.C.de compenſ. l.j.C.ne fiſc.rem quam vend.euin.

STATIO, portus in quo naues tutò conſiſtunt. Vlpian.l. j.§.8.D.de fluminib.Stationem dicimus à ſtando.Is igitur locus demonſtratur, vbi tutò naues ſtare poſſint. Sic apud Virg.Æneid.5.

Statio malè fida carinis. & libr.4.Georg.

Statio tutiſſima nautis.

Inde portum ſtationem eſſe concluſam Vlp.dixit.l.59. de verb.ſign. Hinc:

STATIONARII milites apud Paul.in l.4.D.de fugit.qui in portuum præſidiis locati ſunt.Limenarchæ, inquit, & ſtationarij fugitiuos deprehenſos rectè in cuſtodiã retinent.

Statio etiam iumentorum, in l.13.in fin.D.de vſufruct. Et ſtatio militum.l.3.§.qui ſtationis.D.de re milit.Et apud Plin.lib.10.Epiſt.

STATIONARII ſub Rub.C.de curioſ.& ſtation.quia cum Curioſis coniunguntur, (qui contra publici curſus leges commiſſa curioſè peruеſtigabant) videntur fuiſſe apparitores certis locis per vrbis vias diſpoſiti, vel per prouincias,qui magiſtratibus ſi quid commiſſum eſſet,renuntiarent.Vlpian.l.j.§.quies.D. de offic. præfect.vrb.Debet etiam diſpoſitos milites ſtationarios habere,ad tuendam popularium quietem, & ad referendum ſibi quid vbique agatur.Impp.l.ſi quis.31. C.Theo.de epiſc.& cleric.Notoriis apparitorum, quos Stationarios appellant,deferatur in notitiam poteſtatum.Dicuntur etiam ſtationarij,qui portorio exigendo præerant,τελῶναι.l.vniuerſi.5.C.de vectig.,& commiſ.Sic Stationarios accipe.l.ne quis.6.C.de dignitatib.lib.12.Ne quis ex vltimis negociatoribus, vel monetariis,abiectiſque officiis, vel deformibus miniſteriis,ſtationariis,omníque officiorum fæce,diuerſiſque paſtis turpibus lucris aliqua frui dignitate pertentet. Sunt tamen qui hoc in loco ſtationarios dici exiſtiment de iis qui mercium viliſſimarum apothecas ſecum deferentes certis in locis aliquandiu conſiſtunt, emptorem opperientes,qui & ob eam rem apothecarij dicũtur in l.ſi cohortalis.C.de cohortalibus. Cuiac. mauult.d.l.ne quis.accipi vt l.j.D.de offic.præfec.vrb.

STATIVA ſub Rubr.C.de tractor.& ſtatiu. dicuntur diuerſoria, in quibus qui iuſſu Principis curſu publico vtuntur,& equos publicos ſumere, & cibum capere ſumptu publico ſolent.Euſtathius ἀλλαγὰς vocat.dicũtur etiam Manſiones.

STATORES proprie ſunt carcerum cuſtodes,aut ædium cuſtodes, quos vulgò *Iauclarios* corruptè pro Ianiculariis vocamus.Nam Stare verbum eſt eius rei. Manilius lib.5.

—immitis ueniet,pœnæque miniſter,
Carceris & duri cuſtos,quo ſtante ſuperbæ
Proſtratæ iaceant miſerorum in limine matres.

In Priapeia:

Iam primum ſtator hic libidinoſus
Alternis ineundo,& exeundo,
Porta te faciet patentiorem.

Hi vltimis temporibus Commentarienſes dicebãtur. Alias circitores dicuntur,vt in Priapeia:

Quid mecum tibi circitor moleſte?
Ad me quid prohibes uenire furem?

Statores etiam videntur dici ſerui aut liberti, qui prope herum aut patronum ſtant, & ei præſto ſunt, & ſi quem quærat,arceſſunt ſiſtúntque. Petronius:Quædã enim fœminæ ſordibus calent, nec libidinem concitant,niſi aut ſeruos viderint, aut ſtatores altius cinctos:pro quo diſcinctos legi vult Turneb.Aduerſ.lib. 4.c.19.Alias etiam Statores ſunt miniſtri magiſtratus, id eſt præſidum,aut proconſulum:ita dicti quod ſemper magiſtratui præſto ſint:vt apparitores ab apparẽdo.Vlpian.l.10.quib.ex cauſ.maior.In eadẽ cauſſa ſunt & qui à militibus, ſtatoribúſque, vel à municipalib. miniſteriis aſſeruantur.Idem l.4.de offic. proc.Nemo proconſulum ſtatores ſuos habere poteſt,ſed vice eorum milites miniſterio in prouinciis funguntur. Cic. epiſt.19.lib.2.Fam.Exiſtimaui eſſe faciundum vt ad te ſtatores meos & lictores cum literis mitterem.

STATERA, iudicij æqualitas.c.j.de re iud.lib.6.

STATER, & ſiclus eadem ſunt A.Aug.ad Modeſt. Siclus pendit ſemunciam.

STAHTMVS, id eſt, manſio, miliaria habet ſeſquinouẽ, & viginti.Cuius fit mentio Nouell. Vt omn.prouin. mag.obtemp.Conſt.68.

STATIM, cum temperamento temporis accipiendum in certis Iuris noſtri locis, Albericus oſtendit. Eſt vbi pro ilico ponitur,vt in l.fin.C.de bon. quæ liber. Vide Bart.in l.qui pignori obligari.§.fi.D. de auct.tut.Statim etiam nonnumquam eſt perpetuo & perſeueranter,ſine intermiſſione,ſine laxamento.l.tutor.7.§.vſuræ.D.de admin.tut. Vſuræ, inquit Vlp.à tutorib. non ſtatim exiguntur, ſed interiecto tempore ad exigendum & collocandum duum menſium. Sic accipi ſæpe in aliis auctoribus duo celebres Grammatici notarũt, Nonius & Donatus.

STATVAS principum his qui ad eas confugiſſent, tutiſſimum aſylum fuiſſe,in libr. 4. Antiquit. docet Briſſonius.Inde ad ſtatuam confugere, id eſt, ad ſtatuam Cæſaris,legimus.l.2.D.de his qui ſunt ſui vel al.l. j.in princ.D.de offic.præfect. vrb.l.17.§.apud Labeonem. D.de ædil.edict.l.28. §.ad ſtatuas.D.de pœn.l.5.D.de extraord.criminib.l.vnic.C.de his qui ad ſtat.confug. §.ſed & maior.Inſtitut.de his qui ſunt ſui vel alieni iur.Sueton. in Tiberio. c.53. Nouiſſimè calumniatus, modò ad ſtatuam Auguſti, modò ad exercitum confugere velle, Pandatariam relegauit. Plinius libr.10. Epiſtol.ad Traian.Miles qui eſt, in ſtatione Nicomedienſi ſcripſit mihi Callidromum quendam nomine cum detineretur à piſtoribus, quibus operas ſuas locaue

cauerat,ad tuam ſtatuam confugiſſe. Sidonius Apollinaris lib.j. Epiſtol.ad Montium: Ac principe poſt diem viſo,in forum ex more deſcendo: quod vbi viſum eſt,illico expauit,vt ait ille, nihil fortiter auſa ſeditio: alij tamẽ mihi plus quam deceret,ad genua prouolui: alij ne ſalutarent,fugere poſt ſtatuas, alij poſt columnas,&c. Conſtat autem forum Romanum ſtatuis & columnis refertum fuiſſe: ideo etiam qui circa ſtatuas & colũnas in foro ſe occultarent, vt occurſum creditorum effugerent,videri latitare probat, l.Fulcinius.§.illud ſciendũ.D.quib.ex cauſſ.in poſſ.eat. quanquam in omnibus exemplaribus legitur ſtationes,non ſtatuas. Vide Cuiac.Obſer.lib.j.c.13.

STATVARII, l.j.C.de excuſ.artif. Græcis ἀνδριαντοπλάσται, id eſt ſimulachrorum fictores.

STATVERE non dicitur qui magiſtratũ poteſtatémve habet,niſi rem perfecerit,ac ius ſtatuendi habuerit, l.j.D.quod quiſque iur.

STATVTVM, idem quod lex ciuilis, vel municipalis. Et hoc recipere interpretationem,Salomon.affirmat, & Zaſius probat. Quod eſt contra eos,qui contendũt, nõ aliter ſtatuta, quàm verbotenus intelligẽda. Sciendum autem, quòd Rom.ius ab initio non aliud fuit, quàm municipale:nec XII.Tab. leges aliud tum erant, quàm id,quod noſtri nunc ſtatuta vocant. Poſt propagatum verò Imperium, cœpiſſe ius eſſe commune inter omnes Imper.Roman.populos: quod ceu poſitiuum,Iuriſcoſſ.ſecundum voluntatem, ex bono, & æquo ſemper fuit interpretatum,vt in ipſis Pãd.libris licet inſpicere. Quia verò nihil eſt inæqualius locorum circũſtantia, non poteſt Ius Romanum æqualiter obſeruari vbique: idcirco receptum eſt,ſcribi ſtatuta,non ſolum vt aliquid addatur, aut detrahatur legi generali,verumetiam cõtra legem generalem Romanorum, l.omnes populi.& §.ius autem ciuile. Inſtitu.de iure natu.vide Bartol.in l.omnes populi. D.de iuſtit.& iure.

STATVTA libertas,quæ in diem vel conditionem deſtinata eſt,l.j.& 6.D.de ſtatulib.l.81.§.pen.D.de lega.j. l.15.& l.16.D.de noxalib.l.27.§.de eo quoque.D.ad leg. Iul. de adult.

STATVTI, vt ſcribit Balſamo Nomocanonis 8.cap.13. certus erat aduocatorum numerus in foro præfecturæ prætorianæ & vrbicariæ,ſicut in quaque militia & collegio certi ſtatuti ſunt, vt videre eſt l.7.C.de prox. ſacr.ſcrin.& l.vlt.C.de iuriſd.omn.iud.qui fuit ſub primiceriis:ex quibus duo fiſci patroni quotannis prodibant.qua ex re curiali & cohortali fortuna liberabantur cum liberis omnibus quandocunque ſuſceptis.

STATVM,participium à verbo Siſto,quod eſt præſento, & quaſi præſentiam corporis exhibeo. Vlpianus in l.3.ſi quis in ius vocat. Cum quis, inquit, iudicio ſiſti promiſerit,neque adiecerit pœnam,ſi non ſtatum eſſet. Idem ſi ex nox. cauſ.l.j. Non videri, ait, in eadem cauſſa ſtatum.

Status dies cum hoſte vocatur, qui iudicij cauſſa conſtitutus eſt cum peregrino. Eius enim generis ab antiquis Hoſtes appellabantur, quod erant pari iure cum populo Rom. atque hoſtire ponebatur pro Æquare. Plaut.in Curcul.

Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies,
Tamen eſt eundem quo imperant,ingratis.

Feſtus.

Status perſonarum conditionem ſignificat. Secundum quam alij ingenui ſunt, alij libertini,alij ſerui.titul. de ſtatu hom.tit.ne de ſtatu defunct. Vnde inſtrumenta ſtatus,quibus manumiſſio vel ingenuitas probari poteſt,l.8.D.quod met.cauſſ.

Status cauſſæ pro liberalibus iudiciis, quibus ex libertate in ſeruitutem, vel ex ingenuitate in libertinitatem quis petitur,l.8.§.ſi quis. D.rem rat.hab.l.j. C.de offic. prætor.l.38.§.ſi ſtatus.D.de procuratorib.l.j. §.ſed & ſi de ſtatu. D.de tab.exhib.l.6. C.de fide inſtru.l.3. C.de ord.cognit.& alias ſæpe. Serui porrò ſtatum non habent. Ideóque in libertatem perducti, mutare ſtatum non videntur,l.3.§.vltim.& l.4.D.de ca.minut. Statum autem mutant liberi omnes, qui vel ciuitatem, vel libertatem,vel familiæ ius amittunt, l.2.D.de in integr. reſtit.l.j.D.de ca.minut.l.9.§.Papinianus. D.de minori.

Status alias ſignificat caput cauſſæ, ſeu principalis quæſtionis iuris vel facti, ad quam reliqua ſunt referenda.

Statum etiam obligationis, pro conditione & natura dicimus, l.9.§.j.D.de duob.reis,l.108.in fin.D.de verbor. obligatio.& l.124.D.eod.titul.coniuncta,l.12. §.penult. D.de ſolutionibus.

Status,pro ſtata,plena, integra, perfecta & firma ætate, nimirum annorum 25.ἀκμὴ Græcis.Paulus in l.77.§.curatoris. de lega.2. Quanquam igitur teſtamento cautum eſſet vt cum ad ſtatũ ſuum frater perueniſſet, &c. Sic l.cum de ætate. D.de probat. Et ſtatus ætatis dicitur in l.pen.C.quando dies leg.ced. Dicitur iuſta ac legitima à lege Lætoria, vt conſtat ex l.2. C.Theod.de donat.in qua ita ſcriptum eſt: Donec annos Lætoriæ legis egreſſus,legitimam compleuerit ætatem.

STATVLIBER appellatur, qui ſub conditione teſtamento liber eſſe iuſſus eſt:vt Vlpia.Inſtitut.titul.2.ſcribit.ſic vet.Gloſ.Statuliber, ἐλεύθερος χρόνῳ καὶ διαθήκῃ ἀφεθείς.vbi tamen pro χρόνῳ, videtur ὅρῳ legendum, vt & voluit Ioſ.Scalig.in teſt. Statuliber eſt, inquit Feſtus,qui teſtamento certa conditione propoſita, iubetur eſſe liber: & ſi per hæredem eſt quominus ſtatuliber præſtare poſſit,quod præſtare debet, nihilominus liber eſſe videtur. Hinc,etiam ſtatumliberum exponunt vet.gloſ.ἐπικεκαμμένην τὴν ἐλευθερίαν,cum nondum ſtatuliberorũ recta ſit libertas, ſed inflexa quodámodo donec extiterit conditio. ita enim eo in loco legendum mihi videtur.

Status Romani mutatio prima, à regibus ad Cõſules:cuius non alia fuit cauſſa,quã tyrãnis, hoc eſt, ſæuũ ac violentum imperiũ,quod rex vltimus tandẽ exercere cœpit,l.2.§.exactis deinde.D.de orig.iur. Secũda mutatio à Conſulibus ad Deceuiros: quæ propter leges ferendas cõtigit. Et eſt origo XII.Tab. quæ cœpit anno ab vrbe cõdita 303.Ab eiectis verò regib.60.d.l.2.§. Poſteà ne diutius. Tertia mutatio à Decemuiris rurſus ad Cõſules. Ibidẽ,§.deinde quia difficile. Quarta & vltima Romani ſtatus mutatio,à Cõſulibus ad vnũ principẽ. Quæ monarchia ad nos peruenit.§.nouiſſime ſicut.

STATINA dea,apud Tertullianum lib.de anima. Prima etiam conſtitutio infantis ſuper terram ſtatim Statinę (non Ædeæ) deæ ſacrum eſt. Hanc Varro libro de lib. educ.Statanum deum facit pueritiæ pręſidem. Sed ſiue deus,ſiue dea,ſiue vtrũque,ſecundum eos qui numina dicunt hermaphrodita,quia incorporea ſunt, & quod volunt aſſumunt corpus,traxit inde nomen, quòd (vt idem Varro ſcribit 11.De vita pop.Rom.) natus puer, ſimul ac ſublatus erat ab obſtetrice, ſtatuebatur in terra,vt auſpicaretur rectus eſſe. Ad quem morẽ forſitan referenda ſunt hæc verba l.3.C.de poſt.hær.inſtit. Illico poſtquam in terram cecidit,vel in manibus obſtetricis. Certe ſic Poëtæ loqui ſolent. Papinius 1.Syluarum, *- tellure cadentem Excepi,fouique ſinu.* & alibi apud eundem. Ex Cuiac.Obſeru.lib.11.cap.30.

Στεγονομία,in Nouellis cœnacula, quæ pẽſiones ſunt ædiũ.

STELÆ, στῆλαι, ſunt proprie lapideæ pilæ ſurrectæ, in quibus fœdera inſcribi ſolebant, vt omnibus innoteſcerent:& in quibus etiam homines proſcribi ſolebãt. Vtitur hoc verbo Plinius lib.6.cap.28. Vlpianus l.ſicuti.ſi ſeruitus vindicetur, Stelas columnas ſtructiles vocat. A columnis enim, quæ à Græcis κίονες dicun-

tur,hoc differunt,quod hæ vno ſcapo conſtent, id eſt, lapide oblongo perpetuo;illæ ſtructura, aut lapidea, aut cæmentitia,aut lateritia. Budæus.

Stellatura, in l.12. C.de erogatio.milit.anno.lib. 12.muneris ſpecies, forſitan ἀπὸ τοῦ στέλλειν, id eſt,mittendo deducto vocabulo. Septem dierum, inquiunt Impp.ad Anthemiũ,per quos reſiſtentes tribuni emolumenti gratia ſolemniter ſtellaturæ nomine conſequuntur ſpecies, non aliter adærentur, niſi vt in foro rerum venaliũ diſtrahuntur. quod & videtur expreſſum in Cod.Theodóſ.in Conſt. quadam Honorij & Theodoſij ad eundem Anthem. Si quas ſub gratia donationis à militibus auferunt,quam merentur, annonas, duces, ſeu tribuni iuxta nummaria defixa pretia ſine vlla dubitatione percipiant. Conſiſtebant autem Stellaturæ in annonis dierum ſeptem, aut earum pretio. Valde autem ad d.l.12. pertinet hic Lamprid.locus in Alexandro, Tribunos qui per ſtellaturas militibus aliquid tuliſſent, capitali pœna adfecit. Item hic Spartia,in Peſcẽnino Nigro: Nam & Imperatorũ tribunos duos quos conſtitit ſtellaturas accepiſſe, lapidibus obrui ab auxiliaribus iuſſit.

Stellionatus à Iuriſcõſultis appellatur fraus omnis, crimen,dolus atque impoſtura,quæ propriã ſignificationem non habet,& in proprium delicti nomen non cadit, l.7.§.§.j.D.ad Turpillia.veluti ſi quis rem alienam ſciens obliget; vel alij iam pigneratã,alij denuo obliget;vel in pignore dando,pro auro æs ſubiecerit,l,..D.de cr.ſtellionat.l.16.§.36,D.de pig.act.Similiter ſi quis ſciens ſtatu liberum diſſimulata eius conditione vẽdit:vel ſi creditor cui numerata iam eſt pecunia,iteaum eam accipiat,l.29. §,penult. D.manda.l, 9.§.j. D.de ſtatu liber. Eſt autem Stellionatus nomen deductum à Stellione animali verſutiſſimo, quod vt ait Plinius lib.30.cap.10.lacertæ ſimile eſt, nullúmque fraudulentius homini inuidet; ob ídque ſtellionum nomen in maledictum tranſlatum. A ſimilitudine ſtellarum ſic dictus eſt,vt volunt quidam, quia eius coriũ varium eſt:vt exiſtimauit Verrius,quod virus ſtillet cibo. Tertull.de cibis Iudæorum. Quis ſtellion ẽ(comedit?) ſed maculas execratur prædam de aliena morte quærentes. Per parietem autem ſtellio repit: & Græcis ἀσκαλαβώτης dictus eſt Stellionem ſuum veluti ſenium more cæterorum ſerpentium temporibus ſtatutis exuere, Apuleius Apolog.1.ſcribit. Meminit & Columella lib.9.cap.7.Extraordinariam autem executionem ſtellionatus idem eſſe voluerunt in criminalibus quod in ciuilibus iudiciis actionem de dolo. Vtraque ſubſidiaria eſt, ſed hæc ordinaria, id eſt, ex edicto Prætoris, illa extraordinaria. Nulla enim de eo crimine lex lata eſt,& ob id inſcriptum maleficium à rhetoribus appellatur. Et hoc eſt quod ait l.3.D.de crim.ſtellion.ſtellionatum non eſſe crimen legitimum, id eſt, ordinarium.

Stemmata cognationum Paulus appellat picturam & deſcriptionem graduum cognationis, in l.9. D.de grad. affin. nam, στέμματα proprie de imaginibus dicuntur,quæ in atrio ſeruabantur. Martialis:

Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto. Perſius:

Stemmata quid proſunt? quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri?

quanquam στέμματα etiam velamina dicuntur. Euripid.Oreſte, ὦ στέμματ' ξύνασσ' ἐπεικάσαι θεὰ εἰμ.

Sterculinium, quod Sterquilinium vulgò dicitur, apud Vlpia.l.17.§.j.ſi ſeruit.vin.eſt receptaculum ſtercoris. Item in l.fundi. de action.empt. In ſterculinio, diſtinctio Trebatij probanda eſt, vt ſiquidem ſtercorandi cauſſa comparatum ſit, emptorem ſequatur: ſi vendendi, venditorem. Vbi ipſa ſtercoris congeries intelligenda eſt. Galli *Fumier* appellant.

Sterilis pecunia,quæ vſuras non parit, quæ & otioſa dicitur,l.3.§.vſuras.D.de contrar.& vt. Sic ſteriles nummi in l.7.D.de vſur, Et ſterilis dos, ſine commodo aliquo, in l.4.in fin.D.de pactis dotalibus.

Stigmata, l.3. C.de fabricenſ. notæ erant publicæ, quibus compungebantur brachia fabricenſiũ, ad imitationem tyronum. Ælius Amidenus lib.8. capit.12. Στίγματα καλοῦσι τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου ἢ ἄλλου τινὸς μέρους τοῦ σώματος ἐπιγραφόμενα, οἷα ἐπὶ τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσί. Hinc etiam de iis qui militiæ erant adſcripti Veget. lib.j.Sed non ſtatim punctis ſignorum ſcribendus eſt tyro delectus. Et lib.2. Nam victuris in cute punctis milites ſcripti & matriculis inſerti iurare ſolent. Sic manu etiam ſignari aquarios oſtendit, l.penult. C. de aquæduct.

Stillicidium, à ſtilla,quod eſt diminutiuum à ſtiria, vt ſcribit Seruius in 3.Georg. Eſt autem, inquit Varro lib.4. de ling.Latin. dictum, quòd aqua ſtillatim cadat. differt autem à Flumine, quòd hoc, inquit, continue fluit. A quo in lege vrbanorum prædiorum ita ſcribitur; Stillicidia fluminaq; vt ita cadant, fluántque. Scaliger legit, Stillicidia, flumina, aquæ, vti fluant, cadántq3, vt in S.C.quod extat apud Frõtinum, Quominus ea aqua ire, cadere, fluere. Itaque alia eſt ſeruitus ſtillicidij, alia fluminis recipiendi, l.ſeruitutes.20. §.j.D.de ſeruit.vrban.nam ſtillicidium eſt, cum ex tectis: flumina, cum ex canalibus & alueis, plumbeis puta, vel ligneis, aqua pluuia labitur. Itaque ſtillicidij recipiendi ſeruitus dicitur, qua vicinus pati cogitur, vt aqua pluuia ex tecto meo in ſuas ædes labatur: Fluminis verò, qua ferre cogitur vt aqua eadem in alueum canalémve recepta, in ſuas ædes cum impetu feratur, d.l.ſeruitutes. vbi etiam hoc Paulus adiecit: Si ſtillicidium inferius demittatur, pro ſtillicidio flumen fieri. Stillicidium ſitulæ dixit Tertullianus in libro aduerſus Gnoſticos.

Stillicidia immittere, l.j.§.item ſciendum. D.de aq.& aq.plu.l.28.in fin.D.de ſeruit.vrb.l.16. D.ſi ſeruit. vindic.& proiicere,l.20.D.de ſeruit. vrban. Is verò in cuius aream ſtillicidium cadit, recipere & excipere & ſuſcipere dicitur,l.17.§.vlti.l.20.in fin.D.de ſeruit. vrb. l.9.§.j.D.ſi ſeruit.vin.

Stips, ſtipis, veteribus æs dicebatur, inquit Varro lib.4. de ling.Lati.à ſtipando deducto vocabulo. nam quod aſſes libræ pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant, id eſt componebant, quo minus loci occuparet. Stipare, ἀπὸ τοῦ στείβειν fortaſſe Græco vocabulo. Id apparet, quod vt alias, inſtitutum etiam nunc diis cum theſauris aſſes dant, ſtipem dicũt. Simile fere dictum eſt in vita Lycurgi apud Plutarchum, & Porphyrium περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, Ὦ σι δέκα μνῶν ἀμοιβὴν ἀποθήκης μεγάλης δεῖσθαι. Hanc pecuniam ſic repoſitam in cella Dei Feſtus ait Impenſam vocatam fuiſſe, quod nondum eſſet penſa, ſed tantùm ſtipata. De ſtipe quæ theſauris dabunt ſic Seneca in epiſtolis: Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, vel auro, argentóque ſuſpenſo, nec in theſauro ſtipe infuſa, ſed pia & recta voluntate. Et Ouidius:

Dic inquam, parua cur ſtipe quærat opes.
Contulit æs popnlus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait: dandæ mos ſtipis inde manet.

Sic ſtips pro pecunia, l.j.D.de colleg. & corp. Hinc,

Stipendium, æs militare eſt, vt idem Varro inquit, ab ſtipe dictum: quod & ſcripſit Vlpianus l.27.de verborum ſignifica. Stipendium, inquit, à ſtipe appellatum eſt, quod per ſtipes, id eſt modica æra colligatur. Idem hoc etiam Tributum appellari Pomponius ait: Adtributum Varro. Vide Tributum. Hinc,

Stipendia merere dicuntur, qui militant, l.18. D.de re iudicata.

dicata.Impleuiſſe verò ſtipendia dicuntur, qui legitima militiæ tempora impleuerunt, & pleno ſtipendiorum numero functi ſunt. Rubr.de his,qui non implet. ſtipen.lib.10.C.l.8. D.de re mil.Stipendia porrò non militiæ tantum,ſed & legationis dicimus, l.6.in fine, D.de legationibus.

Stipendiarii populi,inquit Varro, qui ſtipē, id eſt ſtipendia,& æs militare pendebant.Ab eo, inquit,Ennius ſcribit:Pœni ſtipendia pendunt. Hinc Cicero in Verrem,Hiſpanis & pleriſque Pœnorum vectigal ſtipendiarium dicit impoſitum. Vegetius tamen Stipendiarios milites vocat, qui aliquot iam ſtipendia habent:hóſque tyronibus opponit:Non tantum, inquit, à tyronibus, ſed à ſtipendiariis militibus ſalitio equorum diſtrictè eſt exacta.

Stipendiaria & Tributaria prædia dicebantur quibus Italiæ ius conceſſum non erat, ſed ſtipendia & tributa pendebant.Imp.§.35.de rer.diuiſ. Vocantur autem ſtipendiaria & tributaria prædia quæ in prouinciis ſunt: inter quos nec nō & Italica prædia ex noſtra conſtitutione nulla eſt differentia.

Stipula illecta eſt,ait Gaius, ſpicæ in meſſe deiectæ, necdum lectæ:quas ruſtici cum vacauerint, colligunt, l.30.D.de verbor.ſignif.

Stipulari verbum commune eſt, vt & Priſcianus lib.5.notat,& Suetonij auctoritate ex lib.8.Prætorum confirmat. Stipulari autem dicitur in iure is tantum qui interrogat, nec enim pro ſpondere vel promittere ſumitur.l.7. D.eo quod certo lo. Si tamen certo loco traditurum ſe quis ſtipulatus ſit, hac actione vtendum erit.ſic nec l.26.§.ſi decem. D.de condict. Si decem aut ſtichum ſtipulatus,ſoluam quinque. illo enim loco ponitur pro interrogare, atque ita actiuè ſumitur: hoc verò vt mirum videri non debeat ſi dixerit Connanus hoc verbum nuſquam in iur.ad promiſſorem referri. Iſidor. tamen lib.10. Etymol. ſic ſcripſit: Iſidor.lib.10.Etymol.ſtipulator promiſſor : Stipulari enim pro promittere eſt. Idem lib.5.Etymol. cap.24. Stipulatio eſt promiſſio vel ſponſio. ſed cur id neſcio.

Stipulari de aliquo, pro, ab aliquo, Iuriſconſulti dicunt, l.54.§.inter. D.loca.l.19. D.ad Velleia.l.110.de verbor. obligat.l.13.§.j.D.de recept. arbitr.

Stipulari ſtipulationem,pro interponere. Vlpia.l.3.§.j. D. iudic.ſolui. Stipulationem iudicatum ſolui & procurator,& tutor,& curator ſtipulari poſſunt.

Stipulatio,inquit Pomp. eſt verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum facturúmve ſe, quod interrogatus eſt,reſponderit, l.5.§.j. D.de verb. obligat. Vel ſic: Stipulatio eſt, conuentio ſolemnibus verbis ex intertogatione & reſponſione confecta.vbi verbis quod fiat adnotandum ſatis ex eo patere non fieri eam niſi inter præſentes. Stipulationem autem inde dictam Tribonianus tradit,quod ſtipulum apud veteres firmum appellabatur, forte à ſtipite deſcendens.titul.de verbor.obligat.in princip.quo Græcus interpres vertit, ἀπὸ τȣ̃ στελέχȣς.Et ſtipitem quidem antiqui vocabant fuſtem terræ defixam, vt auctor eſt Feſtus : quo boues & cætera animalia alligarentur, vt retinerentur certo loco, & arbuſculis ne nocerent. qua ſimilitudine fortaſſis ſtipulationem exiſtimauit dictam eſſe : de qua & hunc verſiculum veriſimile eſt factum:

Verba ligant homines,taurorum cornua funes.

Aliis hoc videtur abſurdum, & legunt, Fortè ἀπὸ τȣ̃ στυπτȣ̃ deſcendens. στύφω enim adſtringo & allego ſignificat.Stipulationem enim dictam ait Paulus quaſi firmum adſtringendæ obligationis vinculum, lib.5. Sentent.tit.7.Varroni tamen loco præcitato aliud videtur, qui ſtipulationis vocabulum à ſtipe deductum cēſet:& Stipulari eum dici & reſtipulari qui pecuniam alligat.id eſt (vt exponit Connanus) qui aliquem ſibi alligat pecuniæ promiſſæ. Feſtus autem, Stipem eſſe nummum ſignatum,inquit,teſtimonio eſt & id, quod datur in ſtipendium militi,& cum ſpondetur pecunia, quod ſtipulari dicitur. Sed cum ſtipulatio non pecuniæ modò,ſed rerum omnium eſſe poſſit quę venęunt in hominum commercium,Tribonianus fortaſſe eam maluit à ſtipite deducere,quàm à ſtipe. Antiquitus autem ſtipulationes certis verbis ſic concipiebantur, vt eodem quis verbo reſpondere cogeretur, quo eſſet interrogatus: ſiue pro ſe, ſiue pro alio vellet promittere.Vt,ſpondes?ſpondeo:Promittis?promitto:Dabis? dabo:Facies? faciam. Sed hac verborum ſolemnitate per Leonem principem ſublata,l.10. C.de contrahen. ſtipul.placuit etiam Iuſtiniano,nihil referre iiſdem ne an diuerſis verbis, aut quibus linguis vtantur contrahentes ſtipulationē:dummodò vterque alterius mentem & conſenſum ſanè intelligat, ſiue per ſe, ſiue per verum interpretem. Hinc earum quæ Græcis verbis concipiebantur, hæ annotantur formulæ apud Cuiacium Obſeru.lib.14.cap.vlti. Apud Ariſtoph.in Pluto, φεύγοις ἂν ἤδη πονηρȣ̃ν : φημ' ἐγώ.vel his verbis, κελεύεις: κελεύω.Hom. Odyſſ.θ. ἐλὼ δ᾽ἔτοι αὐτὸν ὑπίσχομαι ὡς σὺ κελεύεις. vel hoc verbo ἐγγυῶμαι, vt in l.blanditus. C.de fideiuſ.ὅτι ἐγγυῶμαι τόνδε. ita enim legendum Báſilica docent, vt idem obſeruauit. Qui autem ſic accipit promiſſionem ab alio,ſtipulator dicitur, & reus ſtipulandi: qui autem annuit & reſpondet, Promiſſor vocatur,& reus promittēdi, à re in ſtipulationem deducta, §.3. Inſtit.de verbo.oblig.l.j.§.ſi quis.& §.vltim.D.eod. titul.l.j.D.de duob.reis.

Stipulationis autem introducendæ ratio fuit valde neceſſaria: ne homines ex nudis pronunciationibus ſæpe incauti illaquearentur vinculo obligationis. Porrò, per interrogationem excitatur animus ad deliberationem quādam, num ſit promittendū. Per reſponſionem declarauit talis deliberatio certo conſenſu. Optima igitur ratione lex vult, talem formam manere firmam ad obligationem: & conſequenti nomine denotauit.Nam ſtipulatio vocatur, hoc eſt confirmatio ſeu adſtrictio, à ſtipulo, quod veteres (vt iam diximus) firmum appellabant.

Stipulatio omnis, inquit Imp.aut pure, aut in diem, aut ſub conditione fit. Pure,veluti, Quinque aureos dare ſpondes? Idq; confeſtim peti poteſt.In diem cum adiecto die, quo pecunia ſoluatur, ſtipulatio fit; veluti, Decem aureos primis Kalendis dare ſpondes? Idque ſtatim quidem debetur, ſed peti prius quam dies venerit nō poteſt,ita tamen vt totus is dies arbitrio ſoluentis tribui debeat.Sua conditione ſtipulatio fit,cum in aliquem caſum differtur obligatio: vt ſi aliquid factum fuerit, vel non fuerit,cōmittatur ſtipulatio: veluti, Si Titius Conſul fuerit factus, quinque aureos dare ſpondes?§.omnis.de verb.oblig.

Stipulationum quædam in dando, quædam in faciendo conſiſtunt, l.2.in princip.D.de verbor.obligat. Sumitur hæc diuiſio à cauſſa materiali: quoniam nihil expectare poſſumus à proximo ad vtilitatem noſtram, quod in ſtipulationem deducamus, quàm aut dationem rerum, aut præſtationem factorum. Nihil igitur eſt aliud, circa quod verſetur ſtipulatio velut materiam, præter hæc duo: ídque nos docet vniuerſa naturæ conditio,quam nemo poteſt inficiari.

Stipulatio duplex eſt,Vulgaris,quæ fit ſimpliciter, veluti Rem dari, vt rectè Thallæus ſcribit 29. Βασιλικῶν ad l. j.C.de rei vxor.actio. Hanc de iure inutiliter ſtipulamur. Eſt & alia ſpecialis,quæ fit adiecta cauſſa, Quod actione rei vxorię dare facere oportet,dari;vel,Quod ex cauſſa condictionis dare facere oportet.Stipulationum etiam aliæ ſunt diuiduæ, aliæ indiuiduæ, pro ratione

tione rerum quæ in ſtipulationem deductæ ſunt. nam rerum aliæ poſſunt diuidi, id eſt pro parte peti, præſtari, dari, ſolui, veluti, ſummæ, eiſque pro parte ſolutis, pro parte contingit liberatio. Item ſpecies certæ, vt puta Stichus, partis diuiſionem & liberationem admittunt, l.9.§.j.D.de ſolut. Pars ſolui poteſt volenti ſtipulatori. Aliæ natura diuidi non poſſunt, vt prædiorũ iura, via, iter, actus, aquæductus, quæ diuiſionem non admittunt. Vide l.2.D.de verb.oblig.

Stipulatio TRIBVNITIA eſt, quæ ex iuriſdictione Tribunorum venit: id eſt quæ pro collegio Tribunorum Tribun. ipſis auctoribus interponitur. Eius meminit Vlpia.tit.7. Si maritus, inquit, pro muliere ſe obligauerit, vel in rem eius impenderit, diuortio facto eo nomine cauere ſibi ſolet ſtipulatione Tribunitia.

Stipulatio ALTERNATA, quoties diſiunctiuo modo duæ res promittuntur, quoniam non vtrunque, ſed duorum alterum dari oportet. vt puta Stichus, aut x.

Stipulatio AQVILIANA, ſtipulatio eſt à C. Aquilio Gallo prodita, per quam omnium rerum obligatio in ſtipulatum deducitur, & ea per acceptilationem tollitur: cuius formulam cognoſce ex l.18.D.de accept.

Stipulatio MORTIS CAVSSA exiſtimatur fieri, vt ait Antiſtius Labeo, quæ ita fit, vt morte promiſſoris cõfirmetur: aut (vt quidam dixerunt) cuius ſtipulationis mors fuit cauſſa. Feſtus.

Stipulationes IVDICIALES ſunt, duntaxat quæ à mero iudicis officio proficiſcuntur, veluti de dolo cautio. PRÆTORIÆ, quæ à mero Prætoris officio proficiſcuntur, veluti damni infecti. Prætorias autem ſtipulationes ſic audiri oportet, vt in his contineantur etiam Ædilitiæ. nam & hæ ab iuriſdictione veniunt. CONVENTIONALES ſunt, quæ ex conuentione partium fiunt: quæ certam formam ſiue legem non habent, & harum totidem genera ſunt, quot, penè dixerim, rerum contrahendarum: Græcis συναινετικαὶ dicũtur. COMMVNES ſunt ſtipulationes, veluti rem ſaluam forè pupilli: nam & Prætor iubet rem ſaluam fore pupillo caueri, & interdum iudex, ſi aliter expediri hæc res nõ poteſt. hæc Pomp. in l.5.D.de verb.obliga. Quæ verba quomodo accipienda ſint, & aliter quàm hactenus à doctoribus docet Alciat. lib.j.Paradox.c.j.

Stipulationum prætoriarum, inquit Vlpia. tres videntur eſſe ſpecies. Iudiciales eas dicimus, quæ propter iudicium interponuntur, vt ratum fiat, vt iudicatum ſolui, & ex operis noui nunciatione, Cautionales ſunt autẽ, quæ inſtar actionis habent, & vt ſit noua actio intercedunt: vt de legatis ſtipulationes, & de tutela, & ratam rem haberi, & damni infecti. Communes ſtipulationes ſunt quæ fiunt iudicio ſiſtendi cauſſa, l.j. D.de ſtipul.prætor.

STIPVLATVS, pro ſtipulatio. Imp.l.3.C.de inutil.ſtip. Super ſtipulatu tuo adi præſidem prouinciæ. Papin.l. pecuniæ.9.de vſur. Pecuniæ fenebris intra diem certum debito non ſoluto dupli ſtipulatum in altero tanto reſpondi non tenere. Scæuola l.vxori.33.§.vltim.de lega.3. Quicquid ad eum, in ve ſtipulatũ eius cõceſſit. Sic Tranſactus pro tranſactione, l.vltim.C.ſi aduerſ. tranſ. & Comperendinatum, pro comperendinatione, apud M.Tullium.

STIPVLATOR ferè in legibus dici ſolet is, qui interrogat, velut creditor obligans alium. Promiſſor vero accipitur qui reſpõdens obligatur. Quanquam etiam ſtipulator de promittente dici poſſit, vt iam diximus.

STOLA, veſtis erat ad talos demiſſa, matronarum inſigne. Vlpian.de aur.& argen.leg l.veſtis. Muliebria, inquit, ſunt veluti ſtolæ, pallia, tunica. ideoque eam quidam ἀπάνθρωπον vocauit: etſi ea Caligula & Heliogabalus vſi ſunt.

STRABO, Vide Scabro.

STRAMENTVM, Gaius l.234.de verb.ſignif. vocare videtur id quod homini ſubſternitur. Hinc, Stragula veſtis, l.12.§.ſed ſi fundus.D.de inſt.vel inſtr.l.5. D.de ſup. leg. Et Stratoriæ veſtes, Paul.lib.3.Sent.titul.6. Et Stragula veſtimenta, l.23.§.veſtimenta.D.de aur.arg.

Στρατηγοὶ quandoque Prætores accipiuntur, Nouell.29. & Dion lib.50. quandoque magiſtri militum. Nouel.22. 38.& 103. in libris noſtris magiſtratus municipiorum.

STRATA lapidea via, l.j.§.penult.D.de via public.

STRATA, l.4.C.de priuileg.dom.Auguſt.lib.11. idẽ quod Gallis paué. Sic & l.6.de itin.munien.in C.Theo. Cœpit poſtea quælibet via ſtrata dici, vt 58.βασιλικῶν tit.3. τῶν ὀκτὼ ποδῶν στράτα σωῖστα). & tit.5.τῆ στράτα χρησάμενος.& tit.7.κατὰ μῆκος τῆς στράτας. Iſidor.lib.15.Etymol. c.vlt. ſtratam dictam, quaſi vulgi pedibus tritam tradit: cum tamen ſimilius vero ſit, ab eo quod lapidibus ſternatur, ita appellatam. Procop.lib.2.de bello Perſico, viam à Latinis ſtratam etiam dici tradit.

STRATORES, titul.Codic.de ſtratorib. lib.12. ij erant quorum munus erat equum freno tenere, & conſcendenti magiſtratui opem ferre. Spartianus in Caracalla: Cum illum in equum ſtrator eius leuaret. Paulus Diaconus de geſtis Langobard. Equus quamuis hinc inde à ſtratore verberibus cæſus, non poterat eleuari. Horum etiam erat equos militares probare, qui à prouincialibus conferebantur, vt l.vnic.C.eod.tit.indicat. & Am.Marcellinus li.29. his verbis: Conſtantinus ſtrator paucos militares equos ex his auſus mutare, ad quos probandos miſſus eſt in Sardiniã. Stratores etiã in carceribus ponuntur, in l.j.C.de cuſt.reor. iique videntur ſignificari qui victus & ſtratus eorum, qui carcere continebantur, curæ præpoſiti erant: aut etiam milites illi intelligi, quibus cuſtodiæ committebantur. Alij hoc ſenſu Statores legunt. Vide Statores.

STRATVM, omne veſtimentum eſt, quod ſterni ſolet: à ſternẽdo dictum. Rufinus l.34. D.de re iud. Si victum vel ſtratum inferri quis iudicato non patiatur, vtilis in eum pœnalis actio danda eſt. Vlpian.l.45. D.de verb. ſignif. In ſtratum omne veſtimentum contineri, quod iniiciatur, Labeo ait. neq; enim dubium eſt, quin ſtragula veſtis ſit omne pallium περίστρωμα. In victum ergo veſtem accipiemus, non ſtragula: in ſtratu, omnem ſtragulam veſtem. Idem igitur eſt ſtratum quod Stragulum: de quo ſic Varro li.4.de lingua Latin. Ac quicquid inſternebãt, à ſternendo ſtragulum appellabant.

STRATVRA loci ex tabulis l.242.in fin. D.de verbor. ſignificatione.

STRICTVM ius noſtri appellant, quod veteres ſummum dicebant: id eſt quod reſtrictè ad verborum præſcriptum dirigitur, & tanquã ad viuum reſecatur: quod merum & ſubtile ius alias dicitur. Itaque æquitati paſſim opponitur, l.pen. D.de conſti.pecun.l.8.C.de iudic.l.pen.§.j.D.de iur.dot.l.28.D.de ſtatu lib.

STRICTI iuris vocabulum peculiare eſt Iuriſconſ. Duobus autem modis intelligitur: altero proprie, cum leges ſcriptæ nimis ſeuerè, ac ſine vllo temperamento, aut trahuntur per interpretationem ad caſus ſimiles, in quibus tamen ratione circunſtantiarum eſt aliqua diſſimilitudo: aut in caſu, de quo loquuntur, nimis durus ſenſus extorquetur. Altero modo impropriè ſumitur, cum fraus fit legi, hoc eſt, cum ſaluis verbis legis, ſententia eius circumuenitur, detorquendo eam ad impertinentia, aut eludendo ratione ſophiſtica, glo. in l.placuit. C.de iudiciis. id vocabulum tripliciter exponit. Cum Iudæis ſummo iure agendum eſſe, Interpretum doctrina eſt: non tamen, vt notabiliter Alciat. dixit, ſummouendi ſunt ab hac æquitate, quam ἐπιείκειαν vocant. Cum nihil aliud ſit ius, quàm hæc æquitas in artem redacta. Cæterum in omnibus rebus præcipuam eſſe iuſtitiæ, æquitatiſque ſcriptæ, quàm

ſcripti iuris ratione, Impp. Conſtantin. & Licinius cõſtituere. Quando rigor iuris temperandus, ſit ἐπιεικὴς, id eſt, æquitate. Bart. indicat. l. vlti. ſub fine. C. de legibus: & Philippus in Epitom. Philoſophi. libro 2.

Stricti iuris actiones, in quibus Iudices ita ad præſcriptam formulam atque ſummam adſtricti erant, vt neque pluris, neque minoris damnare reum poſſent, vel (vt inquit Theoph.) ἐν αἷς τῆς ἀκριβείας γίνεται λόγος. §. actionum. 24. Inſtit. de actionibus. Vocãtur etiam ſtricta iudicia, & ſtricti iudicij actiones, l. 3. §. in hac. D. commod. l. 5. D. de in lit. iur. vide ſuprà Actiones ſtricti iudicij. Sic,

Strictam rationem accipimus in l. 7. §. ſi cuius tamen. D. de acquir. rerum dom. l. j. §. accuſationem. in fin. D. ad Turpill. Et ſtrictam interpretationem. l. 20. §. ſi ſublatum. D. de ſeruit. vrban.

Strictam rationem habemus, ait Vlpia. quæ nunquam in ambiguis religionum quæſtionibus omitti ſolet. Nam ſummam eſſe rationem, quæ pro religioſis facit, l. ſunt perſonæ. D. de relig. & ſumpt. fun.

STRIGA, l. vlt. Lang. de hom. ſec. l. 3. qual. mund. alien. per. l. 2. de iniur. mul. Feſto eſt malefica, quæ hominis inteſtina corpore paulatim dufluente perdere fingitur. Plautus Pſeudolo:

Stringibus uiuis conuiuis inteſtina quæ exedunt.

Gloſſis vet. Striga, λαιστρυγών, qui etiam humanis corporibus veſci credebatur: καὶ γυνὴ φαρμακίς, Langobardis Maſca, hodie, *Magsz.*

STROBILVS, στρόβιλος, nucleus pineus. Vlpian. l. 55. D. de lega. & fid. lib. 32. De pinu autem integri ſtrobili ligni appellatione cõtinebuntur. De Strobilo arbore Plin. lib. 16. cap. 15.

STRVCTILE dicitur quod manu conſtructũ eſt, & fabrica conſtat. Sic Structile opus, l. 241. D. de verbor. ſignific. Structiles canales, apud Vitruu. lib. 8. cap. 7. Structilis forma, apud Palladium lib. 9. cap. 11.

STRVCTILIS lapis, non ille quadratus, atque ad normam cæſus: ſed rudis & informis, quo vel reticulata ſtructura, vel ordinaria fit. Vlpian. l. 6. §. 4. D. ſi ſeru. vind. Forte vt reficiat lapide quadrato, vel lapide ſtructili, vel quouis alio opere, quod in ſeruitute dictum eſt. De reticulata & ordinaria ſtructura, lege Vitruuiũ lib. 2. cap. 8.

Structiles columnæ, quæ non vno ſaxo perpetuo cõſtant: ſed ex cæſis lapidib. aut coctilib. laterculis conſtructæ ſunt. Vlp. l. 8. D. ſi ſeruit. vind. Supérq; eum parietẽ columnas ſtructiles imponere, quæ tectum porticus ambulatoriæ ſuſtineãt. Has Græci στήλας vocãt. Vide Stelæ.

STRVCTVM, in l. 3. §. vnde illud. D. de minoribus, ſignificat machinatum, & excogitatũ: Sed totum hoc ſtructum, inquit Celſus, vt maiore eo facto liberaretur.

STRVCTOR faber cæmentarius, apud Tarrunt. in l. vlt. de iure immunit.

Structores BVCVLARVM, in l. vltim. D. de iure immunit. ſecundum Florentinam lectionem. Alij enim codices habent ſtructores, bucularij. Et ſtructores quidẽ Tribonianus ædificatores interpretatur in l. j. de excuſ. artific. lib. 10. C. & Græci οἰκοδόμους. Vege. etiam li. 2. cap. 11. In exercitu ſtructores ponit. Sic enim illic ex vetuſtis codicibus legendum eſt, non vt paſſim ſcriptum eſt, Inſtructores. Similitérque in miniſteriis militaribus ſtructores poni videmus in Epiſtola, quæ à Vopiſco in Aurelia. refertur.

STVDIA liberalia, homine libero digna, l. 2. de extraordin. cognit.

STVDIOSI iuris olim his nominibus appellabantur: Primo anno Dupondij, à dupondio nummo duobus aſſib. æſtimato, quaſi nullius adhuc in ciuili diſciplina æſtimationis, ſcilicet initiati tantùm ſtudiis: ſicut reſpectu Chriſtianiſmi infantes, paruuli dicũtur. Poſtea vocati ſunt Iuſtinianei, Conſtitut. D. 2. §. & primo quidem anno. Secundo anno dicebantur Edictales, ab edicto quod eis proponebatur. Ibi. §. Secundo autem. Tertio anno Papinianiſtæ vocabantur, ab auctore Papin. cuius libros legebant. Ibid. §. tertij denique anni. Quarto anno λύται nuncupabant, hoc eſt, ſolubiles, quaſi iamiam à certa illa & præſcripta ſtudiorum ratione ſoluendi. Ibid. §. ſed quia ſolitum. Quinto anno προλύται appellabantur, hoc eſt, qui λύταις eruditione præſtarent. Ibid. §. quibus ſi bene. Poſt quinquennium itaque conſummato iuris ſtudio, dicebantur Oratores maximi, iuſtitiæ ſatellites, Iudiciorum athletæ gubernatoréſque. Hoc ſeculo & ordinem docendi, & titulorum nomina corruperunt inſulſi commentatores. Cœperunt enim appellare, Baccalaureos, Licentiatos, Doctores iuris ciuilis, iuris Canonici, Decretorum, & vtriuſque Iuris. Mirum cur non etiam Prætorij iuris Doctores deſignauerint, ne vllum genus in Barbaro regno deſideraretur.

STVDIOSI iuris, pro iuris peritis, l. j. D. de offic. adſeſſ. l. 9. §. j. D. de pœn. l. 4. D. de extraor. cognitio. Et apud Sueto. in Neron. Gellius lib. 12. cap. 13. Cur hoc me potius, ait, rogas quàm ex iſtis aliquem peritis, ſtudioſíſque iuris, quos adhibere in conſilium iudicaturi ſoletis. Sic enim legendum potius, quàm vt vulgo, ſtudioſíſque viris. Nam iuris periti in conſilium adhiberi, non quilibet ſtudioſi ſolebant. Quanquam & conſulti abſolutè ſtudioſi videntur appellari, in l. 2. §. poſt hunc maximè. D. de orig. iur.

STVDIOSE, pro data opera, arte, propoſito, & σπουδαίως, in l. j. D. de abigeis. Sic Studio, id eſt, arte, in l. 13. & l. 53. D. de fideicom. libert.

STVLTVS imperitum ſignificat, in l. 9. §. ſi quis ius. D. de iur. & fact. ignor. l. 4. D. quod vi aut clam. Et ſtultitia imperitia eſt, in l. 51. D. de euictionibus.

Stultus, imprudens. Nam & multi non inſipientes, aliquãdo ſtulte aliquid vel agunt, vel loquũtur. Quemadmodum ſtultus eſt Iuriſconſ. qui emit hæreditatem non ſoluendo, l. 3 ad leg. Falcid. & ſtultiſs. Imperatori, pro bono eligens malum. §. cæterum. Inſtit. quod cum eo.

STVPRVM generaliter coitus eſt lege vetitus, iſq; duplex: vnus cum nupta, quem dicimus adulterium: vel cum cognatis, vel ſacris virginibus: alter, cum qualibet perſona cui vis infertur, etiam ſi ancilla ſit. Inter Stuprum autem & adulterium hoc intereſſe quidam putant, inquit Modeſt. quòd adulterium in nuptam, ſtuprum in viduam committitur: ſed lex Iulia de adulteriis hoc verbo indifferenter vtitur, l. 101. D. de verb. ſignificat. l. 6. D. de adult. l. 41. D. de ritu nupt. Denique ſtuprum cum omni muliere libera committitur, quæ neque vxoris, neque concubinæ loco habetur, l. 3. D. de concubin. l. ſtuprum. 34. D. de adulter.

STYPTERIA, στυπτηρία, alumen. Vlpian. l. 3. §. 6. de reb. eor. qui ſub tut. Si lapidicinas vel quæ alia metalla pupillus habuit ſtypteriæ, vel cuius alterius materiæ, &c.

SVB, pro poſt, l. j. D. de interdi. & releg. aliquando pro coram, l. generaliter. §. fin. C. de iureiur. Reliqua vide in not. ad l. Mathematicos. C. de Epiſc. aud.

SVB TEMPVS VENDITIONIS, Vlpi. interpretatur hoc eſt, biduo ante venditionem, l. ædiles. 2. §. vendendi. de Ædil. edict. Fere autem iungitur Sub, accuſatiuo, cum tempus ſignificatur. Itaque ſub tempus, cum Haloandr. & non ſub tempore, vt in vulgatis, legendum. Seruius exponit, Sub tempus, & Sub idem tempus, hoc eſt, circa.

Sub titulo exequi, pro pertractare, apud Vlpian. in l. j. §. hoc edicto. D. de poſtul.

SVBADIVVÆ, l. 4. l. 5. & l. vltim. C. de agentibus in rebus, lib. 12. ſunt adiutorum adiutores: quemadmodum Syneſius in Epiſtol. ad Herculianum indicat his verbis,

bis, Ἀρποκρατίων τις περὶ τῶν ἡρακλειανοῦ δορυφόρων, τάξιν ἔχων τῶν βοηθῶν βοηθεῖν ἡ γὰρ σουβαδιοῦβα λέξις τοῦτο ἑρμηνεύειν πιστεύε). Eſt plane, inſigne in hoc verbo mendum apud Sudam, apud quem ita ſub litera ρ, ſcriptum eſt: ῥουβαιοῦβος παρὰ ῥωμαίοις ὁ τῶν βοηθῶν βοηθός. Nam proculdubio in ordinem dictionum à litera σ incipientium vox illa transferenda eſt, & pro ῥουβαιοῦβος, σουβαδιοῦβα ſcribendum. Inuenitur autem hoc verbum aliquoties in Notitia imperij Rom. Atqueadeo vbi officium magiſtri officiorum recenſetur, Subadiuuæ adiutores duo, pro Subadiuuæ adiutoris legitur. Subcurator eadem forma, in l.30.D.de negot.geſt.

SVBARRATIO fit anuli datione, & aliis modis not.c. ſiquis vxorem.27.q.7.& c.fin.de ſponſ.impub.

SVBAVDITIO tropus grammaticis notiſſimus, Iuriſconſ.frequens.locos indicat A.Augu.lib.2. Emend.ca. j.& vide Tho.Linacrum. Quæ dictiones ſubaudiantur, indicat Albericus in Lexico.

SVBCVRATOR, adiutor curatori, cum minore tamen poteſtate datus.Iulian.l.30.de neg.geſt. Quendam ad ſiliginem emendam curatorem decreto ordinis conſtitutum eſſe: eidem alium ſubcuratorem conſtitutum ſiliginem miſcendo corrupiſſe, &c.

SVBDIACONVS, qui ſubiacet præceptis, & officiis Leuitarum, cap.cleros.21.diſtinct. Eorum officium ponitur in capitu.perlectis.25.diſtinctio. Erant ſubdiaconi B.Ignat.tempore, vt ex eius ad Antiochenſ.Epiſtola liquet, ἀσπάζομαι ὑποδιακόνους, ἀναγνώστας.

SVBDISIVNCTIVORVM duo ſunt genera, l.hæc verba.124. D.de verb. ſignif. Subdiſiunctiua diuerſa diuidit, &c.l.d.l.hæc verba.

SVBDITVS iudex, Feſto interprete lib.17.dicebatur, qui loco mortui dabatur iis, qui eum iudicem habuerunt in aliqua re, vel lite. Sic in l.60. D.de iudic. Subditus iudex in locum demortui ſuffectus dicitur.

Subditum teſtamentum dicitur, cum vero teſtamento occultato, aliud clam fuit appoſitum, l.2.D.de falſ.

Subditus ratione domicilij, gloſſ.in clem.vnic.in verb. ſubditos.de foro compet.

Subditus. Sicut ſuperiores non debent nimia familiaritate contemptos ſe reddere, l.obſeruandum. D.de offic.præſid. Ita ſubditi non tenentur vltra modum obſequi, cap.admonendi.2.q.7.& 11.q.3.ca.Quid ergo.& cap ſeq.Leuit.19.Gal.1.

SVBGRVNDÆ, vide SVGGRVNDÆ.

SVBHASTA vide ſuprà Haſta. Ex duobus verbis vnum fecit vſus, Hinc, Subhaſta, quæ publice vænierunt, l. ordo.C.de execut.rei iudic.

SVBIICERE teſtamentum, l.2.D.ad l.Cornel.de falſ.& apud Paul.lib.3.ſententia. Titul.7.& lib.5.titul.24.id eſt pro vero falſum ſupponere. Quintilian.lib.9. cap.2. Ream tuebar, quæ ſubieciſſe dicebatur marito teſtamentum. Sic Subiecta teſtamenta, & Subiector teſtamentorum, apud Cice.ſæpe.

Subiicere delatorem vel accuſatorē, ſummittere & ſupponere eſt, l.50.§.j.D.de legat.j.l.15.D.ad Turpillia. l.14. §.is demum videtur.D.de bon.libert. Subiici etiam partus, id eſt, ſupponi dicitur, l.j.§.ſed & ſi ſeruus.D. de vent.inſpic.l.j. §.vltim.l.3.§.ſi mater. D.de Carbo. ed.l.j.§.j.D.de quæſt.l.16. D.de his qui.vt indi. Suppoſitum partum dicit l.46.D.de iur.fiſ.l.9.D.de Carb.ed. Subiecto nomine, l.8.in fin. D.de reb.eor.

Subiici beſtiis, pro obiici, in l.vltim. C.ad l.Fab.de plagia.l.3.§.penult.D.ad l. Cornel. de ſicar.l.12. C.de pœn. Subiici quæſtioni, l.11.C.de quæſtionibus. Subiici fuſtibus, l.28.§.& vt generaliter. D.de pœnis. Subiici pœnis, l.j.D.ad Turpillian.

Subiici vectigalium præſtationi dicuntur ea pro quibus vectigal præſtatur, & penditur, l.9.§.pen. D.de public. Vectigalibus etiam ſubiectos agros Hygen.lib.2.de limit.conſtituend.dicit, qui ſub vectigali locantur. Sic, Subiici vſuris dicuntur, quibus vſuræ applicantur, l.38.D. de neg.geſt.l.54, D.de admi.tuto.

SVBINTRODVCTA mulier quid ſit, in Decretis Pontificiis, diſt.32.ca.interdixit per omnia.& rurſus eadem diſtin. Nullus miſſam audiat preſbyteri, quem ſcit cōcubinam indubitanter habere, aut ſubintroductā mulierem (quia Gloſſematarij prorſus ſilentio prætereunt) late explicat Rhenanus noſter, adiecto ſcholio Euſebianæ Hiſtor.Eccleſ.

SVBINVESTITVS, eſt vaſallus vaſalli. Feudiſtæ tales multas habent loquendi formulas, ab vſu Latinorum abhorrentes. Quod enim noſtri, Dare feudum, Concedere feudum vaſallo, nunc dicunt: Romani, Dare mancipio fundum, in fidem ſuam accipere clientem. Noſtri, Auferre feudum, Aperire feudum: Romani, Iniicere manus prædio clientelario. Noſtri, Subſtituere aliquem in locum ſuum, Subinueſtire: Romani, Emācipare prædium, A clientela, ſeſe eximere in gratiam alterius. Noſtri, Feudum accipere, Inueſtiri de Feudo. Romani, mancipio accipere, Fidem patroni ſequi in fidem ſe conferre. Vnde natum eſt, quod vulgo dici ſolet in epiſtolis, Ioannes mancipium tuum. Non enim ad bellicam captiuitatem aut ſeruitutis cōditionem pertinet, in quo multi falluntur. Noſtri, Seruire, Seruitutem facere domino: Romani, Clientelam exhibere, Obſequium præſtare. Noſtri, Vendere feudum: Romani Obſequium vel clientelam exuere alienato prædio. Noſtri, Vaſallus non vult ſeruire, Derelinquit dominum: Romani, Cliens non vult dominum agnoſcere, Inficiatur clientelam, Facit ſui controuerſiam Noſtri, Feudum paternum, Feudū antiquum: Romani, Ius gentiliū, quaſi ad gentiles, agnatóſque tranſiens. Noſtri, Inueſtituram facere, Iuramentum fidelitatis recipere: Romani, Oſculo in fidem recipere, Verba præire, Iureiurando diſcinctum clientem adigere. Noſtri, Inueſtituram petere, Iurare fidelitatem: Romani, Dare manus ſupplices, Oſculum obſequioſè porrigere, In verba iurare, Sacramēto adigi. Noſtri, Breue teſtatum, Inſtrumentum feudale: Romani, Apocham admiſſæ clientelæ, Antapocham clientelæ exhibitæ: quaſi teſtificationem vltrò citróque dati & agniti beneficij. Noſtri, Saluo iure cuiuſcunque, clauſulam appellant in breui teſtato ſolemnem: Romani, Quod ſine fraude ſua, aliorúmque fiat. Noſtri, Feloniam contra dominum exercere, Feudum amittere: Romani, Prædium committere, pro confiſcari. Vt in tit.de publ.& vectig.& commiſſ. Paulus D.negot.geſto. Si periculum, inquit, erat, ne prædia in publicum committerentur. Noſtri, Culpam remittere Feloniam non perſequi: Romani, Manum iniectam tollere, Manus iniectionem remittere. Noſtri, Feudum improprium vocant, & feudum temporale, quod ad annum, vel quinquennium conceditur: Romani, Precarium clientare dixerunt.

SVBITO improuiſo, citra propoſitum, l.ſi is qui.§.quod ſi.D.de acquir.hæred.

SVBIVGATA bona, corrupte legitur in vulgatis, apud Papinianum in l.cum de in rem verſo. de vſur. Reponendum, Publicata, pro Subiugata.

SVBLIMITAS, altitudo, l.2.C.de indict.lib.10.

SVBLIMISSIMI iudices, ſunt Præfecti Prætorio, Quæſtores, Magiſtri officiorū, l.37.§.pen.l.pen.C.de appell. Inde Sublimiſſima ſedes, prætoriana, l.14.C.de iud.

SVBLVCARE arbores in XII.Tab.eſt ramos ſupputare.

SVBMITTERE, vide SVMMITTERE.

SVBMOVERE, vide SVMMOVERE.

SVBNIXVS, munitus.l.vnic. D.de offic.Præf.Præt.

SVBNOTARE dicimur, cum quaſi inuentarium conficimus.

SVBNOTATIO, ſubſcriptio. l. vn. C. de emend. Iuſtin.

SVBOLES, pro Soboles ſæpe in Pand. Flor. de quo verbo eiúſque notatione Feſtus lib. 17.

SVBRIGERE, corrigere, emendare pœnis propoſitis: Hinc in libris de Officio Proconſulis, qui Vlpiani exiſtimantur, Ad ſubrigenda: Veteres Gloſſæ exponunt, εἰς ὑπόδειγμα τιμωρίας.

SVBROGANDVS, pro ſubſtituẽdus, in l. vnic. C. de colleg. lib. 12. Nihil autem debet ſubrogari, ſubſtitui, ſubordinari, ſuggeri, niſi cum illis qualitatibus, cum iſto iure, cum iſta conditione, qua fuit res cui ſubrogatur. Gl. & Bart. in l. j. C. de mancip. & colon. patr. lib. 12. Sic ſubſiſtet regula, Subrogatũ ſapit naturam eius, cui ſubrogatur. l. quod debitori. & ibi Dinus. D. de don. cauſ. mortis.

SVBSCRIBERE in crimen. l. vltim. D. de furt. l. 24. D. de falſ. l. vlt. D. de priua. del. Subſcribere autem accuſator libellis quos dabat, debebat ſe profeſſum eſſe. l. 3. §. itẽ ſcribere. D. de accuſ.

Subſcribere rationibus. l. 40. §. ſeruum teſtamento. D. de ſtatulib. & Subſcribere rationes. l. 82. D. de conditio. & demonſtr. l. 12. D. de liber. lega. Inde ſuſcriptæ rationes. l. 41. §. libertatem. D. de ſtatulib. l. 13. in fin. D. de diuerſ. temporalib.

SVBSCRIPTIO in crimen, pro inſcriptione. l. 7. D. de accuſationib. l. 29. D. ad leg. Cornel. de ſicar. l. 3. D. ad leg. Fab. de plag. l. 13. C. de accuſat. Quintilian. Declamat. 15. Nunquid iniquè iudices, in tanti ſceleris ſubſcriptione depoſco, ne nominibus reos æſtimare velitis. Sumitur & Subſcriptio auctore Chariſio lib. 2. pro præſcriptione. Hinc lib. 51. Baſilicῶn tit. 5. καὶ ὑπογραφῆς ἐξεβάλλετο.

SVBSCRIPTIONES principum dicebantur eorũ conſtitutiones, quibus reſpondebãt præſentibus ſeſe per libellos conſulentibus, nam cum abſentibus reſpondebant, Epiſtolæ dicebantur. Vlpian. l. j. D. de conſt. princ. Quodcunque igitur Imperator per epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decreuit, &c. Huius autem libelli & ſubſcriptionis exemplum eſt apud Vlp. l. 19. §. 9. D. locati.

SVBSCRIPTORES dicebantur, qui ſe accuſatori, qui rei nomen detulerat, ſubſcribebant: plura cognoſces ex Comment. Hotomani in Diuinat.

SVBSCRIBENDARIVS, l. j. C. Theod. de erogar. mil. an. idem qui actuarius.

SVBSECIVA ſunt propriè, inquit Iſidorus libr. decimo quinto Etymol. c. decimotertio, quæ ſutor de materia præcidens quaſi ſuperuacua abiicit. Inde Subſeciui agri, quos in pertica diuiſos recuſant, quaſi ſteriles aut paluſtres. Item Subieciua ſunt, quæ in diuiſione agri non efficiunt centuriam, id eſt, iugera ducenta: quæ à ſubſecante linea ita appellata eſſe Frontin. in libr. de Agrorum qualita. ſcribit. A quo, & eius interprete Aggeno Vrbico, ſubſeciuorum duo genera cõſtituuntur. Vnum, quod in extrema aſſignatorum finium centuria expleri non potuit: aliud, quod in mediis aſſignationibus & integris centuriis interuenit. quidquid enim inter quatuor limites minus, quam interclusum eſt, fuerit aſſignatum, in hac remanet appellatione, ideo quòd is modus, qui aſſignationi ſupereſt, linea eludatur & ſubſecetur. Et generaliter, Subſeciuum appellatum eſt, quod inter menſuralem lineam, & cẽturiæ extremitatem minus quàm vt centuriam expleret, ſupererat. Ex quibus illuſceſcet hic locus Tertulliani ex libr. j. aduerſ. Marcio. in quo ita eſt: Et videndum, ne qua adhuc illi vacent ſubſeciua, in quibus & tertius aliquis ſtipare ſe Deus poſſit. Sic enim illic verbum hoc ſcribi debet. Similiter Apulei. lib. 8. de Aſino aur. Ac me relictũ ſolum & ſubſeciuum cum faſtidio plerique præteribant. Suetonij item in Domitia. cap. 9. Subſeciua, quæ diuiſis per veteranos agris captim ſuperfuerant, veteribus poſſeſſoribus vt vſucapta conceſſit. Quod etiam Aggen. Vrbic. in cõmentariis Frontini his verbis refert: Nam Domitianus per totam Italiam ſubſeciua poſſidentibus donauit, edictóque hoc vniuerſis notum fecit.

SVBSEDISSE pars ſoli dicitur, quæ depreſſa eſt, l. 14. §. j. D. de aq. & aq. plu. Cic. lib. j. de diuinatio. verbo, Deſidere non ſemel in eo ſignificatu vſus eſt.

SVBSELLIA, ſunt tribunorum, triumuirorum, quæſtorum, & huiuſmodi minora iudicia exercentium: qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus, ſed in ſubſelliis conſidebant. Erant & ſubſellia iudicum, id eſt, eorum qui publicis iudiciis diſceptandis operam dabãt.

SVBSIDIVM bonorum poſſeſſionis, inquit Imper. l. ſi aut nullam. C. de legit. hæred.

SVBSIDIARIÆ literæ, quæ à paribus ad pares, vel ad ſuperiores ſcribuntur, petendo exhiberi transferríque in authẽticam formam quoddam ſcriptum publicum vel priuatum.

Subſidiaria actio ea vocatur, quæ pupillo in ſubſidiũ datur aduerſus magiſtratus qui tutores dederunt. l. j. in princ. §. non tantum. D. de magiſt. conuen. §. vlt. Inſtit. de ſatiſdatio. tutor. Inde autem appellationem habet, quòd in extremum ſubſidium pupillo excuſſis tutoribus fideiuſſoribúſque eorum datur. l. 5. C. de magiſtrat. conuen.

SVBSIGNARE prædia, legi operis faciendi adſcribere qui prædes quæque prædia pro redemptore oppignerarentur: vt in lapide antiquo: Qui redemerit prædes dato, prædiáque ſubſignato Duumuirum arbitratu. Et in extremo: DIES pecun. pars dimidia dabitur, vbi prædia ſatis ſubſignata erunt: altera pars dimidia ſoluetur opere effecto probatóque. Hoc eſt quod Paul. ait in l. 39. de verb. ſignific. SVBSIGNATVM dicitur, quod ab aliquo ſubſcriptũ eſt. Nam veteres ſubſignationis voce pro adſcriptione vti ſolebant. Hinc etiã Feſtus lib. 16. Reſignare antiqui pro Reſcribere ponebant: vt adhuc Subſignare dicimus, pro Subſcribere.

SVBSIGNATÆ fiſco facultates conductorum vectigalium fiſci dicuntur. l. pen. §. conductores. D. de iure immunit. id eſt ſubſcriptione obligatæ. Quo ſenſu & Subſignare res dixit Iuſtin. in l. vlt. §. defenſionem. C. de admi. tutor. Subſignata etiam apud ærarium & Cẽſorem prædia, quæ in cenſum deferebantur, apud Cicer. pro Flacco.

SVBSISTERE, pro hærere & dubitare ponitur à noſtris auctoribus, dum à præcipiti & temeraria adfirmatione abſtinere volunt: vt l. 33. D. de procur. Quantum, inquit, ad filiumfamilias, verum eſt: in ſeruo ſubſiſtimus. Sic l. pen. §. conductores. D. de iure immuni. Vnde ſubſiſti poteſt, an prohibendi ſint à præſide, vel procuratore. Sic & l. 32. D. de reb. credit.

SVBSTANTIA, pro bonis & facultatibus. l. 51. D. de pet. hæred. l. 3. §. vſuras. D. de contrar. tut. & vtil. action. & l. 14. §. patris. D. de bon. libert. l. 3. §. nunc videamus. D. de ſuſp. tutorib. l. 4. C. qui bon. ced. poſſ. & aliis multis locis. Sic Subſtantia hæreditatis. l. 58. §. pen. D. de admin. tut. Subſtantia pro οὐσία. l. 9. §. inde quæritur. D. de contrah. empt. Et ideo materiam ipſam qua corpus conſtat, ſignificat, in l. 4. §. ſi ex lana. D. de vſuca. l. 9. §. ſi quis rerum. D. ad exhib. Et in hoc ſignificatu quot ſint genera, vide Bart. in tractatu de teſte. Sed & ſubſtanſtantia pro corpore ipſo ponitur, in l. 20. D. de cõtrah. empt. Et pro patrimonio & rebus. l. fi. D. de verb. ſign. Sicque Subſtantia & res, opinioni & exiſtimationi opponũtur. l. 2. §. ſi ſub conditione. & §. ſi à pupillo. D. pro empt.

Subſtantia pro ſuſtentamento. c. ſi epiſcopus. 12. q. 3.

SVBSTITVERE propriè eſt in eius qui iam certum lo-

cum obtinet,alterũ ſupponere.Sic Subſtituere arbo-res.l.18.D.de vſufruct.in locum mortuarum,vel infru-ctuoſarum alias reponere.l.14.D.de impenſis in res dot.fac.Et eodem ſenſu Subſtituere pecora.l.69.D.de vſufruct.Hoc exemplo ſubſtitui hæredes dicuntur,qui in eorum locum ſufficiuntur,qui prius erant:& ſecundo vel tertio gradu ſubſtituuntur.l.j.D.de vulg. veluti ſi in filij mei,ſi hæres erit,& hæres exiſtens, impubes moriatur,alterum inſtituam: quia non in meum, ſed filij locum ſuccedit.Nec tantum hæredibus, ſed & legatariis,& iis quibus mortis cauſſa donatur,ſubſtituimus.l.50.D.de leg.2.l.32.D.de leg.3.l.10.D.de mor.cauſſa donat.Alias tamen inter Subſtitutum & inſtitutum hoc intereſt,non quod hic primo, ille ſecundo gradu ſcriptus ſit: ſed quod inſtitutus paratus & deſignatus eſt ad locum obtinendum,Subſtitutus autem iam eum occupauit:vt omnis inſtitutus, cum hæreditatem adit, ſubſtitutus propriè dicendus ſit,& inſtitutus,qui teſtamento nũcupatus,aut ſcriptus eſt:ſubſtitutus, qui ſucceſſit.ita inſtitutus in ſpe,ſubſtitutus in re ac poſſeſſione eſt.Vt cum,ſi Titius hæres non erit,hæredem inſtituo,mihi eum,non Titio inſtituo:& ſi ſubſtitutus dicẽdus eſt,meum in locum ſubſtitutus dicendus eſt, non autem in illum Titij.

SVBSTITVTIO,eſt quæ poſt inſtitutionem à teſtatore fieri ſolet,id eſt ſecundi hæredis appellatio. & duæ ſunt.Vulgaris illa, HÆRES mihi eſto.(ſiue hoc filio, ſiue extraneo dicatur) quòd ſi hæreditatẽ meam adire nolueris,illum ſubſtituo,ad quem hæreditas mea debeat pertinere.Pupillaris ſubſtitutio filiis tantummodo impuberibus dari poteſt,quæ ita fit, ILLE FILIVS meus ſi intra pubertatẽ deceſſerit, illum ei ſubſtituo.Hæc Caius libr.Inſt.2.tit.4. Vel ſic:

Subſtitutio,eſt ſecundi hæredis in locum prioris deficientis inſtitutio.Ea autem duplex eſt:vna Pupillaris, quæ pupillari tantùm ætati fit:hoc modo, FILIVS meus hæres eſto:ſi hæres erit,& antequam in ſuam tutelam venerit,id eſt pubes factus ſit,moriatur, Titius ei hæres eſto.Altera Vulgaris,quæ omni ætati fit: hoc modo,TITIVS hæres eſto:ſi non erit,Mæuius eſto.Illa ſolis filiisfamil.hæc cuiuis fieri ſolet, ſiue filius ſit, ſiue extraneus:illa hæredem filio deſignat,hæc teſtatori:illa propriè Subſtitutio,hæc propriè Inſtitutio eſt,vt ex voce Inſtituere,cognoſces.l.j.& paſſim. D. de vulg.& pupill. Vel ſic:

Subſtitutio nihil aliud eſt,quàm ſequenti loco facta ſubordinatio,inquit Zaſius.Fumæus ſic eam definit: Subſtitutio eſt in locum cuiuſcunque inſtituti hæredis deficientis ſuppoſitio. Et rectè quidem, cum fiat etiam ſubſtitutio in legatis, & donationibus cauſſa mortis, tex.in l.vt hæredibus.D.de legat.2.& hæredis deficientis verbum,vti generale, comprehendat omnes ſubſtitutionum ſpecies,ſiue deficiat hæres in inſtitutione, quia noluerit adire, vel non potuerit, propter ætatis, vel ſenſus defectum, aut alio quouis modo deficiat. Sunt autem communi doctorum calculo receptæ ſubſtitutionum quinque ſpecies:Vulgaris,Pupillaris,Exẽplaris,Breuiloqua,ſeu Reciproqua, & Compendioſa: quæ tamen Iure communi nõ eſt ſubſtitutio, ſed propter militum multum fauorem valet iure ſubſtitutionis. Iure autem communi non valet, ſed poteſt fieri loco illius fideicommiſſum, text.in §.fin.Inſtitutio. de pupilla.Vnde qui fideicommiſſariam ſubſtitutionem vocant,vt & rectè monuit Fumæus, terminos cõfundunt.Aliud eſt enim Fideicommiſſum, aliud Subſtitutio.Subſtitutio nempe,vt ipſe dixit, eſt in locum deficientis ſuppoſitio. In fideicommiſſo verò rogamus hæredem, vt ab hæreditate adita deficiat, & deinde reſtituat,ſic vt neceſſe ſit illum adire, qui rogatur reſtituere.l.cogi.D.ad Trebellia.deinde in ſubſtitutione Subſtitutus alteri directè capit hæreditatem ex teſtamento, fideicommiſſarius verò per manus hæredis inſtituti.

Subſtitutio COMPENDIOSA,ſic dicta,quòd ſub compendio plures ſubſtitutiones complectatur, cum ſubſtituitur directè,cuicunque inſtituto, quocunque tempore,certo,vel incerto defecerit vltra pupillarem 14. annorum.Quod de homine ſano intelligendum.Nam ſi furioſo,vel demẽti illo modo ſubſtituatur, tum eam exemplarem vocabimus.Exemplum incerti temporis erit,ſi teſtator dicat:Inſtituo A.& quandocunque morietur,F.hæres eſto.Certi verò temporis ſpecies erit,ſi teſtator dicat de ſuo hærede: Si intra 25. annum ſuæ ætatis deceſſerit,F.hæres eſto.de qua in l.precibus.§.fi. C.de impube. Sed obſeruandum, vt habeat nomen compendioſæ verum,oportebit eum, cui ſubſtituitur, exceſſiſſe 14.annum: intra enim illud tempus ſemper vocatur pupillaris.l.in pupillari. D.de vulgar. Fit autẽ compendioſa nonnunquam per verba directa, vel obliqua,vel etiam per communia,id eſt, ea quæ vt directa & vt obliqua,ſalua recti ſermonis proprietate, interpretantur,quorum infra ſub quinta vocali faciemus mentionem.Vide fuſius apud Gu. Benedictum in c.Rainutius.extrà de teſt.vt de cæteris generibus.

Subſtitutio DIRECTE facta tunc dicitur, quando per verba ſubſtitutionis nulla fides, nullum miniſterium, & nullus actus alterius cuiuſcunque requiritur.text.in l.omne verbum.C.comm.de leg.

Subſtitutio EXEMPLARIS eſt illa, quæ ad exemplum pupillaris fit cuiuis perſonæ non valenti iure teſtari: veluti ſi fiat furioſo perpetuo, muto,prodigo, cui bonis interdictum eſt.Dicta exemplaris, quia eſt exemplar,& imitatio pupillaris ſubſtitutionis. Ex eo certe, quia ſicut fit pupillaris impuberi, non valenti teſtari, quàm diu impubes eſt,ſic fiet de furioſo, vt ei, donec reſipuerit,poſſit ſubſtitui:quoniam interim prohibetur teſtari dum furit.Atque ſicut pupillaris ſubſtitutio ceſſat,ceſſante cauſſa,ſcilicet defectu ætatis, ſic & hæc finitur furioſo reſipiſcente.Hoc autem nomen exemplaris finxerunt noſtri doctores propter leges quaſdam,quæ voluerunt poſſe ſubſtitui illis miſerabilibus perſonis:cuius rei tres tantùm locos in iure ciuili Fumæus annotauit.

Subſtitutio PVPILLARIS, eſt ordinatio hæredis à patre,in teſtamento filio impuberi in poteſtate conſtituto,facta ſub ea conditione, ſi impubes deceſſerit. Ita Fumæo erit exemplum,Titius filius meus hæres mihi eſto:& ſi T.filius meus intra 14.annum morietur,Seius hæres eſto.à pupillo,cui fit,nominata. Hæc autẽ Subſtitutio pupillaris diuiditur in generalem, expreſſam, tacitam, & in aliam quandam partim expreſſam, & partim tacitã. Subſtitutio pupillaris generalis eſt illa, quã ſub reciproca contineri lex declarauit, in l.iã hoc iure.D.de vulg.eadem certe ratione,quæ ſatis infrà in vulgari explicabitur. Expreſſa erit illa: Titius filius meus hæres mihi eſto:& ſi filius meus intra 14.annum morietur,Seius hæres eſto.in §.j.Inſtitut. de pupil.Tacita ſub expreſſa vulgari comprehenditur, quia talis à lege ſubauditur.l.ſi quis.C. de impuber. Quarta,quæ duplex eſt,cõpoſita ex expreſſa & tacita, cuius exemplum aſſumitur ex ſpecie l.ſi.C.de inſtitut.& ſubſtitut. ſub condit.fact. tametſi omnes Accurſiani hoc non ſentiunt,contra quos Fumæus illum caſum rectè conſtituit.

Subſtitutio RECIPROCA, ſeu breuiloqua, noua,& alia ſubſtituendi forma breuis eſt. ob id reciproca dicta, quòd duobus fiat reciprocè:veluti ſi quis duobus inſtitutis hæredibus dicat,Vos inuicem ſubſtituo.& tametſi duas aut tres poſſit continere ſpecies ſubſtitutionũ, non propter eam mixturam fiet tertia, ſeu diſtincta ſpecies.

ſpecies, non magis quam ſi quis dixerit, Hominum quidam albi: hæc enim accidentia ſunt, non ſpecies. Dicitur autem reciproca, quaſi retroducta, repetita, reflexa: quia ſicut fluctus reciprocatur in angusto mari, id eſt, ſeſe repercutiunt refluendo, ita iſta ſubſtitutio de vno in alterum retroducitur, reflectitur, & repetitur. Quin & ſubſtitutionum ſpecies, quæ ſub reciproca continentur, ſaluæ manent, nec vſquam mutatur eorũ natura, & ſemper eſt vel vulgaris, vel pupillaris: bene quidem alteratur, quia non tantam vim exprimunt, ac ſi ſpecialiter expreſſæ eſſent. Itaque doct. nomine, vt Zaſiano verbo loquar, magiſtrali vocarũt breuiloquam, propter. l. cum in teſtamento. §. his verbis. D. de hæred. inſtit. vbi hæc ſubſtitutio dicitur breuiter fieri.

Substitutio VVLGARIS eſt, quæ à quocunque, de quocunque, & in quemcunque caſum concipi poteſt, nihil ſpeciale habens. Salom. in l. Gallus. Vigl. Inſtit. de vulg. ſubſtit. Fumæus: Vulgaris ſubſtitutio eſt, inquit, altera hæredis inſtitutio directa in locum non adeuntis prioris inſtituti. Intelligit autem alteram hæredis ſubſtitutionem, ſiue ſecundam, ſiue tertiam, aut quartam, & deinceps, quot voluerit teſtator. Nam plures gradus inſtitutionis facere poteſt: & ille omnis dicetur Subſtitutus, qui habet ante ſe inſtitutum, ſiue ſit primus inſtitutus, aut ſecundus primo ſubſtitutus, text. in §. j. Inſt. de vulg. Directa verò ideò dicitur, quòd per ſeipſum, & nõ per manus alterius capit hæreditatem: quo à Fideicommiſſo differt. Exemplum huius ſubſtitutionis ſumit ex Mod. in l. j. de vulg. Lucius hęres eſto: ſi mihi Lucius hæres non erit, tunc Seius mihi hæres eſto. Sufficiet autem, ſi ſit expreſſa vel tacita hæredis inſtitutio. Qualis eſt illa: Si mihi legitimus hæres non erit, Titius hæres eſto. vt in l. ſi quis ita, & in l. cum in teſtamen. D. de hæred. inſtit. Vulgaris autem ſubſtitutio primum diuiditur in ſimplicem: cuius exemplum iam dictum eſt: & duplicem, veluti, Titius hæres eſto: & ſi Titius hæres non erit, vel hæres erit, & intra pubertatem deceſſerit, Sempronius ſit hæres. Vocatur autem duplex: quia in primo capite habet vulgarem ſatis expreſſam, & pupillarem in ſecundo capite, Si intra pubertatem deceſſerit. Ita diuidebat Modeſt. in l. j. de vulg. Eſt autem præter hanc & alia ſimplicis vulgaris ſubdiuiſo: vulgaris generalis, vulgaris expreſſa, & vulgaris tacita, ſeu à lege ſubaudita. Subſtitutio vulgaris GENERALIS, eſt Fumæo, quæ fit verbis generalib. cuiuſmodi eſt Repciproca ſubſtitutio, quam aliqui vocant Breuiloquam, duobus hæredibus inſtitutis, ſi dicat teſtator: Vos hæredes meos inuicem ſubſtituo. nihil enim eſt præter generale nomen Subſtitutionis: cuius ſpecies ſunt, vulgaris, pupillaris, & aliæ iam denominatæ: & tamen ſub illo genere continetur hæc ſpecies, vulgaris ſcilicet ſubſtitutio: tanquam fuiſſet ſpecialiter, & nominatim expreſſa. text. in l. iam hoc iure. §. quod ais. D. de vulg. quã tum expreſſam nõ dixit Iuriſconſ. neque ita proprie poſſumus appellare, quicquid noſtro Bartolo placuerit. Placuit enim, Expreſſum id rectè dici, quod generaliter veniret: in quo ipſum lapſum Fumæus ſcite demonſtrat: vt in eo quòd putauit, generalem hanc ſubſtitutionem comprehendi ſub compendioſa. Subſtitutio vulgaris EXPRESSA, quæ fit his verbis: Titius hæres eſto: Si Titius hæres non erit, Seius hæres eſto. Dixit Bart. ſi diis placet, prudentior, adhuc expreſſiorem hac inueniri. veluti ſi quis ita ſubſtituat: Sempronium hæredem inſtituo: quòd ſi Sempronius hæres eſſe nolit, Titius ſit hæres. Singularis enim caſus ille exprimitur, quo nollet eſſe hæres. Rectè verò Fumæus ait, quantum ad illum caſum, expreſſiorem ſe non videre, quippe cum idem ſit dicere, Si hæres non erit: cum enim renuit eſſe hæres, euenit conditio. text. in l. cum proponas. C. de hær. inſtit. Subſtitutio vulgaris tacita, quæ, non exprimitur verbis, ſeu ordinatione aperta teſtatoris, ſed ex increpatione, declaratione, vel ampliatione Legis ſubauditur: qualis eſt ea, quæ ex compendioſa concipitur. de qua in l. Centurio. D. de vulg. in l. precibus. C. de impu. & aliis ſubſti. Gloſſ. vlt. in l. Lucius. D. de vulg. hanc nullo modo expreſſam, euicit Fumæus contra Bart. Hactenus ex variis interpretibus, & potiſſimum Fumæo, varia ſubſtitutionum genera ab his effi̇cta recenſuimus: tu ne diſcedito ab diſtinctione Iuriſconſ. veterum in l. j. 2. & 4. D. de vulg. quam & ſuperius attigimus.

Subſtitutio autem alia ſimplex eſt, quæ vnum caſum: alia duplex, quæ plures caſus amplectitur. l. j. §. j. D. de vulg. & pup.

SVBTILE ingenium, in l. 2. C. de commer. & mercatoribus. fallax & deceptioſum videtur exponere Romanus pontifex, ad aliud producens. Cle. abuſionibus. de pœnit. & remiſ.

SVBTEMEN, vide Stamen.

SVBTILITAS iuris, quia tendit ad læſionem alterius, omnino reprobatur, & eſt oppoſita ſimplicitati, quæ ſolet dici amica legum. l. ſi quis cum aliter. D. de verb. oblig. l. Gallus. §. quidam rectè. D. de lib. & poſthum. Simpliciter enim fieri dicitur id, quod ſine fraudis cõſcientia fit, l. ait prætor. §. ſi quis particeps. D. de his qui in fraud. credito. Alia ſubtilitas eſt ad inueſtigandam vniuſcuiuſque negotij iuſtitiam ex circunſtantiis, ſecundum artem boni & æqui. l. j. in princ. D. de iuſt. & iur. Ea non opponitur ſimplicitati, ſed maximum adfert robur. Vnde iudiciaria ſubtilitas appellatur in l. ſi fuerit. §. ſin autem. D. de reb. dub. Et huius ſubtilitatis frequentiſſima eſt mentio in legibus.

Subtilitas benignitati opponitur: tanquam ſummum ius æquitati. l. ſi tibi. 20. D. de reb. cred. l. ſi tibi. D. de don.

SVBVASSALLVVS, qui ab alio fit, quaſi ſubſtituendo vaſſallus.

SVBVRBICARIÆ regiones, & ſuburbicariæ partes, quæ ab italiæ regionibus ſeparantur in l. 9. de anno. & tribut. in C. Theod. l. 12. de extraord. munerib. in eo. Cod. l. 12. de indulgen. debit. eo. & in Notitia Imperij Rom. vbi de comite rerum priuatarum per Occidentem tractatur. Suburbicariæ autem regiones dicuntur etiam Vrbicariæ in l. 1. C. The. ſi. per obrep. fuer. imp. l. 14. C. Theod. de ind. deb. l. 3. C. The. quib. eq. vſ. l. 9. C. Th. de extra. mun. & apud Caium ac Theodoſium auctores limitum, Tuſcia vrbicaria & annonaria fuit enim vna Tuſcia ſuburbicaria, & altera annonaria, vt Picenum aliud ſuburbicarium, aliud annonarium, d. l. 12. C. Th. de ind. deb. & in Notitia Imp. Rom. Hinc, & Suburbicariæ eccleſiæ, apud Rufinum Aquileienſem in canone ſexto Niceni concilij.

SVCCEDANEVS culpæ, qui in culpam ſuccedit, l. 4. D. de mag. conuen. Succedaneus damni, l. 10. C. qui da. tu. Succedaneus functionis, l. 27. de decurionib. C. lib. 10. Succedaneus ſolutionis, l. 3. C. de fund. rei priua.

Succedaneus alieni periculi, dicitur in quem incommodum periculi alieni, (hoc eſt cuius culpam alter ſuſtinet) redundat. Vlpianus l. 3. in fin. D. de adminiſt. tut. Plane ſi non conſentiant tutores Prætori, ſed velint omnes gerere, quia fidem non habeant electo, nec patiuntur ſuccedanei eſſe alieni periculi. Plautus Epid.

Men' piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuam?
Vt meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccedaneum?

Nam Stultitiæ tuæ dixit pro Tergo tuo, cui periculum à ſtultitia imminet. Vlpianus l. 4. D. de magiſtr. conuen. Nam magiſtratus quidem in omne periculum ſuccedit heres ipſius dolo proximæ culpæ ſuccedaneus eſt.

Succedanea hoſtia olim dicebatur, quæ in alterius locum ſacrificiis adhibebatur, vt Gellius lib.4.c.6.& Seruius in 8.Æneid.ſcribunt. Apul.libr.8.de Aſino au. Sed poſtquam non ceruam pro virgine, ſed aſinum pro homine ſuccedaneum videre.

SVCCESSIO dicitur, cùm priore ſubducto de poteſtate ſuo hærede, vlterior in proximum locum ſuccedit.l.28.§.j.D.de liber.& poſth. Et Succedere, pro in ſui hæredis locum ſuccedere, ſublato de medio vel morte, vel pœna, vel captiuitate, vel emancipatione eo qui præcedebat.l.29.§.videndum.& §.ille caſus.D. de libe. & poſth.l.2.D.de vulg.& pup.l.6.§.j.& l.13.D.de iniuſt. rupt. Planè quod in l.j.§.interdum.D.de ſuis & leg. dicitur, in ſuis ſucceſſionem non eſſe, hūc ſenſum habet, vt eo qui primum locum mortis tempore tenebat mortuo, ſequens vt ſuus hæres non admittatur: aliter atque ſi antè, cum alij delata hæreditas nō eſſet. Quomodo & in hæreditate legitima ſucceſſionem non eſſe, Paulus lib.4.Sentēt.tit.8. & Iuſtinian.in §.placebat. Inſtit.de legit.adgnator.ſucceſſ.ſcribunt.

Succeſſio alia eſt perſonarum, alia rerum. Succeſſio perſonarum, eſt cùm priore gradu vacuo, is qui inferiorem tenebat, eius in locum aſcendit.l.j.§.ſi filius. D. de ſuis & legit.l.3.C.eod. Succeſſio rerum eſt, cùm perſona nō tam perſonæ, quàm rebus ſuccedit. Ea autem duplex eſt. nam aut in ius vniuerſum eſt: qualis eſt hæredum, & eorum qui bonorum poſſeſſores ſunt: aut in res ſingulares.l.j.§.in locum.D.quod legat.l.7.& l.8.D. de iureiu.l.vlt.D.de exceptione rei iudicatæ.

Succeſſio ſucceſſorij edicti duplex eſt: vna ordinum, altera graduum. Succeſſio ordinum, eſt cùm ordo perſonarum vniuerſus, cui potiſſimum poſſeſſio deferebatur, illam omiſit: veluti liberorum, aut legitimorum, aut cognatorū.l.j.D. quis ord.in bon.poſſ. eadémque, ſucceſſio de capite in caput appellatur.l.5.C. qui admit.ad bon.poſſ. Succeſſio graduum dicitur, cùm primo eorū graduum qui in ordine aliquo ſunt, omittente, inſequens admittitur. plures enim in ordine ferè vnoquoque reperiuntur gradus.d.l.j.D.de ſucceſſ. edict.§.cùm igitur.7.Inſtit.de bon.poſſeſſ.

Succeſſio alia naturalis, alia legitima. Succeſſio naturalis ex parte matris eſt, legitima, id eſt quæ ſecundum leges datur, ex parte patris, gl.l.j.C. vnde vir & vxor.

SVCCESSORIVM edictum, eſt id quo Prætor ſucceſſionem permiſit: id eſt ius inter eos quibus bonorum poſſeſſiones deferuntur, vt in locum eorum qui poſtulationem omiſerint, ſequentes ſuccedere ſubiréque poſſint.l.j.D.de ſucceſſ.edict.

SVCCESSORES alij in vniuerſum ius, alij in rem ſuccedunt.l.vlt.D.de except.rei iudic. l.19.§.deinde.D. de ædili.ed.l.7.in fi.& l.8.D. de iureiu. Ita Succeſſio per donationem, in l.17.§.pactum.D.de pact. Succeſſorum itaque verbo non ſolùm qui in vniuerſa bona, ſed & qui in rei dominium ſucceſſerint, in ſtipulatione dāni infecti continentur.l.34.§.adiicitur. D. de dam. infect. In locúmque ſucceſſiſſe accipimus ſiue per vniuerſitatem, ſiue in rem ſucceſſerint.l.j.§.in locum.D.quod legator. Et ideo cùm hæredem ſignificare volumus, iuris ſucceſſorem dicimus.l.9.§.j. D. de edend. §.legatariis.Inſtit.de teſtam.ordin.& in locum hæreditario iure ſuccedentem.l.vlt.D. pro ſuo. quos in locum. & in ius ſuccedere ait Paul.in d.l.9.§.j.& l.42.& l.177.D. de diuerſ.reg. Qui autem per vniuerſitatem ſuccedunt, vel ciuili, vel honorario iure ſuccedunt.l.j.in fin. D.de muneribus & honor. Vnde quidam honorarij ſunt ſucceſſores, veluti bonorum poſſeſſores, & quibus ex Trebelliano Senatuſconſulto hæreditas reſtituta eſt, l.24.D.famil.erciſ.l.9.§.illud.D. de interrogatio. in iu. fac.l.7.in fi.D.de condict.furt.

SVCVLA, inquit Budæus, machina eſt tractoria, quæ vectibus verſatur. vide Vitru.lib.10.c.4. & 5. Conſtat autem tereti ligno, duobus aut pluribus vectibus traiecto, vtrinque æqua extantibus longitudine. hæc dum verſatur funis qui ductarius dicitur, circa eam obuoluitur. Vlpia.in l.ſed addes.§. illud nobis.D.loca. Quod ſi, ait, regulis olea prematur, & prelum, & ſuculam, & regulas, & tympanum, & trochleas, quibus releuetur prelum, dominum præſtare oportere.

SVDOREM aquæ in legibus vocari Seneca lib.3.c.15. Natur.Quæſtio. ſcribit, qua guttæ quædam vel preſſura loci eliduntur, vel æſtu euocantur. Quod Briſſonius ad interpretationem.l.j.§.caput aquæ.D.de aqua quot. trahit, in qua ita eſt: Plane ſi aqua ſudoribus manando in aliquem locum effluere, atque ibi apparere incipit. Vitruu.lib.8.c.j. In terra autem nigra ſudores & ſtillæ inueniūtur exiles, quæ ex hibernis tempeſtatibus collectæ, in ſpiſſis & ſolidis locis ſubſidunt. Quod ipſum Pallad.lib.9.c.8.tradens, Nigra, ait, terra humores & ſtillicidia non magna ex hibernis imbribus & liquore collecta. & mox: Sequenti die aperto loco ſi in eodem vaſe ſudores intrinſecus inueniantur, aut ſtillæ, aquas ibi eſſe non dubites.

SVES porcorum appellatione continentur, quia & hi gregatim paſcuntur, quod Homeri auctoritate probat Martianus.l.2.D.ad leg.Aquil.

SVFFICERE operi, adminiſtrationi, negotio.l.13.D.de tut.l.pen.§.fi.D.de tut.l.5.§.ſed ſi filius. D.de libe.agno.

Sufficere dicuntur fructus, quando competenter ſufficiunt, licet non extenſiue.c.cùm M. Ferra.de conſtitutionib.

Sufficere, ſatis eſſe.l.2.§.poſt deinde. D.de orig. iuris. Sufficit, ſignificat quod fieri poteſt, non quod debet.

SVFFICIENS portio quæ ſit, vide c.extirpandæ.de præbend. Sufficiens ſubſtantia, ex qua quis ſuſtentari poteſt.l.hæres.D.de pet.hæred.

SVFFECTVS Conſul, ait Iſidor.lib.10. eſt, qui pro alio ſubſtituitur. Sic enim appellabatur, qui in demortui Conſulis locum ſufficiebatur.l.2.§.Labeo.D.de origine iur. Lamprid.in Alexand. Conſules quoſcunque vel ordinarios vel ſuffectos creauit, ex ſenatus ſententia nominauit. Spartia.in Caracalla: Helium Pertinacem ſuffectum Conſulem ob hoc ſolùm, quòd filius eſſet Imperatoris, occidi iuſſit. Suet.in Iulio.cap.80. Q. Maximo ſuffecto trimeſtríque conſuli. Idem in Auguſto.c.26. Die Kalendarum Ianuar. cum manè pro æde Capitolini Iouis paululum curuli ſella præſediſſet, honore abiit, ſuffecto alio in locum ſuum. Ab ordinariis autem COSS. non etiam à ſuffectis anni computabantur. Et idcirco minor eos honor, minor laus ſequebatur. Auſon.in Gratiar.actio. Sed conſulatus ille cuiuſmodi? Ordinario ſuffectus, bimeſtri ſpatio interpoſitus, in ſexta anni parte conſumptus, quærendum vt reliquerit tantus Orator, quibus conſulibus geſſerit conſulatum.

SVFFICIENTER, clare & euidenter.c. præſentium. de teſtib.lib.6.c.in noſtris.de conceſ.præbend.

SVFFLAMEN litis, Iuuenali:

Nec res atteritur longo ſufflamine litis.

SVFFRAGIA, pro vocibus & ſcitis, quibus vel in magiſtratu mandando, vel reo iudicando, vel lege, aut rogatione ſciſcenda, aliáve qua re ſtatuenda volūtatem ſuam quiſque indicat.l.32. D.de legib.l.j.D.de offic. quæſtor.l.5.D.quod cuiuſque vniuerſit.l.6.§.j.D.de decurio.l.8.D.de muneribus & honorib.l.5.D.fam.erciſc. l.vlt.D.de præd.decurion. Sic Suffragia emendicata dicit Imp.Gord.in l.ſinguli.C.de accuſatio. quæ ſcilicet precibus & munuſculis extorta & obtenta ſunt.

SVFFRAGIVM, pro impetratione beneficij, quod quis alteri à quo rogatus erat, à Principe apud quem gratia valebat, eſt eblanditus: vel pro auxilio & patrocinio

nio honorum adipiſcendorum cauſſa lato & præſtito.Impp.l.vnic.C.de ſuffrag.Si qui deſideria ſua explere cupientes,ferri ſibi à quoquam ſuffragium poſtulauerint,& ob referendam vicem ſponſione ſe conſtrinxerint,&c.Extat præterea in C.Theodoſiano lib. 2.tit.29.lex Imp.Iuliani, qua vetat id quod ſuffragatoribus, id eſt, eblanditoribus illis datum eſt repeti. Cuius conſtitutionis Ammian.Marcellinus lib.22.mẽtionem facit.Itáque intelligendum eſt quod Lampridius in Alexandro de Thurino ſcribit, qui ſuffragium ſuum promiſerat. Eam autem nundinationem omnẽ Iuſtinianus prohibet Nouell.8.De magiſtratib. non vend.ὀυδ᾽ ὁτιοῦν διδόντες ὀυδὲ προφάσει τῶν καλουμένων ſuffragίων, &c.

Svffvgivm, locus ad euitandum imbrem,vel tempeſtatem.

Svggerere, ſubminiſtrare,capit.priuatus.vbi Archi-70.diſtinct.Suggeſtum,à ſuggero,id eſt narratum, indicatum.l.Ofidius.92.D.de leg.3.

Svggillare proprie eſt liuido colore inquinare: vt cum ictu fuſtis percuſſa cutis ſanie ſeſe ſuffundente nigreſcit.Tranſlate vero dicitur pro contumelia afficere.Vlp.l.15.§.17.D.de iniur.Si quis ſic fecit iniuriam ſeruo,vt domino faceret: video dominum iniuriarum agere poſſe ſuo nomine.ſi verò non ad ſuggillationẽ domini id fecit,&c.Idem.l.10.§.8.D.de in ius voc. Permiſſurus enim eſt, ſi famoſa actio non ſit, vel pudorem non ſuggilat.

Svggrvnda, vel ſuggruenda (varie enim in Pandectis Florentinis hoc verbum ſcribitur) pars tecti vltra ſtructuram ædium proiecta, & prominens. Vel Proiecta ſunt ex ædibus, quæ ita prouehuntur & protendũtur,vt nuſquã requieſcant.l.242.§. inter.D. de verb. ſignific.Vlp.l.5.in fi.D.de his qui deiecer.vel effuder. Prætor ait, Ne quis in ſuggrunda, protectóve ſupra eum locum, qua vulgo iter fiet, &c. Hinc tit.de dam. infect.& ſuggrundis,& proiectio.Apud Vitruu.lib. 2. c.9.Subgrunda vocantur.Vnde Suggrundationem idẽ dixit lib.4.c.2.Varro libr. 3. de re ruſtica, Aues ſubtus ſuggrundas ab initio villatico vſæ tecto.Græci γεισηποδίσματα appellarunt. Sic enim Moſchopul.in libr. περὶ σχεδῶν, γεισηποδίσματα αἱ προβολαὶ τῶν ὑπορόφων οἰκημάτων, αἳ ὑπὲρ τοὺς κάτω τοίχους προΐσχουσι· γεισήποδες δὲ τὰ φέροντα αὐτὰς ξύλα.

Svlci aquarij, ὑδραύλακες.de aq.plu.arcen.D.

Svlpvraria, ſulphuris fodinam ſignificat.l.8.§.in calcariam.D.de pœn.l.13.§.inde eſt quæſitũ.D. de vſur. l.52.§.ſi ſulpurariæ.D.de furt.

Svlpvrata de ligno,id eſt,ligna ſulphure illita.l.55. §.fin.D.de leg.3.l.167.D.de verb.ſign. vel ligna exilia ſulphure intincta accendendi luminis cauſſa parata. Galli vocant *Allumettes*.

Svmere, inquit Seruius in 5. Æneid. verbum eſt Iuriſconſultorum, quo vtuntur quoties legatum non ab hærede datur,ſed eſt in accipientis arbitrio. Atque ita ſumitur.l.ſi ſic ſtipulatus.93.D.de verb.oblig. Si ſic ſtipulatus fuero,Per te non fieri,quominus hominem ex his quos habes,ſumam?electio mea erit.

Sumi dicitur iudex arbiterve,& capi,qui ex conuentione litigatorum aditur.l.4.C.de dote releg.Sic Sumptus ex interdicto iudex.l.21. D.quod vi aut clam.Sumptus ex compromiſſo,in l.50.D. de recept. arbitr.l. penult.D. de iudic.Cic.pro Flacco.Q.Naſo iudex ſumitur.Valer. Max.lib.8.c.2.de C.Mario.Nam cum C.Ticinius Minturnenſis Fanniam vxorem, quam impudicam de induſtria duxerat,eo crimine repudiatam dote ſpoliare conaretur,ſumptus inter eos iudex, in conſpectu habita quæſtione ſubductum Ticinium monuit, vt incepto deſiſteret.Dicitur & adſumi qui aliis additur.l. 17.§.ſi in duos.D.de recept.arbitr.

Svmmitti dicuntur pecora,cum propagandæ ſobolis gratia matribus ſupponuntur, atque alenda præbentur: vel cum in locum demortuorum capitum ſubſtituuntur,vt eo modo grex ſuppleatur.l.69.l.70. D.de vſufruct.l.59.§.hæreditatem.D.ad Trebell.l.10.§.ſerui. D.de iure dot.

Summittere delatorem,eſt accuſatorem ſubiicere & ſupponere.l.9.§.vlt.D.ad leg. Corn. de falſ. l. 5. D. de iure patron.l.j.§.incidit.iuncta.l.15.D.ad Turpillian. Quintilian.Declamatio.281. Quinetiam ſi permittitur iſta defenſio,& ille poteſt dicere ſe non occidiſſe, qui percuſſorem ſummiſerit.Nam ita emendandum eſt, vbi vulgò, ſuum miſerit,perperam legitur. Sed & apud eundem auctorem Declamatio.355.in hoc verbo aliud mendum eſt.Inueniſſe illos rationem, qua mutuo dolore diſtraherentur, ſummiſſéque qui dicerent male tractatas à tutore rationes.vbi,ſummiſiſſe, legendum eſt.Sic Summittere vim in l.9.§.animaduertendum.D. quod met.cauſ.Et ſummittere qui vociferentur, interpretare in l.15.§.conuitium.D.de iniur.

Svmmovere dicebãtur magiſtratus, cum quempiam extrudi iuberent.Conſules quidem & Prætores per lictorem, Tribuni autem per viatorem. at illi quidem ita ſummouebant,vt qui non pareret,prehendi iuberent,hi verò nõ pro imperio, ſed comiter verbis ſummouebant,Si vobis videtur,diſcedite Quirites. Cicero pro Quintio:Aut ſatiſdare, aut ſponſionem iubet facere:& interea recuſantes noſtros aduocatos acerrime ſummoueri.De Dolabella Prætore loquitur. Inde deductum ad noſtros vocabulum eſt,vt Summoueri dicantur actores per exceptionem,quos ita rei perpulit exceptio,vt à tribunali quodammodo ſummoti videantur. Hotom.

Svmmvs,ma, mum. Summo iure agere, tum dicimur, cum quàm maxime poſſumus duriter & præfracte cũ aduerſario contendimus,eúmque quàm aſperrimo & vehementiſſimo iudicio poſſumus perſequimur.quod Cicer.in Orat.pro Quint.ſic extulit: Ad extrema & inimiciſſima iura cupide decurrere.item, inimiciſſime & infeſtiſſime contendere.Cicer.libr. de Offic.j. Exiſtunt etiam ſæpe iniuriæ calumnia quadam, & nimis callida iuris interpretatione. Ex quo illud, Summum ius ſumma iniuria,factũ eſt iam tritum ſermone prouerbium.Terent.in Heaut.

Verum illud Chreme dicunt,Ius ſummum, ſæpe ſumma malitia eſt.

Columella lib. j. de officio patrisfam, erga colonum loquens,Summum ius,inquit, antiqui ſummam putabant crucem.Vide Ius ſummum.

Summum ſupplicium mortem ſignificat.l.38. §. qui abortionis.D.de pœn.l.pen.D.de conductio.cauſſa da.l.vlt. D.de ſepul.viol.& apud Paul.libr.5.Sent.titul.21.Calliſtrat.in l.28.D.de pœn.Summum ſupplicium eſſe videtur ad furcam damnatio,item viui crematio, & capitis amputatio.Paul.lib.5.Sentent.tit.17.Summa ſupplicia ſunt crux,crematio,decollatio.Ad beſtias etiam damnatio ex hoc genere eſt, l. 29. D. de pœn. vt Paul. lib.5.Sentent.tit.23.oſtendit.

Svmma generaliter accipitur pro collectione omnium rerum,quæ vbi de valore fuerit quæſitum,in ſummam ſolent redigi pecuniariam:quippe cum is ſit vſus pecuniæ,vt omnium plane rerũ corporalium & incorporalium pretia & æſtimationem repræſentet.l.ſi in duobus actionibus.D. de regul.iuris. Alioquin autem ſpecialiter Summa, de quantitate pecuniarum certa intelligi ſolet.l.quærebatur. D.qui potior.in pignor. habe.l.diligenter.§.ſeruo quoque.D. mand. Aliiſque locis fere infinitis. Summa ſummarum autem,apud Plautum in Truculento,eſt cum in rationibus multa nomina & capita in vnam ſummam rediguntur, ac ſic

multis ſummis factis, omnia tandem in vnam conſummantur. Nam vt capita in ſummam, ſic ſummæ in ſummam ſummarum rediguntur. In Lucretio autem ſumma ſummarum, immenſitatem ipſam vniuerſi ſignificat.

Summa pecunia, quantitatem ſignificat. l. 29. D. de verb. oblig. l. 45. §. fiſcalibus. D. de iur. fiſc. l. 22. l. 38. D. de re iud. & alias ſæpe.

Summa diuiſio, prima, & præcipua & generalior. l. 3. D. de ſtat. ho. l. j. D. de rer. diuiſ. §. j. Inſtit. de action.

Summa pignoris, id ſignificat, quãti pignus valet: vt ſumma debiti, pecuniæ debitæ, in quam pignus obligatum eſt, ſummam. l. 87. D. de furt.

Summa condemnationis. l. 3. §. pen. D. vti poſſid.

Summa dies, nouiſſima. l. 7. §. Papinianus. D. ſol. matr.

Summa poſſeſſionis. l. 3. §. at ex contrario. D. de acquiren. poſſeſſion. Summa quæſtionis. l. 52. §. pen. D. de obl. & actionib.

SVMMA Reipub. Locutio eſt idem ſignificans quod ſtatus & firmamentum Reipub. Vlpia. l. j. §. 10. D. de exerc. act. Ideo autem ex voluntate in ſolidum tenentur, qui habent in poteſtate exercitorem, quia ad ſummam Reip. nauium exercitio pertinet: hoc eſt ea re ſublata Reipubl. ſtatus euertitur: ſtare Reſp. non poteſt. Florentini tamen libri Summam remp. habent. quod abiudicat Hotom. Paul. Sent. 5. c. 23. Qui de ſalute Principis, vel de ſumma Reip. vaticinatores conſuluit, cum eo qui reſponderit, capite punitur.

Summa prouidentia naturalis ratio, vt in l. j. D. de legitim. tutor.

SVMMVM digitum, apud Iuſtin. ſub finem Inſtitu. Accurſius indicem digitum intelligit. Rectius Alciatus putat, poſſe de tabula, ſeu, vt Græci dicunt, elencho, accipi. Prouerbialiter autem dicimus, Extremis attingere digitis, pro eo quod eſt leuiter attingere. Vnde & Imp. prouerbialiter locutus videtur.

SVMMARIVM, breuis enarratio eorum quæ narrantur, M. Salomonius. l. Gallus Aquilius. D. de libe. & poſthum. quo genere fœdè lapſi ſunt ſuperiorum temporum recognitores, nam obſeruata, ſummaria adpellarunt, vt in Bart, & reliquis interpretibus videre licet: cùm tantum abſit, vt rerum ſummas tractationes perſtrinxerint, vt notabilia tantum exſcripſerint.

SVMMATIM cognoſcere Prætor iudéxve dicitur in l. 15. §. ſi ſuper. D. de re iud. l. j. in fi. D. de prætor. ſtipul. l. 3. §. ſciendum. D. ad exhibend. l. 3. §. cauſſæ cognitio. D. de Carbo ed. l. 3. §. j. D. vt in poſſeſſ. legat. l. 9. §. illud quæritur. D. de interrogationib. in iure faciẽd. l. j. §. ſi ea quæ. D. de vent. in poſſeſſ. mittend. l. 7. ver. planè. D. de petitione hæredit. l. 40. D. ad leg. Aquiliam.

SVMMATES, qui & optimates, & primates appellãtur. l. quinque. D. de decu. lib. 10.

SVPELLEX, inquit Pompon. l. j. D. de ſupel. legat. eſt domeſticum patrisfamilias inſtrumentum, quod neque argento auróve facto vel veſti adnumeretur: quod tamen de rebus mouentibus, non animantibus intelligendum eſt, ex l. 2. ibid. de qua definitione vide Alex. ab Alex. Gen. die. lib. j. c. 19. Labeo autẽ ait l. 7. D. eod. originem fuiſſe ſupellectilis, quod olim his qui in legationem proficiſcerentur, locari ſolerent, quæ ſub pellibus vſui forent. qua de re Alc. libr. j. Diſpũct. c. 5. Tuberò verò hoc modo ſupellectilem demonſtrare tentat, inſtrumentum quoddam patris familiæ rerum ad quotidianum vſum parataturum, quod in aliam ſpeciem non caderet: vt, verbi gratia, penum, argentum, veſtem, ornamenta, inſtrumenta agri, aut domus. d. l. 7. Itaque licet ſupellex videatur tantùm dici de ſtragula, ſiue lodice, ab eo quod ſuper lectũ imponatur, ad alia tamen domus vtẽſilia eius ſignificatio ſe extendit, immò & ad alias res, quæ ſunt, aut poſſunt alicui ornamento eſſe: ſed ad veſtes non extenditur. l. qui veſtem. D. eod.

SVPELLECTICARII ſerui ſunt qui ſupellectilem curant: eo etiam nomine veniunt, qui eam faciunt.

SVPERÆQVATI o perperam legitur in vulgatis codicibus in l. ſi quis deſerta. C. de omni agro deſerto, lib. 11. legendũ enim, Subperæquationis iure perceperit.

SVPERAMENTA Vlpianus appellat, quæ in paranda materia reſecãtur, ac ſuperſunt. Lignis legatis, inquit, ſi voluntas non refragatur, ſuperamenta materiarum continebuntur. l. 55. §. 2. D. de leg. & fid. lib. 32.

SVPERDICI, pro prædicari per præconem: id eſt eius voce, & (vt cum Apuleio loquar) boatu pronuntiari & proclamari. Vlpian. l. ſi duo. 13. in fin. D. de iureiur. Fuſtibus eum caſtigandum dimittere, & ita ei ſuperdici, προπετῶς μὴ ὀμνύειν: hoc eſt, temerariè, neu petulanter iures. Sic in l. fuſtibus. C. ex quibus cauſ. infam. irrog. Fuſtibus cæſum, cui per præconem ita dictum eſt, ἐσυκοφάντησας. Sunt tamen qui ſuperiore Vlpiani loco, pro Superdici, Super indici legant, hæcque illius verba referenda exiſtiment ad veterum morem, qui cum de damnato homine ſupplicium ſumebant, in loco ſupplicij conſpicuo ἐπιγραφὴν, ſeu (vt vocant) titulum affigebant, quo breuiter admonitus populus, pœnæ à reo expetitæ cauſſam intelligeret, eóque exemplo à ſimili facinore perpetrando cæteri auocarentur. Ex hoc autem more impoſita videtur fuiſſe inſcriptio cruci CHRISTI ſeruatoris noſtri.

SVPERESSE rebus ſuis, pro ſufficere earum adminiſtrationi, negotia ſua gerere, & illis conſulere, prouidere, & proſpicere: Græca videtur eſſe locutio: dicunt enim illi ἐφιστᾶναι τοῖς πράγμασι. Paulus. l. 2. de curat. fur. Sed & aliis dabit Proconſul curatores, qui rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt. Sic l. j. §. vlt. D. de procuratorib. l. 60. in fi. D. de re iudic. l. 12. D. de tutorib. & curat. dat. l. 10. D. ex quib. cauſis ma. l. penult. D. de vacat. muner. Gellius lib. j. c. 22. de huius verbi ſignificatione diſputans, eos ridet, qui Supereſſe ſe his, quibus aduocationem præbebant, dicebant, pro adeſſe. Quo tamen in ſignificato Sueto. in Auguſto hoc verbo vſus eſt.

SVPEREXACTORES dicuntur, qui vltra quam debetur nomine tributi à prouincialibus exigunt: & tales tenentur in duplum: ſed & ſi perſeuerauerint, capite plectuntur. l. j. C. de ſuperexactionib. lib. 10. quod tamẽ mutauit Leo Nouel. 61. debétque id quod iniuſtè exactum eſt, protinus domino reſtitui.

SVPEREXCVRRERE. l. j. D. de arb. cæd. Si arbor, inquit Vlp. ædibus alienis impendeat, vtrum totam arborem iubeat Prætor adimi, an verò id ſolum, quod ſuperexcurrit, quæritur.

SVPERFICIES, quod ſuper ſoli faciem eſt: veluti ſi quid ſatum, aut ædificatum eſt. itaque vites, arbores, plantæ, ſegetes, ſuperficies appellantur. Vitis quidem appellatur ſuperficies vineæ, in l. certo. 13. D. de ſeruit. ruſti. Domus appellatur ſuperficies ſoli. l. eum qui. 23. D. de vſurpat. vbi ædes dicuntur ex duabus rebus conſtare, ex ſolo & ſuperficie. Superficies autem vſque eo ſoli pars eſt, eíque natura cohæret, vt nõ illud ſine hac tradi, neque hæc ſine illo vſucapi poſſit. l. obligationũ. 44. D. de oblig. & act. l. nunquã. 26. D. de vſurpat. denique Superficies ſolo cedere dicitur. l. qui domum. 50. D. ad leg. Aquil. l. qui res ſuas. 98. in fin. D. de ſolut. & arborum quæ fundo continentur, non eſt ſeparatum corpus à fundo: inquit Pomp. l. quintus. 40. D. de action. empt.

SVPERFICIARIA prædia, quæ in conducto ſolo certa penſione annua habentur. l. 10. D. fam. erciſc. l. 49. D. de verbor. ſignific. l. 16. in fin. D. de pignor. act. Superficiarias enim ædes in conducto ſolo poſitas dixit Caius. l. vltim. D. de ſuperficieb. Sic & Superficiaria inſula

ſula, in l.12.§.j.D.de publicia.l.j.§.& generaliter.D.de vi & vi arm.l.9.§.quæſitum.l.39.§.damni. D.de dam.infect.Et Superficiarius fundus, l.j. D.quibus mod.vſuſfru.amitt.Seneca lib.13.Epiſtol.Mathematica,vt ita dicam,Superficiaria eſt,in alieno ędificat,aliena accipit.

SVPERFICIARIVS definitur eſſe is qui in alieno ſolo ædificauit, quod quidem à domino conduxit ea lege vt in eo ædificaret,& ſibi haberet ædificium in perpetuum, vel in plures annos ſub annuo ſolario. hic plus eſt quam inquilinus.nam ius habet in re, quod ius ſuperficiarium dicitur ἐμϕυτευτικὸν,l.3.D.de reb.eor. qui ſub tut.vel in Baſilicis, ἐμϕατικόν. Vide l.in ſpeciali.73.cum l.ſeq. D.de rei vend.& l.damni.18.§.2. D. de dam.infect. Igitur vere & propriè dominus nō eſt, quamuis in alieno ædificarit: ſed potius vt inquilinus, l.3.§.pen. D.de oper.nou. nuncia. tametſi quaſi dominus vtilibus actionibus adiuuetur, l.j.§.vlti.& l.vlti.D. de ſuperfic.l.18.§.ei qui.D.de damn.inf.

SVPERFICIVM, pro ſuperficie legitur in Pand. Flor. tit.de ſuperf.vt l.ſi areæ.D.de legat.2.hoc tamen in loco Græci ſuperficium vertunt ὑπέρϑεον.& apud Gaium lib.2.Inſtit.tit.j.& l.ſi lapidicinis.D.de iur.dot.

SVPERFICIO, ſupero,redundo,ſuperfluo.Vlpian.l.j.§. 10.D.de aqua,& aqu.plu.Iidem aiunt, aquam pluuiam in ſuo retinere, vel ſuperficientem ex vicini in ſuum deriuare omnibus ius eſſe.Fortaſſis verius vulgatis in libris legitur Superfluentem.

SVPERFOETATIO, ſecūdarius cōceptus eſt prægnantis, quam Superimprægnationē vulgus appellat. Lege Budæum in Annot.prior.ad l.antiqui.Si pars hære.pet.

SVPERILLVSTRES, ſenatores, conſules,dictatores, not.in l.j.D.de offic.eius cui mand.

SVPERINDICTVM,extraordinarium munus,vltra ſolitam & canonicam collationem indictum ſignificat, id eſt augmentum indictionis, l.j.C.de indictionibus, lib.10.l.j.C.de ſuperindictio. l.3. C.de excuſ.muner.eo. l.3.C.de ſilentiar.lib.12. Appellatur & ſuperindictio, in l.j.de priuileg.dom.Auguſt.lib.11. Vnde Superindicticij tituli,in l.vltim. eod.tit.quemadmodum ex ſcriptorum librorum auctoritate emendandum eſt. Hinc l.3. C.Theod.de col.fun.pat.Augmenti,inquit,& ſuperindictitij. Marcellinus, lib.27.Indictionale augmentum vocat. Athalaricus Rex 9.Quod à nobis augmenti nomine quęrebatur,illuſtrem virum Comitem patrimonij noſtri,nunc iuſſimus remouere.Et alio loco: Quicquid ſupra conſuetudinariam functionem augmenti nomine petebatur: Galli ſuperindictum vocant, *crue.*

SVPERIORES, poſitiuè intelliguntur ij, qui ſunt ſupra gradum quartum cognationis, vel affinitatis: ſicut Inferiores,qui ſunt infra ipſum gradum.

Superior cognatio parentum eſt, Inſtitutio. de gradibus affinit. Superior, proximus, ca.quanquam de elect. in 6. Superior,prima,l.ſi dare.D.de verb.oblig.

SVPERNVMERARII, l.7.C.de prox.ſacr.ſcr.qui in ſacris ſcriniis vltra numerum ſtatutorum militabant. Quod ſiquis,inquiunt Impp.de ſupernumerariis, qui ſtatuti locum ſubire debuerat, ne pecuniam offerat, ſtatuti etiam gradum recuſare voluerit. Vide Sudam in voce ὑπεράριθμος.

SVPERSTES, duo, vt opinor, ſignificat. video enim & pro teſte & pro præſente vſurpari. Feſtus.li.17.Superſtites,inquit,teſtes præſentes ſignificat.cuius rei teſtimonio eſt, quod ſuperſtitib. præſentibus leges inter quos controuerſia eſt, vindicias ſumere iubent. Plautus in Artemone:

Nunc mihi licet quiduis loqui, nemo hic adeſt ſuperſtes.

Seruius autem libro Æneid.3.Superſtes, inquit, præſentem ſignificat. vt Cicero in Muræniana, Suis vtriſque ſuperſtitibus, id eſt præſentibus. Quod tamen poſtremum verbum apud Ciceronem è gloſſa in contextum irrepſit. Hotomanus.

SVPERSTITIOSVS, vano & inani metu Dei affectus, id eſt qui metuit ibi Deum offendere, vbi non offenditur:nam à Superſtes deductum nomen eſt.& haud ſcio an iis propriè attributum, qui nimiū in fanis conſiſtebant, quaſi apud deos ſuos ſuperſtites: quos vernacula lingua Bigottos appellamus. quod in vitio Vlpianus poſuit, l.j.§.5.D.de ædilit.edict. vbi ſuperſtitioſos inter eos numerat,qui animi vitio laborant. Cicero tamen libro de natura Deorum ſecundo ſic ſcribit: Non enim philoſophi ſolùm, verumetiam maiores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparauerunt. nam qui totos dies precabantur,& immolabant vt ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati quod nomen poſtea latius patuit. Hos Græci δεισιδαίμονας vocant: de quibus vide Plutarch.in lib. περὶ δεισιδαιμονίας. Plautus autem in Rudente hoc verbum in eo poſuit,qui vaticinaretur:

Quid ſi iſta, aut ſuperſtitioſa, aut ariola eſt, atque omnia
Quicquid inſit, uera dicet?

SVPINVS, diſſolutus, negligens, alicui negotio indormiens. Paulus l.15.§.primo. D.de contrah.empt.Ignorantia emptori prodeſt, quæ non in ſupinum hominem cadit.

SVPPETERE præter tritas ſignificationes eſt, ſubiecta ſua perſona, pro alio petere, l.52.§.5.D.de furt. pro quo quidam ibi legūt, Sic petet, vt Haloander, qui hoc verbum eo ſignificatu non intellexit.

SVPPLETVR quod deeſt, ca.j.in princ.de ſacr.vnct.l. oratio.D.de ſponſal.

Suppletur vnum ius per aliud, Panor.in c.ſuper quæſtionum.de electio.

Supplere de iure,vel de facto,& quando poſſit iudex, vide C.vt quæ deſunt aduo.par.iud.ſupp.Specula. de offic.omn.iud.part.j.§.6.

SVPPLENTES OMNES DEFECTVS TAM IVRIS, QVAM FACTI, Clauſula, quæ quotidie apponi ſolet in diplomatibus Roma.Pont.& Impp.reſpicit tantùm defectus iuris poſitiui,non autem naturalis,vt eſt tex.in Clem.paſtoralis. §.cæterū defectus.de re iud.

SVPPLETIO, quam ponit Papa in reſcriptis, ad quid refertur,docet Panor.in c.illa. de elect.

SVPPLICARE propriè eſt paulo demiſſius orare, obſecrareque, ducto more à miſeris, qui plicatis manibus,ferè orant:non autem,ſicut aliquando,non tamen ſine erroris duce,putaui,genibus flexis.

SVPPLICATIO eſt veniæ petitio prioris erroris. Item remedium iudicialis grauaminis, ſunt qui vocant Reuiſionem ſententiæ,ca.literis.de in integ.reſtit.Ea vtimur aduerſus ſentētias eorum à quibus appellare non licet, l.j.D.de offic.Præf.Præto.auth. quæ ſupplicatio, C.de precibus imp.offer.vel, eſt quædam benignitatis ſuperioris imploratio.

SVPPLICIVM pro pœna accipiunt noſtri: differunt tamen,vt ſcribit Archid.in ca.nemo peritorum.11. q.3.

SVPPLICIORVM alia ſumma ſunt, alia mediocria,alia minima. Summa ſunt,crux,crematio, decollatio. Mediocra,metallum,ludus,deportatio. Minima, relegatio,opus publicum, vincula. Hæc Paulus libro Sent. 5.capite 17.

Supplicium vltimum, ait Celſus, eſſe mortem ſolam interpretamur, l.21. D.de pœnis.

SVPPONERE teſtamentum,id eſt,falſum teſtamentum ſuppoſita perſona obſignare: vel potius falſum teſtamentum loco veri ſubiicere,& producere.Sic Suppoſiti partus,pro falſis & adulterinis, l.cùm ſuppoſiti.C. ad leg.Cornel.de fal.Et ſuppoſitus actor,pro falsò & ſubornato, l.2.§.& cùm placuiſſet. D.de orig.iur. Aliàs dicimus,ſupponere hypothecā, pro pignorare. Hinc,

& tit.D.de reb.eorum qui ſub tutela vel cura ſunt, ſine decreto non alienandis, vel ſupponendis. Eſt enim hîc ſupponendis, pignori obligandis. Cornutus in illum locum: *Me tibi ſuppoſui:* tanquã aliquod pignus, inquit,

SVPPOSITA perſona, l.aufertur.D.de iur.fiſc.id eſt, pro alia poſita. Suppoſitus iuriſdictioni, l.j. D.ſi quis in ius vo.non ier.

SVPPRIMERE teſtamentum, in lege Cornelia teſtamentaria, intelligitur, qui ſciens prudénſque tabulas teſtamenti in fraudem hæredum, legatariorum, fideicommiſſariorum, aut libertatum non profert, & qui cùm habeat, & proferre poſſit, eas proferre nõ curat, Paulus lib.4.Sent.tit.7.Iſidorus quoque ex Paulo mutuatus, Suppreſſum teſtamentum lib.5.Etymolog. cap. 24.definit, quod in fraudem legatariorum ſeu libertorum non eſt palàm prolatum. Quod etſi non latet, ſi tamen perſonis ſupradictis non proferatur, ſupprimi videtur. Supprimere ergo celare eſt, quod crimen in teſtamentis ad legem Corneliã de falſis pertinet, l.2. D.ad leg.Corneliam de falſis. Et ita Suppreſſæ tabulæ teſtamenti, quæ malo animo celantur & occultantur, in l.19.in fi.D.quemadmod.teſtamen.aperiãt.l.33. D.de iudic.l.3.§.ſi quis dolo. D.de tabul.exhibend.l.9.D.de dolo.l.6.D.de falſ.Suetonius in Caligula cap.16. Legata ex teſtamento Tiberij quãquam abolito, ſed & Liuiæ Auguſtæ, quod Tiberius ſuppreſſerat, cum fide ac ſine calumnia repræſentata perſoluit. Supprimere etiã mancipia dicimus, l.82.§.penult.D.de furt. Vnde Suppreſſores, & Suppreſſi mancipij crimen, in l.3. D.de lege Fab. Supprimere etiam naufragium, l.3.§.item is cuius.D.ad legem Corneliam de ſicar.& Naufragos ſuppreſſos dicunt Iuriſconſulti, l.3.§.vlt. D.de incend.rui. Supprimere merces l.30.in fin. D.de cri.ſtellionatus.

Supprimere & intercipere dicitur, qui domino repoſcenti non reddit: ait Pomponius l.44.in fin. D.de acquirend.rerum domi.

SVPPRESSORES mancipiorum, pro plagiariis, qui ſeruos alienos ſcientes dolo malo retinent.l.penul.D. ad leg.Fab.

SVPRA ſcripta, omnia, quæ dicta ſunt, vel præceſſerunt, complectitur, niſi intercedens abſurditas ad proxima tantum referri cogat, de quo latius l.j.§.hoc edicto. D. de poſtul.Supra, præter l.ex conducto. D.loca. Supra excludit l.fi.D.de iuriſdictio. & vide Bartolum l.cùm ita.D.de dote prælegat.

SVPREMVS dicitur, inquit Africanus, non is demum, qui poſt aliquem, ſed & poſt quem nemo ſit, & quem nemo ſequitur, l.34.D.de vulga.& pup.l.92. D.de verbor.ſignific.& l.qui duos.9. D.de reb.dub.quod tamen ſic accipiendum eſt, inquit Hotoma.vt non reſtricta Latini ſermonis cõſuetudo, ſed æquitatis ratio ſeruata videatur. Sic,

Supremas tabulas, ſecundùm quas ſe Prætor bonorum poſſeſſionem daturum pollicetur, accipimus nouiſſimas, poſt quas aliæ nullæ factæ ſunt, l.j.§.j,l.penult.§. planè.D.de ſecund.tabul.Sed & illæ ſupremæ habentur tabulæ, quæ ſolæ ſunt, l.161.D.de verbor.ſignifica. In vulgari quoque ſubſtitutione, qua ei, qui ſupremus morietur, hæres ſubſtituitur, rectè hæres ſubſtitutus etiam vnico intelligitur, l.163. D.de verbor.ſignificat. l.9.D.de reb.dub.Cum verò plures ſunt, ei qui nouiſſimus deceſſerit, ex his verbis ſubſtitutus ſuccedet, l.9. & l.14.in fin.D.ad leg.Falcidiam.

Suprema dies, pro nouiſſima, in l.7.§.Papinianus.D.ſolut. matrimon. Sic ſuprema hora, l.j.§.dies, D.quando appellan.ſit.l.2.D.de verborum ſignificatione. Et in XII. Tabul. SOLIS OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO.

Suprema numero multitudinis abſolutè pro nouiſſimis iudiciis, & vltima voluntate, ſeu teſtamento, in l.23.§.j. D.de liber.& poſth.l.3.§.vlt.D.de munerib.& honor.l. vnic. D.de bonor.poſſeſſ.ex teſtamen.mili.l.39.D.de pigner.act.l.36.§.miles in ſupremis. D.de milit.teſtamen.Corn.Tacit.lib.j.Nihil eo die ſenatus agi, niſi de ſupremis Auguſti, cuius teſtamentum inlatum eſt per virgines veſtales. Quintilianus Declamatione 1.Neq; ergo grauiſſimum patrem ſuprema ſua iuueni iactaſſe crediderim. At quod idem auctor Declamatione 8.ait, Vidimus igitur frequenter ad vitam poſt conclamata ſuprema redeuntes, ſic accipiendum eſt, poſt conclamata nouiſſima verba: In quibus fuiſſe verbum, Ilicet, Donatus in Virgilium & Seruius notant. Hinc,

SVPREMAM dicere, vt annotat Donatus, dicebatur præco, cum dimittebatur iudicum conſeſſus. Hinc, Plautus:

Mater ſupremam mihi tua dixit, domum ire iuſſit.

Id eſt mater ſupremam dixit tempeſtatẽ, & ilicet pronuntiauit, domúmq; ire iuſſit. Turn.Aduerſ.lib.3.ca.11.

Suprema ſua ordinare, pro teſtamentum facere, ſupremam ſuam voluntatem exponere. Modeſtinus in l.39. de pigner.acti. Creditor cum ſuprema ſua ordinaret, teſtamento cauit, &c.

Suprema etiam iudicia dicunt nonnunquam, vt l.5. D. quemadmo.teſtam.aperian.l.32.§.pœnitentiam. D.de donat.inter vir.Quintilia.lib.6.cap.de riſu. Conſulens eum, an primipilaris ei teſtamento ſuaderet ordinare ſuprema iudicia.

Supremas etiam tabulas, pro teſtamento Latini auctores dicunt. Martial, lib.5.Epigrammatωn:

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas. Idem eodem:
Quadrantem Criſpus tabulis, Fauſtine, ſupremis
Non dedit uxori.

Supremam etiam voluntatem, mortuorum diſpoſitionem dicimus, l.78. D.de hæred.inſtitut. & aliis vulgatis locis.

SVRDA teſtimonia dicuntur, quæ feruntur per tabulas, propterea quod hæ rogatæ nihil reſpondeant.

SVRDVS quo modo probetur declarat Bart.in l.j. D.de bonorum poſ.

SVRDASTER minus audiens, l.pen.& fi.D.de leg.tut.

SVRREPERE, vel ſubrepere & Obrepere, Nicol.Perottus, Budæo annotante, ab obripiendo & ſurripiendo dicta exiſtimat. Obrepere quid ſit, paucis indicatũ eſt, cuius vim verbi, haud rectè intellectam, idem explicat in poſterior. Annot.ad l.ſi quis obrepſerit.ad leg.Cornel.de falſ.Accurſ.exiſtimauit, Obrepſerit, eodem admonente Bud.ab obripio eſſe, vt preces obreptitias, & ſurreptitias. Qua de re non inutiliter doctores noſtri, in l. & ſi legibus. C.ſi cont.ius vel vtil. publ.& inter Pont.iu.interpretes, magni vir nominis Felinus, in Rub.c.dilectus.j.ca.poſtulaſti. de reſcript. tum alij aliis locis differunt. Quod huc propriè pertinet, & ſatis è verbis Vlpiani colligitur. Obrepimus, cùm tacendo aliquid impetramus, quod exprimere neceſſe erat, expreſſúmque principem à conceſſione abalienaſſet: Surrepimus verò, cùm à principe per falſam rei narrationem aliquid extorquemus, puta Reſcriptum, Priuilegium, Beneficium, Feudum, &c.

SVSCIPERE cognitionem, in l.8.& l.9.D.de offic.præſid.Plin.lib.6.Epiſt.ad Cornelia. Hæredes cùm Cæſar eſſet in Dacia, communiter epiſtola ſcripta petierant, vt ſuſciperet cognitionem.

Suſcipere iudicium ſeu excipere reus dicitur l.7.D.de pet. hær.l.7.§.vlt.l.9.§.ei tutori. D.de tut.& rat.diſtr. Et ſuſcipere litem, l.64.D.de procuratoribus.

Suſcipere iudicium dicitur etiam iudex qui iudicandi munus ſibi à prætore delatum ſuſcipit. Paulus l.13.D. de vacat.muner. Siquidem priuilegio quod habuit antequam ſuſciperet iudicium, velit ſe excuſare: nec audiendus

dicendus eſt. ſemel enim agnoſcendo iudicium, renunciat excuſationi.

Suſcipere obligationem, l.45.D.manda.

Suſcipere aliquem, l.132.D.de verb.obliga.id eſt in fidem & clientelam accipere. Quidam, inquit, cum filium alienum ſuſciperet. Hinc,

SVSCEPTI ſunt cliẽtes, qui ſe & bona ſua omnia tuenda & defendenda potentioribus addicunt, fraudãdorum publicorum tributorum cauſſa. qua ſpecie potentiores vicanorum & ruſticorum bona ſibi vindicabãt, vel relinquebãnt ſuſceptis, ſub patrocinij mercede certa. quod damnatur titu.C.vt nemo ad ſuum patroc. ſuſcip.vicos, vel ruſticanos eorum, & titul.de pac.vic. C.Th.& Iuſtiniani Nouell.17.& Tiberij de diuinis domibus. Saluianus.lib.5.de prouidentia Dei: Vt vim, inquit, exactionis euadant, tradunt ſe ad tuendum protegendúmque maioribus, dedititios ſe diuitum faciunt, & quaſi in ius eorum, ditionémque tranſcendunt. Nec tamen graue hoc eſſet, ſi potentes patrocinia iſta non venderent: ſed hac lege tueri pauperes videntur, vt ſpolient. Omnes enim ij qui defendi videntur, defenſoribus ſuis omnem fere ſubſtantiam ſuam addicunt: nihil ſuſceptis tribuunt, ſed ſibi nouum genus venditionis & emptionis. Venditor nihil dat, & totum accipit: emptor nihil accipit, & totum penitus amittit. Vocat igitur ſuſceptos, vt Seruius lib.6.Æneidos, id eſt clientes: & Auguſtinus in Quæſt. miſtis: Nunquid ſi malæ vitæ ſit aduocatus, contra ſuſceptum eius pronunciabitur? hoc eſt officium aduocati, vt ſecundum iuris ordinem ſuſcepti ſui cauſſam peroret. Nunquid poterit vita eius, ſi turpis eſt, obeſſe cauſſæ ſuſcepti? Palæmon Grammaticus v.R. in gloſſis: Aſſecla cliens, ſiue ſuſceptus. Sicque Suſceptum accipe l.j.C.de princip. agent. in reb. Néve ſub vnius perſona ſuſcepti, fraude quadam aliena negotia inferenda eſſe pertentent.

SVSCEPTORES in rub.C.de ſuſceptor.lib.10. ſunt qui annonis & tributis vtriuſque ærarij recipiendis præpoſiti ſunt, l.cum poſſeſſor.in fin.D.de cenſib. Hi vulgò receptores vocantur. Eorum autem munus annuũ erat, l.4.C.de ſuſcept. niſi more ciuitatis ſoleant fieri in biennium, vel niſi raritas hominũ (ſic enim legendum, non auctoritas, Græcè ἀπανία) eos in biennium creari cogat, vt eſt l.22.C.Th.eod.titul. Iubebantur autem hi præſentibus defenſoribus ciuitatum, qui quaſi quidam Tribuni plebis erant, perſcribere modum iugationis cuiuſque, & ſpecies ſingulas quas fiſco inferri oportebat, vel earum quãtitatem. Sunt & alij vini Suſceptores, Græcis κάπηλοι dicti, de quib. lib.11. C. titu.de ſar. & ſuſcept. vini, in quo de illis nulla fit mentio. Hi verò ſuſcipiebant vina fiſcalia, & populo vendebant. Populo enim Romano oleum, panis, porcina, gratuita præbebantur, vinum nonniſi perraro, vt Vopiſcus ſcribit in Aureliano.

SVSPENSVM dicitur id, quod excedit domos, vel vltra eas extẽditur: quod ſi ceciderit, & alicui nocuerit, vel damnum intulerit in via publica eunti, tenebitur dominus domus illius, de qua damnum illatum eſt, vt D.de his qui deie.vel effud.per totum. At Suſpenſa bona dixit Seneca, quæ venalia pẽdent in tabula proſcripta. Et ſuſpenſis amici bonis, inquit, libellum deiicio, creditoribus eius me obligaturus. Sic Tranquillus, Lege prædiatoria in vacuum pependerit.

SVSPENSIO, pœnæ genus apud Pontificios, c.veritatis. de dol.& contum. Ioan.Andr.Clem.fin.de pœnis. Eſt autem duplex: vna corporalis, ſpiritualis altera. Corporalis, qua quis in furcas tollitur, ca.ſi non licet.23.q. 5.& ca.fi.ead.cauſ.& quæſtione. Spiritualis canonica, vel eccleſiaſtica, quæ contingit in officio, vel beneficio, vel vtroque, c.eos qui.32. diſtinct.

SVSPENDIOSVS, qui ſuſpenſus eſt, cui vita ſuſpendio adempta eſt. Vlpia.l.11.§.j.D.de his qui not. Non ſolent autem lugeri hoſtes, vel perduellionis damnati, nec ſuſpendioſi, nec qui manus ſibi intulerunt. Plinius lib. 28.cap.2. Laqueum ſuſpendioſi circum datum temporibus capitis dolorem ſedare. Rectè autem idem Plin. eiuſdem lib.ca.4. Pœnam laquei præpoſteram eſſe ait, ex eo quod includatur ſpiritus, cui exitus quęrẽdus eſt.

SVSPICIO, is, ere. Hinc,

SVSPECTVS tutor eſt, qui non ex fide tutelam gerit, licet ſoluendo ſit, §.ſuſpectum. Inſtitut. de ſuſpect.tut. Nam qui fraudulenter tutelam adminiſtrauit, etiam ſi ſatis offerat, vt ſuſpectus remouetur. Tutorem enim non facultates, ſed fraudulenta adminiſtratio, & callida conuerſatio ſuſpectum faciunt, l.31. D.de reb.auct. iud. Itaque ſi in tutela graſſatus eſt, aut ſordidè egit, vel perniciosè cum pupillo, vel aliquid intercepit ex reb. pupillaribus, iam vt ſuſpectus remouetur, l.3.§.nunc videamus. D.de ſuſpect.tutorib. Apparet itaq; ex fide & diligentia & maleuolo propoſito magis, quàm ex facultatibus ſuſpectum tutorem argui. Quod in hærede, quem vt ſuſpectum Prætor deminuere vetuit, contrà eſt, qui ex ſolis facultatibus ſuſpectus exiſtimatur, d.l.31.& l.7.§.qui ſciens. D.pro empto. Dicunt autem promiſcuè Iuriſcõſulti pro eodem Suſpectũ facere, & ſuſpectum poſtulare, l.j.§.conſequens l.3.l.7. D.de ſuſpect.tut.l.6.D.rem rat.hab. l.39.ad fi.D.de procuratorib.l.14.§.j.D.de ſolutionib.l.8.§.pen.D.de adm.tuto. l. vlt.D.qui pet.tuto. Vnde Crimen ſuſpecti, id eſt criminatio & accuſatio ſuſpecti. Vlpia.in l.j.§.j.de ſuſpect. tutor. Sciendum eſt ſuſpecti crimen ex lege XII.Tab. deſcendere. Sic & Suſpecti poſtulatio & accuſatio, l.3. §.ſi quis abfuturus. D.de ſuſpectis tut.l.j.§.ſuſpecti.ad Turpil.l.5.§.geſſiſſe.D.de adminiſtr.tut.

SVSPICIO, à ſuſpicor, ſuſpicaris, quod ſignificat cum timore quodam ea adſpicere, de quibus dubitatur: eſt ipſe ſuſpicãdi actus. Quare iunctum cum Venio, ſemper accipitur paſſiuè, vt, Venit in ſuſpicionem: Suſpicioſus, actiue & paſſiuè. Suſpicionem itaque ſic definiemus: Actus, per quem in dubitationem trahimur, timentes de aliquo, ne læſionem adferat, priuatim, aut publice. Suſpicio autem eſt triplex. I. Cùm debitores noſtros alieno æri obnoxios, ſuſpicamur abitionem meditari, ne carceri mancipentur, quoniam ſoluendo non ſunt, vel quòd incipiunt dilapidare & diſtrahere omnia ferè bona. Hæc nũcupatur ſuſpicio fugæ, quæ ſolet priuatum, nec adeò magnum adferre detrimentum in Republica, ideóque non cenſetur crimen. Vlpianus, D.de priuil.credito. Vide l.ait prætor.§.ſi debitorem.D.quæ in fraud.cred.l.fin. C.de feri. Et vtrobique Bartolum. II. Eſt quædam ſuſpicio aduerſus iudicem non ſolùm delegatum, verùm etiam ordinarium. Nam cùm magiſtratus ſæpe religionis ſuæ obliti, pernicioſſimè iudicando noceant, rectiſſimè conceſſum eſt, omnes ex ſuſpicionis cauſſa recuſari. De iudice delegato tractatur in l.apertiſſimi.& l. vlti.C.de iudic. De ordinario autem extat Nouel.vt præſides, qui interpellan.§.quòd ſi vſuueniat. Conſt. 76. III. Eſt quædam denique ſuſpicionis ſpecies ex eo nata, quòd tendit ad lædendum publicè, aut priuatim, quæ pertinet ad actionem de poſtulatione ſuſpecti.

SVSTINERE, pro differre, reſeruare, reiicere. Calliſtratus l.36.D.de iudic. Ex iuſtis cauſſis, & ex certis perſonis ſuſtinendæ ſunt cognitiones. ibid. Humanum eſt in ſimilibus cauſſis cognitionem ad aliquem modum ſuſtineri.

Suſtinere actiones, differre, ſuſpendere. Pompon.l.35.D. de iur.fiſc. Vtrum ius fiſci antè excutiendum ſit, & ſuſtinendæ actiones cæterorum, &c. Vlpian.l.j.§.3.D.ſi fam.furt.fec. Tandiu aliorum nomine actio ſuſtineri

debebit, quandiu priore iudicio poteſt actor conſequi. Sic pœnam ſuſtinere. Idem l.ſi quis.6.§.quid tamen.7.D.de iniuſt.rupt. Pœna tamen ſuſtinenda eſt, quo ad princeps reſcripſerit ad literas Præſidis. Alias tamen pro ſufferre ſumitur, l.j.D.de pœn.

SVVM verbo dominiũ ſignificari,& ea tantùm quæ vindicari à nobis poſſunt, non etiam quæ in nominibus ſunt ſuorum appellatione contineri traditur, in l.27.§. argento.& l.34.D.de auro argen. Sed nec quæ pignori tenentur, ſuorum appellatione veniunt, l.9.§.vlt.D.de ſupell.leg. l.74.de lega.3. Ambiguum verò eſſe cùm quis ſuum dicit, vtrùm de toto, an de parte ſignificet, Pompon.in l.239.§.vlti.D.de verbor.ſignificat.ſcribit: quoniam & id noſtrum eſt, quod nobis cum alio commune eſt. Cùm quis ſuos ſeruos dicit, hi deſignari videntur, quos paterfamil. ſuorum numero habuit,& qui pleno iure eius fuerunt. In his verò fructuarij ſerui non continebuntur, nec venales habiti ſerui. Serui planè cum alio cõmunes & bona fide poſſeſſi, & quorum vſusfructus alienus ſit, continebuntur, l.71.l.73.l. 74.D.de legat.3. Et tamen,

Suum conſequi & recipere creditores, pro eo quod ſibi debetur conſequi, Iuriſconſulti eleganter dicunt. Vnde Vlpia.in l.7.§.apud Labeonem. D.quæ in fraud.credi. Eum ait qui ſuum recipiat, nullam videri facere iniuriam: hoc eſt, eum, qui quod ſibi debetur, receperit. Sic & in l.15.§.quòd ſi res. D.de re iudic.l.96.§.j. D.de ſolution.l.44.D.de cond.indeb.l.4.§.idem Iulian.D.de doli except.l.12.D.de nouatio.l.37. D.de iure fiſci.l.7.de ceſſio.bonor. In eam denique ſententiam ad ſuũ peruenire dicunt, l.j.D.quod certo lo.l.j.§.illud verum. D. ſi quis teſtam.lib.

SVOS hæredes liberos in poteſtate poſitos vocamus, qui primum poteſtatis locum obtinent, quaſi domeſticos & familiares hæredes, cum viuo quoque patre quodammodo domum habere exiſtimentur, nec tam in nouum dominium ſuccedere, quàm vetus continuare videantur, magíſque ad propria aut debita, quàm ad aliena bona vocentur, §.ſed ſui.Inſtit. de hæredũ qualitate & differentia. Sui autem idcirco dicuntur, quia non tam alienarum quam ſuarum quodammodo rerum plenum integrúmque dominium adipiſcuntur: quarum etiã patre viuo hæredes & domini lege XII. Tab.deſignati erant, l.11.D.de liber.& poſthum.l.12.D. qui teſta. face. poſſ. Et apud Plinium in Panegyrico. Qua de cauſſa ſui hæredes illico apparent & exiſtunt, & ipſo iure hæredes depræhenduntur, nec aditione egent. Sic l.penult.§.ſi patronus. D.de bon.libert.l.14. D.de ſuis & legit. Suos hæredes, ait Vlpian.in l.j.§. ſuos. D.de ſuis & legiti.accipere debemus filios, filias ſiue naturales, ſiue adoptiuos. Calliſtratus in l.220. D. de verbor.ſignificat. Liberorum, ait, appellatione nepotes & pronepotes, cæteríque qui ex his deſcendunt, continentur. Hos enim omnes ſuorum appellatione lex XII.Tabul.compræhendit. Caius lib.2.Inſtitut.titu. 8.Sui hæredes ſunt filius, filia, nepos, vel neptis, pronepos, proneptis ex nepote, & omnes per virilem ſexum deſcendentes. Similiter & poſthumi, qui ſi viuo patre nati fuiſſent, in poteſtate futuri erãt, ſui hæredes ſunt. Priſcianus lib.17. Suus Ciceronis filius hæres eſt patris conſtitutus. Suus enim dicitur ad diſcretionem illius, qui ſecundum leges ſuus non eſt, id eſt, ſub poteſtate patris naturalis conſtitutus. Sic & ſuam hæredem accipe in l.vlt.D.de collat.bonor.

Suum hæredem animaduerti à Cicerone Hæredem familiæ appellari, in Orat.pro Cluentio, vbi de ſuo poſthumo loquitur: Memoria teneo, inquit, Mileſiam quandam mulierem, quòd partum ſibi ipſa medicamentis abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam: neque iniuria: quæ ſpem parentis, ſubſidium generis, hæredem familiæ ſuſtuliſſet. Sic Iuſtinianus eos Domeſticos hæredes appellat, §.2.Inſt.de hęred.qual.& Plinius in Panegyrico, Domeſticos hæredes extraneis opponit: illóſque ait bona non vt aliena & ſperanda, ſed vt ſua, ſempérque poſſeſſa capere. Videtur autem Ouid. ad hanc quoque locutionem alluſiſſe lib.11.de Ponto:

Viuit enim in nobis facundi lingua parentis,
Et res hæredem reperit illa ſuum.

Suorum autem duo ſunt genera. nam alij natura ſui ſunt, nimirum filij, filiæ ve: alij ſucceſſione, nimirum nepotes aut poſteriores, qui in filiorum non etiam filiarum, locum vacuum & deſtitutum ſubeunt: veluti ſi vno filio mortuo (nam ex filiabus prognati ſui eſſe non poſſunt) nepotes ex illo eius in gradum ſuccedãt. Lex enim eis patris ſui ius ſic attribuit, vt illi patrem ſuum repræſentent, tametſi non idem omnino ius eis conceſſerit, l.tertia, C.de ſuis & legit.l.prima, §.ſi filius. D.eod.l.2.& l.3.C.de legit.lib.l.Gallus, §.ſequenti.D.de lib.& poſthum.

Sui & neceſſarij hæredes ſunt liberi qui in poteſtate parentis fuerunt, quos nemo antecedit. Sic autem ideo appellãtur, quia domeſtici hæredes ſunt: & viuo quoque patre quodammodo domini exiſtimantur. Neceſſarij verò ideo dicuntur, quia omnino ſiue velint, ſiue nolint, tam ab inteſtato, quàm ex teſtamento ex lege XII.Tab.hæredes fiunt, ait Imper.§.2.De hęred.qualit. Vel ſic: Sui & neceſſarij hæredes dicuntur, qui in morientis familia proximum ab eo gradum obtinent: veluti filij, aut iis de familia ſublatis, nepotes, & qui deinceps. item vxor, quæ in manum conuenit: item nurus, quæ in manu filij eſt, quem in poteſtate habemus. Vlpianus cap.Inſtit.4. Sui autem iccirco appellabantur, quoniam patrefamil.mortuo non tam alienarum, quã ſuarum quodammodo rerum plenum integrúmq; dominium adipiſcuntur: quarum etiam illo viuo hæredes (quo verbo veteres dominum intelligebant) lege duodecim Tabularum deſignati erant. Neceſſarij autem dicuntur, quoniam eadem lege cogebantur hęreditatem retinere, l.in ſuis.11. D.de liber.& poſthum.l. 57.D.de acquir.hæred.

Suos, in l.8.l.12.l.19.C.qui accuſ.non poſſ.accipimus parentes, liberos, patronos, patronas, eorúmque filios, filias, nepotes, neptes, conſobrinos & propinquos, l.j. D.de accuſ.

Suos in legatis præcipuè ſeruos, vel ancillas eos accipimus, auctore Vlpiano, qui ſunt pleno iure teſtantis: inter quos fructuarij non continebuntur, ſed qui bona fide teſtatori ſeruiunt l.ſuos autem.D.de legat.3.

Sui, pro Noſtri. Paulus l.20.D.de nouat. Nouare poſſumus, aut ipſi, ſi ſui iuris ſumus: aut per alios qui voluntate noſtra ſtipulantur.

Suus, ſuæ poteſtatis: vt Meus apud Perſium,

Vindicta poſtquam meus à Prætore receſsi.

Iuſtinian.§.2, ad S. C.Tertyll. Sed & filiæ ſuæ mortuæ filius vel filia præponitur: id eſt quæ ſui iuris eſt, ſuæque poteſtatis. Sic ſuæ poteſtatis eſſe, id eſt ſui iuris eſſe. Vlpia.l.17.D.de his qui not.infam. Ea notatur quæ cum ſuæ poteſtatis eſſet, hoc facit. Sic Plautus in Perſa, vbi lenonem inducit, qui ancillam manumiſerat:

Ita ancilla mea quæ fuit hodie, nunc eſt ſua.

Et apud Ciceronem libro De repub.tertio. Eſt enim genus iniuſtæ ſeruitutis, cùm ij ſunt alterius, qui ſui poſſunt eſſe.

Suus etiam, pro eo qui in ſua poteſtate eſt, alio modo dicitur vetuſtè: id eſt ſanæ mentis. Vlpianus l.Fulcinius, 7.§. adeò. D. quibus ex cauſſ. in poſſ. Furioſus hanc venditionem pati non poteſt: quia non ſe occultat, qui ſuus non eſt. Cicero Tuſcul.tertio: Itaque nihil melius, quàm quod eſt in conſuetudine ſermonis Latini, cùm exiſſe è poteſtate dicimus eos, qui effrenati feruntur.

feruntur,aut libidine,aut iracundia. Qui igitur exiſſe ex poteſtate dicuntur,iccirco dicuntur, quia non ſunt in poteſtate mentis, cui regnum totius animi à natura tributum eſt.

Sui iuris eſſe dicuntur,qui nullius poteſtati ſubiacent, ſed propriæ ſunt poteſtatis & proprij arbitrij,titul. de his, qui ſunt ſui vel alie.iur. Qui & ſuæ poteſtatis eſſe dicuntur,l.4.D.de his qui ſunt ſui. l.17.D.de his qui not. infa.l.43.D.de obligation.& actio.l.vltim. D.de liber. cau.& ſui arbitrij l.22.D.de ritu nupt. Ita ſuæ poteſtatis fieri dicuntur ſerui manumiſſione.l.vlt. D.de liber. cau.In eundem ſenſum ſuæ auctoritatis dixit Spartia. in Hadria.Decoctores,ait,bonorum, ſi ſuæ auctoritatis eſſent, catamidiari in amphitheatro & dimitti iuſſit. Vide Ius ſui.

Suæ ætatis eſſe dicuntur, qui minorem ætatem exceſſerunt,l.27. D.de negot.geſt.l.5.§.item ipſe tutor. D.de auctor.tuto.Si tamen teſtator alicui ita legauerit, cùm ſuæ ætatis erit factus, facti quæſtionem eſſe Vlpi.ſcribit, vtrùm de pubertate,an de 25.annis ſenſum ſit,l.50. in fi. D.de legat.3. Hoc exemplo credo Trebonianum in Alexandri reſcripto verba hæc, SVÆ ÆTATIS FACTVS SIT, interpretatum,ſi pupillarem ætatem exceſſerit,l.3.D.de teſtamen.tute.

Sua morte decedere dicuntur, qui naturali morte & natura ſua obeunt, l.vlt.§.j. D.de bon.damnator. Cuius §.verba repetita ſunt,licet diuerſo auctoris titulo prælato,in l.28.D.de bon.libert.Suet.in Iulio cap.vlti. Percuſſorum autem ferè neque triennio quiſquam amplius ſuperuixit,neque ſua morte defunctus eſt.Damnati omnes,alius alio caſu periit.Significat enim omnes biothanatos fuiſſe, vt cum Firmico loquar.Trebellius Pollio in Hærennia tyranno:Multi enim dicunt eos ab Aureliano interemptos, multi morte ſua eſſe conſumptos. Sic ſua natura rem intercidere accipimus in l.14.§.vlt. D.depoſ.

SVITAS eſt quam Græci γνησιότητα,& vulgus ſui hæredis qualitatem vocat, in qua definienda valde nõnulli laborant,in l.qui ſe patris.C.Vnde liberi,cum ex coniugato vocabulo, hoc eſt, Sui, ſatis eius ſignificatio liqueat. Quanquam Suitatem nuſquam apud veteres reperias,ſed tamen in his quæ vſu paulatim recepta, & ad docendum apta ſunt, non nimis ſuperſtitiosè Grammaticorum canonibus obſtricti eſſe debemus. Alciatus Suitatis voce, quam à dictione ſui, Interpretes deduxerunt, non rarè vti ſolet, eámque ſic finit: Suitas eſt hæredum qualitas, qui primum in poteſtate paterna locum obtinent, continuationem dominij, neceſſitatémque ſucceſſionis inducens, §.ſui autem. Inſtit.de hæred.qual.Videntur autem ij hæredes quodamodo ſibi ipſis ſuccedere, cùm viuente quoq; patre domini cẽſeantur,l.in ſuis. D.de lib.& poſthu. & ideo Sui appellantur. Vide Sui hæredes.

SYCAMINON, morus Ægyptia,qua vti ſolent in aggeribus Nili,per quos incrementa eius diſpenſantur, & coercentur: ait Vlpianus l.10.D.de extraor.crimin.

ΣΥΚΟΦΑΝΤΕΙΝ,calumniari,iniuſtè aliquem iudicio vexare. Imp.l.17.Cod.quibus ex cauſ.inf.irrog.Etenim cum nõ cauſſa cognita dictum eſt ἐσυκοφάντησας, ſed ad poſtulatum patroni,interlocutione iudicis reſponſum fit, &c. Hinc, Sycophantæ appellati: cuius nominis Feſtus hanc affert originem. Atticos quõdam iuuenes ſolitos aiunt in hortos irrumpere, ficóſque deligere: quam ob cauſſam lege eſt conſtitutum,vt qui id feciſſet,capite truncaretur. quam pœnã qui perſequerentur, ob paruula detrimenta Sycophantas appellatos.

SYLVA apud Alfenum l.ſi quando.§.j. D.ſi ſeru.vindic. pro viridario ſumitur. Et Seius, inquit, in eo ſyluam ſeuiſſet,in qua labra,& lenes, cucumellas poſitas haberet. Sic Virgilius: - *ſubit aſpera ſylua, Lappæq; tribuliq;.* Vbi Seruius: Notandum etiam de herbis ſyluã dictam. Item Horatius: *Nempe inter uarias nutritur ſylua columnas.* Item Cic.in Prætura vrbana: Tabulas & ſigna quæ in ædibus tuis impar ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis,in ſylua deniq; diſpoſita ſub dio vidimus. Vbi Aſcon.In ſylua, in viridario.

Sylua cædua,quæ in hoc habetur, vt cædatur, vel excifa rurſus ex ſtirpibus aut radicibus renaſcitur,l.ſylua cædua.D.de verb.ſignific.Porrò,teſte Paulo, l.ſi abſente. D.de vſufruct.ſyluam cæduam, etiam ſi intempeſtiuè cædua ſit,in fructu eſſe conſtat: ſicut oliua immaturè lecta,item ferrum immaturè cæſum,in fructu eſt.

Συμβολὴ, in lege 9.Rhodiorum, contribulatum ſignificat. alij συνεισφορὰν appellant. ὅτε δὲ ἐὰν γένηται τοῦτο, ψῆφον ποιείτωσαν συμβαλλέσθωσαν δὲ εἰς συμβολήν, &c.

SYMPHONIA, chorus ſymphoniacorum, id eſt eorum qui concentum efficiebant. Cicero Verrina 6. Cum in eis conuiuiis ſymphonia caneret, maximíſque poculis miniſtraretur. Vlpianus l.15.§.primo, D.de vſufr. Nam ſi librarium rus mittat,vel de ſymphonia atrienſem faciat:id eſt è familia ſymphoniacorum. Hinc.

SYMPHONIACI pueri,qui ad modulationes muſicas, concentúſque faciendos comparantur. Cicero pro Milone:Milo tum caſu pueros ſymphoniacos vxoris ducebat. Paulus l.22.ad leg.Aquil.Si quis ex comœdis, aut ſymphoniacis vnum occiderit: id eſt è numero ſymphoniacorum. De his meminit & Aſconius in Diuinatione.

SYNAGOGA, lege tertia Cod. de Iudæis, id eſt, congregatio.

ΣΥΝΑΛΛΑΓΜΑ, mutua & reciproca ex re contracta obligatio. Vlpianus l.7. D.de pact. Dedi tibi rem, vt mihi aliam dares: dedi vt aliquid facias: συνάλλαγμα eſſe,& hinc naſci ciuilem obligationẽ. & paulo pòſt, Eſſe enim contractum, quod Ariſto συνάλλαγμα dicit, vnde hæc naſcitur actio.

SYNDICVS, σύνδικος, defenſor qui ab aliquo collegio, municipio, vniuerſitate, vel ciuitate ad cauſſam ipſius agendam delectus eſt.A Latinis Actor dicitur:vt l.j.§.j. D.quod cuiuſcũq; vniu. Permiſſum eſt, inquit, habere actorem,ſiue ſyndicum,per quem tanquam in republ. quod communiter agi fieríque oporteat, agatur fiat. Sic,§.ſeq.& l.2.& paſſ.Cicero in Diuinat. Hæc duo in primis ſpectari oportere:quem maximè velint actorẽ eſſe ij, quibus factæ eſſe dicantur iniuriæ:& quem minimè velitis, qui eas iniurias feciſſe arguatur. Itẽ: Adſunt homines ex tota prouincia nobiliſſimi, qui præſentes vos orant atque obſecrant Iudices, vt in actore cauſſæ ſuæ deligendo veſtrum iudiciũ à ſuo iudicio ne diſcrepet. Hermogen.l.j.D.de mun.& hon.Perſonalia ciuilia ſunt munera, defenſio ciuitatis, id eſt vt ſyndicus fiat,legatio ad cenſus accipiendos. Arcad.l.vlt. §.j. eiuſ.tract. Defenſores quoque, quos Græci ſyndicos appellant,& qui ad certam cauſſam agendam vel defendendam eligantur, &c.Demoſthe.porrò in Orat. περὶ στεφάνου, Ariſtidem dicit ſyndicũ eſſe ab Athenienſibus delectum, qui in Amphictyonum conſilio pro Delio ſacro diceret. Quidam tamen inter Syndicũ & Actorem hanc obſeruant differẽtiam. Primùm, quòd officium actoris eſt generalius, cùm à priuato quoque conſtituatur: deinde,quòd momentaneum ſit, pro re nata habens locum.Syndici verò non æquè,ex titul. in Nouel.De defenſoribus ciuitat. Vbi defenſor Latinè nihil aliud ſignificat, quàm Syndicus Græcè. Vide cap. Quia in cauſſis.& c.Petitio veſtra. de procuratoribus.

SYNDICATVS. Iudices olim functi officio ſuo, tenebantur in eadẽ prouincia, vel ciuitate, cui præfuiſſent, quinquaginta diebus palàm commorari, vt de culpa, fraudibúſque, ſi quas admiſiſſent, cõuenirentur, ac rationem redderent:id quòd vulgò ſubire Syndicatum, Latinè

Latinè autem cauſſam dicere, & cauſſæ faciendæ obnoxium eſſe nuncupamus l.j. C.Vt om.iudi.tam ciuil. &milit. Nouel.Vt præſid.abſque vll.nec. §.neceſſitatem.Idem obſeruabatur de Aſſeſſoribus, & Conſiliariis iudicum,l.3.de Aſſeſſoribus.

Synedria in quadam Codicis cõſtitutione ſunt coitiones,& collegia.vide Cuiacium lib.7.Obſeruat. cap. 30.Budæus συνέδριον conſeſſum vertit in poſterioribus adnot.

Syngrapha, vide Chirographum.

Συνημμένον,in l.rerum mixtura.D.de vſucap. Latinè dixit Gellius adiunctum. connexum. lib.16.cap.8.Vitruuius lib.5.cap.4.Coniunctum.Seneca lib.17.epiſto.Compoſitum. Paulus l.in rem. de rei vend.& Pompon.d.l.rerum mixtura.cohærens.

Synoditæ, συνοδῖται, in l.6.C.de epiſcop.audient.dici videntur,comites monachorum. nam ὁδίτης viatorem ſignificat. Solent autem Monachi ex collegij ſui inferiori ordine quempiam deligere, qui eos comitetur: quos Galli Culopulſos appellant: quòd (vt quidam aiunt) a tergo monachorum concionantium ſedẽtes, illos horæ præteritæ culi pulſione admoneant.

Synonetum, publica comparatio ſpecierum, quæ in commune fiebat, dicitur ab Imperatorib.l.j.de publ. compa.in C.Th.à σὺν καὶ ὠνεῖσθαι, Quam coemptionem appellari in l.2.C.de frument.vrb.Conſtantinop.& in Rub. vt nem.lic.in coemptio.ſpec.ſe.excuſ.docuit Iacob. Cuiac.lib.j.Obſeruatio.capit.35. Accurſius hanc coemptionem ſic accipit, vt prouinciales à fiſco res annonarias emere cogantur: Alij (in quibus & Cuiacius eſt) vt eas fiſco vendere forenſibus pretiis compellãtur.quibus fauere videtur l.2. C.Th.de pub.compar.l.j.& 3.C.de quib.mun. vel præſt.ne lic.ſe excuſ. & quod Sudas ſcribit in hunc modum de onere synoneti, ſiue συνωνῆς. Συνωνὴ τὸ ἄχθος, ὅτι ἐπὶ Ἰουστινιανοῦ τοῦ σίτου φορὰ ἐσπάνιζε,&c. τόν τε σῖτον οἴκοθεν εἰς δημοσίαν χαρίζεσθαι, καὶ τίμημα ἕτερον ὑπὲρ αὐτοῦ καταβαλεῖν. τοῦτ' ἔστι τὸ ἄχθος, ὅπερ συνωνὴν καλεῖν νενομίκασι. Et Caſſiodorus lib. 12.Variar.Lardi, inquit, atque tritici ſpecies nullis temporibus coemptionis nomine inde decernimus poſtulari. His adde Græcum ex Tiberij conſtitutio. locum, in quo ita eſt: εἰ καθ' ἡμετέραν κέλευσιν, διετηρείας ἕνεκα τῆς ἐνδόξου ταύτης πόλεως, ἢ καὶ ἑτέρων προφάσεων χάριν συνωνήν τινα εἰδῶν γενέσθαι συμβαίη, τούτοις ἅπασιν οὐ μόνον τοὺς ἄλλους ὑποτελεῖς, ἀλλὰ γὰρ δὴ καὶ τὰς τῶν βασιλικῶν οἴκων κτήσεις καὶ οἰκήσεις ὑποκεῖσθαι βουλόμεθα.

Synopsis, l.magis puto. §.in primis.D.de reb.eor.eſt compendium, ſeu breuis bonorum deſcriptio: quod inuentarium, aut repertorium alio loco Vlpianus appellat, alio ἀναγραφήν, l.tutor qui repertorium.D.de adminiſt.tut.l.cum plures.D.de re.auct.iud.poſſ. Pro Synopſis autem ſuperiore loco, perperam, ſi opus ſit, legebatur. Dicitur autem σύνοψις, à σὺν præpoſ. id eſt cum,& ὄψις, viſio, quòd quæ latè patebant, in vnum omnia contracta facile conſpiciantur.

Συνθήματα, in Pand.Græcis, ſunt duplomata quæ dabantur iis, qui curſu publico vtebantur.

Synthesis, Hotom.congeſtio, aceruus. Scæuola in l. 38.D.de aur.arg.leg. Quæro an ex vniuerſa veſte, id eſt an ex ſyntheſi tunicas ſingulas & palliola Sempronia eligere poſſit. Adrianus autem Turnebus lib. Aduerſ. 23.Syntheſin interpretari mauult elegantiorem veſtẽ, qua certis diebus feſtis populo Romano, quaſi extra ordinem, vti liceret. Hotom.hanc expoſitionem improbat: & cenſet Syntheſin, conſeruationem eſſe veſtium, non veſtis genus: & in eam coaceruationem nõ cuiuſuis generis veſtes adhiberi ſolitas, ſed eas duntaxat, quibus populo Roman.extra ordinem vti certis & paucis diebus licebat: putátque Scæuolæ verba ſatis planè & perſpicuè oſtendere, Syntheſin de omnibus veſtimentorum generibus, quæ aceruatim conſeruabantur, vſurpatum fuiſſe. Alciat.lib.2. Parerg. c.21.aliter hanc dictionem exponit: ſed viderit.

Συνώτεκνον, alij ſororem, alij concubinam, alij è ſacro fonte ſuſceptum interpretantur. Balſamo accipit pro matre ſuſceptæ in Synodi Trullo habitæ capite quinquageſimotertio.

Syriarchia, ſacerdotij genus in Syria, l.j.C.de natur.lib.l.vn.C.de off.comit.orient.l.103. de decurionib.in C.Theodoſ.Nouell.89.vnde Syriarcha in l.vlti. de expenſ.ludor.in C.Theodoſ.qui id ſacerdotij munus gerebat.Syrias autem multitudinis numero nominari in l.7.§.interdicere. D.de interdic.& in l.3.D.de cenſib.nemini mirum eſſe debet. Duæ enim memorantur in l.j.D.de cenſib. vna, quæ Cœle, altera quæ Phœnice diceretur. In Notitia quoque Imperij Rom. Syria ſalutaris ponitur. ſed & Syriæ nomen latiſſimè patuiſſe Guilel.Tyrenſis Pontifex tradit libr.13.de bello ſac. cap.2.

Syttes, apud Harmenopulum in his quæ ex Iuliano architecto retulit, ſunt vela, quibus ædes muniuntur aduerſus conſpectum aliarum: ſic dictæ quòd trahi, obduci & reduci ſoleant: quibus etiam Cancellos iungit: & ita l.cætera.§.ſed ſi cancelli. D.de leg.1. cancellis iunguntur vela.

Συστήματα, manſus, manſio, Clementi in Petro, προσδοκῶν τῶν δύο συστήματα.

T

T, & D, literas cognaras ſcribit M.Fabius lib.j. cap.2. quod ſæpè in Pandectis Florentinis videre licet, vt adquin pro atquin, l.19.D.de neg.geſt.

T, literam veteribus Senatuſconſultis ſubſcribi ſolitam, Valer.Max. lib.2.his teſtatur verbis: Illud quoque memoria repetendum eſt, quod Trib.pl.intrare curiam non licebat: ante valuas autẽ poſitis ſubſelliis, decreta patrum attentiſſima cura examinabãt: vt ſi qua ex eis improbaſſent, rata eſſe non ſinerent. Itaque veteribus Senatuſcõſultis T, litera ſubſcribi ſolebat: eáq; nota ſignificabatur, illa Tribunos quoque cẽſuiſſe: qui quamuis pro commodis plebis excubabant, inque imperiis compeſcendis occupati erant, inſtrui tamen ea argenteis vaſis, & anulis aureis publicè præbitis patiebantur, quò taliũm rerũ vſu auctoritas magiſtratuũ eſſet ornatior.

Tabardum vocãt Pontifices epitogium, veſtimenti genus in clem.vnic.de vit.& honeſt.cler.

Tabe conſumi in l.j.C.de cuſto.re.non eſt putredine conſumi, vt Albericus autumat, ſed colliquatione, & extenuatione corporis ex curæ diuturnitate, vt apud Virgilium lib.6.Æneid.

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit.

& Ouid. lib.9.Metamor.

Ambuſtáque ſonant nerui, cæcáque medullis
Tabe liquefactis.

Tabernæ appellatio omne vtile ad habitandum ædificium demonſtrat, ex eo quòd tabulis claudatur. Vnde Tabernacula & contubernales appellantur, l.183. cum l.ſeq.D.de verbor.ſignificat. Diomedes lib.3. Secunda ſpecies togatarum, quæ tabernariæ dicũtur, humilitate perſonarum & argumentorum ſimilitudine Comœdiis pares, in quibus non magiſtratus regéſq;, ſed humiles & priuatæ domus inducuntur: quæ quòd olim tabulis tegerentur, communiter tabernariæ vocabantur. Iſidor. lib.15. Etymolog. capite 2. Tabernæ olim vocabantur ædiculæ paruæ & ſimplices in vicis, axibus & tabulis clauſæ. Vnde & Tabernariæ quòd ſoleant

ſoleant cōſidere. Dictæ autem tabernæ quòd ex tabulis ligniſque erant conſtructæ, quæ nunc etſi non ſpeciem, nomen tamen retinent.

Tabernam negotiatoriam, & cauponiā & purpurariam dicimus. l. 43. D. de ritu nupt. l. 2. D. de inſtitor. l. 91. §. pater. de legat. 3. Tabernas quoque Sudas καπηλεῖα καὶ πανδοχεῖα interpretatur.

Tabernam autem qui pignori dat, merces, quæ in ea ſunt, obligaſſe videtur. l. 34. D. de pignorib. Tabernæ inſtrumento legato loci duntaxat, non etiam totius negotiationis inſtrumentum legatum videtur. Proinde inſtitores legato non continebantur: aliter atque ſi inſtructa taberna legetur. l. 285. D. de verb. ſignific. l. 13. D. de inſtru. vel inſtrumenti. Inde TABERNARIVS in l. 52. §. j. D. ad leg. Aquiliam.

Taberna inſtructa, Vlpiano eſt, quæ & rebus & hominibus ad negotiationem parata conſtat: quod tum verū eſt, cum Tabernam pro vniuerſitate iurium ipſius negotiationis, non autem pro loco ſimpliciter accipimus. Erant etiam tabernæ Argentariorum, quæ circum forum erant: vnde Circumforaneum æs Cicero appellat epiſt. j. lib. ad Attic. 2. Harum etiam meminit Liu. lib. 26. & Dionyſius lib. 3. qui eas à Tarquinio rege in foro poſitas ait. Et l. 32. D. de contrahend. empt.

TABVLÆ dicebantur, quibus antiqui pro chartis vtebā-tur, cùm cera illitæ eſſent. vnde Ceratæ à Plauto in Aſinaria appellantur. Itaque quarum rerum memoriam conſtare oportebat, eas res in tabulas referebant, veluti accepta & expenſa, pactiones, teſtationes, ſtipulationes, cautiones, teſtamenta. Atque hinc fortaſſe illud Cicer. ad Gallum lib. 7. epiſt. Sed heus tu manum de tabula, magiſter adeſt citius quam putaramus. niſi quis malit à pictoribus metaphoram ſumptam. De Cæſare autem ibi loquitur.

TABVLAS teſtamenti accipere debemus, inquit Vlpianus, omnem materiæ figuram: ſiue igitur tabulæ ſint ligneæ, ſiue cuiuſcunque alterius materiæ: ſiue chartæ, ſiue membranæ ſint, vel ſi corio alicuius animalis, tabulæ rectè dicentur. l. j. D. de bon. poſſ. ſecund. tab. Tabulæ etiam dicuntur folia teſtamenti. Quare, Budæo teſte, primæ & ſecundæ tabulæ, intelligi poſſunt prima, & ſecunda charta teſtamenti: quæ etiam primæ & ſecundæ ceræ dicuntur. Antiquiſſimus enim mos ſcribendi fuit in ceratis tabulis, quæ & codicilli, & pugillares vocantur. Tria quippe hæc, Viglio teſte, vocabula plurali ferè numero proferri ſolent.

Tabulæ non inſtrumenti tantum ſed & contractuum, & alterius cuiuſcunque negotij dicuntur. Hinc:

Tabulæ nuptiales. l. 21. l. 31. D. de dona. l. 9. de nupt. Tertullia. lib. de pudic. has matrimoniales vocat. Firmicus lib. 7. Matheſeos. c. 7. Tabulæ dotis. l. pen. D. de don. int. vir. & vxo. Tabulæ dotales. l. 12. D. de dot. præleg. Tabulæ venditionis. l. 2. C. ſi mancip. ita vænie. Tabulæ emptionum. l. j. C. Theo. de iis qui væni. æta. Tabulæ auctionales, Ambroſ. lib. 2. Epiſtol. Tabulæ contractus. l. 4. C. ſi quis alt. vel ſib. Tabulæ inſtrumentorum reipub. l. 31. l. 32. D. de furt. Tabulæ pro quibus pecunia promiſſa erat. l. 104. §. j. D. de leg. j. Tabulæ, pro ſyngraphis. l. huiuſmodi. §. ſi ita. D. de leg. j.

Tabulæ accepti & expenſi. Moris enim erat vt patresfamil. quæcunque per ſingulos dies aut acciperent, aut expenderēt, ea primùm properè ac feſtinanter in codicem memoriæ cauſſa paratum, referrent, quæ Aduerſaria dicebantur: deinde per ocium in aliis tabulis ordine & accuratè perſcriberēt, eas tabulas accepti & expenſi nominabant. de quibus Cicero in Cluentiana ſic ſcribit: Confecit tabulas diligentiſſimè. hæc autem res habet hoc certè, vt nihil poſſit neque additum, neque detractū de re familiari latere. Hinc Tabulis obſignatis agere: cùm pactio in tabulas relata eſſet. Cicero. j. de Orat. Tu mihi cùm in circulo decipiare aduerſarij ſtipulatiuncula, & cùm obſignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id ſit ſcriptum, quod ille capiatur: ego tibi vllam cauſſam maiorem committendam putem? Item Tuſcul. 5. Tu quidem obſignatis tabellis agis mecum, & teſtificaris quod dixerim aliquando, aut ſcripſerim. Nam de teſtationibus locus hic ex Quintiana documēto eſt: Neuius pueros circum amicos dimittit. ipſe ſuos neceſſarios corrogat. veniunt frequentes, teſtificantur iſti P. Quintium non ſtitiſſe: & ſe ſtitiſſe. tabulæ maximæ ſignis hominū nobilium conſignantur. Idem in Piſoniana: Iſte claudus, quomodo aiunt pilam retinere: quod acceperat, teſtificari: tabulas obſignare velle.

Tabula, libellus proſcriptionis. Vlpia. l. 13. §. 5. D. de action. empt. Cum venditor ſciret fundum pluribus municipiis legata debere, in tabula quidem conſcripſerit, vni municipio deberi. Cice. in Quintiana perpetuò libellos appellat.

Tabulas nouas dicebant Romani legem quæ ferebatur de ære alieno plebi inuitis creditoribus relaxando: Quæ lex ſæpius Romæ lata eſt, maximáſque ſemper turbas peperit.

TABVLÆ diuinæ, Decem præcepta, in quibus miſericors DEVS viua voce notitiam naturalem, propter originis vitium in hominibus obſcuratam, renouari voluit: vt certum extaret teſtimonium, has eſſe naturæ leges, Verbo DEI confirmatas, quas in animis hominum quoque inſculpſiſſet. Futurum enim prouidebat, vt imbecillitate quadam in errorem facilè lapſuri eſſent homines, niſi certum extrinſecus adiiceretur præſcriptum, ad quod hæſitantes confugerent. Enimuerò vtcunque hoc ſit factum, videmus tamen Gentes falſa perſuaſione à naturali iudicio aliquando eſſe abductas. quid igitur credamus futurum fuiſſe, ſi nulla extarent literarum monumenta diuina bonitate nobis de iure naturali data? Perpendendæ igitur diligenter hæ tabulæ, ceu fontes humanarum duodecim Tabularum, & totius Iuris Gentium & Ciuilis.

TABELLÆ tres olim iudicibus dari ſolebant: in quarum vna A, littera inſcripta erat, Abſolutionem ſignificās, in altera C. condemnationem denotās, in tertia N. L. id eſt non liquere, quo Ampliatio indicabatur.

TABELLARIÆ leges quatuor latæ fuerunt, quibus ſanciebatur, vt populus Rom. non voce (vt antea) ſed tabella ſuffragium in comitiis ferret, vt ita omnino liberum iudicium ſuum in magiſtratibus creandis haberet. D. de hac tabella ita Cicero in Planciana loquitur, Frontes, inquit, aperit hominum, mentes tegit, eámque libertatem dat vt quod velint faciāt, promittant autem quod rogantur. De his legibus latiùs diximus in Catalogo legum Rom.

Tabellæ appellatio in l. fi. C. de præd. decur. lib. 11. eo ſenſu accipi debet, quo periculum in Rub. C. de ſent. ex peric. recit. id eſt pro ſcriptura breui concepta. Nec ex tabella, inquit, decretum recitari: ſed curialium, vel maioris patris curiæ relatione currente.

TABELLIONES, publici ſunt contractuum ſcriptores. l. j. C. vt nemo ad ſuum pat. l. 1. C. de eunuch. l. contractus. C. de fid. inſtr. vel teſt. l. ambiguitatis. C. de teſt. A Græcis νομικοὶ dicuntur, & ἀγοραῖοι, & συμβολαιογράφοι, vt quæ ab eis conficiuntur inſtrumenta, ἀγοραῖα ſæpe in Nouell. præcipuè Nouella. 44. in qua de eorum officio agitur: publica verò vel forenſia. l. cōparationes. C. de fid. inſtr. quāquam propriè publica ea tātum ſunt quæ inſinuata ſunt apud magiſtrum cenſus, vel Duumuiros, vel Defenſores ciuitatum. Solent autem tabelliones primum contractus referre extra ordinē in ſchedam (ſic dictam ἀπὸ τοῦ σχίζειν, vel à ſcindendo, iis qui ſcidam ſcribunt) deinde redigunt eos in mundum, vel,

vt d.Nouel.44. loquitur, in chartam puram, & hoc modo inſtrumenta complentur, abſoluuntur, expediuntúrque partibus.d.l. contractus.l.vlt. C. de contr. empt.Sudas Tabellionē definit his verbis: Ταβιλλίων, ὁ τὰ τῆς πόλεως γράφων συμβόλαια, ὁ παρὰ τοῖς πολλοῖς νομικὸς λεγόμενος, ἅπαντα ἐπιτελῶν τὰ τῶν πολιτῶν γραμματεῖα, ἕκαστον αὐτῶν οἰκείοις ἐπισφραγίζων γράμμασι.

Tabellarivs ſeruus.l.pen.D.de acquir.rer.dom.literarum gerulus, vt Caſſiodorus loquitur.

Tabvllarii.l.3.C.de tabul.lib.10.dicuntur qui ciuitatum aut prouinciarum chartas & rationes tractant, atque ſupputant, qui præſunt tabulario ciuitatum, in quo pleraque publica & priuatorum reconduntur, veluti debitorum obſignatæ pecunię. Et de chartis liquet ex l.pen.C.eod.l.vlt.§.hi quoque.D.de muner.& hon. l.3.§.2.D.de tab.exhib. De rationibus verò ex l.j.& l. miſſi.C.de exact.trib.l.2. C. de numer.l.j. C. de imm. nem.conc.l.j.C.de cenſib. In rebus tamen priuatorum plerumque adhibebantur, vel vt pro imperitis literarum ſcriberent aut ſubſcriberent, vel vt pro ſtipulari nequeuntibus ſtipularentur, quaſi perſonæ publicæ, vt ex multis locis liquet. Ac primum quidem ſerui publici fuerunt, vt patet ex l.vlt.C.de ſeru.reipub. man. Capitolinus in Gordianis: Non ſcribæ, non ſerui publici, non cenſuales illis actibus intereſſent. Seruos publicos tabularios vocat. Poſtea verò Arcadij & Honorij cōſtitutione ſancitum vt nulli deinceps ad id officium pateret aditus, qui obnoxius eſſet ſeruituti. Hi autem conditionales erant, id eſt huic conditioni addicti & mancipati, adeo vt non poſſent ad aliam aſpirare militiam vel dignitatem: vti patet ex l.ſcripturas. C. qui potiores in pig.hab.& l.3.5.7.8.C.Th.de num.act.

Tabularius etiam pro calculatore, quē Græci διαψηφιστὴν vocant, qui in tabula calculādi & computandi artem pueros docet, vel aliàs eam artem tenet.l.j.§.ludi.D.de extra.cognitio. Quem etiam eſſe huius verbi ſenſum. l.vlt.D.ſi menſ.falſ.mod.oſtendit.

Tabvlarivm, pro archeio, de quo alibi dictum, id eſt eo loco in quo inſtrumenta, literæ, tabulæque publicæ recōdebantur, in quibus omnia paſcua, prædia, vectigalia, portoria, ciuitates, redemptionéſque publicanorum perſcripta erant. Cic. de Nat. Deor. libr.3. Sed exeamus è theatro: veniamus in forum. ſeſſum ite precor. quid? vt iudicetur qui tabularium incenderit. Virgilius Georgicōn lib.2.

Inſanúmque forum, aut populi tabularia uidit.

Vbi Seruius, Tabularium in æde Saturni, & ærario fuiſſe ſcribit: cum tamen Liuius lib.43. ita ſcribat: Cenſores ex templo in atrium Libertatis aſcenderunt, & ibi ſignatis tabulis publicis, clauſóque tabulario, & dimiſſis ſeruis publicis, negarunt ſe, &c. Sumitur autem Tabularium.l.92.D.de leg.3. pro loco in quo priuata cuiuſque patrisfam. inſtrumenta, emptiones, ſeu nomina debitorum ſeruantur. In fundo autem vno (inquit Paulus) ex his qui prælegati ſunt, tabularium eſt, in quo ſunt & complurium mancipiorum emptiones, ſed & fundorum, & variorum contractuum inſtrumenta, præterea & nomina debitorum.

Tacere, eſt medium inter conſentire & reprobare. Card. in Clementi. Sæpe. §. ſi tamen. de verb. ſignific. Tacens, an & quando videatur conſentire, declarat Bart.l.in adoptionibus.D.de adopt.

Tacita fides eſt, cùm quis non palàm rogatus in fraudem legis promittit, ſe id quod ſibi relinquitur reſtituturum perſonæ, quæ legibus ex teſtamento capere prohibetur: ſiue chirographum eo nomine dederit, ſiue nuda pollicitatione repromiſerit. l. in fraudem. 10. D. de iis quibus vt indig.l.j.& l.3.& l.40.D. de iur. fiſc. Tacitè igitur relictum videtur, cùm neque teſtamento, neque codicillis palàm datum eſt, ſed chirographo cauit is, cuius fides eligitur, quod ad ſe ex bonis defuncti peruenerit, id ei qui alioquin capiendi ius non habeat, reſtituturum.d.l.j.l.3.in princip.& l.40.§.j.l.42.D. de iur.fiſc.l.12.in fi.D.de fideicomm.libertat.l. 21.D.de inoffic.teſtam.l.83.D.de acquir.hæred. Quò bellè alludit Syneſius Epiſt.j. quæ quatenus ex hac metaphora tacitorum fideicommiſſorum pendet, vulgò obſcura habetur. Agit autem in ea de liberis ſuis Rhetoricis, quos pro vulgò quæſitis liberis habet. Et tamen perinde atque iuſtos & legitimos eos complecti ſcribit, vt pro iuſtorum loco eos ac lubens ſit habiturus, niſi leges, quæ acres ſunt ingenuitatis patronæ, repugnarēt. Itaque id eos demū ex bonis ſuis laturos ſcribit quod clàm & tacitè in eos ſit collaturus. Verba eius quibus hanc poſtremam orationem exprimit, hæc ſunt, ἔχει δὲ κέρδος ὅ, τι ἂν αὐτῷ λάθρα χαρίσωμαι.

Tacita fideicommiſſa, quæ quis ei cui capere non licet, tacite rogatus eſt reſtituere.l.18.in princ.& §.j.l.vlt.D. de his, quæ vt indign.l.13.D.ad leg.Falcid.l.3. C. ad leg. Falcid.l.17.§.in tanto.D.de vſur.l.3.D. de probationib. l.j.de delatorib.lib.10.C. Quintilia.lib.9.c.2. Ream tuebar quæ ſubieciſſe marito teſtamentum dicebatur, & chirographum marito expirante hæredibus dediſſe: & verum erat. Nam quia per leges inſtitui vxor non poterat hæres, id fuerat actum, vt ad eam bona per hoc tacitum fideicommiſſum peruenirent. Scripſerat & Paul. librum ſingularem de tacitis fideicommiſſis. Porrò non eò minus tacitum fideicommiſſum eſt, quod palàm teſtator reliquerit, ſi perſonam cui reſtitui vellet, non ſignificauerit.l.123.§.vlt.D. de legat. lib. j. Cuius rei exemplum eſt in Quintilia. Declamation. cccxxv. in qua diues fingitur deceſſiſſe hærede inſtituto bonorū paupere, cum elogio tali, Peto vt hanc hæreditatem tanqvam fideicommissam. Ex quibus verbis tacita fides ſuſcepta arguitur. Difficile, ait, eſt quidem natura probare tacitum fideicommiſſum. Quomodo tamē probamus? Elogium ſcriptum eſt palàm, certè & manifeſtè electus hic eſt ad tranſitum hæreditatis: ſilentium & fides eſt, inquam, de reſtituenda hæreditate, &c.

per Tacitam fidem tranſlata prædia in l.15. §. pen. D. ad municipal. quæ in fraudē munerum ciuilium in alium nomine tenus tranſlata ſunt: ita vt re ipſa maneant in prioris poſſeſſoris dominio.

Tacita Senatuſconſulta quæ olim appellarentur explicat Capitolinus in libro de Rebus geſtis Gordianor.& vide S.C.Tacitum.

Tacita pecunia.l.emptor.D.de pactis. ea eſt quæ non continetur publica ſcriptura menſæ, vel alio publico teſtimonio: quo modo ſiqua ineſſe credito turpitudo videatur, dari pecuniæ ſolent. Sic in veteri quodam teſtamento Sempronij Tucidani militis: Aurelius Tucidanus tacitam pecuniam ſi via Lat.Off.meis re.monumētum ſuo ſumptu ædificauerit, habeto. Et apud Gellium lib.& c.12. A P. Sylla qui tum reus erat mutua h-s x x. tacita accepit. ſic enim veteres habent libri, non tacitè, vt teſtatur Cuiac. in d.l.emptor.

Tacita Ivdicia erant cum ſenatus decernebat vt in candidatos ob eorum contentionem diſciplinæ & inſtitutis patriis legúmque iuſſis repugnantem, populíque tribus & centurias corrumpentem, iudicium tacitum fieret, quo vel antè damnarentur ambitus, vel eorum comitiis ratio non haberetur, quòd more maiorū petiſſe non viderentur. De hoc genere iudicij ſic ad Atticum Cicero loquitur: Senatus decreuit, vt tacitum iudicium ante comitia fieret, ab iis conſiliis quæ erant omnibus ſortita in ſingulos candidatos: magnus timor candidatorum. Hinc & illud eiuſdem tertio Offic. Quamuis enim demerſæ ſint leges alicuius opibus, quamuis tremefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquan

aliquando aut iudiciis tacitis, aut occultis de honore ſuffragiis.

Tacitum & expreſſum, ſi vtriuſque par ſit potentia, æquiparantur, ſecundum Bald. in l. de quibus. D. de leg.

TACITE plurifariam aliqua inſunt. Aut directò, id eſt, immediatè. Aut ex obliquo, id eſt propter aliud. Quæ inſunt tacitè directò, inſunt aut per modum conditionis, aut purè: & tunc aut ex legis diſpoſitione, aut ex rerum natura, aut ex conſuetudine, aut neceſſitate, aut ex dependentia, quia tacitè dependent ab expreſſo. Quando verò tacitum non venit ſimpliciter, ſed ex adiuncto, ex obliquo, ex vi relatoria, tunc taciti & expreſſi non eſt eadem operatio: quia quæ expreſſè fieri non poſſunt, ex adiuncto, ex relatione, ex obliquo tacitè recipiuntur. Exempla proponit Zaſius in l. cùm quid. D. ſi cert. pet.

TACITVRNITAS. l. 2. §. pen. D. ad municip. l. honores. §. vlt. de decur. pro voluntate accipitur atque cõſenſu.

TACHYDROMI, ταχυδρόμοι, à Baſilicôn interpretibus ad l. 8. C. de curſu public. appellantur equi publici curſuales, veredi.

Τάγμα in l. j. D. de mili. teſt. mille hominum multitudinem interpretatur Vlpianus.

TAGAX apud Ciceronem libr. 6. Epiſtol. ad Atticum. Quæſtorem nemo dignum putat. Etenim eſt leuis, libidinoſus, tagax. vulgo male ſagax, aut rapax. Ducitur autem hoc verbum à tangendo, vt ait Feſtus lib. 18. & furunculum ſignificat.

TALE, ſui natura comprehendit genus, non ſpeciem, vt colligi poteſt. C. de verb. ſignifi. l. j. in princ. ibi, Talem habere. & verſ. j. ibi, Nulla ſpeciali. Aliud autem eſſe talem, aliud haberi pro tali. l. mercis. & ibi Interpres de verb. ſignific. Bart. in l. ſi maritus. 2. §. Legis Iuliæ. D. de adult.

TALEA pro exactione poſita fuit, quo tempore Latini ſermonis puritas deliteſcebat: quo verbo vſus eſt Speculator tit. de cleric. coniuga. per totum, eoque vtũtur Pontifices, eorúmque interpretes, vt ſæpiſſimè in eorum libris reperias.

TALIO in XII. Tab. tale eſt: vt duplio, duplum. Feſto lib. 18. parem vindictam ſignificat. Verba legis hæc ſunt apud eundem, SI MEMBRVM RVPERIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO. quam legem explicuit Sex. Cæcilius apud Gellium lib. 20. c. j. Sic Iſidorus lib. 5. c. 27. Talio eſt ſimilitudo vindictæ, vt taliter patiatur quis vt fecit. Ariſtoteles de morib. libr. videtur ἀντιπεπονθὸς vocare: & ſimilitudinem ſupplicij. l. vlt. C. de accuſ. reciprocam pœnam. l. 3. C. Th. de exhib. reis. l. hi quos. C. Th. de accuſ. Ius talionis ante Decemuiros induxerat æternus, ſummúſque nomotheta DEVS lata lege EXODI. c. 21. de verbis, δώσει ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς, ὀφθαλμὸν ἀντ' ὀφθαλμοῦ, χεῖρα ἀντὶ χειρὸς, πόδα ἀντὶ ποδὸς, &c. Sed talionem antiquauit & ſuſtulit idem legiſlator, ſapientia illa diuina apud Euangeliographum Matthæum. c. 5. qui malo reſiſtendum vetuit. Talionis verbum ad beneficiorum relationem & redditionem referri poſſe idem Iſidorus ſcribit. Legis XII. Tabul. de talione loquentis meminit Iuſtinianus. §. pœna. Inſtitut. de iniuriis.

TAM ait Feſtus lib. 18. ſignificationem habet præpoſitiuam quandam, cui ſubiungimus quàm, pro ſic; ita aliquando ex contrariò ſubiungimus, quam; vt tam bonus Homerus, quàm Cheryllus malus poëta eſt. Priore ſignificato pro ita, vel ſic, apud Vlpianum. l. non ſolum. D. de iniuriis. Tam etiam pro tamen accipitur apud Veteres, vt & apud Iuriſcoſſ. in Pandect. Flor.

TAM IVRE LEGEQVE. Vetus locutio, qua lege actum aliquid fuiſſe ſignificabant, quam rogari ius fuiſſet. Procul. l. ſi qui. 44. D. de adopt. Sed ſi ſic adoptauit, vt tam iure legéque nepos ſuus eſſet, quàm ſi ex Lucio puta filio ſuo natus eſſet. Alludit autem ad arrogationis formulam, quam Gellius libr. 5. c. 19. exponit, Velitis iubeatis, vti L. Valerius L. Titio tam iure legéque filius fiet, quàm ſi ex eo patre matréque familiàs eius natus eſſet. Hinc Ciceronis locus in Oratione pro domo emendandus eſt Fueris ſanè Trib. pl. tam iure, quàm lege, quàm fuit hic ipſe Rullus. Legendum enim apparet, TAM iure ac lege, vel TAM iure legéque. Hotom.

TAMDIV pro donec. c. ex literis. de offic. de legat.

Tamdiu Reipubl. cauſſa abeſſe quis videbitur, quàmdiu officio alicui præeſt: quòd ſi finitũ fuerit officium, iam deſinit abeſſe Reipublicæ cauſſa. Vlpian. l. ſi cui. D. ex quibus cauſ. maior.

Ταμεῖον, cellarium, Nouell. Marcian. de indi. relig. Hinc:

TAMIACA prædia, rub. C. de præd. tamiac. poſſeſſiones erant in Cappadocia & domus propriæ patrimonij principis, & in eis coloni æque & iniquilini & ſerui & equitia eiuſdem iuris conditionis, nominis, homines puta tamiaci, poſſeſſionéſque tamiacæ, qui quæve omnes erant ſub iuriſdictione Comitis domorum. l. vlt. C. vbi fiſc. cauſ. Nou. 20. quod mutatur Nou. 30. & transfunditur in Proconſulem Cappadociæ. Hæ autem poſſeſſiones dicuntur Tamiacæ, quod harum reditus deputati eſſent cubiculo & cellario ſacro, quod proprie, vt diximus, ταμεῖον eſt. Hæc Cuiac. Nou. 30. Alciatus arbitratur fundos Tamiacos, eſſe qui diſpenſatori publico præſtabant annuos fructus vectigales, quibus ille poſtea in domo imperatoria diſpenſabat alimenta. Nam ταμίας diſpenſatorem ſignificat.

TAMEN, vide de hac dictione Bart. l. vnic. D. ſi quis ius dicent. non obtemp.

TAMEN ETSI, pro quamuis. l. interdum. D. quod falſ. tut. auct. vt apud Ciceronem in Epiſt. ad Plautium.

TANGERE quid, deſcribere, intentionem facere, & circunuenire. Cicero, Conſilia, ait, eius omnia tetigi.

TANQVAM ſimilitudinis potius, quàm veritatis nota. c. dudum. j. de elect. extra. quandoque veritatem ſignificat. §. ſacra. in procemio Decreta. c. cum pro cauſſa. de ſent. excom. vide Bernar. c. ſolitæ. de maio. & obed.

TANTI, id eſt, tam multi. l. 65. D. de leg. j. Quòd ſi minus ſunt, in tantos quanti inueniantur: id eſt in tot quot inueniantur. Iuſtin. l. 23. C. de legat. Niſi ſpecialiter expreſſerit, & dixerit teſtator, tãtas quidem partes velle vnum, tantas autem alterum habere.

TANTVM quandoque adiectiuè ponitur, quandoque ſubſtantiuè. Aliquando excludit. Quandoque includit. l. cùm teſtamẽto. D. de verb. ſignific. Interdum reſtringit, & limitat. l. properandum. §. j. C. de iudic. plerunque temporis qualitatem ſignificat. l. fi. C. de edict. diui Had. toll. Aliquando ſimilis cauſſæ excluſiua eſt. l. ob æs. C. de præd. mino. Aliquando excludit quoſdam caſus, ſed non omnes. l. licet. D. vſufr. lega. quandoque ſubauditur. l. cùm ſponſus. D. de publica. l. non enim. D. ad S. C. Trebel. quod & A. Augu. lib. 2. Emend. c. j. indicat. Quandoque ponitur pro adeò. l. fi. C. de epiſc. & cler. Plerunque negationis incluſiua vox eſt. c. cùm eccleſia Sutrina. de cauſ. poſ. & prop. l. ſolemus. D. de iudiciis.

Τὰ πρῶτα, Prima Pandectarum pars nuncupatur, hoc eſt, primaria, quia nihil eſt anterius. l. 2. D. de vet. iu. enucl. Continet enim principia Iuris, quod à iuſtitia homini diuinitus inſita virtute, deſcendit: oſtendens omnium magiſtratuum & prudentium circa tractandas leges officia, vtíque his rectè imperantibus obtemperetur.

TARDA nomina Romani vocabant, eos, qui in mora erant, Budæus in Comment. ling. Græcæ.

TAXARE, pro prætio æſtimare, apud Plinium. Hinc Taxatio dicitur, Feſto teſte, quæ fit certæ ſummæ, quam iudex etiam poſt principale negotium definitum, fa-

cere poteſt.l.terminato.C.de fruct.&lit.expenſ.

TAXATIO ſumitur,vti Iuſtinianus auctor eſt in Nouel. 63.& Nouel.82.ἀντὶ τῆς ῥητῆς ποσότητος ὁριζομένης παρὰ τοῦ δικάζοντος:id eſt pro ſumma quadam (pecuniæ) ab eo qui iudicio præeſt,definita.id quod plerunque fit iuriſiurandi in litem refrenandi cauſſa.l.videamus.§.pen. D.de in lit.iur.l.3.§.præterea.D.ad exhib.l.arbitrio.§.j. D.de dolo.l.qui reſtituere.D.de rei vind. Vel, auctore Sex.Pompeio,Cum arbitro præſcribitur vſque ad quā ſummam ius ei ſtatuendi ſit. Taxationes etiam dicuntur in teſtamentis & contractibus,præſcriptiones quædā verborum, quibus oratio aut coërcetur,aut dilatatur.nam plerunque taxationes efficiunt, vt minus quam dictum ſit debeatur:vt ecce ſiquis vendat pondo olei quod natum erit,ſunt hæc verba, Quod natū erit,loco taxationis:&ideo x.pondo emptori,niſi nata ſint,non debebuntur:& ſi quinque dumtaxat nata ſint,hæc ſola debebuntur.l. ſi debitor.§.veriſimile.D. de contrahend.empt.cui, vt & inſcriptionum ſimilitudo ſuadet,optime.l.cum certus.D.de trit.vi.& ol.legat.coniungetur.Nonnunquam vt plus debeatur quā dictum fuerit:quemadmodum ſiquis vendat XVIII. iugera fundi,& quod eius admenſum eſſet, ad ſingula pretium cōſtituat:ſunt hæc verba, Quod eius admenſum eſſet,loco taxationis:&ideo xx.inuentis. pro xx. pretium debebitur.l.qui fundum. §.qui agrum. D. de contrah.empt.Sic alibi traditur,hæc verba, Quicquid ad te peruenit, haberi loco taxationis, & nihil ex eo quod peruenit prorſus deduci, diſſimiliter atque ſi vir vxori dotem relegaſſet.l.Mæuio.§.vlt.D. de lega.lib.2. Illud etiam quod veteres in vino diis offerendo ſoliti erant dicere,Macte vino inferio eſto, taxationis vim habuit:atque ita cenſuiſſe Trebatiū ſcribit Arnobius lib.7.aduerſ.gentes,Inferio,inquit Trebatius,verbum ea cauſſa eſt additum,eáque ratione profertur, ne vinum omne omnino quod in cellis atque apothecis eſt conditum,ex quibus illud quod effunditur ſumptum eſt,eſſe ſacrum incipiat,& ex vſibus eripiatur humanis.Addito igitur hoc verbo,ſolum erit, quod inferetur,ſacrum.Cuiacius Obſeru.lib.2.c.12.

TECTA ſarta,vide SARTA tecta.

TECTORES ſunt dealbatores,qui κονιᾶται Græcis dicuntur, id eſt qui opere tectorio parietes inducunt: alias albini,ſeu albarij dicti:ſicque vſurpatur hoc verbum. l.5.§.ſed interdum.C.commoda.& l.27.in fi.D.ad leg. Aquil,vbi tamen pro tectori, Budæus legendum cenſuit vietori,contra Baſilicῶν expoſitionem,quæ κονιατῇ habet.Sic etiam vſurpatur hoc verbum.l.j. C. de excuſatio.artific.lib.10.Horum opificium ita Tertullia. in lib.de Idololatr. explicat.Scit albarius tectoria inducere, & ciſternam liniare, & cymatia diſtendere, & multa alia ornamenta. Præter ſimulachra parietibus incriſpare. Hinc:

TECTORIVM, τοῖχος κεκονιαμένος, κονίαμα,erat incruſtatio quædam & quaſi integumentum parietis aut columnarum:ea cruſta aut calce pura fiebat, aut gypſo, aut calce & arena,aut calce & marmore. De tectoriis Vitruuius lib.7.c.2.& 3.Vlpianus.l.3.§. 4. D.de in rem verſ.Sed ſi mutua pecunia accepta, domum dominicam exornauit tectoriis,&c.& paulo pòſt, Pati debet dominus creditorem hæc auferre:de tectoriis loquēs. Celſus.l.38.D.de rei vindic. Neque malitiis indulgendum eſt,ſi tectorium puta quod induxeris,picturáſque corradere velis,nihil laturus niſi vt officias. Loquitur de illinimento, quod auferri non poteſt. Neratius.l. 44.D.de vſuf.Vſufructuarius nouum tectorium parietibus qui rudes fuiſſent,imponere non poteſt. Sic vulgaria tectoria in l.13.in fi.D.de ſeruit.vrb. quæ Seneca gregalia vocare videtur lib.13.Epiſt.vbi balnea gregali tectorio inducta dicit.

TEGVLÆ à tegendo,quæ adfixæ ædificij pars cenſentur. l.nam & ſi ramos.D.quod vi,aut clàm.l.granaria. §.tegulæ.D.de actio.empt.

TELONARII, in l.3.de indulgent.debit.in C.Theod. Moſchopul.in libro περὶ σχεδῶν, τελώνης, ait, ὁ τὰ τέλη ὠνούμενος. οἷοί εἰσιν οἱ τὰ τῆς θαλάττης, καὶ τὰ τοῦ ἀντιπάλου διωρυγοῦντες νῦν.Canonem telonei apud Caſſiodo.libr. 5.epiſt.ad Ampel.legimus,Gotthorúmque regibus pēſitatum fuiſſe inde intelligimus.Et planè telonea inter regalia ponuntur in conſtitutione Friderici Imperatoris,quæ ad finem lib.2.de feudis tit.56.poſita eſt. Ad quam pertinet quod Radeuicus libr.4. de geſtis illius Imperatoris.c.5.ita ſcribit,Tam epiſcopi quàm primates,vno ore,vno adſenſu in manum principis regalia reddere,primíque reſignantium Mediolanenſes extitere.requirentíque de hoc ipſo iure quid eſſet,adiudicauerunt ducatus, marchias, comitatus, conſulatus, monetas,telonea,fodrum,vectigalia, portus, pedatica,molendina,piſcarias,portus, omnémque vtilitatē ex decurſu fluminum prouenientem.

TELVM, inquit Caius,vulgò quidem id appellatur,quod ab arcu mittitur:ſed nūc omne ſignificatur, quod mittitur manu.Ita ſequitur,vt & lapis & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur.dictúmque ab eo,quòd in longinquum mittitur,Græca voce figuratum,ἀπὸ τοῦ τηλοῦ.& hanc ſignificationem inuenire poſſumus,& in Græco nomine. nam quod nos Telum appellamus, illi βέλος appellant.eóque nomine vulgò quidem id ſignificatur, quod ab arcu mittitur: ſed non minus omne ſignificatur, quod cum mittitur manu, ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι.Admonet nos Xenophon:nam ita ſcribit, καὶ τὰ βέλη ὁμόσε ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖσται δὲ καὶ λίθοι.& id quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine τόξευμα vocatur: apud nos autem communi nomine telum appellatur.l.233.D.de verb.ſignific.Et ita hoc verbum ſumitur in l.j. §. occiſorum.D.de ſenatuſc.Silania.& in leg.Cornelia de ſicariis,ſic verbum hoc accipiēdum eſt.§.item lex Cornelia.Inſtitut.de public.iud.Feſtus verò lib.j. Tela ab armis proprietate ſignificationis hoc diſtare ſcribit, quòd tela ſint ea,quibus procul prœliamur: Arma verò ab humeris dependentia.

TEMERE litigare,controuerſiámque mouere dicuntur, qui per calumniam quid petunt, aut ſine iuſta cauſſa experiuntur.l.29.§.j.D.de liber.cau.l.79.D.de iudic.Inſtit.de pœna tem.litig.Non temere, pro, non paſſim, facilè,in l.7.§.ſed & ſi quis.D.de iniur.Sic apud Suet.in Domitia.c.19.

TEMERITAS eſt cum quid facimus propria voluntate,& citra ſuperioris auctoritatem,Geminia.in c.eum, qui.§.inſuper.de præbend. & quando ſit actus prohibitus,vt idem ibidem ſcribit.& vide Bart.in l.j.D.ad Turpillia.

Temeritas accuſatorum,tribus modis detegitur,& tribus pœnis ſubiicitur.Aut enim calumniantur,aut præuaricantur,aut tergiuerſantur.Calumniari eſt falſa crimina intēdere.Præuaricari verò,eſt vera crimina abſcōdere.Tergiuerſari in vniuerſum ab accuſatione deſiſtere.Martian.auctor in princ.l.j.ad S C.Turpil.

TEMERARIVS quis dicatur, vide extra de ſententia excommu. Temerarius litigator intelligitur,qui neque intentionem ſuam probat, neque allegationum cauſſam habet.Notus eſt titulus apud Imp.4. Inſtit.de pœna temerè,id eſt,abſque cauſſa litigantium.

TEMERARII, violatores.c.fi.§.fi.de pœn.lib.6.

Temerator,falſarius.l.ſi quis obrepſerit.D.de falſ.

TEMONES inter præſtationes ſordidas & munera referuntur in l.maximarum.C. de excuſ. mun. & l.4.C.de dignit.l.4.C.de proxim.ſacr.ſcrin.lib.12.vnde.

TEMONARII, qui ea munera exigebant, id eſt aurum tyroni

tyronicum,tyrones,equos.l.1.C. de priuileg. eor. qui in ſac.palat.in qua tamen vulgo malè turmariorum legitur,aut,vt alij emendāt, telonariorum. quod vitium ſatis perſpicuè ex eo deprehenditur, quod eo in loco Capitularios eos vocari Impp.aiunt,& ex Symmacho lib.2.Epiſt.vbi Capitularios taxationem tyronis poſtulaſſe legimus.Hos protoſtaſiæ,ſiue prototypæ onere fungi indicat.l.2.C. Th.de deſert.Si temonarius,inquit,prodiderit deſertorem, protoſtaſiæ onere biennio releuetur.

TEMONARIVM, id eſt vt ait Syneſius in epiſt. *ἀπαίτησις τοῦ στρατιωτικοῦ χρυσίου τοῦ καλουμένου τυρωνικοῦ*. Imp.Valētinianus & Valens in l.7.C.Th.de tyron.Si aurum, inquiunt,fuerit pro tyronibus inferendum vnumquemque pro modo capitationis ſuæ debitum redhibere oportet.& ne aliquod dubium relinquatur,ſolidorum numerum, qui temonario inferendus eſt, deſignamus. Hinc:

TEMONARIA functio.l.14.C.Theo.de extraord. muner.ex qua & probari poteſt capitulariam functionē eandem eſſe.Sic Temonaria onera.l.j.C.de palat.ſacr. larg.lib.12.& l.4.de dignitatib.lib.eod.C.id eſt præſtatio tyronum,equorum,auri tyronici.

TEMPERARE, datiuis iunctum, abſtinere ſignificat. Vlpia.in l.j.§.quod autem.de officio. præfec. vrb.Præterea curare debebit præfectus vrbi, vt nummularij probè ſe gerant circa omne negotium, & temperent his,quæ ſunt prohibita.Rem verò ſuo ordine ac menſura adminiſtrare,potiſſimùm cùm accuſatiuo iungitur,denotat,vt apud Impp.l.j.de præpoſ. ſacr. ſcri. C. lib.12.Vt inter eos,aiunt,merito dignitatis habeantur, qui pro præfectis diœceſes ſibi creditas temperarunt. Sic temperatio Reipublicæ,id eſt, moderatio, apud Ciceronem in Legibus.

Temperare vectigalia,minuere Plinio.

TEMPESTATIS appellatione continentur niues immoderatæ,quæ frumenta corrumpunt.l.fiſtulas.§.fi.de contrahend.empt.eſtque cœleſtis iniuria,ſiue terram, ſiue mare cōturbet.l.2.§.quod diximus.D. ſi quis caut. & l.2.ad leg.Rhod.de iactu.Vnde, calamitoſa tempeſtas apud Iuriſconſ.in l.ex conducto.§.ſi vis tempeſtatis.D.loca. Apud Ciceronem tamen pro die videtur ſumi hoc verſu,

Tertia te Phthiæ tempeſtas læta locabit.

cum verſus Homericus quem expreſſit ſic habeat: *ἤματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἵκοιο.*

TEMPLVM, amplum tectum Iſidoro, vide Alcia.l.malum.de verb.ſig. Templum iuſtitiæ.l.j.§.cum hac.C. de ve.iu.enucl.

TEMPLARII, ſunt præceptores, vel commendatarij & perſonæ religioſæ.c.cum ex eo.de ſentent. excommu. Io.And.Rub.de regul.Templarij, ordo quidam militū iure,vt ait Volaterranus.libr. 21. *ἀνθρωπολογ*. deſtructus. quod Albericus in Lexico negat.

TEMPTAT, pro tentat dicere,& adfirmare nititur, in l. 160.D.de verb.ſignifi.l.3.D.quib.mod.vſusfruct. amitt. l.11.§. quod ait prætor. D. quod vi aut clàm. l.2.§.& Africanus.D.ad Tertyllia.l.10.D.de adq.poſſ. in Pand. Florent.Vide Tentare.

TEMPVS, eſt ex cæli ſoliſque vertigine deductum ſpacium, quo rerum omnium agitationem viciſſitudinémque metimur.Quò reſpiciens CHRISTVS ipſe, mutationem rerum nobis ob oculos poſuit,cum diceret:Vnius diei,ſcilicet breuiuſculi tēporis, duodecim horas eſſe, quæ hominem ſæpe in aliam ſententiam pertrahunt.Nulla eſt qualitas, quæ in rebus humanis maiorem vim habeat,quàm temporis viciſſitudo. Tēpus enim dat roſas,& mutat omnia:cuius qui rationē non habet,is planè nihil poteſt in Iure ſecūdum æquitatem diffinire.

Temporis habere rationem,in omnibus rebus bene feliciterque conſtituendis,plurimùm referre,natura ſatis manifeſtum eſt.Attamen plerique,cum id non credant, coguntur experiri,atque, ſtultorum magiſtro, exitu tandem belliſſimè docentur. Nemo enim commodum voti ſui ſucceſſum ſperabit,qui tempeſtiuitatem aut ignorat,aut contemnit. Quis non videt agriculturam,ſationes,meſſes,vindemias,inſitiones, propagationes in tempore vtiliter exerceri:at cōtrà, neglecta opportunitate,omnia iſta aut calore:aut congelatione prorſus interire? Quotum exiſtimabis ſine periculo nauigaturum,nullo temporis diſcrimine obſeruato?An non palàm cōſtat,vſum optimarum herbarum,adde etiam quotidiani cibi,prorſus nihil prodeſſe nobis,aut etiam nocere, niſi in tempore ſumamus?Quis item principes feliciter adiuerit extra tempeſtiuitatem? Sicut Horatius, mittens olim Auguſto Cæſari librum, diligenter monebat portitorem, vt tempeſtiuiter adiret,ac molliſſima fandi tempora obſeruaret.Quò ferè pertinet,quod Imperatores in l.ciuitas.C.de offi.recto.prouinc.Ciuitas (inquiunt) Rhodiorum iniuriam ſuam non tam decenter, quam ſerò conqueſta eſt. In ſumma, omnis humana actio ſuam expoſcit tempeſtiuam occaſionem: quam niſi mordicus retineamus,res ipſa vnumquēque docebit, quàm verum ſit,quod dici ſolet:Noſce tempus; Poſt feſtum venire,miſerrimum eſt.Alioqui videbimus, quàm ſæpe nobis ex lucro damnum, ex voluptate moleſtiam, ex amicitia ſimultatē adferet neglecta tempeſtiuitas; vt mihi inſanire videantur,qui nihil referre putant in rebus publicis ac priuatis,quid quoquo tempore fiat.

Temporum diſciplina,pro bonis moribus, & eorum obſeruatione,accipienda eſt.C.de pact.l.vlt.in fi.

Tempus continuum dicitur, quod continuò currit, & in quo ſubducuntur tam dies feſti, quàm operarij: tam dies abſentiæ,quàm præſentiæ.Tēpus verò vtile,quod vtiliter præterfluit,in quo dies feſti non ſubducuntur: & in quo actor,vel per ſe, vel per procuratorem agere poteſt.In quo item habetur reſpectus, an quis iudicis copiam habere quiuerit.Vide Hegend.in tit. C.de de temp.in int.reſtit.

Tempus æſtimationis dupliciter conſideratur. Nempe, tempus à quo,& tempus ad quod. Tēpus à quo,id eſt, quando incipiat ratio haberi æſtimationis,à quo tempore.Sed tempus ad quod,id eſt,quando finiatur conſideratio æſtimationis, vſque ad quod tempus duret æſtimatio.Et ſic tempus à quo,reſpicit initium, ſed tēpus ad quod,finem.Zaſ.in l.vinum.D.ſi cert.pet.

Tempus modicum,quandoque trium, aut quinque dierū eſt,l.& ſi poſt tres.D.ſi quis cautio.cum ſimilibus.Quādoque accipitur de decem diebus, vt in l.promiſſor Stichi.de conſtituta pec.quod & Euſtathius in libr.de varia obſeruat.tempo.adnotat *περὶ ι.ἡμερῶν*. Interdum dies triginta ſignat. l. j. §. 2. de itiner. actúque priua. Interdum duorum menſium ſpacium.l.ſancimus.C.de fideiuſ.cum ſimilib.idque Euſtathius obſeruauit eod. lib. *περὶ ξ.ἡμερῶν*. Quandoque trium.l.de operis.C. de ædific.priuat.Eſt & aliquando quadrimeſtre.l. ſi debitori.D.de iudic.cum ſimilibus.Quandoque decē menſium.l.2.C.de nuptiis.Quandoque quinquennium.l.j. §.quod dictum.de ſeparat. Præterea, Iudicis arbitrio relinquitur diffiniendum.l.ab hoſtibus.§.fin.ex quibus cauſſis maior.

Tempus quod excedit hominum memoriam, ſpecies eſt vſucapiendi omnium efficaciſſima:poſt tantum enim ſeculum nullo probationis genere homini poſſibile eſt,aut defendere, aut impugnare fidem poſſidentis. Quomodo autem probari debeat, memoriam nō extare,nemo melius,quàm Paulus ipſe tradit,in l.penultima.de probatio. & in l.ſecunda.§.idem Labeo. de

aqua pluui.arcend.

Tempus triginta dierum,dicitur pleniſſimum, ad deliberandum ſuper quocunque negotio.per textum & gl.in Authen.de appellat.§.j.coll.4.vide Euſtathium vbi ſuprà.

Tempus motæ litis,id eſt,quo lis conteſtata eſt.c.ex parte.2.de verb.ſignific.

Tempore fit iniuria,ſi in ludis & in conſpectu Prætoris.l.Prætor edixit.D.de iniur.& famoſ.libel.

Tempore liberari dicuntur, qui temporali actione tenētur,cuius dies cedit.l.3.D.quæ in fraud.cred.l.vlt.in fin.D.rem rat.hab.l.j.§.item ſi periculum.D.de vent.in poſſ.mitt.l.5.§.quotieſcunque.D.de Carb.edict.l.45.D.de admin.tut.

Tempore perituræ res dicūtur,quarum actionis dies exiturus eſt.l.3.D.de feriis.l.12.D.de procurat.

Tempore eodem fieri intelliguntur quandoque,etiam ſi non ſimul,aut ſubitò,eodémve puncto, ſed ſucceſſiuè fiant.l.antiqui.D.Si pars hæredit.petat.l. Areſcuſa.de ſtatu hom.

Tempora media nō nocere,ſolemus dicere. Vtputa ciuis Romanus ſcriptus hæres,viuo teſtatore factus eſt peregrinus:mox ad ciuitatem Romanam peruenit: mediatēpora non nocent.l.ſi eiuſmodi.D.de hære. inſtit.

Temporales actiones dicuntur,quæ certo temporis ſpacio terminantur:& perpetuis opponuntur, Inſtit. ſub tit.De perpet.& temp.act.Imperatorū tamē conſtitutionibus in perſonam actiones annis triginta: in rem verò decem aut viginti annorum ſpacio circumſcriptæ ſunt.l.3.C.de præſcript.trig.ann.& ſub tit. De præſcript.dec.vel vig.Antiquitus autem omnes actiones,ſiue ex leg. XII. Tab. Plebiſcitis, Legibus, Senatuſconſultis,ſiue ex Principum Conſtitutionibus proficiſcerentur,perpetuæ erant,hoc eſt, in centeſimum vſque annum,& fortè vltrà,competebant,vlt gloſ.innuit in l.j.C.de præſcript.30.vel 40.anno. Sed quia ius vigilantibus ſcriptum eſſe Scæuola ſcribit.l. pupillus. in fi.D.quæ in fraud.cred.conſtituentibus diuis principibus factum eſt,vt actiones certos fines haberent,vltra quos non viuerent:& ſic perpetuitas illa vetus ad aliquot iuges annos vulgò eſt reſtricta, & coarctata, quæ ſupra hominis vitam olim extendebatur. Igitur omnes actiones, quæ antiquitus perpetuæ fuerant, nunc temporales ſunt,& ad certum tempus per Conſtitutiones coarctatæ.

Temporales exceptiones,atque dilatoriæ ſunt, quæ non ſemper locum habent, ſed euitari poſſunt: qualis eſt pacti conuenti temporalis.Gaius in l.exceptiones. D. de except.præſcript.& præiud.

Temporarius tutor datus ad certum tempus, & finitum.l.2.D.de tutor.& curator. dat.apud Albericum temporaneus eſt,ſed reclamante ſenſu.Eſt enim temporaneum,quod ad tempus pertinet, ſiue quod ſubito,& in tempore fit.

Temulentia, pro vinolentia.Imperatores in l.vnica.C.Siquis Imperator.maledix.Ac temulentia turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit. Temetum exiſtimat Interpres eſſe genus optimi vini,cū pro vino quocunque accipiatur.Dictum, quòd tentet, hoc eſt,labefactet mentem.

Tenax ſui iuris dicitur,qui tam arctè ius ſuum ſeruat,vt de eo demere,aut auferri ſibi ab aliquo ne tantillum quidem patiatur.Quod auarorum eſt dominorū proprium in ſuos colonos.

Tendit, pro ſpectat, vel vergit. c. ſtatutum. de reſcriptis in 6.

Tenere merum factum ſignificat, & ad poſſeſſionem corporalem refertur.Tenet enim qui corpore poſſeſſioni inſiſtit,licet non poſſideat.l.9.in fi.D. de rei vindic.Itaque tenere & poſſidere ſeparātur.l.18.D. de acceptilationib.Quinetiam in quos ius poſſidendi non cadit,quales ſunt ſerui,hi tenere rectè dicuntur.l.38.§. hæc quoque ſtipulatio.D.de verb.oblig.l.49.§.j D.de adquirend.poſſeſſio.l.4.§.item ſi eam rem. D. de vſucapion. Huius etiam verbi nouam ſignificationem ex obſeruationibus Pet.Fabri hanc refert Briſſonius, vt tenere idem interdum ſignificet,quod obtinere, & iudicio vincere.Paul.in l.vlt.D.de exceptio. rei iudic. Qui in rem egiſſet,nec tenuiſſet.Im.Anto.in l.j. C.ad l.Fabiam de plagiar.Si verò in cauſſa tenuerit, etiam legis Fabiæ crimen perſequi poterit Philippus.& in l.6.C.ad leg.Cornel.de falſ.ſecundùm ſcriptorum Codicum lectionem, Qui falſas tabulas dixerit, nec tenuerit,quod nonnullorum inſcitia immutatum eſt.Similiter in l.12.C.de inoffic. teſt. Eum, ait Gordianus, qui inofficioſi cauſſam delatam non tenuit, à falſi accuſatione non ſubmoueri placuit. Cicero in Oratio. pro Cæcinna:Et hoc loco dixiſti Scæuolam cauſſam apud Centumuiros non tenuiſſe.Sueto.in Domitian. c.9.Nec repeti niſi intra annum, eáque conditione permiſit,vt accuſatori qui cauſſam non teneret, exilium pœna eſſet. Vide Habere.

Teneri,pro obligari.Hinc teneri lege,aut interdicto quis dicitur,cum per legem,vel prætoris edictum, interdictúmve obſtrictus eſt ad aliquid faciendum, vel non faciendum.Sic teneri quem promiſſo, pro obligatum eſſe,accipiendum eſt. Teneri & de vulnerato.& de occiſo.Duo enim ſunt delicta,vt ait Gaius in fi. l.illud quæſitum.D.ad leg.Aquiliam.

Tenet pro occupat & tegit,in l. 7. §.inſula. D. de acq.rer. dom.Sed & terra teneri dicuntur,quæ terræ cohærēt.

Tenor rationis.l.16.D.de legib. Tenor inſtrumenti. l.8.D.de ſtatu hom. Tenor ætatis.l.28.§.penul.D.de lib.& poſthum. Tenor iuriſdictionis.l.8.C.quod met.cauſſ. Tenor actorum.l.23.C.de fid.inſtr. Tenor legis.l.pen.C.ad leg.Aquil.

Tenor, pro pactione contra communem feudi naturam ac rationem in contractu interpoſita, lib. Feud.2. tit.j.§.3.

Tentare, à Tendo deductum, eſt rem incertam aggredi,& diligenter inquirere: quaſi manum tendere, vel aliam corporis partem, & experiri.Cicero in Paradoxis:Tētare volui,poſſéntne ita dici, vt probarentur.Vlpianus in l.his conſequenter. §. ſed cum. D. famil.erciſcund.Tentat etiam, pro tentat dicere, & adfirmare nititur.Vide Temptat.

Tentari ius dicitur,cum non intellectum ac incertum aggredimur,hoc eſt,experimur, Auctor Tulius in Oratione pro C.Rabirio Poſthumo.

Tenues homines in l.illicitas. §.ne tenuis.D. de offic. præſ.dicuntur qui humili ſunt cōditione & pauperes. Sic Tenuiores Cicero in Tuſcul. dicit pro pauperiores.Vnde Tenuitas patrimonij in l.j.C. de per.tut.pro exiguitate bonorum. Eodē modo Tenuis intellectus, pro paruo & exiguo ponitur in l.fi.D.de diuort.

Tenuta verbum à doctoribus deriuatum pro ſimplici ſaiſina,quæ poſſeſſorem non facit, ſed in poſſeſſione eſſe.l.poſſideri.§.fi.D.de acquir. poſſeſſ. Huius meminere Bart.l.Fulcinius.§.ſi quis.2. D.quibus ex cauſ. in poſſeſ.ea.Alex.conſil. 47.vol.2.

Tepidarium, & balineum Paulus pro eodem poſuit in l.19.D.de ſeruit.vrb. Non poſſe, inquit, prohiberi vicinum,quo minus balineum habeat ſecundum parietem communem.ſed ſi talis ſit vſus tepidarij,vt adſiduum humorem habeat, ꝓpſſe prohiberi. Similiter Vitruuius lib.5.c.10.vbi de balnearum diſpoſitionibus loquitur,principiò Tepidarium pro ipſa balnei cella poſuit:mox pro vaſe aheno,in quo aqua calefit.

Ter enixa videtur etiam,quæ ter geminos peperit.l.terenixa.D.de verbor.ſignificatione. Ter enim factum intel

intelligitur,quod eodem momento fit.

TERGIVERSARI, inquit, Marcianus, eſt in vniuerſum ab accuſatione deſiſtere,in l.j.D.ad S.C.Turpil.

TERMINVS à terendo deducitur, vt vult Varro lib.4. Ling.Lat.ſed ineptè,cum τέρμα Græcè dicatur.Eſt autem ſignum,quod agrum ab agro diuidit,id eſt limites agrorum & fines poſſeſſionum.Vnde terminare,limites conſtituere, ſeu decernere. Modeſti.l.j.de termi. moto.Terminorum,ait, auulſorum non mulcta pecuniaria eſt, ſed pro conditione admittentium coercitione tranſigendum. Paulus in l.ſed & loci. D.fin. reg.Si dicantur,inquit,termini deiecti, vel exarati,iudex qui de crimine cognoſcit, etiam de finibus cognoſcere poteſt. Sic l.3.D.de acquir.poſſeſſ.l.12. D.fin. reg.Terminos ergo, finium cauſſa poſitos lapides arboréſve accipimus, l.j.2.& 3. D.de term.moto.

Terminus litis, pro fine inſtantiæ,vel ſententia definitiua,§.ſed hodie.Inſtit.de ſatiſd.Is autem eſt in criminalibus biennium, ſicut triennium in ciuilibus cauſſis,l.j. C.vt int.cert.temp.pet.Et ideo,vt ait Alciat.bis errant vulgares latrunculatores, qui ſi reum conuincere nequeunt,cum rebus ſic ſtantibus abſoluunt,vt quandocunque vel minima coniectura ducti, rurſus in carcerem trudant.Nam elapſo biennio, inquietari amplius non poteſt: & cùm accuſatori ſtatutus eſt terminus probationum recipiendarum cauſſa, ſi probatum non ſit,diffinitiuè reus eſt abſoluendus.

Terminus iuris, ad dandum Apoſtolos, vt vulgò dicunt, eſt tempus 30.dierum, intra quod iudex tenetur dare Apoſtolos, hoc eſt, literas dimiſſorias. Vide Marcellum, iſtorum verborũ ſignificationem eleganter tractantem,in l.j.D.de libel.dimiſſ.

Terminus ſimpliciter datus intelligitur peremptorius,ca. j.de dolo & contu.lib.6.

Terminus peremptorius eſt quædam interlocutoria,vide Archid.c.j.de except.lib.6.

Termini appellatione quid veniat, docet Bartolus l.3. de ann.lega.

Terminus, pro numero præciſo, in l.j. D.de decre. ab ord.faciend.

TERMINALES lapides, apud Ammianum Marcel.lib. 18.qui terminos conſtituunt: hi etiam finales dicuntur in lib. variorum auctorum de limitib. Terminales arbores apud Paul.lib.5.ſent.tit.22. De quibus vide Siculum Flaccũ, & Hyge.& alios auctores de limitibus agro. Terminalis ſententia,id eſt definitiua,l.vlt.C. de iur.dot.

TERMINATA, Paul.in l.vt ſunt. D.de verbor.ſignif.Vt ſunt,inquit,iudicio terminata, tranſactione compoſita,longioris temporis ſilentio finita.

TERRA integra,apud Gaium in l.ſylua cædua, de verb. ſignif.intelligenda eſt,in quam nondum dominus paſcendi gratia pecus immiſit.

TERRENA via,ſabuloſæ opponitur.Vlp.l.j.de via pub. §.ſi quis.Neque humiliorem, inquit, viam ſub nomine refectionis,is qui interdicit,poteſt facere, vel in viam terrenam,glaream iniicere, aut ſternere viam lapide, quæ terrena ſit:vel ecõtrariò, de ſtrata terrenã facere.

TERRITORIVM, inquit Pompo.eſt vniuerſitas agrorum intra fines cuiuſque ciuitatis: quod ab eo dictum quidam aiunt, quòd magiſtratus eius loci intra eos fines terrendi,id eſt ſummouendi ius habet,l.239.§.8.D. de verb.ſignif. Varro autem etymologiam Territorij hanc conſtituit: Terra dicta ab eo (vt Ælius ſcribit) quod teritur. Itaque Tera in Augurum libris ſcripta cum R, vno. Ab eo colonis locus communis, qui prope oppidum relinquitur, Territorium, quod maxime teritur. At Siculus Flaccus aliunde huius appellationis originem deducit. Sic enim in libr.de Condi. agror. ſcribit: Ab his populis, qui ſedes in aliqua regione conſtituerant, eorúmque agros occupauerunt, præmenſum quod vniuerſis ſuffecturum videbatur ſolũ, territis fugatíſque inde ciuibus, Territoria dixere. Et aliàs, Bellis enim geſtis victores populi terras omnes, ex quibus victores eiecerunt, publicè atque vniuerſaliter territorium dixere, intra quos fines ius dicendi eſſet:vbi mauult Briſſ.iuris dicundi ius eſſet.Huic conſentit Frontin. in libro de Agror.qualit. his verbis, Quicquid enim ad coloniæ municipiíve priuilegium pertinet, territorij iuris appellant. Sed ſi rationem appellationis huius tractemus, territorium eſt quicquid hoſtis terrendi cauſſa conſtitutum eſt. At Iſidor.in alia penitus ſententia eſt. Territorium enim vocatum ait,quaſi Tauritorium, id eſt, tritum bobus & aratro, ab eo quòd antiqui ſulco ducto & poſſeſſionũ & territoriorum limites deſignabant.Seruius in illud Virgilij lib.5.Æneid.

Vrbem deſignat aratro:

Quem Cato,inquit,in originalibus dicit morem fuiſſe. Condituri enim ciuitates, taurum in dextra, vaccam intrinſecus iungebant: & cincti ritu Sabino, id eſt,togæ parte caput velati, parte ſuccincti, tenebant ſtiuam in curuam, vt glebæ omnes intrinſecus caderent: & ita ſulco ducto loca murorum deſignabant, aratrum ſuſpendentes circa loca portarum. Vnde ei territorium dictum eſt, quaſi terribouium, tritum bobus & aratro.

Territorium opidorum,& ciuitatum, l.3.§.non perpetuæ. D.de ſepul.viola.l.41.§.ſi quis ad opus. D.de legat.1. Territorium iudicis, l.fin.D.de iuriſdict.

TERROR armorum dicitur, & ſolo armatorum aduentu, licet armis vſi non ſint, l.3. §.qui armati. D.de vi & vi arma.

TERTIOCERIVS, eadem forma qua primicerius & ſecundocerius dicitur, qui in ordine ſuo tertium locum obtinet, l.j. C.de præpoſit. agen.in reb.lib.12.l.7. C.de palatin. ſacrar.largit. lib.11.ibi & Quartocerius eadem figura effertur. Infertur & Tertiocerij nomen aliquotiens in Notitia Imperij Romani.

TERTYLLIANVM S.C.vide Senatuſconſultum Tertyllianum.

TESSERA, ſymbolum eſt bellicum,quod in aciem prodeuntibus dabatur, ne confuſione diſtraherẽtur, & vt inter ſe ab hoſtibus cognoſcerentur. Vel, vt ait Vegetius lib.2.cap.7.Teſſera dicitur præceptum ducis, quo vel ad aliquod opus,vel ad bellum mouetur exercitus. Polybius de teſſera militari ſcribens, πλατεῖον appellat,quod taleola eſſet, vel tabella lata inſcripta:ſed & ξυλήφιον ab eodem vocari videtur. Eſt & Teſſera frumentaria, ſignum ſcilicet frumentarium,quod qui exhibebat, frumentum pro portione Romæ à Principe accipiebat:vt hodie quibuſdam in locis nummi plumbei vel ærei,vel quid ſimile quod pro ſymbolo ſit. Vlpian.l.52.§.j.D.de iudic.Si libertis ſuis teſſeras frumentarias emi voluerit, quamuis maior pars hæreditatis emi voluerit,&c.Paul.l.49. D.de leg.& fid.lib.31.§.j. Si Titio frumẽtaria teſſera legata ſit, & is deceſſerit, &c. Iuuenal. Satyr.7.

Summula ne pereat qua uilis teſſera uenit
Frumenti.

Turneb. Aduerſ.lib.19.cap.26. has teſſeras frumentarias exiſtimat dictas à Græco τέσσαρα, & fuiſſe fruſtilla lignea quadrata,certa inſignita & notata forma, quæ dabantur iis quibus ius erat petendi frumenti publici: quanquam & rotunda etiam fuerint,cum à Dione σφαίρια dicantur,id eſt globuli & pilulæ.Itaque in Tito ſic ſcribit, σφαίρια ξύλινα μικρὰ ἄνωθεν εἰς τὸ θέατρον ἐῤῥίπτει, σύμβολον ἔχοντα τὸ μὲν ἐδωδίμου, &c. Idem autem Turneb.ſcribit ex Suetonio, certum fuiſſe ciuium numerum Romæ, quibus frumentum dabatur de publico.

Hæc enim ſunt Tranquilli verba in Iulio Cæſare: Atq; ex viginti trecentíſque millibus accipiẽtium frumentum è publico ad centũ quinquaginta retraxit. A Græcis Teſſera frumentaria etiam σιτηρέσια dicuntur, id eſt τὰ διδόμενα τισὶν εἰς τροφὴν, quæ Pollux lib.8. inter honores publicos enumerat. Non admodum autem diſſimiles erant teſſeris frumentariis, quæ apud Athenienſes σιτήσεις dicebantur, id eſt annonæ, quæ bene de Rep. meritis dabantur, & ius epulandi publicè in Prytaneo. Hoſpitibus etiam teſſera olim dabatur, vt hoſpes agnoſceretur. Hinc qui ius hoſpitij violaſſet, teſſeram confregiſſe dicebatur. Plautus in Pœnulo:

Deum hoſpitalem, & teſſeram mecum fero.

Idem in Ciſtell.

Abi quære ubi iureiurando tuo ſatis ſit ſubſidij.
Hic apud nos iam Alceſimarche confregiſti teſſeram.

Aliàs Teſſeræ, taxilli ſunt luſorij.

Teſſera publicæ ſecuritatis dicitur, quæ præſtatur iter facientibus. Barbari ſaluum conductum vocant.

TESSERARII, inquit Vegetius lib.2. cap.7. ſunt qui teſſeram per contubernia militum, aut per contubernia prætorianorum nunciant. Plutarchus videtur eos vocare διαγγέλους. Vet. Gloſſæ, γραμματεῖς. Hi è numero ſpeculatorum fuerunt, vt iam diximus in voce Speculator. Cornelius Tacitus libr.17. Sed tum è libertis Onomaſtum futuro ſceleri præfecit, à quo Barbium Proculum teſſerarium ſpeculatorem, & Veturium optionem eodem perductos, &c. ita enim legendum Plutarchus & lib. veteres teſtantur.

TESSARES CAIDECADITÆ, l.5. C. de hæretic. hæreticorum genus, ab eo nuncupatum, quòd 14. Luna Paſcha cum Iudæis obſeruare contendunt, auctore Iſidoro lib.8. cap.5.

TESTACEVM opus Plinio lib.10. Epiſtol. de aquæductu Nicomedenſium. Aliqua pars, ait, vt mihi videtur teſtaceo opere agenda erit. id enim & facilius & vtilius.

TESTARI, TESTATIO, TESTABILIS, TESTATOR, TESTAMENTVM, vide Teſtis.

TESTIS à teſtando, id eſt, ſententiam exponendo, quod ea, quæ de re geſta ſentiunt, in iudicio dicunt & proferunt.

Teſtis appellatio apud veteres latius patet: ſiquidem, vt in παρεργ. ſcribit A. Alciatus, qui nunc teſtis eſt, olim ſuperſtes & antiſtes eſt dictus, cap. forus. de verb. ſigni. eo, quòd ſuper ſtatu cauſſæ proferebatur: nunc parte ablata nominis, teſtes vocantur. Teſtes hinc dictos putat Iſidorus lib.5. Etymol. cap.23. quòd teſtamento adhiberi ſolerent: ſicut ſignatores, qui teſtamentum ſignarent. Superſtites eos vocauit lex XII. Tabul. SVPERSTITIBVS PRÆSENTIBVS VINDICIÆ SVMVNTOR.

Teſtes omni exceptione maiores, qui nulla penitus exceptione ſubmoueri poſſunt, l. optimam. C. de contrahend. & committend. ſtipul. ſub finem. Vide gloſ. in §. item verborum. Inſtitutio. de inutili ſtipul. Ioan. Tiſlinus, quæ in teſtibus conſideranda ſunt, hoc eleganti diſticho complexus eſt:

Conditio, fortuna, fides, diſcretio ſexus,
Fama, ætáſque bonis teſtibus eſſe uolunt.

Alij hæc his cõprehendunt, vita, dignitate, & moribus.

Teſtium vſus naturali ratione à Deo Opt. Maxi. quoque probatus, huc ſolùm ſpectat, vt publice proſit omnibus, ad tuendam veritatem aduerſus mendacia malorum. Siquidem teſtes proprie dicuntur, qui de rebus, & negotiis hominum fidem faciunt, cum dubitatur, & veritati patrocinatur. Inde appellati, quòd tueantur ſtatum cauſſæ, in Auth. de teſtibus. in princi. Teſtis autem quot capitulis dicatur inhabilis, docet Bart. l. filiusfam. D. de dol.

TESTIMONIA, teſtationes ſcriptis compræhenſas ſignificant, & abſentium dicuntur: atque à teſtibus ſeparantur l.3. §. idem diuus. D. de teſtibus, l.j. D. de fide inſtrument.

Teſtimoniorum modus duplex, manifeſtus, & cæcus. Manifeſtus eſt, qui certos teſtes, & præſentes habet. Cæcus, in quo multitudinem, aut ciuitatem dicimus ſcire. Cicero: Teſtis, ait, eſt Sicilia tota. Eſt etiam in cæco iuſiurandum, tabulæ, abſentéſque perſonæ, ait Donat. in And. Terent.

TESTIMONIALES in l. penult. C. Theod. de vetera. & titul. de teſtimo. exhi. & pro t. l. vlt. C. Theo. de hon. cod. l.156. C. Theod. de decur. ſunt miſſionis honorariæ epiſtolæ. Veget. lib.2. Contubernalibus, completis ſtipendiis per teſtimoniales ex more dimiſſis. Et hæc ſunt inſtrumenta, de quibus in l. ſi ſolemnibus. C. de fide inſtr. Epiſtolæ dicuntur in l.j. C. de veter. l. laudabile. l. reſtituendæ. C. de adu. diuerſ. iud. l.45. C. Theod. de decur.

TESTARI, inter alia ſignificat etiam ſententiam ſuam exprimere. Vnde,

Teſtari, non modo teſtamentum facere, ſed & teſtibus adhibitis, quidlibet declarare, denunciare, notúmve facere ſignificat, l.20. in princ. D. de acquir. hæredit. Et ideo ſolent teſtari liberi, qui neceſſarij exiſtunt, non animo hæredis ſe gerere quæ gerunt. Eſt & de quocunque negotio tabulas, quæ ad probationem valeant conficere, quod & Teſtificari dicitur. Tranquillus: Cum quid per iocum teſtandi gratia ſignarent. Cice. pro Quintio: Teſtificantur iſti P. Quintium non ſtetiſſe, & ſe ſtetiſſe: tabulæ maximæ ſignis hominum nobilium cõſignãtur. Pro eodem ſumitur, Obſignare & Signare.

TESTATIO, & TESTIFICATIO, actus ille teſtandi conſignandíque, ſiue perſcriptiones quædam & tabulæ teſtificãdi gratia factæ & obſignatæ, l.7. D. de ſponſalib. l. fin. D. de cuſtod. reor. l.3. D. de concubi. l.22. ex quibus cauſſis maio. l.20. D. de opti. leg. l.7. D. de adſig. lib. l.2. D. de nau. fen. l.8. §.j. D. de op. no. nunt. l.39. §. fin. D. de leg.3. vbi teſtationem complecti, in teſtationem redigere, in teſtationem referre pro eodem dicuntur: ídque ſignificant, quod vulgo dicimus, *Prendre acte*, quod & in teſtatum redigere dixit Vlpian. l.j. §. recte. D. vſufruct. quemadm. cau. Sic Quintilianus: Itaque eum nec inutilem, ſi ad horam forte conſtiterit, nec in teſtationibus faciendis eſſe imperitum velim. Dicitur & Conſignatio. vide Conſignatio.

Teſtatio vacuæ poſſeſſionis, l.12. D. de contrahend. emp.

Teſtatio, pro conuentione & denunciatione, teſtibus adhibitis facta, l.5. §. fin. D. de admini. tuto. l.j. §. ſed & & ſi quis contra. D. quod vi aut clam. Teſtatio pro teſtium depoſitione, vt loquimur, l.21. D. de iis qui no. infamia.

Teſtationes conſignare, l.9. §. nonnunquam. D. de pœnis.

Teſtatio priuata, ceu adnotatio, l.5. C. de probat. Teſtatio habita, l.4. C. de fide inſtrum.

Teſtationibus conuenire arbitrum, ne ſententiam diceret, hoc eſt, apud arbitrum adhibitis teſtibus proteſtari: vulgò appellant, cum notario & teſtibus requirere. Paulus in notab. l. non diſtinguemus. Cum quidam, inquit, arbiter ex aliis cauſſis inimicus manifeſtè apparuiſſet, teſtationibus etiam conuentus, ne ſententiam diceret. Hinc teſtationibus conuentus, l.32. §. cum quidam. D. de arbit.

TESTABILIS dicitur cui teſtimonij dicendi ius eſt: ídque verbum lex Horatia vſurpat, quæ de Caia Tauralia facta eſt. Contrarium eſt in XII. Tabul. ſcriptum: Improbus, inteſtabiliſque eſto. Hæc Gell. lib.6. cap.7.

TESTATO conuentus dicitur, qui coram teſtibus conuentus eſt, l. fin. D. pro derelict. l.5. §. vltim. D. de adminiſt. tut. Sic Teſtatò denunciare, id eſt adhibitis teſtibus,

ſtibus,l.j.§.licet. D.de pericul.& commo. Et Teſtatò iubere,l.j.D.quod iuſſu. Quod & conteſtato dicitur l.2.§.Iulianus. D.de agnoſc.lib. Teſtatò, id eſt, teſtamento facto,l.45.§.j.D.de iure fiſc.vt inteſtato, id eſt, ſine teſtamento.

TESTATORES, ſuis teſtamentis teſtes adhibere debent,eóſque teſtabiles: nam ſi contra fieret,teſtamenta irrita eſſent. Hinc ait Harmenopulus libri 5.cap.j. ὁ καταδικασθεὶς ἐπὶ μοιχείᾳ, οὐ μαρτυρεῖ ἐν διαθήκῃ. Condemnatum igitur non oportuit:alioqui teſtabilis erit, teſtimoniúmque rectè dicet. quod indicat Calliſtratus l.3.§.lege Iulia. D.de teſtibus. à contrario ſenſu, ídque in quocunque fere criminum genere, etſi publica ſint,d.§.lege.id quod non ſolum in teſtamentis, ſed & in iudiciis,aliíſve actibus recipiendum eſt: idq; Speculator ſenſit in titulo de teſte. §.ſæpe.in forma excipiendi aduerſus teſtes.Hócque ſupremæ Pariſiorum curiæ placuit auditoriis omnibus coactis 12.Auguſti,anno ſalutis 1538.& eo iure vtimur.

TESTAMENTVM definit Modeſtinus in l.j. D.qui teſtam.fac.poſſ. his verbis: Teſtamentum eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. & hanc definitionem probat. C. Harmenop.lib.5.tit.j.in princip. Azo in Summa. C. de teſtam.Bart.l.j.in princ.& ad fin.D.de teſta.& Viglius Inſtit.de teſtam.ord. Vlpianus tamen melius in Epitome tit.20.ſic definit: Teſtamentum eſt mentis noſtræ iuſta conteſtatio, in id ſolemniter facta, vt poſt mortem noſtram valeat.Mentis verbo denotans non animi iudicium(vt l.2.D.qui teſt.fac.cum ait Labeo mentis integritatem in teſtatore deſiderari) ſed voluntatem, vt expoſuit Modeſt. quæ quoniam non ſimplex eſt enunciatio ac demonſtratio, ſed teſtata, hoc eſt apud eos expoſita,qui vt teſtes eſſent, rogati ſunt, idcirco conteſtatio dicitur.Florentinus iudiciorum conteſtationem appellat,l.24.D.de teſtam.Idem Vlp.l.20.§.fin.Teſtamentum ſupremam conteſtationem definiſſe videtur.Hoc autem verbum duplex eſſe voluit Seruius Sulpitius, referente A.Gellio lib.6.ca.12.nam compoſitum eſſe dixit à mentis cõteſtatione, vt & Iuſtinianus in tit.de teſtam.ordin.in princ.quod tamen improbat ibidem Gellius, vt & multi alij viri docti. Teſtamentum enim eadem forma videri volunt dictum,qua calceamentum,paludamentum, veſtimentum, in quibus Mentum eſt verbi productio. Oldendorpius in Lexico iuris, Teſtamentum dictum vult quaſi teſtationem manentem. Vide Alc.lib.4.de verbo.ſignif.& Viglium in tit.de teſtam.ordin.

Teſtamentum autem eſt typus quodammodo & figura immortalitatis,non ab hominis auctoritate, ſed à natura ipſa profectum.Nam quando anima, mens, voluntas eſt immortalis, certè non debet etiam, quatenus ad bona attinet,cum mortali corpore extingui. Itaq; toti humano generi nihil eſſe poteſt aut iucundius,aut vtilius, quàm vt voluntas regnet in bonis à teſtatore relictis,etiam extincto corpore: imo iuſtius id multò poſt mortem facit, reddita iam cœleſti patriæ,quàm in hac momentanea & fragili vita.

Teſtamenti ordo hic erat apud veteres, vt primo capite hæredis fiat inſtitutio, ſiue vnus,ſiue plures ſint,qui in vniuerſum bona ex defuncti voluntate capiant. Sequenti capite & in ima cera, ſecundi hæredes, legata & reliqua teſtatoris voluntas & diſpoſitio ponuntur: ſiue aliquos onere grauare,aut ſi quibus dari, fieríque oportere,teſtator,pro ſua voluntate arbitratus eſt:qui non hæredes,ſed legatarij ſunt dicti.Alex.ab Alex.genial.dier.lib.5.cap.1. Certe qui hodie obſeruatur ordo in vltimis voluntatibus conſcribendis, excepta clauſula generali (quæ poſtremum locum ſortita eſt, ab Accurſianis & mere formulariis introducta, tum vſu inſulſorum recepta Notariorum) improbandus non eſt:videlicet,vt primo loco præfatio, ſecundo legata, tertio inſtitutio,quarto ſubſtitutiones, quinto cæteræ teſtatoris diſpoſitiones, inter quas exhæredationes referri ſolent, ponantur.

Teſtamentum etiam pro teſtamentaria hæreditate nonnunquam poni, ex Petro Fabro adnotat Briſſonius, probátque primum ex l.vlt. D.de ſecun.Tabul.in qua ita eſt,Quòd ſi ita hæres ſcriptus ſit, vt interdum excludatur à teſtamento,eo quod non inuenitur portio qua hæres inſtitutus eſt. Deinde ex l.14.D.de his quæ vt indign.in qua Papinia.admitti ad teſtamentum, id eſt,ad hæreditatem teſtamento delatam dixit, vt apparet ex l.præcedenti.Item ex l.2.C.de bon.matern. in qua ſic hoc verbum accipi Thalelæus notauit. Eodémque modo & apud Sueto.in Nero.cap.32.cum ait, Deinde vt ingratorum in principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent,id eſt, teſtamentariæ hæreditates. ac denique apud Ambroſ.in Serm.14.in Pſal.vbi Teſtamentum adire dixit.

Teſtamentum porrò aliud erat Calatis comitiis, aliud in procinctu, per æs & libram. Prætorium, mixtum. Teſtamentum CALATIS COMITIIS erat, quod pacis tempore calatis,id eſt euocatis pro collegio Pontificum comitiis,palàm,apertéque fiebat. Gell.lib.15.cap.27. Teſtamentum IN PROCINCTV dicebatur,quod militię tantum fiebat:cum inſtructo exercitu viri ad prælium faciendum in aciem vocati, togáſque ſuccincti, tribus aut quatuor teſtibus adhibitis hæredem nuncupabant. Gell.ibid. & Plut.in Coriolan.Et hæc quidem duo genera abolita ſunt. Teſtamentum PER ÆS ET LIBRAM, Græci ζυγὰ καὶ ἀσσάρια vocant,dicebatur, cum quis alterius familiam, id eſt ius patrisfam. vniuerſum mancipio emebat, & teſtator tabulas tenens,ita loquebatur: Hæc vti in his tabulis ceríſve ſcripta ſunt, ita do,ita lego, ita teſtor. itaque vos Quirites teſtimonium perhibetote. Gell. ibid.& Vlpian. cap. Inſtit.20. Et hoc genere diu vſi ſunt Romani: credítque Cuiacius id Conſtantinum primum ſuſtuliſſe in l.quoniam. C.de teſtam. vt indicant illa verba, Ademptis his quorum imaginarius vſus eſt. Teſtamentum PRÆTORIVM eſt,quòd ſine vlla mãcipatione per ſolam ſeptem teſtium conſignationem,etiam hoc tempore magnopere obſeruatur,l.ſi vnus.C.de teſtam.& Imp.§.j.Inſtitut.eodem. Teſtamentum mixtum eſt, quod ex ciuili, Prætorio, & conſtitutionum iure ita fit,vt à ſeptem teſtibus nullo alio interpoſito actu, vel eodem, vel etiam alieno anulo conſignetur, ſubſcribatur ab iis & à teſtatore, hæredíſque nomen vel ab hoc ſolo, vel ab iis adſcribatur,l.28.& l.29.C.de teſtamen.

Teſtamentum HOLOGRAPHVM, inquit, Iſidorus, & Valentinianus Nou.2.de teſtam.eſt manu auctoris totum conſcriptum,atque ſubſcriptum: vnde & nomen accepit. In hoc non exigitur ſubſcriptio teſtatoris, ex Conſtit.Iuſti.l.cum antiquitas.§.vlti. C.de teſtament. non exiguntur teſtes, ex Nou. Valentiniani, quæ tamen non obtinuit.

Teſtamentum improbum, contra leges: Inofficioſum, cõtra merita:Inhumanum,contra pietatem.Aſconius.

Teſtamentum iniuſtum,vide Iniuſtum teſtamentum.

Teſtamentum NVNCVPATIVVM, ſeu per nũcupationem,quod iure ciuili, coram ſeptem teſtibus nominato hærede,fieri ſolet.§.vltim. Inſti.de teſtam.Atque hoc genere veteres vſi ſunt. Suetonius in vita Horatij:Deceſſit,hærede Auguſto palam nuncupato, cum vrgente vi valetudinis non ſufficeret ad obſignandas teſtamenti tabulas. In hoc igitur palam hæredem teſtatoris voce nuncupari oportet,l.vlt. D.de iure cod. & l.hæredes palã.D.qui teſta.fac.poſſ.in qua hæc ſunt

Sabini

Sabini verba: Hæredes palam ita vt exaudiri poſſint, nuncupandi ſunt: id eſt exaudientibus teſtibus ſeptem.

Teſtamenti factionem non ſolum is habere dicitur, qui teſtamentum facere poteſt, ſed & is qui ex teſtamento alterius capere, & ſibi, vel aliis acquirere poteſt, l. 16. D. de teſtam. l. final. D. pro hæred. l. 31. l. 49. & ſeq. D. de hæred. inſtit. F. Hotom. hanc veterem locutionem eſſe vult, & à XII. Tab. manaſſe, in quibus tamen ſcriptum fuiſſe opinatur, Deiis quibuſcum teſtamenti factio haberetur: non qui teſtamenti factionem haberent: arg. l. vltim. D. pro hæred. l. 31. l. 49. D. de hæredib. inſtituend. Teſtamenti itaque factio cum his eſſe dicitur, quibus vel hæreditas vel legatum relinqui poteſt, l. 7. D. pro legato. l. 21. D. de teſtam. tut. l. 5. D. de ſeruitut. leg. §. ſeruus autem. Inſtitut. de hæred. inſtit. §. teſtes. Inſtit. de teſtam. l. 82. §. vlt. D. de leg. 2.

Teſtamentum illud proprie dicitur, quod iure perfectum eſt. καταχρηστικῶς verò teſtamenta quoque ea appellamus, quæ iniuſta, irrita, rupta, imperfectáve ſunt. nam horum quoque inſpectionem Prætor permiſit, l. 2. §. j. D. quemad. teſta. ape. Ad Teſtamenti cauſſam pertinere, quantum ad interdictum de Tabul. exhib. & edictum de aperiendis teſtamentis attinet, videtur omne quodcunque quaſi ad teſtamentum factum ſit, in quacunque materia fuerit ſcriptum, quod contineat ſupremam voluntatem. & ideo tam primæ, quàm ſecundæ tabulæ, & codicilli hac appellatione continentur, d. l. 2. §. fin. & l. 2. de tab. exhib. Teſtamento quoque dati tutores videntur, qui codicillis teſtamento confirmatis dati ſunt, l. 3. D. de teſtam. tut.

TESTAMENTARIVS, teſtamenti ſcriptor. Vlpian. l. quoties. 9. D. de hæred. inſti. Sed ſi maiorem adſcripſerit teſtamentarius, vel quod difficilius eſt probatione, ipſe reſtator. Item, Idem tractat, & ſi teſtamentarius contra voluntatem teſtatoris conditionem detraxit. item l. j. D. ſi quis aliqu. teſt. proh. l. 15. §. j. l. 22. §. teſtamẽtarius. D. de falſis. & l. 3. in fin. D. ad Trebell.

Teſtamentaria appellata eſt, Cornelia lex de falſis, quòd de his, qui teſtamenta ſubieciſſent, reſignaſſent, celaſſent, ſuppreſſiſſent, falſáve ſignaſſent, recitaſſent, ſcripta eſſet. Latius verò teſtamentariæ leges quæcunque ad cauſſam teſtamentorum pertinent accipiuntur, in l. j. §. lex Falcidia. D. ad leg. Falcid.

TESTVDINEIS legatis, lecti quoque teſtudinei pedibus inargentati debentur, l. 100. in fin. D. de legat. 3. Ex quo apparet veteres ſupellectili ex teſtudine vſos. quod & Celſus, l. 7. D. de ſupell. legat. tradit. Primus autem, vt Plinius lib. 33. cap. 11. auctor eſt, Caruilius Pollio teſtudines ſecare in laminas, lectóſq; & repoſitoria his veſtire inſtituit.

THEATRVM, & amphiteatrum diuerſa ſunt, l. 7. D. de rer. diuiſ. l. 3. D. de oper. publ. porrò quid alterum ab altero diſtet, exponit Caſſiodorus lib. 4. Var. Epiſtol. & lib. 5. Epiſtol. ad Maxi. vbi theatrum viſorium interpretatur.

THEMATIVM, forma diminutiua, propoſitionem, factum, caſum, ſpeciem, ſignificat. Nam his omnibus, teſte doctiſſimo Haloandro, vtuntur veteres conſulti, huius verbi loco. Inde Vlpia. ad leg. Aquil. dixit, ſpeciem proponere, id quod Gaius referre caſum, de condictio. indeb.

THEMIS apud Græcos, id eſt ius fáſque, dea eſſe credita eſt, auctore Feſto, quæ ſuaderet hominibus, id petere quod fas eſſet, eandémq; eſſe ipſam atque fas exiſtimabant: vnde Themiſtes, oracula, & conſilia, conſultáque & leges ſancitæ dicuntur, Euſtatio teſte Homeri enarratore, id eſt, vt ipſe ait, τὰ μαντεῖα, αἱ βουλαὶ, καὶ τὰ βουλεύματα, καὶ τὰ νομοθετούμενα. Alij Themin ius & iuſtitiam eſſe putant.

THEODORAM vxorem, Iuſtinianus ob inſignem, rarámque eius prudentiam, ad conſilia Reipublicæ adhibuit, in Authen. Iuſiurandum quod præſt. arg. §. hæc autem. in Authen. Vt iudic. ſine quoq. ſuffra. fac. l. bene à Zenone. C. de quadrien. præſcrip. Veriſimile eſt quoque huius affectui datam celeberrimam illam Conſtitutionem Iuſtinian. cui caput eſt, Maximum, C. de liber. præter, qua, antiquo iure emendato, mulieribns ſuccurrit. Quamuis hæc tribus modis ſæpiſſimè ad vetus ius relabi videtur: pactis, ſtatutis, & priuilegiis. Vide Vigl. in §. ſed hæc quidem. Inſtit. de exhæred. liber.

Θεοῦ βία, vide Vis maior.

Θεώρετρα, apud Harmen. ſunt munera quæ ſponſæ dabantur ante nuptias, cum ſe viſendam præberet, depoſito flammeo. Conſuetudo enim erat olim, vt & quarundam gentium etiam nunc eſt, vt virgines vultum velo tegerent. ὀπτήρια Philoſtrato etiam dicuntur, & ἀνακαλυπτήρια: vnde ille Antipatri iocus, qui cum deformem duxiſſet vxorem, rogaretúrque quando daturus eſſet ἀνακαλυπτήρια, Quin potius quæritis, inquit, quando ἐγκαλυπτήρια.

Θεωρία in l. fi. (quæ Græca eſt) de vete. iur. enucle. Latinè viſio.

THERIACA, θηριακὴ, medicamentum aduerſus omnium animantium venena inſtitutum: de quo ex Plinio cognoſces libri 20. cap. 24. Vlpianus l. 12. §. 21. D. de inſtrum. vel inſt. Idem reſpondit theriacam quoq; & cætera medicamenta, quæ ſeceſſus cauſſa dominus ibi habuit.

THESAVRVS eſt, vt inquit Paulus, vetus quædam depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat. Sic enim fit eius qui inuenerit, quòd non alterius ſit, lege nunquam nuda. 31. D. de acquirendo rerum dominio. ſicque ſumitur l. 67. D. de rei vendic. l. 3. §. mercatoris. l. 44. D. de acquiren. poſſeſ. l. j. l. 3. §. penult. & l. vltim. D. de iure fiſc. l. 39. §. j. D. de aur. arg. Græci θησαυρὸν dicunt pecuniam, quàm quis in numerato, & ad caſus repentinos repoſitam habet. Vide Alciatum lib. 4. de verb. ſignif. & Ferrar. in §. theſaur. Inſtit. de rerum diuiſ. In Pandect. Flor. perpetuò legitur Thenſaurus. quod tamen non probat Caper grammaticus, vt neque Donatus: nam Theſaurum, inquit, veteres ſecundum Græcos, ſine n litera proferebant. Theſaurum autem inuenire, Imp. Leo rectè beneficium Dei appellat: interpretatúrque theſaurum, mobilia (alij monilia, ex l. 2. c. 75. eod.) condita ab ignotis dominis tempore vetuſtiore, l. vnica. D. de theſaur. lib. 10. Tryphoninus autem donum fortunæ vocat in l. ſi is qui in aliena. D. de acquiren. rerum domin. Refertur elegans Scæuolæ reſponſum titul. de rei vendic. l. 67. quod haud grauatè adſcripſi: A tutore, inquit, pupilli domum mercatus, ad eius refectionem fabrum induxit: is pecuniam inuenit, quæritur, ad quem pertineat. Reſpondi: ſi non theſauri fuerunt, ſed pecunia forte perdita, vel per errorem ab eo ad quem pertinebat, non ablata: nihilominus eius eam eſſe cuius fuerat. Theſaurum Caſſiodorus lib. 6. definit, depoſitiuam pecuniam, quæ longa vetuſtate competentes dominos amiſit.

THESAVRORVM PRÆPOSITOS habebant Impp. Conſtantinopolitani & comites, l. pe. C. de murilegulis, l. fin. C. vt dignit. ord. Hinc,

THESAVRARII, cuſtodiæ theſaurorum ſuorum præpoſiti, l. j. de can. largit. titul. &

THESAVRIENSES, lege ſecunda. C. de palat. ſacrarum largition. qui ſunt officiales Comitis ſacrarum largitionum, & apparitores. Dicuntur etiam *Comites theſaurorum* Erant & Theſaurienſes claſſis, quorum fit mentio inter officiales ſacrarum epiſtolarum, l. vltim. C. de diuerſ. offic. lib. 12. qui iidem videntur fuiſſe qui vicarij Macedoniæ, quorum & ibi fit mẽtio.

THESIS, θέσις, ait Alciatus, generalis, & indeterminata adſertio quæſtionum modum complectens, quales ſunt apud nos regulæ iuris.

THESMOPHYLACES dicuntur Legum, & Inſtitutorũ cuſtodes. Budæus in Annotat. prior. l. j. de iuſt. & iure.

THLASIÆ; ſiue Thlibiæ, Latine dicti ſunt, quibus à matre aut nutrice teſticuli attriti ſunt, ἀπὸ τοῦ τλᾶν, ἤτοι θλίβειν, quod eſt frangere. quod fotu aquæ calidæ fiebat, & manuum attritione, vt hoc pacto pretioſiores eſſent, & in principum deliciis. Vlpia. de verb. ſignif. l. ſpadonum. Thlibiæ, inquit, & Thlaſiæ, ſed & ſi quod aliud genus ſpadonum eſt. Item Paulus ad legem Corneliam de ſicariis, l. hi quoque. Hi, inquit, qui Thlibias faciunt, ex conſtitutione D. Hadriani, in ea ſunt cauſſa, qua hi, qui caſtrant. Vide Ant. Auguſt. lib. 3. cap. 5. Emend.

THYMELICI, ſiue Thumelici, οἱ ἐν ὑποκρίσει τὴν τέχνην ἐπιδεικνύμενοι, inquit, Sudas: id eſt, qui perſonati artem oſtentant. eſt enim θυμέλη, locus editior, vbi actores ſaltabant. Iul. Pollux, lib. 4. καὶ σκηνὴ μὲν, ὑποκριτῶν ἴδιον· ἡ δὲ ὀρχήστρα, τοῦ χοροῦ, ἐν ᾗ καὶ ἡ θυμέλη, εἴτε βῆμά τι οὖσα, εἴτε βωμός. Scena, inquit, propria eſt hiſtrionum: orcheſtra verò, chori: in qua eſt & θυμέλη, quæ vel tribunal eſt, vel ara: id eſt locus editior, vt dixi. Vitruuius libro de archit. 5. capit. 8. Apud Græcos, inquit, tragici & comici actores in ſcena peragunt: reliqui autem artifices ſuas per orcheſtram præſtant actiones: itaque ex eo ſcenici & thymelici Græcè ſeparatim nominantur. Ex his apparet thymelicorum nomine intelligi ludios, mimos, citharœdos, tibicines, cithariſtas, lyriſtas, & qui ſunt in eodem genere. Specialiter autem videntur dici thymelici, cantores, qui modos faciebant, & ſaltationes: de quibus etiam intellexit Vlpian. l. 4. D. de his qui not. infa. Et generaliter, inquit, ita omnes opinantur, & vtile videtur: vt neque thymelici, neque xyſtici, neq; agitatores, nec qui aquam equis ſpargunt, cæteráque eorum miniſteria, qui certaminibus ſacris deſeruiunt, ignominioſi habeantur. Græci enim ad d. l. 4. ita vertunt: οὐκ ἔστι δὲ παιδικὴ τέχνη, οὐδὲ ἀτιμοποιὸς ἡ τῶν ἀθλητῶν, καὶ τῶν λεγόντων ἐν τοῖς ὀλυμπίοις τὰ ἐνθύμια, καὶ τῶν ἐν ξυστῷ ἀγωνιζομένων. Iſidorus quoque libro 18. cap. 47. Thymelicos muſicos ſcenicos interpretatur, qui organis & lyris & citharis præcinebant: ſic dictos, quod olim in orcheſtra ſtantes cantabant ſuper pulpitum, quod θυμέλη vocabatur. Phrynicus etiam ἐν ἐκλογῇ ἀττικῶν ῥημάτων, θυμέλην, ait dictum τόπον ἐν τῷ θεάτρῳ, ἀφ' οὗ αὐληταὶ καὶ κιθαρῳδοὶ, καὶ ἄλλοι τινὲς ἠγωνίζοντο. De thumelicis etiam fit mentio in l. 10. D. de pollici. & l. penult. de ſpectacul. in C. Theod. Hinc,

THYMELITÆ, l. 21. C. Theod. de piſtorib. l. 5. de ſcenicis, in eod. Cod.

THYNNVS piſcis marinus, de quo lege Plinium lib. 9. cap. 15. hinc Thynnaria piſcatio, apud Vlpian. l. 7. D. commun. præd.

THI δυνάμει, vi ipſa, non directò, non diſertis verbis, ſed idem valentibus. Vlpian. l. 29. D. de recep. arb. Qui ab arbitro damnatus, non à reo, ſed ab eius fideiuſſore petit, τῇ δυνάμει, à reo petit: id eſt, verbo quidem à fideiuſſore petit: re ipſa, à reo. Sic enim Cicero frequentiſſimè hanc effert locutionem.

TIBI ET A TE, nec ad rem, nec ad dignitatem, ſed perſonam duntaxat referuntur, vt tradunt Interpretes Pont. iuris, ca. mandata. extr. de præſumpt. & c. tibi. & c. ſi pro te. de reſcript. lib. 6.

TIBIALE, in l. qui commeatus. D. de re mil. tibiarum armatura.

Τήβεννα, trabeæ, ornamenta Conſulum, Nouella 103. & apud Appianum, Artemidorum, Sudam, Moſcopulum, & auctorem Etymologici.

TIGNI appellatione continetur omnis materia, ex qua ædificium conſtat, vineæque neceſſaria: vnde quidam aiunt, tegulam quoque, & lapidem, & cæmenta, cæteráque, ſi qua ædificiis ſunt vtilia (tigna enim à tegendo dicta ſunt) hoc amplius & calcem & arenam appellatione tignorum contineri. Sed in vineis tigni appellatione omnia vineis neceſſaria continentur, vtputa, perticæ, pedamenta, l. j. D. de tigno iuncto, l. tigni. 62. D. de verbor. ſignif. Igitur Tigni appellatione omnem materiam in lege XII. Tabul. accipimus, vt quibuſdam recte videtur, l. tigni. D. ad exhibendum. Verba hæc ſunt legis XII. Tabul. Tignum iunctæ ædibus, vineæque concaptum ne ſoluito. Concaptum autem, id eſt conceptum cognitúmque. Vide Conceptum. Hanc legem alij aliter legunt: ſed hæc mihi videtur commodior lectio.

TIGNARIVS faber, non ſolum is qui tigna dolat, ſed etiam omnis qui ædificat, intelligitur, l. ferri. D. de verbor. ſignif.

TILIA, arbor cuius ex cortice interiore membranulæ pertenues ſumuntur, in quibus veteres ſcribebant. Vlp. l. 52. de legat. & fid. lib. 32. Librorum appellatione continentur omnia volumina, ſiue in charta, ſiue in membrana ſint: ſed & ſi in philyra, aut in tilia, vt nonnulli conficiunt, &c.

TIMEO, inter ea verba numeratur, quæ idem poſſunt, addita negatione. vide A. Alciat. l. duobus. D. de verbo. ſignificatione.

TIMOR, ait Cicero, metus mali appropinquantis. Tuſculan. Quæſt. 4. Metum autem accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, ſed maioris mali, & qui in hominem conſtantiſſimum cadat, l. 5. & 6. quod metus cauſſa.

TIMIDITAS, ex rebus, non ex vocabulis oritur, vt Cicero oppidò ſcitè dixit, lib. 4. de finibus. Vlp. in §. apparet. l. cùm verò is. de fideicommiſſ. libert. cenſuit obeſſe libertati non debere, quæ vel ſeruis petitur, vel in totum non petitur per ignauiam, vel timiditatem, &c.

TIRONES ſunt puberes 18. annorum ſumpta virili toga. quod & Plin. lib. 8. teſtatur his verbis: Tanaquil, quæ eadem Caia Cæcilia dicitur, prima texuit rectam tunicam, qua ſimul cum toga pura tirones induuntur, nouæque nuptæ. Sunt & Tirones, qui nondum in numeros relati, lecti tamen, vt militẽt, publicis expenſis iter faciunt, & ſub campi doctore exercentur, l. 42. D. de teſtam. milit. l. fin. D. de mun. & hon. l. 4. in fin. D. de re milit. quod moleſtum quibuſdam fuiſſe, oſtendit l. quod euitandi. C. de condic. ob turp. cau. Hos notis cõpungi in brachio ſolitos oſtendit l. 3. C. de fabricenſ. li. 11. & Veget. lib. j. cap. 8. & ſuprà admonuimus in voce Stigmata. Tironum autem præſtatio & præbitio olim in muneribus publicis fuit, l. 4. C. de proxim. ſacr. ſcrin. lib. 11. l. 2. C. de priuileg. eor. qui in ſacr. pal. l. 10. C. de palatin. ſacr. largit. lib. 12. l. 2. C. de ſilentiar. eod. libr. Qui à præbitio. tiro. in C. Theod. Marcellin. lib. 21. Paríque ſtudio ſupplementa legionibus ſcripta ſunt, indictis per prouincias tirociniis.

TITIA lex, vide Indicem Legum Rom.

TITIVS & Accius, vetera nomina, quibus exempli cauſſa vti mos erat. Varro in Teſtamento: Quòd ſi quis vndecimo menſe natus eſt, Accio idem quod Titio ius eſto apud me. Per hoc vetus prouerbium Varro ſignificat, ſicuti vulgò dici ſolitum erat, de rebus inter ſe nihil diſtantibus, Idem Accij quod Titij: ita pari eodémque iure eſſe in 10. menſibus natos, & in 11. Hæc Gell. lib. 3. cap. 16.

TITVBARE, non eſt, vt imperitum Latinitatis ait vulgus, defectuoſè loqui, vel inſcienter: ſed vacillare, hoc eſt, ægrè pedibus inſiſtere. Hinc non niſi tranſlatè teſtis titubare dicitur, cuius dictum vel ægre diſcernitur, vel vt inconſtans, ac varium exploditur. Sic Iuſti-

nianus vocat titubantem mentem, l.fi.C.de condit.indeb.quæ hæret, in ancipitíque eſt, atque dubia.

TITVLVS à tuendo, hoc eſt, indicando dicitur, quia tuetur & indicat id, cui ſuperſcribitur, ne incidat ambiguitas. Vnde ſolent omnibus propemodum rerum generibus inſcribi quidam velut indices, qui oſtendant auctorem, vel materiam, vel aliam operis qualitatem, Et, quò magis id facerēt egregiè, ſolebant olim titulos rubris literis ſcribere. Iuuenal. Sat. 14.

Cauſſas age, perlege rubras Maiorum leges.

Inde tituli aliàs appellantur iam nunc Rubricæ, in l.j. D.ſi cert.pet.& in l.2.§.penul.D.de interdict. Sic,

Titulos magiſtratuum dicimus, per quos eorum gradus, dignitates & imperia deſignantur. Hi autem mirum dictu eſt, quàm variis modis per ſeculorum viciſſitudines immutati ſint. Nou.de manda.princip.§.titulos, Conſtitu.17. Sic titulus Iuſtiniani Imperatoris deſcribitur, Inſtitu. & C.in princip. Item tituli Eccleſiarum & beneficiorum dici ſolent. Hinc,

Titulus pro cauſſa ſeu formula iuſtificandæ poſſeſſionis, hoc eſt, quo defenditur vniuſcuiuſque poſſeſſio ab impugnatione alterius. Vt ecce, ſiquis dubitet, vtrum iuſtè poſſideam: ego illi cauſſam allegem meæ poſſeſſionis: puta, quòd emerim, vel dono acceperim: tūc cauſſa huiuſmodi ſeu formula iure probata, Pro donato, pro empto, eſt mihi titulus, tuetúrque rem meam. vide Theoph.§.j.de interdict. Vel ſic:

Titulus eſt iuſta & æquitati naturali conſentanea poſſeſſionis cauſſa: veluti Pro emptore, pro donato, l.j. D. pro ſoluto. l.3.§.vlt.D.de acquir.poſſeſ. Sumitur & pro cauſſa transferendi dominij, l.24. C.de rei vend. l.22. C.fam.erciſc. vide PRO.

Tituli diſtinguuntur in nominatos & innominatos, lucratiuos & oneroſos, vniuerſales, & particulares, veros & putatiuos. De quibus late tractatur in principio claſſis tertiæ Oldendorpij.

Titulus verus dicitur, qui nobis ſignificat verè competere cauſſam. Putatiuus autem titulus, quem putamus nos habere iuſto quodam errore alieni facti, cum reuera non habeamus poſſidendi cauſſam. Quare tituli putatiui potius dicendi tituli bonæ fidei, iuxta phraſin Iuriſconſultorum. Hi enim vocant bonam fidem, quicquid illæſa conſcientia credimus eſſe, cum non ſit, ſcilicet tolerando errore lapſi. Lucratiuus eſt, cum res ad aliquem peruenit ſine onere, ſine grauamine dandi, aut faciendi, ex mera liberalitate, veluti hæreditas, legatum, donatio, dos. Hos titulos, vel cauſſas lucratiuas, eleganter recenſet Imp. in l. vnic. C.de impo. luc.deſcript.lib.10. Oneroſus autem eſt, quando res ad aliquem peruenit, cum onere aliquid dandi, aut faciendi: cum is qui rem recepit, oneratus & grauatus eſt aliquid viciſſim dare, aut facere, ſicut eſt in omni contractu. Vide Cauſſa lucratiua.

Titulus actionis, l.69.D.de fideiuſ. Titulo tenus ære alieno allegato, l.5.§.ne tamen. D.de reb.eor.qui ſub.tut. Sub titulo operarum, l.vlt.in fin.D.qui & à quibus.

Tituli in prædiis dicebantur, vt opinatur Hotom. tabulæ, in quibus dominorum nomina inſcripta erant, vt ex iis cuia prædia eſſent, cognoſceretur. hinc Rubrica lib. Codic.11. vt nemo priuatus titulos prædiis ſuis vel alienis imponat, vel vela regia ſuſpendat. Item: De his qui potentiorum nomine titulos prædiis affigunt, vel eorum nomina in litem prætendunt. Appellantur & Signa in Rubric. inſequent. Moris autem fuit cum prædium aliquod caducum, id eſt fiſco commiſſum eſſet, vt comes priuatarum rerum ei Principis titulos teſtato, publicis perſonis adhibitis, ſolemniter affigeret. Valent. l.3.C.de bon.vacant. Tituli verò quorum adiectione prædia noſtris ſunt conſecranda ſubſtantiis, non niſi publica teſtificatione proponātur. Quantum autem ex Nouella 30. De proconſu. Cappad. exiſtimare licet, tabulæ titulorum erant ligneæ. Cum enim ita ſcripſiſſet, Σανίδας δὲ ἀνατίθεσθαι προσηγορίαν τινῶν ἐχούσας κωλύσει; mox infert: τοὺς μέντοι τίτλους ὅστις δήποτε τολμήσειεν ἀναθεῖναι καθελὼν, εὐθὺς περιῤῥήξει ταῖς τῶν ἀναθέντων κεφαλαῖς. Hinc,

Tituli etiam fiſcales & largitionales, l.5. de ſuſceptoribus, lib.10. C.Rubr.de canon.largit.titul. Symmach. libr.2. Epiſtol. Et quantum in titulis fiſcalibus exigendis tua cura promouerit.

Tituli, primum erant certæ ſedes Clericis attributæ, in quibus ſuum munus exercerent. Poſtea eo nomine prædia iis ad victum cultúmque aſſignata, libr. Feud. j.titul.6.§.j. Si epiſcopus, vel Abbas, vel Abbatiſſa, vel Dominus plebis feudum dederit de rebus Eccleſiarum, quæ iis ſubiectæ ſunt, & tituli vocantur. In Chalcedon. Concil. μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ τάγματι, εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως, ἢ κώμαις, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο, &c. Quæ verba Canoniſtæ tranſtulerunt in ca.neminem. diſt.70. vbi tamen POSSESSIONES, pro PAGI vitioſè legitur. Item cap.3. Sanctorum Canonum ſtatutis conſona ſanctione decernimus, vt ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur: & in qua Eccleſia quilibet intitulatus eſt, in ea perpetuò perſeueret.

TOGA, à tegendo dicta eſt, vt vult Pompon. l.180. D.de verbor.ſign. Hanc tradit Septimius Florens à Pelaſgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos veniſſe. Græci quendam Tebennum Arcadem (vt ex eodem refert Turn. Adu.lib.7.c.20.) togæ Romanæ inuentorem prædicāt, qui primus id genus veſtis geſſerit, & ſinum Ionicum naui ingreſſus in Italiam venerit, & veſtimentum propagarit, vnde & togam τήβεννον fuiſſe appellatam ſcribunt, de inuentoris nomine. Quintil. lib.11.c.3. eius formam ac figuram his deſignat verbis: Veteribus nulli ſinus; perquam breues poſt illos fuerunt. Ipſam togam rotundam eſſe, & aptè cęſam velim: aliter enim multis modis fiet enormis. Pars eius prior mediis cruribus optime terminatur, poſterior eadem portione altius quàm cinctura: ſinus decentiſſimus, ſi aliquando ſupra imam togam fuerit: nunquā certe ſit inferior. Cornutus autem in Perſij Saty.5. Toga, inquit, dicta eſt, quod velamento ſuo corpus tegat atque operiat. Eſt autem purum pallium, forma rotunda & fuſiore, atque inundante ſinu, & ſub dextro veniens ſuper humerum ſiniſtrum ponitur. menſura togæ iuſtæ ſenas vlnas habebat. Toga autem ciuium Rom. fuit propria: itaque & vbique eam geſtare iubebantur, neq; peregrinis ea vti licebat, l.ſed ſi accepto.32.D.de iure fiſc. vnde illud Plinij lib.epiſt.3. Idem cū Græco pallio amictus intraſſet (carent enim togæ iure, quibus igni & aqua interdictū eſt) poſtquam ſe cōpoſuit: Latinè, inquit, declamaturus ſum. Sueto. in Claud.c.15. Peregrinitatis reū, orta inter aduocatos leni contentione, togatúmne an palliatum dicere cauſſam oporteret, quaſi æquitatē integrā oſtētās, mutare habitū prout accuſaretur, defenderetúrve iuſſit. Cice. autē & in Orat. pro Poſthumo, & in Verrinis ſatis oſtēdit, crimini datū fuiſſe ciuibus Rom. ſi qui, in prouinciis cū eſſent, toga nō vterentur. qua de re P. quoq; Scipio à Q. Maximo accuſatus fuit. Quibus autē ciuitatis Romanæ ius dabatur, iiſdē togæ quoq; ius dabatur. vnde nomē Galliæ Togatæ: vt apud Martialem:

Gallia togatæ nomine dicta togæ.

Toga prætexta, cuius oræ purpura intextæ ſunt. Ea pueri ad annum ætatis 16. vtebantur: quo tempore puram, quæ & virilis dicebatur, ſumebant. Hinc Vlp. l.23.§.2. D.de aur.& arg.leg. Puerilia, inquit, veſtimenta ſunt, quæ ad nullum alium vſum pertinent, niſi puerorum, veluti togæ prætextæ.

Togarum

Togarum autem varia antiquis Romanis erant genera: vt, Toga prætexta, de qua paulo ante. Item toga virilis, toga Picta, toga regia, quæ erat auro & purpura intexta, qua reges vtebãtur: quæ à Liuio inter inſignia triumphantis numeratur. Toga pura, quam tirunculi forenſes aſſumebant tirocinij die. Toga candida, quam petitores magiſtratuum induebãt: vnde candidati dicebantur. Toga libera, id eſt virilis, qua ſumpta excedebant à magiſterio pædagogorum, & tutoris auctoritate, & ſuæ libertati permittebãtur. Hinc Propertius:

Matris & ante deos libera ſumpta toga eſt.

At eam etiam Liberalibus induere ſolebant pueri in Liberi honorem, vel liberæ vitæ ſignificationẽ: atque eo die prodibant cultu tironum ſumpta pura toga, id eſt virili. de qua Ouid.

Reſtat ut inueniam quare toga libera detur,
Luce geri pueris candide Bache tua. &c.

Togati in Impp. Conſtitutionibus, pro aduocatis & patronis ponuntur, quos Græci συνηγόρους vocant. l. 11. §. procul dubio. C. de iud. l. vlt. C. de ſportul. & in tit. de aduocatis diuerſ. iud. paſſim. & l. 5. C. de met. & epid.

Tollisse, pro ſuſtuliſſe dixit Iuriſcoſſ. l. 13. §. 4. de acceptila. ſic Plautus ſæpe, Accedimus pro acceſſimus: quod perperam nonnulli in accepimus conuertunt: & Tibullus Atteruiſſe ab altero, pro attriuiſſe: & Salluſtius, occanuere ab Occano. Tollit, pro tollere vult, exponit Accurſius in §. huic autem. Inſtit. de actionib.

Topiarium opus nomẽ videtur habere ἀπὸ τῶν τοπέιων, id eſt funiculis, vt vult Hot. Nam funiculis in eo opere opus eſt, vt lętæ ſequacéſque hederæ & virgæ vinctæ loco ſe teneant, nec reſiliant. Alij ἀπὸ τῶν τόπων. Hinc:

Topiarii ſerui, in l. 60. §. vlt. de legat. lib. 3. l. 12. §. idem reſpondit. & l. 17. in fi. D. de inſtr. vel inſtruct. & apud Plin. lib. 3. Epiſt. ad Caluiſ. ſunt qui edera geſtationes conueſtiunt formas ex plantis, fruticibus, arboribus, faciunt, variáſque ex his ſubtiliter cõpoſitis & plicatis figuras exprimunt & reddunt. Vnde quidã Typiarios eos efferendos contendunt, à typis, id eſt, formis ac figuris, quas exprimunt. Hos eleganter hoc verborum ambitu Iulius Firmicus lib. 8. Matheſ. cap. 10. deſignat: Vel qui, ait, buxeas arbores tondens in belluas fingat, aut vtrides porticus in circulum flexis vitibus faciat.

Τοποτηρηταὶ, in Nouell. περὶ τοποτηρητῶν, qui mittuntur à præfectis Prætorio, vel comitibus, vel præſidibus iuris dicendi cauſſa. A Iuliano Anteceſſore dicuntur vicarij, Gallis *Lieu-tenants*, loci ſeruatores à Paulo Monacho lib. 5. hiſt. Langbar. loci iudices. l. 2. C. de exhib. reis. Τοποτηρητὴς Sudæ εἶδος ἀξιώματος.

Toralium duo fuiſſe genera, Paul. ſignificat in l. 5. D. de ſupell. leg. vnum quod ſtraguli nomine contineretur, alterum quod non contineretur. Hoc autem plagam appellatum Nonius teſtatur: grande ſcilicet linteum tegmen: ob eam, vt coniicit Hotom. cauſſam ita dictum, quod plagis, id eſt foraminibus peruium ac pellucidum eſſet.

Toralia Imperia, apud Paulum. l. 3. D. de ſupell. leg. corruptè dici Hotom. exiſtimat, pro Toralia imperuia, id eſt denſa & non rara. Ioſephus Scaliger in ſuis in Varron. de re Ruſt. lib. Coniectaneis, veterem lectionem tuetur, toraliáque imperia vocari à Paulo cẽſet, veterum more, a in e, mutato, imparia, & quæ paterfamilias ſibi ſeruat præter ea quæ ſunt quotidiani vſus: eadem forma qua trapetes impares eſſe oportere præcipit Cato: hoc eſt præter illos, quorum quotidie vſus eſſet: vt ſi in illis quotidianis aliquid fractum ſit, aut aliquid reficiendum ſit, ea præſto ſint, quæ in illorum locum ſufficiãtur. Trapetes, inquit, bonos priuos impares eſſe oportet. Id eſt, oportet eſſe vnos trapetes præter illos quotidianos in ſingulis torcularibus. Paria enim vocari debent quæ habentur quotidianæ viſioni: imparia ergo, quæ præter illa adhibẽtur. Ideoque idem Cato tit. 12. quæ ſuprà imparia, dixit ſuperuacanea, Præla, inquit, temperata quinque, ſuperuacanea tria. Item ibidẽ: Suculas quinque, ſuperuacaneam vnam. Addidit igitur Iuriſconſ. imparia, ne tantum ea quæ in vſum quotidianum inſternerentur, comprehenderet, ſed & ea quoque intelligeret quæ aliquãdo ad eoſdem vſus depromi poſſent.

Torquere, tormentum inferre cauſſa veri inueſtigandi. Donatus: Torquemus hominem, extorquemus veritatem, tot. tit. D. & C. de quæſtio.

Torquere ius per interpretationem, peruertere. Cicero pro Aul. Cecinna: Iuris retinere ſententiam, & æquitatem plurimum valere oportere, an verbo, ac litera ius omne torquere, &c. Inde:

Tortores legum, ſæpe apud claſſicos auctores,

Tortura poteſt quandoque fieri in domo, non in iudicio, quando tabulæ teſtamenti patris, qui à familia interfectus dicebatur, priuſquam quæſtio de ſeruis haberetur, apertæ & recitatæ ſunt: vt in l. ſi ea quæſtio. C. de his, quib. vt indign. & ibi not. doct. circa gl. 2. vide Parid. Puteium in tract. de tor.

ad Torturam inferendam quæ exigantur. l. 3. & illic Cyn. C. de quæſtion. & vide Hippolyt. de Marſil. tractatu quæſtion.

Torrens eſt, inquit Vlpian. l. j. de flumin. qui Græcè χείμαῤῥος, id eſt, vt ait Homeri interpretes, ὁ χειμῶνος ῥέων ποταμὸς, καὶ πληρούμενος ἀπὸ μεγάλων ὄμβρων. Feſtus verò lib. 17. Torrens, ait, ſignificat fluuium ſubitis imbribus concitatum, qui alioquin ſiccitatibus exareſcit. Flumẽ hibernum vocauit Horatius.

Totum aliud integrale, aliud vniuerſale. Totum integrale nihil aliud eſt, quàm integrum quiddam ex pluribus inter ſe cohærentibus conſtans, quod quidem artificiale dicitur, vt nauis, ædificium. l. rerum miſtura. D. de vſucap. hoc alienari prohibito, & pars alienari prohibita videtur. l. dotale. §. prædij. D. de fund. dotal.

Totum quid ſignificet, notatur. l. j. D. pro ſoc. apud interp.

Totum, & omne ſic differunt, quod Totum dicimus vnius corporis plenitudinem, omne de vniuerſis.

Totum factum dicitur, id quod omnibus partibus ſuis cohæret. l. j. D. de orig. iur. Quæ ad hanc vocem pertinẽt reliqua à Dialecticis petas velim.

Totum figuratè pro ſingulis partibus ponitur, vt quo anno, pro quota anni parte.

Toxeyma apud Græcos quidẽ proprio nomine vocatur id, quod ab arca mittitur: apud nos autem communi nomine & telum appellatur. l. ſi caluitur. D. de verb. ſignific.

Τοξικαὶ feneſtræ, apud C. Harmenopulum in his quæ ex Iuliano architecto retulit, ſunt obliquæ & anguſtiores feneſtræ, veluti quibus etiam hodie tela emitti ſolent aduerſus hoſtes: ſicque exponit Symmachus in Ezechielem, vt refert Cuiac. Obſer. lib. 13. c. 30. qui etiam addit, ſe putare has in Conſtitutione Zenonis de ædificiis priuatis, & in Nouell. 165. ſignificari, dum vetat vicino auferri vſum feneſtræ apertæ, maris proſpiciẽdi cauſſa, etiamſi ea ſit obliqua & coacta. Virgilius, inquit idem, obliqua luce dicit, & incertas feneſtras, lib. 3. Æn. vbi tamen Turneb. Adu. lib. 4. c. 22. inſertas legi mauult, id eſt quæ ædibus inſertæ, & interpoſitæ erãt. vt apud Lucretium:

Inſerti fundunt radij per opaca domorum.

Trabea, τήβεννος, palmata tunica, Regum veſtis, & poſterioribus temporibus Conſulum, vti patet ex l. j. C. de pub. lætit. & l. j. C. de conſul. lib. 12. Trabea, inquit An. Cornutus, erat togæ ſpecies, ex purpura & cocco, qua operti nobiles Romanorum initio præcedebant.

Tʀᴀʙᴇs proprie,vt Feſtus ait,ſunt duo tigna, ædificij gratia ſimul compacta.Nam cum ſimplicia ſunt,non trabes,ſed tigna dicuntur.Paul.l.quòd ſi neque.de peric.& commo.rei vend.Videri autem trabes traditas, quas emptor ſignaſſet.

Tʀᴀᴄᴛᴀʀᴇ pecuniã,id eſt,adminiſtrare.Cic.in Verr.

Tʀᴀᴄᴛᴀᴛᴠs propriè eſt locus communis longe & late patens:vt ſi quæratur quæ actio competat ex cauſſa ob rem dati:quæ quidem quæſtio minores amplectitur multas:vel ſi quæratur de facto,aut de æquitate: nam & harum quæſtionum varia longa,difficilis definitio eſt.Atque ita tractatus ſumitur.l. qui quadringẽta.88.C.ad leg.Falcid.Dixi τῶν ἀπόρων hanc quæſtionem eſſe,qui tractatus apud dialecticos τοῦ ψευδομένου dicitur.Sic l.vlt.D.ſi pars hæred. pet.Alias pro quæſtione, vt l.5.in princip.& §.pen.D.de præſcript.verb.l.32.§.de officio.D.de arb.Hinc tractatu habito.l.9.D.de grad. & adfin.At in l.32.D.pro ſocio.Tractatu habito,id eſt conuentione,quæ contractum præcedit Gallis,*Pourparlé.*

Tʀᴀᴄᴛᴀᴛᴏʀᴇs.l.3.C.de can.larg.tit.l.nulli.C.de numerat.l.vlt.C.de excu.Nou.28.30.128.129.147.iidem qui chartularij,qui ſcilicet tabulas vel chartas fiſcaliũ debitorum tractant,agunt.adminiſtrant.Cuiac.

Tʀᴀᴄᴛᴏʀɪæ , ſunt duplomata & literæ euectionis publicæ,præbitioniſque, id eſt quæ dantur miſſis vel euocatis à principe curſu publico vtentibus,adſcriptis etiam ſtatiuis,id eſt diuerſoriis & manſionibus,quibus alantur ſumptu publico.nam quos euocabãt, aut mittebant,eis non tantum equorum publicorum copiam dabant,ſed & viatica. Hinc Rubr.de tractoriis & ſtatiu.libr.12.C.Sic enim ea Rubrica emendanda eſt, vt & l.2.C.de deſertorib.lib.12.& l.pen.de curſu pub. eod.lib.in quibus Tractatoriæ pro Tractatoriis perperam ac mendoſè vulgò legitur.Sed & in l.j. C.de tractor.& ſtat.vbi impreſſi codices,Tractatores cum ſtatiuis,rectiùs & Rubricæ conuenientiùs ſcriptorum codicum auctoritate freti legemus, Tractoriæ cum ſtatiuis.Huius noſtræ ſcripturæ veritatem præter veteres libros, etiam impreſſi Beati Auguſtini codices comprobant:in quibus, Epiſto. x v. ita ſcriptum eſt, Tractoria ad me denuo Idib.Nouemb.venit. Quæ & mox tractoria epiſtola ibidem appellatur. Et in libr. poſt collatio.contra Donatiſt.c. xxiiij. A primatu ſuo per tractoriam ſunt euocati. Formulam tractoriæ legatorum ex Marculphi libro hanc profert I.Cuiac. Ille princeps omnibus agẽtibus in illo loco.Nos Gaium I.V.partibus illis legationis cauſſa direximus:ideo iubemus vt locis conuenientibus eidem à vobis euectio ſimul & humanitas miniſtretur,hoc eſt verhedi, ſiue parauerhedi tot, panes tot, vini mod.tot, ceruiſiæ mod.tot,lardi lib.tot,carnis tot,porci tot,porcelli tot, veruecces tot, agni tot,anſeres tot,phaſiani tot, pulli tot,oua tot,olei libras tot,gari libras tot, mellis tot, aceti tot,cumini tot,piperis tot,coſti tot, caryophylli tot,ſpici tot,cinnamomi tot,grani maſticis tot, dactylæ tot,piſtaciæ tot,amygdalſi tot,ceræ lib.tot,ſalis tot, olerum leguminum carra tot,faculæ tot,pabuli equorum carra tot.Hæc omnia tam eundo quam redeundo eidem miniſtrari in locis ſolitis & impleri ſine mora procurate.Et ita Tractatoriam ſiue tractorias accipi etiam oportet in l.pen.C.de curſ. pub.ang. & parang. l.2.C.Th.de dom.& protect.& in lib.3.leg.Langobardarum tit.6.& tit.j.c.37.& in Conſtit.Caroli Magni. Siquis literas noſtras deſpexerit,id eſt tractoriam,quæ propter miſſos recipiendos dirigitur.Et alio loco: Vt miſſi noſtri accipiant ſecundum quod ſua tractoria continetur.Euſtathius ita definiuit lib.de temporibus: τρακτωρέιαι ἐλέγοντα αἱ κελεύσεις αἱ παρὰ τῶν ἐπάρχων προφάσει ζώων δρομικῶν γινόμεναι, ἃς καὶ κομβίνας ἡ αὐτὴ γλῶσσα καλεῖ ῥωμαίων, τοῦτ' ἔστι συνθήματα.

Tʀᴀᴄᴛᴠs temporis.l.12.l.43.§.vlt.D.de procuratorib.l. 30.D.de diuerſ.regul.iur. Tractus pro plaga & regione l.4.C.de ſumma trinit.l.2.C.de offic.præf.præt. Valer.lib.7.c.j.Mauritaniæ & Numidiæ,ceterarúmque illius tractus gentium.Frontin.lib.j.de aquæductib.Ea namque eſt,quam omnes tractus eius per vicẽ in modulos certos diſpenſatam accipiunt.

Tʀᴀᴅᴇʀᴇ propriè de facto intelligitur, non de iure. Sic,l.ſi rem tradi.D.de verb.oblig.& l.ſi rem tradi.D. de actio.empt.Pro dare tamen nonnunquam vſurpatur.l.j.§.j.Tradere autem dicitur quaſi trans dare:& ita in Legibus ſcriptum prodidit Feſtus. Tránſque dato. & Accius apud Nonium veteri lectione: *Remíſque nixi properiter nauem in fugam tranſdunt.*

Tʀᴀᴅɪᴛᴠʀɪ, vetuſtè pro traditum iri.Paul.l.47.D.de rei vindic.Non aliter litem æſtimari à iudice,quàm ſi cauerit actor quod per ſe non fiat poſſeſſionem eius rei non tradituiri.Iulian.l.47.§.3.de fid.lib. Cum ſub conditione legato ſeruo libertas datur, non aliter fideicommiſſario tradi debet,quàm vt caueatur exiſtẽte conditione tradituiri.

Tʀᴀᴅɪᴛɪᴏ, Theophilo noſtro eſt tranſlatio ἀπὸ χειρὸς εἰς χεῖρα,de manu in manum.ſed de ea traditione videtur tantum intellexiſſe, quæ ex vna tantum parte fit, veluti de manu mea in manum tuam,non de reciproca.Quæ tamen definitio vim traditionis perfectè non explicat.Fieri enim poteſt vt res cuius tu poſſeſſor nõ es,de manu tua in manum meam tranſeat, me etiam mox forſitan reddituro eadem ipſam rem, aut derelicturo:nec tamen ſit traditio.Verior (vt vult Cuiacius) hæc definitio eſt:Traditio eſt datio poſſeſſionis.l.3.D. de act.empt.l.ſi rẽ tradi.D.de verb. oblig. vbi eſt πλοκὴ elegans,dum ait eum qui tradi ſtipulatur,tantum tradi ſtipulari,id eſt poſſeſſionem dari, non proprietatem. etſi Tradere nonnunquam pro dare vſurpatur:nam in vſu eſt,vt quemadmodum ait.d.l.ſi rem.intelligatur factum tradendi verbo,non ius. Dicitur autem traditio in venditione,permutatione,legato,donationíſve cauſſa.l.qua ratione.§.3.D.de acquir.rerum dom.Olim autem proprie Traditio erat alienatio rerũ nec mancipi,vt notat Vlp.c.Inſtit.19.vbi etiam addit: Nec mãcipi rerum dominia ipſa traditione adprehẽdi. Atque proprie traditio rerum corporalium eſt,incorporales enim res traditionem non recipiunt.l.ſeruus.43.D.de acquir.rer.dom.quippe cum in his vſus iuris pro traditione cedat.l.vlt.D.de ſeruit.

Traditionis verbo, in l.traditionibus.C.de pact.Imperator vtitur impropriè,nempe pro datione. Viciſſim in l.ſi vt certo.§.nunc videndum.ſumitur verbum dare, pro tradere.

Traditio ex legitima cauſſa,ſeu titulo,producit poſſeſſionem,& rurſus poſſeſſio producit vſucapionem,& dominium:quæ ſic cohærent, vt intellectu Iuris ſeparari non poſſint,ſi conſtare debeat vſucapio.l. traditio.in fi.D.de acquirendo rerum dominio. Falſum eſt enim Accurſij commentum,quòd verba per hanc non referantur ad poſſeſſionem.Vnde fit,quòd aliàs dicitur titulus poſſeſſionis,alias titulus vſucapionis. Vlp. in l.j. in princ.pro ſuo.

Tʀᴀᴅᴠᴄᴇʀᴇ in l.ſi duo.D.vti poſſid.in Pandect.Florenti.tranſducere,& rectius,vt dictio,vet.libri, & res & ſpecies.d.l.ſi duo.te docebunt.

Tʀᴀʜᴇʀᴇ, inuitum ducere.l.j.& ibi Bart.C.de agri.& cenſit.& vide.c.j.de for.comp.lib.6.

Tʀᴀɪɪᴄɪ vectores dicuntur, qui in vlteriorem ripam, vel litus exponuntur.l.5.D.naut.caup.ſtab. Traiicitur pecunia,quæ trans mare vehitur.l.39.D.de admin. tutorum.

Traiicere armenta.l.12.D.de ſeruit.ruſt.præd. Et Traiicere

iicere aquæductum.l.11.§.j.D.de public.

TRAIECTITIA pecunia eſt,quæ trans mare periculo creditoris vehitur,ſiue illa ipſa exportetur, ſiue etiam merces ex ea cõparatæ, reportentur:modò creditoris vtræque periculo nauigent.vti patet ex l. j. D.de naut. fen.& l.122.§.j.D.de verb.oblig. Iulius Pollux, fenus ἑτερόπλουν,quod pro commeatu:ἀμφοτερόπλουν, quod etiã pro remeatu ſoluitur,appellat.

TRANSCRIBERE, ius ſuum in alterum transferre:deriuata locutione ex eo, quod veteres (vt ſcribit Donat.)in foro & de menſæ ſcriptura,magis quàm ex arca domóque pecunias numerabant.nam quod argentarius Titio acceptum tulerat,id ſi Titij volũtate Mæuio acceptum ferret, Titiíque nomen expungeret, Tranſcribere dicebatur.Proc.l.12. D. de præſcr.verb. Conueniſſe inter eos,vt eos fundos, ſi ipſe vellet,eodem precio mulier tranſcriberet.Caius in l.13. D. ad S. C.Vell.Aut ſi hæreditatem emerit, & æs alienum hæreditarium in ſe tranſcribat.Impp.l.iubemus.14. C. de ſacr.eccl.Poſſeſſionem eccleſiaſticam tanquam nullo iure tranſcriptam, in iure ipſius atque dominio permanere.Vlp.l.41.§.9.de leg.& fid.lib.32. Agri plagam, quæ eſt in regione illa Mæuiis tranſcribi volo, precio facto viri boni arbitratu.Seruius in illud Æneid.7.

Et tua Dardaniis tranſcribi ſceptra colonis?

Trãſcribi,inquit,id eſt tradi.Sermo autem hic tractus eſt de pecunia.

TRANSFERRE, in Iure aliquando retinet propriam ſignificandi vim:vt ſit,ferre aliquid de loco ad locum, vel de perſona ad perſonam,vel de tempore ad tempus.Inde dicimur transferre domicilium, transferre legatum,hoc eſt,in alterum conferre.D. de adimẽdis, vel transferend.legat.

Transferre,aliàs ſignificat ita transfundere,vt quod prius erat,prorſus perimatur, vt transfundere obligationẽ. l.j.in princ.D.de nouationibus.

Transferri aliàs dicitur id quoque,quod non omnino recedit à transferente,vt in l.ſi is cuius nomine.D.de interrogationibus.& l.j.§.qui mandatam. & l.ſeq. D.de offic.eius,cui mand.eſt iuriſdict.

TRANSLATIO legati eſt, cum teſtator id quod alicui legarat,aut à perſona in perſonam transfert:aut ab eo qui dare iuſſus eſt,transfert vt alius det:aut cum rem pro re dari iubet aut quod pure datum eſt, ſub conditione transfert.l.5.D.de adim.& transf.

Tranſlatio litis vel iudicij eſt, cum iudicium ab aliquo ſuſceptum in alterũ transfertur.l.25.& l.27. D.de procur.l.17.§.ſed et ſi.D.de iniur.

TRANSLATITIA, inquit Aſconius, veteres dixerunt non noua,nec nuper inuenta,ſed aliunde tranſlata.

Tranſlatitia edicta, quæ ex ſuperiorum Prætorum albo tranſcribebantur.Cic.Verrin.3. In re tam vſitata ſatis eſt oſtendere omnes antea ita ius dixiſſe,& hoc vetus edictum tranſlatitiúmque eſſe.Gell.lib.3.c.pen.Hoc ſignificabat edictum,quo nunc quoque COSS. cũ Senatores in curiam vocant, ſeruandæ conſuetudinis cauſſa tranſlatitio vtuntur. Hinc:

TRANSLATITIE, negligenter, defunctoriè: tranſlata locutione ab edictis tranſlatitiis,quæ nullam diligentiam requirebant.Marcianus.l.j.§.3.D.ad S. C.Turpill. Præuaricatorem eum eſſe oſtendimus, qui colludit cũ reo,& tranſlatitiè munere accuſandi defungitur. Vlp. l.j.D.de iure patr. Patronorum querelas aduerſus libertos Præſides audire,& non tranſlatitiè exequi debent.Item Papin.l.55.§.j.ad S.C. Trebel. Sed nec illud tranſlatitiè omittendum eſt, id eſt prætereundum eſt.

TRANSFVGA non is ſolum accipiendus eſt, qui aut ad hoſtes,aut in bello transfugit:ſed & qui per induciarũ tempus,aut ad eos cum quibus nulla amicitia eſt, fide ſuſcepta transfugit.l.poſtliminium.19.§.3.D.de cap.& poſtlim.Feſtus autem ſic:Perfugam Gallus Ælius ait, qui liber aut ſeruus,aut hoſtis ſui voluntate ad hoſtes tranſierit,qui idem dicitur Transfuga.quanquam ſunt qui credant Perfugam eſſe,non tam qui alios fugiat, quam qui ob ſpem commodorum ad quempiam perfugiat.

Transfuga metalli,qui ex metallo refugit, in l.12.§.ſi deportatum.D.de capt.& poſtl.qui alias Refuga dicitur.

TRANSFVSIO à Tranſlatione hoc diſtat,vt gl.in l.j.de nouatio.putat,vt ſi quid nouatur in eadem perſona, transfuſio ſit:in altera verò tranſlatio vocetur:cùm tamen Transfundere proprie ſit,ab vno ad alterũ tranſferre.Itaque videtur Iuriſcon.vtrũque pro eodem accepiſſe:quod ſatis ſequentia verba, ſi perpendantur, innuere etiam videntur.

TRANSIGERE verbum & generaliter vſurpatur, & ſpecialiter.Generaliter pro quauis conuentione, vt quoquo modo ad finẽ perducatur aliquod negotium, Tranſigi dicatur,ídque bifariam:primum vbi nulla eſt controuerſia,ſed ſponte negocium aliquod contrahitur:veluti in l.j.§.j.D. de pact. Conuentionis verbum generale eſt ad omnia pertinens, de quibus negocij contrahendi tranſigendíque cauſſa conſentiunt, &c. Hinc illud Ciceronis in Orat.pro Cluent .Manilius rẽ cum Oppianico tranſigit,pecuniam ab eo accipit.itaque Tranſigere & Decidere Cicero pro eodem vſurpat:veluti Verrin.4.Quod vnquam huiuſmodi monſtrum audiuimus?qui cum reo tranſigat, pòſt cum accuſatore decidat?Deinde cum orta controuerſia deciditur.l.j.D.de teſtam.quemad.aper.l.6.D. de tranſact. Sic in ea pro Comœdo:Criminatio tua quæ eſt? Roſcium cũ Flauio pro ſocietate decidiſſe, Defenſio mea quæ eſt?Roſcium pro ſua parte cum Flauio tranſegiſſe.Sic iureiurando tranſigi negocium dicitur in l. 2. & l.admonendi.31.D.de iureiur.Et ſententia tranſigi.l.13. §.pœna grauior.D.de his qui not.infa.l.j. §.ſicut.D.ad Turpil.l.5.D.de decur.l.15. D.ad municip. Sic Paulus.l. 46.D.de rei vind.Tranſegiſſe,inquit, cum eo, & deciſiſſe videor,eo precio quod ipſe conſtituit.

Tranſigi negotia accipimus.l.2.D.ſi quis cautio.& l.j.§.j. D.de pact.Et velut pacto tranſegiſſe videtur de credito,qui contentus fuit pignora poſſidere.l.15.§.ſi pign. D.de re iudic.

Trãſigere verò ſpeciatim & peculiariter ſub tit.de trãſactio.accipitur,pro de lite iam mota vel mouenda, aliquo dato,vel retento,vel promiſſo decidere. l. tranſactio.C.illo tit.denique in hac ſignificatione tranſigi gratis non poteſt.eáque eſt inter Tranſigere & Paciſci differentia:quòd is qui trãſigit,quaſi de re dubia, & lite incerta neque finita tranſigit:qui verò paciſcitur donationis cauſſa,rem certam & indubitatam liberalitate remittit.l.j.D.de tranſactionibus.

TRANSACTA finitáque,in Senatuſconſulto Tertylliano,ſic accipimus,tranſactione compoſita, longioríſque temporis ſilentio.l.j.§.vlt.D.ad S.C.Tertyll.l.230. D.de verb.ſignific.quæ ipſa inſcriptione ſuadente eo referenda eſt:nam ad ſolam cõuentionem & compoſitionem,vel vt Græci dicunt συμβιβαστικόν, iis in locis Tranſigendi verbum refertur.Paulus verò libr.ſingulari de tacitis fideicommiſſis, tranſacta finitáve intelligenda ſcribit nõ ſolum de quibus controuerſia fuit, ſed etiam quæ ſine controuerſia ſint poſſeſſa.l.229 D. de verb.ſignific.

Tranſactum autem dicitur ſiue Aquiliana ſtipulatione, acceptilatione perempta ſiue pacto ſit tranſactum.l.2. D.de tranſact.vtroque enim modo trãſactiones fiunt. l.15.C.eod.tit.

TRANSACTIO proprie appellatur, cum aliquo dato vel retento,vel promiſſo,timore præſentis vel futuri iudicij,in re dubia conuentum deciſúmque eſt, l.j.D.

de tranſact.& l.38.T.eod.Generaliter autem accipitur pro quocunque actu,quo concordia inducitur, vel ab obligatione receditur.l.j.D.de pact. vel ad finem aliquid deducitur.Et quò magis latiſſima tentandæ tranſactionis occaſio præberetur controuertentibus, erat olim poſterior Feriarum pars, hoc eſt, poſt diuinum cultum reliqua,ad componendas lites deſtinata.Vide l.vlt.C.de fer.& Alciatum in l.tranſacta.de verb.ſigni. in lib.de orthograph.Dicitur etiam Tranſactum.l.vlt. C.ſi aduerſ.tranſact.

TRANSIVNGI iumenta dicuntur,quæ in quadrigis loco mutantur:& in diuerſam partem, vt à dextra in læuam,aut contra iunguntur.Vlpianus.l.38.§.5.D.de ædil. edict.Quæſitum eſt,ſi mula talis ſit,vt tranſiungi non poſſit,an ſana ſit.Et ait Pomp.ſanam eſſe.pleraſque denique carrucharias tales eſſe, vt non poſſint tranſiungi.Idem ait,ſi nata ſit eo ingenio aut corpore, vt alterum iugum non patiatur,ſanam non eſſe.

TRANSMITTERE hæreditatem,pro,transferre, relegare.Obſeruandum tamē,quòd hæreditas non adita, regulariter ad alios non tranſmittitur.l.quoniam ſororem.C.de iure delib.l.vnica.§.in nouiſſimo.C.de cad.tollēd.& vide Bald.l.vnic.C.de iis, qui ante apert. tab.Iaſ.in l.ſi infanti.C.de iure deliberandi.

TRANSVEHIMVR, ſiue id ratibus in mari,aut curru per terram fiat.Apud Iuriſconſult.verò in l.2.D.de in ius vocand.cum ait,Sed nec eum,qui equo publico in cauſſa publica tranſuehatur:ad tranſuectionem equitum referri debet,à Fabio Maximo inſtitutam. Liuius lib.9.in fi.Ab eod.Fabio inſtitutum dicitur, vt equites Idib.Quint.tranſueherentur. quod iiſdem verbis tradit Val.Max.lib.2.c.de inſtit.antiquis, tum hoc addit: Equeſtris verò ordinis iuuentus omnibus annis bis vrbem ſpectaculo ſui ſub magnis auctoribus celebrabat,die Lupercalium,& equitum probatione. Equitū probationem eiuſmodi, tranſuectionem appellans,à Græcis ὀχεῖσθαι διὰ τῆς ἀγορᾶς explicatur illud tranſuehi: nam ſimilem legem fuiſſe apud Athenienſes teſtis eſt Demoſth.in Oratio.κατὰ Μειδίου. Cuiac.autem in illo Vlpiani loco,pro in cauſſa publica,in Capitolium legi vult,vt Plinius:vel in Caſtoris Pollucis, vt Dionyſius. Hinc

TRANSVECTIO, πάροδος à Plutarcho in Pompeio vocatur,qua ad ſedentes in foro cenſores,vnumquenque equitem equum ſuum adduxiſſe ſcribit, & de ſtipendiis legitimis confectis interrogatos,rationem iis reddidiſſe.πομπὴν τῶν ἐχόντων δημόσιον ἵππον vocat Dionyſius.Tranſuectionem hodie Monſtram vocamus,cum equites ſollemniter recenſentur.

TRANSVERSARIVM,in l.habitatores.D.loca.videtur ſumptum pro aduerſarium.

TRANSVERSALES, qui ex latere iunguntur,Inſtitut. de gradib.cog.

TRAPETVM in l.19.§.illud.D.loca.molæ quæ in altum ſublatæ deprimebantur, quibus oleæ confringebantur.vide Iſidorum libr.vlt.Etymol.cap.14.In Lexico B. Germani,Trapetum,ἐλαιῶν μύλος, & ἐλαιουργεῖον redditur. Plin.lib.xv.c.6.de oleis agens,Poſtea,ait,inuentum,vt lauarentur vtique ferventi aqua,protinus prælo ſubiicerentur ſolidæ(ita enim amurca exprimitur) mox trapetis fractæ premerentur. Columella lib.12.c. 50.Oleo autem conficiēdo,inquit,molæ vtiliores ſunt quam trapetum. Trapeti concinnandi & ædificandi rationem vide apud Catonem de re Ruſt.tit.20. & 22.

TRAPEZOPHORA in l.3.D.de ſupel.leg. Pollux lib.10. Onomaſt.c.19.τράπεζαν ἐφ' ἧς τὰ ἐκπώματα κατέκειντο, id eſt,menſam in qua vaſa potoria collocabantur, τραπεζοφόρον recenti ſignificatione dictam ſcribit. Apud Paulum tamen in d.l.3.Trapezophoram intelligere malim columellas ſiue pedes quibus impoſitæ ſuſtinentur menſæ.idque verbi Etymologiæ magis conuenit.τράπεζα enim menſa eſt,& φέρω,fero.

TREBELLIANVM Senatuſconſultum,Vide S.C.Trebellianum.

TREMERE eſt ob concuſſionē ſtare non poſſe, in auth. de fid.inſtrum.Hinc Tremor in §.j.in auth.iuſiur.quod præſtat.ab iis.

TREMISSES,l.pen.in princip.C.de excoct.& tranſlat. milit.anno.& l.3.C.de milit.veſte,eod.libr.aureorum, ſiue ſolidorum tertiam partem valentes nummi.quos poſteriorum Impp.tempore ſiliquas octo pependiſſe non dubium eſt: quandoquidem ex eorum conſtitutione duos & ſeptuaginta ſolidos ex libra conflatos conſtat.

TRESSIS ſunt tres aurei,Iac.Cuiacio.lib.Obſeruation. ſeptimi.c.33.

TREVGA, pro induciis, ſecuritas eſt præſtita perſonis & rebus ad tempus aliquod, bello nondum finito, vt dicit gl.in c.j.de treug.& pac.Interpretes aiunt, Induciæ ſunt ad modicum tempus: Treuga in longum extenditur.l.poſtliminium.§.induciæ.D.de cap.& poſtlimin.reuerſ.& not.D.de pact.cōuent.vide extra de Treug.

TREVIRI, vide TRIVMVIRI.

TRIBVLI, vel vt Græcè τρίβολοι,machinulæ ſunt ferreæ, doloſæ,trigona,aut tetragona forma,quæ in quācunque partem incubuerint,vnum aut plures aculeos infeſtos protendunt. Plutar.in Apophtheg. Κατασπεῖραι τριβόλους σιδηροῦς,ὅπως μὴ διαμένοντες οἱ πολέμιοι προσμάχωνται τοῖς χώμασιν.Id eſt,Spargere tribulos ferreos,ne hoſtes aggeribus inſiſtētes, pugnam illinc ciere poſſent.Hoc autem verbum perperam legitur in l.quidam Iberus. D.de ſer.vrb.præd.pro Tubuli,de quo vide infra.Tribuli autem Latinis murices dicuntur, Lingua vernacula,calciatrappæ.

TRIBONIANVS natione Pamphilus,Imper.Iuſtiniani Paredrus fuit: quem magiſtratum Romani Quæſtorem,Latini Iuriſconſultum vocant. Vir fuit moribus & artium omnium diſciplina nulli ſecundus. Iuſtum ſectabatur lucrum: ſingulis diebus leges aliquas aut antiquabat,aut cōdebat:vt ex vſu eſſe videbat. Ingenio ita miti & manſueto fuit, vt nihil à quoquam ingratum ſit paſſus.iiſque moribus ac doctrina ſingulari vnicū auaritiæ morbum obſcurabat. Hæc Procopius lib.de bello Perſic.j.

TRIBVNAL, vt Iſidorus definit,locus ſublimis, & editus,in quo conſidentes magiſtratus ius dicunt.l.pen. D.de iuſtit.& iur.Pro tribunali enim ſoli magiſtratus ſedebant.Vnde ius dicentem hac periphraſi nonnunquam Iuriſcoſſ.demonſtrat, Qui Tribunali præeſt: &, Qui pro tribunali cognoſcit.l.j.§.pen.D.de iudic.l.2. D.de re iudic.

Tribunali autem præerant magiſtratus curules duntaxat,quibus curulis ſellæ ius erat:veluti Conſules, Prætores,Ædiles:& in prouinciis,Præſides, ac Proconſules.Minores vero magiſtratus ex ſubſelliis, vt ſcribit Aſconius, ius dicebant, veluti Tribuni, Quæſtores, Triumuiri.Vitruuius lib.5.c.j.de baſilica Iulia loquens: Item tribunal eſt in ea æde hemicicli ſchematis,minore curuatura formatum.eius autem hemicyli in fronte eſt interuallum, pedum. 46.introrſus curuatura pedum.15.vti eos qui apud magiſtratus ſtarēt, negociantes in baſilica ne impedirent.De tribunali Conſulis R. qui Macedonibus terrori erat,Liuius libr.45.ſic loquitur:Aſſuetis regio imperio formam terribilem præbuit tribunal:ſummotor aditus,præco,aſcēſus,inſueta omnia,&c.

TRIBVS apud Romanos tres à Romulo inſtitutæ ſucceſſu temporis, & increſcente ciuium numero, ad numerum.35.perductæ ſunt, in qua ciues Rom.erant diuiſi:

uiſi: quarum nomina infra ſcripſimus, & ſcriptores aliquot qui de his meminerunt appoſuimus ex Manutio, vt quicquid de iis in auctoribus reperitur, facilius intelligi poſſit, ac certior vnicuique harum cognitio ſit.

Æmi. Æmilia. Cicero ad Atticum lib.2. Liuius libr.38. antiquæ inſcriptiones.

Ani. Anienſis. Cicero pro Plancio. Liuius libr.10. antiquæ inſcriptiones.

Arnienſis. Cicero in Agraria.2. in Rullum, Liuius libr.6.& lib.29. vbi corrupte legi putamus. Natnienſis. nam lapis antiquus, quem Vulſiniis in templi parietibus vidimus, expreſſam Arnienſis mentionem continet.

Cla. Claudia. Liuius lib.2. Virg. lib.7. Dionyſius Halic. lib.5. antiquæ inſcriptiones.

Clu. Cluſtumina. Cicero pro Plancio, pro Balbo, antiquæ inſcriptiones.

Col. Collina. Varro lib.4. de ling. Lat. Plinius libr.18.c.3. Feſt. antiquæ inſcriptiones.

Cor. Cornelia. Liuius lib.38. antiquæ inſcript.

Eſq. Eſquilina. Varro libr.4. de ling. Lat. Plinius libr.18.c.3. Feſtus, antiquæ inſcrip. eſt præterea in ædibus viri optimi, valdéque eruditi, Gentilis Delphinij Romani fragmentum antiqui lapidis cum hac tribu.

Fab. Fabia, Horatius epiſt.6. libr.j. Suetonius in Auguſto, antiquæ inſcriptiones.

Fal. Falerina: Liuius libr.9. Neapoli antiquus lapis eſt ita inſcriptus: C. PISTORIO. C. F. FAL. FIRMO ÆDIL. II VIR. CVRATORI. OPER. PVBLICOR. item Ioſephus ἐν τῷ τῆς ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας λόγῳ ιγ κεφαλῇ ιζ.

Gal. Galeria. Liuius lib.27. Plinius lib.7.c.49. etſi, pro Galeria, legitur Galerius, ſed corrigendus locus eſt ex antiquo libro auunculi mei Franciſci Aſulani. & antiquæ inſcriptiones.

Hor. vel HORAT. Horatia. Scriptum in libris de hac tribu nihil eſt: in lapidibus tamen nouies nominatur, deductam ſatis conſtat à vetere familia patricia, vt alias non paucas.

Lem. Lemonia. Cicero pro Plancio, Phil.9. Feſtus, antiquæ inſcriptiones.

Mæc. Mæcia. hanc in antiquis lapidibus duobus inuenimus: C. OCTAVIO. C. F. MÆC. VERO. C. HERBACIO. MÆC. ROMANO. in libris quinquies nominatam obſeruauimus, à Tullio lib.4. ad Att. epiſt.14. à Liuio libr.8.& 29. à Valerio Max. libr.2.c.4. à Feſto.

Men. Mentina. Cicero lib.13. epiſtol. fam. Ioſephus ἐν τῷ τῆς ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας λόγῳ ιγ, κεφαλῇ ιζ. cum quibus lapides tres conſentiunt: C. VALERIO. C. F. MEN. DOLVTIO. MARCIANO. A. MVNIO. A. F. MEN. EVARISTO. C. CATIO. C. F. MEN. BALBO. C. CATIVS. C. F. MEN. GALLVS. & epiſtola nona, lib.13. Cic. Epiſt. Fam. puto tamen hanc tribum fuiſſe Meneniam potius, quam Mentinam, & corruptum eſſe Ioſephi locum deducetur enim ab antiqua familia patricia, vt aliæ octo, Æmilia, Claudia, Cornelia, Fabia, Horatia, Papiria, Sergia, Veturia. nam Publilia nomen accepit à plebeia gente.

Ouf. Oufentina. Liuius lib.9. Feſtus, antiquæ inſcript.

Cal. Palatina. Cicero in Verrem, Pedianus, Varro libro quarto de lingua Latina. Plinius libro decimooctauo capite tertio. Liuius libro vigeſimo. Feſtus, antiquæ inſcriptiones.

Cap. Papiria. Liuius libro octauo, Feſtus, antiquæ inſcriptiones.

Cob. Poblilia, quæ deinde Publilia ſcripta eſt. ſicuti ex Poblius Publius factus eſt. reperitur in lapidibus ex PVB. & PVBL. & PVBLIL. & POB. Liuius lib.7. antiquæ inſcriptio. Puto hanc eſſe, quam Feſtus Popilliam nominat: de qua Valerius lib.9. cap.10. & antiquæ inſcriptiones.

Col. Pollia Liuius libro vigeſimonono. Valerius Maximus libro ſecundo, capite quarto: & libr.9. cap.10. antiquæ inſcriptiones.

Com. Pomptina. Cicero ad Atticum lib.4. Liuius lib.7. Feſtus, antiquæ inſcriptiones.

Cup. Pupinia. Cicero ad Quintum fratrem lib.3. Liuius lib.26. Feſtus, duo antiquorum lapidum exempla extant, alterum Capuæ, D. VIBI. DI. D. F. PVB. NIGRI, alterum Patauij, C LEVSIO C. F. PVB.

Quir. Quirina. Cicero pro Quinctio. Aſconius, Feſtus, antiquæ inſcriptiones.

Rom. Romilia. Cicero in Verrem, idémque in Agraria Aſconius. Varro lib.4. de lingua Lat. Feſtus. Seruius in commentariis tertij Æneidos, antiquæ inſcriptiones. eſt etiam Ferrariæ ſemifractus lapis, intimis ſummi templi parietibus inſtratus, in quo ita ſcriptum vidimus, ITIO. T. F. ROM.

Sab. Sabatina. Liuius lib.6. Feſtus. lapis antiquus Romæ in ædibus viri eximij Cardinalis Carpenſis, CN. CORNELIO. CN. F. SAB. MVSÆO. MANCIPI. VIÆ APPIÆ.

Sca. Scaptia. Liuius libr.8. Suetonius in Auguſto, Feſtus, lapidis antiqui exemplum Romæ extat in regione Pantheonis: C. AVRELIVS C. F. SCA. SEVERVS, & item aliud, C. CRANTANIVS. SCAPTIA. MACER.

Ser. Sergia. Aſconius. antiquæ inſcript.

Stel. Stellatina. Liuius lib.6. antiquæ inſcript.

Sub. Suburana. Varr. lib.4. de ling. Lat. Cicero etiam Agraria.II. quo in loco videtur corrupte legi, ab Ocriculana: cum in libris quinque antiquis legatur, ab vſura. nam inde mihi orta coniectura eſt, legi poſſe, A ſuburana, mutatione fere nulla. Plinius lib.18.c.3. Feſtus, antiquæ inſcriptiones, & alibi.

Ter. Terentina. Cicero pro Plancio, Liuius lib.10. antiquæ inſcriptiones.

Tro. Tromentina, Feſtus. Liuius etiam lib.6. ſcripſit, Tromentina, vt opinor, non, vt impreſſum eſt, Promentina. antiquæ inſcriptiones.

Veien. Veientina, pro Plancio.

Vel. Velina. Cicero ad Atticum libr.4.& in Bruto, Horat. epiſt.6. lib.j. Perſius, antiquæ inſcriptiones.

Vet. Veturia, hoc lapide notata, C. CASSIVS. C. F. VET. & hoc, SEX. APVSIVS. SEX. F. VET. & hoc, SEX. CALPVRNIVS. SEX. F. VETVRIA.

Vol. Voltinia. Cicero pro Plancio, antiquæ inſcript. & in antiquo lapide, qui eſt Venetis in turri S. Vitalis, CN. NVMERIVS. CN. F. VOL. FRONTO.

Et hoc numero quatuor tantũ vrbanæ fuerunt, Palatina, Eſquilina, Collina, Suburbana, in quas, vt inquit Plinius, transferri ignominiæ eſſet dictæ à partibus vrbis, in queis habitabant. Reliquæ omnes ruſticæ, laudatiſſimæ, eorum, qui rura haberent: quæ propriæ ingenuorum erant, cum vrbanæ libertinorum eſſent: vt in Aſconio, & in epitome Liuiana libr.20. Aſconium autem, vbi illud in Verrem exponit, V. ET XXX. TRIBVS, cur de nominibus Sabinarum plures tribus eſſe factas dixerit, mirari non ſatis poſſum, cum à Sabinis non tribus, ſed curiæ nomina acceperint, vt inquit Liu. lib.j. & Feſtus.

Tribu mouere, erat ex vna tribu in aliam notæ cauſſa transferre, vt patet ex Liuio, Negauit, inquit Claudius cenſor, ſuffragij lationem iniuſſu populi cenſorem cuiquam homini nedum vniuerſo ordini adimere poſſe. neque enim ſi tribu mouere poſſet, quod nihil ſit aliud quàm iubere mutare tribum, ideo omnibus

quinque & triginta tribubus mouere poſſe. Ex quibus verbis manifeſtum fit, mouere tribu eſſe, ex honeſtiore tribu in minus honeſtam transferre, vt ex ruſtica in vrbanam, aut ex ruſtica in ruſticam. Vnde Plinius dixit in Vrbanas tribus transferri ignominioſum fuiſſe.

Tribus emi & comparari dicitur.l.35.D. de leg.3.ſicut militia. Id autem fiebat, cum quis in tribum vel militiam aliquo dato cooptabatur.l.11.& vlt.C.de proxim.ſacr. ſcrin.& Conſt.Nouell. 57.& 97. Vide quoque Alciat. lib.j.parerg.c.16.

TRIBVNI ÆRARII dicebantur, inquit Varro libr.4. ling.Lat.quibus attributa erat pecunia, vt militi redderent. Et Pedianus Verrina 3. Pecunia attributa eſt, quæ in ſtipendium militum de ærario à tribunis ærariis adnumerari Quæſtori ſolet. Hi magiſtratus quidem non erant: ſed qui procurationem publicam habebant, idcirco in hunc ordinem relati ſunt, eo magis quod Cicero lib.de legib.3.vbi de magiſtratibus ſe leges dare profitetur, hunc quoque adſcribit, & minorem magiſtratum appellare videtur, his verbis: Minores magiſtratus, partiti iuris plures in plera ſunto. Militiæ quibus iuſſi erunt, imperanto. Ærariíque Tribuni ſunto. Domi publicam pecuniam cuſtodiunto. Quã lectionem manuſcriptorum librorum auctoritate cõfirmari, mihi magnopere placuit. Ordinis autem nomen hoc fuiſſe, magnúmque illorum numerum extitiſſe, vel ex eo intelligi poteſt, quòd in lege Aurelia diximus, latum fuiſſe, vt iudicia quæ penes ſolos Senatores erant, cum equitibus & Tribunis ærariis communicarentur. Quòd ſi quis differentia inter Tribunos ærarij, & Quæſtores ærarij requirat, hanc me reſpondebo fuiſſe arbitrari, quòd Tribuni pecuniam in vrbe ſignatam cuſtodirent: Quæſtores, ex vectigalibus quæſitam. Illi tribuebant atque adnumerabant Quæſtoribus in prouincias abeuntibus: hi pecunias ærarij tum acceptas, tum expenſas in tabulas publicas referebant. Hotom.

Tribunus CELERVM à Romulo primùm creatus eſt, vt Liuius lib.j.teſtatur, vbi ſcribit illum trecentos armatos ad cuſtodiam corporis, quos Celeres appellauit, nõn in bello ſolum, ſed etiam in pace habuiſſe. Feſtus lib.3 Celeres, inquit, antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, à Celere interfectore Remi, qui initiò à Romulo iis præpoſitus fuit, qui primitùs electi fuerunt ex ſingulis decuriis deni, ideóque omnino trecenti fuere. Idem etiam Dionyſ.lib.2.ſcribit, & hoc amplius, Celerum alios equites, alios pedites fuiſſe. eorum Tribunos tres ſubiectos centuriones fuiſſe, rurſúſque his alios; omnéſque per vrbẽ haſtatos Regem comitatos eſſe, eiúſque mãdata obiiſſe. in militia verò anteſignanos fuiſſe, primos pugnam iniiſſe, poſtremos diſceſſiſſe: equites quidem in planitie, pedites verò in aſperis & inæqualibus locis pugnaſſe. Paulo aliter tamen Pomponius ſub tit. De orig.iur. Regum temporibus, inquit, Tribunum Celerum fuiſſe conſtat: is autem erat, qui equitibus præerat, & velut ſecundum locum à Regibus obtinebat: quo in numero fuit Iunius Brutus, qui auctor fuit Regis eiiciendi. Et paulo pòſt ait, Magiſtros equitum ita Dictatoribus eſſe iunctos, vt Regibus. Tribunos Celerum. Ouid. libr. Faſtorum.4.

Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipſe uocarat;
Sintque Celer curæ, dixerat, iſta tuæ.
Néue quis aut muros, aut factam uomere foſſam
Tranſeat, audentem talia dede neci.

Tribuni MILITVM terni Conſulari poteſtate creati ſunt, anno vrbis CCCX. cum orta inter patres & plebem diſſenſio eſſet, propter C. Canuleij Tribu. pleb. legem, qua de Conſule altero de plebe creando agebatur. Placuit igitur, vt pro Conſulibus Tribuni militum ex patritiis terni, totidémque ex plebe crearentur: qui Conſulari ac ſummo imperio Reipubl. ſummam adminiſtrarent. Verum terni tantum, iique patritij creati ſunt: plebs eo contenta fuit, quòd ſui ratio in Comitiis habita fuiſſet. Liuius lib.4.& Dionyſ. libr. 2. Pomponius.l.2.§.14.de origine iuris. Deinde cum poſt aliquot annos plebs cum patribus contenderet, & vellet ex ſuo quoque corpore Conſules creare, & patres recuſarent: factum eſt, vt Tribuni militũ crearentur partim ex plebe, partim ex patribus, conſulari poteſtate, híque conſtituti ſint vario numero: interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores.

Tribuni MILITVM in legionibus, inquit Varro, quòd terni ex tribus tribubus, Ramnium, Lucerum, Tatienſium olim ad exercitum mittebantur. Pedianus autem Verrina.2. Tribunorum, inquit, militarium duo ſunt genera: primum eorum qui Rufuli dicũtur. hi in exercitu creari ſolent. alij ſunt Comitiati, qui Romæ comitiis deſignantur. Zonaras autem libro ſecundo ſcribit eos ſic appellatos, qui imperium in mille viros obtinerent. Cicero libro tertio de legib. munus eorum his complectitur verbis, Militiæ quibus iuſſi erunt imperanto. Polyb.in 6. de Repub. Deſignatis Conſulibus poſtea Tribunos militum creant, & quatuordecim quidem ex iis faciunt Tribunos, qui habent annua quinque ſtipendia. his deinde adiiciunt decem, quos creant ex iis qui ſupra quinque vſque ad decem habent annua ſtipendia: Equites quidem qui decem omnino habent ſtipendia, pedites autem qui ſex & eo amplius habent annua ſtipendia. Liuius libro ſeptimo: Et cum eo anno primum placuiſſet Tribunos militum ad legiones ſuffragio fieri (nam & antea ſicut nunc, quos Rufulos vocant, Imperatores ipſi faciebant) ſecundum in ſex locis tenuit. Idem libro nono. Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, vtraque ad rem militarem pertinentia: vnum, vt Tribuni militum ſenideni in quatuor legiones à populo crearentur: quæ antea perquàm paucis ſuffragio populi relictis locis Dictatorum & Cõſulum fermè fuerant beneficia. Tulerunt eam rogationem Tribuni ple. L. Attilius, C. Marcius. Idem lib.42. In tribunis militum nouatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod Conſules ex S.C. ad populum tulerunt, ne Tribuni militum eo anno ſuffragiis crearentur: ſed Conſulum Prætorúmque in iis faciendis iudicium arbitriúmque eſſet. Hinc illud apud Suetonium in Cæſare: Tribunus militum, qui primùm Romam reuerſo per ſuffragia populi honor obtigit, auctores reſtituẽdæ Tribunitiæ poteſtatis enixiſſimè iuuit. Item apud Plutarchum in Catone Vticenſi: In petitione Tribunatus militaris legem quæ candidato nomenclatores adeſſe vetabat, ſolus Cato ſeruauit, per ſeipſum appellans populum. Plinius autem lib.31.cap.7.& lib.34.cap. 3. ſcribit eorum ſtipendium, Salarium dictum fuiſſe, à ſalis nomine: quòd honoribus, inquit, militiæque interponitur, ſalariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, ſicut apparet ex nomine Salariæ viæ: quoniam illa ſal in Sabinos portari conſueuerat. Macer in l. officium.12.D. de re milit. Officium Tribunorum eſt, vel eorum qui exercitui præſunt, milites in caſtris continere, ad exercitationem producere, claues portarũ ſuſcipere, vigilias interdũ circumire, frumẽtationibus cõmilitonum intereſſe, frumentũ probare, mẽſorum fraudẽ coërcere, delicta ſecundũ ſuæ auctoritatis modum caſtigare, principiis frequenter intereſſe, quærela cõmilitonũ audire, valetudinarios inſpicere.

Tribuni plebis primùm ita creati ſunt. Ann. CCLX. cùm plebs ex vrbe ad Æquorum bellum educta, propter nobilium feneratorum impotentiam, Conſulibus relictis, trans Anienem amnem collem occupauit: neque eo anno reuocari in vrbem potuit, vſquedum Senatus ei per decem Legatos promiſit, ius ipſi fore magiſtratum è ſuo corpore cõtra Patritiorum potentiam creare. Primùm autem duo, vel, vt alij tradunt, quinque creati ſunt: ſed an. CCXCVI. Horatio, Minutio Coss. decem effecti. Liuius lib. 3. & Dionyſ. lib. 6. & 10. In eandem ſententiam Pompon. l. 2. §. 2. D. de orig. iur. Iiſdem temporibus, inquit, cùm plebs à patribus ſeceſſiſſet, anno ferè ſeptimo decimo poſt reges exactos, Tribunos ſibi in monte ſacro creauit, qui eſſent Plebeij magiſtratus. Dicti Tribuni, quòd olim in tres partes populus diuiſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur: vel quia tribuum ſuffragio creabantur. Sic Varro lib. De lingua Latin. 4. Tribuni plebeij, qui ex Tribunis militum primum Tribuni plebeij facti, qui plebem defenderent, in ſeceſſione Cruſtumerina. Cice. lib. De legib. 3. poteſtatem eorum his declarat verbis: Plebs quos pro ſe contra vim auxilij ergo decem creaſſit, Tribuni eius ſunto. quódque ij prohibeſſint, quódque plebem rogaſſint, ratum eſto. ſanctíque ſunto: néve plebem orbam Tribunis relinquunto. Erat enim hic magiſtratus ſacroſanctus. Liuius lib. 3. ipſis quoque Tribunis, vt ſacroſancti viderentur, cuius rei propriè iam memoria aboleuerat, relatis quibuſdam ex magno interuallo cerimoniis, renouarunt. & tum religione inuiolatos eos, tum legem etiam fecerunt ſanciendo, vt qui Tribunis plebis, Ædilibus, iudicibus, Decemuiris nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet, familia ad ædem Cereris, liberi, liberæque venum irent. Idémque tradit Dionyſ. lib. 6. Ij viatorem quidem & prehenſionem habebant, vocationem verò nequaquam. nam (vt ait Gellius) antiquitus creati videntur, non iuri dicundo, nec cauſſis, quæreliſque de abſentibus noſcendis, ſeu interceſſionibus faciendis, quibus præſentes fuiſſent: vt iniuria quæ coràm fieret, arceretur. ac propterea ius ad ſe vocandi ademptum: quoniam vt vim fieri vetarent, aſſiduitate eorum, & præſentium oculis opus erat. hæc Gellius lib. 13. cap. 13. Scribit etiam in hanc ſententiam libri 15. cap. 27. his verbis, Tribuni neque aduocant Patritios, neque ad eos referre de re vlla poſſunt. Ita ne leges quidem propriè, ſed plebiſcita appellantur, quæ Tribunis plebis ferrent accepta. Plutarchus autem in Catone Vtic. Ius, inquit, Tribunitiæ poteſtatis magis ad impediendum eſt, quàm ad agendum: quippe cæteris omnibus collegis volentibus, vnus qui nolit & intercedat, plus poteſt. Idem in Problemat. Cur Tribunus plebis purpura non vtitur, cùm cæteri magiſtratus vtantur? an quòd magiſtratus non eſt? nam nec in ſella ius dicunt, nec ineunte anno item vt reliqui, magiſtratum ineunt, nec Dictatore creato ſe abdicant: imò quaſi magiſtratus non ſint, delato ad Dictatorem imperio, ſuam ipſi poteſtatem retinent. Cuius rei teſtimonium apud Liuium libro 7. videmus de Tribunis plebis, qui L. Manlium Dictatorem magiſtratu abire coegerunt. Idem etiam libro 6. intercedendi formulam & ſolemne verbum fuiſſe hoc VETO, ſignificat his verbis, Faxo, ne iuuet vox iſta VETO, qua nunc concinentes collegas noſtros tam læti auditis. Reperio etiam apud eundem lib. 4. Conſules à Tribunis plebis duci in vincula potuiſſe. & lib. 9. Cenſorem Appium à P. Sempronio Tribuno pleb. prehendi, & in vincula duci iuſſum eſſe. & libr. 5. Tribunos pleb. minitari ſe iuſſuros eſſe in vincula Tribunos militum duci. Apud Dionem autem lib. 37. Metellum Conſulem à L. Flauio Tribuno pleb. in carcerem ductum eſſe. Plutarchus in Problematis auctor eſt, moribus Romanorum conſtitutum eſſe, vt domus Tribunorum noctu ne clauderetur (quod & Macrobius Satur. 1. confirmat) ſed interdiu noctúque indigenti cuique eorum auxilio paterent, quaſi portus quidam & præſidium periclitantium. Maiores enim communem Tribunum eſſe voluerunt, & tanquam aram omnibus acceſſibilem. proinde honore quidem ſacroſanctos eos eſſe voluerunt, nec ſine inexpiabili ſcelere violabiles. Idem in vita Catonis Vticenſis tradit Tribunos pleb. in baſilica Porcia χρηματίζειν εἰωθότας: quod ego non Ius dicere, ſed conuentum agere, & pro collegio decreta ſua interponere, interpretandum puto. Hotom.

Tribuni militaris fit mentio in l. 12. §. vlt. D. de re milit. l. 11. l. 13. eod. tit. lib. 12. C. l. vn. C. de ſalgamo. lib. 12. l. j. C. de commeatu. eod. lib. Tribuni prætoriani in l. vlti. C. de numerar. lib. 12. l. 4. C. de apparit. magiſt. mil. Tribuni ſcholarum, l. 8. C. de erogat. mil. an. libro 12. Rub. de comitib. & trib. ſchol. & apud Marcellinum lib. 22. Tribuni vigilum, in l. penult. C. de apparitoribus magiſtr. mil. lib. 12. Tribuni voluptatum, apud Caſſiodorum in lib. Variar.

Tribuni ſcholarum ſub Rub. Cod. De comitib. & tribun. ſchol. dicuntur, qui ſcholis agentium in rebus, hoc eſt ordinibus eorum qui Rempubl. adminiſtrabant, præfecti erant. Hi Comitum honore & nomine dignabantur, Imperatoris epulis adhibebantur, & adorandæ ipſius purpuræ ius habebant, l. j. eod. Quàm porro altus honoris gradus hic eſſet, licebit ex his Hieronymi verbis cognoſcere, qui aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum ad Pammachium ſcribens: Finge, inquit, aliquem tribunitiæ poteſtatis ſuo vitio regradatum, per ſingula militiæ equeſtris officia ad tyronis vocabulũ deuolutũ, nunquid ex tribuno ſtatim fiet tyro? non: ſed ante primicerius. deinceps ſenator, ducenarius, biarchus, circitor, eques, deinde tyro. & quãquam tribunus quondam, miles gregarius ſit, tamen ex tribuno non tyro, ſed primicerius factus eſt.

Tributum ſtipendium eſt, quod appellatur ab intributione. vel ex eo, quòd militibus tribuatur, vt ait Vlpian. in l. ager. D. de verbor. ſignif. Varro lib. 4. à tribubus dictum vult, quod ea pecunia, quæ à populo imperata erat, tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur. Vide Feſtum lib. 17. Tributorum autẽ duo erant genera, vnum perſonarum ſiue capitis: alterum rei, ſiue ſoli, id eſt agris impoſitum. vt notatur l. 3. & l. vlti. D. de cenſib. Neque eorum ſententia improbãda, qui perſonale, propriè Stipendium appellandum putant, cum ſcilicet aurum, argentum, æs penderetur: Reale verò, ſiue Prædiale, cùm equi, veſtes, cæteráque ex eodem genere præſtabantur. Hinc illud Tertull. in Apologetico. Si agri tributo onuſti, viliores: hominũ capita ſtipendio cenſa, ignobiliora.

Tributa, poſtquam Auguſtus cum populo prouincias partitus eſt, appellari cœpta ſunt, quæ bello victæ prouinciæ populo quotannis pendebant: quæ verò Cæſaris prouinciæ ad belli ſubſidia inferebãt, ſtipendia ſunt vocata. Ea cauſſa eſt cur Tributa à ſtipendiis, tributariáque prædia à ſtipendiariis ſeparentur l. 13. D. de impenſ. in re. dotal. fa. l. 46. §. qui compenſationem, D. de iur. fiſc. §. per traditionem. Inſtitut. de rer. diuiſ. vbi Theophil.

Tributoria actio, de qua Iuſtinianus in §. introduxit & aliam. Inſtitut. Quod cum eo, qui in alien. datur creditoribus in dominum, quo ſciente vna cum filiofamiliàs, vel alieno ſeruo, in merce peculiari cõtraxerunt, niſi res æquabiliter inter creditores partitus ſit. L

1.& penul.D.de tribut.actione.nam Tributum hic accipi debet id, quod inter creditores ſerui negotiantis, & dominum, cui idem ſeruus quoque debet, tribuitur, hoc eſt diſtribuitur pro rata eius, quod cuique debetur. Inde tributoria actio dicitur, quaſi contributoria.

TRICENNIVM eſt tempus 30. annorum. Inde tricennalis præſcriptio: vt in c.vigilanti.de præſcript.

TRICLINIVM, locus tribus lectis conſtructus, ad diſcumbendum, l.foramen.D.de ſeru.vrba.

TRICLINARIA, veſtes Senatoriæ, quibus vtuntur in tricliniis, l.apud Aufidium.D.de optione leg.

TRIENS, tertia pars aſſis, & quatuor vncias continet, l.ſeruum meum.§.fin.D.de hæred.inſtitut. ſic ſumitur in Nouel.18.§.ταῦτα ἡμᾶς. Voluſ.Mætianus in diſtrib.aſſis trientis hanc eſſe notam ⌶ ⌶ ait. Hinc,

TRIENTES vſuræ, quæ intra tertiam partem centeſimæ concluduntur: quo modo & trientarium fenus apud Capitolinum in Antonio: & trientes penſiones apud Lampridium in Alexand.interpretari oportet.

TRIERARCHVS, interpretatur triremis princeps. τριήρης enim triremis eſt, id eſt nauis triplici ordine remorum inſtructa.l.eius.D.ad S.C.Treb. Fiduciarium, inquit, reliquit hæredem trierarchum. Item D.de bo.poſſ.l.j.Nauarchos, ait, & trierarchos claſſium. & apud M.Cicer.3.in Verrem, & C.Tacitum lib.18. qui triremibus præeſt.

TRIRETICVM in l.Septitia. D.de pollicit.falſo legitur pro τετραετηρικὸν, vt in Pand.Florent.quadriennale certamen ſignificat.

TRIFARIAM, in tres partes, l.prima §.fi. D.de mune. & hono.

TRIFINIVM, locus in quem tres poſſeſſores attingebant, id eſt in quem tres diuerſæ poſſeſſiones terminabant. Siculo Flac.in lib.de condit.agrorum.

TRIGA, trigæ, τρίιππος, quaſi triaga, à tribus equis iunctis. Cur[illegible]s dicitur, qui à tribus equis trahitur. Vlpianus in l.Æ[illegible]les aiunt. D.de ædil.edict. Etſi triga vænierit, redhibenda erit tota. ſed & ſi quadriga redhibeatur. Hinc,

TRIGARIVM, τριππεῖον, curule certamen. Plin.lib.37.c.13. Ne equos quidem in trigariis inferri vllos vernaculis animaduerto. Apud Martianum quoque Capellam lib.9. qui de Muſica inſcribitur, Trigarium, inquit, ſupplicantis ſemper germanitatis adueniat: hoc eſt, trigemina, inquit, illa mulier, ſiue tres in vnius nominis vocabulum conſpirantes.

TRIGARIVS trigarij, τριππηλάτης. Trigarum agitator. Plin.lib.28.cap.16. Ferúntque & Neronem principem hac potione recreari ſolitum, cum ſic quoque ſe trigario approbare vellet.

TRIGEMINI, tres vno partu editi: quales fuere Horatij tẽporibus Tullij Hoſtilij Romanorum Regis, l.7.D.de reb.dub.l.3.D.ſi pars hære.peta.l.137.D.de verb.obl.

TRINVM edictum, id eſt, trina citatio: quæ & Peremptoria nominatur. De cuius effectibus abundè ſatis Doctores. Sed poſt omnes, & conciſius & dilucidius Zaſius tractat, in l.contumacia.D.de re iudic.

TRIPERTITA, liber fuit Sex.Ælij, qui veluti cunabula Iuris continebat: ſic dictus quoniam lege XII.Tab. præpoſita, iungitur interpretatio, deinde ſubtexitur legis actio. Pompo.in l.neceſſarium.D.de orig.iur.

TRIPLICATIO, eſt ſecunda actoris defenſio, contra rei duplicationem oppoſita.§.j.Inſtit.de replicat. quaſi enim replicatio, conduplicatio & geminatio fuiſſet: ſic quod tertio poſt actionem loco refertetur, atque in iudicium obiiceretur, Triplicationis nomine ſignificatum eſt. At in l.2.D.de except. Triplicatio reo tribuitur, quaſi Replicationi opponatur. vbi, vt verè dicam, mendum ſubeſſe arbitror: & ex Imperatoris verbis corrigendum.

ad TRIREMES pœna, frequentiſſimum his temporibus genus eſt ſupplicij, cuius meminit Valerius lib.& cap.vltimo, ſcribens quendam iuſſu Auguſti, quod ſe Octauiæ ſororis vtero genitum ſimularet, remo publicæ triremis affixum. Sudas huius etiam meminit, οἱ μέντοι, inquit, μέτοικιον μὴ τιθέντες, μέτοικοι ἀπήγοντο πρὸς τοὺς πωλίτας, καὶ εἰ ἑαλώκοντο, ἐπιπράσκοντο, ξυνεβίβαζον δὲ καὶ εἰς τὰς ναῦς τοὺς μετοίκους. Et Ioſephus lib.17.

TRISTE auxilium appellare, l.ſerui.D.de appell. Triſtis litera, M.Ciceronis eſt.Θ.

TRITAVVS, patris & matris atauus, aui vel auiæ abauus: proaui, proauiæ proauus: abaui, vel abauiæ auus: ataui atauiæ pater, dictus quaſi tertius auus.l.3. & l.fina.§.ſexto.D.de grad. & affinit. Scribitur autem in d.l.3. triauus, triauia in Pand.Flo.

TRITICIARIA condictio, vide CONDICTIO.

Τριττύς, Tribus eſt pars tertia. Hinc Pollux lib.8. ὅτι μὴ δὲ τέσσαρες ἦσαν αἱ φυλαὶ, εἰς τρία δὲ ἑκάστη διῄρητο. καὶ τὸ μέρος τοῦτο ἐκαλεῖτο τριττὺς, καὶ ἔθνος, καὶ φρατρία. vnde τριττύαρχος dicebatur, ὁ τῆς τριττύος ἄρχων.

TRIVMPHANDI modus talis erat: Victores corona, primum laurea, deinde aurea redimiti, curru inaurato, quem quatuor equi albi trahebant, Romam inuehebantur. Præcedebat Senatus: ſequebatur populus: poſt hunc ordo militaris. Ante currum victoris ibant Duces victi, catenam ferream collo geſtantes. Et primùm omnium ad templum Iouis Capitolini, deinde per vrbem atque domum reducebantur. Cicero in Piſonem: Quid tandem (inquit) habet iſte currus? quid victi ante currum Duces? quid ſimulachra opidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis, &, tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid vehi per vrbem? Vnde ſunt, qui Triumphũ à tribus ordinibus, Senatus, populi, & militum, dici exiſtimant. M.tamen Varro lib.5.de ling.Lat. Triumphum dictùm vult, quòd cum imperatore milites redeuntes clamitant per vrbem in Capitolium eunti: Io triumphe, Io. idque, inquit, à θρίαμβῳ Græco liberi patris cognomento poteſt dictum eſſe.

TRIVMPHALIS currus forma neque bellico currui, quo Heroicis temporibus Troiani & Thebani belli, homines vſi ſunt, vt barbari Britanni & Belgæ Couino: neq; currui circenſi, quo Romæ ludis equeſtribus quadrigariis vtebãtur, & agitatores Olympiæ: ſed rotundę turri aſſimilis erat, vt Zonaras ſcribit his verbis: τὸ δὲ δὴ ἅρμα οὔτε ἀγωνιστηρίῳ οὔτε πολεμιστηρίῳ ἦν ἐμφερὲς, ἀλλ᾽ εἰς πύργου περιφεροῦς τρόπον ἐξείργαστο.

TRIVMVIRI CAPITALES, ſeu Treuiri, vel Treſuiri (inquit Pomponius) creati ſunt qui carceris cuſtodiam haberent, vt cùm animaduerti oporteret, id interuentu eorum fieret. Salluſt.in Catili. In eum locum poſtquam demiſſus eſt Lentulus, iudices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere. Hi octo lictores habebant, qui eorum iuſſu in damnatum animaduertebant. Plautus Amphitr. *Quid faciam nunc, ſi Treſuiri me in carcerem compegerint? Inde cras è promptuaria cella depromar ad flagrum. Nec quicquam ſit, qui non me omnes eſſe dignum deputent. Ita quaſi incudem me miſerum homines octo ualidi cædent.* Et in Aſinaria. *Vbi ſæpe cauſſam dixeris pendens aduerſus octo, Aſtutos audaces uiros, Valentes uirgatores.* Et paulo pòſt, *Vbi ſæpe ad languorem tua duritia dederis octo Validos lictores ulmeis affectos lentis uirgis.* Et in eadem, *Ibo ergo ad Treſuiros, ueſtráque ibi nomina Faxo erunt capitis.* Verùm illi de vilibus & abiectæ tantùm conditionis hominibus ius dicebant: vt furibus, ſeruis nequam, & apud columnam Mæniam cauſſas cognoſcebant. auctor Cicero in Diuinat. Et Aſconius in eandem. Memorabile autem eſt quod Valerius Max.lib.5.cap.3. commemorat de muliere quadam, quam Prætor damnatam Triumuiro in carcere

carcere necandam tradiderat: quam receptam is qui cuſtodiæ præerat, non protinus ſtrangulauit: aditum autem ad eam filiæ dedit:quã pòſt animaduertit exerto vbere famem matris lenientem. itaque res ab ipſo ad Triumuirum, à Triumuiro ad Prætorem, à Prætore ad Conſulum iudicium perlata, remiſſionem pœnæ mulieri impetrauit. Idem etiam lib.8.cap.4.de L.Calpurnio Triumuiro mentionem facit, à quo ſeruus quidam in crucem eſt actus. Apud Feſtum autem ſub verbo Sacramẽtum, lex Papiria legitur de Triumuiris capitalibus.Sed ſuſpicor de mendo, & MONETALIBVS legendum putarem.

TRIVMVIRI NOCTVRNI incendiis arcendis præfuiſſe dicuntur apud vetuſtiores, à Paulo in l.j.D.de offic. præf.vigil.& ab eo quòd excubias agerent, nocturnos dictos eſſe: interueniſſe etiam nonnunquam & Ædiles & Tribunos pleb. fuiſſéque familiam publicam, circa portam & muros diſpoſitam, vnde ſi opus eſſet, euocabatur.Dio verò lib.55.ita ſcribit, οἱ δὲ διὰ στενωποὶ ἐπιμελητῶν τινῶν ἐκ τοῦ δήμου, οὓς καὶ στενωπάρχους καλοῦμεν, καὶ σφισὶ καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἀρχικῇ καὶ ῥαβδούχοις δύο ἐν αὐτοῖς τοῖς χωρίοις ὧν ἂν ἄρχωσιν, ἡμέραις τισὶ χρῆσθαι ἐδόθη, ἥ τε δουλεία ἡ τοῖς ἀγορανόμοις τῶν ἐμπιπραμένων ἕνεκα συνοῦσα ἐπετράπη, καὶ τοι καὶ ἐκείνων καὶ τῶν δὲ στρατηγῶν πᾶσαν τὴν πόλιν εἰς δεκατέσσαρα μέρη νεμηθεῖσαν, κλήρῳ προσαχθέντων. ὃ καὶ νῦν γίγνεται. στενωπάρχους Dio vocat, qui Vicorum magiſtri dicebantur, quos non ſemper prætexta vſos, ſed eo tantum tempore quo ludos compitalitios faciebant, Cicero in Orat.in Piſonem, & Aſconius in eandem ſignificat. tametſi ad Auguſtum hæc potius referenda ſunt, de quo Suetonius ita ſcribit: Spacium vrbis in regiones, vicóſq; diuiſit: inſtituítque, vt illas annui magiſtratus ſortita tuerentur, hos magiſtri è plebe cuiuſque viciniæ lecti.Valerius autem Max.libr. 8.cap.j.de M.Militio, Cn.Lolio. L.Sextilio Triumuiris commemorat, qui quòd ad incendium in ſacra via exortum extinguendum tardius venerant, à Tribuno pleb.die dicta ad populum dãnati ſunt.Item de P.Bilio Triumuiro nocturno, qui à P.Aquilio Tribuno pleb.accuſatus, iudicio concidit, quia vigilias negligentius circumierat.

TRIVMVIRI MONETALES, qui & Treuiri, auro, argento, ære flando, feriundo, conſtituti ſunt:vt ſcribit Pomponius in leg.2.§. 16.De orig.iur.Itaque hos ſic inſcribebant: A.A.A.F.F.Horum igitur munus erat numiſmata probi auri & argenti, iuſtíque ponderis examinare. Hinc illud Ciceronis lib. De legib.3 Æs, argentum, aurum publicè ſignanto.Item ad Trebatium de Treuiris Gallis iocans, Treuiros vites cenſeo: audio capitales eſſe, mallem auro, æræ, argento eſſent. de illis enim Galliæ populis loquitur, qui cum capitales bellicoſique eſſent, ludit cum in Treuirorum, tum in capitalium verbo. Idem enim eſt acſi diceret: Mallem hos Treuiros pecunioſos eſſe, quam bellicoſos: vt Cæſare eos vincente, tu diteſceres. Apud Sext. Pompeium ſub voce Sacramentum, lex Papiria refertur de 3.viris capitalibus, quam potius ad Monetales pertinuiſſe arbitrarer.

TROCHLEA, quæ vox eſt apud Iuriſconſult.in l.Sed addes.D.locati.variè deſcribitur:quoniam & ipſa non vnius generis eſt.de qua Budæus videndus in Annotat.prio. Nebriſſ. ſcribit, Trochleam inſtrumentum eſſe, cum orbiculis ad eleuanda & deprimenda onera. Tympanum, inquit, & trochleas, quibus eleuatur prælum.vide Catonem cap.136.de re ruſtic.

TROPHIMA, τρόφιμα, nutrimentum, alimentum. Paulus, l.26.§.2. D.depoſ. Ex quib.debetis mihi decem, quos apud Titium depoſuiſtis: item quos trophimati, decem.

TROXIMA vua, quæ matura, edulis, & comeſtibilis eſt, inepte vino. τρώξιμος, maturus, comeſtibilis. Iuriſconſult.de verbor.ſignific.l.qui fundum. Et quæ eiuſdem generis eſſent, quas non vini cauſſa haberemus, quas Græci τρώξιμα appellant.

TRVLLA, vaſis vinarij ſeu potorij genus: apud Paul.in l.13.D.de inſtr.vel inſt.leg. Trullæ, inquit, quæ circa cœnam ſolent traiici. Et apud Vlpia.l.19.§.3.D.de auro, argen. mund. Cicer.Ver.6. Erat etiam vas vinarium ex vna gemma prægrandi: trulla excauata cum manubrio aureo. Iuuenalis Satyr.3.

—laudare paratus
Si bene ructauit, ſi rectùm minxit amicus,
Si trulla inuerſo crepitum dedit aurea fundo.

nec enim de vaſe, in quo alui proluuies effunditur, intelligi debet, vt volunt quidam.

TRVTINARI vna eadémque lance, pro pari iure eſſe, Iuſtin.prouerbij figura dixit in l.cùm quis.10.C.de nat. lib.vide Æqua lance.

Trutinari, cognoſcere l.fi.C.de iudic.

Τρυφὴ Theophilo in §.interdum.Inſtitut.de obligat.quæ ex delict.pro laſciuia.

TRYPHVS, l.idem Offilius. D.de ædil.edict. corrupte pro Atypus. vide Atypus.

TVBVS, Græcis σωλὴν, ſiue ſit fictilis, ſiue ex alia materia, fiſtula eſt, ſeu canalis variis vſibus accommodatus.Vlp.de cloa.l.j.Cloacæ appellatione, & tubus, & fiſtulæ continentur. Hinc Tubulus, per diminutionem, quod idem ſignificat. Procul. l.quidam Iberus. D.de ſeru. vrb.præd. Non licet autem tubulos habere admotos ad parietem communem. Paulus alicubi pro cuniculo ſubterraneo poſuit. Hi colores, inquit, in eiſdem tubulis inueniuntur. Hinc,

TVBVLARIVS, apud Marcellinum in princ.lib.28. Patre tubulario Præſidialis officij.

TVERI ſe pro eo quod eſt ſuſtentare, tolerare, exhibere ſe, & alere, in l.penult.& l.vlt.D.de in rem verſo.l.j.§. ſed nonnullos. D.de tutel.& rat.diſtr. Notandum eſt autem hoc verbum etiam paſſiua ſignificatione contra grammaticorum regulas vſurpari à Iuriſconſultis non ſemel, vt in l.7.D.de curatorib.fur. Conſilio & opera curatoris tueri debet non ſolum patrimonium, ſed & corpus ac ſalus furioſi. Sic l.17. D.de iniuſto rup.l.30.D.de liber.cauſ.l.5.§.ad eum autem.l.vlti.in fi. D.de legat.præſt.l.17.in fi.D.de noxalib.lib.3. C.de ſeruitutib.l.153. de decurionib.in C.Theod. Sic & Varro lib.3.de re Ruſt. capit.1. Et in pace à ruſticis Ro.alebantur, & in bello ab his tuebantur. Vitruu.lib.8. Res omnes non ali ſine elementorum poteſtate, neque creſcere, nec tueri.

TVGVRII appellatione, inquit Pomponius, omne ædificium quod ruſticæ magis cuſtodiæ conuenit quàm vrbanis ædibus, ſignificatur. Offilius ait Tigurium à tecto, tanquam tegularium eſſe dictum: vt toga, quòd ea tegamur, l.380.D.de verb.ſignif.

TVLLII, vide Salientes.

TVMVLTVM Cicer.1.in Ant.Oratio. bellum ſubitò, & derepente concitatum appellari ſcribit. Ita poteſt hoc verbum accipi in l.j.§.j. D.depoſ.l.24.in fin. D.de diuerſ.reg.iur.

TVNC in edicto Vnde vi, his verbis, QVÆ QVE IBI TVNC HABVIT, ſic accipimus, tunc cum deiiceretur, l.j.§.rectiſſimè.D.de vi & vi arm.In hac oratione, SI IN QVINQVENNIO FILIVS NASCATVR, TVNC HÆRES DATO, articulus, Tunc, extremi quinquennij tempus ſignificat, l.4.D.de cond.& demonſtr. Tunc, ex hac die, in l.126.in princip. D.de verborum obligation. quod vulgò dicimus ex nunc prout ex tunc, vel ex tunc prout ex nunc. Quandoque ſignificat tempus præteritum perfectum. Aliquando eſt taxatiuum, & reſtrictiuum, l.j. C.de procurat. & vide Bart.

de Batto.l.in ſubſtitutione.D.de vulg.

TVNICA veſtis breuior, & interior: ei enim toga ſuperimpoſita crura & tibias contegebat. Paulus l.j.D. de cont.empt.Sed an ſine nummis venditio dici hodiéque poſſit, dubitatur: veluti ſi ego togam dedi, vt tunicam acciperem. Hæc Paulus. Plutarchus autem in vita Coriolani & in Problem.Catonem tradit ſcriptum reliquiſſe, fuiſſe in more vt candidati ſine tunica venirent ad ſupplicandum populo, ſola toga candida, eáque recincta induti. Aſconius autem in Orat. pro Scauro, & Val.Max.libro 3.cap.6.aiunt Catonem Prætorem iudicium Scauri, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuiſſe campeſtri ſub toga cinctum, in forum quoque ſic deſcendiſſe, iúſque dixiſſe, idque repperiſſe ex vetere conſuetudine, ſecundum quam & Romuli ætatis ſtatuæ in Capitolio, & in Roſtris Camilli fuerunt togatæ ſine tunicis.

TVRBA & rixa multum differunt: ait Vlpi.nanq; turba multitudinis hominũ eſt turbatio & cœtus: Rixa, etiã duorum, l.quarta, §.j. D.vi bon.rap.vbi Turbam appellatam Labeo ait ex genere tumultus: idq; verbum ex Græco tractum, ἀπὸ τ̃ θορυβεῖν. Cornel.Fronto de differen.voc.Rixa ſine armis eſt, & habet defenſionem. Pugna legem habet, vel naturalem vel moralem.

TVRBARE rationem, idem quod conturbare. Vlpian. l.j.in fin.D.de ſer.corrup. Qui actori perſuadet vt rationem ſibi commiſſam turbaret.vide Conturbare.

Turbare ſigna, eſt confundere & permiſcere, ſic vt adgnoſci iam non poſſint, l.22.§.ſi ſigna.D.qui teſtam. fac. Quintilian.lib.12. cap.8. Denique linum ruptum aut turbata cera, aut ſine adgnitione ſigna frequenter inuenies.

TVRBASSIT, verbum XII.Tabularum, pro turbauerit, Aſt qui turbaſſit in agendo, fraus auctoris eſto.

TVRMA 30.equites, hoc eſt, tres decurias recipit, qui honore præſtant, & ordine. Sed turma propriè ex equitibus: Centuria verò fit ex peditibus. Alexander ab Alexand.genial.dier. libri j.capit.5. Has quoque Tribus veteres nuncuparunt: & qui his præeſſent, Tribunos dixere.

TVRMARII l.2. C.de priuil.eor.qui in ſac.pal.mil.qui turmas tyronum cogebant.

TVRPES perſonæ ſunt famoſæ & inhoneſtæ perſonæ, veluti lenones, meretrices, viſpilliones, harenarij, hiſtriones, pantomimi, l.3.D.ſi quis à paren.l.72. §.penultim.D.de ſolutionib.l.27.Cod.de inoffic.teſtam. l. 7.& l.63.§.ſi ſub conditione.& §.ſi verò nominis. D. ad Trebellia.l.22.§.nec non illud.D.ſolut.matrimon.l. 12.de ſcenic.in Cod.Theodoſ.Et ita in l.17.D.de teſtam.tut.l.12.D.de ſponſalib.l.3.§.Iulianus.in fin. D.de liber.exhib.Sed & aliàs turpe plerunque ſignificat famoſum, & quod infamiam irrogat. Sic Turpes actiones, Turpiáque iudicia appellantur, quæ damnatis infamiam inferunt. ἀτιμωτικὰς ἀγωγὰς vocat Theophil.in §.ex quibuſdam.Inſtit.de pœn.tem.litig. Quales ſunt, iniuriarum, vi bonorum raptorum, ſerui corrupti, rerum amotarum, tutelæ, fiduciæ, mandati, pro ſocio, depoſiti, l.56.D.pro ſoc.l.2. D.rer.amot.l.j.D.de his qui not.infa. Ita Turpe tutelæ iudicium dixit Cicero lib.j. de Orato. Et pro Cæcinna, Turpe iudicium dari aduerſus eum, qui tutelam fraudaſſet. Idémque Turpia mandati, pro ſocio, depoſiti, iudicia appellat. in Oratio.pro Roſcio Com. Sic turpi iudicio damnatos apud eundem in Oratio.pro Cluentio, interpretare, qui eo iudicio damnati ſunt quod infamiæ notam inurit.

Turpes conditiones, quæ inhoneſtæ & contra bonos mores ſunt, l.63.§.ſi ſub conditione. D.ad Trebellia.l. 112.§.penulti.D.de legat.lib.1. Turpis inſtitutio, l.9. D.de libe.& poſth. Turpia legata, quæ denotandi magis legatarij cauſſa ſcribuntur, l.54. D.de legat.j. Turpis pactio, l.7.D.de his qui not. infa. Turpia lucra ob falſum teſtimonium, ob gratioſam ſententiam, aut aliàs turpiter & ſcelere quæſita, l.5.D.de calumniatorib.l.16.§.vlt.D.quod met.cauſ.

Turpis arbiter, id eſt, pecunia corruptus, l.ſed & ſi ſeruum.§.ſunt & alij.D.de arbit.

Turpiſſima vita, paupertatis obtentu non excuſanda.l. palàm.D.de ritu.nupt.

TVRPITER datur, quod meretrici datur: item & quod datur vt malè iudicetur, l.3.l.4.§.ſed quod meretrici. D. de condict.ob turp.cauſ.

Turpiter accipitur, quod in hoc accipitur vt res depoſita, vel commodata reddatur, l.5. D.de tut.& rat.diſtrahen.l.vlt.D.de cond.ob turp. cauſſ.

TVRPILLIANVM S.C.vide ſupra Senatuſconſultum Turpillianum.

TVTORES ſunt qui vim ac poteſtatem in pupillos habent: éxque re ipſa nomen ceperunt, itáque appellantur Tutores, quaſi tuitores, atque defenſores, ſicut Æditui dicuntur, qui ædes tuentur. l.j. D.de tutelis. Eorum autem tria ſunt genera. nam alij dicuntur Teſtamentarij, alij Legitimi, alij moribus inducti. Teſtamentarij ſunt, quos paterfam.impuberi filiofam.itémque nepoti, quem tamen non patris, ſed ſuæ poteſtati relicturus eſt, in ſuo teſtamento conſtituit.l.j. & paſſ. D.de teſt.tut. Legitimi ſunt (vt ait Vlpian.in Inſtitut.) qui ex lege aliqua deſcendunt: per eminentiam autem Legitimi dicuntur, qui ex lege XII. tabularum introducuntur, ſeu propalàm, quales ſunt agnati: ſeu per conſequentiam, quales ſunt patroni. l.j.& paſſ. D.de legit.tute. Moribus inducti: vide, Tutor Prætorianus.

Tutor CESSICVS appellatur is, cui in iure tutela ceſſa eſt, qui ſiue mortuus fuerit, ſiue alij tutela ceſſerit, redit ad legitimum tutorẽ tutela: ſed & ſi legitimus deceſſerit, aut capite minutus fuerit, Ceſſitia quoque tutela extinguitur. Vlp.cap.Inſt.11.

Tutores DATIVI appellantur, qui teſtamento nominatim dati ſunt: hos enim lex XII.confirmat, vt ait Vlp. cap.Inſt.11. Datiuum tamen pro Attiliano aut Iuliano Modeſtin.poſuit in l.7. D.rem pup.ſal.for. vbi Teſtamentarij, qui propriè Datiui ſunt, à Datiuis diſtinguũtur. & Iuſtinianus in l.40.C.de epiſc.& cleric. vbi Teſtamentarias tutelas à Datiuis ſeparat.

Tutor FIDVCIARIVS dicitur qui liberum caput mancipatum ſibi, vel à parente, vel à coemptore manumiſit: ídque per ſimilitudinem patroni. Vlpia.cap.Inſt.11. vel ſic: Tutor fiduciarius is propriè dicitur, qui cum pater eſſet fiduciarius, filium ſibi mancipatum manumiſit, nec remancipauit. hæc Vlpia.in Inſtit. Ponamus ergo contractam fuiſſe fiduciam, id eſt vltrò citróque factam emancipationem, patrémque fiduciarium vero patri filium remancipaſſe. Pater verus, quoniam alter fidem ſimiliter eius ſequutus eſt, fiduciarius eodem modo dici deberet. at quoniam, verus eſt pater, ſuam retinet meliorem appellationem. Præterea tutor etiã fiduciarius, item vt alter, dici deberet: ſed quoniam qui legitimi ſunt hæredes, ij tutores ſunt legitimi, pater quem lex ad manumiſſi filij hæreditatem vocat, ſuum hoc à lege nomen retinebit, dicetúrque Legitimus. At quoniam emancipati frater hæres non eſt legitimus, quemadmodum docet Caius in Inſtit.& Vlpi. in l.j.D.Si à patre quis manum. fu. Tutor legitimus, vt patroni filius, appellari non poteſt. Patroni enim filius vt hæres eſt legitimus, ſic tutor legitimus appellatur. Quod igitur agnatus ille proximus filij manumiſſi frater, cùm ad tutelam vocabitur, nomen habebit? Pater ſuum nomen fiduciarij tutoris, quo vſus non eſt, in illum transferet, dicetúrq; Tutor fiduciarius. Plura in Inſtit.comment. Hotom.

Tutor

Tutor HONORARIVS dicitur,qui non adminiſtrationis & oneris,ſed honoris tantũ cauſſa datur,l.3.§.j. D. de admin.tut.vbi Vlp.ait, eos non iccirco extra periculum eſſe,ſi pupillos negligant.Nam prius quidẽ excuſſis eius qui geſſerit facultatibus, cõueniri oportere.

Tutores IVLIANI dicuntur, qui ex lege Iulia & Titia dati ſunt,quæ iubet mulieribus pupilliſve non habentibus tutores dari in prouinciis à Præſidib.earum. Vlpian.cap.Inſtit.11.

Tutor PRÆTORIANVS,Vlp.cap.Inſti.11. Moribus tutor datur mulieri pupillóve, qui cum tutore ſuo lege aut legitimo iudicio agere vult, vt auctore eo agat (ipſe enim tutor in rem ſuam auctor fieri non poteſt) qui Prætorianus tutor dicitur, quia à Prætore vrbis dari conſueuit.

TVTELA à Seruio Sulpitio definitur, Vis (Theoph.& Harm. ἀλκαίαν, vt legiſſe videantur ius) ac poteſtas in capite libero,ad tuendum eum,qui per ætatem ſe ipſe defendere nequit, iure ciuili data ac permiſſa. Quam vim ac poteſtatem qui habeant, Tutores appellantur, l.j.D.de tutel.Inſtitut.de tutorib.in princ.

Tutelæ actio duplex eſt: directa vna,quæ pupillo aduerſus tutorem:altera Contraria,quæ tutori aduerſus pupillum competit,titul.de contrar.& vt.act.tut.

Tutelam LEGITIMAM definit Vlpian.in l.j.D.de leg. tut.Legitimæ (inquit) tutelæ lege XII.Tabul.agnatis delatæ ſunt & conſanguineis,item patronis,id eſt his qui ad legitimam hæreditatem admitti poſſunt. Super his vide Cuiac.Obſer.lib.11.cap.26.

Tutelam reddere, tutelæ rationes reddere Iuriſconſultis ſignificat, l.2.§.ei quoque.D.de iudic.l.21.D.de tutel.& rat.diſtr.l.vn.in fi.D.ſi penden.appel. Dicunt & eodem ſenſu, reſtituere tutelam, l.7.§.vlti.l.28.in fin. D.de adminiſtr.tut.l.j.§.vlt.D.de vſur.l.21. in fin. D.de annu.leg.l.j.§.ex illa. D.ad leg.Cornel.de falſ.l.10. D. rem pupil.ſal.fo.l.penult. C.de ſuſp.tutorib. Sic tutelam exigere, & tutelam repoſcere, pro tutelæ rationes repoſcere,in l.13.D.de tutel. & rat.diſtr.l.30. D.de admi.tut.Et recipere tutelam Suet. in Claudio c.2.Diu etiam atque poſt tutelam receptam alieni iuris & ſine pædagogo fuit,id eſt, poſt pubertatem. In ſuam tutelam venire,& ſuæ tutelæ effici,eſt ad pubertatem peruenire,l.7.§.j. D.de adminiſtr.tuto. l.8.§.j. D.de ſecun. tabu.l.39. D.de vulg.& pupil.l.54.in fin. D.de hæredibus inſtit.l.vlti.D.de iure delib.l.32. D.de legat.j.Sic in edicto prætoris de miſſione in poſſeſſionem verba hæc, SI PVPILLVS IN SVAM TVTELAM VENERIT, accipienda ſunt.l.5.§.ait Prætor. D.quibus ex cauſ.in poſſeſſ.eat. Proinde ſi filiæfam. ita legatum ſit, Cùm in tutelam ſuam peruenerit, tunc debebitur, cùm viripotens facta fuerit.l.51. D.de legat. lib.3. Nec verò Iuriſconſultis tantùm,ſed & aliis Latinis auctoribus huiuſmodi locutio placuit. Cicero quidem cùm aliàs ſæpius, tum in lib.de Orato.ita locutus eſt: Negarétque niſi poſthumus & natus, & antequam in ſuam tutelam veniſſet, mortuus eſſet, hæredem eum eſſe poſſe, qui ſecundum poſthumũ & natum & mortuum eſſet hæres inſtitutus. Idem lib.2.de Inuentio. Quidam pupillum hæredem fecit, pupillus autem ante mortuus eſt,quàm in ſuam tutelam veniret. Porrò interdum ea verba ſignificant, Cùm in ſuam tutelam & poteſtatem peruenerit. Quod ex coniecturis erit æſtimandum. Interdum etiam 25.annum hæc verba demonſtrant,ſi ea mens fuerit loquentis teſtatoris, l. 56.in fin. D.de legat.3.In qua Vlpian.ex voluntate teſtantis aliam atque aliam hæc verba recipere interpretationem docet.

TVTELARIS cauſſa, ea eſt, quam tutor pupilli nomine intendit. Vlpian.l.4.de in lit.iur. Videamus in tutelari cauſſa quis iurare & aduerſus quem poſſit.

TVTVM locum,in quo ſecurè agere licet, ex l.plerique. D.de in ius vocan.

TVVM eſt, quod vendicare potes: vel cuius dominium ad te ſpectat, l.Quintus.§.argento.§.cùm aurum. & §. ſi cui.de aur.& argen.leg. Tuum non eſt, quod tibi caſu auferri poteſt, l.actiones.§.j.D.de reg.iur.

Tuum non eſt quod tibi debetur.Specul.titul.de decimis.

Tuum, id eſt, tuæ iuriſdictioni ſubiectum, ca.2.de iis, qui fiunt à maio.par.capit.c.j.de aucto.& vſu pall.

TVA NON INTEREST, exceptio eſt actionis excluſiua.de quo Docto.in l. nam poſtea.D.de iureiur. cui ſimilis eſt, Tu non habes actionem, de qua Bartolus d.l.nam poſtea.

Tua pecunia, id eſt tibi debita, l.ſi pecuniã.C.de neg.geſt.

TVAS RES TIBI HABETO: his verbis diuortium ſignificatur, l.2.D.de diuort.

TYMPANVM, rota maioris ambitus, quæ ab hominibus, orbem eius introrſum calcantibus, verſatur. Vlp. l.19.§.j.D.locat.Quòd ſi regulis olea prematur,& prælum,& ſuculum,& regulas, & tympanũ, & trochleas, quibus releuatur prælum,&c. Lucret.lib.4.

Multáque per trochleas, & tympana pondere magno
Commouet, atque leui ſuſtollit machina niſu.

TYMPANA, margaritæ: de quibus Plin.lib.9.capit.35. Craſſeſcunt etiam in ſenecta, conchíſq; adhæreſcunt, nec iis auelli queunt, niſi lima: quibus vna tantum eſt facies, & ab ea rotũditas: auerſis planicies, ob id Tympana nominantur. Paul.l.32.§.vlti.D.de aur.arg. Cum quædam ornamentũ mãmillarum ex tympanis margaritis trigintaquatuor legaſſet, &c.

TYNNVS Tynnaria piſcatio, vide Thynnus.

TYRANNIDEM, quæ neque diuturna eſt, neque felicem habet exitum, reiicit lex vetus: IVSTA IMPERIA SVNTO. Et quamuis olim inter tyrannidem & iuſtum Imperium nihil intereſſet, cùm tyranni dicerentur domini & Reges, qui plenam haberent in ſubditos poteſtatem, quales erant plerunque viri ſpectatæ virtutis, vt apud Virgilium:

Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe tyranni.

Tamen cum poſtea creſcente hominum malitia, vi quadam & ex animi libidine, non vero iure & Legibus, plerique regnare cœpiſſent, ad eos tantùm Tyranni nomen reſtrictum eſt: & quò magis patella dignum haberet operculum, quale fuit Imperium, talis erat ſubditorum amor & obedientia. Exemplis ſcatent omnes hiſtoriæ.

Τύρξη, vox apud Iuriſconſultos, in l.Prætor ait.2. Vi bonorum rapt. Græcis eſt, quod nobis tumultus: vnde turba facta eſt: vt ex Sylla, Sulla: ex Xyſtico, Xuſticus, & vt alia permulta, in quibus y, in v, noſtrum commutatum eſt.

TYRONES, vide Tirones. Ita enim habent omnes libri veteres, nec Græcum verbum eſt.

TZANCARVM, vel TZANGARVM (eſt enim quædam in ſcriptura varietas) fit mẽtio in l.3.& l.vlt. Quo quemque habitu eſſe op.in C.Theod. Et ita fortè apud Vopiſc.in Claudio verbum hoc pro zanchis quæ inter veſtimenta numerantur ſubſtitui debet. Genus autem quoddam calceamentorum id fuiſſe, adductus libelli Græci de officiis aulæ Conſtantinopolitanæ verbis, ſuſpicor, quæ ita habent, ἔστι καὶ ἕτερον εἶδος ὑποδημάτων ἃ καλοῦνται τζάγγια, ἔχοντα ἐκ πλαγίου κατὰ τὰς κνήμας καὶ ἐπὶ τῶν ταρσῶν ἀετοὺς διὰ λίθων καὶ μαργάρων, ἅτινα καὶ φορεῖ ὁ βασιλεὺς εἴς τε τοὺς περιπάτους καὶ τὰς προκύψεις. καὶ ὁ ταῦτα ποιῶν οὐ τζαγκάριος, ὡς οἱ ἕτεροι, ἀλλὰ τζάγγμας ὀνομάζεται. Sed & Moſchoph.in lib. περὶ σχεδῶν, τζαγκάριον vulgò appellari ſcribit, quem Attici σκυτοτόμον, id eſt, cerdonem coriarium vocant. Planè Imperatorum calceamẽta purpurea & φοινικόχροα fuiſſe Zonar. Tomo 2.Annal. in Michaelis Theophili filij imperio indicat:

cat: Ἐδίδου, ait, αὐτῷ τὰ φοινικόχροα πέδιλα, καὶ προσέταττεν ὑποδήσασθαι, καὶ βασιλέα ἀνεῖπε. Eaque mox τῆς βασιλείας παράσημα vocat. Idem in Baſilio Porphyrogeneta, καταινέσας ὁ βασιλεὺς εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ ὑποδεομένου ὑποδήμασι φοινικοῖς. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τῆς βασιλείας γνωρίσματα ὁ σκληρὸς ἀπεδύσατο, τὰ δέ γε πέδιλα οὐκ ἀπέθετο, & quæ ſequuntur. Gulierm. Tyrius lib. 15. de Bello ſac. capit. 23. Exhibita, ait, ſibi in patris præſentia, & eo mandante imperiali reuerentia, ocreis, vt mos eſt, in illo Imperio, inſignitus purpureis, ab vniuerſis legionibus certatim Auguſtus eſt appellatus. Idem etiam Nicetas in Annalibus confirmat, καὶ τοῦτον, ait, ἐπ' ἐκείνας καταλείψειν τῆς βασιλείας διάδοχον, ἐρυθροῦ τε οἱ πεδίλου μετεδεδώκει, καὶ βασιλέα ἐδόκει ἀναγορεύεσθαι. Et aliàs, ὡς δὲ προσήκοντι κατὰ γένεσιν, Ἀλέξιος τῷδε τὸ ὄνομα, πορφυρεῖδος μετέδωκε, καὶ πεδίλοις ἐρυθροῖς ὑποδεῖσθαι διαφῆκε, καὶ συνευφημεῖσθαι οἱ παρεῖχεν, ὁπηνίκα ῥωμαίων αὐτοκράτωρ ἀνηγορεύετο.

V

VACAT pecunia, quæ non occupatur, l. 12. in fi. D. de adminiſtra. tut. Vacare, operam dare, l. non diſtinguemus. §. ſacerdotio. de arbit. D. Vacare, deficere, l. j. D. de vaca. mu. Vacare, id eſt, ceſſare.

Vacare dicitur, quod nec iure, nec facto detinetur ab aliquo, l. vlt. C. de bo. vacan. lib. 10. vide Bart. in l. Si bona. D. de acquir. poſſeſ.

Vacare bona dicuntur in l. 2. in fi. D. ad Tertyllia. & in l. 38. D. de iure fiſc. quorum neque hæres, neque poſſeſſor extat, ab eo quòd domino vacua iacent. Vacantes areæ, quæ nullum vſum ciuitatibus ornatúmque præbent, l. 41. C. de operib. publ. Vacare etiam domus dicitur, quæ à nullo inhabitatur, l. penult. §. j. D. de vſu & habit. Et vacare poſſeſſio, quæ à nullo detinetur, l. 37. D. de vſucapionib. Et Vacare hæreditas, in l. 30. D. de vulg. & pup. quæ ab hæredibus ſcriptis adita non eſt. Vacare quoque portio dicitur, quæ teſtamento nulli data eſt, l. vlt. D. de ſecun. tab. §. videamus. Inſtitut. de hæred. inſtit. Sic Vacare ſeruus dicitur qui nullum miniſterium præſtat, l. 11. D. ad exhib.

VACANTIA bona dicuntur eadem quæ & Caduca, nimirum quæ illius fuerunt cuius hæres nullus eſt, l. j. C. de bon. vacant. Hæc olim quidem publicabantur, teſte Vlpia. cap. 18. Inſtit. nunc verò lege Iulia confiſcantur, & quadriennium iis nunciandis præſcribitur, l. 50. D. de man. teſt. l. 10. §. intra quatuor. de diuerſ. & temp. præſcr. l. 97. §. j. l. 114. §. quæ inteſtato. de legat. l. j. 6. §. eſt fiſco. ad Trebell. l. j. §. j. l. vlti. de ſucceſſ. edic. l. 6. §. certè. ſi quis omiſ. cauſ. teſtam. l. j. §. diuus. de iure fiſci. l. 18. de vſucap. l. 10. C. de inoffi. l. 22. C. de appel. l. j. C. de quadr. præſcript. l. j. C. de donatio. inter vir. & vxor. l. penult. & vlt. C. de vacat. lib. 10. Vacantia autem dici quæ & Caduca patet ex l. vltim. Cod. Theod. de bon. vacant. & l. 2. cùm aliis complur. tit. ſeq. Strabo ἀδέσποτα vocat lib. 17. Geograph. quod dominum, id eſt, hæredem non habeant. Harmenopulus ἀκληρονόμητα. Vacantem mulierem pro vidua poſuit Marcian. l. 5. §. 2. de vi publ. Qui, inquit, vacantem mulierem rapuit, &c. Et Quintil. Declamat. 15. Siue enim, iudices, malignitas eſt perſuaſionis humanæ fœminam vacantem vocare meretricem, &c. Sic Vacantem hæreditatem accipe in l. 13. §. item ſi quis à fiſco. D. de petit. hæred.

VACANTES in l. 2. C. vt dig. ord. ſeru. libro duodecimo, & Cod. Theodoſia. de comitib. vaca. ſunt quos Græci ζωστοὺς vocant, qui ſcilicet nulla iam dignitate fungantur, ſiue munere exceſſerint, ſiue geſſerint, id eſt honores imaginarios geſſerint. Hi etiam dicuntur adſcriptitij & adlecti, & opponũtur honorariis. Lamprid. in Alexand. Ne quem adſcriptum, id eſt, vacantium, haberet. Vacantes etiam tribunos apud Marcel. lib. 31. & Veget. lib. 3. cap. 17. legimus.

VACATIO, munerum publicorum excuſationem ſignificat, l. 5. §. fin. in fi. de mune. & hono. & in titul. de vaca. & exc. mune. Sic diſſimulata vacatio, apud Sueton. in Claudio, cap. 35. Plinius lib. 2. Epiſtol. Archippus, ait, vacationem petere cœpit. Inter vacationem tamen & excuſationem aliqua differentia eſt. Excuſatio cauſſam habet, & legitima eſt. Vacatio nuda eſt, nec legem nec cauſſam aliam habens, quam indulgentiam principis, quæ etiam ab extraordinariis tantùm muneribus liberat, non ab ordinariis & legitimis.

Vacatio autem muneris publici non præſtat, vt ne magiſtratus quis creetur. l. 12. D. de muneribus & honoribus. Ea verò omnia, quæ extra ordinem ad tempus indicuntur, ab his qui vacationem meruerunt, exigenda non ſunt.

Vacatio etiam ex lege Iulia Papia dari dicebatur his perſonis, quæ neceſſitate matrimonij cõtrahendi ad tempus liberabantur, & interim nihilominus, ex aliorum teſtamentis perinde atque nuptiis deuinctæ capere poterant. Vlpi. in Inſtitut. titu. 14. Fœminis, ait, lex Iulia à morte viri anni tribuit vacationem, & diuortio ſex menſium, &c. Sueton. in Auguſto cap. 34. de lege Iulia, de maritandis ordinibus: Hanc, inquit, cùm aliquanto ſeueriùs, quàm cęteras emendaſſet, præ tumultu recuſantium ferre non potuit, niſi adempta demum lenitáve parte pœnarum, & vacatione triennij data.

Vacuum propriè inane ſignificat. Ita vacuus locus, vacuus vterus pleno opponitur, l. 30. §. penulti. l. 83. D. de acquirend. hæredit. l. 2. §. j. D. de decurionibus. Ita vacuæ tabulæ, id eſt, nihil ſcriptum habentes l. 11. D. de iniuſto rupt.

Vacuum miniſterium dicitur eius qui certam procurationem habet nullam, ſed primum quodque ſibi impoſitum munus obire cogitur. Vlpian. l. 27. §. 2. de vſufruct. Si ſerui vſufructus legatus eſt cuius teſtator quaſi miniſterio vacuo vtebatur, ſi eum diſciplinis vel arte inſtituerit vſufructuarius, arte eius vel peritia vtetur.

Vacua pecunia, id eſt, otioſa, inutilis, infructuoſa, quæ in arca ſterilis & otioſa manſit. l. 28. D. depoſiti. Quibus vt primum proſpiciam ne vacua tibi ſint, id eſt, vt vſuras eorũ accipias, curæ habebo. l. 24. D. de præſc. verb. l. 12. in fin. de adminiſtra. tutor.

Vacuam mulierem Cornelius Tacit. lib. 13. appellat viduam eodem ſenſu quo in l. 5. §. 2. ad leg. Iul. de vi pub. Vacantem nominari diximus.

Vacuus fundus, qui à nemine detinetur & occupatur, l. 33. D. loca. Cornific. 4. Rhet. ad Herenn. Neceſſe eſt cùm conſtet iſtum fundum noſtrum eſſe, oſtendas te aut vacuum poſſediſſe, aut vſu tuum feciſſe. Eodémque modo.

Vacua poſſeſſio, quæ à nemine detinetur, vel quam dominus alteri cedit, l. 18. in fin. l. 68. in fin. D. de contrah. empt. l. 52. in fin. l. 75. §. qui id quod. D. de verbo. oblig. l. 3. §. hoc interdictum. D. de itin. actúque. l. penult. in fin. D. de acquirend. poſſeſ. l. 3. C. eod. titul. l. 4. §. ſi tu me vi. D. de vſucapio. l. 19. D. de vi & vi arma. Cicer. lib. 3. de Orato. Noſtra eſt, inquam, omnis iſta prudentiæ doctrinæque poſſeſſio, in quam homines quaſi caducam atque vacuam abundantes otio, nobis occupatis, inuolauerunt. Quintilian. Declamatio. 12. Vndecunque offulſit lucrum, ſine reſpectu ſalus publica addicitur, & in vacuam poſſeſſionẽ fames venit. Ita Vacua poſſeſſio dari, tradíque dicitur. & in vacuam poſſeſſionem mitti introducíve, qui in fundi poſſeſſionem liberam, & à nemine occupatam introducitur, l. 3. §. j. D. de actio. empt. l. 3. D. de vſur. l. 32. §. arbitri. D. de recept. qui arbit.

de actio.empt.l.3.D.de vſur.l.32.§.arbitri.D. de recept. qui arbit.l.18.§.ſi venditorem.l.33.l.34.D.de adquirend. poſſeſſ.Vacua autem poſſeſſio emptori tradita non intelligitur,ſi alius vel ventris, vel legatorum nomine, aut fideicommiſſorum ſeruandorum cauſſa in ea ſit, vel creditores bona poſſideant.l.2.§.vlt. D. de action. empt.Quanquam hi non poſſideant,ſed magis cuſtodiendi & obſeruandi cauſſa in poſſeſſione ſint.

Vacua pars.l.19.& l.59.§.j.D.de hæred.inſtit.quæ teſtamẽto nulli data eſt. Hinc Vacuus ſextans,in l. 8.D.de ſecund.tab.

Vacua traditio,pro, vacuæ poſſeſſionis traditio, in l.20. D.de ſeruitutib.

VADES, VADIMONIVM, VADARI, vide VAS.

VAGABVNDVS, crebrò vagans: qualem dominum fiduciarius cliens,hoc eſt, vaſallus, ſequi minimè tenetur,magno conſenſu Interpretum Placitor.feudo.gl. l.4.§.Prætor.D.de damn.infect. Vagabundum intelligit,cui nec certum domicilium,nec conſtans habitatio eſt.Quod & Bart.probat.in l.j.C.vbi de crimin.agi oport.& in l.quiſquis.C.de agri.cenſ.& colon.lib.10.

VAGVLATIO in lege XII. Tab.vt ait Feſtus, ſignificat quæſtionem cum conuicio, id eſt cum teſtes queruntur magna voce & boatu.verba legis hæc ſunt, CVI TESTIMONIVM DEFVERIT, IS TERTIIS DIEBVS OB PORTVM VAGVLATIONEM ITO.ſic enim legi vult Turn.& videtur eam lectionem agnoſcere Feſtus.Vagulatio autem à Vagulo deducitur,vt & hoc à vagio,itaque Vagulatio conquerentis & plorantis eſt,nec,à Vagor deducitur, vt volunt quidam.Senſus verò legis hic eſt:Si teſtis ei defuerit qui litem habuit,ei licere comperendinationis die,id eſt die tertio,ante eius ædes (portus enim pro domo,vt vult Feſtus,& Donatus) liberè conqueri, & implorare teſtimonium, conuiciúmque recuſanti facere.Ob vagulationẽ autẽ dictum antiquo more, pro ad vagulationem.Alij ad hæc Plauti in Aulul. referũt,

Ita me bene amet Lauerna,tu iam niſi reddi
Mihi uaſa iubes, pipulo hic differam te ante ædes.

id eſt conuicio,à pipatu pullorum:quod eodem videtur recedere.Sunt tamen qui Obuagulatum legi malint.Ob interpretantes circum.

VALEAT, verbum ad effectum refertur,cum adfirmatiuè ponitur.l.vniuerſa.C.de precib.Imp.offerend.

VALETVDO pro morbo ſumitur,& mala diſpoſitione. l.quæritur.14. D.de ædilitio edicto: Puerperam quoque inquit Vlp.ſanam eſſe,ſi modò nihil extrinſecus accidat quod corpus eius in aliquam valetudinem immitteret.

VALETVDINARIVS, qui frequenter ægrotat. Martianus de re milit.Officium,inquit,tribuni, eſt,delicta militum ſecundum ſuæ auctoritatis modum caſtigare,principiiſque frequenter intereſſe, querelas commilitonum audire,valetudinarios inſpicere.Itaque in l.ad perſonas.D.de iureiur.Valetudinarij ſunt intelligendi,qui graui morbo laborant,nec poſſunt ſine periculo domum egredi,vt elegãtem diffinitionem ponit Marcellus,in l.quæſitum.D.de re iud.& vide Pan. in c.quoniam.verſi.quarto quæro.vt lit.non conte.

VALETVDINARIVM, locus in quem ægroti valetudinis curandæ cauſſa diuertunt.hinc Columell. libr.2. c.j.Siue alter languidior eſt,in valetudinarium confeſtim deducat,& conuenientem ei cæteram curationẽ adhiberi iubeat.& lib.12.c.3.Valetudinaria quoque vel ſi vacent ab imbecillis,identidem aperire, & immundiciis liberare,&c. Hinc:

Valetudinarius Medicus, qui valetudine affectos curat: vel potius, qui in valetudinario miniſterio medici fungitur.Tarruntenus.l.fi.de iur.immu.Et quibuſdam, ait,aliquam vacationem munerum grauiorum conditio tribuit,vt ſint menſores,optiones, valetudinarij Medici,capſarij,& artifices,& qui foſſam faciunt, & qui ſequuntur.

VALLVM fidei.l.ſi quamquam.C. de Epiſc.& cleric.Eſt Vallum propriè caſtrorum munitio.l.deſertores.§.in bello.D.de re militari.Per metaphoram pro ſumma totius negotij & omni momento, præſidióque non ineleganter vſurpatur.

VALVASORES verbum à vaſſallo deductum: horum autem alij maiores ſiue Regij ſunt,qui ſecundum feudorum gradum obtinent:& à Capitaneis Regni feuda receperunt,qui & vaſſi dominici appellantur. Alij minores,qui ab eis feuda receperunt:alij minimi,quibus ab his tradita feuda ſunt,lib.j.tit.j.§.j.& §. 4. & tit. 15.& lib.2.tit.10.§.j.Fridericus.j.apud Radeuicum lib.2. c.31.Nos in præſentia & teſtimonio omnium Theutonicorum & Langobardorum & Epiſcoporum,& laicorum Principum,& Baronum,& Valuaſorum omnẽ iuſtitiam atque conſilium obtulimus, &c.Eorum in Gallia noſtra qualis conditio ſit,Butelerius in Summa Aurali his exponit verbis: Valuaſor dicitur nobilis, qui ſummæ coërcitionis, non etiam nundinarum & mercatus ius habet: (*Vn Gentilhomme qui a ſeigneurie de haute iuſtice:*) éſtque Barone inferior,atque ab eo feudũ ſuum obtinet.

VALVASINI, diminutiuo vocabulo dicuntur, modò minores,modò etiã minimi valuaſores, lib.2. tit.10.§. j.& lib.j.tit.15.

VALVÆ, pluraliter tãtùm,dictæ quòd intus reuoluãtur: ſúntque portæ,geminas partes habentes.l.j.de cenſib.

VAPVLA Papyria, ſubaudiendum lege, vt ſit comminantis pœnam legis Papyriæ. Siſinnius Capito prouerbio dici ſolitum auctor eſt,ſi quando volebant ſignificare,ſe negligere minas aliquorum.

VARII dicuntur,qui dolos nectunt. Contra hos, Zaſio teſte,inuentus eſt titulus, de Dolo malo. Cicero laudat Sextilium,quòd in cauſſa non fuit varius.

VARIVS, qui modò vnum,modò aliud dicit. Card.Zabarella in c.præterea.de teſtib.& c.cũ eccleſia Sutrina. de cauſ.poſſ.& propriet.& ibi interpretes Pontificij.

VARVS dicitur, qui crurib. eſt introrſum obtortis: Vatius, qui extorſum. Vlpia.l.10.in fin. D. de ædil. edict. Quæſitum eſt an varus & vatius ſanus ſit.& opinor eos ſanos eſſe.Ouid.9.Metam.

—tenuique à pectore uaras.
In ſtatione manus.

Vari à Græcis ῥαιβοὶ dicuntur: vt vatij βλαισοί.

VAS, adis, primò dictus eſt, qui aliquem in iudicio priuato ſiſtendum ſpondebat.Hinc Varro libr.5.de ling. Lat.Vas appellatus,qui pro altero vadimonium dedit. Conſuetudo erat,cum reus parum eſſet idoneus, inceptis rebus,vt pro ſe alterum daret.Liuius libr.3. de Cæſone loquens: Vades dare placuit, vnum vadem trium millium æris obligarunt.Et paulo poſt; Tot vadibus accuſator vadatus eſt reum.hic primus vades publicos dedit.Poſtea verò & is dictus eſt, qui ſpõſor erat ſiſtendi aliquem in iudicio publico,vt ex ſuperiore Liuij loco licet colligere.Acron.in libr.j.Satyr. ſatyr.j.vbi hunc verſum interpretatur:

Ille datis uadibus,qui rure extractus in urbem eſt.

Vadibus,inquit,id eſt ſpõſoribus, à Vadimonio: quòd promittit is,qui ad iudicium prouocatur,certo die affuturum.Vades ideo dicti,quòd qui eos dederit, vadẽdi habet poteſtatem. Idem cenſuit Porphyrio, quod tamen à quantitatis ratione diſcrepat: prior enim in vado producitur.Quidam in pactis conuentis & mancipiis hoc nominis prius vſurpatum volunt: hincque in l.venditionis cautum,ne venditor vadem daret, ne emptor vadem poſceret, ſi quando res euinceretur. Vas tamen interdum videtur ſimpliciter pro ſponſo-

re vſurpari. M. Cicero epiſt. ad Brutum: Maximo autē, cum hæc ſcribebam, afficiebar dolore, quod cum me pro adoleſcentulo ac pænè puero reſpub. accepiſſet vadem, vix videbar quod promiſeram præſtare poſſe.

VADIMONIVM, ſponſio illa quæ in publico & priuato iudicio fiebat: ſumitur & pro conſtituto die, quo quis ſe iudicio ſiſtere debebat. Hinc apud Cice. pro Quintio, Vadimonium obire, pro iudicio adeſſe. & Ad vadimonium occurrere, frequentiſſimum apud au-ctores. Vadimonio ſiſtere, apud Apuleium libr. 9. Aſin. aur. Vadimonium promittere, apud Varronem vbi ſuprà. Videtur tamen eo vocabulo omnis ſpōſio & promiſſio interdum denotari. Hinc illud Thaletis Mileſij ἐγγύα πάρα δ' ἄτα. quod ſic vertit Auſonius,

Mileti fugiſſe Thales uadimonia alumnus.

VADARI dicebatur is & cui vadatio denunciabatur, & is qui eam denunciabat. Cicero in Orat. pro Quintio: Vadari vis? promittit. in ius vocas? ſequitur. Horat. ſatyr. lib. j. ſat. j.

Ventum eſt ad Veſtæ quarta iam parte diei
Præterita: & caſu tunc reſpondere uadato
Debebat.

Ergo qui litem intendere alicui volebant, à Prætore poſtulabant, vt eum vadari liceret. Plaut. in Aulul.

Pulmentum pridem ei eripuit miluius:
Homo ad Prætorem plorabundus deuenit.
Infit ibi poſtulare, plorans, eiulans,
Vt liceret miluium uadarier.

de Euclione loquitur. Eſt autem Vadari, vades poſtulare, id eſt locupletes fideiuſſores, qui aliquem certæ pecuniæ ſponſione vadimoniū obiturum præſtabant. Hinc Liu. lib. 3. Tot vadibus accuſator vadatus eſt reū.

VADATIO, denunciatio erat illa quæ fiebat, vt iā dictū.

VASIS legatis, non ſolùm ea continentur quæ aliquid in ſe recipiant, edendi bibendíque cauſſa parata, ſed & quæ aliquid ſuſtineant. Et ideo ſcutellæ vel promulſidaria repoſitoria quoque continebantur. l. 19. §. argento. D. de aur. arg. Vaſorum enim generalis appellatio eſt. Dicimus vaſa vinaria, vaſa naualia. Hinc:

VASCVLARIVS, qui vaſa cōficit. l. 20. §. vlt. D. de præſc. verb. l. pen. D. de aur. arg. l. vlt. D. de oblig. & action.

VASARIVM, Alciatus elucidans l. inter domum. D. de verb. ſign. exponit eſſe præmium, quod reducibus magiſtratibus, propter geſtum apud exteros honorem, impenditur. Vaſarium autem, vt veſtiariū, calcearium dicitur, hoc eſt, vaſorum ſupellex.

VASSVS, generali nomine dicitur cliens, qui pro beneficio accepto fidem ſuam auctori beneficij obligauit: cuius vocabuli origo Germanica eſt, pro quo vulgatū illud Beneficiatus.

Vaſſus REGIVS, qui datum à Rege beneficium obtinet. Aymoinus lib. 5. c. 56. Abbates etiam & Regni Primores ac vaſſi Regij ſe illi commendauerūt, & ſacramēto, ſecundum morem, fidelitatem promiſerunt. Item in legib. Baioar. tit. 3. Siue Regis vaſſus, ſiue ducis, omnes ad placitum veniant. Hinc:

VASSALLVS, ὑποκοριστικῶς diminutiuo nomine, inferioris ordinis cliens, id eſt qui in vaſſi fide & clientela eſt. Sunt qui à Germanico *Geſſel* deducant, quo nomine ſocius, comes, commilito ſignificatur. Fortaſſe tamen in primitiuis potius, quàm in deriuatiuis etymologia quærenda eſt. qua de re copioſè in Diſput. Feu. exponit Hotom. Deinde Ioannes Auentinus libr. hiſtoriæ 7. Geſalos Germanicè nominat, quos Latinè Verberones interpretatur, genus hominum nouæ ſuperſtitionis, qui ad vmbilicum nudati flagris & verberibus ſeſe in publico pro tēplis atque aris cruentabant. Nauclerus Gener. 45. Flagellabant (inquit) ſe bis in die, & ſemel quilibet clam in nocte: & de licentia vxoris ſuæ: & depoſitis veſtimentis habentes in modum branchæ camiſias à femore ad talos protenſas. Tanta erat multitudo, quod nemo poterat numerare.

Vaſſallus PER SACRAMENTVM, qui propriè vaſſallus eſt, & domino per iuſiurandum ſuam fidem aſtrinxit. lib. Feud. 2. tit. 47. Dici poteſt Vaſſallus iuratus: vt ei qui iniuratus eſt opponatur, qui neque fidelitatē neque ſeruitium debet. De quo lib. 2. tit. 24. §. 2. Sunt enim (ait) quædam feuda ita data, vt pro his fidelitas non ſit præſtanda. Item lib. 2. tit. 3. §. 4.

VASSALLAGIVM, vaſſalli obſequium. Itaque homagium & vaſſallagium pro ſynonymis vſurpantur: vt in Neapol. conſt. lib. 2. tit. 36. Si quando aliquis fuerit ab aliquo de homagio impetitus, &c. Et in extremo. Quæ omnia in militibus & baronibus de vaſſallagio conuentis volumus obſeruari. Et apud Petrum de Vineis, lib. epiſt. 6. c. 9. Abſoluentes eos ab omni fidelitate vaſſallagij ſeu homagij iuramento. Dicitur & VASSATICVM, vt in Fragm. Theodulphi: Pipinus Rex tenuit placitum ſuum in Compendio ibique venit Thaſſilo Dux Baioariorum in vaſſatico ſe commendans, & per manus ſacramenta iurauit, & fidelitatem promiſit Regi Pipino, & filiis eius, quòd recta mente & firma deuotione ſicut vaſſus dominis ſuis eſſe deberet.

VASSALLITVM. clientela vaſſalli. Rhegino. libr. Chron. 2. anno 852. Berengarius cum filio ſuo Adalberto Regiæ ſe per omnia in vaſſallitium dedit dominationi.

VATII ſunt, qui pedes extrorſus obtortos habēt: iidem, vt arbitratur Budæus, qui valgi. Meminit Iuriſconſult. in §. quæſitum eſt l. Item Offilius. de ædil. eeict. Varro lib. 2. de re Ruſtic. de canibus loquens: Sint cruribus rectis, ac potius varis, quam vatiis. id eſt in ſe potius & introrſus intortis, quā extorſus. Valgos (inquit Feſtus) Aurelius intelligi voluit, qui diuerſas cruras habent, ſicut è contrario vari dicuntur incurua crura habētes.

VBI, in proprio ſignificatu nullam parit conditionem. l. ſi ita ſcriptum. §. fi. D. de leg. 2.

VBIQVE, pro vbicunque Iauol. l. in lege, 77. D. de contr. empt. In lege fundi vendendi lapidicinæ in eo fundo, vbique eſſent, exceptæ erant. Paul. l. quod niſi. 20. in fi. D. de oper. lib. Non eſſe iniungendam neceſſitatem liberto vbique eum ſequi. Sic l. vrbana familia. 166. D. de verb. ſignific. veluti is qui ruſticarum rerum rationes diſpenſet, vbi que habitet, non multum abeſt à villico. ſic enim eo in loco legendum videtur, non ibique, vt in vulg. C. habetur. alioqui ſibi ipſi contrarius videbitur, Iuriſconſultus.

VDONES, vide Odones.

VECTES, baculi ſunt validi, per mediam machinā traiecti, quibus manu ductis, machina dum verſatur, funē ductarium aduoluit. Ab his vectibus Vectiarij dicti ſunt, qui torcularia premunt vectibus.

VECTIGAL generaliter dicitur, quicquid fiſco vel Reipub. imperij nomine præſtatur. itaque ſtante Rep. etiā ſtipendium, quod in pecunia numerata pendebatur, vectigalis nomine continebatur. Vectigalium autem tria erant genera. Decumarum, quæ ex frumento, vino, oleo, & frugibus minutis exigebantur: Scripturæ, quæ ex paſcuis: Portorij, quod ex mercibus exportandis vel importandis recipiebatur. Vlp. l. 17. D. de verb. ſignific. Cuiuſdam etiam vectigalis meminere Vlp. l. ſi quis pro vxore. in princ. de donat. int. vir. & vxor. & Alfen. Var. l. in lege Cenſoria. de verb. ſignific. quod pro perſonis in itinere præſtari ſolebat. Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiſcus capit: quale eſt vectigal portus, vel venalium rerum, item ſalinarum, & metallorū, & piſcariarum. Sic in l. ſed & hi. 13. &c. D. de publ. l. 103. D. de verb. ſignific. Propriè autem & ſpeciatim Vectigal dicitur, quod fiſco vel Reipublicæ portorij nomine penditur: id eſt, pro

mercibus, quæ vel inuehuntur, vel euehuntur. quod ἐξαγώγιον Iuſtinianus vocat in edicto de Alexandrinis, & Strabo lib.17. in Alexādria vectigalia alia ἐξαγωγικὰ, alia εἰσαγωγικὰ facit. Veteres autem etiam in priuatorum prouentibus hoc verbo vtebantur, pro compendio ſcilicet quod inde habebatur. Paulus. l. 59. D. de vſufr. Cæſæ harundinis vel pali compendium, ſi in eo quoque fundi vectigal eſſe conſueuit, ad fructuarium pertinet. Sic apud Ciceronem in Paradox. Ex meo tenui vectigal (id eſt, agrorū mercedibus, ſiue reditib.) detractis ſumptib. cupiditatis, aliquid etiā redūdabit.

Vectigales agri ciuitatum, ſeu municipiorum ſunt qui in perpetuum locantur: id eſt hac lege vt quandiu pro his vectigal pendatur, tandiu neque ipſis qui conduxerint, neque his qui in locum eorum ſucceſſerint, auferri eos liceat: & ſic ſemper in iure intelligi debēt: alias emphyteuticarij dicuntur. Non vectigales ſunt, qui ita colendi dantur, vt priuatim agros noſtros dare ſolemus. l. j. D. ſi ager vectig. l. 11. §. j. D. de public. l. 71. §. vlt. D. de leg. j. Ita Vectigalem fundum, & vectigale prædium accipe in l. j. D. de condictio. triticiar. l. 16. in fi. D. de pignerat. act. l. 16. D. de ſeruitutibus. l. 4. §. finium. D. fi. regund. l. j. D. quib. mod. vſusfruct. amitt. l. 7. D. comm. diuid. l. 23. §. j. D. de aq. & aq. plu. l. 5. §. bonorum. D. vt in poſſeſſ. legator.

Vectigales agri apud alios auctores, ſtipendiarij aut tributarij intelligi debēt, qui ſcilicet ex hoſte capti, pop. Rom. vectigalibus ſubiiciebantur, mancipibúſque, vel in ſingula luſtra, vel in annos centenos locabantur, vt Hygen. in lib. de Limitibus conſtituendis docet.

Vectigalis actio, quæ de vectigali fundo poſſeſſoribus propoſita eſt, l. 15. §. ſi de vectigalibus. D. de damn. infect. l. 66. D. de euictionibus. proprias enim Prætor his in rem propoſuit actiones, loco domini eos habēs, licet domini non ſint. l. j. D. ſi ag. vectig. l. 5. in fi. D. arb. furt. cæſ.

Vectigaliarii, iidem qui publicani & telonæ.

Vectura tam iumentorum, quàm camelorum & nauium eſt, l. 26. D. de pet. hæred, l. 62. D. de rei vind. l. 15. §. item cùm quidam. D. loca. l. vlt. D. de leg. Rhod. l. 52. §. ſi quis ex ſociis. D. pro ſoc. l. 39. §. j. D. de leg. j. l. 13. §. ſi fructibus. D. de act. empt.

Vectores dicuntur, qui naui vehuntur. l. j. §. fi. l. 3. §. 5. D nau. caup. ſtab. l. j. D. fur. aduerſ. naut. l. 2. in princ. & §§. ſeq. D. de leg. Rho. de iact. Græcis ἐπιβάται dicuntur. l. 4. de legib. naual. ἐὰν δὲ ἐκ τ ναυκλήρου ἀπόλων κατάγωσιν οἱ ἐπιβάται τὸ πλοῖον, &c.

Vegetari, pro recreari, ſiue ſanum tueri, apud Imp. Conſtantium. l. j. de cuſtod. reor. Nec verò, inquit, ſedis intimæ tenebras pati debebit incluſus, ſed vſurpata luce vegetari.

Vehicula, carruchas interpretantur Impp. l. vnica. C. de hono. vehicul. lib. 11. eo verbo vſus eſt auctor feudor. c. vnic. §. mercator. de pace tenē. in vſib. feud.

Vel, ait Feſtus lib. 19. conligatio eſt diſiunctiua, ſcilicet earū rerum, quæ natura diſiunctæ ſunt: in quibus Aut, coniunctione rectius vtimur, vt Aut dies aut nox: ſed earum quæ non ſunt contrariæ, quæ eligatur, nihil intereſt.

Vel, polyſemum eſt. quandoque enim emendationis nota eſt, l. bona fid. D. de noxalib. aliquoties pro, & l. ſæpe. D. de verb. ſignific. l. cùm quidam. D. eod. tit. aliquādo alternatiua vox eſt. c. inter cæteras. extra de reſcri. Interdum pro ſaltem ponitur. l. multum. D. de hæred. vel act. vend. plerunque ponitur pro, etiam. l. quod ſi Epheſi. D. de eo, quod cert. loc. & §. per occaſionem. de nupti. conſt. 22. & cum dicimus, Vel illius teſtimonio, id eſt, illo teſte. Aliquādo negandi vim habet, vt l. ſi de tua. C. de dona. inter vir. & vxor. Sæpiſſimè etiam ponitur pro quando. l. 2. C. de iu. dot, l. j. §. imbre. D. de aq. & aqua plu. Quandoque etiam ponitur pro veluti, & ſimilitudinis nota eſt, l. pen. D. de fideiuſſ. Quandoque quātitatis ſignificatiua eſt, l. planè. §. j. D. de leg. j. Quādo autem diſiungat, an non, diſcutit Bar. l. ſuprà iter. D. de aqua, & aq. plu. arcen.

Vel cæteris, formula in feudi cōceſſione quid ſonet, docent Interpretes rub. de eo, qui ſibi, vel hæred. ſuis, in vſib. feud.

Vel cæteris, quos ſecū habet, formula, in l. qui iuriſdictioni. D. de iuriſdict. coniungit, vt ex lectione eius legis conſtat: & vide c. j. extra vt lite non conteſt. & c. 2. de dol. & contu.

Vela appellabantur quæ in ædibus vel vmbræ gratia, vel arcendi frigoris ventíque excludendi cauſſa obtēdebantur. l. 17. §. quæ tabulæ. D. de actio. empt. l. 41. §. item hoc prohibetur. de legat. j. l. 12. §. ſi domus. D. de inſtru. vel inſtrum. vbi etiam vela cilicia ideo parari ſcribitur, ne ædificia vento vel pluuia laborent. Martial. lib. 14. Epigr.

Sit licet & uentus, te tua uela tegent.

Seneca lib. 4. Natur. quæſtio. Itáque quamuis cœnationem velis ac ſpecularibus muniant, & igne multo doment hiemem. Sueto. in Calig. c. 26. Reductis interdū flagrantiſſimo ſole velis, emitti quemquam vetarent. Tertullian. in libr. de habitu muliebri, de Parthis & Medis loquens: Sed & parietes Tiriis & hyacinthinis & illis regiis velis quæ vos operoſè reſoluta transfiguratio pro pictura abutuntur. Sic velum in meniano immiſſum, in l. 2. §. cum quidā. D. ne quid in loco pub. & cubicula obductis velis opaca, apud Plinium libr. 7. Epiſtolarum ad Cornutum. Foribus etiam obtendebantur vela. Sueton. in Claudio: Prorepſit ad ſolarium proximum: intérque prætenta foribus vela, ſe abdidit. Lamprid. in Heliogab. Qui ſubito militum ſtrepitu exterritus, in angulum ſe condidit: obiectúque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, ſe texit. ſic l. 5. C. de naufrag. leuato velo, id eſt patente velo, aperta fore. Sudas: παραπέτασμα, παρακάλυμμα, παράπηγμα, τὸ λεγόμενον βῆλον.

Velamentum, in l. cum duobus. 52. §. ſi in coeunda. D. pro ſocio. quod velat, & ſupplet. Si in coeunda, inquit Vlpianus ex Celſo, ſocietate, artē operámve pollicitus eſt alter, veluti cum pecus in commune paſcendum, aut agrum politori damus in commune quærendis fructibus, nimirum ſibi etiam culpa præſtanda eſt. precium enim operæ artis eſt velamentum: Id eſt (vt exponit Duarenus) pecunia quam accipit is qui operā confert, ſupplet & velat quod in arte vel opera deeſt: ideóque pecuniam conferenti de culpa tenetur qui operā confert. Velo (vt vult Hotommanus) Pretium quod artifex accipit, velat atque abſcondit ipſius artē, facítque vt nulla eius ratio ducatur: ſicque ille qui pecuniam contulit non minus quam hic ſocietatem iuuet, ac eius pecunia loco operæ ſit. Cuiacius Leuamentum legit & illud, Pretium operæ artis, κατ' ἀσύνδετον dictum à Celſo putat: vt ſit ſenſus, In ea etiam ſocietate, quam euis ita contraxit, vt ipſe pecuniam, alter artem, operámve conferret, ab ipſo culpam præſtari quod æſtimatio, ſiue pretium artis, vel operæ ei ſit leuamentum non mediocre, atque adeo quod ita contracta ſocietas, ipſius quoque vtilitatem reſpiciat. Et ita videtur intellexiſſe Iuſtinianus. §. de illa ſane. Inſtit. de ſocietate. Vide Leuamentum.

Velamentum, pro prætextu, vel colore quæſito poſuit conſtitutio principalis. l. velamento. C. de poſtul. Velamento abſentiæ patroni cauſſæ, rurſus ad finitas quæſtiones quis fruſtra redire conatur. ſic l. j. C. de quib. mun. vel præſta. velo leuato. l. de ſubmerſis. C. de naufrag. lib. 11. eſt ſummariè & de plano, nulla iudicij ſollemnitate adhibita.

VELATA mulier.c.vlt.24.diſtinct.& Velata ſponſa ibidem,vbi vide Archid.

VELABRVM,locus, in quo vela obtendebantur, ſub quibus olearij vendere ſolebant. Velabra, etiam ventilabra eſſe ait Feſtus, vt refert Adri. Turnebus libr.3. Aduerſariorũ.c.5. idque imminuto vocabulo, ex trita videlicet ſyllaba.

VELLEIA lex,vide Catalogum legum.

VELLEIANVM Senatuſconſultũ,vide S. C. Velleianũ.

VELVT, improprietatis vel fictionis nota eſt.Sic Velut hæredes dicuntur bonorum poſſeſſores,& cæteri honorarij ſucceſſores,quoniam hæredes ſola lex vel cõſtitutio principis facere poteſt.l.j.D.de poſſeſſ.hæred. §.quos autem.Inſtit. de bon.poſſeſſ. Peculium veluti patrimonium eſſe dicitur.l.32.§.j.l.39.D.de pecul quoniam patrimonium ſubiectæ alieno iuri perſonæ non habent. Sic:

Veluti poſſeſſor iuris dicitur.l.16.§.pen.l.18.§.ſi quis.D. de pet.hæred.quoniam iuris poſſeſſio propriè nulla eſt. Pari ratione & Interdicta veluti poſſeſſoria de iuribus prædiorum conſtituta dicuntur. l.20.de ſeruitutibus.Et Velut longa poſſeſſio, quæ vſu nititur, qui in rebus incorporalibus poſſeſſionis vicem repræſentat. l.5.§.pen.D.de itin.actúque.l.2.D.de ſeruitutibus.

Velut Mutiana cautio,in l.7.D.de conditio.& demonſtr. quæ ad exemplum Mutianæ comparata & introducta eſt.

Velut vti poſſidetis interdictum,pro vtili interdicto, in l. j.§.proponitur.D.de ſuperficiebus.

Velut pacto tranſegiſſe dicitur,qui contentus fuit pignora in creditum poſſidere.l.13.§.ſi pignora.D. de re iud.

Veluti plerunque verum exprimit.l.precibus.C. de impuper.Similitudinis etiam nota eſt,l.2.§.hæc verba. D.de interdict.§.ſicut.Inſtit.de ſatiſd.tuto. Exempli quoque ſignificatiua eſt,l.qui reſtituere.D.de rei vind.

VENAS aquarum,in l.ſi in meo.21.D.de aqua, & aq.plu. accipere debemus meatus ſubterraneos. Sic Venas fontis.l.34.in fi.D.de ſeruit.ruſti.& Venas putei.l.24.§. fi.D.de damn.Sic diximus Venas metallorum, & lapidicinarum,in l.13.§.inde eſt.D.de vſufruct. Et Venas ſaxorum.l.2.& l.10.de metall.C.Th.Et Venas ferri, in l.j.de fabricenſibus, vbi falſo Venerabilis, pro venæ nobilis legitur.ita enim emendandum ex l.2.C.Th.eo. tit.& ex Caſſiodor.Seculis ſuis producit nobilis vena primarios.Græci, ἀπολὸν, καὶ καθαρὸν, εὐχρῶς λυόμενον ἐν πυρὶ καὶ χωριζόμενον.

VENALIS ſententia,quæ pretio fertur.l.venales.C.quãdo prouo.non eſt neceſſ. Sic eodem ſenſu Venalitatẽ dixit Leo Imperat.l.vnica in fi.C.de monopo. Venalis poſſeſſio.l.j.C.rerum permut. quæ vendenda proponitur.

VENALIVM nomen,quemadmodum Quintilia. libr.8. c.j.ſcribit,cùm commune ſit omnibus rebus,quæ mercis numero habentur,tamen peculiariter ſeruis nouitiis tribuitur.l.11.D.de neg.geſt.Seneca lib.4.de Benefic. c.12.Mercator vrbibus prodeſt, medicus ægrotis, mango venalibus. Idem lib. 11. Detrahis veſtimenta venalibus,ne quæ vitia corporis lateant.Plin.libr. 35.c. 17.Eſt & viliſſima,qua Circum præducere ad victoriæ notam,pedéſque venalium trans mare aduectorum denotare inſtituerunt maiores.Et ſic Cicero quod in oratione poſt Reditum dixit de grege venalium, in Oratione Piſoniana diſertè de grege nouitiorum dixit.Quintil.Declamatio.338. Cùm fortè videret puerum venalibus interpoſitum,& cognouit, & adgnitus eſt.Suet.in lib.de clar.Rhetorib. Venalitij cùm Brunduſij gregem venalium naui educerent, formoſo & pretioſo puero, quod portiores verebantur, bullam impoſuere. Inde:

VENALITIA familia,quæ venalis eſt,l.ſed ſi.31.§.fin.D. de dona.inter virum & vxo.Sueto.in Auguſt.c.42.Magna verò ait quondam ſterilitate,ac difficili remedio, cum venalitias & laniſtrarum familias vrbe expuliſſet.Sicque ſumitur Venalitia in plurali.l.5.§.fi.D.de iure delib.Qui poſſit(inquit Vlpianus)etiam ea quæ nimium ſumptuoſa ſint, veluti iumenta, aut venalitia, item ea quæ mora deteriora fiant,vendere.

VENALITIVM,l.4.C.de proximis ſacro.ſcrin. accipitur pro vectigali rerum publice venalium: quidã Galliæ populi vocãt,*leide*.Superindictum, inquiunt Impp. non timeant,venalitium non petantur, ſolumque canonicæ indictionis præſtent tributum.

VENALITIARII mangones, id eſt mancipiorum negotiatores, qui ſeruorum negotiationem exercent.l. 207.D.de verb.ſign.l.j.§.j.D. de tributo. Hos Venalitiariam vitam exercere Vlpianus dixit l.73.§.fin.D.de leg.3.Vocantur etiam Venalitij.l.vlt.D. de ædil. edict. vbi quod Ex venalitio,Baſilica,παρὰ σωματεμπόρου: Cicero pro Cornelio:Multi Venalitij mercatoréſque.

VENALITAS, l.vnic.ſub fi.C.de monopoliis.

VENATIONES dicebantur ludi,in quibus feræ magno diſcrimine ab iis qui depugnabant, conficiebantur.l. j.§.beſtias.D.de poſtul.l. ciuitatibus.122. D. de legat.j. Hinc:

VENATORIVS ludus,genus illud pœnæ,apud Vlpianũ. l.aut damnum.§.fi.D.de pœnis.

Venationem reditui connumerat Vlpianus.l.9. §.4. D.de vſufruct.

VENATIO etiam μεταφορικῶς ad alia transfertur.nã pro adulatione ſumitur.c.ne quid. 11. q.3.Hinc Venari auram popularem,dicimus,id eſt captare.

VENATORES & aucupes vtrum in vrbanis,an in ruſticis ſeruis contineantur,poteſt dubitari.Sed dicendum eſt, Paulo tradente, vbi paterfamiliàs moraretur & hos alebat,ibi eos numerari.l.ſeruis vrbanis.99.de legat.3. Sic:

Venatores ſerui,& venatorium inſtrumentum.l.12. §.ſi in agro.D.de inſtr.vel lega.& apud Paul.lib.3. Sentent. titul.6.

VENDICO, vide VINDICO, nihil enim differunt.

VENDERE pro emere poſuit Iulianus.l.7. §. qui bona. D.pro empt.& è contrario emere pro vendere poſuere Impp. l.vnic.C.ſi ſeruus extero emi.Vnde & merito dixerit Gaius.l.19.D.de actio.empt.Veteres, ait, in emptione venditionéque appellationibus promiſcuè vtebantur:id eſt,& in locatione, & conductione, vt eſt legendum in l.ſeq.Nec enim, inquit Cuiac. Obſ.9. c.15.emptionem pro venditione, vel emptorem pro venditore,nec e contrario vt acciperẽt ita locuti ſunt: ſed locationem venditionem appellarunt ſæpe,& cõductorem emptorem,ſiue redemptorẽ, vt mercedem ſiue penſionem, pretium, quia locatio & conductio proxima eſt emptioni & venditioni, eiſdémque regulis conſtat.Hygen.2.de limitib.conſt. Mãcipibus emẽtibus,id eſt conducentibus in annos ſingulos.Feſtus: Venditiones olim dicebantur Cenſorum locationes.

Vendendi verbum ad omnẽ alienationem in lege XII. Tabularum pertinere docui lib.4. Vete. Iuriſprud.l.3. Verba legis hæc ſunt: PARENTIBVS LIBEROS INTER VENDENDI IVS, ATQ. POTESTAS ESTO. quod quando parentibus liceat, docui ex l.fin. C.de patr.qui fil.diſtrax.

VENDIBILE quod facile vendi poteſt, & quod vulgare, vulgóque gratum.

VENDAX, qui facile vendit,apud Catonem: Patremfamilias,inquit, vendacem non emacem eſſe oportet, tit.2.ad fin.

VENDITVM rectè dicitur etiam quod in dominio venditoris manet,non autem alienatum.l.67. D. de verb. ſignific.falſum igitur eſt quod quidam aiunt, Vendere eſt iu

eſt iuſto pretio rē dare. Nā dare eſt dominium transferre.§.ſic itaque.Inſtit.de actio.

V E N D I T I O in aſſem, apud Modeſt.in l.Titius.D.quib. mod.pig.vel hypo.intelligitur, vt Alciatus ſentit,cùm quis tanti rem pignerauerit,quanti vendi poterat.c.33. lib.2.Parergōn.

Venditio perfecta dicitur,quam ſecuta eſt traditio. §.venditæ.Inſtit.de rer.diuiſ.proin,vt pro non facta cenſeatur,ab ea recedi poteſt nudo conſenſu.l.ab emptione. D.de pactis.l.j.D.de peric.& commod.rei.vend.

V E N E N V M τῶν μέσων ἐστι· ideoque Venenum qui dicit,ait Gaius,adiicere debet vtrum malum,an bonum.nam & medicamenta venena ſunt:quia eo nomine omne continetur,quod adhibitum,naturam eius cui adhibitum eſſet,mutat:cum id quod nos Venenum appellamus, Græci φάρμακον dicunt.Apud illos quoque tam medicamenta,quàm quæ nocent,hoc nomine continentur: vnde adiectione alterius nominis diſtinctio fit:admonet nos ſummus apud eos poëtarum Hômerus.nam ſic ait,φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα,πολλὰ δὲ λυγρά.l.236.D.de verb.ſig.l.j.§.perſuadere. D.de ſer. corrupt.l.3.§.j.D.de ſicar.Vnde apud Cicero.lib.3.Officior.vbi vulgò, Qui vinum fugiens vendit ſciens,in vetuſtis codicibus legi teſtatur Briſſonius, venenum fugiens,id eſt medicamentum. Non.Marcell. Medicinam,ait,& venenum dicimus:tractatum à Græcis qui venenum φάρμακον appellant.quod antiquorum exēplis comprobat.Similiter Seruius in j.Georgic. ad illa verba,Ille malum virus.Bene,ait,addidit malum,ad diſcretionem.nam virus & bonum & malum eſt,ſicut venenum,quod idem eſt.Venit autem à.Græco. Nam illi φάρμακον medium habent,id eſt,bonum & malum. Inde adeò eius veneni quod nocet,mali adiectione diſtinctio fit.l.9.D.ad leg.Aquil.l.35.§.veneni mali.D. de contrah.empt.l.7.D.de lege Pomp.de parricid.l.4. §.j.D.famil.erciſc.Et huiuſmodi venenum Quintilianus Declamatio.cccl.interpretatur potionem mortis cauſſa datam. Hinc:

V E N E N A R I I, intoxicatores,& qui venena miſcent.l. 29.§.venenarij.D. de pœn.Tertull.in Apologet.c.43. Nam ſi qui fortè verè de ſterilitate Chriſtianorū conqueri poſſunt,primi erūt lenones,perductores,aquarioli,tum ſicarij,venenarij,magi.Idem in lib.de pudicitia:Vt tragœdias omittam,ſciunt hodie venenarij, ſciunt magi.Sueto.in Nero.c.33.Britannicum veneno aggreſſus eſt:quod acceptum à quadam Locuſta venenariorum indice, cùm opinione tardiùs cederet, ventre modò Britannici moto,mulierem ſua manu verberauit, arguens pro veneno,remedium dediſſe. Quod idem Corn.Tacit.libr.12.refert.Vtitur etiam hoc verbo Iulius Firmic.libr.6.c.19. Hæc eo pluribus exemplis confirmauimus,quod in huius verbi interpretatione lapſus eſt Baptiſta Pius in poſterioribus Annotationibus.

V E N E R A R I verbum compoſitum ex venia,& orando, ait Feſtus lib.19.

V E N E R A B I L E S domos,locóſque in conſtitutionibus recentiorum Impp.exaudire oportet,eccleſias,xenones,protochotrophia,noſocomia,brephotrophia,orphanotrophia,& alia id genus.l.18.l.19.C.de ſac.ſanct. ecc.l.33.l.37.C.de Epiſc.& cler.quorum verborum interpretationem ex epitome Iuliani patritij in Nouellam Iuſtiniani Imp.7.verſic.καὶ πρός γε.ſic adſcribemus: Xenodochēon,ait,locus eſt venerabilis,in quo peregrini ſuſcipiuntur.Prochotrophēon,locus venerabilis,vbi pauperes & infirmi homines paſcuntur.Noſocomium,locus venerabilis,in quo ægroti homines curantur.Orphanotrophēon,locus venerabilis,in quo parentibus orbati pueri paſcuntur.quod & Moſchopulus probat περὶ σχεδῶν, Orphanophēon expones, ἔνθα οἱ ὀρφανοὶ τρέφονται.Ait præterea Iulianus:Gerontocomium,locus,in quo pauperes,& propter ſenectutem ſolā infirmi homines curātur. Brephotrophēon, locus venerabilis,in quo infantes aluntur.Hactenus Iulianus.

V E N I A ætatis,beneficium,indulgentia, permiſſio.C.de his,qui veniam ætat.impetr.per totum. Hæc aufert aliud beneficium, nempe,Reſtitutionis in integrum, per Bart.ibidem.Venia tamen in actione edicti,de in ius vocando,non eſt intelligenda generalis ille permiſſus magiſtratus,cùm poſtulanti iuſtitiam,decernit citationem,vt aduerſarius in ius vocetur. Nam venia eſt ſollemniter impetranda aduerſus perſonas reuerendas,hoc eſt,primùm deſignāda eſt qualitas perſonæ,quænam reuerentia illi debeatur: deinde ſumma controuerſiæ eſt exponenda,quare velit talem perſonam conuenire in iudicio:tum ſi iudex cauſſa ſummatim cognita,permittat reum vocari in ius:dicitur impetrata venia id fieri,& in actis deſcribendum eſt.

V E N I E N T A N I, ſiue vt in vulgaribus Veientani,numerantur ab Vlpian.in l.19.§.pen.de aur.& arg.leg.inter lapillos non pellucidos.Plinius lib.37.c.10. Gemmam appellat.Veientana,inquit,Italica gemma eſt,Veiis reperta,nigram materiam diſtinguente limite albo.

V E N I R E ad iudicium,vt in l.ſi eum iudicio.in fi.D.ſiquis cautio.Item ſecum poteſtatem agendi facere,vt in l. etſi poſt tres.D.eod.tit.Item,Ire in ius. Vel ſicut nunc loquimur,comparere in iudicio:Stare iuri,& cætera id genus,ad reum referuntur. Sed exhibere reum.d.l.ſi eum iudicio.in princ.Item Siſtere reum,ad fideiuſſorē pertinent.Vtrunque autem complectitur Cautio iudicio ſiſti,ſiue quis pro ſe,ſiue pro alio promittat. Cuius oppoſitum eſt, promiſſionem deſerere. Nos nunc dicimus,Cautionem de ſtando iuri.Quæ omnia incautum fallere poſſent,ſicut Accurſius errauit.

V E N T E R, pro muliere prægnante.l.j.§.j.D. de vent.in poſſeſſ.mitt.Hinc Ventrem mittere in poſſeſſionem hæreditatis,id eſt,mulierem prægnantem,quæ hæredem ſe parituram adſerit.l.j.in princ.de vent.in poſſeſſ.mitten. Itaque Ventrem in l.ventre.84.D.acq. hæred.interpretatur Alciatus ibidem in legis ſumma pro poſthumo,cuius ſententia vera eſt.

Ventrem ferre,prægnantem eſſe.l.inteſtato.D.de ſuis,& legiti.§.mulier,in auth.de reſtitu.

Ventrem facere paries qui intumeſcit,qui procumbit, qui proiectus eſt,ab Alfeno dicitur.l.17.D.ſi ſeruit.vindic.

V E N T R A L I S, ſeu,Ventrale,faſcia eſt, vt Palæmo & Paulus in Gloſſis exponunt,ſic dicta quod vemtrem operiat.Aliæ gloſſæ, Ventrale,κοιλιοδεσμός,φοῦνδα. Alij tegumentum ventris exponunt,in quo res leuiores poni ſolent.Et ita ab Adriano Imp.l.diuus. D. de bon. damn.pro funda,id eſt crumenta,ventralis accipitur. Nummulos(inquit)in vetralem,legendum vētralem. Plin.lib.8.c.48.Patris mei memoria cœpere amphimalla noſtra ſicut villoſa etiam ventralia.Idem libr. 27.c.7.de abſinthio loquens,Arcet inguinum tumorē in ventrali habitum.Eodem ſenſu Latini fundum & profundum dixerunt.Macrobius:Demiſſa in fundum (ſic habent,teſte Cuiacio,libri vet.)pauperem manu, paucos denarios protulit.Caper Grāmaticus:In profundum nummi,vel in arcam conduntur.

V E N T I L A R I cauſſa dicitur.l.6. C.pro ſocio,cum de ea dubitatur,tractatur,& agitatur: De ſocietate apud veteres dubitatum eſt,ſi ſub conditione contrahi poteſt,&c.ſed ne ſimili modo apud poſteritatem,ſicut apud antiquitatem huiuſmodi cauſſa ventiletur:ſancimus,&c.Alio ſenſu ſerui dicuntur mortui domini cadauer ventilare,l.vnic.§.ſed & qui.C.de Lat.lib.tol.

Id eſt thure,vt exponit Irnerius.

VENTOSVS dies,in quo flat ventus, apud Vlpianum.l. qui accidit.§.pen.ad legem Aquiliam: Siquidem die ventoſo id fecit,culpæ reus eſt.Nam & qui occaſionẽ præſtat,damnum feciſſe videtur.

VERBERARE, eſt cum dolore cædere:pulſare,ſine dolore.Vlp.in l.lex Cornelia.§.j.D.de iniur.Deſeruit autem ſubiectæ materiæ potius, quàm proprietati verborum. nam plerunque confunduntur. l. 4. §. ſi cum ſeruum.D.de bon.rapt. Vide PVLSARE.

VERBERARE dicitur abuſiuè,& qui pugnis ceciderit, Vlpian.in l.Item apud Labeonem.D.de iniuriis.

VERBERA ſeruilia.l.12.D.de iur.fiſc.interpretatur Briſſonius lib.3.c.9.Antiq.flagra,flagella, lora, quibus ſeruos rumpi ſolitos conſtat.l.ſed eo eſt quæſtionis.§. pen.& l.item apud.§.adiicitur.D.de iniuriis. & ex veteribus comœdiis.

VERBVM Varro à veritate deduci vult,quod verum nos loqui oporteat.Vide Bart.in l.Gallus.§. item credendum.D.de lib.& poſthum.Verba autem pro re & ſubiecta materia accipi debent.l. damni infecti quidem. D.de damn.infect.Alciat.reſpon.46.nu. 2. Bald. l. 2. C. commod.idem in rubr.C.de contr.empt.q.9.

Verba notæ ſunt paſſionum animi & voluntatis.l.Labeo. D.de ſupellect.leg.l.ille aut ille.§.in verbis.& l.non aliter.D.de leg.3.

Verbis contrahi obligatio dicitur,quæ per ſtipulationem concipitur:quia non quibuſuis verbis contrahebatur, ſed ſollemnibus duntaxat,& certis: quorum formulæ à Iuriſconſultis concribebantur.itaque vt interrogatio tõcepta erat,ita ſubſequi reſponſionem oportebat.l.obligamur.52.D.de oblig.& action. Paulus libr. Senten.5.c.8, Obligationum firmandarum gratia ſtipulationes inductæ ſunt,quæ quadam verborum ſollemnitate concipiuntur. Verborum autem obligationis tres ſunt ſpecies:Stipulatio.l.cum patrem.C. de iur.dot.& de qua iam diximus. Dictio dotis, quæ verbis quoque ſollemnibus fiebat,nulla interrogatione præcedente.nam Caius.2.Inſtit.tit.9. ſcribit dictione dotis ſine interrogatione tres tantùm perſonas obligari:mulierem quæ nuptura eſt, debitorem mulieris, parentem mulieris virilis ſexus.Tertia ſpecies eſt, iuſiurandum liberti iurãtis ſe donum,munus, operas patrono daturum:nam,vt ibidem Caius ſcribit, libertus ſine interrogatione promittens,verbis obligatur.Alij duas tãtum conſtituunt:vnam,quæ expreſſis verbis fit vtroque loquente,ſeſéque exaudiente. l. j.D. de verb. obl.Aliam tacitã,quã lex fingit.l.vn.C.de rei.vxo. act.

Verbis obligamur cum præcedit interrogatio,& ſequitur congrua reſponſio. Modeſt.in l.obligamur. D. de act. & oblig.

Verbum,pro oratione,ſiue(vt alij loquuntur) pro clauſula.Mode.l.4.§.j.D.de vulg. & pup.Sed ſi alter pubes, alter impubes,hoc communi verbo, EOSQVE INVICEM SVBSTITVO, ſibi fuerint ſubſtituti. Paulus.l.15.D.rat.rem hab.Amplius non peto verbum Labeo ita accipiebat,ſi iudicio petitum eſſet.Terent.

Verum hercle hoc uerbum eſt,uulgò quod dici ſolet.

Verba geminata & repetita,voluntatem enixam & conſtantem indicant.Bald.in l.fructus.C.de act. emp.cum multis ſimilibus,per pleroſque omnes Doctores.

Verba generatim concepta, ad illa, quæ poſtmodum de nouo recenter emergunt,non ſunt porrigenda. l. qui cum tutoribus.in fi.D.de tranſact.Idque obtinet, etiã ſi illa generalis forma verborum iureiurando eſſet roborata.Baro Tautembergius citat in Viridario. c.cùm inter.P.& ibi gl.& Doctores de Renunc.

Verba merè æquiuoca,ſi per communem vſum loquendi in intellectu certo ſumuntur,talis intellectus preferẽdus.Hoc Felini ceu elegans dictum citat Zaſius libr.j. reſponſ.

Verba intelligenda ſunt in caſu poſſibili, vt rectè adnotauit Accurſius in §.j.Inſti.de oblig.tit.gene. vt in obligationibus facti,ſiue rem fieri.

Verba quantumuis generalia,ad aptitudinem reſtringuntur,etiam ſi nullam aliam paterentur reſtrictionẽ, per text.in l.gradatim.§.j.D. de munc.& honor.& gl.ab omnibus Zaſio atteſtãte,approbatam, in l.qui autẽ.§. fi.D.de cõſtit.pecu.& l.ſed ſi cõpromiſſum.D.de arbit.

Verba non tam intuenda,quàm cauſſa & natura rei, vt mens contrahentiũ ex eis potius, quàm ex verbis appareat.Bald.citat.l.ſi in venditione. D. commu. præd. Adde.l.capitaliũ.§.Diuus. D.de pœnis,cum ſimilibus.

Verba offendi poſſunt,imò ab eis recedere licet,vt verba ad ſanum intellectum reducantur,gl.in l.actorum.D. de re iud.& in l.non dubium.C.de legib. Hanc doctrinam poſt Bart.Bald.eleganter tractat in iam allegata. l.Vide item Dinum.c.fi.de reg.iur.libr.6.

Verba quæ aliquid operari poſſunt, non debent eſſe ſuperflua.l.ſi ſtipulatus.D.de vſur.l.ſi quando.de leg.j.

Verba ſimpliciter poſita, debent intelligi in potiori & pleno ſignificatu.l.j.§.j D.ſi ager vectigal.Non eſt audiendus,nec referẽdus aliquo modo, qui verbum ſimpliciter pòſitum,à toto ad certam qualitatem reſtringit,arctat & perputat.

Verba ſtrictæ ſignificationis ad latam extendi poſſunt,ſi ſubſit ratio.Vide poſt gl.Angelũ in Authen. Vt hi qui oblig.poſt princ.in verbo,Ad curationem.

Verba clara & manifeſta qui interpretari velit, ferendus non eſt.Iaſon poſt Doctor.in l.quicquid aſtringendæ. D.de verb.oblig.citat commodum text.in l.ille aut ille.§.cum in verbis.de leg.3.l.non aliter.D. eod.l.ſi mihi & Titio.§.fi.l.continuus.§.cum.D.de verb.oblig.

Verba obſcurè prolata,eo ſunt intelligenda ſenſu, quem ſolent rectè intelligentibus generare. c. ex literis. j.de ſponſ.& matrim.

Verba, PLENITVDINIS POTESTATIS, ET CERTÆ SCIENTIÆ, exprimi in priuilegio opus non eſt,ſi adſunt æquiualentia.Vide Bald.in l.Lapilli. D.de rer.diuiſ.& Felin.poſt Abb.in capit.Nonnulli.de reſcriptis.

Verba,& vocabula abſolute poſita propriè & non καταχρηστικῶς accipienda ſunt.l.ea.l.D.de teſt. l. nepos Proculo.D.de verb. ſignific.& vide Commentarios quatuor.de verb.ſignific.And.Alciat.

Verba geminata,& exuperantia reſtringẽda ſunt pro re, & ſubiecta materia.l.ſi ſtipulatus.D.de vſur.Andr. Alciat.reſ.203.num.28.

Verba durante vita,habent vim conditionis. l. ſi ego.§.j. D.de iur.dot.Bartol.l.j.§.7.D.de condition.& demonſtrationibus.

Verba cum effectu accipienda ſunt.l.pen.D.ne quis eum. & l.j.§.hæc verba.D.quod quiſque iur.quod de iis accipiendum eſt,vbi lex effectũ exigit, ídque potiſſimum in iis,ob quæ pœna irrogatur.

Verba dubia in reſcriptis,priuilegiis, contractibus, iudiciis,& voluntatibus vltimis,qui accipienda ſint, vide text.in l.ſi quis intentione.D. de iudic. & l. veteribus. D.de pact.l.in ambiguis.de diuerſ.reg.iu.& ibi vide interpretes.

Verba teſtamenti generalia generaliter intelligẽda ſunt. l.j.§.generaliter.D.de leg.præſtan. quod tamen indiſtinctè recipiendum non eſt.

Verba,quibus ſubſtitutiones concipiuntur, aliqua directa, aliqua obliqua, aliqua communia nominantur. Directa ſunt,per quæ ſubſtitutus directò, & per ſe nõ per mediam perſonam ad hæreditatem peruenire poteſt: eiuſmodi ſunt indubitatæ, vt Zaſius ait, Hæres eſto.

eſto. Item verbum, Dominus eſto. Item, Hæredem inſtituo, non quidem de ſui natura, ſed additum qualitati hæreditariæ: vt, Hæredem inſtituo: qui & Polito ſubſcribens, non recipit diſtinctionem Barto. de verbis ciuiliter & directò directis, vtpote commentitiam. Vocantur etiam hæc directa verba, ciuilia, vt cũ Vlpi. tit. 25. dixit fideicommiſſum non relinqui verbis ciuilibus: & Papinianus, conuenire inter omnes verbis ciuilibus filio puberi ſubſtitutionem in ſecundum caſum fruſtra & inutiliter fieri, l. verbis. D. de vulg. ſubſtit. Ciuilia autem vocantur, quoniam talia ſunt, qualia legum ciuilium verba, vt puta, Hæres eſto, Damnas eſto, vel Damnas ſunto, Dato, Facito, Præcipito, Capito, Sumito, Habeto, id eſt imperatiua. Cice. pro Balbo, explicans illa fœderum verba, Imperium, maieſtatémque pop. Rom. comiter conſeruato: quæ ita præſcripſit Liuius lib. 38. Verbi (inquit) genus hoc, Conſeruato, quo magis in legibus, quàm in fœderibus vti ſolemus, imperantis eſt non precantis. Et Porphyrio ad hæc Horatij verba ſcribentis ad Trebatium, Tranſnanto, Habento, Directis, inquit, verbis vtitur propter iuriſperitos. Obliqua autem, ſeu inflexa, cum teſtator iubet, rogat, mãdat iniungit hæredi, vt reſtituantur bona Titio. Vnde verbum Reſtitui, vere obliquũ eſt, ſicut & alia verba diſtribuendi. vt cum teſtator dicit: Bona mea diſtribuantur, reddantur, diuidantur, partiantur, & ſimilia quæ per diſcurſum iuris inueniri poſſunt: & maxime iſta verba, Rogo, Volo, Mando: quibus verbis fideicommiſſaria ſubſtitutio conficitur, quam & precariam nominat Iuriſconſult. in l. quærebatur. §. 3. D. de teſtam. militari. Verbum Iubeo, interdum precarium eſt, optantis & adulantis ſignificatum habens, & idem quod Volo, vt cum dicimus, Iubeo ſaluere, & in l. Aurelius. §. vlti. D. de lib. leg. Reddi iubeo, fideicommiſſum eſt. Et quod dicitur in l. C. cõm. de leg. Iubeo verbum eſſe directum, id non abs re fulcitur hoc articulo, forte, veluti verecundiore adminiculo. Communia, quæ vtrique ſignificationi conueniunt, hoc eſt, quæ eſſe directa aliquando, poſſunt eſſe & obliqua. Nam ſi vniuerſitati bonorum adiiciantur, directa ſunt: ſi rem certam reſpiciant, obliqua, iuxta doctrinam Bald. tametſi eam Zaſius noſter, cum pro acumine ingenij, tum pro ſenſu reſponſorum à priſcis Iuriſconſultis proditorum rectè excuſſo demonſtrat non eſſe perfectam. Bartolus complura numerat verba communia, in notiſſima lege Centurio. de vulg. Quanquam & alia adnumerãtur inter Communia: videlicet, pertineat, remaneat, redeat, reuertatur, deuoluatur, deferatur habeat, conſequatur. Item verbum, deputo, relinquo, competat, maneat, & multa id genus, quæ apud vtriuſque Iuris interpretes annotare licet, inter quos ſuper verbo, Succedat, nondũ conuenit. De verbo Lego, conſtat, quod quamuis ex latiſſima ſignificatione etiam ad hæreditatem poſſit accommodari, argu. l. verbis legis. D. de verbo. ſignifi. eſt tamen hodie coanguſtatum ad res ſingulares legatas, per iam dictam legem in fin. Solebant etiam nonnunquam teſtatores directis ſimul ac precariis verbis idem relinquere, vt ſi iure legati valere nequiret, ſaltem valeret iure fideicommiſſi, vt l. Pulius. l. non ad ea. D. de condit. & demonſt. l. quiſquis. D. de legat. 3. l. Aurelius. §. Titius. D. de lib. lega. l. ſi quis ſeruo. D. de manu teſt. & his plerunque verbis, Do lego, daríque volo. priora enim ſunt directa, poſteriora precaria.

Verba teſtamenti, faciant, diſponant liberè, cauſſam dominij habent. Auth. de reſtitutionibus. §. ſi verò, ibi, Et licentiam habere, &c.

Verborum ſubtilitatem, Iulianus accipit pro ſummo iure, in l. ſi tibi pecuniam. D. ſi cert. pet. Sed hæc (inquit) intelligenda ſunt propter ſubtilitatem verborum. Benignius tamen eſt, vtrunque valere. Adde l. ſi fundus. §. ſi pluris. D. de pign. & hypoth.

Verborum ſuperficiem tenere, non ſatis eſſe ad inueſtigationem Iuris, meminiſſe oportet, ſed interius reſpicienda eſt mens Legiſlatoris, qua ratione motus fuerit ad ſtatuendum aliquid. Scire leges (inquit Celſus) non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem, in l. ſcire leges. D. de legibus. Non quod voluerit Celſus negligi prorſus verba, quorum primam oportet eſſe cognitionem, & ſine quibus mens proferentis percipi non poteſt, vt ipſe tractat eleganter in l. Labeo ait. §. vltim. D. de ſupellect. legat. Imò ſenſit potius vtrunque coniungendum eſſe.

Verboſus, hoc eſt, loquax. Accurſius in l. & ea cauſſa. in princ. D. de poſtul. rectè exiſtimat, hominẽ plus æquo verboſum, prohibendum eſſe pro alio poſtulare. Imperator quoque verboſas aſſertiones deteſtatur, in l. ampliorem. §. in refutatoriis. C. de appellat. Gaius in l. j. de origin. iur. dixit. verboſos commentarios, pro prolixis, ac verbis abundantibus. Vt Satyricus:

— Verboſa & grandis epiſtola uenit
A Capreis. —

Quibus verbis, Eraſmo exponente, ſignificatur prolixum diploma: qualia principes de magnis rebus ſolent mittere.

Veredi, in l. 4. & 8. C. de curſu public. equi ſunt publici curſuales: Procopius lib. 2. Belli Perſic. ὁ δὲ ἵπποις τοῖς δημοσίοις ὀχούμενος, οὓς δὴ βερέδους καλεῖν νενομίκασι. Sic Iulianus Patrit. Nou. 130. τῶν δημοσιῶν ἵππων δρόμον, veredorum curſum interpretatur. A Græcis ταχυδρόμοι dicuntur ad l. 8. C. de curſ. publ. Hinc autem dictos eos ſcribit Feſtus, quod veherent, id eſt, ducerent redas. Iſidorus lib. 12. cap. j. aliam notationem adfert, quòd ſcilicet vias publicas currerent: per quas & redas ire ſolitum erat. Qui autem reda ſcribunt, veredos ſcribunt: qui rheda verhedos, vt in Pand. Florent. l. vltim. D. de mun. & hon. De his ſic Auſonius in Epiſto. ad Paulinũ:

Vel celerem mannum, uel ruptum terga ueredum
Conſcendas propere, dummodo iam uenias.

Sed cœpere etiam veredi appellari ſine reda. Vtebantur enim ad publicum curſum bobus, l. j. C. Theod. de curſu publ. & mulis atque aſinis. quod ſuſtuliſſe Iulianum Socrates ſcribit lib. 3. ca. 1. Carolum magnum iter feciſſe carpento iunctis bobus & bubulco, ruſtico more agente, Eginhartus ſcribit.

Veredarii, apud Caſſiodorum lib. 4. Variarum ad Clodiſcal. hi ſunt qui iuſſu Principum huc atque illuc curſu publico mittuntur: vel qui, vt ſcribit Procop. de bello Vand. equis celeriter vecti literas regias perferunt. Hieronymus in hiſt. Eſter: Clericus vagus, ait, veredarius vrbis.

Vereri, dubitare, l. 2. D. de damn. infect. & l. potior. D. qui pot. in pigno. hab.

Verecvndia, id eſt, reuerentia, l. patronus. D. de donationibus.

Vermina dicũtur dolores corporis cum quodam minuto motu, quaſi à vermibus ſcindatur. hic dolor Græcis στρόφος dicitur.

Verna, ſeruus domi noſtræ natus ex ancilla noſtra, aut ſeruo, l. ſeruus. §. fin. de legat. 3. l. cum ſuper vernis. C. de rei vend. Paul. in l. ſeruis vrbanis. Si vernæ alij, ait, alij curſores legati ſint: ſi quidam & curſores & vernæ ſint, curſoribus cedent. Vernæ, vt ait Feſt. lib. 19. qui in villis vere nati ſunt: quod tempus duce natura, fœturæ eſt: & tunc rem diuinã inſtituerit Marti Numa Pompilius, pacis, concordiæve obtinendæ gratia inter Sabinos Romanóſque, vt vernæ vincerent. Romanos enim vernas appellabant, id eſt ibidem natos: quos vincere perniciosum arbitrium Sabinis, qui cõiuncti erant cum populo Romano. Hæc Feſtus. Vernas veteres appellaſſe N. Marcellus ſcribit, qui vere ſacro

fuerant nati: & habitum fuiſſe hoc nomen pro vitabili,& maledicto.

Verna l.15.D.de auro,argen.leg.ſumitur pro liberto, non ſeruo. In hac enim lege teſtator vernis ſuis legat.quod ſi de ſeruis intelligeremus, inutiliter fieret. Libertos autem vernas etiam antiquæ inſcriptiones nobis referunt,vt hæc, *Fortunatus Auguſti libertus uerna* At verò ſignificantur ea appellatione qui in ædibus noſtris nati ſunt; vt vernarum aprorum & luporum Martiali: qui in viuariis & piſcinis noſtris.Marcus 1. τὸ εἰς ἑαυτὸν, Latinam cum Græca appellatione coniunxit hoc modo, οἰκογενὴς ἢ θρεπτός. nam vt ſeruum & ſeruulum, ita vernam & vernaculum dicimus: quo nomine & Tribunorum plebis miniſtros quoſdam aut ſeruos publicos Sudas appellat, eundẽ quem Cedrinus de Februario & Camillo ſiue hiſtoriam ſiue fabulam narrans.

VERONA ciuitas Venetiæ,à Brenno duce,Brenona primo, deinde mutatis literis, Verona dicta eſt, vt Iuſtin. refert.lib.20.Albericus Veroniam dicendam tradidit.

VERSARI malè in tutela,pro non rectè fungi munere tutoris,l.3.§.j.D.de offic.præf.vrb.

VERSICOLORIVM appellatione ea continentur,quæ tincta ſunt,& nota,neque detexta,neque cõtexta: veluti purpura,coccum,& alia id genus. Quæ vero natiuo colore vel alba,vel nigra ſunt, verſicoloribus non adnumerantur,l.70.§.verſicoloribus.l.78.§.coccum.D. de legat.3.l.32.§.Labeo.D.de aur.& arg.

Verſicoloria veſtis,d.l.32.§.Titia, Et Verſicoloria lana, apud Paulum lib.3.Sent.tit.6.

VERTISSE in vſus ſuos pupillarem pecuniam,vt vſuris maximis ſubiiciatur,tutor videtur,qui ſibi ſumpſit ex adminiſtratione nummos, vel clàm, vel quaſi ſua pecunia licenter abuſus eſt.Nec enim vtique qui non fenerauit,vel non depoſuit, vel qui debitor patris pupilli fuit,deinde ipſe ſibi non ſoluit, vel qui nec pecuniam pupillarem ſuo nomine fenerauit, in vſus ſuos vertiſſe intelligitur,l.7.§.pecuniæ.& §.ſeq.l.45.l.54. D. de admi.tut.l.38.D.de nego.geſt. Quod ſi tutor in vſus ſuos pecuniam conuerterit,inde aliquid in rem pupillarem impenderit, quantum impenderit,vertiſſe deſinit,l.3.§.plane.D.de contra.& vtil.act.

VERSVM in rem dicitur quod in patrimonium redactum eſt,l.2.D.quod cum eo,l.21. D.de dolo.l.3.§.contractum. D.quib.ex cauſ. in poſſ.ea.l.j.§.item ſi quid. D.de ſeparat.

Verſum autem in rem, quod ad titu.de in rem verſo attinet,videtur quodcunque patris vel domini facultates aliqua ex parte amplificauit: dummodo neceſſarius ſumptus ille fuerit: puta agrum colendo, domum fulciendo,mancipia veſtiendo,mercando, vel creditori ſoluendo, vel tale quid faciendo, vt Paul.lib.2. Sent. ſcribit tit.9. Vlpianus autem in rem verſum videri, ait,ſiue id ipſum, quod ſeruus accipit, in rem domini conuertit: veluti ſi triticum acceperit, & id ipſum in familiam domini cibariorum nomine conſumpſerit: aut ſi pecuniam à creditore acceptam creditori dominico ſoluerit.& generaliter toties de in rẽ verſo actionem eſſe, quibus caſibus procurator mandati, vel qui negotia geſſit,negot.geſtorum haberet actionẽ, quotieſq; aliquid conſumpſit ſeruus,vt aut meliorem rem dominus haberet, aut non deteriorem, l.3.§.j.& 2. D. de in rem verſ.

VERSVRAM facere,mutuam pecuniam ſumere: ex eo dictum, quòd initio qui mutuabantur ab aliis, non vt domum ferrent,ſed vt aliis ſoluerent: vel vt verterent creditorem. Feſtus. Vel ſic: Verſura fieri proprie dicitur,cum creditoris conuerſio quædam, & mutatio fit: id eſt cum quis alij vt ſoluat,ab alio pecuniam mutuatur. nunquam tamen verſuram facere ſimpliciter ſignificat, æs alienum contrahere. Cicero pro Cælio, Tabulas qui in patris poteſtate eſt, nullas conficit: verſuram nunquam omnino fecit vllam. Donat. in Phormion. Verſuram facere dicitur, qui æs alienum ex ære alieno ſoluit. Dicitur etiam Verſuram facere, cum minore fenore acceptam quis pecuniam maiore occupat.

VERTON, vel Ferton, habetur in Decr.Pon.12.quæſt. 2.pluribus capitib.quòd quatuor in partes res Eccleſiaſticæ diuidundæ ſint.cap.mos eſt, & cap.ſancimus. 12.quæſt.2.

VERVS,pro æquo & iuſto, non tantum à Cicerone, ſed etiam à Iuriſcoſs.vſurpatur,l.omnes. de in integ. reſt. l.ſi fideiuſſor.in fin.de leg.3. Inſtitut. ex quibus cauſſis manu.non lic. §.ſemel.

VERVM opponitur falſo, l.ſi quis legatum.D.de falſ.vt verus procurator,falſo procuratori.

Verum aliquando aduerbiaſcit, & confirmationis nota eſt.Ælio in Adelph.Terent.

Verùm,pro ſed, mutatius & factum l.j.C.qui & aduerſ. quos in integ.l.j.§.ex his apparet. D.de liberis agno.

VERO, inceptiue ſtat,quando nihil præponitur, cap.ſuper eo.de elect.Sæpiſſime aduerſandi nota eſt.exempla magis obuia ſunt quàm quòd referri debeant.

VERITAS eſt ipſe DEVS. Veritas humana eſt notitia rei,in auth.de inſtr.caut.& fid.in princ.

Veritas quandoque appellatur ſubſtantia,l.2.§.ſi ſub conditione.D.pro empt.

Veritas an præualeat opinioni docent Bartol.& Aretinus in l.is qui putat.D.de acquir.hæred.

VESANVS & Vecors Iauoleno,l.malum. 242.§.3. D.de verbor.ſignif.qui ſine corde,aut ſanitate eſt: quo loco Alciatus adnotat VE, vocem eſſe priuatiuam, vt στερητικὸν μορίων Gellius lib.5.cap.12.

VESPERTILIO, l.ſi ita quis.D.de euict.& l.qui decem. D. de ſolut. vt legit Budæus, eſt qui interdiu exiliter videt,& veſperi iuſtam aciem habet, μύωψ Græcis, & Latine luſcitioſus, ab auium veſpertilionum ſimilitudine. Alij pro eo ſumunt, qui interdiu more veſpertilionis latitet,noctu prodeat,quod fugitiuos quoſdam, vel debitores olim feciſſe non dubium eſt, ne in dominum,vel in notos,vel in creditores inciderent. *Alij* tamen Biſpellio legunt, alij Veſpillo, alij Verſipellis, de quibus vide ſuis locis.

VESTA, quaſi focus vrbis, Dea reputabatur, cui colendæ virgines præerant, vt vigilaretur diligenter ad cuſtodiam ignis,auctore Cicerone: inde enim virgines Veſtales dictę ſunt,quibus magnus habebatur honor, præcedentibus etiam facibus cum prodirent: adeò vt damnatum ad mortem,forte fortuna obuium, liberarent à pœna. Triginta autem annis virginitatem ſeruabant,exinde ad quancunq; vitæ conditionẽ liberæ.

VESTIS à veſtimento hoc differt, quo genus à ſpecie: quod ſubiecta Feſti verba indicant: Veſtis, ait, generaliter dicitur,vt ſtragula forẽſis,muliebris: veſtimentum pars aliqua,vt pallium, tunica, penula. Veſtes tamen an veſtimenta legentur, nihil referre Vlpianus ſcribit,l.veſtis.23.D.de auro, & arg.leg.quod & Pomponius probat,l.inter.33.D.eod.

Veſtis autem appellatione, inquit Calliſtratus, tam virilis,quàm muliebris,& ſcenica,etiam ſi tragica, aut citharœdica ſit,continetur,l.127.D.de verbor.ſignificat. Veſtem quoque victus habere vicem Labeo ait,inquit Vlpian.l.43.eod.

VESTEM QVÆ MEA ERIT. Hunc ſermonẽ in mortis tempus collatum,ſine dubio pro conditione accipiendum eſſe.Pomponius putat,l.nuper. D.de legat.3.

VESTIARIVM quantum ſatis eſt veſtium, pro cuiuſq; perſonæ conditione. Vlpia.l.21. D.de cib.& alim.Diariis vel cibariis relictis,neque habitationem,neq; veſtiarium, neque calciarium deberi, palàm eſt.Sic l.83. D.de

D.de condit.& demonſtr.l.3. §.quamuis.D.ſi cui plus quam per leg.Falc.& l.4.l.8.l.12.l.13.l.18. D.de cib.& alim.leg.At in l.6.D.eod. Veſtitus appellatur.

VESTIARIVM in poſtremis libris Codicis, & in libro Notitiæ Imperij Roman.accipe,in quo veſtes principis conduntur,& reponuntur.Moſcopul.in lib. cui titulus eſt, συλλογὴ Ἀττικῶν ὀνομάτων, Βεστιοπράτης ὁ ῥάπτης. Βεστία γὰρ παρὰ ῥωμαίοις τὰ ἱμάτια, ὅθεν καὶ βεστιάριον κυρίως, ἐν ᾧ τὰ βασιλικὰ ἐνδύματα φυλάσσονται. Guliel. Tyrius lib. 2.de Bello ſacro cap.15.Quo facto ex Imperialibus veſtiariis oblata ſunt prædicto viro munera in auro, veſtibus, vaſis,& pretioſis lapidibus. Huic veſtiario comes præponebatur.Erat & veſtiarij ſacri ſcrinium, vt ſuprà docuimus, quod ornamentum ſacrum dicitur,l. 4.C.de diſcuſſorib.lib.10.

VESTIARII in l.5.D.de inſtitor.& Veſtiarij negotiatores,l.45.D.de oper.liberto.& l.7. C.de excuſ.mun. lib.10.C.ſunt veſtium confectores,id eſt, vt Græci d.l. 7.vertunt, οἱ πραγματευόμενοι τὴν ἐσθῆτα.

VESTICEPS, pubes à Gellio appellatur lib.5.cap.19.Sed arrogari, inquit,non poteſt, niſi iam veſticeps. Cui verbo Inueſtis apud Tertullianum reſpondet in lib.de virginib.veland. Si virgo mulier non eſt, nec virin ueſtis eſto.Si non operitur virgo, quia mulier non ſit: operiatur inueſtis, quia vir non ſit.Et aliquanto poſt, Materfamiliæ vocatur,licet virgo:& Paterfamiliæ, licet inueſtis. Feſtus: Veſticeps puer,qui iam veſtitus eſt pubertate.contrà,Inueſticeps,qui nondum pubertate veſtitus. Non. Macel. Virgines non ſolum fœminæ, verum etiam pueri inueſtes.

VESTISPICA, ancilla veſtium cuſtos, & inſpectrix, vt vt ait Nonius.quo verbo vſus in Trinummo eſt Plautus: Paulúſque noſter in lib.18.§.8.de inſt.vel inſt. vt Haloander putauit: à quo diſſentire non poſſum, ſi modo ex Codice hâc habuit ſcripturam. Nam quid ſit VESTICVLA in Florentinis libris,non diſpicio.Paulum autem de mancipio loqui, teſtamenti verba declarant. Hotomanus.

VESTIMENTORVM eſſe Vlpianus ait, omnia lanea, lineáque, vel ſerica, vel bombycina, quæ induendi, præcingendi,amiciendi,inſternẽdi,iniiciendi,accumbendi cauſſa parata ſunt.l.23.§.1.D.de aur.arg. Veſtimentúmque id accipitur,quod detextum eſt, & ſi defectum non ſit:id eſt,ſi conſummatum ſit,non etiam ſi nondum prætextum,vel detextum in tela adhuc ſit, l. 22.D.eod.titul. Veſtimentorum autem quædam virilia ſunt,quædam muliebria,quædam puerilia,quædam communia,quædam familiarica. Virilia ſunt quæ ſcilicet ipſius patrisfam.cauſſa parata ſunt,& quæ ad vſum virilem ſaluo pudore attinent,vt togæ,tunicæ, palliola, veſtimenta ſtragula,&c. Muliebria verò, quæ ad vſum matrisfa.ſpectant, quibus vir non facilè vti poteſt ſine vituperatione, veluti ſtolæ,pallia, tunicæ, capitia, zonæ,mitræ. Puerilia ſunt quæ ad nullum alium vſum pertinent niſi puerilem, veluti togæ prætextæ, aliculæ, chlamides, pallia quæ filiis noſtris comparamus. Communia ſunt, quibus promiſcue vtitur mulier cum viro:veluti ſi eiuſmodi penula palliúmve eſt, & reliqua eiuſmodi, quibus ſine repræhenſione vel vir vel vxor vtatur.Familiarica ſunt, quæ ad familiam veſtiendam parata ſunt:ſicuti ſaga,tunicæ,penulæ,lintea, veſtimenta ſtragula, & conſimilia,d.l.23. §.veſtimenta.D.de auro,argen.Paul.lib.3.Sentent.tit.6.

VESTIBVLVM, Gellius libr.16. capit.5. verbis Cæcilij Galli,dicit non in ipſis ædibus, nec partem ædiũ fuiſſe,ſed locum ante ianuam domus vacuum, per quem à via aditus acceſſúſque ad ædeis eſt: cum dextra ſiniſtráque inter ianuam tectáque quæ ſunt viæ iuncta, ſpatium relinquitur,atque ipſa ianua procul à via eſt, area vacanti interſita.Vel locus eſt medius inter viam publicã & fores domus, in quo ſtatio eſſet ſalutatorũ.

VESPILLO, in antiquo Lexico ſepulchrorum violator dicitur, Græci τυμβωρύχος, quod tamen per antiphraſim intelligi debet,quaſi non ſepeliat, ſed nudet, cum veſpillo funerare ſoleat. Alias vocatur Sandapilarius.His annumerari vult Budæus noſtros κηδωνοφόρους, quos anteambulones atratos vocare Latinè poſſumus. Quibuſdam Veſpillo idem eſſe videtur quod Viſpellio.Vide Viſpellio.

VESTIGATORES. Vlpianus in l. quæſitum. de fund. inſtru.Si in agro venationes ſint,puto venatores quoque,& veſtigatores,& canes,&c.Varro de ling.Latin. lib.4. Veſtigator,hoc eſt,venator, à veſtigiis ferarum quas indagatur,dictum.

VESTITVRA, poſſeſſio: vt in voce Inueſtitura docuimus. Lomb.lib.1.titul.32. Si quis proprium noſtrum, quod in veſtitura genitoris noſtri fuerit, alicui reddiderit,&c.

VETARE, contrarium eſt iubere, hoc eſt, ne aliquid fiat,imperare,vt in edicto Præt.Vim fieri veto. ſic in l. legis.de legibus. Tametſi etiam vetare videtur,qui nõ conſentit,l.qui vas.§.vetare.D.de furt.

VETERANI intelliguntur, qui poſt viginti annorum ſtipendia, vel per honeſtam, vel per cauſſariam miſſionem à militia ſoluti fuerint.Cauſſaria autem miſſio propter aduerſam valetudinem contingit, l.qui cauſſaria.C.de excuſatio.vetera.& l.veteranis.C.quando prouoca.non eſt neceſſ.& vide D.de priui.vetera. l.8. §.veterani.D.de procur.

VETERANA mancipia vocat Martianus, ad differentiam nouitiorum, quæ anno continuo in vrbe non in agro ſeruierunt; in l.interdum. §.quoties.D.de publica.& vectigal. Vocantur & Veteratores. vide Nouitij ſerui.

VETERATOR ſeruus non ſpatio ſeruiendi,ſed genere & cauſſa æſtimandus eſt, vt vult Cælius l.vltim.D.de ædil.edict. nam quicunque ex venalicio nouitiorum emptus alicui miniſterio prępoſitus ſit,ſtatim eum veteratorum numero eſſe.

VETERINARII, veterinorum medici.ſunt autem veterina animalia,quorum opera in vehendo conſumitur, vt apud Feſtum lib.19. ait Cato.Tarrũtenus l.vlti. D.de iure immun. Veterinarij, architectus, gubernatores. Columella lib.6.cap.8. Solent etiam faſtidia cibo adferre vitioſa incrementa linguæ, quas ranas veterinarij appellant.

VETITVS rationes reddere, non hoc conſequitur, vt nec apud eum ſit, & reddat & lucrifaciat: ſed ne ſcrupuloſa inquiſitio fiat,hoc eſt vt negligentiæ ratio non habeatur,ſed tantum fraudum, auctor Martianus l.ſi ſeruus vetitus.D.de legat.1.

VETITOR, in l.51. D.de re iudi.poſitum pro debitor, non emptor,aut venditor contendit Cuiacius Obſer. lib.12.cap.23.

VETVS, inquit Sulpitius Apollinaris apud Gellium lib. 16.cap.5.ab ætatis magnitudine compoſitum eliſumq; eſt. Ve enim in dictione hac intendit, & altera dictionis pars eſt:ætas,alie.

VETVS IVS in libris iuris Ciuilis variè accipitur.Interdum hoc nomine lex XII.Tabul.ſignificatur, quæ & lex antiqua appellatur, lege prima. D.de petit.hæred. lege ſecunda, §.primo.D.de noxalibus. Interdum verò vetus ius intelligitur ius quodcunque ante nouam aliquam legem, vel conſtitutionem obtinuit, l.2.§.ſi mater. D.ad Senatuſconſultum Tertyllian.l.2.C.eod. Ius vetus eſt, quod ante Senatuſconſultum Tertyllianum ſeruabatur. Similíque modo in l.32.§. ſi diuortium.D.de donation.inter virum & vxorem. Vetus ius eſt, quod ante orationem Antonini in vſu erat. Sic l.8.§.ſed ſi curator.D.de rebus eorum. Vetus ius intelligen

intelligendum eſt, quod Orationem Seueri Ant. anteceſſit, quæ prædia eorum qui ſub tutela, curáve eſſent, ſine decreto alienari, obligaríve prohibuit.

Vetus VINVM ex vſu teſtatoris æſtimatur, id eſt, quot annorum vino pro vetere vteretur. Si id nõ appareat vetus accipietur, quod non eſt nouum, id eſt prioris, anni vinum, l.11. D.de tritic.vin.oleo lega. Vinum nouum pro vetere reddere, qui mutuò accepit, nõ debet, l.cum quid.3.D.de reb.cred.& ſi cert.peta.meritò.

VETERES decimæ, in c.2.de decimis lib.6.in princ.& §. ſtatuimus. decimis noualium opponi videntur. vide Ioan.And.in d.c.2.

VETVSTAS in l.nemo.7.C.de fund.rei priuat.liber.11. pro 40.annis; quandoque id tempus ſignificat, quod memoriam hominum excedit, l.j.§.fin.& l.2.& l.fi. D. de aq.& aq.plu.l.4.C.de aquæduct.

Vetuſtas vicem legis tenet, auctoribus Vlpiano dicta l. j.§.vltim.de aqu.pluu.arcend.& Paulo, ibidem in l.2. §.idem Labeo. Quæ Iuriſconſultorum reſponſa ſi diligenter conferas, videbis quantam vim habeat tempus in viciſſitudine rerum mortalium. Eſt enim vice legis, vice conſtituti, eſt loco conſenſus. Breuiter nihil non poteſt mutare: vt deſinant quidam mirari, quomodo directum dominium tribuat. Aliquãdo vetuſta pro 10.ann.l.j.§.fin.& l.2.in principio. D.de aqua plúu. arcend.ex Alberico.

VEXARI in l.j.§.j.D.de vaca.mu.l.j.in fin. D.de teſtib.l. annonam, D.de extraord.crim.l.j. D.ad leg.Iuliam repetund.eſt ferri, raptari, huc illuc diſtrahi. de quo vide Gell.lib.2.cap.6.

VEXILLATIONES equitum alas dici Veget.lib.2.c.j. ſcribit, ab eo quod velis, id eſt flammulis vtantur. Quo poſtremo verbo Leo Imper.in lib.de re militari non ſemel vtitur. Ita accipe vexillationes in l.2. C. de hæred.decur.l.9. C.quando prouoc.non eſt neceſſ. l.8.de erogation.milit.anno.libro duodecimo, C.l.j.de bon. milit.in C.Theo.& in Notitia Imperij Roman. Apul.lib.7.de Aſino aur. Tota denique factione, militarium vexillationum indagatu contecta.

VIA dicta, inquit Varro lib.4.de ling.Latin.& libr.7.cap. 2.de re ruſt.qua vehebant, quaſi veha, propter vecturas: vt Actus qua agebant. Propriè igitur via, cum de ſeruitute loquimur, eſt ius vehiculi ducendi per prædium alienum. Eius latitudo lege XII. Tabul. definita eſt: in porrectum pedes octo, in amfractum ſedecim, l.8. D.de ſeruit.ruſtic.

Via interdum ius eundi, agendi, & ambulandi ſignificat. Nam iter & actum in ſe via continet, l.j.§.via.lege 7. D.de ſeruit. ruſtic. l.14. §.ſi viam. D.de acceptilatio. Viæ aliàs itinera ſignificant, quibus publicè commeatus eſt. Viarum autem quædam publicæ ſunt, quædam priuatæ, l.2.§.viarum. D.ne quid in loco publ.l.38.D.de acquiren.rerum domin. Publicas vias Iſidor.lib.15. ca. vltim.definit, quæ in ſolo publico ſunt, per quas iter populo patet, quæ vel ad mare, vel ad opida pertinent, hæ & prætoriæ dicuntur, & conſulares, & βασιλικαὶ, & militares, d.§.viarum. & l.vltim. D.de itineribus publ. Sicul.Flacc.in libro de Condic.agrorum, Viarum, ait, non omnium vna eadémque eſt conditio. Nam ſunt viæ publicæ regales, quæ publicè muniuntur, & auctorum nomina obtinent. Nam & curatores accipiunt, & per redemptores muniuntur. Hygen.in lib.de Limitib. conſtit. Quibuſdam, ait, colonis D.M. ita conſtituerunt, vti viam conſularem tranſeuntem per coloniam contineret. Priuatæ viæ, quæ & agrariæ dicuntur, dupliciter accipiuntur: vel eæ, quæ ſunt in agris, quibus eſt impoſita ſeruitus, vt ad agrum alterius ducant. Vel eæ, quæ ad agros ducunt, per quas omnibus commeare licet, in quas exitur de via conſulari.d. §.viarum. Sunt & Vicinales viæ, quæ vel in vicis ſunt, vel in vicos ducunt: quæ ſi non ex collatione priuatorum fiant, publicarum loco habentur. Sed inter eas & cæteras militares hoc intereſt, quòd militares exitum ad mare, aut in vrbes, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent: Vicinalium verò pars in militares exitum habent, pars ſine exitu intermoriuntur, l.vltim. D.de locis & itinerib. publ. Et ita Vicinales vias accipe apud Senecam lib.5.de Benefic.cap.penult.& apud Fron-in.lib.2.de Aquæductib.& in §.Item ſi putator. Inſiit.de l.Aquil.vbi Theophil. Publica μὲν ἐστιν ὁδὸς, ait, ἥτις καὶ μιλιτάρια λέγεται, παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησι βασιλικὴ, ἣ πάντες ἄνθρωποι κέχρηνται ἐπὶ διαφόρους ἀπιόντες τόπους. Vicinalis καὶ ἡ ἐπὶ κώμας ἄγουσα, vicus γὰρ ἡ κώμη διὰ ταύτης γὰρ βαδίζει πᾶς ἐπὶ τὴν κώμην ἀπιών. Sicul. Flacc.in lib.de Conditio.agrorum. Vicinales autem viæ, quæ de publicis diuertuntur in agros, & ſæpe ad alteras publicas perueniunt: aliter muniuntur per pagos, id eſt, per magiſtros pagorum, qui operas à poſſeſſoribus ad eas tuendas exigere ſoliti ſunt: aut vt comperimus, vnicuique poſſeſſori per ſingulos agros certa ſpatia adſignantur, quæ ſuis impenſis tueantur.

Via lignaria, apud Aggenum Vrbicum Comment.de limitib.agror.

Via eſt, ſiue ſemita, ſiue iter eſt: ait Gallus l.157.D.de verborum ſignifi. Via totum eſt: eius partes duæ ſunt, iter & actus: vti conſtat ex l.13.§.j.D.de acceptil.

Viam aperire, inquit Vlpian.eſt ad veterem altitudinem latitudinémque reſtituere, l.j. de via publ.

VIA, Metaphoricõs ſignificat veram, atque iuſto ordine conſtantem docendi rationem, Græcis vocatur Methodus: per quam ſine errore tutò veniamus ad cognitionem. Inde Methodici ſunt dicti, qui rationem artis, & diſcendi compendia ſequuntur. Et Galenus li. 9. Therap.duas artis partes facit: μέθοδον, καὶ ἄσκησιν, hoc eſt, viam & exercitationem. Eleganter igitur per viam denotatur legitima poteſtas tradendi iuris, l.2. §. nouiſſime. D.de orig.iur.

VIATICVM, ſumptum itineris ſignificat. Græcè ἐφόδιον dicitur auctore Gellio lib.17.cap.7.ſic l.j.§.ſi pupillis. D.de tutel.& rat.diſtrahend.l.52. §.ſi quis ex ſociis. D. pro ſocio. Viatica etiam vocantur impendia ad iter explicandum neceſſaria, lege ſeptima, D.ad Trebellianum. Ad ſumptum quoque deſtinatam quancunque pecuniam, viaticum appellatur, l.17. D.ſi certum petat.

VIATICVLVM ὑπομνηστικῶς dixit Vlpian.l.18.in fin.D. de iudic.

VIATOR l.19.§.2.de iudic.propriè de eo qui ſuis pedibus iter facit: & diſtinguitur ab eo qui tranſuehitur, equo ſc.& ab eo qui παραπλεῖ, id eſt naui præteruehitur.

VIATORES olim dicti ſunt, qui è villa in curiam Senatores acceſſebant: vt Cicero in Cat.ma. & Columel. libri primi, capite primo teſtantur. hinc conſuetudine ſermonis tranſlatum ad eos eſt hoc verbum, qui Magiſtratus iuſſu reos in ius vocarent, qui iudicata exigerent, quibus imminendi litibus ſolicitudo iniuncta eſſet, qui tum Apparitores, tum Executores litium plerunque appellantur: vt Imperator docet in §.tripli.de actionib. Tripli, inquit, agimus, cum quidam maiorem vera æſtimatione quantitatem in libello cõuentionis inſerunt, vt ex hac cauſſa viatores, id eſt executores litium, ampliorem ſummam ſportularum nomine exigerent. Nam de apparitoribus ſentire Iuſtinia. conſtat etiam ex l.31.§.quinto. C.de Epiſcop.& cleric. Vlpianus lege quinta.§.vigeſimoprimo. D.vt in poſſeſſion.legat. Miſſus in poſſeſſionem ſi non admittatur, habet interdictum propoſitum: aut per viatorem, aut per officialem præfecti, aut per magiſtratum introducendus eſt. Plinius libri decimioctaui, cap.tertio: Aranti

Aranti quatuor ſua iugera Cincinnato, Viator attulit Dictaturam, & quidem nudo plenóque pulueris etiamnum ore. Cui Viator, Vela corpus, inquit, vt proferam Senatus populíque Rom. mandata. Tales tum etiam viatores erant, quod ipſum nomen inditum eſt ſubinde, & ex agris ſenatum ducéſque accerſentibus. Feſtus autem ſic: Viatores appellantur, qui magiſtratibus apparent: eò quia initio omnium tribuum, cum agri in propinquo erant vrbis, atque aſſiduè homines ruſticabantur, crebrior opera eorum erat in via, quàm vrbe: quòd ex agris plerunque homines vocabantur à magiſtratibus, & frequens eorum erat ab agris ad vrbem via. Ideoque in vete. Gloſſ. vocantur ἀμφοδάρχαι, ἀρχιυπηρέται.

Viatorum varia fuiſſe nomina conſtat ex variis iuris articulis. Aliquando enim miniſteria vocantur, l.3.§.tutor. D.de ſuſpect.tutor. Aliquando apparitio, l.fin.§.fin.D.quod metus cauſſ. ſæpiſſimé apparitores, l.ſi pignora.D.de euictionib. Interdum officia, l.illicitum. §.ne tenuis. D.de offic. præſid. nonnunquam officiales, rubric. & l.j. C.de filiis officialium, & cap.nullus.4. quæſtione quarta. ſæpe in Nouellis vocantur τάξεις, ταξεῶται: interdum executores, l.2. C.de ſportul. aliquando, miſſi, cap.primo, de immunit. Eccleſ. & ibi gloſſ. Galli appellant eos *Sergents*. Erant etiam viatores, vt teſtatur Turneb. ex priſcis titulis, in quibus ad factiones circi, & ludos circenſes nomina pertinentia plurima reperiuntur, qui miniſtri curſitabant huc illuc, vltro citro iuſſu agitatorum, ſi qua forte re egerent, ac illis præſto ſemper erant.

VICANOS in Rubric. vt nullus ex vican. interpretantur quidam ex vico natos. Hinc etiam Cicero libro primo de Diuinat. Aſtrologos vicanos vocat, qui in vicis & pagis aruſpicinam exercebant, qui vaniſſimi & mendaciſſimi erant.

VICANALIA vulgo appellantur, quæ ad pagum aliquem in vniuerſum pertinent.

VICARIVS à vice vulgo dicitur, éſtque is qui vicem alterius obtinet, & in locum eius ſuccedit: quod & ad res alias refertur. Cicero: Vicariá ſolutio rerum creditarum, id eſt vicem reddés creditori. Hinc & Quintilianus vicariam operam vacat. Sic l.vlt. C.de feriis, ſubeat animos vicaria pœnitudo.

Vicarius SERVVS ille dicitur qui in familia atrienſi ſeruo, id eſt maiori ſeruit, id eſt, interprete Theophilo, ὁ τοῦ οἰκέτου οἰκέτης. Vlpianus l.ſeruos.73. D.de legat.3. Vicarios autem ſeruorum ſuorum numero non contineri Pomponius lib.5. ſcribit. Paulus lege ſi in re.19. D.de nox.act. Si ſeruus tuus nauem exercuerit, eiúſq; vicarius & idem nauta in eadem naue damnum dederit, Vicarius & Ordinarius nomina ſeruorum inter ſe conferuntur. nam ille in huius, quaſi domini, peculio ſeruus eſt. Vlpianus l.17. D.de peculio. Si ſeruus meus ordinarius vicarios habeat, id quod vicarij mihi debent, an deducam ex peculio ſerui ordinarij? Martialis:

Eſſe ſat eſt ſeruum, iam nolo uicarius eſſe.

Sed & latius hoc nomen ſumitur: nam Vicarij interdum dicuntur, qui in vicem aliorum exitio peſtíque deuouentur, vt in eorum caput expetant ea mala, quæ aliis erant euentura, vt in carmine deuotionis: Eóſque ego vicarios pro me fide magiſtratúque meo, & pro populo Romano exercitibus legionibúſque noſtris, do, deuoueo.

VICARIVS ſub titul. C.de officio vicarij, erat vir ſpectabilis, præfecti prætorio vicarius, qui ex mandato principis in diœceſem aliquam ſiue tractum mittebatur multas habentem prouincias, lege quarta. C.de annon. & trib. l.j. C.de proxim. ſacror. ſcrin. lege prima. C.vt omnes iudic. lege prima. §.à præfecto. D.de legatis tertio. Propriam igitur iuriſdictionem habebat, non à præfecto mãdatam: quod & de legatis proconſulum affirmatur. Quod autem fuerint vicarij tum in oriente tum in occidente Notitia Romani imperij his verbis indicat. In præfectura prætoriana Orientis tres erant vicarij, quorum fit mentio in l.vltim. C.de diuerſ. offic. lib.12. Vnus diœceſeos Aſianæ, qui prouincias octo adminiſtrabat, Pamphyliam, Lydiam, Cariam, Lyciam, Lycaoniam, Piſidiam, Phrygiam, Pacetianam, Phrygiam ſalutarem. Alter erat vicarius diœceſeos Ponticæ, ſub cuius diſpoſitione erant prouinciæ XI. Bithynia, Galatia Paphlagonia, Honorias, Galatias ſalutaris, Cappadocia vtraque, Helenopontus, Pontus Polemoniacus, Armenia prima, & ſecunda. Tertius erat vicarius diœceſeos Thraciarum, cui ſuberant Thracia, Hæmi montis, Rhodope, Mœſia ſecunda, Scythia. In partibus verò Occidentis vicarius vnus erat vrbis Romæ, cuius fit mentio lib.4. Variar. Caſſiod. Epiſt. ad Ioannem Archiatrum, cui ſuberant Conſulares & correctores Italiæ, & Præſides Sardiniæ, Corſicæ, Valeriæ. Alter verò erat ante Iuſtiniani tempora vicarius Africæ, cui ſuberant conſulares Byzãcij & Numidiæ: & Præſides quoque Tripolitanæ & Mauritaniæ vtriuſque. Tertius erat vicarius Hiſpaniarum, cuius fit mentio in inſcriptione l.vlti. C.quorum bonor. & l.16. C.de donatio. ante nupt. & apud Sulpit. Seuer. lib.2. Sacr. hiſtor. Huic ſuberant conſulares Beticæ, Luſitaniæ, Galliciæ: Præſides Tarracenſis, Carthaginenſis, Tingitaniæ, inſularum Balearium. Et hæc ita ante Iuſtinia. obtinuere. Cæterum Iuſtin. vicarios Aſianæ & Ponticæ diœceſeos abrogauit, & vtrumque in vnicæ prouinciæ, nempe Galatiæ Pacatianæ, adminiſtrationem commutauit, Nouella 6. & Nouella 20. Iidem vicarium Africæ in propriam præfecturam prætorianam tranſmutauit.

VICE mutua, pro viciſſim, locutio frequens in libris noſtris, vt in l.penul. D.de præſcrip. verb. l.6. D.ſi certum pet. l.78. D.de hæred. inſtit. l.24. C.famil. erciſcundæ.

VICECOMES de offic. vicar. dicitur, cui dominus temporalis committit executionem iuriſdictionis ſuæ in aliquibus caſtris, & ſic eiuſmodi Vicarium appellant Langobard.

VICEDOMINVS, qui Domini vice res ipſius adminiſtrat, eique vicariam operam præſtat. Apud Canoniſtas, Vicedominus, Oeconomus, qui è Clericorum numero Epiſcopatum adminiſtrat, capitul. volumus, & cap. Diaconum, & cap. ſequ. diſtinct.89. Proprie tamen Oeconomos, qui res Canonicorum adminiſtrat: Vicedominus, qui Epiſcopi, cap. conſulere, extrà de ſymon.

VICEDOMINATVS, ius patronatus, cap. quia, de iure patronat.

VICESIMA hæreditatum, quæ & lex viceſima vocatur, & lex Iulia, de viceſima, vectigal fuit ab Auguſto, locupletandi ærarij cauſſa inſtitutum: quod extraneis hæredibus, non inopibus imperaretur: auctor Dio lib.55. τὴν εἰκοστὴν, inquit, τῶν τε κλήρων καὶ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντες τισὶ, πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν, ἢ καὶ πενήτων, καταλείπωσι, κατεστήσατο. Huius meminit lex 2. Cod. de tranſactio. & l.vltim. C.de edict. Diu. Had. tollend. quod & eam pertinuit. Paul. lib.4. Sent. capit.6. & Plin. in Panegyr. & ita lib.7. Epiſtol. ad Corelliam Viceſima accipienda eſt, vt ex alia eiuſdem. libri Epiſtol. ad Fabatum conſtat, non de viceſima rerum venalium, vt volunt, quam nullus vnquam fando audiuit. Eſt & eius mentio in aliquot inſcript. vnde conſtat Æmilium Macrum duos de ea libros ſcripſiſſe. Fuit & alia Viceſima, de qua Pomponius ſcribit A. Ofilium primum ſcripſiſſe, l.2.§.ex his. D.de orig. iur. ſed (vt opinatur Hotoman.) illa fuit de qua

de qua Liuius lib.7.ita ſcribit: Cn.Manlius Conſul legem de viceſima eorum qui manumitterentur, tulit. Patres quia ea lege haud paruum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuerunt.

VICESIMARII exactores, à viceſima parte: vt Octauarij, ab octaua.

VICVS, platea vocatur. Ex multiplicatis domibus, fit vicus. Ex pluribus vicis, fit vrbs. Et eſt duplex: Vicus vrbanus, qui angiportum continet, quaſi anguſtiorem plateam ſine exitu:& vicus paganus, cum plures ruſticanæ domus coniunctæ ſunt extra muros. Hinc,

VICI pro pagis, in l.2.§.vltim. D.de vacat.muner, l.30.D. ad municipal.l.198.D.de verbor.ſignif. vnde Vicanei, qui ex eodem vico & pago ſunt, l.4. D. de cenſib. Et Vicinales viæ, quæ vel ex vicis vel in vicos ducunt, de quibus ſuprà in verbo Via diximus.

VICOMAGISTRI in deſcriptione vrbis Conſtantinopolitanæ, quibus per noctem tuendæ vrbis cura mandata eſt: quos Dio ςενωπάρχας vocat lib.55.

VICINI ſunt quorum prædia non linea, ſed paries communis diſterminat. nam in vrbanis prædiis, Vicini: in ruſticis, Confines appellantur. Paulus l.4.§.vlti. D.fin. reg. Hoc iudicium locum habet in confinio prædiorum ruſticorum, vrbanorum diſplicuit: neque enim confines hi, ſed magis vicini dicuntur: & ea communibus parietibus plerunque diſterminantur.

Vicini Bart.l.ſi tertius. D.de aqua plu.dicuntur quouſque vox hominis adclamantis exaudiri poteſt, l.j.§.eodem autem teſte. D.ad S.C.Tertyl.quod de voce communi accipiendum eſt, non nimis gracili, nec (vt ait) tubali, aut taurina.

Vicinum, proximum & affine ſignificat. Sic Vicina emptioni dicitur permutatio, l.fin. D, de rerum permut. Et Vicinus tractatus, l.9. §.huic vicinus. D.de vſufruct. Et Vicina ſcripturæ, l.20.§.j. D.qui teſtam. fac.poſſ.

Vicinus pro conſorte, l.ſi de meo. D.comm.diuid. l.vicinus. D.de aqua plu.arcen. & aliquando pro ſocio, l. damni.§.cum parietem.D.de damn.infect.

VICINIA, Feſto vicinorum conuerſatio.

VICTIMA omne animal, quod diis immolabatur, dictum eſt. Hoſtia ab hoſtiendo, id eſt, feriendo. Victimam Ælius apud Feſtum li.19.ait eſſe vitulum ob eius vigorem. Alij autem quæ vincta adducatur ad altare, aut quæ ad hoſtes victos immoletur. Ouidius:

Victima quæ dextra cecidit uictrice, uocatur.
Hoſtibus à domitis, hoſtia nomen habet.

VICTIMARII, l.fin. D.de iur.immu.qui quæ ad victimarum ſacrificia pertinebant, præſtabant.

VICTVS verbo continentur, quæ eſui, potui, cultuíque corporis, quæque ad viuendum homini neceſſaria ſunt: veſtimenta quoque & cætera, quibus tegendi curandíve corporis noſtri cauſſa vtimur, eadem appellatione continentur, l.43.l.44.l.45.D.de verb.ſignif. Verbum itaque Viuere non ad ſolum cibum pertinet, ſed & veſtimenta, & ſtramenta eo continentur: cum ſine iis nemo viuere poſſit, l.23.in fin.D.de verbo, ſignificatione.

VITIARE vinum. Vlpianus. Cum eo planè, ait, qui vinum ſpurcauit, vel effudit, vel acetum fecit, vel alio modo vitiauit (hoc eſt, corrupit) agi poſſe Aquilia Celſus ait: quia & effuſum, vel acetum factum corrupti appellatione contineatur. nec negat fractum & vſtum contineri corrupti appellatione, l.ſeruus ſeruum.§.10.D.ad leg.Aquil.

VIDELICET, verbum, quamuis regulariter ponitur declaratiue, vt per multa iura conſtat: tamen in tempus.D.de re iudic.ponitur limitatiue, & ſignificat temperamentum, pulchra loquendi figura. Tempus quod datur iudicati, etiam hæredibus eius, cæteríſque qui in locum eius ſuccedunt, tribuatur: videlicet quod ex tempore deeſt.

VIDERI, fictionis verbum eſt interdum, vt in l.j.§.fi.D. ad Turpil. Vide Bartol.in l.ſi duo. D.de acquiren.hæredita.& in l.3.§.idem ſcribit.D.de pecul. vide & Bud. in poſter.Annot.Alicubi veritatis eſt, vt in l.Titio.§. Titio genero.D.de condit.& demonſtrat.l.tale.de hæredib.inſti.& in ſimi. Hoc verbum Iuriſcoſ. eſſe Cicero atteſtatur ad Trebat. libro Epiſtol.7. Hoc quemadmodum, inquit, vos ſcribere ſoletis in veſtris libris, Idem Q. Cornelio videbatur. Sentit autem, Iuriſcoſ. affirmare ſententias ſuas aliorum auctoritate.

Videri feciſſe, formula qua veteres in ſententiis vtebantur. Cicero lib.Acad.quæſtionum 2.Quam rationem, inquit, maiorum etiam comprobat diligentia, qui primum iurare, &c. quæque iurati iudices cognouiſſent, vt ea non eſſe facta, ſed vt videri pronunciarét. Idem Verrina 4.Vix ille hoc dixerat, cum iſte pronunciat, Sthenium literas publicas corrupiſſe videri. Item alibi: Feciſſe videri pronunciant. Idem libr.de finib.1. Réque ex vtraque parte audita, pronunciaret eum nõ talẽ videri fuiſſe in imperio, quales eius maiores fuiſſent, Sext.Pompeius lib.14. Parum cauiſſe videri pronunciat magiſtratus, cum de conſilij ſententia capitis quem condemnaturus eſt.

VIDVAM non ſolum eam, quæ aliquando nupta fuiſſet, ſed eam quoque mulierem, quæ virum non habuiſſet, appellari ait Labeo: quia vidua ſic dicta eſt, quaſi Vecors, Veſanus, qui ſine corde, aut ſanitate eſſet ſimiliter viduam eſſe dictam, ſine duitate, Iauolenus in l.malum. D.de verbor.ſignificat.vide Bald.l.fin. C.de plagia.

VIGILES nocturni excubitores vocabantur, qui noctu incendiorum arcendorum cauſſa vigilias agebant, ex Auguſti inſtituto, qui per ſingulas vrbis regiones eos diſpoſuit, præfecto eis ex equeſtri ordine viro ſpectabili, qui præfectus Vigilum eſt appellatus, l.j.2.3.D.de offic.præfec.vig.l.fin. D.de condi.cauſ. da.l.2.§.j. D.de fugit.l.58.D.de furt. Hos ex libertinis conſcribi voluit Auguſtus teſte Dione lib.55.

VIGILAX, l.18.D.de ædil, edict.vigilans, induſtrius, ſollicitus. Si conſtantem, inquit Gaius, aut laborioſum, aut curacem, vigilaſſem eſſe, aut ex frugalitate ſua peculium acquirentem affirmauerit.

VIGILANTIA, diligentia. Hermogenianus: Perſonale munus eſt, quod cum corporibus, cum labore, ac ſolicitudine animi ac vigilantia exiſtit. l.j. D.de munerib. & honorib.

VIGINTIQVATVOR horæ. Paulus in l.more Romano. D.de feriis. Quicquid, ait, in iis vigintiquatuor horis, id eſt, duab.dimidiatis noctibus, & luce media actũ eſt, perinde eſt, quaſi qualibet hora lucis actum eſſet.

VIGINTIVIRI erant Triumuiri capitales, Triumuiri monetales, & Quatuoruiri curatores viarum vrbis, & Decemuiri, qui haſtam centumuiralem cogebant. Dio lib.53.

VIGINTIVIRATVS apud Tacitum, Vtque munere, inquit, capeſſendo vigintiviratus ſolueretur.

VIGOR, Imper.in l.prohibitum eſt. de iure fiſci. C.libro 10.ad finem. Cum literis noſtris cognouerit, non ex arbitrio ſuo Cæſarianos ad capiendas eaſdem veniſſe facultates, ſed iuſtitiæ vigorem id fieri ſtatuiſſe. Interpres vigorem, id eſt, Principem exponit, quòd ſit vigor iuſtitiæ, & animata Lex. Sed apparet, effrenatæ officialium cupiditati oppoſitã ab Imper.perpetuam & conſtantem iuſtitiæ voluntatem, vnicuique ſua tribuentem. Si quidem quod firmum & integrum eſt, recte vigere nuncupatur.

VILLA, inquit Varro libro quarto ling.Latin. dicta eſt quo fru

quo fructus conuehebant.Idem lib.j.ca.2.de re Ruſtic. Villicus agri colendi cauſſa conſtitutus, atque appellatus à villa,quod ab eo in eam conuehuntur fructus, & euehuntur,cum veneunt.A quo ruſtici vellam, non villam,quo vehunt,& vnde vehunt.Item dicũtur, qui vecturis viuunt,vellaturam facere.

Villa vrbana.Columella lib.j.c.6.Villam in tres partes diuidit,Vrbanam,Ruſticam,& Fructuariam. Vrbanam fuiſſe apparet,quam ſibi dominus qui vrbem incolebat,ædificabat:Ruſticam,quam villico, procuratori, inſtrumentiſque rei ruſticæ, Fructuariam, quæ frugibus condendis parabatur.Vlp.l. 11. §.4. D. locat.Inter conductorem & locatorem conuenerat, ne in villa vrbana fœnum componeretur.

Villa fundi acceſſio eſt:proinde diruta ea, vſusfructus nõ extinguitur,auctor Vlpia.l.fundi vſufructu. D. quibus modis vſusfructus amit.Pomponius in l.ſi ita.D.de inſtruct.vel inſtrum.leg.Villa,inquit,pars fundi ſine vlla dubitatione habetur.

Villicvs, eſt is qui præpoſitus eſt rationibus ruſticis, fructibus percipiendis,vniuerſóque operi ruſtico.l.8. D.de inſtruct.lega.l.filio. D. de adimen. lega.l. ſi cum villico.D.de inſt.act.Sed poëtæ hanc ſolent appellationem referre ad præfectos quoſlibet,vt Iuuenalis ad præfectum vrbi ſcribens de Pegaſo iuriſconſulto:

Pegaſus attonitæ poſitus modò villicus urbi.

& ad Præfectum ærarij Patauina inſcriptio:

Villicus ærari quondam,nunc cultor agelli. Cuiacius.

Vinctvs (quod ad leg. Æliam Sentiam adtinet) non videtur fuiſſe ſeruus,licet carcere clauſus fuerit,ſi vincula corpori eius non ſunt addita.l.216.D. de verb.ſignific.& apud Vlp.Epito.tit.j.Porrò Vinctum eſſe,hoc eſt conſtrictum,& in vinculis eſſe diſtant.l.ſi tamen.§. ei qui ſeruum.D.de ædilicio edicto.

Vincvlorvm appellatione vel publica vel priuata vincula ſignificãtur,vt ait Venuleius.l.224.D.de verb. ſignificat.Et ideo in edicto prætoris.l.j.D. ex quibus cauſſ.ma.viginti annis in integr.reſt.verba hæc, Sive in vincvlis esset, non ad eum tantum pertinet,qui publica cuſtodia coërcetur, ſed ad eum quoque,qui à latronibus,aut prædonibus, vel potentioribus vi oppreſſus,vinculis teneatur: ſed & incluſi latumiis vinctorum numero habentur:quatenus nihil intereſt,parietibus quis,an cõpedibus teneatur. In vinculis quoque eſſe accipimus eos, qui ita alligati ſunt, vt in publico parére ſine dedecore non poſſint. l. 9.& l.10.D.eod.Cuſtodiæ autem appellatione ſola publica intelligitur. Et ideò in vinculis cuſtodiáve ſeparantur in l.3.§.l.Iulia.D.de teſtibus. Et apud Vlpianum in Inſtitutionib.tit.j.

Vinculũ obligationis dicimus.l.67.D.de procuratoribus. Et æquitatis.l. 95. §. naturalis. D. de ſolutionibus. Vinculum pignoris,in l.39.§.curatores.D.de adminiſtratione tutorum.l.15.§.ſed ſi emptor.D.de re iud. l. 16. C. de locato.l.2.C.de curatore furioſi.Et ita vinculum reſtituendæ rei,quæ pignori nexa erat,dicitur in l.9. in fi.D.de ſupellectile legat. Sic & vinculum,in l.20.D. qui teſt.fac.poſſ.pro vinculo pignoris,quo ab hoſtibus redempti redemptoribus obſtringuntur.l.21. D. de captiu.& poſtl.l.8.& l.11.C.eod.tit.l.43.§.vlt.D.de legat. libr.j.Quo vinculo reſolui intelliguntur,ſi libertas iis detur.l.90.D.de adq.hæred. Vinculum ſtipulationis. l.6.C.ſi cert.pet.l.6.C.de vſur. Vinculum cautionis. l.40.D.de vulg.& pup.l.13.§.j.de tut.& cur.vt vinculum fideiuſſionis,apud Caſſiodor.li.2. Variar.Epiſt.ad Fruſinatem. Vinculum locationis.l.52.§.pen.D. de fideiuſſoribus. Vinculum familiæ.l.87.D.de adq.hæred. Vinculũ neceſſitudinis & adfinitatis.l.9. D.de ſuſpect. tutorib.l.vlt.C.de codicill. Vinculum religionis.l.j. C.de in lit.iur. Vinculum pœnæ.l.134. D.de verbor. oblig. Vinculum inſulæ.l.5.D.de interdict.& releg. Vincula cenſualia.l.4.§.ſi quis inquilinũ.D.de cenſib.

Vindex in xii. Tab.appellatur, qui alterius cauſſam ſuſcipiebat vindicandam, quem nunc procuratorem dicimus,vt Boëthius ſcribit in Topic. Videtur tamen ita potius appellatus, qui iudicio ſiſti, iudicatúmque ſolui ſatis pro alio dabat.Id eſt qui vindicabat quominus is,qui prenſus eſſet,ab aliquo teneretur:vt cum cuipiam iniecta eſſet manus,vt ad Prætorem iudicémve duceretur,qui etiam eum qui iudicatus à creditore ducebatur, liberabat. Hæc autem ſunt legis verba Assidvo vindex assidvvs esto: Proletario civi, qvivis volet, vindex esto. Huius meminit Cicero in Top. & Gell.libr.16. cap.10.

Vindices ciuitatum in l.j.C.Th.ſi quacum.prædit. poteſt iidem ſunt qui & Defenſores ciuitatum. At Vindices illi quorum Iuſtin.in Nouell. περὶ τῶν δημοσίων ἀνύσεως.& in Nouell.περὶ τοποτηρητῶν meminit, videntur alij eſſe à ſuperioribus,& ij potius qui exigendis tributis,quorum ad curiales antea exactio pertinebat, ab Anaſtaſio imperatore in ſingulis ciuitatibus conſtituti ſunt,vti auctor eſt Nicephorus lib.16.c. 44. è quibus veriſimile eſt Iuſtiniani tempore adhuc in quibuſdam ciuitatibus nonnullos ſuperfuiſſe.Sic autem appellati ſunt,quòd decurionum iniquis exactionibus oppoſiti fuerint.His pares ſunt Canonicarij, de quibus ſuo loco diximus.

Vindico, concretum eſſe verbum volunt,à vim & dico,vt iudico,quod Var.lib.4.de ling.Lat.à ius & dico deriuat.nam in vindicationibus manus conſeri,& vim quandam adhiberi ſolitam,quã Feſtucariam Gellius, Quotidianam Cicero appellat, oſtendit Hotom.in Comm.in Orat. pro Cæcina.vbi etiam docet, vim quam moribus Cicero fieri dicit,Feſtuca fieri ſolitam, quam etiam vindictam appellari Boëthius in Topica teſtis eſt. Ergo Vindicare eſt ius aliquod vel dominium ſibi adſerere. Hinc Vindicare in ſeruitutem.l.3. D.de lib.cauſ.nec tantum res corporales, ſed & iura vindicari dicuntur,veluti hæreditas, vſusfructus, ſeruitus.l.j.§.j.D.de pet.hæred.l.vnic. §.pen. D. de remiſſ. Vindicare etiam iniuriam ſibi factam exequi, & crimen perſequi ſignificat.l.2. §.ſed ſi agat. D. de iudic.l. 17.§.j.de iur.fiſc. Vindicare item, in libertatem eſt adſerere:vnde vindicta. Vindicare ſuum eſſe, pro eo quòd alias,ſuum eſſe petere dicitur.l. 27. §.cui legatum.D.de aur.& arg.leg.l.66.D.de rei vindic. & alibi. Vindicare dominium.l.40.D.de pign.act.& Vindicare per in rem actionem ius non eſſe alicui reficiendi. l.3.§.pen.D.de riuis. Vindicare pignus creditor dicitur, qui rem ſibi pignori obligatam, à poſſeſſore petit.l.ſi.D.de pign.act.l.16.§.creditor. D.de pigno.l.7. C.de oblig.& actio.In cuius libelli conceptione, & concluſione obſerua pragmaticos Gallos ita dicere: Quo tempore Titius erat dominus fundi Tuſculani, eum mihi pignori oppoſuit.Hunc autem nunc Gaius tenet.Peto igitur,aut fundum mihi vindico,aut mihi pecuniam ſoluat.Sic ſcriptũ in eorum libellis inueni: *Qu'il me guerpiſſe ledit fond,ou maiſon,ou me paye la ſomme de 20.eſcus,pour laquelle ſomme ledit fond,ou maiſon en eſt adfect,& hypotheque.*

Vindiciæ Vet.gl.τὰ ἐν ἀμφισβητήσει πράγματα. corrupte. n.Vindigeſtæ.Quibus adſtipulatur Feſtus libr.19. Vindiciæ inquit,appellantur res eæ,de quibus controuerſia eſt:aut potius vindiciæ dicuntur inter eos qui contendunt.Seruius tamen in ſingulari extulit,Vindiciam eſſe dicens rem de qua controuerſia erat, ab eo quod vindicabatur.Atque hinc patet Vindicias olim aliud

nihil fuiſſe quàm poſſeſſionem rei controuerſæ alicui magiſtratus decreto vſque ad finem iudicij attributā. Liuius lib.3.de Virginij filia loquens ab App.Claudio Decēuiro adamata:Marco Claudio clienti negotium dedit,vt virginem in ſeruitutē aſſereret, neque cederet ſecūdum libertatem poſtulantibus vindicias.Item paulo poſt:Poſtulant(aduocati puellæ) vt rem integrā in patris aduentum differat,lege ab ipſo lata vindicias det ſecundum libertatem.Item:Hoc tantum ſciat,ſibi, ſi huius vindiciis ceſſerit,conditionem filiæ quærendā eſſe.Item Pomponius.l.2.de orig.iuris, de eodem Appio lquens:Et ſecundum eum,qui in ſeruitutem ab eo ſuppoſitus petierat(vindicias)dixiſſe.Poſtulare autem vindicias ſecundum libertatem, eſt poſtulare vt interim libertate quis potiretur:nam dare vindicias ſecūdum libertatem,vel à ſeruitute,eſt decernere,vt interim dum quæſtio agitatur,in poſſeſſione ipſa ſui ac libertatis quis eſſet:cuius contrarium eſt, Dare vindicias à libertate, vel ſecundum ſeruitutem, qua phraſi etiam paulo inferius vtitur idem Liuius.De lite autem vindiciarum ſic Pædianus in Verrin.3.Lis vindiciarum eſt,cum litigatur de ea re apud Prætorem,cuius incertum eſt quis debeat eſſe poſſeſſor.Et ideo qui eam tenet ſatiſdat pro præde litis vindiciarum aduerſario ſuo,quò illi ſatisfaciat is,nihil ſe deterius in poſſeſſione factutum de qua iurgium eſſet. Rurſus ſponſione ipſa prouocatur ab aduerſario,certæ pecuniæ,aut æſtimationis quam amittat, niſi ſua ſit hæreditas de qua contendit.Prædes autem vocat ſatiſdatores locupletes.Hanc recredantiam vocari vult Budæus. Vindiciæ item dicebātur,quæ ex fundo in ius afferebantur vindicandi cauſſa,vt ſuprà ex Gellio in verbo Conſerere expoſuimus.Atque harum vindiciarum, ſeu rei vindicationis hac à Cicerone refertur formula in Orat.pro Murena:Fundus qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur: eum ego ex iure meum eſſe aio:inde ſibi ego te ex iure manu conſertum voco. Is autem vnde petebatur, hæc reſpondebat:Vnde tu me ex iure manu conſertum vocaſti,inde ibi ego te reuoco.Vindiciæ item manus correptionem ſignificant: καρπισμὸς à Clemente vocatur,à Chariſio καρπιςία dicitur.Gellius: Vindiciæ correptione manus in re atque loco præſenti apud Prætorem fiebant.Vindiciæ autem verbum à Vindico videtur deductum, vel teſte Liuio vbi ſuprà: Appius, inquit,cum virginem nō defendi ab Icilio,ſed inquietum hominem locum ſeditionis quærere diceret, non præbiturum ſe illi eò die materiam,&c.Et paulò poſt. A Marco Claudio petiturū vt decederet iure ſuo vindicaríque puellam in poſterum diem pateretur. Vindicari enim puellam dixit,pro vindicias puellæ ſecundum libertatem dari,hoc eſt aſſeri interim in libertatem,& in poſſeſſione libertatis eſſe. Vindiciam ferre dicebatur qui rem decreto ſententiáque obtinebat: dicere verò vindicias,iudex.Sed ſi vindiciam ille tulerat qui non debuerat, tribus arbitris datis, duplione damnum luebat. Lex enim erat:Si vindiciam falſam tulit,rei,ſiue litis arbitros tres dato, eorum arbitriis fructus duplione damnum decidito.

VINDICATIO, videtur ex antiquis vindiciis originem duxiſſe:nam Cicero in Orat. pro Milone,cum actiones calumnioſas ſignificaret,ita ſcribit: Eum denique qui non calumniis litium, non iniuſtis vindiciis ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebat.Sed tamen Vindicatio longe aliud hodie eſt.Vindicatio enim eſt proprietatis adſertio, id eſt ipſa vindiciarū poſtulatio:ſcilicet actio in rem, per quam quis rem ſuam ab alterius poſſeſſione in dominium ſuum vindicat. l. actionum. 25. D. de oblig.& act.Impropriè tamē Vindicatio triplex reperitur, vna proprietatis,quæ propriè vindicatio eſt, altera ſeruitutis,tertia pignoris.l.3.§.eſt autem. & §. Pomponius. D.ad exhib.vnde Hypothecaria actio Vindicatio pignoris appellatur,in l.ſi fundus.16.§.3. D. de pignorib.

VINDICTA, inquit Boëthius in Topica Ciceronis, eſt virgula quædam, quam lictor manumittendi ſerui capiti imponens,eundem ſeruum in libertatem vindicabat,dicens quædam verba ſollemnia, atque ideo illa virgula Vindicta vocabatur.Plutarchus de iis qui tardius à deo puniuntur:φαρμάκοις ὧν εἰς ἐλευθερίαν ἀφαιρῶν) κάρφος λεπτὸν αὐτῶν ἐπιβάλλουσι τοῖς σώμασι. Hæc autem Feſtuca vindicta dicta eſt à Vindice (non Vindicio) Vitelliorum familiæ ſeruo, vt idem Plutarchus in Publicola ſcribit,& Liuius lib.2.qui ſeruus quòd adoleſcentum nobilium coniurationem patefeciſſet, libertate & ciuitate ab ipſo Bruto donatus eſt:indéque obſeruatum referunt, vt qui ita liberati eſſent, in ciuitatem accepti viderētur. Quare vindicta idem eſt quod Feſtuca:nec alio ſenſu dixit Perſius:

Vindicta poſtquam meus à Prætore receſſi.

quàm alio loco:

Non in feſtuca lictor quam geſtat inani.

Hinc Vindicta manumiſſi, ſub tit.D. de manu. vind.& Vindicta liberare, alibi paſſim.

Vindictam imponere l.pen.§.pater.2.D.de caſtrenſ.pecu. l.2.C.ſi aduerſ.lib.Et Vindicta libertatem imponere.l. 10.C.qui teſta.fac. Et Vindicta mannmittere.l.33.D. de dolo, & D.de manumiſſ. vind. & C. de vindicta apud concil.manumiſſ. Et Vindicta liberare..122.§. Flauius.D.de verb.oblig.l.15. D. de manumiſſ.l.5.D.de manumiſſ.vindict.l.vlt.D.pro derelict.

VINDICTA, vltio, opponitúrque rei perſecutioni.l.pen. D.ſi ex nox.cauſſ.ag.l.pen.D.de ſepul.viola.

VINEA, locus vitibus conſitus.l. certo. vbi Accurſius. D.de ſeruit.ruſt. Vineæ, quòd vini ſint feraces, Feſto lib 19.

Vinea,& Vites differunt,quòd Vinea eſt ager ipſe, vites verò quæ fructus ferunt.denique inter vineam & vites hoc intereſt,quòd inter arua, & ſegetes.Iauolen.l. certo.D.de ſeruit.ruſt.Certo generi agrorum acquiri ſeruitus poteſt,veluti vineis:quòd ea ad ſolum magis quàm ad ſuperficiē pertinet.ideo ſublatis vineis, ſeruitus manebit.Quibus verbis oſtendit, vineam ſolum ipſum eſſe:vitem verò ſuperficiem. Sic l.4.D.de cenſib.Vinea quot vites habeat, oliuæ quot arbores.

VINO legato,id omne quod ex vinea natum vinum permanſit,& acetum quoque quod vini numero paterfamil.habuerit,continetur.Mulſum verò & defrutum & zythum,& ceruiſia,niſi de iis quoque teſtator ſenſerit,non continentur.l.3.l.9.D.de vino,tri.l.2. in ſi.D. de opt.leg.

Vinum DOLIARE, vide DOLIARE vinum.

Vinum VETVS, dicitur anno lapſo.Si enim muſtum, ait Alciatus, à Calendis Nouembribus, quo tempore defæcatum eſſe incipit, nouum vinum dicitur.l.iubemus. C.de erog.mil.lib.12.Apparet non prius vetus appellari,quam aliud nouum collectum ſit.l. vetus. de trit. vin.& ol.leg.Vult tamen hac in re ad conſuetudinem regionis eſſe attendendum.Adi & Bart.in l.cum quid. D.ſi cert.pet.& in d.l.iubemus.

Vinum cum vaſis legatum.Proculus.l.pen. de trit. & vin. leg.illud verum eſſe puto,cui vinum cum vaſis legatū erit,ei amphoras,cados,in quibus vina diffuſa ſeruamus,legatos eſſe.

VINARIAM nauem Vlp.in l.21.§.5.D.de furtis.eam interpretatur,in quam vinum effunditur,& vnde poſtea hauritur.

VINARIVS, pro ebrioſo, & vinolento. Vlpian. l. 4.§.3. D.de ædil.edict.Item aleatores & vinarios non contineri

tineri edicto.&l.25.§.3.eod.Aleator forte,vel vinarius vel erro euaſit.

VINACIA, grana vuæ compreſſæ.Iulianus.l.14.in fin.D. de cond.furt.Idem iuris eſt vuis ſubreptis:nam & muſtum & vinacia iure condici poſſunt.Vlp.l.52.§.8. D.de furt.Idē eſt & in vuis,& in muſto,& in vinaceis. nam & vuarum & muſti & vinaceorum nomine furti agere poteſt.

VINARIA vaſa,inquit Iulianus, proprie vaſa torcularia eſſe placet.Dolia autem & ſerias,tandiu in ea cauſſa eſſe,quandiu vinum haberent:cum ſine vino eſſe deſinerent,in eo numero non eſſe:quoniam ad alium vſum transferri poſſent:veluti ſi frumentum in his addatur.Eandem cauſſam amphorarum eſſe: vt cum vinum habeant,tum in vaſis vinariis: cum inanes ſint, tum extra numerum vinariorum ſint:quia aliud in his addi poſſit.l.206.D.de verb.ſignific.

VIOCVRI, magiſtratus è 26.numero,quorum erāt quatuor in vrbe,& duo extra vrbem, de quibus Dio lib. 54.Hi curatores erant viarum.

VIOLARE, proprie de virgine dicitur : transfertur tamen ad alia & profanare ſignificat, vt violare ius legationis,violare ſacra,muros,& loca religioſa,parentes,fœdus,legem.Vnde violatæ legis reus.l.j.C. de pet. bon.ſublat.lib.10.

VIOLAVIT qui oppreſſit.c.ſi quis ſponſam.27.q.2.

Violatum,id eſt, violandum.c. veniens. extra qui cler.vel vouen.

VIOLENTIA in malam partem ſumitur.c. conqueſtus. de foro comp. Violentia quot modis inferatur,ediſſerit Bart.l.j.C.de nauic.lib. 11.Quotuplex ſit,not.in l. in iis.D.quod met.cau.& in l.ſi quis in tantam.C.vnde vi. Quando dicitur fieri violentia, & quæ actio propter eam detur,not.in l.j.D.de vi public.

VIOLENTVS poſſeſſor dicitur, qui expulſo veteri poſſeſſore,acquiſitam per vim poſſeſſionem rerum obtinet:aut qui in hoc ipſum aptatus & præparatus venit, vt contra bonos mores,auxilio, cui reſiſti non poſſit, fretus ingrediens in poſſeſſionem, vim faciat.l.j.§. Vi poſſidere.D.de vi & vi armat.

VIR BONVS, qui iuri naturali obtemperat,& voluntatem ſuam illi conformem facit,eámque ſequitur.Item vir bonus dicitur,qui facit alteri quod ſibi vult fieri.l.j. circa medium.D.de ſolu.In iure Ciuili iudex eſt:& nomen viri, ſæpe eſt dignitatis:refertur enim ad virtutē, vímque animi & corporis.l.j.C.de dignitat.lib.12.

Viri boni arbitrium,quod omnibus ferè ſtipulationibus olim comprehendebatur,idoneæ & integræ exiſtimationis,diligentíſque, circunſpecti, & conſiderati patrisfamil.arbitrium ſignificabat.l.20.§.vlt. D. de oper. libert.l.21.§.ſiue autem.D.de no.oper.nūc.l.9.in princ. & §.ſed ſi lapidicinas.l.13.in fi.l. 15.§.& ſi veſtimentorum.l.65.D.de vſufr.l.18.§.& cuius.D.de damn.infect.l. 47.§.ſi Sticho.D.de fideicōm.libert.l.13.D.de ann.leg.l. j.D.de legat.lib.2.lib.17.l.18.D.iudic.ſol.l.50.D. ſol.mat. & aliis infinitis locis.Qua de re etiam ſuprà nonnihil diximus in dictionibus Arbitrium,& Bonus.

Viris legatis, & pueros deberi,cenſuit Iuriſconſ. in l.ſeruis legatis.§.mulieribus.de leg.3.

VIRILES portiones ἴσας κατ' ἀναλογίαν exponūt vet gl.& æquales Paul.lib.3.Sent.tit.2.quæ ſcilicet pro numero perſonarum & in capita conſtituuntur, vt tot fiant, quot ſunt & perſonæ.Sic viriles partes accipe.l.j.§.nūc tractemus.D.de tutel.& rat.diſtr.l.7.D.de fideiuſſorib. tut.l.43.D.de re iud.l.54.§.vlt.de leg.j.l.67.§. ſi duos. D. de leg.2.l.37.D.de ſtipulat.ſeruo. Virilis portio in legatis conſeruandis,poſt petitam contra tabulas bonorū poſſeſſionem,quomodo accipienda ſit, vide.l.8. D.de leg.præſtan.

Virilis appellatione in lege Papia, etiam interdum tota hæreditas continetur.l.145.D.de verb.ſignific. Virilis vigor poſt ætatem annorum.35. completur , vt ait Vlp. l.j.D.de minorib.

VIRILITAS, pro teſticulis.l.5.in fi.D.ad leg.Corn.de ſicar.Martial.lib.9.Epigr.

Non puer auari ſectus arte mangonis,
Virilitatis damna mæret erepta.

Plinius lib.35.c.12.Galli Samia teſta virilitatē ſibi amputant.Quint.Decl. CCCXL. Mango iratus, ait, illi fortaſſe pretium exciſa virilitate producet.Et in inſti. Orat.lib.5. c.13.Non alio medius fidius modo docentium , quàm quo mancipiorum negociatores formæ puerorum exciſa virilitate lenocinātur.Apul.libr.8.de Aſino aur.Fuga deteſtabilem illum exectorem virilitatis meæ relinquentem.

VIRIPOTENS virgo,nubilis,matura viro.l.mulieris.13. D.de verb.ſignific.l.pater.101.D.de cond.& demonſt. Iuſtinian.ſub tit.quib.mod.ius patr.poſt duodecim annos completos viripotentes appellat.

VIRES, pro poteſtate ſiue facultate patrimonij. Vlpian. in fi.l.j.de leg.2.velut certam quātitatem exprimit pro viribus,ſcilicet patrimonij.Viribus præturæ compelli,hoc eſt,poteſtate:& nunc vulgo dicimus, ex officio iudicis.l.2.in princ.de iud.

VIRGÆ ſanguineæ,vide Sanguineæ virgæ.

VIRGO etiam intelligitur vi corrupta.

VIRIGINARI, hoc eſt, virgines agere, vocabulū apud Tertullianum deprauatum,reſtituit Rhenan.

VIRGINITAS eſt in carne corruptibili perpetua incorruptionis euitatio,B.Auguſt.lib.de nupt.& concupiſcent.Beatus verò Ambroſius ſic definit, eſt expers cōtagionis integritas.

VIRIÆ, inquit Iſidorus,ſunt virorum armillæ: dicuntur tamen etiam de mulieribus.Septimius Florens libr.de Pallio:Vtique ſicut veſtigia cæſtuum viria occupauit: ita & endromidis ſolocem,&c.Ambroſius.j. de Abraham:Inaures habebat,quæ non grauarent aurem , ſed demulcerent:virias,quæ manum non materiali auro onerarent,ſed ſpiritali actu leuarent. Hinc:

VIRIOLÆ, diminutiuum.l.quod tamen D. de contrah. empt.l.25.§.ornamenta.D.de aur.& arg.leg. muliebria manuum ornamenta,Græcis, ψέλλια, πλάνια, περιχείρια. Teſtatur Turnebus,in antiquo Lexico virias & viriolas exponi brachiales.Plin.libr.33.c.3. Viriolæ Celticæ, viriæ Celtibericæ:ita enim legi debet.nanque illis populis erant in vſu.

VIRIDIARIA,ſeu Viridaria,loca virētibus herbis graminibúſque & arbuſtis amœnitatis cauſſa conſita.l. 26.D.de inſtr.vel inſtr.& apud Vlpian.in Inſtit.tit.6.& Suet.in Tiber.c.60.& Lamprid.in Heliogabalo.& Veget.lib.4.c.6.Appellantur & Virdiaria,prout in Pand. Flor.ſcriptum eſt,in l.13.§.fructuarius.& § ſi ædium.D. de vſufruct.& l.8.in fi.D.de inſtr.vel inſtr. Et Viridia in l.79.in fi.C.de verbo.ſignific.l.15. D. de ſeruit.l.12.D. de ſeruit.vrb.& apud Vitru.lib.6.c.6.& lib.5.c.9.& Senec.Epiſt.55.libr Et ſic ciſternam viridibus ſubditam apud eundem accipe libr. 13.Epiſt. Et Ambulationes preſſis ac tonſis viridibus vmbroſas, apud Plin.libr.5. Epiſt.ad Apollinarem.Macrob. libr.j. Saturn.c.4. Viridia cum ἀντὶ ἐπιθέτου accipiuntur, genitiuum in ium faciunt,vt viridia prata,viridium pratorum. Cum verò ipſam loci viriditatem ſignificare volumus, viridiorū dicimus: vt cum dicitur, Formoſa facies viridiorum. Apparet autem ex d.l.26.etiam in doliis defodi veridiaria conſueuiſſe aggeſta terra. Quin & in feneſtris amænitatis gratia intereum habebantur, vt ex Martiale,& ex Plin.lib.19.c.4.intelligimus. Supra ædificia quoque viridaria habuiſſe Romanos oſtendit.l.12.D. de ſeruit.vrb.præd. Hinc:

VIRIDIARII ſerui,qai viridiariorum curam habent.

VIRIOLA, vide VIRIÆ.

VIS, verbum eſt anceps: quod etiam accipi bonã in partem poteſt: vt quam Magiſtratus recte infert, ſcilicet iure licito & iure honoris quem ſuſtinet. l. 3. quod met. cauſ. Vis eſt & tunc, quoties quis id quod deberi ſibi putat, non per iudicem repoſcit. l. 13. D. eod.

Vis, inquit Paulus libr. Sentent. j. tit. 7. eſt maior rei impetus, qui repelli non poteſt. Græci autem ſic vertunt, μεγάλη πράγματος ἐπέλευσις, ἣν οὐ δύναταί τις ἀπωθεῖσθαι, ἤγουν ἀφ' ἑαυτοῦ ἀπολύειν, καὶ ἀποστρέφειν. In illa itaque Pauli definitione pro maior, maioris legendum cenſuerim: quod & probat. l. 2. D. quod met. cauſſ. his verbis: Vis eſt neceſſitas impoſita contraria voluntati, maioríſque rei impetus, qui repelli non poteſt. Vel ſic:

Vis dicitur, quicquid nullo iure fit, contra liberam alicuius voluntatem. De qua elegantiſſime tractat Cicero in Oratione pro Cecinna, Cùm de iure (inquiens) & legitimis hominum controuerſiis loquimur, & in his rebus vim nominamus, pertenuis vis intelligi debet. Vnde in hac ſignificatione, Vis & Ius opponuntur. Calliſtratus in l. extat. §. j. D. quod met. cauſa. Atque per hæc duo cõtraria, diſtingui humanam vitam longo interuallo à beluina, Cicero in Oratione pro P. Sextio pulchre docet.

Vis eſt quadruplex: Expulſiua, quæ ſi cum telo fieret, antiquis eſt dicta, Vis armata, qua fundo quis deiicitur, vt tractatur. D. vnde vi. Turbatiua, cũ vterque poſſeſſionem adſerens, ab alterutro deturbatur. Quò pertinet tit. D. vti poſſidetis. Cicero eleganter appellat, Vim quotidianam, quòd poſſeſſores in dies ſolent vtrinque poſſeſſionem vindicare. Inquietatiua vis, cum alter in alterius ſolo ædificat, pertinens ad tit. D. quod vi aut clam. Ablatiua vis, cum ab inuito aufertur aliquid: cui deſeruit actio vi bonorum raptorum, & lex Iulia de vi. Compulſiua denique vis eſt, cum quis inuitus compellitur vt alij conſentiat. Aduerſus hanc multa introducuntur remedia. j. Conſtitutio diui Marci in l. extat. D. quod metus cauſſa. & totus ille tutulus. II. l. pen. D. de vi priuat. Quæ d. l. extat. craſſius exponit. III. l. ſi quis in tantam. C. vnde vi. IIII. l. miles. §. iudicati. D. de re iud. V. Conſtitutio Maximiliani, anno 1495. Vuormatiæ. VI. Conſtitut. Caroli 5. anno 1521. Vuormatiæ. VII. Conſtitutio Friderici, tit. de ſtatut. & conſuetud. contra liberta. Eccleſia. VIII. l. hi qui ædes alienas. D. ad legem Iuliam de vi publica. In C. Theodoſiano, eodẽ tii. eſt elegans conſtitutio aduerſus illatam vim.

Vi poſſidere in interdictis Prætoriis dicitur, qui expulſo vetere poſſeſſore, ſiue iure is, ſiue mala fide poſſideat, acquiſitam per vim poſſeſſionem obtinet: aut qui in hoc ipſum aptatus, & præparatus venit, vt contra bonos mores auxilio, cui reſiſti non poſſit, fretus ingrediens in poſſeſſionem, vim facit. Sed qui per vim poſſeſſionem ſuam retinuerit, aut etiam ereptam ſibi, in ipſo congreſſu recuperauerit, vi poſſidere non intelligitur. l. j. §. vi poſſidere. D. de vi, & vi arma. l. xj. ſi tu me vi. D. de vſucap.

Vi poſſidet & ille, qui abſente domino, ingreſſus poſſeſſionem, venientem deinde non admiſit. l. 6. in fi. D. de acq. poſſeſſ. At qui vacuam poſſeſſionem occupauerit, quanquam deinde venientem dominum prohibuerit, vi non poſſidet. l. 4. §. pen. D. de vſucapionibus. Vi porrò poſſidere à me videtur, & qui ab auctore meo vi poſſidet. l. 3. §. ſi quis ab auctore. D. de itin. actúque priua. Vim quoque facit, qui non ſinit poſſidentem, eo quod poſſideat, vti arbitrio ſuo, ſiue in ſerendo, ſiue in fodiendo, ſiue ædificando, ſiue quid omnino faciendo, quod liberam poſſeſſionem aduerſarij non relinquit. l. xj. D. de vi & vi arma.

Vi factum, in interdict. quod vi, aut clàm, videtur, finitore Mutio Scæuola, quod quis cum prohiberetur, fecit. l. 74. §. vi factum. D. de diuerſ. regulis iuris. l. j. §. hoc interdictum. D. quod vi, aut clam. Sed & qui vel minimi lapilli iactu prohibitus facere perſeuerauerit, vel contra teſtationem denunciationémque fecerit, aut cum ſe ſciret prohibendum, per vim molitus eſt, ne prohiberi poſſet, & quo minus prohiberetur cõſecutus eſt, periculum denunciando aduerſario, aut ianua præcluſa. l. j. §. hoc interdictum. & l. 19. D. quod vi, aut clàm.

Vim facere videtur quominus reficiatur, qui neceſſaria refectioni aſportari non patitur. l. 4. D. de itin. actúque priuat. Vim autem facere non videtur, qui iure ſuo vtitur, & ordinaria actione experitur. l. 197. §. j. D. de diuerſ. reg. iur. Alia cauſſa eius, qui quod ſibi deberi putat, iam per iudicem repoſcit. l. 8. D. quod met. cauſ. l. pen. D. ad leg. Iul. de vi priua. Cæterum omne omnino, quod per vim fit, aut in vis publicæ, aut priuatæ crimẽ cadit. l. 195. D. de diuerſ. reg. iur.

Vis alia publica, alia priuata. Publica eſt, inquit Iſidorus libr. 5. Etymol. c. 26. ſiquis ciuem ad populum, vel regẽ appellantem necauerit, torſerit, verberauerit, vinxerit. Priuata verò, ſi quiſquam ante iudicium armatis, hominibus è ſuo quenquam deiecerit, vel expulerit. Hactenus Iſidorus, qui hæc omnia ex Paul. lib. 5. Sentẽt. tit. 26. tranſcripſit. Vim publicam etiam committit, & qui per vim ſtuprum infert, l. 29. §. fi. D. ad leg. Iul. de adult. Atque ita initio genere & qualitate delicti videtur vis publica à priuata ſeparata. Poſtea placuit, publicã vim eam accipi, quæ armatis hominibus coactis committatur: Priuatam, quæ ſine armis fiat. l. 5. D. de vi priuat. l. 3. 4. 5. D. ad leg. Iul. de vi publica. §. item lex Iulia. Inſtitu. de public. iud. §. ſed & ex conſtitu. Inſtit. de interdictis.

Vis, quòd ad interdictum, Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus eſt, pertinet, accipienda eſt pro qualibet priuata temeritate, ne quis ad decretam poſſeſſionem perueniat, vel ne ademptam quietè retineat.

Vis maior, eſt inquit Caius, quam Græci θεοῦ βίαν appellant. l. 25. §. 5. D. locati. id eſt ea quæ conſilio humano neque prouideri neque vitari poteſt. & eſt animaduerſio Dei in homines, cuius euitandæ ipſe facultatem ademit: veluti fulgura, grandines. Cicer. 2. de inuen. Defenſoris, inquit, conqueſtio calamitatis eius, quæ non culpa, ſed vi maiore quadam acciderit, &c. Plinius lib. 18. c. 28. in fi. Ante omnia autem duo genera eſſe cœleſtis iniuriæ meminiſſe debemus. Vnum quod tempeſtates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteráque ſimilia intelliguntur: quæ cum acciderint, vis maior appellatur. Hæc ab horridis ſyderibus exeunt, veluti Arcturo, Orione, Hœdis. Alia ſunt illa quæ ſilente cælo, ſereníſque noctibus fiunt, nullo ſentiente, niſi cum facta ſunt. Publica hæc & magnæ differentiæ à prioribus, aliis rubiginem, aliis vredinem, aliis carbunculum appellantibus; omnibus verò ſterilitatem. Sic Columella lib. j. c. 7. Nam vbi ſedulo colitur ager, plerunque compendium, nunquam (niſi cæli maior vis, aut prædonis inceſſit) detrimentum affert. Seneca libr. 4. de benefic. c. pen. Appellatur & vis magna. l. 2. in fin. D. de peric. & comm. rei vend. Similiter, Vis diuina dicitur, quæ ſcilicet non ab hominibus, ſed admirabili quadam Dei potentia infertur. Vlpianus. l. 24. §. 3. D. de damn. infect. Ita eum teneri, ſi ædificij vitio id acciderit, non ſi violentia ventorum, vel qua alia ratione quæ vim habet diuinam. quod enim tam firmum ædificium eſt vt fluminis, aut maris, aut tempeſtatis, aut ruinæ, incendij, aut terræmotus vim ſuſtinere poſſit. Dicitur & Vis cui reſiſti non poteſt. l. 15. §. j. D. locati. Et maiores caſus, quibus humana infirmitas reſiſtere non poteſt.

VI ipſa, id eſt, non reuera, & actu ipſo, vt vulgò loquimur, ſed facultate, τῇ δυνάμει, vt alibi loquuntur, & nos

obſerua

[...]ruauimus: veluti cum quid nominatim dictum [...] eſt,ſed aut verborum, aut ipſius negocij vis hæc eſt. Marcellus.l.72.D.de ſolut. Vi quidem ipſa & hic ex his dari ſtipulatus eſt,qui eius non erant,id eſt, quamuis id non expreſſerit,ſe ſtipulari hominem ex iis qui ſui non ſunt,tamen ex vi negocij ſatis intelligitur: neminem ſcilicet quod ſuum eſt ſtipulari. Sic l.27.§.illud. D.de pact.l.16.§.inde quæritur. D. ad Trebell. l.j.D.de ſtatulib.& l.j.D.de condict.& demonſtr.niſi ſi vi ipſa conditio inſit: ita enim Florentiæ legitur. De vi huius locutionis vide Alc.l.2.Diſp.c.9.lib.j.parerg.c.28.& l. nomen filiarum.de verb.ſignific.

Vɪᴍ facere moribus, Cicero dicit in Orat. pro Cæcina perſæpe. Moris enim erat, vt cum de agro quopiam controuerſia inſtitueretur, quia propter commoda poſſeſſionis magna iurgia,& pugnæ interdum ac cædes oriebantur, litigatores de amicorũ ſententia diem inter ſe ſumerent, qua die in rem præſentem, id eſt, in agrum illum vnà venirent,& in eo agro vim aliquam alter alteri dicis cauſſa faceret: id eſt, non veram & ſolidam, ſed fictam & ſimulatã: quam Cicero in illa Oratione, vim quotidianam appellat: & Gellius lib.20.c.9. ciuilem ac feſtucariam.

Vis denique accipitur pro virtute quadam efficaci, hoc eſt, quæ potens eſt producere effectum. Quo ſenſu Cicero dixit de finibus: Atque in ſenſibus eſt & ſua cuique virtus. Sic in tit.D.de legibus, Modeſtinus, Legis virtus, inquit, eſt, imperare, vetare, permittere, punire. Et Celſus, Scire leges, ait, non eſt verba earum tenere, ſed vim & poteſtatẽ. Et in l.qui decem. §. Stichum. D.de ſolutionibus. Hac phraſi promiſcue dicere ſolemus, Vi conceſſionis, aut virtute conceſſionis. Item, in virtute obedientiæ, pro vi obedientiæ. Eodem modo intelligenda eſt definitio tutelæ, Inſtit. de tutel. §. j. & in l.j.D.eod.tit.

Vɪsᴄᴇʟʟɪᴀ lex, vide in legum indice.

Vɪsᴄᴇʀᴀᴛɪᴏ, largitio carnis, quæ publicis epulis fiebat. Pomponius.l.54.de legat.& fideicom.lib.32.L. Titius plebi quina millia dedit, hoc amplius Seius viſcerationem. Cicer. libro de officiis ſecundo: Prodigi qui epulis & viſcerationibus,& gladiatorum muneribus, ludorum venationúmque apparatu pecunias profundunt. Paulus in l.22.D.de legat.libr.30. viſcerationem intelligere videtur, cum ait quod ad diuiſionem ſingulorum ciuium relictum videtur, inquit Hotomanus.

Vɪsɪᴏ, conſideratio, quæſtio, prudens cogitatio, θεώρημα. Imp.de compoſ.digeſt. Et in his partibus, in quibus perfectiſſimè viſiones expoſitæ veterum fuerant, quod particulatim in eas fuerat ſparſum, hoc ſeparare penitus erat inciuile. In Græca conſtitutione θεωρία nominatur: ἃ καὶ τὸ πολλάκις φυλαχθῆναι τὸ τῆς ὅλης θεωρίας συνεχὲς,&c. id eſt ſiue quòd ita plerunque obſeruari totius viſionis continuationem oportebat, &c. Vlpian l.25.§.10.D. de hæred. pet. Sed in propoſita quæſtione tribus viſionibus relatis, vna prima, deinde alia, poſſe dici totum quod ſupereſt, reſtituere eum debere. Idem in l.8.§.2.D. ad S.C. Velleian. Proinde ſecundum hanc ſuam diſtinctionem in prima viſione, vbi quaſi debitrix delegata eſt, exceptionem ei Senatuſconſulti Marcellus non daret. item apud eundem in l.29.§.4.D.mand.& l.25.§.j.D.de probat. Inſpectionem videntur Iuriſc. in eundem ſenſum protuliſſe.l.31. D.depoſ.l.44.de oblig.& act.l.12.§.manumittendo.D. de capt.

Vɪsɪᴛᴀᴛɪᴏ, eſt exploratio vitiorum animarum, quarum cura epiſcopo concredita eſt.c.ſi Epiſcopus. de offic.ordin.

Vɪsɪᴛᴀᴛᴏʀᴇs, eiuſmodi exploratores. vt Cardinales, legati, nũtij Apoſtolici, patriarchæ, Archiepiſcopi,& epiſcopi.c.procurationes.de cenſibus.

Vɪsᴘᴇʟʟɪᴏ, vilium,& ignobilium cadauerum elatorem ſignificat: & ita hoc verbum in Pand. Flor. ſcribitur in l.31.D.de euict.& l.7.D. ad S. C. Trebel.& l.qui decem.D.de ſolutionibus, vbi Biſpellionem vſitata B. & V. literarum commutatione per B.ſcriptum eſt. Sic & in Lexico B.Germani ad Vrbem Viſpelliones, νεκροθάπται, κοπιᾶται. Veſpillones autem νεκροφόροι. Cuiac. ſupradictis locis Viſpellionem accipit pro cadauerum nudatam de quo vlciſcendo agitur in l.3. §. aduerſus. D.de ſepul.viol. In aliorũ auctorum codicibus Viſpillones,& Veſpillones appellantur, vt apud Tertull.lib. de pallio. Martial. libr.j. Epigr. Sueton.in Domitiano c.17.& in libell. Fulgentij obſcurarum vocum,& apud Am.Marcellin.& Sido.Apollo. lib. Epiſt.vlt.& libr.2. Epiſt.ad Deſideratum, vbi Veſpillones & Sandapilarios coniungit. Sunt tamen qui inter Viſpellionem,& Veſpillonem hoc diſcriminis ponant, vt ille funerator ſit, hic cadauera portet. quibus Lexici interpretatio fauet. Alij Biſpellio legunt, diuerſo ſenſu. Vide Biſpellio.

Vɪᴛᴀ, Ambroſius in lib.de bono mortis, eſt ſpiraminis fruitio: morti opponitur, adimitur ſupplicio vltimo. Vita pro ſubſtantia ponitur in Nouell.de referendar. poſt medium.

Vɪᴛᴀʟɪᴛɪᴀ, apud auctores Barbaricos ſunt dotalitia & doaria, Latinis munera nuptialia, Græcis ὑπόβολα, quaſi quæ vtenda fruenda mulieri in omne vitæ ſuæ tempus attribuuntur. Albert.Krantz.lib. Daniæ.7.c.35. Inſuper Romulus acciperet Indeburgam filiam Alberti ducis in coniugem. Dos eſſet opidum Lentze cum territorio ſuo. Romulus pro vitalitiis daret ſponſæ Aurusberg,&c. Item lib.8.c.36.

Vɪᴛɪᴠᴍ à morbo in ædilium edicto ſeparatur: eáque inter hæc verba differentia ſtatuitur, quod morbus, temporalis eſt corporis imbecillitas: vitium vero perpetuum corporis impedimentum, veluti ſi luſcus quis ſit, lege prima, in principio.& §.ſciendum.D.de ædilicio edicto.lege centeſimaprima.§. verbum eſt.D.de verborum ſignificatione. In ſtipulatione autem damni infecti, qua de vitio loci operíſve cauetur, Vitium id eſſe definitur, quod accidens extrinſecus vitioſas ædes facit, lege 15. §.notandum. cum ſequent. l.18.§.j.& §.& cuius.l.24. §. vitium. D.de damn.infect. Paluſtris itaque locus & harenoſus vitioſus non exiſtimabitur, quia naturale id vitium eſt. Quòd ſi arbores vetuſtate deciderint, vitio earum caſus factus intelligitur.d.l.24.§.apud Viuianum. D.eod. Quò referenda ſunt illa Cice.in Topic.verba: Non enim eius vitio, qui demolitus eſt, damnum factum eſt, ſed eius operis vitio, quod ita ædificatum eſt, vt ſuſpendi non poſſit.

Vitium facere dicuntur parietes, qui ruinam minantur. Caius.l.30 D.locat. Dominus inſulæ, quia ædificia vitium facere diceret, demolierat eam. Paulò poſt, vitiatum ædificium appellat. Idem.l.32.D. de damn.infect. Si ædibus meis proximæ ſint ædes meæ & tuæ, quæritur an ſi hæ vitium mihi faciant, cauere mihi debeas. Item, Nam & ſi vnas ædes communes tecum habui, eæque vitium faciant. Cicero in Top. Si ædes exeſæ corruerunt, vitiúmve fecerunt.

Vitium ædium & loci eſſe Labeo ait, quod accidens intrinſecus infirmiores eas facit.l. 24.§.j.D. de damno infecto.

Vitia poſſeſſionum alia ſunt ex re, veluti quod res fiſci ſit, vel furtiua, vel vti poſſeſſa, vel contra leg. Iuliam repetundarum accepta. Alia ex perſona, veluti ſi mala fide, ſi clàm, ſi precariò quis poſſeſſionem ſit ingreſſus. l.

11.C.de acquir.poſſeſſ.l. 13.§.j.D.eod.tit.l.24.D.de vſucap.l.13.§.partus.D. de publicia. VITIOSVM itaque initium poſſeſſionis eſt, ſi quis rei alienæ ſciens poſſeſſionem apprehendat. l.15.§.pen.D. de vſucap.

VITIOSE QVE cœpiſſe poſſidere intelligitur qui vi, clàm, vel præcariò, vel mala fide cœpit poſſidere.l.2.§. Celſus.D.pro empto.l. 13. §. vlt.l. vlt. D. de acquirend. poſſeſſ.l.3.§.ſi quis ab auctore.l.penult.D. de itin.actúque.l.j.§.Ariſto.D.de aqua quotid.l. 15.§. penult. D.de vſucap.Ex contrario ſine vitio tradita poſſeſſio, in l. 24.D.de donat. inter vir. l.j. §.vltim. D. de except. rei vend.

VITIVM etiam pro culpa ponitur. Sic vitio ſuo quem cauſſa cecidiſſe, vitióve eius quid accidiſſe, id eſt, culpa dicimus.l.23.in fi.D.de neg.geſt.l.95.§.pen.D. de ſolutionibus.l.71.in fi.D.de cond.& demonſtr.l.63.in fin. D.de euictionib.l.pen.D.de inoff.teſta.

VITIOSVM & nullum æquiparantur.Nam quod vitiosè fit habetur pro non facto.l.quotiens.D.qui ſatiſd.cog. vitiosè, accipe inutiliter.

VITIOSE cautum, vel ſatisfactum, non videtur cautum. Ideo rurſus eſt rectè cauendum.l.quoties.l. de die.§. mulieres.& §.ſi ſeruus.D.qui ſatiſd.cog.

Vitioſe poſſidere, vide Vitia poſſeſſionum.

VITIS, bacillus viteus, quo Centuriones ferire milites, cum quid peccaſſent, ſolebant.Macer l.13.§.3.D. de re milit.Eum qui centurioni caſtigare ſe volenti reſtiterit, veteres notauerunt, ſi vitem tenuit, militiam mutat: ſi ex induſtria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur.Plinius lib.14.c.j.in fi.Quid quòd infertæ caſtris (de vitibus loquitur) ſummam rerum imperiúmque continent. Centurionum in manu vitis, & optimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnā ipſam honorat.

VITREAMINA, vaſcula vitrea, quæ ornatus cauſſa parātur.Paulus.l.18.§.8.D.de inſtr.vel inſtr. Cum in diem mortis ibi libros, & vitreamina, & veſticulam habuerit, an eadem, &c.

VITREARII.l.j.C.Th.de excuſ.artif.& l.j.C. Iuſt. eod. Baſilicῶn interpretibus ὑελεργοί. Hos Vitrarios appellat Lampridius in Alexand.

VITRICVS, matris vir ex alio viro natus appellatur: ait Modeſt.l.4.§.4.D.de gradibus.

VITVLVS, non tantum de boue iuniore, ſed etiam de aliis quadrupedibus maioribus accipiendus eſt.Quinetiam ad piſces refertur.l.ſi quis fundum.§.Imperator. verſic.ſi quis vitulos.D.locati.

VIVERE verbum, inquit Caius, quidam putāt ad cibum pertinere: ſed Offilius ad Atticum ait, his verbis & veſtimenta, & ſtramenta contineri: ſine his enim viuere neminem poſſe.l.234.§.2.D.de verb.ſignific.

VIVARIA, loca ſepta ſunt, quibus incluſæ feræ cuſtodiuntur & adſeruantur: vel, vt ait Columella libr.8.c.j. cubilia pecudum ſylueſtrium, in quib.nemoribus clauſis cuſtodiuntur.Tryphoninus.l.62.§.j. D. de vſufruct. Si viuariis incluſæ feræ in ea poſſeſſione cuſtodiebantur.Sic.l.3.§.item feras.D.de adquirend.poſſeſſ. vbi viuaria à piſcinis Paul.ſeparat, & quod initio Viuariis, poſtea, Syluis circumſeptis dicit.Sic & apud Plin. libr. 8.cap.52.vbi viuaria primum togati generis inueniſſe Fuluium Lippinum quendam ſcribit, qui in Tarquinienſi feras paſcere inſtituit.Ammia.Marcellin.libr.31. Ita hic quoque intra ſepta, quæ appellant Viuaria, ſagittarum pulſibus crebris dentatas conficiens beſtias, incidentia multa parui ducebat. Viuaria etiam piſcium dixit Seneca libr. 14. Epiſt. Et viuaria murenarum, oſtrearum, cochlearum idem Plinius lib. 9. cap 54. 55. & 56.

VIX, vocula duo, atque eadem quidem ex diametro pugnantia ſignificat. Vno namque modo ponitur pro eo, quod eſt, Etiam.l.vix certis. D. de iud. Alio modo pro eo, quod eſt, nullo modo. l. tutor.in princ. l.fin.in princ.ad S C. Velleia. Vide Bartol. in l.prima. D.de tutel.

Vix, pro rarò.l.alienationis.D.de verb.ſignific.

VLLVS ALIQVIS, quaſi vnus aliquis. Nunquam autē affirmatiuè ponitur, ſed ponitur vel negatiuè, vel interrogatiuè, vel ſubiunctiuè.

VLTRA dimidium (vt dicunt) iuſti precij deceptus dicitur venditor, qui nec dimidiam partem veri precij acceperit: vt ſi res valeat ducentis, quam vendidit nonaginta & quinque. In emptore verò alia ratio eſt. Nam is non poteſt decipi vltra dimidium iuſti precij, præterquàm, ſi plus duplo emat: puta, ſi rem centum aureorum iuſti valoris, emat ducentis, & aliquantò pluris.

VLTRA quandoque temporis nota eſt.c.ſi Paulus.32. q.5.l.cùm duobus. §.idem reſpondit. D.pro ſocio.aliquando medium tempus ſignificat. c.literæ.de dilat. Quandoque incluſionem ſignificat.l.cùm vltra. C. de non num.pec.l.eos.C.de vſur.Aliquando præfinit, & (vt vulgò loquimur) taxat.l.properandum in princ.C. de iudic.

Vltra in teſtamentis quid ſonet docet lex Celſus.D.de vſucapionib.

VLTERIOR familiaritas, pro nimia, ac modum progrediente, apud Calliſtratum lege obſeruandum.de offic.præſid.

VLTIMVS quis cenſetur, qui poſt ſe neminem habet, etiam ſi à nemine quoque præcedatur: quod latius exponit Alciatus in Comment.de verb.ſignific.

VLTIMVM ſupplicium eſſe mortem ſolam interpretamur: inquit Caius l.21.D.de pœn.l.pen. C. Th.de offic. rect.prou.& l.capitalium.28.D. de pœn. vbi Calliſt.ſic ſcribit: Summum ſupplicium eſſe videtur ad furcam damnatio, viui crematio, capitis amputatio: proxima morti pœna eſt, in metallum damnatio, deinde in inſulam deportatio, &c.Sic Vltimam pœnam Plinius lib.2.Epiſt.ad Arria.dixit, & Sueton.in Iulio.c.14.

VLTRO, dictio varias apud Iuriſc.ſortitur ſignificationes.Interdum enim pro prius.Paulus.l.ſi in emptione. 34.§.item ſi.3.D.de contr.empt.Nec tamen ex vendito quicquam conſequitur, niſi vltro quod conuenerit præſtet.Africanus.l.ſi priuſquam.15.D. de op. no.nunc. Cauere iuberet non prius ſe ædificaturum, quàm vltro egiſſet ius ſibi eſſe altius tollere.Nam VLTRO abundat hoc loco: vt l.j.§.interdictū.D.vti poſſ. Actio nunquam vltro poſſeſſori datur, quippe cum ſufficiat ei quod poſſidet.Sic apud Papinianum.l.j.in fi. D.de vſu. tutor vltro conuenit pupillum, eíque pecuniam offert, id eſt prius quàm à pupillo conueniatur.

VLTRO, pro ipſo iure, & ſine aliquo facto aduentitio. Paulus.l.2.D.de leg.Rhod.Imò etſi non retineat merces magiſter, vltro ex locato habiturus eſt actionem. id eſt, etiam ſine retentione. vox tamen NON in libris Flor.deeſt.Vlp.l.3. D. de cond.cauſſa.data. Quin imò etſi nihil tibi dedi vt manumitteres, placuerat tamen vt darem, vltro tibi competere actionem quæ ex hoc contractu naſcitur.

VLTRO, ſua ſponte.Scæuola.l.cùm quis.37.§. nuptura.4. D.de leg.& fid.lib.32.An maritus doli mali exceptione ſe tueri poſſit: & an vltro ex cauſſa fideicommiſſi actio ei competit. id eſt, ſua ſponte id ab illo poſſit petere, quod per exceptionem retineret. Papinianus.l.j. in fi.D.de vſur.Planè ſi tutelæ iudicio nolentem experiri tutor vltro conuenerit, & pecuniam obtulerit, &c. Item apud Paulum.l.ergo.22.D.ex quib.cauſſ.maior.

VMBRATILIS pactio ſuffragiorū.l.vniuerſi.C.de leg.

VNARI

VNARE, ſimplex verbum, Tertullianus vſurpat. Vnde nos Adunare dicimus, & Coadunare.

VNCIA, pars aſſis duodecima, cuius hæc erat nota ⟝, menſuræ quoque primus gradus eſt Caſſiodor. lib. 1. Variarum.

Vncia auri, aurei ſex, A. Auguſti. lib. 2. ca. 9. & eiuſdem lib. cap. vltim. declarat Vnciam pedis.

VNCIARIVM fenus, in XII. Tabulis, quod centeſimo anno ſortem æquat, definitore Tacito lib. 5. Annal.

Vnciarius hæres, ex vncia ſcriptus, l. 34. §. inde dicitur. de leg. j.

Vnciariæ vites, quòd inter quamlibet vitem vnius iugeri vncia interuallum æquale faceret.

Vnciariæ vſuræ, l. 47. §. præfectus. D. de admin. tutor. cum pars centeſimæ duodecima ſingulis menſibus ſoluitur: id eſt, quæ ſingulos nummos è centenis quotannis efficiunt.

VNCIARIA lex Feſto lib. 19. dici cepta eſt, quam L. Sulla, & Q. Pompeius tulere: qua ſancitum eſt, vt debitores decimam partem ...... locum hunc mutilum punctulis notatum apud Feſtum inueni. quæ deſunt ex aliis auctoribus ſupple.

VNCTORES, ἀλεῖπται, ſerui ſunt, qui in balneis dominum vngebant, atque illi muneri deſtinati erant. Conſuetudo enim erat veterum ſingulis diebus antequam cibum caperent, in balneo ſe lauandi, & poſtea vngendi. Cicero in epiſt. poſtrema lib. 13. ad Atticum, cum Cæſarem accepiſſet in fundo quodam ſuo, poſt horam VIII. inquit, in balneum, tum audiuit. De Mamurra non mutauit, vnctus eſt, accubuit, ἐμετικὴν agebat. Itaque & edit & bibit ἀδεῶς, & iucundè. Sic Terent. in Phormione Act. 2. 1.

Ten' aſymbolum uenire, unctum atque lautum è balneis,
Otioſum ab animo, &c.

Cicero etiam Epiſtol. ad fam. lib. 7. 24. hoc verbum vſurpauit: Ille autem, inquit qui ſciret ſe nepotem bellum tibicinem habere, & ſat bonum vnctorem, diſceſſit à me, vt mihi videbatur, iratior. Teſtatur Victorius Varr. Lect. lib. 37. cap. 1. ſpectari Romæ in antiquo lapide, vnctorem dextra manu guttum tenentem (vas ſcilicet olei plenum, quod guttatim fundebat ſeruus) nec longe ab eo forma ſtrigilem inciſam. Sic Plautus in Trinummo:

Ducitur familia tota, ueſtiſpici, unctor, auri cuſtos.

Martialis lib. 12.

Atque olei ſtillam donaret Opelicus unctor.

Idem Victorius vbi ſupra pro Iunctores in l. in l. Cenſoria. 203. in fi. D. de verb. ſigni. Vnctores legi vult. Vide Iunctor.

VNGVENTIS legatis, non tantùm ea legata videntur, quibus vngimur voluptatis cauſſa, ſed & valetudinis, l. 21. §. j. l. 25. in fi. D. de aur. & arg. leg. Vnguenta autem coactis odoribus fieri ait l. 27. §. j. D. de acquir. rer. dom.

VNIO, margaritum eſt ex concha, quæ apud rubrum mare & creſcit, & coaleſcit, l. 6. l. 19. §. pen. D. de aur. & arg. lega. Plinius lib. 12. cap. j. Vnio in maris rubri profundo quæritur. vide eundem apertius lib. 9. cap. 35. hoc demonſtrantem. Vniones dictos ait Iſidorus lib. 16. ca. 10. quòd tantum vnus, nonnunquam duo vel plures ſimul reperiantur.

VNIVERSITATVM alia perſonarum, vt D. quod cuiuſque vniuerſi. alia rerum. Et hæc duplex: Iuris, vt hæreditas, peculium, D. de petit. hæredit. l. item. §. non ſolum. Facti, l. j. §. per hanc. de rei vend. Bartol. in l. j. in princ. D. de damno infect. Igitur,

VNIVERSITATES appellamus collegia, corpora, curias, ſocietates, tot. tit. D. quod cuiuſque vniuer. & de manumiſſ. quæ ſeruis ad vniuerſ. pert. Vniuerſitatis autem nomen durat, & manet, etſi ad vnam perſonam reciderit, l. 7. §. fi. C. quod cuiuſq; vniuerſitatis nomine.

Vniuerſitatis res ſunt, quæ in ciuitatibus ſunt theatra, ſtadia, & ſi qua ſunt alia ciuitatum communia, l. 6. D. de rer. diuiſ. §. vniuerſitatis. Inſtit. eod.

Vniuerſitas quæ ſit dicenda, & vtrum eo nomine veniant homines de vniuerſitate, differit Bartolus, in l. aut facta. §. fi. D. de pœnis.

Vniuerſitas etiam pro vniuerſitate bonorum, vt hæreditate, vt caſtrenſi peculio, l. j. D. quor. bon. l. 20. §. ait Senatus. D. de pet. hære. l. j. D. de rei vendic. l. j. §. quæ ſunt alicuius. D. de interdict. Caius lib. 2. Inſtit. Per vniuerſitatem ait, id eſt, omnia ſimul bona adquirimus hæreditate, adoptione. Sic in §. videamus. Inſtitut. per quas perſonas nobis adquir. & Inſti. de adquiſitio. per adrogatio. in prin. & in l. j. de actionib. certo tempo. finien. in Cod. Theod. verbum hoc accipiendum eſt.

Vniuerſitas quoque vocatur grex, peculium, armentum, equitium, l. 70. D. de vſufr.

VNIVERSALES actiones appellantur, quibus perſequimur corpus aliquod iuris, continens multas res cum augmento & diminutione, vt ſunt hæreditas, peculium, dos, iuriſdictio.

VNVM precium, pro vna ſumma, etiamſi ex ſingulorum precio collecta ſit, exponitur, teſte Alberico, in l. ædiles aiunt. §. ſi fortè. D. de ædilit. edict.

Vno contextu fieri dicitur quod fit continuata actione, ſine intermiſſione, ſine interruptione actus. l. hæredes palàm. D. de teſtamentis. §. ſed cùm paulatim. Inſtitutio. eodem.

Vna res cenſetur, fundus, & fructus eius, ſiue maturi ſint, ſiue non, l. fi. §. pen. D. quæ in fraud. cred.

VNICA filia, duos parare generos dicitur, vbi quis idem beneficium duobus ſimul pollicetur.

VOCARE in ius propriè eſt ad Prætorem, vel alium vocare qui iuriſdictioni præeſt, l. 2. D. ſi quis in ius voc. non ier. Eodem ſenſu dicimus, In iudicium vocare, l. j. l. tutor pro pupillo. D. de admini. tut. l. 3. D. de eo per quem fac. erit. l. 2. §. prætor. D. qui ſatiſd. cog. & cautio iudicio ſiſti, eſt ad prætoris ſellam ſiſti, l. j. D. ſi quis in ius voc. nō ier. nam & Prætor ipſe iudex eſt veteri appellatione, vt Liuius ſcribit lib. 3. & apud Prætorem prius quam detur iudex ſpecialis, quodámodo agendi poteſtas datur, vt M. Tullius ait, De inuentione. vt planè duplici iudicio res eadem diſceptari videatur, vno apud Prætorem, altero apud iudicem datum. Porro is qui in ius vocatus eſt, ſequi debet, & quidem ſtatim, ex XII. Tab. Si in ius vocat, atque eat. Qua enim actionē cōueniatur, cognoſcit antequam vocetur. nam editio actionis atque inſtrumentorum litis in ius vocationē præcedit. Quid ergo aliud reſtat quàm vt vocantem ſequatur? Hodie vtrumq; fit ſimul ex cōtinenti, editio nempe & vocatio: & ideo nec ſequitur ſtatim qui vocatus eſt, ſed deliberandi ſpatiū datur. At iure antiquo, aut ſequi è veſtigio debet is qui vocatus eſt, aut manu iniecta inuitus duci, rapi, trahi, niſi ſcilicet vadimoniū promittat, id eſt niſi ſatiſdet iudicio ſiſti, l. 5. §. vltim. D. qui ſatiſd. cog. & inde tit. In ius vocati vt eant, aut ſatiſdent. Plura de his vide apud Cuiac. Obſ. lib. & ca. 10. vbi & de in ius vocando latius differit.

VOCARE in partem, iuris verbum, pro participem facere, & partiarium admittere. Cicero pro Cecinna: Mulieres in partem vocatæ ſunt. Sic Virg. lib. 3. Æneid.

— ipſumq; uocamus
In prædam, partémque Iouem.

VOCIFERATIO. Modeſtinus, §. fin. l. 4. de re militari. Qui ſeditionem atrocem militum concitauit, capite punitur: ſi intra vociferationem, aut leuem quærelam ſeditio mota eſt, tunc gradu militiæ deiicitur. Eſt autem Vociferari, voce effrenata, non modò dolorem, ſed etiam indignationem (quanquam indignatio doloris genus eſt) oſtendere. Interdum ſine affectu, ſed

tamen vehementius exclamare. Hinc vociferatio, verbale, ipſe vociferandi actus.

Voconia lex, vide legum indicem.

Volo, verbum, de ſe indicat ſolam vel meram voluntatis declarationem: quapropter qui dicit ſe velle eligere, nõ eligit: & qui ſe dicit velle hæreditatem adire, non idcirco adit, ſicut & qui dicit, ſe velle Stichum dare, non idcirco dat, l. Clodius, de acquiren. hæred. Licet ex illis verbis cenſeatur facta electio: non enim quiſquam vult dare, niſi prius elegit: & hæc proprietate verbi defenduntur. Alioqui mens proferentis quandoque aliud ſuadet: vt eleganter docet Alciatus, explicans l. j. C. de ſumma Trinitate & fide Cathol. Igitur & qui rogatus eſt reſtituere, Quibus volet, etiam indignos præferre poterit. at ſi his quos dignos putauerit, vel arbitratus fuerit, reſtituere rogatus eſſet, tunc non aliàs quàm ex viri boni arbitratu reſtitutio facienda eſt, l. j. & l. 24. De legat. 2.

Voluero & Volam hoc differunt, quod etſi vtrumq; verbum futurum tempus ſignificat, illud tamen præciſe momento ipſo temporis quo quis voluntatem ſuam ſemel elocutus eſt, includitur: hoc longiùs funditur, & temporis tractum habet, vt docet Pompon. l. 112. de verb. oblig. & l. 6. in fi. ad S. C. Tertull.

Voluit transferre in l. non vult. 6. D. de diuerſ. regul. iur. cum effectu accipi poſſe, id eſt transtulit re ipſa, docet Decius ibidem nu. 3. Sic in l. fin. D. de rer. diuiſio. Voluerit tranſcendere, vbi vide Bartolum, Accurſ. in l. j. D. de leg. 2.

Velle apud Iuriſconſ. eſt expreſſis, & diſertis verbis teſtari, & profiteri ſe velle, vt ex diuerſo Nolle eſt vetare, & contradicere, & ita declarare. Inter hæc medium verbum eſt non nolle, id eſt, pati & tacere, l. j. §. ſcientiam. D. de tributo. Eius autem eſt non nolle, qui poteſt & velle l. 3. D. de diuerſ. regul.

Velle non creditur infans, pupillus, furioſus, prodigus, & & qui in aliena poteſtate eſt, l. 4. l. 40. l. 189. D. de diue. reg. iur. Itaq; in leg. Papia ſi impubes ſit patronus, voluntate eius non videtur liberta nupta, ſi auctoritas tutoris non interceſſerit, l. 13. in fine. D. de oper. liber.

Voluntas eſt eius qui cõſentit legitimè & vt oportet, l. 4. C. de fideicom. lib. Quintilian. declam. 340.

Voluntate noſtra poſſidere dicitur ſeruus, quod ei peculium habere permiſimus, l. j. §. item acquirimus. D. de acquir. poſſeſ.

Voluntas interdum ex ſcientia, & patientia inducitur, l. 7. §. interdum. D. ad S. C. Macedon.

Voluntatem filiæ cum pater agit de dote, non ſic accipimus vt conſentiat filia, ſed vt ne contradicat. l. 2. §. voluntatem. D. ſolu. matrim. Voluntate itaque filiæ pater dotem recepiſſe videtur, ſi cauſſas contradicendi ei filia non habuerit, l. 37. D. eod. titul. Errantis Voluntas nulla eſt, l. 20. D. de aqu. & aq. plu. nec furioſi, l. 47. D. de acquir. hæredit. l. 40. D. de diuerſ. regu. iur. proinde eorum volũtate factum nihil videtur. Cæterùm cùm volũtas alicuius in aliquo actu deſideratur, ea vel ſubſequi rectè poteſt, l. 10. D. de aq. & aq. pluuia.

Voluntate domini in libertate eſt, qui volente & conſentiente domino ius libertatis vſurpat, vel aliquid pro libero gerit, l. 4. C. de fideicom. libert. & apud Quintil. Declamatio. 340.

Voluntas & propoſitum facientis, diſtinguũt maleficia, l. qui iniuriæ. cum cõcor. in gl. D. de furt. l. diuus. de ſicar.

Voluntas ambulatoria vſque in momentum mortis dicitur, propter incertum voluntatis, ait Zaſius. Nam facilè variat, quicquid ex voluntate conficitur, l. 4. in fin. D. de adim. leg. vbi dicitur, voluntatem eſſe ambulatoriam, inconſtantem.

Voluntas expreſſa, quæ ex præfationibus, vel præcedenti tractatu conſtat, l. Titia. l. ita ſtipulatus ſum. D. de verbor. oblig. Tacita, vt quia natura contractus, qualitas rei, perſonæ, contrahentium conſuetudo, eius quod actam eſt coniecturam inducant, l. ſemper in ſtipulat. de regu. iur. Vide Alciat. in l. in conuentionibus. de verb. ſignif.

Voluntas vltima. Hæc vox in genere inuenitur, vt quæ nec ſit teſtamentum, nec codicillus, nec donatio cauſſa mortis, nec alio ſpeciali nomine nominetur: ſed ſimpliciter in generali appellatione vltimæ voluntatis relinquatur: de qua facit mentionem gloſ. not. in l. licet. C. de pact. Zaſ. in intellect. ſing. in princ. Voluntas vltima non repugnans iuri & æquitati, pro lege eſt. Nouel. de his qui nupt. iter. §. atque hoc primũ. Conſtit. 22. Voluntates vltimæ fiunt quinque modis. Aut. de hæred. & Falcid. §. quia verò. Porrò apud Vlpia. legimus defunctorum voluntates non ſtrictè eſſe interpretandas, l. plenum. §. j. D. de vſu & habit.

Voluntate fieri non videtur, quod ignoratur, l. non videtur. D. de lib. cau.

Voluntarius procurator & amicus voluntarius M. Tullio eſt negotiorum geſtor. in auctoribus certè noſtris procuratoris nomen commune eſt geſtoris & mandatarij, & amicus plerunque geſtor, quòd ex officio amicitiæ hic contractus proficiſcatur, l. ſi negotium. D. de reb. auct. iud. poſſid. Paulus quoque in Sententiis, Voluntarius, inquit, procurator, qui ſe alienis negotiis offert, rem ratam dominum habiturum cauere debet. Et Vlp. l. prætor. §. præſtat. D. de reb. auct. iud. poſ. creditorem miſſum in poſſeſſionem, qui fructus prædiorum vendit aut locat, quia geſtori comparatur, ait voluntarium negotium gerere, id eſt voluntarium procuratorem eſſe: nec tamen is eo nomine tenebitur actione negotiorum geſtorum, l. creditore. §. vlt. D. eo. ſed in factum, quia, vt ſubiicit, d. §. præſtat. ſuum potius quam voluntarium negotium gerit. imitabitur tamen hæc actio in factum, negotiorum geſtorũ actionem, & idem in eam veniet, quod in illam.

Voluntaria Societas apud Ciceronem in Quintiana, opponitur ſocietati hæreditariæ, id eſt communioni quæ intercedit cum hærede defuncti ſocij. hęc enim voluntaria non eſt, quia re, non conſenſu cõſiſtit. Voluntaria eſt quæ conſenſu contrahitur, tractúque habito inter ſocios: & hanc ſocietatem dicimus propriè: illam, rerum communionem, l. 23. D. de regul. iur. vel communiter geſtum, l. 31. l. 32. l. 33. l. actione. §. ſi poſt. D. pro ſocio, & ſocietatem impropriè. Voluntariam ſocietatem dixit Vlp. in l. verum. §. in hæredem. D. eod. ſeparans eam à ſocietate vectigalium, cæterorúmque publicorum, atq; etiam à ſocietate priuata: de qua vide Cuiac. Obſer. lib. 10. cap. 25.

Voluntaria iuriſdictio eſt. quæ ſeruatur in volentes. not. l. 2. D. de offic. Proconſ. & Leg.

Voluptati deſeruientia prætoria l. 198. D. de verbor. ſign. quale deſcribitur l. 13. §. fructuarius. D. de vſufru.

Voluptatis artifex, l. 7. §. dubitur. D. de oper. libert.

Voluptariæ impenſæ, quæ ad voluptatem fiunt, quæque ſpeciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent: vt ſunt viridaria, aquæ ſalientes, incruſtationes, loricationes, picturæ, l. j. in princ. l. 7. l. 9. l. 11. D. de impenſ. in reb. dot. l. 79. D. de verb. ſig. Vlpia. Epito. tit. de dotib. Appellantur & Voluptuoſæ, l. 14. D. de impenſ. in reb. do.

Vopiscus dicitur, qui ex duobus conceptis, vno abortu excluſo, ad partum legitimum ducitur.

Votum, eſt alicuius faciendi, vel non faciendi, verſus Deum, deliberata & iuſta promiſſio, vt extrà de voto & eius redempt. Vnde ad eum locum quidam definiunt Votum, alicuius boni operis cum deliberatione Deo factam promiſſionem. Angelus verò Clauaſius in Summ. votum ſic definit, Eſt, inquit, propoſitũ

ſupererogantis promiſſio Deo facta, propter bonum finem deliberatione firmata. Vnde Cicero eleganter dixit, Votum eſſe ſponſionem qua Deo obligamur. Nobis præcipuum votum eſt, quod in baptiſmate fecimus. Solebant autem veteres quàm plurima vota pro principe nuncupare, vt,

Vota anniuerſaria, ob diem imperij, cùm videlicet ad imperium Princeps ſumptus eſſet: quorũ & in Iure mentio habetur, l.omnes.C.de Feriis. Item,

Vota concepta ob ſalutem principis à ſacerdotibus, Conſulibus, idq́; poſt tertium diem Calend.Ianuar. auctore Gaio, in l.ſi calumnietur, de verb.ſig. Præterea,

Vota quinquennalia, decennalia, vicennalia, & quæ, teſte Alciato, in veteribus numiſmatis notabantur hoc modo: Vot.10.Vot.20.Vot.30. Vide Cicero.de Legibus. Pro voluntate etiam accipitur, & deſiderio: quòd ea valde deſideramus, quæ voto à depoſcimus. Adeò etiam apud gentiles magna res erat votum, quod in filiofam.non habebat locum. Textus eſt elegans in l.ſi quis rem.§.voto.D.de pollicit. Eius rei affert rationem, & quidem efficaciorem, cap.9.l.5.Pareg. Alciat. Inter votum autem, & pollicitationem hoc intereſſe conſtat, vt idem ait, quòd pollicitatio Reipub. vel priuato alicui fit: Votum verò principi, vel Deo, ex cauſſa principis, vel Imperij, aut ob fortunam Cæſaris: & ſi qui caſus ſimiles.

V O T V M pro charitate, & indulgentia paterna, l.ſcripto. 7.D.ſi tab.teſt. Liberos naturæ, ſimul & parẽtum commune votum, ad hæreditatem parentum admittit. Sic l.15.D.de inoffic.teſt. Propter votum parentum, & naturalem erga liberos charitatem.

Votum pro conſenſu.c.2.de elect.in 6.

Votum, id eſt, oratio, l.denunciamus. C.de iis, qui ad eccl.confug.

V O X patris, vox filij, quia pater & filius vna cenſentur perſona, l.fi.C.de impub.& al.ſubſtit.

V P I L I O, paſtor ouium, opilio qui vulgò dicitur. Alfenus l.60.in fin.D.de legat.& fid.lib.r.32. Item oues quæ ſtercorandi fundi cauſſa pararentur, item vpilionem, ſi eius generis oues curaret. Virgil.

Venit & upilio, tardi uenere bubulci.

V R B S, inquit Pompon. ab vrbo appellata eſt. vrbare eſt aratro definire. & Varus ait, Verbum appellari curuaturam aratri, quod in vrbe condenda adhiberi ſolet, l.238.§.6.D.de verborum ſignificat. Varro tamen lib.4. ling.Lat. Vrbem ab orbe & vrbo dictam ſcribit, quod ſcilicet orbis fiebat, & aratro circunduceretur. Vrbare autem vel orbare, eſt circulo circunſcribere, περιγράφειν, Gallis *cerner*, quaſi circinare. Ab eo Seneca in Oedipo, oculos vocat orbes, vt Sophocles, quem ſequitur, κύκλους. Et qui eos amiſit dicitur orbus. Alij ab ὀρφὸς antiquo deduci malunt, ex quo ὀρφανός.

Vrbs eſt Roma, inquit Marcellus, quæ muro cingitur. Roma eſt etiam, qua continentia ædificia ſunt. nam Romam non murotenus exiſtimari, ex conſuetudine quotidiana poteſt intelligi, cum diceremus Romam nos ire, etiam ſi extra vrbem habitaremus.l.87. D.de verbor.ſignif.

Vrbem, cum ſimpliciter legimus, Romam κατ' ἐξοχὴν ſignificamus, quæ olim inter alias tantum caput extulit vrbes, vt ait Virgilius in Bucolic.

Quantum lenta ſolent inter uiburna cupreßi.

& ita in l.11.D.de ſenato.l.j. D.ad leg.Iul.de amb.l.penult.§.negotiatores.D.de mu.& hono.l.7.§.conſtitutum.D.de interd.& releg.l.j. D.de offic.præf.vrb. Vrbis tamen appellatio proprietate ſermonis anguſtior eſt, quàm Romæ. Vrbs enim muris, Roma vero continentibus demum ædificiis finitur, l.2.D.de verb.ſign. Eadem à Conſtantino appellatur vrbs æterna, l.j.C. de ſuariis lib.11.vt à Symmacho lib.j.Epiſto.& Marcellino ſæpe vocatur, & ita in l.4. C.de oper.public. Imp. Valentinia.& Valens intra vrbem æternã ſcripſerant, cuius loco intra vrbem Romam veterem & nouam ſuppoſuere Tribonianus & collegæ, vt alia immutauere tum in libris Digeſt.& Codicis Iuſtinia. vt ex eorum, & veterum collatione liquet.

Vrbs regia in Conſtitutionibus Conſtantinopolis accipi debet, l.vlt.C.de adſeſſorib.l.12.C.de iudic.l.14.§.ſanè.C.de ſacroſanct.Eccleſ.l.25.C.de nupt.l.25.C.de teſtament.l.5.C.de his qui ad Eccl.conf.l.31.§.in hac. C. de Epiſco.& cleric.§.vlti.Inſtitut.de ſatiſdationib. Eadem & inclyta & florentiſſima vrbs appellatur, l.vni. C.de contractib.iudic.l.11.C.de adſeſſorib. l.vlti. C.de ædific.priua.in Epiſtol.Padectis præpoſita.§.illud verò. Et vrbs magnifica, in l.31.§.executoribus.C.de Epiſcop.& cler. Et noua Roma, vt libro 16.probauimus. Zonaras etiam νέαν ῥώμην καὶ βασιλίδα πόλιν, Imperatorum exemplo vocat.

V R B A N A prædia, inquit Vlpianus, omnia ædificia accipimus, non ſolùm ea quæ ſunt in opidis, ſed & ſi fortè ſtabula ſunt, vel alia meritoria in villis & in vicis: vel ſi prætoria voluptati tantùm deſeruiẽtia: quia vrbanum prædium non locus facit, ſed materia. proinde hortos quoque, ſi qui ſunt in ædificiis conſtituti, dicendum ſit vrbanorum appellatione contineri. planè ſi plurimum horti in reditu ſunt, vinearij fortè, vel etiam olitorij, magis hæc non ſunt vrbana.l.198. D.de verbo.ſignifi. Sic in l.16.C.de præd.min.in l.54.in fin.D.de peti. hæred.l.59.D.de contrahen.empt.l.13.§.ſi in locatis. D. de act.empti.

Vrbana prędia appellari ædificia, etiam ſi in villa ſint, Ruſtica verò fundos Vlpian.ſcribit in l.j.D.comm.præd. & in fragmentis Inſtit.tit.19. Sic,

Vrbana familia à ruſtica non loco, ſed genere vſus diſtinguitur. poteſt enim diſpenſator non eſſe vrbanorum ſeruorum numero, ſi ruſticarum rerum rationem diſpenſet, t.166. D.de verbor.ſignif.l.12. D.de ſupell.leg. Qua in re vſus præcipuè teſtantis ſpectandus eſt, videndúmque eſt quo quemque ſeruum loco ac numero is habuerit. Et certè quos circa ſe habet paterfa.& ſui vſus miniſteriíque vrbani cauſſa, non poſſunt non in eo numero eſſe. Quod pleniùs exponitur in l.99.D.de legat.3.& l.12.§.idem reſpondit.D.de inſtr.vel inſtr.l.4. §.pen.D.de penu.leg. Atque ita vrbanorum vel ruſticorum prædiorum ſeruitutes, pro genere & qualitate prædiorũ quibus debentur æſtimamus. Nam & aquæductus, qui per vrbanum prædium tranſit, iter quoque per vrbanum prædium, vrbanæ ſeruitutes ſunt, l.11.§.j. D.de publicia.l.14.D.com.præd.

Vrbana penus & ſupellex, ad vſum vrbanum, non ad locum vrbanum, aut peregrinum, dirigenda eſt, inquit, Iauolen.l.quemadmodum.de ſup.leg.

Vrbana ancilla. Paulus de legat.3. Eum qui natus eſt (inquit) ex ancilla vrbana, & miſſus in villam nutriendus, interim in neutris eſſe (puta in vrbanis & ruſticis) quidam putant, ne in vrbanis eſſe intelligatur, quod magis placet, l.ſeruis vrbanis.§.cum qui.

Vrbanas tribus appellabant, vt ait Feſt.lib.vltimo in quas vrbs erat diſtributa à Ser.Tull.rege, id eſt, Saburana, Palatina, Eſquillina, Collina.

V R B A N I C I A N I milites, vel (vt vulgatis in libris legimus) Vrbanici, dicuntur, qui in præſidio vrbis locati ſunt, l.35.§.j. D.ex quibus cauſ.maior. Et Vrbaniciani officiales in l.j.C.Th.de cond.in pub.hor.

V R B I C A M procurationem Vlpianus in l.11.§.2.D.de minoribus, appellare videtur eam quæ propter certam ciuitatis controuerſiam mandata eſſet.

V R B I C A R I Æ regiones, l.vnic.C.Theo.ſi per obreptio. fue.impe.l.3.C.Theod.Trib.in ipſis ſpeciebus, & alibi. eod.C.Theod. Vide Suburbicariæ.

Vrceoli, l.21.D.de aur.arg.lega.vaſa parandæ potioni accommodata.

Vredo, qua herbæ, frutices, arboréſque perculſæ areſcunt, quam ἔκπληξιν τῶν δένδρων vocat Theophraſtus. Vlpianus l.ex conducto.15.§.j. D.locat. Sed & ſi vredo fructum oleæ corruperit, aut ſolis feruore non adſueto id acciderit. Plinius lib.18.cap.28. vredinis cauſſam negat eſſe rorem inuſtum ſole acri, omnémque vredinem frigore tantum cõſtare, ſole innoxio.quod his probat rationibus. Hoc enim niſi noctibus & ante ſolis ardorem euenire deprehenditur, totúmque lunari ratione conſtat, quoniam talis iniuria non fit niſi interlunio, plenáve luna, hoc eſt præualente. vtroque enim habitu plena eſt, vt ſæpius aliis in locis obſeruauit idem Plinius. Sed interlunio omne lumen, quod à ſole accepit, cælo regerit. Differentia vtriuſque habitus magna, ſed manifeſta. nanque interlunio æſtate calidiſſima eſt, hieme gelida: ediuerſo in plenilunio æſtate gelidas facit noctes, hieme tepidas. Cauſſa euidens eſt. Æſtate enim interlunio neceſſe eſt cum ſole nobis proximo circulo currat, igne eius comminus recepto candens: eadémq; interlunio abſit hieme, quando abſcedit & ſol. Item plenilunio ęſtiuo procul abeat aduerſa ſoli: hieme autem ad nos per æſtiuum circulum accedat. Ita per ſe roſcida quoties alget, infinitum quantum illo tempore cadentes pruinas congelat. Igitur hoc genus cæleſtis iniuriæ ſilente cœlo ſereníſque noctibus fit, nullo ſentiente, niſi cum facta ſunt, vt idẽ ſcribit. Hæc eò addidi quod videam plerosq; vredinis cauſſam aliò referre, necnon ipſum Vlpianum eo in errore fuiſſe: niſi aut particulam aliud genus iniuriæ à priore diſtinguere dixerimus.

Vrinam facere, pro meiere. Vlpian. Item de eo qui vrinam facit, quæritur, ſubaudi, an morboſus ſit, l.quæritur. vbi Pedij ſententiam probat: non quia vrinam in lecto facit, ſed quia vitioſam veſicam habet, redhiberi poſſe.

Vrinatores in l.4.§.j.D.de leg. Rhod. qui in caput merguntur & ſub aqua natant, ad Vrinare, id eſt mergi in aquam. illo verbo vtitur Firmicus lib.8.cap.5. Matheſeos. Vrinatorum miniſterium egregiè his verbis deſcribit Manilius lib.5. Aſtronomicœn:

Illis in Ponto iucundum eſt quærere pontum,
Corpora qui mergunt undis, ipſúmque ſub antris
Nerea, & æquoreas conantur uiſere Nymphas:
Exportántque maris prædas, & rapta profundo
Naufragia, atque imas auidi ſcrutantur arenas.

Nam per vrinatores naufragio merſæ, & in mare nauis leuandæ cauſſa iactæ res extrahi ſolebant, vt not.d. l.4. Inde Vrinandi artifex, apud Symmachum lib.1. Epiſtol.25.

Vrna, menſuræ genus quatuor capiens congios. Huius hæc nota ꝗ' fuit. Sic autem dicta eſt, inquit Varro lib.4. Ling. Latin. ab vrinando, quòd vrinant in aqua haurienda.

Vrnalia vaſa ſatis ſupérque explicat Anto. Auguſt. lib.2. Emend. cap.11. vbi de menſuris, & vaſis edíſſerit.

Vrnales vrcei, vrnam continentes: hæc eſt menſura ſextariorum vigintiquatuor. Vide Alciatum in l.vinaria vaſa. de verb.ſignif.

Vrsvs, beſtia eſt, nec numero pecudum continetur. Auctor Gaius in l.2. in fine. D. ad legem Aquil.

Vsio, vetuſtè pro vſus: auctore Nonio. Alfenus l.60. §.2.D.de legat.& fid.lib.32. Nam ſi vina diffudiſſet, habiturus vſioni ipſe, & hæres eius Vlpian.l.27.§.4. D.de aur.argen. Siue id ſuæ, ſiue alterius vſionis cauſſa paratum eſſet.

Vsqveqvaqve, pro ſemper, l.ab arrogato. D.de cur.fur. Aliquando ſignificat ſimpliciter l.in ratione. §.videre.D.ad leg.Falcid.

Vsqve inclusionis nota, l.fin. D.de ſenat.l.2. D.de his qui not.infam.l.11.D.de dolo.l.j. D.an per alium cauſſæ appell.l.vlt.D.de diſcuſſ.& cap.j.de ord.ab Epiſco.qui renun.aliquando excluſionis, cap.cùm dilectis de fid. inſtr. Significatiua quoque eſt termini ad quem, ſicut dictio A, vel Ab.

Vsvra propriè vſus: ſed poſtea loquendi conſuetudine vſuræ merces, Vſura nominata eſt. Cicer. Verr.5. Quis hoc fieri poſſe iudicauit, vt cum Senatus publicanos vſura ſæpe iuuiſſet, magiſtratus à publicanis pecuniam pro vſuris auderet auferre? & lib. Tuſcul.1. Natura dedit vſuram vitæ tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die. quid eſt igitur quod quærare, ſi repetit cum vult? Ergo Vſura eſt (vt conſuetudo loquendi tulit) merces vel æſtimatio vſus pecuniæ. ea verò duplex eſt. nam altera in generis ſui nomine conſiſtit: altera fenus vocatur. Speciatim autem.

Vſura, eſt compenſatio eius quod creditoris intereſt vſu caruiſſe ſuæ pecuniæ, dum ea debitor vteretur. nam vſuræ non propter lucrum petẽtium, ſed propter moram non ſoluentium infliguntur, l.cùm quidam. §.ſi pupillo. D.de vſuris. Fenus autem cum propter lucrũ: quod ſuo loco explicauimus.

Vſurarum autem ſpecies ex aſſis partibus denominantur. quod vt intelligatur, illud ſcire oportet, ſortem omnem ſemper ad centenarium numerum reuocari: ſummam autem vſuram eſſe, cùm pars ſortis centeſima ſingulis menſibus perſoluitur. Et quoniam iſta ratione ſumma hæc vſura duodecim aureos annuos in centenos efficit, duodenarius numerus Iuriſconſultos mouit, vt Aſſem hunc vſurarium appellarét. Quemadmodum autem hic As non ex menſtrua, ſed ex annua penſione æſtimandus eſt, ſimiliter omnes eius partes ex anni ratione intelligendæ ſunt. vt ſi vnus in centenos annuatim pendatur, Vnciaria vſura: ſi bini, Sextans: ſi terni, Quadrans: ſi quaterni, Triens: ſi quini, Quincunx: ſi ſeni, Semis: ſi ſepteni, Septunx: ſi octoni, Bes: ſi nouem, Dodrans: ſi deni, Dextans: ſi vndeni, Deunx: ſi duodeni, As. Hinc,

Vſura Centesima (qui eſt As vſurarius) dicitur, cum pars ſortis centeſima ſingulis menſibus, id eſt duodecim ſingulis annis penditur: Vide Cuiacium in Pand. & in Cod.p.109. & Nouella 130. & Ant. Aug. lib.2.c.10. & Gou. p.175. l.4. Romani enim Græcorum morem imitati, qui facilioris & commodioris doctrinæ cauſſa quamuis ſummam ſortis ad Minam, quæ centum drachmas valebat, perpetuò redegerunt: quantamcunque ſortem ſimiliter ad numerum centenarium reuocarunt. Itaque Vſura centeſima, ex parte ſortis cẽteſima, ſicuti apud Græcos Drachmalis à Drachma, quæ pars eſt ſortis ad minam redactæ centeſima, nomen inuenit. quapropter eam Plutarchus in Lucullo ἑκατοστὴν appellat. Eius exemplum apud Paulum extat in l.40. D.de rebus cred. Tunc eo amplius quo pòſt ſoluam, pœnæ nomine in dies triginta, inque denarios centenos, denarios ſingulos dari ſtipulatus eſt P. Mæuius. Vide l.4.§.vltim.D.de naut.fen.l.8.C.ſi cert.petat. l.vltim.C.de iure dot.l.vn.§.cum autem. C.de rei vx. acti.l.j.& 2.C.de vſur.rei iud. Conſtantin.lib.3.Epito. tit.7. ἑκατοστιαῖον τόκος ἐστὶν, τὸ ἐπὶ τοῖς ἑκατὸν νομίσμασι ιβ ΙΙ ὑπὲρ ὅλου δίδοσθαι ἐνιαυτοῦ, διὰ τὸ ἐπὶ τοῖς ἑκατὸν καθ' ἕκαστον μῆνα δίδοσθαι ΙΙ ἕν. Galli dicunt, *à douze pour cent.* Et hæc quidem fuit vſuræ cẽteſimæ vetus definitio. Alia enim fuit Imperatoris Conſtantini temporibus, vt videre eſt ex verbis Amiani, l.2.C.Th.de vſur. qui vſurã centeſimam eſſe ait, cum tres ſiliquæ annuæ in ſingulos ſolidos præſtantur. nam cum vigintiquatuor ſiliquæ ſolidum efficiant, in ſingula centena duodecim ſolidi & duodecim ſiliquæ præſtari debebunt, & ſic vſura centeſima duodecim ſolidorum erit & ſemis cuius

etiam

etiam mentio fit Nou.130.Succeſſerit huic nouæ deſi-nitioni,& alia amplior,quæ in centenos ſolidos reddit 16.ſemis & quatuor ſiliquas,hoc eſt in libram auri,quæ eſt LXXII.ſolidorum duodenos. Auctor Harmenop. 3.Epit.& Zonaras Nicenæ Synodi cap.17. Vt nunc li-bræ auri inquit, ſunt ſolidorum 72.ibi olim centena-riæ erant.

Vſura BESSIS, cùm in ſingulos centenos quotannis octoni ſoluuntur,l.pen.C.de vſur.

Vſura MARITIMA, vide Fenus nauticum.

Vſura MAXIMA & grauiſſima, intelligitur centeſima, in l.7.§.8.& l.54.D.de adminiſtratione tutor.& l.38.D. de negot.geſt.

Vſura QVADRANS eſt, cum pars centeſimæ quarta quotannis fungitur: hoc eſt, centenis terni: apud Scæuolam l.21.§.4.D.de ann.legat.

Vſuræ QVINCVNCES, cum pars centeſimæ quinta quotannis penditur:hoc eſt ex centenis quini:quarum fit mētio in l.17.D.de vſur.& l.15.& l.16.§.2. D.de alim. & cibar.l.7.D.de adminiſtratione tutorum. Perſius Sa tyra quinta:

Quid petis ut nummi quos hic quincunce modeſto
Nutrieras,peragant auidos ſudare deunces?

Vſura SEMIS eſt,cum pars centeſimæ dimidia,id eſt,ſe-ni pro centenis penduntur. nam cum centeſima ſit as vſurarum reliquę vſuræ ex eius aſſis,non autē ex ſortis ratione appellationem ſumunt. Eius mentio fit in l.5. D.de operibus pub.l.102.De ſolut.Semiſſalis autē ap-pellatur à Modeſtino,l.10. D.de pollicitationibus.

Vſura TRIENS eſt, cum pars centeſimæ tertia, hoc eſt quaterni in centenos penduntur.Eius mentio fit in l. 26.§.j.C.quando dies leg.& l.3.vlti. D. ad leg.Falcid.l. 7.§.9.D.de admin.tuto.

Vſura VNCIARIA, cum pars centeſimæ duodecima ſingulis menſibus ſoluitur,hoc eſt, vnus in centenos, l.47.§.4.D.de adminiſtr.tutor. vbi tamen VNCIAS vſuras legitur.

Vſuræ PVPILLARES vel quincunces ſunt,vel trientes, vel aliæ leuiores pro more regionis, l.tutor qui reper-torium.§.quæ ſint autem pupillares. D.de admin.tuto. niſi in certis cauſis,quas lib.3.Select.Antiquit. exponit Briſſonius.c.1.& explicantur.d.l.tutor qui repertoriū.

Vſuræ LEGITIMÆ.

Vſuris CHRISTVS contractus mutui contaminari ve-tuit, Lucæ ſexto. Exod.22.cap. Conſuluit. De vſuris. Per hoc autem non improbantur moderatæ vſuræ & conſuetæ,ſi ſub forma emptionis & vēditionis exer-ceantur, ſicut conſuetum eſt. Tunc enim & creditor agit ingenuè, & debitor intelligit negotiū, quod agi-tur.Longè enim differunt, concipere ſpecialem con-tractum ad vſuras,vel(vt nunc vulgò dicunt) Rentas, quod licet:& accipere vſuras cōtra mutui contractus naturam,quod illicitum eſt.Certè verbum Vſura non eſt fœdum:ſed non habere vſuræ modum, & honeſtā rationem eſt turpiſſimum. Quod commentatores aut non intelligunt, aut calumnioſè diſſimulant. Vſuras ſanè permittūt leges tit.D.& C.de vſur. Canones ve-rò prohibent,cap.3.eod.titut. Vtimur re ipſa hoc tem-pore non minus, quàm olim:nominis autem (neſcio qua ratione) nos pudet. Vſuras lex diuina prohibet. Odioſum autem vſurarum nomen eſt:quo fit, vt vſu-rarum nomen in intereſſe mutatum ſit. Vnde Cle-mens Maro in Satyra:

L'on ne preſte plus à uſure,
Mais à intereſtz tant qu'on ueūt.

VSVRARIA pecunia eſt, quæ ſub vſuris debetur. Vl-pian.l.11.D.de compenſat. Cum alter alteri pecuniam ſine vſuris, alter vſurariam debet, concurrentis apud vtrunque quantitatis vſuræ præſtandæ non ſunt.& l. 11.Sed ſi inuicem ſit vſuraria pecunia,&c.

Vſurarius debitor, qui ſub vſuris pecuniam debet, l.7. D.de vſuris.

VSVRARIVM debitum, cuius vſuræ debentur. Iulia-nus l.6.in fin.D.de negot.geſt. Etſi fortè non fuerit vſurarium debitum,incipit eſſe vſurarium.

Vſuraria VXOR, pro vſuaria: id eſt, qua quis pro vxore vtitur. Plaut.Amphit.

Volo deludi illum,dum cum hac uſuraria
Vxore nunc mihi morigero.

Iupiter ſic loquitur de Alcmena,Amphitryonis vxore propria,ipſius vſuraria.

VSVRPARE & Vſucapere, verba ſunt inter ſe contra-riè relata: nam Vſucapere,eſt vtendo acquirere.Vſur-pare verò,vtendo retinere. Paulus l.2. D.de vſurp.& vſuc.VSVRPATIO, inquit, eſt vſucapionis interru-ptio.Oratores autem Vſurpationem frequētem vſum vocant. Hæc fit amiſſa poſſeſſione ante tempus com-plendæ vſucapioni finitum, vel interpellatione, aut vſu domini,à Græcis definitur ῥῆξις τοῦ χρόνου, ἤγουν τομὴ καὶ διακοπή.Iuriſconſulti etiam veterem conſuetudinē retinuerunt in l.naturaliter.5.D.eod.& alibi perſæpe. Magnopere autem notatu dignum eſt, quod Cicero lib.de Oratore 3.ſignificat, moris fuiſſe in poſſeſſione vſurpanda, vt ſurculus defringeretur. Etiam, inquit, hac inſtituendo diuiſione vtuntur: ſed ita, non vt iu-re,aut iudicio,vi denique recuperare amiſſam poſſeſ-ſionem,ſed vt ex iure ciuili ſurculo defrigendo vſur-pare videantur. Quo in loco vocem RHETORES deſiderari arbitratur Hotomanus, vt ſic legatur, Rhe-tores etiam hac inſtituendo, & cætera. De vſurpatio-nibus autem librum ſcripſerat Appius Claudius, teſte Pomponio in l.2.de orig.iur.

Vſurpare honorem, vti honore. Marcianus l.7. D.de mun.& hon. Eum contra quem propter honores ap-pellatum eſt,ſi pendente appellatione honorem vſur-pauerit,coercetur.

Vſurpari etiam ſeruitus dicitur quæ vtendo retinetur, l.6. §.j.l.8.in fine.& l.9.l.16.ſi ſeruit.vind.

VSVRPATVM etiam, pro vſu adquiſitum, in l.40. D. ex quib.cauſ.maio. Quod eo tempore quo in inſula aliquis fuit,ex pœna ei irrogata, cuius reſtitutionem impetrauit,ab alio vſurpatum ex bonis quæ nō adem-pta erant,probatum fuerit,ſuæ cauſſæ reſtituendū eſt.

Vſurpata mulier apud Gellium lib.3.cap.2.& Macrobium lib.1.cap.3.quid explicat Mutius Iuriſc.

VSVS, vſucapio, Vſusfructus, Vide VTOR.

VT, modi notam eſſe adnotat Bartol.l.j. D.de condi.& demonſt.& C.de condi.quæ ſub mod.quandoque ſi-gnificat conditionem l.cum tale. D.de condi. & de-monſt.quandoque ſignificat ſecundum l.j.C.de iis, qui par.vel lib.occid.plerunque cauſſatiuè & ἀκολούθως po-nitur.Cauſſatiuè quidem in c.ſicut.47. l.ſi quis temere. D.de leg.1.Ἀκολούθως verò & conſecutiuè l.in Eccleſiis. de Epiſco.& cleric.l.j.D.de ſeruitut.& ca.cùm liqueat 1.q.1.quandoque ſignificat quàm,cap.locis.63.diſtinct. quandoque aduerſatiuè pro ſed,l.cùm poſt. C.de ap-pel.Aliquādo pro tanquam, l.leges vt generales.C.de legib.Quandoq; veritatis ſignificatiua eſt, l.cùm aliis, C.de ſecund.nupt. Quandoque pro quamuis l.ſed an vltro.D.de neg.geſt.

Vt pro quando, l.ſi cum dies. §.ſi arbiter. D.de arbitr. Plerunque ſupereſt l.j. D.de parricid. interdum ordi-nis nota eſt.

Vt, aliàs ſignificat cauſſam:aliàs ſimilitudinem, pro ſicut. Vlpianus in l.Si cùm dotem. §.j.& §.ſi autem.D.ſolut. matrimon.

Vt, aliàs pro quòd accipitur.Marcellus in l.poſtulante. in princ.D.ad Senatuſc.Trebell. Poteſt tamen, inquit, euenire, vt reſtitutionem diſtulerit hæres.

VTENSILIA ſunt columellæ, quibus aut alitur homi-

num

num genus,aut etiam excolitur. Vnde gloſ.in l.eos qui vtenſilia.D.de decur. non rectè de iis tantùm accipit, quæ ad eſum potúmque pertinent. Sunt autem excipienda ſecundum communem cùm loquendi, tum teſtatoris vſum.l.ſi certus numerus.de legat.3. cùm ſimil. quæ Alberic.allegat.

VTER, vtris, pellis qua vinum aut oleum deferri ſolet.l.3.D.de trit.vin.& ol.leg.

VTERQVE, ſignificat ambos: differunt tamen : quòd cum vtrunque aliquid feciſſe dicimus,& ab hoc, & ab illo, ſeparatim factum intelligimus: cum verò ambos dicimus feciſſe : ab vtroque coniunctim id factum oſtendimus. De tribus etiam dici ſentit gl.in §.non ſolùm 2.Inſtitut. per quas perſon.nobis obligat.acquir. l.3.in princ.D.rer.amot.Budæus annotat, Vtrique, de pluribus etiam dici,ſed duo facientibus genera. Cicero in Catilin. Quod ego vtroſque in eodem genere prædatorum, direptorúmque pono.Id eſt , quæ duo genera ciuium.

Vterque vox plerunque coniungit, l.ſi quis duobus.D. de leg.2. quandoque diuidit l. Pomponius. D.de rei vendicat.

VTENDI generalis eſt appellatio. Vtendum autem dare propriè eſt commodare,Plautus in Trinummo:

Nam beneficium hominis proprium quod datum, proprium erit.
Quod datum utendum eſt, id repetendi copia eſt, cum uelis.

Sumitur autem etiam pro dare mutuum, vt l.2.D.de calumn.Si gratuita pecunia vtenda data ſit,&c. Labeo verò in l.j.D.commod. Vtendum dare,genus faciebat: & mobilibus æquè atque immobilibus rebus attribuebat:Cōmodare verò, ſpeciem, & mobilium duntaxat propriam.Sed,vt apparet, inquit, Vlpian.etiam res ſoli commodari dicitur. Sic l.19.& l.21.§.j. D.illo tit. Q.Scæuola libro De iure ciuili 16. Quod cui ſeruandum datum eſt, ſiue quod vtendum acceperit, ad aliam rem atque accepit vſus eſt, furti ſe obligauit. Hoc ex Gell.libr.7.capit.15. Vnde Vtendum rogare, pro,commodato rogare , l.15.D.depoſ.Plaut. Aulular. Cultrum,ſecurim,piſtillum,mortarium, Quæ vtenda vaſa ſemper vicini rogant.

VTI & Abuti ſic differunt. Vtimur, inquit Boëtius, iis rebus, quæ nobis vtentibus permanent: iis autem abutimur,quæ nobis vtentibus pereunt. Cicero in Topic. Non debet ea mulier cui vir vſumfructum bonorum ſuorum legauit, cellis vinariis, & oleariis plenis relictis,putare id ad ſe pertinere: vſus enim, non abuſus relictus eſt.Itaque quarum rerum vſus ſeparari ab eorum corporibus non poteſt, earum vſus conſtitui non poteſt, l.2. D.de vſuf.earum rer.quæ vt. veluti vini, frumenti, olei, pecuniæ,&c.Donat.in Andr. Vtimur, inquit,fructibus rei, quæ ab amantibus ſaluo vſu nobis ſubminiſtrantur: Abutimur,quādo deperdimus & rem & fructum.nam vſui eſt ager, domus: Abuſui vinum,oleum,& cætera huiuſmodi.

VSVS ſeruitutis genus,pro itinere.Hoc ex Seruio didici, qui ad illud Æneid.2.

Limen erat,cæcæq; fores & peruius uſus,
Tectorum Priami;

Vſus, inquit,verbum iuris. Via, actus, vſus. Videtur dictum pro Conſuetudine eundi.

Vſus eſt ius alienis rebus quantum ad vſuarj neceſſitatem ſatis eſt, vtendi,ſalua rerum ſubſtantia, l.j.l.10.l.11.l.12. D.de vſu & habit.

Vſus pecuniæ amitti non poteſt, quàm duobus modis, morte ſcilicet, aut capitis deminutione,l.in ſtipulatione. cum ſeq. D.de vſufruct.ear.rer. quæ vſu conſum.l. ſi vſusfructus nomine.§.cùm vſusfructus. D.vſusfruct. quemad. caueat.

Vſus reciprocus, qui frequentiſſimus eſt inter ruſticos, vt: Commodo tibi boues meos ad arandum terram tuam certos dies, vt tu viciſſim commodes tuos, cum ego arauero: non cadit ſub actionem Commodati, ſed præſcriptis verbis, text.in l.ſi tibi rem inſpiciendam. §.j.D.de præſcript.verb.

Vſus appellatione veniátne proprietas, diſſerit Bartol.in l.donationes.D.de donat.

VSIBVS puellæ res relictæ, proprietatem arguunt.Vide Alber.in l.donationes.§.ſpecies. D.de donat.

Vſus ſui cauſſa, & vſu ſuo duci ea demum mancipia videntur, quæ ad patrisfam. corpus tuendum atque ipſius cultum deſtinantur: veluti cubicularij, coci, miniſtratores,obſonatores, & alij eiuſmodi vſus cauſſa parati,l.203.D.de verbo.ſignifi.quæ vſualia mancipia vocantur,in l.vlt.§.quoties.D.de publican.Si quis argentum quod vſus ſui cauſſa paratum eſſet, legauerit, id duntaxat debebitur quod victus ſui cauſſa ad quotidianum vſum parauerit, non etiam quod commodare ad ludos & cæteras apparitiones ſolebat, l.28.D. de auro argen.leg. Legatis vxori ſeruis, qui vſus eius cauſſa parati ſunt, ad eam non pertinent hi ſerui, qui non proprij ipſius,ſed cōmunis vſus cauſſa parati ſunt, l.35.D.de legat.2. his verò verbis ea, quæ poſt teſtamentum factum vſibus eius comparauerunt, continebuntur,l.33.§.j.de legat.3.

Vſum Græcè χρῆσιν appellari Vlpian.ſignificat in l.10.§.j. D.de vſu & habit. Quāquam apud Cicero.lib.7.Epiſt. χρῆσιν pro fructu Curius accepit.

Vſus etiam pro conſuetudine ponitur. Sic in vſu, id eſt,in vulgari & quotidiano ſermone, in communi vita, & vt dicimus,in praxi,in l.45.& l.52.§.quod tamen. D.de leg.3. l.3. D.ex quib. cauſ.maior.l.j. §.impuberi. D.de S.C.Silania.l.75.§.ſed ſi legata.D.ad l.Falcid.l.7. §.cum hoc edictum. D.ex quib. cauſ.in poſſ.l.48.in fin. D.de ædil.edi.l.158.l.211.D.de verbor.ſignificat. Ex vſu eſt, pro,Vtile eſt.l.99.in fi.D.de ſolut.

Vſus etiam poſſeſſionem ſignificat,vt Iauolen.in l.115. D. de verbor.ſignificat.ſcribit.Et ita Ælius Gallus poſſeſſionem vſum definit,apud Feſt.Pomp.libro 14. Sicque in XII.Tab.ſumitur,in his verbis: Vſus & auctoritas fundi biennium eſto: cæterarum rerum annuus vſus eſto. Sic & Horat.in Sermonib. *Quædam, ait, ſi credis conſultis mancipat uſus.*

VSVALIS, idem ſignificat,quod vſuarius. Martianus in l.interdum.de public. Quoties quis mancipia inuecta profeſſus non fuerit,ſiue venalia,ſiue vſualia,in pœna commiſſi eſt.

VSVARIVS qui vſum habet,vt fructuarius,qui fructum, l.13.§. de præteritis. D.de vſufruct.l.52.D.de ſtip.ſeru. Vſuarius tamen ſeruus in quo vſum habemus, vocatur in l.14.D.de vſu & habit.l.2.D.de pecul.l.7.§.ſi ſeruum.l.12. §.quare.D.de dolo.l.54. D.de acquirend.rerum domin.

VSVCAPERE vſu acquirere & poſſeſſione ſuum facere ſignificat, quemadmodum Iuriſconſulti loquuntur, l.j.l.19.& l.21. D.ex quib.cauſ.maio.l.82.§.j.D.de legat. j.l.33.in princ. D.de vſucapionibus.l.22.§.ſed & ſi cui. D.ad Trebellia.

VSVCAPIO eſt acquiſitio dominij per poſſeſſionem prolixam & iuſtam: vel acquiſitio per vſum, l.j.§.vlt. ex quib.cauſ.maior.Hanc autem ſic definit Iuriſconſ. Vſucapio eſt adeptio dominij (ſic enim in l.3.D.de vſucap.non adiectio legendum , Vlpianus ſuadet in Epito.titu.19.) per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti.Verba hæc, TEMPORIS LEGI DEFINITI, ſuppoſuerunt Tribonianus & collegæ. Nam Vlpianus pro his dixerat,anni,vel biēnij: rerum mobilium anni,immobilium biennij. Nam vſucapionum tempora produxit Iuſtinianus l.vnic. C.de vſucap.trans

c.transform. Duxit autem Modeſtinus illam definitionem ab officio vſucapionis, cuius exitus & proprium eſt, vt per eam acquiratur dominium, quod alioqui in rebus bona fide traditis nunquàm certò conſtare poſſet: quia propter infinitam rerum varietatem incertū eſt plerunque, vtrum tradens ſit dominus, an non ſit. Hæc autem adquiſitio plenum ius tribuit. l.17. in fin. D. de rei vind. ex XII. Tab. atque ideo vetuſtiſſimum ius eſſe dicitur bonæ fidei poſſeſſoris. l. in bello. §. ſi quis ſeruum. D. de capt. & poſtl. & vſus nonnunquam. l. deducta. §. ante. D. ad S.C. Treb. & poſſeſſio, vt l. cum miles. & l. denique. D. ex quib. cauſ. maior.

Vſucapio inde dicta eſt, quòd per vſum aliquid capit & aufert. Vſus enim per lapſum temporis adimit res corporales & incorporales priori domino, & transfert in alium. Sic pignoricapionem olim dicebant, quam nūc captionem, & ablationem pignorum nuncupamus. Gell. libr. 7. exiſtimat vſucapionem & pignoris capionem, duplicatis ex integro vocabulis, dici oportere. Interdum tamen extra compoſitionem, interiecta qualibet voce, profertur, vt eſt apud Paul. in l. nunquā. §. vlt. D. de vſucapio.

Vſucapio currere, procedere, item ſuppleri dicitur. l. 15. l. 18. D. de vſucap. l. 6. D. pro dona.

VSVSFRVCTVS eſt ius alienis rebus vtendi fruendi, ſalua rerum ſubſtantia. l. j. D. de vſufr. Vſusfructus eſt ius ex ſeruitute quæſitū. l. vti frui. 5. D. ſi ſeruit. vindic. atque ita intelligendum eſt quod dicitur, Vſusfructus eſt ius: nam reuera vſusfructus eſt ſeruitus. ſed ius & ſeruitus relatiua ſunt. Cùm igitur vſusfructus ſeruitus rei ſit, ius verò perſonæ, relinquitur vſumfructum eſſe ius in ſeruitute quæſitum: alioqui colonus & commodatarius ius haberent vtendi fruendi rebus alienis, ſalua earum ſubſtantia, non minus quàm vſufructuarius. Verùm inter illos & hunc ea differentia eſt, quòd neque ager colono, neque equus commodatario ſeruitutem debet, fructuario verò debet. Vnde intelligitur, vſum ab vſufructu hoc differre, quòd ille ad neceſſitatem, hic etiam ad vtilitatem ac voluptatem refertur. nam cui vſus, eidem omnium generum fructus duntaxat quantum ad ipſius neceſſitatem ſatis erit, debebuntur. veluti ex ſylua, quantum ad coquendum & calfaciendum opus eſt: ex frumēto, vino, & baccis arborum, quantum ad ipſius familiam alendam: ex oleo, fœno & ſtramentis, quātum ſimiliter alias ad res opus erit, debebitur. qua ex re intelligitur quod Vlp. ſignificat, in l. per ſeruum. 14. §. j. D. eod. nimirum vſum ab vſufructu hoc differre, quo pars à toto. itaque cui fructus, eidem quicquid ex agro emolumenti percipi poterit, quamuis exercitui alendo ſatis ſit, debebitur: at cui vſus, duntaxat quod ad ipſius victum cultúmque neceſſe eſt. denique Vſus eſt ius vtendi re quapiam, quatenus ei cui conceditur neceſſe eſt: Vſusfructus, ius vtendi fruendi aliena re, quantum eius ſalua ſubſtantia ferre poterit. Vlp. l. per ſeruum. 14. §. j. D. de vſu & habit. Vſusfructus an fructus legetur, nihil intereſt. nam fructui & vſus ineſt: vſui fructus deeſt. & fructus quidem ſine vſu non eſſe poteſt: vſus ſine fructu poteſt. denique ſi tibi fructus ſine vſu legatus ſit, inutile eſſe legatum, Pomponius ſcribit. ſed ſi fructus ſine vſu, videri conſtitutum qui & ab initio conſtitui poteſt. Hæc ille: ex quibus prima inter VSVFRVCTVARIVM & VSVARIVM differentia intelligitur. nam cui vſusfructus debetur, eidem quicquid ex agro emolumenti percipi poterit, quamuis exercitui alendo ſatis ſit, debetur: at cui vſus, duntaxat quantum ad ipſius victum cultúmque neceſſe eſt. Hinc illud Ciceronis in j. de Offic. Expetuntur autem diuitiæ tum ad vſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates. Altera differentia eſt, quòd Vſuarius ius ſuum trāſferre in alium nō poteſt: at Fructuarius poteſt. l. vtique eo. 11. & l. plenum. 12. §. operas. D. eod. Cum enim vſus ex perſonæ certæ conditione atque qualitate metiendus ſit, ob eámque cauſſam, & creſcere & decreſcere poſſit: transferri in alteram perſonam non poteſt. quippe cuius quantitas incerta ſit. nam vſuario plus debebitur ſi vxorem ducat, aut liberos habeat, quàm cùm cœlebs erat: & viciſſim minus ſi viduus ſit, liberíſque careat, quàm cùm & maritus & pater erat. Tertia differentia eſt, quòd vſuarius fundi per ſe colendi ius non habet. id enim ſibi proprietarius retinet: at fructuarius habet. l. ſi habitatio. 10 in fi. cum l. ſeq. D. eod. Iuſtinianus autem in Inſtitutionibus etiam hanc differentiam commemorat, quòd vſuario fundi fructus naturales tantum, non etiam elaborati debentur: vſufructuario verò vtique debētur, id eſt, non tantum ij quos terra ſua ſponte profert, verum etiam ij qui arte & induſtria culturáque adhibita naſcuntur: veluti poma, cæteræque arborum baccæ: item fœnum, ligna, & cætera quæ ſunt generis eiuſdem, vſuario pro modo & ratione ſuæ neceſſitatis debētur. at frumentū, oleum, vinum non debentur. Quarta differētia hæc eſt, quòd vſus gregis, in ſolo ſtercore: vſusfructus verò, etiam in fœtu reliquíſque omnibus continetur. l. plenum. 12. §. ſed ſi pecoris. D. eod. vbi Vlpian. ait, modico tamen lacte vſuarium vti poſſe: neque ita ſtrictè defunctorum voluntates interpretandas eſſe. Dicet aliquis, Quid ita gregis fructus, item vt agri, pro vſuarij neceſſitate nō conceditur? nam in ſtercore ſolo, exiguus eſt vſus. Reſpondetur, quoniam alioqui nō alius pecoris fructus, alius vſus eſſet: deinde quia plerūque in agro ſupereſt aliquid proprietario, in grege verò nequaquā. Hoto.

Vſusfructuarius & fructuarius, aliàs accipitur ſubſtātiuè pro eo qui habet vſumfructum: vt regulariter: aliàs adiectiuè, pro re in qua eſt vſusfructus, vt domus fructuaria, fundus vſusfructuarius. l. arboribus. §. fin. D. de vſufructu.

VTILES actiones dicuntur, quæ ex lege ipſa, ſed interpretatione contra ſtricti iuris rationem, vtilitatis, id eſt æquitatis & iuris gentium cauſſa conceduntur: indéque nomen inuenerunt. l. quia actionū. D. de præſcr. verb. l. ſeruitutes. §. ſi ſublatum. D. de ſeru. vrb. præd. l. ſi longius. in fi. D. de iudic. Veluti Actio à Prætore conſtituta eſt aduerſus eos, qui ſeruum alienum corruperint, in duplum quāti ea res erit, quærebatur an ſi quis filium filiámve familiàs corruperit, ea actio dari poſſit. Reſpondetur, vtilem dādam eſſe: in qua officio iudicis æſtimabitur, quanti noſtra intereſt. l. vt tantùm. 14. D. de ſer. corrupt. Hinc Pomponius. d. l. quia actionum. 11. De præſcript. verb. Supplet Prætor in l. Aquilia, quod ei deeſt, reddēdo actiones in factum accommodatas legi Aquiliæ: idque vtilitas eius legis exigit. Hinc vtilitas ſtricto iuri opponitur à Paulo. l. ſeruitutes. 20. D. de ſeruit. vrb. & ab Vlpia. l. ſi longius. 19. in fi. D. de iud. Sic etiam Vtiles actiones directis opponuntur, quæ recta ex legis verbis deſcendunt, cum vtiles tanquam ex obliquo veniant. quare etiam à Theophilo πλαγιαστικαὶ vocantur.

Vtiles autem Actiones plerunque his verbis demonſtrātur, Quaſi, Veluti, ad exemplum, Exemplo, ad ſimilitudinem.

Vtiles dies dicuntur, quibus experiundi & iudicis adeundi poteſtas eſt, l. 3. in fi. D. de accuſationib. l. 6. D. quæ in fraud. credit. l. 10. D. ad Turpillia. l. 55. D. de ædilic. ed. Vtiles autem dies, interdum (quod in his quæ decretū exigunt, ſeruatur) ſeſſionum accipiuntur: quibus ſcilicet Prætor in tribunali ſederit, & poſtulationibus dederit reſponſum. In his verò quæ de plano expediri poſſunt, vtiles ſunt, quicunque dies, quibus Prætor ſui copiam in publico, vel adeūtibus ſe fecerit. l. 2. D. quis

ordo in bon.poſſ.§.vlt.Inſtit.de bon.poſſeſſionib. Vide Dies vtiles.Sic:

Vtilem annum accipimus, ex diebus vtilibus, id eſt, quibus experiundi poteſtas fuerit conſtantem.l. j.§.j.D. quando actio.de pecul.l.j.D.de in rem ver. l.3.§. hæc actio.D.vi bonor.rapt.l.28.§.ſi quis.D.de lib.& poſth. l.14.D.de aq.& aq.plu.l.j.& l.6.in fin.D. quæ in fraud. credit.l.j.D. vti poſſidet. Experiundi autem poteſtas eſt,ſi agendi facultas eſt.nec enim ſatis eſt reum poteſtatem ſecum agẽdi facere,vel habere eum qui ſe idoneè defendat:ſed hoc amplius exigitur,vt auctor nulla idonea cauſſa impediatur experiri.Nam ſi vel Reip. cauſſa abſit,vel ab hoſtibus detineatur, aut in vinculis ſit,aut ſic tempeſtate in aliquo loco detineatur,vt mãdare non poſſit,experiundi poteſtatem non habet.l.j. D.de diuerſ. temporalib. Cæterum experiundi poteſtatem,quod ad redhibitoriæ tempus attinet, habuiſſe non videtur,qui vitium latens fugitiui ignorauit.l.55. D.de ædil.ed. Dies ad appellandum conſtituti ad aliquid vtiles ſunt:ſi fortè eius, à quo prouocatur, copia non fuerit,vt ei libelli dentur. Nam is dies ſeruatur, quo primò adeundi facultas erit,id eſt,quo in publico ſui copiam fecerit.l.j.§.dies.D.quando appell.ſit.

Vtile autem tempus,& continuum opponuntur.l.31.D.ad leg.Iuliam de adult.l.j.§.ſi mulier.D.de lib.adg.

Vtile eſſe,vel vtilius eſſe,id eſt,magis ex vſu eſſe, pro ratione decidẽdi legimus.l.3.§.hoc interdicto.D.ne quid in loco pub.l.5.in fi.D.ſi pars hæred.pet.l.89.in fi.D.de ſolutionibus.

Vtilia quædam ſunt publicè,quædam priuatim.l.j,§.j.D.de iuſtit.& iur.publicè.Vtilia ſunt, quæ in cõmune vtilia ſunt,& quæ ad vtilitates omnium in commune pertinent.l.j.§.is quoque.D.ad S.C.Silanianũ.l.6.§. ne quid. D.de offic.prę ſid.Publicè vtile eſt,verbi gratia,abſentium excuſationes accipi.l.33.§.publicè.D.de procurat. per itinera tutò commeare.l.j.§. j.D.de iis, qui deiec. vel effud.ſupremas defunctorũ voluntates exitum habere.l.5.D.de teſt.quemad.teſt.mulieres dotatas eſſe.l. j.D.ſol.mat.vide ſuprà,Intereſt lib.9.& j.Vtilitas.

Vtile per inutile non vitiatur,quando talia ſunt, quæ natura,lege, aut conſenſu ſeparari commodè poſſunt.l. ſancimus.C.de don.c.vtile.de reg.iur.lib.6.l.j.§.ſed etſi mihi.D.de verb.oblig.In iis verò quæ ſeparabilia non ſunt:quia vel repugnat natura,vel legis auctoritas,vel voluntas contrahentium:vtile corrumpitur per inutile.l.j.§. Trebatius. D. de aqua quotidian. & æſti.Ratio huius differentiæ eſt:nam priore caſu nemo læditur: poſteriore verò ſemper ſequeretur læſio alterius,ſi totum negotium non corrueret incidente vitio. Et hæret ferè in hac ſententia Bart,quidquid alij rixentur,in l.Græcè.§.illud commune.D.de fideiuſſoribus.

VTILE EST, perpetua phraſis eſt Iuriſconſultorum, quod vbi volunt ſignificare aliquid bonum & æquum eſſe,atque iure ſcripto procedere:ibi vtuntur appellatione vtilitatis longè pulcherrima: ſcilicet reſpiciẽtes ad id,quod eſt in l.j.§.j.D. de iuſt. & iur. Nàm ius nihil aliud eſt quàm honeſta vtilitas deſeruiẽs humanæ ſocietati ad tranſigendam hanc vitam.Pomponius in l.ſi rem meam.D.de verb.oblig.Si rem meam,inquit, ſub conditione ſtipuler:vtilis ſtipulatio eſt, ſi conditionis exiſtentis tempore mea non ſit.

VTILITAS eſt duplex.publica vna, quæ eadem cõmunis dicitur,in l.51.in fi.D.ad l.Aquil.Altera,priuata.Publicæ vtilitatis cauſſa propoſitum dicitur interdictum De loco publico fruendo.Tuẽtur enim vectigalia publica neruos totius ciuitatis.l.j.§.j.D.de loco pub.fruẽ. Pro publica vtilitate exercetur actio iniuriarum,quoniam ad compeſcendam audaciam cohibendámque petulantiam iniurioſorum hominum pertinet.l. 42.§. j.D.de procuratorib. Publica Vtilitas eſt edictorum prætoris,quæ iuris veteris ſupplendi,corrigendi,emẽdandi cauſſa comparata ſunt.l.7.D.de iuſtit.& iu. Publica eſt vtilitas nuptiarum.l.12.§.modo.D. de captiu. Et apud Paul.lib.2.Sentent.tit.20.Præterea ſi quod tumultus,vel incendij, vel naufragij cauſſa depoſitum eſt,nam redditur, creſcit perfidiæ crimen, & publica vtilitas coërcenda eſt,vindicãdæ,reip.cauſſa.l.j. §. hæc autem ſeparatio.D.depoſi.Item & alia quæ in verbo intereſt adnotauimus. Sic ex Vtilitate publica aliquid receptum dicimus.l.8.D.depoſ.Et vtilitatis cauſſa.l.2.§.ſi de impubere.D.pro empt.l.95.§.vſumfructũ. D.de ſolutionib.l.j.D.qui & à quibus.l.32. §.pen.D.de adq.poſſ.l.j.C.eod.tit.l.5.§.j.de legit.tutorib.Et propter Vtilitatem.l.19.D.de præſc.verb.l.16.D. de legib. l.j. §. magiſtrum.in fi.D.de exercitor.l.6.D.rem pup.ſal.fo.l. l.40.§.j.D.de adquir.poſſ.l. j.§. j.D. quod legator. Vel vtilitate ſuadente.l.j.§. ſunt qui putent.D.ne quid in flum.pub.Et vtilitate ſuadente receptum quemadmodum legendum videtur.l.44.§.eum qui.D.de vſucap. Ex Vtilitate etiam edicta commẽdantur.l.j.D.de neg. geſt.l.j.D.de reſtituti.in integ.l.j.D.de exercitor. l.j.D. nautæ,caupo. Atque hæc vtilitas ius facit & conſtituit. Iura enim ſalubriter pro vtilitate hominum introducta ſunt.Quamobrẽ & Horat. Vtilitatem iuſti & æqui matrem dixit.Eſtque Legiſlatoris omnia ad vtilitatẽ ciuium referre,vt Cice.ad Q.Fratrem ſcribit, & Ariſtoteles in lib.de morib.monet. vnde idem Cicer.in Topic.Ius ciuile definit quod pluribus in quaque ciuitate vtile eſt.Solent & ſæpe Iuriſconſulti ſic ratiocinari:Par vtilitas,ergo idem ius.l.5.§.conſtituitur. D. vt in poſſ.leg.l.2.§.procuratorem.D.pro empto.l. vlt.D. de cloac.Nam quotiens lege aliquid vnum vel alterũ introductum eſt,bona occaſio eſt, & cætera quæ ad eandem vtilitatem tendunt,interpretatione, vel certè iuriſdictione ſuppleri.l.12.D.de legib.

Vtilitas etiam omne compendium,& id quod noſtra intereſt,id eſt,damna & lucra cõplectitur.l.4.§. in eum. D.de damn.infect.l. 11. §.vlt.D.de act.empt.l.81.§. vlt. D.de verb.oblig.l.pen.§.ſi quis cautio.l.j.§.hæc verba. D.ne vis fiat ei qui in poſſ.Ita accipe quod dicitur,vtilitatem deberi,vtilitatẽ venire in iudicium, & in æſtimationẽ.l.9.§.præterea.D.ad exhib.l.22.cum.l. ſeq.D. ad leg.Aquil.l.21.§.cùm per venditorẽ.D.de act.empt.

VTIQVE, pro tantummodo,præciſè, Vlp.in l.21.D.mãd. Sed ſi non vtique vnius, ſed vtriuſque mandatum intuitus id fecerim, habebo mãdati actionem etiam aduerſus te,&c.Idem in l.31.§.culpam.de ædil.edic. Culpam enim omnem,inquit,accipiemus, non vtique latam.Et Papinia.l.ſi rem.19.§.Si cum mihi.de præſcrip. verb.Ex quo,inquit,apparet vtique cuſtodiam ad me pertinere:id eſt,cuſtodiam tantum me præſtare. Vlp. in l.13.de manum.vind.Præterea,ait, & illud exigitur, vt non vtique vnum ſeruum habeat qui manumittit. Vtique pro omnino,vſquequaque.Vlpia.l.73.D. de iudic.Poſt peremptorium impetratum agetur cauſſa & pronunciabitur,non vti ſecundum præſentem, ſed interdum vel abſens,ſi bonam cauſſam habeat,vincet.

VTRVBI, (ſic enim rectè in Pandect. Florent.& apud Theophil.Inſtit.de interdict. ſcriptum eſt) interdictũ eſt retinendæ poſſeſſionis,quod de re mobili maiore parte anni poſſeſſa datur.l.j.D.vtrubi.l.9.D.de rei vindicatio.Theophilus interpretatur παρόποτέρῳ Sic autẽ à primis verbis quibus concipiebatur hoc interdictum nominatum eſt.Næuius in Varentilla: *Vtrubi cœnaturi eſtis,hiccine,an in triclinio?* Vide Interdictum Vtrubi.

VVA, vitis fructus, inter dulcia recenſetur,in l.vlt. D.de trit.& vin.leg.

VVÆ CRVDÆ, Vlp.ad leg.Aquil.l.ſi ſeruus ſeruum.§.Si oliuam,inquit, immaturam decerpſerit, vel ſegetem deſecuerit immaturam,vel vuas crudas, Aquilia tenebitur

bitur:Crudas,hoc eſt,nondum maturas.Cicero de Se-neɛ̃t.Et quaſi poma ex arboribus,ſi cruda ſunt,vi auel-luntur:ſi matura & cocta,decidunt.

Vuas,quas non vini cauſſa habemus,ſed eſus, poma dici poſſe,Paulus auctor eſt,in l.qui fundum.de verb.ſign. Alciat.ibidem vuarum comeſtibilium ſpecies enume-rat,vt ab auctoribus proditæ ſunt.

V V A tumorem quendam,& glandulam carneam ſignifi-cat,id eſt pelliculam,quæ vuæ inſtar in extremo pala-to dependet,vti docet Cornel.Celſus lib.6.c.14.& lib. 7.c.12.Vlp.l.14.§.idem ait.de ædil.edic. Si vua alicuius præciſa ſit,tollere magis, quam præſtare redhibitio-nem,quòd morbus minuitur.Plin.lib.20.c.17.Tonſillis quoque & vuis medetur,& capitis doloribus.

V V A D I V M,pignus.Guntherus lib.8.Siquis habens feu-dum pretio ſeu vendere totum, ſeu dare, ſeu vvadio ſupponere cogitur.Quod erat in Imp.conſt.lib. Feud. 2.tit.55.Vel vendere, vel pignerare.Capitular. Caroli, art.20.Et ſi non habet pretium in vvadio, per ſeruum ſemetipſum donet, vſque dum ipſos bannos ſoluat. vide ſuprà G V A D I V M.

V V L G O quæſiti,ſiue vulgo cõcepti, dicuntur, qui paſſim & σποράδην,& incerto patre concepti ſunt,qui & ſpu-rij vocantur.l.19.D.de ſtatu hom.l.4.in fin.D. de in ius voc.l.18.D. de bon. libert. l.j.§.j.D. de liber. adgnoſ.l. 16.§.pen.D.de his quæ vt indig.l.j.§.ſed & vulgò.D.ad Tertyllia.l.j.D.ad municipal.Caius libr. j.Inſtitut. tit.5. Modeſtin.autem vulgò conceptos definit, qui patrem demonſtrare non poſſunt:vel qui poſſunt quidem,ſed eum habent, quem habere non licet.l.23.D. de ſtatu hom. Vulgò autem quæſiti, ex iuſtis nuptiis quæſitis opponuntur.l.2.D.ad Tertyllia.l.18.D.de bonis libert. l.5.D.de in ius vocan.Nam hi parentem ſuum demon-ſtrare & ciere poſſunt,vt Tzetzes lib.Hiſt.chilia.5.c.17. ſignificat his verbis:Νομοθετεῖ καὶ γλώσσαις τοὺς γάμους τοὺς νο-μίμους, ἐξ ὧν παῖδες ἐγνώκεισαν τοὺς φυτοσπόρους, τὸ πρὶν μό-νην γινώσκοντες, ὡς ἔφην, τὴν μητέρα.

Vulgò concipere, & vulgò parere accipimus eam, quæ vulgò & paſſim ſui copiam facit.l. 5.verſ. nec intereſt. D.de ſtatu hom.l.5.D.de in ius voc.l. 4. §. cognationis. D.de gradib.& adfin.l.22.C.de adult.l.77.§.mater. D. de leg.lib.2.

V V L G A R E interdum ſignificat vſitatum,commune,ſol-lemne, ordinarium, ciuile, legitimum.Sic vulgares actiones appellantur,legibus proditæ actiones, vſita-tæ & ordinariæ.l.j.D.de præſcript.verb.l.46.in fi.D.de hæred.inſtit. Hinc &:

Vulgaris ſubſtitutio poteſt videri dicta, quæ ex l. 12. Tab. deſcendit: niſi cui magis placeat inde dicta, quòd à quolibet teſtatore,& cuicunque hæredi ſcripto fieri poſſit.Nam & in vulgarem caſum factam ſubſtitutio-nem dixit Modeſt.in l.4.§.j.D.de vulg.& pup. Vide Subſtitutio vulgaris.

Vulgare pactum,quod vulgò & communiter matrimonij cõtractibus adſcribi ſolet.l.30.D.de pact. dotalib. con-iuncta.l.5.D. de diuort. Sic vulgare pactum.l.3. C.de pigner.act.coniuncta.l.j.C.de pact.pignor. & l.4.D.de pigner.act.nimirum hoc,Si in matrimonio ſine liberis deceſſerit. Et Vulgaria verba,ordinaria,vſitata,ſol-lemnia, & cautione de rato habendo comprehendi ſolita,in l.3.D.rat.rem hab.

Vulgaris cautio legatorum,quæ legatorum in diem, vel ſub conditione relictorum nomine vulgò interponi ſolet.l.113.§.iidem principes.D.de leg.j. tit. vt lega.ſeu fideic.nom.cau. Sic Vulgari modo legatorum dies proferri dicitur in l.4.D.de dote præleg.qui ea clauſu-la prorogatur,quæ refertur in l.30.D.de leg.j. Sic Vul-gari modo legari vxori dicitur,quod vſitato modo le-gatur,in l.108.D.de legat.lib.j.

Vulgaris formula,in l.40.D.de furt.pro actione vſitata de peculio,cuius formula eſt cum adiectione noxæ.

Vulgare præmium in l.3.§.extat.D.de iure fiſc.propoſitum delatoribus præmium ſignific.l.13.§.extat.D.de iur.fiſc.

Vulgaris exceptio rei iudicatæ.l.3.D.de popularib.actio.

Vulgaris perſona,leuis,quæ honeſtæ perſonæ opponitur, ab Vlpiano in l.legitimos.de legit.tut.

Vulgaria tectoria,pro gregalibus tectoriis, vt cùm Sene-ca loquar,in l.13.in fi.D.de ſeruit.vrb.præd.At in l.3.§.j. D.de ſupell.leg. vaſa ænea vulgaria Paul. interpreta-tur,quæ non eſſent proprio loco attributa.

V V L G A R I S vxor Budæo plebeia eſt, quæ matriſfami-lias nomen obtinet.Vlp.in l.ſi vxor.13.§.j.D.ad leg. Iul. de adult. Sed &, inquit, in ea vxore poteſt maritus adulterium vindicare,quæ vulgaris fuerit: quamuis ſi vidua eſſet,impunè in ea ſtuprum committeretur.Ma-lim tamen relatiuum Q V Æ, non ad vxorem, ſed ad verbum Mulierem,quod ſubauditur,referre:vt ſit ſen-ſus,Si quis vulgarem mulierem, id eſt quæ vulgò cor-pore quæſtum facit,vxorem duxerit:poteſt in ea vin-dicare adulterium, ſcilicet ſi matrimonio ſtante alij quam marito ſui copiam faciat,& ſe proſtituat:ſi tamẽ eo mortuo rurſus ad ingenium,atque ad quæſtum me-retricium redeat,impunè vt in vulgari ac publica me-retrice libido verſabitur. Sicque Duarenus & Hoto-manus exponunt.Aliter Alciatus lib.2.Parerg.c.40.

V V L N V S letale præſumitur, ſi vulneratus intra triduum mortuus fuerit,Bart.cum aliis probat,in l. vlt.in fin.D. ad leg.Corn.de ſicariis.

V V L T V S nullo in animante eſſe,præter hominem, po-teſt:cuius vim Græci norunt, nomen omnino non ha-bent.Auctor Cicero de legib.lib.j.Vide Speculat.titu. de aduocat.§.5.& j.parte tit.de teſt.§.7.

V V L V A,Latinis non eſt obſcœna vox,non magis quam matrix,qua concipitur fœtus: quæ cùm deſtituitur vi attrahendi ac retinendi ſemen,ſterileſcit mulier. Nec eſt,vt indoctum vulgus accipit, pudendum muliebre. Vlp.de ædil.edic.Quæritur,inquit,de ea muliere, quæ ſemper mortuos parit,an morboſa ſit.Sabinus,ſi vul-uæ vitio hoc contingat,morboſam eſſe ait.

V X O R eſt, quæ in matrimonium conuenit.conuenit au-tem duobus modis:aut coëmptione,aut vſu.nam con-farreationem,quæ propria Pontificum erat, omitto. Coëmptione,cùm vir & fœmina ſe inuicem emebãt: vt Seruius ſcribit in illud Virgilij:

Téque ſibi generum Thetys emat omnibus vndis.

Veteri autem Romanorum lege, vt Varro ſcriptum reliquit,nubentes mulieres tres ad virum aſſes ferre ſolebant:atque vnum quidem quem in manu tenebãt, tanquam emendi cauſſa marito dare, alium quem in pede habebant, in foro larium familiarium ponere: tertium in ſacciperio cùm condidiſſent,compito vici-nali ſolebãt reſignare.Hinc eueniebat, vt mulier qui-dem in manu mancipióque mariti eſſet,aut eius cuius in manu mancipióque maritus erat, ſuáque illi hæres fieret:quemadmodum Vlp.in Inſtit.& Boëtius in To-picis teſtantur:itémque Dionyſ.hac de re ſcribens lib. Antiq.2.Moris autem erat vt vir mulierem interroga-ret,an ſibi materfa.eſſe vellet, viciſsímque hæc virum, an ſibi paterfa.eſſe vellet.nam ſi vterque reſpõdebat, velle,mulier materfamilias vocabatur: quoniam (vt ait Gellius)non in matrimonium tantum,ſed in fami-liam quoque mariti,& in ſui,vt diximus, hæredis locũ venerat.Atque hoc nimirum illud quod Iuriſconſulti noſtri dicebant,In familiam nubere.l.15.D.de cond.& demonſtr.l.21.D.quand.dies lega.Cicero in Topic.Cũ mulier viro in manum conuenerit,omnia quæ mulieris fuerunt viri fiunt dotis nomine.Seruius etiam in libr. Æneid.7.Per emptionem, inquit, facto matrimonio ſibi inuicem ſuccedebant.Teſtari tamen arbitratu ſuo poterãt.nam à tutoris poteſtate liberabatur, quæ ma-

terfa.fiebat:tametſi quibuſdã etiam in rebus, tutorum poteſtas,ſed multo leuior, permaneret.quod Cic. in Muræniana exagitat.Vſu verò fieri matrimonium dicebatur, cùm tutoribus auctoribus mulier in matrimonium alicui conueniebat,quo cum ea cõſueſcebat, quaſi cum iuſto perfectóque marito,adeò vt ſi vſus ille intra annum non interrũperetur, pro vſucapta iam haberetur:ei tamen intra annum vſurpare,id eſt vſum infringere,ex l.12.tabularum liceret.quod ni faceret, quoad in eo matrimonio maneret, matrona, inquit Gellius dicebatur:etſi ſibi liberi nati non forent,à matris ſcilicet nomine,non adepto iam, ſed cum ſpe & omine mox adipiſcendi. Hæc neque in manu mancipióque mariti,neque ſui iuris erat:ſed ſemper in tutorum poteſtate permanebat.quod ſi inteſtata moreretur,agnatus proximus familiam habebat. Hæc ex Ciceronis Topic.Orat.pro Flacco,Boëtio in Top.Gellio lib.18.c.6.Tametſi autem Iuriſconſultorum noſtrorum tempore,quorum ex ſcriptis Pandectarum libri coagmentati ſunt,Materfamil.& Matrona plerunque pro eadem vſurparetur (quemadmodum ſuperius à nobis demonſtratum eſt)tamen conſtat eodem ipſo tempore Conuentionem in manum vſurpari ſolitam fuiſſe, Matrémquefamiliàs propriè appellatam eſſe, quæ in viri manum conuenerat.id quod ex l.pronunciatio. 195.§.familiæ.D.de verb.ſign.& ex Vlp.Inſtit.c.22.intelligitur,vbi inter ſuos hæredes numerat vxorẽ quæ in manu eſt,& nurum quæ in manu eſt filij, quem in poteſtate habemus.quod etiam.c.29. perſpicuè inculcatur:vt dubium non ſit,verba hæc Feſti, quæ iam ſupra retulimus,eodẽ pertinuiſſe:Materfamiliàs,inquit, nõ antè dicebatur,quàm vir eius paterfamiliàs dictus eſſet:nec poſſunt hoc nomine plures in vna familia præter vnam appellari. Sed nec vidua hoc nomine, nec quæ ſine filiis eſt, appellari poteſt. Quem locum ſic exponit Hotom. vt quæ filioſa. nupta ſit, non antè eo nomine vtatur,quàm is ſui iuris effectus ſit:neque conſentaneum ſit,vt ſi ſocrus viuat, quæ materfa. appelletur,nurus eandem nominis dignitatem obtineat.& cùm illud nomen ex mariti familia, in quam (vt ait Gellius)aſcita eſt, conſecuta ſit: profectò quæ vidua eſt,materfami.propriè dici non poteſt. Vtrum autem ante liberos ſuſceptos non ita diceretur, dubitari poteſt:cùm Boëtius ad ſtipulationem coëmptionis illud verbum adſcribat.niſi fortè dicamus ſtipulationem ad omen,non ad veritatem referri oportere: atque adeò contracto matrimonio etiam ante liberos ſuſceptos eodem modo Matremfamil. eſſe dictam, quemadmodum Matronam dici ſuperius docuimus.

Vxor alia iuſta dicitur ab Vlpiano,alia iniuſta:in l.ſi vxor. 13.§.j.D.de adulter. Patet autem iuſtam dici eam cum qua matrimonium legibus contráctum eſt, vt in l.ſi ſenatori.31.D.de rit.nupt.Si ſenatori,inquit,indulgentia principis fuerit permiſſum libertinam iuſtam vxorem habere,poteſt iuſta vxor eſſe.Quod cùm ita ſit, ſequitur vt iniuſta ea vxor dicatur,cum qua matrimonium non ſecundum leges contractum eſt:veluti ſi tutor pupillam,aut ſi ſine Principis indulgentia ſenator libertinam,aut ſine patris iuſſu filiuſf. vxorem duxerit. Itaque Vlp.in d.l.ſi vxor.§. j.cùm iniuſtam vxorem nominaſſet,mox qualecũque matrimonium id appellat. Et Macer in l.marito.24.in fi.D.eod. Vxorem contra leges nuptam hanc nominat.Sed non propterea putandum eſt,Vlpianum nouam vxorũ diuiſionem tradere:& ita eorum ſpecies partiri,vt aliæ dicãtur iuſtæ. aliæ iniuſtæ.nam quæ iniuſta ſunt, perinde ac ſi non eſſent,habẽtur.Itaque(vt ait Vlpia.in l.2.D.teſt.quemadm. aper.) cùm iniuſtum, aut falſum, aut irritum teſtamentum dicimus,abuſiuè & non propriè loquimur: vt cùm iniquum aut falſum modium nominamus, inquit Paulus in l.221.D.de verb.ſignifi.aut quoduis aliud falſum inſtrumentum:in l.ſi quis. 6. D. de falſ. Quare abſurdum eſſet exiſtimare,diuiſionem vxorum, quam Cicero in Topicis tradidit, vt aliæ matresfam. dicantur,aliæ tãtummodo vxores habeantur, ad illam iuſtæ & iniuſtæ vxoris partitionem abuſiuam pertinere. Et rectiſſimè veriſſiméque à Boëtio declaratum eſt, generale vxorum nomen iis ſpeciatim attribui, quæ nondum matresfa.ſunt,ſed intra annum vſucapionis habentur:quæ tamen interea iuſtæ vxores ſunt: quia legibus ductæ ſunt:tametſi nondum plena vxorum iura conſecutæ ſunt,quæ poſt vſucapionem abſolutam ſunt adeptur æ.Quod igitur Vlpianus de iuſta & iniuſta vxore dixit,non diuiſioni, ſed abuſioni potius tribuendum eſt:quaſi addidiſſet,vt ita loquar,vel, verbi gratia,vel tale quippiam.Liuius lib.39.Campani petierunt vt ſibi ciues Romanas ducere vxores liceret:& ſi qui prius duxiſſent, vt habere eas, & ante eam diem nati,vt iuſti ſibi liberi hæredéſque eſſent.

Vxor,quæ quondam vxor fuit. l.ſiquis §. idem. D. de lib. lega.

Vxoris appellatione an contineatur ſponſa,quæſitum eſt: quidam aiunt contineri,per l.Labeo.6.D.de gradib.& l.Seruius.Vide Bart.l.ſiue.C.de bo.quæ lib. & an ſponſa de futuro, vide Panor.in c.j.de cler. coniug. & an ſponſa de præſenti poſſit dici vxor, vt lucretur dimidium lucri,conſtant.mat.vide Panor.in c.ex publico. de conuerſ.coniug.Barbat.in rub. & c.j. de ſponſalib.

Vxores impropriè,id eſt,cõtubernales.l.quæſitum.§.vxore.D.de fund.inſtruct.

Vxoris nomen in clericis & ſacerdotibus honeſtiſſimum appellatur, in l.eum qui.19.C. de epiſc.& cler. Neque enim,inquit,clericis incompetenter adiunctæ ſunt,quæ dignos ſacerdotio viros ſua conuerſatione fecerunt.

Vxoriæ rei actio eſt, quoties poſt diuortium de dote contentio eſt:inquit Boët.in Top.Cic.vbi Cic.huius in actionis formula,verba illa ſollẽnia fuiſſe ait, Qvantvm æquius melius.quod idem in 3.Offic.commemorat:eiúſque rei veſtigia ſunt in ſi.l.pen.D.ſolut.matri.l. ſi cùm Cornelius.82.D.de ſolut.

X

Xαράκται,qui monetam cudunt, Græcis in l.j.C.de murileg.lib.11.

Xenia vocabantur munuſcula quæ à prouincialibus rectoribus prouinciarum offerebantur. l.6. D.de offic.proconſ.l.vn.ne damna prouincial.infligant.in C.Theod.Caſſiod. lib.7. Variar.in formula Comitiuæ portuum:Vnuſquiſque per ſollemnitatem commonitus offerat voluntarium munus. Xenia enim ſunt non debita.Plinius etiam libr.5.Epiſtol. ad Valeria.Quàm me iuuat,quòd in cauſſis agendis nõ modò pactione, dono, munere, verumetiam xeniis ſemper abſtinui.Vtitur & hoc verbo idem auctor lib. 6.Epiſtol.ad Cornelianum. Alias Xenia proprie ſunt munera hoſpitibus dari ſolita,quæ alias Lautia à Romanis vocabantur.

Xenodocheion, l.31.C.de epiſc.& cler.locus vbi peregrini recipiebãtur,interprete Iul.Patritio in Epito.Nouel.7.Erant enim in bene moratis ciuitatibus olim conſtituta hoſpitibus recipiendis loca,vt & alibi annotauimus,quæ & Xenones dicuntur.l.18.C.de ſacroſ.eccleſ.

Xenones, vide Xenodochēon.

Xenopharochi,ξενοπάροχοι,qui peregrinis res ad victum

ctum neceſſarias præbebát:vt notatio verbi declarat. ξένος enim hoſpité ſignificat,& παρέχω, præbeo.iidem fortaſſis qui Parochi, *qui præbent ligna ſalémque*: vt ait Horat.libr.Serm.j.Arca.l.vlt.§.j.D.de mun.& hon.Hi quoque qui cuſtodes ædium, vel archæotæ, vel logographi,vel tabularij, vel xenoparochi, vt in quibuſdam ciuitatibus.

Χρύσαμμος, in l.j.C.de metall.& metall.id eſt Balluca.vide ſuprà lib.2.in dictione Balluca.

Ξύλον, lignum .l.ligni.§.lignorum.D.de leg.3.

XYLOCINNAMOMI, de quo in l.vlt.§.ſpecies.D.de publican.fit mentio,Dioſcorides libr.j. diuerſam facit ſpeciem à cinnamomo:eſſéque lignoſum cinnamomũ tradit,quod ſarmenta longa, robuſtáque ferat, odore ſit longe cinnamomo inferior.Meminit & Plinius lib. 12.c.19.

XYSTVS & Xyſtum, cùm apud Græcos idem ſignificet, apud Latinos tamen nonnihil habere diſcriminis,docuit Gulielmus Philander in Anno.in Vitruuium.Nam Xyſtos,inquit,Latini vocãt porticus tectas, vbi athletæ per hiemem exercebantur: Xyſta autem ſubdiales ambulationes,vbi ſudo cælo ſuas exercebãt palæſtras. Vide Vitruuium lib.5.c.11.& lib.6.c.10.

XYSTICI, ij erant qui per hiemem in xyſtis ſe exercebant,vt Græci ad l.4.D.de iis qui notantur infamia,interpretantur.Xyſtici enim,inquiunt, οἱ ἐν τῷ ξυστῷ ἀγωνιζόμενοι.itaque Exuſtici legendum non eſt, vt in Pand. Flor.habetur.Horum Suetonius in Galba meminit. c. 15.Tertull.in lib.de Spectac.Etenim ipſi actores & adminiſtratores ſpectaculorum,quadrigarios, ſcenicos, xyſticos, harenarios illos amentiſſimos. Erat autem mos Græcorũ habere palæſtras,hoc eſt,ædificia exercendis,& animi & corporis viribus.vide Vitru.lib.5.c. 11.& lib.6.c.10.

XYSTARCHES apud eundem Tertull.in lib. ad Martyres,qui xyſto præerat,ξυστάρχην,inquit Sudas, γυμνασίου ἄρχων.Et ita xyſtarcham apud Marcellinum legimus libr.21.

Y

Y ποκοριστικῶς,id eſt diminutiua forma aliquid proferre, ἀπὸ τοῦ ὑποκορίζω, quod ſignificat nonnunquam per diminutionem loqui, Vlpia.l.cogi. 16.in princ.D.ad Trebell.Et ſi ſubſtantiam meã,& ſi peculium meum teſtator dixerit, quia plerique ὑποκοριστικῶς patrimonium ſuum,peculium dicunt,cogendus erit,ſcil.adire.

Z

ZALEVCI lex,de edicto, mandatóque plus ſatis ridigo, parúmque humano dicebatur : quales feruntur & Draconis fuiſſe leges apud Athenienſes.Vide Valer.Maxim.lib.6.c. 5.& Lud.Cœl.Rhodigin. lib.10.c.19. & lib.ſequen.c.78.

ZANI, vel potius Tzani,populi,vt Viglius legendum eſſe annotauit,quod & Alc.probat, à veteribus Sanni vocati ſunt, prius tamen & Macrones dicti.primùm ſub imperio Iuſtiniani victi in formã prouinciæ ſunt redacti,vt ſcribit Agath. libr.5.Fit eorum mentio in Nouel.prima conſti.de hæred.& Falcid.

ZEA genus frumenti, Langobardico vocabulo ab Accurſio ſæpe appellatur ſpelta, vide. l. triticum.D.de verb.oblig.

ZELVS propriè noſtris eſt viri amor in vxorem.2.q.j.c.ſi peccauerit.in fi.Dicitur & Zelus affectus ille. Zelus qui in ſacris literis nominatur, oritur ex commiſtione indignationis.

ZELOTYPIA definitur à Chryſippo ægritudo animi,ex eo proueniens,quòd timeas ne adſit alteri, quod cum nemine velis habere commune. Zelotypiæ ſpiritu vexatus vir,cum ſuſpectam habet vxorem de adulterio quid huic obſeruandum,docet Moſes in Numeris, & Imp.Nouell.117.

Περὶ ζημιῶν ἀερικῶν,id eſt de mulctis aëriis, titulus eſt apud Harmenopulum,quem Cuiacius Obſer.lib. 10. c.7.referendum exiſtimat ad illud genus vectigalis pro aëre exacti, de quo Cedrenus in Michaele Paphlagone meminit his verbis:Ποειμώτατος ὢν πρὸς τὴν ἄντις εἴπῃ κακίαν, πᾶσαν ἐφεῦρεν ὁδὸν ἀδικίας, προσθεὶς ἐπέκεινα τῶν τελεσμάτων διδόναι ἕκαστον τῶν χωρίων ὑπὲρ ἀερικοῦ, κατὰ τὴν ποιότητα καὶ ἰσχὺν αὐτοῦ. Et huc pertinet etiam illud Peſcenij Nigri apud Spartianum:Vos terras veſtras leuari cenſitione vultis,ego verò etiam aërem veſtrum cenſere vellem. Et ſane Plin.lib.12.c.j.refert quoſdam populos pro vmbra Platani vectigal pendiſſe.

ZETA, locus erat vnius cubiculi capax,ſolem hibernum ſpectans:ita conſtructus, vt per heliocaminum vaporem acciperet.Alexand.Neapo.Gen.die.lib.5.c.5.Super hac dictione quid compererit Catanæus, refert pluribus in Comment.ad.2.lib.Plin.Epiſt. Hinc:

ZETARII apud Paulum lib.3.Sent.tit.6. iidem qui Diætarij dicuntur.l.quæſitum.§.idem reſpondit, domo ita vt.D.de inſtr.vel inſtrum.leg.de quibus ſuperius diximus:ex quo apparet zetam & diætam idem valere:ſicut Zabolum(qua voce vtuntur ſæpe Cyprianus, Hilarius,Ambroſius,Paulinus)& Diabolum,item zacyntum & diacynthum,zaconum & diaconum.

Ζημία in legibus Solonis apud Demoſthenem & Plutarchum,pœna & ad mortem,& ad aliud pœnæ genus pertinet.Ζημιοῦν & Ζημιοῦσθαι in eiſdem apud eoſdẽ pœnam infligere,& irrogare mulctam.

ZEVXIPPI porticus,in l.18.C.de operib.pub.In deſcriptione vrbis Conſtantinopolitanæ, cuius incertus eſt auctor,Thermæ Zeuxippi in ſecunda regione ponuntur.Zonaras Tomo 3.in Iuſtiniano : Καὶ τὸ Ζευξίππου λουτρόν, τὸ λεγόμενον Ζευξίππου. Et in Philippico, Καὶ ἐν τῷ τοῦ Ζευξίππου μετὰ τὸν ἀγῶνα λουσάμενος λουτρῷ.

ZINGIBERI, in l.vlt.§.ſpecies.D.de publican.imitatione Græcæ ſcripturæ.Nam Græcis ζιγγίβερ dicitur; éſtque,interprete Suda, εἶδος ἀρώματος. De quo videndus eſt Dioſcorid.lib.2.& Plin.lib.12.c.7.

ZIZANIA in extrauagant.ſuper cathedram.§.ab olim de ſepult.μεταφορικῶς primam Adæ declinationem ſignificat,vt ibidem dicit gloſſematarius, qui eam pro ſcandalo accipi ſcribit.

ZONA cingulum eſt duplex,ſiue marſupium pecuniæ, quam aliquamdiu conſeruare volumus, geſtãdæ idoneum.Vlp.l.6.de bon.damnat. Nec ſi zonam circa ſe habuerit, protinus aliquis vindicare debebit. Gracchus apud Gellium lib.15.c.12.Itaque Quirites cũ Roma profectus ſum, zonas quas plenas argenti extuli, eas prouincia inanes retuli. Cæterum de zonis vide Cælium Rhodig.lib.antiq.22.c.19.

Zonam ſoluere dicitur maritus in lecto,cum nuptam virginem deuirginat. Catullus,

Nec quærendum aliud foret neruoſius illud,
Quod zonam poſſet ſoluere uirgineam.

Ouid.in Epiſtul.Phyllidis ad Demophoontem:

Cui mea uirginitas auibus libata ſiniſtris,
Caſtaque fallaci zona reuincta manu.

Zoxeni, operarij, qui in diem viuunt, παρὰ τὸ ζῆν, καὶ ξενίζειν, quod viuere ſignificat in hoſpitiis: ipſi autem operarij, qui in aquæ ductibus laborãt, Silicarij dicuntur. A. Alciatus in l. ad reparationem. C. de Aquæ ductibus lib. 11.

Zygocephala. l. 2. quæ Græca eſt. C. vt nem. lic. in coëmpt. ſpec. & Nouel. 17. ſunt capita ſeu capitationes. vide Capitatio.

Zygostates, libripens, ponderum cauſſa in ciuitatibus conſtitutus, vel cuius iudicio nummi probari debent, item ſigna ponderum nummis imprimi. l. vltim. C. de ponderatorib. libr. 11. l. 2. eodem titulo in C. Theo. & Edicto Iuſtin. 13. Inde Zygoſtaſij munus, in l. j. de frumen. vrb. Alexandr. in C. Theod. & in C. Iuſtin. Hinc Syneſius Aſclepiodoto: ὡς ἀπηνέχθησαν, ὡς ἐζυγοστάτησαν, ὡς κατεσημάναντο τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι τὸ χρυσίον.

Zythum potus, inquit Dioſcorides lib. 2. qui fit ex hordeo in aqua reſoluto. In Ægypto plerunque fieri Plin. lib. 22. teſtatur. Vlp. in l. 9. D. de trit. vino, & ol. leg. ex tritico, vel hordeo, vel pane confici ſcribit: vbi tamen doctè Cuiacius, pro pane, inaudito vocabulo in hoc potionis genere, paneco, ſiue panico, legit. Gallis, *Citre*, voce corrupta, appellatur. Eius vim explicat Dioſcorides vbi ſuprà. Alciatus in lib. 10. Parerg. c. 15. Ceruiſiam interpretatur.

FINIS.

PROLEGOMENA IN EAM LEGVM DESCRIPTIONEM QVAE ORDINE ALPHABETICO SVBSEQVITVR, ex Pauli Manutij libro ſexto Antiquitatum Romanarum.

OPTIMA omnium, atque æquiſſima naturæ lex eſt, quæ tum nihil cuiquam deeſſe, tum ea, quæ quiſque habet, æterna iubet eſſe. nam, quemadmodũ illæ, quæ cæleſtibus corporibus præſunt, beatæ mentes iuſtiſſime ſunt, & ſuum quæque corpus iuſtiſſimè regit: ſic ipſa natura, quæ de ſuperioribus illis mentibus deriuata, & in vnum collecta vis eſt, æquiſſimum in agendo ordinem ſeruauit: eáque quæ egit, patére omnibus, nec vnquam non eſſe vult. itaque & eam partem aëris, quæ ſublimior, eóq; purior eſt, oculis traiicientes, adſpectu cæli iucũdiſſimo omnes fruimur: & inferiorem, mixtam, ſpiritu haurimus: & ſuſtinemur, atque alimur terra & aqua ad ea, quæ cuique commoda, ac neceſſaria ſunt, vtimur. nam, etſi horum ſingula vni animantium generi tributa ad vſum ac victum præcipuè videntur: tamen ita vni generi propriũ vnumquodque eſt, vt diuerſi generis animantibus nihil denegetur. alitibus aër, mare piſcibus, quadrupedibus terra, certa cuique animanti ſedes, ac naturale domicilium eſt: omnia tamen omnibus communia ſunt, neque alieni alimenti vſu animal vllum perpetuo caret. Hæc ſua lege natura, communis omnium mater, ita conſtituit, ac ſanxit. cuius ad ſimilitudinem quo propius accedunt humanæ leges, eò certior ac laudabilior ea vitæ ratio eſt, quam hominũ generi præſcribunt. neque ad aliud exemplum ſpectarunt homines illi, quos antiqui ſcriptores diuinis laudibus extollunt, qui ſuas ciuitates optimis inſtitutis ac ſaluberrimis legibus temperarunt. Celebrantur præter cæteras Lacedæmoniorum leges, à Lycurgo latæ: Athenienſium, à Solone. Commemorantur & illæ, quas Locrenſibus Zaleucus, Thuriis Carondas, Getis Zamolxis, Pythagoræ diſcipulus, dedit. Laudat etiam Cretẽſium leges Plato, Carthaginẽſium Iſocrates. Romanas verò Polybius anteponere omnibus non dubitat. hæc cum ab iis, qui cæteris hominibus ingenio, ac ſapientia præſtiterunt, ſummopere laudatæ prædicatæque ſint: quid aliud, niſi præclaras fuiſſe, credendum eſt? at diſſimiles inter ſe, &, ſi diſſimiles, quo modo omnes præclaræ: quia nimirum ad eundem finem, eadémque quaſi metam, non eadem tamen via, omnes tendunt. Ius naturæ, in quo nihil inæquale depræhenditur, primi conditores legum ante oculos habuerunt. eius imaginem in ſuas quiſque leges, quantum imitatione licuit, transtulerunt. qui cum ad iuſtitiam pariter intenderent, eandem tamen in tradẽdo iure rationem ideo ſecuti non ſunt, quia non eiuſdem loci, non eiuſdem cæli, non eiuſdem hominibus ingenij leges ferebant. hæc illi cum animo circumſpicerent, atque cogitarent modò perficere poſſent, quod agebant: qua ratione perficerent, laborandum non eſſe iudicarunt. neque enim ipſarum legum vitio factum eſt, vt aut Athenienſes minus diu, quam Lacedæmonij: aut Lacedæmonij minus, quàm Romani floruerint: ſed quod Athenæ citius, quam Sparta: & Sparta citius, quàm Roma, de recta maiorum conſuetudine deflectens, legum imperiũ maieſtatémque neglexit. Quare prudenter iudicat Polybius, quod duabus potentiſſimis ciuitatibus, Carthagine, & Roma, multorum annorum bello de imperio decertantibus, ad extremum ſuccubuiſſe Carthaginem, & victam conditiones accepiſſe, ob eam maximè cauſſam putat, quod, quo tempore inter eas incidit contentio, tum & Carthagine multo, quàm antea, negligentius: & Romæ multò, quàm vnquam diligentius leges colebantur. nihil enim ſine iure perpetuum eſt. Ius autem ipſum nihil aliud eſt, quàm bene viuendi norma, legibus tradita atque præſcripta, quam qui tenent, ſoli duas maximas res, maximéque optabiles adipiſcuntur. primùm, ipſi quotidie magis in ſua ciuitate cari ſunt, atque honorati, inter ignotos clari, inter homines viri, inter viros heroes: deinde id quod velle bonitatis eſt, perficere virtutis, facilè cõſequuntur, vt eorum patria ciuibus frequens, pace tuta, opibus beata ſit. Ex hoc genere fuiſſe legimus Thebis Epaminondam, Spartæ Ageſilaum, Athenis Ariſtidem, Romæ Camillum, Fabios, Decios, Scipiones, Catones, innumerabiles alios. nulla enim ex omnium ſæculorum memoria magis ad omnem laudem ciuitas excelluit. *Et paulo poſt*: Ius igitur omne aut à natura eſt, aut à conſuetudine, aut à legibus. ius naturæ ipſum per ſe, ſine conſuetudine & legibus, ad optimam vitæ conditionem ſatis erat, ſatis enim beatè viueremus, ſi naturam ducem ſequeremur. ſed quia, quod iuſtum & laudabile eſt, multi, vel quia ſunt hebetes, non intelligunt: vel ſunt improbi, diſſimulant: iccirco, ne peccantibus daretur excuſandi locus, ſcripta lex eſt, quæ, quid agendum, fugiendúmve eſſet, perpetuis literarum notis teſtatum, atque expreſſum ante oculos poneret. is enim, qui legem fert, ſi modò ſuam voluntatem ciuitatis commodo metitur, tria ſpectat, vt pœnam factis dignam perditi homines luant: vt cæteri, exemplo admoniti, pœnáque deterriti, meliores efficiantur: vt viri boni, ſublatis improbis, tutiorem, ac tranquilliorem vitam ducant. eſt igitur lex tanquam præco, qui, ſuggerente

natura, iuſtitiam ciuibus enunciat: cuius vocem qui volentes auribus percipiunt, eámque fideliter animo cuſtodiunt: ita viuunt, vt virtutem à vitio facile diſtinguant, & ab altero, tanquam à peſtifero angue, refugiant: alteram amplexentur, & amabilem præ cæteris rebus exiſtiment. verùm quia publica res ita cum priuata cohæret, vt altera alterius commodo nitatur, nec fere, niſi vtrique rectè ſit, diu vigere & ſtare ciuitas vlla poſſit: propterea, quæ vtrique conſulerent, leges, aliæ pro ſtatu Reipubl. aliæ pro ſingulorum vtilitate, diuerſis temporibus latæ ſunt. fuit igitur & ius publicum, & ius priuatum. Rurſus, quia publica ſunt infirma, ſi ſeparentur à diuinis, publici iuris facta diuiſio eſt, vt altera pars ad religionem, altera ad res humanas pertineret. Ius priuatum ne ipſum quidem ſimplex eſt, ſed leges quidem omnes de rebus humanis, alias tamen de iure ciuili, alias de criminibus continet. Primum igitur nobis agendum eſt de iure publico, deinceps de priuato: & primum de publico diuino, deinde de humano: item de priuato, primum de eo, quod ad ius ciuile pertinet, ſecundo loco de eo, quod crimina perſequitur. ROMANÆ leges aut à regibus latæ ſunt, aut ab iis magiſtratibus, quos, regno ſublato, alios aliis temporibus creatos, ciuitas habuit. ipſas leges magna ex parte aliunde ſumptas facile crediderim. non enim dubitandum eſt, quin cum ea tempeſtate in Italia & Albani, & Sabini, & præter cæteros Etruſci floruerint, cúmque Albæ Romulus, in Sabinis Numa, Priſcus etiam matre Etruſca, patre in Græcia nato, in Etruria educato, genitus eſſet, ad ſuam quiſque patriam reſpexerit, & ea quæ in iis populis probabiliora videbantur inſtituta, delegerit, Romæque legibus ſanxerit. à Lacedæmoniis etiam nonnulla, ab Athenienſibus multa ad ius conſtituendum video deriuata. nam ferè, quæcunque in duodecim Tabul. decemuiri ſcripſerunt, de Solonis legibus tranſlata ſunt. & earum tabularum ſupplementa Romanos à Faliſcis collegiſſe, apud Seſuium Honoratum ſcriptum eſt. cuius in commentario, à Cretenſibus etiam aliquid ſumptum animaduertimus. Maiores, inquit, noſtri, ſedentes epulabantur: quem morem habuerunt à Laconibus & Cretenſibus, vt Varro docet in libris de gente populi Ro. in quibus docet, quidà quaque traxerit gente per imitationem. Nec verò ab ingenio pauca, atque à prudentia eſſe deprompta, credendum eſt, præſertim in Repub. cum in magnis opibus imperij, pro vario rerum euentu, noua iura temporum neceſſitas exigeret. Regum ætate non multas in vrbe leges fuiſſe exiſtimauerim: non ſolum, quia regum iuſſa pro legibus erant, ad eos grauiſſima quæque deferebantur: eorum omnes dicto annuere, imperio parere cogebantur: verùm etiam, quia ciuitas, neq; dum populo ſatis frequens, neque opibus locuples, legum multitudinem non deſiderabat. inter paucos, & aſſiduis bellis exercitos, nondum licentia, nondum planè vis emerſerat: non luxuries, non illa quæ ferè opes conſequitur, malarum artium lues in vrbem inuaſerat. regibus exactis, ſimul cum publicis opibus & nata noua vitia ſunt, & ea quæ fuerant, aucta. tunc, vt ad varios morbos diuerſa medicamenta inueſtigata, inuentáque ſunt: ſic ad ea mala, quæ manare cœperant in ciuitate, comprimenda, atq; ſananda, varia legum genera peperit neceſſitas. neque tamen reges ipſi leges neglexerunt. poterant omnino, quidquid vellent: ſed voluit nemo, niſi quod liceret. quin, vt ait Liuius, ab ipſo ſtatim vrbis primordio Romulus, rebus diuinis rite perpetratis, vocata ad concionem multitudine, quæ coaleſcere in populi vnius corpus nulla re, præterquam legibus, poterat, iura dedit. quem Numa ſubſecutus, multò etiam magis ciuitatem legibus excoluit, & ab armis ad religionem, bonóſque mores totam traduxit. omnéſque deinceps, præter Superbum, ita regnarunt, vt, quod idem Liuius alio loco tradit, Brutus idem, qui tantum gloriæ, Superbo exacto, meruit, malo publico vel maximo id facturus fuerit, ſi, libertatis immaturæ cupidine, priorum regum alicui regnum extorſiſſet. quare, cum ipſos moderati ingenij, optimiq; exempli fuiſſe conſtat, tum leges habuiſſe, quarum ad præſcriptum vniuerſos ciues viuere voluerint.

Legis definitio.

Et longo poſt interuallo: Legem Ateius Capito definiebat his verbis: Lex eſt generale iuſſum populi, aut plebis, rogante magiſtratu. Lex igitur fuit, non modò quæ comitiis Centuriatis, in campo Martio, ferente ſuffragium vniuerſo populo, id eſt patriciis, & plebeiis, in centurias diſtributis, rogante maiore magiſtratu, ferebatur: verùm etiam quæ tributis comitiis, in foro, ferente ſuffragium plebe, ſine patriciis, in tribus diſtributa, rogante minore magiſtratu, id eſt, tribuno pleb. nam ſolus tributis comitiis legem tulit, ſolus autem inter minores magiſtratus: quia conſules, etiam tributis comitiis, legem tuliſſe cõſtat. In iis verbis non videtur Capito plebiſcitum à lege diſtinxiſſe. At Lælius Felix apud Gellium: Tribuni, inquit, neque aduocant patricios, neque ad eos referre de re vlla poſſunt: ita ne Leges quidem propriè, ſed Plebiſcita appellantur, quæ tribunis pleb. ferentibus accepta ſunt. quibus rogationibus ante Patricij non tenebantur, donec Q. Hortenſius dictator eam legem tulit, vt eo iure, quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur. A quo ego tempore Plebiſcita Leges appellari cœpta, quandoquidem legum vim Hortenſia lege iam obtinerent, facile crediderim. nam antea, quæ tributis comitiis ferebantur, Plebiſcita conſtat eſſe nominata. Varro quidem, quo nemo diligentius antiquitatis vſum retinuit, Legem tamen vocat, quam tribunus pleb. M. Plætorius tulerat: quod appellari plebiſcitum, multis poſt annis Cenſorinus maluit. Sed de Plebiſcitis, quæ Lælius, eadem ferè Feſtus. Scita plebei appellantur, inquit, ea, quæ plebs ſuo ſuffragio ſine patribus iuſſit, plebeio magiſtratu rogante. Verùm & Lælius, & Feſtus proprie loquuntur, ad priſca illa tempora ſpectantes. nam poſtea paulatim obtinuit conſuetudo, vt Legis nomen de plebeſcitis etiam vſurparetur. Eodémque modo contra definitionem Capitonis, qui, generale iuſſum, Legem appellauit, quæ de vno ciue populus iuſſit, Leges dictæ: licet priuilegia verius, vt eſſent, ſic etiam appellari poſſent. cuius generis exempla, de imperio Cn. Pompeij, de reditu Ciceronis, de cæde Clodij quæſtio, Gellius commemorat. in quo illud animaduertendum, cum in duodecim Tabulis eſſet ſcriptum, ne de ſingulis, niſi centuriatis comitiis, ferri poſſet, quod in lege de reditu Ciceronis obſeruatum eſt: de imperio tamen Pompeij, tributis comitiis, rogante Manilio, tribuno pleb. actum eſſe. Sed, ſiue populi ſcitum, ſiue plebiſcitum eſſet: quorum alterum magiſtratu patricio, alterum plebeio rogante factum eſſe, ex Feſto cognoſcitur: ſiue ad plures homines, pluréſve res, aut ad omnes homines, omnéſve res, aut ad vnum hominem, vnámve rem, pertineret: prorſus omnia populi plebiſve iuſſa, tum legis, tum etiam rogationis nomine, quia populus, plébſve à magiſtratu rogaretur, appellari ſolita, veterum monumentorum obſeruatio declarat. quod Gellius quoque notauit. Nam, quod Ælius Gallus, vt apud Feſtum ſcriptum eſt, aiebat, inter legem, & Rogationem hoc intereſſe, quod Rogatio eſſet genus Legis, quæ autem lex, non continuo rogatio. quod ita Feſtus exponit: Rogatio eſt, cùm

populus

populus conſulitur de vno pluribúſve hominibus, quod non ad omnes pertineat, & de vna pluribúſve rebus, de quibus, non omnibus, ſanciatur: id mihi, (pace vtriuſque dixerim) falſum videtur. nomen enim ipſum Rogationis oſtendit, omnes ſiue ad vnum, pluréſve homines: ſiue ad vnam, pluréſve res pertineant, vno rogationis vocabulo appellari poſſe. nam, vt Gellius animaduertit, nullum populi, plebíſve iuſſum fieri poteſt, niſi populus, aut plebs rogetur, quod dum fit, ea verè rogatio eſt, & dicitur: ídque etiam poſt lata ſuffragia nomen manſit. quamquàm frequentius omninò, de quocunque populi, plebíſve iuſſu, in antiquorum ſcriptis Legis nomen inuenitur.

Leges à quibus & ubi ferrentur.

Leges autem nec niſi à magiſtratibus, nec niſi comitiis ferebantur: idque probandum exemplis non exiſtimo, ne, quæ ipſa per ſe ſatis aperta res eſt, in ea demonſtranda ſuperuacaneam operam ſuſcipiam. ſed quia nec vnus magiſtratus, nec vna comitia erant: vtrum ab vno, an ab omnibus magiſtratibus, & vtrum vnis, an omnibus comitiis ferrentur, aperiendum videtur. Ferebantur leges à magiſtratibus maioribus quatuor, vno minore: à maioribus, prætore, & conſule, qui ordinarij magiſtratus erant: item à dictatore, & interrege, qui maiores quidem, ordinarij tamen non erant, neque populi comitiis creabantur: cenſor autem, etſi erat inter maiores magiſtratus, ius tamen ferendæ legis, aut habendorum comitiorum non habebat. ideò dixit Plinius libro 35. capite 17. Lex Metilia exſtat, Fullonibus dicta, quam cenſores dedere ad populum ferendum. minor magiſtratus, qui leges ferret, tribunus pleb. erat. nam ædiles cur. quæſtores, ædiles pleb. III. Viri capitales, III. Viri monetæ cudendæ, tribuni mil. tam Rufulli, quàm Comitiati, etſi magiſtratus erant, leges tamen non ferebant: iiq; neque viatorem, vt tribunus pleb. neque lictorem, vt conſul, & prætor, habebant: propterea tum vocandi, ac præhendendi iure, quod conſul, & prætor habebant: tum etiam præhendendi, quod vnum tribuni pleb. erat, omninò carebant. qui verò poteſtatem neque vocationis haberent, neque præhenſionis, eos magiſtratus à priuato quoque in ius vocari potuiſſe, & M. Læuinum ædilem cur. à priuato in ius eductum eſſe, tradidit Varro libro 21. rerum humanarum. Verùm, quæ doctrinæ cauſſa à me traduntur, veterum teſtimonio ſingula confirmare, & exemplorum multitudine librum infercire, minimè neceſſarium exiſtimo: non ſolùm, quod hiſtoriæ, libríque, vnde ipſi hæcq; hauſimus, omnibus patent: ſed etiam, quod exemplis referta narratio dignitatem non habet, putidæ potius cuiuſdam diligentiæ, & ambitionis ineptæ ſpeciem quandam præ ſe fert. Legiſlatores aut tributis comitiis, aut centuriatis, aut etiam, vt in imperio mandando, & in adoptionibus, curiatis legem ferebant. ſi tributis, aut cum S.C. aut ſine: ſi centuriatis è S.C. ſemper. plus omnino dignitatis, atque auctoritatis in centuriatis, ſed poteſtatis non minus erat in tributis. æquè enim populus vniuerſus tenebatur iis legibus, quæ tributis comitiis ferebantur, atque iis, quæ centuriatis. idque ſancitum eſſe lege à Q. Hortenſio dictatore lata, cùm ante iure eo, quod ſtatuiſſet plebs, patricij non tenerentur, Lælij teſtimonio iam probauimus. Hortenſius, quæ rogata plebs ſanxiſſet, ideò pertinere ad omnes Quirites voluit, vel, vt iura plebis augeret, cùm plebeius ipſe eſſet: vel vtili Reipub. conſilio, quod in libera ciuitate diſſimilem ciuium conditionem diſcordiæ ſemina putaret. in quo diſſidentes veterum opiniones licet agnoſcere. nam, quod Hortenſio dictatori à Lælio tribui ſcribit Gellius, id ad Q. Publium Philonem dictatorem Liuius refert, qui multis annis ante Hortenſium dictator fuit. rurſus neque ab Hortenſio, neque à Philone, ſed multò antè à L. Valerio Potitio, & M. Horatio Barbato Cos. eam legem eſſe latam, Dionyſius tradit. qua in varietate verum internoſcere difficile ſit. niſi ſi, quod res eſt, non tanquam nouam legem eſſe latam, ſed quaſi veterem à duobus dictatoribus, Philone, & Hortenſio, renouatam intelligas. Scripſit etiam idem Lælius, cùm tribunus pleb. populum adeſſe iuberet, non comitia, ſed conſilium edicere debuiſſe: cùm non vniuerſum populum, ſed plebem tantùm, quæ pars populi eſt, aduocare tribunus poſſet. Verùm hoc, quod à Lælio ſcriptum in Gellio legimus, obſeruatum ſit, nec ne, haud ſanè mihi certum eſt. quin, quò me inclinat coniectura, eò me dare ſi velim; comitia, quæ tribunus pleb. haberet, dicta crediderim, non ſolùm poſt legem Hortenſiam, quæ diſcrimine ſublato, tribuniciis rogationibus ciues omnes pari iure ſubiecit: ſed antea quoque, cum plebiſcitis patricij non parerent. quid enim? nónne tributa comitia dicebantur, quæ deſignandis minoribus magiſtratibus haberentur? at tributa comitia non & à tribuno pleb. habebantur? an igitur eſt, qui, cùm tribuni pleb. eſſent deſignandi, eius rei cauſſa conſilium à tribuno edictum legerit? quod ſi quis, vt omninò Lælij diſtinctio confirmetur, non de eo populo, qui ad deſignandos magiſtratus: ſed de eo, qui ad ſciſcendam legem aduocaretur, accipi velit: ne hoc quidem aſſenſerim: cùm, aliter eſſe, ipſo Cicerone magiſtro, didicerim. vocat enim hic noſter libro ſecundo de diuinatione comitia & in legum iure, & in iudiciis populi, & in creandis magiſtratibus. præterea in oratione pro Sextio: Venio, inquit, ad comitia, ſiue magiſtratum, ſiue legum. & Liuius libro trigeſimoprimo: Rogatio, inquit, de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus fermè centuriis antiquata eſt. & ibidem: Pro ſe quoque conſulem hortari, vt de integro comitia rogationi ferendæ ediceret. & libro quadrageſimoquinto: Macedonicus exercitus imperatori erat negligenter affuturus comitiis ferendo legis. Iam verò & de reo iudicando comitia dicta, quæ tribunus pleb. haberet, exempla teſtantur, vt in tertio de legibus, ſecundo de diuinatione, & apud Liuium quatuor libris, 3. 26. 40. 43. Quanquàm, ſi quis ipſa Lælij verba paulò attentius conſideret, intelliget, nec ab ipſo traditum id, quod nos, quaſi traditum, exemplis redarguimus. ait enim, qui non vniuerſum populum, ſed partem aliquam populi adeſſe iuberet, eum non comitia, ſed conſilium edicere debere. Quibus verbis, non quid fieret, ſed quid fieri deberet, ſignificat. notat igitur, & quodam modo repræhendit deprauatam conſuetudinem: ſicut eodem loco, cùm infert: Itáne leges quidem propriè, ſed plebiſcita appellantur, quæ tribunis pleb. ferentibus accepta ſunt? quo in loco, Appellantur, accepit, pro, appellari debent. quod enim tradidit, obſeruatum non eſſe, quæq; tribunis rogantibus plebs iuſſit, ea tum plebiſcita, tum leges & à Liuio, & ab aliis dici, ſæpè licet animaduertere: ſicuti & conſilium plebis, & comitia de reo Poſthumio apud eundem Liuium libro 25.

In ferenda lege quid obſeruatum ſit.

Legem autem laturus magiſtratus ſcribebat eam domi, & cum peritis conſultabat: ne quid contra populi rem, aut voluntatem ſanciret, ne forte pugnantia capita ſimul ferret: néve quid, quod vetus aliqua lex, ſi ferretur, inane infirmúmque iuberet eſſe: (etſi, quæ poſtea ferretur lex, ſuperiores omnes, præter Sacratas, abrogabat) ne curationem, poteſtatem, commodúmve aliquod ipſe ſibi ſua lege, aut collegis, cognatis,

gnatis, affinibus mandaret: quod leges duæ, Licinia, & Æbutia, fieri vetuerunt. contra quas leges fecit P. Clodius: tulit enim, quod in oratione pro domo traditum eſt, vt ſibi Ciceronis ædes liceret poſſidere. Etiam illud in ſcribenda lege cauebatur, ne pluribus de rebus, quæ non eiuſdem generis viderentur, vna rogatione ferretur: quod fieri cum lex Cæcilia & Didia vetabat, itaque à Clodio factum accuſat Cicero pro domo ſua; tum, faciendum non eſſe, indicat idem in ſuarum legum libro tertio. his verbis: Qui agent, non plus quàm de ſingulis rebus conſulunto. nam, Conſulunto, eſt, populum roganto. conſulitur enim populus, cum lex rogatur; itaque in oratione pro Milone: Nihil, inquit, de eius morte populus conſultus, nulla quæſtio decreta à ſenatu eſt. & pro domo ſua: Si populus de iſta re conſultus eſſet. & Feſtus: Rogatio eſt, cum populus conſulitur etiam in ſenatu, Conſulere, eſt rogare ſententias. ad Att. libro duodecimo: Hic me laudat, inquit, quòd retulerim, non quod patefecerim, quòd cohortatus ſim, quòd denique antequam conſulerem, ipſe iudicauerim. Addebatur illa exceptio: vt, ſi quid ius non eſſet rogari, ne eſſet rogatum. quod in oratione pro domo notauimus. item; ſi quid contra alias leges eius legis ergo latum eſſet, vt ei, qui eam legem rogaſſet, impune eſſet. quod fuiſſe tralaticium, hoc eſt, ſcribi ſolitum in omnibus legibus; tradit Cicero libro tertio epiſtol. ad Attic. Hæc igitur, quæ propoſui, quaſi legitima à bonis viris in ferenda lege omnia cauebantur. ſed vbi rationem vicit libido, ſpreta bonorum conſuetudine, nihil præter ſuam potentiam & vtilitatem in lege ſpectarunt. ideò ſæpe leges Clodij, aut Vatinij, alienas à more maiorum, acerbè reprœhenſas à Tullio videmus. Scripta lege, legiſlator bene de Republica ſentiens, antequam eam promulgaret, referebat ad ſenatum, vt quo plus ponderis, maiorémque vim lex haberet, de ſenatus eam ſententia ferret. popularis verò, ac ſeditioſus magiſtratus, vt Vatinius tribunus pleb. Cæſare conſule non modò prætermiſſa ſenatus auctoritate, ſed interdum etiam contra ſenatus auctoritatem, legem rogabat. Promulgabatur deinde lex, id eſt, in publico ponebatur. eſt enim Promulgare, vt ait Feſtus, quaſi prouulgare. id autem eo fiebat, vt inſpiceret qui vellet, inſpectam conſideraret: non ſolum, vt intercedi poſſet antequam ferretur, verum etiam vt aliquanto ante ſtatuere cuiuis liceret, vtrum cum ferretur, antiquanda ſuffragiis, an accipienda lex eſſet. addo etiam illud, vt quiuis monere legiſlatorem poſſet vel de corrigenda, vel omnino de non ferenda lege.

Spatium promulgationis.

Spatium autem promulgationis, vt ex Macrobio, Dionyſio, Cicerone, Quintiliano, & aliis patet, quacunque de re ferretur lex, erat trinundinum, id eſt per trinas nundinas. cum enim nundinarum cauſſa ex agris in vrbem ciues conuenirent, per trinundinum leges, vt à ruſtica plebe ter legi cognoſcíque poſſent, patere voluerunt. quod cum M Antonius non ſeruaſſet, inuehitur in eum Cicero Philippica 5. his verbis: Vbi lex Cæcilia, & Didia? vbi promulgatio trinundinum? Et idem pro domo ſua: Hora fortaſſe ſexta diei quæſtus ſum in iudicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de Republ. quæ mihi viſa ſunt ad illius miſeri cauſſam pertinere. hæc homines improbi ad quoſdam viros fortes longe aliter, atque à me dicta erant, detulerunt. hora nona, illo ipſo die tu es adoptatus. ſi, quod in cæteris legibus trinundinum eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt trium eſſe horarum: nihil reprœhendo. ſin eadem obſeruanda ſunt, vt decreuit ſenatus, M. Druſi legibus, quæ contra legem Cæciliam, & Didiam latæ eſſent, populum non teneri: iam intelligis, omni genere iuris, quod in ſacris, quod in auſpiciis, quod in legibus ſit, te tribunum pleb. non fuiſſe. Et, vt aliud ex alio, trinundinum non ſolum in lege ferenda, ſed & in magiſtratu deſignando video eſſe ſeruatum, ob eam ſcilicet cauſſam, vt conſuleretur candidatis pariter, & populo: illis ad magis conciliandos ſibi plebis animos: huic, ne imprudenter aliquem repente crearet, quem creatum poſtea nollet. Locum autem & in lege, & in magiſtratu fuiſſe trinundino, minimè miror: qui videam à Cicerone, oratione ſecunda in Rullum, appellari legem ea comitia, quibus maiores magiſtratus crearentur. nam ſi comitia lex ſunt, ſequitur, vt, quod in lege, idem in comitiis obſeruetur. &, quod rationi conſentaneum videtur, id exempla clarius oſtendunt. Decem viris creandis, inquit Liuius libro tertio, in trinundinum comitia indicta ſunt. & in epiſtola ad Tironem Cicero. Ad conſulatus petitionem ſe venturum: neque iam velle abſentis rationem haberi ſui: ſe præſentem trinundinum petiturum. Quod tamen non niſi tranquilla Republ. ſeruatum exiſtimo. nam Punico bello ſecundo Quintus Fabius Maximus conſul tertium Romam comitiorum cauſſa proficiſcens, in eum, quem primum diem comitialem habuit, comitia edixit. idémque fecit anno proximo C. Claudius Cento, dictator comitiorum conſularium cauſſa creatus. Sed nimirum, quod dici ſolet, ſilent leges inter arma: & ad Rempublic. cuius cauſſa latæ leges ipſæ ſunt, omnia referenda. Seruabatur præterea in iudicio populi trinundinum, cum ſcilicet à populo reus iudicaretur. vnde illud pro domo: Cum tam moderata iudicia populi ſint à maioribus conſtituta: primum, vt ne pœna capitis cum pecunia coniungatur: deinde, ne, niſi prodicta die, quis accuſetur: tertio, vt ante magiſtratus accuſet intermiſſa die, quàm mulctam irroget, aut iudicet: quartò, ſit accuſatio trinundinum. Conſtat igitur, in omnibus plane comitiis, de legibus, de magiſtratibus, de reis, trinundini rationem eſſe ductam. Neque verò trinundinum ita interpretor, vt, ipſo tertiarum nundinarum die vel latas eſſe leges, vel deſignatum magiſtratum, vel reum à populo iudicatum, exiſtimem: cum & Macrobrius libro primo comitia nundinis haberi non licuiſſe, veterum teſtimonio probet: & Feſtus, nundinas non ſolum inter ferias, ſed etiam inter nefaſtos dies apud antiquos fuiſſe dicat: inter ferias, ne cum populo agi liceret: inter nefaſtos dies, ne lege. Nundinas, inquit, feriarum diem eſſe voluerunt antiqui, quo ruſtici mercandi vendendíque cauſſa in vrbem conuenirent, eúmque nefaſtum, ne, ſi liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores. Aliud autem erat, cum populo agere: aliud, lege agere. cum populo, populum eſt ad conſilium, aut comitia vocare, vt ait Feſtus: vel, vt Gellius, rogare populum, quod ſuffragiis ſuis aut iubeat, aut vetet: quod tamen idem eſt: lege autem agere, ius experiri, in iudicio contendere. Libro etiam quarto Epiſtol. ad Atticum, per duos nundinarum dies nihil de comitiis tentatum, his verbis Cicero declarat: Ante decem Kalend. nundinæ, concio biduo nulla.

Trinundinum in promulganda lege.

Trinundinum igitur in eam ſententiam dictũ accipio, vt inter eum diem, quo promulgata lex erat, & eum, quo deinde ferretur, trinæ nundinæ intercederent: quo & ſæpius, & à pluribus, vrbem mercandi vendendíque cauſſa viſitantibus, promulgata lex cognoſci poſſet. Poſt tertias nundinas, magiſtratus in

eum

eum locum, vbi legem laturus erat, ſiue in forum, ſiue in campum Martium, populum conuocabat. ibi cum legem præco, ſubiiciente ſcriba, recitaſſet, tum primum quidem is, qui legem promulgarat, populo ſuadebat, vt rogationem acciperet, ſed poſt eum alij, non priuati modò, quibus ab aliquo magiſtratu concio daretur, (nam alioqui concionandi poteſtas priuatis non erat) verùm etiam quandoque magiſtratus, pro ſuo quiſque ſenſu, vel ſuadebant, vel diſſuadebant. Suaſorem rogationis eum, qui rogabat, fuiſſe, ita veriſimile eſt, vt exemplis, quæ multa ſuppetunt, mihi eſſe vtendum in re minime dubia, non exiſtimem. quod autem minus veriſimile eſt, vt aliquis eius rogationis, quam ferret, ipſe diſſuaſor fuerit: id niſi teſtimoniis probem, credibile non erit. atque hoc tum fiebat, cum magiſtratus non è ſua, ſed è Senatus ſententia rogationem ferebat. neque enim prohibebatur diſſuadere ad populum, quod non probauerat in ſenatu. Piſonis Conſulis exemplum habemus in Epiſtola, Vereor, ad Atticum libro primo: Piſo, inquit, Conſul, lator rogationis, idem erat diſſuaſor. quod Attico, vt nouum & iniquum, ſcripſit Cicero, cum ſuadere ſuas rogationes reliqui ſolerent. vnde illud Attici ad Ciceronem libro ſecundo de legibus: Suade igitur, ſi placet, iſtam ipſam legem, vt ego, vti rogas, poſſim edicere. loquitur enim Atticus cum Cicerone, vti cum magiſtratu legem rogante. & quemadmodum in eo libro perſonam Cicero ſuſtinet magiſtratus legem rogantis: quod proxima ſuperiora verba declarant: Si quæ forte leges à me hodie rogabuntur, quæ non ſint in noſtra Republica, nec fuerint, tamen erant fere in more maiorum, qui tum vt lex valebat: ſic Atticus ciuem agit de ipſa lege ſuffragium ferentem. quod indicat illud: Vt ego, vti rogas, poſſim edicere. refert enim morem illum tabellarum, quibus ſciſcebatur lex: quæ his duabus erant literis ſignatæ, V.R. id eſt, Vti rogas: cum ea, quibus lex reiiciebatur, vna litera A, eſſent inſcriptæ: quæ valebat, Antiquo, hoc eſt, nihil nouari volo, antiqua probo, &, vt explanat Feſtus, in morem priſtinum reduco. Vereor autem, (vt à re propoſita paululum digrediar) ne mendum lateat in verbo, Edicere. cui quantum ex antiqua Latinè loquendi conſuetudine coniicere, ac meminiſſe poſſum, in hac ſententia locus non eſt. Sed ad rem. Priuatus legem Cinciam de donis & muneribus Q. Fabius Maximus ſuaſit, Ogulniam de ſacerdotiis P. Decius Mus: Voconiam de hæreditatibus M. Cato ille Cenſorius: Corneliam de reditu Ciceronis Cn. Pompeius. Nec verò, qui priuati item legem diſſuaſerint, inuenire non facile eſt. exemplum habemus in oratione pro lege Manilia, Q. Hortenſij, in libro de amicitia, C. Lælij, & minoris Africani. Maniliam legem, de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem mandando, diſſuaſit Hortenſius: Papiriam, de tribunis pleb. reficiendis, Lælius & Africanus. atque hanc ipſam conſuetudinem, vt priuati legem ſuaderent, aut diſſuaderent, indicat Liuius libro quadrageſimoquinto, his verbis: Ita traditum erat, ne quis prius intercederet legi, quam priuatis ſuadendi diſſuadendíque poteſtas facta eſſet: quo meliùs aut commoda legis aperirentur, aut vitia. quo perſæpe euenit, vt aut ij, qui ad intercedendum venerant, deſiſterent: aut intercederent, qui non profeſſi eſſent ſe interceſſuros. & eodem libro infra: Cum in Capitolio rogationem eam Ti. Sempronius ferre vellet, & priuatis lege dicendi locus eſſet, neque ad ſuadendum, vt in re minime dubia, quiſquam procederet. Ser. Galba repente proceſſit. Item Cicero in Oratione pro Cornelio, cuius exſtant reliquiæ quædam, cum Aſconij commentariis editæ: Eſt, inquit, ius vetandi, dum priuati dicunt, dum ſitella defertur, dum æquantur ſortes, dum ſortitio fit. quibus in locis cum & Liuius & Cicero de ſolis priuatis mentionem fecerint, non tamen eam poteſtatem ſolis priuatis fuiſſe, debemus exiſtimare. partem enim pro toto poſuerunt, quia priuati & ſæpius, & plures, quam magiſtratus, aut pro lege, aut contra legem dicere ſolerent. Magiſtratuum porrò vel ſuadentium, vel diſſuadentium legem exempla habemus hæc: M. Porcius Cato, ille maior, Conſul rogationem de abroganda lege Oppia. C. Lælius, ille ſapiens, prætor Liciniam de cooptatione ſacerdotum ad populum transferenda diſſuaſerunt. legem Maniliam prætor Cicero luculenta, quæ extat, oratione ſuaſit, agrariam Rulli iis, quæ exſtant, orationibus conſul idem diſſuaſit. Verùm hæc, quæ paulo longius, vt illuſtriora fierent, produximus, paucis admodum verbis libro de legibus tertio Cicero compræhendit: Populum, inquit, docento, doceri à magiſtratibus priuatíſque patiuntor. in quo ſignificatur, vt & ipſi magiſtratus, qui legem ferent, doceant, hoc eſt de ipſa lege dicant, & dicere alios quoque tum magiſtratus, tum priuatos patiantur. Infrà verò, libr. eod. cum dixit, De promulgatione, de ſingulis rebus, de priuatis, magiſtratibus audiendis: priuatos poſuit ante magiſtratus, cum ſupra primum magiſtratus, deinde priuatos nominaſſet. quod ſi ad veritatem ordo referatur, prius nominari priuatos, deinde magiſtratus oportuit. prior enim priuatis locus in ſuadenda diſſuadendáve lege ideo datus eſt, ne, ſi eos, qui magiſtratum gerebant, antè audiſſent, ab iis diſſentire non auderent. idque Dio hiſtoriæ ſuæ libro trigeſimonono ſcriptum reliquit. quos autem ſuadere aut diſſuadere leges ſolitos fuiſſe diximus, eos in ea pro Flacco legis auctores Cicero appellat: cum auctores intelligat vel accipiendæ legis, vel antiquandæ. Hæc de ſuadentibus diſſuadentibúſque legem.

Locus in quo ſuadebatur lex, aut diſſuadebatur.

Nunc de loco, vnde ſuaderent, aut diſſuaderent, addendum quiddam eſt. Nemo ad populum, niſi de loco ſuperiore concionabatur, ſiue is priuatus eſſet, ſiue magiſtratum adminiſtraret. id autem ob eam cauſſam, quo longius à ſtantibus in concione tum exaudiri vox, tum intelligi verba poſſent. concionabantur igitur, ſi in foro, de Roſtris, quæ ad Comitium fuiſſe, prope iuncta curiæ, Pedianus ait: ſi in campo Martio, vel alibi, de ſuggeſtu, aut editiore aliquo loco. concionari autem magiſtratibus pro ea, quam habebant, poteſtate, omnibus licebat: priuatis, quod iam diximus, niſi concionem, id eſt, concionandi poteſtatem, à magiſtratu aliquo acciperent, non licebat. &, quia ſæpius in foro, vbi Roſtra fuiſſe diximus, quàm in campo, leges ferebantur: ideò ſæpius de Roſtris, quàm in campo, conciones habebantur. multò enim plures tributis comitiis, quæ legum quidem cauſſa in foro, interdum & in Capitolio habebantur, quàm centuriatis, quæ in campo, latas eſſe conſtat, cum tribuni pleb. qui comitia tributa, non centuriata, habebant, facillime ad leges rogandas adducerentur, quippe qui leges non ferrent ex ſenatus auctoritate: quod neceſſe erat de legibus centuriatis. Dixi, priuatos non niſi poteſtate à magiſtratu accepta concionari potuiſſe, magiſtratus autem cunctos ſuo iure potuiſſe. quod cum ita eſſe nunc etiam confirmem, tamen illud addo, ſummum in eo ius, ſummámque poteſtatem tribunorum pleb. fuiſſe: qui, ſi vellent, non

non priuatos modò, verùm & magiſtratus ipſos, atque etiam conſulem, qui ſummus erat magiſtratus, prohibere concione poterant. itaque Ciceronem conſulem extremo magiſtratus die Q. Metellus Nepos tribunus pleb.concionis habendæ poteſtate priuauit: & Q. Metellum Celerem Conſulem à L.Flauio tribuno pl.in carcerem deductum, annóque proximè conſecuto M.Bibulum, item Conſulem, à Petro Vatinio tribuno pleb. hiſtoriæ narrant. non enim de Roſtris modo concionantem, atque etiam de curru triumphantem detrahere tribuno pleb.licebat: verum &, quoquo vellet, deducere, vel ad ſupplicium, ſi liberet: propterea quod, cui vellet, manus iniicere, vetuſto Sacratarum legum iure, poterat: ipſi, cum ſacroſanctus eſſet, nemo poterat. Verum tribuni pleb. poteſtatem ſuo loco, id eſt, libro de Magiſtratibus, reſeruemus: interim, quod in manibus eſt, ipſum agamus. Cum ſuaſerant, diſſuaſerántve legem primo loco magiſtratus, qui legem ferebat, ſecundo priuati, tertio reliqui magiſtratus: tum præſentibus ſacerdotibus, vt Dionyſius ſcribit, & diuina exponentibus, ſitella, vel vrna (ſitellam Cicero, vrnam Lucanus vocat) deferebatur: in quam ſiue tribuum, ſi tributis comitiis lex ferretur: ſiue centuriarum, ſi centuriatis, nomina coniiciebantur: deinde, ſortibus æquatis, hoc eſt, ita agitata ſitella, ne qua ſors ſubſultaret atque exiliret, ſed pariter omnes æquatæ iacerent, ſortitio fiebat, quæque prima vel tribus, vel centuria, quæ ſecunda, quæ tertia de ſitella exiiſſet, eundem, quem ſors dederat, in ſuffragio ferendo locum atque ordinem obtinebat. hæc dum agerentur, ſi quis tribunus pleb. legi vellet intercedere, locus erat, nunquam autem ante ſuaſionem diſſuaſionémque legis interceſſionem fuiſſe, declarant illa proximè recitata, quæ Liuius libro quadrageſimoquinto, Cicero in oratione pro C.Cornelio tradiderunt. Et, quoniam de interceſſione, quæ legem impediebat, mentionem facimus: (neque enim legi tantùm, verum & ſenatus conſultis, & prætorum decretis, aut iudiciis interceſſum eſſe, animaduertimus) omnibus de cauſſis, quæ, quo minus promulgata lex perferri poſſet, impedimento fuerunt, dicendum nobis eſt.

Interceßionis modi quatuor.

Hæ quatuor traduntur: prima interceſſio: cum tribuni pleb. quorum propriè intercedendi ius erat, edita voce illa, Veto, de qua mentionem facit Liuius, intercedebant: cuius generis exempla non deſunt: altera, cum is qui promulgarat, vel amicorum precibus adductus: vel ſenatus auctoritate commotus, vel ipſe ſua ſponte conſilium mutabat: quod C.Manilius, & L.Cæcilius, vterque tribunus pleb. diuerſis temporibus fecerunt, ille in lege de libertinorum ſuffragiis, hic in ea, quam de minuenda ambitus pœna promulgauit. Tertia ratio fuit, cum, neque intercedente tribuno, neque eo qui promulgauerat, conſilium mutante, comitiales dies, id eſt eos, quibus agi cum populo licebat, conſul eximebat, vel ſupplicationibus decernendis, vel feriis indicendis, non ſolum iis, quæ Latinæ dicebantur, quas indicere ſoli conſules poterant, ſed etiam iis, quæ imperatiuæ, quas non modò conſulibus, verum etiam prætoribus ipſorum arbitratu licebat imperare. quo genere vſum eſſe Cn.Cornelium Lentulum Marcellinum conſulem, vt C.Catonis tribuni pleb.legibus obſiſteret, videmus in Epiſtola, Placiturum, libro ſecundo ad Q. fratrem. Quartam cauſſam, quæ & ipſa comitiis, quacunque de re haberentur, impedimento eſſet, auſpicia inuenimus. quorum duo genera reperio, vnum, quo magiſtratus tantum vtebantur, quæ Spectio dicebatur, vel, De cælo ſeruare: quo de genere teſtes locupletes habemus Tullium in 2. Philippica, & Varronem apud Nonium: alterum genus ad augures pertinebat, cum ex auium ſignis, id eſt, volatu, cantu, & tripudio ſolliſtimo, auſpicium faciebant. nam, ſi quid aduerſi viderant, aut audierant, id nunciantes, comitia impediebant. quod Cicero libro ſecundo de Legibus, vt alia omittantur exempla, ſignificat. illo autem priore genere, vel ſi aduerſi nihil eſſet, ipſa tamē per ſe ſpectionem impediebat. quod à Dione libr. trigeſimooctauo traditum animaduerti. Obnunciatio autem, quæ augurum erat, duarum rerum obſeruatione fiebat, vel cum de cælo fulſiſſet aut tonaſſet: (erat enim in augurum diſciplina, vt Ioue fulgente, tonante, comitia dimitterentur) qno genere impedimenti Pompeius Magnus in ſecundo conſulatu, cum Prætorem creari, virum omnium integerrimum, M.Catonē videret, ipſe autem, hominem flagitioſiſſimum, P.Vatinium, Cæſaris gratia, vellet, comitia diſſoluit: vel cum aues aduerſa portenderent. Auium autem tria genera, alites, quæ volatu: oſcines, quæ cantu: pulli, qui tripudio ſigna dabant rerum futurarum. Nec omnium erat eadem ſignificatio, cum quædam à dextra, quædam à ſiniſtra volantes, aut canentes, proſperos euētus oſtenderent. hinc illud libro primo de Diuinat. Iupiter ne cornicem à læua, coruum à dextera canere iuſſiſſet. Et Plautus in Aſin. ,, Picus, & cornix eſt ab læua, coruos porrò ab dextera. Et in Epiſtola ad Cæcinam: Non igitur ex alitis inuolatu, nec ex cantu ſiniſtro oſcinis, nec ex tripudiis ſolliſtimis tibi auguror. Aues autem vtriuſque generis, id eſt, alites, & oſcines, perſequitur Feſtus 13.241. Et, quanquam ſiniſtra Romanis læta, vt Græcis dextra: iiſdem tamen, vt libro ſecundo de Diuinat. cognouimus, ſiniſtrum fulmen triſte omen fuit ad comitia, cum ad cæteras res eſſet optimum: & ſi bubo volaret ad ſiniſtram. præclare Lucanus hoc de genere libro tertio, cum neglectam veterem comitiorum rationem ſignificaret, illa pronunciat:

—Fingit ſollemnia campus,
Nec cælum ſeruare licet. tonat, augure ſurdo.
Et lætæ iurantur aues, bubone ſiniſtro.

Redeo ad inſtitutum. Sortitione tribuum aut centuriarum facta, dicebat is, qui legem ferebat: Si vobis videtur, diſcedite Quirites. de quo Pediani verba ſubſcribam: Cum, inquit, id ſolum ſupereſt, vt populus ſententiam ferat, iubet vnumquemque is, qui fert legem, diſcedere. quod verbum non hoc ſignificat, quod in communi conſuetudine eſt, de eo loco, vbi lex fertur, ſed in ſuam quiſque tribum diſcedat, in qua eſt ſuffragium laturus. populus enim confuſus, vt ſemper alias, ita & in concione. Liuius autem libro ſecundo, vbi de lege Lætoria loquitur: Conſul, inquit, Appius negare ius eſſe tribuno in quemquam, niſi in plebeium: non enim populi, ſed plebis eum magiſtratum eſſe, nec vllum ipſum ſummouere pro imperio poſſe more maiorum, quia ita dicatur: Si vobis videtur, diſcedite Quirites. vbi, Diſcedite, dictum apparet, ad ſuffragia ferenda. libro verò tertio, vbi de Terentia lege agit, idem ſignificat, cum ait: Quemadmodum ſe tribuni geſſiſſent in prohibēdo delectu, ſic patres in lege, quæ per omnes comitiales dies ferebatur, impedienda gerebant. initium erat rixæ, cum diſcedere populū iuſſiſſent tribuni, quod patres ſe ſummoueri haud ſinebant. Cum igitur de concione iuſſi diſcedere, in ſuam quiſque tribum, aut centuriam abiiſſet, priuatos homines inuenio, qui de lege laborarent, ipſos, ne quid fallaciæ committeretur, aut tabellas diſtribuiſſe, aut diſtribuentibus præfuiſſe: idque Diribere proprio vocabulo dicebatur. quod muneris quia fere obiri curaríque ab iis ſoleret, qui neque

ætate graues,neque geſtis honoribus inſignes admodum eſſent,id ſibi & à ſenibus,& à dignitate præſtantibus præcipue contigiſſe,glorioſe commemorat Cicero in Piſonem.Hoc,inquit,certe video,quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos diribitores, vos cuſtodes fuiſſe tabellarum:&, quod in honoribus veſtrorum propinquorum non facitis,vel ætatis excuſatione,vel honoris:in ſalute mea,nullo rogante, vos veſtra ſponte feciſtis.Eodémque verbo eadem de re vſus eſt in ea poſt reditum in ſenatu,cum ait: Quando tantam frequentiam in campo, tantum ſplendorem Italiæ totius,ordinúmque omnium,quando illa dignitate tot rogatores, diribitores, cuſtodéſque vidiſtis? Nec dubito quin legendum ſit,Diribeantur,non Diripiantur,in ea in Piſon.in eo loco: An exſpectas, dum de te LXXV.tabellæ diripiantur?pro, diſtribuantur,vt de te iudicium fiat.ſic & Plinius manifeſte accipit libri 36.c.15.Hic eſt,inquit,ille domitor orbis populus, qui gentes,& regna diribet. Ciſtis autẽ ſuffragiorum cuſtodiendis certos homines in comitiis præfuiſſe, qui Nongenti ſint appellati,idem Plinius lib.33.c.2.ſcriptũ reliquit.

Suffragia quomodo ferrentur.

Obiicitur hic quæſtio perdifficilis, quo modo ſuffragia ferrentur:quod in tanta rerum antiquarum obſcuritate,ſuffragandi vſu non ſolum intermiſſo, verũ etiam penitus amiſſo,poſt tot ſæcula manifeſtum non eſſe,quis miretur?itaque nec,opinor,totam rem explicare quiſquam poſſit:nec tamen ignorabit omnia qui veterum libros diligenter examinarit. Primum igitur illud,multorum teſtimonio,conſtat,ciſtas cum ſuffragiorum tabellis pontibus quibuſdam, quo tutius cuſtodirentur,impoſitas eſſe: ex quibus tabellæ populo miniſtrarentur.quem morem Cicero in epiſtola quadam ad Atticum lib.1.declarat his verbis:Operæ Clodianæ pontes occuparant,tabellæ miniſtrabantur, ita vt nulla daretur, Vti rogas.Et lib.3.de Legibus: Pontes lex Maria fecit anguſtos.quam legem Plutarchus etiã in Mario ſignificat.Libro autem primo Rhetoricorũ ad Herennium:Cæpio, vt Saturninum contra S.C.legem de ſemiſſibus,& trientibus aduerſus Rempub. vidit ferre:cum viris bonis impetum facit,pontes diſturbat,ciſtas deiicit,impedimento eſt, quo ſecius feratur lex.Deinde,cum à Feſto ſcriptum videam, ſuffragia per pontem comitiis ferri ſolita, adducor in eã ſententiam,vt exiſtimem,tabellas in eorum pontium capite miniſtratas eſſe,& in extremis pontibus alias ciſtas fuiſſe, in quibus tabellas quiſque ſuas deponeret:quod erat ſuffragium ferre.quod etſi ex duobus locis Ciceronis,& ex lib.Rhetoricorum ad Herennium ſatis licet intelligere:tamen, quo res pateat illuſtrius, Feſti verba recitabimus. Quo tempore, inquit,primũ per pontem cœperunt comitiis ſuffragium ferre, iuniores conclamauerunt, vt de ponte deiicerentur ſexagenarij,qui iam nullo publico munere fungerẽtur, vt ipſi potius ſibi,quam illi, deligerent Imperatorem. vanam autem opinionem de ponte Tiberino confirmauit Afranius. Et idem alio loco: Depontani ſenes appellabantur,qui ſexagenarij de ponte deiiciebãtur. Quo ſpectaſſe Macrobius videtur, cum ait Sat. libr.1. His ne tam doctis viris,quorum M. Cicero, & Varro imitatores ſe gloriantur,adimere vis in verborum comitiis ius ſuffragandi, & tanquam ſexagenarios de ponte deiicies? Tranſibant igitur per eos pontes ad lationem ſuffragij, tabellis acceptis in prima pontis parte,quas in extrema redderent. Erant autem, quot tribus,aut quot centuriæ,tot pontes: vt per ſuum ſingulæ pontem ſuffragium ferrent. alioqui negotium longi temporis,nec ſine perturbatione aliqua fuiſſet, ſi ponte vnico tribus omnes,aut centuriæ tranſire cogerentur.& cum ait Cicero:Operæ Clodianæ pontes occuparant:&, Pontes lex Maria fecit anguſtos:& ille qui ſcripſit ad Herennium, Pontes diſturbat, ciſtas deiicit: pontium multitudinem perſpicue declarant. Nec de duabus tabellis cuique datis quiſquã dubitat, vna cum hac litera, A, quæ legis antiquationem ſignificat:altera,ſic inſcripta, V.R.id eſt,Vti rogas:quæ legẽ accipiebat, vti magiſtratus rogauerat. Pontes autem dicti,quod extructæ ad tempus menſæ ſatis anguſtæ, præſertim poſt legem Mariam, pontium ſimilitudinẽ haberent:quæ,ſi tributim populus in forum vocaretur,35.pro numero tribuum, fuere: ſi centuriatim in campum,totidem,quot Centuriæ,id eſt.193.

Ordo in ferendis ſuffragiis.

Nunc de ordine in ferendis ſuffragiis agamus.Primo loco ea tribus,eáve centuria,quæ omniũ tribuum, aut centuriarum nominibus in ſortem coniectis, prima de ſitella,de qua iam diximus,ſorte exierat,ſuffragium ferebat:eáque prærogatiua dicebatur, quia prima rogaretur à magiſtratu,qui comitia habebat. at in prima tribu,aut cẽturia quis primus? videlicet is,quem magiſtratus legem ferens deligebat:deligebat autem, quem & dignitate præſtare, & rogationi ſuæ præter cæteros fauere iudicabat. vtrumque cognoſcitur in oratione pro Plancio:in qua ita ſcriptum eſt:Nã quod primus ſciuit legem de publicanis, tum vir ampliſſimus conſul id illi ordini per populum dedit, quod per ſenatum,ſi licuiſſet,dediſſet: ſi in eo crimen eſt, quia ſuffragium tulit,quis non tulit publicanus? ſi,quia primus ſciuit:vtrum id ſortis eſſe vis,an eius qui illam legem ferebat?ſi ſortis:nullum crimen eſt in caſu.ſi conſulis:ſplendor etiam Plancij, hunc à ſummo viro principem ordinis iudicatum, quo conſtat, ideo primum Plancium ad ſuffragium ferendum a Cæſare conſule lectum eſſe,quia primus ordinis equeſtris iudicaretur. quod ipſum confirmant illa pro domo ſua: Conſulari homini P.Clodius,euerſa Repub.ciuitatem adimere, conſilio aduocato,conductis operis non ſolum legentium,ſed etiã ſeruorum,Sedulio principe? dixit enim, Sedulio principe, pro primo omnium ſuffragium ferente.quod apertius proxime oſtendit,cum ait:Sin autem is primus ſciuit. erat enim quodam modo legis ornamentum, cum is eam ſciſcebat primus, cuius in ciuitate non leuis eſſet auctoritas.quod etſi ſatis clare indicant ea,quæ ex oratione pro Plancio recitauimus: tamen in hac ipſa pro domo ſua idem fit illuſtrius ſubiungit enim poſtea,quæ proxime ad exemplum attuli, non magno interuallo:Tu huius, vt acta tui præclari tribunatus hominis dignitate honeſtes, auctoritatem amplecteris.quaſi Clodius Sedulij, tanquam clari hominis,nomen publicis in tabulis ad legem honeſtandam ſcripſiſſet,aut fortaſſe etiam in æs ſimul cum ipſa lege incidiſſet.nam,vt dicam quod ſentio, ſuſpicor de mendo,vbi Sedulij mẽtio fit in ea pro domo ſua.quod enim legitur,Quid te audacius, qui in eius nomen incideris?id non placet.non enim cum audacia caſus cõgruit.nam,Incidere, verbum eſt in caſu poſitum; audacia vero voluntatis eſt.non enim,qui incidit,audax eſt,ſed impudens & inſcius.qui vero audax, is non incidit,ſed incurrit, & irruit.quare aliter ſuſpicor à Cicerone ſcriptum eſſe, & forte ſic: Quid te audacius, qui in æs eius nomen incideris ? leges enim in æs incidi ſolitas,paulò poſt docebimus.Cum igitur ab eo,quẽ magiſtratus ipſe primum delegiſſet, deincépſque ab aliis eiuſdem tribus, aut centuriæ perlata ſuffragia erant:tum ſuffragiis in vtramque ſententiam dinumeratis,& eorum numero punctis notato, eius tribus, aut centuriæ voluntas cognoſcebatur,eáque à præcone renunciabatur: &, eadem in reliquis tribubus aut centuriis ratione ſeruata, ex maiore tribuum centu-

riarúmve numero, vel antiquabatur, vel ſciſcebatur lex:hoc autem, Dirimere ſuffragia, & Diremptio ſuffragiorum dicebatur.itaque vetera habent exemplaria Varronis de re ruſt.lib. 3. Dum dirimuntur ſuffragia, vis potius Villæ publicæ vtamur vmbra, quam priuati candidati tabella?quod aperte declarat Lucanus, quem locum deprauari, & vt aliis in locis, Diribet pro Dirimit, reponere, facile non fuit, in illo verſu, lib. 5. Et non admiſſæ dirimit ſuffragia plebis. & ad Q. Fratrem, lib. 3. epiſt. 4. lego, Diremptis tabellis, non, vt vulgo legitur, & vt habét libri quoque veteres, Diruptis. item in oratione pro Plancio, Direptio, nō Direptio. Diremptis igitur ſuffragiis, vel de antiquata lege, vel de accepta cognoſcebatur.ac de antiquata, id eſt ſuffragiis improbata, (Feſtus enim Antiquare, explanat, in morem priſtinum reducere) nihil eſt dicendum.

Iureiurando confirmabatur lex.

Scitam autem atque acceptam, omnium ciuium iuiureiurando confirmari ſolitam legimus. itaque Q. Metellus, ille Numidicus, ne in legem Saturnini per vim latam iuraret, in exilium abire maluit, ſibíque potius de patria, quàm de ſententia, decedendum putauit. quem anno poſt quadrageſimotertio imitatus non eſt M. Cato, is, quem Vticenſem hiſtorici nominant: qui cum leges P. Clodij nullo neque iure, neque more rogatas putaret, in eas tamen iurauit, conſilio vſus optimo, vt Cicero ait in ea pro Sextio, nam ab eo, quod omnino ne fiat, fieri non poteſt, cum periculo diſſentire, temeritatis videtur eſſe.

Leges quando in æs incidebantur.

Poſt iuſiurandum, in æs lex incidebatur: quod indicat Liuius libro tertio his verbis: Prius quàm vrbem conſules egrederentur, leges decemvirales, quibus tabulis duodecim eſt nomen, in æs inciſas in publico propoſuerunt. atque hoc libro decimo Dionyſius cōfirmat. & Cicero in oratione tertia in Catilinam, Memoria tenetis, inquit, Cotta, & Torquato cos. cōplures in Capitolio turres de cælo eſſe percuſſas: cum & ſimulacra deorum immortalium depulſa ſunt: & ſtatuæ veterum hominum deiectæ, & legum æra liquefacta. quod ipſum verſibus deinde perſecutus eſt in ſecundo de conſulatu ſuo, vt libro primo & ſecundo de diuinatione patet. eandem cōſuetudinem probant illa quæ in prima Philippica ſcripta ſunt: Forum ſepietur: omnes claudentur aditus: armati in præſidiis multis in locis collocabuntur. quid tum? quod erit ita geſtum, id lex erit, & in æs incidi iubebitis? quod etiam non multo ante dixerat: quæ ille in æs incidit, in quo populi iuſſa perpetuáſque leges eſſe voluit, pro nihilo habebūtur? exemplis non egemus: ſed vnum Suetonij, quod in C. Cæſaris vita legimus, quod apertam rem multo etiā illuſtrius oſtendit, apponemus. Marcus, inquit, Claudius Marcellus conſul, edicto præfatus de ſumma ſe Reipub. acturum, retulit ad ſenatū, vt ei ſuccederetur ante tempus: quoniam, bello confecto, pax eſſet, ac dimitti deberet victor exercitus: & ne abſentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiſcito Pompeius poſtea abrogaſſet: acciderat autē, vt is, legem de iure magiſtratuum ferens, eo capite, quo à petitione honorum abſentes ſummouebat, ne Cæſarem quidem exciperet per obliuionem: ac mox, lege iam in æs inciſa, & in ærarium cōdita, corrigeret errorem. Hic illud occurrit: Si tum denique in æs leges incidebantur, cū perlatæ eſſent: quod proxima Suetonij verba oſtendunt: cur in oratione pro Milone, cum de legibus nōdum latis, ſed quas Clodius ferre cogitarat, mentionē facit, Incidebantur, inquit, iam domi leges, quæ nos noſtris ſeruis addicerent? cur non, ſcribebātur, potius quam incidebantur? an incideret Clodius leges nōdum latas? dicamus, quod omiſit Pedianus interpres, qui in arte Ciceronis indicanda parcus nimis eſt, ſicuti in exponenda hiſtoria ſatis liberalis: notat Cicero cōfidentiam Clodij, hominis audaciſſimi, qui domi ſuæ leges non modò ſcriberet, ſed etiam quaſi latas, incideret: quas, quo iure quáue iniuria, cum ſuis operis & ſeruis omnino perferre conſtituerat. & eſt Oratoris artificium, ad odium concitandum ea de inimico dicere, quæ etiam ſi fortaſſe facta non ſunt, fieri tamen potuiſſe, eius, in quem dicitur, ante acta vita declarat. nihil erat, quod in Clodium, quamuis atrociter excogitatum, non veriſimiliter videretur. ideo, Incidebantur potius quam ſcribebantur, dixit, vel verè, quod magis puto, ὑπερβολικῶς, & tamen veriſimiliter, vt de P. Clodio, quem omnium audaciſſimum fuiſſe conſtabat. Ne illud quidem prætermittā, non in tabulis modò æneis, ſed etiam in columnis inciſas eſſe leges. de tabulis dubium non eſt: quas etiam aliquot, in hunc vſque diem ſeruatas, ipſi vidimus. de columnis autem Cicero pro Balbo ſic: Cum Latinis omnibus fœdus dictū Sp. Caſſio, Poſthumo Geminio cos. quis ignorat? quod quidē nuper in columna ænea meminimus poſt Roſtra inciſum, & perſcriptum fuiſſe. qua ipſa de re Liuius libro ſecundo ſic: Tantum ſua laude obſtitit famæ conſulis Marcius, vt, niſi fœdus cum Latinis, columna ænea inſculptum, monumento eſſet, ab Sp. Caſſio vno, quia collega abfuerat, ictum, Poſthumum bellum geſſiſſe cum Volcis memoria ceſſiſſet. & Varro, vt apud Macrobium legimus, antiquiſſimam legem in columna ænea ſcripſit inciſam fuiſſe, cui mentio intercalaris adſcriberetur. nec deeſt Dionis in hiſtoria teſtimoniū, qui libro quadrageſimoprimo, columnas, quibus inciſæ leges legerentur, de cælo tactas memoriæ prodidit. Scripta iam lege, promulgata, perlata, in æs inciſa (his enim quaſi gradibus ad id, quod in lege vltimum ac ſummum eſt, peruenimus) vnum reſtat, vt, vbi cuſtodienda reponeretur, oſtendamus. Scire igitur oportet, non eandem legum omnium fuiſſe rationem, ſed aliquot, maximéque tabulis æneis inciſas, in publico proponi ſolitas, vt oculis ciuium paterent. quod exempla demonſtrant: quæ verò æneas in tabulas eſſent inciſæ, eas ad ærarium delatas, quo ſcilicet & ſenatus cōſulta, ibi cum publicis pecuniis, omniúmque publicarum rationum libris conditæ aſſeruabantur. erat autē Ærarium, tum aliorum, tum maximè Feſti, Macrobij, & Plutarchi in problematibus teſtimonio, in Saturni Opíſque templo: templum autem in vico Iugario, ad Capitolij radices. vnde ſepties millies H-S. à Cæſare dictatore depoſitum, poſt illius interitum M. Antonius conſul abſtulit. etſi tantum Opis in Philippica prima & ſecunda, vbi hac de re Cicero loquitur, mentio fit: puto, quod duabus cellis ſimulacra Opis & Saturni ſeparatim dedicata colerentur, & ad Opis cellam propius, quàm ad Saturni, eam pecuniam Cæſar locaſſet: primis tamen Reipub. temporibus legem Iciliam in templo Dianæ, quod in Auentino monte fuit, repoſitā eſſe, legimus in hiſtoria Dionyſij. Quæ ad rationem perferendæ legis attinerent, quæ ferè ponderis alicuius eſſe viderentur: omnia, vt arbitramur, perſecuti ſumus. nam, in quo differrent legum ferendarum comitia à cæteris comitiis, vt de magiſtratu creando, de reo iudicando, quia conuenire magis in librum de Comitiis hæc tractatio videtur, qui poſt hunc de Legibus exibit, hic omittimus.

Locus ferendæ legis.

Locum ferendæ legis interdum Prata Flaminia, qui poſtea Circus Flaminius dictus eſt, interdum etiā Lucum Petelinum, quandoque Capitolium, ſed plerunque Forum, aut Campum Martium fuiſſe legimus. de Pratis Flaminiis, Luco Petilino, Capitolio, Liuius teſtis eſt: de Foro, declarant illa pro C. Rabirio Poſthumo:

ſthumo:Si lex ferretur, conuolaretis ad Roſtra:erant enim Roſtra in foro. dixit autem, Cõuolaretis ad Roſtra, cùm hoc intelligeret, vt inde legem diſſuaderetis. & apertè in oratione prima in Antonium, & in v. & pro domo, & vbi non? de Campo, inde conſtat, quod, cùm leges centuriatis comitiis ſæpè latæ ſint, cẽturiata porrò comitia in Campo eſſe habita, omnes hiſtoriæ narrent: manifeſtè ſequitur, vt leges centuriatis comitiis latæ, in cãpo latæ ſint. Hic oritur alia conſideratio, loco ne ſacro, an profano ferretur. Sacro potius, quàm profano, crediderim: primùm, quod in Roſtris, qui locus erat auguratus, Templúmque dicebatur, ſæpè à magiſtratu ferretur: itaque pro Sextio, Princeps, inquit, rogationis Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupauit, occuparat enim, vt legẽ ferret. quod illa verba pro Milone declarant: Potuit ne Fabricio, viro optimo, cùm de reditu meo legem ferret, pulſo? occuparat autem Roſtra, non templum alicui deo ſacrum: quod ipſe Cicero declarat infrà, in eadem pro Sextio, ſubiungens, Tribunos pleb. ferro è Roſtris à Clodio pulſos, Fabricium intelligens. ſed clariſſimè in Vatinium his verbis: Cum L. Vettium indicem in Roſtris, in illo, inquam, augurato templo ac loco collocaris. & Liuius libr. 8. Naues, inquit, Antiatium partim in naualia Romæ ſubductæ, partim incenſæ: Roſtríſque earum ſuggeſtum in foro exſtructum adornari placuit: Roſtráque id templum appellatum. Altera eſt ratio, quod leges à P. Clodio tribuno pleb. in templo Caſtoris latas inuenio. quod indicat illud in Piſonem: Eodem in templo, eodem & loci veſtigio, & temporis, arbitria non mei ſolum, ſed patriæ funeris abſtuliſti. ſic enim interpretor illud, Eodem in templo. quo in templo legem de mea pernicie tulerat Clodius, eodẽ in templo de Macedonia tibi tradenda ſtatim legẽ tulit: quam tu prouinciam ad arbitrium tuum pro meo funere, quod idem funus patriæ fuit, ipſe pactus eras. itaque prouinciam lege traditam, quaſi præmium à Clodio debitum abſtuliſti. & apertius in oratione pro domo ſua: Cum arma, inquit, in ædem Caſtoris comportabas, nihil aliud, niſi, vti ne quid per vim agi poſſet, machinabare. in libris autem de Inuentione, Flaminium, inquit, eum qui conſul Rempub. malè geſſit bello Punico ſecundo, legem agrariam per ſeditionẽ ad populum ferentem, pater ſuus de templo deduxit. accerſitur maieſtatis. & apud Liuium, ante quàm Roſtra in foro exſtructa eſſent, de tribunis pleb. legũ rogandarum cauſſa in templum coeuntibus, non ſemel mentionem fieri videmus. Ferebat ergo magiſtratus legem in tẽplo: ferebat ſuffragia de lege populus circa templum. locum enim tantæ multitudini vllo in templo fuiſſe, credibile non eſt. cum verò lex à magiſtratu ferretur, eodem in templo alios quoque magiſtratus affuiſſe, eos nimirum, qui cum magiſtratu legem ferente conſentirent, legimus in oratione in Vatinium: Quæ quidem leges, inquit, anno poſt ſedentibus in templo duobus non cõſulibus, ſed proditoribus huius ciuitatis, ac peſtibus, vna cum auſpiciis, cum interceſſionibus, cũ omni iure publico conflagrauerunt. Oſtẽdi latam in templo legem, cùm in foro ferebatur, hoc eſt, tributis comitiis. quid cum in campo, centuriatis? tum in templis deorum non exiſtimo, quæ in campo nulla fuiſſe legimus: quo tamen in loco à magiſtratu ferretur, eum locũ ante auguratum fuiſſe crediderim. nam, ſi tributis comitiis ſemper in templo, cur centuriatis, quæ maiorum rerum cauſſa habebantur, profano in loco lex ferretur? ſed fortaſſe videri poſſit infirma coniectura. addamus exemplum, vt dubia res teſtimonio probetur. Liuius igitur lib. 3. Tribuni, inquit, vt impediendæ rei nulla ſpes erat, de proferendo exercitu agere, eò magis, quod & augures iuſſos adeſſe ad lacum Regillum, fama exierat, locúmque inaugurari, vbi auſpicato cum populo agi poſſet: vt, quicquid Romæ vi tribunicia rogatum eſſet, id comitiis ibi abrogaretur. Inter leges autem, quæ in foro, & eas quæ in campo ferrentur, dixi iam hoc interfuiſſe, quod in foro tributis comitiis ferrentur, in campo comitiis centuriatis.

Leges centuriatis comitiis latæ.

Nunc adiungo, primum illud, centuriatis comitiis eas eſſe latas, quæ è S. C. ferebantur: deinde illud, quæ centuriatis comitiis ferrentur, eas, ſi è S. C. non ferrentur, patribus quidem auctoribus ſemper eſſe latas. quod non à primis Reipub. temporibus, ſed tantùm poſt Publilij Philonis dictaturam obſeruatum eſt. hũc enim dictatorem legem tuliſſe, vt legum quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante latum ſuffragium patres auctores fierent, ſcribit Liuius lib. 8. quo ſignificatur, non omnes antea leges, quæ centuriatis comitiis ferrentur, è Senatuſcõſulto, aut patribus auctoribus eſſe latas. quod ſi factum nunquam antea non erat, conſuetudine ſeruata, quæ in Numa rege creãdo eſt inducta, vt ſcilicet, antequam populus ſuffragium iniret, patres in incertum comitiorum euentum auctores fierent: Publilius in plebem propenſus, quia plebeiæ gentis erat, quod ſenatui liberum erat, id neceſſarium fecit, quódque more factum erat, id vt lege fieret, ſua lege ſanxit. Neque verò, quod ait Liuius, Patres auctores fierent, ex plano, patres Senatuſconſultum probarẽt. fiebant enim de re & relata, & diſputata S. C. quid porrò referri & diſputari opus erat id, quod omnino probari à ſenatu Publilia lex iuberet? nam de quo fit S. C. id eiuſmodi eſt, vt improbari & abiici potuerit: eſt autem & probatum & acceptum, quia maior pars ſenatus ita ſenſerit. at in hoc nõ, vtrum vis licere, neque plurium ſenatorum volũtatem ſpectari, Publilius voluit, ſed, quaſi ab vniuerſo ſenatu iam probatum eſſet, ita, vellent nollent, patres auctores eſſe. Ergo ſic exiſtimare debemus, quæ leges centuriatis comitiis ferrentur, eas poſt legem Publiliam aut è Senatuſconſulto, aut certe patribus auctoribus eſſe latas: quæ verò ante legem Publiliam centuriatis comitiis latæ erant, aliàs è Senatuſconſulto, alias ſine S. C. patribus tamen auctoribus, alias neque è S. C. neque patribus auctoribus. Nihil ne igitur interfuit, dicet aliquis, inter leges, quæ patribus auctoribus: & eas quæ è Senatuſconſulto ferrentur? nihil, mea ſententia, ante legem Publiliam. nam ſiue è Senatuſconſulto, ſiue patribus auctoribus ferrentur, è ſenatus voluntate ferebantur. poſt legem autem Publiliam multum inter huiuſmodi leges interfuit, atque adeò tantum, quantum inter ſecundam & aduerſam volũtatem intereſt. nam ſecunda ſenatus voluntate ferebantur eæ leges, quæ S. C. probatæ iam erant: aduerſa verò nonnunquam eæ, quarum patres auctores fiebant. probabant enim inuiti, lege coacti. itaque honorificentius habebatur id, quod è S. C. centuriatis comitiis latum eſſet, quàm id, quod iiſdem comitiis patribus auctoribus. ſed extremis Reipub. temporibus nullam legem centuriatis comitiis ſine S. C. patribus auctoribus latam inuenio, permultas autem è S. C. iiſdẽ comitiis, ſiue quod abrogata ſit Publilia lex: ſiue, quod cum idem Publilius eodem tempore, poſtea quàm Q. Hortenſius dictator legem tuliſſet, vt eo iure quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur, nihil attinuit patres auctores de eo fieri, quo, vel ſi auctores ipſi non fierent, tamen omnes ciues æquè tenerentur. itaque magiſtratus aut è S. C. cẽturiatis comitiis, aut ſi ſenatus diſſentiret, tributis leges tulerunt: (quamquam & leges multæ tributis comitiis ex S. C. latæ ſunt) cum duabus legibus, Publilia, & Hortenſia, eandem vim haberẽt leges tribu-

tis comitiis latæ,quam habuerunt antea leges eæ,quæ centuriatis comitiis, patribus auctoribus, latæ erant. non enim,quod ait Cicero Philippica.10.Legem Panſa comitiis centuriatis ex auctoritate noſtra laturus eſt:eo ſenſu dictum exiſtimo, quod eam legem patribus auctoribus Panſa laturus eſſet,ſed, & auctoritate noſtra,ex plano,è S.C.loquitur enim de Cæſaris actis: quæ lege confirmari & ſanciri, ſenatus cupiebat.cum porrò cuperet,nimirum S. C. potius,quàm alia quauis ratione,declaret.quod ſi cui,auctoritatem ſenatus pro S.C.vſurpari,nouum eſt:nihil errabit, ſi, vt de Latinè loquendi conſuetudine rectè iudicare poſſit, Ciceronis libros diligenter euoluerit.

Leges quas ſenatus ferri cupiebat,ante S.C. ferrentur.

Hic fortaſſe quæretur,ante Publiliam legẽ omnéſne leges,quas ſenatus,ſiue centuriatis,ſiue tributis comitiis,ferri cuperet,ferrentur è S.C. an verò aliæ è S. C.aliæ verò ſine S. C. tantum patribus auctoribus. Vtrumque factum eſt.nam neque omnes è S. C.neque omnes patribus auctoribus latæ ſunt.de latis è S.C.teſtimonium res non deſiderat:exemplorum enim plena ſunt omnia.patribus autem auctoribus minus quidem multæ,ſed aliquot tamen latæ ſunt, vt Petilia de ambitu,à tribuno gl.tributis comitiis lata, de qua Liuius libr.7.Quæretur etiam, (pergam enim dubitãdo, quo non ſolum veterum librorũ obſeruatio, ſed ipſa me coniectura ducit) vtrum centuriatis comitiis leges à maiore tantum magiſtratu, an etiam à minore ferrentur.faciamus quod oratores ſolent: qui cum teſtibus rem probare non poſſunt,argumentantur à ſimili, & hoc genere ſæpe fidem faciunt.item nos, cum centuriatis comitiis à minore magiſtratu leges latæ ſint, nec ne,affirmare non poſſimus,quia neutrum ab antiquis traditum eſt,ſimilitudinem ſequemur, & quod in creandis magiſtratibus fieri ſolitum eſt,idem in ferendis legibus obſeruatum eſſe dicemus.nam ſi creandis magiſtratibus centuriata comitia nunquam, niſi à maiore magiſtratu,habita ſunt:itidem, ferendis legibus nunquam,niſi à maiore,eſſe habita, cõſentaneum eſt.illud autem eſt: eſſe igitur & hoc dicemus. neque enim,cur non ſit, aut ratio ſuadet, aut exempla demonſtrant.

Leges quibus temporibus,diebus,horis ferrentur.

De legum tempore,quæ notauimus, hæc ſunt: neque omnibus diebus licuiſſe legem ferri,neque,quibus liceret,per omnes horas. licebat faſtis tantum diebus: nefaſtis non licebat.nec verò faſtis omnibus, ſed comitialibus duntaxat.comitialibus autem ita licebat, ſi nemo de cælo ſeruaret.quæ duabus legibus, Ælia, & Fuſia,ſancita erant.id annis prope centum ante Ciceronis ætatem,vt ſcripſit ipſe in oratione in Piſonem, inſtitutum,ad extrema fere manſit Reipub. tempora. Piſone autẽ & Gabinio coſ. P. Clodius tribunus pleb. Ciceronis ac bonarum partium inimicus, vt armaret immoderata licentia tribuniciam poteſtatem, dierum diſcrimen, & auſpiciorum impedimenta ſuſtulit.neque enim tãtum,vt omnibus plane faſtis ferri lex poſſet,verùm etiam,ne quis per eos dies, quibus cum populo liceret agi,de cælo ſeruaret,rogationem tulit.idque poſtea ſeruatum eſſe, videntur illa ſignificare,quæ ſcripta ſunt in oratione de prouinciis: Aut ſtatuẽdum vobis eſt,legem Æliam manere,legem Fuſiam nõ eſſe abrogatam,nõ omnibus faſtis legem ferri licere, cum lex feratur,de cælo ſeruari,obnunciari, intercedi licere.Ergo,ante legem Clodiam,nõ omnibus, ſed faſtis, non omnibus faſtis, ſed comitialibus, nec comitialibus,ſi quis de cælo ſeruaret,ius ferendæ legis erat:poſt legem Clodiam, non omnibus quidem diebus, ſed omnibus tamen faſtis,quod ante non licuerat,etiam ſi de cælo ſeruaretur,ferri lex potuit. Opinor etiam qui dies Religioſi vocabantur, quorum in numero Atri erant,iis non potuiſſe legem ferri:de quibus hæc legimus in Feſto:Dies religioſi, quibus, niſi quod neceſſe eſt,nefas haberetur facere:quales ſunt ſex & triginta, Atri qui appellãtur,& Allienſis,atque ij, quibus mundus patet.Allienſem autem diem,quam Feſtus nõ nominat.xv.Kal.Sext.fuiſſe,Liuius docet libr. 6.idémque ſubiungit,religioſum diem fuiſſe poſtridie etiam Idus Quint. cui Gellius libr.5. c. 17. Macrobius libr. 1. Satur. aſſentiuntur:ex quibus & id cognoſcitur, quod Varro quoque libr.5.& Feſtus docent, Liuiúſque ſignificat, dies poſtridie omnes Kalendas,Nonas,Idus atros eſſe habitos, vt neque præliares,neque comitiales eſſent. itaque,quod ad Kalendas attinet,legitur illud Afranij apud Nonium: Septembris heri Kalendæ, hodie ater dies.quòd ſi dies atri comitiales non ſunt, ergo diebus atris ferri legem non licuit.Dies autem, quibus mundus patebat,alio loco Feſtus nominat,& ait fuiſſe,poſtridie Volcanalia,tertio Nonas Octobris, ſexto Idus Nouembris:& poſtridie Volcanalia fuit nono Kalendas Sep tẽbris:vt apparet in Kalendario Romano. His adduntur dies,quibus penus patebat:de quo ſic Feſtus: Penus vocatur locus intimus in æde Veſtæ, tegetibus ſeptus,(ſic enim fortaſſe legendum) qui certis diebus circa Veſtalia aperitur:ij dies religioſi habentur.Vitatos etiam à pleriſque, vt ominis aduerſi. 4. Kalendas, Nonas, Idus,Gellius, & Macrobius, tradidere. quanquam vnius Gellij mihi quidem ſufficit auctoritas: à quo Macrobium,& in hoc loco,& alibi totidem verbis eadem ſumpſiſſe conſtat. Diebus autem religioſis exercitum conſcribere,legiones educere, manus cum hoſte cõſerere,ſponſalia inire, peregre proficiſci,denique publicæ vel priuatæ rei quidquam moliri non licuit:quod his diebus aduerſus rerum exitus conſecutus eſſet.De diebus hæc. Horæ verò, quibus agi cum populo poſſet,omnes erant intra ortum ſolis, & occaſum,reliquis non licebat:ante primam enim horam nihil agi licuiſſe cum populo,cum ait Dio in extremo lib.39.nõ ex plano,ante primam horam Romani diei, cuius initium à media nocte ſumebatur,ſed ante lucẽ, ante aurorã:quod ipſe quoque Dio ſic interpretatur. his verbis: ὁ Γάλβας ὁ Σέργιος κρύφα. καὶ ὑπὸ τὴν ἕω στρατηγῶν τὸν ψῆφόν τισιν ἔδωκε: καὶ πρὸ ὧν ἐξὸν ἐκ τῶν νόμων, πρὶν πρώτην ὥραν γενέσθαι, ἐν ᾧ δήμῳ τι χρηματισθῆναι. Quòd ſi nõ ante primam, ſequitur vt nec poſt extremam, id eſt eam,quæ diem claudit,agi cum populo licuerit: ſiquidem neque veſpertina S.C. rata fuiſſe, neque prætori vrb.ius dicere poſt ſolis occaſum licuiſſe, traditum eſt à Cicerone in Philippica.2.& à Cenſorino de die natali.ſicut igitur non omnibus diebus ferre legem licebat,ita nec omnibus horis:quibus autem horis, iis, ita licebat,ſi neque fulgeret Iupiter,neque tonaret.

Cauſſæ ferendarum legum.

Nunc de cauſſis agamus: quæ ipſa quoque noſtri promiſſi pars eſt.A corruptis moribus manaſſe leges, nemini dubium eſt.nam vbi continenter & ſobrie viuitur,vbi colitur pietas,vbi iuſtitiæ locus eſt:quorſum ibi lex feratur?nec ſanis corporibus quæſita medicina eſt:nec,qui leniter & ſedato curſu amnes fluerent,ſed incitatis,extráque ripas diffluentibus aggeres obiecti. vetuſtiſſimi mortalium, prorſus omnem vim, atque omnem luxum ignorantes, tranquillam vitam, ipſa natura duce,viuebãt.poſt erupit iniuria,& quod quiſque potuit,id quiſque velle, neglecta ratione, cœpit. tunc neceſſariò leges latæ, & iniecta licentiæ quaſi frena,quæ ſi quis rectè agere ſua ſponte nollet, eum pœnæ metu in officio continerent.itaque conſeruandæ augendæque ciuitatis cauſſa,& vt eſſet bene viuẽdi norma, legem inuentam, manifeſte cognoſcitur. neque minus ad hunc finem ſpectarunt, quæ de religione,

gione,quàm quæ de bello leges latæ ſunt.quæſita pietas in deos videtur,quæſita populo voluptas, vt in ludis:omnia tamen ad publicam vtilitatem referebãtur. Cuius autem legis vitioſa ac turpis origo ſit:ea lex nominanda non eſt.nam legis cauſſa iuſtitia, & lex ipſa iuſta ac ſancta debet eſſe.inde enim publicum exoritur commodum.publicum dico, & quo munitur imperium aduerſus hoſtilem vim, & quo priuati ciues, ſua quiſque bona, ſuum quiſque ius, aduerſus priuatorum iniurias tuentur.quòd ſi hoc in omni bene inſtituta ciuitate,multo magis agnoſcitur in Republica Romana:quæ dum optimis legibus paret, malas autẽ vel abrogat ſuffragiis populi,vel tollit Senatuſcõſult. orbem terrarum pæne vniuerſum imperio comprehendit.quæque ciuitates aut malas leges habuerunt, aut bonis non rectè ſunt vſæ:aliæ vi externa, aliæ domeſtica ſeditione conciderunt.quod & apud veteres ſæpè accidiſſe legimus,& noſtra non ſemel tempeſtate vidimus.

Legis poteſtas

Supereſt de poteſtate legis. ea,quæritur, primum vtrum maxima, deinde, ſi maxima, vtrum perpetua. quod pro noſtra conſuetudine breuiter oſtendemus. Erat in lege ſumma vis,non ſolum,quia,quod erat lege ſancitum,Quirites omnes tenebantur, quod tribus legibus. vna conſulari Valeria Horatia; duabus dictatoriis,Publilia,& Hortenſia,ſancitum ſuprà diximus (paucas tamen excipio,quibus non omnes plane ciues obſtringebantur:quo de genere fuiſſe legem de repetundis,iam oſtendimus: lata enim eſt poſt illas tres, conſularem vnam,dictatorias duas, à nobis proxime nominatas:& , quodcunque poſtremum populus iuſſit,id ius ratúmque eſſe. XII.Tabul.lege ſancitum eſt) verum etiam,quia non,vt prætoris edictum, item lex annuo ſpatio terminabatur, ſed vigebat vſque dum alia lege abrogaretur. abrogari vero omnes licuit, præter Sacratas:quæ violatæ ſæpè, abrogatæ nũquam ſunt.abroganti verò non eadem,quæ violanti legem pœna ſancitur. cæteræ leges & abrogari omnes potuerunt,& abrogatæ multæ ſunt.tametſi nulla lata lex eſt,quæ ipſa ſe contra abrogationem quaſi ſanctionis ſepimento non munierit,graui pœna,mulctáve ei,qui abrogaſſet,irrogata.at multi multas abrogarunt, neque tamen vllam propterea ſubiere pœnam.Dixi iam, plus fuiſſe poteſtatis in eo, quod poſtremum populus iuſſiſſet,quàm in eo,quod antea iuſſerat: id lege XII. Tabul.ſancitum eſſe.iuſſum autem populi & ſuffragia fuerunt,quibus abrogabantur leges.itaque, non quid antea populo placuiſſet,ſed quid ei poſtremum placeret,ſpectari ſolebat.ſenſit autem in hoc genere populus non ſemper è Repub.nam quemadmodum ſæpe malas leges bonus populus,ſic interdum bonas malus abrogauit.à ſenatu verò nunquam lex vlla, niſi Reipu. cauſſa ſublata eſt,vt,cum Appuleiæ,Mario conſule referente,S.C.damnatæ ſunt,quod ab hoſte Reipub. L. Appuleio Saturnino rogatæ eſſent:aut, cum Liuiæ cõſilio Philippi conſulis ſublatæ,quia cõtra auſpicia,quæ ſeruari lex Ælia iubebat,à M.Liuio Druſo latæ iudicarentur.erant enim quatuor omnino genera, (vt ipſa ferè Ciceronis verba vſurpem, quæ ſunt in oratione pro C.Cornelio)quibus per ſenatum more maiorum ſtatueretur aliquid de legibus:vnum eiuſmodi, placere legem abrogari,vt Q.Cæcilio,M.Iunio coſ.quæ leges rem militarem impedirent, vt abrogarẽtur. atque hoc genere nõ abrogabat legem ſenatus, (nam abrogare proprie populus dicebatur)ſed, vt abrogaretur, ſtatuebat. Alterum genus erat: quæ lex lata eſſe diceretur,ea non videri populum teneri,vt L.Marcio,Sex. Iulio coſ.de legibus Liuiis:quæ vt vno S. C. tollerẽtur, Philippus cõſul,Liuij inimicus,obtinuit à ſenatu. ideo autem,huiuſmodi legibus non videri populum teneri, ſenatus decernebat, quia, contra auſpicia latas eſſe, augures monuiſſent. Tanta Romæ fuit in auguribus auctoritas.de quibus libr. II. de legibus hæc à Cicerone ſcripta legimus:Quid religioſius,quàm cum populo,cum plebe agendi ius aut dare,aut non dare? quid, leges,non iure rogatas,tollere?nihil domi, nihil militiæ,per magiſtratus geſtum,ſine augurum auctoritate poſſe cuiquam probari? quæ ipſa, & alia, in libro de Religione tractabimus.Tertium, de legum derogationibus.quo de genere perſæpe S.C.fiunt, vt de lege Calpurnia de ambitu,quæ derogaretur. Quartum genus,quod ea Ciceronis oratio mutila admodum eſt, neque in ipſa,neque in Pediano interprete,ac ne alibi quidem,quod ſciam,inuenitur.me tamen in eam partem coniectura ducit,vt exiſtimem, cum aliquem ſenatus hoſtem iudicaret,ſimul, vt eius quoque leges, quæ quidem aduerſus Rempub.eſſent,tollerentur,eodem S.C.aut alio, proxime facto, iudicaſſe. quarum enim maxime legum cauſſa pernicioſus patriæ ciuis damnatus ſit,& à Repub.remotus: eas ipſas leges in Rep.non hæſiſſe,ſed abiectas illicò eſſe,etiam ſi ab hiſtoria non prodatur,veri tamen ſimillimum eſt.quale fuit,quod de legibus Saturnini proximè, & de legibus M.Antonij in prima huius libri parte diximus. Rectè igitur ſemper,& iuſtiſſime ſenatus.A populo verò,aut ab iis,qui mercede conducti ſpeciem quandam populi præ ſe ferebant,temeritate potius aut fraude, quam conſilio,aut ratione, ſalutares ciuitati leges nonnunquam abrogatæ ſunt,vt,rogante P.Clodio tribuno pl. Ælia de auſpiciis,Fuſia de diebus comitialibus:Poſtremum illud eſt,cum,verbo quidem,neque à ſenatu, neque à populo,tacito autem omnium conſenſu per deſuetudinem leges abrogabantur id quod & Iulianus iuriſconſultus notauit.Erat igitur in lege vis non ſolũ maxima, quod Cicero in Philippica II. ſatis planè narrat,cum ait:In publicis actis nihil eſt lege grauius; verum etiam perpetua:ſiquidem vetuſtate neque tollebatur lex,vt edictum:neque debilitabatur,vt S.C.niſi ſi leges eſſent eiuſmodi, vt Reipub. minimum conſulere viderentur.nam has contrario vſu non ſolum debilitatas,verum etiam plane exſtinctas,neque damnatum eſſe quemquam,quia feciſſet aduerſus eam legem,quæ iam exerceri deſiiſſet,ſatis conſtare video. Leges autem multæ,quamdiu Reſpub.ſtetit, perpetuo iure valuerunt,cum,ipſo libertatis initio, à primis cõſulibus,ac iam ante à primis regibus latæ eſſent.quibus ego de legibus loquor, cum perpetuam vim legi tribuo.nam pernicioſas leges, nec iure rogatas, non perpetuo iure eſſe, ſed tolli quàm primum vtile eſt: cuiuſmodi multæ S.C. ſublatæ ſunt. populus autem, quem ſæpe à Reipub.commodo malæ rationes auerterent, rectam diiudicandis legibus normam non agnouit,ſed vtiles ſæpe abrogauit,ſæpe ſciuit inutiles. Illud tamen,quia pertinet ad abrogandi rationẽ,quod in Feſto Pompeio notaui,non omittam: in ſanctione legum adſcribi ſolitum, ne per Saturam abrogari derogatiue liceret.erat enim Satura,lex multis aliis conferta legibus,accepto nomine à genere cibi ex variis rebus condito.quod apud Diomedem grammaticum ſcriptum eſt.id autẽ eo placuit in ſanctione adſcribi, quia in lege,multis legibus permixta & confuſa, ſubeſſe fraus,quæ populum falleret,facile poterat: at in ſimplici lege, ſi de abrogando derogandóve populus rogabatur,non difficile erat,id, quo derogabatur, quale eſſet,intelligere.Addã & illud,fractam eſſe legis vim,non modò cum alia lege nominatim abrogaretur,ſed etiam,cum,non omnino tota,ſed eius pars lege poſterius lata tolleretur:quod, Derogare, dicebatur:aut,cum nulla ſuperioris legis mentione facta,ali-

quid ei contrarium poſteriore lege rogaretur: quod orat, Obrogare. atque, hoc quidē de genere apud Liuium lib. 9. P. Sempronius tribunus pl. aduerſus Ap. Claudium cenſorē in cōcione ita diſputat: Ideo Æmiliæ potius legi paruerunt, quam illi antiquæ, quia hanc poſtremum populus iuſſerat, & quia, vbi duæ contrariæ leges ſunt, ſemper antiquā abrogat noua. Eſt etiā in 11. de Inuentione ita ſcriptum: In duabus contrariis legibus, vtra poſterius lata ſit conſiderare oportet. nā poſtrema quæque grauiſſima eſt. Omninò, quod legis vim maximam fuiſſe dixi, eò dixi, nō ſolum quia nihil eſſet lege grauius, & in publicis actis nihil obſeruaretur magis, verum etiam quia legis ſententia pertineret ad omnes ciues, & omnibus æqua iura deſcriberet: præſertim à quo tempore Q. Hortenſius dictator rogationem tulit, de qua iam mentionem fecimus, vt, quod plebs ſanxiſſet, eo Quirites omnes tenerentur. verumtamē duo genera legum excipio: alterum, quod non omnes ciues, alterum, quod omnes quidem, ſed diſpari iure cōprehenderet. primum enim illud apud Ciceronem lib. 3. ad Atticum obſeruaui, quam legem aliquis tribunus pl. ferret, ea lege collegas eius obſtrictos minimè fuiſſe. deinde, vt omittam leges alias, quibus ſenatores tenebantur, cæteri autem erant ordines liberati: quam legē, ne quis iudicio circumueniretur, C. Gracchus tulit, eam pro plebe, non in plebem eſſe latam, declaratur in oratione pro Cluentio. poſteaque L. Sylla Felix, cum eius rei quæſtionem ſua lege conſtitueret, populum R. quem ab hoc genere liberum acceperat, alligare nōuo quæſtionis genere auſus non eſt. ergo hac lege, quæ primum Sempronia fuit, de C. Gracchi latoris nomine, deinde Cornelia, poſtea quā L. Sylla, lege lata, quæſtionem & ipſe eiuſdem rei conſtituit: qua deinde potius, quam Sempronia, eius generis iudicia ſunt adminiſtrata: hac, inquam, lege, vt eſt in oratione pro Cluētio, ſenatores, & ij qui magiſtratum geſſerāt, ſoli tenebātur: vt, quemadmodum rectè agentibus plura præmia, ſic plura peccantibus iudiciorum pericula propoſita eſſent. Lege etiam Iulia de pecuniis repetundis equeſtrem ordinem non fuiſſe alligatum legis in oratione pro Rabirio Poſthumo. in oratione verò pro Cluentio, quæ lex item de pecuniis repetundis nominatur, qua & ipſa præter ordinem ſenatorium nemo tenebatur, Iulia non fuit, vt ex temporum examinatione, quæ me ſæpe magnis erroribus expediuit, facile conieci. nam cum Iuliam de repetundis latam eſſe à C. Cæſare in primo conſulatu, notum ſit vel ex hiſtoria, vel ę Ciceronis orationibus atque epiſtolis: orationem autem pro Cluentio annis aliquot ante Cæſaris conſulatum Cicero prætor habuerit: ſequitur, vt omnino, quod ad nomen attinet, diuerſæ leges fuerint. Quænam igitur fuit, dicet aliquis? Cornelia, L. Syllæ: ex qua multa in ſuam legem poſtea Cæſar tranſtulit. de qua ſic in ea pro Poſthumo: Si eſt hoc nouum in lege Iulia, ſicuti multa ſunt ſeuerius ſcripta, quàm in antiquis legibus, & ſanctius iudicata: ſanè etiam conſuetudo huius generis iudiciorum noua. ſin hoc totidem verbis tranſlatum caput eſt, quod fuit non modò in Cornelia, ſed etiam ante in lege Seruilia: per deos immortales, quid agimus, iudices, aut quem hunc morē nouorum iudiciorum in Rempub. inducimus? Reliquum eſt, vt de lege agamus, quæ omnes quidem ciues, diſſimili tamen conditione adſtringeret. ad hoc quidem cum multis exemplis probare poſſim, vno contentus ero. Fuit igitur huius generis Tullia de ambitu: qua lege aliam plebi, aliam ſenatoribus irrogatam eſſe pœnam, conſtat ex oratione pro Murena.

LEGVM

LEGVM ROMANARVM ACCOMMODATA AD LITERARVM ORDINEM ENVMERATIO.

Quid autem in hoc legum ſyntagmate hac poſtrema editione præſtiterimus, docebit te epiſtola ad Lectorem, Præfationi adiuncta.

A

ACILIA Minutia, de pace Carthagineſium. Tulere M. Acilius, & Qu. Minutius Tribuni pleb, Cornelio, Ælio Coss. Anno ab vrbe condita DLII. Velléntne iuberéntne ſenatum decernere, vt cum Carthaginenſibus pax fieret? & quem eam pacem dare, quémque ex Africa exercitus deportare iuberent? De pace, vti rogas, omnes tribus iuſſerunt: pacem dare P. Scipionem, eundem exercitus deportare. Liuius lib. 30.

Acilia, DE COLONIIS DEDVCENDIS. Tulit C. Acilius Tribun. pleb. Cornelio, Minutio Coss. Anno ab V. DLVI. Vt quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur: duæ ad oſtia fluminum Vulturni, Liternique: vna Puteolos, vna ad Caſtrum Salerni. his Buxentum adiectum: tricenæ familiæ in ſingulas colonias iubebantur mitti. Liuius lib. 32.

Acilia REPETVNDARVM. Tulit eam M. Acilius Glabrio, patet eius qui Verris in cauſſa Prætor fuit, & cum C. Calpurnio Piſone poſt biennium conſulatum geſſit: quæ ab eo in Tribunatu plebis lata eſt, vt vult Manutius. Vt repetundarum cauſſa vna actione abſolueretur: id eſt, vt neque reum comperendinari, neque cauſſam ampliari liceret. Item vt qui accuſatores conſtituti eſſent, poteſtatem haberent literas & publicas & priuatas conquirendi, adſignandi, deportandi. Cic. Verrin. 2. & 3. & in ſecundam Aſconius.

ÆBVTIA DE LEGIBVS. Tulit Æbutius Tribunus pleb. Vt duodecim Tab. capita, quæ Reip. propter antiquitatem obſoletáſque res inutilia eſſent, abrogarentur: ſolæ legis actiones Centumuiraliũ cauſſarum manerent. Gellius lib. 16. cap. 10. Ludouicus Charondas de hac lege in fragmento quodam Romanæ antiquitatis ſic reperiri ait: L. Æbutius Tribunus pleb. vir popularis, legem tulit ad populum, vt XII. Tab. capita, quæ inutilia eſſent reip. tollerentur. Quæ lex multis contradicentibus tandem rogata eſt.

Æbutia LICINIA. Vide Licinia Æbutia.

ÆLIA, DE COLONIIS DEDVCENDIS. Tulit Qu. Ælius Tubero Tribunus plebis, Cornelio, Sempronio Coss. Anno DLVIII. Vt Latinæ duæ coloniæ, vna in Brutios, altera in Thurinum agrum deducerentur. Liuius libro 34.

Ælia, DE COL. DED. Tulit idem. Vt in agrum Latinum Thurinum coloniæ deducerentur. Liuius lib. 35.

ÆLIA, DE comitiis. Tulit Q. Ælius Coss. cum M. Iunio, Anno DXXCVI. vt vult Hotomanus: à Tribuno tamen plebis latam contendit Manutius, vt & Fuſiam, tum & ex Ælia gente, neminem vnquam conſulatum geſſiſſe. Et ſane teſtatur Sigonius eo anno Conſules fuiſſe A. Manlium cum Q. Caſſio. Nec vero poſt interfectos Gracchos, vt vult Zaſius, & ante Punicum bellum tertium lata eſt hæc lex. Tib. enim Gracchus Scæuola & Piſone Coſſ. poſt euerſam Carthaginem occiſus eſt. Et Cicero Orat. in Vatinium ſcribit leges Æliam & Fuſiam in Gracchorum ferocitate vixiſſe. Huius autem Æliæ legis hæc ſunt capita: Vt quoties cum populo ageretur, augures de cælo ſeruarent, magiſtratus & ob nunciandi, id eſt denunciandi agi per Iouem non licere, & legiſlationi intercedendi poteſtatem haberent. Nam cum lex ferretur, Augures de cælo ſeruabant: magiſtratus, ſi quid obſeruatum erat, quo impediri comitia poſſent, nunciabant. Cic. in Piſoniana, vbi centum ante Piſonis & Gabinij conſulatum annis latam hanc fuiſſe legem ſcribit oratoriè & ſuo more. Mentio eſt apud omnes frequentiſſima.

ÆLIA Sanctia, quæ nominatur in Topicis Ciceronis, inducenda eſt, auctoribus antiquis libris, ſuntentiáq; ipſa & hiſtoriæ veritate poſtulante. idque iampridem interpretum nonnulli docuerunt.

ÆLIA SENTIA, de teſtamentis. Tulere Sex. Ælius, C. Sentius Coss. An. DCCLVI. Auguſti temporibus. Vt qui ſerui pœnæ cauſſa vincti à domino, quibúſve inuſtæ notæ fuerant, quíve propter noxam torti, nocentéſve inuenti, quíve traditi vt ferro aut cũ beſtiis depugnarent, quíve in cuſtodia fuiſſent, ij ſi manumitterentur, non ciues Ro. ſed dedititiorum numero eſſent: id eſt, vt ne connubium, neque cõmercium, neque teſtamenti factionem haberent. Vt minorẽ triginta annorum ſeruum vindicta aut teſtamento, niſi cauſſa apud conſilium probata, manumittere non liceret. Ne dominus annis viginti minor, ſeruum, niſi cauſſa apud conſilium probata, manumitteret. Vt ſeruus ab eo domino qui ſoluendo non eſt, teſtamento liber eſſe iuſſus, & hæres inſtitutus, & ſi minor ſit triginta annis, vel in ea cauſſa, vt dedititius fieri debeat, ciuis Ro. & hæres ſit: ſi tamen alius ex eo teſtamento nemo hæres ſit. Quòd ſi duo pluréſve liberi hæredéſve eſſe iuſſi ſunt, primo loco ſcriptus liber & hæres ſit. Vt ſi patronus libertum inopem non aluerit, primùm libertatis cauſſa impoſitis, tam ipſe, quàm is ad quem ea res pertinebit, mulctetur: dein ipſius hæreditate, tum ipſe tum ipſius liberi priuentur, niſi hæres inſtitutus ſit. poſtremò à bonorum poſſeſſione remoueatur, præterquam ſecundum tabulas. Ne dominus in manumittẽdo ſeruo ſeruáve legem ei de cõtrahendo matrimonio, quæ

ciuis Rom.libertatem imminuat, imponat; ſi ſecus faxit, ad eius legitimam hæreditatem ne admittatur. Vlpianus tit.1.Inſtit.& Iuſtinianus Inſtitut.quib.ex cauſ. manum.non lic.item Iulianus l.qui ſoluendo. quadrageſimaſecunda, Paulus l.ſi is qui.55.l.57. l.qui ſoluendo. 60.l.ſi non lex.83. D.de hæredibus inſtitu. l.ſciendum. 70.D.de verbor.ſignifi.l.j.C.qui manum. non poſſ.l.3. §.2.D.de ſuis & legit.l.ſi patronus trigeſimatertia, D. de bon.liber.Refertur & hoc huius legis caput, Vt ſi eſſet donatio facta inter virum & vxorem, maritúſq; re nondum tradita, vita exceſſiſſet, ne mulier rei vendicationem poſt obitum mariti haberet, ſed tantummodo exceptionem, ſi non poſſideret contra petitores, vt habetur in Authent.Conſtitut. 161. vbi etiam addit Imperator, Rempublicam hanc legem à corpore legum ſuarum ablegaſſe.

ÆLIA, de Statilio. Tulit C. Ælius Tribun. pleb. qua damnatus eſt Stennius Statilius Lucanus, quòd Thurinos infeſtaſſet. Plinius lib.34.cap.6.

ÆMILIA CIBARIA. Tulit M.Æmilius Lepidus Coſſ. cum Qu.Luctatio Catulo, Anno DCLXXV. Hac non ſumptus cœnarum, ſed ciborum genus & modus præfinitus eſt. Gellius libri ſecundi cap.24. Macrobius Satur.lib.3.cap.16. Plinius lib.8.capit.57. Sorices & ipſos hieme condi auctor eſt Nigidius, ſicut glires, quos Cenſoriæ leges, princépſque M.Scaurus in conſulatu, non alio modo cœnis ademere, quam conchylia, aut ex alio orbe aduectas aues.

ÆMILIA DE CENSVRA. Tulit Mam.Æmilius Dictator, Anno CCCX. Ne cenſura quæ vſque eò quinquennalis fuerat, plus quàm annua ac ſemeſtris eſſet. Liuius libro quarto, & 9. Huius etiam meminit Feneſtella cap.17. de cenſorib. latámque ſcribit Iulio Virgilio, M.Appio Coſs. corruptè tamen, ſi Liuij chronologiam exactè conſideres.

ALLIENA, DE TERMINIS. Tulit. Eius hoc caput legitur in libro De agrorum conditionibus valde corruptum: ſed ex Roſcia, quam ſuo loco deſcribemus, ſic caſtigat eam Hotomanus: Quæ colonia hac lege deducta, quódve municipium conſtitutum erit, qui limites decumani, quæcunque foſſæ in eo agro erunt: qui ager hac lege datus aſſignatus erit, ne quis eos limites decumanos obſepito, néve quod in eis immolitum, néve quid ibi poſitum habeto, néve eos arato, néve eas foſſas obturato, néve quis ſepito, quo minus ſuo itinere aqua ire fluere poſſit. Si quis aduerſus ea quid fecerit, in res ſingulas quotieſcunque fecerit, ꝯ IIII. colonis, municipibúſve iis in quorum agro id factum erit, dare damnas eſto: pecuniæ qui volet petitio hac lege eſto.

AMPIA LABIENA, de Cn.Pompeio. Tulere T.Ampius, T.Labienus Tribuni pleb. Metello, Afranio Coss. Anno DCXCIII. Vt Cn.Pompeius victor ex Aſia ludis Circenſibus corona aurea & omni cultu triumphantium vteretur: ſcenicis autem prætexta coronáque aurea. Velleius lib.2.

ANNARIA LEX dicebatur ab antiquis ea, qua finiuntur anni magiſtratus capiendi. Feſtus. vide VILLIA.

ANTIA SVMPTVARIA. Tulit Antius Reſtio. De ſumptu in conuiuia. &, Vt qui magiſtratus eſſet, magiſtratúmve capturus eſſet, ne quò ad cœnam niſi ad certas perſonas itaret. Gell.lib.2. cap.24. Macrobius lib.3.cap.17.

ANTISTIA, DE Satricanis. Tulit M.Antiſtius Trib. pleb.Foſlio (vt opinatur Hotom.) & Plautio Coss. Anno. DCXXXV. Vti Senatui de Satricanis ciuibus Ro.ſententiæ ferendæ ius eſſet. Liuius lib.26.

ANTONIA IVDICIARIA. Tulit M.Antonius Cos. cum C.Iulio, Anno DCCIX. Vt tertia iudicum decuria, è centurionibus, anteſignanis, alaudis, manipularibus fieret. Cicero Philip.1. & 5. Suetonius in Auguſto: ex quo etiam intelligi poteſt hanc non fuiſſe abrogatam, cum ille hoſtis iudicatus eſt, vt vult Zaſius. ſic enim ſcribit: Ad tres iudicum decurias quartam addidit ex inferiore cenſu, quæ ducenariorum vocaretur, iudicaréntque de leuioribus ſummis.

Antonia, DE DICTATVRA. Tulit idem Triumuir, R.P.C. Ne quis vllam ob cauſſam de Dictatore creando referret, néve Dictaturam oblatam acciperet. qui ſecus faxit, eum vt necare ius fáſque eſſet. Appia. Emphyliωn, lib.3.

Antonia MAIESTATIS. Tulit idem III.vir: quæ damnatis de maieſtate, vt refert Manutius, prouocationem ad populum dabat: quod antea in vno perduellione, omnium de maieſtate criminum grauiſſimo, licebat.

Antonia, DE NOMINE MENSIS Iulij. Tulit idem. Vt qui menſis antea Quintilis vocabatur, quòd à Martio qui priſcis temporibus primus fuerat, quintus eſſet: is à C.Iuiij Cæſaris nomine, Iulius deinceps diceretur: quòd hoc menſe ad quartum Idus Quintil. Iulius natus eſſet. Macrob.lib.Sat.2.cap.12.

Antonia, DE SVFFRAGIIS pop. Tulit L.Antonius: qua cum Caio Cæſare magiſtratus partitus eſt. Cicero Philipp.7.

Antonia, DE SACERDOTIIS. Tulit idem. Vt ius cooptandorum ſacerdotum à populo ad illorum collegium iterum transferretur. Dio lib.37.

APPVLEIA, DE coloniis. Tulit L.Appuleius Saturninus Tribu.pleb. C.Mario VI. L.Valerio Coss. Anno DCLIII. Vt in ſingulas colonias ternos ciues Romanos C.Marius facere poſſet. Cicero pro Balbo.

Appuleia AGRARIA. Tulit idem, eodem anno. Vt quem agrum C.Marius Coss. in Gallia pulſis Cimbris, in ditionem populi Ro. redegiſſet, is populo Ro. diuideretur, & ſi ita lex ſciuiſſet, intra diem quintum à ſingulis ſenatoribus in eam iuraretur: qui non iuraſſet, ei mulcta pœna eſſet. Appianus, lib. De bello ciuili.1.

Appuleia MAIESTATIS. Tulit idem. Meminit Cicer. lib. De oratore ſecundo, vbi de cauſſa Norbani loquitur, quem defendit Antonius maieſtatis Appuleia lege poſtulatum: quod ſcilicet, ſeditione populi concitata, quod ad maieſtatem pertinuit, Q.Seruilium Cæpionem innocentem damnaſſet.

Appuleia, DE METELLO. Tulit idem. Vti Qu.Metello Numidico Conſuli, quòd legi ipſius Agrariæ, quæ intra quintum diem iurari in eam iubebat, non paruiſſet, aqua & igni interdiceretur. Appian. lib. De bello ciuili primo, Cicero pro Sextio, & pro Domo.

AQVILIA, DE DAMNO iniuria dato. Tulit C.Aquilius Gallus, Tribun. plebis: vti ſcribit Vlpianus lege prima, D.ad leg.Aquil. ex quo plebiſcitum verius appellatur. Eius tria capita fuere, quorum primum & tertium his extat verbis: Qui ſeruum ſeruámve, alienum alienámve, quadrupedémve pecudem iniuria occiderit: quanti id in eo anno plurimi fuit, tantùm æs dare domino damnas eſto. Cæterarum rerum præter hominem & pecudem occiſos, ſi quis alteri damnum faxit, quod vſſerit, fregerit, ruperit iniuria: quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum æs domino dare damnas eſto: Aduerſus inficiantem in duplum actio eſto. Hanc autem putat Hotomanus eſſe legem de qua Cicero in Bruto ſic loquitur, Atque eodem tempore accuſator de plebe L.Cæſidænus fuit, quem ego audiui iam ſenem, cum ab L.Sabelio mulctam lege Aquilia de iuſtitia petiuiſſet. vult enim legi DAMNI INIVRIA: & mulctam intelligi, quanti plurimi æſtimationem. Secundum caput, quod in deſuetudinem abiit, videtur fuiſſe Cuiacio de quauis alia ratione damni dati, etiam ſi non fuerit læſa res noſtra,

ſed intercepta nobis forte vtilitas quædam. Vt aduerſus piſcatorem ſocium à Plinio proditum eſt lib.9.ca.59. qui Anthiam conciliatorem capturæ & ducem ceperat, cum is in macello agnitus eſſet à ſocio, cuius iniuria erat, damni dati editam formulam, condemnatúmque, æſtimata lite 10. libris. Conſtat enim ſocium pro ſocio teneri lege Aquilia, l.47. D. pro ſocio.

ATERIA TARPEIA, DE MVLCTA. Tulere Sp. Tarpeius Montanus Capitolinus, A. Aterius COSS. Anno CCXCVIII. Vt omnibus magiſtratibus mulctæ dicendæ ius eſſet, cum antea ſolis Conſulibus id liceret: ita tamen ne vel duos boues, vel triginta oues excederet. Vt cum mulcta pecoris armentique à magiſtratibus diceretur, bos centuſſis, ouis decuſſis æſtimaretur. Dionyſius lib.10. Gellius lib.11. cap.j. & Feſtus lib.14. in voce Peculatus. Notandum autem legem hanc, ſæpe Tarpeiam tantùm, vocari, vt apud Feſtum loco præcitato: alias etiam Ateriam, vt apud Gellium, vbi tamen corruptè Aterina legitur. Ad huius autem primum caput reſpexiſſe videtur Vlpianus l. vnica. D. ſi quis ius dic. non obtemp. dum ait: Omnibus magiſtratibus ſecundum ius poteſtatis ſuæ conceſſum eſt iuriſdictione pœnali iudicio defendere.

ATIA, DE SACERDOTIIS. Tulit T. Atius Labienus Tribunus plebis, L. Iulio, C. Marcio COSS. Ann. DCXCIX. Vt populus ſacerdotia (quemadmodũ olim lege Domitia) mandaret, cum antea ſacerdotes l. Cornelia à Pontificum collegio crearentur. Dio lib.37.

ATILIA, DE DEDITITIIS. Tulit L. Atilius Tribunus plebis, Claudio, Valerio COSS. Anno DXLIII. Omnes Campani, Attellani, Calatini, Sabatini, qui ſe dediderunt in arbitrium ditionémque populi Romani, Fuluio Proconſuli, quæque vnà ſecum dediderunt, agrum vrbémque, diuina humanáque, vtenſiliáque, ſiue quid aliud dediderunt: de his rebus quid fieri velitis, vos rogo Quirites. Plebs ſic iuſſit, Quod Senatus maxima pars cenſeat, qui aſſidetis, id volumus iubemúſque. Hæc Liuius lib.26.

ATILIA MARTIA, DE Trib. militum. Tulere L. Ælius, C. Martius Tribuni plebis, Iunio Æmilio COSS. Anno CDXLII. Vt Tribuni militum ſeni deni in quatuor legiones à populo crearentur. Quæ antea, perquàm paucis ſuffragio populi relictis locis, Dictatorum & Conſulum fermè fuerant beneficia. Liuius libro nono.

Atilia, DE TVTELIS. Tulit. Vt mulieribus pupilliſve tutores non habentibus, à Prætore & maiore Tribunorum plebis parte darentur. Vlpianus capite Inſtit. 12. Imperator, De Atiliano tutore. Liuius lib.39. Hæc tamen poſtea à Claudio Imp. abrogata fuiſſe videtur, cum ſcribat Suetonius, ſanxiſſe Claudium, vt Conſules pupillis vtriuſque ſexus tutores darent: quod viciſſim ab Antonio Philoſopho ſublatum refert Capitolinus, ab eóque Prætorem tutelarum inſtitutum. Hæc autem, vt volunt quidam, Romæ tantum locum habebat.

ATINIA, DE VSVCAPIONIBVS. Tulit. Vt quod ſurreptum eſſet, eius rei æterna auctoritas eſſet, niſi ſi in eius cui ſurreptum eſſet, poteſtatẽ reuertiſſet. Gellius lib.17. cap.7. Paulus, l.4. §.4. D. de vſurpat. Iulianus, l.33. eiuſdem tit. §. furtiuæ. Inſtit. de vſucap. Cic. Verrina 3.

Atinia, DE TRIB. PLEB. Tulit. Vt qui Trib. pleb. eſſet, idem ſenator eſſet: dicendæque in ſenatu ſententiæ ius haberet. Gell. lib.14. cap. vlt.

AVRELIA, DE TRIBVN. PLEB. Tulit C. Aurelius Cotta COSS. cum L. Octauio, Anno DCLXXVIII. Vt Tribunis pleb. liceret poſtea alios magiſtratus capere: quod lege Syllæ iis erat ademptum. Pedianus in Cornelianam, in Verr. 1. Liuius lib.97. Velleius lib.2.

AVRELIA IVDICIARIA. Tulit C. Aurelius Cotta Prætor, M. Craſſo, Cn. Pompeio primùm COSS. Anno DCLXXXIII. Vt iudicia quæ penes ſolos ſenatores erant, inter ſenatores, & equeſtrem ordinem, & Tribunos ærarios communicarentur. Cic. in Verrinis ſæpe, Aſconius in eaſdem. in Orat. pro Cornelio, & in Piſonem. Florus verò Epitome 97. Velleius libr.2. vbi tamen Tribunos ærarios non nominat.

B

BÆBIA, DE PRÆTORIBVS. Tulit. Vt alternis annis quaterni Prætores crearentur. Liuius libro quadrageſimo: Feſtus nominat libro decimoſexto, in voce Rogat.

C

CADVCARIA, vide infra, Iulia Caducaria.

CÆCILIA, DE FVLLONIBVS. Tulit Cæcilius Metellus. C. Flaminius, L. Æmilius CENS. dedere ad populum ferendam, cum illis non liceret. Plinius libro 35. cap.17.

CÆCILIA DIDIA, DE LEGIBVS. Tulerunt Qu. Cæcilius Metellus, T. Didius COSS. Anno DCLV. Ne multis de rebus coniunctim vna rogatione ad populum ferretur, ne populo neceſſe eſſet in coniunctis rebus compluribus, aut id quod nollet accipere, aut id quod vellet repudiare. Item, vt in legibus promulgandis trinundinum ſeruaretur. Cicero Philipp.5. pro Domo ſua, & ad Attic. epiſt.1. Manutius autem Cæciliam Didiam non vnam legem eſſe contendit, ſed duas diuerſa ſententia latas: vt primum quidem caput ad priorem, poſterius ad aliam referatur.

Cæcilia, DE CENSORIBVS. Tulit Qu. Cæcilius, Qu. F. Metellus Pius, Scipio COSS. cum Pompeio. Anno DCCI. Vt Cenſoria poteſtas, quam P. Clodius Tribu. plebis imminuerat, reſtitueretur. Dio lib.40.

CÆCILIA repetundarum. Tulit Qu. Cæcilius Tribun. pleb. Nominatur à Valerio Mar. lib.6. cap.11. hácque L. Lentulum, qui poſtea Cenſor fuit, damnatum refert. Lata eſt, vt cenſet Manutius, L. Marcio, M. Manilio COSS. Anno DCI. quo anno lex Calpurnia lata eſt, vel certe Sp. Poſthumio, L. Calpurnio.

Cæcilia, DE IVRE ITALIÆ, & tributis tollendis. Tulit Qu. Cæcilius Metellus Nepos, Prætor, L. Afranio, Qu. Metello Celere COSS. Anno DCXCIII. Vt Italia à vectigalibus immunis eſſet. Dio lib.37. Cicero lib.2. Epiſt. ad Atticum: Portoriis Italiæ ſublatis, agro Campano diuiſo, quod vectigal ſupereſt domeſticum, præter viceſimam?

CÆLIA, de ſuffragiis. Tulit Cælius Tribun. plebis, Qu. Cæcilio, T. Flaminio COSS. Anno DCXXX. Vt etiam in perduellionis iudicio, quod Caſſia lege Tabellaria exceptum erat, populus non voce, ſed tabella ſententiam ferret. Cicer. lib. De leg.3.

CALLIDIA, DE Metello reuocando. Tulit Qu. Callidius Tribunus plebis: Vt Qu. Metellus, qui quòd in Saturnini legem iurare noluerat, exilio dãnatus erat, in ciuitatem reuocaretur. Valer. Max. lib.5. cap.2. Cicero pro Plancio.

CALPVRNIA REPETVNDARVM. Tulit L. Calpurnius Piſo Tribun. pleb. L. Marcio, M. Manilio COSS. Anno DCIIII. nulla antea cum fuiſſet: Vt quibus in prouinciis magiſtratus populi Ro. eorúmve comites pecunias contra leges cepiſſent, earum prouinciarum homines iudicio Romę conſtituto ſuas pecunias repeterent. Cic. De offic.2. in Bruto, & Verrina 5.

Calpurnia, DE AMBITV. Tulit C. Calpurnius Piſo COS. cum M. Glabrione, Anno DCLXXXVI. Sigonius DCLXXXIII. Vt ambitûs damnati omni honoris pe

ris petitione prohiberentur, certáq; pecunia mulctarentur. Dio lib.26. Cic. pro Murena, pro Cornel. & in eam Aſcon. Hac lege accuſatoribus præmium fuiſſe refert Manutius, vt ſi ipſi damnati eſſent, aliorúmque eodem in genere culpam demonſtraſſent, in integrũ reſtituerentur, ex Orat. pro Cluentio, quam poſt Calpurniam legem habitam idem cenſet.

Calpurnia, De civitate. Ciſenna hiſtoriæ libr.4. Milites vt lex Calpurnia conceſſerat, virtutis ergo ciuitate donari. Hæc Nonius refert in voce Ergo.

Canvleia, de patrum connubiis. Tulit G. Canuleius Tribunus plebis, M. Genutio & C. Curtio Coss. An. cccix. aduerſus leg. xii. Tab. qua cautum erat, Ne liceret Patriciis coniungi connubio cum plebeiis. Huius hæc referuntur capita: Vt plebi cum patribus connubiorum ius eſſet. Vt Tribuni militum conſulari poteſtate promiſcuè ex patribus ac plebe crearentur, Auguſtinus lib. De ciuitate Dei, 3. cap.17. Liuius lib.4.

Cassia agraria. Tulit Sp. Caſſius Conſul cum Virginio, Ann. cclxvii Vti ex agro Hernicis, quibus cum fœdus ictum erat, adempto, dimidium Latinis, dimidium plebi diuideretur. Lex tamen non tenuit. Liuius lib.2. Valerius lib.5. cap.8.

Cassia, de senatv. Hanc tulit L. Caſſius, L.F. Longinus, Tribunus pleb. C. Mario, C. Flauio Coss. Anno dcxlvi. Vt quem populus damnaſſet, cuíve imperium abrogaſſet, in ſenatu ne eſſet. Aſco. in Cornel. Tulit autem eam Caſſius maximè propter ſimultates cum Q. Seruilio Cæpione, qui ante biennium Conſul fuerat, & cui populus imperium abrogauerat, ob male geſtum bellum.

Cassia, de svffragiis. Tulit L. Caſſius Tribunus plebis, Lepido & Mancino Coss. Anno dcxvi. Vt Iudices ſententias, quas voce dicebant, tabellis ferrent: in his etiam populus ipſe, duntaxat cum de mulctis iudicaret, non de capite: nimirum in perduellionis iudicio. Cicero in Lælio, vbi hanc legem biennio poſt Gabiniam latam ſcribit. item in Bruto, & libro De legibus tertio. item Aſconius in Cornelianam, & Verrinam ii.

Cassia, De Pauli triumpho. Tulit Qu. Caſſius Prætor, Ælio, Iunio Coss. Anno dlxxxvi. Vt Paulo, Anicio, & Octauio ex bello Macedonico cum victoria redeuntibus, quo die vrbem triumphãtes inueherentur, imperium eſſet. Liuius lib.45.

Cassia, De ſenatu ſupplendo. Tulit C. Caſſius Prætor, Dictatore Iulio Cæſare, Vt in numerum Patriciorum, qui Senatui deeſſent, alij ſublegerentur. Tacitus lib ii. Suetonius autem in Iulio Cæſare ſcribit, eum Senatum ſuppleuiſſe, patricios allegiſſe, Prætorum, Ædilium, Quæſtorum, minorum etiam magiſtratuum numerum ampliaſſe. Vtrum autem illa Caſſia lege, an alia, incertum eſt.

Cincia, De donis & muneribus. Tulit M. Cincius Tribunus plebis, Cornelio, Sempronio Coss. Anno dxlix. Vt ne plus ducentis aureis donare liceret: extra quam ſi coniunctis perſonis donaretur. quod eo amplius donatum eſſet, ratum non eſſet, arg. l. ſancimus. C. de donat. Vlpi. ca. Inſti. 1. l.4. & l.5. C. Th. de donationibus. Vt in donatione quibuſcunque perſonis facta mancipatio traditióve adhiberetur, exceptis liberorum & parentum perſonis, quibus cum donatum eſt, hæc ſolemnitas non eſt neceſſaria, d. l.4. & l.5. Ne quis ob cauſſam orandam donum munúſve caperet. Liuius lib.34. Tacitus lib.13. Cic. in Catone, ad Atticum 1. & de Orat. ſecundo. Feſtus hanc muneralem à Plauto vocari ſcribit:

Neque muneralem legem: neque lenoniam,
Rogata fuerit nécne, flocci æſtimo.

Quod autem hac cautum ſcribit, Ne cui liceret munus accipere, non de omnibus generatim, ſed de patronis tantum accipiendum eſt. Idem lege Titia cautum fuit, de qua ſuo loco. Sed primus omnium ob defenſum negotium, vt ait Ammianus lib.30. pecuniam accepit Antipho Rhamnuſius. Poſtea Claudius Imp. vſque ad x. h-s. capi permiſit, quod & Nero confirmauit: vt refert Suetonius, cui adſtipulatur Tacitus lib.11. & Plinius in 6. Epiſtol. ad Rufum. Iuriſconſultis permiſſum videtur capere vſque ad centum aureos, l.3. §. ſi cui cautum. D. de var. & ext. cogn.

Clavdia, de liberali cauſſa. Tulit Ap. Claudius Decemuir, cum collegis, Anno cccii. Vt cum quis in ſeruitutem aſſeretur, vindiciæ ſecundum libertatem darentur. Liuius lib.3. Dionyſ. lib.10. Videtur autem hæc lex deſumpta è Solonis lege quadam, in qua ſic ſcriptum eſt: Σώματος εἰς δουλείαν ἐξ ἐλευθερίας ἀγομένου, μὴ τὸν ἐφαιρούμενον τὴν ἐλευθερίαν, ἀλλὰ τὸν φυλάττοντα κύριον εἶναι μέχρι δίκης.

Claudia, De senatorvm qvæstv. Tulit Qu. Claudius Trib. pleb. P. Cornelio, T. Sempronio coss. Anno dxxxv. adiuuante vno patrum C. Flaminio. Ne quis Senator, quíve Senatoris pater fuiſſet, maritimam nauem, quæ plus quàm trecentarum amphorarum eſſet, haberet. Id ſatis habitum ad fructus ex agris vectandos: quæſtus omnis patribus indecorus viſus eſt. Liuius lib.21. & Cicero Verr.7. Videndum etiam nunquid ad hanc Claudiam pertineat quod Pedianus ſcribit in Cornelianam, his verbis: Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem Senatori habere licet per legem. Hác autem legem poſtea in Iuliam de repetundis Cæſar Dictator tranſtulit. nam ex lege Iulia repetundarum Senatoribus habere naues non licuit, inquit, Scæuola in l. his qui naues. de vacat. mun.

Clavdia, de scribarvm negociatione. Videtur, inquit Hoto. proximæ Claudiæ pars fuiſſe. Suetonius in Domitiano, Scribas quæſtorios negociãtes ex conſuetudine, ſed contra Claudiam legẽ, venia in præteritũ donauit. Aliud ea de lege nihil reperitur.

Clavdia, de sociis ac nominis latini. Tulit C. Claudius coss. cum T. Sempronio, Anno dlxxvi. Qui ſocij ac nominis Latini cenſi eſſent, vt omnes in ſuam quiſque ciuitatem ante Kalend. Nouembres redirent. Vt Dictator, Conſul, Interrex, Cenſor, Prætor, qui nunc eſſet apud forum, darent operã, vt qui manumitteretur, in libertatẽ vindicaretur: iuſiurandum daret, qui eum manumitteret, ciuitatis mutandæ cauſſa manu non mittere: qui id non iuraret, eum manumittendum non cenſuerunt. Liu. lib.41.

Clavdia, de comitiis. Tulit M. Claudius Marcellus coss. cum Ser. Sulpitio, Anno dcix. Ne in magiſtratuum comitiis abſentium ratio haberetur. Suetonius in Cæſare.

Clavdia, de colonia novicomi. Tulit idem M. Marcellus: Vt colonis quos rogatione Vatinia Nouumcomum Cęſar deduxiſſet, ciuitas adimeretur: quòd per ambitionem, & vltra præſcriptum data eſſet. Suetonius in Cæſare.

Clavdia, de fenore. Tulit Claudius Cæſar: Ne creditores in mortem parentũ pecunias filiisfamiliarũ fenori darẽt. Tacitus lib.11. vbi apertè legẽ latã affirmat.

Clavdia, de re nummaria. Tulit. Vt victoriatus nummus, qui ex Illyrico aduectus mercis loco habebatur, Romæ percuteretur: & eadem victoriæ nota obſignaretur. Plinius lib.33. cap.3.

Clavdia, de tutelis. Tulit. Vt ne agnati mulierum tutelam legitimam recipere cogerentur. Vlpian. titul.11. & Imp. leg.3. C. de legit. tut.

Clodia frvmentaria, ſeu de annona. Tulit P. Clodius Trib. pleb. Piſone, Gabinio Coss. Anno dcxcv.

DCXCV. Vt frumentum populo, quod antea ſenis ęris ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur, & Sex. Claudio frumentaria procuratio mandaretur. Aſcon. in Piſonianam, Cicer. pro Seſtio. & in Piſonem, & pro Domo.

Clodia, DE COMITIIS. Tulit idem. Ne quis per eos dies quibus cum populo agi liceret, de cælo ſeruaret. Vt omnibus faſtis legem fieri liceret: qua de cauſſa legem Æliam & Fufiã, propugnacula & muros tranquillitatis, à Clodio ſublatam toties Cicero quæritur, in Sextiana, Piſoniana: & in hanc Aſconius, & Dio li. 38.

Clodia, DE INIVRIIS PVBLICIS: Tulit idem. ſed de ea nihil me legiſſe puto, præter hæc Ciceronis in ea pro domo: Ac tu etiam legem de iniuriis publicis tuliſti, Anagnino neſcio cui Menullæ per gratiam, qui tibi ob eam legem ſtatuam in meis ædibus poſuit, vt locus ipſe in tua tanta iniuria legem & inſcriptionem ſtatuæ refelleret.

Clodia, DE VI. Tulit idem. Vt de iis qui ciues Rom. ſine iudicio populi, indictáque cauſſa necaſſent, quæſtio haberetur. Tulit autem ob Ciceronem & alios, à quibus necati erant Catilinarij, quamuis nominatim de Cicerone nullam faceret mentionem. Velleius lib. 2. Dio. XXXVIII. Cicero ad Attic. III.

Clodia, DE M. TVLLIO. Tulit idem. Vt M. Tullio Ciceroni, quòd falſum S.C. retuliſſet, quòd ciues Ro. indemnatos necaſſet, aqua & igni interdictum eſſet, néve ei intra quingẽta paſſuum millia liceret eſſe, ne quis de ipſius reditu ad ſenatum referret, ne quis ſententiam diceret, ne diſputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret in ſententiam, ne ſcribendo adeſſet. Cic. Pro domo ſua, Poſt reditum in ſen. & lib. ad Attic. III. & Dio. lib. 38.

Clodia, DE PROVINCIIS. Tulit idem. Vt Gabinio Syria, Babylon, Perſæ: Piſoni Macedonia, Achaia, Theſſalia, Græcia, omníſque Bœtia proconſulari imperio mandaretur: iíſque cum exercitu in eas prouincias ituris pecunia ex ærario attribueretur. Cicero Pro domo, & in Sextiana.

Clodia, DE INTERCESSIONE. Tulit idem Clodius. Vt libera & ſoluta in ferendis legibus Tribunorum plebis poteſtas eſſet, neque interceſſione impediretur. Cicero in Sextiana. Nouem enim Tribunis vnus obſiſtere poterat. Dio lib. 38.

Clodia, DE COLLEGIIS. Tulit idem. Vt collegia, id eſt, conuentus artificum à Numa inſtituti, & magna ex parte partim legibus, partim Senatuſconſultis ſublati, reſtituerentur, multíque alij conſtituerentur. Cicer. in Sextiana, Piſoniana, Pro domo ſua, Pedianus in Cornel. & Dio lib. 38. Plutar. autem de collegiis à Numa inſtitutis hæc refert: Ex pleriſq;, inquit, eius inſtitutis, diſtributio multitudinis per artificia maximè admiratione digna habetur. nam cum ciuitas ex Sabinis & Romanis conſtaret, eſſentque inter eos crebræ cõtentiones, ſtatuit eos Numa in plures partes ſecare, vt magnas illas duas factiones in plures & minutas partes diſiectas, penitus tolleret. Fuit autem hæc diſtributio ex ratione artificiorum facta, vt pote tibicinũ, aurificum, architectorum, tinctorum, cerdonum, coriariorum, fabrorum, figulorum, eadémque ratione reliquorum artificum: atque iis cum certos conuentus, tum etiam deos quos colerent, pro dignitate cuiuſque attribuit. Tum primum factiones illæ ex vrbe ſublatæ ſunt, vt alij Sabini, alij Romani, alij Tatij, alij Romuli ciues inuidioſis nominibus dicerentur.

Clodia, DE REGNO CYPRI. Tulit idem. Vt Cyprus inſula in prouinciæ formam redigeretur, vt Ptolemæus rex Cypri ſedens cum purpura & ſceptro, & illis inſignibus regiis præconi publico ſubiiceretur, & cum bonis omnibus publicaretur. Vt M. Cato Quæſtor cum iure prætorio, adiecto etiam Quæſtore, mitteretur in inſulam Cyprum, & regiæ Gazæ vendendæ, & pecuniæ deportandæ præficeretur. Vt qui Byzantij rerum capitalium damnati exularẽt, populi Rom. nomine in eam ciuitatẽ reducerentur. Cic. pro domo ſua, pro Sex. De prou. cõſ. Velleius lib. 2. Plutarch. in Vitis.

Clodia, DE PESSINVNTIO SACERDOTIO. Tulit idem. Vt Peſſinuntius Matris magnæ ſacerdos, ſuo ſacerdotio ſpoliaretur, fanúmq; illud Brogitaro Gallo Græco attribueretur. Cic. Pro Sextio, De aruſpic. reſp.

Clodia, DE CENSORIBVS. Tulit idem. Ne quem Cenſores in legendo præterire, néve qua ignominia afficerẽt, niſi qui apud eos accuſatus, & vtriuſq; Cenſoris ſententia damnatus eſſet. Aſconius in Piſonianam, Cicero in eadem, in Miloniana, & Sextiana. Hac autem lege Cenſoriæ poteſtatis ius imminutum eſt, quod quadringẽtis annis in rep. vt inquit in Piſonem Cicero, retentum fuerat. Antea enim Cenſoribus notam apponere licuit etiã nõ accuſatis, & quod vnus ſtatuiſſet, niſi alter diſertè interceſſiſſet, aut notatũ liberaſſet, tantũdẽ erat acſi vtriuſq; iudicio eſſet dãnatus.

CORNELIA, de patriciis. Tulit cum collegis Sext. Cornelius Trib. milit. Anno CCCLXX. Ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret. Liuius li. 6. Dionyſ. lib. 4.

CORNELIA, de bello Antiochi. Tulit P. Cornelius Coſ. cum M. Acilio, Anno DLXII. Vellẽt iuberéntne cum Antiocho rege, quíque ſectam eius ſecuti eſſent, bellum iniri. Liuius lib. 36.

CORNELIA Bæbia, de ambitu. Tulere P. Cornelius, M. Bæbius COSS. Anno DLXXII. Liuius lib. 40. Florus præterea Epit. 47. legem de ambitu latam teſtatur.

CORNELIA, de C. Mario. Tulit L. Cornelius Cinna COSS. cum Cn. Octauio, Anno DCLXVI. Vt C. Marius, qui à L. Sylla oppreſſus profugerat, in vrbem reciperetur. Velleius lib. 2. App.

CORNELIA iudiciaria. Tulit L. Cornelius Sylla dictator & COSS. cum Qu. Metello, Anno DCLXXIII. Vt iudicia equeſtri ordini adempta, in ſolum ordinem Senatorium transferrentur. Ita quadrat annorum ratio ab Aſconio tradita, cũ ait, Equites à lege Sempronia ad hanc legem annos quadraginta iudicaſſe, cum Cicer. oratorio more dicat propè quadraginta. Flor. Epit. LXXXIX. Aſcon. in Diuin. & Cicero in eadem. Huius eiuſdem fuiſſe pars videtur, caput illud quod Cice. Verr. 4. commemorat, Ne cui extra ordinem Senatorium reiiciendi amplius quàm trium iudicum poteſtas eſſet.

Cornelia REPETVNDARVM. Tulit idem. Vt in repetundarum iudicio reus omnino comperendinaretur, nec vna actione ea cauſſà abſolueretur. Vt certi dies prouincialib. magiſtratib. quibus ſucceſſum eſſet, decedendi cauſſa præſtituti eſſent. Vt Legatis ſumptus præſcriberetur. Vt accuſatori liceret omnibus teſtimonium denũciare, præterquàm defenſori: item omnia clauſa rei obſignare, & literas omnes tum publicas tum priuatas quib. inſtrui poſſet accuſatio præter literas publicanorum, Romã deportare liceret. Cic. Verr. 3. & 4. pro Poſthu. li. epiſt. 1. P. & lib. 3. epiſt. 6. & 10. Item Verrin. 4. & in eam Aſconius.

Cornelia AGRARIA. Tulit idem. Vt proſcriptorũ agri publici eſſent: quod maximè de iis agris intelligẽdum eſt, qui in Thuſcia circa Volaterras ac Feſulas erant: quos militib. ſuis Sylla diuiſit. Cicero contra Rullum: Sunt enim multi agri lege Cornelia publicati, nec cuiquam aſſignati, neq; venditi, qui à paucis hominibus impudentiſſime poſſidentur. Idem pro Roſcio Amerino, contra Rullum. Salluſtius in Catilin.

Cornelia SVMPTVARIA. Tulit idem. Vt Calendis Idibus, Nonis, diebus ludorum & feriis quibuſdam ſollemnibus H-S. tricenos in cœnam inſumere ius poteſtáſque

teſtáſq; eſſet.cæteris autem aliis diebus omnibus, non amplius ternos.ſunt & minora precia rebus impoſita. Gell.lib.2. capit.24. Macrob.lib. Satur.3.capit.17.& Plut.in Sylla.

Cornelia De mvnicipiis.Tulit idem.Vt municipiis omnib.ius ciuitatis agríque adimeretur. Cic.Pro domo ſua, pro Cæcinna, Appianus belli ciuilis lib.2.

Cornelia, De magistratibvs.Tulit,vt opinatur Hoto.idem.Vt qui cum imperio in prouinciam profectus eſſet,tamdiu illud imperium retineret, quoad in vrbem reuerſus eſſet: cum antea certo ac præfinito tempore imperium illud terminaretur: & ſi ſucceſſor non mitteretur, noua rogatione ad imperium prorogandum opus eſſet. Item vt triginta tantũ dies, poſtquàm ſucceſſor miſſus eſſet, magiſtratui ad decedendum concederentur.Cic.epiſt.9.ad Lentulum,& lib.3. ad App. epiſt.6.

Cornelia, De svmptibvs fvnervm.Tulit idem. Plut.in eius vita.

Cornelia, De tribvnis plebis. Tulit idem. Ne Trlbun.plc.ferendarum legum concionandíve ius eſſet,néve ad eos prouocatio eſſet, vt ne iis intercedere liceret:néve iis qui Tribuni pleb.fuiſſent, alios poſtea magiſtratus capere liceret. Cicer. De legib.3. Cæſar comment.Gall.lib.1. Plutarchus in eius vita.Florus in Epit.Appia. De bello ciuili.1.Aſcón.in 3.Verrin.

Cornelia, De provinciis.Tulit idem.Ne quis plus anno prouinciæ præeſſet.Cicer.ad Appium lib. Fam.5. Item vt Senatus quaſdam prouincias decerneret.

Cornelia, De magistratibvs.Tulit idem.Vt iis qui ſuas partes in ciuili bello ſecuti eſſent, honores ante tempus capere ius eſſet. Vt ſi quis magiſtratum peteret,quem antè iniuiſſet, niſi decenium interiectũ eſſet, eius ratio non haberetur. Appian.de bell.ciuil. Vt proſcriptorum liberi honorum petendorum poteſtate priuarentur. Plin.lib.7.Quintil.lib.11.cap.1. Cicero in Piſonian.Dio lib.41.

Cornelia, De sacerdotiis. Tulit idem. Vt ius creandorum ſacerdotum à populo (cuius hæc lege Domitia poteſtas erat) ad collegia ſacerdotum transferretur: iiq; ex veteri more tributis comitiis cooptarentur.Dio lib.37. Et Aſconius in Diuinat.

Cornelia, De qvæstoribvs.Tulit idem. Vt viginti Quæſtores ſupplendo ſenatui crearentur, cui iudicia radiderat. Tacitus lib.2.

Cornelia, De proscriptis. vide Valeria.

Cornelia Maiestatis. Tulit idem. Ne qui cum imperio prouincias obtinerent, populi ſenatúſve iniuſſu exercitum de prouincia deportarent, bellúmve ſua ſponte gererent. Cicer.in Piſon. Alia capita fuerunt, quæ Pedianus in Corneliana ſignificat. Fuit & illud, vt à quæſtionibus vel cruentis nullius dignitas exciperetur. Amm.Marcell.lib.19.

Cornelia, De sicariis et veneficis. Tulit idem. Vt i qui hominem occiderit, vel venenum pararit, habuerit, vendiderit, cuiúſque dolo malo incendium factum erit, quíve hominis occidendi, furtíve faciendi cauſſa cum telo ambulauerit, iudicio publico damnetur. Marcia.lib.j. D.ad leg. Corn.de ſicar. quo ſub titulo multa huius legis capita enumerantur. Ea lege excepti erant, qui proſcriptione Syllana ob relata ciuium Ro.capita pecunias ex ærario acceperant. Sueto.Cæſare. Eiuſdem etiam hoc caput fuit, vt cùm in conſilium iri oporteret, Quæſitor à reo quæreret, clàm an palam de ſe ſententiam ferri vellet. Cicer.in Cluentiana. Item, Vt ſi quis domi ſuæ necatus erit, ei qui ſeruos qui ante quæſtionem fugerint, perueſtigarit, & indicarit, in ſingulos ſeruos quos eius cædis conuicerit, quinos aureos ex bonis occiſi, aut ſi inde redigi ea quantitas non poſſit, ex publico accipiat. Vt de his qui ante quæſtionem habitam fugerint, ſi aperto teſtamento liberi ſcripti inueniantur, iudicium inter ſicarios fiat: ita vt ex vinculis cauſſam dicant, & conuicti perinde ac ſerui puniantur: & ei qui conuicerit, deni aurei præmij nomine dentur ex bonis damnati. Caius l.25.D.ad S.C.Silanian Huius legis meminit. Seneca lib.1.de Prouidentia, & li.Declamat.3.item in ludo quem de morte Claudij Cæſaris compoſuit.

Cornelia, De inivriis. Tulit idem, vt Venuleius teſtatur in l.hos accuſare.12.in fi.D.de accuſat. Vt in eos qui quempiam pulſaſſent, verberaſſent, domúmve alienam vi introiſſent, iudicium daretur. Vt in eo iudicio non eſſet, qui ei qui ageret, gener, ſocer, vitricus, priuignus, ſobrinúſve eſſet, propriúſve eorum quenquam ea cognatio ne, affinitatéve attingeret, quívè eorum cuius, parentíſve cuius eorum patronus eſſet. Vt filiusfa.ex omni cauſſa iniuriarum agat, vt actori iuſiurandum deferre liceat reo, an iniuriam fecerit. Si quis librum ad infamiam alicuius pertinẽtem ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, dolóve malo fecerit, quo quid eorum fieret: etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine: vti de ea re agere liceret: & ſi cõdemnatus ſit, qui id fecit, inteſtabilis ex l.eſſe iubetur. Vlpi. l.5.D.de iniu.& §.ſed & lex.Inſt.de iniur.

Cornelia, De falso. Tulit idem. De omni falſitatum genere, quę in nummis, teſtamentis, partubus, iudiciis, tabulis publicis, aliíſque rebus commiſſæ, publici iudicij pœnam mererentur: de quibus Iuriſcõſulti copioſè ſub tit.ad leg.Corn.De falſ.Crimina enim ferè ſunt innumera, quibus quòd pœna eſſet conſtituta nulla, huius legis pœna, partim ſenatuſcõſultis, partim Principum reſcriptis, partim etiam Iuriſconſultorum reſponſis attributa eſt. Meminit Cic.Verrin.3.De natur. deor.2.& Sueto.in Auguſto.Pompon.l.2. De orig.iur. Paulus Sent.4.cap.7.& lib.5.cap.24. Neque veriſimile eſſe, quod Zaſius putat id ſolùm falſum hac lege coerceri, quod in teſtamentis commiſſum eſſet: patet ex l. 9.D.de falſis.vbi lege Cornelia caueri ait, vt qui in aurum vitij quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flauerit, falſi crimine teneatur, &c.

Cornelia, De testamentis. Tulit idem. Vt eorum teſtamenta qui in hoſtium poteſtate eſſent, perinde rata eſſent, ac ſi hi qui ea feciſſent in hoſtium poteſtatem non perueniſſent: & hæreditas ex his eodem modo ad vnumquemque pertineret. Iulianus.l.12. D. qui teſt.fac.poſſ. Vlpia.cap. Inſtitut.23. Iauolenus in l. 15.De iniuſt.rupt.& Iuſtinianus §.vlt.quib. non eſt permiſſ.fac.teſt. Atque ex hac lege inducta fictio eſt, Vt qui captus apud hoſtes decederet, mortuus eodem momento quo captus eſſet, putaretur. Eiuſdem legis caput opinatur illud fuiſſe Hotoman.quod in edicto Verris ſignificatur, apud Ciceronem, lib.Accuſat.primo: Non minus multis ſignis quàm è lege oporteat, cautúmque de numero teſtium quos in teſtamentis adhiberi oporteret, fuiſſe.

Cornelia, De lvsv. Tulit. Ne quis in pecuniam luderet, ſpõſionémve eius rei ergo faceret, niſi qui corporis exercendi cauſſa ſuſceptus eſſet, faceret. veluti ſi certaretur diſco, haſta pilóve iaciendo, currendo, ſaliendo, luctando, pugnãdo. quæ virtutis cauſſa fiebant. Vtrum autem hæc lex Reipub.an Imperatorum temporibus lata ſit, vix ſciri poteſt. Huius Marcia.l.3.D.de aleator.mentionem facit.

Cornelia, de iis qui legibus ſoluuntur. Tulit C.Cornelius Tib.pl. quem Cicero defendit, C.Piſone, M. Glabrione Coss. Anno dclxxxvi. Ne quis in ſenatu legibus ſolueretur, niſi cc. affuiſſent: néve quis cum ſolutus eſſet, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur. Aſconius in Cornelianam. quod eò pertinebat, vt eſſet quidẽ in ſenatus poteſtate dare extra ordinem

ordinem imperia, legibúſque ſoluere, ſed ita vt pôſt ad populũ veteri more de ea re referretur. Dio. libr. 36.

Cornelia, de iuriſdictione prætorum. Hanc idem, etſi nemo repugnare auſus eſt, multis tamẽ inuitis tulit, vt eodem loco ſcribit Aſconius. Vt Prætores ex edictis ſuis perpetuis ius dicerẽt: quæ res tum gratiam ambitioſis Prætoribus, qui variè ius dicere aſſueuerãt, ſuſtulit. Solebant enim antea Prætores neglectis edictis perpetuis, vt quiſque auaritia aut ambitione ducebatur, varie ius dicere: hacque ratione fiebat vt ſingulis annis noua edicta proponerentur, ipſumque ius Prætorium ob edictorum varietatem turbaretur. Dio lib. 26.

Cornelia, de natali Vrbis. Tulit P. Cornelius Dolabella Coss, ſtatim poſt Cæſaris necem, Vt deinceps is dies natalis Vrbis haberetur. Appianus lib. De bello ciuil. ſecundo.

Cornelia, de M. Tullio Cicerone. Tulit Centuriatis comitiis P. Cornelius Lentulus, Conſul cum Qu. Metello, Anno DCXCVII. & cum omnibus magiſtratibus, præter vnum prætorem App. Claudium, P. Clodij fratrem, & duos Trib. pleb. Sex. Attilium Serranũ, & Numerium Quintium, pridie Non. Sextiles. Vt M. Tullio Ciceroni redire in ciuitatem, veniréque in Senatum liceret. Cicero pro domo, pro Sextio, in Piſonem, in Epiſt. fam. & alibi.

Cornelia, de limitib. Tulit. Vt per actuarios limites populo ſicut per viam publicam itineris faciundi ius eſſet. Hyginus in libello De limitibus conſtit.

Curia, de patrum auctoritate. Tulit M. Curius Dentatus Trib. ple. M. Fuluio Pœto, T. Manlio Coss. An. CDLV. Vt ante comitia magiſtratuum, patres auctores fierent. hoc eſt vt probare ſeſe dicerent eos magiſtratus, quos populus creaſſet. Hanc legem Cicero in libro de Claris Oratorib. Appio Claudio Cæco interrege comitia habente: Liuius autem libr. 10. P. Sulpitio latam eſſe tradunt. de quo hoc tantum dicam, ab eo qui primus interrex eſſet proditus, comitia non haberi ſolita eſſe. Quare ſi duo interreges proditi ſunt, à poſteriore habita eſſe comitia neceſſe eſt. Priorem eſſe proditum Appium Liuius aſſerit, Cicero Sulpitium videtur exiſtimaſſe. Huius legis etiã meminit Probus De viris illuſt. idem lege Publilia cautum de comitiis legum fuit.

Cvriata lex dicebatur olim, quæ in curiatis comitiis, id eſt vniuerſi populi ſuffragiis curiatim in forũ conuenientis, de eorum imperio ferebatur, qui in prouincias mittebantur: videlicet quid cuique imperij, atque ornamenti attribui placeret. Poſtea verò non ab vniuerſo populo, ſed à XXX. lictoribus ad ſpeciem atque vſurpationem vetuſtatis, hoc eſt, ad triginta veteres curias repræſentãdas conſtitutis, iubebatur. Liuius lib. 9. Cic. 2. Agraria in Rullum. Ferri autẽ ſolitam à Conſulibus hanc legem idem Cicero in eadẽ Orat. ſignificat his verbis: Conſulibus legem Curiatam ferentibus, à trib. pleb. ſæpe eſt interceſſum. idemque confirmant illa verba in epiſt. ad Lentulum: Legem Curiatã Conſuli ferri opus eſſe, neceſſe non eſt. Nam quod in ſua lege Rullus poſuerat, vt à Prætore ferretur, extraordinarium fuit: quia videbat adduci Conſules minime poſſe, vt eam ferrent, vt pote qui nullum. x. viris imperium dari vellent: itaque Ciceronis extant Orationes aduerſus legem Rulli de Decemuiris.

D

Decemvirales, de 12. tab. Tulit App. Claudius decemuir, cum collegis, anno CCCII. Vt leges 12. tabularum ratæ eſſent, eíſque populus pareret. His etiam duas eodem anno tabulas addiderunt. Dionyſ. lib. 10. & Liuius lib. 3.

Decia, de duumuiris naualibus. Tulit M. Decius Trib. pleb. Iunio. Æmilio Coss. Anno DCXLIII. Vt duumuiros nauales claſſis ornandæ reficiendæque cauſſa populus iuberet. Liuius lib. 9.

Didia ſumptuaria. Tulit Didius Trib. pleb. vt opinatur Zaſius, App. Claudio Pulchro, Qu. Metello Macedonico Coss. Anno DCX. Vt vniuerſa Italia, non ſola vrbs, lege Fannia ſumptuaria teneretur. (Italis exiſtimantibus Fanniam legem non in ſe, ſed in ſolos vrbanos ciues eſſe conſcriptam) Vt non ſoli qui prandia cœnáſve maiore ſumptu feciſſent, ſed etiam qui ad eas vocati eſſent, atque omnino interfuiſſent, pœnis legis tenerentur. Macrob. lib. 3. c. 17.

Domitia, de ſacerdotiis. Tulit Cn. Domitius Ænobarbus Trib. ple. Neronis Imp. atauus, pontificibus offenſior, quod alium quam ſe ſui patris in locum cooptaſſent. C. Mario. 3. L. Aurelio Coss. Ann. DCL. Vt nõ ſacerdotum collegia, vt antea, quem vellẽt cooptarẽt, ſed populi id beneficium eſſet. cùm autẽ populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat, rogauit vt minor pars populi, id eſt, tribus ſeptemdecim vocarentur: ab ea parte qui eſſet factus, is à collegio cooptaretur. Suet. Nerone. Velleius lib. 2. Cic. in Agraria. 2. epiſt. 5. ad Brutum, & pro Cornelio, & Aſcon. in eandem. Dio lib. 37. Adde etiam, vt cenſet Manutius, hac lege permiſſum vt abſentes quoque poſſent petere ſacerdotia: de ea hunc locum Ciceronis ad Brutum exponens: Ciceronem noſtrum, inquit, in veſtrum collegium cooptari volo: exiſtimo omnino abſentium rationem haberi ſacerdotum comitiis poſſe. nã etiam factum eſt antea. C. enim Marius, cum in Cappadocia eſſet, lege Domitia factus eſt augur. nec quo minus id poſtea liceret, lex vlla ſanxit. Sed & Paterculus auctor eſt, C. Cæſarem, cum in Aſia eſſet, Romæ populi ſuffragiis Pontificem creatum. Hanc autem legem poſtea L. Sylla rerum potitus, abrogauit, vt teſtatur Aſconius, ſpoliauitque populum arbitrio creandorum ſacerdotum: cuius tamen legem aliquot poſt annis T. Atius Labienus trib. pleb. abrogauit, Domitiamque reſtituit.

Dvilia, de magiſtratibus. Tulit M. Duilius Tribunus plebis, Valerio, Horatio Coss. Anno CCCIIII. Vt qui plebem ſine Tribunis pleb. reliquiſſet, quíque magiſtratum ſine prouocatione creaſſet, tergo & capite puniretur. Liuius lib. 3. Dionyſ. lib. 10.

Dvilia Mænia, de coitionibus. Tulere de collegij ſententia M. Duilius, L. Mænius Tribu. pleb. Martio, Manlio Coss. An. CCCXCVI. Ne quis poſtea populum ſeuocaret: qui hoc faxit, capitale eſſet. Liuius lib. 7.

Duilia Mænia, de fenore. Tulere iidem. Vt fenus ne maius vnciario exerceretur. Liuius lib. 7. Tacitus tamen lib. 5. Fenus vnciarium duodecim tabul. legibus conſtitutum fuiſſe tradit.

F

Fabia, de ambitu. Tulit. Vt certus numerus ſectatorũ eſſet, id eſt eorum qui candidatos in campum deducerent. Cic. in Muræniana.

Fabia, de plagiariis, Q. Fabio Leone, & M. Claudio Marcello Coss. anno DLXXI. lata eſt, vt quibuſdã placet. Vt qui hominem ingenuum vel libertinum inuitum celauerit, vinctum habuerit, emerit ſciens dolo malo, quíve in earum qua re ſocius erit, quíque ſeruo alieno, ſeruæve perſuaſerit, vt à domino dominâve fugiat, vel eum eámve inuito vel inſciente domino dominâve celauerit, vinctum habuerit, emerit ſciens dolo malo, quíve in ea re ſocius erit: iudicio pœnâque pecuniaria damnetur. l. pen. & vlt. D. ad leg. Fab. Item ne ſeruus qui plagium admiſit, pro quo dominus pœnam intulit, intra decem annos manumittatur. l. 12. D. de manumiſſ. Cic. pro C. Rabirio, An de ſeruis alienis contra legem Fabiam retentis, plura dicenda ſunt? Et

Iuriſconſulti in Pandect. item Paulus Sent. lib. 5. c. 7.

FABIA LEX, pro formula dicitur apud Paulũ lib. Sent. 3. c. 3. impropriè, cum ea lex non fuerit: ſed actionis formula. Similiter autem Cicero Manilianas venalium vendendorum leges dixit, in libr. De orat. j. pro Cautiones.

FABIA, de terminis. Ea legitur in libro De agrorum cõditionibus his ferè verbis, quæ paucis quibuſdam locis caſtigauit Hotomanus: Qui hac lege coloniam deduxerit, municipium, præfecturam, forum, conciliabulum conſtituerit, in eo agro, qui ager intra fines eius coloniæ, municipij, fori, conciliabuli, præfecturæ erit, limites decumaniv t fiant, terminique ſtatuantur, curato: quique fines ita ſtatuerit, hi fines eorum ſunt, dum ne extra agrum colonicum, territorium fines ducat: quique termini hac lege ſtatuti erunt, ne quis quẽ eorum eiicito, néve commoueto, ſciens dolo malo: ſi quis aduerſus ea fecerit, in terminos ſingulos quos eiecerit, locóve mouerit ſciens dolo malo, ☩ xxv. in publicum eorum, quorum intra fines is ager erit, dare damnas eſto: déque ea re curatoris, qui hac lege erit, iuriſdictio, reciperatorúmque datio addictio eſto. Si curator hac lege non erit, tunc quicunque magiſtratus in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo iuri dicundo præerit, magiſtratus de ea re iuriſdictio iudicíſque datio addictio eſto: inque eã rem is qui hac lege iudicium dederit, teſtibus publicè duntaxat in res ſingulas. x. denunciandi poteſtatem facito, ita vt è Republica fidéque ſua videbitur. Et ſi is vnde ea pecunia petita erit, condemnatus erit, eam pecuniam ab eo déve bonis eius, primo quoque die exigito, eiúſque quod receptum erit partem dimidiam eius cuius vnius opera maximè is condemnatus erit, partẽ dimidiam in publicum redigito. Quo ex loco terminus aberit, ſi quis in eum locum terminum reſtituere volet, ſine ſua fraude licet facere: néve quid cui is ob eam rem hac lege damnas eſto.

FALCIDIA, de teſtamentis. Tulit P. Falcidius Trib. plebis, Domitio, Aſinio Coss. Anno DCCXIIII. Eius hæc quatuor capita memorantur: Qui ciues R. ſunt, qui eorum poſt hanc legem rogatam teſtamẽtum facere volet, ei quem pecuniam quáſque res, quibuſque dare legare volet, ius poteſtáſque eſto, vt hac lege licebit. Quicunque ciuis Ro. poſt hanc legem rogatam teſtamentum faciet, is quantam cuique ciui Ro. pecuniam iure publico dare legare volet, ius poteſtáſque eſto, dum ita detur legetur, vt ne minus quam quartam partem hæreditatis ex eo teſtamẽto hæredes capiant: Eis quibus ita datum legatum erit, eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto: iſque hæres, qui eam pecuniã dare iuſſus damnatúſve erit, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus eſt. Si quis aliter quàm hac lege liceat pecuniam dederit, legauerit, hæredi quartam partem eius pecuniæ quæ data legata erit, ex eo teſtamento retinere liceto. Paulus. l. j. D. ad leg. Falcid. Hieronymus in Euſebij Chronicis, qui tamen latam ita fuiſſe ſcribit, vt quarta pars tum demum hæredibus ſupereſſet, ſi quatuor aut minus eſſent: ſi autem plus quatuor, medietas: quod in Iuriſconſultorum libris nuſquam reperias, tum & huius hæc verba refert Dio lib. 48. Vt hæres quartam partem bonorum ſibi relictorum, ſi grauiter oneratus ſit legatis, accipiat: cætera legatariis relinquat.

FANNIA ſumptuaria. Tulit C. Fannius Coss. cum M. Meſſala, Anno DLXXXIX. Vt ludis Romanis, plebeiis, Saturnalibus, & aliis quibuſdam diebus centenos æris in ſingulos dies impendere liceret: decémque aliis diebus in ſingulis menſibus, tricenos: cæteris autem omnibus diebus, denos. Ne quid volucrum poneretur, præter vnam gallinam, quæ non eſſet altilis. Plin. lib. 10. c. 50. Gellius libr. 2. c. 24. Macrob. libr. 3. c. 17. Athenæus autem libri ſexti extremo, legem ſic exponit, ἐκέλευε δ' ὁ νόμος, τελῶν μὲν πλείονας τῶν ἔξω τῆς οἰκίας μὴ ὑποδέχεσθαι. κατὰ ἀγορὰν δὲ τῶν πέντε. τοῦτο δὲ τρὶς τοῦ μηνὸς ἐγένετο. ὀψωνεῖν δὲ πλέον τῶν δυοῖν δραχμῶν καὶ ἡμίσους, οὐκ ἐπέτρεπε. κρέως δὲ καπνιστοῦ δεκαπέντε τάλαντα δαπανᾶν εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐπεχώρει. καὶ ὅσα γῆ φέρει λάχανα, καὶ ὀσπρίων ἑψήματα. Hanc Lucilius his expreſſit verbis: *Fannij centuſsiſque miſellos*. quod ſcilicet ſumptibus centum aſſibus modum fecerit. De hac lege Sammonicus Serenus ita refert: Lex Fannia, ſanctiſſimi Auguſti, ingenti omnium ordinum conſenſu peruenit ad populum: neque eam prætores aut tribuni, vt pleraſque alias, ſed ex omni bonorum conſilio & ſententia ipſi conſules pertulere: cũ Reſp. ex luxuria conuiuiorum maiora quam credi poteſt, detrimenta pateretur. ſiquidem eo res redierat, vt gula illecti plerique ingenui pueri, pudicitiam & libertatem ſuam venditarent: plerique ex plebe Romana vino madidi in Comitium venirent, & ebrij de Reip. ſalute conſulerent.

FAVIA, de terminis. Vide Fabia.

FLAMINIA agraria. Tulit C. Flaminius Trib. pleb. M. Lepido M. Poblicio Coss. Anno DXIII. alij Q. Fabio Verrucoſſo, Sp. Caruilio Coſſ. decem annis ante ſecundum bellum Punicum: Vt ea regio Galliæ, quæ Picennum vocatur, vnde Senones expulſi fuerãt, militibus Romanis diuideretur. Polyb. lib. 2.

FLAVIA, de Tuſculanis. Tulit M. Flauius Tribu. pleb. Sulpitio, Æmilio Coss. Anno CDXXX. Vt in Tuſculanos animaduerteretur, quorum ope ac conſilio Veliterni, Priuernatéſque populo R. bellum feciſſent. Liuius lib. 8. Antiquata, ibid.

FLAVIA Plotia, vide PLOTIA Flauia.

FLAVIA AGRARIA, à Tribuno plebis promulgata eſt, Q. Metello Celere, L. Afranio Coſſ. Cur autem per lata ſit, nihil habeo. Huius meminit Cicero libr. j. ad Attic. Epiſt. 17.

FVRIA, de Ædilibus ex patrib. creandis. Tulit M. Furius Camillus Dict. Ann. CCCCXXV. Vt duo Ædiles ex patrib. crearentur. Liuius lib. 6. in fi.

FVRIA, de iure Campanorum. Dedit Campanis L. Furius Prætor, Foſlio & Plautio Coss. Anno CDXXXV. cum primum Capua in deditionem recepta Præfecti eò miſſi ſunt. Liuius lib. 9.

FVRIA Attilia, de Mancino. Tulere L. Furius & Sex. Attilius Tribuni plebis. Vt C. Mancinus, quòd ſine ſenatus auctoritate pacẽ cum Numantinis feciſſet, iis dederetur. Cic. lib. 3. Offic. Epitome LVI.

FVRIA, de teſtamentis. Tuli. C. Furius Trib. ple. Ne cui, niſi manumiſſoris cognato, certíſque aliis perſonis ſupra mille aſſes legare, m ortíſve cauſſa donare liceret: quòd ſi quis maiorem ſummam ſibi legatam accepiſſet, quadruplum eius quo plus quàm licebat accepiſſet, redderet. Theophil. Inſtit. de lege Falcid. de hac ſcribit in hæc verba: καὶ ἐτέθη μετὰ ταῦτα ὁ νόμος ὁ φούριος, ὅστις εἶπε μὴ ἐξεῖναι, τινὶ λεγατεύειν περαιτέρω χιλίων νομισμάτων· εἰ δέ τις πλείονα ποσότητα καταλειφθεῖσαν κατεδέξατο, τὸ τετραπλοῦν τοῦ ὑπὲρ πλεῖον ὄντος ἀναδίδου. Lata eſt autem (vt ait Iuſtin.) Legis 12. tab. coërcendæ cauſſa: qua vti quiſque legaſſit ſuæ rei, ita ius erat. Cic. pro Balbo, & Verr. 3. Iuſtiniã. de leg. Falcid. Vlp. c. Inſtit. j. & 28. vbi minus quam perfectam eam eſſe dicit, quod vetet aliquid fieri, & ſi factum ſit, nõ reſcindit. Ad hanc etiam videtur reſpexiſſe Pompon. l. 120. de verb. ſignific.

FVRIA Caninia, de manumiſſione. Tulere, vt opinatur Hoto. P. Furius Camillus, C. Caninius Gallus Coss. Ann. DCCLII. Vt in teſtamento ex tribus ſeruis non plures quam duos manumittere liceat, vſque ad decẽ, dimidiam partem: à decimo vſque ad triginta tertiam partem, vt tamen adhuc quinque manumittere liceat, æquè

æquè vt ex priori numero: à triginta vſque ad centum, quartam partem, æquè vt decem ex priori numero liberari poſſint: à centum vſque ad quingentos, partem quintam ſimiliter, vt ex antecedenti numero vigintiquinque poſſint fieri liberi. eadémque præcipit, ne plures omnino quàm centum ex cuiuſquam teſtamẽto liberi fiant. Eadem lex cauet, vt libertates ſeruis teſtamento nominatim dentur. Hæc ex Inſtitut. Vlpian. tit. j. Paulo Senten. 4. Caij inſtit. quæ lex ſublata eſt à Iuſtiniano ſpeciali tit. qui habetur lib. 7. C.

FVSIA, de comitiis. Tulit P. Furius, ſiue Fuſius Conſul cũ Sexto Atilio, Anno DCXVII. vt vult Hotomanus: Vt certis diebus, qui tamen faſti eſſent, agi cum populo non liceret. Cic. in Sextiana, In orat. poſt reditum, De prouinc. conſul. & alibi frequentiſſimè. Latam illo tẽpore Cice. in Piſoniana teſtatur: qui centum annis dixit, pro circiter centum annos, vt idem cenſet. Vide ÆLIA, de comitiis.

FVSIA, de comitiis. Tulit Q. Fuſius Calen. Prætor, C. Cæſare, M. Bibulo COSS. Ann. DCXCIIII. Cum in tributis comitiis omnium ſimul ſuffragia confunderentur, itáque fieret, vt ſingula genera de ſuffragiorum euentu ſic inter ſe contenderent, vt quod rectè ſtatutũ eſſet, id ſuo ſuffragio factum dicerent: quod ſecus, in alios reiicerent: Tulit, vt ſingula genera ſuffragiorum ſeorſim fierent, quo ſententiæ internoſci poſſent. Hoc modo ſingulorum generum ſuffragia ſeorſim renunciabantur. Dio lib. 38.

G.

GABINIA, de nocturnis cœtibus. Tulit. Vt qui conciones vllas clandeſtinas in vrbe cõflauiſſet, more maiorum capitali ſupplicio mulctaretur. Ex declamat. Porc. Latronis in Catil. Idem autẽ prius lege XII. Tab. cautum erat, vt idem teſtatur.

GABINIA, de ſuffragiis. Tulit A. Gabinius Trib. pleb. Piſone, Popilio COSS. Anno DCXIIII. Vt comitiis quibus magiſtratus crearentur, populus non voce, ſed per tabellam ſuffragium ferret. Et quo id liberius eſſet, cautum eſt, Ne quis inſpiceret tabellam, ne rogaret, ne appellaret, ita ab omni parte liberum iudicium ſuum in magiſtratibus creandis populus haberet. Cice. De legib. lib. 3. Et in lib. De Amicit. Idem pro Plancio, de tabella populo data: Frontes apperit hominũ, inquit, mentes detegit, eamque libertatẽ dat, vt quod velint faciant, promittant autem quod rogantur.

GABINIA, de piratis perſequendis. Tulit A. Gabinius Trib. pleb. Metello, Marcio COSS. Anno DCLXXXV. Eſt autem is Gabinius qui Conſul cum Piſone fuit, atque ex Cõſulatu Syriam adeptus, regem Ptolemæum in regnum reſtituit, pulſo Archelao Cappadoce: notiſſimus etiam Ciceronis inimicitiis & Pompeij ſingulari fauore. Huius hæc ſunt capita: Vt bellum aduerſus piratas Cn. Pompeio in triennium ita mandaretur, vt toto mari quod eſt intra columnas Herculis, & in maritimis prouinciis vſque ad quadringenteſimum à mari ſtadium poteſtatem haberet imperandi regibus, præſidibus, ciuitatibus, vt ſe rebus omnibus ad eius belli adminiſtrationem neceſſariis iuuarent. Pædian. in Cornel. Velleius lib. 2. Dio. lib. 38. Plutarchus in Pompeio, & Cicero De lege Manilia. & in Orat. poſt redit. in Senat. Appian. in Mithridat.

GABINIA, de ſenatu habendo. Tulit. Vt ex Calen. Feb. ad Cal. Martias quotidie Senatus cogeretur, & legatis exterarum nationum daretur. Cicero in Epiſt. ad Qu. Frat. lib. j. epiſt. II.

GABINIA, de vſuris. Tulit. Ne ius diceretur de iis pecuniis quæ verſura facta eſſent ſumptæ: ne ſcilicet prouinciales homines à Romanis exhaurirentur: ne grauior vſura quàm centeſima exigeretur. ſed & præter amiſſam ſortem certam pœnam ſanciebat. Cice. lib. Epiſt. ad Attic. 6.

GELLIA & Cornelia, de ciuitate. Tulere L. Gellius Publicola, Cn. Cornelius Lentulus COSS. Anno DCLXXXI. Vti ciues Rom. ſintij, quos Cn. Pompeius de conſilij ſententia ſingulatim ciuitate donauerit. Cice. pro Balbo.

GENVTIA Æmilia, de clauo pangendo. Tulere ex S. C. Cn. Genutius, L. Æmilius COSS. Anno CCCXC. Vt qui Prætor maximus ſit, Idibus Septemb. clauum pangat. Liuius lib. 7. vbi addit, Legẽ ætate ſua fuiſſe priſcis literis verbíſque ſcriptam, clauúmque quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorũ fuiſſe, eóque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerua inuentus ſit.

GENVTIA, de fenore. Tulit L. Genutius Trib. ple. C. Martio 4. Qu. Seruilio COSS. Anno CDXI. Ne fenerare liceret. Liuius lib. 7.

GENVTIA, de magiſtratibus. Tulit idem, Martio, Seruilio COSS. Anno CDXI. Ne quis eundẽ magiſtratum intra decem annos caperet, neu duos magiſtratus vno anno gereret, vtique liceret, Cõſules ambos Plebeios creari. Liuius lib. 7.

GLICIA, de ratione inducendæ querelæ inofficioſi teſtamenti. Tulit M. Claudius Glicia dictator, vt Hortẽſiam & Corneliam, Hortenſius & Cornelius dictatores. Illius fit mentio apud Suetonium in Tiberio. c. 2. & Florum in Epitome Liuij lib. 9. & in Faſtis Capitolinis his verbis: *M. Claudius C. F. Glicia, qui ſcriba fuerat, dictator coactus abdicare ſine Mag. equitum.* Scripſit autem Caius librum ſingularem ad legem Gliciam, ex quo vna tantum nobis ſupereſt ſententia in l. 4. D. de inoffic. teſt. quæ rationem inducendæ querelæ, ſeu ferendæ legis Gliciæ cõtinet. ſic enim eius l. 4. inſcriptio edita eſt in P. Florentinis, & ita legẽdum cenſet Iac. Cuiacius Obſeruat. lib. 2. c. 21. & lib. 3. c. 14. Appellata autem hæc lex eſt à cognomine, quemadmodum & lex Norbana, Peducæa, & Poppæa. hæc enim Norbanus, Peducæus, Poppæus, magis cognominibus adſcribuntur. Siquis tamen inuſitatum id eſſe dicat, poterit & à nomine deducere. nam Glicij Galli apud Tacitum lib. 15. fit mẽtio, & Auguſtæ Taurinorum in hoc titulo antiquo: Q. *Glicio P. F. Atilio Agricolæ Coſſ. VII. uir. Epulonum legato proprætore Imp. Neruæ Cæſ. Prouinciæ Beticæ leg. leg. 6. Ferrat. citerioris Hiſp. Prætori Aedili Cur. Iul. Veſpaſiani Tribuno licæ x. uiro ſtlitibus iud.* Prætorem autem etiam leges ad populum tuliſſe, populúmque rogaſſe Liuius indicat lib. 27. Sed videtur potius à Dictatore appellata. Vide Cuiacium in locis præcitatis.

H

HIERONICA frumentaria. Tulit Hiero Tyrannus. Huius meminit Cicero Verrina 4. qua inter aratores & decumanos iudicia facta dicit. Hac enim fuit conſtitutum. vt refert Zaſius, quantum frumenti, aut quo pretio quóve tempore arator frumentum decumano, id eſt publicano, qui decimas redemerat, daret. Quod ita diligenter & caute ſcriptum erat, vt nec arator decumanum fraudare, nec decumanus plus decima ab aratore auferre poſſet. Atque ob hanc legis æquitatem, Romani Sicilia potiti, nihil mutauerunt. Memorabile hoc etiam in lege fuit, quod numerus aratorum quotãnis apud magiſtratus publicè ſubſcribebatur.

HIRCIA, de Pompeianis. Tulit A. Hircius, qui poſtea in pugna ad Mutinam cecidit: Vt Pompeiani ad dignitates non admitterentur. Ex epiſt. Anton. Philip. 13.

HORATIA Valeria, de plebiſcitis. Tulere L. Valerius, M. Horatius COSS. Anno CCCIIII. Vt quod tributim plebs iuſſiſſet, populus teneret. Liuius libr. 13. Dionyſ. 2. Quod poſtea lege Hortenſia, & Publilia confirmatum eſt.

Horatia, de prouocatione, vide Valeria, de prouocatione.

Horatia, de magiſtratibus ſacroſanctis. Tulit idem. Vt qui Trib.ple. Ædilibus, iudicib. nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet: familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret. Liuius lib.3. Dionyſ.lib.5.

Horatia, de Caia Tarratia, virgine Veſtali. Tulit. Vt certi honores ei tribuantur, in his vt teſtabilis eſſet. Vt ſi quadraginta annos nata ſacerdotio abire, ac nubere voluiſſet, ius ei poteſtáſque exaugurandi atque nubēdi eſſet: munificētiæ & beneficij gratia, quòd campum Tiberinum, ſiue Martium populo Rom. condonaſſet. Gellius lib.6.c.7. Plutarchus in Publicola, vbi eā Tarquiniam appellat.

Hortenſia, de nundinis. Tulit. Vt nundinæ quæ prius erant feriæ, faſtæ eſſent: vti ruſtici, qui nundinandi cauſſa in vrbem veniebant, lites componerent. Macrob. lib. Satur.j.c.16.

Hortenſia, de plebiſcitis. Tulit Q. Hortenſius, Dictator ſeditionis ſedandæ cauſſa creatus, An. CDLXVII. Vt eo iure quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur: cum antea Patritij non tenerentur. Gell. lib.15. c.27. Florus epit.11. Plin. lib.16.c.10. Iuſtin. in §. plebiſcitum. de iure nat. gent. & ciuili, Pomp. l.2. de orig. iur. §. deinde cum eſſet in ciuitate. Auguſt. lib.3. De ciuitate Dei. c.17. quod antea lege Horatia ſancitum erat, & poſtea lege Publilia confirmatum eſt.

Hoſtilia, de furtis. Tulit A. Hoſtilius Conſul cùm A. Atilio, Anno DLXXXIII. Vt furti agere liceret eorū nomine, qui apud hoſtes eſſent, aut Reip. cauſſa abeſſent, quíve in eorum cuius tutela eſſent. Iuſtinianus De iis per quos ag. poſſ. Hinc illæ Hoſtilianæ actiones, id eſt, formulæ, apud Ciceronem libr. De orat. j. vbi de militis teſtamento agitur.

I

Icilia, de Auentino. Tulit L. Icilius Tribun. pleb. M. Valerio, Sp. Virginio Coss. Anno CCXCVII. Vt Auentinus mons plebi ad ædificia concederetur. ὅσα μὲν ἰδιῶται τινὲς εἶχον ἐκ δικαίου κτησάμενοι, ταῦτα τοὺς κυρίους κατέχειν· ὅσα δὲ βεβιασμένοι τινὲς ἢ κλοπῇ λαβόντες ᾠκοδομήσαντο, νομισαμένους τὰς δαπάνας ἃς ἂν οἱ διαιτηταὶ γνῶσι, τῷ δήμῳ παραδιδόναι. τὰ δὲ ἄλλα ὅσα ἂν ᾖ δημόσια, χωρὶς ὠνῆς τὸν δῆμον παραλαβόντα διελέσθαι. Id eſt, Quæ priuati quidam iure quæſita poſſidebant, ea pro domino poſſiderent: quæ verò vel vi, vel clàm accepta ædificiis occuparant, ea recuperatis impenſis quas arbitri ſtatuiſſent, populo redderent. cætera verò quæ publica eſſent, ea populum ſine precio recipere, & inter ſe diuidere. Dionyſ. lib.10. & Liu. lib.3.

Icilia, de Tribunis pleb. Tulit Sp. Icilius Tribu. pleb. T. Geganio, P. Minutio Coss. Anno CCLXI. Δημάρχου γνώμην ἀγορεύοντος ἐν δήμῳ, μηδεὶς λεγέτω μηδὲν ἐναντίον, μηδὲ μεσολαβείτω τὸν λόγον. ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα ποιήσῃ, διδότω τοῖς δημάρχοις ἐγγυητὰς, αἰτηθεὶς εἰς ἔκτισιν ἧς ἂν αὐτῷ ἐπιθῶσι ζημίας. ὁ δὲ μὴ διδοὺς ἐγγυητὴν, θανάτῳ ζημιούσθω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ ἱερὰ ἔστω. τῶν ἀμφισβητούντων πρὸς ταύτας τὰς ζημίας, αἱ κρίσεις ἔστωσαν ἐπὶ τοῦ δήμου. id eſt, Tribuno ad populum concionanti, ne quis contradicito, néve eum interpellato. Qui contrà faxit, prædes Tribunis dato ſe mulctam quam ipſi irrogabunt ſoluturum. qui prædes nō dederit, capital eſto: familiáque eius ſacra eſto. Si quid erit in mulctis controuerſiæ, populi iudicium eſto. Dionyſ. lib.7.

Iulia annalis, vide Villia annalis.

Iulia, de ciuitate. Tulit Sext. Iulius Cæſar Coss. cum L. Martio, Ann. DCLXII. Vt ciuitas ſociis & Latinis omnibus qui arma deponerent, daretur. nam Italici belli reſtinguendi cauſſa lata eſt. Vel ſic: Vt iis qui bello Italico exorto, in fide manſerāt (manſerant autem omnes Latini) & iis qui in amicitiam poſtea rediiſſent, ciuitas daretur. Additur in Orat. pro Balbo: Qui fundi facti eſſent. Gell. lib.4.c.4. Appianus lib. de bell. ciuil.j. Eutropius. Huius autem legis beneficio coloniarum omnium & municipiorum, quæ in Italia fuerunt, æquata iura ſunt, non vt legibus Romanis æque vterentur, (nam coloniarum duntaxat Romanarum hoc fuit: municipia ſuis legibus atque inſtitutis viuebant) ſed vt æque ius illud ciuium Romanorum, ferēdi ſcilicet ſuffragij, & adipiſcendorum magiſtratuum, obtinerent. quod antea municipiis, & Romanis coloniis licuerat, Latinis verò coloniis, & Latino populo non item. Poſtea ſublatam hanc legem licet opinari, cum dicat Suetonius, homini Latino ius Quiritium à Claudio Imperatore propoſitum. niſi ſi hoc intelligas, omnibus id propoſitum, qui tantum Latij ius haberēt: cuiuſmodi erant omnes extra Italiam Latinæ coloniæ, omniáque municipia quæ ius Latij habebant, ius autem Quiritiū nondum eſſent aſſecuta. Huius enim legis beneficium intra terminos Italiæ continebatur. Manutius hanc legem latam fert à L. Cæſare Conſule P. Rutilij collega: Iuliam autē dictam, quod ſolus eam Cæſar, cum eius collega Rutilius in prœlio eſſet occiſus, ex S.C. tulit.

Iulia, de prouinciis, & magiſtratibus in prouincias miſſis. Tulit C. Iulius Cæſar Conſul cum Bibulo, An. DCXCI. Vt Achaia, Theſſalia, cuncta Græcia liberæ eſſent, neque in iis magiſtratibus pop. Rom. ius dicere liceret. Cic. Pro domo ſua, in Piſon. & de prou. Conſul. Item vt magiſtratibus tranſeuntibus, eorúmque comitibus fœnum aliáque ab opidis & vicis ſubminiſtrarentur. Ad Att. lib.5. & in Piſon. Item duabus in ciuitatibus prouinciæ ſuæ Magiſtratibus decedentes rationes ſuas relinquerent: eaſdémque totidem verbis ad ærarium referrent. Cic. Epiſt. fam. lib.5. epi.20. in Piſon. Item. Ne coronarium aurum iis qui prouincias obtinerēt, vel decerni, vel ab iis accipi liceret, niſi decreto triumpho. Cic. in Piſon. Ne qui cum imperio eſſent, iniuſſu populi, aut ſenatus de prouincia exirent, exercitus educerent, aut bellum ſua ſponte iniuſſu popu. aut Senatus gererent, in regnum alienum accederent. Cicero in Piſonem, pro Poſthumo.

Iulia Agraria. Tulit idem eodem tempore, ſuaſore Cn. Pompeio. Vt ager Stellas, maioribus conſecratus, item Campanus ad ſubſidia Reip. vectigalis relictus, plebi diuiderentur. Diuiſit extra ſortem XX. millibus ciuium, quibus terni pluréſque liberi eſſent. Velleius libr.2. Plutarch. in Pomp. & in Cæſar. & in Cat. Vtic. Dio.38. Hanc vocat Campanam Cicero lib.2. ad Atticum. Habet, inquit, etiam Campana lex execrationem candidatorum in concione, ſi mentionē fecerint quo aliter ager poſſideatur, atque vt ex legibus Iuliis non dubitāt iurare cæteri. Aliā præterea Calliſtratus commemorat in l.3. D. de term. mot. Vt qui terminos ſtatutos extra ſuum gradum fineſve dolo malo mouerint, quinquaginta aureos dare in publicum damnentur: eiúſque rei actio petitio ei qui volet detur.

Iulia, De vi. Tulit idem. Vt ei qui de vi damnatus eſſet, aqua & igni interdiceretur. Cicero Philip.j.

Iulia Maieſtatis. Tulit idem. Vt ei qui maieſtatis damnatus eſſet, aqua & igni interdiceretur. Cicero. Philip.j.

Iulia Iudiciaria. Tulit idem. Vt iudicia ad duo genera iudicum redigerentur, equeſtris ordinis & ſenatorij. Tribuni verò ærarij, quod erat tertium, tollerentur. Suetonius in Cæſare. Meminit Gellius libr.14.c.2. Dio libr.43. Multa præterea huius legis capita fuerunt, de ipſorum iudicum ætate, dignitate, & conditione, de forma & cōſuetudine iudiciorū publicorum & priuatorū. Quæ omnia in antiquis Iuriſconſultorū libris comprehenſa, opera Triboniani abolita ſunt.

Iulia

Iulia, DE SACERDOTIIS. Tulit idem. Vt in cooptandis ſacerdotibus etiã abſentium ratio haberetur, Patet ex lib. j. epiſt. ad Brutum.

Iulia REPETVNDARVM. Tulit idem, vt ex Vatiniana & Sextiana intelligitur. Ne cui, qui in prouincia cum poteſtate, imperióve eſſet, pecuniam capere, conciliareue liceret, extrà quàm ſi ad templum monimentúmque capiat. Cic. epiſt. j. ad Q. fra. & epi. j. libr. 6. ad Attic. Vt ab iis exigeretur pecunia, ad quos ea quam is ceperit qui damnatus ſit, peruenerit. Vt magiſtratus cum de prouincia decederent, rationes in prouinciæ duabus ciuitatibus, quæ ipſis maximè viderentur, relinquerẽt, & totidem verbis ad ærarium referrent. Ne qui cum imperio eſſent, iniuſſu populi aut ſenatus de prouincia exirent, exercitum educerent, bellum ſua ſponte gererent, in regnum alienum accederent, Cic. pro poſthumo. In epiſt. libr. ſ. epiſt. 20. & in Piſoniana. Item, Ne quis in magiſtratu, poteſtate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, miniſterióve publico, quíve ex cohorte cuius eorum eſt, pecuniam ob iudicandum, decernendúmve accipiat, vel quo magis aut minus quid ex officio ſuo faciat: ne quis ob militem legendum, mittendúmve, æs accipiat: néve quis ob ſententiam in ſenatuconſilióve publico dicendam, pecuniam accipiat: vel ob accuſandum, vel non accuſandũ: vtque vrbani magiſtratus ab omni ſorde ſe abſtineãt: néve plus doni muneris in anno accipiãt, quàm quod ſit aureorum centum: ne quis ob iudicem, arbitrúmve dandum, mutandum, iubendúmve vt iudicet: néve ob non dandum, non mutandum non iubendum vt iudicet: néve ob hominem in vincula publica coniiciendum, vinciendum, vincirive iubendum, éxve vinculis dimittendum: néve quis ob hominem condemnandũ, abſoluendúmve: néve ob litem æſtimandam iudiciúmve capitis pecuniæve faciendum, vel non faciendum aliquid accipiat. néve in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum publicè dandum, præbendum, approbandum, (alias appendendum) ſarta tecta tuenda, antequam perfecta probata, præſtita lege erunt. vt vẽditiones locationes eius rei cauſſa pluris minorísve factæ, irritæ ſint: néve vſucapi ea reſpoſſit, priuſquam in poteſtatem eius à quo profecta ſit, hæredíſve eius veniat. Hæc ex Pandectis tit. de lege Iul. repetũdarum. Adde & ex Tacito lib. II. Vt qui aduocati ob cauſſam orandam denum ſeſtertium modum egreſſi eſſent, repetundarum tenerentur. L. autem Piſo legem de pecuniis repetundis tulit, nulla antea cum fuiſſet, vt ſcribit Cic. lib. 2. Offic.

Iulia, DE PROVIÑCIIS. Tulit idem Dictator. Ne prouinciæ prætoriæ plus quàm annum, neu plus quam biennium Conſulares obtinerentur. Cic. Philipp. j. & 3. & 8. item Dio lib. 43.

Iulia, DE LEGIBVS Cæſaris. Tulit idem. Vt ei qui in ſuas leges non iuraſſet, capitale eſſet. Appianus De bell. ciuil. 2.

Iulia, DE FENORE. Tulit idem. Vt diſiecta nouarum tabularum expectatione, quæ crebrò mouebatur, debitores creditoribus ſatisfacerent per æſtimationem poſſeſſionum, quanti quáſque ante ciuile bellum comparaſſent, deducta ſumma æris alieni, ſi quid vſuræ nomine numeratum aut perſcriptum fuiſſet: qua conditione quarta ferè crediti deperibat, Sueton. in C. Cæſare. Cæſar lib. 3. De bello ciuili. Atque hæc fortaſſis ex Solonis legibus, in quibus ſic legitur: τῶν χρεῶν ἀποκοπὴν ποιεῖσθαι, καὶ λύτρωσιν, καὶ ἐπὶ σώμασι, μὴ δανείζεσθαι. καὶ οὗτος ὁ νόμος Σεισάχθεια καλείσθω. Eadem etiam de modo credendi poſſidendíque intra Italiam cauebatur. Tacitus lib. ſ.

Iulia, DE COLONIIS. Tulit idem. Vt ager Campanus viginti millib. ciuium extra ſortem diuideretur, eóque colonia deduceretur. Sueton. in Iulio, & Auguſto.

Iulia, DE VI PVBLICA ET PRIVATA. Tulit C. Iul. Octauius Auguſtus: Vt qui aliqua poteſtate præditus ciuem Romanum antea ad populum, nunc ad Imper. appellantem necarit, necarive iuſſerit, torſerit, verberauerit, condemnauerit, in publica vincula duci iuſſerit, humilior ſi ſit, pœna capitis, honeſtior verò inſulæ deportatione coërceatur. Paulus lib. ſ. Sentent. tit. 26. l. 7. D. ad leg. Iul. de vi publ. Et ita l. 8. D. ad leg Iul. de vi publ. accipienda quoque eſt de magiſtratu, qui reum prouocantem vinciat, impediátve quominus Romæ intra conſtitutum tempus adſit. Lege autem Iulia de vi priuata tenetur qui quem armatis hominibus poſſeſſione, domo agro, villa deiecerit, expugnauerit, obſederit, incluſerit, vel vt id fieret homines commodauerit, qui cœtu, concurſu incendium fecerit, qui funus diripuerit, diſtraxerit, ſepeliri prohibuerit, qui cum telo in foro concione, comitio fuerit, qui templa, portáſve vrbis armatis obſederit, tenuerit, occupauerit. Paulus vbi ſupra. Sed alij pœnam Iuliæ de vi publica ſtatuunt, vt l. 3. l. 4. l. ſ. l. 10. D. ad leg. Iul. de vi publ. & generaliter vim armatam vim publicam definiunt, vt vim ſine armis, vim priuatam. Alij verò hæc ſic diſtinguunt, vt legem Iuliam de vi publica ſimilem ominno fuiſſe Valeriis dicant: & (vt Paulus. d. tit. 26. in principio ſcribit) pœnam ſanxiſſe tantum aduerſus publicarum perſonarum, id eſt magiſtratuum in ciues Romanos immoderatã vim: Lege autem Iulia de vi priuata pœnam eſſe ſancitam aduerſus priuatorum vim. Et ſane ſicut eodem interdicto vis facta conuocatis armatíſque hominibus comprehenditur, vt videre eſt apud Paulum lib. ſ. Sentent. tit. 6. cur ſicut vis facta conuocatis hominibus legi Iuliæ de vi priuata ſubiicitur. l. 2. l. 4. l. ſ. D. de vi priuata, non ſubiicietur etiam ea quæ armatis hominibus infertur? Verum fuit ſæpe vel conſtitutionibus, vel Senatuſconſultis legibus Iuliis derogatum, obrogatum, ſubrogatum: nec vlla ferè lex publicorum iudiciorum ſyncera remanſit: ſed retento ſolo legis nomine, ei aptata ſunt quæcunque poſtea aliæ vel leges, vel conſtitutiones inuexerant. Sic factum eſt, vt omnis vis armata ad pœnam legis Iuliæ de vi publica redigeretur. conſequens verò eſt vt ea quoque ad legem Iuliam de vi publica redigatur, quæ fit conuocatis hominibus, ſine armis: quandoquidem hæc quaſi paria coniungi ſolent, conuocatis, armatíſve hominibus, Siquis igitur vim fecerit conuocatis hominibus, ei vtriuſque legis crimen obiici poteſt: quod fieri quandoque ex eodem facto oſtendit. l. ſi præſes. D. de pœn. Atque ideo in Pandectis hæc verba, Hac lege tenetur, qui conuocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur, pulſetur, neque homo occiſus ſit, tam ſub tit. de vi publica, quam ſub eo qui eſt de vi priuata reperiuntur. Pœna autem legis Iuliæ de vi publica, erat aquæ & ignis interdictio, Hinc notandum quod ſcribit Paulus lib. ſ. Sentent. tit. 26. lege Iulia eum etiam teneri, qui eum cui aqua & igni interdictum eſt, receperit, celauerit, tenuerit: interdicitur enim & aqua ſimul, & igni & tecto. Cic. pro domo ſua: Id non ademptione, inquit, ciuitatis, ſed tecti, & aquæ, & ignis interdictione faciebant. Vide Florum Epit. c x x. Suet. in eius vita. Has leges Iuliam publicorum & Iuliam priuatorum appellat Vlpian. in l. ſi præſes. 32. D. de pœn. & l. j. D. vnde vi. Eadem præterea lege cauebatur, ne rem vi poſſeſſam vſucapere liceret. l. 33. §. 2. D. de vſurpat.

Iulia MAIESTATIS, Tulit idem. Qua tenetur is cuius opera dolo malo conſilium initum erit, qua obſides iniuſſu principis interciderent, qua armati homines

cum telis lapidibúſve in vrbe ſint, conueniántve, aduerſus rempublicam, locáve occupentur vel templa, quáve cœtus conuentúſve fiat, hominéſve ad ſeditionem conuocentur. cuiúſve opera, conſilio, dolo malo conſilium initum erit, quo quis magiſtratus populi Romani, quíve imperium poteſtatémve habet, occidatur. quáve quis contra Rempublicam arma ferat. quíve hoſtibus populi Romani nuncium, literáſve miſerit, ſignúmve dederit, fecerítve dolo malo, quo hoſtes populi Romani conſilio iuuentur aduerſus rempublicam. quíve milites ſollicitauerit, concitaueritve, quo ſeditio, tumultúſve aduerſus rempublicam fiat. Quíve de prouincia cum ei ſucceſſum eſſet nō diſceſſit, aut qui exercitum deſeruit, vel priuatus ad hoſtes perfugit. quíve ſciens falſum conſcripſit, vel recitauerit in tabulis publicis: nam & hoc capite primo lege maieſtatis enumeratur. Quíve in bellis ceſſerit, aut arcem tenuerit, aut caſtra cōceſſerit: quíve iniuſſu principis bellum geſſerit, delectúmve habuerit, exercitum comparauerit. quíve cùm ei in prouincia ſucceſſum eſſet, exercitum ſucceſſori non tradiderit. quíve imperium exercitúmve populi Romani deſeruerit, quíve priuatus pro poteſtate magiſtratúve quid ſciens dolo malo geſſerit. quíve quid eorum, quæ ſuprà ſcripta ſunt, facere curauerit. Cuiúſque dolo malo iureiurando quis adactus eſt, quo aduerſus rempublicam faciat, cuiuſve dolo malo exercitus populi Romani in inſidias deductus, hoſtibúſve proditus erit: factúmve dolo malo cuius dicitur, quo minus hoſtes in poteſtatē populi Romani veniant. cuiúſve opera dolo malo hoſtes populi Romani commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliáve qua re adiuti erunt. vtve ex amicis hoſtes pop. Rom. fiant. cuiuſve dolo malo factum erit, quo rex exteræ nationis populo Rom. minus obtemperet. cuiúſve opera dolo malo factum erit, quo magis obſides, pecunia, iumenta hoſtibus populi Rom. dentur aduerſus rempublicam. Item qui confeſſum in iudicio reum, & propter hoc in vincula coniectum, emiſerit. Vlpianus. l. j. & 2. D. ad leg. Iul. maieſt. Marcianus. l. 3. eod. Scæuola. l. 4. eod.

Iulia, De ambitu. Tulit idem. Vt qui petiturus magiſtratum, vel prouinciam, vel ſacerdotium, turbam ſuffragiorum cauſſa conduxerit, ſeruos aduocauerit, aliámve quam multitudinem conduxerit, conuictus vt vis publicæ reus in inſulam deportetur. Suet. in Auguſt. Paulus Sent. 5. c. 32. & Iuriſconſ. in Pand. Diuerſum tamen Dio tradit libr. 56. Vt qui magiſtratum ambiiſſent, quinquennium à magiſtratibus arcerentur. quod ipſum Zonaras lib. 11. ſecutus eſt. Hanc autem legem ideo Octauius Auguſtus tulit, quod per Triumuirorū tempora ius creandorū magiſtratuum à populo ablatum fuiſſet, ipſique Triumuiri magiſtratus Reip. darent. Poſtea tamen creatione magiſtratuum ad curam Principis delata, ceſſauit Romæ hæc lex, vt ait Modeſtinus. D. eod. Hinc Quintilianus de ambitu loquens, lib. 6. Hoc genus, inquit, noſtris temporibus totum pene ſublatum eſt, cum omnia tutelæ, curæque vnius innixa periclitari nullo iudicij exitu poſſint. quod & notat Ammianus lib. 14.

Iulia, De maritandis ordinibus. Tulit idem. Ne cœlibes, niſi qui genere eſſent proximi, quicquam ex teſtamento ciuis R. caperent: néve orbi pluſquam dimidium eorum quæ relicta eſſent. Hoc ex Euſebio, Nicephoro, Sozomene. & l. j. C. de infir. pœn. cœli. Ne coniux coniugis teſtamento niſi decimam relictorum partem caperet: fiſcus reliquas nouem. Vlpian. c. Inſt. x v. l. j. C. de his qui ſe def. libr. 10. l. 2. C. de infirm. pœn. cœlib. Fœminis, inquit Vlpian. lex Iulia à morte viri anni tribuit vacationem: à diuortio, ſex menſium. Lex autem Papia, à morte viri, triennij: à repudio, anni & ſex menſium. Vlpia. c. 14. Sueton. in Auguſto. Vt priori ex conſulibus faſces ſumendi poteſtas ſit, qui plures liberos quam collega aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit: ſed ſi par vtrique numerus liberorum eſſet, maritus, aut qui in numero maritorū eſt, præferatur: ſi verò ambo & mariti & patres totidem liberorum ſunt, ille priſtinus honos inſtauretur, & qui maior natu eſt, prior faſces ſumat. Gell. libr. 2. c. 15. Vt ſi liberta ab inuito patrono diuerteret, alij nubere inuito patrono non poſſet. Vt iuſiurandum quod liberto impoſitum eſt ne vxorem ducat, ei remittatur. l. 6. §. 3. De iure pat. l. j. D. vnd. vir & vxor. Ne ſenatores eorúmve liberi, libertinas & quæ ipſæ, quarúmve pater matérve artem ludicram fecerit, item ex numero corpore quæſtum facientium vxorem ducant. Cæteri autem ingenui prohibentur ducere lenam, à lenone lenáve manumiſſam, & in adulterio deprehenſam, & iudicio publico damnatam, & quæ artem ludicram fecerit. Paulus. l. 44. D. de ritu nupt. Marcianus autem in l. 19. eo. ſcribit, caput trigeſimumquintum fuiſſe, Vt qui liberos quos habent in poteſtate, iniuria prohibuerint vxores ducere, vel nubere, à magiſtratibus cogātur in matrimonium collocare, & dotare. Vt patritiis liceret libertinas vxores ducere: præterquam ſi ſenatores, ſenatorúmve liberi eſſent. ne qua ſponſalia rata eſſent, niſi ſtatim exacto biennio nuptiæ fierent: hoc eſt, ne puellæ decem annis minores ducerentur, quarum annus ætatis duodecimus maturus coniugio habebatur, Zonaras lib. 11. Hæc autem lex in libris noſtris interdum Iulia tantum, interdum Pappia, interdū Iulia Pappia, interdum Pappia Poppæa dicitur.

Iulia, De vicesima. Tulit idem. Vt quæ hæreditates, legata & donationes mortis cauſſa ad alienos, aut locupletes peruenirent, earum pars viceſima ad fiſcum pertineret. Vt teſtamenta in municipiis, coloniis, opidis, præfectura, vico, caſtello, conciliabulo facta, in foro vel baſilica, præſentibus teſtibus, vel honeſtis viris, inter horam ſecundam & decimam diei recitentur, exemplóque ſublato, ab iiſdem rurſus magiſtratibus obſignato, quorum præſentia conſtat apertum. Vt teſtamentum ſtatim poſt mortem teſtatoris aperiatur, hoc eſt, à præſentibus intra triduum vel quinque dies: ab abſentibus quoque intra eos dies, cùm ſuperuenerint. Vt teſtes, vel maxima pars eorum adhibeantur, qui ſignauerint teſtamentum, ita vt agnitis ſignis rupto lino aperiatur & recitetur. atque ita deſcribendi exempli fiat poteſtas, ac deinde ſigno publico obſignatum in Archiuum redigatur, vt ſi quando exemplū eius interciderit, ſit vnde peti poſſit. Dio lib. 38. & Paulus Sentent. lib. quarti, tit. 6.

Iulia, De iudiciis. Tulit idem, qua formam iudiciorum tum publicorum tum priuatorum præſcripſit. Gellius libr. 14. c. 2. Vt qui nomen alicuius deferrent, locum, annum, & menſem, quo crimen admiſſum erit, deſignent. l. 3. De accuſat. Ne eodem tempore de duobus reis quis quereretur, niſi ſuarum iniuriarum cauſſa. l. 12. eod. Ne inuito denuncietur, vt teſtimonium dicat aduerſus ſocerum, generum, vitricum, priuignum, ſobrinum, ſobrinam, ſobrino natum, eóſve qui priore gradu ſint. item ne liberto ipſius, liberorū eius, parentum, viri, vxoris: item patroni, patronæ: & vt ne patroni patronæ aduerſus libertos, neque liberti aduerſus patronum cogantur teſtimonium dicere. l. 4. D. de teſtibus. Vt inter priuatos qui in iudicem conſenſiſſent, iuris dicundi ei iudici poteſtas eſſet. l. 3. §. j. D. de iudic. Ne qui iudex ſit, arbitrium recipere eius rei de qua iudex eſt, invе ſe promitti iubeat. l. 9. De arbit. Ne minor annis viginti iudicare cogatur. l. cum lege.

lege 41.D.de arbit. Vt Saturnalibus triduo feriæ ſeruarentur. Macrob.lib.j.cap.10. Eadem etiam latum opinatur Hotom. vt certus patronorum numerus eſſet. Meminit Aſconius in argumento pro Scauro. Et ſi quis reus vel accuſator domum iudicis ingrediatur, per legem Iuliam iudiciariam in legem ambitus committit, l.j.D.de ambit. Item ne iudices ſuo anno in alienas ædes ingrediantur. Dio lib.54.

Iulia CADVCARIA. Tulit (vt exiſtimat Hotomanus) idem: & eiuſdem legis hæc duo fuere capita, Vt ſi nemo ſit ad quem bonorum poſſeſſio pertinere poſſit: aut ſit quidem, ſed ius ſuum omiſerit, bona publicentur. Vlpia.cap.Inſti.28. Idem l.4.§.eodem.D.de fideic. li. Quare & ſi caducariis legibus bona delata ſint, idẽ erit probandum. Sic enim locum hunc nobis reſtituit Iacob.Cuiacius. Eandem legem Iuliam ſignificat Iulianus leg.96.§.j.De legat.& fid.lib.1. Quoties lege Iulia bona vacantia ad fiſcum pertinent, & legata & fideicommiſſa præſtantur.

Iulia, DE ADVLTERIIS. Tulit idem. Si quis ſtuprum adulteriúmque faceret, ſciens, dolo malo. Suet.in Auguſto. & Iuriſconſulti tit.Ad leg.Iul.de adulter. Cornelius Tacitus lib.2. Huius caput etiam hoc fuit, Ne maritus dotale prædium inuita vxore alienet: néve id etiam eius voluntate oppigneret, Paulus lib.Sent.2.ca. 22.& Iuſtin.ſub tit.quibus alien.licet.in princ. & de eo plenè Cuiac.ad l.ſi marito.D.de fund.dot.

Iulia THEATRALIS. Tulit idem. Vt equitibus Rom. quibus ipſis parentibúſve equeſter cenſus vnquam fuiſſet, in quatuordecim ordinibus lege Roſcia Theatrali conſtitutis conſidere liceret. Sueton.in Auguſto. Plin.lib.33.cap.2.

Iulia SVMPTVARIA. Tulit idem. Vt profeſtis diebus ducentos nummos in conuiuiis conſumere liceret: Calendis, Idibus, Nonis, & aliis quibuſdem feſtiuis trecentos, nuptiis autem & repotiis H-S.millies. Gellius lib.2.cap.24.

Iulia, DE MANVMISSIONIBVS. Tulit idem. Vt Imperator, cum ſeruum manumittit, non vindictam imponat: ſed ſimpliciter liberum eſſe iubeat. Paulus l. apud eum.14.D.de manumiſſ. Qua lege tam manumiſſoris quam manumiſſi ætatem definiuit, iuráque quibus patroni aduerſus libertos vterentur conſtituit. Dio lib.55.

Iulia, DE VENENO. Nominatur à Suetonio in Nerone.

Iulia PECVLATVS. Tulit idem. Ne qui ex pecunia ſacra, religioſa, publicáve auferat, néve intercipiat, néve in rem ſuam vertat: néve faciat quo quis auferat intercipiat, vel in rem ſuam vertat: niſi cui vtique lege licebit: néve quis in aurum, argentum, æs publicum quid indet, néve immiſceat: néve quo quid indatur, immiſceatur, faciat ſciens dolo malo, quo id peius fiat. Vlpian.l.j.D.eo.

IVLIA, DE RESIDVIS. Tulit idẽ. Ne quis eam pecuniã quæ in vſum publicum erogari, vel in ærarium inferri debuit, priuatim retineat l.2.D.ad legẽ Iuliam pecul.

IVLIA TITIA, de tutoribus. Tulere. Vt prouinciarum præſides mulieribus pupilliſve tutores non habentibus, tutores darent. Iuſtin.Inſtitu.de Attil.tut. & Vlpi. cap.Inſtit.11.

IVLIA, de ceſſione bonorum. Tulit. Vt qui ſine dolo ſuo malo æri alieno ſatisfacere non poſſet, bonis ſuis cedendo liberaretur, l.4.C.qui bon.ced.poſſ.& in C. Th.lib.4.tit.qui bonis ex lege Iulia cedere poſſint.

IVLIA & SEMPRONIA, de limitibus. Tulere. Vt per actuarios limites populo eundi ius eſſet, ſicut per viam publicam. Hyginus in libello de limitibus conſtit. Apud Frontinum autem Tiberij Cæſar. conſtitutio legitur, ex qua hæc ſumpſimus: Eſt & aliud monumentum quod non longè ab ædibus vel itinere publico conſtitutum: id eſt, iuxta legem Semproniam & Iuliam, quod cardinibus & Decumanis conſtitutum eſſe monſtratur. quod rationem finium recipere videtur: id eſt, concurrentium linearum atque ſecantium ſe inuicem, & ordinem in vtroque cuſtodit, limitum rationem diſcernens.

IVLIA MISCELLA, de teſtamentis. Tulit. Vt coniugi ſuperſtiti legatum ſibi à demortuo ea lege ne iterum nuberet, ita capere ius eſſet, ſi intra annũ (luctui nondum erat præfinitus annus) iuraret ſe liberorum quærendorum cauſſa velle nubere. Iuſtin.in tractatu de indicta viduitate, & lege Iulia Miſcella tollenda. libr. C.6.titul.40.& Nouell.conſt.22. vbi Iuſtin. Iulium Miſcellam huius legis auctorem nominat. Alij tamen Miſcellam malunt dictam, quod id legis Iuliæ caput tam ad virum quam fœminam pertinebat, l.3. C.de indict. vid.toll. Capit igitur ex ea lege vir muliérve hæreditatem, aut legatum intra annum, etiam ſi ſecundum matrimonium contrahat, ſiue à coniuge, ſiue ab extraneo hæreditas aut legatum relictum ſit ſub conditione viduitatis. Poſt annum non capit, niſi præſtita cautione Mutiana, quæ ſolet interponi in omnibus conditionibus, quæ morte legatariorum finiuntur: ſiue quæ in non faciendo concipiuntur, qua caueat ſe non coiturum ſecundas nuptias: & ſi coierit, redditurum legatum cum fructibus medij temporis, l.Mutianæ.l.hæres.§.qui poſt. l.Titio fundus. D.de condit. & demonſtrat.l.cum filius.§.qui Mutianam. D.de leg. 2.De hac lege etiam eſt l.vlt.D.de ſtatulib. Hãc autem ſuſtulit Iuſtin.d.tit.de ind.vid.toll.

IVLIA Plautia, de vſucapionibus. Vide Iulia de vi, & Plautia de vi. Ne res vi poſſeſſas vſucapere vllo tempore liceret. Iuſtin.de vſucap.lib.Inſtit.j.

IVNIA, de Regio, & Conſulari imperio. Tulit L.Iunius Brutus ſolus Conſul: Anno CCXLIII. Vt imperium Tarquinio abrogaretur, vt ipſe idem cum coniuge ac liberis, itémque omnes Tarquiniæ gentis exularent: Vt capitale eſſet ſi quis de iis reuocandis mentionem faceret: vt Regio imperio abrogato, Conſules duo regia poteſtate quotannis comitiis centuriatis à populo crearentur. Dionyſius lib.4. Liuius lib.2.

IVNIA, de Trib.pleb. Vide Sacrata.

IVNIA LICINIA, de legibus. Tulere D.Iunius Silanus, & L.Licinius Murena COSS. An.ab Vrbe condita, DCXCI. Vt iis qui trinundinum in ferenda lege non ſeruaſſent, grauiores quam lex Cæcilia & Didia ſanxiſſet, pœnæ irrogarentur. Cicer.Philipp.5. Vbi, inquit, lex Cæcilia & Didia? Vbi promulgatio trinundinum? Vbi pœnæ recenti lege Iunia & Licinia? Idem Epiſt.ad Attic.l.j.& 4.& Vatiniana interrogatione, & pro domo ſua.

IVNIA NORBANA, de libertinis. Tulere M.Iunius Silanus, L.Norbanus Balbus COSS. Ann.DCCLXXI. Vt ij ſerui qui neque cenſu, neque vindicta, neque teſtamento, ſed aut per epiſtolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione liberi fierent, non ciues Rom. ſed eodem iure, quo Latini coloni eſſent. Vt ſi Latinus ciuem Romanam, vel Latinam vxorem duxerit, teſtatione interpoſita, quòd liberorum quærẽdorum cauſſa vxorem duxerit, poſtea filio filiáve nato natáve, & anniculo facto, poſſit apud Prætorem vel Præſidem prouinciæ cauſſam probare, & fieri ciuis Romanus, tam ipſe quàm filius filiáve eius & vxor, ſcilicet ſi & ipſa Latina ſit. Vt Latinorum legitimæ ſucceſſiones nullæ prorſus eſſent: ſed eorum bona manumiſſores, tanquam ſeruorum peculia ſibi haberent. Vt liberti ius ciuitatis Ro. non antè haberent, quàm ius aureorum anulorum, aut natalium reſtitutionem à principe impetraſſent. Vlpian.in Inſtit.tit.3. Iuſtin.§.5.de ſucceſſ. lib. Idem Nou.78.

IVNIA annalis, vide VILLIA annalis.

IVNIA VELLEA, de hæredum inſtitutione. Tulere. Vt qui teſtamentum faceret, omnem virilis ſexus, qui ei ſuus hæres futurus erit cum naſcetur, inſtituendi, exhæredandíve poteſtatem haberet, etiam ſi viuo teſtatore naſceretur. item, Vt ſi quis ex ſuis hæredibus ſuus hæres eſſe deſineret, liberi eius & cæteri in locum ſuorum ſui hæredes ſuccederent. Scæuola l. Gallus. 29. de liber. & poſthumis. Vel ſic: Vt qui teſtamentum faceret, omnes eos virilis ſexus neceſſario inſtitueret hæredes, qui, cum naſcerentur, ei hæredes ſui futuri eſſent, eorúmque in locum liberi ſuccederent: qui niſi inſtituti eſſent, aut ſi exhæredati, ad exẽplum poſthumorum, eſſent, teſtamentum ne valeret. Duplex itaq; in hac lege caput fuit, primum, vt mortuo filio, nepotes nondum nati, poſſint inſtitui: item vt, viuente filio, naſcituri nepotes poſſint inſtitui, ſi, auo viuente, & mortuo filio, naſcantur: ne facti ſui, cum naſcentur, ſi ſe præteritos inuenerint, rumpant teſtamentum. Altero capite cautum eſt, vt nepotes iam nati, viuẽte filio, ab auo hæredes inſtituantur, vel nominatim exhæredentur: ne forte mortuo poſt teſtamentum filio, facti ſui hæredes, ad exemplum puſthumorum teſtamẽtum infirment. Cuiacius pro Iunia, Iulia legendum cenſet, corruptéque, vbi huius fit mentio, Iunia legi, ad l. Gallus. D. eo. vide §. poſthumorum. Inſtit. de exhære. liber.

IVNIA PETRONIA, de libertate. Tulere C. Iunius Cæſonius, Petronius Turpillianus Coss. An. DCCCXIII. Vt ſi diſſonantes pares iudicum exiſtant ſententiæ, pro libertate pronuncietur. Hermogen. l. 24. D. de manumiſſ. Ab eodem quoque Petronio lex Petronia de ſeruis infrà ſuo loco numeratur.

L

LABIENA, de ſacerdotiis. Tulit T. Labienus Tribun. pleb. Cicerone, Antonio Coss. Anno DCXC. Vt ius creandorum ſacerdotum penes collegia eſſet, ex veteri lege Domitia, quam lex Cornelia abrogarat. Dio libro 37. Vide DOMITIA lex.

LÆTORIA, de minoribus. Tulit. Vt iis qui furioſi vel prodigi eſſent, curatores darentur: qui eos circunſcripſiſſent, iudicio publico tenerentur. Cice. de offic. 3. de natu. deorum 3. & Capitol. in Anton. Philoſ. Ne à minoribus vigintiquinque annis ſtipulari liceret: hoc eſt, ne ſtipulatione obligari poſſent. Sueton. in quarto Prætorum apud Priſcianum lib. 8. Et hoc illius caput, vt exiſtimat Hotomanus, Plautus ſignificat in Pſeudolo, vbi Callidorum adoleſcentem ſic loquentem facit: *Nimis ſum miſer: nummum nuſquam reperire argenti queo. Ita miſer & amore pereo, & inopia argentaria. Perij, an non? tum lex me perdit quina uicenaria, Metuunt credere omnes.* Profertur in eandem ſententiam à Conſtantino in l. 2. C. Th. de donationib.

LÆTORIA, de plebeiis magiſtratibus, vide PVBLILIA LÆTORIA.

LICINIA, de fenore. Tulit C. Licinius Stolo Tribunus pleb. Furio, Clœlio, &c. Trib. mil. Anno CCCLXXVI. Vt deducto eo de capite, quod vſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio æquis portionibus perſolueretur. Liuius lib. 6. Eſt & alia Licinia de fenore, lata à Licinio Lucullo, Aſiæ proconſule, ad leuãdam ære alieno prouinciam lata. Ne ſupra cẽteſimam iure fenoris ſolueretur: Ne maiores eſſent vſuræ, quã quibus veteri iure pecunię antea credebantur: Ne creditoribus à debitore fenoris nomine plus omnino liceret accipere, quam quanta fructuum creditoris quarta pars eſſet.

Licinia, DE MAGISTRATIBVS E PLEBE CREANDIS. Tulit idem C. Licinius Stolo. Ne tribunorum militum comitia fierent, ſed Conſulum, & vtique alter ex plebe crearetur. Liuius lib. 6.

Licinia AGRARIA. Tulit idem, Æmilio, Valerio, &c. Trib. mil. Anno CCCLXXVII. Ne quis plus quingenta iugera agri, centum pecoris maioris capita, quingenta minoris poſſideret, Varr. lib. de re Ruſt. 1. Columel. lib. j. capit. 3. Liuius lib. 6. Appia. de bellis ciuil lib. 1. Gellius lib. 20. cap. j. Valerius lib. 8. cap. 6. Plinius lib. 18. cap. 3. Velleius lib. 2. Plutarchus in Camillo, & in Gracchis. Videtur de ſeptem iugeris viritim diuidendis cauiſſe. Nam Columella lib. j. Poſt exactos, inquit, Reges Liciniana illa ſeptem iugera, quæ plebis Tribunus viritim diuiſerat, maiores quæſtus antiquis retulere, quam nunc nobis ampliſſima veruacta.

LICINIÆ legis, ne communi diuidundo quis alienata re experiatur, fit mentio apud Marcianum l. fi. de alienat. iud. mut. Si quis inquit, iudicij communi diuidundo euitandi cauſſa rẽ alienauerit, ex lege Licinia interdicitur ei, ne communi diuidundo iudicio experiatur.

LICINIA ſumptuaria. Tulit P. Licinius Craſſus Diues Conſ. cum Cn. Lentulo, Anno DCLVI. Vt Kalendis, nonis, nundinis Romanis cuique in dies ſingulos triginta duntaxat aſſes edundi cauſſa conſumere liceret: nuptiis ducenos, cæteris verò diebus qui excepti non eſſent, tricenos: cum & carnis aridæ pondo tria, & ſalſamentorum pondo libram concederet. quod autem è terra, vite arboréve natum eſſet, id impune conſumere liceret. Macrob. lib. 3. cap. 17. Gell. lib. 2. cap. 24. Cicero lib. 7. Epiſt. ad Gallum, Epiſt. 27. Et Feſtus, Centenariæ cœnæ dicebantur, in quas lege Licinia non plus centuſſibus præter terræ nata impendebatur: id eſt, centum aſſibus, qui erant breues nummi ex ære.

LICINIA, de ludis Apollinaribus. Tulit P. Licin. Varus Prætor vrb. Claudio, Quinctio Coss. Ann. DXLV. Vt ludi Apollinares, qui die incerta fiebãt, in perpetuum in ſtatam diem vouerentur. itaque ipſe primus ita vouit, fecítque ante diem tertium nonas Quintiles. is dies deinde ſollemnis ſeruatus. Liuius lib. 27.

LICINIA CASSIA, de bello Perſæi. Tulere Licin. Caſſius Coss. Anno DXXCII. Vt quod Perſæus Philippi filius Macedonum rex aduerſus fœdus cum patre Philippo ictum, & ſecum poſt mortem eius renouatum, ſociis populi Rom. arma intuliſſet, agros vaſtaſſet, vrbéſque occupaſſet: quódque belli parandi aduerſus populum Rom. conſilia iniſſet, arma, milites, claſſem eius rei cauſſa comparaſſet: vt niſi de iis rebus ſatisfeciſſet, bellum cum eo iniretur. Liu. lib. 42.

Licinia Caſſia, DE TRIBVNIS MILITVM: Tulere idem Coss. Ne Tribuni militum eo anno ſuffragiis crearentur, ſed conſulum Prætorúmque in iis faciendis iudicium arbitriúmque eſſet. Liuius libro quadrageſimoſecundo.

LICINIA & MVTIA, de peregrinis. Tulere L. Licinius Craſſus, & Q. Mutius Scæuola Coss. Anno DCLVIII. Vt ſocij Latini, Romanæ ciuitatis iure priuati, ſuas in ciuitates redigerentur. Aſco. in Cornelianam. & pro Scauro, Cicer. in Bruto, & libr. de offic. 3. de orat. 2. pro Corn. Balbo, & pro Sextio. Appianus libro primo.

LICINIA, de ſodalitiis. Vt in ſodalitiis iudices ab accuſatore ex tribubus ederentur. Cicer. in Oratio. pro Plancio, & lib. Famil. Epiſt. 8.

Licinia ÆBVTIA, de legum latoribus. Tulere. Vti poteſtas nulla curatione non modò iis qui de aliqua curatione, aut poteſtate tuliſſent, ſed nec eorum collegis, cognatis, affinibus mandaretur. Cicero in Orat. 2. contra Rullum, & in Orat. pro domo ſua. Sunt tamen qui duas leges conſtituant, alteram Liciniam, aliam Æbutiam, quæ eiuſdem generis fuerint.

LICINIA rogatio, de ſacerdotiis. Promulgauit Q. Licinius Craſſus. Vt ſacerdotum cooptatio ab ipſorum collegio ad populum transferretur. Cic. in Lælio.

Licinia Iunia, de legibus, vide Iunia Licinia.

Livia, de Coloniis deducendis. Tulit M.Liuius Druſus Tribun.pleb. Domitio, Fannio Coss. Ann. DCXXXI. Vt duodecim coloniæ deducerentur, & ſingulis tria ciuium millia aſſignarentur. Plut. in Gracchis.

Livia, de decemuiris. Tulit. Vt decemuiri crearentur qui agros diuiderent. Eſt autem lata poſt captam Carthaginem, vna cum Rubria, de agris in Africa diuidundis. Harum fit mentio in tabula ænea, cuius meminit Manutius.

Liuia, De sociis Latini nominis. Tulit idem. Ne quem Latini nominis virgis in exercitu cædi liceret. Plut. ibidem.

Liuia, De vectigalibus. Tulit idem. Vt pauperibus quibus agri diuiderentur, vectigal quod ex lege Sempronia pendebant, remitteretur. Plutar. ibidem.

Liuia, De re nummaria. Tulit idem. Vt octaua æris pars argento miſceretur. Plinius lib. 33. cap. 3.

Livia iudiciaria. Tulit M.Liuius Druſus Tribun.pleb. L.Martio Philippo, Sex. Iulio Cæſare Coss. Anno DCLXII. Vt æqua ex parte iudicia penes Senatum & equeſtrem ordinem eſſent, id eſt CCC. equites, & CCC. ſenatores. Aſcon. in Cornelianam. Cicero de Orat. 3. Florus in Epit. LXXI. Appianus autem rem ſic explicat: τῶν βουλευτῶν διὰ τὰς στάσεις τότε ὄντων μόλις ἀμφὶ τῶν τριακοσίων, τοσούς δὲ ἑτέρους αὐτοῖς ἀπὸ τῶν ἱππέων εἰσηγεῖτο ἀριστίνδην προκαταλεγῆναι, καὶ ἐκ τῶνδε πάντων ἐς τὸ μέλλον εἶναι τὰ δικαστήρια, εὐθύνας τε ἐπ' αὐτῶν γίνεσθαι δωροδοκίας προσέγραφον· ἐγκλήματος ἴσα δὴ καὶ ἀγνοουμένου, διὰ τὸ ἔθος τῆς δωροδοκίας ἀνέδην ἐπιπολαζούσης. Cum per id tempus propter ſuperiores ſeditiones vix trecenti ſenatores eſſent, totidem ex equeſtri ordine arbitratu bonorum virorum delectos ipſis adiunxit, vti deinceps ex hiſce omnibus iudices legerentur: vtique de pecunia ob rem iudicandam accepta cauſſam dicere cogerentur: quod crimen conſuetudine iam pro nullo numerabatur, cum largitiones ſine vllo pudore increbruiſſent. Hæc ille lib. de bell. ciuilibus I.

Liuia Agraria. Tulit idem. Vt Semproniæ leges de agris populo diuidendis valerent.

Liuia Frvmentaria. Tulit idem. Vt Sempronia lex de frumento plebi ex publico viritim dando valeret.

Liuia, De coloniis dedvcendis. Tulit idem. Vt lex Sempronia ea de re valeret.

Liuia, De sociis. Tulit idem. Vt ſociis omnibus ius ciuitatis Romanæ daretur: quod ante ipſum M.Fuluius Cos. tentarat. Liuius tamen in perferenda lege occiſus eſt. Appianus de bello ciuil. I. Florus, & Cicero de legibus 3.

Lvtatia, de vi publica. Tulit Qu. Lutatius Catulus Cos. cum C.Mario, Ann. DCXLVII. Vt de ſeditioſis conſceleratiſque ciuibus, qui armati Senatum obſederint, magiſtratibus vim attulerint, Rempub. oppugnarint, quotidie etiam diebus feſtis ludiſque publicis quæreretur. Cicero pro Cælio. Hac damnati ſunt qui de Catilinæ ſociis in vrbe remanſerant, vt idem in eadem teſtatur. ideóque in oratione quæ in Cic. Salluſtij nomine inſcribitur, fortè pro Plautiæ, Lutatiæ legendum, cum eo loco de coniuratorum damnatione verba fiant poſt eius conſulatum.

M

Mamilia, de limitibus. Eius aliquot locis mentio fit in libro de agrorum conditionibus, conſtátque ex Aggeno Vrbico, & lib. Cicero. de legib. 2. & Bruto, eam in finibus agrorum quinque aut ſex pedum latitudinem præſcripſiſſe, quos vſucapi vetaret. In libello verò Variorum auctorum eidem volumini ſubiecto, Mamilia, Roſcia, Peducea, Alliena, Fauia nominantur: ſed capita trium duntaxat poſtremarum legum referuntur: quia neque de quinque pedum præſcriptione mentio vlla ſit: & hæ notæ, K.L.3. item 4. & 5. caput legis tertiæ, quartæ & quintæ ſubſcribi tantum ſignificant: quas ſuum in locum referemus. Ex Cicerone apparet, hanc legem finibus regundis ſingulos arbitros conſtituiſſe. Tulit C. Mamilius Tribun.pleb. qui propterea Limitanus ſeu Limetanus dictus eſt. Salluſt. in Iugurth. hunc Mamilium Tribun.pleb. nominat. & in nummo argenteo ſic ſcriptum teſtatur Manutius in Sall. C. MAMIL LIMETAN.

Mamilia, de ſenatoribus à Iugurtha corruptis. Tulit idem Sp.Poſthumio, Qu. Minutio Coss. Anno DCXLIII. Vti quæreretur in eos, quorum conſilio Iugurtha Senatus decreta neglexiſſet, quíque ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepiſſent: qui elephantos, quíque perfugas tradidiſſent, item qui de pace aut bello cum hoſtibus pactiones feciſſent. Salluſt. in Iugurth.

Mania, Vide Menia.

Manilia, de bello Mithridatico. Tulit C.Manilius Tribun.pleb. M.Lepido, L.Volcatio Coss. Anno DCLXXXVII. Vt belli Mithridatici adminiſtratio Cn.Pompeio mandaretur. Vt Prouincia vniuerſa, cui Lucullus præfuerat, omnéque ipſius imperium, exercitus, & copiæ Pompeio darentur: & hoc amplius Bithynia adiungeretur, cui Glabrio præerat: claſſis item & copiæ omnes maritimæ, quas ipſe initio belli Piratici habuerat: omnes præterea prouinciæ, quibus ſolis lege Gabinia non præfuerat, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis ſuperior, & Armenia. Cicero. Pro lege Manilia, Plutarchus in Pompeio, Appianus in Mithridat. Florus Epit. oo. Dio libro 26.

Manilia, de ſuffragiis libertinorum. Tulit idem. Vt libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet. Vide Cicer. in Miloniana, & Aſconium.

Maniliæ leges venalium vendendorum, ab Antonio dicuntur in lib. de orat. I. pro Cautiones, vt apud Catonem, Lex vini vendendi, oleæ faciendæ.

Manlia, de viceſima. Tulit Cn.Manlius Cos. cum C.Martio. Anno CCCXCVI. Vt ij qui manumitterentur, fortunarum ſuarum viceſimam ærario darent. Liuius libro 7.

Manlia, de ſacerdotiis. Tulit P.Manlius Tribun.pleb. L.Furio, M Marcello Coss. Anno DLVII. Vt propter ſacrificiorum multitudinem Treſuiri Epulones crearentur: cum eſſent ipſi à Numa, vt etiam ludorum illud epulare ſacrificium facerent, inſtituti. Ius præterea togæ prætextæ habendæ, item vt Pontifici eiſdem eſſet. Cicero de orat. 3. Liuius 33. Vbi tamen pro P.Manlius, T.Romuleius legitur: quod Car. Sigonius ex coniectura emendauit.

Manlia, de C.Mario. Tulit L.Manlius Tribun.pleb. C.Mario L.Caſſio Coss. Anno DCXLVI. Vt eidem C.Mario prouincia Numidia mandaretur.

Martia Atinia, de pace Macedonica. Tulere Qu. Martius, C.Atinius Tribuni pleb. Furio, Claudio Coss. Anno DLVII. Vellent iuberéntne cum Rege Philippo pacem eſſe? omnes quinque & triginta tribus, vti rogas, iuſſerunt. Liuius lib. 33.

Martia, de magiſtratibus. Tulit Martius Cenſorinus, Ne cui bis cenſuram gerere liceret. Plutarchus in Coriolano.

Martia, de Statellis. Tulere M.Martius Sermo, & Q. Martius Sylla, Tribu.pleb. Pepilio, Ælio Coss. Anno DXXCI. Vt qui ex Statellis (Liguriæ populis) deditis in libertatem reſtitutus ante Kalendas Sextiles primas non eſſet, cuius dolo malo is in ſeruitutem veniſſet, vt iuratus Senatus decerneret, qui eam rem quæreret, animaduerteretque. Liuius lib. 42.

MARIA,

Maria, de ſuffragiis. Tulit C. Marius Tribun. pleb. L. Cæcilio, L. Cotta Coſs. Anno DCXXXIIII. Vt pontes per quos ſuffragia in comitiis ferebãtur, anguſtiores fierent, ne quis illic qui ſuffragium ferret conſiſtere poſſet ad appellandum rogandúmque. Cicer. de legib. 3. Plutarchus in Mario.

Maria, de re nummaria. Tulit M. Marius Gratidianus Prætor, L. Sylla Dictatore. Vt nummi certa tum excogitata ratione probarentur. Iactabatur enim temporibus illis nummus, ſic vt nemo ſcire poſſet, quid haberet. Cicero de offic. 3. Plinius lib. 33. cap. 9. qui legem hanc nominatim appellat, cum Cicero Prætoris edictum de Roſtris promulgatum fuiſſe ſcribat. Hic autem ille Marius eſt, cuius caput Catilina per vrbem tulit: quod ei inuidioſiſſimè obiicit Cicero.

Maria Porcina, de triumpho. Tulere L. Marius, M. Cato Porcius Tribu. pleb. Vt pœna afficerentur ij, qui aut hoſtium occiſorum in prœlio, aut amiſſorum ciuium falſum numerum literis ſenatui retuliſſent. Vt cum primum vrbem intraſſent, apud Quæſtores vrbanos iurarent, de vtroque numerò verè ab iis Senatui ſcriptum eſſe. Valerius lib. 2. cap. de iure triumph.

Memmia, de Iugurtha Romam euocando. Tulit C. Memmius Tribunus pleb. P. Scipione Naſica, L. Beſtia Calpurnio Coſs. Anno DCXLIII. Vti L. Caſſius Prætor ad Iugurtham mitteretur, eúmque interpoſita fide publica Romam duceret, quo facilius indicio regis, Scauri & reliquorum, quos pecuniæ captæ arceſſebant, delicta patefierent. Salluſtius de bello Iugurth.

Memmia, de reis puſtulandis. Tulit. Vt eorum qui Reipublicæ cauſſa abeſſent, nomina ne in reos reciperentur. Vt Calumniatoribus pœna conſtituto iudicio imponeretur. Val. Max. lib. 3. cap. 7. Calumniatori autem hac lege in fronte imprimebatur litera, qua indicabatur calumniatum eum eſſe. Cicero pro Sex. Roſcio, literarum illam, cui vos eouſque inimici eſtis, vt etiam calumnias oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt poſtea neminem alium, niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis. Huius etiam meminit Papin. l. 13. de teſtib. l. j. §. j. Ad S. C. Turpill. Legitur tamen Remmia. Plinius in Panegyrico de delatoribus loquens: Neque vt antea exanguem illam & ferream frontem nequicquam conuulnerandum præbeant punctis, & notas ſuas rideant.

Menenia Sextia, de mulcta. Tulere T. Menenius, P. Sextius Coſs. Anno CCCI. Auctor Feſtus libro 14. cuius verba ſic legit Hotom. Peculatus furtum publicum dici cœptum eſt, à Pecore, quia ab eo initiũ eius fraudis eſſe cœpit, ſiquidem ante æs aut argẽtum ſignatum ob delicta pœna grauiſſima erat duarum ouium & triginta boum: quæ pecudes poſtquam ære ſignato vti cœpit populus Rom. Tarpeia lege cautum eſt, vt bos centuſſis, ouis decuſſis æſtimaretur. Eam legem ſanxere T. Menenius Lanatus, & P. Sextius Capitolinus Coſs.

Menia, de auctoritate Patrum. Nominatur à Cicerone in lib. de claris orat. Eáque videtur eſſe quæ apud Feſtum lib. 14. Minia nominatur, in dictione Prorſus: & apud Nonium fortaſſe, in voce Sugillare: vbi ait, Sugillare, occludere. Varro Geminis, Contrà lex Mania eſt in pietate, ne filij patribus luci clara ſugillent oculos. Alludere videtur ad patrum nomen, quo lex Menia Patritios intelligebat.

Menia de ciuitate. Tulit. Vt ex alterutro peregrino natus, deterioris parentis conditionem ſequatur. Vlpian. cap. Inſtit. 5. Et hanc idem in l. lex naturæ. 24. de ſtat. hom. ſpecialem legem intelligit.

Metella, de fullonibus, vide Cæcilia, de fullonibus.

Minutia. Meminit Feſtus lib. 13. in voce, Oſi ſunt.

Minutia, de Triumuiris menſariis. Tulit Minutius Trib. pleb. Æmilio, Terentio coſs. Anno CXXXVII. Vt propter penuriam argenti Triumuiri menſarij crearentur. Liuius lib. 23.

Muneralis lex vocata eſt, qua Cincius cauit, ne cui liceret munus accipere. Feſtus, qui Plauti verſus citat, quos in Cincia retulimus.

O

Ogulnia, de ſacerdotiis. Tulere Q. & Cn. Ogulnij Tribun. pleb. M. Valerio, Q. Appuleio Coſ. Anno CDLIII. Vt cum quatuor Augures, quatuor Pontifices ea tempeſtate eſſent, placerétq; augeri ſacerdotum numerum, quatuor Pontifices, quinque Augures, de plebe omnes allegerentur. Ita deinceps octo Pontifices, nouem augures fuerunt. Liuius lib. 10.

Oppia, de matronarum cultu, vel mundo muliebri. Tulit C. Oppius Tribun. pleb. Q. Fabio, T. Sempronio Coſs. Anno DXL. in medio ardore belli Punici Secundi. Ne qua mulier plus ſemuncia auri haberet: neu veſtimento verſicolori vteretur: neu iuncto vehiculo in vrbe opidóve, aut propius inde mille paſſus, niſi ſacrorùm publicorum cauſſa veheretur. Liuius lib. 34. in princi. Tacitus lib. 3. & Val. Maxi. lib. 9. cap. 1. Ea tamen poſt viginti annos antiquata eſt, auctoribus M. Fundanio & L. Valerio Trib. pleb.

Optima lex, cum nominabatur in magiſtro populi faciendo, qui vulgò Dictator appellabatur, quàm pleniſſimum poſſet ius eſſe ſignificabatur. Vt fuit M. Valerij Marci filij Voluſij nepotis, qui primus magiſter populi creatus eſt. Poſtquam vero prouocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat, deſitum eſt dici, Vt optima lege: vtpote imminuto iure priorum magiſtrorum. Hæc Feſtus. Idem alibi, In magiſtro populi faciendo, qui vulgò Dictator appellatur, quàm pleniſſimum poſſet ius eſſet ſignificabatur. Poſtquam verò prouocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat, deſitum eſt dici, Vt optima lege: vtpote imminuto iure prtorum magiſtrorum.

Orchia, de numero conuiuarum. Tulit C. Orchius Trib. pleb. Qu. Fabio, M. Claudio Coſs. Ann. DLXX. Macr. li. 3. c. 17. Feſtus li. 13. in dictione Obſonitauere.

Ovinia lex nominatur à Feſto, vbi de præteritis agit ſenatoribus: Vt cenſores ex omni ordine optimum quemque curiatim in ſenatu legerent. quo factum eſt, vt qui preteriti eſſent, & loco moti, haberentur ignominioſi.

P

Pacuvia, de menſis Auguſti nomine. Tulit Sex. Pacuuius Tribun. pleb. Auguſto Imperatore, Vt qui menſis antea Sextilis vocabatur, quòd à Martio qui primus olim fuerat, ſextus eſſet: is deinceps Auguſtus ab Auguſto Imperatore diceretur. Macrobius lib. Sat. 2. cap. 12.

Pagana lege in pleriſque Italiæ prædiis cauetur, ne mulieres per itinera ambulantes, torqueant fuſos, aut omnino detectos ferant: quoniam aduerſetur id omnium ſpei, præcipuéque frugum. Plin. li. 28. c. 2. ad fi.

Papia, vide Pappia.

Papiria Iulia, de mulctarum æſtimatione. Tulere L. Papirius, L. Iulius Coſs. Anno CCCXXIIII. Liuius lib. 4. vide Ateria.

Papiria, de nexu, vide Petilia.

Papiria, de ciuitate. Tulit L. Papirius Pr. Vt Acerranis ciuitas ſine ſuffragio daretur, Cornelio, Domitio Coſs. Anno CCXXI. Liuius lib. 8.

Papiria, de ſuffragiis. Tulit C. Papirius Carbo Tribun. pleb. Popilio, Rupilio Coſs. Anno DCXXI. Vt in iubendis legibus, aut vetandis, populus tabella ſuffragium

ſuffragium ferret. Cicer.de legib.3.

PAPIRIA, de triumuiris capitalibus, aut potius Monetalibus. Tulit L.Papirius Trib.pleb. Vt qui prætor fieret, qui inter ciues ius diceret, Treſuiros capitales (Monetales legit Hotom.) populum rogaret: qui ſacramenta litigatorum exigerent, iudicaréntque: eodémque iure eſſent, vti quos ex legibus, plebiſve ſcitis exigere iudicaréve oportet. Hæc ex Feſto in libro 17. voce Seſtertius.

PAPIRIA, DE CONSECRATIONE. Tulit idem. Ne iniuſſu plebis ædes, terram, aram, aliámve rem vllam conſecrare liceret. Cic.pro domo ſua.

PAPIRIA, de refectione Trib.pleb. Tulit C.Papirius Carbo Tribun. pleb. L.Cornelio Scipione, C.Lælio COSS. Anno DLX. Vt eundem Tribun. pleb. quoties quidem vellet creari liceret. quæ tamen perlata non eſt. Florus lib.59. & Cicero in Lælio.

PAPIRIA, de re nummaria. Tulit, vt cenſet Hotoman. idem L.Papirius Tribun.pleb. Vt aſſes, qui vnciales erant, ſemunciales fierent. Plinius lib.33.cap.3.

PAPPIA, de ciuitate. Tulit C.Pappiuus Trib.pl. Cotta, Manlio COSS. Anno DCXCIIX. Vt peregrini vrbe Roma expellerentur. Cicero de offic.3. Pro Balbo, pro Archia, Dio lib.37.

PAPPIA, de Veſtalis capiundi ritu. Tulit. Vt Ponti.Max. arbitratu virgines è populo viginti legantur, ſortitióque in concione ex eo numero fiat. Gellius lib.1.ca.12.

PAPPIA, de ſociis. Tulit. Vt ſocij Latini in ſuas ciuitates redigerentur. Vt iudicium ſociis & ciuitatibus exteris conſtitueretur, repetundi eius cauſſa, qui in ciuitatis Rom. cenſum irrepſiſſet. Valerius lib.3.cap.4. Cicer.in Corneliana.

PAPPIA decimaria. Tulit. Auguſtus. Vt ſiquis extraneus hæres inſtitutus fuiſſet, is priuſquam hereditatem adiret, viceſimam partem fiſco impendere teneretur: qua lege proximiores hæredes non tenebantur. cuius etiã meminit Iuſtinian.l.vlt. C.de edict.diui Adr.toll. quod in totum ſuſtulit Gratianus Imp. vt affirmat Auſo.in Gratiarum actione. Aliud eius caput erat, vt ſi hæres inſtitutus viuente teſtatore, vel ante aditam hæreditatem deceſſiſſet, fiſco bona addicerentur. Et hoc ab Iuſtiniano ſublatum tit.C.de caduc.toll. Tertium, Vt vir & vxor, nullis ex eo matrimonio extantibus liberis, decimam ex teſtamento matrimonij nomine capere poſſint: ſi verò extent liberi ex alio matrimonio, pro vnoquoque ex liberis aliam decimam, & pro cõmuni filio poſt nonum diem amiſſo aliam: pro duobus poſt nonum diem amiſſis duas: quod explicat Vlpianus in fragm.tit.15.& 16. Vide Cuiac. Obſeru.lib.3.c.12.

PAPPIA POPPÆA, de maritandis ordinib. Tulere M.Pappius Mutilus, Q.Poppæus Secundus COSS. ſuff. Auguſto Imperatore: vt conſtat ex Dione, apud quem Popilius legitur, pro Poppæus. Vt qui Senator eſſet, quíve filius, nepos, pronepóſve ex filio vel ex filia natus, cuius eorum eſſet, nequis eorum ſponſam vxorémve ſciẽs dolo malo haberet libertinã, aut eam quæ ipſa, cuiúſve pater, matérve artem ludicram facit, fecítve, néve Senatoris filia, neptíſve ex filio, proneptíſve ex nepote, filio nato nata, libertino, eíve qui ipſe, cuiúſve pater matérve artem ludicram facit, fecítve, ſponſa nuptáve ſciens dolo malo eſſet. Vt ne quinquaginta annis minor ſexagenario nuberet: aut vir hac ætate iunior quinquagenariam fœminam duceret in vxorem: Vt patronis qui ius trium liberorum habeant, contra tabulas teſtamenti liberti, aut ab inteſtato contra ſuos hæredes non naturales bonorum poſſeſſio detur. Vt patronæ ingenuæ duobus liberis honoratæ, libertinæ tribus idem iuris detur, quod patronis ex edicto. Vt liberis ingenuæ trium liberorum iure honoratæ idẽ iuris, quod ipſi patronæ tribuatur. Vt omnibus ingenuis, præter Senatores, eorúmque liberos, vxores libertinas habere liceret. Tacitus lib.3. Iuriſconſulti ſub tit.de ritu nupt.de vulg.ſubſtit. de iure patron.& aliis locis innumeris. Vlpi.cap.Inſtit.14.& 29. Dio lib.56. Vide legem Iuliam, de marit.ordinibus, vbi plura diximus. Vide item Lactantium lib.1.Inſtit. cap.16. Suetonium in Claudio cap.23. vbi Claudiũ refert caput vnum huius legis edicto abrogaſſe, quod de ſexagenariis loquitur: quod ſecutus eſt Iuſtinia.l.ſancimus.2.C.de nupt. Vide Alex.ab Alex.lib.4.c.22.

PAPPIA, de iure patronatus. Tulit idem. Vt ex bonis eius qui H-S. centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quàm tres liberos habebat, ſiue is teſtamento facto, ſiue inteſtatus mortuus erat: virilis pars patrono deberetur. Itaque cum vnum quidem filium hæredem reliquerat libertus, perinde pars dimidia debebatur patrono, ac ſi is ſine vllo filio filiáve inteſtatus deceſſiſſet: cum verò duos duáſve hæredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono: ſi tres reliquerat repellebatur patronus. Item, Vt libertus qui duos liberos in poteſtate haberet, operarum obligatione liberaretur. Iuſtin.§.1.de ſucceſſ.libert. Et in Pand.ſub tit.de bonis libert.aliíſque locis compluribus.

PEDIA, de vi & Cæſaris interfectorib. Tulit Q.Pedius COSS. cum Auguſto Cæſare, Anno DCCXI. Vt qui C. Cæſaris cædis auctores eſſent, iudicio cõſtituto rei fierent, & damnatis aqua & igni interdiceretur. Appian. li.de bello ciuili 3. Suet.Nerone, & Galba, Velleius li.2.

PEDVCIA, de inceſtu. Nominatur à Cicerone de natur. deor.3.

PEDVCIA, de terminis. Tulit. In libello Variorum auctorum, De agrorum conditionibus, his edita eſt verbis quæ tamen aliqua ex parte correximus. Quæ colonia hac lege deducta, quódve municipium, præfectura, forum, conciliabulum conſtitutum erit, qui ager intra fines eorum erit, ſi termini in eo agro ſtatuti non erunt, quo in loco terminus non extabit, in eo loco is cuius is ager erit, terminum deſtituendum curato: vtq; rectè factum eſſe velit, magiſtratus qui in ea colonia, municipio, præfectura, foro conciliabulo iure dicundo præerit, facito vt fiat.

PESVLANIA, de damno à canibus illato. Tulit. Vt ſi canis pauperiem fecerit, damnúmve dederit, in dominum actio detur, vt aut damni æſtimationem ſubeat, aut canem noxæ dedat. Paul.Sent.lib.5.cap.15. In quibuſdam tamen exemplaribus Peſolonia legitur. Cuiacius Solonia reponit, vt ad Solonem referatur: de quo ſic Plutarchus: ἔγραψε δὲ καὶ βλάβης τετραπόδων νόμον, ἐν ᾧ καὶ κύνα δακόντα παραδοῦναι κελεύει κλοιῷ τετραπήχει δεδεμένον.

PETILIA PAPIRIA, de nexu, vide POETILIA PAPIRIA.

PETILLIA, de peculatu. Tulit Q.Petilius Tribu.pleb. Æmilio, Flaminio COSS. Anno DLXVI. Vellent, iuberent, quæratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho eſt, quíque ſub eius imperio fuerũt: quod eius in publicum relatum non eſt, vti de ea re Ser.Sulpitius Prætor vrb.ad ſenatum referat. Omnes tribus vti rogat iuſſerunt. Liuius lib.38.

PETRONIA, de ſeruis. Tulit, vt exiſtimat Hotom. Petronius Turpillianus COSS. cum Cæſonio Pæto, Ann. DCCCXIII. Ne dominis poteſtas eſſet ad beſtias depugnandas ſuo arbitratu ſeruos ſuos tradere. Vt ei qui iure viri delatum adulterium non peregiſſet, nunquã poſtea referre hoc crimen liceret. Modeſtinus l.2.D. ad legem Cornel.de ſicar. Impp.l.15.C.ad legem Iul.de adulter. Ab eodem Petronio & collega Iunio ſuprà Iunia Petronia numerata eſt.

PETRONIA, de peregrinis. Tulit. Vt peregrini vrbe Roma expellerentur. Cic.lib.de Offic.3. Hanc Feſtus lib.16.

lib.16.in voce Reſpublicas eo loco ſignificat,vbi nunc P.Ennij de peregrinis legitur,vt vult Hotomanus.

PINARIA, de ambitu. Tulit L.Pinarius Trib.mil.cum collegis. Anno CCCXXII. Ne cui album veſtimentum addere petitionis cauſſa liceret. Liuius lib.4. Lex tamen non tenuit, vt ex omnium temporum conſuetudine intelligitur.

PINATIA Furia de intercalando. Tulere L.Pinatius, L. Furius COSS. Eam antiquiſſimam,cui mētio Intercalaris adſcribitur,in columna ærea inciſam fuiſſe, Varro ſcribit,teſte Macrobio lib.1.cap.13.

PLAVTIA Iudiciaria. Tulit M.Plautius Siluanus Trib. pleb.Cn.Pompeio Strabone, L.Porcio Catone Coſſ. Anno DCLXIIII. ſecundo anno belli Italici, cum equeſter ordo in iudiciis dominaretur. Vt tribus ſingulæ ex eo numero quinos denos ſuffragio crearent, qui eo anno iudicarent.ex eo factum eſt, vt ſenatores quoque in eo numero eſſent,& quidam etiam ex ipſa plebe.Cic.in Orat.pro Cornelio, Epiſt.ad Att.lib.4.& Aſcon. Ex quo intelligitur, cum equites ſoli iudicarent,x x x.tribus dediſſe ſingulas iudices x v. itaq; iudices CCCCL.fuerunt: & iudicia inter tres ordines, ſenatorium,equeſtrem,& plebeium cōmunicata ſunt.

PLAVTIA, de vi publica. Tulit idem. Vt de iis qui vim publicam armatis hominibus feciſſent, quæſtio cōſtitueretur. Meminit Cicero de reſponſ.aruſp. pro Milone, lib.Epiſt.ad Q.Fratrem 2.& ad Attic.4.Salluſt. in Catil.Aſcon.in Milon.& Cælius ad Ciceronem libr. Epiſtol.8.Item, Ne rem vi poſſeſſam vſucapere liceret. Iulianus,l.33.§.2.D.de vſuc.§.furtiuæ.Inſtit.de vſucap.Lex Plautia & Iulia ea demum vetuit longa poſſeſſione capi, quæ vi poſſeſſa fuiſſent: non etiam ex quibus vi quis deiectus fuiſſet. Huius legis mentio fit in ea orat. quæ Salluſtij nomine in Cicer.inſcribitur: corruptè tamen,meo iudicio, & pro Plautiæ, Lutatiæ legendum. Vide LVTATIA, de vi publica.

PLAVTIA Papiria, de ciuitate. Tulere M.Plautius Siluanus, C.Papirius Carbo Trib.pleb.Cn.Pompeio, L. Catone Coſſ. Anno DCLXIIII. Vt ciuitas iis daretur, qui fœderatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent, ſi & cum lex ferebatur,in Italia domicilium habuiſſent, & ſexaginta diebus apud Prætorem eſſent profeſſi. Cicero pro Archia Poëta.

PLÆTORIA, vide Lætoria.

PLÆTORIA, de iure dicundo. Tulit M.Plætorius Trib. pleb. Vt Prætor vrbanus qui nunc eſt, quíque poſthac fuerit, duos lictores apud ſe habeto: íſque ſupremum ad ſolis occaſum ius inter ciues dicito. Cenſorin.lib. de die nat.c.19. Varro lib.de ling,5.Sed poſtea lex Plætoria id quoque tempus iubet eſſe ſupremum, quo Prætor in comitio ſupremam pronunciauit populo.

PLOTIA, de exulibus. Tulit Plotius Trib.pleb. Vt qui Lepidum ciuili bello ſecuti, poſt necem Coſ.ad Sertorium confugerant, impunè in ciuitatem redirent. Sueton.in Cæſare, Gell.lib.13.cap.3.

PLOTIA & FLAVIA agrariæ. Tulere Tribu.pleb. Vt vel agri quos à Senatu locupletes emiſſent, reddita poſſeſſoribus pecunia, plebi diuiderentur: vel, ſi neminem vetere poſſeſſione moueri Senatus vellet, alij agri ex pecunia quæ ex nouis vectigalibus per quinquennium reciperetur, emerentur,& plebi quæ agros non haberet, partirentur. Cic.lib.ad Attic.1. Has ideo iunxi,quod vtraque idem ſancitum fuerit.

PLOTIA Agraria. Nominatur à Cicerone libr.Epiſto. ad Att.1.epiſtola, Nihil mihi. Agraria, inquit, promulgata eſt à Flauio: ſane leuis, eadē fere, quæ fuit Plotia.

POETELIA, de ambitu prima. Tulit C.Pœtilius Tribun.pleb.C.Fabio & C.Plautio Coſſ.Ann.CCCXCV. Vt ne ambiendi magiſtratus cauſſa nundinas & conciliabula obire liceret. Liuius lib.7.

POETELIA PAPIRIA, de nexu. Tulere C.Pœtelius, L.Papirius Mugillanus Coſſ. Ann.CDXXII. Ne quis niſi qui noxam meruiſſet, donec pœnā lueret, in compedibus, aut in neruo teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet. & ne quis in poſterum necteretur. Liuius lib.8. Et de eadem lege, C.Manlius in epiſtola ad Q.Marcium conſulem, apud Salluſt.Catilin. Et ita Solon: τῶν χρεῶν ἀποκοπὴν ποιεῖσθαι, καὶ λύτρωσιν, καὶ ἐπὶ σώμασι μὴ δανείζεσθαι, quam legem Σεισαχθείαν vocabat, vt ſcribit Plutarchus.

POMPEIA, de Trib.pleb. Tulit Cn.Pompeius 1.Conſul.cum M.Craſſo, Anno DCXXXIII. Vt ad Tribunos pleb. prouocandi ius eſſet: (quod lege Cornelia prohibitum fuerat) omniáque omnino quæ Tribunis pleb.ademerat Sylla, illis reſtituerentur. Plutarch. in Pompeio, Aſconius in Verrin.1.& 2.& Cæſar.lib. de bello ciuil.1.

POMPEIA, de iure coloniarum. Tulit Cn.Pompeius Strabo Conſul. Vt tranſpadanæ coloniæ, eæque quæ extra Italiam finitimæ Pado in agro Gallico erāt conſtitutæ, petendi magiſtratus gratia ciuitatem Romanam adipiſcerentur,& hæreditates à pop.Rom. capere, reliquóque iure ciuium Rom. vti poſſent. Aſconius, vt refert Zaſius.

Pompeia, DE PROVINCIIS. Tulit Cn. Pompeius Coſſ.cum Q.Cæcilio, Anno DCCI. Vt ſibi Hiſpania prouincia in alterum quinquennium prorogaretur. Dio lib.38.& Plutarch.in Vit.qui tamen, Quadriennium ſcribit.

Pompeia IVDICIARIA. Tulit idem Coſ.cum M.Craſſo iterum, Anno DCXCIII. Vt ampliſſimo: ex cenſu, ex centuriis, aliter quàm antea, lecti iudices, ex tribus tamen ordinibus, quibus Aurelia lege communicata erant iudicia, Senatorio ſcilicet, Equeſtri & Tribunis ærarij, res iudicarent. Item vt quinq; & Septuaginta iudices cauſſas cognoſcerent. Cicero in Piſonem,& Aſcon.in eandem.

Pompeia, DE PARRICIDIIS. Tulit idem. Vt qui cognatos vel affines, qui parentum liberorúmve nomine continentur, fratrémque aut ſororem necaſſet, is ſanguineis virgis verberatus, in culeū inſueretur cum cane, gallo gallinaceo, vipera,& ſimia: deinde in mare vel profluentem proiiceretur. Modeſtinus l.9. D.ad legem Pomp.de parricid. Vbi ait more maiorum eam fuiſſe conſtitutam pœnam. Florus tamen Epitome 68. de Publico Malleolo loquens, qui ob matrem interemptam primus hoc ſupplicij genus ſubiit, culei tantum meminit, vt & Valerius Max.libri 1.cap.1.de Tarquinio rege ſcribens: tum & Cicero in Orat.pro Sex. Roſcio. Seneca verò lib.de Clementia.1. de Cæſare Auguſto loquens, Non culeum, inquit, non ſerpentes, non carcerem decreuit. Iuuenalis de ſerpente & ſimia etiam loquitur. At Conſtantinus in lege prima. C.de parricid. canem & gallum gallinaceum adieciſſe videtur: quæ tamen omnia Iuſtinianus legi Pompeiæ in Inſtitutionibus attribuit. Vtut ſit, hoc videtur Pompeius inſtituiſſe, vt cum antea Prætor certus ac proprius non eſſet, qui de parricidiis ius diceret, ſed lege Cornelia qui inter ſicarios quæreret, de iis quoque quæreret (quemadmodum ex Roſciana intelligitur) deinceps certus huius criminis quæſitor eſſet. nam quod ait Vlpianus in lege ptima. D.de parricid. lege Pompeia eandem pœnam parricidis eſſe conſtitutam, quæ lege Cornelia de ſicariis: ſic accipiendum eſt, quā lex Cornelia ad parricidas pertinebat. Alioqui perobſcurus videri locus poſſet.

Pompeia, DE VI ET AMBITV. Tulit idem Conſul ſolus creatus, Anno DCCI. Vt priuſquam cauſſa de vi ageretur teſtes per triduum audirentur: dicta eorum iudices conſignarent, quarta die adeſſe omnes in diem poſterum

poſterum iuberentur, & coram accuſatore ac reo pilæ, in quibus nomina iudicum inſcripta eſſent, æquarentur: dein rurſus poſtera die ſortitio fieret vnius & LXXX. qui numerus cum ſorte obtigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent: tum ad dicendum accuſator duas horas, reus tres haberet, reúſque illo eodem die iudicaretur: prius autem quàm ſententiæ ferrentur, quinos ex ſingulis ordinibus accuſator, totidem reus reiiceret: ita vt numerus iudicum relinqueretur, qui ſententias ferrent, quinquaginta & vnus. Aſconius in Milonianæ argumento, Dio libr. 40. Cicero libr. 4. de finibus, & ad Attic. lib. 10. Cæſar de bello ciuili, libr. 3.

Pompeia, DE PECVNIIS OB REM IVDICANDAM CAPTIS. Tulit idem, eodem anno. Vt de iis qui à ſecundo ſuo Conſulatu ad hunc vſque diem ob rem iudicandam pecunias cepiſſent, quæſtio conſtitueretur. Appian. de bello ciuil. lib. 2.

Pompeia IVDICIARIA. Tulit idem eodem anno. Ne reum in iudicio laudare liceret. Plutarchus in Pomp. & Caton. Vtic. Valerius lib. 6. c. 2.

POMPEIA, de Magiſtratibus. Tulit Cn. Pompeius tertium CONS. cum Qu. Cęcilio, Anno DCCI. Ne cuius abſentis in magiſtratuum comitiis ratio haberetur: vno Cæſare excepto. Dio lib. 40. & Plutarch. in Vitis.

Pompeia, DE MAGISTRATIBVS BITHYNIORVM. Tulit idem. Ne quis annis XXX. minor magiſtratum caperet, in ſenatúve eſſet. Vt qui magiſtratum cepiſſent, eis in ſenatu eſſe liceret. Ne Decuriones in curiam à Cenſoribus lecti, pecuniam pro introitu darent. Vt Senatores certis de cauſſis à Cenſoribus ordine mouerentur. Vt Bithynicis ciuitatibus adſcribere ſibi quos vellent, ciues liceret, dum ne ciuitatis eſſent alienæ, ſed earum quiſque ciuitatum, quæ eſſent in Bithynia. Plinius Cæcil. libr. Epiſtolar. 10. Epiſtol. 84. & 117.

POPILIA, de Veſtalis capiendæ ritu. Tulit. Vt ſi quis honeſto loco natus adeat Pontificem Max. atque offerat ad ſacerdotium filiam ſuam, cuius duntaxat, ſaluis religionū obſeruationibus, ratio haberi poſſit: id per ſe ratum ſit. Gellius lib. j. c. 12.

PORCIA, de iure ciuitatis. Tulit M. Porcius Cato Tribunus pleb. Valerio, Apuleio COSS. Anno CDLIIII. Ne quis magiſtratus ciuem Rom. virgis cæderet, necarétve: ſed damnato exilium permitteret: cum antea nudorum ceruix inſereretur furcæ, corpus virgis ad necem cæderetur. Liuius lib. 10. Cic. pro Rabirio perduel. Salluſt. in Catil. Sueton. in Nerone.

PVBLICIA, de cereis. Tulit Publicius Tribunus ple. Vt Saturnalibus cerei non niſi ditioribus mitterentur. Macrob. lib. j. c. 7.

PVBLICIA, de luſu. Tulit. Ne quis in pecuniam luderet, ſpōſionémve in ludo, niſi qui virtutis cauſſa ſuſceptus eſſet, faceret: veluti ſi quis certet haſta, vel pilo iaciendo, vel currendo, ſaliendo, luctando, pugnando. Marcianus lege tertia. D. de aleat. Idem lege Titia & Cornelia ſancitum fuit, vt idem refert.

PVBLILIA Lætoria, de plebeiis magiſtratibus. Tulit Volero Publilius Philo, & Lætorius Tribuni pleb. Ap. Claudio Ap. F. & T. Quinctio Coſſ. Anno CCLXXX. Vt plebeij magiſtratus, qui antea curiatis comitijs fiebāt, deinceps remotis patribus tributis comitiis crearentur. Liuius libr. 2. Dionyſ. lib. 9. apud quem tamen πόπλιος βόλερων legitur, pro ποπλίλιος. nam Volero prænomen, Publilius nomen fuit, vt non Voleronia, ſed Publilia lex dicenda ſit.

PVBLILIA, de legibus & cenſoribus. Tulit Qu. Publilius Philo Dictator, Anno CCCCXIIII. Vt plebiſcita omnes Quirites tenerent: Vt legum quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium patres auctores fierent: vt alter vtique ex plebe, cum eò ventum ſit vt vtrunque plebeium Conſulem fieri liceret, Cenſor crearetur. Liuius libro ab vrbe cōdita octauo.

PVPIA, de Senatu habendo. Tulit. Ne Senatus à XVIII. Kalendas Februarias ad vſque Kalendas Februarias haberetur. Ne niſi perfectis, aut reiectis legationibus, aliis de rebus Senatus haberetur. Cicero Epiſtol. ad Lentulum. 4. ad Q. Fratrem, lib. 2. Epiſtol. 2. & Cælius 8. Epiſtol. ad Ciceronem. Vbi hac lege ſolutos magiſtratus ſcribit.

Q

QVINA vicenaria. Vide Lætoria.

R

REGIA, DE VNIVS IMPERIO. Lata eſt ineunte regnum Romulo, qua populus omnem ei poteſtate in ſe conceſſit. Liuius lib. 34. Ex vtro tandem genere ea lex eſſe videtur, quam abrogamus? an vetus Regia lex, ſimul cum ipſa vrbe nata? Cum autem annis amplius D. florente populi Romani libertate, ſopita fuiſſet, poſtea D. Auguſti & Tiberij dominatu, qui legibus ſoluti ſunt, excitata, ſubtilius & copioſius quā antea perſcripta eſt: & quo quiſque die ſucceſſores demortuorum imperium excipiebant, recitari ſolebat: quemadmodum ex his eius reliquiis intelligitur, quæ ex libro Epigrammatum Romanorum referuntur ab Hotomano. Ea verò ad Veſpaſiani imperium pertinet: quæ vt idem cenſet, à Cornel. Tacito lib. 20. his ſignificatur verbis: Tum Senatus omnia Principibus ſolita Veſpaſiano decreuit, &c. Sunt & qui teſtentur, Romæ hanc ſcripturam extare in baſilica Lateranēſi, in ære inciſam. Eſt autem huiuſmodi. Fœdúſve cum quibus volet facere liceat, ita vti licuit Diuo Auguſt. Tib. Iulio Cęſari Auguſto, Tiberióque, Claudio Cæſari Auguſt. Germanico, &c. Vtique ei Senatum habere, relationem facere, remittere, Senatuſconſulta per relationem diſceſſionémque facere liceat, ita vti licuit Diuo Auguſt. Ti. Iulio Cæſari Auguſt. Ti. Claudio Cæſari Auguſto Germanico. Vtique cùm ex voluntate auctoritatéve, iuſſu mandatúve eius, præſentéve eo Senatus habebitur, omnium rerum ius perinde habeatur, ſeruetur, perinde ac ſi è lege Senatus editus eſſet, haberetúrve. Vtique quos magiſtratum, poteſtatem, imperium, curationémve cuius rei petentes Senatui populóque Romano commēdauerit, quibúſve ſuffragationem ſuam dederit, promiſerit, eorum comitiis quibuſque extra ordinem ratio habeatur. Vtique ei fines pomœrij proferre, promouere, cum ex Republica cenſebit eſſe, liceat, ita vti licuit Ti. Claudio Cæſari Auguſt. Germanico. Vtique quæcunque ex vſu Reipublicæ, maieſtate diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarúmque rerum eſſe cenſebit, ei agere, facere, ius poteſtáſque ſit, ita vti Diuo Auguſto, Tiberióque Iulio Cæſa. Auguſt. Tiberióque Claudio Cæſ. Auguſt. Germanico fuit. Vtique quibus legibus plebíſve ſcitis ſcriptum fuit, ne Diuus Auguſt. Tiberiúſve, Iulius Cæſar Auguſt. Tiberiúſve Claud. Cæſar Auguſt. Germanicus teneretur: iis legibus, plebíſque ſcitis, Imper. Cæſar Veſpaſianus ſolutus ſit. quæque & quaque lege, rogatione Diuum Auguſtum, Tiberiúmve, Iulium Cæſarem Auguſtum, Tiberiúmve Claudium Cæſarem Auguſtum Germanicum facere oportuit, ea omnia Imper. Cæſari Veſpaſiano Auguſt. facere liceat. Vtique quæ ante hanc legem rogatam acta, geſta, decreta, imperata, ab Imperatore Cæſare Veſpaſiano Auguſto iuſſu mandatúve eius à quoque ſunt, ea perinde iuſta ratáque ſint, ac ſi populi plebiſve iuſſu acta eſſent. SANCTIO. Si quis huiuſce legis ergo aduerſus leges, rogationes, plebíſve ſcita, ſenatúſve conſulta fecit, fecerit, ſiue quod eum ex lege, rogatione, plebíſve ſcito, S. vec.

facere oportebit,non fecerit,huius legis ergo,id ei ne fraudi eſto:néve quid ob eam rem populo dare debeto,néve cui de ea re actio, néve iudicatio eſto, néve quis de ea re apud ſe agi ſinito. Hæc ex epigrammatum antiquorum lib. Vlpianus autem in l.j.D.de conſt. princip.hanc legem ſignificat, cum ita ſcribit: Quod principi placuit,legis habet vigorem:vtpote cum lege Regia,quæ de imperio eius lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat. Quod Iuſtin.totidem verbis in titul.de iure natur.& gent.tranſcripſit. Hanc autem Alexander Imperator legem Imperij appellare videtur in l.3.C.de teſtamentis.& à Strabone in fine poſtremi libri ſignificatur his verbis,vbi de Cæſare Auguſto loquens,ἐπεὶ τοι γὰρ, inquit,ἡ πατρὶς ἐπέτρεψεν αὐτῷ τὴν προστασίαν τῆς ἡγεμονίας,καὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης κατέστη κύριος διὰ βίου, &c.

Regia, de mortuo inferendo. Tulit. Ne mulier quæ prægnans mortua ſit,humetur antequam partus ei excidatur.qui contrà fecerit, ſpem animantis cum grauida peremiſſe videatur.Marcianus l.2. D. mort.infer. Hãc autem legem ſuperioris partem fuiſſe, ridiculum eſt dicere. tametſi eius auctorem nominare difficile eſt,cum ſatis conſtet Regis verbum cognomen fuiſſe, non nomẽ.Exiſtimat Hotomanus Romuli aut Numæ Pompilij legis alicuius,de qua Marcianus antea diſputarat,partem hanc fuiſſe,cum præſertim ad ſacra hæc lex pertineat:de quibus quæ leges à Numa conſtitutæ fuerant,ſemper obſeruatæ ſunt: vt Iulius quoque Capitol.in Antonino Pio teſtatur.Similẽ Diodorus apud Ægyptios Græcóſque prope omnes legem de mulieribus grauidis rei capitalis damnatis,lib.2.commemorat.itémque Clemens Alexand.lib.2.Strom.& Plutarchus de Ægyptiis,libro de ſera num.vind. Ælianus de Athenienſibus,lib.Var.hiſtor.5.

Remmia, Vide Memmia.

Rhodia, de iactu. Latam opinatur Hotoman.à Rhodiis,& à Cæſaribus receptam:Vt ſi leuandæ nauis gratia iactus mercium factus eſt, omnium contributione ſarciatur,quod pro omnibus datum eſt. Paulus.l.j.D. de lege Rhodia. Sumpſere tamen videntur hanc legẽ Romani, vt & alias complures nauticas à Rhodiis, quorum diſciplina naualis,& gloria tunc maximè excellebat:& in l.ἀξίωσις.D.de leg. Rod. eleganter Antoninus ait,terram ſuis legibus, mare legibus Rhodiis regi,quatenus nulla eis ſuarum legum aduerſatur.Niſi fortè hæc de Rhodiis lata eſt:& Rhodia ſic dicatur,vt Cypria lex(quæ de Cypri rege lata eſt à Claudio)nominatur in Sextiana:& Tribunitia, de Tribunorum poteſtate,in ſecunda Verrina.

Romvleia, de ſacerdotiis. Vide Manlia.

Roscia Theatralis. Tulit L.Roſcius Otho Trib. ple.L. Metello.Qu.Martio Coss. Ann. dclxxxii. Vt in Theatro Equitibus Romanis, qui h-s. quadringenta poſſiderent.14.gradus ſpectandi gratia aſſignarentur: exceptis iis,qui ſiue ſuo, ſiue fortunæ vitio decoxiſſent.cui generi certum locum aſſignauit, pœna irrogata ſi in 14.ſediſſent.Cic.Philipp.2. Aſconius in Cornelianam.Flor.epit.99.Dio lib.26.Plin.lib. 7.c.20.Iuuenal.Sat.14.Et Tacitus lib.15.qui legem interpretatur hanc habuiſſe vim, vt Equites non ante plebem,ac ſeparatim , confuſè tantum quatuordecim ordines haberent.

Roscia, de terminis.Eius caput in libro Variorum auctorum,de agrorum conditionibus amiſſum puto: vt in Mamilia lege expoſuimus.

Rvpilia, de iure Siculorum. Dedit P.Rupilius Conſul cum P.Popillio,Anno dcxxi. Cicero Verrina. 4.Siculi hoc iure ſunt, vt quod ciuis cum ciue agat, domi certet ſuis legibus:quod Siculus cum Siculo non eiuſdem ciuitatis,vt de eo Prætor iudicet ex P.Rupilij decreto,quod is decem legatorum ſententia ſtatuit, quã legem Siculi Rupiliam vocant:ſortiatur. Quod priuatus à populo petit, aut populus à priuato, ſenatus ex aliqua ciuitate qui iudicet datur,cum alternæ ciuitates reiectæ ſunt. Quod ciuis Rom.à Siculo petit, Siculus iudex datur, quod Siculus à ciue Romano, ciuis Romanus datur,cæterarũ rerum ſelecti iudices ex ciuium Rom.conuentu proponi ſolent.Vide Aſcon.in eandẽ Orat.& Valer.Max.lib.6.c.10.apud quem tamen Rutilius perperam legitur.

Rvtilia, de trib.milit.Tulit C.Rutilius Rufus.Peſtus. Rufuli appellabantur Tribuni militum à Cõſule facti, non à populo:de quorum iure, quod Rutilius Rufus legem tulerit,Rufuli,ac poſt Rutuli ſunt appellati.

S

Sacrata militaris.Tulit, vt cenſet Hotom.M. Valerius Coruus Dictator, Ann. cdxi. ob militum Capuanorum ſeceſſionem.Ne cuius militis ſcripti nomen,niſi ipſo volente, deleretur: ne quis vbi Tribunus militum fuiſſet,poſtea ordinum ductor eſſet. Liuius lib.7.

Sacratis legibus Veſtalibus pœna inceſti conſtituta eſt,vt viuæ defoderentur.Dionyſ.lib.j.

Sacrata ivnia, de Trib.ple Tulit L. Iunius Brutus Trib.ple.primus creatus,Caſſio, Cominio Coss. Anno cclx. Vt plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti,quibus auxilij latio aduerſus Conſules eſſet:néve cui patrum capere eum magiſtratum liceret.Vt neque priuilegium irrogari, neque de capite ciuis, niſi comitiis centuriatis rogari liceret.Liuius lib. 2. & Cic. pro Sextio, & pro domo. Dionyſ.libr. 6.legis verba hæc refert:Δήμαρχον ἄκοντα,ὥσπερ ἕνα πολλῶν,μηδεὶς μηδὲν ἀναγκαζέτω δρᾷν, μηδὲ μαστιγούτω, μηδὲ ἐπιταττέτω μαστιγοῦν ἑτέρῳ, μηδὲ ἀποκτεινέτω, μηδὲ ἀποκτείνειν κελευέτω, ἐὰν δέ τις τῶν ἀπηγορευμένων τι ποιήσῃ, ἐξάγιστος ἔστω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ Δήμητρος ἱερά. καὶ ὁ κτείνας τινὰ τῶν ταῦτα εἰργασμένων,φόνου καθαρὸς ἔστω.id eſt, ne quis Tribunum vi quaſi priuatum quicquam facere cogito, néve virgis cædito,néve cædi iubeto,ne occidito, néve occidi iubeto:qui aduerſus ea fecerit,ſacer eſto:bonáque eius Cereri ſacra ſunto: eúmque occidere ius fáſque eſto. Liuius autem lib.3.hoc è rogatione carmẽ edit:Si Tribunos plebis decem rogabo, ſi quis minus hodie decem Tribunos plebis fecerit: hi tum quos ſibi collegas cooptaſſint, ita illi legitimi eadem lege Tribuni plebeij ſint,vt illi quos hodie Tribuni plebeij feceritis.Sacratæ autem leges dicebantur, inquit Feſtus, quibus ſancitum erat, Vt ſi quis aduerſus eas feciſſet, ſacer alicui deorum eſſet.Sunt qui eſſe dicant Sacratas, quas plebes iurata in monte ſacro ſciuerit.Hæc ille.Cic.pro Cornelio maieſtatis reo, Tanta igitur in illis virtus fuit,vt ann. xvi.poſt reges exactos, poſt nimiam dominationem potentium leges ſacratas ipſi ſibi conſtituerent,duos Tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons ſacer appellatur, in quo armatæ conſederant, æternæ memoriæ cauſſa conſecrarent.Hæc Cic.Dubitari autem poteſt, verúmne illud ſit quod ſcribit Diodorus libr. 12. in Auentino fœdere comprehenſum hoc fuiſſe,vti Trib. pleb.exacto ſui magiſtratus anno, mox totidem alios in annum ſequentem deſignarent:quod ſi prætermiſiſſent, illico viui cõburerentur.ſin aliquanto diutius eos in deſignando diſſenſio tardaret, interea poteſtas eis prorogaretur,dum alios crearent.

Satyra lex.Feſtus,Satura eſt cibi genus conditi,& eſt lex multis aliis cõferta legibus.Itaque in ſanctione legum adſcribitur, Néve per ſaturã abrogato, aut derogato. Annius Luſcus in ea quam dixit aduerſus Tiberium

rium Gracchum, Imperium quod plebs per ſatyram dederat, id abrogatum eſt. & C. Lælius in ea, quam pro ſe dixit, Dein poſtera die quaſi per ſatyram ſententiis exquiſitis in deditionem accipitur. Quidam dicunt eſſe genus carminis, vbi de multis rebus diſputatur. Hæc Feſtus. Diomedes Grammaticus: Satyra lex nomen accepit à genere cibi ex variis rebus conditi. Salluſtius in Iugurthino bello iiſdem verbis, Dein poſtero die quaſi per Satyram legem ſententiis exquiſitis, in deditionem accipitur. quod Salluſtius de Iugurtha dicit, nec ibi quiſquam aderat Lælius. mêdum igitur ſubeſt in Feſto. Legem itaque Satyram fuiſſe putant, in qua coniunctim multis de rebus vna rogatione populus conſulebatur. Quod lege Cæcilia & Didia vetitum fuiſſe, Cic. in Orat. Pro domo ſua, teſtatur. Et ſententias ferri per ſatyram, cum ex multis capitibus, etſi quædam comprobãtur, quædam improbantur, iniicitur tamen tabella, VTI ROGAS. Iuſtinianus in præfa. ad Anteceſſores. §. 2. Et primi anni hoc opus legentibus tradebatur non ſecundum edicti perpetui ordinationem, ſed paſſim, & quaſi per ſatyram collectum, & vtile cum inutilibus mixtum, maxima parte inutilibus deputata, id eſt, Nullo ordine, ſed confuſè ac perturbatè, dum modò hinc, modò illinc aliquid decerpitur. Vide Eraſm. Chil. 4. cent. 8.

SCANTINIA, vel Scatinia, de pueris impudicis. Tulit C. Scantinius Aricinus Trib. pl. Vt qui præpoſteram vel aduerſi, vel auerſi venerê exercuiſſent: Vel, Vt qui alienam pudicitiam ſolicitaſſent, aut ſuam ipſi proſtituiſſent, pœna x. millium nummum coërcerentur. Iuuenal. Sat. 2. Suet. Domitiano. Auſonius, Cic. Phil. 3. Fabius lib. 4. c. 2. & lib. 7. 4. Cælius lib. Epiſt. fam. 8. epiſt. 12. Hic Scantinius cum Marcelli viri illuſtris filium de impudicitia appellaſſet, damnatus eſt, vt Valerius lib. 6. c. j. teſtatur. Tertullianus lib. de Monogam. Prudentius in Romam. Poſtea tamen huic ſceleri pœna gladij à Chriſtianis imperatoribus conſtituta eſt, quam primum ſanxerunt Conſtantius & Conſtans, vt habetur in l. cum vir nubit. C. ad legem Iul. de adult.

SCRIBONIA agraria, ſeu viaria. Tulit C. Curio Trib. pleb. Cælius Epiſt. fam. lib. 8.

SCRIBONIA, de ſeruitutibus vrbanorum prædiorum. Tulit fortaſſe idem ille. Ne vrbanorum prædiorum ſeruitutes vſucapi liceret, vtique earum ſeruitutum libertatem vſucapere ius eſſet. l. 4. in fi. D. de vſurp. vbi Cuiac. Ad ciuitatum dignitatê ea lex pertinuit: vſque eo vt etiam ſine bona fide & titulo eius libertatis vſucapionem ferret. l. ſi ædes. 32. D. de ſeruit. vrb.

SEMPRONIA, de ære alieno. Tulit M. Sempronius Tr. pleb. L. Cornelio, Q. Minutio COSS. Ann. DLX. Vt cum ſociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ ius idê quod cum ciuibus Ro. eſſet Liuius lib. 35. Cic. de Offi. 2.

SEMPRONIA agraria. Tulit Tit. Sêpronius Gracchus Trib. pl. P. Mutio Scæuola. L. Calpurnio COSS. Anno DCXX. Ne quis ex publico agro plus quingenta iugera poſſideret: quorum tamen dimidium filiis habere liceret. Vt ſi quis latius agrum patefaceret, Triumuiri quotannis data opera creati, iudicarent quà publicus ager, quà priuatus eſſet. Appian. lib. Emphyl. j. Plutar. in Gracchis. Vell. lib. 2. Auctor libri de vir. illuſtr. Cice. in Sextian. & de aruſpic. reſponſ. Florus epit. 58. & Siculus Flaccus in lib. de condit. agror. apud quem tamê Ducenta legimus, cum alij omnes apertè Quingenta prodant.

Sempronia, DE REGIS ATTALI HÆREDITATE. Tulit idem. ὅπως τὰ βασιλικὰ χρήματα κομισθέντα, τοῖς τὴν χώραν διαλαγχάνουσι τῶν πολιτῶν, ὑπάρχοι πρὸς κατασκευὴν καὶ γεωργίας ἀφορμήν. Vt pecunia Regis Attali, qui populum Rom. hæredê fecerat, iis ciuibus qui ſua lege Sêpronia agrum ſortiti erãt, daretur ad comparationem inſtrumentorum & agriculturæ apparatum. Vt agri Regij à Cêſoribus locarẽtur: vnde vectigal populo penderetur. Plutarch. in Gracchis. Cic. Verr. 5. & Florus epit. 58.

SEMPRONIA iudiciaria. Tulit C. Sempronius Gracchus Trib. pleb. j. Q. Cæcilio, T. Quinctio COS. Anno DCXXX. Vt iudicia quæ ſemper antea penes ordinem ſenatorium fuiſſent, ad ſolos Equites transferrentur. App. lib. de bello ciuil. j. Aſconius in Diuinat. Velleius libr. 2. Tacitus lib. 12. Varro de vita P. Romani, apud Marcellum in voce Biceps. Plutarch. autem in Gracchorum vita Equites trecentos cum Senatoribus trecentis mixtos tradit, atque inter vtroſque communicata iudicia: quod (pace tanti viri dixerim) falſum eſt. Hæc enim Liuia lex fuit: vt ſuo loco docuimus.

Sempronia, DE MAGISTRATIBVS. Tulit idem. Vt ex confuſis quinque claſſibus ſorte centuriæ vocarentur. Salluſt. in Orat. Cæſ. de Rep. ord. Vt cui magiſtratus abrogatus fuiſſet, ei magiſtratum iterum capere ius non eſſet. qua lege M. Gelanius, cui Ti. Gracchi lege Tribunatus abrogatus fuerat, notabatur. Eam tamen Caius, Corneliæ matris precibus, poſt abrogauit. Plutarchus ibidem, & alij.

Sempronia, DE IVRE CIVIT. Tulit idem. Ne de capite ciuis R. iniuſſu populi iudicaretur. qui indicta cauſſa in ciuem Ro. animaduertiſſet, de eo populi quæſtio conſtitueretur: quod propter P. Popillium latum eſt. Cicero pro C. Rabirio, pro domo, pro Cluentio, & de legibus. 3. item Plutarch. in Gracchis. Idem poſtea lege Porcia repetitum eſt. Cicer. Verrin. 7. O nomen dulce libertatis: o ius eximium noſtræ ciuitatis: o lex Porcia, legéſque Semproniæ. Videtur autem exceptum parricidium his legibus fuiſſe: cû in Orat. pro Sext. Roſcio vetus ſupplicium commemoretur.

Sempronia, DE SVFFRAGIIS. Tulit idem. Vt ſociis Latinis ius ſuffragij ferendi perinde vt ciuibus Romanis eſſet. Iidem.

Sempronia, DE VIIS ITALIÆ. Tulit idem. Vt viæ in Italia munirentur, ſternerentur, lapidibus milliaria diſcernentibus notarentur, pontibus inſtruerentur. Iidem.

Sempronia, DE COLONIIS DEDVCENDIS. Tulit idem. Vt coloniæ extra Italiam deducerentur. Paterculus lib. 2. Plutarch. in Gracchis, Appia. in Liby. Florus epit. 60.

Sempronia, DE RE MILITARI. Tulit idem. Ne minores annis 17. ad militiam cogerentur. Vt veſtes militibus gratuitò & præter ſtipendium darentur. Plut in Gracchis.

Sempronia, DE PROVINCIIS DECERNENDIS. Tulit idem. Vt Senatus quotannis ante comitia conſularia deſignandis Conſulibus prouincias arbitratu ſuo decerneret, quas deinde ipſi deſignati inter ſe ſortirentur: quod ante vel poſt deſignatos, vel poſt initum Conſulatum facere ſolebat: præterea cum antea Senatus decreto per Tribunos intercedi poſſet, ne deinceps liceret. Cicer. pro domo ſua, in Vatinium, De prouin. conſ. Salluſt. in Iugurthino. Sueton.

Sempronia FRVMENTARIA. Tulit idem iterû Trib. pleb. M. Fuluio, M. Plautio COSS. An. DCXXVIII. Vt ſemiſſe & triente frumentum menſtruum plebi ex publico viritim daretur. Appian. lib. de bell. ciuili. j. Florus epit. LX. Cic. pro Sextio, Tuſcul. 3. in Bruto: Velleius lib. 2. Plutarch. in vitis. Hinc locus Romæ conſtitutus in quo frumentum publicû aſſeruabatur, vna cû legibus frumentariis, qui dicebatur, Horrea Sempronia.

SEMPRONIA & Iulia, de limitibus. Tulit. Vt per actuarios limites populo ius eundi eſſet, ſicut per viam publicam. Hyginus in libello de limitibus conſtit. Vide Iulia, de limitibus.

SENTIA, de ſenatu ſupplendo. Tulit, vt Hotom. opina-

tur C.Sentius Coss. cum Q.Lucretio, Auguſto imperante, Ann. DCCXXXIII. Vt in numerum patriciorum, qui ſenatui deeſſent, alij ſublegerentur. Tacitus lib.2. vbi tamen Senia legitur, pro Sentia.

SERVILIA agraria. Tulit P. Seruilius Rullus Trib.pl. Cicerone, Antonio Coss. Ann. DCXC. Vt quæ poſt C.Marium, C.Carbonem Coss. publicè data, aſſignata, vendita, cõceſſa eſſent, ea omnia eo iure forẽt, vti quæ optimo iure priuata ſunt. Vt Decemuiri cum ſummo imperio crearentur, qui totius Italiæ, Syriæ, Aſiæ, Libyæ, & prouinciarum quas nuper Pompeius ſubegerat, vectigalia venderent, ex eáque pecunia agros colonis, quos arbitratu ſuo quò vellent deducerent, mercarentur. Vti eis liceret damnare quos vellẽt, damnatos in integrũ reſtituere, exules reducere. Huius rei cauſſa haberent apparitores, ſcribas, librarios, præcones, architectos, & vt eis darentur more maiorum muli, tabernacula, ſupellex, &c. Lex Cicerone diſſuadente perlata non eſt. Hoc tamẽ viſum eſt ex illius contra legem orationibus deſcribendum eſſe.

SERVILIA. de ciuitate. Tulit C.Seruilius Glaucia Tr. pl. Coss. Vt Latinis ius eſſet ciuitatis aſſequendæ, in locum eius, quem accuſando repetundarum damnaſſent. Aſcon. pro Scauro. & Cic. pro Balbo.

Seruilia REPETVNDARVM. Tulit idem. Vt reus comperendinaretur: cum antea vel iudicari primo poſſet: vel amplius pronunciari. Id eſt vt accuſatori dies XX. ad agendum, totidem defenſori ad defendendum darentur. Cic. Verr.3. pro Poſthumo, pro Scauro, & in hanc Aſcon. Valer. lib.8.c.j.

SERVILIA iudiciaria. Tulit Q.Seruilius Cæpio Coss. cum C. Atilio. Ann. DCXLVII. Vt iudicia quæ lege Sempronia ad ſolos equites tranſlata erant, ordini Senatorio communicarentur: quæ tamen nõ multo poſt abrogata eſt. Tacitus lib.12. Cic.j. de arte rhet. de orat. 2. in Bruto, in Ora. pro Scauro. & ibidem Aſco. Imparem autem & minorem fuiſſe Senatorum numerum ex eo conſtat, quòd lege Liuia, quæ proxime inſecuta eſt, ex æqua parte communicata ſunt & fortaſſis hoc eſt, quod Florus in Epito. de trecẽtis Senatoribus cum ſexcentis equitibus commixtis ad legem Semproniam referebat. lib.60.

SEXTIA LICINIA, de ſacerdotiis. Tulere L. Sextius, C.Licinius Trib.pl. P. Manlio Dictatore, Ann. CCCLXXXV. Vt pro Duumuiris ſacris faciundis, Decemuiri ita creentur, vt pars ex plebe, pars ex patribus fiat. Liuius lib.6.

Sextia, DE MAGISTRATIBVS. Tulit idem L.Sextius M.Furio Dictatore V. An. CCCLXXXVI. Vt conſul vnus è plebe crearetur: qua de cauſſa viciſſim conceſſum à plebe nobilitati, vt prætor vnus qui ius in vrbe diceret, ex patribus crearetur. Liuius lib.6.

SVLPITIA, de iure ciuitatis. Tulit P. Sulpitius Tri.pl. Q. Pompeio, L.Sylla Coss, An. DCLXV. Vt exules reuocarentur: Vt noui ciues libertinique diſtribuerentur in tribus. Florus epit.77. Plutar. in Sylla. Eo enim tempore noui ciues in octo tantum tribubus ſuffragium ferebant, auctore Appiano, & propter reliquarum tribuum multitudinem nullius momenti erant.

SVLPITIA, de C.Pontinio. Tulit Ser. Sulpitius Galba Prætor Ann. DCXCIX. Vt C. Pontinio proconſuli, quo die vrbem triumphans ingrederetur, imperium eſſet. Cic. lib.4. ad Atti. Dio. lib.40.

Sulpitia, DE ÆRE ALIENO. Tulit idem. *μηδένα συγκλητικὸν ὑπὲρ δισχιλίας δραχμὰς ὀφείλειν.* Ne quis Senator ſupra duo millia drachmarum deberet. Plutarchus in Sylla. Ipſe tamen legiſlator, cũ vita exceſſit, vltra trecentas myriades debiti nomine reliquit.

Sulpitia, DE BELLO MITHRIDATICO. Tulit idem. Vt Syllæ, cui Aſia prouincia obuenerat, vt bellum Mithridaticum adminiſtraret, imperium abrogaretur, & C.Mario mandaretur. Velleius libr.2. Florus epitome 77. Plutarchus in Sylla, & Mario, & Appianus de bello ciuil.j.

SVLPITIA, de bello Macedonico. Tulit P. Sulpitius Conſul cum C.Aurelio, Anno DLIII. Vellent iuberẽt Philippo regi Macedonibúſque, qui ſub regno eius eſſent, ob iniurias, armáque illata ſociis populi R. bellũ indici. Liuius lib.31.

SVLPITIA Sempronia, de templis & aris. Tulere ex S. C. P.Sulpit. P.Sempron. Coss. An. CDXLIX. Ne quis templum arámve iniuſſu Senatus, aut Tribunorum pleb. maioris partis dedicaret. Liuius lib.9.

T

TALARIA, de talorum luſu. Nominatur à Plauto in Milit. glor.

Atque adeò ut ne legi fraudem faciam talariæ:
Accuratote, ut ſine talis domi agitent conuiuium.

Facetè ad legem aliquam de alea veterem alludit, qua talorum luſus conuiuiis interdicebatur: Publiciam fortè, aut Titiam. Nam ſumptuariæ leges, quibus hanc nonnulli attribuunt, de ſumptibus tantummodo cauebant.

TARPEIA, de mulcta. Vide Ateria Tarpeia.

TERENTIA CASSIA frumentaria. Tulere M. Terentius Lucullus, C.Caſſius Coss. Anno DCXXC. Vti frumenti alteræ decumæ à prouinciis coëmerentur precio in modios H-S. trium conſtituto: item vt ciuitatibus æqualiter imperaretur, precio in modios ſingulos H-S. quatuor conſtituto. Cicero Verr.5. & 7.

TERENTIA, de legibus conſularis imperij. Tulit C.Terent. Arſa Trib.pleb. Lucretio, Veturio Coss. Anno CCXC. Vt quinque viri crearentur legibus de imperio Conſulari ſcribendis, ne ipſi libidinem ac licentiã ſuam pro lege haberent. Dionyſius lib.10. Liuius libr.3. qui tamen perlatam non fuiſſe affirmat. Corruptè autem antea Terentilla vocabatur.

THORIA agraria. Tulit Sp.Thorius Trib.pleb. Ne agri amplius diuiderentur, ſed poſſeſſoribus in iis relictis, vectigalia pro iis penderentur, eáque pecunia populo diuideretur. *τὴν μὲν γῆν μηκέτι διανέμειν, ἀλλ' εἶναι τῶν ἐχόντων, καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι, καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομάς.* Hæc Appian. libr. de bello ciuil.j. qui ſubiungit non multò poſt latam fuiſſe legem, qua vectigal illud abrogatum eſt. At Cicer. in Bruto lege Thoria id factum tradit. Sp. Thorius, ait ſatis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitioſa & inutili lege, vectigali leuauit. Idẽ præterea in libr. de Orat.2. ſcribit Lucilium lege Thoria poſtulatum fuiſſe, quòd ab eius pecore agri publici depaſti eſſent. Corruptè autem apud Appianum Borius legitur, pro Thorius: vt alia in hoc genere quã multa.

TITIA, de luſu. Tulit. Ne quis in pecuniam luderet, ſpõſionémve in ludo, niſi qui virtutis cauſſa ſuſceptus eſſet, faceret. Marcianus l.3. D. de aleator. Vide PVBLICIA, de luſu. Ac de his fortaſſis accipiẽdi ſunt hi verſus Horatij lib.3. Carminum ode.24.

—Neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer:
Venarique timet, ludere doctior
Seu Græco iubeas trocho,
Seu malis uetita legibus alea.

Meminit etiam Cic. Philippica.2. legis de aleator.

TITIA, de triumuiratu quinquenali. Tulit P.Titius Trib. ple. Vt Treſuiri Conſulari poteſtate cõſtituendæ Reipubl. in quinquennium crearentur, Octauius Cæſar, Lepidus, & Antonius. Appian. De bell. ciuil. 4. & Florus Epit. CXX.

TITIA, de donis & muneribus. Tulit L. Titius, Ne ob orandam

orandam cauſſam pecuniam donúmve patroni acciperent. Tacit. lib. 2. & Auſonius:

Iuriſconſulto cui nubit adultera coniunx,
Papia lex placuit, Iulia diſplicuit.
Quæritis unde ſit hæc diſtantia? ſemiuir ipſe
Scantiniam metuens, non metuit Titiam.

Eum notat, qui à clientelis inops, nec donum nec munus ab vllo capiebat. Idem fuit ſancitum Cincia lege, de qua ſuperius retulimus.

TITIA agraria. Tulit, vt vult Hotom. Sext. Titius Tribu. pleb. M. Antonio, A. Poſthumo Coſſ. Ann. DCLIIII. Vt vectigal agris publicè aſſignatis impoſitum Quæſtor colligeret. Cic. lib. 2. De orat. pro Muræna. Valer. lib. 8. c. j.

TREBONIA, de Tribunis pleb. Tulit L. Trebonius Trib. pleb. Herminio, Virginio COSS. Anno CCCV. Vt qui plebem Romanam Tribunos pleb. rogaret, is vſque eò rogaret, dum x. Tribunos pleb. faceret. Qua lege Tribunorum cooptatio collegio adempta, in populum R. tranſlata eſt. Liuius lib. 3. & 5.

TREBONIA, de Cæſare. Tulit A. Trebonius Tr. pleb. Pompeio Magno & Craſſo iterum COSS. Ann. DCXCVIII. Vt Cæſari imperium in Gallia in aliud quinquennium, quàm quod ei Vatinia lege conceſſum erat, prorogaretur. Ita Trebonius Senatui ſucceſſoris mittendi poteſtatem adimebat. Cicero lib. ad Att. 7. 8. 9. 10. Item Flor. Epit. 105. Plutarch. in Pomp. & Catone Vticenſi, Dio. lib. 39.

TREBONIA, de Pompeio. Tulit idem. Vt eiſdem Coſs. Syria & Hiſpania prouinciæ in quinquennium darentur. Plutarc. in Pompeio.

TRIBVNITIA lex dicitur quæ de Tribunorum poteſtate lata eſt. Feſtus lib. 17. Homo ſacer is eſt, quem populus iudicauit ob maleficium, neque fas eſt eum immolari: ſed qui occidit, parricidij non damnatur. Nam lege Tribunitia prima cauetur. Si quis eum qui eo plebiſcito ſacer ſit, occiderit, parricida ne ſit. Quibus verbis Feſtus Sacratam Iuniam, quam ſuo loco expoſuimus, ſignificat. Alia ſententia dixit Cicero in Verrina II. Vident adhuc poſt legem Tribunitiam vnum Senatorem vel tenuiſſimum eſſe dãnatum. Quibus verbis Pompeiam legem intelligit, de Tribunitia poteſtate reſtituenda, nondum tamen latam, ſed in concionibus oſtentatam.

TRIBVNITIA lex nominatur, à Pomponio dicam, an Triboniano? in l. 2. De orig. iuris, ferè initio: Exactis deinde Regibus, lege Tribunitia omnes leges hæ exoleuerunt. At lata ea lex eſt à Iunio Bruto Conſule, non Tribuno, vti Liuius teſtatur. Rurſus quod nonnullis placet, à C. Terentio Arſa Tribuno pleb. latam eſſe, Lucretio, Veturio COSS. Anno CCXC. quo anno ſcribit Liuius latam fuiſſe legem ab illo. Vt Quinque viri crearentur legib. de Imperio Conſulari ſcribendis: non ſatisfacit. diſertè namque Liuius perlatã eam legem non fuiſſe affirmat. Ceſſit, inquit Liuius, ad vltimum maieſtati Tribun. ple. & deſtitit. Videndum ergo vtrum apud Pompon. mendum ſit, & legendum LEGE BRVTI IVNIA: an potius Pomponius à Liuio diſſentiat, & à Bruto Celerum Tribuno legẽ latam exiſtimet, nec dum Conſulatum adepto. nam eum Celerum Tribunum fuiſſe, in ead. lege. §. 8. confirmat.

TVLLIA, de legationibus liberis. Tulit M. Tullius Cic. Conſul cum M. Antonio, Ann. DCXC. Ne ſicut antea infinitum, ſed annuum tempus earum eſſet. Idem de Legib. 2.

TVLLIA, de ambitu. Tulit idem. Ne quis munus gladiatorium biennio quo magiſtratum petierat, petiturúſve erat, ederet: niſi ex teſtamento præſtituta die. Vt ſenatoribus ambitus damnatis, aqua & igni ad annos decem interdiceretur. Vt in plebem pœna grauior eſſet, quàm lege Calpurnia fuiſſet. Vt reis morbum excuſantibus, pœna certa eſſet, Cicer. pro Muræna, pro Sextio, in Vatin. Dio lib. 37.

V

VALERIA, de prouocatione & libertate populi. Tulit P. Valerius Publicola Coſ. ſolus, Bruto collega mortuo, Ann. CCXLIII. Vt aduerſus omnes magiſtratus, ad populum prouocatio eſſet. Ne quis magiſtratus ciuem Rom. aduerſus prouocationem verberare, aut necare, aut pecunia mulctare vellet. Ne quis Romæ imperium haberet, niſi cui à populo datum eſſet, ſacrúmque eſſet cum bonis caput eius qui regni occupandi conſilia iniſſet. Vt capitale eſſet, ſi quis iniuſſu populi magiſtratum adiiſſet. Vt quinque boum & duarum ouium mulcta eſſet. Vt pecuniæ publicæ in æde Saturni reconderentur, duóque ærarij Quæſtores crearentur. Vt plebs à portoriis & tributis præſtandis liberaretur. Liuius lib. 2. Dionyſ. lib. 5. Plut. in eius vita. Val. Max. lib. 4. c. j. Pomp. de orig. iur.

VALERIA, de prouocatione. Tulit L. Valerius Conſul cum M. Horatio, Anno CCCIIII. Ne quis vllum magiſtratum ſine prouocatione crearet: qui creaſſet, eum iúſque fáſque eſſe occidi, nève ea cædes capitalis noxæ haberetur. Liuius lib. 3. Dionyſius 10. Eodem anno lata fuerat Duilia, qua de Conſulibus tantum cauebatur. Vocatur etiam hæc Horatia.

VALERIA, de prouocatione. Tulit M. Valerius. COSS. cum Qu. Appuleio, Anno CDLIII. Ne quis qui prouocaſſet, virgis cæderetur, ſecuríve necaretur: ſi quis aduerſus ea feciſſet, improbe facturum. Liuius libr. 10. Diligentius, inquit, quàm aliæ ſancita eſt: tertio tũ poſt Reges exactos lata, ſemper à familia eadem.

VALERIA, de ære alieno. Tulit L. Valerius Flaccus Coſ. cum C. Cinna, in Marij demortui locũ ſuffectus, Ann. DCLXVII. Vt creditoribus quadrans ſolueretur. Paterculus lib. 2.

VALERIA, de Syllæ dictatura. Tulit L. Valerius Flaccus Interrex à Senatu proditus, deſtituta Conſulibus ciuitate, Carbone & Mario interfectis. Vt L. Sylla perpetuus dictator Reip. conſtituendæ cauſſa crearetur, & quæcunque is aut tanquam Conſul, aut tanquam proconſul geſſiſſet, rata eſſent. Cicero Verrin. 4. in Rullum, Appian. de bell. ciuil. j.

VALERIA de proſcriptis. Tulit idem. Vt eorum bona veneant qui proſcripti ſunt, aut eorum qui in aduerſariorum præſidiis occiſi ſunt. Vt proſcriptiones venditionéſque ad diem Cal. Iuniarum fiant. Cicero pro Sex. Roſcio, vbi contumelioſè in Syllam, vtrum Valeria an Cornelia dicenda ſit, neſcire ſe ſcribit. In Verrina. 3. caput Corneliæ memoratur, Ne quis teſtamento proſcriptum iuuaret. Sed ego neque à Valeria, quæ nomine ſic dicebatur, cum re ac veritate eſſet Cornelia, id abiudico: neque ad verba, ſed ſententiam legis id refero. nã ſi aqua & igni eis interdictum erat nihilo magis teſtamẽto, quàm inter viuos eis largiri licebat.

VALERIA, de iure ciuitatis. Tulit Qu. Valerius Tribunus pleb. Martio, Sex. Iulio Coſſ. Anno DCLXII. Vt de iis qui ſocios ius ciuitatis appetentes clam palámve iuuiſſent, quæſtio haberetur. Appianus libr. de bello ciuil. j.

VALERIA, de defectione militum. Tulit M. Valerius Coruus Dictator, Anno CDXII. Ne cui militum ſeceſſio, quam metu ſupplicij fecerant, cum de Capua, quæ ipſorum præſidio commiſſa erat occupanda conſpiraſſent, eorúmque conſilium detectum eſſet, fraudi eſſet. Liuius lib. 7.

VALERIA, de iure ſuffragij, Tulit C. Valerius Trappo Trib. pleb. Valerio, Liuio Coſſ. Anno DLXV. Vt Formianis, Fundanis, Arpinatibus ſuffragij latio (nã ante ſine ſuffragio habuerunt ciuitatem) eſſet. Liuius lib. 38.

VARIA maieſtatis. Tulit Qu. Varius propter obſcurum ius ciuitatis Hybrida cognominatus, Trib.pleb. aduerſus interceſſionem collegarum. Vt quæreretur de iis quorum opera conſiliôve ſocij contra populum Rom. arma ſumpſiſſent. Aſconius in Orat. pro Scauro, & pro Cornelio: & in iiſdem Tullius. Val.Max.lib. 8. c. 6. Cic.Tuſcul.2. & in Bruto.

VATINIA, de Cæſaris prouinciis. Tulit P. Vatinius Trib.pleb. C. Cæſare, M. Bibulo Coſſ. Anno DCXIIII. Vt C. Cæſari Gallia Ciſalpina cum Illyrico in quinquennium ſine ſenatus decreto, & extra ſortem mandaretur. Vt ij quos in lege nominabat, Legati, ſine Senatus decreto cum Cæſare proficiſcerentur. Vt eidem pecunia ex ærario ad exercitum attribueretur. Vt idẽ coloniam Nouumcomum deduceret. Tranquillus in Cæſare, Cicer. pro Balbo, & epiſt. ad Lentulum. Salluſtius in Iugurth. Plutarchus in Vitis, & præſertim Cicero in Vatiniana. hoc loco, Eripueráſne Senatui prouinciæ, &c. quo ex loco coniecturam capit Hotom. locum illum in media Oratione corruptum eſſe, vbi ſic legitur, Eripueríſne partes illo tempore cariſſimas, partim à Cæſare, partim à publicanis. legendúmque Partim à Senatu. vt partes intelligãtur ſubminiſtrandæ pecuniæ, cum Senatus ærarij diſpenſationem haberet, publicani ſæpe Rempub. pecunia iuuarẽt. Mendum ex nota Se. ortum videtur, pro qua imperitus ſcriptor Cæſare repoſuit.

VATINIA, de repetundis. Tulit idem. Vt qui repetundarum reus eſſet, ei alterna conſilia reiicere liceret. Cicero in Vatin. vbi Commodiorem conditionem reiectionis, pro Contentionem legendum videtur.

VELLEIA, de hæredum inſtitutione. Vide Iunia Velleia.

VILLIA annalis. Tulit L. Villius Annalis Trib.pleb. L. Manlio, Qu. Fuluio Coſſ. Anno DLXXIIII. Quot annos nati, quǽque magiſtratum peterent, caperéntque. Liuius lib. 40. vbi tamen corruptè legitur ab L. Iulio Trib.pleb latam, vt annotat vir doctiſſimus. C. Sigonius. Et in lib. epiſt. Cælij. 8. pro L. Iulio annali, in manuſcriptis eſt, L. Villio. & apud Valerium lib. 9. L. Tullius Annalis, pro L. Villius. Quod autem Liuius loco ſupracitato, hanc legem eo primum anno latam ſcribit, mirum prorſus eſt, cum lib. 25. ita de Scipione tradiderit: Huic petẽti ædilitatem, cum obſiſterent Trib. pleb. negantes rationem eius habendam eſſe, quod nondum ad petendum legitima ætas eſſet. Poſt autem lib. 22. in conſulatu mandando T. Quintio Flaminio, quem nondum annos 30. natum fuiſſe Plutarchus prodit, huius legis ne verbum quidem fecerit: imo verò ita ſcripſerit: Patres cenſuerunt in honorem, quem ſibi per leges capere liceret, peteret, in eo populo creãdi quem velit, poteſtatem fieri æquum eſſe. Hanc autem legem ſignificat Ouidius in Faſtis, cum ait:

Iura dabat populo ſenior, finitáque certis
Legibus eſt ætas, unde petatur honos.

Annus autem fuit Quæſturæ quidem nõ ante XXVII. Tribunatus XXX. Ædilitatis XXXVII. Præturæ XL. Conſulatus XLIII. Et quod de Quæſtura diximus, aptè congruit cum eo quod Polyb. lib. 6. ſcribit, legem fuiſſe, ne quis vrbanum magiſtratum gereret, niſi decem ſtipendia confeciſſet. Annus autem ad militandum legitimus fuit. 17. Vide Cicer. Philip. 5.

VISSELLIA, de libertinis. Tulit L. Viſellius Varro Conſ. cum Caio Fonteio, anno DCCLXIII. Diui Claudij temporibus. Ne libertinis hominibus, quibus anulorum aureorum adepti non erant, eos honores qui ingenuorum proprij ſunt, capere liceret. Impp. l. vnica. C. ad leg. Viſell. l. j. C. quando priu. act. crim. præiud. Vlpianus. c. Inſtit. 3. Viſcellia tamen vbique legitur, mẽdoſè: cũ Viſelliorũ familia nota ſit, cuius erat C. Viſellius Varro, Ciceronis cõſobrinus, vt cõſtat ex Brut.

VNCIARIA lex. *Dici cœpta eſt, quãm L. Sylla, & Q. Pompeius tulerunt, qua ſancitum eſt, vt debitores decimam partem ***. Hæc apud Feſtum: nec plura leguntur.

VOCONIA, de mulierum hæreditatibus. Tulit Qu. Voconius Saxa Tribun.pleb. Cæpione & Philippo Coſſ. Anno DXXCIIII. Ne qui cenſus eſſet id eſt centum millia ſeſtertium poſſideret, vt §. Papia. Inſtit. de ſucceſſ. libert. virginem néve mulierem, ſupra quadrantem ſuorum bonorum, id eſt ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας, vltra 25. millia ſeſtertium, vt ait Dio libr. 56. hæredem inſtitueret: plúſve cuiquam legaret, quam ad hæredẽ hæredéſve perueniret. Ne fœminæ vltra conſanguineos ab inteſtato ſuccederent. Theophil. in Inſtit. tit. de leg. Falcid. καὶ ἐτέθη ἐν τρίτῃ τάξει ὁ Βοκώνιος νόμος, ὅστις εἶπεν μηδὲν πλέον λαμβάνειν τὸ ληγατάριον τοῦ κληρονόμου. Cicero Verrina tertia, De ſenect. De finibus. 2. Dio lib. 56. Gellius lib. 7. c. 13. & lib. 17. c. 5. Auguſtinus libr. De ciuitate Dei 3. Florus in Epit. lib. 41. vbi Volumnius legitur pro Voconius. Paulus lib. Sent. 4. Extat autem declamatio Quintiliani CCLXIII. in qua hæc lex præponitur: Ne liceat mulieri niſi dimidiam partem bonorum relinquere. Verum ea lex ad ſcholaſticas exercitationes ficta & accommodata fuiſſe videtur, vt ex Dione conſtat.

VOLERONIA, de plebeiis magiſtratibus, vide PVBLILIA LÆTORIA.

LEGVM QVARVM INCERTA SVNT NOMINA, recenſio.

LEGES publicorum iudiciorum, vt ante ſi reo commodum ſit, iudicium de accuſatore fiat, vtrum illi liceat accuſare, nécne. Cornific. ad Heren. lib. j.

LEX, Ne quis vrbanum magiſtratum caperet, niſi qui decem ſtipendia confeciſſet. Polyb. lib. 6.

LEX ſemunciarij fenoris. Tulit T. Manlio Torquato, C. Plautio Coſſ. Ann. CDVI. Liuius lib. 7.

LEGES, de ambitu. Ne quis candidatus nomenclatore in magiſtratus petitione vteretur. Plutar. in Cat. Vtic. Vt qui competitorem ſuum ambitus damnaſſet, pro eo ſubſtitueretur. Cicero pro Sylla. Vt qui quempiã ambitus damnaſſet, eius tribum aſſequeretur. Cicero pro Balbo. Vt qui de ambitu damnatus alium codẽ crimine damnaſſet, in integrum reſtitueretur. Cicero pro Cluentio. Vt accuſatori cuſtos apponeretur, qui videret, quæcunque ad accuſationem pararet atque ageret. Plutarch. in Cat. Vtic.

LEX, de Cn. Publicio Menandro, homine libertino, quẽ legati in Græciam proficiſcentes interpretem ſecum habuerunt, vt ſi domum reuertiſſet, & inde Romam rediſſet, ne minus ciuis eſſet. Cicero in ea pro Balbo. Pomponius autem in l. 5. D. de capt. & poſtlim. Et ideo, inquit, in quodam Menandro, qui poſtea quam apud nos manumiſſus erat, miſſus eſt ad ſuos: non eſt viſa neceſſaria lex de illo, vt maneret ciuis Romanus. Nam ſiue animus ei fuiſſet remanendi apud ſuos, definebat eſſe ciuis: ſiue animus erat reuertendi manebat ciuis: & ideo lex fuit ſuperuacua. De eodem Menãdro Ciceronis locũ illũ in lib. de Orat. primo, intelligendũ cenſet Hotomanus. Similique in genere, inferiore ordine, ſi quis apud nos ſeruiſſet ex populo fœderato, ſeſéque liberaſſet, ac poſtea domũ reueniſſet, quæſitũ eſt apud maiores noſtros, num is ad ſuos poſtliminio rediiſſet, & amiſiſſet hanc ciuitatem.

Lex, de militia. Vt qui ciuem ab hoſte ſeruaſſet, is ab Imperatore quercea corona donaretur. Plutar. in Coriol. Item, Ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente, deleretur. Liuius libro 7. Item, Ne quis loco ab Imper. deſignato cederet, atque ordinem deſereret. Diodor. lib. 12.

Lex, de carminibus infamibus. Donatus in Terentium, Sed cum Poëtæ abuti licentius ſtilo, & paſſim lædere ex libidine cœpiſſent plures bonos, ne quiſquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata ſiluere.

— Lex eſt accepta, choruſque
Turpiter obticuit, ſublato iure nocendi.

Hæc Donatus, ex Horatij libro De arte. Idem etiam in libro Epiſtol. 2. ad Auguſtum, legem eandem his verſibus ſignificat,

— Quin etiam lex
Pœnáque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Deſcribi. uertere modum formidine fuſtis,
Ad benedicendum, delectandúmque redacti.

Sed hanc XII. Tab. legem eſſe cenſet Hotom. de qua Cic. lib. 4. de Rep. ſcribit apud Auguſt. lib. de Ciuit. 2.

Lex, de ciuitate Romana Mutini Libyphœnícique danda, qui cum ab Hannone Carthaginenſium Imperatore, cuius præfectus fuerat, dignitate ſua ſpoliatus eſſet, Agrigentum Romanis prodidit. Liu. lib. 27.

Lex, de Dictatore. Ne Dictatori equum conſcendere liceret. Plutarchus in Fabio Maximo.

Lex de C. Servilio. Tulit Cn. Seruilio, C. Seruilio Coss. Anno DL. Ne illi fraudi eſſet, quòd patre qui ſella curuli ſediſſet, viuo, cum id ignoraret: Tribunus pleb. atque Ædilis pleb. fuiſſet, contrà quàm ſancitum legibus erat. Fuerat autem C. Seruilij pater annos X. apud hoſtes Boios captiuus. Liu. lib. 27. & 30.

Lex, de comitiis. Ne in comitiis magiſtratuum abſentum ratio haberetur. Suet. & Plutar. in Cæſare.

Lex, ne quis præſidum munus, donum caperet, niſi eſculentum, poculentum, quod intra dies proximos prodigatur, l. plebiſcito. 18. D. de offi. præſid.

Lex, Auguſti tempore lata, vt præfecto Ægypti imperium par proconſuli daretur: commemoratur ab Vlp. l. j. D. de offi. præt. Auguſt.

Lex Agraria paulo poſt C. Gracchi necem lata, *τὴν γῆν ὑπὲρ ἧς διεφέροντο, ἐξεῖναι πιπράσκειν τοῖς ἔχουσιν. ἀπείρητο γὰρ ἐκ Γράκχου τοῦ προτέρου καὶ τόδε.* id eſt, Vt liceret iis qui agrum lege Sempronia poſſidebant, vendere. Hoc enim lex Tib. Grachi vetabat. Appian. lib. De bello ciuil. 1.

Lex lata Papirio, Caruilio Coss. Anno CDXL. Vt qui iuniorum non cõueniſſet ad Imperatorium edictum, quíq; iniuſſu abiſſet, caput Ioui ſacratũ eſſet Liu. lib. 10.

Leges, de comitiis. Ne is qui comitiis præeſſet, ſui rationem in magiſtratu petendo haberet. Liu. lib. 10. Ne quis inſpiciat tabellam, ne roget, ne appellet. Cic. De leg. lib. 3.

Lex, vt rei frumentariæ procuratio Sext. Clodio adempta Cn. Pompeio mandaretur. Cicer. Pro domo ſua, Plutar. in vitis. Dio lib. 39.

Lex, de repetundis. Vt euntibus in prouincias inquirendi in eos cauſſa, quos repetundarum reos fecerãt, certus comitum numerus eſſet. Vt literæ ex prouincia deportatæ triduo ad Prætorem deferrentur, iudicúmque ſignis obſignarentur. Vt accuſato ſex tantùm horæ darentur. Cicer. pro Flacco, vbi recentem hanc legem appellat. vnde apparet inter Corneliam & Iuliã aliquã fuiſſe: cùm id de neutra intelligi poſſit.

Lex, de vini potu. Vt neque libera neque ſerua biberet vinum, neque verò clarorum virorum quiſpiam à pube vſque ad XXXV. annum. Ælianus Romanorum veterum hanc fuiſſe legem teſtatur, lib. 2.

Lex, de magiſtratibus. Vt numerus liberorum in candidatis præpolleret. Cornel. Tacit. lib. 2. Videtur legis Papiæ Poppææ pars fuiſſe.

Lex, Ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret. quod propter M. Manlium Capitolinum factum eſt. Liu. lib. 6.

Lex ex auctoritate patrum ad populum lata, vt Priuernatibus ciuitas daretur. Liuius. lib. 8.

Lex, de ſacerdotiis. Ne duo ex eadem gente idem ſacerdotium haberent. Dio lib. 39.

Lex pecuniaria. Ne quis in argento vel auro plus LX. HS. poſſideret. quam legem Iulius Cæſar II. Cos. confirmauit. Dio 41.

Lex, de Quæſtoribus. Vt Quæſtoribus anno confecto redire ex prouincia liceret. Plutar. in Gracchis.

Lex, de militia. Vt ciues Rom. annos X. cùm vſus Reip. poſtularet, militarent. Plutarch. in Gracchis.

Lex, qua Flaminica Dialis ſacrorum cauſſa in poteſtate viri, cætera promiſcuo iure ageret. Tacit. lib. 4.

Lex quæ ſumptum ſepulchrorum definiebat, & qui eum modũ ſuperaſſet, tanta pecunia quantam præter modum impendiſſet, mulctabat. Cicero ad Attic. lib. 12. Epiſt. 33.

Lex, P. Scipione, C. Liuio Coss. lata per vnum è Tribun. pleb. Anno DCVI. Vt Belli Punici ſecundi adminiſtratio P. Scipioni Conſuli mandaretur, vt ex delectibus ſupplementum conſcriberet, voluntarios quotquot poſſet à ſociis acciperet, & ad reges ac ciuitates literas daret inſcriptas populi Rom. nomine. Appian. De bell. Punicis.

Lex Caſtrenſis apud Romanos. Quæ pro deſertore habet, ſi quis vlterius ſecedat, quàm vnde ſigna audiri poſſint. Appia. in Libyco.

Lex, de Tribunis pleb. *Εἰ δήμαρχος ἐνδέοι ταῖς παραγγελίαις, τὸν δήμαρχον ἐκ πάντων ἐπιλέγεσθαι.* Vt ſi Tribunus nondum promiſſa præſtiterit, eius in primis ratio à populo Comitiis Tribunitiis habeatur. Appia. De bel. ciui. 1.

Lex, de triumpho. Ne quis triumpharet, niſi qui hoſtiũ quinque millia vna acie cæcidiſſet. Valer. Max. libr. 2. cap. 3. & Dio lib. 37. Vt ſolis Conſulibus & Ducibus triumphare liceret. Plutarchus in Pomp. & Caton. Vtic. Ne qui triumphaturus erat, ante triumphum vrbem introiret. Plutarch. in Pomp.

Lex, de trigeminis, *ἡ κελεύουσα, οἷς γένονται τρίδυμοι, ἐκ τοῦ δημοσίου τὰς τροφὰς τῶν παίδων χορηγεῖσθαι μέχρις ἥβης.* Vt quibus trigemini liberi nati erant, iis ad alendos pueros ſumptus de publico ſuppeditetur. Dionyſius lib. 3. qui propter Horatiorum laudem eam latam, ſuóq; adhuc tempore obſeruatam ſcribit.

Lex, de vacatione. Appia. De bello ciuil. lib. 2. ſic ſcribit: *οὕτω δή τι Ῥωμαίοις ἐπίφοβα, ὡς νόμῳ τῷ περὶ ἀστρατείας ἱερέων καὶ γερόντων ἐγγραφῆναι, πλὴν εἰ μὴ κελτικὸς πόλεμος ἐπίοι, τότε δὲ καὶ γέροντας καὶ ἱερέας στρατεύεσθαι.* Vſque eò, inquit, Galli Romanis terribiles & formidoloſi ſunt, vt in lege de vacatione militiæ, quæ ſacerdotibus & ſenibus permittitur, illud aſcriptum ſit, niſi ſi bellum Gallicum exoriatur. tum enim & ſenes & ſacerdotes in militiam proficiſci. Liuius quoque lib. 8. tradit, exorto tumultu Gallico, Mamercum Coſ. iuſſum ſcribere exercitũ ſine vlla vacationis venia, quin opificum quoque vulgus, & ſellularij, minimè militiæ idoneum genus, exciti dicuntur. Idem præterea lib. 10. vbi de eodem nuncio commemorat: Senatus, inquit, iuſtitia indici, delectũ omnis generis hominum habere iuſſit, nec ingenui modò, aut iuniores ſacramento adacti ſunt: ſed ſeniorum etiam cohortes factæ, libertiníque centuriati. Plutar. præterea in vita M. Marcelli, de Gallis loquẽs: *οὓς μάλιστα,* inquit, *Ῥωμαῖοι δεῖσαι δοκοῦσιν, ἅτε δὴ καὶ τὴν πόλιν ὑπ' αὐτῶν ἀποβαλόντες· ἐξ ἐκείνου δὲ καὶ θέμενοι νόμον, ἀτελεῖς εἶναι στρατείας τοὺς ἱερέας, πλὴν εἰ μὴ γαλατικὸς πάλιν ἐπέλθοι πόλεμος.* id eſt, Quos maximè Romani metuiſſe

videntur, quippe à quibus vrbe pulſi aliquando fuerant: ac iam iam legem tulerant, vt vacatio militiæ ſacerdotibus eſſet, præterquam ſi rurſus bellum Gallicum exoriretur. Item in Camillo: οὕτω δὲ ἦν ὁ φόβος ἦν ἰσχυρὸς, ὥστε θέσθαι νόμον ἀφεῖσθαι τοὺς ἱερεῖς στρατείας, χωρὶς ἂν μὴ γαλατικὸς ᾖ πόλεμος. id eſt, Tantus erat Gallorum metus, vt legem Romani tulerint, vt ſacerdotes militiæ vacationem haberent, præterquam ſi bellum Gallicum exoriretur. Tumultu tamen, non bello Gallico, hanc fuiſſe conſuetudinem, Cicero Philippica octaua docet his verbis: Grauius autem eſſe tumultum, quàm bellum, hinc intelligi poteſt, quòd bello Gallico vacationes valēt, tumultu non valent. Huius legis etiam in ea pro Fonteio meminit.

LEX VECTIBVLICI, ſiue, vt eſt in manum ſcript. Cod. Vectij Lybici, qua manumiſſus à republ. Rom. ciuitatem Rom. conſequebantur: cuius poteſtas poſtea ſenatuſconſulto Iubentio Celſo iterum, & Neratio Marcello, Coſs. facto, ad prouincias porrecta eſt. de qua l. vlt. C. de ſeruis reip. manumit.

DE SENATORIBVS, SENATV, ET SENATVSCONSVLTIS.

Ex Franciſco Hotomano.

SENATORES à Romulo primū inſtitutos eſſe, Liuius, Dionyſius, Plutarchus aliíque auctores tradūt. Liuius quidem in lib. j. ſic: Cùm iam virium haud pœniteret, cōſilium deinde viribus parat. Cētum creat Senatores, ſiue quia is numerus ſatis erat, ſiue quia ſoli centum erant, qui ciere Patres poſſent. Patres certè ab honore, patritiíque progenies eorum appellati. Dionyſius autem lib. 2. Romulus autem his conſtitutis, ſtatuit continuò ſibi conſiliarios cooptare. Viróſque centum ex patriciis legit, quibus cum Remp. adminiſtraret. Eorum autem hoc diſcrimen fecit. Ipſe quidem vnum ex omnibus præſtantiſſimum deſignauit, quem exiſtimaret vrbanis rebus præeſſe oportere, ſi quando ipſe cum exercitu extra vrbem eſſet. Deinde iuſſit vnamquamque tribum tres viros ætate, prudentia & nobilitate generis præſtantes deligere. Poſt illos nouem, ſingulas curias iuſſit denuò tres viros è patritiis maximè idoneos deligere. Poſtquam ad primos illos nouem à tribubus deſignatos, iſtos nonaginta quos curiæ crearant, adiunxiſſet, & iis illum præfeciſſet, quem ipſe antea decreuerat, centum Senatorum numerum impleuit. Is conſeſſus, ſiue concilium verbum pro verbo Græcè expreſſum, γερουσίας, id eſt, Senatum ſignificat: & vſque adhuc eo nomine à Romanis appellatur. Vtrum autem propter ſenectutem eorum qui cooptati fuerant, an propter virtutem nomen illud reperit, nōn habeo certū quod dicam. quippe priſci homines ſolebant eos qui natu grandes, & boni viri eſſent, γέροντας id eſt ſenes appellare. qui verò in eo conſilio erant, Patres conſcripti vocati ſunt, & vſque adhuc eam appellationem retinuerunt. Plutarchus autem in Romulo ferè in eandem ſententiam ſcribit. Cicero etiam in Catone ſic ſcribit: Nec enim excurſione, nec ſaltu, nec eminus haſtis vteretur (de ſene Scipione loquitur) ſed conſilio, ratione, ſententia: quæ niſi eſſent in ſenibus, non ſummum cōſilium maiores noſtri appellaſſent Senatum. Seneca autem à qua ætate non cogerentur Senatores in ſenatum venire, duobus locis conſtituit: quorum vnus eſt lib. Declamat. 1. Senator, inquit, poſt ſexageſimumquintum annum in curiam venire non cogitur, nec vetatur. Et in fine libri De breuitate vitæ, Lex, inquit, à quinquageſimo anno militem non cogit: à ſexageſimo ſenatorem non citat. Zonaras autem libro 11. in hunc modum, Romulus ex iis qui tum amplitudine generis, tum prudentia, tum etiam inſtituto vitæ clariores eſſent, centum deſignauit conſiliarios: eóſque Patritios nominauit. Eorum autem cōuentum vniuerſum, Senatum appellauit: quem Græci γερουσίαν vocant. Senatoribus autem iccirco Patritiorum nomen eſt impoſitum, vel quòd ingenuorum liberorum patres eſſent: vel potius quòd ipſi demonſtrare patres ſuos poſſent, quippe qui nobili genere orti omnes eſſent: vel etiam à patrocinio (ſic autem προστασίαν Latino verbo appellant: Patronos enim eos qui præſidium atque opem ferunt, nominabant.) Sed videamus, ne proximè ad Romuli mentem accedat is, qui per hanc appellationem exiſtimet illum hoc ſignificare, oportere primarios viros, & ciuitatis principes, paterno ſtudio inferiorum curam ſuſcipere: ſimúlque plebem per hanc Patritiorum appellationem perducere, vt ne potentiorum honoribus indignentur: ſed erga eos bono animo ſint, quippe quos Patres & habeant, & appellent. Idem de Patritiis eodem libro: Patritiis enim vrbanos calceos, tum corrigiarum implicatione, tum literæ vnius forma inſignitos dederunt: vt ab illis centum viri qui à principio Senatores fuerunt, fluxiſſe viderentur. Literam autem R, fuiſſe aiunt: ſiue quòd numerum illorum centumuirorum ſignificet (nam apud Græcos ῥῶ nota eſt numeri centenarij) ſiue quòd prima ſit litera, qua Romanorum nomen ſcribitur. Nunc qui ſenatores eſſent, quíque in ſenatu dicendæ ſententię ius haberent, breuiter ex antiquorum auctoritatibus ordine expoſitis aperiēdum eſt. Salluſt. in Catilin. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, Reipublicæ conſultabant: hi vel ætate, vel curę ſimilitudine Patres appellabantur. Liuius lib. 11. Deinde quo plus virium in ſenatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus Regiis diminutum patrum numerum, primoribus equeſtris gradus lectis, ad trecentorum ſummam expleuit. traditúmque inde fertur, vt in ſenatum vocarentur, qui patres, quíque conſcripti eſſent. Conſcriptos videlicet in nouum ſenatum appellabant lectos. id mirum quantum profuit ad concordiam ciuitatis, iungendóſque patribus plebis animos. Feſtus lib. j. Patres dicuntur, qui ſunt patricij generis: Conſcripti, qui in ſenatu

in ſenatu ſunt ſcriptis annotati: Allecti autem dicebantur apud Romanos, qui propter inopiã ex equeſtri ordine in ſenatorum ſunt numerum aſſumpti. Idem libro 14. Patres Senatores ideo appellati ſunt, quia agrorum partes attribuebant tenuioribus, ac ſi liberis propriis. Idem libro 15. Qui patres, quòd conſcripti vocati ſunt, in curiam, quo tempore Regibus vrbe expulſis, P. Valerius Conſul propter inopiam patritiorum ex plebe allegit, in numerum ſenatorum centum & ſexaginta & quatuor, vt expleret numerum trecentorum. Sic duo genera appellauere. Idem lib. 17. Senatores à ſenectute dici, ſatis conſtat, quos initio Romulus elegit centum: quorum conſilio Rempub. adminiſtrabat. Itaque etiam patres appellati ſunt, & nunc cùm ſenatores adeſſe iubentur, additur, Quibus in ſenatu ſententiam dicere licet. quia ij, qui poſt luſtrum cõditum ex iunioribus magiſtratum cœpere, & in ſenatu ſententiam dicunt, & non vocantur ſenatores antè, quàm in ſenatoribus ſunt cenſi. Quibus ex verbis apparet, primùm eos demum ſenatores fuiſſe, qui à cenſorib. lecti in ſenatum eſſent, vt de ſumma Reip. ſententiam rogati loco & modo dicerent. Deinde fuiſſe etiam alios, qui quamuis à cenſoribus lecti non fuiſſent, tamen pro iure magiſtratus quem aut tum gerebant, aut antè geſſerant, ſententiæ in ſenatu dicendæ ius habebant. De quibus verba Gellij ex lib. 3. cap. 18. ſubſcribam. Videtúrque, inquit, eos ſignificare, qui nondum à COSS. in ſenatum lecti, ſenatores quidem non erant: ſed quia honoribus populi vſi quidem erant, in ſenatum veniebant, & ſententiæ ius habebãt. nam & Curulib. magiſtratibus functi, qui nondum à cenſorib. in ſenatum lecti erant, ſenatores non erant. Et quia in poſtremis ſcripti erant, non rogabantur ſententias: ſed quas principes dixerant, in eas deſcendebant. Hoc ſignificabat edictum, quo nunc quoque COSS. cum ſenatores in Curiam vocant, ſeruandæ conſuetudinis cauſſa tranſlatitio vtuntur, ſenatores quibus in ſenatu ſententiam dicere licet. hæc Gellius. Huius autem edicti mentionem Liuius facit in libro XXIII. Conſules, inquit, edixerunt quoties ſenatum vocaſſent, vti ſenatores, quibúſque in ſenatu dicere ſententiam liceret, ad portam Capœnam cõuenirent. Quo in libro, paulo ſuprà, ea quæ modò dicebamus planiſſimè confirmat. Dictator, inquit, recitato vetere ſenatu, inde primum in demortuorum locum legit, qui poſt L. Æmilium & C. Flaminium cenſores Curulem magiſtratum cepiſſent, nec dum in ſenatum lecti eſſent, vt quiſque eorum ſenator primus creatus erat. Tum legit, qui Ædiles, Tribuni & Prætores, Quæſtoréſve fuerant. Idem lib. XXXVI. P. Cornelius COSS. edixit, qui ſenatores eſſent, quibúſque in ſenatu ſententiam dicere liceret, quíque minores magiſtratus eſſent, ne quis eorum ab vrbe abiret. Iam verò ſcire illud oportet, cùm olim quidem ſenatores à Cenſoribus ex ætate & rerum vſu prudentiáq; legerentur, quemadmodum ſuperiùs dictum eſt, poſtea tamen ex cenſu legi conſueuiſſe. quam rem Plinius libr. 14. deplorans: Poſteris, inquit, laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit. Poſtquam ſenator cenſu legi cœptus, iudex fieri cenſu, magiſtratum ducémque nihil magis exornare quàm cenſus, peſſum iere vitæ precia, &c. Seneca etiam libr. Declamat. 11. Senatorium ad gradum cenſus aſcendere facit. Cenſus Romanum equitem à plebe diſcernit. Cenſus in caſtris ordinem promouet. Cenſu in foro iudex legitur. Cenſus autem ſenatorius quantus fuerit, Suetonius in Auguſto his demonſtrat verbis: Senatorium cenſum ampliauit, ac pro octingentorum millium ſumma, duodecies H-S. taxauit, ſuppleuítque non habentibus.

QVIBVS DE REBVS SENATVS cognoſceret. *Cap. 2.*

Dionyſius Halic. libr. 6. ſcribit, legem ſemper ab vrbe condita Romæ fuiſſe, vt Reſpublica omnis in poteſtate ſenatus eſſet, præter magiſtratuum creationem, legum lationem, & belli pacíſve arbitrium. Itaque Polybius libro ſexto ærarium vectigaliáque omnia in eius manu fuiſſe, impendiáque de publico eiuſdem arbitratu facta eſſe teſtatur. Quæſtores enim ſine ſenatus auctoritate, præter ea quæ Cõſules iuſſiſſent, ne minimum quidem cùm opus eſſet, in rem vllã ſumptum facere potuiſſe: grauiſſimis etiam & maximis ſumptibus, quos cenſores in luſtri quinquennalis apparatum faciebant, præfuiſſe: ab eodémque auctoritatem & facultatem illam his conceſſam fuiſſe. Iam verò maleficia & crimina per Italiam commiſſa, de quibus iudicium publicè fieri debebat, vtputa proditionis, coniurationis, veneficij, cædis atque inſidiarũ, ad ſenatum referebantur, eiúſque de his cognitio erat. Quòd ſi qua in Italia controuerſia dirimenda, ſi publicè vel priuatim quiſpiam, vel ciuitas obiurganda, ſi cui auxilium, aut præſidium ferendum erat, de his omnibus curam ſenatus habebat. Eodémque modo ſi extra Italiam ad aliquos legatio mittenda erat, vel ad aliquid decidendum, vel ad fœdus faciendum, vel ad cohortandum, aut etiam imperandum, aut poſtremò ad res repetendas, aut ad bellum indicendum: hæc ſenatus ipſe curabat ac prouidebat. Præterea quid de legationibus exterarum gentium quæ in vrbem venerint, agendum, quid eis reſpondendum, in ſenatus voluntate, atque arbitrio poſitum erat. Hæc Polybius: quæ tamen vbi de iudiciis loquitur, obſcura ſunt: non enim ſenatum de rebus capitalibus iudicaſſe legimus. Nam etſi Quæſitores ex ſenatoribus crearentur data opera, qui de crimine aliquo cum conſilio, hoc eſt adhibita iudicum aliquot eodem ex ordine decuria quærerent, re verò iudicata priuati eſſent: non tamen ſenatum idcirco iudicaſſe, ſed ſenatores tantum, dicendum eſt. Itaque poſterioribus temporibus cùm etiam ſenatores ſoli lege Cornelia iudicarent, Cicero Verrina 7. ſic loquitur, Quo confugient ſocij? quem implorabunt? ad ſenatum deuenient, qui de Verre ſupplicium ſumat? non vſitatum, non ſenatorium. Veruntamen vt rem illam omnem planius intelligamus, ſcire illud oportet, primis temporibus iudicia penes ſolos Senatores fuiſſe: quemadmodum ex Polybio modò didicimus: nimirum vſque ad annum vrbis DCXXX. quo lex Sempronia lata eſt, vt iudicia in equeſtrem ordinem transferrentur: quæ ratio durauit ad annum vſque DCLVII. quo lege Seruilia latum eſt, vt Equeſtria iudicia cum ordine ſenatorio ita communicarentur, vt minor tamen ſenatorum numerus eſſet. quod quidem vſque ad annum DCLXII. obſeruatum eſt, quo Liuia lege ſancitum eſt, vt æqua ex parte iudicia penes ſenatũ, & equeſtrem ordinem eſſent: vſquedũ Plautia lex ferretur anno DCLXIIII. quæ nonnullos etiam ex plebe vnà cum ſenatoribus & equitibus admiſit. Pòſt verò iterum ad ſolum ordinem ſenatorium iudicia redierunt, lata lege Cornelia, Anno DCLXXIII. vt iudicia equeſtri ordini adépta, ad ſolos ſenatores transferrentur, quod vſque ad legem Aureliam vſurpatũ fuit, quæ anno DCLXXXIII. ſanxit vti cum ſenatoribus & equites & Tribuni ærarij iudicarent. Sed hos Iulius Cæſar ſuſtulit, iudiciáque ad ſolos equites & ſenatores iterum reuocauit. Iam verò quòd ad reliqua Polybij pertinet, præclarus extat & ei conſentaneus Ciceronis locus in Vatiniana his verbis: Eripueras ſenatui prouinciæ decernendæ poteſtatem

teſtatem, imperatoris deligendi iudicium, ærarij diſpenſationem: quæ nunquam ſibi populus Ro. appetiuit, qui nunquam hæc à ſummi conſilij gubernatione auferre conatus eſt. Item: Quis legatos vnquã audiuit ſine S.C. &c. In ea verò pro Domo ſua ſummam eius ordinis poteſtatem his oſtendit verbis: Summum & populi Rom. populorúmque & gentium omnium ac regum conſilium ſenatus. Porrò autem non minimam ſenatus poteſtatis partem illam fuiſſe conſtat, quòd & in comitiis maioribus, & in legibus ferendis, neceſſaria & cognitio, & auctoritas ſenatus eſſet. Liuius libro j. Decreuerunt, inquit, vt cùm populus Regem iuſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi patres auctores fierent, hodiéque in legibus magiſtratibúſque rogandis vſurpatur idem ius vi ademptum: priuſquam populus ſuffragium ineat in incertum comitiorũ euentum patres auctores fiunt. Idem etiam libr. 8. ſcribit, à P. Philone Dictatore legem latam, vt legum quæ Comitiis centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium patres auctores fierent. Et Appianus lib. De bellis ciuilibus 1. legem à L. Sylla latam commemorat, vt nihil ad populum referretur, niſi quod antea confirmatum à Senatu fuiſſet: quemadmodum, inquit, antiqua lege iubebatur. Hæc cum ita ſint, facile intellectu eſt, quàm ridiculè Tribonianus & in l. 2. De orig. iur. & in Inſtitut. ſcribat, cùm auctus eſſet populus Rom. in eum modum, vt difficile eſſet in vnum eum conuocari legis ſanciendæ cauſſa: ſenatum vice populi conſultum eſſe. Nõ enim propter ciuium copiam populi poteſtas ad ſenatum tranſlata eſt, ſed Cæſarum aſtutia & calliditate, qui in ſenatus augenda potentia, ſuæ ſeruiebãt. Tacitus libro j. Tum primum è campo Comitia ad patres tranſlata ſunt. nam ad eam diem etſi potiſſima principis arbitrio, quædam tamen ſtudiis tribuum fiebant: neque populus ademptum ius quæſtus eſt, niſi inani rumore. Suetonius in Cæſare: Comitia cum populo partitus eſt: vt exceptis conſulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum pro parte dimidia quos populus vellet, pronunciarentur: pro altera parte, quos ipſe dediſſet. Idem in Tiber. Neque tam paruum quicquam, neque tam magnum publici priuatíque negocij fuit, de quo non ad P. referretur. Idem in Calig. Tentauit & Comitiorum more reuocato ſuffragia populo reddere.

PER QVOS SENATVS MORE *maiorum haberetur, & conſuleretur.* Cap. 3.

PER quos autem Senatus more maiorum haberi conſulíque ſoleret, Gell. lib. 14. ex Varrone his exponit verbis. Primum ibi ponit, qui fuerint, per quos maiore maiorum Senatus haberi ſoleret, eóſque nominat Dictatorem, Conſules, Prætores, Trib. pleb. Interregem, Præfect. vrbis: neque alij præter hos, ius fuiſſe dixit facere Senatuſconſultum. Quotiéſque vſu veniſſet, vt omnes iſti magiſtratus eodem tempore Romæ eſſent, tum quo ſuprà ordine ſcripti eſſent, qui eorum prior aliis eſſet, ei potiſſimum Senatus conſulendi ius fuiſſe. Addit deinde, extraordinario iure Tribunos quoque militares, qui pro conſulibus fuiſſent, item Decemuiros, quibus imperium conſulare tum eſſet: item Triumuiros reipubl. conſtituendæ cauſſa creatos, ius conſulendi Senatum habuiſſe. Vtrum autem Præfectus vrbi Latinorum cauſſa relictus Senatum habere poſſet, dubitatum, idem capite in ſequenti tradit: quoniam ne ſenator quidem ſit, neque dicendæ ſententiæ ius habeat: cùm ex ea ætate Præfectus fiat, quæ nõ ſit ſenatoria. Sed & Capitonem & Tuberonem contra Mutium ſenſiſſe, Ius eſſe Præfecto ſenatus habendi. Namque & Tribunis pleb. ſenatus habendi ius fuiſſe: quanquam ſenatores ante Atinium plebiſcitum non eſſent.

QVO LOCO SENATVS *haberetur.* Cap. 4.

SENATVM alibi quàm in locis per augures conſecratis, quæ templa vocabantur, haberi non licuiſſe, Gell. lib. 18. memoriæ prodidit: Senatuſconſultúmque alioqui iuſtum non fuiſſe. Propterea & in curia Hoſtilia, & in Pompeia, & pòſt in Iulia, cùm profana illa loca fuiſſent, templa eſſe per Augures conſtituta: vt in iis Senatuſconſulta more maiorum iuſta fieri poſſent. Seruius in illud Æneidos libro XI.

Alta intra limina cogit.

Quæritur, inquit, cur ad priuatam domum conuocetur Senatus, qui non niſi ad publica & auguratò condita loca conuenire conſueuit. Sed ſcimus domum Latini auguratò conditam, & eandem tam templum fuiſſe, quàm curiam. namque in ſuperioribus legimus tectum auguſtum, id eſt, augurio conditum. Item paulo pòſt:

Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces,
Regibus omen erat: hoc illis curia templum.

Meritò ergo ad domum Regis quaſi ad locum publicum conuocatur ſenatus. nam, vt ait in ſeptimo,

Tali intus templo diuûm patriáque Latinus
Sede ſedens.

Idcirco etiam in Palatij atrio, quod auguratò conditum eſt, apud maiores conſulebatur Senatus: vbi etiã arietes immolabantur, quod (vt in ſeptimo diximus) Virgilius ad Latini tranſtulit domum. Multi dicunt peritè Virgilium nec templi nec curiæ hoc loco feciſſe commemorationem: ſed tantum dixiſſe, intra tecta regia: vt oſtenderet conſilium quod initur, non eſſe complendum: quia nec ritè eſt inchoatum. Ea enim quæ dicet Latinus, effectu carebunt. Hæc Seruius. Loca autem ea in quibus Senatus cogebatur, ſenacula vocabantur. Senaculum, inquit Varro, ſupra Græcoſtaſin, vbi ædes Concordiæ & baſilica Opimia, ſenaculum vocatum, vbi Senatus aut ſeniores cõſiſterent: dictum vt γερουσία apud Græcos, Feſtus lib. 17. Senacula tria fuiſſe Romæ in quibus ſenatus haberi ſolitus ſit, memoriæ prodidit Nicoſtratus in libro, qui inſcribitur de Senatu habendo. vnum vbi nunc eſt ædes Concordiæ, inter Capitolium, & forum: in quo ſolebant magiſtratus, vt dicit Titinnius, cum ſenioribus deliberare. alterum ad portam Capenam. tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in vrbem admittere nolebant, Senatus dabatur. Hæc illæ. Animaduerti etiam magiſtratibus qui ad vrbem redibant, datum in eo templo Senatum fuiſſe. Liuius lib. 38. de P. Scipione loquens: Ipſe, inquit, decem nauibus Romam rediit: & Senatu extra vrbẽ dato in æde Bellonæ, quas res in Hiſpania geſſiſſet, diſſeruit. Et lib. 49. Lucius, inquit, Manlius proconſul ex Hiſpania redierat: cui poſtulanti ab ſenatu in æde Bellonæ, triumphum, rerum geſtarum magnitudo impetrabilem faciebat. Memorabile eſt etiam quod Plinius lib. 8. cap. 45. ſcribit, cùm eſſet nunciatum bouem locutum (quod frequens in priſcorum prodigiis fuiſſe ait) Senatum ſub dio haberi ſolitum fuiſſe.

QVO TEMPORE SENATVS *haberetur.* Cap. 5.

POrrò autem Senatus alius fuit legitimus, alius indictus. Legitimus dicebatur, qui vel lege vel more

certis ſemper diebus habebatur: Calendis, Nonis, Idibus. Suetonius in Auguſto, Sanxit ne plus quàm bis in menſe legitimus Senatus haberetur, ſcilicet Calendis, & Idibus: néve Septemb. Octobríve menſe vllos adeſſe alios neceſſe eſſet, quàm ſorte ductos. Indictus autem dicebatur, qui reliquis diebus menſis, qui modò comitiales non erant, Magiſtratuum vocatu cogebatur. Capitolinus in Gordiano: Non legitimo, ſed indicto Senatus die conſul iam domi conuentus, cum Prætoribus, Ædilibus, & Tribunis in curiam venit. Comitialibus autem diebus iccirco Senatus non indicebatur, ne ſenatores à ſuffragio ferendo auocarentur. Præterea Gellius lib. 14. docet, Senatuſconſultum nec ante exortum, nec poſt occaſum ſolem factum, ratum fuiſſe: opus etiam cenſorium feciſſe exiſtimatos, per quos eo tempore S.C. factum eſſet. Seneca verò lib. De tranquil. vitæ 1. Maiores noſtri, inquit, nouã relationem poſt horam decimam, in ſenatu fieri vetabant. Quin & menſem totum Februarium legationibus exterarum gentium audiendis attributum fuiſſe, multis ex locis conſtat. Cicer. ad Lentulum, Senatus haberi Februario toto non poteſt: niſi perfectis, aut reiectis legationibus. Idem ad Q. fratrem lib. 2. Epiſt. 11. Et quod Gabinia lege ſanctum ſit ex Calend. Febr. vſque ad Calend. Martias, Legatis Senatum quotidie dari.

QVOMODO SENTENTIAE IN Senatu & rogarentur & dicerentur. Cap. 6.

SEnatuſconſulta duobus modis fieri ſolita, Gell. lib. 14. ex Varrone docet: aut per diſceſſionem, ſi conſentiretur: aut ſi res dubia eſſet, per ſingulorum ſententias exquiſitas: ſingulos autem debere conſuli gradatim, incipíque à conſulari gradu: ex quo gradu ſemper quidem antea primum rogari ſolitum qui princeps in ſenatum lectus eſſet. In S. Conſulto per diſceſſionem faciendo, moris erat (quemadmodum Feſtus lib. 15. ſcribit) vt præco diceret, Qui hoc cenſetis, illuc tranſite: qui alia omnia, in hanc partem. Ominis autem cauſſa ſic præibat, ne diceret, Qui non cenſetis. Hinc illud Hircij lib. 8. de bello Gall. Diſceſſionem faciente Marcello, Senatus frequens in alia omnia tranſiit. Sueton. in Tiberio: Cum S.C. per diſceſſionem fieret, tranſeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, ſecutus eſt nemo. Plinius autem in Epiſtolarum libr. 8. conſuetudinem illam ſic explicat: Quid? lex non apertè docet dirimi debere ſententias occidentis & relegantis, cùm ita diſceſſionem fieri iubet? Qui hæc ſentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in illam partem ite quam ſentitis. Examina ſingula verba, & expende. Qui hæc cenſetis: hoc eſt, qui relegandos putatis: in hanc partem, id eſt, in eam in qua ſedet qui cenſuit relegãdos. Ex quo manifeſtum eſt, nõ poſſe in eadem parte remanere eos qui interficiendos arbitrãtur. Qui alia omnia animaduertis, vt non contenta lex diceret Alia, addiderit, Omnia. num ergo dubium, Alia omnia ſentire eos qui occidunt, quam qui relegant? In illam partem ite, quã ſentitis. Nónne videtur ipſa lex eos qui diſſentiunt, in cõtrariam partem vocare, cogere, impellere? num conſulere etiam, vbi quiſque remanere, quò tranſgredi debeat, non tantum ſolemnibus verbis, ſed manu, geſtúque demonſtrat? Hæc Plinius. Eodem autem illa quoque pertinent, quæ ex Gellij lib. 3. cap. 18. ſcribemus. Non pauci ſunt qui opinantur Pedarios Senatores appellatos qui ſententiam in Senatu non verbis dicerent, ſed in alienam ſententiam pedibus irent. Quid igitur, cum S.C. per diſceſſionem fiebat: nónne vniuerſi ſenatores ſententiam pedibus ferebant? Feſtus libro primo: Pedarium ſenatorem ſignificat Lucilius cùm ait, Agipes vocem mittere cœpit: quia ita appellatur quòd tacitus tranſeundo ad eum, cuius ſententiam probat, quid ſentiat iudicat. Cicer. libri ad Attic. 1. Epiſt. 18. Cùm eſt actum, neque animaduerſum eſt ad quos pertinere, & raptim in eam ſententiam Pedarij concurrerunt. Plinius libro Epiſto. 11. Sed cùm fieret diſceſſio, qui ſellis curulibus aſtiterant, in Cornuti ſententiam ire cœperunt. tum illi qui ſe collegæ annumerari patiebantur, in diuerſum tranſierunt. Seneca lib. De vita beata 1. cap. 2. Cùm de beata vita agitur, non eſt quòd mihi illud diſceſſionum more reſpondeas, Hæc pars maior eſſe videtur. Hactenus de S.C. quod per diſceſſionem fieri dicebatur. Nunc de eo quod exquirendis ſingulorum ſententiis fiebat, breuiter explicandum eſt. Moris erat vt poſt Comitia conſularia, Conſules deſignati, primi ſententias rogarentur, & eorum is prior, qui priore loco declaratus eſſet, ante comitia verò, is qui è cenſoribus princeps Senatus lectus erat, ij deinde quos cõſulibus videbatur: ita tamen vt ne Prætorium Conſulari, Ædilitium Prætorio, Tribunitium Ædilitio anteferrrent: quemadmodum ex Salluſtio & Gellio intelligimus. Cicero. Philip. 5. Sed qui ordo in ſententiis rogandis ſeruari ſolet, eundem tenebo in viris fortibus honorandis. à Bruto igitur conſule deſignato more maiorum capiamus exordium. Memorabile autẽ eſt, quod Suetonius ſcribit in Iulio Cæſare, moris fuiſſe, vt quem ordinem rogandarum ſententiarum Conſul Calen. Ianuariis tenuiſſet, eundem toto anno vſurparet. Poſt nouam affinitatem, inquit, Pompeium primũ rogare ſententiam cœpiſſe: cùm Craſſus ſoleret, eſſetque conſuetudo vt quem ordinem interrogandi ſententias Conſul Calendis Ianuariis inſtituiſſet, eum toto anno conſeruaret. Cùm autem rogatus ſenator dicere ſententiam vellet, aſſurgebat, ſtánſque dicebat. Cice. Ad Att. 1. Locutus ita eſt in ſenatu, vt omnia illius ordinis conſulta γενικῶς laudaret: mihíque vt aſſedit, dixit ſe putare, ſatis ab ſe etiam de iſtis rebus reſponſum. Stans autem non modò de ea re, de qua relatum fuiſſet, verumetiam quacũque de re volebat, & quam diu volebat, dicendi poteſtatem habebat: quemadmodum Gellius teſtatur. Tacitus lib. 3. Decretum ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent, ne veſtis ſerica viros fœdaret: exceſſit Fronto, ac poſtulauit modum argento, ſupellectili, familiæ. Erat quippe adhuc frequens ſenatoribus, ſi quid è Republ. crederent, ſententiæ loco dicere. Idem lib. 13. De bello & pace, inquit, de vectigalibus & legib. quibúſq; aliis Romana continentur, ſuadere diſſuaderéve licebat patribus, quoties ius dicendæ ſententiæ accepiſſent, & quæ vellent expromere, relationémque in eo poſtulare. Gellius libri 4. cap. 10. C. Cæſar Conſul M. Catonem ſententiam rogauit: Catorémque conſulebatur, quoniam non è Republi. videbatur, perfici nolebat. Eius rei gratia ducendæ, longa oratione vtebatur, eximebátq; dicendo diem. Erat enim ius Senatori, vt ſententiam rogatus, diceret antè quicquid vellet alius rei, & quod vellet. Cæſar Conſul viatorem vocauit; eúmque cùm finem non faceret, præhendi loquentem, & in carcerem duci iuſſit. Senatus conſurrexit, & proſequebatur Catonem in Carcerem. Hac, inquit, inuidia facta, Cæſar deſtitit, & mitti Catonem iuſſit. Hanc autẽ hiſtoriam etiam Plutarchus in Catone commemorat. Forma autem ſententiæ dicendæ, quemadmodum ex Philippicis orationibus apparet, ferè hæc erat: Quòd verba facta ſunt de literis, &c. de ea re ita cenſeo. Neque

verò

verò prætereundum illud eſt, quod Pedianus docet in Milonianæ commentariis, cùm aliquis in dicenda ſententia duas pluréſve res complexus eſſet, eæ ſi non omnes probarentur, poſtulari ſolitum à quouis ſedente, vt diuidat; id eſt, vt de rebus ſingulis referatur. De quo more multa Plinius in Epiſtola ad Ariſtonem lib. 8. piſto. 8. vbi ſcribit, cùm in Senatu relatum eſſet de libertis Conſulis interfecti, & pars abſoluendos, pars relegandos, pars morte mulctandos cenſuiſſet, eum qui libertos relegandos, ſeruos ſupplicio afficiendos dixiſſet coactum eſſe diuidere ſententiam: quoniam, inquit, duas res cõpræhendebat. Eius rei etiam exemplum extat in Epiſt. Ciceronis ad Lentulum. Itaque, inquit, cùm ſententia prima Bibuli pronunciata eſſet, vt tres legati regem reducerent: ſecunda Hortenſij, vt tu ſine exercitu reduceres, tertia Volcatij, vt Pompeius reduceret: poſtulatum eſt, vt Bibuli ſententia diuideretur, quatenus de religione dicebat: & rei quia iam obſiſti non poterat, Bibulo aſſenſum eſt.

DE NVMERO SENATORVM ad S.C. faciendum neceſſario. *Cap.* 7.

SEnatores primum à Romulo centum, deinde à Bruto conſule ducentos creatos fuiſſe ſuperius ex Liuio docuimus: cúmque trecentorum numerum ad vſq; Gracchi Tribunatum duraſſe, patet ex Dione libr. 54. & Epitome Liuij 60. Vbi tamen quæ de aucto Senatorum numero leguntur, mihi planè obſcura ſunt: quemadmodum in lege Seruilia ſignificauimus. Ciceronis quidem tempore C X D V. reperio numerari, in eius primo ad Att. Epiſtolarum lib. Dio verò lib. 43. Cæſaris ætate ſcribit nongentos fuiſſe. & Sueton. in Auguſto, poſt cædem Cæſaris amplius mille fuiſſe teſtatur, ſed Auguſtum ad modum priſtinum redegiſſe: qui modus quemadmodum intelligi debeat, mihi non ſatis conſtat. Dio namque lib. 54. ea de re ſcribens, ait, eum in animo quidem habuiſſe, trecentos duntaxat ex antiquo more conſtituere: ſed offenſionis vitandæ cauſſa, numerum ſexcentorum expleuiſſe: vt veriſimilius ſit, modum illum priſtinum à Suetonio, non antiquiſſimum, ſed qui ante corruptiſſima tempora fuerat, intellectum eſſe. Vtcunque ſit, illud conſtat, ſenatori qui non aderat, aut cauſſam, aut culpam fuiſſe: quẽadmodũ in Legibus Cicero loquitur; id eſt, aut legitimæ excuſationis eguiſſe, aut in culpa fuiſſe. nam, vt idem ait, grauitatem res habet, cùm frequens ordo eſt. Culpa autem pignoribus capiendis coërcebatur. Itaque cùm Antonius interminatus eſſet, ſe Ciceronis domum, qui in Senatum non venerat, publicis operis diſturbaturum: Quis vnquam, inquit, tanto damno Senatorem coëgit? aut quid eſt vltra pignus & mulctam? hoc eſt, extrà mulctam lege conſtitutam; quæ dum ſoluatur, pignora capiuntur: quemadmodum in §. penult. Inſtit. qui ſatiſd. cog. legimus pignoribus captis coërceri tutores, qui nõ ſatiſdant. mulctam enim, redacta ex pignorum venditione pecunia, Quæſtores ærarij capiebant. Cicero lib. de Orat. 3. An tu, cùm omnem auctoritatem vniuerſi ordinis pro pignore putares, eámque in conſpectu populi Romani concideres, me his pignoribus exiſtimas poſſe terreri? non tibi illa ſunt cædenda, ſi Craſſum vis coërcere, hæc tibi eſt excindenda lingua, qua vel euulſa ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit. Quo ex loco exiſtimare concidi, frangíque pignora ſolita fuiſſe, ridiculum eſt. Cædere namque veteres pro conſumere dicebant: vt Nonius demonſtrat ex illo Lucilij:

Lanæ, opus omne perit: ſqualor, tineæ omnia cædunt.

Quare cùm cædi pignora lex vetus dixiſſet, pro, ita capi, vt auctione diſtraherentur, & conſumerentur, ludens Craſſus ancipiti ſignificatione vocabuli, ſic locutus eſt: ſimiliter vt Cicero in ea pro Sex. Roſcio, Neſcimus, per iſta tempora eoſdem ferè ſectores fuiſſe collorum, & bonorum? non enim ſectores bonorum ab eodem verbo, quo ſectores collorum appellatos eſſe, cuiuis perſpicuum eſt. Itaque idem in eodem libri tertij proœmio, paulo ſuperius ſic ſcripſit; Non tulit ille, & grauiter exarſit, pignoribúſque ablatis Craſſum inſtituit coërcere. Et Gellius libri 14. capite 1. Prætor hæc de pignore quoque capiendo diſſerit, déque mulcta dicenda Senatori, qui cùm in Senatum venire deberet, non adeſſet. Atque hæc quidem hactenus. Certum autem Senatorum numerũ ad S.C. faciendum neceſſarium fuiſſe, multis ex locis conſtat. Itaque NVMERA SENATVM, dicere ſolebat quiuis Senator Conſuli, cùm impedimento volebat eſſe, quo minus fieret S.C. ſi tot non eſſent Senatores, quo numero liceret S.C. ſcribi, vt expectaretur: quod ex lib. X I I. Sex. Pompeij didicimus. Verum qui numerus in omnibus S.C. legitimus fuerit, conſiderandum eſt, Dio ſanè in fine libri 54. quadringentorum numerum prodidit. Nam de Auguſto loquens, ὁρῶν δὲ ὅτι οὐκ ἀεὶ συχνοὶ συνελέγοντο, ἐκέλευσε τὰ δόγματα αὐτοῦ καὶ ἐν ἐλάττοσιν ἢ τετρακοσίοις γίγνεσθαι. οὐ γὰρ ἐξῆν τινὰ ἐκ τοῦ πρὶν ἄλλως κυροῦσθαι. Cùm videret Senatum non ſemper frequentem conuenire, decreuit vt eius conſulta etiam à paucioribus quàm quadringentis fierent. Prius enim non aliter, quàm eo numero conſtante rata eſſe poterant. Quod quidem tum de poſtremis temporibus, quibus vſque adeò Senatus creuerat, intelligẽdum eſt: tum de maioribus rebus, de quibus Senatus conſuleretur. Nam ſi ſuperiora ſpectemus, Liuius lib. 39. vbi de Bacchanalibus loquitur, ſcribit S.C. cautum fuiſſe, vt ſi quis tale ſacrum neceſſarium eſſe duceret, apud Prætorem vrbanum profiteretur: Prætor Senatum conſuleret, ſi ei permiſſum eſſet, dum in Senatu centum non minus eſſent, id ſacrum faceret, cùm ne plus quinque ſacrificio intereſſent. Pedianus autem de re non ita magni momenti loquens, in Corneliana ſcribit, lege Cornelia cautum fuiſſe, ne quis in Senatu ſolueretur legibus, niſi ducenti adfuiſſent. Obſeruatum eſt etiam Prudentium trecentos tantùm prodere. Sic enim ſcribit:

Hic conſulta patrum ſubſiſtere conſcriptorum,
Non aliter licitum priſco ſub tempore quàm ſi,
Ter centum ſenſiſſe ſenes legerentur in vnum.

QVAE FORMA SCRIBENDI S.C. fuerit. *Cap.* 8.

IN Senatuſconſ. ſcribendis primum moris erat, vt ea res de qua rogatæ ſententiæ fuerant, ſummatim exponeretur. Quòd M. Marcellus Conſul verba fecit de prouinciis, D. E. R. I. C. vel, M. Pomponius Senatum conſuluit. Quòd verba facta ſunt de Philoſophis, & Rhetoribus, D. E. R. I. C. Quòd ſi quid Senatus conſulibus mandaret, Donatus in Adelph. Terentij ſcribit, addi ſolitum, Si eis videatur. Cuius rei exemplum video in Philip. Ciceronis 9. vtique C. Panſa, A. Hirtius C O S S. alter, ambóve, ſi eis videatur, Quæſtoribus vrbanis imperent: tametſi apud eundem eam interdum formulam prætermiſſam animaduerti. Quoniam autem S.C. intercedere Tribuni poterant, propterea moris erat, vt illa clauſula adderetur, Si quis huic S.C. interceſſerit, Senatui placere, auctoritatem perſcribi, & de ea re ad Senatum, populúmq; referri. Deinde ſi quis interceſſiſſet, addebatur, Huic S.C. interceſſit C. Cælius, C. Panſa Tribunus pl. Ac tum quidem non

dem non S.C. ſed auctoritas præſcripta dicebatur. quemadmodum Dio libro 55. his docet verbis: εἰ δὲ οὖν ποτε ἐκ συντυχίας τινὸς μὴ συλλεχθεῖεν, ὅσοις ἡ χρεία ἑκάστοτε ἐκάλει, ἐβουλεύοντο μὲν, καὶ ἥγε γνώμη συνεγράφετο, οὐ μέντοι καὶ τέλος τι ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλ' αὐκτώριτας ἐγίγνετο, ὅπως φανερὸν τὸ βούλημα ᾖ. τοιοῦτον γάρ τι ἡ δύναμις τοῦ ὀνόματος δηλοῖ. ἑλληνίσαι γὰρ αὐτὸ καθάπαξ ἀδύνατόν ἐστιν. τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ εἴποτε ἐν τόπῳ τινὶ μὴ νενομισμένῳ, ἢ ἡμέρᾳ μὴ καθηκούσῃ, ἢ καὶ ἔξω νομίμου παραγγέλματος ὑπὸ σπουδῆς ἠθροίσθησαν, ἢ καὶ ἐναντιωθέντων τινῶν δημάρχων· τὸ μὲν δόγμα οὐκ ἠδυνήθη γενέσθαι, τὴν δὲ γνώμην σφῶν οὐχ ὑπέμενον ἀποκρυφθῆναι. Quòd ſi fortè vſuuenerit, vt non tam multi quàm opus erat, conuenirent, ſenatus quidem habebatur, decretúmque perſcribebatur, non tamen quaſi ratum, effectum habebat, ſed erat auctoritas, vti Senatus ſententia nota ac teſtata eſſet. Tale enim quiddam vis huius verbi declarat, quod vno verbo Græcè exprimi non poteſt. Quod idem etiam obſeruatum eſt, ſi quando in loco aliquo non legitimo, aut die non idoneo, aut non legitimo edicto, ſed ambitioſè Senatus coactus eſſet, aut nonnulli Tribuni plebis interceſſiſſent. Tum enim S.C. fieri non poterat. qui tamen placuiſſet, teſtari reliqui volebant. Quibus verbis illa ſunt apud Ciceronem cōſentanea: vt lib. 1. ad Lentulum, De his rebus Senatus auctoritas grauiſſima interceſſerat: cùm Cato & Caninius interceſſiſſent, tamen eſt præſcripta. Præterea illud animaduertimus, notari nominatim illum oportuiſſe, cuius in ſententiam S.C. eſſet factum. Cicer. lib. ad Att. 4. Epiſt. 1. Factum eſt decretum in meam ſententiam, vt cum Pompeio ageretur, vt eam rem ſuſciperet, léxque ferretur. quo S.C. recitato, cùm concio more hoc inſulſo & nouo plauſum, meo nomine recitando dediſſet, habui concionem. Huc etiam illud pertinet, quod Feſtus ſcribit, Ælium Gallum Iuriſc. Senatus decretum à Conſulto ſic diſtinguere, vt id dicat particulam quandam eſſe Senatuſconſulti: vt cùm prouincia alicui decernitur, quod tamen ipſum Senatuſconſulti eſt. Scripto Senatuſconſulto, primum eorum omnium nomina qui tum affuiſſent, adſcribi ſolebant. Cælius ad Ciceronem, Senatuſconſultum factum, auctoritatéſque perſcriptæ, pridie id. Octob. in æde Apollinis. Scribendo affuerunt L. Domitius Cn. F. Ænobarbus, Q. Cæcilius Q. F. &c. Cicer. in proœm. libri de Orat. 3. Et eundem, id quod in auctoritatibus perſcriptis extat, S.C. ſcribendo affuiſſe. Moris autem fuiſſe videtur, vt ad Conſulis pedes id fieret. Lampridius enim in Heliogabalo ſic ſcribit: Deinde vbi primum diem Senatus habuit, matrem ſuam in ſenatum vocari iuſſit: quæ cùm veniſſet, vocata ad Conſulum ſubſellia, ſcribendo affuit, id eſt Senatuſconſulti conficiendi teſtis.

QVAE FACIENDIS S. C. IMPEDIMENTA eſſent: & ſi fierent, vbi aſſeruarentur. Cap. 9.

SVMMA Senatus volūtas certis de cauſis interdum ſic impediebatur, vt fieri S.C. non poſſet. Primum impedimentum reperio, ſi legitimus Senatorum numerus non adeſſet: quo tempore cuiuis ſenatori dicere Conſuli licebat, NVMERA SENATVM: vt ſuperius docuimus. Alterū, cùm dies tolleretur: hoc eſt, cùm quis aduſque ſolis occaſum orationem producebat: quo tempore S.C. fieri non poterat: vti ſuperius quoque demonſtrauimus, vbi de Catone diem eximente commemorauimus: eóque ille quartæ Verrinæ locus pertinet: Eo die tranſigi nihil potuit, quòd & id temporis erat, & ille pater iſtius inuenerat homines, qui dicendo tempus conſumerent. Tertium, cùm quis Tribunus plebis moram interponebat: veluti, cùm Attilius noctem ſibi ad deliberandum poſtulauit, quo tempore de Cicerone reuocando in Senatu agebatur: vt eſt in oratione pro Sextio. Quartum, cùm quis intercederet. nam (vt ſcribit Gellius libro 14.) intercedendi ne S.C. fierent, ius fuit iis qui eadem poteſtate, qua ij qui S.C. facere vellent, maioréve eſſent. Memorabile autem eſt quod Valerius lib. 2. ſcribit, vetuſtis temporibus ius non fuiſſe Tribunis pleb. curiam intrare: ante valuas autem poſitis ſubſelliis decreta patrum examinaſſe: vt ſi quæ ex eis improbaſſent, rata eſſe non ſinerent. Itaque veteribus Senatuſconſultis T. literam ſubſcribi ſolitam: qua nota ſignificabatur, illa Tribunos quoque cenſuiſſe. Iam verò Liuius lib. 3. auctor eſt, anno ab V.C. CCCIIII. inſtitutum à Valerio & Horatio Coss. fuiſſe, vt Senatuſconſulta in ædem Cereris ad Ædiles pleb. deferrentur: quæ antè arbitrio Conſulum ſupprimebantur, vitiabantúrque. Poſtea tamen ad ærarium ea delata fuiſſe, & Cicero Philippica v. & Suetonius in Auguſto, & Tacitus lib. 3. teſtantur. Hactenus de Senatu.

EIVSDEM AVCTORIS FORMVLARVM ANTIQVARVM RELLIQVIÆ ALIQVOT, EX VETERVM MONIMENTIS COLLECTÆ.

FORMVLÆ, quæ & Actiones dicebantur, vt ſuo loco demonſtrauimus, erant ſollemnium verborũ cõceptiones, quibus eadem in re populus Roma. vti conſueuerat. Vulgus hodie ſtilum, formulariúmve appellat. Earum autem Iuriſconſultos principes & tanquam architectos fuiſſe, nemo neſcit. quare quas ex diuturna obſeruatione veterum ſcriptorum collegimus, hunc in locum referendas putauimus.

Abdicationis L. Manlij.

CVM SILANVM filium meum pecunias à ſociis accepiſſe mihi probatum ſit, & Rep. & domo mea indignũ iudico, protinúſque è conſpectu meo abire iubeo. Ex Val. Max. lib. 5. c. 8.

Abſolutionis in iudicio.

NIHIL MOROR. Liuius lib. 4. 9. 43. Non feciſſe videri Cic. ad Att. lib. 4.

Acceptilationis Aquilianæ.

QVICQVID TE mihi ex quacunque cauſſa dare facere oportet, vel oportebit, præſens, in diémve, aut ſub cõditione: quarúmque rerum mihi tecum actio, quæve aduerſus te petitio, vel aduerſus te perſecutio eſt, eritve: quódve tu mecum habes, tenes, poſſides, quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari ſtipulatus eſt A. Agerius: ſpopondit Numerius Negidius. Quod Numerius Negidius A. Agerio promiſit, ſpopondítve, id haberétne à ſe acceptum, Numerius Negidius A. Agerium rogauit: A. Agerius Numerio Negidio acceptum fecit. Ex Inſtit. Iuſtin. lib. 3. tit. quibus modis toll. oblig. Ex D. lib. 46. De acceptilationibus.

Actionis in perſonam.

AIO TE MIHI DARE FACERE OPORTERE. Val. Probus. & Iuſtin. 5. ſic itaque, De actionibus.

Actionis furti adiuti.

OPE CONSILIO tuo furtum factum eſſe aio. Cicero De natura deor. lib. 3. & lib. 4. Inſtit.

Actionis in rem.

Petitor.

FVNDVS QVI EST in agro qui Sabinus vocatur, meus eſt. eum ego ex iure Quiritum meum eſſe aio. inde ibi ego te ex iure manu conſertum voco.

Is vnde petitur.

VNDE TV ME ex iure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te reuoco.

Prætor.

VTRISQVE ſuperſtitibus iſtam viam dico: Inite viam.

Idem.

REDITE VIAM.

Petitor.

QVANDO TE in iure conſpicio, poſtulo ante ſi es auctor.

Is vnde petitur.

AVCTOR. SED anne tu dicis, qua cauſſa vindicaueris. Hæc ex Oratione pro Muræna, pro Cæcina, & Val. Probo.

Actionis.

QVAM REM, ſiue litem dicere oportet. Varro libr. de lingua. 6. & Cicero pro Muræna.

Addictionis in diem.

ILLE fundus centum eſto tibi emptus: niſi ſi quis intra Calendas Ianuarias proximas meliorem conditionẽ fecerit, quò res à domino abeat. l. j. D. de in diẽ addic.

Anuli aurei in concione donandi.

QVANDOQVIDEM tu in prælio, in libello, in re militari mihi nunquam defuiſti, omnibúſque in periculis mecum verſatus es, ob haſce res hoc anulo aureo te dono. Hæc ferè ex Verrina orat. 5.

Anteſtandi.

OLIM qui anteſtabatur, auriculam teſtium contingebãt, híſque verbis loquebãtur: LICET ANTESTARI? ſi ille reſponderet, LICET: iniectione manus aduerſarium ſuum in ius trahebat. Horatius Ser. 1. Satyr. nona, & in eundem Acron cum Porphyrio.

Arbitrij rei vxoriæ.

QVANTVM æquius melius ſit, dari. Cicero Officior. lib. 3. in Topic. pro Q. Roſcio. l. pen. D. ſol. matr. l. ſi cùm Cornelius. 72. D. de ſolut.

Arbitrij fiduciæ.

VT INTER bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione. Cicero in Top. in Offic. lib. 3.

Arrogationis.

VELITIS, iubeatis Quirites, vti L. Valerius L. Titio tam iure legéque filius ſiet, quàm ſi ex eo patre matréque familias eius natus eſſet: vtíque ei vitæ necíſque in eũ poteſtas ſiet, vti parendo filio eſt: hoc ita, vt dixi, ita vos Quirites rogo. Ex Gellij lib. 5. c. 19. Suſpicor autem legendum pro Pariendo, Patriendo: vt ſit, Endo pro In, vetuſtè. quam meam opinionem cùm iampridem in ſcholis noſtris indicaſſem, animaduerti poſtea à ſimiolis quibuſdam quaſi pro ſua editam & diuulgatam fuiſſe. Eam autem locus hic Orat. pro domo, perſpicue confirmat: Credo enim, quanquam in illa adoptione legitime factum eſt nihil, tamen te eſſe interrogatum, auctórne eſſes, vt in te P. Fonteius vitæ necíſque poteſtatem haberet, vt in filio.

Aſſerendi in libertatem.

HVNC EGO hominem ex iure Quiritium liberali aſſero cauſſa manu. Terentius Adeph. Plautus Pœnulo, & Curcul. Donat. in Ter. vide, Liberali cauſſa.

Belli indicendi.

Legatus vbi ad fines eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen eſt) AVDI IVPITER, inquit, audite fines (cuiuſcunque gentis ſunt, nominat) audiat fas. ego ſum publicus nuncius populi Romani: iuſtè piéque legatus venio: verbíſque meis fides ſit. Peragit deinde poſtulata, inde Iouem teſtem facit: SI EGO iniuſtè, impiéque illos homines, illáſque res dedier populo Romano, mihíque expoſco, tum patriæ compotem me nunquam ſinas eſſe. Hæc, cùm fines ſupra ſcandit, hæc quicunque ei primus vir obuius

obuius fuerit, hæc portam ingrediens, hæc forum ingreſſus, paucis verbis carminis, concipiendique iuriſiurandi mutatis, peragit. ſi non deduntur quos expoſcit, diebus tribus & triginta (tot enim ſollemnes ſunt) peractis, bellum ita indicit. AVDI IVPITER, & tu Iuno, Quirine, diſque omnes cæleſtes, vóſque terreſtres, vóſque inferni audite. Ego vos teſtor, (populum illum, quicunque eſt, nominat) iniuſtum eſſe, neque ius perſoluere, ſed de iſtis rebus in patria maiores natu cõſulemus, quo pacto ius noſtrum adipiſcamur. Cùm is nuncius Romam ad conſulendum redit, confeſtim rex his fermè verbis patres conſulebat: QVARVM rerum, litium, cauſſarum condixit Pater patratus populi Romani Quiritium, Patri patrato priſcorum Latinorum, hominibúſque priſcis Latinis, quas res nec dederunt, nec ſoluerunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, ſolui oportuit: dic (inquit ei, quem primum ſententiam rogabat) quid cenſes? Tum ille: PVRO pióque duello quærendas cenſeo, itaque conſentio, conſciſcóque. Inde ordine alij rogabantur: quādóque pars maior eorum qui aderant, in eandem ſentētiam ibat, bellum erat conſenſu fieri ſolitum: vt fecialis haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum ferret, & non minus tribus puberibus præſentibus diceret, QVOD POPVLI priſcorum Latinorum, hominéſque priſci Latini aduerſus populum Ro. Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod populus Rom. Quiritium bellum cum priſcis Latinis iuſſit eſſe, ſenatúſque populi R. Quiritium cenſuit, conſenſit, conſciuit, vt bellum cum priſcis Latinis fieret: ob eam rem ego, populúſque Rom. populis priſcorum Latinorum, hominibúſque priſcis Latinis bellum indico, facióque. Id vbi dixiſſet, haſtam in fines eorum emittebat. Ex Liuij libro j.

Belli indicendi.

QVOD POPVLVS Hermundulus, hominéſque populi Hermunduli, aduerſus populum Romanum bellum fecere, deliqueréque: quódque populus Romanus cũ populo Hermundulo, hominibúſque Hermundulis bellum iuſſit: ob eam rem ego populúſque Romanus populo Hermundulo, hominibúſque Hermundulis bellum indico, facióque. Ex Gellij lib. 16. c. 4.

Carminis Sibyllini.

QVANDOCVNQVE hoſtis alienigena terræ Italiæ bellum intuliſſet, eum pelli Italia vincique poſſe, ſi mater Idæa Peſſinunte Romam aduecta eſſet. Ex Liuij lib. 29.

Carminis in ducendis nuptis.

O Hymen Hymenææ Hymen, Hymen ô Hymenææ.
Hymen ô Hymenææ, Hymen ades, ô Hymenææ.

Catullus duobus locis, Seruius Æneid. j. Plautus in Caſina.

Cautionis de dolo malo.

VT NE propter te fidémve tuã captus, fraudatúſve ſim. Cice. lib. De offic. 3.

Ceſſionis in iure.

In iure ceſſio fit hoc modo. Apud Magiſtratum populi Romani, vel apud Prætorem, vel apud Præſidem prouinciæ, is cui res in iure ceditur, rem tenens ita vindicat: HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. Deinde poſtea quã hic vindicauerit, Prætor interrogat eum, qui cedit, an contrà vindicet: quo negante aut tacente, tunc ei qui vindicauerit eum addicit. ídque Legis actio vocabatur. Boëtius in Top. Cicer. ex 2. comment. Caij.

Cinguli à Traiano Imp. præfecto præt. dati.

ACCIPITO hunc enſem, vt ſiquidem rectè, atque è Repub. imperauero, pro me: ſin ſecus, in me vtaris.

Coëmptionis in matrimonio.

Vir in coëmptione ſic ſtipulabatur: VISNE MVLIER mihi materfamiliàs eſſe? illa reſpõdebat, VOLO. item mulier interrogabat, VISNE VIR mihi paterfamiliàs eſſe? ille reſpondebat, VOLO. itaque mulier viri conueniebat in manum; & vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem. Hæc Boëtius in Topic. ex Vlp. Inſt.

Coëmptionis.

VBI TV Caius, & ego Caia. Plutarch. in Problem. & Cicero pro Muræn.

Commeatus.

SI QVIS veſtrum ſuos inuiſere vult, commeatum do: primo vere adſitis, edico. Liuius lib. 30.

Conlucandi luci.

Lucrum conlucare Romano more ſic oportet: Porco piaculo facito. Sic verba concipito: SI DEVS, ſi dea es, cuius illud ſacrum eſt, vti tibi ius ſiet porco piaculo facere, illiuſce ſacri coërcendi ergo. Harúmque rerum ergo, ſiue ego, ſiue quis iuſſu meo fecerit, vti id rectè factum ſiet. Eius rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, vti ſies volens propitius mihi, domo, familiæque meæ, liberiſque meis. Harúmce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando eſto. Ex Catone De re ruſt. c. 139.

Conteſtandæ litis.

CONTESTARI litem dicuntur duo, aut plures aduerſarii: quòd ordinato iudicio vtraque pars dicere ſolet, TESTES ESTOTE. Feſtus lib. 3.

Cretionis in hæreditatibus.

Cretio eſt certorum dierum ſpacium, quod datur inſtituto hæredi ad deliberandum, vtrum expediat ei adire hæreditatem, nécne: velut, TITIVS HÆRES eſto, cernitóque in diebus centum proximis, quibus ſcieris, poteriſque: niſi ita creueris, exhæres eſto. Cernere, eſt verba cretionis dicere, ad hunc modum: CVM ME Mæuius hæredem inſtituerit, eam hæreditatem adeo, cernóque. Ex Vlpiani Inſtit. c. 22.

Decreti Trib. pl.

QVOD P. SCIPIO Africanus poſtulauit pro L. Scipione Aſiatico fratre, cùm contra leges, contráque morẽ maiorum Tribun. plebis hominibus accitis per vim inauſpicatò ſententiam de eo tulerit, mulctámque nullo exemplo irrogauerit, prædéſque eum ob eam rẽ dare cogat; aut ſi nõ det, in vincula duci iubeat: vt eum à collegæ vi prohibeamus, & quòd contrà collega poſtulauit, ne ſibi intercedamus, quò minus ſuapte poteſtate vti liceat: de ea re noſtrum ſentētia omnium data eſt: Si L. Cornelius Scipio Aſiaticus, collegæ arbitratu prædes dabit collegæ, ne eum in vincula ducat intercedemus: ſi eius arbitratu prædes non dabit, quo minus collega ſua poteſtate vtatur, nõ intercedemus.

Item.

CVM L. CORNELIVS Scipio Aſiaticus triumphans, hoſtium duces in carcerem coniectauerit, alienum videtur eſſe à dignitate Reipu. in eum locum imperatorem Pop. Rom. duci, in quem locum ab eo coniecti ſunt duces hoſtium. Itaque L. Cornelium Scipionem Aſiaticum à collegæ vi prohibeo. Ex Gell. lib. 7. c. 19.

Dedicationis ſpoliorum & templi, qua Romulus Sabinorum rege interfecto eſt vſus.

IVPITER Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, templúmque iis regionibus, quas modò animo metatus ſum, dedico, ſedem opimis ſpoliis, quæ regibus ducibúſque hoſtium cæſis, me auctorem ſequentes poſteri ferent. Ex Liuij lib. j.

Dedicati ſigni à T. Quintio.

Iupiter, atque diui omnes hoc dederunt, vt T. Quintius dictator opida nouem caperet. Ex Liuij lib. 6.

Deditionis à fecialibus.

Quandoquidem hice homines, iniuſſu populi R. Quiritium fœdus ictum iri ſpoponderunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt: ob eam rem, quo populus R.

ſcelere impio ſit ſolutus, hoſce homines vobis dedo. Ex Liuij lib.9.

Deditionis.

Rex interrogauit, Estisne vos legati oratoréſque miſſi á populo Collatino, vt vos populum Collatinũ dederetis? Sumus. Eſtne populus Collatinus ſua poteſtate? Eſt. Deditisne vos populum Collatinum, vrbẽ, agros, aquam, terminos, delubra, vtenſilia, diuina humanáque omnia in meam populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio. Ex Liuij lib.j.

Deferendi nominis.

Cùm in ius ventum eſſet, dicebat accuſator apud Prætorẽ reo, Aio te Sicvlos spoliasse. ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur, vt victo: ſi negabatur, petebatur à magiſtratu dies inquirendorum ejus criminum, & inſtituebatur accuſatio. Aſconius in Verrin.2.

Deferendi nominis.

Conſul & dies apud illum Prætorem vel Proconſulem L. Titius profeſſus eſt, ſe Mæuiam lege Iulia de adulteriis ream deferre, quòd dicat eam cum C. Seio in ciuitate illa, domo illius, mẽſe illo, Conſulibus illis, adulterium commiſiſſe. Paulus.l.3.D.de accuſat.

Deuotionis vrbium & exercituum.

Dis pater, ſiue Iouis, manes, ſiue quo alio nomine fas eſt nominare, vt omnes illam vrbẽ Carthaginem exercitúmque quem me ſentio dicere, fuga, formidine, terrore cõpleatis, quíque aduerſus legiones, exercitúmque noſtrum arma teláque ferent, vti vos eos exercitus, eos hoſtes, eóſque homines, vrbes, agróſque eorum, & qui in his locis, regionibúſque, agris, vrbibúſque habitant, abducatis lumine ſupero principes exercitúmque hoſtium, vrbes agróſque eorum, quos me ſentio dicere. Vti vos eas vrbes, agróſque, capita, ætatéſque eorum deuotas, cõſecratáſque habeatis, illis legibus, quibus quandoque ſunt maximè hoſtes deuoti, eóſque ego, vicarios pro me fide magiſtratúque meo, & pro pop. Ro. exercitibus, legionibúſque noſtris do, deuoueo: vt me, meámque fidem, imperiúmque, legiones, exercitúmque noſtrum, qui in his rebus gerundis ſunt, bene ſaluos ſinatis eſſe. Si hæc ita faxitis, vt ego ſciam, ſentiam, intelligam: Tunc quiſquis votum hoc faxit, vbi faxit, rectè factum eſt, ouibus atris tribus, Tellus mater, téque Iupiter obteſtor. Ex Macrobij lib.3.c.9.

Deuotionis qua Decius eſt vſus.

Iane, Ivpiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, diui Nouenſiles, dij Indigetes, diui, quorum eſt poteſtas noſtrorum, hoſtiúmque, diíque Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feróque, vti populo Rom. Quiritium vim victoriámque proſperetis, hoſteſque populi Romani Quiritium terrore, formidine, mortéque afficiatis. Sicut verbis nuncupaui, ita pro Repu. Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Rom. Quiritium, legiones, auxiliáque hoſtium mecum diis Manibus, Tellurique deuoueo. Ex Liuij lib.8.

Dimittendæ concionis à Trib. pl.

Si vobis videtvr discedite qvirites. Liuius lib.2.

Dimittendi funeris.

Corona populi tandiu ſtabat, reſpondens fletibus præficæ, id eſt, principi planctuum, quandiu conſumpto cadauere, & collectis cineribus, diceretur nouiſſimum verbum Ilicet: quod ire licet ſignificat. vnde eſt,

—Dixitque nouiſſima verba.

Seruius in lib. Æneid.6.

Dimittendi iudicij.

Actvm est, ilicet. Donatus in Phormion. Sic iudices de conſilio dimittebantur, ſuprema dicta, cùm præco pronunciaſſet, Actvm est, ilicet: id eſt, Ire licet.

Dimittendi iudicij.

Moris fuit veterum, cùm ſatis viſum eſſet fluxiſſe verborum, hanc ſibi neceſſitatem finiendæ orationis imponere, vt dicerent ad vltimum, Dixi: quod etiam ab vtraque parte oratione conſumpta, vt in cõſilium dimitterentur, Prætor ſoleret pronunciare, Dixervnt. Aſconius in II. Verrinam. Cice. tamen Verrina IIII. Præco, inquit, dixiſſe pronunciat.

Dimittendi Senatus.

Nihil vos moramvr p. c. Iul. Capitol. in Ant. Philoſoph.

Dimittendorum manium.

Dicebatur Vale, poſt tumuli peracta ſollemnia. Seruius. Æneid.6. Idem in lib.3. Mortuis etiam dicitur: vt,

—Salue maxime Palla,

Aeternúmque vale.

Item in eod.

—animámque ſepulcro

Condimus, & magna ſupremum uoce ciemus.

hoc eſt, inquit Seruius, Dicimus more ſollẽni, Vale.

Diuortij.

Tvas res tibi habeto. Tuas res tibi agito. Ex l.2. D. de diuortiis.

Donationis cauſſa mortis.

In donationibus quæ mortis cauſſa fiunt, hæc verborum ſollemnitas cuſtoditur, Illum agrum, aut illam domum me malo habere, quàm te: te, quàm hæredem meum. Hæc Anianus Pauli Sent. interpres lib. Sent. II. c.23.

Duumuirorum qui de perduellione iudicent faciendorum.

Dvvmviri perduellionem iudicent: ſi à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato: ſi vincent, caput obnubito: infelici arbori reſte ſuſpendito. verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. Ex Liuij lib.j.

Edicti ædilitij, vide in l.j. & l.38. D. de ædil. edict. & apud Gell. lib.4.c.2.

Edicti Cenſorum de coërcendis Rhetoribus.

Renvnciatvm eſt nobis eſſe homines, qui nouum genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos iuuentus in ludum conueniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos Rhetoras. ibi homines adoleſcentulos dies totos deſidere. Maiores noſtri qui liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellet, inſtituerunt. Hæc noua, quæ præter conſuetudinem, ac morem maiorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis qui eos ludos habent, & iis qui eò venire conſueuerunt, viſum eſt faciundum, vt oſtenderemus noſtram ſententiam, nobis non placere. Ex Gellij lib.15.c.11.

Edicti Prætorij exempla paſſim in Pandectis extant.

Emancipationis.

Eſt autem emancipatio, imaginaria quædam venditio, quod ipſum ius proprium Romanorum eſt. Eáque res ita agitur, adhibitis non minus quàm quinque teſtibus, ciuibus Romanis, puberibus, & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur Libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: Hvnc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio, Iſque mihi emptus eſt hoc ære æneáque libra. Deinde ære percutit libram, ídque æs dat ei, à quo mancipium accipit, quaſi precij loco. Ex Caij lib. Inſtit.j.

Euocationes deorum.

Si Deus, ſi dea es, cui populus, ciuitáſque Carthaginenſis eſt in tutela, téque maximè ille, qui vrbis huius, populíque tutelam recepiſti, precor, veneróroque, veniamque à vobis peto, vt vos populum ciuitatémque Carthaginenſium deſeratis; loca, templa, ſacra, vrbémque eorum relinquatis, abſque his abeatis: eíque populo, ciuitatíque metum, formidinem, obliuionem iniiciatis: proditíque Romam ad me, meóſque veniatis: noſtráque

ſtráque vobis loca, templa, ſacra, vrbs acceptior, probatiórque ſit, mihi quoque, populóque Rom. militibúſque meis præpoſiti ſitis, vt ſciamus intelligamúſque, ſi ita feceritis, voueo vobis templa, ludóſque facturum. Ex Macrobij lib.3.c.9.

Exceptionis.

EXTRA QVAM ſi quid ita factum ſit, vti lege fieri licuit. l.j.§.Labeo. D. de flu. EXTRA QVAM in reum capitis præiudicium fiat.lib.2.De inuent. SI non vi, non clàm, non precariò feceris.l.ſi vitem.D.quod vi aut. SI in ea re nihil dolo malo actoris factum eſt.l.2. D. de dol.except. SI in ea re qua de agitur præiudicium hæreditati nõ fiat.l.j.D.famil.erciſc. SI in ea re nihil metus cauſſa factum eſt.l.4.§.vlt.De dol.except. SI non voluntate creditoris fundus venit.l.ſicut.D. quibus mod.pig. Si non mihi mandatum ſit, vt à debitoribus peterem.l. itaque.48.de procre.act.

Exercitus euocandi.

SI eſſet tumultus, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium: & exinde proferens duo vexilla, vnum roſeum, quo pedites euocabat, alterum cæruleum, quo equites, dicebat: QVI vult ſaluam Rempu. me ſequatur. Seruius in lib. Æneid. VIII. Cicero poſt reditum in Senatu: Quid magnificentius, quid præclarius mihi accidere potuit, quàm quod illo petente vos decreuiſtis, vt cuncti ex omni Italia qui Rempub. ſaluam vellent, ad me vnum hominem fractum & prope diſſipatum reſtituendum & defendendum venirent? vt qua voce ter omnino poſt Romam conditam Conſul vſus eſſet pro vniuerſa Repu. apud eos ſolùm qui eius vocẽ exaudire poſſent. Idem pro C. Rabirio: Fit S.C. vt C. Marius, L. Valerius COSS. operam darent, vt imperium populi R. maieſtáſque conſeruaretur. qui Rempub. ſaluã eſſe vellent, arma capere, & ſe ſequi iubent.

Fideiubendi.

CENTVM QVÆ mihi Caius debet, eadem mihi dare ſpondens? ſpondeo. Stichum aut decem fide tua iubes? iubeo. Quantam pecuniam credidero, fide tua eſſe iubes? iubeo. Mille modios tritici fide tua eſſe iubes? iubeo. Si reus quadraginta non ſoluerit, fide tua eſſe iubes? iubeo. Ex tract. De fideiuſſ. in Pandectis.

Fiduciæ.

VT INTER bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione. Cicero de Offic.3. Epiſt.fam.7.epiſt.12.

Fœderis peragendi.

FECIALIS regem Tullum ita rogauit, Iubéſné me rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? Iubéte rege, Sagmina, inquit, te rex poſco. Rex ait: Pura tollito. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit: poſtea regem ita rogauit: Rex, facíſne me regium nũcium populi Romani Quiritium? Vaſa comitéſque meos? Rex reſpondit: Quod ſine fraude mea, populíque Romani Quiritium fiat, facio. Dein Fecialis patrempatratum facit, qui legibus fœderis recitatis, AVDI, inquit, Iupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus: vt illa palàm prima poſtrema ex illis tabulis ceráve recitata ſunt ſine dolo malo, vtique ea hic hodie rectiſſimè intellecta ſunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. ſi prior defecerit, publico conſilio, dolo malo, tum Dieſpiter populum R. ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam: tantóque magis ferito, quanto magis potes polléſque. Quod vbi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit. Ex Liuij lib.j.

Fœderis cum Antiocho rege.

AMICITIA REGI Antiocho cum populo Romano his legibus & conditionibus eſto. Ne quem exercitum qui cum populo Romano ſociiſque bellum geſturus erit, Rex per fines regni ſui eorúmve qui ſub ditione eius erunt, tranſire ſinito: neu commeatu, neu qua alia ope iuuato. idem Romani ſociíque Antiocho, & iis qui ſub imperio eius erunt, præſtent. Belli gerendi ius Antiocho ne eſto, cum iis qui inſulas colunt, néve in Europam tranſeundi. Excedito vrbibus, agris, vicis, caſtellis cis Taurinum mõtem vſque ad Tanaim amnem, & à valle Tauri, vſque ad iuga quà in Lycaoniã vergit. ne qua arma efferto ex iis opidis, agris, caſtelliſque, quibus excedat. ſi qua extulit, quæ quoq; oportebit, rectè reſtituito. ne militem, neu quem alium ex regno Eumenis recipito. Si qui earum vrbium ciues, quæ regno abſcedunt, cum rege Antiocho, intráque fines eius regni ſunt, Apameam omnes ante diem certam redeant. Qui ex regno Antiochi apud Romanos ſocióſque ſunt, iis ius abeundi manendíque eſto. Seruos, ſeu fugitiuos, ſeu bello captos, ſeu qui liber captus aut transfuga erit, reddito Romanis ſociiſque. Elephantos tradito omnes, neque alios parato. Tradito & naues longas, armamentáque earum: néve plures quàm decem naues actuarias, nulla quarũ plus quàm XXX. remis agatur, habeto: néve monerem ex belli cauſſa, quod ipſe illaturus erit: néve nauigato citra Calycandarum, néve Sarpedonem, promontoria: extrà quàm ſi qua nauis pecuniam, ſtipendium, aut legatos, aut obſides portabit. Milites mercede conducendi ex iis gentibus, quæ ſub ditione populi Romani ſunt, Antiocho regi ius ne eſto: ne voluntarios quidem recipiendi. Rhodiorum ſociorúmve quæ ædes ædificiáque intra fines regni Antiochi ſunt, quo iure ante bellum fuerunt, eo Rhodiorum ſociorúmve ſunto. Si quæ pecuniæ debentur, earum exactio eſto. Si quid ablatum eſt, id conquirendi, cognoſcendi, repetendíque ius itẽ eſto. Si quas vrbes, quas tradi oportet, ij tenent, quibus Antiochus dedit, ex iis præſidia deducito: vtique rectè tradantur, curato. Argenti probi Attica talenta XII. milia dato intra XII. annos penſionibus æquis. talentum ne minus pondo LXXX. Romanis ponderibus pendat: & tritici DXL. millia modium. Eumeni regi talẽta CCCL. intra quinquennium dato: & pro frumento, quod æſtimatione fiat, talenta CXXVII. Obſides Rom. XX. dato, & triennio mutato, néve minores octonum denum annorum, neu maiores quinum quadragenum. Si qui ſociorum populi Romani vltrò bellum inferent Antiocho, vim vi arcendi ius eſto: dum ne quam vrbem aut belli iure teneat, aut in amicitiam accipiat. cõtrouerſias inter ſe iure ac iudicio diſceptẽt, aut ſi vtriſque placebit, bello. ex Liuij lib.38.

Hæredis inſtituendi.

Hæres inſtitui rectè poteſt his verbis. TITIVS hæres, Titius hæres ſit, Titium hæredẽ eſſe iubeo. Illa autem inſtitutio, Hæredem inſtituo, Hæredem facio, pleriſque improbata eſt. Ex Vlpian. Inſtitu.c.21.

Hæredis inſtituendi ac ſubſtituendi.

Hæredes ſcripti ſunt, velut, TITIVS hæres eſto, cernitóque in diebus proximis centum, quibus ſcieris poteriſque: niſi ita creueris, exhæres eſto: tunc Mæuius hæres eſto, cernitóque in diebus, & reliqua. Similiter & deinceps ſubſtitui poteſt. Ex Vlpiani Inſt.c.22.

Indicendi compitalia.

DIE NONI POST Kal. Ian. Quiritibus compitalia erunt. Ex Macrobij lib.j.c.4. & Gell.lib.10.c.24.

Inlicij vocandi.

QVOD BONVM, fortunatum, felixque ſalutaréque ſiet populo R. Quiritium reíquepublicæ populi R. Quiritium, mihíque, collegæque meo, fidei, magiſtratuique noſtro. omnes Quirites, pedites, armatos, priuatóſque, curatores omnium tribuum, ſi quis pro ſe, ſiue pro altero dari rationem volet, voca inlicium huc ad me. Ex Varr. lib. De ling.5. Liu. lib.40.

Interceſſionis Tribunitiæ.

VETO. Liuius lib.6.

Interdicti de bonis prodigi.

QVANDO TV BONA PATERNA auitáque nequitia tua diſperdis, liberóſque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercióque interdico. Ex Paul. Sent. lib. 3. tit. 5. Locum autem ſic correximus, cùm antea legeretur, HABITA QVÆ. Noſtræ correctionis teſtes ſunt ante biennium clariſſimi viri Boni facilius Amerbachius, Paulus Manutius: ad quos de communibus ſtudiis, vt fit, ſcribens, ea de re mentionem inieci. Interfuit etiam correctioni Iacobus Calonius, adoleſcens eruditiſſ. & mihi amiciſſimus. Pòſt eadem Iuriſconſulto doctiſſimo Iac. Cuiacio in mentem venit. hoc tamen teſtari nunc operæprecium putaui, & ſimul conſiderandum, an pro EA RE, legendum potius eſſet ÆRE, COMMERCIOQVE. vt intelligatur, ei omni negotio quod per æs & libram gerebatur, interdictum eſſe. Aliorum Interdictorū Prætoris, exempla in Pandectis obuia ſunt omnibus: lib. Pandect. XLIII.

Interrogationis, qua Cenſores in ſollemni Iureiurando de vxoribus vtebantur.

ET TV EX ANIMI TVI SENTENTIA vxorem habes? Ex Gellij lib. 4. c. 20. & lib. De orat. 2.

Iudicandi.

Vide poſterius, ſub formula SENTENTIÆ ferendæ.

Iudicis dandi.

L. OCTAVIVS IVDEX ESTO. Si apparet fundum Capenatem quo de agitur ex iure Quiritum, P. Seruilij eſſe, neque is fundus reſtituatur. Ex Verr. 4.

Iudicij recuperatorij.

SI PATERET EAM SE ET SVA Veneris eſſe dixiſſe. Cicero in Diuinat. Si pateret iugera eiuſmodi fundi eſſe plura, quàm colonus eſſet profeſſus, tum Xeno damnaretur. Si pateret aduerſus edictum feciſſe. Ex Verrina. 5.

Si pateret H-S IↃↃↃ, dari oportere. Ex Orat. pro Q. Roſcio.

Si apparet eum dare oportere. Ex §. ſic itaque, De actionibus.

Iudicij T. Manlij in filium.

QVANDOQVIDEM TV M. Manli neque imperium conſulare, neque maieſtatē patriam veritus, aduerſus edictum noſtrum, extra ordinem in hoſtem pugnaſti, & quantum in te fuit, diſciplinam militarem, qua ſtetit ad hanc diem Romana res, ſoluiſti: méque in eam neceſſitatem adduxiſti, vt aut Reipublic. mihi, aut mei, meorúmque obliuiſcendum ſit, nos potius noſtro delicto plectemur, quàm Reſpu. tanto ſuo damno noſtra peccata luat. triſte exemplum, ſed in poſterum ſalubre iuuentuti erimus. me quidem cùm ingenita caritas liberûm, tum ſpecimen iſtud virtutis, deceptum vana imagine decoris, in te mouet: ſed cùm aut morte tua ſancienda ſint Conſulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda: nec te quidem, ſi quid in te noſtri ſanguinis eſt, recuſare cenſeam, quin diſciplinam militarem, culpa tua prolapſam, pœna reſtituas. I, lictor, deliga ad palum. Ex Liuij lib. 8.

Iudiciorum bonæ fidei.

QVANTVM EX BONA fide illum dare facere oportet. Cicero Offic. lib. III. in Topic.

Iuriſiurandi.

Maiorum diligentia hæc fuit. Primùm iurare EX ANIMI SVI SENTENTIA, quenque voluerunt: deinde ita teneri, SI SCIENS FALLERET: quòd inſcitia multa verſaretur in vita, Cicero libro Academ. II. Idē lib. De offic. III. Non enim falſum iurare, peierare eſt: ſed quod EX ANIMI TVI SENTENTIA iuraueris, ſicut verbis cōcipitur more noſtro, id non facere, periurium eſt. Liuius lib. 32. Ex animi mei ſententia iuro, vt ego Remp. non deſeram, neque alium ciuem deſerere patiar. Idem lib. 43. Ex tui animi ſentētia ex edicto C. Claudij, Ti. Sempronij Cenſorum in prouinciam Macedoniam redibis, quod ſine dolo malo facere poteris?

Iuriſiurandi à P. Scipione concepti.

EX MEI ANIMI SENTENTIA iuro, vt ego Remp. non deſeram, neque alium ciuem Romanum deſerere patiar. ſi ſciens fallo, tum me Iupiter Opt. Max. domū, familiam, rémque meam peſſimo leto afficias. Ex Liuij libr. 22.

Iuriſiurandi, à L. Bruto ob Lucretiam præſtiti.

PER HVNC caſtiſſimum ante regiam iniuriam ſanguinem iuro, vóſque dij teſtes facio, me L. Tarquinium Superbum cum ſcelerata coniuge & omni liberorum ſtirpe, ferro, igni, quacunque dehinc vi poſſim, exacturum: nec illos, nec alium quenquam regnare Romæ paſſurum. Ex Liuij lib. 1.

Iuriſiurandi per Iouem lapidem.

SI SCIENS FALLO, tum me dieſpiter ſalua vrbe, arcéque bonis eiiciat, vt ego hunc lapidem. Feſtus libr. 10. Plaut. Aulularia. Cicero. Epiſt. famil. 7. Plutarchus in Sylla. Polybius autem libr. Hiſt. 3. rem ſic explicat, ῥωμάιοι δὲ διὰ λίθου ὀμνύειν κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος, ἐπὶ δὲ τούτῳ τὸν ἄρην καὶ τὸν ἐνυάλιον. ἔστι δὲ τὸ διὰ λίθου, τοιοῦτον· λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὁ ποιούμενος τὰ ὅρκια περὶ τῶν συνθηκῶν, ἐπειδὰν ὀμόσῃ δημοσίᾳ πίστει, λέγει τάδε, εὐορκοῦντι μὲν ποιεῖντ' ἀγαθά, εἰ δ' ἄλλως διανοηθείην τι ἢ πράξαιμι, πάντων τῶν ἄλλων σωζομένων ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσιν, ἐν τοῖς ἰδίοις νόμοις, ἐπὶ τῶν ἰδίων βίων ἱερῶν, τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπέσοιμι οὕτως ὡς ὅδε λίθος νῦν. καὶ ταῦτα εἰπὼν ῥίπτει τὸν λίθον ἐκ τῆς χειρός.

Iuriſiurandi militaris.

IN MAGISTRATV C. Lælij, C. F. Coſſ. L. ve Cornelij P. F. Coſſ. in exercitu, decémque millia paſſuum propè, furtum non facies dolo malo, ſolus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies ſingulos. Extra haſtam, haſtile, ligna, pabulum, vtrem, follem, faculam, ſi quid ibi inueneris ſuſtuleríſve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argenti erit: vti tu, ad C. Lælium, C. F. COSS. L. ve Cornelium P. F. COSS. ſiue ad quem eorum iuſſerit, proferas, aut profiteberе in triduo proximo, quicquid inueneris, ſuſtuleríſve dolo malo, aut domino ſuo, cuium id cenſebis eſſe, reddes, vti quod rectè factum eſſe voles. Deinde ita concipiebatur iuſiurandum, vt adeſſent, his additis exceptionibus, niſi harunce aliqua cauſſa erit: Funus familiare: feriæ vindemiales: calendæque quæ non eius rei cauſſa in eum diem collatæ ſint, quo is eo die minus ibi eſſet: morbus ſonticus, auſpiciúmve, quod ſine piaculo præterire non liceat, ſacrificiúmve anniuerſarium, quod rectè fieri non poſſet, niſi ipſius eo die ibi ſit, ius, hoſtíſve, ſtatus, condictúſve dies cum hoſte: ſi cui eorum harunce quæ cauſſa erit, tum ſe poſtridie quàm per eas cauſſas licebit eo die vēturum, aditurúmque eum, qui eum pagum, vicum, opidúmve delegerit. Ex Gell. lib. 16. c. 4.

Legis ferendæ.

VELITIS iubeatis Quirites, &c. Ex Cicer. Orat. pro Domo.

QVICVNQVE poſt hanc legem: Ex Oratione pro Poſthumo, & l. 1. D. ad leg. Falcid.

CONSVL (vel Prætor, vel qui populum rogarat) Populū iure rogauit, populúſque iure ſciuit.

SI QVID ius non fuit rogari, eius ea lege nihilum rogatum. Ex Philip. 1. Valerio Probo, Feſto Pomp. Orat. pro domo, pro Cæcina, lib. Epiſt. ad Att. 3.

SI QVID contra alias leges, huius legis ergo latum ſit, ei qui in hanc legem rogaſſit, impunè eſto. Cicer. libr. 3. ad Attic.

Legis iubendæ, vel antiquandæ.

VTI ROGAS; vel ANTIQVO. moris erat vt populo

in eo

in comitiis legum duæ tabellæ darentur, quarum in altera V.R. in altera A. ſcriptum erat. patet ex Cic. lib. de leg. 2. epiſt. ad Att. 1. Liuio, & aliis.

Legis ſanciendæ.

Ne per ſaturam abrogari, derogarive ius eſto. Feſtus.

Iuſſu mandatúque legis militaris.

P. R.

Cos. imp. trib. Miles, Tiro, Commilito armate, quiſquis es, manipularieve Centurio, turmáve Legionarie hic ſiſtito, vexillum ſinito, arma deponito, nec citra hunc amnem Rubiconem ſigna, ductum exercitum, commeatumque traducito. Siquis huiuſce iuſſionis ergo aduerſus præcepta ierit feceritve, adiudicatus eſto hoſtis P.R. ac ſi contra patriam arma tulerit, penatéſque è ſacris penetralibus aſportauerit. S.P.Q.R.

Santio plebiſciti, S.ve Conſulti, Vltra hos fines arma ac ſigna proferre liceat nemini. Ex Epigram. Romanis.

Legati teſtamentarij.

Legamus quatuor modis: per vindicationem, per damnationem, ſinendi modo, per præceptionem. Per vindicationem, his verbis legamus: Do, lego, capito, ſumito, ſiue habeto. Per damnationē his verbis: Hæres meus damnas eſto dare, dato, facito, hæredem meum dare iubeo. Sinendi modo ita: Hæres meus damnas eſto ſinere, Lucium Titium ſumere illam rem, ſibique habere. Per præceptionem ſic: Lvcivs Titius illam rem præcipito. Ex Vlpiani Inſtit. cap. 24.

Libandi diis vini.

Mactvs hoc vino inferio eſto. Arnob. lib. contr. gent. VII. vide infra, Sacrificij porcæ.

Literarum ad Impp. ad Senatum incolumi exercitu mittendarum.

Si vos, & liberi veſtri valetis, bene eſt: ego & exercitus valemus. Dio Caſſ. in Adriano, & Cicero in Epiſt. perſæpe: aliique complures.

Luſtrandi agri.

Mars pater te precor, quæſoque vti ſies volens propitius mihi, domo, familiæque noſtræ, quo ius rei ergo agrum, terram, fundumque meum ſuouitaurilia circumagi iuſſi. vti tu morbos viſos, inuiſóſque, viduertatem, vaſtitudinémque, calamitates, intemperiáſque prohibeſſis, defendas, auerruncéſque. vtique tu fruges, frumenta, vineta, virgultáque grandine, benéque euenire ſinas. paſtores, pecuáq; ſalua ſeruaſſis, duiſque bonam ſalutem valetudinémq; mihi domo, familiæque noſtræ. Harunce rerum ergo, fundi, terræ agrique mei luſtrandi, luſtriq; faciendi ergo ſicuti dixi macte hiſce ſuouitaurilibus lactentibus immolandis eſto. Mars pater eiuſdem rei ergo, macte hiſce ſuouitaurilibus lactentibus eſto. Item cultro facito ſtruem, & ferrum vti adſiet. Inde obmoueto. Vbi porcum immolabis, agnum vitulumque, ſic oportet. Eiúſque rei ergo macte hiſce ſuouitaurilibus immolādis eſto. nominare vetat Martem, neque agnum, vitulumque. Si minus in omnes litabit, ſic verba concipito: Mars pater, ſi quid tibi milliſce ſuouitaurilibus lactentibus, neq; ſatisfactom eſt, te hiſce ſuouitaurilibus piaculo, Si vno, duobúſque dubitauerit, ſic verba concipito: Mars pater, quod tibi illuc porco neque ſatisfactum eſt, te hoc porco piaculo. Ex Catone De re ruſt. ca. 141.

Mancipij facienda.

Vide Nexus faciendi formulam.

Manumittendi ſerui.

Manumitti ſeruus dicebatur, cùm dominus aut caput eius ſerui, aut aliud membrum tenens dicebat, Hvnc hominem liberum eſſe volo: & emittebat eum è manu. Ex Feſti libro II. Extat etiam in Bibliotheca regia fragmentum indicis Latinogræci, in quo ſcriptum ita eſt: Βινδίκτα ἡ ῥάβδος, μεθ' ἧς ὁ ἄρχων ἢ ὁ πραίτωρ τῶν ἐλευθερυμένων κεφαλῶν ἔπαιεν, φάσκοντες: ΦΑΜΕΝ ΤΟΝ ΠΑΡΟΝΤΑ ΑΝΘΡΩΠΟΝ ΕΙΝΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ, ΚΑΙ ΠΟΛΙΤΗΝ ΡΩΜΑΙΟΝ.

Matrimonij teſtificandi.

Cos. Avg. Pub. Claud. Quæſ. ær. Antoninam Volumniam virginem, volent. auſpi. è parent. ſuis coemit, e. IIII. fac. in do. dux. id eſt, Conſule Auguſto, P. Claudius Quæſtor ærarij Antoninam Volumniam virginem volentem, auſpicatò, è parentibus ſuis coemit, & quatuor faſcibus in domū duxit. Ex lapide Patauino.

Miſſionis ignominioſæ.

C. Auiene, quòd in Italia milites populi Roman. contra Rempubl. inſtigaſti, rapináſque per municipia feciſti, quódque mihi, Reique publicæ inutilis fuiſti, & pro militibus tuam familiam, iumentáque in naues impoſuiſti, tuáque opera militibúſque tempore neceſſario Reſpublic. caret, ob eas res ignominiæ cauſſa ab exercitu meo te remoueo: hodiéque ex Africa abeſſe, & quantum potes, proficiſci iubeo. itémque te A. Fontei, quòd Tribunus militum ſeditioſus, malúſque ciuis fuiſti, ab exercitu dimitto. T. Alliene, M. Tiro, C. Cluſiane, cùm ordines in meo exercitui, beneficio non virtute conſecuti, ita vos geſſeritis, vt neque bello fortes, neque pace boni aut vtiles fueritis, & magis in ſeditione concitandíſque militibus, aduerſariorum noſtrorum Imperatoris, quam pudoris modeſtiæque fueritis ſtudioſiores, indignos vos eſſe arbitror, qui in meo exercitu ordines ducatis: miſſóſq; facio, & quantum poteſtis, abeſſe ex Africa iubeo. Ex Hirtio.

Mulctæ in iudicio.

M. Terentio, quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei vnam ouem mulctam dico. Gell. lib. II. cap. I.

Nexus faciendi.

Mancipatio eſt imaginaria quædam venditio, quæ ſic agitur. adhibitis non minus quàm quinque teſtibus ciuibus R. puberibus, & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam tenebat, qui appellabatur Libripens. is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: Nvnc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio, íſque mihi emptus eſt hoc ære, æneáque libra. Deinde ære percutit libram. idq; æs dat ei à quo mancipium accipit, quaſi precij loco. Boëtius in Topic. ex lib. j. Inſtitut. Caij.

Ominis nuptialis.

Talasio. Liuius libr. j. Vnam longè ante alias ſpecie inſignem à globo Talaſij cuiuſdam raptam ferunt: multíſque ſciſcitantibus, cuínam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Talasio ferri clamitatum: inde nuptialem hanc vocem factam. Idem Seruius in lib. Æneid. I.

Oraculi Delphici.

Romane, aquam Albanam caue lacu contineri, caue in mare manare ſuo flumine ſinas. emiſſam per agros rigabis, diſſipatámque riuis extingues. tum tu inſiſte audax hoſtium muris, memor, quam per tot annos obſides Vrbem, ex ea tibi his quæ nunc panduntur, fatis victoriā datam. bello perfecto donum amplum victor ad mea templa portato: ſacráque patria, quorum omiſſa cura eſt, inſtaurata, vt aſſolet, facito. Ex Liuij libro quinto.

Oraculi Delphici.

Tvm, si faxitis Romani, veſtræ res meliores felicioréſque erunt: magis ex ſententia Reſpu. veſtra vobis procedet: victeriaque duelli, populi Roman. erit. Pythio Apollini, Repub. veſtra bene geſta ſeruatáque, lucris meritis donum mittitote, deque præda, manubiis, ſpoliiſque honorem habetote. Ex Liuij lib. 23.

Pactionis ob pacem cum Ætolis.

Imperivm maieſtatémque populi Rom. gens Ætolo-

rum conſeruato ſine dolo malo. ne quem exercitum, qui aduerſus ſocios amicóſque eorum ducetur, per fines ſuos tranſire finito, néve vlla ope iuuato. hoſtes eoſdem habeto, quos populus R. armáque in eos ferto, bellúmq; pariter gerito, perfugas, fugitiuos, captiuóſque reddito Romanis ſociiſque: præterquam ſi qui capti, cùm domos rediſſent, iterum capti ſunt: aut ſi qui eo tempore ex iis capti ſunt, qui tum hoſtes erant Romanis, cùm inter præſidia Romana Ætoli eſſent. aliorum qui comparebunt, intra dies centum Corcyræorum magiſtratibus ſine dolo malo tradantur. qui non comparebunt, quando quiſque eorum primum inuentus fuerit, reddatur. Obſides XL. arbitratu Conſulis Romanis dato, ne minores XII. annorum, neu maiores XL. Obſes ne eſto Prætor, præfectus equitum, ſcriba publicus, neu quis qui ante obſes fuerit apud Romanos. Cephalenia extra pacis leges eſto. Ex Liuij libr. 38.

Precationis ob bellum Macedonicum.

QVAM rem Senatus populúſque R. de Rep. déque ineundo nouo bello in animo haberet, ea res vti populo Rom. ſociiſque ac nomini Latino bene ac feliciter eueniret: ſecundum rem diuinam, precationémque, vt de Repub. déque prouinciis ſenatum conſulerent. Ex Liuij lib. 31.

Precationis P. Scipionis.

DIVI Diuæque, inquit, qui maria terráſque colitis, vos precor quæſoque quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, póſtque gerentur, ea mihi, populo plebíque Romanæ, ſociis nominíque Latino, qui populi Romani, quíque meam ſectam, imperium, auſpiciúmque terra, mari, amnibuſque ſequuntur, bene vertant: eáque vos omnia bene iuuetis: bonis auctibus auxitis: ſaluos incolumeſque victis perduellibus victores ſpoliis decoratos, triumphantéſque mecum domos reduces ſiſtatis: inimicorum hoſtiúmque vlciſcendorum copiam faxitis: quæque populus Carthaginenſis in ciuitatem noſtram facere molitus eſt, ea vt mihi populóque Romano in ciuitatem Carthaginenſium exempla edendi facultatem detis. Ex Liuij lib. 29.

Precationis qua in principio pompæ Romani Imperatores triumphantes, in Vaticano vtebantur.

DII, NVTV, & imperio quorum nata & aucta eſt res Romana, eandem placati, propitiatique ſeruate.

In fine verò in Capitolium aſcendentes, hæc.

GRATIAS tibi Iupiter optume maxume, tibíque Iunoni reginæ, & cæteris huius cuſtodibus, habitatoribúſque arcis Dij lubens lętúſque ago, re Romana in hanc diem & horam per manus, quod voluiſtis, meas ſeruata, bene geſtáque eandem & ſeruate, vt facitis, fouete, protegite propitiati, ſupplex oro. Ex Macrob. Saturnaliorum lib. 1.

Precationis Herſiliæ.

NERIA Martis, te obſecro pacem dare, vt liceat nuptiis propriis & proſperis vti. quod de tui coniugis conſilio contigit, vti nos itidem integras raperent, vnde liberos ſibi & ſuis poſteris patriæ pararent. Ex Gellij lib. 13. cap. 21.

Precationis Conſularis, in Conſule renunciando.

QVOD bonum, fauſtum, felix fortunatúmque ſit, mihi magiſtratuíque meo, populo plebíque Romanæ L. Licinium C O S. renuncio. Cic. pro Muræna.

Præconij in ſacrificiis.

HOC AGE. Plutarchus in Numa, & Coriolano. FAVETE linguis. Cic. 1. & 2. de Diuinat. Plin. lib. 28. cap. 2.

Præfandi omnibus in rebus.

Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatúmque ſit. Cicc. lib. de Diuinat. 1.

Poſthumos nepotes inſtituendi.

FILIVS MEVS hæres eſto. ſi filius meus me viuo moriatur, tunc ſi quis mihi ex eo nepos ſiue quæ neptis poſt mortem meam in decem menſibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus nata erit, hæredes ſunto. Scæuola ex C. Aquilio, l. Gallus, 29. De liber. & poſthum.

Regis ab Interrege rogandi.

QVOD BONVM, felixque ſit, Quirites regem create. ita patribus viſum eſt. patres deinde, ſi dignum, qui ſecundus ab Romulo numeretur, crearitis, auctores fient. Ex Liuij lib. 1.

Regis inaugurandi.

IVPITER PATER, ſi eſt fas hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, regem Romæ eſſe, vti tua ſigna nobis certa acclaraſſint inter eos fines, quos feci. Ex Liuij lib. 1.

Relegandi.

ILLVM PROVINCIA illa, inſuliſque eis relego: excedereque debebit intra illum diem. Ex Vlpiano in l. 7. §. his qui. D. de interd. & releg.

Renunciandi Conſulis deſignati ab ipſo Cos.

Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatúmque ſit, mihi magiſtratuíque meo, populo plebíque Romanæ, N. N. Conſulem renuntio. Ex Cicerone in Orat. pro Muræn.

Replicationis.

AVT SI mihi mandatum eſt, vt à te peterem, l. itaque. 48. De procurat.

AVT SI res iudicata non ſit. l. 24. De except. rei iudic.

AVT SI damnatione interpoſita ſecundum decretum vendiderit. l. conſilio. 7. D. de curat. fur.

Repudij.

CONDITIONE tua non vtor, ex l. 11. D. de diuort. & rep.

Rogandi iudicis.

ITAQVE præclarum à maioribus accepimus morem rogandi iudicis, ſi eum teneremus: QVÆ SALVA FIDE facere poſſit. Hæc rogatio ad ea pertinet, &c. Cic. lib. de Offic. III.

Rogationis Attiliæ.

OMNES CAMPANI, Atelani, Calatini, Sabatini, qui ſe dediderunt in arbitrium ditionémq; populi Romani Fuluio Proconſuli, quæque vna ſecum dediderunt, agrum vrbémque, diuina humanáque, vtenſiliáque, ſiue quid aliud dediderunt, de his rebus quid fieri velitis, vos rogo Quirites. Plebs ſic iuſſit: Quod Senatus maxima pars cenſeat, qui aſſidetis, id volumus iubemúſque. Ex Liuij libro 26.

Rogationis de Tribunitio magiſtratu.

SI TRIBVNOS PLEBIS DECEM rogabo, ſi quos minus hodie decem tribunos plebis fecerint: hi tum, quos ſibi collegas cooptaſſint, ita illi legitimi eadem lege Tribuni plebei ſint, vt illi quos hodie Tribunos plebei feceritis. Ex Liuij lib. 3.

Salutationis matutinæ:

AVE. Verſpertinæ:

SALVE. Dio Caſſius in Adriano.

Salutationis patris Patriæ.

QVOD BONVM, fauſtúmque ſit tibi, domuíque tuæ Cæſar Auguſte, Senatus te conſentiens cum populo Rom. conſalutat Patriæ patrem. Ea Valerius Meſſala vſus traditur à Sueton. in Auguſto.

Salutationis in epiſtolis.

Seneca libro epiſt. 11. epiſt. 15. Mos antiquis fuit, vſque ad meam ſenatus ætatem, primis epiſtolæ verbis adiicere, Si vales, bene eſt: ego valeo. Rectè & nos dicimus, Si philoſopharis, bene eſt, &c.

Salutationis in Epiſtolis Impp. re bene geſta.

Si vos liberíque veſtri valetis, bene eſt. Ego quidem & exercitus, valemus. Xiphilinus in Adriano, & in epiſt. Cicer. paſſim.

Sacrificij

Sacrificij porcæ præcidaneæ ante meſſem.

Priuſquam meſſem facies, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porcam fœminam, priuſquam haſce fruges condantur, far, triticum, ordeum, fabam, ſemen rapicium, thure, vino, Iano, Ioui, Iunoni præfato. Priuſquam porcam fœminam immolabis, Iano ſtruem commoueto ſic: IANE PATER, te hac ſtrue commouenda bonas preces precor, vti ſies volens propitius mihi liberíſque meis, domo familiæque meæ mactus hoc ferčto. Ferčtum Ioui moueto, & mactato ſic: IVPITER TE hoc ferčto ob mouendo bonas præces precor, vti ſies volens propitius mihi liberíſque meis domo familiæque meæ mactus hoc ferčto. Poſtea Iano vinum dato ſic: IANE PATER, vti te ſtrue commouenda bonas preces bene precatus ſum, eiuſdem rei ergo macte vino inferio eſto. Poſtea Ioui ſic: IVPITER MACTE ferčto eſto, macte vino inferio eſto. Poſtea porcam præcidaneam immolato. Vbi exta proiecta erunt, ita Iano ſtruem commoueto, mactatóque item vti prius obmoueras. Ioui ferčtum obmoueto, mactatóque vt prius feceras. Item Iano vinum dato, & Ioui vinum dato, ita vti prius datum fuit ob ſtruem obmouendam, & ferčtum libandum, poſtea Cereri exta & vinum dato. Ex Catone De re ruſt. cap. 134. apud quem tamen MACTVS perpetuo legendum, locus ille ex libro Arnobij contra gentes VII. ſignificare videtur. Operæpretium eſt verba ipſa depromere, quibus cum vinum datur, vti ac ſupplicare conſuetudo eſt. Mactus hoc vino inferio eſto. Inferio, inquit Trebatius, verbum ea cauſſa eſt additum, eáque ratione profertur: ne vinum omne omnino quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex vſibus eripiatur humanis.

S. Conſultorum à plebe comprobandorum.

QVOD SENATVS maxima pars iubeat, qui aſſidetis, id volumus, iubemúſque. Ex Liuij lib. 26.

S. C. quo quid Conſulibus mandatur.

DONATVS in Adelph. Terent. *Facſis Soſtrata.* Sis, inquit, honorificè additur verbo, ne quod imperatiuo modo pronunciatur, ſuperbum ſit: deductum eſt autem à Senatuſconſulti formula, vbi enim aliquid Senatus Conſulib. iniungit, addit: SI EIS VIDEATVR. Hæc ille. Et eſt hoc obſeruatum à Cicerone in illis S.C. quæ in Philippic. legimus. vt Philip. IX. Vtique C. Panſa, A. Hircius COSS. alter, ambóve, ſi eis videbitur, Quæſtoribus vrbanis imperent, &c.

Senatuſconſ. ſcribendi.

QVID DE EA re fieri placeret, de ea re ita cenſuerunt. Cælius in Epiſt. fam. 7. & alibi perſæpe.

Senatuſconſulti ſummi.

VIDEANT CONSVLES ne quid Reſpub. detrimenti accipiat. Salluſt. Catil. Cic. in Catili. Liuius lib. 3. Tantúmque terrorem incuſſere patribus, vt (quæ forma Senatuſconſulti vltimæ ſemper neceſſitatis habita eſt) Poſthumio alteri conſulum negotium daretur: Videret, ne quid reſp. detrimenti caperet.

Sententiæ in perduellionis damnatum ferendæ.

I LICTOR, colliga manus, caput obnubito, infelici arbori reſte ſuſpendito. Cicer. pro C. Rabirio, Liu. lib. 1. Gell. lib. 12. cap. 3.

Sententiæ in damnatos pronunciandæ.

LICTOR ADDE virgas, & in eum lege agito. Liuius libro 36.

Sententiæ per tabellam ferendæ.

IN cauſſis maioribus iudices in ciſtam tabellas coniiciebant ſuas, eáſque inſculptas literas habentes, A. abſolutionis, C. condemnationis: cùm de alicuius capite agebatur, N. L. ampliationis. his enim literis ſignificabant non liquere. Pedian. in Diuinat. De formula N. L. Cicero in Cluent.

Sententiæ in priuatis litibus pronunciandæ.

CICERO lib. De finib. II. Priuatarum litium iudices ſumus. nihil enim poſſumus iudicare, niſi quod eſt noſtri iudicij. in quo fruſtra iudices ſolent, cùm ſententiam pronũciant, addere, SI QVID MEI IVDICII EST. Si enim non fuit eorum iudicij, nihilo magis, hoc non addito, illud eſt iudicatum, &c.

Sententiæ pronunciandæ.

CVM conſtet Titium Seio ex illa ſpecie quinquaginta, item ex illa ſpecie vigintiquinque debere: icircò L. Titium Seio centum condemno. Ex l. I. D. quæ ſent. ſin. appel. Item, Non liquet: ſi quando obſcura cauſſa videbatur, priuati iudices id iurabant. Gell. lib. 14. cap. 2. & l. Pomponius. D. de re iudic.

Sententiæ pronunciandæ.

FECISSE VIDERI. Cic. pro Cecinna, Verrina 3. De finibus 2. & alijs locis in numeris, itémque alij cõplures.

Sponſionis.

QVOD A Flauio abſtulero, partem dimidiam inde Roſcio me ſoluturum ſpondeo. Ex Cicer. Orat. pro Qu. Roſcio.

Sponſionis in iudicio.

NI TE Apronius in Decumis ſocium eſſe dicat. Ex Verrina 5.

Sponſionis in arbitrio.

NI VIR BONVS ſit. Cic. lib. 3. Offic.

Stipulationis in emptione ſuum.

ILLASCE ſues ſanas eſſe, haberéque rectè liceret, noxíſque præſtare, neque de pecore morboſo eſſe, ſpondéſne? Varr. lib. 2. cap. 4.

Stipulandi.

SPONDES? ſpondeo. promittis? promitto. fideiubes? fideiubeo. dabis? dabo. facies? faciam. Iuſtinianus §. 1. De verb. oblig.

Stipulationis in caprarum emptione.

ILLAS capras hodie rectè eſſe, & bibere poſſe, haberéque rectè licere, hæc ſpondéſne? Ex Varr. lib. De re ruſt. 2. cap. 3.

Stipulationis in ouium emptione.

Cùm emptor dixit, TANTIS SVNT MIHI EMPTÆ? & ille reſpondit, SVNT, & expromiſit nummos: emptor ſtipulatur priſca formula ſic: ILLASCE oues, qua de re agitur, ſanas rectè eſſe, vti pecus ouillum, quod rectè ſanum eſt extra luſcam, ſurdam, minam, id eſt, ventre glabro: neque de pecore morboſo eſſe, haberéque rectè licere. hæc ſic rectè fieri ſpondes? Ex Varr. lib. De re ruſt. 2. cap. 2.

Stipulationum in boum aut iuuencorum emptione.

Eos cum emimus domitos, ſtipulamur ſic: ILLOSCE boues ſanos eſſe, noxíſque præſtari? Cùm emimus indomitos, ſic: ILLOSCE iuuencos ſanos rectè, deque pecore ſano eſſe, noxíſque præſtari ſpondéſne? Varr. lib. 2. cap. 5.

Teſtamenti nuncupati.

Tabulas teſtamenti teſtator tenens ita dicit: HÆC VTI in his tabulis cerìſve ſcripta ſunt, ita do, ita lego, ita teſtor. Itaque vos Quirites teſtimonium præbitote. Ex Vlpiani Inſtit. cap. 20.

Teſtimonij dicendi.

Maiorum hæc fuit diligentia. Voluerunt vt qui teſtimonium diceret, ARBITRARI ſe diceret, etiam quod ipſe vidiſſet. Cic. Academic. 2. Idem pro Fonteio: Primùm illud verbum conſideratiſſimum noſtræ conſuetudinis ARBITROR, quo nos etiam tunc vtimur, cùm ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipſi vidimus, ex toto teſtimonio ſuſtulit.

Templi

Templi concipiendi.

Varro libr. de lingua Lati. VI. Concipitur templum verbis, non iiſdem vſquequaque. In arce ita: Teſtáque meta ſunto, quoad ego eas relinquam, nuncupauero. Olla ver arbor, quicquid eſt, quam me ſentio dixiſſe, templum tectúmque: ferto in ſiniſtrum. Olla ver arbor, quidquid eſt, quod me ſentio dixiſſe, templum tectúmque: ferto in dextrum. Interea concretione, conſpicione, cortumione, vtique ea rectiſſime ſenſi.

Vaticinij Martiani.

AMNEM Troiugena Cannam Romane fuge, ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conſerere manus, ſed neque credes tu mihi, donec compleris ſanguine campum: multáque millia occiſa tua deferat amnis in pontum magnum ex terra frugifera, piſcibus atque auibus, feríſque quæ incolunt terras, iis fiat eſca caro tua: nam mihi ita Iupiter fatus eſt. Hoſtes Romani ſi expellere vultis, vomicámque quæ gentium venit longè, Apollini vouendos cenſeo ludos: qui quotannis comiter Apollini fiant, cùm populus dederit ex publico partem, priuati vti conferant pro ſe ſuiſque. His ludis faciendis præerit Prætor hic, qui ius populo plebíque dabit ſummum. Decemuiri Græco ritu hoſtiis ſacra faciant. hæc ſi rectè faxitis, gaudebitis ſemper, fiétque res veſtra melior. nam is dius extinguet perduelles veſtros, qui veſtros campos paſcit placidè. Ex Liuij lib. 25.

Veſtalis à Pontif. Max. capiundæ.

SACERDOTEM Veſtalem, quæ ſacra faciat, quæ ius ſiet ſacerdotem Veſtalem facere, pro populo Ro. Quiritibus, vti quod optima lege fiat, ita te Amata capio. Ex Gellij lib. 1. cap. 12.

Voti ob bellum cum rege Antiocho.

SI DVELLVM quod cum Antiocho rege ſumi populus iuſſit, id ex ſententia Senatus populique Ro. confectũ erit, tum tibi Iupiter populus Ro. ludos magnos, dies decem continuos faciet: donáque ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia, quantam Senatus decreuerit, quiſquis magiſtratus eos ludos quando vbique faxit. hi ludi rectè facti, donáq; data rectè ſunto. Ex Liuij li. 36.

Voti concipiendi.

TVO ductu, Pythice Apollo, tuóque numine inſtinctus pergo ad delendam vrbem Veios: tibíque hinc decimam partem prædæ voueo. te ſimul Iuno Regina, quæ nunc Veios colis, precor, vt nos victores in noſtram, tuámque mox futuram vrbem ſequare: vbi te dignum amplitudine tua templum accipiat. Ex Liuij lib. 5.

Voti de vere ſacro concipiendi.

VELITIS iubeatíſne hoc ſic geri? ſi res populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, ſicut velim eam, ſalua ſeruata erit hiſce duellis, datũ donum duit populus Romanus Quiritium, quod duellum populo Romano cum Carthaginenſi eſt, quæque duella cum Gallis ſunt, qui cis Alpes ſunt: quod ver attulerit ex ſuillo, ouillo, caprino, bouillo, grege, quæque prophana erunt, Ioui fieri, ex qua die Senatus populúſque iuſſerit, qui faciet, quando volet, quáque lege volet, facito: quo modo faxit, probè factum eſto: ſi id moritur, quod fieri oportebit; prophanum eſto, neque ſcelus eſto. ſi quis rumpet, occidétve inſciens, ne fraus eſto. ſi quis clepſet, ne populo ſcelus eſto, néve cui cleptum erit. ſi atro die faxit inſciens, probè factum eſto. ſi nocte ſiue luce, ſi ſeruus ſiue liber faxit, probè factũ eſto. ſi ante id ea Senatus populúſque iuſſerit fieri, ac faxit, eo populus ſolutus liber eſto. Eiuſdem rei cauſſa ludi magni voti æris CCCXXXIII. millibus, triente: præterea bubus Ioui CCC. multis aliis diuis bubus albis, atque cæteris hoſtiis. Ex Liuij lib. XXII.

Voti Pontificum.

PONTIFICVM VOTIS ANNVANT dij Romanæ reipublicæ, arcanáque morbis præſidia Apollinis iuſſus ſumma veneratione ex hoc Palladis ſcypho ſacramenta libarunt, annuant, quorum ritu Romano imperio regna ceſſere. Ex Antiquitatibus Romanis cap. 13.

FINIS.